AUTHOR: TERENTIUS AFER, PUBLIUS

TITLE: COMOEDIAE SEX, EX EDITIONE....

PLACE: LONDINI

DATE: 1824

Master Negative #

91-80140-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Works 1824

Terentius Afer, Publius.

...Comoediae sex, ex editione Westerhoviana, cum notis et interpretatione ... Londini, Valpy, 1824.

4 v. $23\frac{1}{2}$ cm. (Valpy's Delphin and variorum Latin classics, v. 68-71)

Another copy

Paged continuously. Edited by F. Leonard.

Contents.--v.1. Frederici Leonard Epistola, Praefatio, Prolegomena, Elogia veterum de Terentio, Elenchus alph abeticus scripturae com-

Continued on next card

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm   REDUCTION RATIO: 10X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 7/22/91   INITIALS G.G.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

VOLUME 1

IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)

150mm

6″

PHOTOGRAPHIC SCIENCES CORPORATION
770 BASKET ROAD
P.O. BOX 338
WEBSTER, NEW YORK 14580
(716) 265-1600

PUB. TERENTII AFRI

COMŒDIÆ SEX

EX EDITIONE WESTERHOVIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITÆ.

VOLUMEN PRIMUM.

LONDINI:
CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.
1824.

CONSPECTUS

EORUM QUÆ HAC EDITIONE CONTINENTUR.

SERENISSIMO

GALLIARUM

DELPHINO

LUDOVICI MAGNI FILIO.

Terentium Tibi, Delphine Serenissime, cum Notis ac Commentariis recens editum, ea, qua par est, reverentia, offero; munus, ut spero, non ingratum; tum quia tuos in usus paratum est, tum quia genus hoc amœniorum literarum lubens ac lætus excipis. Quanti Poëtam hunc a teneris pæne unguiculis æstimaris, tam omnibus notum est, quam Tibi gloriosum. Hujus Tu fabulas nocturna diurnaque manu versabas, lepidos ubique sales belle supra ætatem mirabaris, et tam venuste recitabas, quam ille scripserat eleganter. Hunc ergo Regio nomini tuo inscribendum duxi, quem Tu præ ceteris Latinæ Linguæ auctoribus didicisti; ut, quantum Tibi attulit fructus et voluptatis, tantum ei gratiæ referas ac præsidii. Is enim jam es, Delphine Serenissime, qui ingenia, quanta sint, tanti æstimes; et doctorum hominum famam tuo non tantum patrocinio, sed etiam judicio tuearis. Hinc fit, ut magna commendatio, magnum laudis publicæ præjudicium sit, Tibi nondum adolescenti placuisse. Quod quidem in Te præstitit sapiens ac sedula pueritiæ tuæ institutio. Quanquam

enim inest Tibi quicquid summis Principibus conferre fortuna aut natura potest, Natalium splendor et longa Regum serie ducta generis claritudo, dignitati forma conveniens, vivida erectaque indoles, mira ingenii morumque felicitas, Virtus propria quam exerceas, paterna quam imiteris; majus tamen aliquid institutio contulit, sapientiam; ita natus es, ut Maximi Reges solent, ita educatus ut Optimi. Ecqua enim fuit unquam solicitior aut sanctior in Aulis disciplina? Deum ac Parentes colere, servare modum in rebus, blandas adulantium fraudes rejicere, tribuere suam cuique laudem, benigne singulos ac liberaliter excipere, dare operam studiis literarum, et quicquid est bonarum artium animo complecti, hæc sunt sapientiæ monita, quæ et lubenter audis, et sponte sequeris. Hinc ego in eam spem facile adducor, Te hoc qualecumque sit munusculum non esse despecturum; quippe nec tua id sinet humanitas, quæ summa est, nec tuus in rem literariam amor, qui quotidiano studiorum usu alitur, et augetur. Accipe ergo, DELPHINE SERENISSIME, venustissimi Poëtæ Comœdias, in quibus et Latini sermonis elegantiam, et vivam morum civilisque sapientiæ imaginem, et urbanos, non unius modo Comici, sed virorum etiam in Romana Republica Principum, Lælii ac Scipionis, jocos invenias. Servent Te diu Fata Regi et Regno incolumem, et Ludovico Magno Parenti tuo parem Te præstent, quia majorem non possunt. Hæc sunt vota,

DELPHINE SERENISSIME,

Devotissimi et humillimi Servi tui,

FREDERICI LEONARD.

PRÆFATIO.

EXCERPTA EX

A. H. WESTERHOVII PRÆFATIONE.

* * * * * *

ACCIPE nunc, Lector Erudite, quibus præsidiis instructus ad Comicorum Latinorum Principem edendum accesserim. Primum de Codicibus Mss. quos magno numero a me laudatos vides, exponam: post Editos, quibus maxime usus sum, commemorabo; tum, a quibus Interpretibus multum profecerim, profitebor: demum, quos vivos, sicubi hæsitabam, consuluerim, enarrabo. Quibus ordine expositis, de Donato, Calphurnio, et Eugraphio addam. Primum suo sibi jure vindicant locum quinque Codices Mss. Leidenses, quorum lustrandorum mihi copia facta abs Illustribus Academiæ illius Curatoribus, eorumque Collegis Amplissimis, Urbis Lugduno-Batavæ Coss. Horum quidem Codicum incipit primus a vs. 540. Act. I. Sc. 1. Andriæ; videturque manu pervetere exaratus, in membrana. Creditur autem olim fuisse Cl. Viri, Antonii Oiselii. Paucæ in eo sunt vocum distinctiones, pauca scribendi compendia, plusculæ autem initiales literæ omissæ. Secundus, variis figuris exornatus usque ad mediam Heautontimorumenon, in fine ascriptum habet: 'Calliopius recensui. P. Terentii Afri Comœdia Phormionis Explicit. Amen.' Et hic Liber in membrana exaratus est, habetque distinctiones quamplurimàs. Tertius est versibus junctis, et more prosæ ora-

tionis scriptus, itidem in veteri membrana. In hoc multæ sunt aspirationes, ex. gr. *Holim, Hostium, michi, nichil,* tum bene multæ vocum et syllabarum notæ. Quartus est scriptus per Theodoricum de Palude, Anno 1442. atque adeo nascente jam Arte Typographica, etiam in membrana. Additum in fine: *Finito Libro sit laus et gloria Christo.* Scripta autem sunt omnia versibus junctis. Quintus codex est antiquus in membrana, cui Titulus: 'Liber Eographii Argumentatorii Commentarii Andriæ.' Progreditur ad Phormionem, etsi folia sint lacera, nec appareat finis Eunuchi, aut initium Heautontimorumeni. Tum sequitur Terentius integer, cui additur in fine: 'P. Terentii Afri Comœdia Phormio bono scolastico Explicit Feliciter.' Terentium Priscianus excipit, De Metris Fabularum Terentii, et aliorum Comicorum. Hujus tantum tria folia supersunt. Idem hic Liber in plures Scenas dispescit nonnullos Actus, quam quidem fit vulgo. Qui vero Justi Lipsii fertur Codex Ms. is a me excussus est ante quam ex auctione publica addiceretur Leidensi instructissimæ Bibliothecæ; cum parte Ms. alterius, ejusdem Cl. Viri. Sequuntur Libri tres, duo priores Academiarum Trajectinæ et Oxoniensis, hic quidem e Bibliotheca Thomæ Bodleii Equitis, cum tertio Markiano, qui, quadringentorum fere annorum ætatem præferens, e supellectile Libraria Excellentissimi Ehrencronii emtus a Nobilissimo Viro, Henr. Hadr. van der Mark, van Leur, JCto, antehac ad B. Mariæ Ultrajectinæ Canonico. Horum mihi Varias Lectiones suppeditarunt Clarissimi atque Amicissimi Viri, Carolus Andreas Dukerus, Abrahamus Gronovius, et Eduardus Zurkius. His accesserunt alteri tres, Typographorum meorum opera mihi conciliati, sed paulo serius, et parte operis jam typis exscripta. Horum Codicum primus, ut reliquos ætate, ita lectionis præstantia vincit. Medius forma est minima, primus et tertius maxima: omnes tamen in membrana. Iste antehac Illustris Grævii, visus mihi ante aliquot annos apud Cl. Virum, Jo. Theod. Schalbruchium, Lycei Amstelædamensis Professorem, et Scholarum Rectorem, sed usibus meis negatus, de-

mum post ejus fata in solidum mihi tributus: ille communicatus mecum a Nob. Viro, Jo. De Wit, Amplissimi Viri, Jo. De Wit, urbi Dordracenæ nuper a Secretis, Filio, Summorum quondam apud Batavos Virorum, Jo. et Corn. De Wit Nepote: hic e Bibliotheca insigni, Viri Nobilissimi, Theodori Bœndermakeri, Canonici S. Martini apud Ultrajectinos, coëmtus. De aliis Libris manu exaratis, quibus Gabriel Faërnus, Philippus Pareus, Franciscus Guyetus, Joannes Henricus Bœclerus, sed et plures alii dudum sunt usi, quosque partim in partes vocavi, dicere nihil attinet. Nolim tamen existimes, ita religiose a me excussam Librorum omnium, quos laudavi, scripturam, ut omnes apices persequendo nihil, quod a vulgata lectione abiret, non observatum dimiserim. Ea mihi, ut verum fatear, inanis futura opera, obscuraque visa est diligentia, incertiorem factura Lectorem, quam is fuerat dudum. Quid quod ridendos passim propinarem publice bonos cetera Codices, si singula, quæ in manifesto cubare mendo nemo sanus negaverit, identidem exscribere, atque ad nauseam usque repetere voluissem? Non igitur me sæculi fastidium, sed certa deterruit ratio. Quod ne gratis dixisse videar, eorum, quæ mihi potiora sectanti ultro se ingesserunt, bonam partem Tecum hic communicare visum est. En igitur absurdas optimorum Codicum lectiones: And. Act. I. 1. 138. *Sine ut eveniat.* Act. III. 3. 24. *Insperatæ nuptiæ hoc atque invito Pamphilo.* Act. IV. 1. 59. *Hem sed mane.* Act. V. 1. 19. *Objurgantem ancillam.* Eun. Act. I. 2. 35. *Abreptam e Samo.* Act. II. 3. 7. *O fortunatum senem.* Ibidem 24. *Reddunt creatura junceas:* et 45. *Scilicet desine.* Act. III. 1. 6. *Est istuc datum profectum.* Act. III. 5. 37. *Dianæ misisse.* Act. IV. 6. 31. *Animo potenti.* Act. V. 2. 8. *Miserrimus feci fugitando.* Heaut. Act. II. 1. 16. *Quod deinde ei, recte est.* Act. III. 3. 31. *Quantum tibi operis Di dant.* Act. V. 1. 1. *Idcirco scio.* Adelph. Act. I. 2. 64. *Cum placeo.* Act. III. 2. 35. *Patrem ita obsecratum.* Act. III. 3. 23. *Congruum istum.* Act. IV. 2. 23. *Non puduit se:* et 28. *Referre non audebam.* Act. IV. 3. 14. *Et certo scio,*

quia nescis eas. Hec. Prol. Alt. 17. *Et inde terendo.* Act. I. 2. 15. *Consilium contemplasse* : et 40. *Utcumque maxime.* Act. III. 3. 47. *Excitatum reddidit.* Act. IV. 4. 41. *Derelinquunt viri.* Phorm. Act. II. 1. 3. *Reverti saltem non pudore.* Act. III. 2. 39. *Quam addideras huic præconstituta.* Act. IV. 1. 20. *Quod si scit, ut me excutiat.* Hæc et sexcenta alia si singillatim suis locis annotassem, enimvero vererer, ne operam lusisse me quis merito diceret. Neque tamen affirmare liquido ausim, nihil in tot Codicibus, tam difficilis sæpe lectionis, quod quidem dignum fuerit observatu, meam industriam fugisse. Quanquam, ne id fieret, me fecisse sedulo, id scio. Sed et, ne Cl. Dukeri otio abuterer, satis habui, si, de quorum lectione addubitabam, quod commodo ipsius fieri posset, ea loca ad Codicem Trajectinum, chartaceum illum, et Anno 1454. scriptum, exigeret. Idque ultro mihi oblatum, summaque fide præstitum, grato memorique animo agnosco. Ubi porro minoris interesse videbatur, suppressis nominibus, Msstorum tantum mentionem feci. Atque hæc quidem de Mss. nostris bis senis, cum parte tertii decimi, dicta sunto.

In Codicibus editis facile reliquis palmam præripit princeps illa Editio Anni 1469. triennio superans ætatem illius, quam Cl. Mich. Maittaire primam vocat. Hanc ego usibus meis concessam a capite ad calcem percensui ante quam Illustrissimo Sunderlandiæ Comiti ex auctione publica insano pretio addiceretur, atque in Angliam portaretur. Vidit ibi, ususque est Cl. Vir, Franciscus Hare, laudans in nupera sua Terentii Editione. Sed miror, videre potuisse, quod meam pluriumque oculorum aciem fugerat, numerum illum, quem dixi, non typis impressum, sed calamo ascriptum fuisse. Addit tamen, nescire se, an omnium princeps sit; certe quidem antiquissimam esse fatetur. Librum hunc excipit Anonymus, pervetustus ille, cui nec Loci, nec Typographi nomen, neque adeo Anni numerus est additus. Sequitur Editio Tarvisiana, impressa per Magistrum Paulum Ferari, et recognita per Magistrum Aluisyum Strazarolum, Anno 1481. Sequuntur Venetæ binæ, Annorum

1490. et 1512. Argentina, Anni 1499. Basileensis ex officina Frobeniana, Anni 1538. Lugdunensis 1511. Pictaviensis, sine anno ascripto; Basileensis altera, Anni 1548. Parisienses duæ, ex officina Rob. Stephani, quarum prior Anno 1536. in forma maxima, altera Anno 1540. in minima prodiit. Hæc quidem rarior videtur, paucisque, qui postea Terentium ediderunt, adhibita. Porro Lugdunensis, more prosæ scripta, Anni 1520. Veneta, Anni 1559. apud Paulum Manutium, Aldi Fil. Rursus Veneta, Anni 1521. ex officina Aldi; Antverpiensis, Anni 1560. præter Daventriensem, Gryphii et Juntarum, cum nonnullis aliis. Jos. Scaligeri Editionem diu frustra quæsitam videre mihi non contigit; neque sane quid compertum satis de ea habeo. Sunt, qui vidisse se, sunt et qui aliquando possedisse mihi affirmarunt. Alii nunquam prodiisse contendunt.

* * * * * *

Porro autem insigni mihi adjumento fuerunt, quæ suis Codicibus ascripserant summi Viri, Gerardus Falkenburgius, Janus Gruterus, Franciscus Guyetus, Theodorus Pulmannus; quos mihi Codices omnes, præter primum, qui ex Editione Matthiæ Bergii Brunsvicensis prodiit Lipsiæ, Anno 1574. et servatur in Bibliotheca publica Lugduno-Batava, indefessa cura conciliavit Vir optimus, Thomas Johnsonius, Typographorum meorum alter. In iis enim non pauca minime vulgaria, certe ante hunc diem ἀνέκδοτα reperi. Licet enim Bœclerus dudum ediderit Guyetiana, multis tamen partibus plura ejusdem Eruditissimi Viri reliquit inedita. Usum autem Bœclerum eodem hoc Codice, tanto magis mihi fit verisimile, quod, quæ edidit, ita eadem sunt cum glossis Mss. ut verbum de verbo expressum videatur. Quæ edere neglexit, quæque nunc primum a me eduntur, ita erant minutis literulis scripta, ut mirandum non sit, si tantus Vir, tantisque negotiis districtus eorum sensui indagando supersedit. Nunc vero foliorum margines ita putredine exesi sunt, ut ægre admodum literarum vestigia vel ab acerrimo oculo satis deprehendantur. Quanquam, dicam enim, quoniam mentio de Guyeto incidit, acerbior ille

mihi, licet cetera elegantioris literaturæ, videtur Criticus, quam par est, et plus æquo morosus Aristarchus, planeque immisericors, delens atque expungens non jam voces versusque singulos, sed integras Scenas ita notans obelo, et decussatis lineis, in illo, quo usus sum, Codice perstringens, uti in Editione Bœcleriana transverso illinendas calamo censet. Bœclerus vero cum præclara multa habet, tum in artificio Comico investigando et aperiendo regnat. Quod de Guyeto dixi, is ob nimiam licentiam merito ab Elegantissima Daceria vapulat, ad Phorm. v. 7. 29. Digna sunt Doctissimæ Annæ verba quæ commemorentur. Ita illa: ‘Ces trois dernières Scenes sont peut-être les plus belles de tout le Phormion. Cependant M. Guyet leur a déclaré une si cruelle guerre, qu'il les retranche tout d'un coup, sans faire quartier à un seul vers. On ne peut s'empêcher de dire, que c'est là un dégoût d'un homme malade, plutôt, que d'un Critique judicieux et délicat.’

Quod in Observationibus maxime ad Donatum frequens vides Abrahami Wielingii nomen, hujus mihi Consultissimi Amicissimique Viri in Donato sexcentis mendis obsito e conjectura restituendo insignis opera fuit. Scilicet cum aliquando ad Amplissimum Virum, Samuelem Hulsium, Haganæ Civitatis Consularem, prædivitis et sane raræ Bibliothecæ possessorem inviserem, rogaremque, uti, si quæ præsidia meis usibus apta haberet, ea mihi ne negare vellet, *Μουσῶν θυρίδες ἄφθονοι*, respondit Vir Humanissimus, lustrandorum Librorum copiam facit, moxque Catalogum percensens præstantissimas quasdam Editiones mihi seponit. Ego interea cupide omnia circumspiciens incidi in Donati Codicem Ms. quantivis pretii. Et hujus mihi usura eadem liberalitate facta, ut, si quam inde veteri Interpreti opem ferre possem, id facerem. Ibi tum Eruditissimus Wielingius, cognito meo consilio, quæcumque sibi ad Donatum observata essent, ultro mihi obtulit. Inde igitur non contemnenda Observationibus nostris accessio est facta. Sed et alterum ejusdem Donati Librum nactus sum, itidem manu exaratum, junctum Codici illi Ms. Bœndermakeri, quem

laudavi supra. Hæc ego κειμήλια quanti fecerim, faciamque, verbis exprimere non possum; tanto magis, quod nullum sibi divitis Academiæ Oxoniensis aliosque Britannorum loculos perlustranti repertum Donati scripti exemplum mihi affirmavit Doctissimus Abrahamus Gronovius. Atque o utinam integer superesset Donatus! Ita vero multa in Comicorum Principe, quæ etiam nunc quasi in interiore angulo recondita latent, dudum illustrata cerneres. Verum, ut nunc est, contenti simus hoc Catone. Accidit nimirum optimo Interpreti, quod accidisse olim pluribus non pessimæ notæ Scriptoribus merito dolent Eruditi, ut nimirum bona sui parte mutilati ad nos pervenirent. Quid Erasmus quidem de nostro hoc Donato censuerit, vel Titulus Editionis Frobenianæ indicat, in quo hæc leguntur: ‘Habes hic, Amice Lector, P. Terentii Comœdias, una cum Scholiis ex Donati, Asperi, et Cornuti Commentariis decerptis.’ Asperi quidem vel Donatus, vel quicumque alius meminit ad Adelph. IV. 2. 20. Annæus Celsus et Helenius Acron, Grammatici, qui Terentii Interpretes fuerint, laudantur Charisio. De horum, sed et de Capri, Probi, aliorumque ætate dicere nihil habeo. Quid porro de judicio et auctoritate Grammaticorum statuendum sit, edisserit Illustrissimus Scaliger ad Virgilii Copam. Petrus vero Nannius, Miscell. lib. I. c. 6. ‘Aliquis indoctus,’ inquit, ‘indoctissimis verbis paraphrasin scripsit in Donatum. Id jam mundo obtruditur pro Donato.’ Loquitur autem de Commentariis in Virgilii Æneida. Idem vero alibi de Terentianis agens ‘indoctissimum nebulonem’ vocat, ‘qui pro Ælio Donato se venditaverit.’ Nihilo mitius de eo judicium tulit Tanaquilus Faber, ad Phæd. I. 4. ‘Dicam audacter, sed vere, non magis Servium hodie habemus, quam Donati in Terentium Commentarios. Excerpta tantum supersunt, et sæpius a mala manu.’ Temere loqui credis? ‘Quod demonstrare,’ addit, ‘si quis sibi postulet, tam equidem id possim facile, quam ostendere, *Δὶς δύο εἶναι τέτταρα*.’ Quanquam eædem res in Donato nonnunquam bis terve repetitæ, nonnunquam contrariæ, Erasmi judicium firmare viden-

tur. Ubi autem qui ante hunc diem prodierunt Libri Commentarium Donati turpiter et inscite prorsus luxatum lancinatumque turbato ordine exhibebant, quod innumeris locis factum, qui volet, reperiet, emendatum nunc, restitutumque exhibeo.

Joannes Calphurnius ille Brixiensis, quisquis demum fuerit, Laurentii Vallæ ætate, id est, Sæculo quinto decimo, vixisse videtur, cujus diserte meminit ad Heaut. IV. 5. 10. Hic præter Commentariolum in unam illam Fabulam nihil Terentiani, quod sciam, reliquit, et haud raro quam proxime ad ipsum Donatum accedere videtur. Si quis Calphurnium possedisse Donatum etiam in Heautontimorumenon contendat, non valde repugnaverim. Certe quidem pluscula Donatiana in eo inveniri, plus semel monui in Observationibus.

Quæ Eugraphius, sive is Eographius vero nomine vocandus sit, in Nostrum vel notaverat, vel notanda Discipulis præceperat, perpauca admodum, neque fere quicquam, præterquam in Prologos Terentianos Fragmenta hujus Scriptoris, decimi, ut videtur, id est, obscurissimi Sæculi, e suo Codice primus omnium dederat Gabriel Faërnus, nuper repetita, et novæ Editioni Terentianæ adjecta a Francisco Hare. Hæc vero bona parte post Faërnum e Libro Ms. auxit Fridericus Lindenbruchius. Sed vel ita ingentes lacunæ, hiatus vasti restabant; Hecyra integra præter utrumque Prologum, integræ item Phormionis Scenæ deerant. Cum id dolebam, neque, unde suppetiæ tam misere habito affectoque Interpreti petendæ essent, exputabam, commodum incidi in duplex exemplum, quod servatur in Bibliotheca Leidensi, lacerum alterum, alterum multis partibus integrius; illud quondam Is. Vossii, hoc Dionysii Petavii. In illo legebatur: 'Sc̄i Petri Beluacensis.' In hujus fronte ascriptum erat: 'Rufinus in Commentario de Metris Evanthium Sacerdotem in Terentium citat.' Porro autem: 'Abbo Floriac. Abbas in Epistolis meminit Eugraphii.' Abbatem autem illum Floriacensem Sæculo X. floruisse constat. Unde de Eugraphii ætate conjectura fit.

Visum igitur fuit faciendum, ut ad utrumque illum Codicem et vulgatas Editiones exigerem, et, quæ ab his aberant, inde transcriberem. Fateor, vel sic multa in eo superesse, quæ medicam manum desiderent; sed qualemcumque Eugraphium edere, quam nullum malui, maxime cum hujus instituti mei summos, quos laudavi, Viros auctores haberem; ut, si tanti est Eugraphius, Eruditiorum conjecturæ et emendationi locus esset. Quæ ipse nonnunquam aspersi, leviora sunt, quam quæ magnopere laudari mereantur. Neque enim perpurgando illi Augiæ stabulo otium suppetebat. Cum enim nullo discrimine Terentiana Eugraphianis mista corruptissime legerentur, iis utcumque concinnandis satis molestiarum profligandum, satis tædii devorandum fuit.

De verbis autem ipsius Terentii, ea maxime ad Faërni Editionem exhibui; non ita tamen, ut, ubi ratio manifesto aliud suadere videbatur, nunquam secus legendum edendumve existimaverim. Ne quis credat, me Guyeti, Codices Mss. quibus usus est Faërnus, ad Hec. II. 2. 16. sugillantis, auctoritate motum a tanti Viri lectione nonnunquam recessisse. Qui vero e tam grandi vetustissimorum Codicum, tamque varia confusorum versuum varietate verum et genuinum aliquando Terentium nobis daturus est, næ, is magnus Apollo fuerit. Nec Bembinus ille Liber, quamlibet prisci ævi, semper satis placet Faërno. Quid quod Guyetus ad Eun. II. 2. 20. Terentianas Fabulas jam ante Ciceronis ætatem, id est, proxime Terentii obitum, interpolatas et depravatas fuisse censet? Quodcumque fuerit, Ciceronem, non longe adeo a Terentii ætate remotum, corrupto jam exemplo usum esse, vero admodum fit simile.

Causas ignorantiæ metricæ in primis abolitam Romæ sub Augusto antiquitatis memoriam vocat in Senario suo Cl. Chr. Wasius, Tragicosque juxta ac Comicos veteres Bibliothecis in Urbe publicis dejectos; quando Auctores vero honore fraudatos denuo describere operæ pretium non fuerit Librariis. Sed cum nec Lucilio, Magni Pompeii magno avunculo, parceretur, cum a Nova Poësi Ennii sterquilini-

um, Attii veternus, Pacuvii verrucæ cum fastu repellerentur, et exoletorum verborum fœtores procul furcillarentur, Terentiano saltem metro parcere debuerat fastidiosum sæculum, et satis habere nascentis Eloquentiæ jam inde a primis incunabulis et vagitibus per singulas ætates incrementorum vestigia confudisse. Habebit igitur, in quo se exerceat Vir Cl. Richardus Bentleius, si, quod ad Horat. Serm. II. 5. 79. pag. 513. profitetur, aliquando novam Terentii Editionem ad priscos numeros adornaturus est. Sane, qui rationem metricam in Terentio certis legibus innixam astrictamque dare volet, Terentium ipsum, forte et Lælium et Scipionem, ab Inferis excitet necesse est. Nisi crebras synalœphas, episynalœphas, collisiones, elisiones, sexcentas licentias alias probe cognitas habeat, atque inde versus catalecticos, acatalecticos, brachycatalecticos, hypercatalecticos constituat; nisi inter scribentis Poëtæ, interque Histricos constituat; nisi inter scribentis Poëtæ, interque Histrionum verba, sed et Interpolatorum audaciam, demum inter innumera fere Variantium Lectionum divortia, a titubantis calami lapsibus orta, certissimum ubique, quod mihi quidem ἐν ἀδυνάτοις semper visum fuit, discrimen indigitet, et, quodnam potissimum iter insistere oporteat, quasi divinus Mercurius ostendat, frustra futurus est, quicumque opus hoc moliri unquam volet. Fuerint hæc olim apud sæculum Comicum nota Latinis auribus; fuerint hæ deliciæ prolutis illis labris, Attico melli, Tusco lepori assuetis; enimvero alia nostræ ætatis hominum ratio est; essetque alia, opinor, si maxime Scriptores Metricos, et περὶ τῶν ἐν ποιήμασι ταραχῶν, cum Græcos, tum Romanos longa dudum non delevisset dies. Dicam etiam amplius; facilius fuerit Taraxippo equorum in Hippodromo currentium pavores averruncare, quam ulli Scenico Numini Histrionum offensiones seu procurare, seu tollere. Aut igitur nescio cui duræ et cascæ licentiæ indulgendum, aut bene multa ita in alias formas varianda, ut Terentium in Terentio quæras. Horum utrum minus necesse sit, dicam quasi a Censore rogatus, EX ANIMI SENTENTIA, Non video. Metri quidem mentionem facit Donatus ad Phorm. I. 4. 48. et alibi non-

nunquam; is vero, si Guyetum ad And. IV. 1. 3. audimus, rei metricæ plane imperitus fuit. Jam vero Muretus ad And. III. 2. 1. 'Sunt hic aliquot,' inquit, 'versus, quorum dimensionem explicare ex veteribus Libris non potui, ex ingenio nolui.' Idem, Var. Lect. III. 3. existimat, Histriones in recitandis Fabulis quædam de suo addidisse, ut oratio quotidianæ similior videretur; atque hinc factum, ut versus Terentiani sæpe videantur metro laborare. Palmerius autem ad Phorm. V. 7. 77. versus quosdam justo longius excurrere censet, non sine magna gratia, ut talia extra numerum censeantur. Faërnus testatur, se versum tertium et vigesimum, Act. II. Sc. 3. Phormionis, tum versum quartum et quadragesimum, Act. V. Sc. 7. ejusdem Fabulæ pedibus metiri non posse. Alii ad alia adhæserunt. Neque P. Antesignani, singulis versibus tanquam proprios pedes ad oram ascribentis, sed inter Erasmum et J. C. Scaligerum semper dubii et fluctuantis, nimia diligentia rem satis expedivit. 'Profecto tanta,' verba sunt Jac. Perizonii ad Sanct. Min. p. 417. 'invaluit licentia, ut vix inde quid certa ratione probare, vel refutare queas.' Et si, quod sua jam ætate dicebat Cicero, Comicorum Senarii propter similitudinem sermonis ita abjecti sunt, ut nonnunquam in his numerus et versus vix intelligi possit, quid, amabo, aliis Carminum generibus, quibus Comœdia referta est, fiet? Viderunt id, qui temporibus Prisciani metra in Terentii Comœdiis esse negarunt. Quanquam quis id in universum affirmaverit? Neque tamen cum Quintiliano plus gratiæ habituras fuisse crediderim, si intra versus trimetros stetissent. Grave enim videtur judicare de judicio talium Virorum, ad quorum scientiam cum in Poëtica, tum in Latini sermonis elegantia, quotquot tot quidem sæculis post hasce Artes tractarunt, vel etiam nunc tractant, vix comparandi sunt, ne quid gravius dicam. Ita igitur statuo, et arcanum Artis Metricæ prisci illius ævi dudum esse deperditum, et versus Comicos omnino ita abjectos eo consilio, ut a sermone vulgari parum aut nihil abirent, eoque haud raro miscerentur. Vitam enim imitati soluta oratione

potius inter se confabulari, quam numeris astricta, videri voluerunt. Idem tamen Cicero Parad. III. 2. 'Histrio,' inquit, 'si paulum se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior aut longior, exsibilatur et exploditur.' Quod qui fieri potuerit in Scena Nova, ubi alternis tantum sedibus Spondæi recepti, vix intelligas; nedum, si de Veteri sermo sit, ubi Tragicos, Comicos, Satiricosque Iambis Trochaicisque versibus plures immiscuisse Spondæos novimus. Quid quod numeri rebus passim parum conveniunt, variumque Carminum genus in eodem, idem in diverso negotio adhibetur? Si tamen ea Carmina sunt, unde nisi diversissima pedum et metrorum genera vix exsculpas. Neque semper, credo, dignitas nobis videtur in tardis Spondæis, neque exardescens affectus in incitatioribus Dactylis. Illud confidenter dico, nisi quis multo maximam literarum partem Comicorum, et maxime Plauti et Terentii ætate aliter scriptam, aliter pronuntiatam, vel omnino in sermone suppressam, quod nunc Gallis et Britannis perquam familiare est, ostenderit; sed et, quæ illius corruptæ pronuntiationis ratio fuerit, examussim indicaverit, nequicquam Licentiæ Comicæ Regulas nobis concinnabit. Si enim promiscue syllabam contra quantitatis vulgatæ, diphthongi, et positionis naturam corripere fas sit, quod contendit Cl. Hare; si non, *Estis vos*, sed *ête vous*, cum hodiernis Gallis, *Yo* pro *Ego*, cum Hispanis dixisse priscos Latinos credimus cum Cl. Wasio, quid sonuerit viva Sæculi Plautini et Terentiani vox, sane ægre ex ipsis per se literis confici posse patet. Et quotusquisque est, qui non videat, eadem ratione cuncta vel Ciceronis, cui in ipsis orationis fulminibus sæpius iambi exciderunt, vel cujuscumque alterius Scriptoris opera ad metrum redigi posse? Adeo ardua res est, ad calculum revocare, quo pacto quid in veteri orchestra ad tibiam cantari et saltari sit solitum. Vidit id, et ingenue professa est Elegantissima Anna, cujus verissima in fine Præfationis verba sunt: 'On pourroit faire beaucoup de remarques sur l'arrangement de mots, qui assez souvent sont autrement placés dans ces

Manuscrits, que dans les imprimés; mais cela seroit ennuyeux; nous n'avons pas aujourd'hui l'oreille assez fine pour juger de cette différence. Et pour ce qui est de la mesure des Vers, il nous sieroit mal de vouloir faire les délicats sur une cadence, qui étoit tres-peu sensible du tems même de Ciceron, et que les plus grands connoisseurs ne démêloient qu'avec beaucoup de peine.' Lucubrentur sane, mordeant ungues, extricent, quam velint, Viri docti, quibus otium est; tum demum vera eorum gloria prædicabitur, ubi utilitatem ejus, quod fecerint, approbabunt, fortunasque Græciæ in eo verti, demonstrabunt publice. Enimvero tueatur quis rite ceteras partes, et facilis intricatissimi metri jactura erit; satis se superque viva morum imagine, stylique elegantia commendabit Terentius. Ego igitur, ne quid adversus Legem Corneliam, quæ est de Falso, committerem publice, meque turpiter darem, de Metro perparce disserui. Neque enim est nostrum, quæ super eo argumento inter Erasmum, Scaligerum Patrem, Antesignanum, Glareanum, Goveanum, Scioppium, Tanaq. Fabrum, Joachimum Camerarium, Guyetum, alios, quanquam uti non æquales, ita nec per omnia pares, satis acriter sunt agitatæ, componere lites. Quo sæpius autem Terentium lego, eo magis fit mihi verisimile, elegantissimum Scriptorem honestate verborum delectatum salebras versuum superare, quam quicquam de recto compositionis tramite deflectere maluisse. Et profecto, quantum decoris Virgilius ex Homeri imitatione consecutus est, tantum e Menandri expressione Terentius, aut plus eo. Contra si qui sentiunt, nil sentiunt. Audiant hæc vel Volcatii Sedigiti Manes, palmam, Terentio debitam, Cæcilio dantis. Ducatur sane huic laudi, auctore Horatio, gravitate vicisse, modo de Arte lis nulla moveatur Nostro. Quanquam quis in Socco gravitatem Cothurni magnopere admiretur? Certe quidem tenuitatem sermonis in Comœdiis Græcis Quintilianum laudasse novimus. Unde dubium nullum est, mansurum Terentio suum honorem, Latinis dum manebit pretium Literis.

Tum alterum est, quod mihi parum etiam expeditum usque adhuc videtur a Viris Eruditis, et vereor, ut unquam satis expediatur. Scilicet Afer noster ita e Menandro, Apollodoro, Diphilo, multa transtulit in suas Fabulas, ut veteris Græciæ mores passim notare videatur; ita Romanis Romane scripsit, ut Romanorum sui ævi instituta non raro tetigisse appareat. Verum hæc ubique qui certissimis argumentis discernere quiverit, videre me nondum memini. Est, ubi Donatus ipse dubitat, et nihil expedit.

* * * * * * *

EXCERPTA E PRÆFATIONE LINDENBROGII.

PUB. TERENTIUM AFRUM, Comœdiæ Latinæ scriptorem undecumque elegantissimum, atque ingenii festivi, curatiore studio recensitum bono publico exhibere visum fuit. Quem enim pueri amavimus, ejusdem amœnitate ac venere vel hac quoque ætate nos capi, non erubescimus. Non denegarunt nobis hac in re operam suam amici nostri, viri literati. Inprimis vero multum adjuti sumus favore celeberrimi jurisconsulti Franc. Pithœi Tricassinensis, qui duo nobis Terentii exemplaria suppeditavit; alterum fratris B. M. alterum manu sua emendatum. His accessit Ms. codex qui in bibliotheca regis Galliæ asservatur: cujus ea visa est antiquitas, nec minor bonitas, ut vel solus sufficeret, cujus fidem sequeremur: in quo etiam Terentii imago, plane ut eam ex Vaticana bibliotheca Fulvius Ursinus V. C. edidit, antiqua manu depicta erat. Usi sumus et aliis scriptis libris, sed qui perparum profuerunt: nam et recentiores erant; et, si quid variarent, id levidense admodum atque exigui momenti.

Donati duo exemplaria habuimus, et illa Pithœorum accurata diligentia ad Mss. codd. Antonii Contii et Jacobi Cujacii Antecessorum Bituricensium collata; quorum auxilio in hoc commentario plurimæ lacunæ suppletæ, aliaque infinita errata integritati suæ restituta sunt. Juverunt etiam nonnihil collectanea quædam, quæ in bibliotheca regia Parisiensi, et schedæ vett. Pet. Danielis Aureliani, viri humanissimi. Sed nescio qui veluti de compacto factum, ut Græca fere omnia in omnibus libris adeo vitiose scripta, ut raro quid inde boni extricare licuerit, vel indagare, quod specie recti placeret. Itaque non nostro saltem, sed aliorum quoque judicio, characteres vitiosos proponere voluimus, ut cuilibet pro captu ac lubidine emendandi causa relinqueretur integra.

Eugraphium non uni debemus. Præter pauca enim illa, quæ hujus scholiastæ Faërnus vir diligentissimus olim in Italia provulgavit, alia longe plura ex antiquissimo libro Ant. Loiselli J. C. nunc primum edita: et, quæ huic deerant, ex nobiliss. Franc. Olivarii codice suppleta sunt. Cetera vero quæ desiderantur, si tanti videbuntur, a felicioribus meliori sæculo fors fuat an in lucem proferri poterunt: nam, ut nos hic Italis plura præstitimus, sic, alii diligentiam nostram si supplebunt, non invidebimus. Laus est publica. Extat quidem Parisiis in bibliotheca regia commentum in hunc Comicum, Eugraphii titulo insignitum: sed adeo ineptum, adeoque nugis plenum, ut vere quis ex Luciorum schola detonsi cujusdam tenebrionis dixerit blateramentum: idcirco etiam ejusmodi affaniis editionem hanc contaminare nobis religio fuit.

EXCERPTA E PRÆFATIONE FRID. HENRICI BOTHE.

* * * * * * *

COLLATI sunt in usum hujus editionis codices Mss. sex, paris propemodum ætatis omnes, quorum quinque integri, alter autem Guelferbytanorum, quem posteriorem voco, ex

parte tantum, ut qui fide haud comparandus videretur esse alteri, membranaceo quidem illi (nam alter chartaceus), rescripto, judicibusque Langero et Brunsio, viris clarissimis, annos abhinc circiter sexcentos exarato. Inspexit duo Guelferbytanos vir doctissimus, Gesenius, Helmstadiensis, de quo bene sperare literatam jubeo rempublicam. Berolinensium et libri Helmstadiensis, ab Academia Julia liberaliter nobis communicati, potiores lectiones ipsi excerpsimus, itaque instructi ab externis subsidiis, via critica, quam munivit Ricardus Bentleius, tutius jam ingressi, quicquid dedit vir ille incomparabilis manifesto melius vulgatis et quasi extra omnem lectionis et conjecturæ aleam positum, tacite fere id recepimus; ubi dubium relictum esset, monuimus, succurrimus.

Designantur libri scripti literis A B C Gu. 1. Gu. 2. Hel. Quorum duo Berolinenses membranacei sunt, eorumque alter nitidissime scriptus, alter continue lacerusque in extrema fine; tertius vero Berolinensium chartaceus est, qui quidem in Regiam bibliothecam venit ex Georgii Fabricii, quanquam alius is liber codice ejusdem Fabricii illo, quo usus est Bentleius: Italici, ut videtur, tres libri omnes: quibus de fide ac bonitate lectionum haud concedit apographum Helmstadiense.

* * * * *

EXCERPTA E PRÆFATIONE D. PAULI JAC. BRUNS.

Qua fortuna sæpenumero in bibliothecis a me perlustratis adhuc usus sum, ut literarum monumenta viris doctis vel plane non vel non satis cognita invenirem, eandem mihi Halæ, postquam hic sedem fixi, obtigisse, omnino gaudeo. In bibliotheca Mariana, quam mense Junio præteriti anni primum adii, a doctissimo et humanissimo ejus custode Kemme, Med. D. et P. P. O. mihi ostendebatur codex Comœdiarum Terentii membranaceus, quem ibi asservari ig-

norabam. Nam neque nuperi ejus editores cl. Schmieder a. 1794. et cl. Bothe 1806. neque alii, qui ante istos viros doctissimos de Terentio edendo et illustrando bene meriti sunt, codicem laudarunt. Bothius sex codices manuscriptos, nempe tres Berolinenses, duos Guelpherbytanos, et unum Helmstadiensem ad adornandam editionem suam adhibuit. Non credo Halensem despectui ei futurum fuisse, si de eo aliquid fando audivisset. Extare codicem Terentii Halæ in bibliotheca, quæ est ecclesiæ S. Mariæ, indicarant Stiebritz in Epitome Descriptionis Circuli Salani a Dreyhauptio conscriptæ T. II. p. 293. quanquam præter notitiam extare ibi Terentii codicem membranaceum 4to. nihil attulit, et censor editionis Schmiederianæ in Ephemeridibus Literariis Catholicis, (*Allgemeine Literat. Zeitung* No. 327. Vol. IV. p. 37.) qui annotat apparatum criticum ab editore neglectum esse, quanquam Halæ codex Ms. Terentii reperiatur. Binis his testibus exceptis nullus mihi innotuit, qui codicem laudavit.

Priusquam consilium, quod in hoc opere inii, accuratius indicem, codicis historiam, indolem, antiquitatem, et præstantiam describam. Fuit quidem codex, ut ex notitia præfixa certum est, olim peculium Henrici Ellenbergeri, utriusque Medicinæ Doctoris, et Archiatri quondam reverendissimi ac serenissimi principis Christiani Wilhelmi, Archiepiscopi Magdeburgici, qui secundum Stiebritzium l. c. T. I. p. 195. et 259. ad dignitatem archiepiscopatus evectus est a. 1609. mortuus a. 1665. Ex Ellenbergeri nempe avi sui materni bibliotheca codicem sibi comparavit et bibliothecæ patriæ inferri curavit Melchior Redel, consul patriæ, hoc munere functus a. 1667...1690. et mortuus 1691.

Continet codex scriptus in membrana satis crassa, forma, quam vocant, 'folio minori,' in quaterniones complicata, Terentii Comœdias sex, nullo versuum interstitio sive junctis versibus, præter argumentum et prologum Andriæ, prologum Eunuchi, atque Heautont. Act. II. Sc. 4. vss. 1—14. quæ omnia versibus divisa sunt. Lacunam unicam in Eunucho videsis pag. 224—232. hujus novæ editionis.

Comœdiis argumenta præmittuntur, soluto sermone confecta, ab editis diversa. Codicem inchoat Vita Terentii, quam ex codice Oxoniensi ab Abrah. Gronovio descriptam A. H. Westerhovius editioni Hagæ Comit. 1726. procuratæ inseruit pag. XXXII. et XXXIII. Vitiis apographon hoc inquinatum esse neque Westerhovius, neque, qui Westerhovianam editionem Lipsiæ repetiit, Zeunius a. 1774. odoratus est. Plenior et accuratior hujus Vitæ editio ex nostro codice nunc prodiit; atque vel plane non vel accurate eam edendam fuisse, concedent omnes, qui antiquarum literarum non plane rudes sunt. Quis hujus Vitæ auctor fuerit, non liquet. Si, qui argumentum Andriæ, quod in editione nostra cum Vita Terentii connectitur, scripsit, etiam auctor Vitæ Terentii, quæ præcedit, habendus est, quod perquam verisimile est, Eugraphius, qui vixit sæculo decimo (v. testem in edit. Zeun. p. XX.), Vitam scripsit. Nam postrema hujus argumenti verba: ' Verba sunt Caliopii—plaudite,' Faërnus aperte tribuit Eugraphio in nota ad ultimum versum Andriæ, quam lege in edit. Bentleiana Terentii Lips. 1791. recusa p. 95. Ante Petrarcham, qui vixit sæc. XIV. exaratam esse, patet ex Dictis ejus apud Westerh. pag. XXXIV. sqq. complures auctoris, quem ad modernos ablegat et scholasticos rerum ignaros, errores castigantis. Scholasticus vero denotat virum dignitatis ecclesiasticæ, qui scholis ecclesiasticis præerat, (v. Fabric. Biblioth. Lat. I. 33. II. 36.) quo sensu Caliopius, cujus recensionem, utpote omnium optimam habitam, scriba suam fecit, scholasticus vocatur in fine codicis. Ceterum Dicta Petrarchæ sive P. Terentii Vita de Dictis D. F. Petrarchæ desumta ex editione Mediolanensi 1476. quo nomine apud Westerhovium l. c. legitur, extat etiam in codice manuscripto Vindobonensi, quem ex Lambecio affert Fabric. l. c. I. 31. ibique laudata argumenta inedita omnium comœdiarum fortasse eadem sunt quæ nunc ex codice Halensi protulimus.

Comœdiæ non disertis verbis actibus et scenis divisæ sunt. Initium tamen novæ scenæ prodit major initialis vocis litera; deinde spatium, quo a præcedenti separatur; tandem in tribus prioribus Comœdiis expressa personarum omnium, quæ introducuntur, initio novæ scenæ commemoratio; in tribus enim posterioribus una tantum persona, ea scilicet, quæ prima loquitur, nominatur. In Andria interdum prima scenæ linea minio sive rubro colore distincta est.

Textus inclusus est binis lineis ab utroque latere perpendicularibus. Binæ lineæ superne ductæ initio textus totidemque infra per totum membranæ spatium decurrunt. Ceteræ extra spatium textus non vagantur. Omnes lineæ stylo ductæ sunt, nullo adhibito colore, stylique satis acuti ipsamque membranam incidentis supersunt vestigia satis clara. Singulæ paginæ consistunt XXVII. lineis, quibus textus continuo sive una serie inscriptus est. Atramentum non nigrum, sed flavum et pallidum. Character, quo codex exaratus est, minusculus erectus sæculi decimi vel undecimi, præterquam quod interdum non solum singulæ literæ unciales sunt, sed passim voces et integræ lineæ iisdem constant literis uncialibus. Occurrunt hæ literæ in nominibus personarum, quæ sermonibus præfiguntur, deinde in epilogo ad calcem Comœdiarum, tandem initio argumenti vel prologi. Tria autem uncialium genera distingui possunt; primum commune et consuetum est; secundum, quod recentiores diplomatici scripturam capitalem vocant, conspicitur in literis scenarum initialibus; tertii paucissimæ sunt literæ, ultra consuetum modum grandes, et variis ornamentis cinctæ, scilicet initiales primæ scenæ in sex Comœdiis et litera T initio totius libri. In literis uncialibus VS in unam figuram coalescit, ut S supra dextrum cornu literæ V positum sit.

Abbreviaturæ sive compendia scribendi, licet non desint, tamen neque textum valde onerant, neque sequiorem produnt ætatem. Si cum multis illis, quæ cl. Mannert (*Miscell. meist diplomatisch Inhalts* p. 42.) æri incidenda curavit, comparantur, perpauca esse dices. Afferam ex tabulis Mannertianis abbreviaturas, si non omnes, tamen magnam partem earum, quas in codice Halensi deprehendi; e. gr.

abbreviatura, in tab. 2. memorata, pro 'us' inde a Sæc. XI. obvia; eadem pro 'post,' e. g. in 'posthac,' rarissime tamen; nusquam abbreviatura pro 'con' quam auctor non ante finem sæculi XII. invenit. Ex tabula tertia Mannerti compendium pro 'est' sive lineola horizontalis inter duo puncta, quod Schœnemannus ex notis Tironianis derivat, semel vel bis in glossis occurrit, nusquam in textu. Abbreviaturæ pro 'est,' 'gratia,' 'hunc,' 'modo' rarissime tamen, 'non,' 'per,' 'præ,' 'pro' tabulæ quartæ incisæ, pro 'scilicet,' 'vero' tab. quintæ, pro 'esse,' 'gratia' tab. septimæ, pro 'misericordia,' semel tab. octavæ, pro 'pater,' 'quoniam,' 'sanctus' tab. nonæ etiam in codice occurrunt. Notandum autem lineolam curvam in his tabulis vocabulis impositam magis rectam esse in codice, quod signum antiquitatis esse monet Mannertus; deinde pauciores deprehendi abbreviaturas in textu Comœdiarum, plures in prolegomenis, et adhuc plures in glossis, in quibus etiam semel in vocabulo 'compendiose' pro syllaba 'com' compendium istud vidi, quod extat tab. 9. et fini sæculi XII. ascribitur. Adsunt etiam in codice compendia scripturæ, quæ Mannertus non profert, e. g. ł pro 'vel,' ubivis in glossis, semel tantum in textu obvium; *id* pro 'id est' usitatum. De omnibus abbreviaturis universim spectatis valet, vocabula, non quotiescumque occurrunt, modo adducto abbreviari, sed alia sæpe, alia interdum, alia raro, vel rarissime. In his vero abbreviationibus paucissimæ erunt, quæ non jam Sæculo X. vel XI. in codicibus obtinuerunt. Compendium scribendi ϴ, quo nomen Terentii exprimitur in Prologo Eunuchi, inter notas Tironianas referendum esse videtur.

Alia indicia sæculi, cui codicem tribuimus, sunt sequentia. Diphthongus *æ* nusquam scribitur per *e* simplex, sed per *æ* vel *ę* caudatum, et quidem priori forma sæpius quam posteriori; diphthongus *œ* per *oe*. Litera *i* ubique puncto vel accentu caret. Ubi adest, certissime a sequiori manu ascriptum est. Quin duæ literæ *ii* contingua accentibus carent, e. g. in 'nuptiis,' 'aliis,' 'Dii,' 'periit,' 'abii,' etc. et cum inde a sæculo XII. accentus ascripti sint, (v. *Schœnemann Bersuch e. Systems der Diplomatik* T. II. p. 84.) noster codex æram illam antecedit. Litera *e* in superiori parte apicem habet, (linguam vocat Schœnemann;) ſ et *f* longiusculæ sunt, ubicumque occurrunt, et infra lineam, cui insistunt, protensæ; *r* interdum, inprimis in ultima linea paginæ, est protensa. Rarissime digamma Æolicum loco literæ *h* superne vel ante sequentem literam ascriptum apparet, e. gr. 'ilarum' pro 'hilarum.' In Prologo Hecyræ II. 22. offendi literam *k* in voce 'calamitas,' at nusquam alibi. Frequentissimum signum interpunctionis est punctum (.). Occurrit etiam semicolon (;) sed plerumque, ni fallor, lineola curva (,) a recentiori manu addita est. Signum interrogandi non semper eandem figuram exhibet; credo, quia non ubique eadem manus apposuit. Signum exclamandi (!) hac figura ⌒, non ad finem vocis, sed super media voce, ad quam pertinet, hic illic positum est, e. gr. Heaut. IV. 1. 7. 'quid sie͡t.' IV. 8. 21. 'Ae͡gre.' Vix credo hanc figuram in libris, qui de re diplomatica agunt, annotatam esse. Colon (:) et comma (,) nusquam comparent.

Sequior manus in prima codicis pagina omnes, in sequentibus quam plurimas literas atramento nigriori superinduxit, et nomina loquentium, quæ primum atramento scripta erant, minio illevit; postea tamen ipse scriba in exarandis nominibus rubro colore usus est. Per totum codicem recentior manus multum innovavit, lectiones delevit, alias introduxit, neque a mutandis interpunctionibus abstinuit.

Quæ hactenus de forma literarum totiusque codicis externa ad dijudicandam ejus antiquitatem disputavi, ex specimine characteris in æs inciso in secundo hujus editionis tomo, propediem prodituro, clariora fient et certiora lectoribus artis diplomaticæ gnaris.

Totus codex repletus est scholiis sive glossis, quæ scriptæ sunt literis exilibus, longe maximam partem, nisi me omnia fallunt, ab ipso codicis scriba. Idem est atramentum, eadem orthographia, eadem abbreviationum ratio, idem literarum ductus. Quin membrana ipsa statim ab initio ad capiendum notas destinata erat. Nam in adverso

folio margo ad dextrum latus satis amplus textu vacat, in averso folio hic margo ad latus sinistrum est. Lineis binis perpendicularibus, quæ textum terminant, alia parallela ducta est, quæ a membrana extrema non multum distat. Huic spatio inter duas lineas perpendiculares notæ inscriptæ sunt, quæ ob prolixitatem contextui superscribi non poterant. Multæ, immo maxima glossarum pars, quia perquam breves sunt, interlineares sunt.

Hæ autem annotationes sive glossæ non solum verba textus explicant, sed etiam varias lectiones aliorum codicum continent. Hæc lectionis varietas indicatur tum hac abbreviatura *t*, id est, 'vel,' tum illa *at*, i. e. 'alius,' sive 'alii,' sive 'aliter.' Esse revera varias lectiones ex codicibus depromtas, non explicationes vel conjecturas, inde certum est, quia in aliis codicibus sæpissime reperiuntur. Unde conjici potest, eas, quæ auctoritate codicis nondum fultæ sunt, illa tamen non destitutum iri, si codices accuratius examinantur. Varietas autem non solum pertinet ad voces, sed etiam ad signa interpunctionis, dum sæpius annotatur, loco signi interrogationis aliud adhiberi, vel vice versa. Observandum tamen est, voces, quibus præmissum est 'vel' aut 'al.' tantummodo tum pro variis lectionibus habendas esse, si nihil amplius additur. Glossæ autem non omnes eadem manu scriptæ sunt.

In magna felicitatis meæ parte repono, quod, nondum exacto anni spatio in inclyta Academia Fridericiana, præco esse possim codicis ibi custoditi Terentii, tum antiquissimi, tum scholiis sive glossis varii generis insignis. Dolendum est editores, quos nactus est eximius ille comicus, admodum negligenter codices suos descripsisse, ut comparatio istius, nunc ex tenebris, ubi adhuc latuerat, in publicam lucem prodeuntis, cum aliis non facile institui possit. Si Faërnus, qui primus criticen adultiorem in edendo Terentio adhibuisse dicitur, ipse editionem curasset, fortasse de codicibus, quibus usus est, accurate retulisset. At illo mortuo Petrus Victorius editionem vulgavit a. 1565. et pauca habet de subsidiis literariis quibus usus est Faërnus. Lindenbrogius, qui Faërno successit a. 1602. inprimis usus est codice Ms. bibliothecæ regiæ Parisiensis, magnæ antiquitatis et bonitatis, in quo Terentii imago antiqua manu depicta erat. Est fortasse codex 7899. in Catal. Biblioth. Reg. Parisiens. Mss. Latinor. T. IV. ubi Sæculi IX. esse dicitur, et scholiis instructus, de quibus nihil apud Lindenbrogium. Idem ille aliis libris scriptis usum se esse testatur, qui tamen parum profuerant; nam et recentiores erant et leviter variabant. Franciscus Hare 1714. adhibuit supellectilem ex tredecim codicibus Anglicanis, in quibus plures melioris notæ erant, a Nicol. Clagett collectam. Vid. Præfation. editioni præmiss. pag. XXIV. Westerhovio ad adornandam suam editionem 1726. quinque codices Leidenses præsto erant præter alios, quos adducit in Præfat. Bentleius editioni suæ Cantabr. et Londin. 1726. Amstel. 1727. repetitæ Lipsiæ 1791. brevem præmisit Præfationem, quæ narrat plurimos se codices scriptos Cantabrigienses et Londinenses ad editionem hanc contulisse et exegisse, et in Notis nominatim appellasse. Uti omnes, quos hactenus laudavi, editores codices, quos adhibuerunt, brevissime indicarunt et appellarunt, non descripserunt, ita etiam nuperrimus Terentii editor, ingeniosissimus Bothe 1806. labore accurate codices suos describendi supersedit. Quod ad horum unum attinet, nempe codicem olim academiæ Helmstadiensis, otium ipsi fecerat J. Facius in collatione hujus codicis inserta T. C. Harlesii Opusc. Varii Argum. Halæ 1773. p. 214—386.

Consideranti mihi horum codicum catalogum probabile est, nullum glossis vel scholiis instructum esse, quia horum non expressa mentio facta est. Verum enimvero idem aliis codicibus evenire potuit, quod codici Bembino, quem Faërnus omnium antiquissimum et præstantissimum habuit, factum est. Nam, etsi Victorius in Præfatione de scholiis huic codici ascriptis nihil admonet, certum tamen est ibi reperiri ex ipsis Notis Faërni, qui ad Heautont. Prol. 4. ait ' in libro Bembino, ut per omnes alias Comœdias, antiquissima manu glossemata ex Donato in margine ascripta

sunt ad locorum, quæ incidunt, expositionem,' atque passim ad prologos Comœdiarum, et ad Comœdias ipsas illustrandas excerpta inde protulit. Superesse codices Terentianos, quibus glossæ et scholia diversa ab illis, quæ sub nomine Donati, Eugraphii, Calphurnii typis excusa sunt, multa sunt, quæ mihi suadent. Catalogus codicum Mss. Latinor. Biblioth. Reg. Galliæ T. IV. recenset præter codices, qui Commentarium Donati No. 7920. Sæc. XI. 7921. Sæc. XV. et Eugraphii No. 7917. continent, alios qui inter lineas glossas, et ad marginem scholia sistunt No. 7900. Sæc. X. 7903. Sæc. XI. 8403, alium cum glossis interlinearibus 7904. Sæc. XII. cum glossis ad marginem 7909. Sæc. XV. 7916. anonymi expositionem 7919. 7922. Talium codicum hodie multo major numerus Parisiis erit. Neque in aliis Bibliothecis desiderantur. Jo. Lamius in Catal. Codd. Mss. Biblioth. Riccardianæ pag. 360. citat Terentium cum scholiis membr. quem 'vetustum,' 'pretiosum' vocat. Codex hujus generis olim deprehendebatur Guelpherbyti, unde a serenissimo conditore Bibliothecæ Guelpherbytanæ, Duce Brunovicensi Augusto, cujus nomen interire Musæ non sinent, ad Conringium, Professorem Helmstadiensem, mittebatur, ut judicium de eo ferret. Iste hæc in fronte Msti inscripsit, teste J. Burckhard Histor. Bibliothecæ Augustæ I. 229. 'Terentius Cod. chartac. Codex hic continet scholia in Comœdias omnes Terentianas non contemnenda. Quis ille scholiastes ignoro; nisi quod deprehendam et ætate et doctrina illum esse Donato inferiorem. Non credo hactenus impressum prodiisse in lucem. Volumen in Italia esse exaratum, ex adjectis fini operis versiculis Italicis, colligere est. Modus scribendi indicat, scriptum esse ante hos trecentos vel quadringentos annos, quanquam ipse auctor longe sit antiquior.' Codicem ante sæculum XIII. exaratum esse, ob materiam cui inscriptus est, chartam scilicet hodienum usitatam, affirmari nequit. Num adhuc Guelpherbyti asservetur, vel quo terrarum devenerit, dicere non habeo. Certe non est duo Guelpherbytanorum unus, quos pro editione Bothiana cl. Gesenius tunc Helmstadii degens contulit. Hos enim scholiis sive glossis destitutos esse, doctiss. ille Gesenius, Halæ, ubi nunc Professoris Theologiæ munere fungitur, mihi narravit. Alium codicem Terentianum glossis repletum scriptum anno 1474. possidebat doctiss. Niclas, rector Luneburgicus, qui hunc cum ceteris suis libris post mortem Bibliothecæ Monasterii S. Michaëlis juxta Luneburgum inferri curaverat.

Sed revertor ad codicem, quem ante oculos habeo. Hunc continere glossas sive scholia ab editis diversa, ipse conspectus abunde docet. Quatenus cum iis conspirent, quæ in codicibus ante memoratis leguntur, aliis explorandum relinquo. Auctorem scholiorum ætate Donato grammatico Sæculi IV. inferiorem esse, extra omnem dubitationis aleam positum est, quia Donatum testem producit in Prologo Eunuchi. Immo nullus dubito, eum ne Eugraphium quidem scriptorem sæculi X. ætate antecedere. Eugraphium ab eo lectitatum esse, ex consensione Notarum utriusque auctoris probabile est. In nota [ad Andr. III. 3. 34.] pro significatione vocabuli 'periclum' affertur locus ex Cicerone, quem laudaverat Eugraphius. Scholion [ad Andr. III. 4. 14.] fere totidem verbis apud Eugraphium legitur. In nota [ad Andr. IV. 3. 1.] ad tuendam significationem 'proprium,' quod sit, perpetuum, locus nonneminis, cujus tamen nomen reticetur, laudatur 'ut illud 'propriamque dicabo.'' Extat hic locus apud Virgilium Æn. IV. 126. eumque laudaverat Eugraphius, alium Donatus. Etiam in ipso textu concinnando Eugraphium secutus est. Nam fundus lectionis 'ad auxiliandum copiam' Andr. II. 1. 20. est in Eugraphio, qui, teste Bentleio, habet 'ad auxilium copiam.' Lectio *jactas* Andr. V. 4. 9. extat in nota Eugraphii ad h. l. Hic tamen Eugraphii et scholiastis nostri consensus non tantus est, ut hunc epitomatorem vel exscriptorem Commentarii Eugraphiani habeam. Ceteroquin Latinitas ejus barbara et solœca satis probat, ad eandem ætatem ablegandum esse, qua codex ipse exaratus est, i. e. ad Sæculum X. vel potius XI. Si enim Fabricius

Biblioth. Lat. II. 30. Eugraphii ætatem ad Sæc. X. vergens recte retulit, codex demum Sæculo XI. exaratus videtur. At Eugraphii ætatem a Fabricio recte definitam esse adhuc dubitari potest. Conjecit illam ex sequentibus Gerberti, quondam scholastici, tandem sub nomine Sylvestri ad dignitatem summi Romanorum pontificis evecti, verbis quæ leguntur in epistola ad Airardum VIII. (Biblioth. Maxima Patrum Tom. XVII. Lugd. 1670. p. 669.) 'Petitionibus tuis annuimus; nostra ut exequaris negotia, velut propria, monemus. Plinius emendetur: Eugraphius recipiatur; qui Orbacis et apud sanctum Basolum perscribantur.' Ex his verbis elicitur, Eugraphium æqualem fuisse Gerberti, qui vixit sub Othone III. Imp. exeunte sæculo X. et anno 1003. mortuus est. At perobscura sunt, et, nisi alia prostant argumenta ad definiendum tempus, quo vixit, sola non sufficiunt. Junguntur Plinius et Eugraphius, et, cum illum longe ante Gerbertum vixisse inter omnes constet, quare Eugraphii tempora ad ætatem Gerberti limitanda sunt? Pro *recipiatur*, quod relatum ad antecedentia plane ἀπροσδιόνυσον est, legendum esse videtur *rescribatur*, quod auctor pro, describere, posuit. Nam de libris, non de viris sermonem esse, mentio Plinii clarissime ostendit. Neque alio sensu idem vocabulum 'rescribere' epistola VIII. p. 670. sumsit: 'Historiam Julii Cæsaris a Domino Azone Abbate Terdonensi ad rescribendum nobis acquirite, ut quos penes nos habemus habeatis, et quod reperimus speretis, i. e. octo volumina Boëtii.' Etiam postrema verba epistolæ prioris de libris agunt. Jubet enim Gerbertus catalogum confici (hoc enim sibi vult 'perscribi') librorum, qui Orbacis et apud sanctum Basolum (nomina monasteriorum vel aliorum locorum esse videntur) reperiuntur. Si quis literarum harum amator et judex in volumina priora chronici ab Henrico de Hervordia conscripti incideret, cujus operis posteriora Helmstadii versavi, fortasse de Eugraphio notitiam ulteriorem reperiret. Solet enim diligentissimus chronographus auctores haud paucos e florentissima literarum Romanarum ætate nominatim adducere, loca excerpere, varietatem lectionis annotare, commentatores laudare. In volumine olim a me perlecto et descripto, quod ab Imperatore Octavio Augusto incipit, loca extant multa decerpta ex poëtis, ut scriptores prosaicos omittam, Ovidio, Persio, Lucano, Statio, Juvenali, Claudiano, una cum variis lectionibus ac glossis; neque aliam, credo, rationem iniit in voluminibus præcedentibus, quæ fortasse alicubi in Bibliotheca vel Archivo Guestphalico latent.

Quid si idem ille, qui codicem descripsit, etiam notulas adjecit? Hoc mihi inde probabile est, quia magnum consensum textus cum notis etiam istis locis, ubi textus falsæ lectionis argui potest, deprehendi; e. g. ad mendosam lectionem *prædicto* Andr. I. 1. 19. notatur esse verbum frequentativum; ibid. I. 2. 21. scholiastes *cepit* confudit cum *cœpit;* quare in nota addidit 'habere:' ibid. III. 2. 27. in textu legitur *citius* pro *secius*, sine dubio erronee. Sed, quanquam melior lectio *secius* in Ms. notatur, tamen glossa 'velocius' explicat lectionem contextus. Scholia nostri codicis commendant se brevitate et perspicuitate, atque ob has virtutes tironibus utilia esse possunt, cum, quæ Donatus et Eugraphius scripserunt, adeo prolixa sint, ut fortasse ea eruditorum nullus a capite ad calcem perlegerit, multo minus juvenum ingenio apta sint. Deinde afferuntur in scholiis lectiones, quæ, si jam ex aliis codicibus prolatæ fuerint, hic testes nanciscuntur novos et graves; sin minus, summa attentione considerandæ sunt, quia omnes magnam antiquitatem præ se ferunt. Varietas distinctionum, quæ ex hoc codice peti potest, plane novum varietatis genus constituit, a collatoribus mihi notis prætermissum.

Glossæ auctorem natione Italum prodere videntur. Nam 'si' sæpius usitatur ex more Italicæ vocis *se* pro 'an,' 'num.' Cum vero codicis scriptorem eundem esse putem cum scholiasta, codex fortasse in Italia scriptus est.

Quod ad textum ipsum Terentii, qualis in hoc codice legitur, attinet, sæpissime cum codicibus istis, qui, judicibus viris summis, Faërno et Bentleio, palmam ceteris præripiunt, consentit; quod cuilibet Notas nostras percurrenti,

quæ assensum vel dissensum Bentleii respectu ad hunc codicem habito indicant, patebit. Interpunctio verborum passim singularis est, neque talis, ut vulgari, quam editiones præ se ferunt, antecellat. Haud pauca etiam laudari possunt loca, ubi codex verba melius distinxit, ac in editis factum est.

Priusquam autem ad edendum hunc thesaurum me accingerem, de invento codice, meoque consilio, bene de eo merendi, certiorem feci virum longe eruditissimum et celeberrimum, Bœttigerum, quem olim novam Terentii editionem meditatum esse noveram; mihique ut consilium suum pro ea, qua me jam dudum amplexus erat, amicitia benigne impertiret, rogavi. Laudavit vir summus propositum meum, et instigavit, ut, quæ bonis literis prodesse possent, interire non sinerem. Quin, ad adornandam editionem, ultro obtulit Dictata viri celeberrimi Ruhnkenii in Terentium manuscripta, quæ vir doctissimus Christianus Ludovicus Lenz, director Gymnasii Vinariensis meritissimus, ex bibliotheca fratris sui, Caroli Gottholdi, Professoris Gothani mortui a. 1809. jure hæreditario acquisita olim Bœttigero mutua dederat, et nunc Halam, ut mea cura ederentur, transmitti concesserat.

Inter auctores Latinos, quos in scholis suis Ruhnkenius tractavit, primo loco ab elegantissimo Vitæ Ruhnkenii scriptore Wyttenbachio (v. Vitæ T. Hemsterhusii et D. Ruhnkenii Lips. 1801. p. 127.) adducitur Terentius; et 'Terentianas scholas se magno cum doctrinæ fructu audivisse' testatur, 'ut tum demum in hoc genere discere sibi videretur, quantum æra distarent lupinis,' &c. Quam autem rationem in his, quæ nunc prodeunt, annotationibus Ruhnkenius inierit, idem Wyttenbachius indicavit p. 126. 'Ad locos vel difficiles vel memorabiles' auctorum Latinorum a Ruhnkenio in prælectionibus illustratorum 'dictabat annotationes breves quidem illas, sed bonæ frugis plenas.' Atque hæ annotationes 'dictata' vocantur ab ipso Ruhnkenio ad Heaut. III. 3. 23. Hec. I. 2. 73. Multum igitur differunt a notis, quas auditores ex ore professoris calamo currente excipere solent et quibus minus pretium statuendum est. Tempus scriptionis incidit in annum 1786. vel non multo post, certe non superiorem. Laudatur enim in nota ad Eun. II. I. 14. Oudendorpii editio Apuleii, quæ anno memorato prodiit, teste Wyttenbachio l. c. p. 176.

Novum huic editioni accessit decus, liberalitate ejusdem, quem antea laudavi, Lenzii concessum. Donavit enim mihi fratris sui vita defuncti observationes ad Terentium, a semetipso ex ejus collectaneis haud parvo labore descriptas.

PROLEGOMENA.

PUB. TERENTII AFRI

CARTHAGINIENSIS VITA.

Auctore Ælio Donato V. C.[1]

PUBLIUS TERENTIUS AFER, Carthagine natus, servivit Romæ Terentio Lucano senatori; a quo ob ingenium et formam, non institutus modo liberaliter, sed et mature manumissus est. Quidam captum esse existimant; quod fieri nullo modo potuisse, Fenestella docet: cum inter finem secundi belli Punici, et initium tertii natus sit, et mortuus: nec, si a Numidis aut Getulis captus sit, ad ducem[2] Romanum pervenire potuisset, nullo commercio inter Italicos et Afros, nisi post deletam Carthaginem, cœpto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Africano, et C. Lælio: quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur. Quod et ipsum Fenestella arguit, contendens utroque majorem natu fuisse. Quamvis et Cornelius Nepos æquales omnes fuisse tradat, et Portius suspicionem de consuetudine per hæc faciat:

Dum lasciviam nobilium et fucosas laudes petit:
Dum Africani voce divina[3] inhiat avidis auribus:
Dum ad Furium se cœnitare[4] et Lælium, pulchrum putat:
Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi

1 Alii hanc Vitam tribuunt Suetonio Tranquillo. *Zeun.*

2 *Ducem*] *Dominum* Gronov. ut postulat verbum 'commercio.' *Both.*

3 *V. d.*] Alii legunt *vocem divinam*, quod præferendum esse videtur. *Zeun.* *Vocem divinam.* Alii *voce divina*; alii *voci divinæ*; quorum illud quidem vitiosum, hoc autem antiquioris formæ interpretamentum est. *Both.*

4 *Cœnitare*] Vulgo ἀμέτρως. *Id.* Qui dat *Dum se ad Furium cœnare.*

Ob florem ætatis suæ: ipsus sublatis rebus ad summam[5]
Inopiam redactus est.
Itaque e conspectu omnium abiit in Græciam,[6] in terram ultimam.
Mortuus est in Stymphalo, Arcadiæ oppido: nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei[7] Lælius, nihil Furius;
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Scripsit Comœdias sex: ex quibus primam Andriam cum ædilibus daret, jussus ante Cærio[8] recitare. Ad cœnantem cum venisset, dictus est, initium quidem Fabulæ, quod erat contemtiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens legisse: post paucos vero versus invitatus, ut accumberet, cœnasse una; deinde cetera percurrisse, non sine magna Cærii admiratione. Et hanc autem, et quinque reliquas æqualiter populo probavit; quamvis Volcatius[9] de enumeratione omnium ita scribat: 'Sumetur Hecyra sexta ex his Fabula.'

Eunuchus quidem bis die acta est; meruitque pretium, quantum nulla antea cujusquam Comœdia, id est, octo millia nummum; propterea summa quoque titulo ascribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam præfert principio Menandri. Non obscura fama est, adjutum Terentium in scriptis a Lælio et Scipione, quibuscum familiariter vixit. Eandem ipse auxit. Nunquam enim, nisi leviter, se tutari conatur, ut in Prologo Adelphorum:

Nam, quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Hunc adjutare, assidueque una scribere:

5 *Ob fl. &c.*] Hunc et sequentem versum West. duce Fabro, in unum contractum edit sic: *Ob florem ætatis suæ: ad summam inopiam redactus est.* Zeun. Vulg. *Dum se amari ab hisce credit:* quod futile glossema sequentium. *Both.* Qui hos tres vss. sic redigit: *Dum se rapi in Albanum crebro ætatis ob florem suæ: Ipsus lætis rebus summam ad inopiam redactus est.*

6 *In G.*] Vulgo *in G. in t. u.* quasi mirum quantum abesset ab Italia Græcia. *Both.* Qui omittit *in* ante 'Græciam.'

7 *Ei*] Vulgo ἀμέτρως. *Both.* Qui dat *eii.*

8 *Cærio*] West. recte edidit *Cæcilio*, ut paulo post *Cæcilii.* Zeun.

9 *Volcatius*] Volc. Sedigitus, de quo Gell. N. A. xv. 24. Versus haud dubie prolatus ex illius libro de poëtis, iambicis senariis conscripto. Quare vulgatum *his* pro *hisce* mendosum arbitror. *Both.*

Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam: cum illis placet,
Qui vobis universis et populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usus est sine superbia.

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat Lælio et Scipioni non ingratam esse hanc opinionem; quæ tamen magis et usque[10] ad posteriora tempora valuit.

Q. Memmius in Oratione pro se ait: 'Pub. Africanus, qui a Terentio personam mutuatus, quæ domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit.' Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Lælium, quondam in Puteolano Kal. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petiisse ab ea ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium dixisse, non sæpe in scribendo magis successisse sibi. Deinde rogatum ut scripta illa proferret, pronuntiasse versus, qui sunt in Heautontimorumeno:

Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.

Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adjutoribus indiguerit, non tam Scipione et Lælio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuere, quam C. Sulpicio Gallo, homine docto, et qui consularibus[11] ludis initium fecerit Fabularum dandarum: vel Q. Fabio Labeone, et M. Popilio, consulari utroque, ac poëta. Ideo ipsum non juvenes designasse, qui se adjuvisse dicerentur, sed viros, quorum operam, et in bello, et in otio, et in negotio populus sit expertus. Post editas Comœdias nondum quintum atque trigesimum egressus annum, causa evitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Græcorum instituta moresque, quos perinde exprimeret in scriptis, egressus urbem est, neque amplius rediit. De morte ejus Volcatius tradit:

Sed, ut Afer sex populo dedit Comœdias,
Iter hinc in Asiam fecit. Navim cum semel[12]
Conscendit, visus nunquam est. Sic vita vacat.

10 *Magis et usque*] Vulgo obscure. *Id.* Qui edidit *m. et m. usque.*

11 *Et qui consularibus*] R. *cujus consularibus.* Lind. Muretus conjicit *Consualibus ludis:* sed Faber vult legi *Cerealibus.* Zenn.

12 *Navim cum semel*] Ms. Danielis *Navim ut semel.* Lind.

Q. Cosconius[13] redeuntem a Græcia periisse in mari dicit cum centum et octo Fabulis, conversis a Menandro. Ceteri mortuum esse in Arcadiæ Stymphalo,[14] sive Leucadia tradunt, Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore Coss. morbo implicitum acri, dolore ac tædio amissarum sarcinarum,[15] quas in navi præmiserat, ac simul Fabularum quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quæ post equiti Romano nupsit. Item hortulos xx. jugerum, via Appia ad Martis villam: quo magis miror, Portium scribere,

——————— nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius;
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Hunc Afranius quidem omnibus comicis præfert, scribens in Compitalibus: 'Terentio non similem dices quempiam.'

Volcatius autem non solum Nævio, et Plauto, et Cæcilio, sed Licinio quoque postponit. Cicero in Limone[16] hactenus laudat:

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
In medio[17] populi sedatis vocibus effers;
Quicquid[18] come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Item C. Cæsar:

Tu quoque tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator,
Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis

13 *Q. Cosconius*] Ita ex Mss. edidimus; vulg. hactenus fuit *Consentius.* Cosconium laudat Varro, de Ling. Lat. lib. v. *Id.* Alii *Consetius.*

14 *Mortuum esse in Arcadiæ St.*] Alii *in Arcadia Stymphali sinu.* Ausonius ad Ursulum de senario numero: 'Protulit in scenam quot dramata Fabellarum, Arcadiæ medio qui jacet in gremio?' *Lind.*

15 *Sarcinarum*] Nil verius hac lectione, quam omnes scripti codd. præferunt, excepto uno, in quo *fabularum* erat. Vulgo hactenus legitur *satyrarum;* sed id ne titivilitii quidem. *Id.*

16 *Licinio*] Ms. *Livio.* Id.

17 *In medio, &c.*] Ms. Dan. *In medium nobis sedatis, &c.* Id.

18 *Quicquid*] Ms. *Quiddam:* al. *Quicquod.* Id.

Comica,[19] ut æquato virtus polleret honore
Cum Græcis, neque in hac despectus[20] parte jaceres!
Unum hoc maceror, et doleo tibi deesse, Terenti.

Hæc Suetonius Tranquillus. Nam duos Terentios poëtas fuisse scribit Metius, quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter libertinus Terentius Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis Fabulas edidisse Terentium, Valgius in Actæone ait:

Hæ, quæ vocantur Fabulæ, cujæ sunt?[21]
Non has, qui jura populis, end' ibus dabat*[22]
Honore summo affectus fecit Fabulas.

Duæ ab Apollodoro translatæ esse dicuntur comico, Phormio et Hecyra: quatuor reliquæ a Menandro: ex quibus magno successu et pretio stetit Eunuchus fabula: Hecyra, sæpe exclusa, vix acta est.

PUB. TERENTII VITA,

QUAM E CODICE MS. OXONIENSI DESCRIPSIT

ABR. GRONOVIUS.

Comicus genere quidem extitit Afer, civis vero Carthaginiensis: Scipione autem remeante victore Carthagine[1] ad urbem Romam post interfectionem Hannibalis, iste, qui cum aliis multis Carthaginiensibus comprehensus fuerat, ante currum Scipionis ligatis retro manibus minatus est, ut captivus, sed currum illius pileatus prosecutus est in urbem, quod erat in[2] signum libertatis. Nam, quicumque captivorum a victore libertate potiretur, pileum in capite habens currum illius prosequebatur; ut enim a Scipione agni-

19 *Com.*] Vulgo continue scribunt *vis Comica*, quod verbum per omnes fere hodiernas linguas propagatum est: sed recte monet vir egregius, Frid. Aug. Wolfius, Acad. Halensis decus, conjungenda esse verba 'Comica' et 'virtus.' *Both.*

20 *Despectus*] Ms. Dan. *despecta.* Lind.

21 *Cujæ sunt*] Sic libr. Dan. Al. *cujus sunt?* Idem. Adhuc legebatur *cujus* vel *cujæ sunt*, sententia refragante. Obsoletum illud *ne* pro 'non,' cum displiceret librariis, cito expunctum est. *Both.* Qui dedit *cujæ ne sunt.*

22 *Populis, end' ibus dabat*] Ita Mss. Danielis. Vulg. *petentibus dabat.* Al. *recensentibus.* Lind.

tus est liberali ingenio, sapientia florere, in tanto honore, tanta[3] gratia apud eum habitus est, præsertim cum liberis genitoribus[4] ortus esset, ut ei eandem libertatem concederet, atque inter domesticos suos præcipuam familiaritatem ei donaret. Romæ autem dum moraretur, et videret frequenter populum in theatrum ad spectaculum convenire; ea ratione atque intentione exorsus est Comœdiam scribere, ut populo recitationem Fabularum suarum conferret, sibique eum conciliaret: sed, cum cœpissent Fabulæ ejus recitari, longe aliter visum est, quam sperasset,[5] quia[6] multos æmulos propter[7] hoc contra se excitavit, qui ejus dicta reprehendebant. Scripsit autem nitidissimo stylo sex Fabulas, ex unaquaque unum librum determinans; quas licet multi negent,[8] mentiuntur, teste Prisciano, qui de Metris Terentianis loquitur, et insuper in libro Grammaticæ[9] sæpe dicit, cujus genere metri constat exemplum, quod[10] ponit; necnon etiam teste Rufino in eo libro, quem de Metris scripsit: ipse[11] quoque nihilominus[12] in Prologis se poëtam vocat. Omnes quidem ejus libri permaxime iambico metro constant, licet non uniformi. Prologi vero omnium librorum ternario iambico catalectico compositi sunt, sex pedibus pro tribus computatis. Nam diversa sunt genera iambici metri. Est enim monometrum, quod constat duobus iambis: est dimetrum, quod quatuor: est trimetrum, quod sex: est tetrametrum, quod octo: est pentametrum,[13] sed raro invenitur: in quibus ista lex observatur, ut semper duo iambi pro uno pede computentur, ob celeritatem temporis, quam occupant, teste Horatio in libro Poëticæ.[14] Imitatur[15] autem Nævium, Plautum, Ennium, veteres Comicos, præcipueque Menandrum, qui longe ante ipsum duas Fabulas descripsit,[16] in quas transtulit quædam ex Perinthia illius, quæ convenere tam in sensu, quam in stylo: idcircoque graviter reprehendebatur ab æmulis. At[17] tamen notandum, inter omnes Comicos istum Terentium ab[18] hoc principalitatem possidere,

1 *A Carth.* Br.—2 Additum *in*, quod in codice deletum est. *Bruns.*—3 *Tantaque* Br.—4 Id. *progen.*—5 Id. *speraret.*—6 Id. *quoniam.*—7 Id. *per.*—8 Id. addit, *metro constare.*—9 Addit et *artis.*—10 *Exemplumque* habet Br.—11 *Ipso* id. Quam lect. meliorem judicat Bruns.—12 Br. addit *qui.*—13 *Pent. quod X.* est supra lineam scriptum in Br.—14 *Poëtriæ* Br.—15 Id. *Imitatus est.*—16 *Composuit* pro *descripsit* habet Br. et addit: *i.* [id est,] *Andriam et Perinthiam. Quæ ita compositæ sunt, ut, qui unam illarum intellexerit, ambas intelligat. Sunt enim dissimiles in sensu, et materia, sed concordant oratione ac stylo. Hic Terentius post ipsum Andriam aliam scripsit, in qua.*—17 *At* delet

cum[19] proprietatem verborum præ omnibus observavit. Illud etiam animadvertendum, has Fabulas non ab ipso recitatas esse in senatu,[20] sed a Calliopio,[21] clarissimo viro, satisque erudito, cui ipse præcipue adhærebat, cujusque ope sustentabatur, et auctoritate audiebatur. Modulator autem harum Fabularum fuit Flaccus; quotiescumque enim recitabantur, erat modulator, et alii, qui gestu corporis eosdem affectus agebant. Comœdia enim ita constat, ut non res gestas more historiarum narret,[22] sed ex collocutione personarum res gesta comprehendatur, quasi inter eos tunc agatur. Hoc quoque notandum, quia non absque re imagines Terentianæ turgido et inflato ore pinguntur. Facundia enim et affluens eloquentia Comicorum per hoc innuitur, quia fastuosi[23] loquuntur, ut Horatius,

Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

Nomina autem Fabularum, sive librorum hujus Comici sunt ista: Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Adelphœ, Hecyra, Phormio.

PUB. TERENTII VITA,

DE DICTIS D. F. PETRARCHÆ,

QUÆ EST IN EDITIONE MEDIOLANENSI ANNI MCCCCLXXVI.

De Terentii vita in antiquis libris multa reperiuntur; plura etiam in modernis, scripta per varios scholasticos, rerum ignaros: eoque veris falsa miscentur. Illud primum rei totius fundamentum. Multi ponunt Carthaginiensem patria fuisse Terentium. Quod haud dubie verum est, sicut epitaphium ejus clare indicat. Quamvis hoc ipsum quidam negent, ut inferius patebit. Ceterum et, qui hoc dicunt, vero huic falsum illud implicant. Dicunt enim Scipione Romam revertente eversa Carthagine, interfecto Hannibale, hunc Terentium inter ceteros captivos solutum et pileatum incessisse post triumphalem Scipionis currum. Quæ res multipliciter a veritate semota est. Nam in primis Scipio Carthaginem

Br.—18 *Ob* Br.—19 *Quoniam* id.—20 In Br. superscript. *scena*: quam esse veriss. lect. judicat Bruns, et vult Zeun.—21 *Caliop.* Br.—22 Id. *nar. mo. hist.*—23 *Vastuose* id. 'Superscriptum ab antiqua manu *fastuose*: et in marg. additum a recentiori: Comici fastuose loquuntur, i. e. tumido ore.' *Bruns.*

quidem vicit, et tributariam fecit, non evertit tamen ipsam Carthaginem; sed nepos ejus adoptivus, Africanus minor. Hannibalem præterea bello vicit, fugavitque, sed nequaquam interfecit. Nempe qui victus in Asiam profugit, et sub Antiocho rege Syriæ militans consilio atque opera sua et regis potentia novum cum Romanis bellum denuo gessit. Quæ historia omnibus, qui in talibus ingenium exercent, planissime nota est. Deinde Scipionis triumphantis currum non hic Terentius pileatus prosecutus est, sed alter hujus nominis, Romanus civis: et, ut Valerius Maximus testatur, prætoria familia ortus, et inter paucos senatorii ordinis splendidus. Qui etiam post id tempus, tunc scilicet, cum Scipionis frater accusatus est Romæ, præturam gessit. Hic ergo triumphantis currum Scipionis prosecutus est, pileo capiti imposito, quod donatæ libertatis signum erat. Quatuor millia siquidem Romanorum civium, qui bello Punico capti erant et in servitutem redacti, victor Scipio liberatos in patriam reduxit. Inter quos fuit hic Terentius, de quo dixi, et tam memor beneficii accepti, tamque singulariter ante omnes gratus, ut per omnem vitam liberatorem suum Scipionem omni obsequio ac patrociniis debita veneratione coluerit. Triumphi autem die post eum pileatus incessit, hoc est, liberti habitu: quasi per illius viri virtutem se libertati redditum populo Romano pileo testante denuntians. Quæ omnia apud Titum Livium, celeberrimum historicum, nota sunt. Sed minus miror scholasticos hoc errore deceptos, cum Paulus Orosius hoc scripserit: de quo admodum mirarer, nisi quod interdum magna quidem ingenia et in multis occupata et inter difficultates erecta equorum instar propter incautam securitatem in plano cespitant. Identitas nominis, ni fallor, errorem fecit, quod scilicet uterque Terentius. Sed circumspectus homo non vidit, quod se oculis ingerebat, in primis diversitatem cognominum, quæ ad discretionem nominum sunt inventa, quod scilicet ille Terentius Culeo, hic Terentius Afer, ut tituli hujus operis indicant; ille Romanus, iste Carthaginiensis: ille e servitute in libertatem, iste autem contra e libertate in servitutem ductus; ille senator, hic poëta; ille jam senior eo, hic puer eo tempore, quo a Romanis ducibus captus est: in qua captivitate ob elegantiam morum ad magnorum venit amicitias; utque ait Eusebius libro de Temporibus, ob ingenium et formam libertate donatus est. Inter tot diversitates fallere una non debuisset identitas. Hic sane Terentius a principio juventutis suæ fertur

aT erentio quodam Lucano emtus, a quo et nomen ipsum fortasse potuit accipere, aliter antea dictus apud suos. De hoc tamen præter conjecturam habeo nihil. Id quod constat, literas Latinas Romæ didicit, ad poëticam pronus, et præcipue comœdiam; quo in genere facile, ut mihi videtur, omnes ante se vicit. Nam sequentes etiam a scribendo deterruit, nec fere, quem noverim, comœdiæ scriptor clarus post Terentium fuit. Scripsit comœdias forsan plures; sed, quæ habentur in manibus, sex sunt, quæ per ordinem hoc volumine continentur: quamvis ipse ordo non in omnibus voluminibus unus sit. Utcumque vero sint aliæ, ubique prima omnium est Andria: quam Comœdiam, priusquam ædilibus venderet, ut Eusebius idem ait, Cæcilio multum se miranti legit. De materia Comœdiarum loqui prolixum est: de expositione prolixius. Sed cujusque materiam in argumento ejus perbreviter comprehensam lector inveniet; expositionem studio et ingenio molietur. Genus poëmatis carmen iambicum, sed varium. Iambi enim materiæ comicæ apti sunt. In Comœdiis quidem nusquam Auctor loquitur, sed introductæ personæ: quem morem hic ad Prologos transferre nititur; quibus scribendis æmulorum invidia causam dedit. Respondendum enim erat, ne forte procacitas gloriam mereretur, infamiamque modestia. Horum vero stimulis ac vocibus agitatus fertur Athenas petiisse, ut Græcorum penitus ingenia moresque pernosceret: et, cum, multis in Latinam linguam translatis, post aliquod tempus voti compos Romam remearet cum sarcinulis et Comœdiis, quas ibi scripserat, in navim impositis, ipse terrestri itinere Patras perrexisse: unde brevi transitu in Italiam navigaret. Ubi exspectatæ navis audito naufragio, quæ circa Sinum Illyricum periclitata erat, tantæ jacturæ dolore permotus Stimphalim in Arcadiam decessisse: ibique defunctus ac sepultus publice fuisse. Periisse eum in Arcadia, ipso eodem teste Eusebio, notum est. Et inprimis quidem quatuor Comœdiis, scilicet Andria, Eunucho, Heautontimorumeno, Adelphis, Menandrum Comicorum principem Græcorum imitatus creditur; quod et rubricæ vetustissimorum codicum innuunt. Quin partem scripturæ, quia plus confusionis, quam lucis habere visa est, sciens omisi. Innuunt et Prologi quidam in reliquis duabus Apollodorum Corinthium. Vendidisse eum Eunuchum suum, fama est, viginti millibus nummum; quod pretium ante eum nullus acceperat. Ad summum, suo genere poëtandi tantus vir fuit, ut Hieronymus inter quatuor poëtarum,

duos scilicet Græcorum, et totidem Latinorum, duces quartum hunc nominare non dubitet, hoc ordine: Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium: quam sibi excellentiam non styli attribuit altitudo, qua a multis non dubie et Menander apud suos vincitur, et Terentius apud nostros, et quæ in Comœdiis non modo non necessaria, sed plerumque etiam vitiosa est. Quid ergo humanorum morum exacta notitia et ordo narrationis ab ipso Cicerone laudatur, et styli jucunditas ac gratia? Sed super omnia, ut quibusdam placet, sola proprietas hæc facit; ut enim primo Æneidis commento ait Servius, sciendum est Terentium propter solam proprietatem omnibus Comicis esse prælatum: quibus est, quantum spectat ad cetera, inferior. Quod ultimum omnibus, quos legere potui, commentatoribus excussis, Servii salva pace non approbo. Hæc vel ad notitiam habendam, vel ad errorem declinandum, breviter de Terentio dicta sunto.

DE TRAGŒDIA ET COMŒDIA.[1]

Initium Tragœdiæ et Comœdiæ a rebus divinis est inchoatum: quibus pro fructibus vota solventes operabantur antiqui. Nam incensis jam altaribus, et admoto hirco, id genus carminis, quod sacer chorus reddebat Libero patri, Tragœdia dicebatur, vel *ἀπὸ τοῦ τράγου καὶ τῆς ᾠδῆς*,[2] hoc est, ab hirco, hoste vinearum, et a cantilena. Ejus ipsius rei apud Virgilium plena fit mentio. Vel quod hirco donabatur ejus carminis poëta: vel quod uter ejus musti plenus solenne præmium cantoribus fuerat: vel quod ora

1 Quæ hic de Tragœdia et Comœdia referuntur, ea non, ut alii, ex Cornuto vel Aspro desumta, sed ex Evanthii Commentario in Terentium selecta esse arbitror. Ejusceque rei evidentissimum argumentum est, quod sub hujus eruditissimi grammatici nomine (quem iisdem cum Donato temporibus, hoc est, Olymp. 285. regnante Constantio Fil. Constantini, C. P. floruisse notat Hieronym.) hæc verba afferat Rufinus Antiochensis grammat. lib. de Metris Terentianis: 'Concinna argumento, consuetudine congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro.' Et postea sic: 'Veteres, etsi usi ipsi quoque metris,' &c. Quæ ipsissima in hisce Prolegomenis nunc leguntur. *Lind.*

2 Καὶ τῆς ᾠδῆς] Hoc ex Mss. additum. *Id.*

sua fæcibus perlinebant scenici, ante usum personarum, ab Æschylo repertum. Fæces enim dicuntur Græce *τρύγες*.[3] Et his quidem causis Tragœdiæ nomen est inventum. At vero, nondum coactis in urbem Atheniensibus, cum Apollini Nomio, vel AFyAΘῶ,*[4] id est, pastorum vicinorumque præsidi Deo, constructis aris in honorem divinæ rei circum Atticæ vicos, villas, pagos, et compita festum carmen[5] solenniter cantarent: orta est Comœdia, *ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς ᾠδῆς* composito nomine, vel *ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν*, quod est, comessatum ire cantantes: quod a poëtis solenni die vel amatorie lascivientibus choris comicis non absurdum est. Itaque, ut rerum, ita etiam temporum ipsorum cœpto ordine Tragœdia primo prolata esse cognoscitur. Nam, ut ab incultis et feris moribus paulatim perventum est ad mansuetudinem, urbesque sunt conditæ, et vita mitior atque otiosior processit: ita res tragicæ longe ante comicas inventæ. Quamvis autem retro prisca volventibus reperiatur Thespis Tragœdiæ primus inventor: et Comœdiæ veteris pater Eupolis cum Cratino Aristophaneque esse dicatur: Homerus tamen, qui fere omnis poëticæ largissimus fons est, etiam his carminibus exempla præbuit, et velut quadam suorum operum lege præscripsit: qui Iliadem instar Tragœdiæ, Odysseam ad imaginem Comœdiæ fecisse monstratur. Nam post illius tale tantumque documentum ab ingeniosissimis imitatoribus et digesta sunt in ordinem, et divisa ea, quæ etiam tum temere scribebantur adhuc impolita, atque in ipsis rudimentis haudquaquam, ut postea facta sunt, decora atque lævia. At nos ea, quæ proprie de Tragœdia dicenda sunt, titulo propositi

3 *Dicuntur Græce* ΤΡΥΓΕϹ] Athen. lib. II. Ἀπὸ μέθης, καὶ ἡ τῆς κωμῳδίας καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας εὕρεσις ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς εὑρέθη, καὶ κατ᾽ αὐτὸν τὸν τῆς τρύγης καιρὸν, ἀφ᾽ οὗ δὴ καὶ τρυγῳδία τὸ πρῶτον ἐκλήθη ἡ κωμῳδία. Vid. 'Etymol. Magnum in Τραγῳδία.' *Id.*

4 *Apollini Nomio, vel* AFyAΘῶ] Hæc est scriptura priscorum codd. quæ refingenda videtur hoc modo: *Apollini Nomio vel Agyieo.* De Apolline Nomio Serv. IV. Georgicor. ad illa verba, 'Auditque vocatus Apollo.' Ἀγυιὰς autem Elei appellarunt, teste Pausania in Eliacis, τοὺς ὑπ᾽ Ἀθηναίων καλουμένους στενωπούς. Et hinc Apollo Agyieus, de quo fuse Græci. Horat. Carm. lib. IV. Od. 6. 'Lenis Agyieus,' et ibi Porphyr. Macrob. Saturnal. lib. I. cap. 9. Postea sic legitur in Mss. *pastorum vicinorum Deo:* ubi in editis est, *vicinorumque præsidi Deo.* Id.

5 *Festum carmen*] In Ms. Dan. *festinum carmen solenniter cantaretur: ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς ᾠδῆς comœdia vocitata est, ut opinor, a pagis et cantilena composito nomine, vel ἀπὸ τοῦ κωμάζειν, &c.* Id.

operis instantes, in alia tempora differamus: et de his Fabulis jam loquamur, quas Terentius imitatus est. Postquam demonstrandæ originis causa de utriusque generis initio diximus: quod necesse est, jam dicemus.

Comœdia fere vetus, ut ipsa quoque olim Tragœdia, simplex carmen (quemadmodum jam diximus) fuit: quod chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc consistens, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat. Sed primo una persona substituta est cantoribus, quæ, respondens alternis choro, locupletavit variavitque rem musicam: tum altera, tum tertia, et ad postremum crescente numero, per auctores diversos, personæ, pallæ, cothurni, socci, et ceteri ornatus atque insignia scenicorum reperta: et ad hoc unicuique suus habitus: et ad ultimum qui primarum partium, qui secundarum et tertiarum, qui quartarum atque quintarum actores essent; distributa et divisa quinquepartito tota est fabula: quæ tamen in ipsis ortus sui velut quibusdam incunabulis, et vix dum incipiens, *Κωμῳδία ἐτεώνιος καὶ ἀρχαία*[6] dicta est: *ἀρχαία* idcirco, quia est de nobis parum cognitis vitiis: *ἐτεώνιος* autem,[7] quia inest in ea velut historica fides veræ narrationis, et denominatio omnium, de quibus libere describebatur. Etenim per priscos poëtas, non, ut nunc, penitus ficta argumenta: sed res gestæ a civibus palam cum eorum sæpe, qui gesserant, nomine decantabantur. Ideo ipsa suo tempore moribus multum profuit civitatis: cum unusquisque caveret, culpa ne spectaculo ceteris esset, et domestico probro. Sed, cum poëtæ abuti licentius stylo, et passim lædere ex libidine[8] cœpissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata siluere. Et hinc deinde aliud genus Fabulæ, id est, Satyra, sumsit exordium: quæ a satyris, quos illotos semper ac petulantes Deos scimus esse, vocitata est: etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii. Hæc, quæ Satyra dicitur, ejusmodi fuit, ut in ea, quamvis duro et veluti agresti joco, de vitiis civium tamen sine ullo proprii nominis titulo

6 *Κωμῳδία ἐτεώνυμος καὶ ἀρχαία*] Mss. ἀρχαία κωμῳδία et ʼΕΡΟΝΟΜΑΤΟS. *Id.*

7 *Ἐτεώνυμος autem*] Mss. ʼΕΡΟΝΟΜΑΤΟS *autem.* Id.

8 *Passim lædere ex libidine*] Veteris Comœdiæ scommata et maledicta eleganter indicat Artemidor. lib. I. cap. 58. Τὸ δὲ κωμῳδῶν ἀκούειν, ἢ κωμικὰ ἔχειν ἀναπλάσματα, ἢ βιβλία, τὰ μὲν τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας σκώμματα, καὶ ταραχὰς, καὶ στάσεις, καὶ αἰσχρολογίας σημαίνει. τὰ δὲ τῆς καθ᾽ ἡμᾶς κωμῳδίας, τὰ μὲν ἄλλα ἴσα τῇ τραγῳδίᾳ σημαίνει, τὰ δὲ τέλη χρηστὰ καὶ ἀγαθὰ ὑπαγορεύει· τοιαῦτα γὰρ αἱ ὑποθέσεις τῶν κωμικῶν δραμάτων. Vid. Schol. Aristoph. *Id.*

carmen esset. Quod item genus Comœdiæ multis obfuit poëtis, cum in suspicionem potentibus civibus venissent, illorum facta descripsisse in pejus, ac deformasse genus stylo carminis: quod primo Lucilius novo conscripsit modo, ut poësin inde faceret, id est, unius carminis plures libros. Hoc igitur, quo supra diximus, modo coacti omittere Satyram, aliud genus carminis, τὴν νέαν Κωμῳδίαν, hoc est, novam Comœdiam reperere poëtæ; quæ argumento communi magis, et generaliter ad omnes homines, qui mediocribus fortunis agunt, pertineret: et minus amaritudinis spectatoribus, et eadem opera multum delectationis afferret: concinna argumento, consuetudine congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro. Ut igitur superiores illæ suis quæque celebrantur auctoribus: ita hæc νέα κωμῳδία cum multorum antea, tum præcipue Menandri Terentiique est. De qua cum multa dicenda sint, sat erit tamen, velut admonendi lectoris causa, quod de arte comica veterum chartis continetur, exponere. Comœdia vetus, ut ab initio chorus fuit, paulatimque personarum numero in quinque actus processit: ita paulatim velut attrito atque extenuato choro ad novam Comœdiam sic pervenit, ut in ea non modo non inducatur chorus, sed ne locus quidem ullus jam relinquatur choro. Nam, postquam otioso tempore fastidiosior spectator effectus, tunc cum ad cantores ab actoribus fabula transibat, consurgere et abire cœpisset: admonuit poëtas primo quidem choros prætermittere, locum eis relinquentes: ut Menander fecit, hac de causa, non, ut alii existimant, alia. Postremo ne locum quidem reliquerunt: quod Latini fecerunt comici, unde apud illos dirimere actus quinquepartitos difficile est. Tum etiam Græci Prologos non habent more nostrorum, quos Latini habent. Deinde Θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς, id est, Deos argumentis narrandis machinatos, ceteri Latini instar Græcorum habent: Terentius non habet. Ad hoc, προτατικὰ πρόσωπα, id est, personas extra argumentum arcessitas, non facile ceteri habent: quibus Terentius sæpe utitur, ut per harum inductiones facile pateat argumentum. Veteres, etsi ipsi quoque in metris negligentius egerunt, iambici versus duntaxat in secundo et quarto loco; tamen a Terentio vincuntur resolutione hujus metri, quantum potest, comminuti ad imaginem prosæ orationis. Tum personarum leges circa habitum, ætatem, officium, partes agendi, nemo diligentius Terentio custodivit. Quinetiam solus ausus est, cum in fictis argumentis fidem veritatis assequeretur, etiam contra præscripta comica meretrices interdum non malas introducere: quibus tamen, cur bonæ sint, et voluptas per ipsum et causa non desit. Hæc cum artificiosissima Terentius fecerit: tum illud est admirandum, quod et morem retinuit, ut Comœdiam scriberet: et temperavit affectum, ne in Tragœdiam transiliret. Quod cum aliis rebus minime obtentum et a Plauto, et ab Afranio, et Accio, et multis fere magnis comicis invenimus. Illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile, quod ejus fabulæ eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem, neque abjiciantur ad mimicam vilitatem. Adde, quod nihil abstrusum ab eo ponitur: aut quod ab historicis requirendum sit: quod sæpius Plautus facit, et eo est obscurior in pluribus locis. Adde, quod argumenti ac styli ita attente memor est, ut nusquam non caverit, aut curaverit[9] ea, quæ obesse potuerunt: tum quod media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, sed aptum ex se totum, et uno corpore videatur esse compositum. Illud quoque mirabile in eo primo, quod non ita miscet personas quatuor, ut obscura sit earum distinctio. Et item quod nihil ad populum facit actorem, velut ex tragœdia, loqui: quod vitium Plauti frequentissimum est. Illud etiam inter cetera ejus laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. Nam, excepta Hecyra, in qua unius Pamphili amor est, ceteræ quinque binos adolescentulos habent. Illud vero tenendum est, post νέαν Κωμῳδίαν Latinos multa Fabularum genera protulisse: ut togatas, a scenicis atque argumentis Latinis: prætextatas, ab dignitate personarum, et Latina historia: Attellanas, a civitate Campaniæ, ubi actitatæ sunt plurimæ: Rhyntonicas, ab actoris nomine: tabernarias, ab humilitate argumenti et styli: mimos, ab diuturna imitatione vilium rerum et levium personarum. Inter Tragœdiam autem et Comœdiam cum multa, tum in primis hoc distat: quod in Comœdia mediocres fortunæ hominum, parvi impetus periculaque, lætique sunt exitus actionum. At in Tragœdia, omnia contraria, ingentes personæ, magni timores, exitus funesti habentur. Et illic turbulenta prima, tranquilla ultima. In Tragœdia contrario ordine res aguntur. Tum quod in Tragœdia, fugienda vita; in Comœdia, capessenda exprimitur. Postremo, quod omnis Comœdia de fictis est argumentis: Tragœdia

9 *Non caverit, aut curaverit*] Ms. Dan. *non aut caverit, aut curaverit*. Id.

sæpe ab historica fide petitur. Latinæ Fabulæ primo a Livio Andronico scriptæ sunt, adeo, ut ad has res etiam tum recentes idem et poëta et actor Fabularum suarum fuisset. Comœdiæ autem motoriæ sunt, aut statariæ, aut mistæ. Motoriæ, turbulentæ: statariæ, quietiores: mistæ, ex utroque actu consistentes. Comœdia per quatuor partes dividitur; prologum, protasin, epitasin, catastrophen. Prologus est velut præfatio quædam fabulæ: in quo solo licet præter argumentum aliquid ad populum, vel ex poëtæ, vel ex ipsius fabulæ, vel ex actoris commodo, loqui. Protasis primus est actus, initiumque dramatis. Epitasis incrementum processusque turbarum: ac totius, ut ita dixerim, motus erroris. Catastrophe conversio rerum est ad jucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum.

Comœdia est fabula [10] diversa instituta continens, affectuumque civilium ac privatorum: quibus discitur, quid sit in vita utile, quid contra evitandum. Hanc Græci sic definiere: [11] *Κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή.* Comœdiam esse Cicero ait, 'imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.' Comœdiæ autem a more antiquo dictæ: quia in vicis hujusmodi carmina initio agebantur, apud Græcos: ut in Italia compitalitiis ludicris, admisto pronuntiationis modulo, quo, dum actus commutantur, populus detinebatur.[12] Aut *ἀπὸ τῶν κωμῶν*, hoc est, ab actu vitæ hominum, qui in vicis habitabant, ob mediocritatem fortunarum: non in aulis regiis, ut sunt personæ tragicæ. Comœdia vero, quia poëma sub imitatione vitæ atque morum similitudine compositum est, in gestu et pronuntiatione consistit. Comœdiam apud Græcos dubium est quis invenerit primus: apud Latinos certum est. Comœdiam et tragœdiam togatam primo Livius Andronicus reperit: aitque, 'comœdiam esse quotidianæ vitæ speculum:' nec injuria. Nam, ut intenti speculo veritatis lineamenta facile per imagines colligimus: ita lectione comœdiæ imitationem vitæ consuetudinisque non ægerrime ani-

10 *Comœdia est fabula*] In Mss. sic est: *De Comœdia. Comœdia est f.* Adeo ut, quæ sequuntur, non Evanthii amplius, sed alterius auctoris esse videantur. *Id.* Westerhovius nomine 'Fragmenti Donati' edidit: satis audacter. *Zeun.*

11 *Hanc Græci sic definiere*] Diomed. Gram. lib. III. ubi eadem definitio habetur, *καὶ πολιτικῶν* non addit. *Lind.*

12 *Populus detinebatur*] Ms. *populus attinebatur*, ut et inf. *Id.*

madvertimus. Hujus autem originis ratio ab exteris civitatibus moribusque pervenit. Athenienses namque, Atticam custodientes elegantiam, cum vellent male viventes notare, in vicos et compita ex omnibus locis læti alacresque veniebant: ibique cum nominibus singulorum vitam publicabant: unde nomen compositum, ut Comœdia vocaretur. Hæc autem carmina in pratis primum mollibus agebantur. Nec deerant præmia, quibus ad scribendum doctorum provocarentur ingenia: sed et actoribus munera offerebantur, quo libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinem commendationis uterentur. Caper namque pro donis his dabatur, quia vitibus noxium animal habebatur: a quo etiam Tragœdiæ nomen exortum est. Nonnulli autem ex amurca olei fæce, quæ est humor aquatilis, Tragœdiam dici vocarique maluerunt. Qui ludi cum per artifices in honorem Liberi patris agerentur, etiam ipsi Comœdiarum Tragœdiarumque scriptores hujus Dei, velut patris, numen colere venerarique cœperunt. Cujus rei probabilis ratio extitit. Ita enim carmina inchoata proferebantur, ut per ea laudes ejus et facta gloriosa celebrari proferrique constaret: tum paulatim fama hujus artis increbuit. Thespis autem primus hæc scripta in omnium notitiam protulit. Postea Æschylus, secutus exemplum, publicavit. De quibus ita Horatius in Arte Poëtica loquitur:

Ignotum Tragicæ genus invenisse camœnæ
Dicitur, et plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.
Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Successit vetus hic Comœdia non sine multa
Laude: sed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi: lex est accepta: chorusque
Turpiter obticuit sublato jure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poëtæ:
Nec minimum meruere decus, vestigia Græca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

Fabula generale nomen est; ejus duæ primæ partes sunt, Tragœdia et Comœdia. Si Latina argumentatio sit, prætextata dicitur. Comœdia autem multas species habet. Aut enim palliata est, aut

togata, aut tabernaria, aut atellana, aut mimus, aut Rhintonica, aut planipedia. Planipedia autem dicta, ob humilitatem argumenti ejus, ac vilitatem actorum, qui non cothurno aut socco utuntur in scena, aut pulpito, sed plano pede: vel ideo quod non ea negotia continet, quæ personarum in turribus aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano et humili loco. Personati primi egisse dicuntur Comœdiam Cincius et Faliscus: Tragœdiam Minutius et Prothonius.[13] Omnium autem comœdiarum scripta ex quatuor rebus omnino sumuntur; nomine, loco, facto, eventu. Nomine, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, ut Andria, Leucadia, Brundusina. Facto, ut Eunuchus, Asinaria, Captivi. Eventu, Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Comœdiarum formæ sunt tres. Palliatæ, Græcum habitum ferentes: quas nonnulli tabernarias vocant. Togatæ, juxta formam personarum habitum togarum desiderantes. Atellanæ, salibus et jocis compositæ, quæ in se non habent, nisi vetustam elegantiam. Comœdia autem dividitur in quatuor partes: prologum, protasin, epitasin, catastrophen. Prologus est prima dictio, a Græcis dicta πρόλογος,[14] id est, antecedens veram fabulæ compositionem elocutio. Ejus species quatuor sunt: συστατικὸς, commendatitius: quo fabula vel poëta commendatur; ἀναφορικὸς,[15] relativus: quo aut adversario maledicta, aut gratiæ populo referuntur; ὑποθετικὸς,[16] argumentativus fabulæ argumentum exponens; μικτὸς, mistus: omnia hæc in se continens. Inter prologum et prologium quidam hoc interesse voluerunt: quia prologus est velut præfatio quædam fabulæ, in quo solo scilicet præter argumentum, aliquid ad populum vel ex poëta, vel ex ipsius fabulæ, vel actoris commodo loquitur. Prologium autem est, cum tantum de argumento dicitur. Protasis est primus actus initiumque dramatis, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi expectationem tenendam. Epitasis est incrementum processusque turbarum, ac totius, ut ita dixerim, nodus erroris. Catastrophe est conversio rerum ad jocundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum. In plerisque fabulis ipsarum nomina priora ponebantur, quam poëtarum: in nonnullis poëtarum, quam

13 *Minutius et Prothonius*] Ms. *Minutius et Prothimus*. Id.

14 *Dicta* πρόλογος] Ms. *dicta* πρῶτος λόγος. Id.

15 Ἀναφορικὸς] Ms. ἐπιτιμητικός. *Id.*

16 Ὑποθετικὸς] Ms. δραματικός. Quæ mox sequuntur, ex collectaneis regii exemplaris immutata sunt. *Id.*

fabularum. Cujus moris diversitatem antiquitas probat. Nam, cum primum aliqui fabulas ederent, ipsarum nomina pronuntiabantur ante, quam poëtæ pronuntiarentur, ne aliqua invidia a scribendo deterreri possent. Cum autem per editionem multarum poëtæ jam esset auctoritas acquisita, rursus priora poëtarum nomina proferebantur: ut per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur.

Actas diversis ludis manifestum est inscribi. Nam ludorum quatuor sunt species, quos curules ædiles munere publico curant: Megalenses, magnis Diis consecrati, quos Græci Μεγαλησίους appellant:[17] Funebres, ad retinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plene instruitur: Plebeii, qui pro salute plebis eduntur: Apollinares, Apollini consecrati. In scena duæ aræ poni solebant, dextra Liberi, sinistra ejus Dei, cui ludi fiebant: unde Terentius in Andria ait, 'Ex ara hac sume verbenas.'

Hinc Ulyssem palliatum semper inducunt: sive quod aliquando insaniam simulavit: quo tempore tectum se esse voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire; seu ob singularem sapientiam, qua tectus munitusque plurimum sociis profuit. Hujus enim virtutis erat, animi semper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacæ incolas, sicut Locros, palliatos fuisse commemorant. Achillis et Neoptolemi personæ diademata habent: quamvis regalia sceptra nunquam tenuerint: cujus argumenti probatio talis inducitur, quod nunquam cum reliqua Græciæ juventute, ad gerenda cum Trojanis bella, sacramenta conjurationis inierunt, nec unquam sub Agamemnonis imperio fuerunt.

Comicis senibus candidus vestitus[18] inducitur, quod is antiquissimus fuisse memoratur. Adolescentibus discolor attribuitur. Servi comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditiores agant. Parasiti cum intortis palliis veniunt. Læto vestitus candidus: ærumnoso obsoletus: purpureus diviti: pauperi phœniceus datur: militi chlamys purpurea: puellæ habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varii coloris utitur. Meretrici

17 Μεγαλησίους *appellant*] Ms. ΜεΓΙΟΥCΙΟΥC. Videtur legendum (ut et in Pith. lib. emendatum erat) Μεγάλους Σιούς. Vult Megalenses ludos nomen invenisse ἀπὸ τῶν μεγάλων Σιῶν: hoc est, Dis magnis. Nam Doribus, ut et Plato et Aristoteles testantur, Σιὸς est Deus. *Id.*

18 *Candidus vestitus*] De vestitu comico vid. Pollucem. *Id.*

ob avaritiam luteum datur. Syrmata dicta sunt ab eo, quod trahuntur: quæ res ab scenica luxuria instituta est. Eadem in luctuosis personis incuriam sui per negligentiam significant. Aulæa quoque in scena intexta sternuntur; quod pictus ornatus erat, ex Attalica[19] regia Romam usque perlatus: pro quibus siparia ætas posterior accepit. Est autem mimicum velum,[20] quod populo obsistit, dum Fabularum actus commutantur. Diverbia histriones pronuntiabant. Cantica vero temperabantur modis non a poëta, sed a perito artis musicæ factis. Neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed sæpe mutatis. Ut significant qui tres numeros in comœdiis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius. Qui hujusmodi modos faciebant, nomen in principio Fabulæ et scriptoris et actoris superponebant. Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam Fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronuntiaretur. Agebantur autem tibiis paribus aut imparibus, et dextris aut sinistris. Dextræ autem et Lydiæ sua gravitate seriam Comœdiæ dictionem pronuntiabant. Sinistræ et Serranæ acuminis levitate jocum in Comœdia ostendebant. Ubi autem dextra et sinistra acta Fabula inscribebatur, mistim joci et gravitates denuntiabantur.

L. VICTORIS FAUSTI
DE COMŒDIA
LIBELLUS.

Sim brevis usque licet veterum de more libellus,
Meque suum quisquam nequeat asserere:
Nec triviis vulgata feram, decerptave passim,
Nec proinde elata fronte superbus eam:

19 *Ex Attalica regia*] Sil. Italicus lib. XIV. 'Quæque Attalicis variata per artem Aulæis scribuntur acu.' *Id.*

20 *Mimicum velum*] Hæc vera est lectio. Apul. 'Siparium mimicum dimoveto.' Quintilian. lib. VI. cap. 4. 'Cum ejus accusator in sipario omnibus locis, aut nudum eum in nervo, aut ab amicis redemtum ex alea pinxisset.' Hæc eadem vox restituenda est Servio in Georg. Virgil. Vid. Fest. et Juvenal. Scholiast. ad Satyr. VIII. et alii. *Id.*

Attamen egregium nihil undique, et undique tersum est.
Nam, quod miraris, ridet id alter opus.

EDITURUS ego libellum de triplici Comœdiarum sectione, Trivisanorum decus, Andrea, tibi, quanquam prætextato, munus dicare decrevi. Non equidem admiratione bonorum corporis aut fortunæ, qua merito Venetiis et in adeo excellenti familia veneraremur: sed quoniam ingenio te singulari adolescentem multis jampridem indiciis ipse cognoveram. Etenim vere, quod de se jactabat Hermogenes, ætatem virtutibus, haud indole prævenisti. Quocirca nemini videatur alienum, si, quod ab ingenio proficiscitur, ingenio præstanti adolescentulo nuncupatur. Ceterum arbitror me meis, quotquot potuerunt intendi, viribus consecuturum, ne amplius quid novum aut vetus, quidve medium, et cur in Comœdia dicatur, ullus ignoret. Quod hactenus vel omissum a Latinis, vel abolitum vetustate, sæcula nostra desiderarunt. Multa quidem egregie Donatus, multa Diomedes, et adeo bonis auspiciis protulerunt, ut ea grammatici passim in sua transcribant: sed tamen huc illa parum videntur, immo nihil pertinere. Quædam igitur a Græcis auctoribus et Latinis haudquaquam nominatim pertractata, verum obiter disserta collegimus: quædam ipsi, collatis inter se multis, elicienda ac breviter curavimus annotanda, quæ tibi pauca parvus ego devovi, perinde atque suam Virgilianus ille Micondianæ Venationem. Fatemur enim et eorum, quæ nos minime præterierint, subticuisse complura. Jam itaque nostram hactenus obligatam fidem absolvamus. Comœdiæ nomen a Dæmone Como religiose admodum arbitramur esse deductum, quoniam et comessari de nomine dictum Philostratus affirmat, cujus scilicet numinis dexteritate quælibet hominibus fausta comessatio daretur. Quid autem sit comessari, Philostratus imagine Comi facilius tibi, quam ego possim, demonstrabit, ubi fingit eum fervescente mero supinum dormitare, facieque præ nimio potu scintillante, rhonchos ab imo pectore stertere deducentem. Utriusque vero sexus homines, id quod ipse desiderat, gregatim vestibus permutatis, plausuque concinno, quo maxime possunt genio indulgere. Quod ipsum in hac urbe sæpius vidisti, cum mimariæ (ut aiunt) saltationes hybernis noctibus debacchantur, quæ teste Polluce κόρδακες appellari consuerunt. Noli igitur eos audire, qui comessari dictum putant ab esu, quoniam s simplici necessario scriberetur, nec secus eruditi veterum codices haberent. Nam Græcum illud κωμάζω, quemadmodum z literæ

natura desiderat, duplici ss Latine quidem annotatur, sicuti φιλιππίζω, philippisso est. Ita κωμῳδία quasi κωμαζῳδία, videlicet comessantium hominum cantilena. Quæ Græcorum et Donati sententia maxime placet; cum præsertim doctissimus quisque fateatur in Dionysiacis comessationibus id genus poëmatis a Veteribus fuisse celebratum. Ii vero mihi nullo pacto blandiri possunt, qui nomen hoc ἀπὸ τῶν κωμῶν derivare contendunt, quoniam Athenienses (apud quos natam fere, et auctam esse Comœdiam nemo ambigit) δήμους vocarunt, quæ ab aliis κῶμαι fuissent appellatæ. Enimvero illud unum mihi negotium facit, ne scilicet Comum ἀπὸ τῶν κωμῶν Græcia dixerit: quemadmodum Romani Fornacaliam servatis ab incendio coluere fornacibus: et Robigum, sive Rubiginem, atque alios complures, a quibus præessent rebus appellavere. Utcumque tamen sese res habeat, περὶ τὸ κωμάζειν appellari Comœdiam affirmo: quoniam, etsi περὶ τὰς κώμας dicatur ὁ κῶμος, tamen ab eo τὸ κωμάζειν, unde κωμῳδία quasi κωμαζόντων ᾠδὴ nominatur. Verum ex ipso jam nomine patuit quænam definitio possit Comœdiæ convenire, poëma scilicet demulcendis hominum mentibus, excutiendisque potissimum cachinnis accommodatum. Hoc innuit Virgilius, et illi Græcorum, qui Θάλειαν Musam Comicis præsidere cecinerunt. Quæ scilicet, festivis pullulans jocis, ad risum usque delectet. Hoc etiam Aristoteles comprobavit, inquiens, quod in turpitudine ridiculum est, Comœdiam imitari. Quandoquidem illud inprimis poëtæ rebus et verbis efficere conabantur: ipsa quidem re bifariam, videlicet vel opinione sua, vel alterius persuasione deceptas fingendo personas: deinde magna nomina, vel Deos mortalium postremis componendo, sicuti Plautus in Amphitryone Mercurium simulat agere Sosiam: vel contra, quemadmodum in Ranis Aristophanis Fabula Xanthias vile mancipium Herculem agit. Verborum autem modis septem Comici risus excitabant: vel scilicet plura significans verbum usurpantes, quod grammatici dicunt ὁμωνυμίαν: vel plura significationis ejusdem, quod vocant συνωνυμίαν: vel proprium aliquod ludentes nomen ea quidem ratione, qua nos interdum 'oratorem' dicimus 'aratorem,' quod illi nuncupant παρωνυμίαν, vel eadem sæpius non invenuste repetendo, quod appellant ἀδολεσχίαν: cujusmodi est illud Ennianum ab Aulo Gellio citatum, ubi verbum hoc 'frustra' et 'frustrari,' decies eodem loco inculcatur: vel aspernandi studio diminutiva formantes: vel aliquam haud absurde literam mutantes. Denique per non tritas dicendi figuras elegantiam alicujus, aut rude ingenium exprimentes, theatrum omne risu diffundebant. Verum hæc universa nihili nonnunquam erant, nisi vocem histriones singulis adhibuissent accommodatam: quandoquidem omnis oblectatio Comœdiæ propemodum in actione consistit. Hactenus autem quæ diximus, bono omine procedant: ne (licet huic libello de perplexis adeo quæstionibus propositum non sit disputare) nimis multa esse videantur.

Si funditus Latinæ Comœdiæ quæras perspicere conditionem: inprimis ejus originem par esse arbitror non ignorare: quippe cum ad nos e Græco fonte derivata per Latinos quasi traduces emanarit. In Veterum itaque fabulis quinque perhibent esse differentias, temporum scilicet, styli, materiæ, numerorum, et apparatus. Nobis igitur tempora considerantibus, tria Comœdiarum genera sese offerunt distinguenda. Primum enim est, quod una cum Peloponnesiorum imperio, Susarione, vel Sannirione floruit inventore. Alterum, quod ab impositis per Lacedæmonios Atheniensium cervicibus triginta quasi jugo tyrannis ad ætatem usque Philippi Macedonis est propagatum, videlicet per annos circiter sexaginta. Tertium, quod ab Alexandri temporibus adeo faustum sumsit initium, ut etiam a Latinis in præsentia celebretur. Verumtamen ego Comœdiam Græcum esse inventum minime arbitror: neque (ut Thomas Magister, et eum secuti, videntur æstimare) ab agricolis civium injurias conquerentibus esse derivatam. Hoc nempe causam asperitatis, et jurgiorum in Veteri Comœdia reddit: quam mox ipsi longe aliam esse docebimus: neque videtur quicquam, ut reor, ad Comœdiæ primordia pertinere: quoniam Orpheus, quem constat per centum amplius annos ante Trojani belli tempora vixisse, sub Laomedonte scilicet, ac Athenis Ægeo imperante, Bacchi mysteria ab Ægyptiis tralata suis Thracensibus indicavit. Atqui Comœdiæ, quemadmodum idem asserit Thomas, veris tempore in Bacchanalibus agebantur. Unde etiam apud Romanos ara Libero patri sacra in dextro latere scenæ, quemadmodum ait Donatus, vel orchestræ, ut Pollux, semper erigebatur, quod maximum est argumentum, a Bacchi mysteriis omne Fabularum genus esse depromtum. Id Horatius innuit, cum spectatorem et sacris functum, et potum appellat. Par est igitur arbitrari, prima Comœdiæ semina per Orpheum ab Ægypto in Græciam fuisse delata: unde complura non Orpheus modo, verum et alii transtulerunt.

Celebres enim erant et Phœniciæ literæ nondum Græcis sexdecim a Palamede Nauplii filio configuratis: ac plurimi studia poëtices habebantur: proindeque sapientes illi numeris omnia componebant: quæ una cum ceteris apud tum Ægyptios floruisse nemo bene doctus dubitarit. Non defuerunt etiam, qui Fabularum initia Siculis adjudicarent, quemadmodum Aristoteles in Poëticis ait, quoniam Epicharmus Comicorum antiquissimus poëta illinc esset oriundus. Syracusanus enim revera fuit, duplicesque Græcorum literas ζ ξ χ primus omnium excogitavit, sicut in Iliados Alpha Grammaticus Joannes solerti vir ingenio mecum sentit: ubi longas η et ω per Simonidem poëtam in insula Chio natum scribit esse formatas, aspiratarumque characteres θ φ χ Cadmo illo Milesio testatur effictos: licet hæc Plinius quinquagesimo sexto libri septimi capite longe aliter tradat: nisi sit error in codicibus, aut Græci ipsi non satis sibi constent, quos ille potissimum fuerit secutus. Satius tamen arbitror hæc elementa singula singulis inventoribus addixisse. Ea igitur ægrotantium somnia prætermittas: unum hoc sciens ab Æschylo, et qui eum secutus est, Cratino, Fabulas in suam formam esse tandem redactas. Siquidem ante devictos Persas ad Salamina, cujus victoriæ Fabulam, quæ nunc extat, Æschylus dedit, nullus in iis ordo poterat reperiri. Comœdiarum itaque prima semina ad Ægyptios referamus, formulam earum et ordinem Cratini temporibus ascribentes. Styli cum ceteris scripturis eadem esse differentia videtur; antiqua enim Comœdia gravis et elata semper incedit, ac nonnunquam obsoletiora quædam verba sectatur: at contra recentior perspicuum sermonem affectat, utpote quæ novis ac politioribus utatur atticismis.

Materiæ cum tres esse nemo ambigat sectiones, quædam altius videntur nobis esse repetenda. Per Atticæ urbis incrementa potissimum vigente republica, cum scilicet omnia populi arbitrio regerentur, poëtæ, qui Fabulis operam dabant, ab insectatione aliena stylum minime poterant continere: seu quoniam Attici suapte natura nasutiores esse dicuntur: sive potius quod plebeii semper innato odio patricios prosequuntur. Etenim præpotenti morem populo gerentes, et judices et prætores maledictis insectari minime dubitabant: ac nihilo secius privatos, si quis vel avarus, vel impurus esse videretur: maximeque dabatur laudi, si poëta quispiam e scena gravioribus, ac plene censoriis verbis id genus homines veluti jaculis confecisset. Hoc namque multi domestico probro quasi flagello quodam vexati, cum mores præteritos mutare, tum vel esse frugi, vel saltem apparere cogebantur: ne denuo sese male gerentes, male identidem audirent: cujus rei numeros omnes Cratinus dicitur implevisse: quippe ceteris austeritate præstans, acerbissima jurgia procaciter exspuebat. Hac etiam in parte bonus ille Aristophanes non dormitavit. Ejus enim Vespæ Fabula, quotquot erant sycophantæ, quos quidem ipse vocat ἠπιάλους, fecit ab incepto desistere, quo inter cetera facinore tantum placuit, ut oleagina, quæ par est aureæ coronæ, donaretur. Deinde labefactatis populi viribus, cum scilicet imperium ad paucos omnino recidisset, nulla poëtis amplius libere loquendi facultas concedebatur, sed pœnas dare potentioribus necesse erat, si quis vel minimum esset oblocutus. Idem enim Aristophanes, quemadmodum in Acharnensibus Fabula de se ipse meminit, quinque talentorum mulctam perpessus est, propterea quod Cleonis cujusdam ex Atheniensium optimatibus impotentiam et peculatum per Equites Fabulam detegere conaretur. Etenim illi adeo fuit infensus, ut, quoniam ab opifice personam Cleoni similem habere non posset, sibi milto ceterisque id genus fucis concinnarit: histrionibusque præ nimio metu e scena prodire non audentibus, Cleonis personam solus agere non dubitarit. Eupolis vero præceps in mare datus est, eo quod potentiores aliquot in Baptis fabula momordisset. Cum igitur hæc animadverterent poëtæ, decreverunt sibi fore prorsus a maledictis illis temperandum. Itaque styli nasum ob imminens vitæ discrimen alio converterunt, poëmata scilicet Homeri vel alterius in ludibrium sæpe quidem injuriose vertentes: quorum maxime Cratinus scenæ populoque (ut aiunt) servire contendit. Noverat enim (arbitror) id quod in Oratione de Corona Demosthenes asserit, esse natura comparatum, ut homines libenti animo calumnias aliorum audire videantur. Ulysses itaque plurali numero Fabulam dedit, quæ totius Odysseæ calumniaretur historiam. Aristophanes quoque, postquam suo malo contra stimulum calces nihil valere didicisset, in alteram se formam quasi Proteus convertit, Æolum scilicet Fabulam a Tragicis olim celebratam, in Comicam αἰολοσσικῶνα deridendo permutavit. Ille idem Aristophanes (mirum dictu) novæ etiam initium Comœdiæ dedit, quod velim ejus egregia laude dictum arbitreris. Quippe cum unus ipse queat triplicis argumenti poëta reperiri, siquidem et aliam, cui nomen est Cocalo, Fabulam commentus esse dicitur, in qua virginum com-

pressiones, agnitæque agitarentur affinitates. Demum Athenis Macedonum petulantia subjugatis, eas continuo Fabellas edere studuerunt poëtæ, quibus illorum impuritati satisfactum esse videretur. Quandoquidem vel ex Athenæi monumentis facile possumus conjectare, quod gulæ ventrisque servitio Macedones fuerint emancipati. Menander itaque, suæ tempestati morem gesturus, Comœdiam ab Aristophanis Cocalo feliciter admodum est auspicatus : cui sic Ovidius alludit Amorum secundo, nobis obiter quænam fuerint ejus argumenta demonstrans,

Dum fallax servus, durus pater, improba lena
Vixerit, et meretrix blanda, Menandros erit.

Quod nos cum Græco carmine ludentes in egregiam Terentii laudem vertissemus, tibi pulcherrimos condendi iambos dedisse ansam videmur. Ceterum fuit octo tantum annis junior Alexandro, sanguine nobilis et morum integritate præclarus. Alexideque (ut arbitror) præceptore jam adolescens dare Fabulas cœpit, quæ centum et octo numero coram doctissimis quibusque steterunt, vel quinque supra centum, ut cecinisse Apollodorum Gellius scribit. Tandem Athenis in patria duos et quinquaginta natus annos obiit mortem, decimo scilicet ante bellum Macedonicum anno, quod Pyrrhus cum populo Romano gessit acerrimum. Nec solæ quidem hæ Menandri Fabulæ Macedonum lumbos (ut his utar Persii verbis) intravere, sed et aliæ Diphili Sinopei centum Philemonisque Syracusani Menandrum æmulantis fere totidem accesserunt. Prætereo quas Apollodorus, Posidippus, et Philippides addiderunt, ac ceteri, quos nova Comœdia celebravit. Profecto mira fuit Aristophanis felicitas : cujus una Cocalus e quinquaginta quatuor (tot enim vidisse se Thomas Magister ait) adeo multas diversorum poëtarum Fabulas procrearit, quæ cum parente suo reliquisque Veterum pæne omnibus ab usu nostro suffurante tempore exciderunt. Utinam extarent vel dimidiatæ: non adeo forsan in præsentia Fabulas perspiciendo cæcutiremus ; nec esset cur ego vos semicæcus ducere conarer. Sed, acta ne agamus, vitium hoc et præteritam calamitatem his quasi frugibus, quotquot extant, Aristophanis Fabellis compensantes. Duplex esse numerorum differentia videtur : quandoquidem Veteres illi Comœdiam variis distinguere versibus studuerunt, eo quod laudi maxime daretur, siqui novum carminis genus adinvenissent. Unde Phrynicus in Ionico

minori catalecticon tetrametrum excogitavit, Pherecratesque sibi versum e spondæo, dactylo, et trochæo pulcherrimum concinnavit: nec secus Eupolis tetrametrum ex trochæis conglutinavit. Verum Aristophanes, ut in omnibus est ποιητικώτατος, in hoc etiam ulli cedere noluit. Iambicum enim hypercatalecticum monometrum, et brachycatalecticum trimetrum, est mira suavitate modulatus. Insuper ex anapæstis trimetrum acatalecticum, ex choriambis vero monometrum primus omnium temperavit, atque alia complura per Servium et illius interpretes Fabularum annotata, quæ mortalibus adeo placuerunt, ut barbaros etiam Persarum animos potuerint demulcere. Etenim apud eos Aristophanem accepimus præsertim a rege celebratum. Contra vero Nova Comœdia iambos, ut plurimum solet, usurpat : quemadmodum a Stobæo, Plutarcho, Gellio citata Menandri carmina demonstrant.

Binas apparatu differentias extitisse grammatici tradiderunt, cum scilicet in personis, tum in ipsa serie, Comœdiarumque contextu. Platonius enim auctor est Veteris Comœdiæ poëtas e scena solitos esse eos educere personatos, qui statim ex ipsa facie, quos essent toto opere carpturi, spectatoribus indicarent : ut, si forte quis non audire carmina cogeretur, de persona tamen, quisnam esset deridendus, agnosceret. Sed Comici recentiores, ad excutiendos potissimum risus, histrionum facies configurarunt. De industria quidem monstrosos hominum vultus effingere conabantur, ne cuipiam forte fortuna Macedoni tunc præfecto similes esse viderentur : proindeque miser ille poëta, non secus ac si barbarum principem data opera subsannaret, publice mulctaretur : adeo nobilis illa Græcorum majestas impuris obtemperabat. Quippe distorta corpora Menander (si Platonio credimus) planeque communem hominum excedentia naturam personis imitabatur, profecto sapienter, Quoniam, inquit ille, non solum malum, sed et mali vitanda est suspicio. Quod autem ad Fabulæ pertinet contextum, chorus in causa est cur inter se Veteres Novique non quadrent : quandoquidem illi varia quædam modulamina temperabant, quæ chorus singulis actibus intercinendo plebem sine tædio, quousque novi egrederentur histriones, detineret. Populus enim Atheniensis, quatenus rerum dominus habebatur, quotannis Ædiles creabat, qui sumtus alendis puerorum choris subministrarent. Ceterum chorus quatuor et viginti viris, puerisve, aut fœminis instruebatur, sicut Aristophanes in Avibus Fabula numerat. Si vero promiscue

viri fœminæque ad explendum chori numerum adhiberentur (quod fecisse dicitur primus omnium Tyrtæus) mares dimidium excedebant. Si pueri, tum fœminis illorum major numerus erat. Sin autem viri tantum, juvenes scilicet ac senes, identidem poëtæ majores tredecim, minoribus undecim admiscebant, utpote quorum de nomine chorus appellaretur. Quilibet autem ex his chorus in quatuor (ut aiunt) ζυγὰ dividebatur, quorum singula sex continerent saltatores. Comicus, inquam, hoc pacto chorus apparabatur. Nam, sicut Æschylus canit, quinque tantum et decem in Tragœdia constabat. Interdumque dimidiato numero (sicuti Pollux ait) semichorum induci facile admodum est videre. Idem attamen scribit in Veteri Tragœdia chorum saltatores habuisse quinquaginta: verum, quoniam Æschylus totidem Eumenidas induxisset, quæ totum præ multitudine theatrum consternassent, cohibente lege ad pauciores esse deventum. Arbitror etiam in Comœdia cum Donato longe plures ab initio fuisse cantores, quoniam (ut Aristoteles in Naturali quadam sentit Quæstione) multi facilius servare numeros possunt. Cum igitur post fabulæ prologum esset orchestram ingressurus, si rusticis constaret, a dextro latere solebat emitti: sin autem urbanis, a sinistra parte prodibat, quadrataque forma consistens recedentes histriones observabat. Deinde conversus ad spectatores, quorsumcumque septies theatrum intuebatur, totidemque cantilenas moderato gestu pronuntiabat: quod omne παράβασις ab Aristophane pluribus in locis nuncupatur. Prima igitur cantilena statim ab histrionum discessu prolata κορωνὶς communi nomine dicitur. Nam, quicquid persona quapiam recedente cantatur, grammatici Comicos exponentes κορωνίδα solent appellare. Κομμάτιον vero proprie dicitur, quatenus de choro amputata recisaque particula videtur: id a quibusdam εἴσθεσις χοροῦ nominatur. Secunda, παράβασις, non secus ac tota saltatio dicitur: quoniam illinc, ubi constiterat chorus, populum versus incedit: sive ἀνάπαιστος, eo quod frequenter hujuscemodi cantus anapæstos usurparet. Tertia πνῖγος, aut μακρὸν, cantilena scilicet (ut Pollux ait) una spiritus contentione prolata, quæ tria sejunguntur ab invicem, cum alterum alteri nullam habeat rationem. Quæ vero sequuntur, inter se quadam sunt ratione conjuncta, videlicet στροφὴ vel ᾠδὴ, sive μέλος, ἐπίῤῥημα, ἀντίστροφος vel ἀντῳδὴ, et ἀντεπίῤῥημα, quod loco septimo cantabatur, στροφὴ enim sive ἀντίστροφος membris et carminum genere quadrat. Rursus ἐπίῤῥημα

undecumque sibi conveniens ἀντεπίῤῥημα solet habere. Quoniam utrobique fere semper chorus ex iambis tetrametra sexdecim modularetur, totum hoc simul χορικὸν appellatur, quando Comœdiæ partem volumus assignare; quatuor enim sunt, videlicet πρόλογος, qui ad egressum usque chori prorogatur: deinde χορικὸν: et, quod interponitur choris, ἐπεισόδιον: postremo ἔξοδος, quæ scilicet a choro in calce Comœdiæ pronuntiatur, ut Pollux in quarto scriptum reliquit. Ea igitur παράβασις, auctore Demetrio Triclinio, quæ nullas harum partes omittit, perfecta solet appellari: qualem Aristophanes in Equitibus Fabula concinnavit. Verum complures imperfecte pro arbitrio poëtarum inseruntur: id quod idem in Nebulis Fabula fecit: ubi solum ἐπίῤῥημα, quod esset vitiis carpendis accommodatum, induxit, ac in Ranis quatuor illa tantum conjuncte reposuit. Sed illud est animadversione dignum, quod ἐπίῤῥημα et στροφὴ sive μέλος, quando nullam ἀντεπιῤῥήματος aut ἀντιστρόφου reditionem expectant, in fine semper habent παράγραφον, ut non esse κατάσχεσιν, id est, obnoxie posita videantur: quandoquidem hæc linea transversa παράγραφος scilicet, tria illa, quæ diximus, inter se discreta continuo claudit. Verum, si futuram expectant reditionem, στροφὴ tum hæc linea, cum non secus ac ἐπίῤῥημα, duabus aliis terminatur, quarum coëuntium angulus vergat introrsum: contra vero ἀντίστροφος lineis clauditur binis, quarum extrorsum utrique anguli vergant, hinc inde finale membrum, carmen scilicet ultimum amplectentes. Verum ex iis duntaxat uno solet ἀντεπίῤῥημα concludi. Quæ plane signa, prout anguli sese habent, vel futuram, vel præteritam reditionem ostendunt. Hoc Demetrius ille Triclinius scribens in Aristophanem excogitavit. Verumtamen inter cantus poëtæ nonnunquam personas educere solent, quarum dissertatio σύστημα κατὰ περικοπὴν appellatur: interdum versibus alternis contendentes aliquot proferunt histriones, vel chorum etiam respondentem: quod Hephæstion videtur ἀλλοιόστροφον appellare. Verum has et alias consulto prætermittendas esse arbitror quæstiones, quæ mira poëtarum licentia gignuntur: constat enim illis nihil unquam non audendum. Quocirca nobis, de choro certiora consectatis, pro materia satis abundeque dictum esse videatur, quomodo præsertim in Nova Comœdia chorus nullum habeat vel habere potuerit locum. Siquidem Athenis, cum omnia potentiores ad arbitrium suum revocare cœpissent, nulli amplius creabantur Ædiles: perindeque sumtibus ad alendos

juvenum choros institutis populus abuti prohibebatur: quod particulatim a Platonio legimus disputatum. Id itaque animadvertentes poëtæ, quemadmodum lata lege de non carpendo nominatim, materia mutabatur, ita etiam cantilenis abstinere penitus decreverunt: quodque sapientes, cum tempori cedendum est, efficere solent, quæ erat necessitas, in virtutem egregiam transtulere. Nam actus Fabulæ sic agebant colligatos, ut per intervalla, quæ quidem erant minima, saltem unus histrio relinqueretur, aut frequentius complures alternis inter se versiculis disserentes. Deinque nihil vetusti chori proprium observabant: quemadmodum in Aristophanis Pluto Fabula tute jampridem vidisti. Id Horatius ita cecinit:

Lex est accepta: chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.

Miror autem, quasi monstrum conspicatus, illum, cujus scripta sub Acronis nomine circumferuntur, vel si est ipse Acro, dixisse id lege cautum sub Augusto. Poterat mediusfidius perspexisse (modo Plautum aut Terentium legerit) an ante Augustum actæ Fabulæ quenquam momordissent. O quam egregie vetusta novis, Latinaque Græcis non hic modo, verum et alii fortuna similes confuderunt. Quippe hoc Athenis decretum patricii promulgavere vix anno Urbis Romæ quadragesimo septimo supra ter centum, videlicet cum tribuni militares imperio consulari crearentur.

Comœdiam itaque tempus et materia, sicut diximus, in tria genera dividunt, antiquum scilicet, et novum, et medium. Stylus vero, numeri, et apparatus duplici tantum sectione partiuntur: diversa tamen ratione: quoniam stylus et numeri vetustiora duo simul componunt, quæ ad Alexandrum usque pervenere: sed apparatus medium illud annectit recentiori. Nam in utroque (si grammaticis credendum est) nulla chori modulamenta reperiuntur.

Non autem esse arbitror alienum in præsentia quædam particulariter considerare, quæ profecto multa non erunt: quoniam facile videtur ex hactenus dictis fere omnes tum Græcas, tum Latinas metiri Comœdias, si temporum præsertim ullam habere volueris rationem: quando scilicet in scena floruerit unusquisque Fabularum poëta. Primam igitur Romæ Fabulam dare Lucius Livius occepit decimo supra quingentesimum Urbis anno: qui quidem, Gellio teste, quinquagesimus secundus ab obitu Menandri numerabatur: vigesimo fere postea quam Romani primum Carthaginiensibus bellum indixissent: tunc enim pace composita, quæ populo tanto opere expetebatur, id genus oblectamenti relaxandi animi gratia receptum est. Deinde spatio novem annorum interjecto, C. Nævius data Fabula spectandi copiam fecit. Post eum Plautus, anno fere decimo quinto: subinde seriatim Q. Ennius, Cæcilius, et Terentius floruere: postea non multo Pacuvius, qui jam senex Accio cessit. Postremo Lucilius fuit, qui medium illud argumentum, lacerandi scilicet aliorum poëmata, sectabatur. Hunc enim Gellius in Accium et Pacuvium magna laude stylum exercuisse testatur. Fabulas igitur isti, de Græco petitas argumento, Latinis salibus condire statuerunt: quemadmodum in Terentii, vel Plauti, quæ circumferuntur, Fabulis est videre: Novamque penitus Comœdiam sunt imitati, nullam chori modulantes cantilenam: sed actus (ut ait Porphyrio) tibiarum concentu dirimentes. Ubi operæ pretium est animadvertere tibias chori proprietatem æmulari. Nam (ut auctor est Donatus) quæ Fabulæ graves haberentur et severæ, tibiis dextris agi consueverunt: quæ vero jocis et urbane dictis undique scaterent, continuo sinistris. Pollux enim auctor est quinque olim in scena januas extitisse; quarum media illius omnino domicilium esset, qui primas in Fabula partes haberet: altera, dextra scilicet, huic proxima, illius esse consuevit, cui partes darentur secundæ: tertia, sinistra, vel maxime tenuis, aut nullius erat personæ, vel desolatum aliquod simulabat sacellum. At reliquarum dextra eos emittere solebat, qui non ab Urbe, sed aliunde proficiscerentur: sinistra vero contra, quotquot venirent, urbanos producebat. Ab hac (ut arbitror) ejus Fabulæ chorus prodire consuevit, quas salibus jocisque referta esse videretur. Quippe, quod facete dicitur, solemus urbanum appellare. Verum ab altera, si rusticos Fabula contineret, quadam severa gravique simplicitate chorus emittebatur. Etenim eos potissimum rusticos vocamus, qui semper obducto supercilio facetias aversantur. Unde Palamedes apud Philostratum ab Achille dicitur ἀγρικώτερος, quoniam, ut erat undique severus, in deliciis etiam nihil haberet.

Ceterum, licet multa sint genera tibiarum, tamen duo scenam potissimum frequentabant, videlicet Phrygiæ: quarum nonnullæ modo dextræ, modo sinistræ ponebantur. Dextræ, quæ foramen unicum haberent: sinistræ, quæ duobus essent foraminibus dis-

tinctæ. Quippe Servius, Varronem secutus, duas impares cavernas hujuscemodi tibiis fuisse testatur, ac foramina totidem. Unde Virgilius earum biforem cantum appellat, propterea quod graves et acutas emitterent pro tibicinis arbitrio voculationes. Alteræ sunt Serranæ, sic (arbitror) appellatæ, quoniam iis saltatores et proferre et referre pedem continuo juberentur, non secus atque sectores, qui serra adacta partiri ligna conantur. Siquidem Pompeius ait serram id prælium dici quo frequenter acies et accedere et recedere soleret. Hæ semper erant sinistræ, paresque, id est, æquales cavernis: proindeque parem concentum, acutum scilicet emittebant, quemadmodum Servius haud perplexe scriptum reliquit. Verumtamen Diomedes tibias pares et impares videtur numero definire: quod equidem non video cur possit admitti: nam par et impar qualitate fere semper accipitur a Latinis. Exemplo sit hoc Ovidianum:

Par erat inferior versus.

Et illud Virgilianum:

Formosum paribus nodis.

Ac illud:

Impar congressus Achilli.

Sed quo tandem sum incuriose digressus? Egone ut magna nomina sugillarem? Minime, si meum mihi vitæ institutum permanebit. Quocirca ne nobis aliquid Eupolidis infortunio simile contingat, perfecto jam operi paragraphum stylus obducat.

DE FABULARUM, LUDORUM, THEATRORUM, SCENARUM, AC SCENICORUM ANTIQUA CONSUETUDINE, LIBELLUS;

Ex optimis auctoribus collectus, ad Comicos facilius intelligendos, præcipue conscriptus in gratiam Studiosæ Juventutis.

Nunquam existimandum est cuiquam posthac familiarem Plautum aut Terentium futurum; eorumque intimum artificium, orationis characterem, atque venustatem, aliaque id genus plura quenquam plane assecuturum, nisi comicam omnem dignitatem, morem, et agendi consuetudinem, quæ ab antiquis in Fabulis ac Ludis observari solebant, exacte teneat. Ita fiet, ut postea nihil præter metrorum rationem ac versuum mensuras desiderare possit: quas nimirum ex Terentiano, omnium Latinorum grammaticorum cultissimo, et in hac re plurimum exercitato, desumere licebit. Hic itaque libet adolescentulis bonarum literarum studiosis breviter proponere: primum, unde nata sit Comœdia, quoque pacto ante Comœdiarum usum antiqui poëtæ luserint: deinde vero, quomodo Comœdiæ agi ac pronuntiari solitæ fuerint, ut quid Ludi sint, quid Theatra, Scenæ, Actus, Personæ, et id genus cetera, facile intelligatur. Quod opus dum aggredimur, facilem atque attentum lectorem esse cupimus, ut tandem intelligat, quid sit Fabula, Tragœdia, Comœdia Vetus, Satyra, et Nova Comœdia.

QUID FABULA, TRAGŒDIA, SATYRA, COMŒDIA VETUS ET NOVA.

Fabula generale nomen est, Tragœdiam, Satiram, et Comœdiam in se complectens. Estque Fabula narratio quædam conficta, et demissiore plerumque stylo ac versibus conscripta ad oblectationem auditorum. Unde etiam Poëmata inter Fabulas a nonnullis connumerantur: quapropter quibusdam visus est Homerus Iliadem instar Tragœdiæ, Odysseam ad imaginem Comœdiæ conscripsisse.

Tragœdia autem Fabula est, qua antiqui reprehendebant, quod in rebus non solum privatis ac civilibus, sed maxime arduis et ad principes attinentibus minus rectum videbatur. In ea scenici amurca, et olei fæcibus (quas Græci τρύγας vocant) perlinebant ora, ante usum personarum: unde Tragœdiæ nomen. Ejus grave argumentum fuit, petitum sæpe ab historica fide: dictio severa, sublimis, sæpe tumida: tranquilla prima, exitus funesti.

Post Tragœdiam inventa Comœdia, quæ Vetus dicta est: in qua (ut in Tragœdia quoque) simplex carmen fuit: quod carmen chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat: eratque primo una persona cantoribus substituta, quæ, respondens alternis choro, locupletabat variabatque rem musicam. Chorus autem in Tragœdia, aut Comœdia Vetere, dicebatur multitudo coævorum juvenum, aut minorum in sacris, vel scena, cantantium atque saltantium.

Fuit Vetus Comœdia Græcis Archæa dicta, quia esset de nobis parum cognitis vitiis: item etiam Eteonymos, quia inesset in ea

velut historica fides veræ narrationis, et nominatio omnium, de quibus scribebatur. Sed, cum poëtæ in Comœdiis abuti licentius stylo, et passim lædere ex libidine cœpissent plures bonos, lege lata, ne quisquam in alterum infame carmen scriberet, tacuerunt.

Satyra exinde sumsit exordium. Estque genus Fabulæ, quæ ex Satyris, quos illotos et petulantes Deos esse scimus, nomen sumsit. Fuit autem ejusmodi, ut in ea, quamvis duro et agresti joco, tamen vitia hominum, sine ullo proprii nominis titulo, carperentur, atque per scirpos, et ænigmata, magnæ res describerentur. Id vero genus Fabulæ multis obfuit poëtis, cum in suspicionem potentibus civibus venissent, quod illorum facta descripsissent in pejus, ac deformassent Fabulæ genus stylo carminis.

Post exoletam Satyram inventum est a poëtis aliud Fabulæ genus, quæ Comœdia Nova dicta est. Ea erat Fabula, continens imaginem civilium ac privatarum rerum: qua discebatur, quid esset in vita utile, quid evitandum. Unde ait Cicero, 'Comœdiam esse imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.'

Nomen habet Comœdia, vel a Como, Deo comessationis, vel ab eo quod primum Athenienses per vicos adhuc dispersi ex omnibus locis læti alacresque conveniebant: ibique rudibus et incultis versibus potentiorum, aliorumque item hominum vitia nominatim perstringebant. Nomen autem compositum, *ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν*. In summa, Comœdia est poëma sub imitatione vitæ ac similitudine compositum, in gestu et pronuntiatione consistens. In ea mediocres fortunæ hominum, parvi impetus, pericula quotidiana, turbulenta principia, lætique fuerunt exitus, et ficta argumenta. Caruit quoque choro nova Comœdia, contra quam Vetus, paulatimque personarum numero in quinque Actus processit: quod tunc cum ad cantores ab actoribus transibat Fabula, consurgeret et abiret populus. In ea etiam personarum ornatus alius inventus est, pallia, socci, et id genus cetera.

Post Novam Comœdiam Latini multa Fabularum genera protulerunt, quæ tamen Comœdiæ dicebantur. Togatas vocabant a scenicis indumentis, quæ Romanam togam præ se ferebant, et ab argumentis Latinis; Prætextatas a dignitate et vestitu personarum, et Latina historia: Atellanas ab Atella, Oscorum civitate, ubi inventæ dicuntur: eæ salibus conspersæ erant, ac jocis com-

positæ, in se non habentes nisi venustam elegantiam: quales sunt Plautinæ: Rhyntonicæ Comœdiæ dictæ ab Auctoris nomine: Tabernariæ, ab humilitate argumenti et styli: Palliatæ ab habitu et argumento Græco. Mimi, ab inverecunda imitatione vilium rerum et levium personarum. Planipedia quoque Comœdia dicta, ob humilitatem argumenti, ac vilitatem actorum, qui non cothurno, aut socco utebantur in scena, aut pulpito, sed plano pede: vel ideo, quod non ea negotia contineat, quæ personarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano et humili loco.

Omnium autem Comœdiarum scripta, quæ Dramata Græci vocabant, ex quatuor rebus omnino sumuntur: nomine, loco, facto, eventu. Nomine, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, ut Andria, Leucadia, Brundusina. Facto, ut Eunuchus, Asinaria, Captivi. Eventu, ut Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Dividitur Nova Comœdia in quatuor partes: prologum, protasin, epitasin, catastrophen.

Prologus est veluti præfatio quædam Fabulæ, in qua vel poëta excusatur, vel fabula commendatur.

Protasis est primus actus Fabulæ, in quo pars argumenti explicatur, pars reticetur, ad populi expectationem tenendam.

Epitasis incrementum est, processusque turbarum, et involutio argumenti, cujus elegantia connectitur.

Catastrophe est explicatio Fabulæ, per quam eventus ejus explicatur atque approbatur.

DE LUDORUM ANTIQUORUM GENERIBUS.

Verum, ut omnis Comœdiarum ratio facilius intelligatur, atque adeo ea, quæ omnem Comœdiarum actionem spectant, attendendum est primum, quando fierent, quo loco, et qua forma. Hoc autem tum demum lector intelliget, cum pernoverit, quid fuerint apud antiquos, Ludi, Theatra, Actus, Scenæ, et hujusmodi cetera.

Vetus itaque Comœdia, item etiam Tragœdia, primum agi solebat a Græcis, in vicis et pratis mollibus, ascriptis et propositis præmiis, quibus ad scribendum poëtarum provocarentur ingenia: actoribus quoque munera offerebantur, caperque dono dabatur, ut libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinum commentationes populum allicerent.

Agebantur Comœdiæ et Tragœdiæ apud vetustissimos in honorem Liberi patris. In Italia primum actæ sunt Compitalitiis Ludi-

cris, admisto pronuntiationis modulo, quo, dum actus commutabantur, populus detineretur. Compitalitii autem Ludi dicti, qui per compita fiebant; scenæque ductiles in plaustris ob id antiquis excogitatæ. Postea vero factum, ut Ludis publicis et in Theatro agerentur Novæ Comœdiæ apud Romanos.

Ludos vocabant publica spectacula, quæ tum in gratiam populi fieri solerent a senatu, et a principibus institui, vel ad favorem populi conciliandum (ut nonnullos Cæsares fecisse legimus), vel ad animorum relaxationem et oblectationem. Multo magis ad religionem instituti sunt Ludi. Nam Diis post sacrificia etiam Ludos publicos consecrabant.

Ludi igitur, et Ludicra, quæ etiam Certamina vocarunt Latini, Græci Agonas, multorum generum fuerunt: neque vero uno tantum spectaculo in publicis Ludis detinebatur populus. Erant autem Ludi Gymnici et Athletici: Ludi Circenses: Ludi Gladiatorii: et Ludi Scenici; de quibus nunc singulatim est paucis disserendum, partim ex Budæo, nostræ Galliæ lumine, partim ex Vitruvio, Luciano, et aliis antiquis auctoribus.

Gymnici et Athletici Ludi in palæstris ac gymnasiis fiebant apud Græcos, quæ loca fuerunt exercendis et corporis et animi viribus accommodata. Nam etiam in iis palæstris aut gymnasiis exedræ fuerunt, in quibus philosophi Græci sedentes disputabant. Sed et palæstræ appellatio omnem athleticam artem et exercitationem complectitur, decentiamque: qua status, motus, flexusque corporis, ac omnes omnino habitus venustatem quandam leporemque præ se ferunt: quam qui non didicerant, ii apalæstoi ab antiquis dicti sunt. Eam vero artem qui exercebant, aut qui in palæstra exercebantur, vel decertabant præmiis, palæstritæ vel palæstrici dicti sunt: Gymnicos Græci etiam vocarunt, quod nudi athletæ exercerentur. Ceterum in palæstra gymnasii (inquit Plautus) cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, saliendo se exercebant athletæ. Hujusmodi Ludi in Campo Martio apud Romanos fieri solebant.

Qui currebant in Ludis Gymnicis, hoc est, cursu corpora exercebant, vel eo decertabant, Græcis dromi appellantur, hoc est, cursores. Quorum alii stadiodromi dicebantur, qui stadium percurrebant: alii diaulodromi, a circumactu curriculi, id est, duplo curriculo, quod diaulon vocabant: nam ii cursores, cum ad metam pervenerant, flectentes, eo rursus recurrebant, unde cursum inierant. Erant et dolichodromi, qui sexies stadium curriculo obibant: nam dolichos longissimus cursus dicebatur.

Lucta, Græcis pale, vel in cœno, vel arena, vel pulvere fiebat; unde luctatores in Ludis Gymnicis, aut palæstra, Græcis palæstæ appellati. Ii luctaturi, ceromate, id est, oleo cerato perfundebantur: unde, qui eos ungebant, ceromatistæ dicti. Pulvere quoque post unctionem inspergebantur, ut corpora ceromate et sudore lubrica mutuas luctantium prehensiones admitterent: unde natum proverbium, 'citra pulveris tactum,' de iis, qui facile aliquid assecuti sunt, et citra sudorem, quod et citra pulverem dici potest. Eum pulverem Græci aphen dicebant. Inter luctatores quidam summis inter se manibus depugnabant, nullo complexu hærentes: eos acrochiristas vocabant Græci. Alii vicissim feriebant arrectaria concertatione, hoc est, arrecti, et pulvere obsiti, alter alterum impetebant procursu calcitratuque: calcibus enim, cubitis, unguibus, non modo pugnis utebantur, omnique impetendi prehendendique modo: pancratiastæ vocati, et pancration hujusmodi certaminis genus, ex eo quod advocatis omnibus corporis viribus, omniumque nervorum contentione transigeretur.

Qui disco se exercebant athletæ, discoboli Græcis, appellabantur, hoc est, discum in sublime jaculantes. Erat autem discus lapis rotundus ac pertusus, inquit Ammonius.

Pugilatus, quem Græci pygmen appellabant, cestibus exercebatur, quales a Virgilio, lib. v. describuntur: in eo qui exercebantur, pugiles Latinis, Græcis pyctæ dicti sunt: quod nomen ad gallinaceos pugnaces translatum est.

Saltationum in Ludis Gymnicis multa genera fuerunt, quemadmodum docet Lucianus. Erat enim saltatio pyrrhicha, a Pyrrho inventa, a qua pyrrhicharii et pyrrhichistæ dicti: quæ eadem saltatio enoplia, id est, armata dicebatur: quod armati saltarent. Erat saltatio Cordax obscœna, et comica: et alia saltatio satirica, quæ Sicinnis dicebatur. Fuit item emmelia saltatio, pacata et honesta. Qui vero saltus pernicitate contendebant in gymnasiis, haltici a Græcis dicebantur; qui autem halmate, id est, saltu certabant, apud antiquos utebantur halteribus: sic enim vocabant plumbeas pilas, massulasve, quibus utraque manu se librabant, ut certius assilirent. Chironomia quoque erat saltatio gesticulatrix, qualis est, quam Mauricam vocamus: unde chironomi hujusmodi gesticulatores dicti.

Circenses Ludi certamina erant curulia, quæ in circo fiebant: qui locus erat ovata specie constructus, undecumque spectaculis

ornatus: e quibus innoxie patres equitesque Romani prospectare solebant: cujusmodi quendam Flaminius Romæ construxit: unde circum Flaminium legimus, et circum Maximum, a Cæsare dictatore exstructum, cujus vestigia adhuc hodie visuntur Romæ, juxta ædem D. Sebastiano sacram. Fuit autem longitudine stadiorum trium, latitudine unius, cum ædificiis jugerum quaternum ad sedem ducentorum sexaginta millium hominum. Erant in eo metæ depositæ, duarum aut trium pyramidum formam referentes. In ejus summitate carceres erant, e quibus equi curribus juncti ad cursum emittebantur, et, cum ad summum devenissent, revolvebantur, donec ad priorem metam pervenirent. A curribus, hoc est, bigis, trigis, et quadrigis, Curules Ludi dicti. Unde etiam dictos puto ædiles curules, quod iis administrandis essent præfecti: erant enim omnium præstantissimi Ludi. Nam in iis se exercebat, et magnis præmiis contendebat nobilissima Romanorum juventus, aptiorque ad bellum reddebatur. Fiebant primum apud antiquos inter enses et flumina, ut ab utraque parte esset ignaviæ præsens periculum.

Agitatores dicti sunt aurigæ in Curuli Certamine et Ludis Circensibus, quorum factiones erant a tunicarum coloribus: ut alii dicerentur Russati, Albati, Prasini, Veneti; atque ita insistentes curribus juvenes, velocitate equorum, aut agitatorum arte trahebantur.

Erant et desultores, qui duos equos absque ephippiis agitantes, ex altero in alterum subinde mira pernicitate desiliebant: amphippos Græci vocant. Hinc desultoria levitas in proverbium abiit: et equi desultorii dicti, ad id certamen accommodati.

Celetes et celetizontes, equites erant in Certamine Curuli non bigis aut quadrigis utentes, sed equo uno insidentes: cujusmodi certamen hodie quoque nonnullis in locis celebratur.

Ludi gladiatorii plerumque post Scenicos fiebant. In iis decertabant gladiis, populumque celeri agitatione gladiorum oblectabant. Gladiatorum autem genera, Retiarii, Secutores, Mirmillones, Hoplomachi, Thraces: quorum exempla apud auctores crebra sunt. Horum institutores ac magistri lanistæ vocabantur. Non enim ignari gladiatoriæ artis prodibant in publicum spectaculum, ad præmia consequenda. Itaque apud lanistas prius exercebantur in umbratilibus pugnis, quas sciamachias Græci vocarunt: quod hujusmodi pugnæ simulacra sub tecto fieri solita erant, non ut vera pugna, in sole et pulvere. Hujusmodi lanistæ sunt apud nos, qui gladiandi artem privatim profitentur; qui docent omnes numeros impetendi, cedendique, vulnera inferendi, vitandique, aut ubi punctim cæsimve feriendum. Ludi vero Scenici, qui et Agones Musici et Dionysiaci dicebantur, quasi Libero patri dicati, ad Comœdiarum, Tragœdiarum, aut Satirarum recitationem pertinebant: item ad cantus et poëmata: scena ob id in theatro composita atque exstructa ea ratione, quam mox describemus. Qui se in his Ludis exercebant, scenici etiam dicebantur, et Dionysiaci artifices. Ludorum aut Certaminum Diis consecratorum quatuor erant apud Græcos genera. Erant enim Nemea, Isthmia, Pythia, et Olympia: quæ omnium erant maxima spectacula. In his Ludis proponebantur victoribus magna præmia, quæ qui custodiebant, Ludisque præerant, *βραβευταὶ* Græcis, Latinis designatores appellabantur, quorum officium erat, multitudinem retinere, obambulare, et spectatores moderari virgarum terriculo. Unde mastigonomi et rhabduchi etiam dicti, quod virgas gestarent, ut in officio continerent spectatores. Musicis quoque agonibus erant critæ, id est, judices, a quibus critici, id est, poëmatum judices dicti sunt. Ludorum, qui Diis consecrabantur, apud Romanos quatuor erant species. Eos Ludos ædiles curules munere publico quotannis curabant. Megalenses, sive Magni Ludi dicti, quod magnis Diis consecrati essent: quibus Ludis quatuor actæ sunt Terentii Comœdiæ: Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Hecyra. Funebres, aut Funerales Ludi, ad retinendum populum instituti sunt, dum pompa funeris, decreta in honorem patricii viri, plene ac publice instruebatur. His Ludis acta est Comœdia Terentii Adelphi. Plebeii, sive Romani Ludi, pro salute plebis edebantur: quibus Ludis acta est Phormio. Apollinares Ludi, Apollini consecrati, aut in honorem Apollinis instituti.

DE THEATRIS ET AMPHITHEATRIS ANTIQUIS.

Quo melius et commodius spectarentur Comœdiæ, Tragœdiæ, aut Ludi, sive ii Gladiatorii, sive etiam Scenici, vel alterius generis essent, instituta sunt ab antiquis, quæ Theatra vocabantur, a commode videndo ac prospiciendo sic appellata. Nam ante Theatrorum usum, scenæ super plaustris ductilibus exstruebantur, ac per compita ductæ, populo præbebant oblectationem. Theatra autem erant ædificia, vel apparatus in populi gratiam instructi, ad hemi-

cycli speciem, ad spectandos ludos: spectacula Latine possumus dicere. Cum forum institutum fuerit, (inquit Vitruvius) tum Deorum immortalium diebus festis, ludorum spectationibus, eligendus est locus Theatro quam saluberrimus. Fuerunt autem Theatra duorum generum: alia lignea et pluribus tabellationibus exstructa, qualia Ludis publicis quotannis fiebant Romæ, atque ea perennia non fuerunt: alia sumtuosa et nobilia, ex solidis rebus, id est, ex structura cæmentorum, lapide aut marmore constituta, quale est quod construxit M. Scaurus in ædilitate sua, item etiam Pompeius, et alii permulti. Ita autem compositum fuit antiquis Theatrum, ut eo conveniens, et commode sedens turba, e longinquo facile spectare posset, concavo æqualique parietum circumjectu, ut vel leni sono dicta verba ad alterum Theatri caput facilius ferrentur. Postea vero excogitatum est Theatrum in rotundam formam exstructum, alio multo excellentius atque capacius, magisque sumtuosum: quod quia veluti ex duobus constaret Theatris, rotundamque figuram, non jam amplius hemicyclum referret, ob id Amphitheatrum dictum est, quale est, quod hodie Romæ videtur, aliquando ab Antonino Pio ædificatum, et a Gothis devastatum, (Collisæum vulgus vocat,) quod potissimum ad alia spectacula vulgo proponenda factum atque inventum fuit: nam ad Scenicos Ludos prospiciendos, magis idoneum erat Theatrum: ob quos præcipue inventum fuisse credibile est. Unde facile conjecerim, Terentium, quo tempore primum proposuit suam Hecyram, egisse in Amphitheatro: scena per medium ipsius exstructa, et ad unum tantum hemicyclum spectante: nam ab utroque Amphitheatri semicirculo spectari non poterant Comœdiæ: quo factum, ut, dum in aliud latus vacuum, alia spectacula confestim proponerentur, veluti pugiles, funambuli, et hujusmodi cetera; populus ante absolutam Comœdiam illuc concurrerit, ad loca commodiora occupanda, quemadmodum ipse Poëta conqueritur, neque propter strepitum, et mulierum de loco pugnantium clamorem, absolvi potuerit. Quod ne accideret in publicis Ludis, existimo potissimum movisse Caium Curionem, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, ut Theatra duo lignea, eaque amplissima excogitaret, in quibus etiam duæ essent scenæ, propter spectatorum commoditatem. Erant autem (quod mirum fuit) cardinum singulorum versatili suspensa libramento, inquit Plinius, e quibus utrisque antemeridiano Ludorum spectaculo edito inter se aversis (ne invicem obstreperent scenæ)

et repente circumactis, ut contra starent; postremo jam die descendentibus tabulis, et omnibus inter se coëuntibus, faciebat Amphitheatrum, et gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Itaque vides, quemadmodum Scenici Ludi, dum agerentur, aversis Theatris agebantur, ne turba fieret: dum autem proponebantur, aut producebantur gladiatores, in Amphitheatri reducebantur formam, et in unum duo Theatra coibant. Sed et novissimo die (ait idem) divisis duabus per medium scenis, athletas edidit Curio, raptisque repente e contrario pulpitis, eodem die, victores e gladiatoribus suis produxit. Vides quemadmodum pulpitum etiam auferebatur, dum gladiatores prodirent; nam ipsam aream occupabat: hoc autem factum fuit, fessis turbatisque volubilium Theatrorum cardinibus. Nam ante non erat opus eximere pulpitum, cum contra starent scenæ, et locum præberent circumactis Theatris in Amphitheatri formam, post Ludos Scenicos absolutos.

THEATRI CONFORMATIO, EJUSQUE PARTES.

Sed, quo tandem artificio, quave industria ædificatum fuerit apud antiquos Theatrum, prospiciendis Scenicis Ludis idoneum, paucis hic vobis proponere libet, ne quid earum rerum prætermisisse videamur, quæ ad hunc sermonem pertinere judicentur. Quod tamen non ita accipiendum erit, quasi ad unguem expressum, sed partim conjectura et ratione natum, partim ex iis descriptum, quæ tum in antiquis ruinis aliquando vidimus, tum etiam ex auctoribus, qui de hac re scripserunt, comprehendimus. Itaque primum intelligendum est (quemadmodum paulo ante docebamus) Theatrum fuisse in semicirculi figuram compositum, atque ita conformatum, ut æque gestus prospicerent, ac voces audirent (sine tumultu tamen), qui ad latera et in summis sederent gradibus, atque ii, qui in imis juxta scenam. Caveam vocare videtur Plinius locum in Theatro, gradibus ac sedibus constructum atque compositum, in quo sederet populus. Cavea ipsa (inquit de Theatro Scauri) cepit hominum octoginta millia: cum Pompeii theatri, (sic enim legendum est: nam nunquam Pompeius Amphitheatrum edidit,) toties multiplicata Urbe, tantoque majore populo, sufficiat large quadraginta millia sedere. Nisi mavis caveam accipere pro tota Theatri capacitate, ut etiam scenam ipsam comprehendas; quod tamen

minus probaverim. Gradus autem dicebantur in ipsa leniter pendente Theatri forma, sedes lapideæ, in hemicyclum etiam exstructæ, e quibus commode prospiciebat populus. Super his gradibus (quos non amplius quindecim esse conjecimus) sedebant spectatores, et ad eos undecumque commeabant, nullo inter conscendendum alteri noxam afferente. Illuc autem per cuneos accedebant, qui tum in ima Theatri cavea, tum etiam supra ipsam, adeo ingeniose conformati erant, ut ab iis per alios scalares gradus ad quemlibet gradum spectatorium facilis pateret ascensus. Cunei spectaculorum (inquit Vitruvius) in Theatro ita dividantur, uti anguli trigonorum, qui currunt circum curvaturam circinationis, dirigant ascensus, scalasque inter cuneos ad primam præcinctionem. Supra autem alternis itineribus superiores cunei medii dirigantur. Cunei, in imo dirigentes scalaria, erant numero septem. Gradus spectaculorum, uti subsellia composita, erant non minus alti palmo pede, non plus pede et digitis sex, latitudines eorum non plus pedes duos semis, non minus pedes duos constituebantur, ut per id spatium latius, seu per ambulacrum quoddam, nullo negotio, huc atque illuc, ad vacuas sedes deerraret populus, absque eorum incommodo, qui jam consedissent. Post tres quoque singulos gradus, qui quartus in ordinem succedebat, duplo latior erat ceteris, ad leviorem Theatri proclivitatem, et ut singulis ordinibus singuli tres gradus relinquerentur. Ac, ne petulanti aut insolenti populo, propter sedes quantumvis accessu faciles, præberetur rixæ causa, cautum erat ne quilibet in quibuslibet sederent gradibus: sed in tribus primis, qui proximi essent scenæ pulpito, amplissimæ et extremæ dignitatis viri, in sequentibus consulares, in aliis patricii, ac deinceps plebeii in reliquis gradibus sederent. Itaque veteres architecti, naturæ vestigia persecuti, indagationibus vocis scandentes theatrorum perfecerunt gradationes, et quæsiverunt (inquit Vitruvius) per canonicam mathematicorum, et musicam rationem, ut, quæcumque vox in scena esset, clarior et suavior ad spectatorum perveniret aures; ac, ne vox impediret, ita compositi erant gradus, ut linea, cum ad imum gradum et ad summum extenta esset, omnia cacumina graduum angulosque tangeret. Atque, ut vox actorum suavior et delicatior spectatoribus videretur, antiqui Græcorum artifices inter sedes theatri Cellas constituerunt ratione musica, in quibus vasa ænea, pro ratione magnitudinis Theatri facta, collocabantur; quæ ita fabricata erant, ut, cum

tangerentur a voce, sonitum facerent inter se. Eoque artificio collocata fuerunt, ut nullum parietem tangerent, circaque haberent locum vacuum, et summo capite spatium, ponebanturque et suspensa cernebantur ore declivi, ut in iis vox actorum ingressa harmoniam efficeret, et gratiam quandam afferret spectatoribus, utque intellectu facilior esset. Tale quiddam audio adhuc hodie extare in quibusdam templis antiquis, quæ nunc quoque supersunt integra, apud nostræ tempestatis Græcos. In quorum fornice inferiore atque superiore varia sunt foramina hinc inde conspersa, ac sibi veluti ex diametro ab uno ad aliud latus correspondentia, in quibus vasa ænea impacta sunt, quorum os (quod angustius est, quam ipse venter) tantum exterius patet, non etiam prominet. In ea vasa, vox in templo canentium inclusa incredibilem efficit harmoniam, sonosque distinctissimos, et admodum gratos, atque aditu faciles. Sed in theatris vasa resupina suspendebantur. Tale quid autem Romæ factum fuisse suis temporibus negat Vitruvius, sed in Italiæ regionibus et in pluribus Græcorum civitatibus. Unde Lucius Mummius diruto Corinthiorum Theatro ejus ænea vasa Romam deportavit. Multi etiam architecti, qui in oppidis non magnis Theatra construxerunt, propter æris inopiam, fictilibus doliis ita sonantibus electis, hac ratiocinatione compositis, usi sunt. Quapropter Plinius ait, in Theatris vocem optime currere in doliis inanibus. In ligneis autem Theatris (ait Vitruvius), quæ Romæ passim fiebant, non erat vasis æneis opus, cum tabulationes haberent complures, quas sonare necesse erat. Aditus permulti et spatiosi dispositi erant circa Theatrum, nec conjuncti superiores inferioribus, sed ex omnibus locis perpetui et directi, sine inversuris: uti, cum populus dimittebatur e spectaculis, non comprimeretur, sed haberet ex omnibus locis exitus separatos sine impeditione. Reliquum Theatri artificium a gradu omnium superiore in altitudinem trium contignationum exporrectum erat, etiam in hemicyclum: atque ita exædificatum, ut porticus efficeret: undecumque patentes, et columnis hinc et inde ornatiores factas, in quas populus se reciperet, si quando propter imbres aut cœli tempestatem minus commodam, ludi interpellarentur. Eam Theatri partem Præcinctiones videtur appellare Vitruvius: Plinius, 'parietem circumjectum.' Sed inferiores et imi Theatri porticus duplices erant, mediaque spatia sub divo inter porticus viridibus adornabantur, quod (inquit Vitruvius) Hypæthræ ambulationes

haberent magnam salubritatem. Replebantur quoque, auctore Plinio, flore croci sylvestris, propter oculorum oblectationem, ut puto, magis quam ad odorem conciliandum. Quin etiam ne solis ardor aut etiam conspectus populum ab officio deturbaret, utque salubrius spectatores conspicerent, (nam porticus propter imbres tantum ædificatæ fuerunt,) excogitata sunt Vela toto Theatro, atque adeo ipsi Theatri caveæ supertensa, quæ spectatoribus umbram facerent: quod primus omnium invenit Q. Catulus, cum Capitolium dedicaret. Carbasina deinde vela primus in Theatro duxisse traditur Lentulus Spinther Apollinaribus Ludis: mox (ait Plinius) Cæsar Dictator totum forum Romanum intexit. Nero Cæsar velis, rudentibus superstratis, et colore cœli stellati Amphitheatrum contexit, ut solem defenderent. Ima Theatri sedes, vel potius id spatium quod ab ima sede Theatri interjacebat pulpito, Orchestra dicebatur, quasi saltatorium, quod illic, apud Græcos et apud Latinos antiquiores, saltantes histriones populo oblectationem afferrent, interea dum actus commutarentur. In eam etiam Thymelici, hoc est, Citharistæ, Citharœdi, Tibicines suas præstabant actiones ipsis Græcis, atque id spatium comprehendebat apud antiquos, quod ceu centrum Theatri ab imo gradu ad pulpitum usque scenæ vacuum relinquebatur. In Theatrorum orchestris (inquit Plinius) scobe aut arena superjecta vox devoratur, et in rudi parietum circumjectu: quapropter existimo probe emundatum fuisse, si quando pugilum Ludis arena conspersa videretur. Novissime autem apud Romanos orchestra senatoribus dicata fuit, in qua honorificentiorum erant loca designata, propter commoditatem: ut inde, non solum verba et gestus, sed etiam pedum motiones, et vel minima quæque conspicerent: proximus enim hic gradus erat pulpito scenæ, de cujus compositione mox dicendum est.

POSITIO ET CONSTRUCTIO SCENÆ IN THEATRO.

Ante Theatrum, ceu frons quædam ipsius, Scena opposita fuit, pro re nata et agenda Comœdia aut Tragœdia exstructa: uno aut altero tantum die usui futura: nisi fortasse ligneus apparatus in aliquot dies proferretur. Nam de scenis sumtuosis, et præter consuetudinem supra modum luxuriantibus, hic non intelligimus. In hunc autem modum disposita erat, quantum ego conjectura assequi possum. Scena binis pluribusque contignationibus aut

contabulationibus, si mavis, exstructa fuit: circa quas singula ambulacra, aut porticus columnis pluribus distinctæ videbantur. Atque ea frons scenæ appellata fuit. In cujuslibet contignationis frontispicio, quod Theatrum respiciebat, portæ ingeniosissime depictæ et exitus varii fuerunt, in quibus, præsertim superiorum contignationum, Mimi, Mirmillones, et ceteri Ludii varios gestus ac gesticulationes edebant, unde Scenici proprie dicti. Chorus etiam, mea sententia, in iis superioribus contignationibus referebatur, dum agerentur Tragœdiæ, nisi mavis, post scenam in loco destinato fuisse chorum, et cantores ac tibicines, qui locus Odeum, ut puto, ob id vocabatur a cantibus. Sed in iis quoque locis fiebant et nebularum icones, et Deorum descensus, et cetera id genus, ad magnas et sumtuosas Comœdias apta. Existimo tamen in humili Comœdia non fuisse tantum apparatum. Ima scenæ contignatio prominentiores exerebat columnas, veluti porticus quasdam latiores sub quibus casulæ et rustica domicilia in Novis Comœdiis, variis scenæ locis, constructa erant, urbes quoque, et loca remotissima referebantur in Tragœdiis: e quibus prodibant actores, et illuc quoque se referebant ad tempus. In eadem scenæ parte excitatum fuit, quod Podium appellabant, (etsi podium in columnis id significare soleat, quod vocant Pedaste,) circa secundæ porticus medium prominebat, ne noceret actoribus. Breve quoque fuit, et paucorum capax, idque fere videbatur referre, quod in ædificiis nobilioribus circa secundam præcipue contignationem prominere videmus ad fenestras, Perronem vulgus vocat, post pulpitum exertum videbatur. Opertum erat tentorio quodam insigni, et quod ipsum undecumque ambiret, ut in eo secretius et magis abdite spectarent Principes, qui nonnunquam illuc se conferebant. Nam e podio Ludos ac Comœdias spectasse Neronem scribit Tranquillus. Dictum aiunt, quod in eo spectatores aut etiam tibicines pedibus innixi essent, non sederent: vel quod in eo nonnunquam pedibus gesticularentur histriones in actuum commutatione. Pulpitum in scena, (Græci λόγιον vocabant,) locus erat in quem prodibant actores e casulis aut domunculis suis scenicis, ad recitandum: nostri vocant ***Eschaffault***. Fuit exactissime situm ante frontem scenæ, et loco ipsius medio, qui Theatri centro responderet; semper ligneum fuit, atque exemtile, etiam si scena structili materia constructa fuisset. Eximebaturque in athletarum et gladiatorum spectaculis, scena nihilominus integra manente.

Paulo altius videbatur ima scenæ porticu, in qua actorum domos constitutas esse dicebamus: ad idem leniter ascendebant actores pronuntiaturi: haud æque longum fuit atque ipsa scena, altum tantum erat pedes quinque, ut, qui in orchestra sederent, facilius pedum motiones et singulos agentium gestus perciperent. Id spatium, quod utrinque a pulpito ad extremam scenam vacuum relinquebatur, Græci vocabant Proscenium, ne quis existimet fuisse scenæ latera. Periacta vocarunt Græci in scenis suis turres, aut machinas, trigonas habentes, vel triangulares, miro artificio constructas, in uno atque altero scenæ latere positas, variis coloribus secundum angulos distinctas, versatiles: ut inter spectandum, dum animi ad histriones paulo attentiores essent, paulatim revolverentur, et modo rubræ, modo virides, aut alterius coloris apparerent: quæ res non parvam oblectationem spectantibus afferebat. Hæ, cum fabularum mutationes erant futuræ, seu Deorum adventus cum tonitribus repentinis, versabantur, mutabantque speciem ornationis in frontes. Ex iis projectitios ignes vibrabant, in iis fingebant tonitrua, pluvias, et quicquid in Tragœdia admiratione dignum fuit: sed hoc maxime in honorifico et sumtuoso Comœdiarum aut Tragœdiarum genere. Secundum περίακτα, nempe ad scenæ latera, itinera et Versuræ procurrentes erant, quarum una efficiebat, ut actores a foro, altera, ut peregre prodire aut illuc regredi viderentur. In media scena Valvæ Regiæ conformatæ erant, circa quas utrimque fuerunt composita Hospitalia quæ vocat Vitruvius, e quibus actores prodiisse puto. Omnium scenarum, quas Romani in Theatro unquam construxerunt, longe nobilissima fuit ea, quam M. Scaurus in ædilitate sua construxit. Eam triplicem fuisse refert Plinius, altitudine 360. columnarum. Ima pars scenæ marmoreos habuit parietes, non facile dixerim sectos an solidis glebis politos. Media fuit e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnæ, imæ duodequadragenum pedum. Signa cerea inter columnas fuerunt, tria millia numero. Sed et reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, ceteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis quæ superfluebant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis concremaretur ad sestertium millies. Scenarum autem (ait Vitruvius) genera sunt tria, unum quod dicitur tragicum, atque id omnium sumtuosissimum fuit: alterum comicum: tertium satiricum. Horum autem ornatus sunt

inter se dissimiles, disparique ratione: tragicæ enim deformantur columnis, fastigiis, et signis, reliquisque regalibus rebus. Comicæ autem ædificiorum privatorum et menianorum habent speciem, prospectusque fenestris dispositos, ad imitationem communium ædificiorum. Satiricæ vero ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus, in topiarii operis speciem deformatis. Post scenam Porticus erant constructæ, quo cum imbres repentini Ludos interpellaverant, actores se recipiebant ex pulpito, aut in quibus vestium commutationes et personarum indumenta adservabantur. Ipsam autem personarum repræsentationem in scena, atque adeo compositionem Comœdiæ, Græci Drama vocarunt. Sed et scenam vocant Comici, quicquid duæ aut tres personæ sermonis integri et absoluti colloquuntur, illicque finit scena, ubi aut aliqua persona introgreditur, aut alia ad forum, aut alibi ad vicinam currit. Actus autem plures scenas comprehendebat. Estque in Comœdia pars quodammodo absoluta et integra, nondum tamen rem omnem finiens: sed ita dimidiatam relinquens, ut respirent spectatores, et facilius commutetur, quicquid in reliquis Comœdiæ partibus superest: id autem actus commutare dicebant. Interea mimi dicteria et diverbia referebant, recitabanturque nescio quæ jucunda, quæ populum alia oblectatione afficerent. In Comœdia vero plures erant hujusmodi actus, secundum rei gravitatem, aut rationem. Comœdiarum autem recitatio in scena Actio dicebatur: unde etiam qui agebant, et Fabulas pronuntiabant, Actores dicti. Actio quoque ad orationis pronuntiationem transfertur; ut etiam ipsa oratio rhetoris vel scripta vel pronuntiata actio dicatur.

SCENICORUM ACTORUM DIVERSITAS.

In scenam non solum Comœdiarum aut Tragœdiarum Actores (qui tragœdi et comœdi dicebantur) prodibant in spectaculum, sed etiam mimi, pantomimi, archimimi, ethologi, ethopœi: omnes uno nomine hypocritæ (id est, alienæ personæ simulatores) dicti: et eorum actio, hypocrisis, id est, alienæ personæ simulatio, Latinis histriones, ludionesque, aut etiam ludii dicuntur. Mimi imitatores sunt gestuum, vocum, aut gressuum alicujus personæ inter alias: cujus ridicula sit vox, aut aliud quidpiam. Pantomimi omnium personarum imitatores sunt effictoresque: ut et mulieres, et senes, et juvenes, ac cujuscumque ætatis personas confingant; etiam ita

ex gestibus describunt, ut id quod agunt videre videare. Hujusmodi sunt quos Itali *buffones* vulgo vocant. Archimimi principes sunt histrionum, hoc est, inter histriones solertissimi et excellentissimi. Ethologi mimi, aut ethopœi, morum sunt effictores, affectuumque cujuscumque personæ quam sustinent, aut quam agunt et referunt in scena, unde ethopœia, morum alienorum imitatio: et ethici pictores ac statuarii dicti, qui suas imagines ita depingunt, aut cœlant, ut sensibus expressis propemodum spirent. Thymelici inter scenicos actores sunt, hoc est, citharœdi, citharistæ, lyristæ, tibicines. Citharœdi, qui et fidicines dicuntur, citharæ accinebant. Citharistæ citharam tantum pulsabant, non autem accinebant. Hujusmodi thymelici per orchestram præstabant actiones suas. Ludii sive ludiones (ut jam dictum est) ii erant qui Comœdiam recitabant. In ea enim recitanda mirum fuit artificium. Nam cantica temperabantur modis, non a poëta, sed a perito artis musicæ factis: neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed sæpe mutatis: ut significant, qui tres numeros in Comœdiis ponunt, qui tres continent modos cantici illius. Qui hujusmodi modos faciebant, nomen in principio Fabulæ et scriptoris et actoris superponebant. Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam Fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronuntiaretur. Agebatur autem Tibiis paribus, aut imparibus; et dextris, aut sinistris. Dextræ autem tibiæ sua gravitate seriam Comœdiæ dictionem pronuntiabant. Sinistræ et serranæ acuminis lenitate jocum in Comœdia ostendebant. Ubi autem dextra et sinistra acta Fabula inscribebatur, mistim joci et gravitates denuntiabantur. Mimi aut Ludii, dum agebant, assumebant capiti personas, hoc est, confictas variarum personarum facies: vel reticulo denso facies obvelabant, ne agnoscerentur. Ita etiam instituti erant hujusmodi histriones, aut mimi, ut et corporis motus decentes facerent: denique etiam cantus ac prolationes secundum modos edocti erant, quæ mirum in modum populum afficiebant. Hi simul coacti in quoque genere, aut cantantes, aut saltantes appellabantur Chorus: divisi in duas partes, Semichoria. In actione autem Comœdiæ, eorum aliqui primas partes, alii secundas tenere dicebantur, pro variis actuum rationibus: eorum enim alii prologum dicebant, alii in nuntios, exploratores, custodes, servos, heroas, Deos, senes, ama-

tores, meretrices dividebantur, personasque in Orchestra assumebant, pro sua actione ac ludo.

APPARATUS SCENÆ IN VICIS ET THEATRIS.

Apparabatur scena apud antiquos Græcos in agris, verno tempore, cum ædificiis et habitationibus triplicibus, instructis culminibus, peripetasmatis, tapetibus, linteisque candidis. Additæ postea sonantes pelves, ignesque manibus excussi: cavernæ quoque subterraneæ ac putei confingebantur: figuris maris, Tartari, fulminum, tonitruum, noctis, cœli, diei, regiarum, prætoriorum, ingentes aulæ, fornices ad viarum similitudinem. Apud Romanos Aulæa in scena primum sternebantur, cum primum pictus ille ornatus ex Attalica regia Romam perlatus fuit, velabaturque ipsa scena Sipariis, quæ posterior ætas pro aulæis sumsit, ut etiam siparia humi sterneret. Erat præterea velum minutum quod populo obsistebat in scena, dum actus commutabantur. In vicis si fiebat scena, arboribus in se cubantibus ac reflexis componebatur; quasi concamerata quædam densatio, ut subterpositos tegere posset, unde ab inumbratione dicta. In Theatro autem (ut jam dictum est) fiebat scena, camerato contextu, binis pluribusque contignationibus exstructa. Picta erat undique, suas domunculas habuit, in quas pro ratione actuum alternatim se conferebant actores. Duas aras utriusque habebat: dextram Liberi patris; sinistram ejus Dei, in cujus honorem Ludi fiebant. Unde illud: Ex ara hinc sume verbenas. Atque is demum erat scenæ apparatus in Theatro.

DE HISTRIONIBUS ET MIMIS SCENICIS.

Omnis Tragœdiarum ac Comœdiarum gratia, et scenæ decus, in Histrionibus consistebat. Histriones enim et mimi in scena Comœdias recensebant secundum suos modos et cantica. Nam cantica, ut paulo ante docebamus, temperabantur modis, non a poëta, sed a perito artis musicæ factis, mutabanturque modi in uno cantico. Fiebant hujusmodi carmina ad tibias: ut his auditis multi ex populi ante discerent, quam Fabulam acturi essent scenici. Unde illud est Ciceronis: 'Non intelligo,' inquit, 'quid metuat, cum tam bonos septenarios fundat ad tibiam.' Tibicines appellabantur qui hujusmodi cantica ad tibiam fundebant, ante-

quam ageretur Comœdia, vel inter ipsos actus. Unde illud Plauti: 'Tibicen vos interea hic delectabit.' Ludiones autem et histriones ad tibicinis modos saltabant, et nonnihil etiam diverbiorum pronuntiabant. Unde Livius: 'Ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, aut indecoros motus more Thusco dabant.' Proprium enim ludiorum ac morionum erat motus decoros ac gestus omnino decentes ostendere. Tibicinum autem erat decorum, modos, hoc est, mensuras in cantu observare, remissosque, aut acutos, aut etiam graves facere pro arbitrio. In Tragœdia et Satira sexdecim numero interveniebant moriones et histriones; in Comœdia etiam quatuor et viginti. Qui simul coacti in quolibet horum genere, unamque rem agentes, ut jam dictum est, Chorus vocabantur; divisi in duas partes, Semichoria: ubi autem gestus et cantus absolverant suos, tum in partes plures dividebantur: ut alii essent qui senes, alii qui amatores, mulierculas, servos luderent, personisque ac vestium varietate induerentur, quemadmodum res exhibebat, ac moris erat apud eos.

AMICTUS ET PERSONÆ HISTRIONUM SCENICORUM.

Personati histriones agebant Comœdiam, neque agnoscebantur. Sed ita compositæ ac conflatæ erant personæ, ut referrent id ipsum quod a mimo agebatur; liceretque sub ipsis vocem ejus audire liberam. Nam, quod nonnulli dicunt, histriones tantum gestibus Comœdiam egisse, non etiam viva prolatione, id minus mihi probandum esse videtur. Vestiebantur quoque histriones pro ratione eorum, quos referebant, hoc est, vel servorum, vel senum, vel alterius personæ diversis modis. Senibus comicis candidus Vestitus dabatur, qui etiam antiquissimus fuisse memoratur. Adolescentes discolori veste contegebantur. Servi comici amictu vestiebantur exiguo, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditius agerent. Parasiti cum intortis palliis prodibant. Milites chlamyde purpurea utebantur. Puellæ habitus erat peregrinus. Leno pallio varii coloris vestiebatur. Meretricibus dabantur Syrmata, hoc est, vestes expansæ, et quæ longius trahebantur: erant quoque plerumque lutei coloris, ob avaritiam. Syrmata etiam, seu pulla gestabant luctuosa funeralibus, quæ incuriam sui per negligentiam significabant. Sed, si quando variandum in Comœdiis erat, vestitusque commutandus pro affectibus, quos ex Comœdiæ actibus

significabant, lætis vestitus dabatur candidus: ærumnosis obsoletus: diviti quoque purpureus: pauperi phœnicius. Tragici aut tragœdi actores Calceamentorum genere a Comœdis variabant, eoque discernebantur. Utebantur enim Tragici in Theatro Cothurnis, quod tale genus erat calceamenti, ut dextro lævoque pedi conveniret: ceterum altum et prominens, actoresque proceriores efficiens ac referens: varii coloris, et honestum atque elegans: usque ad suram plerumque devinctum, more Punico. Comici actores, aut comœdi, in scenis Soccis utebantur: quod calceamenti genus optime sub pallio conveniebat. Quemadmodum enim pauperum ac rusticorum vestimentum fuit Pallium, ita etiam Soccus altum fuit calceamentum rusticis proprium, propter imbres et lutum, atque hybernas pruinas. Eo calceamenti genere utebantur tam viri quam mulieres. Quintilianus: 'Comœdia in cothurnos non assurgit: nec contra Tragœdia socco ingreditur.' Tragœdia enim, cum grave et magnum argumentum, magnasque et ingentes personas præ se ferret, cothurnis uti debuit. Comœdiam autem, cum esset humilis, et rusticos proponeret in scena, palliis et soccis commodius erat ornari. Quod præterea de his rebus dici posse quispiam judicabit, id in aliud tempus expectet necesse est: non enim hic omnia simul discutere nobis licuit, tum propter rei difficultatem, tum vero quia per negotia minus fuit commodum.

ANTONIUS GOVEANUS

DE LUDIS MEGALENSIBUS.

De Ludis Megalensibus quia certi nihil apud Auctores reperiebam, non abs re putavi, quæ colligere ipse potui, in medium afferre. Μεγαλησίους Magnos dici a Græcis Deos auctor est Donatus: Σιοὺς enim Æoles Deos vocant: unde Sibyllas dici vult Aristo: quod Deorum mentes consiliaque perspiciant. Magnos vero Deos intelligo, quos majorum gentium Cicero vocat, qui a terris in cœlum non pervenere: tales habebantur Jupiter, Neptunus, Minerva, Juno. At neque magnis omnibus Diis, sed tantum cœlestibus erant hi Ludi consecrati. Hos esse, quos Romanos interim vide-

mus appellatos, ex eo colligo, quod Asconius scribit, Romanos Ludos Magnos quoque appellari, quod Magnis Diis erant instituti: quos eosdem Circenses dictos putat. Unde illud Virgilii, 'Magnis Circensibus actis.' Non esse eosdem Ludos Megalenses, et eos quos Megalesia dicimus, ex Ciceronis Oratione de Haruspicum responsis aperte colligimus, ubi Megalesia Megalensibus celebrari dicit. Verba sic habent: 'Nam quid ego de illis Ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum in ipso Matris Magnæ conspectu Megalensibus [1] fieri celebrarique voluerunt? qui sunt more institutisque maxime casti, solennes, religiosi; quibus Ludis primum ante populi consessum Senatui locum P. Africanus iterum Consul ille Major dedit; ut eos Ludos hæc lues impura pollueret: quo si quis liber aut spectandi aut etiam religionis causa accesserat, manus afferebantur: quo matrona nulla adiit, propter vim consessumque servorum. Ita Ludos eos, quorum religio tanta est, ut ex ultimis terris accersita in hac urbe consederit; qui et uni Ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipso et appetita religio externa, et Matris Magnæ nomine suscepta declaretur; hos Ludos servi fecerunt, servi spectaverunt, tota denique hoc Ædili servorum Megalesia fuerunt.' Extrema hæc verba declarant illos Ludos, quos Megalensibus in Palatio in ipso Matris Magnæ conspectu fieri dicebat initio, esse Megalesia: nam et Livius scribit M. Junium Brutum ædem Magnæ Matri Deum in Palatio dedicasse, et Ludos, ob eam dedicationem factos, Megalesia appellasse. Megalenses porro Ludi, sive Romani, sive Magni, sive Circenses, sub regibus fuere instituti: fiebantque sub initium mensis Sep-

[1] Quod Antonius Goveanus a Megalensibus Megalesia distinguere, Megalenses autem eosdem cum Romanis facere voluit, æque in utroque falsus est. Ciceronis ex Oratione de Responsis Haruspicum locum citat Goveanus: et ex eo colligit, a Megalensibus alia esse Megalesia: quod Cicero Megalesia Megalensibus celebrari solita dicat. Deinde tradit Ludos Megalenses eosdem esse, qui Circenses, Romani, Magni nominantur. Quæ cum dicit, non animadvertit, in quam difficiles sese rerum absurdissimarum laqueos inducat. Non abutar pluribus argumentis. Tota res uno verbo confici potest. Nam, si Ludi Megalenses committebantur pridie Id. April. ut ex Livio constat, Ludi autem Romani pridie Kalend. Sept. ut e priore actione in Verrem cognoscitur; quis est usque eo hebes, qui non videat, ut iidem sint Megalenses et Romani nullo modo fieri posse? Ego vero, ne dicam dolo, vocem illam, *Megalensibus*, e Ciceronis loco et expungendam puto, et e glossemate aliquo in ordinem Ciceronis verborum irrepsisse suspicor. *Mur.*

tembris: durabant autem non amplius dies novem. Cicero in actione prima in Verrem: 'Nonæ sunt hodie Sextiles; hora nona convenire cœpistis: hunc diem jam ne numerant quidem: decem dies sunt ante Ludos votivos, quos Cn. Pompeius facturus est: ii Ludi dies quindecim auferent: deinde Romani continuo consequentur: ita prope XL. diebus interpositis, tum denique se ad ea, quæ a nobis dicta erunt, responsuros esse arbitrantur.' Quorum dierum si quis rationem subducat, et sub initium Septembris cadere Ludos Romanos, et non amplius novem dies durasse deprehendet. De iis Ludis Romanis ita Cicero libro quinto in Verrem: 'Nunc sum designatus Ædilis; habeo rationem quid a populo Romano acceperim; mihi Ludos sanctissimos maxima cum cærimonia Cereri, Liberæ, Liberoque faciendos, mihi Floram Matrem populo plebique Romanæ Ludorum celebritate placandam, mihi Ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt appellati, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciundos, mihi sacrarum ædium procurationem,' &c. Quo loco Megalenses Ludos non omisisset, quos Ædiles summa religione et dignitate faciebant, nisi iidem et Megalenses Ludi fuissent et Romani. Hac tamen tota de re asseveranter dictum nihil velim.

DANIELIS HEINSII,

AD HORATII DE PLAUTO ET TERENTIO JUDICIUM,

DISSERTATIO.

At nostri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati: si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

DURUM equidem judicium, et quod non nemo hac ætate de leporum omnium parente, summo Critico ac maximo Poëta excidisse nollet: cujus tamen vernæ melius de Plauto judicabant, quam qui nunc familiam in literis tueri hac ætate creduntur. Qui nec sæculi, quo vixit, et quo, cum Poësis, tum Latina lingua, ad supre-

mum culmen ac fastigium evecta fuit, ignorare potuit judicium; vir tantus, et, quod rei caput arbitror, principibus, qui inter se quotidie de iis judicabant, intime familiaris ac amicus. Augusto autem, optimo ingeniorum judici, tam gratus atque acceptus, ut non raro lepidissimus homuncio ab eo diceretur, et quem, si antiquitati habenda hic fides, etiam habere ab epistolis optavit. Qui cum contra tanti Terentii fecerit Fabellas, ut et integras ex iis ῥήσεις descripserit, et ubique accommodet, soli denique artem tribuat; hominis αὐθάδους potius quam eruditi esset, ita dissentire a tanto viro, ut ne causam prius cognoscendam crederet. Quare videamus saltem, quid afferri pro utroque possit. Ne vel Flacci judicium in posterum, ut solent, aut Terentium secure nimium damnare quidam pergant in Comœdia. Omnia autem pro Horatii judicio, qui Plautum sic amamus ut e manibus rarissime putemus deponendum, dicentur potius quam nostro. Ac de numeris quidem nonnulla Donatus: qua etiam in parte haud parum Veteribus nonnullis placuit Terentius. Rufino quidem Grammatico, cum inquit:

> Agnovit metrum, servatque Terentius artem:
> Nam prologos trimetro didicit componere versu,
> Scenarumque actus primos pede claudit eodem.

Quanquam certe Fabius non stetisse intra trimetros deplorat. De quo forte alias dicturi sumus. Ad alterum priusquam veniamus, quædam præmittenda erunt. Cum eædem Comœdiæ propemodum sint partes ac Tragœdiæ, finis quoque ex parte idem, ex parte diversus, multa esse utrique communia necesse est. Delectare enim ac docere est Comœdiæ: neque minus Comici διδάσκαλοι et κωμῳδιδάσκαλοι, quam Tragici, a Græcis dicuntur. Nec movere risum sane constituit Comœdiam, sed plebis aucupium est et abusus. Nam ridiculum, ut recte Aristoteles, 'vitium est et fœditas, doloris expers; quæ partem in homine aliquam corrumpit absque morbo.' Sicut fœda et detorta facies, si nullo cum dolore hoc fiat, risum movet. Unde ipsum quoque risum omnes fere antiquissimi Philosophi indignum sapiente judicarunt. Adeo ut Plato, tanquam sacrilegum, traducere non dubitet Homerum, qui ridentes introduxit Deos: quod in homine non τῆς κατὰ λόγον, verum τῆς κατ' αἴσθησιν, quemadmodum Philosophi loquuntur, διαθέσεως sit signum; a qua longe abest Deus: αὐτὴ ἡ οὐσία λόγου, καὶ αὐτόνους. Unde Thespis:

> Ὁρᾷς ὅτι Ζεὺς τῷδε πρωτεύει θεῶν,
> Οὐ ψεῦδος, οὐδὲ κόμπον, οὐ μωρὸν γέλων
> Ἀσκῶν, τὸ δ' ἡδὺ μοῦνος οὐκ ἐπίσταται.

Quare divinitus ab Aristotele dictum est, partem turpitudinis esse, id quod est ridiculum. Diserte enim ait, ὅτι τὸ γελοῖον, μόριον τοῦ αἰσχροῦ ἐστιν. Ita, quæ vel in verbis auctorum vel sensibus, vel in sermone hominum et factis, aut detorta sunt aut depravata, animos plebeios vehementer movent, et hoc ipso risum ut plurimum excutiunt. Ideoque inusitata dicta et obscœna, optimorum cavillationes, singulorum contumelias, sententias perversas, ideoque inexpectatas, aliaque id genus (qualis imitatio dictorum vel factorum, et inprimis improborum) risum maxime in Comœdia, quam Veterem dicebant, expressisse constat. Quod intelligunt, qui genium ridiculi intelligunt atque indolem. Cujus segetem largissimam vel unus Aristophanes suppeditat. Qui non modo Plautum, sed quoscumque hac in parte superavit, omnesque τοῦ γελοίου modos ac figuras lepidissime expressit. Denique ut acetum, nisi vinum sit corruptum, bonum nunquam erit; ita, quæ sincera sunt et vera, risum nunquam excitabunt. Apposite Quintilianus, ubi de Ridiculo: 'Et hercule omnis salse dicendi ratio, in eo est, ut aliter quam est rectum verumque dicatur.' Quare et compositus ad risum sermo, ab oratione recta, quam πολιτικὴν magistri vocant, quam longissime abeat necesse est, cujus propriæ virtutes, ἡ σαφήνεια, ἡ ἐπιείκεια, ἡ ἀφέλεια, ἡ ἀλήθεια, perspicuitas, æquitas, simplicitas, veritas, ponuntur. Qua in parte supra admirationem omnium Menander apud Græcos, Terentius Romanis fuerit necesse est: qui ut viris sapientibus ac eruditis voluptatem potius afferrent, quam quacumque ratione risum extorquerent, duplici jucunditate utilitatem (imitatione vitæ scilicet humanæ, et inimitabili lepore) condierunt. Metu enim Macedonicæ potentiæ, licentia Antiquæ, ut observant Critici, defecit. Cujus locum occupavit Nova. Cujus et formam nondum penitus vidisse absolutam, sed jam concepisse animo, putatur Aristoteles. Ejus vero unicum propositum, humanos nosse atque imitari mores. Quo et D. Hieron. Epistola ad Furiam, de Viduitate Servanda, respicit, cum inquit: 'Nec mirum, hoc figulum sensisse de vasculo, quod ipse fabricatus est, cum etiam Comicus, cujus finis est humanos mores nosse atque describere, dixerit: SINE CERERE ET LIBERO FRIGET VE-

νυς.' Omnis autem imitatio, ut postea dicemus pluribus, natura placet et delectat. Hoc enim proprium est hominis, ut recte Aristoteles, qui et *μιμητικώτατος τῶν ζώων*, merito ab eo dicitur. Joci vero, si petantur undique, molesti ac frigidi, aut theatrales fiunt, si a vita sint alieni: qui ut plebi forte, ita doctis placere ac sapientibus non possunt. Constantis enim viri ac sapientis animus laxari vult, non solvi. Illam autem constitutionem, *καὶ τὴν*, ut cum Stoicis hic loquar, *ἐν ταὐτῷ τοῦ ἤθους μονὴν*, risus solvit. Quem præclare, *τῆς περιχαρείας ὑπερέκχυσιν τῆς ψυχικῆς*, antiqui vocant. Ideoque et Socratici, quorum libri penuarium leporum omnium fuerunt ac facetiarum, quod e Xenophonte et Platone etiam hoc tempore apparet, *χαριεντίζεσθαι*, non *γελωτοποιεῖν*, solent. Ac ne ipsi quidem Siculi, ad festivitatem nati, et qui primi omnium Comœdiæ putantur inventores, alium illius finem, quam *τὸ χρήσιμον*, id est, utilitatem posuerunt. De Epicharmo Theocritus:

> *Πολλὰ γὰρ ποττὰν ζωὰν τοῖς παισὶν εἶπε χρήσιμα·*
> *Μεγάλα χάρις αὐτῷ.*

Id quia secus in Comœdia Antiqua, statim defecit; in qua omnia, a veritate et consuetudine aliena, hoc est, vere *γελοῖα*, et ad risum erant comparata. Quis non ridet, cum exemplum vitæ, pater omnium virtutum, ipsa innocentia, probitas, ac virtus, Socrates ridetur? cum in corbe festivissime philosophatur? cum, quot pedes pulex saliat, subtiliter ac geometrice metitur? Pleraque enim falsa de sententiis opinionibusque veterum Philosophorum, et ad risum facta aut excogitata sunt, quæ præcipue hunc excitare solent. Ideo nec omnes Plauti, tantam materiem ridendi, quantam unaquævis ex Aristophanicis, suppeditat. Alteri enim omnia, alteri pauca per leges licebant. Ceterum, ut modo dicebamus, quicquid maxime ab agendi consuetudine aut dicendi alienum est, risum maxime movere solet. In sententiis, qualis illa Comici Nebulis,

> *Καί τοι πρότερον τὸν Δι' ἀληθῶς ᾤμην διὰ κοσκίνου οὐρεῖν.*

In verbis, ut cum furacissimus servus *κλεπτίστατος* a domino vocatur, qui laudare taciturnitatem in eodem videtur:

> *'Αλλ' οὔ σε κρύψω· τῶν ἐμῶν γὰρ οἰκετῶν*
> *Πιστότατον ἡγοῦμαί σε καὶ κλεπτίστατον.*

Quod ipsum aliquanto castigatius Nero extulit, qui de tali servo, 'Nulli apud se plus fidei habere,' dicebat: 'nihil enim ei neque

inclusum neque signatum esse.' Vox enim *κλεπτίστατος* tantum abest, ut sermoni convenire possit, *ὥστε οὐδὲ αὐτοῦ τὴν διάλυσιν* (dicerent subtiles harum rerum judices) *πολιτικὴν εἶναι*, hoc est, ut ne quidem voce alia, quæ eam exprimat, consuetudini aut usui accommodari possit. Itaque corrumpit vocem, plane ut faciem, qui sic movere risum cogitat: qualia prope infinita Aristophanis. Exemplo sint diminutiva, quæ tam diligenter tertio Rhetoricorum in illius Babyloniis Rex Criticorum Aristoteles notavit: *χρυσιδάριον, λοιδορημάτιον, ἱματιδάριον, καὶ νοσημάτιον*. Quod et in sermone ejus passim et in sensibus observes, quos non raro risus causa effert corruptissimos; sæpe tamen cum illudit aliis. Quare voces, phrases, sensus, etiam structuram, Novæ, ut imitari cuivis tutum est, ita Antiquam si quis imitari velit, maximo delectu ac judicio est opus: quod si quisquam, recte Aristoteles notavit. Atque hæc causa, cur, ut multo perfectior utiliorque, ita minus ridicula, sit Nova, in qua omnes, ut jam absoluta, acquiescunt. Cum antiqui Comici, iis pariter quæ dicunt, et dicendi ratione, urbanitatem, quia nihil aliud spectarunt quam ridiculum, plerisque in locis, imprudenter excedant: ideoque et vitium plerumque, quod *βωμολοχίαν* dixit Aristoteles, incurrant. Qui vir magnus Ethicorum quarto, ubi de urbanitate agit, quæ in primis locum in his habet, eosdem et urbanos et honestos vocari ait: *εὐτραπέλους* enim, quasi *εὐτρόπους*, dici. Sicut autem de corporibus ex motu, ita ex urbanitate judicari de animo: utrum nempe honestus sit, an turpis. Qui de corporibus locus, cum obscurus nobis videretur, neque quicquam in recentibus scriptoribus, qui interpretati eum sunt, præsidii ad manum esset, ad Andronicum Rhodium, cujus Paraphrasin in illos libros plane admirandam, primi et edidimus, et in Latinum convertimus sermonem, ut sæpe alias, confugimus. Qui hoc modo: *'Η δὲ μεσότης, εὐτραπελία, καὶ οἱ ἔχοντες, εὐτράπελοι, οἷον εὔτροποι· καὶ γὰρ τοῦ ἤθους δοκοῦσι τοιαῦται κινήσεις, οὗτοι δέ εἰσιν οἱ παίζοντες ἐμμελῶς, καὶ ὡς δεῖ, καὶ ὅτε. ὥσπερ γὰρ αἱ κινήσεις τὰ σώματα χαρακτηρίζουσιν· οἷον πῦρ μὲν ἡ εἰς τὸ ἄνω κίνησις καὶ πᾶν κοῦφον· βαρὺ δὲ ἡ εἰς τὸ μέσον, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως· οὕτω καὶ ἀπὸ τῶν ἔξω καὶ φαινομένων τοῦ ἀνθρώπου κινήσεων, αἱ ἕξεις τῆς ψυχῆς φαίνονται καὶ τὰ ἤθη.* Quod est ex interpretatione nostra: 'Medium vero, *εὐτραπελία*, id est, urbanitas, quique in eo excellunt, *εὐτράπελοι*, quasi *εὔτροποι*, hoc est, bene morati, dicuntur. Etenim potissimum a moribus videntur esse hi motus. Hi autem

sunt, qui concinne, et quemadmodum, et cum oportet, jocantur. Sicut enim corpora distinguunt sui motus, ut, exempli gratia, ignem et quicquid leve est, motus qui in altum fertur, grave contra, motus qui ad medium, eodemque modo in aliis; ita ex iis qui extra sunt, et qui in oculos incurrunt hominum motibus, habitus quoque apparent animæ et mores.' Quia autem risus iis, ut plurimum, qui minus sunt honesti, quales homines plebeii sunt aut scurræ, gratus esse solet; hinc fit, inquit idem Aristoteles, ut, qui scurriles sunt, urbani etiam dicantur. Addit autem, quod spectare huc propius videtur: 'Discrimen vero ex Antiqua Comœdia apparet et Nova. Nam in illa id quod obscœnum, in hac autem, quod suspicionem tantum ejus movet, risum quoque exprimit; quæ non parum differunt ad venustatem.' Idem de cavillis quoque addit et conviciis. Quibus abstinuisse Plautum constat, cum obscœnitate nemini concedat. Hujus autem in utroque ex Aristotelis judicio discrimen videamus. Byrrhia apud Terentium Andria:

> Ego illam vidi virginem: forma bona
> Memini videre: quo æquior sum Pamphilo,
> Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.

Vides in his, non obscœnitatem, sed suspicionem rei parum verecundæ, *καὶ ὑπόνοιαν*, quæ tam est honesta, ut a quavis virgine id, urbanitate salva, dici possit. Quid enim suavius, quam 'in somnis amplecti?' et quidem, si de viro et formosa conjuge dicatur! Non enim dicit *βινεῖν*, quod Aristophanes dixisset, nec quæ in re tali Plautus usurpare solet, qui nec honeste ea dicit, et obscœne circumloquitur. Nam qualia sunt ista Casina!

> Ol. Ubi locus sumtus porro est, continuo stricto gladio: atat! papæ! papæ! Cl. Quid id papæ?
> Ol. Flagitium oh erat maximum: gladium ne haberet metui: id quærere occepi.
> Dum gladium ne habeat quæro, arripio capulum.

Nam cetera, in quibus plane loquitur, præsertim cum de Venere *ἀῤῥήτῳ* agit, ea vero ne commemorare quidem malo. Puto autem satis esse manifestum, etiam cum circumloquitur quæ parum sunt honesta, ne honeste quidem, et cum honestarum aurium fastidio, id fieri. Vides ergo passim Veteris imaginem, etiam, de quo mox paulo post, dicacitate ac maledicentia. Quæ Athenis partim leges,

partim metus, partim ipsa emendavit ratio: cum tamen sola risum felicissime moverent. Novæ autem rex princepsque Menander fuit: cujus expressa imago ac effigies Terentius. Quem cum uterque accepisset, Aristophanis virtutes hac mercede expressit Plautus, ut nec omnes posset, (quod et linguæ diversitas, et Romanorum leges, et tempora, ac Rerumpublicarum ratio vetabat, sublata jam maledicendi libertate, quæ præcipua, quod nemo nescit, *τοῦ γελοίου* pars est,) et quæcumque in Aristophane Plutarchus a communi consuetudine loquendi abhorrere notat, retineret. Nam et *κατὰ τὸν λεκτικὸν*, ut Critici loquuntur, *καὶ τὸν τῆς διανοίας τρόπον θυμελικὸς* est, et theatralis, non *πολιτικὸς*, neque *τῇ κατὰ τὴν ἀλήθειαν ἰδέᾳ διαπρέπει·* neque pauciora addidit, in quibus dum ridiculus videri vult, frigidus ac odiosus fit, quod non nostrum, sed Horatii judicium est, et Donati; quos utrosque emunctæ naris, utrosque Criticorum primos suo tempore fuisse, constat. Sed et in dicteriis, de quo jam dicebamus, ita Veterem Comœdiam amavit Plautus, ut ad eam sæpe flectat, et quod proprium in illa erat, *ἐτεωνύμως*, et expresso nomine, aut circumscribendo, non tam vitam hominum, quam hominem perstringat. Ut in illo:

> Etiam Epidicum, quam ego Fabulam æque ac me ipsum amo,
> Nullam æque invitus specto, si eam agit Pellio.

Sed et crudelissime infelicem Nævium Milite excepit:

> Nam os columnatum Poëtæ inesse audivi barbaro,
> Cui bini custodes semper totis horis accubant.

Videtur audire *κώδιον Κρατίνου*, et quæ reliqua in Veteri Comœdia occurrunt, *ὅση κόνις*. Nam ad Aristophanis *τὸ εὔθικτον* frustra sane aspiravit. Quis enim risu non emoritur, cum vinositatem Cratini excepit Irene?

> Ει. Τί δὲ Κρατῖνος ὁ σοφός ἐστιν; Τρ. Ἀπέθανεν,
> Ὅθ' οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον. Ει. Τί παθών; Τρ. Ὅ, τι;
> Ὠρακιάσας (οὐ γὰρ ἐξηνέσχετο)
> Ἰδὼν πίθον καταγνύμενον οἴνου πλέον.

Id est:

> P. Sapiens autem Cratinus quid agit? Tr. Obiit,
> Cum Lacones huc irruerent. P. Quo morbo? Tr. Quo?
> Misere pallere cœpit (ferre enim hoc non potuit)
> Frangi cum videret vino plenum dolium.

Alter enim vitium Cratini ridet: alter Nævii miseriam. Ridiculum autem a miseria prudenter Aristoteles sejungit. Risus enim cum atroci alicujus malo aut calamitate si conjunctus sit, immanis fit ac barbarus. Illa autem plane extra Novæ legem Comœdiæ:

> Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium;
> Qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinæ sacrum.

Et quæ deinde sequuntur. Quod profecto est a pulpito ad plaustrum redire. Legat cetera qui volet. Sed hæc, ὡς ἐν προθεωρίας μέρει, obiter sint dicta. Nunc, ingenii exercendi causa ac judicii ad singula eamus, et utrumque paulo quam plerique accuratius inspiciamus. Primum in Comœdia Tragœdiaque, est Dispositio. Neque dubitandum, quin, cum Aristoteles de Dispositione disputat Tragœdiæ, etiam Comœdiæ ex iis convenire pleraque existimaverit, nisi quod, ut Tragicus disponit, ita Comicus quoque invenit. Alter enim accipit ab aliis: alter ipse sibi dat quod disponendum est; nisi si ab alio desumat argumentum, certe apud Græcos. Nam Latini Fabulas Græcorum, Dispositione aliquantulum plerumque immutata et personis, expresserunt. Ut cum e Menandri Eunucho suam paucis immutatis Terentius expressit. Ea ratione, ut Davus Parmeno, Chrysis Thais, Chærestratus hic esset Phædria. Plautus, in Tragico-comico Amphitryone, more Tragicorum Fabulam accepit et disposuit: sed et nomina retinuit ex parte, quod non solet in Comœdia: ex parte, fecit. Unde raro, invenisse argumentum Tragicus Poëta dicitur, (quod aut e relatione aliorum aut e scriptis, ut plerique ex Homero aut Cyclo Epico, petebant:) contra autem Comici. Aristoteles, τὸ δὲ μύθους ποιεῖν, Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις ἦρξαν. Ita eam vocem, non ut quidam, hic accipio. Μῦθος enim, ut ubique fere Aristoteli, non drama est, sed ea actio, e qua drama constituitur, ἡ πρᾶξις, ἡ τῆς πραγματείας σύστασις: quomodo et accipit, cum dixit, μῦθος δ' ἐστὶν εἷς, οὐχ ὥσπερ τινὲς οἴονται, ἐὰν περὶ ἕνα ᾖ. Et ipse πολυμύθους eos vocat, qui vel varias, vel quæ tempore eodem, ab alio, non uno, et eodem gestæ sunt, conjungunt. Ideoque Fabulam eligere, et electam recte ac ordine disponere, ut prima virtus, ita primum maximumque opus est. In Amphitryone maneamus. Nam, ut argumentum hoc accepit, ita ipse ex animi sententia disposuit. Quare potuit, ut voluit, ligare Fabulam ac solvere. In ea igitur divina δέσις: mira enim ratione impeditur Fabula et intricatur actio. At transitio, quæ non est Tragica sed Comica (μετάβασιν vocavit Aristoteles), pars quæ opponitur τῇ δέσει (quam et λύσιν seu solutionem vocant), ex sententia succedere non potuit. Quare, impeditus et oblitus sui, ire cogitur ad Deum; hoc est; ἀπὸ μηχανῆς finire: quod est ultimum refugium Poëtæ, cum τὴν δέσιν hoc est, nodum, quem ligavit ipse, solvere non potest, et rem parum provide tractavit. Nam ceteræ, quæ ibi adhibentur machinæ, ad scenæ et choragii ornatum, καὶ τὴν ὄψιν, ut Philosophus de iis loqui solet, referuntur: quale est brontium, et ceraunoscopium, quorum altero ad tonitru, hoc ad fulmen exprimendum, in Amphitryone opus fuit. Finem vero, quæ a machina, lubentius in Tragico quam Comico excusat Aristoteles; quia argumento Tragicus astringitur, quod accipit. Quanquam ne huic quidem eam fecit gratiam, cum inquit: Φανερὸν οὖν, ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ, ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ, ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν: id est: Manifestum ergo est, etiam exitum Fabulæ, e Fabula ipsa peti debere, non a machina, ut in Medea, aut quemadmodum in Iliade, in iis quæ circa reditum Græcorum fiunt. Medeam autem, non Euripideam, sed alterius intelligit Poëtæ. Idem et Horatius, e Pariano, credo, Neoptolemo, e quo pleraque præcepta sua in hoc scripto hausit, fugiendum monet:

> Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
> Inciderit.

Ubi nodus est ἡ δέσις, quæ interdum ope humana solvi non potest. Qui quidem, nisi præter Poëtæ voluntatem aut ex argumenti eveniat necessitate, non a Deo, quod cujusvis etiam imperitissimi est hominis, verum a Poëta solvi debet. Rursus, sicut pictor primo ambitum delineat, deinde singula absolvit, ita sapiens Poëta actionem suam circumscribit. Primum, ut sit tota: hoc est, ut principium, ut finem habeat, et medium: quæ in minimis quoque esse possunt. Minima autem sensum vix admittunt: magna nimium dispergunt. Sic formicam vix videmus: in conspectu elephanti visus vix colligitur. Quare Comœdiæ Tragœdiæque magnitudo, et periodus, ut cum Philosopho hoc dicam, e natura utriusque et ratione peti debent. Et, mutatione prima, hoc est, cum infelicitate ad felicitatem in Comœdia, contra autem in Tragœdia mutari potest actio; ita ut ex argumento nihil, quod ad rem spec-

tet, præmitti sit necesse. Summus Aristoteli ambitus unius Solis est: potest esse aliquot horarum. Qua in parte admirandus Sophocles Terentiusque. Plautus vero novem menses uno dramate complexus est. Ut vix major ampliorque Homericæ Iliados, quam Amphitryonis sit periodus. Alcumena autem concipit et parit. Quod si fieret ubique, nullo episodio jam opus esset: ideoque nec ars esset, scribere Comœdiam. Præterquam quod sit monstri instar, et cum ratione ac natura pugnet, ut quæ simul et concipiat et pariat. Qualia nonnulla in scriptore hoc summus Criticorum Cæsar Scaliger notavit. Atque hæc vitaverant Poëtæ Græci, quorum scripta hic tantopere commendat Flaccus: Technici Græcorum, quomodo vitanda essent ac cavenda, sæpe inculcarunt suis. Plautus susque deque habuit, ut in Captivis. Quam incuriam Poëta cum videret, continere se non potuit, quin exclamaret:

Vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna:

contra negligentiam suorum et incuriam gravissime taxaret. Quidni enim, qui hoc tum agebat, quod ante eum Aristoteles? qui ubique Euripidem et alios in illis reprehendit: nam de Comicis quæ scripsit, hodie non extant. Porro simul ac Poëta Actionem habet, locum quoque ut actioni det, necesse est, quia sine loco fieri nil potest. Hic autem locus σκηνὴ δράματος a Criticis vocatur, cujus finem transilire nefas. Nemo enim tempore eodem, quod a Plauto recte dicitur, alibi atque alibi versari potest: nisi aliquid monstrosum fiat in Comœdia. Idem tamen, cum Curculionis scenam Epidauri posuisset, Romam transit in eadem, et in Romanorum mores, scenæ suæ jam oblitus, libere invehitur; et quidem, ut antiqui Comici, tributim, ita ut et singula describat loca, Act. IV. Scena 'Ædepol.' Jam τὰ ἄλογα in Fabulis quam multa? ita voco, quæ nihil verisimile habent. Tale est, Sosiclem Menæchmum, qui veniret e Sicilia, surreptum item qui in Illyria jam habitaret, habitu, eodem tempore, ita simili fuisse, ut dignosci a spectatoribus non possent; cum nil simile haberent istæ gentes. Quod vitium ne a chorago quidem emendari potest. Nam Mercurius Amphitryone et Jupiter Dii sunt: quibus omnia concedi, etiam hic, solent. Quare incurrere τὸ ἄλογον non possunt. Ubi enim Dii agunt, cessat ratio. Quidvis enim posse eos, nemo est

qui non intelligat. In Terentio, cui soli Artem Flaccus noster assignavit, nihil tale. Omnia cum judicio, cum ratione, circumspecte, ex arte, et cum cura. Nam et Fabulæ insignem fere cum agnitione mutationem habent: quas, inter τὰς μὴ ἁπλᾶς sive πεπλεγμένας, esse perfectissimas necesse est. Qualis et in reliqua ubique Dispositione est. Quod ad Dictionem autem, quis negabit, quædam esse in Plauto, quæ nec locum extra scenam, neque usum nisi inter histriones habent? unde solo et exiguo theatri ambitu circumscribuntur. Nam et ἀγωνιστικὸν in foro, neque minus γραφικὸν, sive usitatum in scribendo characterem, longe excedunt: quo ubique Nova, et jam emendata, respicit Comœdia. Quare Varro, cum sermonis laudem illi tribuit, idem quod ubique in scriptis, quanti faceret antiquitatem, profitetur: ut qui τὰ ἀπηρχαιωμένα, quæ in Plauto partim ævum quo hæc scripsit, partim, quæ plerisque placet, ipsa desita excusat antiquitas, commendat. Unde et ipse qui sic judicavit, ut nimium antiquitatis in scribendo studiosus, neque satis ævi sui memor, Varro ab antiquis Criticis notatur. Qui cum sentiant sic, judicentque, nobis, qui ab illis merito pendemus, equidem tacendum reor. Auctor de Causis Eloquentiæ Corruptæ: 'Neminem nominabo; genus hominum signasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, et Lucretium pro Virgilio legunt: quibus eloquentia tui Aufidii Bassi aut Servilii Noviani ex comparatione Sisennæ aut Varronis sordet.' Quod ex vocibus antiquis patet, quas ex libris ejus Critici legerunt, cum non pauca alia ex scriptis ejus peti possint. Ideoque Cicero, qui de ætatis suæ et sermone et venustate maxima cum cura judicabat, laudem hanc Terentio cessisse merito pronuntiat. Sic enim ad Atticum: 'Secutus sum, non dico Cæcilium; 'Mane ut ex portu in Piræeum:' malus enim Latinitatis auctor est: sed Terentium, cujus Fabellæ, propter elegantiam sermonis, putabantur a Lælio scribi:

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeum.'

Et Servius proprietate ceteris præpositum hunc notat. Idem de sententiis, quas διανοίας vocant, judicari potest. Omnes enim fere Plauti et θυμελικαὶ sunt, et ab usu alienæ, quales passim habet. Inprimis cum philosophatur καὶ γνωμοτυποῖ. Ut ecce:

Insanum est malum, in hospitium divorti ad Cupidinem.

Vere scenicum et illud:

> Et postremo, nisi me auscultas, atque hoc, ut dico, facis,
> Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor.

Et quis illud extra scenam usurpare ausit?

> Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

Quare nunquam effugient quin sint inepti, qui hæc et alia id genus ad serium dicendi genus transferunt. Consequuntur enim, quod non vident, ut inviti risum moveant; quod non pauci hodie in scriptis maximo molimine a Lectore impetrant. Sequitur τὸ ἦθος, quod, ut docet Aristoteles, in oratione, uniuscujusque institutum indicat et voluntatem. Quod in singulis repræsentare, nisi viri aut prudentis aut Philosophi, nullius est. Nam quemadmodum e singulis experientia, ita nemo singulorum mores sine hac exprimit. Quare omnium accuratissime et optime, quid sit facere ut sit ἠθικὴ oratio, Philosophus ostendit. Quod vel solum tanti est, ut nihil minus nonnulli, qui ad Rhetoricarum suarum leges magnorum quoque et sublimium ingeniorum orationes exigere audent, hac in parte videant: in qua, ad ipsius quoque antiquitatis stuporem, Afer iste regnat. Recte ergo Varro: 'In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ethesin Terentius.' Significat enim, Cæcilium εὐρετικὸν, aut potius εὐοικονόμητον fuisse: quemadmodum ἀνοικονόμητος nonnunquam præ reliquis videtur Plautus, cui sermonis idem assignavit laudem. Quod, si quicquam sapimus, Terentium est Plauto præferre. Ut cum eum, qui excellit in majori, magis quam qui in minori, dicimus excellere. Neque causa fuit alia, quare, quod observant Veteres, idem Varro, etiam Menandro, in quibusdam prætulerit Terentium, exempli causa, Adelphorum initio. Neque immerito. Mirifice enim, cum alibi, tum ibi regnat τὸ ἦθος. Idem Varro, cum Tragœdiæ, Comœdiæ, ac Satiræ effingat formas, quid de nostro judicet, diserte expressit. Ubertatem enim tribuit Tragœdiæ, quam dat Pacuvio: gracilitatem Satiræ, quam tribuit Lucilio: mediocritatem vero, Comœdiæ, quam dat Terentio. Ut si quis uberrimo sermonis genere heroicum definiat Poëtam; et hoc tribuat Virgilio. Aulus Gellius lib. VII. cap. 13. 'Vera autem et propria hujusmodi formarum exempla, in lingua Latina, M. Varro esse dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.' Quæ est de Comœdiæ, quemadmodum in

scholis loquimur, essentia. Cum Plautus sæpe Tragico, nonnunquam quoque serio, utatur. Quanquam ibi sane sermo, ut priore loco a Varrone accipitur. Sermo enim et τὸ ἦθος differunt, ut homo prudentissimus, et fœmina quæ pure loquitur; qualis dicitur Gracchorum mater. Unumquemque enim recte exprimere, et humanam optime delineare vitam, summus atque extremus viri atque auctoris maximi conatus est. Recte Grammatici ad Sophoclem: Ἔστι δὲ τοῦτο μέγιστον ἐν ποιητικῇ, δηλοῦν ἦθος: 'Est autem illud maximum in Poëtice, exprimere ethos.' Debebat addidisse, in Dramatica præsertim. Et Horatius tam multis vitam Tragœdiæ τὸ ἦθος esse docuit. Aristoteles vero, etiam in Tragœdia, post Actionem, (quam Fabulam plerumque vocat,) quæ essentiæ pars prima, partem essentiæ secundam constituit τὸ ἦθος. Mirum est autem, locum Varronis a nemine intellectum. Qui cum palmam in argumentis Cæcilio concedit, principem Comœdiæ haud dubio Cæcilium constituit. Quare? Pars Tragœdiæ præcipua est Argumentum. Aristoteles modo μῦθον, modo τῶν πραγμάτων σύνθεσιν, vocare solet. Qui et multis probat, eum, qui hac parte excellit, etiamsi ceteris destituatur, Dramaticum Poëtam dici posse. Pars secunda est τὸ ἦθος, quod cum Terentio assignat Varro, locum illi proximum concedit. Quod non potest ignorare, qui antiquos Criticos, inprimis autem Aristotelem, cum cura legit ac intelligit. Sermonis enim laus, quam Plauto tribui ab eo volunt, tantum abest ut cum reliquis conferri possit, ut postremo loco, et post τὴν διάνοιαν, ponatur. Quare ex sententia Varronis, qui hic Aristotelem expressit, primus est Cæcilius, secundus est Terentius: quos deinde Plautus sequitur. Quod debebat cogitasse Siren ævi nostri Justus Lipsius: qui profecto locum summi Romanorum Critici non penetravit. Τὸ ἦθος autem Plauto Horatius abjudicat, cum inquit:

> Aspice Plautus
> Quo pacto partes tutetur amantis ephebi.

Et videtur Charinum habuisse in animo, qui Mercatore τὸ μανικὸν καὶ τὸ ἐρωτικὸν confundit ἦθος, hoc est, ita amat, ut Menæchmus furit. Furere autem præ amore, Comœdiæ non ἦθος, sed Tragœdiæ est πάθος: ut ex Phædria aliisque patet. Quare? quia πάθος aliquod immane expectatur. Quod Tragœdiam constituit, ut μετάβασις conveniat furenti. Sed hæc triviales non intelligunt: qui summum Virum Aristotelem tam facile contemnunt, quam nos et judicia illorum et magistros merito contemnimus, quibus persua-

sum est, omnem veram eruditionem ex hoc uno fonte limpidissimo petendam. Charinus autem Plauti ad frigiditatem usque calet, quam non potuit vitare. Qualia sunt ista, Scena 'Divum atque hominum:'

Jam Cyprum veni, &c.

Item,

Porro proficiscor quæsitum. Nunc perveni Chalcidem.
Video ibi hospitem Zacyntho. Dico quid eo advenerim:
Rogito quis eam vexerit, quis habeat si ibi inaudiverit.
Hospes respondit, Zacyntho ficus fieri non malas.

Vides hominem tam tristem, ut festivus esse quærat. At divinus hac in parte, duos amatores in Eunucho, suo more, Phædriam et Chæream, divinitus utrumque, ἠθοποιεῖ. Quare cum Poëtæ omnes, quorum imitatione constat institutum ac consilium, pictorum instar, teste Criticorum Rege ac Principe, aut similes, aut (quod non raro evenit, vel imperite καὶ ἐξ ἀσθενείας, vel captandi risus causa) nunc pejores quam sunt exprimant, nunc meliores; servos pejores Plautus, ut plurimum; Terentius hos semper similes, non meliores; meretrices vero partim similes partim meliores aliquando introducit: similes, ut Thaidem: meliores, ut Bacchidem. Parasitos semper deteriores et voraciores Plautus, nunquam meliores. Ut et Dossennus, qui hos solos propemodum curabat, in personis reliquis ἐκπίπτων. Phormio Terentianus plane est admirandus: ut et Gnatho. Plautini, quia risum quærunt, veritatem et sermone et sententiis amittunt. Tres virtutes enim sermo, quem non sine causa Ἠθικὸν dixerunt Græci, nos Moratum dicimus, Æquitatem, nempe, Veritatem, et Simplicitatem, postulat: quæ τὸ ἐνδιάθετον, hoc est, id quod unicuique est insitum, ob oculos proponit. Cum ridiculum, ut violentum, quia a natura alienum, quod recte de eo Aristoteles pronuntiat, corruptum sit, et a corruptis causis, quod jam dixi moveatur. Moratum, quia simile est naturæ, leniter delectat: quod ætatum singularum, hominum, ac nationum, totiusque vitæ, simulacrum quoddam ac imaginem, in scena repræsentat. Plane ut pictura quæ a vero abit, et vel cubitalem nasum, vel distortum os facete repræsentat, risum movet: similis delectat. Atque hoc est quod omnes tribuunt Menandro, quem Terentius expressit. Ut Hermogenes: Παρά τε αὐτῷ Μενάνδρῳ ἂν μυρία εὕροις τοιαῦτα καὶ γυναῖκας λεγούσας, καὶ νεανίσκους ἐρῶντας, καὶ μαγείρους, καὶ παρθένους θρυπτομένας, καί τινας ἄλλους· ὅλως τε διὰ τὸ ὑποπίπτειν τῷ ἠθικῷ

λόγῳ καὶ τῶν ὁμοίων, ταῦτά γε πάντα, ἢ τάγε πλεῖστα αὐτῶν, ὑποκεῖσθαι τῇ ἀφελείᾳ δεῖ. Quemadmodum Hieronymus Menandrum et Terentium cum maximo judicio conjungit. Ad Paulinum enim: 'Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium.' Audi orationem patris irati. Heaut. Act. v. Scena 4.

Non, si ex capite sis meo
Natus, itidem ut aiunt Minervam esse ex Jove, ea causa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.

et quæ sequuntur. Audi mitis viri potius quam boni:

Ausculta, ne me obtundas de hac re sæpius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi.
Is meus est factus. Si quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.
Obsonat? potat? olet unguenta? de meo.
Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum:
Ubi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? restituentur. Discidit
Vestem? resarcietur. Est, Dis gratia,
Et unde hæc fiant, et adhuc non molesta sunt.

Et divina illa:

Credo hercle: nam ingenium novi tuum
Liberale. Sed vereor ne indiligens nimium sies.
In qua civitate tandem arbitrare te vivere?

Et quæ sine motu animi et suavissima voluptate legi non possunt Hecyra:

Odiosa hæc est ætas adolescentulis:
E medio æquum excedere est. Postremo jam nos fabula
Sumus, Pamphile, senex atque anus.

et cetera: pluscula sunt enim. Quis, cum illa Phormione legit, non uxorem honestam adulteri agnoscit?

An quicquam hodie est factum indignius?
Qui mihi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.
Hæccine erant itiones crebræ et mansiones diutinæ
Lemni? hæccine erat quæ nostros fructus minuebat calamitas?
Quid? ego æquo animo cupio misera in hac re defungier.
Sed quid sperem? ætate porro minus peccaturum putem?

Jam tum erat senex, senectus si verecundos facit.
An mea forma atque ætas jam magis expetenda est, Demipho?
Quid mihi nunc affers, quamobrem expectem, aut sperem, porro non fore?

Et, quandoquidem simplicitas, maxima moratæ orationis virtus, si intendatur, suavitatem parit; nemo sine incredibili ac summa voluptate illud Bacchidis leget:

Recte amasti, Pamphile,
Uxorem tuam: nam nunquam ante hanc diem meis oculis eam, quod nossem, videram.
Perliberalis visa est.

Ideoque Fabulæ Terentianæ doctiorem histrionem, quam reliquorum, desiderabant. Semper enim, quæ morata est oratio, τῇ ὑποκρίσει fulcienda. Nam quæ moribus affectibusque destituitur, teste Philosopho, est ἀνυπόκριτος. Neque ulla fere apud eum syllaba extat, quæ non animi aut affectus alicujus sit index. Jam ut ad lepores, sales, gratias, et venustates veniamus; certum est, fere omnes eas tolli a ridiculo, non secus quam in vita ab excessu morum virtus, ab excessu apparatus in scena tollitur voluptas. Quare Menandro ac Terentio lepores tribuunt antiqui, sales Plauto Horatius concedit: quos nonnunquam inurbanos esse notat. Audi Paterculum: 'Dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentiumque, et Afranium sub pari ætate floruerunt.' Græci χάριτας et χαριεντισμοὺς vocant. Remissiores sunt enim, quam ut risum violenter moveant: circumspectiores, quam ut frigeant. Absurdum enim sæpe causa est risus, aut inusitatum. Contra autem sermo, qui et usitatus et moratus, quique leniter decorum servat, sicut eo ipso fit venustus et delectat; ita quidam eminere joci possunt. Qui quidem in hoc Afro, (nisi Lælio eos potius ac Scipioni tribuendos putes) et Menandro, si judicium Horatii et antiquorum sequimur, ex eodem sale, e quo nata Venus est, depromti videntur. Ecce statim Andria, Act. v. Scena 4.

Davo istuc dedam jam negoti. S. Non potest.
P. Qui? S. Quia habet aliud magis ex sese, et majus.
P. Quidnam? S. Vinctus est.
P. Pater, non recte vinctus est. S. Haud ita jussi.

Jam Gnathonem vide: qui cum putidos Thrasonis mores Phædriæ ac Chæreæ exposuisset, contra autem illi persuasisset, et jam gratias ineptus homo ac ridiculus haberet:

Bene fecisti: gratiam habeo maximam.
Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.

respondet ad utrumque conversus:

Dixin' ego in hoc inesse vobis Atticam elegantiam?

Certe tota Scena tertia tertii Actus in Adelphis, in qua luditur a Syro Demea, divina est. Qualia enim illa?

Mihi quidem non placent,
Et clamo sæpe: Salsamenta hæc, Stephanio,
Fac macerentur pulchre.

Plane enim præter expectationem omnia. Jam cum Vetus Comœdia nihil æque ac παρῳδίαν amet, quæ plerumque et acerba est, et extra Scenam quæritur, urbanissimus virorum rationem, qua ex actione ipsa, parodiam, lepidam sane et venustam, peteret, invenit. Nam, cum Demea dixisset,

Fit sedulo,
Nihil prætermitto, consuefacio: denique,
Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo: atque ex aliis sumere exemplum sibi.
Hoc facito.

et quæ sequuntur: respondet Syrus:

Conservis ad eundem istunc præcipio modum;
Hoc salsum 'st, hoc adustum 'st, hoc lautum 'st parum.
Illud recte: iterum, sic memento. Sedulo
Moneo, quæ possum, pro mea sapientia.
Postremo, tanquam in speculum, in patinas, Demea,
Inspicere jubeo: et moneo, quid facto usus sit.

Ita sane et Plato, et Xenophon, omnesque Socratici jocantur. Nunquam frigide, nunquam obscœne, nunquam inepte, nunquam putide. Videamus jam Plautina quædam. Ac Plutarchus quidem illud tanquam frigidum ex Aristophanis Thesmophoriazusis de Euripidis matre adducit:

"Αγρια γὰρ ἡμᾶς, ω γυναῖκες, δρᾷ κακὰ,
"Ατ' ἐν ἀγρίοισι λαχάνοις αὐτὸς τραφείς.

Cui illud, quamvis non in simili omnino genere, adjungas licet:

> Nam mulier olitori nunquam supplicat, si qua est mala:
> Domi habet hortum et condimenta ad omnes mores maleficos.

Rhetores *θυμελικὸν*, sive theatrale, vocarent. Ridiculum enim potius quam festivum est: et, ut sit festivum, nemo, vere in his subactus, dixerit venustum esse: ab usu enim quam longissime remotum est. Jam vero, cum in verbis frigidum aut in rebus; de verbis Aristoteles, de rebus alii egerunt. Frigidum autem jam vocamus, non magniloquentiæ vicinum illud vitium (quanquam illud quoque habere hic locum potest) quod discedere ab urbanitate dicitur. Quod, ut nonnihil a dicendi hic magistris abeamus, modis fit pluribus. Vel in frigida translatione. Ut cum dentes calceati dicuntur. Capt.

> Cum calceatis dentibus veniam tamen.

Et cum victus, 'senteis esitare,' et 'scruposam viam commeare' dicitur: quæ sane frigent. Vel in minimis allusiunculis et longe petitis. Ut Pœnulo:

> Mɪ. Assum apud te eccum. Aɢ. At ego elixus sis volo.

Et quod illi placuit non semel:

> Magis calleo quam aprugnum callum callet.

Item,

> Callum aprugnum æque callere non sinam.

Et,

> Quanta sumini absumedo, quanta callo calamitas!

Et Curcul.

> Facite ventum ut gaudeam.
> Pʜ. Maxime. Cᴜ. Quid facitis? quæso. Pʜ. Ventum. Cᴜ. Nolo equidem mihi
> Fieri ventulum. Pʜ. Quid igitur vis? Cᴜ. Esse, ut ventum gaudeam.

Quas cum Grammatici Latini, qui citius cœlum digito, ut ita loquar, expugnassent, quam ut minimam Horatii Oden expressissent, Morologias in Plauto dixerint; nondum video, quare Horatio, ut summo maximoque Poëtæ, ita Critico incomparabili, quem acutum doctumque Virum ipse D. Hieronymus ad Pammachium vocavit, idem non licuerit. Ejus sane generis sunt, quæ in Aristophane accusat, quæque trivialia potius, quam ut Viris

eruditis, etiam in scena placere aut debeant aut possint, accuratus censor Plutarchus judicavit. *Καὶ γὰρ ὁ μὲν ἀπαίδευτος καὶ ἰδιώτης οἷς ἐκεῖνος λέγει ἁλίσκεται· ὁ δὲ πεπαιδευμένος δυσχερανεῖ. λέγω δὲ τὰ ἀντίθετα, καὶ ὁμοιόπτωτα, καὶ παρονομασίας. τούτοις γὰρ ὁ μὲν μετὰ τοῦ προσήκοντος λόγου καὶ ὀλιγάκις χρῆται, ἐπιμελείας αὐτὰ ἀξιῶν· ὁ δὲ πολλάκις, καὶ οὐκ εὐκαίρως, καὶ ψυχρῶς.* Et adducit exemplum: ut cum *τοὺς ταμίας, λαμίας* vocat. Nam, quæ ille de Menandro, ad Terentium fere omnia referri possunt; in quo nihil putidum est aut ineptum. Quanquam multa, quæ notavit, potius Antiqui Comici virtutes, quam illius, de quo ibi judicavit, vitia censenda sunt. Princeps enim inter illos fuit, et ad leges eas plane se composuit: quod de Plauto nemo dicet. Est et frigidum, quod longe ab eo abest, quod aut esse aut posse fieri putatur. Quale est, 'pugno frangere elephanto brachium,' 'horiola in cœlum pervenire.' Est et frigidum, cum ita a familiari sermone oratio recedit, ut ad usum amplius transferri nequeat. Tale est illud ibidem:

> Si ante lucem ire occipias a meo primo nomine,
> Concubium sit noctis, priusquam ad postremum perveneris.

Crescit tamen frigidum, cum addit alter:

> Opus face est et viatico ad tuum nomen, ut tu prædicas.

Quæ si pedem unum extra scenam feras, protinus putiscent: neque ad usum applicari poterunt. Qualia nec Scipio nec Lælius, flos nobilitatis, vel in scena, approbassent. Plutarchus certe, extra liberalium Theatra ac doctorum, libere relegat. Ridiculi enim ac inepti sunt, qui plebeiis tantum scribi Comœdiam existimant; cum non minus eruditis scribatur. Quod et Flaccus scivit; qui non sine causa:

> Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
> Sudoris minimum; sed habet Comœdia tanto
> Plus oneris, quanto veniæ minus.

Deinde autem Plauti et Dossenni utitur exemplo, quos securos de judiciis doctorum ait. Et hæc ad divinum, ut jam dixi, ac subactum in his Principem, cujus nec judicium nec ceterorum ignorare ea tempestate potuit. Et, cujus judicium vereri debuisset, nisi idem aliorum fuisset. Jam illa Epicharmi imitatio, ut festivissima, ita, si sit frequens, frigore non caret. Quæ fit, cum vel falsa op-

ponuntur, aut subjectum idem est cum prædicato. Ut cum Epicharmus dixit:

> Τόκα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼ ἦν, τόκα δὲ παρὰ τήνοις.
> Tunc inter illos ego eram, tunc apud illos.

Bis enim idem dicit; quæ est fraus in verbis præter expectationem. Idem autem est cum prædicato subjectum: ut in illis Curcul. Act. v. Scena 4.

> Quoi homini Dii sunt propitii, ei non esse iratos puto.

Sticho:

> E malis multis, malum quod minimum est, id minimum est malum.

Captivis:

> Hos quos videtis stare captivos duos,
> Hi stant, non sedent.

Quæ jam docti collegerunt. Unde et istam summi Critici censuram meruit:

> Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi
> Dicitur.

Quanquam sane alibi non invenuste iis usus est. Quæ Menander tamen, et imago ejus, de quo nunc agitur, Terentius, tanquam cum periculo conjuncta, serio fugerunt. Hæc pro Viro maximo Horatio; neque adversus Plautum dicta sunt, quem amamus, suspicimus, diligimus, ac veneramur; verum, ut judicium sic acuamus; simul ut acuti isti, quod videntur sibi, ita facetissimum scriptorem ament, legant, tractent, atque ediscant (quod et recte et ordine ab iis fieri fatemur: neque enim satis commendari potest) ut nec plane et ubique Veteribus probasse se meminerint: et, quod hic præcipue spectamus, de Horatio ejusque crisi minus libere loquantur: Terentii autem miram ac prope ineffabilem amœnitatem, elegantiam, judicium, ac venustatem, intelligere paulatim discant. Cujus incredibiles lepores, ut Josephus Scaliger dicebat olim, vix centesimus eruditorum quisque videt. Ne cum illo simul et Afranium, antiquum Comicum, condemnent, cujus verissimum atque absolutum extat judicium:

> Terentio non similem dices quempiam.

Nobis Eruditi ignoscent, quod hæc fusius, si cogitent præsertim, munus veri Critici esse ac Censoris, non literulam ejicere alibi, aut innocentem syllabam damnare, vocem tollere alibi aut emendare, sed sincere de auctoribus ac rebus judicare: quod et solidæ et absolutæ eruditionis est. Quo, ni fallor, omnes aspiramus. Neque ulla in re magis antiquitas præivit nobis. De Auctoribus autem Comicis, uter melius judicare potuerit; isne qui ætate illa vixit, qua ad summum culmen poësis pervenit, qui Poëta Summus, summus Criticus, familiariter cum Cæsare Augusto ac Mæcenate vixit, eorumque atque aliorum quotidie de his judicia audivit; an qui hodie harum rerum plane imperiti judicant; ipsi viderint.

PETITUS
DE ORDINE COMŒDIARUM
PUB. TERENTII.

Omnia non sunt plana atque liquida. Primam omnium Andriam esse, liquet ex Donato, Præfatione in Andriam: 'Hæc prima acta est Ludis Magalensibus,' &c. Suetonius Tranquillus in Vita Terentii: 'Scripsit Comœdias sex, ex quibus primam Andriam cum Ædilibus daret.' Quod et testantur hi versus in Andriæ Prologo:

> Favete, adeste æquo animo, et rem cognoscite,
> Ut pernoscatis, et quid spei sit reliquum:
> Posthac quas faciet de integro Comœdias,
> Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

Editam testantur cum Didascaliæ, tum Suetonius, M. Marcello, Cn. Sulpicio Coss. hoc est, anno ab Urbe Condita 588.

Hecyra, semel atque iterum exacta, tertio stetit; unde factum, ut, quo loco edita primum sit a Terentio, non ex vero proditum sit a Donato, Præfatione in hanc Comœdiam: 'Factaque et edita quinto loco, Cn. Octavio et T. Manlio Coss.' Atqui, si facta editaque est Cn. Octavio, T. Manlio Coss. non igitur quinto loco: nam Cn. Octavius et T. Manlius consules fuerunt anno ab U. C. 589. Ergo facta est post Andriam, quam edidit Terentius anno proxime præcedenti; proinde Hecyra secunda est, ordine Fabularum, quas fecit Terentius.

Tertia fuit HEAUTONTIMORUMENOS, ut constat ex Didascaliis, quæ in fronte illius leguntur, in hæc verba: 'Acta tertia M. Juventio et M. Sempronio Coss.' Qui consules fuerunt anno ab U. C. 591.

Sequitur quarta PHORMIO, de qua Didascaliæ: 'Facta est IV. C. Fannio, M. Valerio Coss.' Quod etiam testatur Donatus, Præfatione in hanc Fabulam: 'Edita est quarto loco M. Valerio et C. Fannio Coss.' Post Phormionem quinta est edita EUNUCHUS, iisdem Coss. iisdem Ædilibus; habes id ex Didascaliis, et Donati Præfatione in hanc Fabulam: anno nimirum ab U. C. 593.

Bis eodem die producta in scenam, tertium denique acta: pretium octo millibus sestertium numeratum est Poëtæ.

ADELPHŒ sexta est Comœdia a Terentio facta, eaque edita est Lucio Anicio, M. Cornelio Coss. hoc est, anno ab U. C. 594. Ludis funebribus L. Æmilii Pauli, ut habes in Didascaliis. Iisdem Ludis funebribus relata Hecyra, sed non placuit, ut est in Didascaliis. Prius tamen in scenam producta est Hecyra, quam Adelphœ, ut colligo ex Donato, qui dicit: 'Factam et editam quinto loco.' Male, ut audivimus; nisi perinde habueris primam illius editionem, Cn. Octavio, T. Manlio Coss. quasi omnino edita non esset, cum neque spectata, neque acta tunc sit; neque tum male dices 'quinto loco,' cum producta est his ludis funebribus Æmilii Pauli ante Adelphœ. Quare audiendus non est Donatus, qui eam 'secundo loco actam dicit, etiam tum rudi nomine Poëtæ; itaque sic pronuntiatum Adelphœ Terentii, non Terentii Adelphœ. Quod adhuc de Fabulæ magis nomine Poëta, quam de Poëtæ nomine Fabula commendaretur.' Quæ futilis argumentatio est: nam nulla Fabularum Terentii pronuntiata est TERENTII, exempli gratia, PHORMIO, HEAUTONTIMORUMENOS, antequam tertium edoceretur Eunuchus. Idque observat Donatus Præfatione in Eunuchum, tertium editam fuisse post Adelphorum editionem.

JOANNIS THEODORICI BELLOVACI

NOMINUM COMICORUM RATIO.

NON est de nihilo, quod poëtæ Comici aut hæc aut illa nomina indiderunt suarum personis fabularum. Hujus rei amplissima tibi

damus testimonia. Donatus in Adelphos, Nomina, inquit, personarum in Comœdiis habere debent rationem et etymologiam. Etenim absurdum est Comicum aperte argumenta confingere, vel nomen personæ incongruum dare, vel officium quod sit a nomine diversum. Hinc servus fidelis, Parmeno: infidelis, vel Syrus, vel Geta: miles Thraso, vel Polemon: juvenis Pamphilus: matrona Myrrhina: et puer, et ab odore Storax: et a ludo, et a gesticulatione Circus: et item similia, in quibus summum poëtæ vitium est, si quid e contrario repugnans contrarium diversumque protulerit: nisi per Antiphrasin nomen imposuerit jocelariter: ut Misargyrides in Plauto dicitur trapezita. Et fere hoc modo apud alios a poëtis nomina componuntur describenda per Antiphrasin, quod designat Storax.

Idem in Andriam, Semper, inquit, nomina Comicorum servorum aut a nationibus sunt indita: ut Mysis, Syrus: aut ex accidentibus, ut Lesbia, velut ebriosa, a Lesbo insula, quæ est ferax suavissimi candidissimique vini: aut a vernilitate, ut Pseudulus: aut ex negotio, ut Chrysalus: aut ex qualitate corporis, ut Chylacus: aut ex specie formæ, ut Pinacium.

Strabo libro septimo: Fuit et alia regionis divisio, ex antiquis permanens temporibus. Alios enim Dacos, alios Getas appellant. Getas quidem, qui ad Pontum in Orientem vergunt: Dacos autem, qui in oppositum versus Germaniam, et ad Istri fontes, quos olim Davos vocatos esse reor. Ex quo apud Athenienses Davorum et Getarum nomina servilia plurimum abundabant. Hoc sane credibilius est, quam a Scytharum gente derivari, quos Daas vocant. Longe enim illi ad Hyrcaniam positi sunt, nec ex eo loco Athenas mancipia deportata putandum est. Servos enim aut e populorum nominibus vocabant, a quibus vectabantur, ut Lydum et Syrum: aut iis maxime quæ illis in locis magis ac magis usurpata erant, ut Manem et Midam, ex Phrygia: Tibiumque, e Paphlagonia.

Servius in primam Eclogam Virg. Etiam hoc sciendum, et personas hujus operis ex majori parte nomina de rebus rusticis habere conficta: ut Melibœus, *ὅτι μέλει αὐτῷ τῶν βοῶν*, quod curam gerit boum. Et Tityrus: nam Laconum lingua Tityrus dicitur aries major, qui gregem anteire consueverit: sicut etiam in Comœdiis invenimus. Nam Pamphilus est totus amans: Glycerium, quasi dulcis mulier: Philumena, amabilis.

Qui de nominum propriorum etymo et interpretatione plura scire volet, huic adeundus est Cratylus Platonis.

Erasmus in Commentario de Rerum Copia: Comici præcipue varietatem in ejusdem quoque generis personis affectasse videntur. Quid enim dissimilius, quam Demea ac Mitio apud Terentium? Quorum hic cum etiam gravissime filium objurgat, blandus est: ille, cum maxime blanditur, amarulentus: et tamen uterque senex, atque adeo fratres. Quid diversius, quam Chremes semper placidus ac civilis, et Simo vehemens ac suspiciosus? Item quam Pamphilus cordatus, et Charinus inops animi consiliique? Quid tam dissimile, quam Phædria cum morbo pugnans, et Chærea nihil habens pensi? Multum item interest inter Davum pertinacissimum sperandi auctorem, et Byrrhiam nihil præter desperationem afferentem. Plurimum inter parasitum Gnathonem, et Phormionem: et ab utroque longe dissident parasiti Plautini, quemadmodum et hujus meretrices a Terentianis plurimum discrepant. Terentius meretrices propemodum bonas fingit, veluti Philotin et Bacchidem in Hecyra: Plautus senes amantes, ac festivos, et uxoribus veteratorie imponentes: quanquam alias Euclionem prodigiose tenacem ac suspiciosum facit. Hactenus Erasmus.

Andros insula est, una ex Cycladibus, in Mari Ægæo, ab Andro, Anii filio, qui in ea regnavit, nomen sortita. Porro Ægæum Mare hodie nautis vulgo dicitur ***Archipel,*** nonnullis ***Archipelago.*** Andros nunc iisdem vocatur Andro, plerisque Andria. Hinc adjectivum Andrius, unde et huic Fabulæ nomen. Æneas, ait Lactantius, cum patre Anchise et filio Ascanio profugus Delum venit. Hic ab Anio, sacerdote Apollinis, recipitur hospitio, qui illis indicat, quinque se filiarum parentem orbum relictum. Andrum enim, a quo Andros insula, reliquisse patriam, &c. Ovidius libro decimo tertio Metamorph. de Ænea loquens:

> Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phœbus
> Rite colebatur, temploque domoque recepit.

Virgil. quoque libro tertio Æneid. de insula Delo verba faciens:

> Egressi veneramur Apollinis urbem.
> Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique sacerdos,
> Vittis et sacra redimitus tempora lauro
> Occurrit: veterem Anchisen agnoscit amicum.
> Jungimus hospitio dextras, et tecta subimus.

Pasibula verti potest, Omnibus consulens: πᾶς, omnis, universus: βουλὴ, consilium. Ejus quippe agnitio nemini non consuluit, omnium animos alioqui turbatissimos feliciter tranquillans. Id quod luculentissime docet hujus Comœdiæ catastrophe.

Philumena, In amore perseverans ac persistens. Manens in amicitia. Φίλος, amicus: μένω, maneo. Scribendum autem esset Philomena, secunda et tertia brevibus: at causa productionis assumit *υ* post *ο*, ut sit diphthongus *ου*, quam nos in *u* longum vertimus, dicentes Philumena. Sic dicunt Græci νοῦσος, οὔνομα, pro νόσος, ὄνομα. Sic dixit Virg. 'Upilio,' pro, Opilio. Nisi forte quis malit ducere a verbo φιλοῦμαι, id est, concilior: ut sit participium fœmininum, quasi conciliata, vel amata.

Chrysis, Aurea. Χρυσὸς, aurum. Chrysides, aureæ crepidæ, vel phialæ. 'Aureos mores' apud Horatium libro quarto Carm. ode secunda, enarratores intelligunt bonos et sanctos, pulcherrimos, elegantes, et amabiles, ut apud Virgil. libro octavo Æneid. 'Aurea sæcula.' Et rursus apud eundem libro x. 'Aurea Venus.' Erit igitur Chrysis, aurea, elegans, amabilis.

Simo, Pamphili pater, senex naso simo et presso, a specie nomen habet, quod simi sunt iracundi et biliosi.

Pamphilus, adolescens, a fideli amore. Totus amans, vel Omnibus amicus. Πᾶς, totus, omnis: φίλος, amicus.

Davus, servus, a patria: ut paulo ante ex Strabone.

Dromo, servus, a cursu. Δρόμος, cursus: δρομαῖος, velox. Servorum est, velociter currere, quo jusserint domini.

Sosia, libertus, Quod sit in bello servatus. Unde et servis nomen inditum. Σώζω, servo.

Charinus, adolescens. Ab animi benevolentia. Χαρίζομαι, facio grata, obsequor, et beneficium gratiamque confero.

Byrrhia, servus. A patria, inquit Donatus. Sunt qui Phrygiam his Donati verbis putent innui. Didymus certe existimavit Aphroditem nuncupari παρὰ τὸ ἁβρὸν τῆς διαίτης, hoc est, a mollitie vitæ. *B* enim cognata videtur literæ *φ*: nam Philippum, aliqui Βίλιππον appellant: sicut Phrygas, Brygas. Auctor Cælius lib. XXIX. cap. 18. Idem quoque tradit Lilius lib. XIII. A Phrygia igitur seu Brygia nomen esset Byrrhiæ: idque per literarum metathesin. Porro Phryges ingenio fuisse servili, vulgatum testatur adagium: Phryx plagis emendatur. Plinius lib. v. cap. 29. Pyrrham urbem facit Cariæ. Quintilianus lib I. docet *B* literam

fuisse interdum pro *P* usurpatam : ut Byrrhus, pro, Pyrrhus. Itaque fieri potest, ut a Pyrrha urbe nomen ductum sit Byrrhia, idem prorsus valens quod Car. Herodotus in Euterpe ostendit Cares barbaro servilique fuisse ingenio, et ad quidvis malorum ferendum paratos, mercede proposita : unde et natum proverbium : In Care periculum ; subaudi, facito ; hoc est : in homine aut re viliore fac periculosam experientiam, in qua si parum feliciter cesserit, non multum dispendii capiendum.

Crito, Quod controversiam dirimat. *Κριτὴς*, judex, arbitrator: *κρίνω*, judico, interrogo, examino, quæstionem de aliquo habeo. Sane Crito Andrius, Athenas veniens, totam hujus Comœdiæ litem et controversiam diremit, indicans quæ esset Pasibula.

Chremes, Pasibulæ et Philumenæ pater, senex. A screando, quod senes tussi expurgent pectus. *Χρέμπτομαι*, screo.

Glycerium, meretrix. A voluptate, vel dulcedine. *Γλυκερὸς*, dulcis. Hinc Glycyrrhiza, dulcis radix. Vulgus Liquiritiam vocat. Glycere, hujus Glyceres, nomen mulieris proprium, verti etiam potest, dulcis : ejus diminutivum Glycerium, dulcicula.

Mysis, ancilla. A Mysia patria. Strabo refert Mysorum populum usque adeo contemtum fuisse, ut proverbio locum fecerit. Id usurpat M. Tullius in Oratione pro Flacco : 'Quid,' inquit, 'porro in Græco sermone tam tritum atque celebratum est, quam, si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur ?'

Lesbia, obstetrix. A Lesbo insula. Rationem habes paulo ante.

LOCA MENANDRI, ET APOLLODORI,

QUÆ TERENTIUS LATINE EST INTERPRETATUS.

SCHREVELIUS LECTORI.

SUBJECIT editioni Terentianæ a se recensitæ Nobil. ac celeberrimus Dan. Heinsius Loca aliquot Menandri, quæ Terentius Latine est imitatus, ex collectione Andreæ Scotti : nos iis alia ex eodem Menandro adjunximus, atque insuper ex Apollodoro, quod illos duos proprie imitatus fuerit atque expresserit Poëta, quod ex Comœdiarum ejus *ἐπιγραφαῖς* est manifestum. Ea autem nobis suppeditarunt, partim excerpta Grotiana ex Tragœdiis et Comœdiis

Græcis, partim quædam Terentii editio a Martino Hainneccio procurata, partim Doctiorum in Terentium Commentaria.

ANDRIA. Act. I. Sc. I.

'Feci e servo ut esses libertus mihi.' Versus Menandri legitur etiam in Elenchis :

Ἐγώ σε δοῦλον ὄντ' ἔθηκ' ἐλεύθερον.

Ego te, cum servus esses, liberum feci.

'Mala mens, malus animus.' Videtur Terentius allusisse ad illud Menandri :

Γνώμης γὰρ ἐσθλῆς, ἔργα χρηστὰ γίγνεται.

Bonæ mentis, bona sunt opera.

Act. I. Sc. II.

'Nihil me fallis.' Menandri apud Donatum :

Νῦν δὲ οὐδὲν λέληθάς με ἄν.

Neque tu nunc me clam es.

Act. II. Sc. II.

'Olera et pisciculos.' Menandri verba e Perinthia huc pertinentia, quæ ab Athenæo l. VII. Deipnosophist. referuntur :

Τὸ παιδίον δ' εἰσῆλθεν ἑψητοὺς φέρον.

Intravit puer minutos pisciculos ferens.

Act. III. Sc. II.

'Nunc primum fac isthæc ut lavet.' Menander :

Λούσατε αὐτὴν τάχιστα.

Lavate illam actutum.

Act. III. Sc. III.

'Amantium iræ.' Expressit Terentius illud Menandri, et explicat Victorius Var. Lect. l. IV. c. XIV.

Ὀργὴ φιλούντων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον.

Amantium iræ exiguo durant tempore.

Act. IV. Sc. IV.

'Mirum vero, impudenter mulier si facit meretrix.' Menander :

Οὐδέ ποθ' ἑταίρα τοῦ καλοῦ πεφρόντικε.

Meretrix pudorem pensi nunquam habet.

Act. v. Sc. iv.

‘ Sycophantas.’ Menander Γεωργῷ :

Καὶ συκοφάντης εὐθὺς ὁ τὸ τριβώνιον
Ἔχων καλεῖται, κἂν ἀδικούμενος τύχῃ.

Cui vestis squalida, sycophanta dicitur
Statim, quamvis patiatur ipse injuriam.

‘ Sic est hic.’ Menander :

Οὗτος αὐτός ἐστιν.

Eunuch. Prologo.

‘ Responsum non dictum esse, quia læsit prius.’ Hic versus congruit senario, ex Menandri Olynthia :

Ὡς οὐχ ὑπάρχων, ἀλλὰ τιμωρούμενος.

Ut qui non prior incipiam, sed me vindicem.

Act. i. Sc. i.

‘ Sed ipsa egreditur.’ Menander in Prologo Fabulæ, Thais inscriptæ, elegantissimis verbis ejus *ἦθος* expressit, quos Plutarchus in Commentario de Audiendis Poëtis refert hoc modo:

Ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε τοιαύτην, Θεὰ,
Θρασεῖαν, ὡραῖαν δὲ, καὶ πιθανὴν ἅμα,
Ἀδικοῦσαν, ἀποκλείουσαν, αἰτοῦσαν πυκνὰ,
Μηδενὸς ἐρῶσαν, προσποιουμένην δ' ἀεί

Nunc illam talem cane, quod te veneror, Dea,
Ferocem, sed pulchellam, et illecebriloquam ;
Injustificam, clusiforem, poscinummiam,
Et neminamantem, semper simulantem tamen.

Act. ii. Sc. ii.

‘ Is quæstus.’ Menander :

Πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων.

Cum adulatore agitur nunc omnium optime.

‘ Ne sursum.’ Menandro est, *στρέφεσθαι ἄνω κάτω.* Sic enim :

Ὤιμην ἐγὼ τοὺς πλουσίους, ὦ Φανία,
Οἷς μὴ τὸ δανείζεσθαι πρόσεστιν, οὐ στένειν
Τὰς νύκτας, οὐδὲ στρεφομένους ἄνω κάτω,
Οἴμοι, λέγειν.——

Putabam ego, divites, o Phania!
Quibus nulla fœnore accipiendi necessitas incumbit, neque gemere
Noctu, neque sursum deorsum versando sese
Ejulare.——

Versus hi ita recte leguntur in Plutarchi libellis, non modo impressis, verum etiam Ms. duobus Περὶ Εὐθυμίας. Nam apud Stobæum cap. 95. mendose est, *στρεφομένους ἂν νύκτα.*

Act. ii. Sc. iii.

‘ Liquet mihi dejerare.’ Menander :

Ὅρκον δὲ φεῦγε, κἂν δικαίως ὀμνύῃς.

Jusjurandum devitato, etiam cum juste jurare poteris.

Act. iii. Sc. i.

‘ Nunquam tibi dixi.’ Menander :

Ἔχω δ' ἐπίκληρον Λαμίαν· οὐκ εἴρηκά σοι ;

Est mihi Lamia, quæ nullos cohæredes habet. Nonne dixi tibi ?

Act. iii. Sc. ii.

‘ Tacent ; satis laudant.’ Menander :

Κἂν ὅλως μηθὲν λαλεῖ,
Διὰ τοῦ σιωπᾶν, πλεῖστα περὶ αὑτῆς λέγει.

Eo ipso, dum plane nil loquitur, tacendo quamplurima de se ipsa dicit.

Act. iv. Sc. iv.

‘ Hic est vietus, vetus, veternosus senex, colore mustellino.’ Voluit exprimere locum Menandri :

Οὗτός ἐστι γαλεώτης γέρων.

Hic est mustella senex.

Act. v. Sc. vi.

‘ Sed tu quod cavere possis.’ Translata a Menandro sententia, cujus hi citantur a Stobæo senarii :

Εὐήθειά μοι φαίνεται δηλουμένη,
Τὸ νοεῖν μὲν ὅσα δεῖ, μὴ φυλάττεσθαι δ' ἃ δεῖ.

Manifesta mihi videtur hæc esse fatuitas,
Assequi, quid fieri oporteat, neque facere tamen.

Act. v. Sc. ix.

‘ Quodvis donum et præmium.’ Menander :

Εὖξαι τὶ βούλει, πάντα σοι γενήσεται.

Elige quod optes, optata feres omnia.

Heautontimor. Act. i. Sc. ii.

‘ Illum insimulat durum.’ Menander :

Σκληρὸν πρὸς υἱὸν ἐν τῷ νουθετεῖν.

Quod in increpando erga filium sit sævus.
'Periculum ex aliis.' Huc pertinet illud Menandri:
Βλέπων πεπαίδευμ' εἰς τὰ τῶν ἄλλων κακά.
Mala intuens aliorum, doctus ego fui.

Act. II. Sc. II.

'Occasio, locus,' &c. Menander:
Μικρὰ πρόφασίς ἐστι τοῦ πρᾶξαι κακῶς.
Ad prave agendum, parva satis occasio est.

Act. II. Sc. III.

'Texentem telam studiose,' &c. Menander apud P. Victor. lib. IX. cap. 15. Var. Lect.
Ἐξ ἱσταρίου γὰρ ἐκρέματο φιλοπόνως πάνυ.
Animum a tela suspensum omnino studiose occupabat.
'Una ancillula erat,' &c. Menander apud Politianum:
Καὶ θεραπαινὶς ἦν μία· αὕτη
Συνύφαινε ῥυπαρῶς διακειμένη.
Et una ancillula erat;
Hæc, sordidi animi plena, texturam una faciebat.
'Facinus magnum et memorabile.' Menander:
Μέγα καὶ περιβόητον ἔργον.
'In aurem utramvis ut dormias.' Menand. Plautio:
Ἐπ' ἀμφοτέραν, ἵν' ἐπίκληρος ᾖ, μέλλει καθευδήσειν.
In aurem utramque, quandoquidem dotata est, cubet.
'In eum jam res rediit locum, ut sit necesse.' Menander:
Τρία γάρ ἐστι, δέσποτα, δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται·
Ἢ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἤγε τρίτον, ἔθει τινί.
Ad res gerendas his tribus compellimur,
Necessitate, lege, consuetudine.

Act. II. Sc. IV.

'Formæ mores consimiles sient.' Menander apud Stobæum:
Ὅταν φύσει τὸ κάλλος ἐπικοσμεῖ τρόπος
Χρηστὸς, διπλασίως προσιὼν ἁλίσκεται.
Quando mores faciles naturali formæ ornatum afferunt, ventitans dupliciter capitur.
'Nos quoque senes est æquum senibus obsequi.' Menander:
Γέρων γέροντι γλῶσσαν ἡδίστην ἔχει.
Παῖς παιδὶ, καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνή.

Νοσῶν τ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξίᾳ
Ληφθεὶς ἐπῳδός ἐστι τῷ πειρωμένῳ.
Seni senilis lingua jucundissima:
Puerque puero, et apta mulieri mulier:
Et æger ægro: pressus infortunio
Lenimen est homini malis exercito.
'Aliena melius ut videant.' In hanc sententiam Menander:
Οὐδεὶς ἐπ' αὐτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ, Πάμφιλε,
Σαφῶς, ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται.
Aperte sua mala nemo videt, o Pamphile,
Sed alterius peccatum conspicabitur.

Act. IV. Sc. II.

'Nihil tam difficile quin quærendo.' Menander apud Stobæum Λόγῳ κ'.
Ἁλωτὰ γίνεται ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ ἅπαντα.
Omnia queunt laboribus et industria comprehendi.

Act. IV. Sc. V.

'Jus summum, summa injuria.' Menander apud Stobæum Sermone μβ'.
——— Ὁδ' ὁρῶν τοὺς νόμους
Λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται.
——— Qui leges intuetur optimas
Nimis accurate, ille sycophanta prorsus est.

Act. V. Sc. I.

'Argentum ut dares.' Expressit hunc Menandri versiculum:
Λουτρὸν, θεραπαίνας, καὶ ἀργυρώματα.
Balneas, ancillas, et pecunias.

Act. V. Sc. II.

'Modo liceat vivere, est spes.' Apollodorus:
Οὐδέ ποτ' ἀθυμεῖν τὸν κακῶς πράσσοντα
Ἄνδρα, τὰ βελτίω δὲ προσδοκᾷν ἀεί.
In miseriis nullis labascere convenit,
Meliora sed sperare semper affore.

Act. V. Sc. V.

'Quid istic? video non licere, ut cœperam, hoc pertendere.' Menander:

Ὁ σκληρότατος πρὸς υἱὸν ἐν τῷ νουθετεῖν,
Τοῖς μὲν λόγοις πικρός ἐστι, τοῖς δ' ἔργοις πατήρ.
Valde in monendo si quis asper filio,
Verbis acerbus est quidem, sed re pater.

Sic idem Menander:

Πρὸς υἱὸν ὀργὴν οὐκ ἔχει χρηστὸς πατήρ.
Boni parentis ira nulla in filium.

'Rufamne illam virginem, cæsiam, sparso ore, adunco naso? non possum, pater.' Menander:

Δύ' ἔσθ' ἃ κρῖναι τὸν γαμεῖν μέλλοντα δεῖ,
Ἤτοι προσηνῆ ὄψιν, ἢ χρηστὸν τρόπον.
Τὴν ὁμόνοιαν γὰρ τὴν πρὸς ἀλλήλους ποιεῖ.
In nuptiis spectare res decet duas,
Amabilem aut speciem oris, aut mores probos.
Concordiam nam continent hæc mutuam.

Formam cum probis moribus conjungit hoc versiculo idem Menander:

Ὡς ἡδὺ τὸ κάλλος ὅταν ἔχῃ νοῦν σώφρονα!
Quam grata forma est, cui comes modesta mens!

ADELPHIS. Act. I. Sc. I.

'Et, quod fortunatum isti putant, Uxorem nunquam habui.' Menand.

Ὠκάριόν με! γυναῖκα οὐ λαμβάνω.
O me beatum, qui uxorem habere nolo!

Act. I. Sc. II.

'Quem neque pudet quicquam, nec metuit quemquam.' Menander apud Priscian. lib. VIII.

Ὃς δ' οὔτ' ἐρυθριᾷν οἶδεν, οὐδὲ δεδιέναι,
Τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχει.
Ille vero, qui nec erubescere novit, neque metuere,
Universæ impudentiæ primas tenet.

'Homine imperito nunquam quicquam injustius.' Menander:

Οὐκ ἔστ' ἀνοίας οὐδὲν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ,
Τολμηρότερον.
Nihil imperito videtur esse audacius.

Act. II. Sc. I.

'Minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria.' Menander:

Οἴμοι! τὸ γὰρ ἄφνω δυστυχεῖν μανίαν ποιεῖ.
Hei mihi, ut repentinum infortunium insaniam parit!

Act. II. Sc. III.

'Fratrem homini nemini esse.' Menander:

Ὡς ἡδύ γ' ἐν ἀδελφοῖς ἐστιν ὁμονοίας ἔρως.
Quam jucundus est inter fratres concordiæ amor.

Act. III. Sc. II.

'Quid credas jam? aut cui credas?' Menander:

Μὴ πάντα πειρῶ πᾶσι πιστεύειν ἀεί.
Credenda cunctis esse cuncta ne puta.

Act. III. Sc. IV.

'Quod vos vis cogit,' &c. Vide locum Menandri, quem hic et supra expressit ad Heautontim. Act. II. Sc. III.

Act. IV. Sc. V.

'Tacet.' Menander:

Πολλοῖς ἀπόκρισις ἡ σιωπὴ τυγχάνει.
Apud multos silentium loco responsionis est.

'Erubuit, salva res est.' Menander:

Ἐρυθριῶν πᾶς χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ.
Qui erubuit, esse mihi videtur vir bonus.

'An sedere oportuit domi virginem tam grandem?' Menander:

Θυγάτηρ ἐπίγαμος, κἂν ὅλως μηδὲν λαλῇ,
Διὰ τοῦ σιωπᾷν πλεῖστα περὶ αὐτῆς λέγει.
Filia nubilis, etsi plane nihil loquatur,
Ipso tamen silentio plurimum de se prædicat.

'Menses abierunt decem.' Menander Plotio:

Γυνὴ κύει δεκάμηνος.
Mulier, postquam concepit, mensem agit decimum.

'Dormienti confecturos Deos.' Menander:

Αὐτόματα γὰρ τὰ πράγματ' ἐπὶ τὸ συμφέρον
Ῥεῖ, κἂν καθευδήσῃ, πάλιν τἀναντία.
Sponte sua nam res ad usum manant; sed et, dum quis dormit, rursum contrariæ.

Act. V. Sc. III.

'Communia esse amicorum inter se omnia.' Menander in Adelphis, Erasmo citante:

Τὰ τῶν φίλων κοιν', οὐ μόνον τὰ χρήματα,
Καὶ νοῦ δὲ καὶ φρονήσεως κοινωνία.
Communia amicos inter, non pecuniæ
Tantum, sed et mens pariter et prudentia.

Act. v. Sc. iv.

'Duxi uxorem.' Huc spectat illud Menandri apud Stobæum:
Τὸ γυναῖκ' ἔχειν, εἶναί τε παίδων, Παρμένων,
Πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει.
Uxorem habere, liberorum, Parmeno,
Patrem esse, curas multas in vitam invehit.
Et:
Τὸ γενέσθαι πατέρα παίδων, ἦν λύπη, φόβος, φροντίς.
Liberorum patrem esse factum, mœror fuit, formido, et anxietas.

HECYRA. Act. II. Sc. I.

'Neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperias.' Menander:
Γυνὴ γυναικὸς πώποτ' οὐδὲν διαφέρει.
A fœmina nil fœmina unquam discrepat.
'Postmodum rescisces.' Menander:
Ταῦθ' ὕστερον λάβοις ἂν ἡμαρτημένα.
Quænam sint commissa, hæc tu postmodum rescisces.

Act. III. Sc. III.

'Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.' Apollodorus:
Οὕτως ἕκαστος διὰ τὰ πράγματα σεμνὸς ἦν καὶ ταπεινός.
Ita quisque, ut res dant sese, et gravis et humilis esse solet.

Act. III. Sc. V.

'Salvum atque validum.' Menander:
Εὐτυχοῦντα καὶ σεσωσμένον.
Fortunatum salvumque.

Act. IV. Sc. II.

'Ut ne cui meæ longinquitas ætatis obstet, mortemve expectet meam.' Menander.
Πικρόν ἐστι θρέμμα γέρων ἐν οἰκίᾳ μένων.
Amarulentus est alumnus senex domi manens.

Act. IV. Sc. IV.

'Amaræ mulieres sunt.' Menander apud Stobæum:
Φύσει γυνὴ δησήνιόν ἐστι καὶ πικρόν.
Natura mala mulier atque effrænis est.

Act. V. Sc. III.

'Abhinc menses decem fere.' Vide dictum Menandri, Adelph. Act. IV. Sc. V.

PHORMIONE. Act. I. Sc. II.

'Quod fors fert, feremus æquo animo.' Menander:
Ἔνεγκ' ἀτυχίαν καὶ βλάβην εὐσχημόνως.
Fortunam adversam, dispendiumque, decenter ferto.
'Istuc viri est officium.' Menander:
Τοῦτ' ἔστιν ἀνδρός.
Hoc viri est.

Act. I. Sc. IV.

'Fortes fortuna adjuvat.' Menander apud Stobæum:
Τόλμῃ δικαίᾳ καὶ Θεὸς συλλαμβάνει.
Audaciam justam vel adjuvat Deus.

Act. II. Sc. II.

'Injuriam audisti.' Menander Misogyno.
——— *Ὄμνυμί σοι τὸν ἥλιον*
Η *μὴν ποιήσειν σοι γραφὴν κακώσεως.*
——— Juro Solem tibi,
Injuriarum me tibi scripturum dicam.
'Cum ratione.' ***Rationem***, quod est in Palatino codice, magis placet. Nam ita quoque citat Victor. l. v. c. xx. ubi inter alios versus Menandri hunc adducit:
Τὸ γὰρ τρέφον με, τοῦτ' ἐγὼ κρίνω Θεόν.
Nam quod me alit, id ego plane judico Deum.

Act. III. Sc. III.

'Solus amico amicus.' Apollodorus:
Μόνος γε ἐπίσταται φιλεῖν τοὺς φίλους.
Ut qui solus amicos amare didicit.

Act. IV. Sc. I.

enectus ipsa morbus.' Apollodorus:
Τὸ γῆράς ἐστιν αὐτὸ νόσημα.

'Ego meorum solus sum meus.' Apollodorus:
Ἐγὼ γάρ εἰμι μόνος τῶν ἐμῶν ἐμός.

Act. IV. Sc. IV.

'Dicis quod mali est,' &c. Menander:
——— Λέγεις ἀεὶ τὸ λυποῦν,
Μηδὲν ἀντιπαραιθεὶς τῶν προσλεγομένων.
Semper quod mœrorem affert narras, nihil eorum addens, quod exadversum alloquiis sit idoneum.

COMMENTARIUM

RUFINI V. D. GRAMMATICI ANTIOCHENSIS IN METRA TERENTIANA.

Evanthius in Commentario Terentii de Fabula, hoc est, de Comœdia, sic dicit: Concinna argumento, consuetudini congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro: et postea sic: Veteres etsi usi ipsi quoque metris negligentius iambici versus duntaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione hujus metri quantum comminuti ad imaginem prosæ orationis. Asper in Commentario Terentii sic: Hosce versus agere cœpisset: ĭtă nē pātrĭs ăis ădvēntūm vĕrĭtū hinc ăbīssĕ dŏmūm. Et deinceps quæ sequuntur quadrati. Diomedes sic: Septenarium versum Varro fieri dicit hoc modo, cum ad iambum trisyllabus pes additur, et fit tale: quĭd īmmĕrēntĭbūs nŏcēs? quid invĭdēs ămīcis? Similiter in Terentio versus est: Nām sī rĕmittānt quīppĭām Phĭlūmĕnæ dŏlōrēs. Et in Plauto sæpe tales reperiuntur. Varro de Lingua Latina ad Marcellum sic: Quare in hujusmodi locis poni oportet notam in transversum inter syllabas, frequentius ad extremum versum, senarium, et similes, si pro longa brevem habebunt, ut in hoc: ămīcūs sūmmūs mĕūs ēt pŏpŭlārĭs Gĕta. Charisius sic: Septenarium versum fieri dicit Varro hoc modo, cum ad iambum trisyllabus pes additur, ut præfatum est. Bassius ad Neronem de iambico sic dixit: Iambicus autem cum pedes etiam dactylici generis assumat, desinit iambicus videri, nisi percussione ita moderaveris, ut, cum pedem supplodis, iambicum ferias: ideoque illa loca per-

cussionis non recipiunt alium quam iambum, et ei parem tribrachum: aut si alterius exhibuerint metri speciem: quod dico, exemplo faciam illustrius. Est in Eunucho Terentii statim in prima pagina hic versus trimetrus: ēxclūsīt, rĕvŏcăt, rĕdĕăm? nōn sī mē obsĕcret. Hunc incipe ferire, videberis heroum habere inter manus ad summam: paucis syllabis in postremo mutatis, totus erit herous: Exclusit, revocat, redeam? non si mea fiat. Ponam dubium secundo loco pedem, propius accedam. Hēros ătrīdēs cœlĭtūm tēstor fidem. Varro in VII. Clausulas quoque primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam, ut apud Accium: an hæc jam obliti sunt Phryges? Nonnunquam ab his initium fit, ut apud Cæcilium: Dī bŏnī quĭd hōc? Apud Terentium: discrŭciŏr ănĭmī. Idem Varro in eodem lib. VII. de Lingua Latina ad Marcellum sic dicit: Aut in extremum senarium totidem semipedibus adjectis fiat comicus quadratus, ut hic: Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeo. Trimetros versus iambicos Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum M. Tullius senarios dicit et nominat. Quintilianus etiam trimetros senarios nominavit. Et Flavius Caper in Artibus suis trimetros versus iambicos Terentii senarios appellavit. De metris Terentii et Plauti et ceterum comicorum et tragicorum Victorinus sic dicit: Quantum aut ad versum comicum spectat, ut paululum evagemur, scio plurimos affirmare, Terentianas vel maxime Fabulas metrum ad disciplinam Græcarum Comœdiarum non custodisse, i. quas Menander, Philemon, Diphilus, et ceteri ediderunt. Nostri n. in modulandis rhythmis seu metris, Veteris Comœdiæ scriptores sequi maluerunt, i. Eupolim, Cratinum, Aristophanem: prologos itaque, et primarum scenarum actus trimetris comprehenderunt: deinde longissimos i. tetrametros subdiderunt qui appellantur quadrati: postea in sequentibus variaverunt: modo n. trimetros, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, i. semipede adjecto, vel integro pede iambo vel sesquipede: hæc per medios actus, varie rursus in exitu Fabularum quadratos, quales diximus in secunda scena locaverunt. Sed idem quadrati legitimi cum XVI. syllabis juxta jus proprium constare debeant, plerumque inveniuntur XX. aut amplius syllabarum: hinc existimantur metrum non tenuisse, nec sua lege composuisse. Quod vero ad clausulas, i. minuscula cola pertinet, quot genera versuum sunt, totidem membra pro clausulis poni possunt, et solent in canticis magis quam diverbiis quæ ex

trimetro magis subsistunt, collocari, et præcipue apud Plautum et Nævium et Afranium. Nam hi maxime ex omnibus membris versuum; colis ab his separatis licenter usi reperiuntur in clausulis. Idem Victorinus in alio loco de iambo sic dicit: Improbatur autem apud tragicos, versus ex omnibus iambis compositus; nam quo sit amplior, et par tragicæ dignitati, interponunt frequentius locis duntaxat imparibus pedum dactylicorum moras et spondæum. Similiter apud comicos laxius spatium datum est: nam et illi loca, quæ proprie debentur iambis, spondæis occupant, dactyloque et anapæsto locis adæque disparibus. Ita, dum quotidianum sermonem imitari nituntur, metra vitiant, studio, non imperitia: quod frequentius apud nostros quam apud Græcos invenies. Genera autem iambici metri sunt duo: nam ex iis alia integra, alia clauda, quæ scazonta seu choliamba vocant, sunt: quorum differentiam penultima versus syllaba demonstrabit. Nam, si brevis contigerit, erit rectum et integrum iambicum, ita: Vĭgōrĭs āddĕ cōncĭtūm cĕlĕrēm pĕdem. Sin vero longa, delumbe et claudum, ut est: Novĭtātĕ dūctūs nōn ēst īnscĭūs lēgis. Lē longa, quæ penultima reperitur, metrum corrumpit: hujus repertor Hipponax. Nam, pro iambo inductis trochæis contra legem trimetri iambici, metrum innovavit, quod adæque ex spondæo contingit.

VERSUS RUFINI GRAMMATICI

DE METRIS TERENTII ET PLAUTI ET ALIORUM.

Agnoscit metrum, servatque Terentius artem,
Nam prologos trimetro didicit componere versu,
Scenarumque actus primos pede claudit eodem.
Ut sunt hi versus prologi:
Pŏētă cūm prīmum ănĭmum ād scrībēndum āppŭlit,
Id sĭbĭ nĕgōtī crēdĭdī sōlūm dări
Pŏpŭlo ūt plăcērēnt quās fēcīssēt Fābŭlas.
Vōs īstæc īntro aūfērte, ăbītĕ; Sōsĭa
ădesdūm paūcīs tē vŏlo. Dīctūm pŭta.
Tetrametros sequitur quem finxerat ille Boiscus.

Quales sunt isti versus:
Mīrābăr hōc sī sīc ăbīrĕt, ĕt hĕri sēmpēr lēnĭtas.
Qui sequitur dimetrus est, id est, quatuor simplices pedes habet:
Vĕrēbār quōrsum ēvādĕrĕt.
Item tetrametri similes hi de iambo:
ĕnīmvērō Dāvĕ nĭhīl lŏci ēst sēgnĭtĭæ, nĕquĕ sōcōrdĭæ.
De iambo trochaicum archilochicum unde fieri dicunt metrum.
Creticon Archilochus supra caput addit iambi.
Quales sunt isti:
Dĭī bŏnī quīd pōrtō.
Sĕd ŭbi īnvĕnĭām Pāmphilum.
Lætŭs ēst nēscĭō quĭd.
Nĭhĭl ēst, nōndūm hæc rēscīvīt măla.
De iambo Hipponactico,
Ultimus amphibrachys velocem claudit iambum,
Aut bacchius erit finis discrimine nullo,
Utitur Hipponax hoc metro maximus auctor.
Quales sunt hi versus:
Nē fōrte īmprūdēns făcĭām quōd nōlim, scĭēs căvēbo.
Nām sī rĕmīttānt quīppiām Phīlūmĕnæ dolores.
Legitimum interdum sub scenis ponit iambum.
Obsequium amicos, veritas odium parit.
Utitur his Plautus metris et mille poëtæ.
De pedibus quibus hæc consistunt metra notabis:
Dactylus aut spondæus inest, vel cursor iambus,
Aut anapæstus erit, positi discrimine nullo
Partibus in quinis: nam post celer extat iambus.
Pyrrichiusve citus finem concludere possit.
Ut sunt hi tales:
Exclusit, revocat, redeam? non si me obsecret:
Quod plerique omnes faciunt adolescentuli.
De nomine talium versuum sive metrorum.
Græcus apamphænonta solet memorare poëta.
Immanifesta vocant hæc carmina voce Latini.
Hunc trimetrum veteres Graii cognomine dicunt,
Quod pedibus junctis hunc scandere sæpe solebant.
Ponitur aut scazon, spondæum finis habebit.
Quales sunt isti:
Nec fonte labra prolui caballino:

Nec in bicipiti somniasse Parnasso.

De metris comicis:

Tetrametros trimetrosque capit Comœdia versus.
Tetrametrum primus fertur posuisse Boiscus,
Creticon Archilochus trimetro superaddidit ingens,
Amphibrachum trimetro Hipponax supponit iambo.
Fulserat hac Plautus, pulcherque Terentius arte.

Terentianus de iambis Fabularum sic dicit.

Culpatur autem versus in Tragœdiis,
Et rarus intrat ex iambis omnibus,
Ut ille contra qui secundo et talibus
Spondæon, aut quem comparem receperit:
Sed qui pedestres fabulas socco premunt,
Ut quæ loquuntur sumta de vita putes,
Vitiant iambum tractibus spondaicis,
Et in secundo, et in ceteris æque locis.
Fidemque fictis dum procurant fabulis,
In metra peccant arte, non inscitia,
Ne sint sonora verba consuetudinis,
Paulumque rursus a solutis differant.
Mage ista nostri: nam fere Græcis tenax
Cura est iambi, vel novellis comicis,
Vel qui in vetusta præcluent Comœdia.
Aristophanis ingens emicat solertia,
Qui sæpe metris multiformibus novus
Archilochon arte est æmulatus musica.

Sisenna in Commentario Pœnuli Plautinæ Fabulæ sic: Halonium Pœni dicunt Deum, et producenda syllaba metri gratia exigit iambus.

Scaurus in commentario Plauti in Pseudulo dicit: Malai *διαίρεσις* metri causa. Scaurus in eadem Fabula sic: Nunc iam; jam divisit in duas syllabas metri causa.

Sisenna in Rudente sic: Fuit extenta prima syllaba metri causa: et postea sic: Habiliore metro usus est, ut solet in mulierum oratione. Postea sic: Latronem producit metri causa.

Idem Sisenna in Amphytrione sic: His quatuor generibus quintum accedit, de genere versuum qui non sunt uniusmodi.

Idem Sisenna in Captivis sic: Hic ornatu S literam metri causa amisit.

Idem Sisenna in Aulularia sic: Hæc scena anapæstico metro est, sed concisa sunt, ut non intelligas.

Juba in libro quarto sic dicit: Iamborum itaque exempla quæ maxime frequentata sunt subdidi: *πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε. Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατήρ. ξανθῇ παλαιῇ γρηῒ, πολλῇσιν φίλῃ. οἴδ' ὑπὸ γὰρ ὑμῶν παρετάθη καὶ Περικλέους. ἱμάτιων ἐφόρει μαλακὸν ἐρίων Σικελικῶν. τόδε προσκεφάλαιον, φησὶν, ἅμα σοὶ βούλομαι.*

Videre non vult Cœlium Panætius.
Misera marino quæ tumida littore.
Valles per imas amne labens cœrulo.
Armiger in Ida pede vago littora petens.
Cœrula, non aliter superans liquida malaciæ.
παρὰ σοφοῦ μάθε κλύων ὅσα τίσαν καταμάθοι.
Rape faces, cape puer, sopor abit, cane melos.

In alio loco sic: Iambicum metrum non ex solis iambis conscribitur, sed quinque suscipit pedes, id est, iambum, tribrachum, anapæstum, dactylum, et spondæum, hoc est, iambum et spondæum et solutiones eorum, scilicet ex iambi solutione tribrachum. Nam, si sequentem longam syllabam in duas breves solvas, fiet de iambo tribrachus. Spondæi autem solutiones duas, dactylum et anapæstum. Nam, si prior syllaba spondæi solvatur in duas breves, fiet anapæstus: si vero secunda, fiet dactylus. Unde datur intelligi, iambica metra de iambo et spondæo fieri, et de eorum solutionibus.

De choliambo sic: Est autem proceritas ejusdem versus qui unius pedis differentia nomen amittit; nam, quod sexto loco, qui locus par est, non iambus, sed spondæus vel trochæus accipitur, et a longa incipit syllaba, claudum carmen facit, et choliambicum nominatur, ut est: *Ὦ κλαζομένοιο βούπαλος κατέκτειθεν Ἀκούσαθ' Ἱππώνακτος. οὐ γάρ. ἀλλ' ἥκω*: 'O quæ tenerulæ comparis tenes crinem, Sudes in ista via latet fossa.' Quod autem binis pedibus, et non singulis scanditur, vetus institutum est: quippe Herodotus, antiquus historiæ auctor, cum de heroico diceret versu, quem singulis partiri pedibus moris est, ita dixit: *καί σφιν ἠπίθυνα φήσω ἄλυσιν.* Unde apparet heroicum singulis pedibus scandi etiam apud Veteres solitum, iambicum autem binis. Idem autem ait, cum de Archilocho Pario refert, qui Gigæ fabulam optime com-

plexus est ita: Γίγεω αὐτοῦ καὶ Ἀρχίλοχος Πάριος κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεγονὼς ὑπέμνησεν ἰάμβῳ τριμέτρῳ. Meminit autem versus ejus Herodotus, quem applicui, Ὧι μήτε Γίγεω πολυχρύσου μέλει. Et hactenus de catalectico trimetro dictum. De octometro Boiscio idem sic dixit: Octometrum catalecticum quod appellatur Boiscium. Βοΐσκος, ὁ ἀπὸ Κυζικοῦ, παντὸς γραφεὺς ποιήματος, τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον Φοίβῳ τίθησι δῶρον.

Boiscus iste Cyzico novi repertor carminis:
Nam primus versum octonum pedum Deo dicaverat.

Firmianus ad Probum de metris Comœdiarum sic dicit: Nam quod de metris Comœdiarum requisisti, et ego scio plurimos existimare Terentianas vel maxime fabulas metrum non habere Comœdiæ Græcæ, i. Menandri, Philemonis, Diphili, qui trimetris versibus constant. Nostri enim Veteres Comœdiæ scriptores in modulandis fabulis sequi maluerunt Eupolim, Cratinum, Aristophanem, ut præfatum est. Mensuram esse in fabulis, hoc est μέτρον, Terentii, et Plauti, ac ceterorum comicorum et tragicorum dicant hi: Cicero, Scaurus, Firmianus, Varro, Victorinus, Cæsius Bassus, Terentianus, Cæcilius Vindex, Sisenna, Cinna, Diomedes, Albinus, Quintilianus, Sosipater Charisius, Helenus, Asper, Flavius Caper, Aruntius, Probus, Plinius Evanthius, Sacerdos qui et Domatus, Juba.

Hæc ego Rufinus collegi mente benigna,
Discipulisque dedi munera pulchra libens.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS
DE METRIS.

Comici Latini multam libertatem sibi usurparunt in versibus, sed nemo largius Terentio: adeo ut apud priscos quoque fuerint qui judicarent, in hujus Fabulis nullam esse carminum legem. Sed hos falli manifestum est. Rursus fuerunt qui non negarunt, ab hoc servari metrorum leges, sed ob immodicam libertatem non esse operæ pretium torqueri doctos carminum dimensione, quod et res sit immensi laboris, nec ita multum inferat frugis. At ego ab utroque genere dissentio: nam, ut manifestius est, quam ut egeat probatione, Terentii Comœdias versibus constare: ita, qui negligendam putarunt metrorum rationem, frequenter Poëtæ ser-

monem corruperunt, dum aliam vocem pro alia subjiciunt, quod nimium sæpe usu venit scribis, in auctoribus solutæ dictionis: dum addunt atque adimunt: dum verborum invertunt ordinem. Nonnihil etiam hic peccarunt eruditi, qui, dum carminum genera distinguunt ac dimetiuntur, parum attenti, interjecerunt verba quædam, ut explerent versus hiatum, aut resecuerunt quod videbatur superesse. Videtur autem studio factum a Terentio, ut dissimulato carmine quam proxime accederet ad orationem solutam: quod idem affectasse videtur Horatius in Sermonibus et Epistolis. Hinc tanta in dimetiendo difficultas, ut existimem ipsum Donatum, aut Cornutum, aut Asperum, si viverent, in locis aliquot vel hæsuros, vel inter se dissensuros. Proinde nos quatriduanam opellam sumsimus, ut adolescentulis aliquam hujus difficultatis partem adimeremus, non quidem in omnes Fabulas, sed in unam perpetuo, et in ceteris carptim: quo ceu filo adjuti sese facilius e ceteris explicent labyrinthis. Constant autem hujus Fabulæ his ferme metrorum generibus. Iambico trimetro, qui et senarii dicuntur a numero pedum. Iambico tetrametro, qui ab aliis quadrati, ab aliis octonarii dicuntur: monometrum ac dimetrum raro interjicitur. In hoc genere quovis loco pro iambo ponit tribrachyn, spondæum, dactylum, anapæstum, modo totius carminis penultima syllaba sit brevis. Siquidem in hoc versu: 'Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius:' omnes spondæi sunt, excepto ultimo, cujus generis et alios aliquot reperias. Eandem libertatem sumit in trochaicis tetrametris catalecticis, satis habens si totius carminis penultima sit brevis. Illud tamen ubique cavetur, ne vel trochæus ingrediatur iambicum carmen, vel iambus trochaicum. Iambicum tetrametrum interdum in fine fraudatur una syllaba, producta penultima, quoties iambico dimetro acatalectico accinitur dimeter catalecticus. Veluti si, 'jam lucis orto sidere,' accinas 'Cultor Dei memento.' Quanquam in hoc quoque genere usurpatur, cum communis, de qua dictum est, comicorum libertas, tum illa peculiaris, quod pro penultima longa ponit interdum duas breves. Exemplum est in actus quarti scena secunda (Andriæ): 'Jam ubi ubi erit, inventum tibi curabo, et mecum adductum:' hic penultima producta est. Ibidem, 'Orare jussit, si se ames, hera, jam ad sese venias.' Item, 'Hanc expetivi, contigit, conveniunt mores, valeant:' in his pro penultima longa ponuntur duæ breves. Hos versus etiam scazontes appellant. Est scazontis

genus diminutum: quod dimetro iambico accinit duos trochæos, velut in actus tertii scena secunda.

'Adhuc Archillis quæ adsolent:' hic dimeter est. 'Quæque oportet:' duo sunt trochæi. Contra in aliis additur pes legitimo numero. Interim prior carminis pars est trochaica, posterior iambica, et contra. Admiscentur interdum et cretici, sive amphimacri, qui pes mediam habet brevem inter extremas longas: sic ut singuli versus habeant quaternos aut ternos creticos, nisi quod hic quoque usurpatur libertas comica, sicut in ceteris. Exemplum est in quarti actus scena prima: 'Ut malis gaudeant, atque ex incommodis.' Quatuor cretici sunt, nisi quod tertius est spondæus. Ibidem: 'Tum impudentissima eorum oratio est.' Tres habet creticos. Quanquam arbitror prius carmen vitiatum mutato dictionum ordine. Etenim, si sic legas, et tamen res cogit denegare, ***Ibi tum eorum impudentissima oratio est***, ut posterior versus excipiat synalœpham prioris, carmen probe constat. Quidam tamen malunt hic esse trimetros Trochaicos catalecticos. Iambici trimetri facilior est dimensio, cum penthemimeris finit dictionem. Velut, 'Effertur, imus.' Et, 'Sic cogitabam.' Difficilior, cum contra: ut, 'Honesta et liberali: accedo ad pedissequas:' in 'be' cæsura est. Idem efficiunt crebræ synalœphæ: ut ibi, 'Quæ ibi aderant, forte unam aspicio adolescentulam.'

In tetrametris item iambicis ac trochaicis durior est dimensio, si prior dimeter non finiat dictionem, præsertim si non sit iambus, aut si accedat synalœphe: ut, 'Meum gnatum rumor est amare: id populus curat scilicet.' Prior dimeter finitur in 'ma,' syllabam productam: et excipitur a synalœphe 're id.' Rursus ibidem: 'Qui postquam audierat non datum iri,' &c. Prior dimeter desinit in 'i,' admixta synalœphe. Turbat et illud lectorem minus exercitatum, quod interdum repente miscet iambica cum trochaicis, trimetra interdum et dimetra aut monometra cum tetrametris, acatalectica cum catalecticis, cretica cum iambicis ac trochaicis: quod locis aliquot annotavimus in margine. Ea mixtura maxime fit, ubi res sunt turbulentiores. Fit interdum, ut scena prior desinat in hemistichium, et ab hujus clausula incipiat scena proxima: velut in Andriæ actus tertii scena tertia, 'Sed eccum video ipsum foras exire.' Dimeter est plenus cum sesquipede. Perficitur initio scenæ sequentis: 'Ad te ibam; quidnam est?' ut sit scazon tetrameter catalecticus. Nonnunquam dictio, quæ pertinet ad sensum versus sequentis, per elisionem annectitur fini præcedentis: ut in Prologo Eunuchi: 'Qui bene vertendo et eas describendo male, ex Græcis bonis,' &c. Durius est, cum dissecta dictione prior syllaba finit versum, reliquæ incipiunt sequentem, ut Eunuchi actus tertii scena prima: 'Continuo si quando illa dicet, Phædriam intromittamus comessatum, tu Pamphilam.' Elisiones item et synæreses, præsertim minus usitatæ apud recentiores, faciunt ut lector impeditus frequenter hæreat in carmine. Eliditur autem in comicis versibus v consonans, ut in I. scena: 'Sine invidia laudem invenias et amicos pares.' Rursus ibidem: 'Liberius vivendi fuit potestas, nam antea,' &c. Item in scena tertia: 'Enimvero, Dave, nihil loci est,' &c. Carmen enim incipit ab anapæsto. Et ante in scena prima: 'Enimvero spectatum satis.' Eliditur et s, tum in fine, tum in media dictione. In fine, ut in prima scena: 'Sed quid opus est verbis?' Sed quid opu'st. Elisa simul et vocali e.

Idem fit in 'satis:' 'Nec satis digna cui committas,' &c. Rursus in Prologo Andriæ fit in medio dictionis: 'Id isti vituperant:' aliisque locis compluribus, quorum aliquot in margine annotavimus. Interdum elidunt l, ut in prima scena Andriæ, 'Pro uxore habere hanc peregrinam, ego illud sedulo:' ut 'grinam ego il' faciant dactylum. Hanc libertatem frequenter usurpat Homerus, dum s elidit in 'Οδυσεὺς, et l, in 'Αχιλεύς. Sæpenumero contrahuntur vocales, velut in his, 'fuit,' 'Deos,' 'dies,' 'meus,' 'suus,' 'scias,' 'nihil,' 'mihi,' ut sint monosyllaba. Similiter 'ei,' 'hujus,' 'cujus,' monosyllaba ponuntur subinde: 'eorum,' 'meorum,' dissyllaba. 'Liberius vivendi fuit potestas:' 'di fuit' facit spondæum. 'Scias posse habere jam ipsum suæ,' &c. 'Scias posse' spondæus est: et 'suæ' unica syllaba est. 'Meum gnatum rumor est amare.' 'Meum gna' spondæus est. Item 'antehac' dissyllabum est: 'Nam quod antehac fecit.' Frequenter eliditur d in 'quid,' et 'sed' pro vocali, et, sicut in 'periculum' elidimus u, idem hic facit in 'paululum' et 'annulum.' Quin et syllabæ quædam aliter pronuntiantur, quam apud recentiores usurpatæ sunt; velut in 'suspicio' secunda producitur: unde factum est, ut quidam legant ***suspectionem***. Rursum in 'cave,' 'vale,' 'mane,' et 'ubi' finalis corripitur. Minimo momento mutatur genus carminis, velut in actus quarti scena I. Si legas, 'In denegando modo quis pudor est paululum,' trimeter est iam-

bicus. Rursus, si 'In' annectas fini versus præcedentis, versus constabit quatuor creticis: Denegan-do modo-quis pu-dor est paululum. Si in 'modo' facias pyrrhichium, erit trimeter trochaicus catalecticus: Dene-gando modo quis pu-dor est-paululum. Porro inter iambicos tetrametros acatalecticos et trochaicos tetrametros catalecticos tanta est affinitas, ut interdum nihil referat eundem versum utrum per iambos an per trochæos metiaris: velut in actus tertii scena quarta, 'Utinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me præcipitem darem.' Si 'mihi' facias unicam syllabam, trochaicus est: si duas, iambicus est: quale est et in actus v. sc. I. 'Satis jam satis, Simo, spectata erga te amicitia est mea.' Item sequens: 'Satis pericli cœpi adire, orandi jam finem face.' Licet per iambos vel per trochæos metiri. Hujus generis sunt et alii complures.

RIVII CASTIGATIO.

Cum prodiisset anno abhinc fere septimo Terentius, doctissimi viri Philippi Melanchthonis opera diligentiaque restitutus, una cum argumentis ejusdem et annotatiunculis, non mehercle dici potest, quantum hoc nomine statim gratulandum studiosis omnibus existimarim: idque jure adeo ac merito. Videbam enim fore brevi, ut optimus Latinitatis auctor, qui innumeris ante mendis scatebat, nunc paulo castigatior majori cum voluptate, atque adeo majore cum fructu, quam antea, a ludimagistris pueritiæ prælegeretur. Quæ adeo non fefellit conjectura, ut, distractis magno bibliopolarum commodo exemplaribus, rursus excudi cœptus sit Vitembergæ: mox a Joan. Secerio Haganoæ: post etiam Norimbergæ: præterea apud Coloniam Agrippinam, ab Euchario primum Cervicorno: iterum a Joan. Sotere: tertio denique a Joan. Gymnico, viro optimo, et mihi vetere necessitudine conjunctissimo. Ad hæc Moguntiæ aliquoties et Argentorati: ut de ceteris taceam. Interim cum ipse quoque eum auctorem studiosis quibusdam enarrandum suscepissem, sensi tandem, id quod erat, Melanchthonem, gravioribus rebus occupatum, utque ipse pro sua modestia ingenue fatetur, veteribus exemplis haud satis instructum, non ab omnibus omnino mendis (absit invidia dicto) Comici nostri Fabulas vindicare potuisse. Et jam per totam prope Germaniam nulla facile præter Philippi exemplaria probabantur, aut manibus studiosæ juventutis terebantur. Id eximii viri auctoritas effecerit, an ipsa res atque utilitas extorserit, nihil habeo dicere. Quæ nos quidem res primum movit, ut, perquisitis antiquis exemplaribus et manu scriptis et impressis, locos plurimos depravatos, quos ille inemendatos reliquerat, corrigere conaremur. Quid nostra diligentia consecuti simus, aliorum esto judicium. Hoc certe jure affirmare posse videor, ex impressis nullum uspiam extare hodie exemplar, quo in exemplari plures loci correcti sint, quam in eo, quod nos aliquando in publicum daturi sumus. Id ita esse cum res, ut puto, testabitur, tum editio olim nostra, si cum aliis conferatur. Etenim vi summa jampridem atque omni ope, et plus demum quam pro virili parte, uti omnium ante nos recognitionem vinceremus, annitendum mihi existimavi. Interim locos plurimos a nobis, quanta licuit, cum fide et religione, tum diligentia, studio, labore castigatos, pristinoque, ut opinor, nitori integritatique redditos publicavimus, et quidem nullo majore verborum apparatu: quandoquidem, ut ille canit, 'Ornari res ipsa negat, contenta doceri.' Quod si laude merita, qui unum alterumve in Auctore quopiam illustrant aut restituunt locum, non fraudantur, cur non ipse quoque sperem nonnullam me a studiosis gratiam initurum, qui tot in Terentio locos, fortasse non inepte prorsus, diligenter quidem, et magna cura certe, ab omnibus mendis vitiisque repurgarim? Tametsi haud sane dissimulavero, hærere ipsum me plerisque in locis, et quædam, de quibus parum adhuc liqueat, ampliare, et quid in his potissimum sequar, haud dum exploratum satis habere, in tanta præsertim exemplarium antiquorum cum dissensione et discrepantia, tum monstrosa alicubi etiam depravatione: ut suis locis ostendemus. Quod cur tandem me fateri ingenue pudeat? Par est autem, quod publicæ a nobis studiosorum utilitati datur, id quale etiam cumque boni consulere. Præstet alius quivis, quantum nos: nec dubitem omni asseveratione confirmare, parum adeo fore, quod in Terentio quis desiderare habeat. Variam interdum ex veterum auctorum citationibus, et antiquorum inter se codicum repugnantia, lectionem indicavi: ita demum, quid mihi videatur, conjecturis subditis ostendens, liberum ut tamen lectori judicium semper relinquam. Qua in re mihi nihil fuit potius, quam ut Donati, ubicumque liceret, fidem sequerer, interpretis undecumque doctissimi,

ab eoque ne transversum quidem, ut aiunt, digitum discederem: sed citra superstitionem tamen, et cum judicio semper. Ceterum, cum plerosque fore suspicemur, qui, quod carminis rationem ignorent, vix apte satis his de rebus judicare queant; visum est subjicere nonnulla hic, quæ velut januam patefaciant, et viam, ut dicitur, præmuniant imperitioribus: quo certius de recognitione nostra judicium facere et sententiam ferre possint. Igitur comici Plautus et Terentius metro fere utuntur vel iambico, vel trochaico, vel utroque simul confuso. Iambicum vel monometrum est, quod duobus pedibus simplicibus constat: vel dimetrum, quod quatuor: vel trimetrum, quod sex, qui et senarii dicuntur M. Tullio et Fab. Quintiliano: vel tetrametrum, quod octo; qui et quadrati appellantur, et octonarii. Ex hisce trimetro comici et tetrametro maxime utuntur: aliis raro, et in medio fere (sicuti Priscianus annotavit) distinctionis causa. Quod ad pedes attinet iambici, magna libertate comici indifferenter ubivis ponunt, iambum, tribrachyn, anapæstum, dactylum, spondæum: in fine plerumque, aut iambum, aut pyrrhichium, nunquam nisi in scazonte spondæum. Utitur Terentius sæpe in iambico, pede quatuor syllabarum brevium proceleusmatico, idque per resolutionem spondæi: ut in Andria: 'Mala mens, malus animus, quem quidem ego si sensero:' hic secundo loco est proceleusmaticus. In eadem: 'Tibi generum firmum, et filiæ invenies virum:' hic prima regione idem pes. Est autem duplex iambici genus: alterum rectum perfectumve vocatur, alterum σκάζον ἢ χωλίαμβον: cujus penultimam in fine longam esse oportet. Utriusque meminit Ovidius, cum canit, 'Liber in adversos hostes stringatur iambus, Seu celer, extremum seu trahat ille pedem.' Utitur identidem poëta iambico tetrametro catalectico: id est, cui syllaba in fine desit: quo in catalectico, sibi inter alia hoc quoque permittit, ut pro penultima longa haud raro duas breves ponat, quod facile qui versus in suos pedes digerere volet, sic habere comperiet. In trochaicis comici indiscrete interdum dactylos, vel trochæos ponunt, nimirum quo pæne dissoluta et pedestri simillima esse videatur personarum sermocinatio: cujus ipse Priscianus meminit, apud quem Victorinus non minus libere, quam vere ait, comicis, dum quotidianum sermonem imitari nituntur, metra vitiare studio, non imperitia; quod et Terentianus testatur hisce versibus: 'Fidemque fictis dum procurant fabulis, In metro peccant arte, non inscitia.' Tanta autem affinitas est inter

trochaicos et iambicos tetrametros, vix ut discernere interdum possis: unde nimirum fit aliquoties, ut, quos forte aliquis iambicos esse crediderit, iidem trochaici verius censeri queant. Cujus rei cum alia multa exempla sunt, tum commodissimum fuerit ex Andria, scena prima actus quinti: ubi duos primos versus, vel per iambos aliquis, vel per trochæos metiri possit, nisi quod insequentes versus per trochæos esse metiendos indicant. Inde error eorum, qui iambicos quadratos esse annotarant, cum quivis non rudissimus plane harum rerum trochaicos esse videat. Hic illud obiter, quamvis leve, admonendum puto: mire interdum Poëta de industria sententiam genere ipso metri juvare videtur: velut ibi: 'Dii boni, boni quid porto? sed ubi inveniam Pamphilum? Ut metum in quo nunc est adimam, atque expleam animum gaudio,' &c. Ubi trochaici carminis cursu et volubilitate festinationem repræsentat servuli insolenter exultantis, et alacritate nimia gestientis. Quocirca passim trochæos, tribrachos, anapæstos admiscuit: pedes scilicet, quibus celeritas plerumque a ceteris item poëtis exprimi solet. Similiter in Eunucho subitum egressum puellæ perturbatæ celeritate ipsa pedum expressit: ubi Phædria: 'Sed quid hoc est,' inquit, 'quod timida subito egreditur Pythias?' Hoc dedita opera Poëtam ita fecisse, vel illud indicio fuerit, quod, cum ceteri hujus scenæ versus iambici sint, unus hic trimeter trochaicus esse videatur. Et alioqui solet interdum Poëta mutare metri genus, cum ventum est ad παρασκευὴν scenæ sequentis: velut in And. act. I. scena 3. et rursus act. III. scena 4. Iterum act. IV. scena 1. In Hecyra act. III. scena 3. Præterea in Phorm. act. II. scena 2. Sic alias sæpe. Tale illud quoque ex Adelphis: 'Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, et prosternerem.' Cui est aliquod aurium judicium, is facile sentiet, cur sit Poëta trochaico usus hoc loco: nimirum ut sensum quodam veluti cursu pedum citorum juvaret: quod et principem poëtarum Virgilium sæpe factitasse constat. Nam, ut tarditatem rei difficultatemque exprimere cum vult, crebris spondæis; ita, cum celeritatem et velut impetum et festinationem, dactylis frequentibus utitur. Prioris exemplum illud est ex tertio Æneidos: 'Annixi torquent spumas et cœrula verrunt.' Posterioris illud ex quarto: 'Idem omnes simul ardor habet, rapiuntque ruuntque. Littora deseruere,' &c. Sed nimis multa, de re præsertim levi. Observabit hæc aliaque id genus per se ipse lector studiosus. Illud non ignorandum, co-

micos s literam consonantem haud secus elidere solitos, ac si vocalis esset, idque frequentissime: quod et Ennium in heroicis, et vetustissimos quosque facere consuevisse, ut et Virgilium interdum, docti annotarunt; velut in Andria, 'Herus me relictis rebus jussit Pamphilum:' hic prima regione anapæstus est, s eliso. In Eunucho: 'Jugularas hominem: quid ille? TH. Mutus illico.' Hic in verbo 'jugularas' s eliditur: ut sit secundo loco anapæstus, tertio iambus. Nisi quis dicere ausit pronomen 'ille,' velut ablato altero l, corripi, more imitationeque Græcorum, quod (ut ego sentio) paulo fuerit coactius. Quamvis apud hosce fateor alteram nonnunquam de geminatis consonantibus in versu tolli κατὰ παρέλλειψιν, quo syllaba positu longa corripi queat. Et solent Latini in multis (ut diligenter annotavit Priscianus) initium aliquod accipientes a Græcis, ab angusto in effusum licentiæ spatium hoc dilatare. Sed hoc suæ cujusque conjecturæ relinquo. Illud quidem non est ut inficiari queam, videri interdum l elidi apud comicum nostrum, quoties adest pronomen 'ille:' ut in Eunucho: 'Manendum est soli sine illa? quid tum postea?' In Heauton. 'Nec tibi ille est credere ausus, quæ est æquom patri.' In Adelphis: 'Quid is fecit? DE. Quid ille fecerit? quem neque pudet.' In Hecyra: 'Non tibi illud factum minus placet quam mihi, Lache.' In Phormione: 'Ille qui illam amabat fidicinam, tantummodo,' &c. Sunt id genus sexcenta apud Terentium. Fuisse autem cum non geminaretur l in hoc pronomine, videor ex Sex. Pompeio deprehendisse libro I. Παρελλείψει contraria figura est διπλασιασμὸς, qua ipsa frequenter Poëta utitur ad producendam syllabam alioqui brevem: ut in Adelphis 'relliquum' pro, reliquum, et alibi 'rettuli,' 'repperi,' atque id genus alia. Sed pergamus. V quoque consonantem Comici perinde ac vocalem in media dictione elidunt: quod apud Terentium in dictionibus 'invidia' et 'enimvero' fieri videmus: apud quem ipsum 'cujus,' 'hujus,' 'ejus,' similesque particulæ monosyllabæ fere sunt: quod ita demum frequens est, ut non putem de eo subjicienda exempla. Illud præterea sæpenumero usu venit, ut prima versus sequentis, qui a vocali incipiat, ab ultima superioris absorbeatur; velut in illo: 'Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas:' ubi 'Ex' absorbetur ab adverso 'male,' quo versus præcedens clauditur. Et in Prologo Hecyræ: 'Ego interea meum non potui tutari locum.' Prior syllaba in pronomine 'Ego' pertinet ad versum superiorem. Contra, apud Virgilium, ultima præcedentis initio quandoque insequentis absorbetur: quale est: 'Ecce furens animis aderat Tyrinthius, omnemque Accessum lustrans.' Cujusmodi versus ὑπέρμετροι dicuntur, sicuti præter alios Diomedes ostendit. Qualis ille etiam, apud Terent. in Andr. 'Tuus pater modo me prehendit, ait tibi uxorem dare sese Hodie:' item alia multa, &c. Sic enim ex observatione antiquorum codicum legimus; nec secus Donatus, ut quidem et Romana habet et Veneta editio, consentientibus et aliis quibusdam. Hic igitur illud 'se' in fine prioris absorberi necesse est initio sequentis, quod et alias fit apud eundem. Sunt autem versus trochaici, et, qui volet metiri, sic plane habere comperiet. Talis est ille ex Hecyra: 'Disjunxit illum ab illa, postquam et ipse sese Et illam et hanc quæ domi erat cognovit satis.' Tales etiam apud Plautum sæpe occurrunt: velut in Aulularia: 'Censen' talentum magnum exorari potesse Ab istoc sene,' &c. Quid autem mirum, si in trochaicis iambicisque reperias ὑπερμέτρους, cum in Sapphicis etiam invenias apud Horatium? Utuntur Comici et diæresi identidem, quomodo in Adelphis 'jam' semel atque iterum disyllabum legitur, ut et apud Plautum nonnunquam. Ita apud Catullum, 'soluit:' apud Horatium, 'syluæ:' apud Statium, 'suäsit.' Et contraria huic figura Synæresis, quæ et ἐπισυναλοιφὴ dicitur, qua duas in unam syllabam contrahunt: ut, 'servibas,' pro, serviebas; 'scibas,' pro, sciebas: sicuti apud Virg. 'Ferreíque Eumenidum thalami,' et sæpe alias. Frequens etiam est apud Terentium in versuum mensione συναλοιφὴ, quæ fit, cum in diversis dictionibus vocalium inter se coëuntium altera velut obliteratur, et ἔκθλιψις, quoties m cum vocali præcedente excluditur. Quanquam non semper idem elidi solitum apud Veteres testatur Priscian. lib. I. velut apud Terentium in Eunuchi act. III. scena 3. 'Una ire cum amica imperatorem in via.' Est enim secundo loco tribrachys. Quod si m elidatur, erit ibidem pyrrhichius, cui nullus in iambico locus. Sic alibi: 'Primum istam, quam habes, unde habes vestem? taces.' Eodem modo apud Juvenalem, 'Cum propter plurima tum his Præcipue causis,' Satyra IX. De figuris ceteris nihil hic dicendum puto.

ANTONIUS GOVEANUS
DE VERSIBUS TERENTIANIS.

Terentiani versus aut iambici sunt, aut trochaici. Iambici pedes duos recipiunt, iambum et spondæum, et in quos ii dissolvuntur, nullos præterea. Trochaici item duos, trochæum et spondæum, et in quos ii dissolvuntur, nullos præterea. Iambici aut monometri sunt, aut dimetri, aut trimetri, aut tetrametri. Monometri unam habent mensuram, hoc est, pedes duos, duas dimetri, tres trimetri, hoc est, pedes sex, unde a Latinis senarii dicti sunt. Tetrametri quatuor, hoc est, pedes octo: qui et octonarii a Latinis, et quadrati, et longissimi dicuntur. Monometri et trimetri justæ semper sunt mensuræ, et veri semper iambici, hoc est, pedem ultimum semper habent iambum. Dimetrorum et tetrametrorum justæ quidem sunt mensuræ, qui acatalectici vocantur, iique veri semper apud hunc auctorem sunt iambici. Injustæ quidam mensuræ sunt, et ii non semper veri sunt iambici, sed ut plurimum spondæum aut dactylum ultima sede recipiunt, dicunturque Scazontes. Injustæ autem esse versus mensuræ modis duobus accidit: aut enim justo syllaba minores sunt, aut majores: illi, catalectici; hi, hypercatalectici sunt nominati. Dimetri ut multi sint catalectici, ita nulli hypercatalectici reperiuntur. Nunc trochaici aut dimetri sunt, aut tetrametri, catalectici omnes, vel hypercatalectici, et ii octonarii: nulli siquidem dimetri hypercatalectici sunt. Nimis fuere ingeniosi qui denarios versus in Terentio sunt commenti, qui pentametros iambicos, qui dimetros redundante pede, qui dimetros creticos, qui creticos monometros redundante pede, qui e cretico uno versum brevissimum, qui creticos in quibus pro cretico poneretur molossus, poneretur et iambus, qui senarios iambicos hypercatalecticos, qui monstra illa versuum e trochaicis et iambicis conflata. Porro nec ab iambicis ad trochaicos, nec ab iis ad illos transit Poëta, nisi (quæ vetus doctorum fuit opinio, longo a me intervallo renovata) res id aut postulet, aut certe ferat. Quomodo autem id res aut postulet, aut ferat, suis locis in iis Commentariis docebimus, quos in Terentium paramus. Quæ poëtarum more licere sibi voluit Terentius (quæ quidem pauca sunt) hæc animadverti: in unam contrahit syllabam, meus, tuus, suus, Deus, Deum, Deos, Deæ, prior, puer, rei, eho, fuit, ea: in duas, eadem, eodem, duarum: dissolvit, jam, in syllabas duas; in tres, vero; in quatuor, virginem; in quinque, ejusmodi. Redducere, redductus, relliquus, geminata effert consonante. Literam, quæ in, optimus, extrema est, tollit frequentissime: extrema prioris versus vocali est cum ad inchoandum sequentem utatur: est cum, si forte vocalis sit, a vocali quæ sequentem inchoat versum elidi velit, quemadmodum quæ sequentem inchoat ab ea interim absumitur vocali quæ præcedentem cludit. Hæc judicio nostro sunt, quæ de versibus Terentianis et præcipi debuerunt necessario, et vere potuerunt.

JULII CÆSARIS SCALIGERI LIBER,
DE COMICIS DIMENSIONIBUS.

Ad Silvium Cæsarem filium.

Quibus artibus poëtarum ingenia excolerentur, cum esset a nobis duobus libris explicatum; non prius absolutum fuisse opus illud videbatur, quam addita de versibus comicis commentatione institutum teneremus. Nam, cum de origine, generibus, partibus Fabularum, quæ in scenam afferrentur, et ab aliis olim, et a nobis ipsis suo loco sit disputatum; in animo habebamus, totum hoc negotium legare iis, qui de pedum quantitate, deque versuum ratione conscripserant. Verum, cum et maximus vir Erasmus, et post eum plerique alii ita hanc conficere provinciam aggressi sint, ut et ille his non pauca reliquisse, et hi eadem illa aut nescisse, aut præteriisse visi sint; coactus sum, Silviole fili, hac quoque opera ostendere animum erga te nostrum: ut, quem in locum naturæ ope teipsum evehere mirabamur, nostris auspiciis promoveri ac provenire eo possis. Nam, cum pernecessaria per se cognitio est ipsa, tum etiam si non esset, videntur tamen viri illi talem effecisse; sive ad eorum magnitudinem intueare, quam ad hujusmodi lucubrationem demisissent, sive negligentiam spectes, qua mutilam depravatamque relinquerent. Ac primum quidem quam Erasmus affert, vereor ut accipienda sit dubitatio: sit, necne certis pedibus astricta Comœdia. Nam, quanquam Quintilianus hoc dixisse videtur, non tamen pedum leges potius, quam trimetrorum præscriptionem desideravit: neque in omnibus, sed in

Terentianis tantum: quarum gratiam, quam elegantia orationis atque puritate consecutæ essent, diminutam putabat licentia versuum longiorum: cum tamen Plautus nihilo sit in trimetris frequentior. Hoc autem amplius eadem in quæstione peccat Priscianus: quosdam esse, qui in Terentii Fabulis extare metra negent, atque eosdem tamen ait, illa quasi arcana quædam, sibique solis cognita profiteri. Quid enim est hoc? negare numeros in versu quopiam, eosdemque numeros in eodem versu se solos dimetiri posse? Hanc sententiam more suo de illo mutuatus Erasmus, commodiorem fecit: dividit enim eam, ejusque partes ad diversa refert judicia. Alios inquit negare, alios quasi inutilem eam investigationem existimare. Quorum utrumque cum ipse rejecisset, quod erat priore loco, merito quasi judicatum omisit. Alterius autem rationem hanc reddere instituit: non operam perdere nos indagandis versuum generibus: hac enim diligentia effici, ut, quæ librariorum incuria transpositæ voces sint, suis eæ sedibus restituantur. Ego vero neque hoc esse necessarium video, et plus conferre ad solutæ orationis libertatem. Nam neque ubivis transpositæ voces versus tollent connexionem: et frequentissime deprehendimus ob numeri necessitatem ita transpositas, ut, si eandem sententiam in epistolam sis allaturus, cogaris aliis sedibus digerere: veluti cum Terentianus Simo ait: 'Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis Fallaciæ conari, quo fiant minus.' Nam priore versu multa invertas sine dispendio numerorum: in altero autem et quotidiano sermone, et forensibus contentionibus aliter loquare. Itaque, si librarii ita scripsissent: ***Fallaciæ conari, quo minus fiant:*** ex eorum temeritate hoc fructus capiamus, ut minore negotio imitemur. Hoc igitur non negamus nos, versuum legibus duci nos ad verborum sedes investigandas: sed in eo ullam esse utilitatem, hoc negamus: immo vero conducere interdum magis, si transposita sint, quo ordine orationem nostram instituamus. Sed profecto hac opera plus fuit laboris sumtum, quam captum utilitatis: ut non sine causa miraremur, summos viros tantum studii in dimetiendis illis versibus posuisse, Priscianum, Donatum, Asperum, Jubam, Scaurum, Probum, Sulpicium, Varronem ipsum. Quorum frequentiæ cum mihi in mentem venit, apparet illico aut obscura diligentia, qui infecto negotio eguerint successore; aut res ipsa perdita, quæ vel ab uno alterove tantorum virorum nequiverit confici. Quare ea quoque causa, sed po-

tissimum ea, inquam, esse potuit, ut ad hanc contemplationem studium nostrum adhiberemus. Neque enim sola res petenda jam est nobis, sed ipsa contentione de clarissimis auctoribus victoria reportanda. Atque, ut eorum judicia hac quoque in parte emendemus, simul ad hanc operam incitemus ingenia literatorum: ut non minimam pronuntiandi rationem ex hac commentatione consequi sese posse putent: quemadmodum cum intellexerint neque aspirationem, neque sibilum, neque mutam inter se conspirare potuisse, ut prima syllaba in voce hac, 'isthic,' produceretur. Qua in voce eadem qui putant sibilum extrudi in pronuntiando, neque morem servarunt, neque etymologiam observarunt. Nam Æoles, quos Latini maxime sunt imitati, quod alii ἐσθλὸν dicerent, ipsi ἐσλὸν pronuntiabant: ita in verbo, 'isthic,' satius fuit mutam abjicere: et fuit ratio: nam 'is' pronomen integrum manet: cauda autem illa, quam vocant syllabicam adjectionem, nullo dispendio expuncta etiam leniori relinquit locum conjunctioni. Præterea multis in locis animadvertas, posituram consonantium non producere vocalem: sed suapte natura niti brevitate: ut: in, sed, ad, quod, aliud, simul: in quibus qui putarunt oportere postremum elidi elementum, vehementer errarunt. Sed longe facilius in disjunctis vocibus correptam vocalem tenuere, quam in conjunctis. At in conjunctis ita pronuntiabant, ut positura nihil afferret moræ brevitati. Sic 'insidias' et 'inferos' primam producere dixerunt: 'indicationem' autem et 'incautum' corripere. Quare, si hoc in uno tractu ac tenore faciebant, multo commodius interposito eo intervallo, quod separatis vocibus debetur, efficere debuere; nam, si dicas, 'in sedibus,' atque ibi præpositio brevis sit, quæ in ea compositione longa fuisset; quanto aptius brevis erit, si dicas, 'in diem:' quæ si compones, brevis quoque erit? Præterea animadvertemus, quam celeriter multas vocales pronuntiando expediverint, ut etiam cum sequentibus obscurarint. Sic enim in illis: scias, suæ, tuæ, fuit, dies, Deos, prius: quæ efficiebant monosyllaba: ita ex duobus comparativis, potius, melius, duos constituebant pyrrhichios. Nam quemadmodum mensuremus versum illum ex Andria? 'Dabit nemo: inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat.' Necesse enim est ex duabus vocibus his, 'potius, quam,' unum pedem fieri: quod ut efficias, multa prius ac mirabili eget interpolatione. Ergo vulgo ita quoque locutos puto, non laturos scenarum barbariem, quæ de medio sumeret sermonem. In hac tamen re et dis-

ceptarunt multi, et non pauci errarunt: sicut et illi, qui reddere voluerunt rationem versuum: cum alii essent curtissimi, alii adeo longi, ut mihi libeat cum Plautino trapezita jocari, dum unum scribo, explevit mihi totas ceras quatuor: quantus ille est ex Eunucho: 'Et magnifica verba: verba dum sint; verum, si ad rem conferentur, vapulabit.' Quanquam, hic quoque ab illis dissentio, aioque duos versus esse: priorem trochaicum dimetrum brachycatalecticum, alterum octonarium. Nam sic pronuntiavit, ut, cum dixisset, 'Et magnifica verba,' substitit, affixitque ibi propositum in verbis: postea simul cum re mutavit sententiam, ut pro factis facta redderet, et verbera minitaretur. Priscianus distinctionis causa breviores insertos versus dicit. Verum neque ille, distinctio hæc quid esset, declaravit: neque nos, quid sibi velit, sane scimus. Nam quæ distinctio esse debet, non solum eadem in scena, sed etiam persona? quæve in prima scena gravissimæ Comœdiæ Amphitryonis? Ipso enim ingressu statim nusquam sibi constat. Aut qualem in ea scena, in qua Pamphilus de patris duritia queritur? qui in eodem argumento propositoque perstaret conquestionis, et tetrametris illud inseruit dimetrum: 'Quod si fit, pereo funditus.' Alii, ut sibi videbantur, acutiores, e rebus ipsis duci, non solum pedum statum, aut cursum, sed etiam versuum tractus prodidere: in re perturbata mutari versus, pedesque ipsos confundi: in celeritate trochaicos trudi: gravibus personis statarios sermones confieri ex spondæis. Afferunt huc non tam pro teste, quam pro judice Virgilianam prudentiam, divinam illam sane mihi: qui rem verborum nitore ac numerorum concinnitate oculis subjiciat. Ego vero, ut horum diligentiam veneratus sum, quam equidem tanto studio in meis poëmatis exprimere conatus fuerim; ita in Comœdiis falsam simul atque supervacaneam animadverti. Nam, si in personarum statibus diversis, si in contrariis negotiis, si in Fabularum partibus maxime inter se dissimilibus, idem pes, idem pedum ordo, idem carminum genus ostendatur; jam nulla causa est, quin horum sententia, tanquam vana, explodatur. Ergo in divina Fabula, ac vere thesauro, quam levi nimis de causa Trinummum inscripsit Plautus, protasis trimetro iambico tota constat: item epitasis, tum catastrophe; Stichus e contrario, tota trochaicis longis. In Mostellaria adolescenti Philolacheti, homini perdito luxu, atque otio corrupto, quique unam modo rem ageret, ut inserviret ventri, dati versus sunt omni pedum pœne genere

pleni. Tranioni autem servo trepido, in re desperata, versus compositi, atque sibi ipsis constantes. Seni Teuropidæ, viro gravi, parco, læto, aucta re, amoto maritimorum metu periculorum, senarii iambici. Quid gravius Amphitryone? quid magis statarium quam finis Fabulæ conversæ? concluditur tamen Fabula trochaicis. In Sticho autem tam iambis potant, quam trochæis. Gurgulio, currens in re nova, novo nuntio vehitur trochæi rotis. At Acanthio in Mercatore haud absimili in re quadratis utitur iambicis: at iisdem in Terentiana Phormione Geta pari in negotio. Ergasilus vero parasitus in Captivis, tam trochaicis, quam aliis: cum tamen similem ageret cursuram. Quemadmodum et Dinacium puer, in Sticho, nuntii auctor novi, utrisque mistim usus est. Præterea trochaicis Harpax Cacula militaris in Pseudulo, dum lenonem quærit. Trochaicis Erotium meretrix in Menæchmis, ut obsonium comparandum curet. At e contrario trochaicis Lysiteles adolescens, et gravis, et frugi in Trinummo: et Chremes senex, vir bonus, ac prudens in Andria, seria in primis de re, paterno animo, constanti conquestione. Quod si ad Davum respiciant, qui sequenti scena jam otium atque tranquillitatem imperando sibi, bellissimos fundit trochaicos, jam ipsi illa de celeritate aliquid consultius remittant. Poëtas profecto istos comicos nostrates, ut in mentem venerant, res arripuisse, eisque numeros accommodasse reor. Isti vero legumlatores novi, plerique hoc suis obtinent ingeniis peculiare: semel alicubi si quid deprehendere, illico pro lege habent. Atqui longo multoque opus est studio, est opus consilio prudenti, acri judicio opus est: quanquam equidem non negarim, Fabularum initiis, ubi animos auresque spectatorum trimetris versibus imbuissent, ipsi sibi suo quasi jure agerent, deinceps interspersis alicubi ejusdem generis senariis, idque neque semper, neque coactos, neque consulto factitasse existimamus. Fuit tamen hoc illis in more positum, ut narrationibus trimetros majore ex parte adaptarent: neque solum in argumentis, aut prologo, aut protasi, sed etiam apud personas eas, quæ etiam aliud agerent. Quemadmodum cum Davus in Andria, de aliis rebus loquens, alia utitur versuum dimensione: ubi ad narrationem deventum est, de navi fracta apud Andrum, ad trimetros divertitur: 'Ad hæc mala, hoc mihi accedit etiam: hæc Andria.' Eadem diligentia in epistolis. In Pseudulo ab longis in senarios deflectitur. In Asinaria quoque, quod pactum con-

scriptum est inter adolescentem et lenam, senariis expletur: quoniam sit narratio quædam: quanquam ne hic quidem semper. Nam longis versibus narrat in Rudente Grippus, eventis fortunæ sese bene acceptum. At in eadem senex somnium trimetris. Ex utrisque vero, atque etiam aliis mistis Sosia Amphitryonis: quanquam, ubi ad manus ventum est, iamborum vim atque alacritatem minutiore gyro flectit ac vibrat. Cum igitur tam inconstantem legem videamus, ut illis poëtis neque curæ fuerit, uti facerent, neque salvo puri sermonis nitore efficere potuere, uti numeris essent astrictioribus; nos sic inventa, aut quemadmodum existunt, permittamus, aut si quid sinistri sese offerat, ne odiose extorqueamus: præsertim cum licentiæ vitium cum Græcis, unde sumsissent, sibi commune, licentia, uti solet, auxere. Illud vero, quod aliqui dubitando, quidam etiam asseverando negabant, Fabulas Terentianas trimetris circumscriptas, falsum esse deprehendimus. Nam et apud eum poëtam plus esse hujus carminis invenies: et contra, apud Plautum quadratos, aliaque longiorum genera. Andria pæne ex æquo divisa in utrumque genus est. Haud enim ita multo ab longis senariorum numerus superatur. In Eunucho, et Heautontimorumeno, item. At in Adelphis pæne ex quadrante longi ab senariis exceduntur. Phormionem potior senariorum numerus conficit. Hecyra laxior fabula, ac pedestrior est: itaque, omnium Terentianarum, ad sermonem quotidianum quam proxime accedit: est tamen in ea senariorum plus tertia parte. At contra, Plautina Amphitryo, et Rudens, vix totus quadrans expletur senariis. Asinaria, Epidicus, quam tantopere ipse auctor laudat, Mostellaria, Menæchmi, Miles, Mercator, Pseudulus, Aulularia, Casina, Gurgulio, Bacchides, aut ex utrisque æque constant, aut etiam minus habent senariorum. Captivi vero, et Persa, et Pœnulus plus dimidio textæ sunt longis. Trinummus legebatur hactenus tota quadratis, aut non multo brevioribus. Eam nos ita restituimus pristinæ sinceritati, ut ad quingentos senarios excusserimus. Quorum tamen numero præstant longi versus duplo. Quam operam etiam cum Truculento impendissemus, paulo minus ducentis reformatis, tantam longiorum invenimus multitudinem, vix ut illorum hi essent pars quinta. Atque is labor non temere susceptus est: cum tam facile mendacium Quintiliani auctoritate tegeretur. Nam isti magni viri, dum nihil inexcussum volunt, et fastidiunt leviora, plus profecto nominis usurpant, quam ponant operæ. Quemad-

modum Priscianus quoque, cui de anapæsto sententia excidit satis absurda, cum dixit: Erit autem probabilis iambicus versus, et tragœdiis aptus, si secundum et quartum pedem non alios feceris, quam iambos, aut eum, qui tribrachys est, aut anapæstus: quoniam sunt pares. Qua enim audacia fretus anapæstum tribracho parem dixit? Nam quod ait paribus sedibus anapæstum recipi, verum est. Sic enim extat in Pluto Aristophanis: *Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν, ὦ Ζεῦ καὶ Θεοί.* Et bis in eodem versu: *Οἱ δ' ἐξετρέποντο, κ' οὐκ ἐδόκουν μ' ὁρᾶν ἔτι.* Verum hoc est illi adeo frequens, ut nullus pudor Latinis sit jam futurus, quibus linguæ ratio persuasit, ne hoc attentius curarent: præsertim cum Tragœdia quoque hoc admiserit, gravius sane ac longe castius poëma. Observantior Sophocles: Euripides minus obnoxius: nam minus pepercit illis sedibus: *Γλῶτταν δ' ἐπιορκήσασαν ἰδίᾳ τῆς φρενός.* Et in Hecuba: *Κεἰ σμίκρον ἔχοιμι, πάντ' ἂν ἀρκούντως ἔχοι.* Neque solum anapæstum paribus sedibus posuit illis, sed etiam in ultima, ut in Oreste: *Αὐτουργὸς, οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν.* Quem si tribrachyn voces, syllabam nunc respicias, non legem illam, qua ultima habetur indifferens. Erasmus autem recte sedibus imparibus dicebat, pro iambo receptum spondæum, dactylum, tribrachyn, anapæstum: proceleusmaticum autem omisit, quoniam excidisset memoria: et creticum, quem sane putaret non admitti. Nam, si in eam sedem posse recipi sperasset, non multa carmina subvertisset. Proceleusmaticus autem proxime ad naturam dactyli accedit, differens syllabarum numero, temporum tractibus par. Tribus autem modis excipitur pes ille. Aut enim mollis est, atque adminiculis quibusdam similior factus dactylo: ut, 'Genua labant:' 'Ariete:' 'Parietibus.' Duabus enim vocalibus constitutis, prior consonantis vim quandam videtur obtinere. Aut est apertior, ut in versu Enniano: 'Capitibus nutantis pinus, rectosque cupressos.' Aut est coactus, ademtis consonantibus quibus syllabarum brevitas impeditur: cujusmodi est in Andria: 'Sine invidia laudem invenias, et amicos pares.' Itaque ad eum versum cum devenisset Erasmus, neque agnoscere vellet proceleusmaticum, quem in suis legibus non constituisset, et putaret duriuscule fieri, si Æolicum digamma auferretur, ut exiret proceleusmaticus; sustulit tamen, ut exciperetur tribrachys in duabus prioribus syllabis hujus nominis, 'invidia,' et ex duabus postremis vocalibus una syllaba concreta esset. Verum, ut in natura, ita in

arte illius imitatrice faciendum nobis est, nihil aut otiose, aut superfluo agere. Ergo, ut constet ratio dimensionis, si recipias proceleusmaticum, unum tantum moliris, cum tollis digamma. Si malis tribrachym, et hoc tibi idem curandum est, ut tollas: et præterea duabus confertis syllabis obscuranda oratio. Nam, si nihil refert pronuntiesne 'invidia,' an 'invida,' quid intelligamus? quod si (ac verius quidem est) ita pronuntiemus, ut quasi sonum consonantis prior vocalis obtineat, jam non sit tribrachys amplius, sed anapæstus. Nam ita pronuntiari in quibusdam proceleusmaticis jam diximus, et apparet ex illo versu Poëtæ: 'Stellio, et lucifugis congesta cubilia blattis.' Et apud Horatium: 'Ut Nasidieni juvit te cœna beati.' Nam idem nomen aliter: 'Nasidienus ad hæc.' Quare in priore versu, omnes erunt spondæi præter quintum. Sic enim etiam Catullus, 'pituitæ' primam cum produxit: 'Mucusque et mala pituita nasi.' Non corripuit Horatius: 'Nisi cum pituita molesta est.' Sed trisyllabum posuit: ita ut media litera Æolicum sit digamma: quod et elicitur ex judicio Ælii Stolonis, qui a petendo vitam duci ratus est. Verum quod in 'invidia' fecit, ut unam ex duabus efficeret syllabam, commodius confecisset in 'injuria,' illo versu: 'Quo jure, quaque injuria præcipitem me in pistrinum dabit.' Sicut in 'perfidia,' Prologo Amphitryonis: 'Non ambitione, neque perfidia, qui minus.' Id quod si animadvertisset, non sustulisset pronomen 'me,' quod magna cum emphasi ac gestu ad timorem personæ positum est: et omnibus in exemplaribus legitur. Tolli autem Æolicum elementum in ea voce, palam est etiam versu illo Phormionis: 'Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti.' Neque enim mirum est adventitiam literam de medio tolli quasi peregrinam. Est enim 'video,' ἴδω: sicut in verbo 'vivo:' fuit enim βιῶ: eo versu: 'Liberius vivendi fuit potestas, nam antea.' Puto enim non admodum vegetam contentamque fuisse literæ illius pronuntiationem, sicuti neque in 'ovo,' neque in 'ove,' cum libitum esset: quæ, ut asperrima est apud Germanos, ita pæne vocalis apud Vascones, non consonans: nedum ut duplex uspiam sit. Sed nequaquam par ratio fuit aut necessitas, ut elideretur idem digamma, in verbo hoc, 'inveniet,' eo versu ex Andria: 'Dabit nemo: inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat.' Nihilo enim mutatur versus dimensio, sive tollatur, sive relinquatur: quare, contra quam sensere, nullo pacto debeat tolli. In conjunctione quoque hac, 'enimvero,' durius fit,

si eximatur. Quid enim esset, 'enimero?' Sed unam syllabam fuisse, 'enim,' cum vellent arbitror: siquidem Græcum fuit ἦν, ἠνὶ. At quasi pro consonante accepere, ut ostendimus, in 'Stellio,' 'invidia,' 'injuria.' Quod si cui paulo asperior videatur pronuntiatio; is non meminit, ea ratione, 'cui' esse monosyllabum: et 'Pompei' disyllabum: et 'Cai' monosyllabum, et 'hui:' et, quod omnium durissimum est, 'huic.' Proceleusmaticos autem aliis duobus versibus animadvertere quidam, utroque ex Andria: 'Mala mens, malus animus: quem quidem ego si sensero.' 'Tibi generum firmum, et filiæ invenies virum.' Ac de priore quidem non est disceptandum. In posteriore autem mollior est: propterea quod antiqui pronomina, 'mi,' et 'ti,' monosyllaba pronuntiabant ab Æolensibus accepta, μοὶ, τοὶ: tu, τὺ: τὲ, te. Sic enim in Gurgulione accipiendum est: 'Curato: ego tibi quod amas, jam huc adducam.' 'Tibi' proceleusmaticum hic quoque facient, neque errabunt. Hoc tantum agebamus, ut intelligeres secundiorem fluxum earum syllabarum ad proceleusmaticum, quarum duæ in unam redigi atque coalescere possint. De cretico autem, quem isti omni conatu subterfugere, pluribus rationibus atque exemplis est disputandum. Nam, si in heroicum admittitur, si in Tragœdia, quod est poëma clarum, nobile, elatum, castum, locum invenit; quare in medium ac vulgatum sermonem non recipiatur? Est igitur apud Poëtam: 'Et naufragum Scyllacæum.' Dicent non fuisse emendatum librum. At Vari et Tuccæ judicio emendatum fuit hoc. At est in emendatissimo libro Georgicon, quod supra adduximus: 'Stellio, et lucifugis.' At est Euripidæ cum alibi, tum in Hecuba: Δυοῖν δὲ παίδοιν δύο νεκρὼ κατόψεται. Cum tamen dicere potuisset: παίδοιν δυοῖν. Itaque nos quoque in Nemesi, studuimus gravitati, et auribus: 'Heu genus nefandum.' Nam, abjecta interjectione, exsanguis oratio est: item si dicas, 'Heu gens nefanda.' Et alio loco posuimus, 'sinistra:' potuisset dici, 'scæva.' Sed paucis aures poëticæ datæ sunt. Præterea, si dactylus et anapæstus in iambi loca suffecti sunt, quorum utervis una illum et syllaba et tempore superaret, quare eam licentiam sermonis eadem puritas non coëgerit recipere quasdam voces, in quibus esset creticus? præsertim cum e puris creticis aliquot versus constent. Præterea, ea nomina, verbaque, Deus, dies, fuit, mea, sua, tua, eo pertinent, ut, cum collectionem in unam syllabam patiantur, doceant nos in cretico idem quoque fieri posse, ut emolliantur

pronuntiatione. Ad hæc, si omnium morosissimus pes, ac pæne ferus, ἀντιβακχίος, in heroicum receptus est apud Homerum; cum Αἰγύπτιον, et ἀνδροτῆτα, facit ut dactylum primoribus syllabis amplectantur, nulla causa est, quin rationes etiam auctoritatibus fulciantur: quas Erasmus si diligentius recensuisset, non transtulisset præpositionem, 'ex,' in Eunuchi prologo: sic, 'Qui bene vertendo, et eas describendo male, ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.' Quod equidem ut non improbo, ita consilium non laudo, quo adductus est, ut id faceret, ob amphimacrum vitandum. At, si his rationibus non acquiescat, exemplis saltem credere cogatur: quæ quanquam habebam pæne infinita, tamen et multa omisi, in quibus possent tergiversari: et alia firma pæne innumera, ne tædium parerent. Paucis igitur contenti simus. Ex Hecyra igitur cum illud possemus adducere: 'eam calamitatem vestra intelligentia:' supersedimus duabus de causis: quoniam et ipsi liquidam non geminant in postrema dictione: et nos, pronomen, quod primo loco positum est, monosyllabum agnoscimus; quare audiamus ex Asinaria: 'Forte si tussire occœpsit, ne sic tussiat.' Puto autem sic legendum præcipient: ***Fors si tussire.*** Nam ii magis erunt ferendi, quam qui putabunt conjunctionem, si, corripi: ut in, nisi, et in, siquidem. Quare alia quæramus. Ex Gurgulione: 'Sitit hæc anus, quantillum sitit; modica est; capit.' Item in his duobus, binos: 'Pervelim sepultam: sed quom adhuc naso odos meo.' 'Sedatum te: quam longe a me abest: lumen hoc vide.' Videamus alios multos, in eadem: 'Sed grandiorem gradum ergo fac ad me obsecro.' Ubi, fac, longum est contra recentiores. 'Salve anus: egon' salva sim, quæ sicca sum siti? Jamne ego huic dico? quid dices? me periisse, age.' Item ex Andria: 'Sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est.' Quo e versu ut creticum tolleret, non veritus est universæ orationis detrahere ornamentum: pronomen illud scilicet, quod in secundo loco statim legitur. Videamus ergo etiam ex Eunucho: 'Quæ cum amatore suo cum cœnant liguriunt.' Nam hic non possumus effugere, quin aut prima in sede creticus sit, aut in quinta; nam, si secundam vocem non collidas, sed integram relinquas in dimensione: sicut frequenter fit, et Plautus voluit sibi licere in Pseudulo: 'Si de damnosis natis, aut de amatoribus:' creticus sit inevitabilis in quinta. Nam prima syllaba natura, non positione longa est. Cœnare enim mediam natura producit. Sin collidas, jam in prima

sede hoc eveniat, eadem validissimus ratione: qualis etiam ex Heautontimorumeno: 'Itane comparatam esse hominum naturam omnium.' Quem versum qui trochaicum putent, nugas agant: hæc enim fuga neque necessaria est, et est frustra. Nam in prologo Adelphorum, quæ pars esse debet politissima: 'Indicio de se ipse erit: vos eritis judices.' In eadem Fabula: 'Quam aut hic nunc manere tamdiu: aut nunc persequi.' Inepte divertunt ad trochaicos. Quid enim in illo dicent? 'Ille futilis, somnium: sineres vero illum tuum?' Etenim trochæos extorquere nequeant ex eo. Et in Eunucho: 'Sed neminem curiosum intervenire nunc mihi.' Quem Erasmus versum pro senario imprudenter sese mentitum esse putat. Et in Hecyra: 'A Myrrhina hæc sunt mea uxore exorta omnia.' Et in Pœnulo: 'Perque meos amores, perque Adelphasium meam.' Et in Amphitryone: 'Inimicos osa sum semper obtuerier.' Item in Asinaria: 'Deam sibi invocet, quam lubebit, propitiam.' Et in Aulularia: 'Nempe sicut dicis. quid hic? non poterat de suo?' Ex Casina: 'Aut quasi lumbricus terram quidem te postules.' Sicut ex Captivis: 'Inde me continuo recipiam rursum domum.' Ex Casina alterum: 'Quid facies? concludere in fenestram firmiter.' Quod si dicant elidi sibilum, quemadmodum in Rudente: 'Illustriores fecit fenestrasque indidit:' objicies illud ex Aulularia: 'Ædepol mortalem parce parcum prædicas.' Quo loco si jurandi adverbium pronuntiatum autument ab antiquis per mediæ syllabæ exemtionem, alium opponas e Pseudulo: 'Nunc tuo cum filio liber accubat: omnia.' Ubi si dicant, ad, præpositionem in compositione etiam correptam enuntiari consuevisse: quæramus nos, quare in aliis carminum generibus nullis licuerit hoc. Quod si respondeant in causa esse pedestrem ac vulgarem orationem: hinc instemus nos, non valde meritam esse illius vilitatem, ut tam accuratis astricta numeris creticum aspernaretur. Itaque verbum substantivum aliquando miris torsere modis: ut in Milite Plautus: 'Censen' vero adeo esse parcum, et misere vivere? Dicas uxorem tibi esse necessum ducere.' Apertius vero in Gurgulione simplici sibilo pronuntiatur: 'Huic anui non satis est soli: canem esse hanc quidem.' Ceterum quis eximet a cretico versum illum ex Trinummo: 'Sit taciturnitati clam fidei ac fiduciæ:' nisi qui ad trochaicam aram illam misere confugerit? Quare illo obruantur ex Gurgulione, quem iambicus, ut sese in omnia vertant, quin sit, efficere nequeant: 'Liberi lepos, ut vete-

ris vetusti cupida sum.' Atque initio quidem arbitror vocalium tenuiorum mollitie factum, ut subirent pedes alieni: sic dicimus, χρεὼ, Πηληϊάδεω, πόλεως, πλέων: ut bacchium etiam receperimus illo versu: 'Et læveis ocreas lento ducunt argento.' At hunc versum spondaicum putat Diomedes vir doctus: non male: ut mollior vocalis subeat fortiorem. Sic creticum interposuit, ut spondæum faceret in verbo, aureo. Quod si in Tragœdia cretici sunt, in heroicis bacchius et antibacchius, ut taceam anapæstum, tum Homeri, Βορέης Ζέφυρός τε: tum Virgilii, 'Fluviorum rex Eridanus:' non videntur fuisse tot monstra necessaria, quot isti eximendis elementis crearunt, in, quidem; in, sicut; in, simul; atque aliis: neque excludendas integras fuisse voces, aut alias spurias ingenuis supponendas, quod fecisse Erasmus et supra ostendimus, et ex his patet. Nam in Eunucho, despectam, posuit: despicatam, sustulit: 'Habeat despicatam, et quæ nos semper omnibus cruciant modis.' Auxit etiam errorem alia culpa, cum ex eadem fabula versum fingit ex putis creticis: 'Siccine agis? quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?' Quem tamen iambicum quadratum agnoscas. Pari infelicitate et illum ex Andria creticis conclusit, qui esset senarius integer: 'In denegando modo quis pudor est paululum,' restituta namque per initium præpositione, quam ille nimis confidenter sustulerat in prioris finem, tolles illius et errorem, et audaciam: simul deprehendes crassam culpam: qui creticum ex tribus vocibus confectum iri speravit illis, quis pudor est. Verum ille vir curiosior paulo fuit emendandis auctoribus. Nam et apud Senecam: 'Arcum intensio frangit, animum remissio:' eum ibi dixit esse inversum senarium, atque ipse sic invertit: 'Remissio animum frangit, arcum intensio.' Dixisset commodius, quod ad pedes attinet, sic legi posse: nunc, cum necessitatem affert, causam suam facit deteriorem. Nam et sic senarius est: et in aliis apud eundem auctorem senariis non observatas magis leges intelligas, quam in Comœdiis aut aliis Fabulis, unde ille sumeret. Quod si acrius contemplere, longe concinnior sententia est: quam deformat ille inversione sua. Nam sententia, tametsi æqualiter de arcu, et de animo, pronuntiat per contraria, tamen vult arcum referre ad animum, quoniam de animo quærit statuere. Itaque non ab eo incipere, sed in eo sententiam terminare oportuit: præsertim cum præter expectationem de animo sentiat. Nihil enim mirum, intensione arcum, at mirum remissione animum frangi.

Quare et crescit oratio, et talis est, ut quavis pedum dispositione potior sit. Ita curiosa hæc ingenia sæpenumero judicio carent. De comicorum versuum materia, partiumque quantitate, satis disputatum est; de ipsarum partium numero deinceps videamus. Principio, quod antea in libris de Arte Poëtica statuimus, hic repetendum est: Versus per initia curtos fuisse, duobus ad summum contentos pedibus. Id quod et ratione comprehenditur: siquidem partes toto corpore priores sunt: et exemplis: sic enim ortum esse primum senarium in Apollinis pugna, quam cum Pythone conseruit, ex illa simplici acclamatione: ἰὴ παιάν. Quam cum et iterarent, et frequentarent, natum aiunt senarium: quo tantopere in suis oraculis postea ille celebrarit: Ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιάν. Qua de causa apud auctores Fabularum, invenias unica voce contentum versum: ut in Eunucho: 'Occidi.' Sed et monosyllabum interdum: ut in Hecuba: Φεῦ. Et eadem geminata voce, distinctæ voces, ut in Pluto, ut in Oreste: ἆ, ἆ. Et conjuncta: ut in Philoctete Sophoclis: Ἀτταταταῖ. Repetitis deinde tractibus productiores facti: ut in Nubibus: Ἰοὺ, ἰού. Hoc quoque ita in Trinummo duplicatum fuit, ut dimeter fieret: 'O Callicles, O Callicles.' Ergo, cum duo pedum essent genera, alterum motorium, alterum statarium: qui versus ex motoriis constarent, in iis binos pedes singulis collectos tractibus feriebant: qui autem e statariis conflabantur, satis habebant suum cuique sedi pedem referre. In priori classe fuit pyrrhichius: cujus versus Enopolios dictus est: quo usi sumus nos toto poëmatio, quod dicaveramus Sileni natalibus: 'Modo citus ego pede celere magis ago numeros: Abeoque Venere duce loca super alia volans.' Et Euripides in Oreste: Χρέος ἐμόλετέ ποτε: Ἀνακέλαδον ἀπὸ λέχεος. Ejusdem generis est, iambus, trochæus, tribrachus. In secundo censu spondæus habetur, dactylus, anapæstus, proceleusmaticus, creticus, amphimacrus, bacchius, palimbacchius. Neque vero sine ratione fuit hoc. In his namque vocibus, accentionum natura quatuor, aut quinque temporibus frequens est. Ergo statarii versus ex pedum numero nomen obtinuere: ita ut heroici, quoniam sex spondæis constarent, senarii dicerentur: motorii autem non item: qui ob celeritatem satis habuerunt, ex dimidio tantum nomen sibi retinere: propterea quod bini prodirent simul: atque ita factum est, ut, quibus essent pedes bini, ii monometri vocarentur: quibus quatuor, dimetri: quibus sex, trimetri: quibus

octo, tetrametri. Hæc apud Græcos. Latini autem his nominibus etiam alia addidere: non ab dimensionibus, quæ binos caperent pedes, sed a pedum numero, quaternarios, senarios, octonarios: tanto commodius, cum unica voce etiam imparibus constitutos pedibus nominabant: quinarios, septenarios. Nam hos Græci brachycatalectici adjectione agnoscunt, quanti sint. Octonarios autem etiam quadratos appellavimus: quemadmodum in cubica figura anguli octoni sunt: ita, cum eandem quadrantalem dicerent, eodem nomine hosce versus insignitos voluere. Nam constituta quadrata superficies, si fluat atque postea sistatur, quadrantal creat: quare corpus hoc Latini Græca voce tesseram vocitarunt: non a laterum numero, ut quidam putavere, sunt enim sex: sed ab radice constitutionis: sic enim appellant mathematici. Præterea, cum senarii plus in usu fuissent, primusque Boistus produxerit octonarios, ab illo tractu longos nominavere. Ergo neque Gellius Ennianos versus quadratos recte appellavit trochaicos illos: 'Hoc erit tibi argumentum semper in promtu situm. Ne quid expectes amicos, tute quod possis agere.' Neque Varro in septimo de Lingua Latina illos ex Eunucho: 'Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo.' Siquidem Rufinus auctor est, eundem Varronem ita sensisse, versum septenarium fieri, cum ad senarium pes trisyllabus adderetur: additque exemplum iisdem numeris, ex Hecyra: 'Nam si remittant quippiam Philumenæ dolores.' Non solum igitur a se dissentit ipse, verum etiam errat definiendo. Nam et major est septenario, et trisyllabus pes bacchius præsertim, iambo non solum est adventitius, sed etiam alterius tractus diversi, neque dignus qui in iambici definitionem admittatur; et ridiculum est, non potius septenarium ex septenis fieri, sicut ex senis senarium, quam e senario et uno pede; tanto minus trisyllabo. Sed profecto magnos viros auctoritas sæpe texit, etiam male sentientes: sicut Ciceronem quoque fugit ratio, cum in prima quæstione Tusculana septenarios vocat illos: 'Heu reliquias semiassi regis denudatis ossibus, Per terram sanie delibutas fœde diu vexarier.' Erasmus, Varronem secutus, tetrametrum nihilo felicius explicavit illis verbis, iambicum tetrametrum interdum in fine fraudari una syllaba producta penultima, quoties iambico dimetro accinitur dimeter catalecticus. Nam quid attinebat dicere penultimam productam? neque enim necessarium hoc est: quo loco et tribrachus esse potest et dactylus: quorum syllabæ postremæ breves sunt. Aut quæ est illa explicatio? quasi cum dicas: Homini interdum pes deest, quoties integro semihomine, alteri semihomini pes deest. At vero quis nescit tetrametros, non e duobus dimetris, sed ex quatuor dimensionibus constare? si quis vel partium consideret rationem, quarum singulis æquale jus sit in versu: vel originem ipsam intueatur. Neque enim Boistus ille, aliusve quispiam, dimetro dimetrum aptavit: sed trimetrum, quem tum longissimum invenerat, monometrum addidit. Præterea quis, hoc audiens, non putet esse nefas cæsuram facere in quinto pede? si quidem ex duobus dimetris tetrametrum est consarcinandum. Quid quod idem abusus est dimetri trimetrique appellatione? nam imprudenter versum illum ex Andria iambicum pentametrum dixit esse: 'Hoccine credibile est aut memorabile?' qui esset trimeter brachycatalecticus. Neque enim idem esse *μέτρον*, et pedem, supra diximus: sed *μέτρον* capere motorios pedes duos: quare, si pentametrum iambicum exigas et a Græco poëta, et a Latino, tanto altero majorem ostendat: quem errorem etiam in illo continuavit: 'Novi rem omnem: sed est Simo intus? est.' Ergo nihil mirum sit, qui motoriis pedibus auferat sua jura, ad statarios immerito transferre. Illum enim versum ex Andria: 'Ut malis gaudeant, atque ex incommodis:' ausus est creticum dimetrum nominare: qui tamen pes, cum non solum syllabarum numero, sed etiam temporum quantitate prolixior, quam spondæus sit: quare solus unam dimensionem non expleat, si spondæus implet? Eum tamen secutus Rivius, parem erroris admisit proportionem. Siquidem trochaicis anapæstum interseri nonnunquam scripsit causa celeritatis: quod dictum cum illo superiore maxime convenit: idem namque sentiunt: cum ille creticum ad iambum, hic anapæstum referat ad trochæum. At qui pes ita esset quatuor præditus temporibus, ut duo simul unam syllabam efficerent plenam ponderis et gravitatis, non potuit inter cursores illos annumerari: præsertim cum iambo similior esset anapæstus quam trochæo: uterque enim a brevibus incipit, in longam desinit. Quanto enim gravior est iambus trochæo, tanto est anapæstus dactylo. Quare non levi de causa factum est, ut gravissimi poëmatis gravissima pars chorus ad gravissimi pedis majestatem sese conferret, scilicet anapæstum. Quid quod ille nullam posuit rationem, propter quam trochæus esset iambo volubilior? At vero et nomen Græcum excitabat nos, et suberat ratio. Nam, qui et Syllabarum numero, et temporum

ratione par esset iambo, non potuit eo esse celerior nisi sane temporum temporaque deferentium syllabarum situ, qua una re illi fieret dissimilis. Trahit enim trochæus syllaba priore vocem ita, ut in posteriore emollescat, ac quasi evanescat. Iambus e contrario, celeritatem professus, gravitatem præstat. Itaque sanguinarius pes, et promtus ad vulnerandum, indicat et impetum primo, et statariam pugnam mox. Id quod Hipponax cum acerrimo ingenio vir animadverteret, quam rationem impetus in pede agnovisset, eam in peculiarem pedi versum transtulit: ut, sicut iambus in syllaba longa pertinax pugnaret, sic iambicus versus in longum pedem incumberet. Leviorem enim ratus iambum, quam ut ad impressionem faciendam satis esset, in quintam prælato sedem, succedere ei spondæum fecit. Quare id quoque judicio consecuti sumus nos, propius ad naturam partium accessurum fuisse totum versum, si iambus imparibus, trochæus paribus sedibus constituti fuissent. Cujus rei exemplum, quoniam res est minus usitata, e nostris poëmatiis subjiciemus unum ex iambicis: 'Malis fortuna Cornucopiæ fundit:' alterum ex trochaicis: 'Si plaudit malis fortuna, quid justis fit?' Qui flexus numerorum si cui absurdus videtur, is meminerit aurium consuetudinem violentam esse: novaque atque inusitata non tam semper admirari, quam sæpe respuere. Verum magnopere nostra interest, qui quoad licet Aristotelis exemplo rerum causas vestigamus, venari rationem, propter quam, cum iambo sedem assignarent prisci, maluerint pares retinere. Nam, si in dactylico senario una tantum satis fuit, quinta scilicet: sive ille fuit spondaicus, una item fuit satis, quippe sexta: quare trochæo impares, alias iambo constituere? nam hoc sane præter naturam factum videtur. Etenim per initia si solis aut iambis aut trochæis versus constabant, videtur sane primam quamque sedem illos arripere debuisse. Quibus verbis ut respondeam, sane primum sic agam. Non esse rerum naturam secutos veterespoëtas : multa illis pro libidine facta fuisse, multa fortuito excidisse, quæ postea pro legibus probarentur. Unum illud satis constat, cum trochæo sedem primam retinerent, non inconsulto diversam ab ea, et aliis imparibus adverso pedi iambo assignasse. Quare autem hanc huic, illam illi reddiderint, sane haud facile est intellectu. Atque hic quidem ita sentit Priscianus: Quoniam, inquit, in secundo pede cum dimetiendo feriretur versus, minor ei loco mora debita est. Nam mihi contra videtur, majorem moram deberi in pronuntiando, ubi tempore ipso immoramur. Et

falsum esset ibi positum pedem, quoniam feriretur: sed contra, verum esset, ibi feriri, quoniam pes poneretur. At hoc quærimus nunc nos, quam ob causam ibi positus sit. Præterea, si ea ratio est, quomodo constabit in trochaicis, qui ibidem feriuntur? Ut igitur quæstionis rationem apud nos putemus, intelligamus secundum verborum inventionem esse, ut a longis incipiamus, et in breves deducamur. Nam, quanquam brevis syllaba natura sua prior est, quam longa, quippe simplicior est: tamen per initia inventionum cunctabantur primum: quæ ratio est, ut vocum fines in pronuntiatione obscurentur. Ita enim meditantis et consulti animi suspendere vocem, non præcipitare. Quamobrem tam in versibus, quam in prosa oratione, postremarum syllabarum habita ratio est nulla. Trochæum igitur antiquiorem fuisse iambo, et dactylum anapæsto par est. Ergo trochaicum versum iambico priorem. Quare, cum primæ quæque sedes trochæo fuerint peculiares, alteræ illi relictæ sunt. Præterea, cum trochæus esset pes volubilis, statim sese ingessit in versum. Iambus autem grassator ille idem fecit, quod civilibus in rebus plurimis consuevimus. In oratione ipsa, ut principiis gravis ac sedata sit, pugnam quoque cautius aggredimur: tum illa incitatu effervescit: sic ad saltum ubi comparamus nos, fortius pedem figimus, ut statariæ moræ majorem impetum subjiciamus. Sic Aristoteles, omnium bonarum artium dominus, motum omnem sub finem esse probavit concitatiorem. Ita proposito spondæo, et iambo, satius fuit ab hoc illum excipi. Præterea recentissima quaque memoria fere metimur ipsas res: quare assignata prima sede trochaico, ultima quoque necessario trochæo finitur. Quæ sedes, primam dico, si iambi fuisset, in ultima iambum nullum haberemus: nunc, ut in ea ille sit, pares sedes illi attribuendæ fuere: ut recentissimo sono, quippe novissimo, aures spectatorum caperentur. Quæ de universa re dicenda erant, fere habes, Sylvi: quare deinceps ad ea, quæ particulatim animadversa sunt, descendamus. Atque equidem, ut sese offerent, ita ea describam. Sit ergo quod affert ab Adelphico versu: 'Quid is fecit? quid ille fecerit? quem neque pudet.' Cum enim agnosceret senarium, neque rationem inire posset dimensionum, abstulit alteram ex liquidis in pronomine, ille: id quod ut ego quoque fateor, et posse, et solere fieri: ita hic duo dico. Primum, ab eo creticum quarta in sede esse constitutum: quem tamen pedem adeo evitaverit, ut everterit multa. Deinde

versus aut ipsum disjecisse, aut aliorum incuria solutos præterisse. Sic enim legendi sunt: 'Quid tristis es? rogitas me, ubi nobis Æschinus Siet, quid tristis ego sim? dixine hoc fore? quid is Fecit? quid ille fecerit? quem neque pudet.' Ubi verbum, siet, unica syllaba concretum fit. Sic etiam ex Andriæ illo sibilum abstulit, non unde debuit: 'Quis igitur est relictus objurgandi locus?' Sibilum, inquit, in pronomine, Quis, eliditur. At vero, cum necessario iambicus sit, nullo pacto ad eum modum secare possis, sed ex participio tollendus est. Sed et illum male dimetitus est: 'Perii, obsecro: tam infandum facinus mea tu, ne audivi quidem.' Quem dicit esse trochaicum catalecticum: cum sit integer quadratus iambicus, neque ad trochaicum torqueri possit. Sicut et præcedentem illum: 'Forte ad nos redierit: vise amabo num sit jam: faxo scias.' Nam, ut evaderet amphimacrum, non est veritus trahere sui trochaici caudam etiam ultra octo pedes: nisi argutet, scias, esse monosyllabum; sed, cum omnes illi sint quadrati, etiam hunc iambicum malim, nulla facta in prima voce collisione: 'Quo ille abire ignavos possit longius, nisi si domum.' In Prologo autem Andriæ, eo versu: 'Nam in prologis scribundis operam abutitur:' cum diceret vocis hujus, prologis, primam syllabam esse a Terentio productam, addidit sane rationem frivolam: Latina, inquit, consuetudine: quibus mos est eam præpositionem productam habere. Nam in Latinis verbis producant, in Græcis autem abstineant, nisi alia vis subsit: sicut in hac voce, ubi liquida illa geminatur, sicut in Heautontimorumeno: 'Oratorem voluit esse me, non prollogum:' et ex Prologo Truculenti: 'Sed relliquam dat operam, ne sit reliquom.' Et illo: 'Ut pernoscatis ecquid spei sit reliquum.' Nam, nisi hoc soliti essent facere, mille aliæ viæ erant ad eadem pæne verba versu concludenda, ut rem novam evitaret. Verum nova nequaquam erat: sed ab Homero usque: nam in Hymnis μέλλος, in Iliade ἐλλώρια, atque alia produxit. Etiamque nunc multæ nationes adeo crasse eam literam pronuntient, ut intus esse aspiratio videatur; Gabali, Arverni, Græci, Germani, Ligures, Taurini. Ceterum etiam alia ratio est, ut et versus ille Prologi constet, neque liquida geminetur. Sane, si eam vocem, quæ in eo versu prima est, non collidas: quod sæpe alibi et in ea, et in aliis factitatum est: sicut in Eunucho: 'Una ire cum amica imperatorem in via:' in secunda enim sede dactylus est, neque præpositio colliditur: ita in illo si con-

junctionem, nam, non collidas, nihil innovabis: præsertim cum in promtu habuit, ut pro, nam, subjiceret, namque. Verum, ut diximus etiam in alio Prologo idem factum est, ut geminaretur, et recte: minus vero recte a Donato in Hecyræ Prologo: 'Prope jam remmotum injuria adversarium.' Nam, tametsi geminari consuevisse fatemur, tamen non eum fuisse locum, eam affectandi novationem, qui sibi iambum, quandocumque posset, ascisceret. Sicuti non minus infeliciter Priscianus: qui, cum, redducit, geminare mutam diceret, idque exemplo probare vellet, attulit dimetrum Horatianum ex Epodo: 'Redducet in sedem vice.' Nam quid aiat, si negem? neque enim necessitate pedis persuadebitur nobis. Quid si contendam non esse factum ab Horatio, qui, quoad potest, iambos etiam aucupatur? Quare igitur abjecerit genuinum pedem, quare admiserit spuriam literam, ut illum excluderet? Melius fecisset, si ex Hecyra illud: 'Remissam opus sit vobis, an redductam domum.' Neque mirum, quæ in, reddo, geminetur. In scena quoque primi actus quinta, cum Pamphili orationi intervenisset Mysis, atque suis uterque seorsum affectibus uteretur, versus interseruit diversos quoque Poëta, quos Erasmus confudit: sic igitur legendi sunt: 'Hoccine est humanum factum, aut inceptum? hoccine officium patris? Quid illud est? Proh Deum atque hominum fidem, quid est, si non hæc contumelia est?' Sic enim etiam alio genere Mysis utitur iterum: 'Miseram me, quod verbum audio?' Cui respondet illud Pamphili: 'Quod si fit, pereo funditus.' In eadem autem scena versum illum: 'Proh Deum atque hominum fidem, nullone ego:' appellat dimetrum pede redundante, laxe sane nimis. Nam quamobrem non quinarium? quare non trimetrum brachycatalecticum? quis unquam audivit versum ullum pede esse redundante? nonne ipse ille versus talis est hoc ipso pede, quem dicis redundare? Illud quoque male dignoscere visi sunt: cum actus secundi putarunt initium, caudam esse postremi versus, quo clauditur actus primus: sic: Ne ad morbum hoc etiam; teneo: quid ais, Byrrhia?' Nam, ut hoc primum dicam, multo satius est, ut initia actuum integra sint, quam fines. Deinde apparet properatio in Myside abeunte, ut Glycerium consolaretur. Itaque abrupit sermonem, atque abiit. Præterea inter actus Vetus Comœdia interserebat προσρήματα, choros, deverbia, apostrophas, atque alia ejusmodi. Nova Comœdia raro gregem, nisi in fine. Aliquando etiam Choragum legimus apud Plautum. Omnino autem tibicen canebat: quod e Pseudulo licet perspicere: 'Dum

concenturio in corde sycophantias, Tibicen vos interea hic delectaverit.' Tanto igitur intervallo, quomodo Charinus Mysidis explesset versum, quem non audiret? In eadem vero scena, ita perverse legit, ut alterum novenarium faciat, alterum, senarium relinquat: sic: 'Quæso ædepol, Charine, quoniam id fieri quod vis non potest, velis Quod possit: nihil aliud nisi Philumenam volo.' Cum tamen duo priores optimi sint octonarii: sic: 'Quæso ædepol, Charine, quoniam id fieri, quod vis, non potest, Velis quod possit: nihil aliud nisi Philumenam volo.' Etiam priore consilio monometrum vocat illum: 'Ah quanto satius est.' Dimeter enim est brachycatalecticus. Sed et nulla necessitate mutat, abi, in, abin', sive, abeas, cum frustra putat alioqui constare non posse versum. Nam et trochaicus est, si collidas; et iambicus, si non collidas: nam et maxima est vis ejus vocalis quæ est ultima in verbo, abi. Sic Virgilius, eo pulcherrimo versu, quo Theocritum æmulatus est: 'Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.' Et aspiratio prohibet collisionem: sicuti illi: 'Hecyra est huic nomen fabulæ, hæc cum data est.' Sic imprudenter nimis elidit sibilum ex pronomine illius versus: 'Sed istud quidnam est? hodie uxorem ducis? aiunt. Pamphile.' Qui tamen rotundissimus sit octonarius, neque usquam coactus. Nam quod monet, in nomine, suspicio, tertiam a fine produci, verum est: sed neque nova res, neque sine ratione; nam et Plautus ita scripsit: 'Et ne in suspicione ponatur stupri, Et clandestina ut celetur suspicio.' Et satis liquet coaluisse duas vocales in unam. Namque ab eo, quod esset suspicitum, suspicitio fuit: itaque, cum erit brevis, tunc intelligetur syncope: cum longa, synæresis: ex eo quoque versu in Andria: 'An non dixi hoc esse futurum? dixti quid meritus es? crucem.' Prisciani auctoritate dicit tolli verbum substantivum. Quo in loco mihi oblatam sentiam occasionem duos simul emendandi magnos viros: illum qui errarit, hunc qui non correxerit. Est enim integer octonarius. Illud vero ejus proprium est, cujus culpam in alium transferre nequeas. Nam verbum substantivum, affuerunt, trisyllabum professus est eo versu: 'Cum in pariundo aliquot affuerunt liberæ.' Qui tamen versus senarius iambum habet in quarta: ferendus tamen erat quasi lapsus, nisi altero errore culpam cumulasset, cum primam auferri jubet syllabam ex eo versu: Aufugistin'? hera, factum: satin' id tibi placet?' Integer enim senarius est, etiam citra ablationem, spondæis duobus, anapæsto, duobus dactylis, et postremo iambo. Ibi temere transfert syllabam inferioris in superiorem: contra debuit transferre in Hecyra, neque transtulit: 'Quæ dico parvipendent: porro hoc jurgium ad Uxorem, hæc cujus fiunt consilio omnia:' sicut interjectionem quoque debuit ascribere priori versui in Adelphis, ut sic legeretur: 'Syre, præceptorum plenus istorum ille: phy, Domi habuit unde disceret: fit sedulo.' Restituisset etiam in Hecyræ versu verbum, ut sit septenarius, ac par priori: sic: 'Tecum ferantur: dixi: ita ut jubes faciam, pater.' Non debet errati censeri loco illud in Andria eo versu: 'Tu rem impeditam, et perditam restituas? hem quo fretus sim.' In quo dicit, hem, extra versum ab alio additum potius: quam positum a Poëta: cum tamen mutila sit sine eo sententia: et sibilum elidi videmus etiam in multis locis. Sic audacter nimis aufert verbum, cupio, ex illo Eunuchi: 'Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.' Cum tamen commodius eximeret vocem sequentem, sine ullo carminis detrimento, etiam sententia rotundiore. Sed aut sit proceleusmaticus primus pes, et alter amphimacrus: aut pronomen possessivum: quod postremo in loco est, demittatur in versum alterum subsequentem, qui nihilominus sit senarius: sic: 'Meo: id amabo, adjuta me, quo id fiat facilius.' Nam, facilius, eodem modo trisyllabum est, quo, potius, bisyllabum. Eligat autem lector, quod magis erit ex animi sententia: quandoquidem etiam apud Lucretium, aliud, ita bisyllabum accipitur, ut cauda dactyli sit. Iniquior fuit illi versui ex Hecyra, ex quo, dum, particulam expletivam exemit: qui tamen cum sequentibus, cumque præcedentibus octonarius sit: 'Mane dum sodes: timeo, ne aliud credam, atque aliud nunties.' Hoc ibi cum adimit, ita alibi æque importune addit de suo: ut ad eum versum ex Eunucho: 'Par pari referto, quod eam mordeat.' Modo addit, nunc; modo, mox; modo, sic; modo nescio quid. Ego vero nihil immutandum censeo de consilio Poëtæ: qui integrum proverbium, sicut circumferebatur, ita interseruit trochaico tractu: quare audacius etiam, remordeat, suppositum est. Nam, si quid addas, versus non constet: si nihil addas, ad concinnandum trochaicum nihil est opus. Et non solum hoc exemplo in omnibus legitur exemplaribus, sed etiam eadem fide recitatum a Cicerone in epistola ad Lentulum. Verum apposuit pari audacia adverbium, nunc, ei versui: 'Alio pacto honeste quo modo hinc abeam, nescio.' Neque

enim vocalis eliditur, sed perstat longa ante aspirationem adverbii, hinc: et trochaicus decurrit octonarius catalecticus. Sicut in verbo monosyllabo nulla item collisio fit, neque in adverbio, eo versu: 'Ora me, obsecro te vero, Phædria, i intro; hoi, hei.' Corrupit etiam syllabarum quantitates: ut in illo ejusdem fabulæ: 'Sic est, inveniam hodie parem ubi pol referam gratiam.' Ausus est dicere adverbium, hodie, primam producere: quoniam, inquit, idem sit, ac si dicas, hoc die. At, quod nusquam est, narrat. Nam cum est, hoc die, propter positionem producitur. Nam suapte natura breve pronomen est: sicut ejus compar, hic. Græcum enim est, ὅ. Quare illud Virgilianum: 'Hoc erat alma parens:' non solum propter interrogationem, sed etiam ob syllabæ servitutem, legunt, *Hocce*, ii qui existimati sunt doctiores. Breve enim fuisse vel inde deprehenditur, ubi consonante amissa in adverbio, hodie, correptum est: quod etiam exemplo invenias ex versu Hecyræ: 'Visum est: certone? certe Deus sum; si hoc ita est, verum reperies.' Est enim pronomen, hoc, secunda syllaba dactyli, qui in quinta sede est: quamobrem versus, de quo nunc controversia est, septenarius est iambicus. In convivio autem poëtico, illum ex Eunuchi Prologo: 'Habeo alia multa quæ nunc condonabuntur:' ait mendosum esse: neque enim scazontes in ea genera carminum admitti: itaque ut metrum corrigeret, linguam Latinam depravavit, cum supposuit, condonabitur. Nam quis dicat, 'Tu condonaberis a me commentarios?' An vero etiam ἀπροσώπως ausus est, et rectum apponere tamen casum? At ego puto Veteres, excitandi spectatores gratia, nævos hosce aspersisse: neque in ea re falsus sum. Nam qui decuit minus, spondæo claudere iambicum, quam dactylicum sistere? At quantum decoris addit affectui, cum diximus in inferiis filiolæ nostræ, sororis tuæ lectissimæ, Sylvi: 'Heu heu quonam animam, quo carmine compellabo?' Sed de his numeris in tertio libro Poëtices tibi satis est disputatum. Ita gravitatem, et lenitatem, et constantiam animi ostendens Terentius, remisit de iambi acerbitate: neve sine exemplo fecisse eum arbitrere, habebis ex Prologo Amphitryonis unum: 'Quod ego huc processi sic cum servili schema.' Est enim, σχῆμα: quanquam non sum nescius viros doctos sublata aliunde syllaba, *schemate*, legere solitos: quare aliud habeas ex Asinaria: 'Age nunc reside jam cave modo ne graxis.' Neque enim sequentur analogiam, qui *graxeris* legerint: nihilo sane melius,

quam si *faxeris* et *occepseris*, pro, faxis, et occepsis, malint; sicut in Captivis: 'Numquam istuc dixis, neque animum induxis tuum.' Accipies etiam unum ex eadem fabula: 'Avis me fere consimilem faciam, ut prædixti.' Adducerem et ex Casinæ Prologo, nisi suspicarer verba esse transposita: 'Clerumenæ hæc vocatur Comœdia Græce.' Sicut ex eodem alterum: 'Ratione utuntur: ludis neminem poscunt.' Sed profecto et alibi multis locis, et in Pœnulo: 'Gerræ germanæ atque ædepol λῆροι λήρων.' Ac ne in illis quidem servavit Latinitatem: 'Ne te iratus suis sævis dictis protelet, scio.' Substituit enim pro *sævis dictis, sævidicis:* at sævidicum, mobile nomen est; cui igitur hærebit? an ille invenit usquam in naturæ legibus, accidens sine substantia? In eadem autem scena etiam pedum numerus eum fugit: namque iambicum senarium hypercatalecticum dixit illum: 'Non possum adesse, ah quid agis? quo abis, Antipho? mane.' Habet enim duos dactylos alterum alteri subeuntem ante postremum iambum. Æque autem incommode ex Heautontimorumeno brachycatalecticum nominavit illum, in quo periculum potius imminet, ne quid redundet: 'Et illam simul cum nuntio tibi hic ego affuturam hodie scio.' Est enim quadratus iambicus. Sicut illum quoque minus bene octonarium hypercatalecticum: 'Probe: huic filium scis esse? audivi, in Asia: non est pater.' Nam, si iambum in prima sede statuas, et creticum in secunda ob positionem, aut dactylum ex natura syllabæ, septenarius est. Sed, audii, pronuntiandum est, ut, Asia, sit anapæstus. Sin malis trochaicum, non collidas adverbium, probe, et erit anapæstus prima in sede, eritque octonarius, trochaicus, catalecticus, et, Asia, bisyllabum. In Phormione frustra laborat transponendo verba, ut numeris consulat, eo versu: 'Ut ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias.' Mavult ita legi: *Ad pauca ut redeam.* At vero verbum, redeam, bisyllabum esse, vel sexcentis locis, ubi opus est, constat. Eximit etiam vocalem hujus præpositionis, per, eo versu Adelphorum: 'Per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet.' At vero, quid fuerit dicere, Proppressionem? nempe frigidum admodum est, ne dicam absurdum, novum fugæ genus, quo evitet creticum fatalem illum: cum tamen adeo molliter pronuntiari possit, ut vix divertat a natura spondæi. Sed jam vereor ne quis eorum, quos ille multis locis premit fabulis atque irridet, reponat ei gratiam: cum in verbo, postulo, sciant ab ipso exemtam mediam vocalem. Magno enim in periculo est,

ne ab illis barbarus appelletur: propterea quod Germani, præsertim nostrates Vindelici, Carni, Norici, item Suevi, Saxones ita illud verbum pronuntiant, vix ut eam vocalem exaudias. Verum equidem, neque irridebo maternos avos meos, neque hominis consilium, quippe qui memor sim ejus versus ex Casina: 'Nunc ne tu respondere postules me tibi.' Non igitur judicium reprehendo, sed judicii locum. Ei enim versui optimo atque pulcherrimo quadrato, ex Andria, hanc injuriam faciebat: 'Cum is nihil promereat: postulare, id gratiæ apponi sibi.' Verum et hic nihil necesse habeas concidere, et primam natura cum corripiat, non potuit sibilus impedimento esse in illo Casinæ versu, quin unico tantum tempore proferretur: factum enim est ex, posse, et tolere. Neque enim literas geminabant, quod etiam durat in præterito, tetuli: et *teram* simplici elemento scriptam in libris augurum, ait Varro: et hoc monet nos plurimis locis Verrius, ejusque interpres atque imitator Festus. Ceterum Erasmus utinam eam curam alium in versum transtulisset, ad nomen hoc, periculo, potius quam tolleret omnem sermonis elegantiam, atque adeo Atticismum: quippe pronomen, hoc; est autem ex Andria is: 'Sine omni periculo: nam hocce haud dubium est, quin Chremes.' Præsertim, cum anapæstus esse potuerit in primo pede. Nam, omnis, primam corripit natura, ductum enim est παρὰ τὸ ὁμῶς. Universitas enim fit ex rerum conjunctione. Est enim universum, extra quod nihil est. Neque illas mutam ac liquidam potuisse cogere syllabam ad producendum, et pueri sciunt, et Priscianus docet ex Callimachi versu. Major vero difficultas objicitur in nomine hoc, voluptas: ex quo ille vocalem mediam auferendam censet, eo versu Andriæ: 'Quod voluptates eorum propriæ sunt: nam mihi immortalitas.' Nonnihil vero est, si sit ita pronuntiandum, *Volptas:* nihil enim ad Theutonicum sonum accedere potest proprius: atque hoc ut effugeremus, aut constitueremus creticum in prima, aut etiam anapæstum. Correpta enim conjunctio est alibi, vel judicio illius: quare hic quoque esset. At frustra viderer laboratre: quoniam duo versus in Casina sunt, nihilo nobis secundiores: 'Sine tuos ocellos deosculer, voluptas mea. Quid deosculer te? quæ res? quæ voluptas mea?' Nam nisi, *volup,* legas, aut facias anapæstum, sane aspera est pronuntiatio. Sed, *voluptas,* fuit volupetas, a, volo et peto; quæ omnia cum sint brevia, non immutarunt naturam. Nam sic quoque corripias in versu ex Heautontimorumeno, si ita legas ex

Bembi codice: 'Nec mihi fas esse ulla me voluptate his frui.' Quanquam codex ille, de quo vir doctissimus atque sanctissimus metitur nostros, plus habuit tum apud nos venerationis, ob vetustatem, tum apud illum opinionis ob novitatem, quam quantum re ipsa præstare valuerit. Omitto enim quæ ad privatarum vocum pertinent rationem: nam eas in Originum libris tibi satis explicatas puto. At, quod ad versuum ipsorum tractus spectat, operæ pretium est animadvertere multos, qui non constent: veluti e Phormione hunc: 'Quæ si astu non providentur, me aut herum pessumdabunt.' Ita dico apud hosce qui creticum recipiunt nullum: in nostratibus autem mollius legitur sic: *Quæ si non astu providentur.* Ubi octonarius est. Item ex Heautontimorumeno sic legit: 'Pergin' mulier odiosa esse? nullamne ego rem in vita mea.' At in nostris sic legitur: *Venire in mentem: mi vir. oh pergin' mulier esse? ullamne ego.* Ubi vides, si addas omnia illa verba, quæ præcedunt exprobrationem senis, versus fiat stadio longior: at illi octonarii sunt. Verum lepor quoque in verbis est illis, 'Oh pergin' mulier esse:' plus enim est esse mulierem, quam odiosam. In altero autem sequente: 'Rem unquam volui, quin tu in ea mihi advorsatrix fueris, Sostrata?' Videtur syllaba redundare: sed *mi,* pronunties, non *mihi.* Bembus autem ita legit, ut una deficiat: sic: *Volui: quin tu in ea mihi fueris advorsatrix Sostrata?* Locutionem quoque non leviter pertranseas. Ille enim dicit: Nullamne rem volui? sane tolerabilis sermo, cum verbo hoc, volo. Nam negatio, quæ est in nomine, in verbum transit, et fit, ullam rem nolui. Non possis vero dicere cum verbo substantivo: Nullane res est? quonam modo namque esset, si non est? neque melius procedit ille ex eadem, quem nos sic: 'Sustulisti: sic est factum: domina, ergo herus damno auctus est.' Ille sic: *Sustulisti: sic est factum: domin', ergo herus damno auctus est.* At duo sunt, quæ dissuadent esse recipiendum. Primum versus, qui trochaicus sit: quare in quinto pede iambum statuit: nos anapæstum. Et minus simile veri fuit, domi educatam, atque herum latuisse: erat enim modica domus, quæ vel cœna Bacchidis premeretur: quare inepta fuisset interrogatio. Neque fuisset auctus damno, quoniam domi educasset: sed quoniam filiam, cui dos paranda esset. Itaque non foris educandam dedit, sed exponendam. Præterea plus impendii est, si foris educantur liberi, quam si domi. Sed et ille in Eunucho, toto verbo longior est, temere repetito: 'Idque adeo visam: visam si domi'st: quisnam hinc a Thaide exit?' Sed ubi-

que videtur non minimi judicii quispiam neglectis numeris leporem quæsisse orationis: sicut in eadem Fabula: 'Nihil præter promissum.' At nos legebamus: *Nihil prætermissum.* Verum hic argutia etiam dimensionibus suum reliquit locum, si, nihil, sit monosyllabum, quod frequentissimum est. Vult dicere, Phædriam nihil præstaturum eorum, quæ militi pollicebantur, neque quicquam illum præter promissum laturum: sed in eadem lepor quoque nitidissimus est, iis versibus: 'Illum liquet mihi dejerare mensibus Sex, septem prorsus non vidisse proximis.' Nostri vulgate nimis legebant, *Sex vel septem.* Ceterum et a numero excluditur conjunctio, et a sermonis puritate: sicuti, cum dicimus: Quinquaginta plus minus annos natus sum. Illud quoque lepidius videtur in Heautontimorumeno: 'Confitere tu? au obsecro, istuc inimicis siet:' quam quod legitur ab Erasmo et aliis: *Confitere tuum non esse? ah obsecro te, istuc inimicis siet.* Splendidior est oratio repetita negatione sensu, non verbis: et necesse est ita legi, quoniam præcedentes versus hic concinnat: quos versus tam Bembus, quam Erasmus male disponit. Bembus sic: *Subditum se suspicatur: subditum? ain' tu certe: sic erit, mi vir.* Erasmus sic: *Subditum se suspicatur: subditum? ain' tu? certe, inquam, mi vir.* Verum uterque longior est, Erasmianus una syllaba: alter autem etiam pluribus: quare ita legendi sunt, ut sint trochaici octonarii catalectici: *Subditum se suspicatur: subditum? ain' tu? certe inquam, Mi vir: confitere tu? au obsecro, istuc inimicis siet.* Sic etiam ex Adelphis, illis duobus versibus, neuter est audiendus. Bembi codex sic: *Obsecro, mea nutrix, quid nunc fiet? quid fiet rogas? Recte ædepol spero: modo dolores mea tu occipiunt primulum.* Erasmus sic: *Obsecro, mea tu nutrix, quid nunc fiet? quid fiet rogas? recte.* Ergo Erasmus male collocat adverbium, recte: Bembus male omittit pronomen, tu: ut sint iambici quadrati. Hæc quidem manifesta lectio, at illa ambigua, utra probior sit? In Heautontimorumeno vetus exemplar sic habet: *Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere? et Quod illum insimulat durum, id non est: nam parentum injuriæ Uniusmodi sunt ferme: paulo qui est homo tolerabilis. Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier.* Bembus et aliquot eximit verba, et alia serie digerit numeros: *Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere? Et quod illum insimulat durum, id non est. Nam parentum injuriæ uniusmodi sunt ferme. Scortari crebro volunt, volunt convivarier.* Sed numeros obterit Bembus,

quarto versu: in quo et trochæum invenias tertia sede, et iambum sexta: quare errorem subesse necesse est, et confundit versuum tum genera, tum quantitates. Nostra autem lectio horum nihil: sed asperior visa est in sententia: cum tamen non sit: nam ita dicit: Patres duros nihil remittere de imperio, quod exerceant in liberos: omnia animi laxamenta prohibere: at, qui paulo est tolerabilior, aliqua sane patiatur: sed non crebro ea fieri. Mutavit autem numerum verborum Terentius; cum in singulari dixit: 'paulo qui est tolerabilis,' debuerat subdere: 'non vult crebro scortari liberos suos, non vult crebro convivari.' Sed retulit numerum ad universitatem patrum. At in singulari, *tolerabilem*, posuerat, quoniam rariores sunt. Ita mutat numerum in Eunucho: 'Eunuchum porro dixti velle te, Quia solæ utuntur his reginæ.' Quam mutationem aliquis minus commodam cum putaret, sublatis illis verbis, *paulo qui est homo tolerabilis*, quæ vitia prohiberent patres in nostra lectione, ea fecit patrare flagitia filiis in sua. Hæc sunt, Sylviole fili, quæ laboriosissima opera excussi tibi: majorene tædio tot ineptiarum, an metu, ne pari inscitia caperere nescio. Omisi vero multa carmina controversa, aut ambigua, alia vasta: quæ etiamsi ad sanitatem redigantur, at cura ista nostra vel sic longe minora sint. Verum enimvero neque tibi puerilia videri debent, qui ista ætate literariæ laudis aditum omnem explorare juberis ab indole tua, quæ magna ac multa promittit nobis: neque mihi plebeia adeo, in quibus, omissis studiis gravioribus, tantos illos viros elaborare aliquid non pœnituit. Qui si quibus in locis lapsi sunt, vel hoc ipsum eis debeatur, quod nos excitarint ad veritatem. Cujus splendorem, fili mi, quovis nomine cariorem habere debes. Magnum fuit Erasmi nomen, præsertim in Germania literis renascentibus: majus futurum, si ille minor esse voluisset. Nunc, fretus ingenii sui magnitudine, multa tractare aggressus est, paulo minus accurate: ita a nominis claritate profecta confidentia præcipitem illum egit, non sine dispendio multorum studiosorum: qui omnes cum docti esse vehementer exoptarent, pauci autem laborarent omissis ærumnis, quæ ipsis in antiquorum lectione multæ exequendæ erant, compendium nacti eorum quæ Erasmus in unum coëgisset, ei de omnibus fidem ita habuere, ut etiam extantibus priscorum monumentis, unde ille vel aliquando non bona fide accepisset, Erasmi nomen non pro teste, sed pro judice, citent, atque alieni laboris non quasi beneficiarium faciant aucto-

rem. Quare vobis omnibus ejus nominis studiosis, inter quos me quoque sane esse non nolim, commode ostendimus, atque opportune, quid cujusque judicii sequeremini. Quod si quis, ut est ingenium quibusdam barbarum ac ferum, pertinacius negligat foveatque ignaviam suam; te saltem habeamus ab erroribus ejusmodi segregatum.

P. ANTESIGNANUS

ANTONIO, THEOPHILO, ET JOANNI SARÆIS S. D.

* * * * * *

Versus autem hic iambici aut trochaici sunt omnes: atque utrique aut monometri, aut dimetri, aut trimetri, aut tetrametri: et rursus aut acatalectici, aut catalectici, aut brachycatalectici, aut hypercatalectici. Iambici ab iambo pede, et trochaici a trochæo nomen habent. Iambici igitur sunt, in quorum sedem aliquam iambus, aut in ultimam pro iambo pyrrhichius ingreditur: trochaici, in quibus datur trochæo locus. Iambici sive trochaici monometri sunt qui una mensura, hoc est, pedibus duobus constant: dimetri qui mensuris duabus, et pedibus quatuor: trimetri qui mensuris tribus, ac pedibus sex, unde et senarii dicti sunt: tetrametri sive quadrati qui mensuris quatuor, octo vero pedibus, unde et octonarii a Latinis nominantur. Monometri, dimetri, trimetri, et tetrametri, in quibus nihil abundat, neque desideratur quicquam, acatalectici nuncupantur: catalectici qui syllaba una breviores, et brachycatalectici qui duabus: hypercatalectici vero in quibus aliquid redundat. Ex iambicis in usu sunt maximo apud Terentium trimetri sive senarii acatalectici et tetrametri sive octonarii tum acatalectici tum catalectici: in rariori dimetri acatalectici et trimetri catalectici. E trochaicis usitatiores sunt tetrametri catalectici: minus usitati dimetri catalectici et trimetri item catalectici. Reliquorum generum exempla non nisi rarissima apud hunc auctorem inveniuntur. Iambici trochæum non ferunt, neque pyrrhichium nisi loco ultimo: at trochaici neque iambum, neque pyrrhichium. Quatuor pedes brachysyllabum, spondæum, dactylum, et anapæstum tam iambici quam trochaici quavis sede recipiunt, præterquam ultimam si acatalectici, et penultimam si catalectici fuerint: quibus in locis iambici iambum, et trochaici trochæum proprie requirunt: tamen in catalecticorum regione penultima brachysyllabus et nonnunquam dactylus pro trochæo collocantur: atque pro iambo quivis pes, cui in ceteris iambicorum sedibus daretur locus: in ultima vero catalecticorum sede pro iambo in iambicis, et pro trochæo in trochaicis ponitur semipes, hoc est, prima pedis illius syllaba: nempe brevis pro iambo, et pro trochæo longa: sed, cum cujusvis versus ultima sit anceps, pro priore iambi, longa; et contra, brevis pro prima trochæi collocatur. Pyrrhichius etiam in iambicis acatalecticis pro iambo ultimum locum occupat: at alibi nusquam visitur. Proceleusmaticus raro sese offert: ei tamen nullo refragante datur locus et in iambicis et in trochaicis. Creticos, amphibrachos, et bacchios quidam omnino respuunt: illos alii ægre quidem admittunt: sed eos prorsus rejiciendos nequaquam censent. Nos ubique fere quo pacto et horum et illorum opinio defendi posset indicavimus, uni versui duos dimensionis modos assignantes ad eum usque locum qui dissensionis esset terminus: sæpe etiam ad rem ipsam plenius explanandam brevissimis scholiis adhibitis. Ac primus quidem modus, quæ tres hos pedes recipit, planus, simplex, expeditus, et evidens est: non enim novit insolitas et asperas illas diæreses, synæreses, et crebras literarum elisiones, quæ posteriore dimensionis ratione iis sunt perscrutandæ: qui nulla non diverticula, quosvis anfractus, et omnia suffugia quærunt, quo monstra illa (ut ipsi loquuntur) exterorum pedum possint evitare. Præcipua effugia consistunt in diæresibus, synæresibus, et elisionibus. Diæresi unam syllabam in duas dividunt: nos hanc duobus in apice punctis appositis designavimus: ut: cuï, Deï, Dïi, Dïis, ïam, cum e monosyllabis fiunt disyllaba: cuïque, deïnde, proïnde, cum e disyllabis trisyllaba judicantur. Synæresi duas syllabas in unam contrahunt, quam hac nota priori vocali superposita indicatam voluimus. Illa igitur et sequens vocalis, quæ in aliis poëtis atque in hoc juxta primum dimensionis modum duas efficerent syllabas, in unam coëunt, cum alteram scansionis rationem, quæ exteros illos pedes non recipit, intuebimur: ut in vocabulis sequentibus: abĕo, abĕat, redĕam, redĕat, adĕo, ăhu, ăis, ăit, ăin', ăiebas, alĭenus, alĭis, alĭo, audĭo, audĭat: circuitĭone, cŏemisse, commĕare, confitĕor, consilĭi (idem judicium de reliquis genitivis singularibus, et nominativis pluralibus in ii: ut, negotĭi, gaudĭi, pretĭi, cetarĭi,

lanĭi: quidam malunt legere *consili, negoti, gaudi, preti*) cŭjus, cupĭo: dĕambulatum, Dĕæ, Dĕorum, Dĕûm, Dĕum, Dĕos, Dĕmea, denŭo, dispendĭo, dĭu, dĭutius, Dorĭo, dŭarum, dŭas, dŭos: ĕa, et in ceteris casibus, ĕjus, ĕjusmodi, ĕum, ĕundem, ĕam, ĕa, ĕodem, ĕam, ĕorum, ĕis, ĕò (adverbium,) ĕho, eripŭit, etĭam: fĭant, fĭet, fortunatĭor, fŭit, fŭerunt, fŭere, fŭisse: grandĭuscula, gratĭa, gaudĕant: Hegĭoni, hŭjus, hŭjusmodi: ilignĕis, illĭus, indŭit, injurĭa, intrŏire (quasi duæ essent dictiones, intro ire: intrŏibas, quasi, intro ibas: sic in, antĕhac, postĕa, quŏad, quasi, ante hac, post ea, quo ad. Me ipsum, et, te ipsum, pro duabus dictionibus sumit semper Terentius: ideo e semper eliditur in, me et te) istĭus: liberĭus: manĕo, mĕus, mĕa, mĕum (per omnes casus: sic, tŭus, tŭa, tŭum; et, sŭus, sŭa, sŭum) mĭhi, (alii malunt legere, *mî*: sic nil, non nil, pro nĭhil, nonnĭhil) misericordĭa: necessarĭo, nuntĭare, nuptĭæ, nuptĭis: omnĭa (sunt qui in hoc nomine primam ancipitem esse velint: nam ab ὁμῶς deductum volunt:) patrŭum, perdĭunt, perdŭint, Phanĭum, Phormĭo, Phormĭonem, prĭor, prĭoreis, prĭus, psaltrĭa, pŭer: rĕi: scĭo, scĭas, scĭens, nescĭebam, scĭebat, servĭebas: (quidam legunt *scibam, nescibam, servibas*) solĭus, somnĭum, succensĕam, sumtŭosa: timĕo: vĭa, vidŭa, uspĭam. Hæc fere sunt quæ contrahere coguntur ii, qui creticos, bacchios, et amphibrachos in Terentianos versus non admittunt. Crebris etiam utuntur elisionibus, quibus literam unam tollunt e dictionis initio, vel medio, vel fine: aut etiam e calce duas. Id apostrophi nota ', quæ literæ rejiciendæ admoveatur, placuit indicare: tamen, cum literæ n applicatur, non abjiciendam sed abjectam innuit: ut: adeón', aín', vidén', pro, adeóne, aísne, vidésne: ubi et hoc obiter monendum, vocalem præcedentem, brevem hac interrogationis nota fieri, etiam si natura produceretur: quidam ancipitem esse arbitrantur. E principio tollitur v, ut in dictionibus sequentibus v'erebamini, v'erò, v'erum, v'erus, v'ix, v'oluptate, v'oluptas, v'os; quas ut exteris illis pedibus locum nullum præbeant, ita efferunt: erebamini, ero, erus, &c. In, voluptas, tamen potest u ante pt, ut ante mutam cum liquida Græcorum more correptum censeri. E medio eliduntur a, u vocale et consonum, l, s, et t: a, ut pa'rare, quasi, prare: u vocale; ut, discipu'li, sæcu'lum, pericu'lum, per omnes casus (sunt qui malint legere *discipli, sæclum, periclum, pericli, periclo*, &c.) postu'lo, postu'lare, quasi dicas, postlo, postlare: v consonum; ut, adjuv'erit, div'itias, enimv'ero, inv'eniet,

inv'idia, subv'enite; quasi legas, adjv'erit, diitias (vel, ut alii malunt, *ditias*) enimero, ineniet, inidia, subenite. L deperditur sæpe in pronomine, ill'e, ill'a, ill'ud per omnes casus, ill'ic, ill'uc: tum i corripitur; ile, ila, ilud, &c. ut et nonnulli etiam legunt: in, paulu'lum, eliduntur l et u, ut legatur, paulum: quod et alii alterius loco reponunt. S abjicitur in, hujús'modi et ejús'modi, ut antepenultima corripiatur. In, ist'e, ist'a, ist'ud et reliquis casibus, istu'c, ist'ic, ist'æc, ist'orsum, quidam s, alii t malunt elidere, ut i breve censeatur. In fine dictionum sæpe absumuntur d et s ante quasvis literas: sed ante consonantes ipsæ solæ: ante vocales vero, non solum ipsæ, sed vocalis illas præcedens: atque hæc fere sunt in quibus absorbetur d: ad' (et in composito, ad'sum,) apu'd, id', quid' (maxime ante pronomen, iste, ista, istud) quod', sed'. S in terminationibus as, es, os, excludendum non offendi, nisi in, dies', narras', res', et taces': in is parce, idque dum breve est, veluti in nominativo, anguis', mensis', pestis', is' cum est pronomen: in genitivo, ut, adolescentis', venustatís'que: in verbis, ut, agis', credis', dicis', obtundis'. In, magis', et satis' passim absorbetur s: sunt tamen qui in illis locis malint legere ***mage***, et ***sat***. In dictionibus in us breve desinentibus elisionem admittunt etiam ii qui creticis, bacchiis, et amphibrachis utuntur: ut in, opus', herus', stolidus', ipsus', dehortatus', ejus', hujus', quibus', sumus', aliisque innumeris. Qui pedes illos rejiciunt, us productum etiam interimunt, ut in, rus': audent etiam elidere b in, ob': l in simul': m ante consonantes in, quidem' et enim': atque t in, erit', excessit', facit', liceret', occidit', oportet', studet', et similibus: sic in, quot' et ut'. Sed de diæresi, synæresi, et elisione hactenus. Illud et hoc loco monendum, apud hunc auctorem passim inveniri vocales finales non elisas (quod hac nota " expressimus) ante alias vocales: idque in uno atque eodem versu: et contra, in versibus diversis vocalem finalem prioris a vocali sequentis absorberi: et rursus primam secundi versus ad finem prioris pertinere: idem judicium de dictionibus in m desinentibus, cum sequitur vocabulum a vocali incipiens. Ceterum vocales illæ finales non elisæ, quæ natura aut diphthongo producerentur, hic fere corripiuntur: interdum tamen invariatæ manent, et maxime ante 'h,' quod hic sæpe ita plenam vim habet consonantis, ut præcedens brevis in m vel aliam consonam desinens positu longa censeatur. Horum omnium exempla huc congerere supervaca-

neum esse duximus, cum nusquam lectori non sint obvia futura, in quamcumque hujus libri paginam oculos converterit. Illum itaque his principiis et præceptionibus instructum eo dimittam, modo et illud addiderim, nos uni versui geminam dimensionem apposuisse, non solum ubi incidit disceptatio ob alienos illos pedes, sed etiam in versibus ambiguis: cum scilicet idem versus simul et in iambici acatalectici et in trochaici catalectici numeros venire poterat. Sunt et alia ratione versus ambigui, præcipue tetrametri catalectici: in quorum sede septima ponitur brachysyllabus, in aliis vero regionibus nullus consistit iambus, neque etiam trochæus: ut actus II. Andriæ, penultimo scenæ, 2. versu.

Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. C. Bene mones.

Hic versus regione prima tertia et septima brachysyllabum habet: secunda dactylum: quarta, quinta, et sexta, spondæum: ultima syllabam longam, quæ versum illum catalecticum esse demonstrat. Sed ambigere quispiam merito possit, iambicusne, an trochaicus censeri debeat; cum ibi nullus sit iambus qui iambicum, neque trochæus qui trochaicum possit indicare. Judicium igitur aliunde petendum est: nempe a vicinis versibus, qui trochaici sunt omnes: quo circa et hic trochaicus est judicandus. Quamvis enim iambici et trochaici sæpe inveniantur intermisti; hoc tamen est ita temperandum, ut, quo plures ejusdem generis in unum digerere queamus, id omnino conemur: neque vero hujus rei gratia, vel etiam ob alias quascumque comicorum versuum leges, eorum diligentiam imitandam existimo, qui etiam contra omnium probatorum et receptorum codicum testimonia nihil non in Terentio sibi licere invertere autumant, modo versum ad unguem suis numeris constare demonstrent: in quorum tamen observatione ipse Terentius de industria negligens fuisse perspicitur. Nos Terentio numeros, non Terentium numeris astringendum arbitramur: quapropter nihil unquam ob metri rationem immutavimus in contextu: nisi duo aut plura eaque fide digna in idem consentirent exemplaria: lectionis tamen varietatem ubique fere ad marginem apposuimus: una cum literis et notis, quæ diversam indicent dimensionem ab ea, quam receptiori et in contextu positæ lectioni assignavimus. Valete Saræi, eximia spe adolescentuli. Lugd. Idib. Aug. 1556.

JOACHIMI CAMERARII

DE COMICIS VERSIBUS DIATRIBA.

De Plauto Fabularum istarum auctore pauca dicam, in primis ut constet quo tempore vixerit. Hunc incidere in ætatem Catonis, quo et ipso censore mortuum esse, scripsit Cicero, ante se Cos. 160. annis, hoc est, ab U. C. circiter D. P. Claudio, L. Portio Coss. Cujus ætatis, in quam Nævius quoque includitur, participes fuere ultra citraque Ennius, Cæcilius, Pacuvius, Terentius. Pacuvium quidem ac Cæcilium male locutos, Cicero ait. Ennium et Nævium probat. Sed nostro studio relictus est Plautus et Terentius tantum. De his igitur petenda forma Latinæ locutionis, et sternendum quasi solum, super quo oratio bona et diserta, verbis et sententiis apte constructa collocetur. Non enim compositio, neque veluti ædificatio qualis esse debeat illius, hinc cognosci et disci potest. Etiam munditiæ et nitori, et, ut ita dicam, innocentiæ ac integritati sermonis antiquitas officit, cum quia omnium rerum est sua elaboratio et perpolitio, quæ perfectio existimanda, tum quod studium elegantiæ ut in vita, sic sermone quoque illa non usurpavit. Quapropter posteriores in sermone priorum nonnulla mutarunt emendantes, formam certe componendo, et quasi coagmentando atque reconcinnando reddiderunt et pulchriorem et meliorem. Hæc jam illa est certa et constans, atque omnium eruditionis atque bonarum artium cupidorum imitationi sola proposita, Ciceronis, et eorum qui ætate illa vixerunt: sed Ciceronis, ut principis et auctoris Latinæ linguæ, de quo alibi disseruimus copiosius, cum contra reprehensores hujus studii disputaremus. Hæc autem qui perspexerit, in Plautinis et Terentianis scriptis ita versabitur, ut quasi materiam orationis bonæ, et, si fas nobis est dicere, eloquentiæ Latinæ ab illis sumat, neque in delectu vel verborum vel figurarum sermonis hallucinabitur. Sed de hoc jamdudum satis. De comico autem carmine etsi alii scripsere, quæ et magnifacio et probo, tamen nostro quoque studio existimo adhuc loci aliquid relictum esse. Cum res illa quidem ejusmodi sit, ut penitus comprehendi, et omnium etiam diligentia quasi enucleari his temporibus nequaquam posse videatur. Quo autem est difficilior labor, eo assiduitatis plusculum in vestigando adhiberi con-

venit. Nihil autem tam est abstrusum, de quo non aliquid, si sæpius et studiose exquiratur, erui posse sperandum sit: τὸ γὰρ ζητούμενον, inquit Sophocles, ἁλωτὸν, ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον. Minus autem certe turpe est, in eo a quo quamplurimos magnitudo et obscuritas deterruerit, quantumvis modicos, quam illorum vestigiis insistentem nullos progressus fecisse. Si tamen est adeo digna res, ubi quis nervos intendat suos, ut ait Terentius. Quod quidem ita esse nobis persuasum est, et senserunt omnes qui aliquam famam eruditionis literarum et doctrinæ consecuti fuerunt. Cum quidem non solum bestiæ demulceantur numeroso sono, sed solitudines etiam atque sylvæ quasi afficiantur, ita respondeant carminibus. Qui Musarum reliquias in cura bonarum artium non amplectetur, vel etiam contemnet, eum nos quidem nimis aut fastidiosum aut barbarum quoque esse judicabimus. Etsi fatemur in hac parte supervacaneum, et in quodam inconcesso amore Musarum insanum studium impendi non oportere, ne, sequentes volucres illas, hoc remigio destituti, ut de Pyrenæo fabulæ tradunt, in exitium nos præcipitemus.

Sed ad rem accedamus: pauca quidem quasi præfati de horum scriptorum genere. Comicus poëta fuit Plautus. Comœdia autem est poëma δραματικὸν, hoc est, expositio numerosa, id est, carmine comprehensa, et in actionem implicita, seu collata in personas, argumenti ficti, de rebus, casibus, negotiis sumtis e vita communi, et quasi quotidianis eventis. Hoc carminis genus de Tragœdia fluxit, ut Horatius docuit, qui Thespin dicit invenisse ignotum genus tragicæ musæ: atque addit:

> ' Successit vetus his Comœdia non sine multa
> Laude.'

Initia autem fuisse admodum parva et rudia, cum hilares, post labores exactos, diebus festis concinerent aliquid, et alii, et idem Horatius in Epistola ad Augustum perhibet, ubi dicit, ab innoxiis jocis libertatem hanc ad intolerabilem licentiam provectam fuisse. Qui primus autem Comœdiam scripserit, non constat. In libro qui Aristoteli inscribitur de Poetica, inter alia et hæc leguntur: Siculos sibi vendicare inventum Comœdiæ, fuisse enim Epicharmum ante Chonnidem et Magnetem: et uti nominis quoque testimonio. Esse enim certe Comœdiam non ἀπὸ τοῦ κώμου, sed ἀπὸ τῶν κωμῶν, id est, non de hilaritate et exultatione, sed de pagis

appellatam. Sed ab Atheniensibus pagos non κώμας, verum δήμους vocari. Similiter et quosdam Peloponnesios ait suum facere inventum Tragœdiam, quod fabulæ δράματα dicantur, cum tamen Atheniensibus in usu non sit verbum δρᾷν, sed πράττειν. Ibidem et hoc scriptum est. Ab eo demum tempore Comœdiæ auctores celebrari, quo formam illa et speciem quandam nacta fuerit, cum principio obscura esset, et auctores ipsius laterent. Sed Comœdia, quæ priscis temporibus in usu fuit, qua nominatim hi aut improbos aut inimicos suos perstringebant, principum etiam virorum vitam et mores reprehendentes, hæc igitur antiqua dicta est. De cujus licentia κωμωδεῖσθαι vulgo dixere eos, qui probris lacesserentur. Hujus auctor vetustissimus nominatur Sannyrio. Sed excellentes fuere, temporibus belli Peloponnesii,

> Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque poëtæ.

Hæc postea fuit mutata, cum dolerent, ut inquit Horatius, cruento dente lacessiti. Tum nomen obtinuit Mediæ, quæ dissimulato nomine vitia tantum exagitaret:

> ———————————— Quinetiam lex
> Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
> Describi.

Atque ferunt Eupolin in mari submersum, ab iis quos maledictis læsisset. Tum igitur Tragœdiarum fere argumenta detulerunt in scenam, retexta ad ridiculum modum: deque hoc genere chorus paulatim defluxit. In quo præ ceteris clarus fuit Plato comicus. Hanc secuta est nova Comœdia, in qua primas tenuit Menander, potiente rerum Alexandro magno: atque hæc chorum omnino non habet, sed ornatu vario et multiplici personarum insignis est. Atque hæc indicanda breviter et strictim putavi, de initiis ac progressionibus Comœdiæ apud Græcos. Apud Latinos autem, scenicos ludos institutos fuisse C. vel ut alibi, T. Sulpicio Bœtico (vel ut alibi, Petico, alibi Potico) C. Licinio Stolone Coss. notavit Valerius: et paulatim ludicram artem ad satirarum modos perrexisse, a quibus primus omnium poëta Livius ad fabularum argumenta spectantium oculos et animos transtulerit. Cicero autem scripsit, Livium primum omnium Fabulam dedisse, annis fere 410. post Romam conditam: fuere autem celebrati primum Ludi Romani patrum et equitum, qui et Magni, ludicrum autem equi

et pugiles, ut Livius memorat, lib. I. qui et Ludorum plebeiorum mentionem fecit lib. XXVIII. Idem Livius, quo tempore et qua de causa instituti et Ludi scenici dicti sint, copiose eadem quæ Valerius retulit lib. VII. Quod tempus est Urbis circiter 309. Idem tamen lib. XXXVI. scripsit, ob dedicationem ædis Matris Magnæ primos ludos scenicos factos, Valerium Antiatem esse auctorem, Megalesia appellatos, quod tempus distat a priore annis pluribus 165. Cicero Livium Fabulam docuisse, ut retulimus, scripsit in Bruto, et prima Tusc. Claudio et Tuditano Coss. anno U. C. 410. Hoc Gellius retulit in annum 510. ideoque fuere qui apud Ciceronem numeros mutandos censerent. Quod nobis fieri oportere non videtur, cum ipse Cicero indicet, alios hæc aliter exposuisse, et res sint inexplicabiliter confusæ. Sed, postquam componere Fabulas argumentosas poëtæ Latini cœperunt, sequentes et vertentes Græcorum scripta, in hoc genere magna licentia usi fuerunt. Cum autem essent Latinorum propria quædam poëmata, ut Atellanorum, videntur libertatem illam in Græcis et Latinis argumentis poëtæ Latini, non tam fuga laboris et cupiditate edendi sua, ut Horatius putat, quam necessitate quadam custodiisse, ne aures civium peregrinitate offenderentur. Ita factum puto, ut neque intra trimetros constiterint, neque Græcorum exquisitionem et quasi normam, ad quam numeros illi exegerant, hi servarint. Sed nunc deinceps de ratione horum, et carminum comicorum structura, quæ nostra diligentia observavit, quæque postulare videtur lectio Fabularum Latinarum, breviter quidem disseremus: ita tamen, ut fortasse nondum ab aliis demonstrata indicemus. Metra præcipua sunt novem; iambicum, trochaicum, dactylicum, anapæsticum, choriambicum, antispasticum, ionicum a majore, ionicum a minore, pæonicum. E quorum numero nunc eximemus iambicum et trochaicum, deque iis quæ videbuntur dicemus. Iambicum metrum a principe pede nomen habet: qui a conviciis appellatus fuit, ut placet Aristoteli: cumque sit maxime conveniens sermonibus (nam, fortuito etiam loquentes, iambos crebros proferimus),

> Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,
> Alternis aptum sermonibus, et populares
> Vincentem strepitus, et aptum rebus agendis,

ut ait Horatius. Hoc carmen, cum purum est et integrum, omnibus in locis iambos habet: ut apud Catullum:

> Phaselus ille quem videtis hospites
> Ait fuisse navium celerrimus.

Et Horatium:

> Beatus ille qui procul negotiis.

Quo autem gravius paulo in tarditate procederet iambus,

> Spondæos stabiles in jura paterna recepit
> Commodus et patiens, non ut de sede secunda
> Cederet aut quarta socialiter.——

Sed neque tragici hoc, in primis Latini, servarunt, et comici omnibus in locis collocarunt pedes sine discrimine quinque: dactylum, anapæstum, tribrachyn, spondæum, iambum.

Syllaba longa brevi subjecta vocatur iambus:

Deos, cliens, ferox; quæ si ambæ breves sint, Pyrrhichius is pes vocatur: lege, here, grave.

Spondæus habet duas longas: exlex, concors, amens.
Tribrachys tribus brevibus constat: domine, canere, misera.
Anapæstus, duabus primis brevibus, postrema longa: silices, rabies, patiens.
Dactylus, prima longa, sequentibus duabus brevibus: litera, scribere, musica.

In Latinis comicis rari iambi sunt, etiam in trimetris, qui sunt senarii. In integro tamen iambico, vult esse ultimus pes hic, aut propter ultimæ indifferentiam pyrrhichius, quasi definiens numeros ac versum. Sicut in dactylico, quintus dactylus. Horum loco cum spondæus ponitur, ii versus tum *σπονδαΐζοντες* et *σπονδαϊκοὶ* dicuntur, ut:

> Armatumque auro circumspicit Oriona.
> Apollinarem conveni meum scazon.

Claudicare enim hi versus putantur, et *σκάζοντες* nominantur, et *χωλιαμβοί*. Comici autem, ut dixi, numeros ideo minus distinxerunt, ut similitudo sermonis communis custodiretur. Itaque Cicero in Oratore sic ait: ‘At comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic sæpe sunt abjecti, ut nonnunquam vix in his numerus et versus intelligi possit.’ Hæc confusio cum est maxima, tum carmina vocantur *ἀπεμφαίνοντα*, id est, immanifesta, et *ἀνάρμοστα*:

Exclusit, revocat, redeam? non si me obsecret.

Qui versus, si producas penultimam, erit dactylicus *σπονδαΐζων*.

Tres unam pereunt adolescentes mulierem :

Totus dactylicus, præter ultimum iambum. Hoc genus et ad octonarios producitur a Comicis, qui sunt *τετράμετροι*: a Latinis etiam quadrati vocantur. Habet apud eosdem et *κατάληξιν*, ita ut ad senarium additus amphibrachys, id est, syllaba brevis longa brevis : aut bacchius, id est, syllaba brevis longa, (ultima enim syllaba omnis versus est indifferens,) hoc numeros perficiat :

Nam si remittant quippiam Philumenam :

hic est *τρίμετρος*. Addantur illæ tres syllabæ, 'dolores,' et erit jam *τετράμετρος καταληκτικός*. Nam in hoc genere alii pedes, quam supra memorati, non nominantur. Sed neque servarunt hoc, ut ante *κατάληξιν* semper esset iambus : neque non pro syllaba longa catalectica sæpe duas breves posuerunt :

Ædepol lenones, meo animo, novisti, Lusce lepide.

Ante *κατάληξιν τρίβραχυς* est :

Tacuisse mavellem, haud male meditate male dicaces.

Ante *κατάληξιν* est spondæus :

Bene ego istam eduxi meæ domi, et pudice.——
—— Si hujus miseret.

Ante *κατάληξιν* est dactylus :

Nunquam me orares quin darem : nunc illum te orare melius est.

'Lius est' in unam syllabam concrescunt. Hi versus appellantur hipponactei, ab auctore, et Latine septenarii : tum enim, Priscianus ait, Varronem scripsisse, fieri septenarium, cum ad senarium iambicum trisyllabus pes addatur, hoc modo :

Quid immerentibus noces? quid invides amicis?

Talia sunt Aristophanea in Pluto, quorum primum hoc :

Ὦ πολλὰ δὴ τῷ δεσπότῃ ταὐτὸν θύμον φαγόντες.

Trochaicum carmen est iambicum commutatum : trochæus a volubilitate et ratione nomen habet, contrarius pes iambo, constans

longa et brevi scribe, musa, verba. Hoc iambum non admittit, quemadmodum neque in iambicum trochæus ingreditur. Etsi reperitur etiam in Græcis *τροχαϊκὸν τετράμετρον καταληκτικὸν*, in cujus quarto loco ponitur iambus, ut in Nebulis :

Ὦ θεώμενοι, κατερῶ πρός γ' ὑμᾶς ἐλευθέρως. Idque *Εὐπολίδειον ἀσύστατον* vocarunt.

Sed multo majore licentia Latini usi fuerunt, et passim, ut videtur, inseruerunt iambos. Docent autem ita fieri hoc carmen, si ad senarium iambicum addamus creticon, qui *ἀμφίμακρος*, id est, syllaba longa brevis longa : ut 'aurifex,' hoc modo :

——————————— Dii boni,
Boni quid porto; sed ubi inveniam Pamphilum?

Et :

——————————— Lætus est,
Nescio quid : nihil est : nondum hæc rescivit mala.

Ita hos numeros composuisse Archilochum perhibent, atque ab eo *μέτρον Ἀρχιλόχειον* dictum. Sed hoc non servarunt comici, præsertim Latini, ut secundam syllabam brevem semper facerent, quod præceptum de cretico subjicit, cum in hoc versu ubique reperiatur, dactylus, anapæstus, spondæus, trochæus, *τρίβραχυς*:

Apage, non placet me hoc noctis esse : cœnavi modo.
Quid si ego illum tractim tangam ut dormiat? servaveris.
Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris.
Facinus, nequiter ferire malam male discit manus.
Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.

In fine esse ante *κατάληξιν* debet trochæus, ut carminis ratio appareat, sed reperitur et *τρίβραχυς*: ut :

Quid id exquiris tu, qui pugnis os exossas hominibus.

Et Aristophanes :

Ὦ σοφώτατοι θεαταί, δεῦρο τὸν νοῦν προσέχετε.

Sæpe autem multumque usi fuere hoc carmine Archilochio Comici, et illo plurimas sermocinationes composuerunt. De aliis generibus quid dicam, aut quomodo in Latinis Comœdiis indicem, non habeo. Etsi Sisenna, referente Rufino, anapæsticum metrum in Aululariæ quadam scena esse dixit, sed concisum ita, ut non intelligatur. In his igitur nos frustra torquere, præsertim tam fœde

corruptis exemplis, et in metricæ nequaquam exacta cognitione, nihil necesse, vel potius curiositatis hoc fuerit, otio non admodum liberaliter abutentis. Confusa quidem, id est, *συγκεχυμένα μέτρα* plurima sese offerunt passim tam in Plauto, quam Terentio: in quibus iambus et trochæus, et alii pedes ingredientes hæc metra, collocantur promiscue. Quod autem ad *καταλήξεις* et *βραχυκαταλήξεις* et *ὑπερκαταλήξεις* attinet, de eo magis suspicari possumus, quam certi aliquid demonstrare. Qui tamen cogitatione non illiberali his de rebus sese occupare voluerint, ii primum ad exemplum aliquod rationem numerorum in versibus conferent, et ita informabunt animo qualemcumque notionem horum. Ponatur igitur hoc. Numeros esse aptos quosdam et determinatos, et consentaneos sonos vocis humanæ. Hi cum in voce natura insint, in oratione quoque inesse oportet. Sed, cum abest cura compositionis, et ars quædam veluti structuræ, facile illi et dissipantur et delitescunt. Atque hoc est quod Aristoteles poëmata suapte sponte extitisse, et fortuito prodiisse ait, ipse *αὐτοσχεδιάσματα* vocat. Hæc concinnitas quædam in omnibus linguis reperitur, ad quam aurium observatione adhibita, versus extitit, elaboratus studio et arte ingeniosorum et doctorum hominum, et processu temporum ita suo quisque in genere perfectus, ut nihil fieri elegantius neque pulchrius, aut magis sonorum posset. Potestque de nostris vernaculis cantilenis etiam aliquo modo hoc cognosci, utquamvis forte hoc ineptum videatur, sed in docere fideliter cupiente nihil ineptum, si conferamus hæc nostratia ad illa erudita; nonne in his similiter desinentibus, quæ nostrum vulgus rhythmos appellat, aliquid iambicis senariis simile agnoscitur? et in modis chorearum, quasi anapæsticum est et pæonicum melos. Sed et in soluta oratione diligentia nunc multorum, accurate verba componens, *ῥύθμους*, qui sunt numeri, efficit. Certo autem et plane ostendere omnia, id esse ejusmodi puto ut fieri nequeat, quemadmodum et in aliis, quæ usu perdita fuerunt, instauratio et restitutio absoluta desperanda est. Citius enim mihi aliquis illud Hesiodeum plaustrum lignorum centum construxerit, quam scenam hoc tempore explicuerit, omnibus partibus et numeris suis, ut dicitur, absolutam. Hoc tamen dubium non est, in linguæ cujusque usu communi, harum rerum rationem consistere, quo labefactato aut amisso, illa quoque vacillet atque confundatur, vel potius non magis appareat, necesse est. Est autem in omni genere carmi-

num varietas numerorum depositionis, ut vocant: ea est versus conclusio, talis quædam. Versus dicitur *ἀκατάληκτος*, qui est plenus et integer, et pedes suos habet totos: ut:

Poëta cum primum animum ad scribendum appulit.

Versus est iambicus trimeter, qui et senarius *ἀκατάληκτος*. Sic est *ἀκατάληκτος* Theocriteus hic primus in Fistula:

Οὐδενὸς εὐνάτειρα, μακροπτολέμοιο δὲ ματήρ.

Et postea *σκάζων*:

Μαίης ἀντιπάτροιο θοὸν τέκες ἰθυντῆρα.

Et mox *καταληκτικὸς εἰς συλλαβήν*:

Οὐχὶ Κεράσταν, ὅν ποτε θρέψατο ταυροπάτωρ.

Et *πεντάμετρος* deinde, vel *καταληκτικὸς εἰς συλλαβάς*:

Οὔνομ' ὅλον δίζων ὃ τᾶς μέροπος πόθον.

Atque ita usque ad *δίμετρα καταληκτικὰ εἰς συλλαβὴν, καλλιόπᾳ* et *νηλεύστῳ*. Nam in hoc genere *μονόμετρος ἀκατάληκτος* fieret unus pes. Metimur enim omnia genera carminum pedibus duplicatis, præter dactylicum. Idque et Rufinus testimonio Herodoti comprobavit, Veteres factitasse: nam dactylica oracula reddita fuisse ait *τόνῳ ἑξαμέτρῳ*. Gygis autem facinoris meminisse Archilocum in iambico versu *τριμέτρῳ*, qui hujusmodi quidam ibi ascribitur:

Οὔ μοί γε Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει.

Est ergo et elegiacus dactylicus, quem, ut scimus, tribus dactylicis pedibus additi anapæsti duo absolvunt,

Ὅττι δὲ μοῖρα παθεῖν, οὔ τι δέδοικα παθεῖν.
Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Ita penthemimeris utraque conjuncta, et ipsa facit spondæum, ut sic pedes quinque dactylici construantur. Est autem penthemimeris *τὸ μὴ πενθημιμερὴς*, id est, quinaria, cum syllaba in verbo superest post pedes duos:

Arma virumque cano.

Hepthemimeris, *τὸ μὴ ἑφθημιμερὴς*, cum fit hoc post tres pedes:

Mnesthea Sergestumque vocat.

Sed in aliis versuum generibus metra duplicatis pedibus procedunt, ut in iambico est hoc *μονόμετρον ἀκατάληκτον*, id est, habet duos pedes integros:

Pessima, mane.
Optume, odio es.

Δίμετρον hoc:

Verebar quorsum evaderet.

Τρίμετρον:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Τετράμερτον hoc:

Quid faciam nunc? si tres viri me in carcerem compegerint.

Atque hactenus producti iambici versus exempla adduxisse satis fuerit, etsi grammatici: *πενταμέτρου* quoque formam adjiciunt. Illum autem tetrametrum reperisse Boiscum quendam Cyzicenum, *ἐπίγραμμα* indicat, tetrametri *ἀκαταλήκτου* et *καταληκτικοῦ*, quod legitur in Commentario Rufini de Metris Terent.

Βόϊσκος ὠ'πὸ Κυζικοῦ, παντὸς γραφεὺς ποίηματος,
Τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον Φοίβῳ τίθησι δῶρον.
Boiscus ille Cyzicenus scriptor omnis carminis
Versus pedum octo repperit, Phœboque dedicavit.

Verum ad *καταλήξεις* revertamur. Est igitur *καταληκτικὸς*, cum deest, quo minus versus compleatur, syllaba una:

Date, mox ego huc revertar.

Iambicus *δίμετρος καταληκτικός*. Sit enim 'revertero,' nam et hac forma usi verbo fuerunt, erit jam *ἀκατάληκτος*.

Si mihi perget quæ vult dicere, ea quæ non vult audiet:

trochaicus Archilochius, id est, *τετράμετρος* seu quadratus *καταληκτικός*. Sit enim 'audientur,' erit trochaicus *τετράμετρος* omnibus numeris absolutus.

Hypercatalecticus versus est, in quo syllaba una abundat: hujus exemplum de dactylicis adducunt:

Alloquitur Venus. O qui res hominumque Deorumque.
Jactemur doceas, ignari hominumque locorumque.

Verum diligentiores in dactylico genere *ὑπερκατάληξιν* et *βραχυκατάληξιν* nominari oportere negant, sed *κατάληξιν εἰς συλλαβὴν*, aut *εἰς δύο*. Ex Plauto Priscianus *δίμετρον* iambicum *ὑπερκαταληκτικὸν* esse hunc voluit:

Hospitio publicitus accipiar.

De quo nos dubitare, neque hanc distinctionem servasse, ante indicavimus.

Βραχυκαταληκτικὸς dicitur, cum toto pede deficitur versus integritas. Ut si *μονόμετρος* sit, 'eheu mihi,' *βραχυκατάληξις* erit, 'eheu.' Priscianus *δίμετρον* hunc retulit: 'ita peregre adveniens:' de quo supra. Et jam fassi sumus, hæc neque observari, neque exquiri potuisse a nobis, et haud scio an a nullo possint omnium qui nunc vivunt, in tam tenui scientia musices antiquæ, et hac depravatione exemplorum.

Sciendum autem, Comicos Latinos Prologos et primas fere scenas pertexuisse senariis iambicis, qui sunt *τρίμετροι ἀκατάληκτοι*. Plautus tamen et in Amphitryone et alibi, in primis statim scenis numeros mutavit. A trimetris autem ad longiores pervenerunt, ut *τετραμέτρους*:

Mirabor hoc si sic abiret, et heri semper lenitas.
Ne forte imprudens faciam quod nolit, sciens cavebo.
Quid? credebas dormienti hæc tibi confecturos Deos?

Nec non concidisse reperiuntur versus, ut subjicerent longis breviores. Nec non confudisse numeros, ut miscerentur trochæi et iambi: de quibus jam satis dictum. Hoc autem silentio prætereundum non est, in iambico et trochaico creticum non esse: quamvis de Archilochii trochaici structura ille præcipiens, Rufinus, ut ferunt, hoc scripserit:

Creticon Archilochus supra caput iambi.

Nam cretici ratio, qui est, ut diximus, *ἀμφίμακρος*, temporum quinque, ab hoc genere est alienior. Itaque quidam inculcantes iambicos et trochaicos versus hunc pedem, audiendi, mea quidem sententia, non sunt. Et si, ut verum fatear, hoc dixisse illi videntur, in his versibus reperiri verba in quibus creticus insit: ut 'ædepol,' et similia, de quibus postea. Non quod in versu jam sit creticus, sed quod in illis esset verbis, si totis syllabis plane proferrentur. Hæc sententia est, ut puto, Scaligeri, viri eruditi, qui de Versibus Comicis edidit brevem libellum: itaque in eo re-

quisivimus nonnulla, quæ minus explicarentur nobis, et viderentur secundum Platonem, τοῦ πατρὸς δεῖσθαι βοηθοῦ, αὐτὰ οὔτ' ἀμύνασθαι, οὔτε βοηθῆσαι δυνατὰ αὐτοῖς. Ad numeros versuum comicorum expediendos assumenda sunt ea quæ Græci πάθη nominant λέξεως, quibus et dilatantur et contrahuntur dictiones. Idque nimirum tum loquentes communiter fecerunt, ut pluribus aut paucioribus syllabis verba enuntiarent, quam nos descriptura, aut secundum rationem versuum nobis notam. De qua re nunc etiam breviter quædam memorabimus.

Dilatantur verba dissolutione, seu divisione syllabarum, quæ est διαίρεσις. Ut 'iam,' δισσυλλάβως. Quod et Scaurum Rufinus ait indicasse, qui diceret in Pseudolo 'nunc iam' esse tres syllabas, et Plautum divisisse 'jam' in duas. Tale est indicatum in eadem fabula, 'malai,' τρισύλλαβον. Sic et 'quis,' 'qui,' 'quæ,' et casus horum diviserunt:

Qui per virtutem peritat, non interit.

Legendum 'Qui' δισσυλλάβως: si est vera scriptura, de quo quæretur illo in loco. Sed exempla in Plauto jam multa indicavimus. Apud Horatium lib. II. Carm.

Ramis et obliquo laborat.

Est enim versus iambicus dimeter ὑπερκαταληκτικός. Huc pertinet 'calim,' pro, clam, ut Festus ait. Et in diversis verbis hiatus vocalium. Quod tamen non fecisse Latinos, nisi poëtas quosdam, Cicer. in Oratore scripsit, qui, ut versum facerent, sæpe hiaverint. Ennium semel: 'Scipio invicte:' et se:

Hoc motu radiantis etesiæ in vada ponti.

Sed sunt et apud Maronem hujus divisionis exempla:

Et longum formose vale, vale, inquit, Iola.
Insulæ Ionio in magno.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.
Glauco et Panopeæ et Inoo Melicertæ.

Apud Horatium, lib. I. Carm.

Ossibus et capiti inhumato.

Apud Lucretium, lib. V.

Passim per cœli volvunt se inania templa.

Et lib. II.

Vivam progeniem qui in oras luminis edant.

Ubi tamen et διαίρεσις esse potest dictionis 'qui:' ut et in hoc versu:

At contra quæ amara atque aspera cumque videntur.

Et apud Horatium rursum lib. III. Carm.

Jam virum expertæ male ominatis
Parcite verbis.

Et Sermon. lib. I. Satira 9.

Si me amas, inquit, paulum hic ades.

Item cum retinetur litera m, ἀνέκθλιπτος, tum collisio usitata fieri non potest, ut:

Insignata fere tum millia militum octo.

Ut Horatius:

Nil opus est te circumagi.

Lucret. lib. III.

Namque papaverum aura potest suspensa, levisque.

Et libro I.

Corporum in plumbo est.

Et rursus:

Plus in se corporum esse.

Et mox:

Corporum augebit numerum.

Et paulo post:

Corporum atque loci.

Et rursum lib. III.

Sed dum abest quod avemus.

Et libro II.

Ceteraque cum ita sunt.

Et hoc:

Nam quod fluvidum est.

Atque etiam vocalium concursum et contractionem, interposita litera d, prohibuerunt. Sicut in: redeo, redhibeo, redarguo, redoleo, reduncus, et in diversis dictionibus: mederga, tedhoc noctis. Ita longæ illæ manent, si natura longæ sunt. De his exempla quædam Plautina promiscue ponam, pauca illa quidem, sed de quibus similes loci facile explicari posse videantur:

Jam hi ambo et servus et hera frustra sunt duo.

'Jam hi am' est iambus, vel soluta dictione 'Jam,' vel retenta litera m.

Quot pondo tedesse censes nudum, non ædepol scio.
Ille opere foris faciundo lassus noctu advenit.
Quanquam invita te carebo, animum ego inducam tamen.
Te heri me vidisse, qui hac noctu in portum advecti sumus.
Blepharonem ut re divina facta mecum prandeat.
Nimis bella es atque amabilis, et si hoc esset meum hodie.

Qui versus omnes διαιρέσει explicari poterunt. Contractio syllabarum crebrior est. Et apparet, fuisse linguam Latinam magis aptam ad voces cogendas, quam distrahendas. Hoc illud etiam indicat, quod retulit Cicero lib. II. de Divinatione: 'Cum M. Crassus exercitum Brundusii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas, clamitabat. Dicamus,' inquit Cicero, 'si placet, monitum ab eo Crassum, caveret ne iret.' Sonuisse enim apparet illud, 'cauneas,' contractum hoc, 'cave ne eas.' Hæc indicantur nominibus συναλοιφῆς et ἐπισυναλοιφῆς. Synalœphe, quæ et συναίρεσις proprie vocatur, cum duæ syllabæ in unam veluti confluunt. Ut Phæton δισσύλλαβον, pro trisyllabo Phaëton:

Cum te dejectum crudeli fulmine, Phæthon.

Nam a et e lingua Latina diphthongum faciunt. Deinde, proinde, δισσυλλάβως Lucret. Tandem coierunt τρισυλλάβως. Nihil, nil: mihi, mi: mehe, me: si vis, κατ' ἔκθλιψιν u pro consonante, sis; ille et terris, illet. Sceptroque innisus eburneo: eburno. Pendent lychni laquearibus aureis: δισσυλλάβως:

Libra diei noctisque pares ubi fecerit horas.

Diei, vel, die, duabus syllabis. Tale et, rei, συνῃρημένως.

Sic Dii, Di sunt: et iit, it: periimus, perimus: ἐπισυναλοιφὴ autem longius patet, cum, qualescumque vocales contrahuntur, deque duabus syllabis una fit: quod sæpe nobis mirifice factum videtur in lingua Græca et Latina, cum in sua fieri nemo miretur, quia minus considerat. Secundum autem diversarum linguarum naturam diversitas in his est. Sed exempla ἐπισυναλοιφῆς, ad quam quidem et ἔκθλιψις et συνίζησις referenda, hæc sunt: fuit, una syllaba. Lucret. lib. v.

Et ambiens multa perussit.

Et:

Et equorum duellica proles.

Ubi et σύλληψις esse potest 'duel.' Et:

Et sonitu sterilia.

Item:

Nunc scio quid sit amor.

'Sco' κατ' ἐπισυναλοιφὴν legendum, ut Diomedi placet. Sodes: si audes. Sultis: si vultis, κατ' ἔκθλιψιν. Suam, sam: suum, sum: suis, sis: eum, im: eapse, ea ipsa: sapsa, se ipsa:

Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit.
Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas.
Quo res sapsa loco sese ostentatque jubetque.

Tuus, tus: tua, ta: suæ, se: aut συλλήψει μονοσυλλάβως, sicut: suavis. Est et crebra ἔκθλιψις, et postea contractio: ut, amaverunt, decreverat, commoverit: amarunt, decrerat, commorit. Et apud Lucretium:

Irritat virtutem animi.

Pro Irritavit. Sultis, pro, si vultis:

Pandite sultis genas et corde relinquite somnum.

Omnino autem, quo minus corriperetur pronuntiatio, non obstitit Veteribus u pro consonante: ut 'Sine invidia laudem invenias.' Est enim Sin inid. τρίβραχυς. Audivi, audii. Eliditur et litera m, 'Multum ille et terris.' Hanc collisionem vocant. Etiam litera b non obstitit interdum contractioni syllabarum: ut, abi, μονοσυλλάβως prolatum: συγκοπὴ est concisio, cum syllaba diminuitur verbum. Nis, pro, nobis: scilicet, pro, scias licet: capsis, pro, cape si vis. Emem, pro, eundem. Cette manus, pro, cedite. Actæ non alio rege puertiæ, pro, pueritiæ:

Evasti? credo metues, doctusque cavebis,
Vixet, cui vitam Deus et sua dextra dedisset.
Motus quoque surpere debet.
Quæ me surpuerat mihi.

Extritio autem proprie unius tantum literæ est, ut illa ἔκθλιψις literæ m, et literæ u, pro consonante: et, caldior, lamnæ, pro calidior, laminæ: istic, priore brevi: ab olis, pro, ab illis: antiqui enim literam non geminabant, ut inquit Festus: qui et fenstram dixere, quam posteriores τρισυλλάβως fenestram. Senx, vel snex,

pro, senex. Ædepol, ædpol. Virgines, virgnes. Semine oriundi: Sed magis universum, apud Lucretium, Semne et unversum. Sic et in, evenat, extrita i litera videtur, ut apud Ennium, referente Nonio:

> Senex siem, utinam mortem oppetam priusquam evenat.
> Quod in pauperia mea senex graviter gemam.

Quin etiam initiales syllabas quasi absorbentes minus expresserunt. Sed ad extritionem revertamur. Delituit igitur in Latina lingua sæpe ac multum in pronuntiatione litera s:

> Samnis spurcus homo vita illa dignus locoque.
> Formido quid ago; da, Venus, consilium.
> Pandite sultis genas.
> Puncto temporis reddant.

Huc referenda illa quæ a Cicerone memorantur, multimodis, vasargenteis, palpet crinibus tectifractis: pro, multis modis, vasis argent. palmis et cr. tectis fr. Et illæ συγκοπαὶ, secundum quas tali et ala extitit de taxillis et axilla: et meum factum, exitium, pro, meorum factorum, et exitiorum: quæ in quibusdam usitatæ admodum fuerunt, Deum, nummum aureum, liberum. Quinetiam duorum virorum judicium, aut trium virorum capitalium, aut decem virorum litibus judicandis, ait se Cicero, dicere nunquam, quomodo ergo? nimirum συγκεκομμένως, duum virum, et trium virum, et decem virum. Item siet, sit. E rep. pro, ex: pomeridianas quadrigas, pro, postmeridianas. His addantur ἀποκοπαί: viden', ain', satin', men', mihin'; de quibus abscissum est, ne. Exin, dein, proin, amputato, de: famul, pro, famulus. Lucretius:

> Ossa dedi terræ proinde ac famul infimus esset.

Volup, animal, exemplar; de quibus recisum est e: illi, pro, illic. Jam de productione et correptione vocalium multa dici possent. Fuit, fieri: extenta priore syllaba. Inclytus, ut ait Cicero, prima brevi. Secundum hæc fiunt mirificæ collisiones, elisiones, detritiones, et comprehensiones literarum ac syllabarum, et pronuntiatione vera, quam sæpe nos non possumus conjecturis nostris consequi, versus procedunt: in quibus scriptura non raro, præsertim in dilatando, numeros non servat. Sed nunc et eorum, de quibus multo minus diximus, quam dici potuisset, et tamen satis fuisse manifestum indicium videtur, Plautina exempla afferamus: et ita tandem hanc quasi commentatiunculum finiamus:

> Similem rem ipse in legem jussit esse Jupiter:

Aut corripitur, esse: aut est κατ' ἐπισυναλοιφὴν, similem, δισσύλλαβον.

> Ut conquisitores fierent histrionibus:

Histrionibus, κατὰ συνίζησιν. Nisi maluerit aliquis, conquæstores.

> Qui, ne quo placeret alter, fecisset minus:

Qui ne quo spondæus, pronuntiatione mediam syllabam absorbente.

> Qui cum Amphitryone abivit hinc in exercitum:

Et mox:

> Nunc hodie Amphitryo veniet huc ab exercitu.

Hinc in exe, et huc ab exe, spondæi sunt pari ratione concisionis, in brevitate syllaba quasi evanescente:

> In tabernaculo: id quidem hodie nunquam poterit dicere.

Simplicissimum est, ut legatur, *tabernaclo*.

> Quid in tabernaclo fecisti? victus sum, si dixeris.

Quid in ta, trochæus. Vel, ut notavimus, Quid in, κατὰ διαίρεσιν, anapæstus, et taberna, spondæus.

> Ridiculi causa, vel hunc rogato Sosiam:

Nam hanc veram lectionem puto: vel, hunc, μονοσυλλάβως pronuntiandum.

> Quin, si tu voles, domi servi qui sunt castrabo viros:

Dmi, μονοσυλλάβως κατ' ἐπισυναλοιφήν.

> Portitorum simillimæ sunt januæ lenoniæ:

Aut, Portitum, κατὰ συγκοπὴν, aut simillimæ κατ' ἐπισυναλοιφὴν pronuntiandum.

> Da, meus ocellus; da, mea rosa; da, mi anime; da, mea voluptas:

Aut sic, Da, mus ocel. Aut sic, Da, ma rosa, et mea voluptas, o brevi absorpto, δισσυλλάβως: vel, ma voluptas.

> Lenonis hæ sunt ædes, male istis eveniat:

Pronuntiandum, evenat, κατ' ἔκθλιψιν literæ i.

> Credam pudor si cuipiam lenoni siet:

Pronuntiandum cuipiam δισσυλλάβως κατὰ συναίρεσιν et συνίζησιν.

> Voltisne olivas aut pulpamentum, aut capparim?

Olivas δισσυλλάβως, ut notavimus, et ut in versu Lucilii 'maluisti' τρισυλλάβως, in procemio primi libri de Finibus: vel potius, Voltine, extrita litera s. Quis autem scit utra potius pronuntiatio actori arriserit?

Fateor: abi deprome: age tu interea huic somnium:
abi de, spondæus: huic som, spondæus: κατ' ἐπισυναλοιφὴν et συνίζησιν.

Superstitiosus hic quidem est, vera prædicat:
Quidem est ve, spondæus κατ' ἐπισυναλοιφήν: hæc collisio creberrime occurrit in comicis versibus.

Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium:
Ni re vult, spondæus, elisa u, pro consonante.

Quo is homo insinuavit facto se ad te? per Dionysia:
Quo is ho, τρίβραχυς κατὰ διαίρεσιν syllaba, Quo.

Nam eum pater ejus subegit: nunc mea mater irata est mihi:
Nam eum pater, dactylus est: ejus sub, aut dactylus liquescente s: aut trochæus, κατ' ἐπισυναλοιφὴν, ut, ejus, una sit syllaba.

Hujus quæ locuta est quærere aiebas filiam:
Hujus, κατ' ἐπισυναλοιφὴν, una syllaba: sicut, aiebas, duæ.

Ego ad anum recurro rursum. Lampadio, obsecro:
Aut est, Ego ad anum, anapæstus, pronuntiatione e initiale colliquante: aut etiam prioris hoc cum versus ultimæ dictionis finali syllaba, ut sæpe fit, collidente.

Videar fortasse in his alicui nimis diu morari, et non necessariam, vel etiam inutilem operam consumere. Verumtamen ego de re neque prorsus negligenda et digna liberalibus studiis, et a plerisque tractata negligentius, dicendum hoc loco aliquid putavi: quod quidem ejusmodi esse confido, ut, qui forte voluerint in his versari accuratius, mediocrem occasionem exercendi studium suum habituri esse videantur. Etsi autem hæc sunt præcipua, per quæ poterunt numeri versuum comicorum expediri et quasi exsolvi, tamen et alia quædam ad hanc curam assumenda sunt, et in primis syllabarum productio, quæ ἔκτασις, ac correptio, quæ συστολὴ nominatur. Fit autem ἔκτασις, vocali interdum producta natura brevi: ut, fuit, et fieri, quod supra retulimus. Interdum geminata consonante, ut, relligio, redduco, repperit; συστολὴ autem, syllaba correpta: ut omitto, et rejicio, et συναιρέσει, reicio, ut:

Tityre, pascentes a flumine reice capellas.

Ita putatur ἐκτεταμένον, vitam dederitis in undis: et, transieritis aquas. Etsi quibusdam natura flexionis postulare videtur, ut in hujusmodi verbis, ri, syllaba producatur, et illa corripiatur κατὰ συστολήν. Hæc et superius indicatorum παθῶν de Homero etiam nunc quædam demonstrabimus: 'Ιλ. σ'.

Υἱεῖ ἐμῷ κλυτὰ τεύχεα δόμεναι παμφανόωντα.

Est enim δόμεναι, quasi δόμναι, sicut, abietibus, et ariete, et parietibus: et hoc Ennianum:

Capitibus nutantes pinus, rectasque cupressos.

In quibus tamen συλλήψεις sunt, pronuntiato i, pro consonante, sicut hoc versu 'Οδ. γ'.

Πόλλ' ἐπιμήρι' ἔθεμεν.

Est enim μήρι' ἔθε dactylus: νῦν δ' αὐτέ με φίλε' 'Αθήνη: vel ut alibi, φίλαι, 'Αθήνη: et ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο Παλλὰς 'Αθήνη; pronuntiandum enim quasi gemino λλ, ut φι longum fiat. Sicut 'Ιλ. β'.

Ἴλιον ἐκπέρσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι.

Quasi ἀππ. Tale et illud Ἄρες, quasi Ἄῤῥες esse videtur. Ita et φιλομειδὴς 'Αφροδίτη, habet λο syllabam productam. Et hic versus similiter pronuntiationis productione sustentatur, 'Ιλ. γ'.

Αἰδοῖός τε μοι ἐσσὶ, φίλε ἑκυρὲ, δεινός τε.

Nam et aspiratio brevis vocalis pronuntiationem remoratur; et ρεδει, est quasi ρεδδει: sicut Ἔδδεισε δ' 'Ελένη. Rursum: 'Ιλ. ε'.

Καί νύ κεν ἔτι πλέονας λυκίων κτάνε δῖος 'Οδυσσεύς.

Etsi poterat facere Καὶ νύκ' ἔτι πλέονας, tamen illud maluit, nimirum pronuntiatione versum expediente, quatuor brevibus syllabis unam longam et duas breves sonantibus: sicut 'Οδ. ζ'.

Καὶ τότε Φαιήκων ἐς πόλιν ἴμεν ἠδ' ἐρέεσθαι.

Est enim πόλιν ἴμεν, dactylus non syllabis, sed veteri pronuntiatione, quam nos exprimere lingua aliena non possumus. Hoc loco in mentem mihi venit versus quem Scaliger adduxit ex Euripidis Oreste, in quo esset ἐπισυναλοιφή:

Αὐτουργός· οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν.

Sed nos et in editis ab Aldo exemplis et in explicatione reperimus σώζουσι γῆν. Hoc igitur relinquamus. 'Ιλ. υ'.

Μόρσιμον δέ οἱ ἔστ' ἀλέασθαι.

Ubi manifesta est συγκοπὴ, et illud μόρσιμον quasi μόρσμον. Sicut et in hoc, 'Ιλ. ω'.

'Εκτὸς μὲν δὴ λέξον, γέρον φίλε.

Est enim plane, γρον φίλε. Quemadmodum et 'Οδ. η'.

Μήδ' οὕτω φίλον Διὶ πατρὶ γένοιτο.

Ubi φίλον est quasi φλον. Jam in hoc, 'Ιλ. β'.

Βωμοῦ δ' ὑπαΐξας,

συναίρεσις est.

"Εως ὁ ταῦθ' ὥρμαινε:

'Ιλ. α'. cum sit primus pes ἀμφίβραχυς, alienus carmine heroico: θεραπεύεται τὸ μέτρον συνιζήσει, secundum Eustath. Ὡς ὁ, producta syllaba ὁ. Aristoph. Εἰρ.

Οἱ γεωργοὶ τοὔργον ἐξέλκουσι κἄλλος οὐδείς.

Οἱ γεωργ. spondæus συνιζήσει. 'Ιλ. ξ'.

"Ωκεον δ' ἐν Πλευρῶνι.

Hesiodus:

Νείκεα καὶ δῆριν ὀφέλλειν.

'Ιλ. autem ω'. in hoc:

Χωόμενος ᾧ τινι δήτω ἀδελφεὸν ἔκτανεν "Εκτωρ,

est συνίζησις.
In hoc vero 'Ιλ. θ'.

'Ηὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν.

Et hoc, 'Ιλ. β'.

Πολυστάφυλόν θ' 'Ιστιαῖαν.

Et hoc, 'Ιλ. ε'.

"Οστ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφυράς.

Et paulo ante:

"Ος ῥα Καμάνδρου
'Αρητὴρ ἐτέτυκτο.

Et hoc, 'Ιλ. η'.

Σὸν δήτοι κλέος ἔσται ὅσον ἐπικίδναται ἠώς.

Et hoc, 'Οδ. ε'.

Κλῦθι, ἄναξ, ὅστις ἐσσί.

Et hoc, 'Οδ. λ'.

Καί ῥ' ἔσχεν δύο παῖδας, 'Αμφίονά τε Ζῆθόν τε.

Παῖδας ἀμφ· spondæus liquescente litera σ, ut in superioribus versibus omnibus cursui hæc numerorum obstaret, nisi removeretur pronuntiatione.

Nam si versibus aliquis alienos pedes, qui sunt proceleusmaticus, et creticus seu ἀμφίμακρος, aut nescio quos alios inserit, cum constet heroici carminis proprios pedes esse, dactylum ac spondæum: iambici, iambum, spondæum et spondæo æquales: trochaici, trochæum et spondæum et huic æquales, et alios alius generis: illum igitur, qui admiscet alienos, non audiendum putamus, corrumpentem carminis modos, et numerorum rationem dissolventem. Sed pronuntiatio hæc omnia quondam nullo cum

negotio et sine omni insuavitate explicuit. Quare non assentior, neque Plutarcho, qui Homerum, studiosum bonæ narrationis, compositionem neglexisse scribit, et primum statim versum ἄμετρον extulisse:

Μῆνιν ἄειδε, θεὰ, Πηληϊάδεω 'Αχιλῆος:

non enim ille ita extulit, ut Plutarchus, multo minus ut nos, secundum perscriptas literas: neque Scaligero infulcienti creticos in iambicos modos. Etsi ad hoc delabitur ut, voluptas, anapæsticam velit esse dictionem: id quidem melius, sed illæ συγκοπαὶ pronuntiationis rectius expediunt numeros, mea quidem sententia, et antiquitate teste, cujus unum etiam nunc exemplum adducere visum, Hesiodi:

"Ασκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέποτ' ἐσθλῇ.

Est enim θρεῖ et λη. Sed de hac re, cum tantum jam verborum fecerim, plus quidem quam initio institueram me facturum esse, nunc desinam, et hæc nostra judicio aliorum submitto: et, quod restat, observationem et curam harum rerum diligentium studio committo. Quantulamcumque autem operam hanc industriæ meæ cupio omnes boni consulere, quod bonos et bonarum artium cupidos scio esse facturos: ii enim neque ullam in literis exquisitionem nimis parvam et futilem ducunt, neque hos conatus judicii nostri poterunt despicere:

Περὶ δὲ τῶν ἄλλων, οὐ φροντὶς 'Ιπποκλείδῃ.

T. FABRI OBSERVATIUNCULÆ

MISCELLANEÆ AD METRA TERENTII.

Illi se mihi magna quadam voluptate, et fructu haud mediocri, privare videntur, qui Terentium studentes legere, nec metra tamen illa, quis uti Terentius consuevit, novere. Memoriæ enim tam venustum, tamque amabilem scriptorem quis mandare possit, et mandatum custodire, nisi si et ipse metra illius senserit? Dein, multo sibi majorem admirabilitatem poëta comparet, ubi intellexerint lectores quo genere carminis hic aut hic utatur. Nam apud Terentium quidem plane ita videmus fieri ac apud Virgilium solet,

ut carminis ratio et modus rei, qua de agitur, naturam fere plerumque exprimant, quod in primis observandum est, et acri quodam aurium judicio consectandum. Est aliud etiam, in quo maxima utilitas posita est: si qui enim forte errores in carmine fuerint, quod perquam facile potest evenire, et nimium sæpe evenit, eos errores deprehendere possit nemo, nisi qui versuum rationem calleat. Sed hæc satis; neque enim hoc loco artem metiendi carminis docere decrevi.

Paucas igitur observatiuncula proposuisse suffecerit, quæ et certæ sunt et perspicuæ. Eas autem priusquam ingredior, hoc audi, quod apud Ciceronem in Oratore Perfecto scriptum est: 'At Comicorum Senarii propter similitudinem sermonis, (quod nos Galli vulgo vocamus ***conversation*** et ***entretien***,) sic sæpe sunt abjecti, [id est, neglecti et populares, et, ut Græci vocant, ΛΟΓΟΕΙΔΕΙΣ,] ut nonnunquam vix in his numerus [id est, rhythmus, ut Græce dicitur] et versus [id est, dimensio] sentiri possit.' Vides Ciceronem ipsum fateri, quæ fatetur de dimensione, de rhythmo; utrumque, scilicet, vix sentiri posse. Quid nos barbaros homines, et a felicitate ac doctrina illius sæculi tam magna intercapedine dissitos, judicare deceat? Sed, quod mirere, de senariis tantum loquitur Cicero. Quid, si de trochaicis, de anapæsticis? de universo genere iambicorum? quid si de universis anapæsticorum formis agendum ipsi fuisset? Quid de aliis generibus, quæ in Græcorum Comœdiis celebrata olim fuerunt? Tum vero magis dixisset, 'vix sentiri possunt.'

Sed ad rem venio. Sic igitur docti existimant, duo tantum versuum genera esse apud Terentium, iambicos et trochaicos. Id ego in universum esse verissimum scio. Sed quid ad hos versus Act. IV. Andriæ sc. 1. dicas?

> Hoccine credibile est aut memorabile,
> Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
> Ut malis gaudeat alienis, atque ex incommodis
> Alterius sua ut comparet commoda! ah!

Ibi nihil Faërnus, vir in isto genere diligentissimus. Muretus autem ultro fatetur, horum quatuor versuum rationem explicare difficile esse. Scio quid Goveanus, quid Scaliger, quid Erasmus dixerint ad hunc versum. At non est senarius, &c. Arbitror esse Dactylicum quaternarium perfectum; et talis necessario fuerit, si

modo tollatur illud, est, quod ex glossemate huc irrepsit. Possit referri et ad genus choriambicum. Secundus potest esse trochaicus senarius catalecticus; sed fortasse iambicus trimeter fuerat, sic ad formam suam redigendus:

> Innata cuiquam tanta ut siet vecordia.

Tunc, siet, fuerit monosyllabum. Exempla infinita sunt. Tertius est trochaicus septenarius catalecticus, cujusmodi non memini me multos legere:

> Ut ma-lis gau-deat alien'-at-qu' ex-in-commo-dis.

Tamen, quod minus credibile videatur, ex regula et observatione, quæ inferius ponetur de elidendo S, poterit esse senarius sic:

> Ut mali'-gaudeat a-lienis atqu' ex-incom-modis.

Erit synizesis in secundo pede, ut et in tertio, nil frequentius.

Quartus est:

> Alterius sua ut comparet commoda! ah.

Puto scribendum esse, ***Alterius ut sua commoda comparet!—ah.***

Erit dactylicus quaternarius. Illud autem ***ah*** extra versum erit, ut solent esse exclamationes, interjectiones, in fine et initio, apud Sophoclem, Euripidem, Aristophanem. Quin et apud Terentium ipsum exempla reperies.

De Cretico, seu Amphimacro.

Joachimus Camerarius, vir inter Germanos superiori sæculo insignis, honoratissimus, et longe optimus, putat, Creticum in iambico et trochaico genere locum habere non posse; multi contra nituntur. Sed videamus. In And. act. I. sc. 1. 25. legitur:

> Liberius vivendi fuit potestas: nam antea.

Debet autem esse versus senarius iambicus. Itaque 'Liberius' erit Creticus extrito E, quod breve est, quasi pronuntiares, Librius. Exempla ejus rei sunt innumerabilia in comicis et tragicis antiquis. Quin et apud Virgilium diligentissimum scriptorem, legas, aspris, pro, asperis; semustum, pro, semiustum; vinclis, pro, vinculis; oraclum, pro, oraculum; gubernaclo, pro, gubernaculo; circlos, pro, circulos; et maniplis, pro, manipulis. Ac si elidatur S in, liberius, quod olim fiebat, erit tantum dactylus, libriu'. At illud, fuit, erit monosyllabum; quod et verum esse interdum scio. Tunc Creticus exclusus fuerit. Ergo quæratur

aliud, et aliud etiam. Andr. act. I. sc. 1. 119. 'Pro uxore habere hanc pere-grinam, ego il-lud sedulo.' Manifestissimus esse videtur creticus in, grin' eg' il; sed in, ille, illa, &c. olim prior syllaba erat communis; quo nihil certius. Ibid. 141. 'Nunc tuum est officium has bene ut assimules nuptias.' Est autem hic versus plane trimeter; ergo Creticus in prima sede. Ad id negatur, per collisionem, scilicet, et synizesin, ita ut sit spondæus in prima parte senarii.

Ibid. sc. 2. 12. 'Dave. Hem. quid est? ehodum ad me: quid hic volt? quid ais? qua de re? rogas?

Nemo, videtur certe, negare possit, quin hic sit Creticus in quarta regione, nam versus est octonarius acatalectus iambicus. Sed vide: aiunt D elidi: itaque spondæus ex Cretico fiet.

Act. II. sc. 6. 17. 'Nil propter hanc rem, sed est, quod succenset tibi.' Et mox: 'Quidnam est? pueril' est, quid est,' &c.

In utroque exemplo affirmant miserum illud D exteri debere, ob quod meritum, nescio.

Act. IV. sc. 4. 26. 'Vestri cuju' ve-stri? Pamphili. Hem: quid, Pamphili?'

Est indubitatus iambicus senarius: itaque Creticus secundam sedem occupabit, quo te cumque verteris, nisi priorem in, cuju', brevem olim fuisse contendas, quod an fieri possit dubito. Tamen et ad hoc respondent, syllabam illam, ju', plane perire: unde pro Cretico habebis spondæum.

Eun. act. I. sc. 1. 34. 'Sed ecca ip-sa egreditur nostri fundi calamitas.'

Act. III. sc. 1. 5. 'Dedu-cam sed ec-cum militem: est istuc datum.'

Nemo non dejeret esse Creticum in locis notatis, at multi negant. Nam olim dicebatur ecum, ecam, quia non geminabant eandem consonantem.

Ibid. 55. 'Tu par pari referto quod e-am remordeat.'

Est planissime senarius, seu trimeter. Quamobrem in quinta sede erit Creticus. Sed et qui Creticum hinc ablegant, scin' tu quid dicant? dicunt illi versum esse aliter metiendum; sic: Tu par-pari-refer-to quod eam-remor-deat.

Et tunc erit anapæstus in quarta dimensione versus. Id autem verum esse potest; nam olim, eum, eam, eas, suum, suas, suis, &c. monosyllaba erant, ut ex Lucretio constat; ne ad Ennium usque, et ad Livium Andronicum ascendamus. Sed et falsam ibi lectionem esse, dixi, opinor, in Notulis.

Andr. act V. sc. 5. 4. 'Quod voluptates eorum propriæ sunt: nam mi immortalitas.'

Est octonarius iambicus acatalectus; debet igitur esse Creticus initio dimensionis. At contra aiunt secundam syllabam in, voluptates, esse brevem, quod mihi quidem videtur incredibile. Melius dicas primam syllabam, quæ brevis est, ita raptim pronuntiatam fuisse, ut non audiretur; et pro, volu, diceretur, ulu, per V consonum. Verum hæc satis de Cretico. Dices, Quid ais, tandem? An admittendi sunt Cretici in iambos, in trochaicos? Non arbitror: cum in Cretico plus temporis absumat pronuntiatio, quam in spondæo, cui tamen in iambicis comicis et tragicis locus est. At sunt tamen Cretici illis versibus superius positis? Fateor id quidem: sed ii non pronuntiandi ut Cretici. Quid ita? Hæc regula certa esse videtur, cum a natura proficiscatur: Syllaba brevis inter duas longas posita vix pervenit ad sensum. Id autem ni esset, qui tandem Virgilius potuisset dicere, aspris, pro, asperis? circlos, pro, circulos? &c.

De tribrachy nihil necesse est dicere; cum pes ille tempus iambi impleat, et eundem motum habeat.

Proceleusmaticus, id est, duo Pyrrhichii, seu quatuor breves, cum spatium spondæi consumat, cui spondæo jus est sedendi in iambicis et trochaicis, mirum esse non debet, si apud Comicos frequens reperiatur; nam et in tragicis recentioribus illum interdum reperias.

In Andr. 'Ita faci-am hoc primum,' &c.

Act. I. sc. 1. 123. 'Sati' vehe-mens causa ad objurgandum,' &c.

Nisi dicas esse anapæstum, cum apud Horatium legas:

'Vemens, et liquidus, puroque simillimus amni.'

Act. III. sc. 1. 19. 'Num immemor es di-scipuli? ego quid narres nescio:'

ad quem versum notant quidam pro, discipuli, pronuntiandum, discipli, trisyllabice; id quod tamen minus necesse est ad dimensionem versus deprehendendam. Verum plura addere nihil opus est.

Nunc, quod dicam, id esse verum videbitur, et non est tamen; molossum scilicet, is ex tribus longis constat, pro iambo, spondæo, aut anapæsto sumi, pagina decima octava: 'Sive ista u-xor, sive amica est, gravida e Pamphilo est.'

Sed ibi errorem esse puto, de quo in Notulis; neque enim mihi

credibile fiat, Molossum, qui tanto longior et ponderosior sit aliis pedibus, hic a Terentio usurpatum fuisse. Dein posset etiam esse Creticus, ex ea observatione quæ superius posita est, circa pronomen, iste, et ille; quod tamen hic verum esse non puto.

Bacchius, seu Baccheus, id est, brevis, longa, longa, videtur alicubi reperiri, quod tamen minus verum est.

Andr. act. III. sc. 1. 4. 'Sed hic Pam-philus: quid dicit? firmavit fidem.'

Non est, inquam: nam versum ita scribere, ita metiri debemus:

Sed hic Pampilu', quid di-cit? firmavit fidem.

Extrito S finali: qua de re mox:

Act. III. sc. 3. 32. 'Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.'

Non est Baccheus; est anapæstus; nam prior in, illum, communis est apud Veteres.

Ibid. 34. 'At istuc periclum in filia fieri, grave est.'

Neque hic Baccheus est, cum priorem in, istuc, istic, et aliis bene multis id genus nominibus modo longam facerent Antiqui, modo brevem: nam th, ut θ apud Græcos, est levis sibilus tantum, id est, pæne nihil. Adde quod, periclum, necessario longum est in secunda, nam illud I ante ipsam decurtationem longum erat.

S perit ante consonantem. Lucretius: Ennius: Plautus: Tragici veteres. Ita, heru', magi', tristi', omni', &c.

S perit ante vocalem: exemplum insigne est, Andr. act. III. sc. 1. 8.

'Bonum ingenium narras adole-scentis: optimum.'

Ubi necessario pronuntiandum est, scent' optimum: perit enim S: et fit synalœpha: est autem trimeter iambicus.

Act. IV. sc. 5. 7. 'Itan' Chrysis? hem! nos quidem pol miseras perdidit.'

Ubi, cum S pereat in, Chrysis, pronuntiabis, Chrys', hem.

Ibid. 14. 'Semper enim dicta est ejus hæc, atque habita est soror:'

pronuntiandum est, ju' hæc, una syllaba per synizesin, seu considentiam. Sed exemplis parco; sunt enim innumerabilia. Hinc, obiter dicam, facile discas quæ apud veteres Latinos pronuntiandi fuerit ratio, et quantopere illa sub Julio et Octaviano Cæsaribus variare cœperit.

Considentia, seu, ut Græcis dicitur, synizesis, aliis synæresis, in

his poëtis frequentissima est; ea autem fit, cum duæ syllabæ ex vocalibus compositæ in unam coalescunt, ubi id res fieri postulat. Exempla in duabus primis fabulis en tibi, sed de multis pauca. Deos, monosyllabum, ut et, suo. Quiesci disyllabum; grandiuscula, tetrasyllabum, Andr. act. IV. sc. 5. 19. ait, monosyllabum: ibid. act. II. sc. 6. 19. et alibi. Ita, fuit, monosyllabum, ut apud Græcos yi in, harpyiæ, et in omnibus præteritis participiorum activæ aut medialis formæ, quæ sint secundi sexus. Ita et, siet, monosyllabum; possiet, duarum interdum est syllabarum. Sed et hujus figuræ exempla sunt apud Virgilium satis multa.

M. In medio dictionis eliditur: Andr. act. I. sc. 1. 64.

'Quicquam attine-re, enim ve-ro spectatum satis.'

Ibid. sc. 3. 1. 'Enim ve-ro, Dave,' &c.

Est anapæstus: versus autem est octonarius.

Ibid. act. III. sc. 2. 23. Ante consonantem in voce sequenti, eliditur.

'Certe enim scio: non satis me pernosti etiam qualis sim, Simo.'

Est dactylus in prima sede. Versus est tetrameter perfectus.

Ibid. act. IV. sc. 5. 7. 'Itan' Chrys' hem? nos quidem pol miseras perdidit.'

Eliditur L in, ille, illos, illis, &c. Et aliis quibusdam. Eliditur et D, ut in Eun. act. II. sc. 2. Eliditur quoque R, ut bene a Faërno observatum fuit. Graviter itaque lapsus est Muretus, qui non viderit in versu Æschyli, quem ipse profert, primam in, morphen Gr. esse brevem, propter R liquidam: atqui sic est. Unde apud poëtam Græcum, ut ostendi olim ad Phædrum: pherbe boas, pherbe mela, &c. Est autem hexametrum. Secundum illud, pherbe, junctum cum syllaba, as, effecerit palimbacchium, qui pes plane ab hoc genere alienus est.

Elisio interdum nulla est.

Breviant interdum Comici quæ alii producunt, ut I in, abi, Andr. act. I. sc. 5. 20. bis, et act. V. sc. 6. 14. Ita Terentius ultimam corripit in, mane, act. IV. sc. 4. 21. in, jube, act. V. sc. 4. 53. in, tace, Eun. act. III. sc. V. 23. &c. quia, ut opinor, ea verba erant et secundæ et tertiæ inflexionis.

ME. TE. SE.

Pro ME dicebant MED: ut Andr. act. IV. scen. 4. 5.

'Reliquit med homo, atque abiit,' &c.

Sic enim omnino legendum est. Ita Plautus, med erga.

Ita fit et, sed, pro se; Terentius Andr. act. IV. sc. 5. 2.

'Quæ sed inhoneste optavit parere hic divitias.'

JAM disyllabum est, act. II. sc. 1. 29.

'Profer, dum proficiscar aliquo, ne videam: audi nunc iam.'

Est trochaicus. Sed hoc plus decies apud Plautum invenias. Pronuntiandum quasi si scriptum esset, Yam.

Hoc in primis necesse est meminisse, ne quis fallatur in metiendo carmine, Terentium ab uno genere ad alterum interdum transilire; quin et trochaicos iambeis, et contra, sic intermiscere, ut, absque diligenti observatione, id haud facile sentias.

EHO, ut aliæ quædam exclamationes, indignationes, interjectiones, interdum extra metrum censentur, ut Andr. act. IV. sc. 4. 27.

'Eho, an non est? recte ego semper fugi has nuptias.'

Cum autem sit iambicus senarius, 'Eho' debet esse extra versum; et id Græci factitabant, ut supra notavimus.

Postrema omnium observatio est, omnes omnino Fabulas Terentii in trochaicos desinere; quod idem de omnibus Plauti Comœdiis verum esse scio. Excipienda tamen videtur Pseudolus, cujus postremus versus est:

'Atque approbare hunc gregem, et fabulam; in crastinum vos vocabo.'

Sed audacter affirmare possim duobus in locis versum unum corruptum esse. Eum sic leges: ***Atque hunc approbare gregem, et fabulam; in crastinum vos voco.*** Quod miror a nemine animadversum fuisse. At istuc, fabulam, disyllabice pronuntiari debet, ex regulis et exemplis superius positis. Cetera bene procedent. In extremo versu Asinariæ est etiam error: nam ille versus ex Trochaico legitimo factus est octonarius vitiosus duobus locis. Sic habet:

'Remur impetrari posse, si plausum sic clarum datis.'

Sic autem ille scribendus:

Remur impetrari posse, si plausum clarum datis.

Ceteri, qui a Grege pronuntiantur, et hunc præcedunt, sunt certissimi Trochaici.

Hæc paucis quidem, sed, ut spero, ea satis fuerint ad illa intelligenda quæ in ceteris Terentii Fabulis paulo impeditiora videbuntur. Neque vero mihi ad credendum difficile est, quæ dixi modo, non ex æquo omnibus probatum iri; sed ad eos provoco, qui scriptores antiquos bene ac diligenter legerint.

DE RATIONE METRI TERENTIANI
JO. LENGIUS.

DE metris Terentianis ut multa dicam, neque instituti nostri brevitas patitur; et plurimi, qui de hac re scripserunt, viri doctissimi supervacaneum fere fecerunt. Sed quoniam in variis hujus auctoris lectionibus dijudicandis metri ratio haud parum juvat, idcirco pauca quædam, quæ huc spectant, præmittenda duximus.

Versus igitur, quibus utitur Terentius, sunt plerumque vel trimetri sive senarii, vel tetrametri seu octonarii: dimetris quidem nonnunquam, sed rarius, utitur; monometris rarissime.

DE SENARIIS.

Notum est Senarios olim perfectos sex pedibus iambis constitisse: qualis est:

Amantium iræ amoris integratio est.

Sed præter hunc versum nullibi me purum iambicum apud hunc auctorem deprehendisse memini: quod etiam facit ut credam, proverbiale hoc fuisse dictum, ab antiquiore aliquo poëta mutuatum. Deinde autem receptum est, ut præter pedem iambum tribrachyn (qui fit et resolutione iambi) etiam spondæus et omnes pedes qui sunt ejusdem cum spondæo temporis (præter amphibrachyn) in sedibus imparibus, nempe prima, tertia, quinta admitterentur; locos pares, i. e. secundum, quartum, sextum occupante interim solo iambo. Hujusmodi versus apud Græcos tam comicos quam tragicos usitatissimi, apud nostrum auctorem interdum, sed minus frequenter, apparent: ut:

Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis.

Postremo igitur, ut metrum comicum ad sermonem vulgarem propius accederet, de sede sexta tantum sive ultima soliciti esse cœperunt, ut ipsam semper iambus occuparet; in ceteris autem, dummodo trochæum excluderent, satis habuerunt, si vel tribrachyn, vel spondæum, vel spondæo (quoad tempora) parem dactylum, anapæstum, proceleusmaticum pro libitu usurparent. Per trochæum autem, quem nunquam admittit carmen iambicum, istum semper intelligo pedem, cujus primam syllabam longam sequitur

altera brevis, qui maxime iambo contrarius est. Quod ideo hic obiter moneo, quia Cicero et Quintilianus hunc pedem choreum plerumque appellant, illum autem alterum tribus brevibus constantem trochæum vocant: contrarium vero facit Hephæstion, et plerique grammatici; quos ideo sequimur, ne a more recepto discedere videamur.

Proceleusmatici quidem minus frequenter occurrunt quam ceteri pedes supra memorati, sed nonnunquam tamen adhibentur: ut:

Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti:

sæpius autem in prima sede, et in iis dictionibus quæ ad flexum vocis magis accommodantur: ut:

Ita populus studio stupidus in funambulo.
Minime equidem me oblectavi, quæ cum milite.

Quinta vero sedes vel proceleusmaticum vel tribrachyn raro admittit; ne scilicet nimius sit brevium syllabarum concursus, quem, prope finem versus, aures non facile patiuntur.

DE TETRAMETRIS.

Tetrametri seu octonarii sunt vel iambici, vel trochaici. Rursus iambici tetrametri sunt vel acatalectici, vel catalectici. Acatalectici vocantur, qui justam mensuram octo pedum semper habent, quorum ultimus est iambus:

Nil tam difficile est, quin quærendo investigari possiet.

Iambici catalecti (qui et scazontes dicuntur) sunt quibus in fine una deest syllaba, sedem septimam sive penultimam occupante iambo: ut:

Salu | tant ad | cœnam | vocant | adven | tum gra | tulan | tur.

In catalecticis tamen, apud comicum nostrum, pro iambo sæpe ponitur spondæus vel dactylus in sede penult. vel etiam tribrachys: ut, Hec. II. 2.

Novi: et quæ dicis omnia esse ut dicis animum induco.
Et te hoc mihi cupio credere, illam ad vos redire studeo,
Si facere possim ullo modo. L. Quæ res te facere id prohibet?

Trochaici tetrametri apud hunc auctorem sunt plerumque catalectici, i. e. quibus in fine una deest syllaba brevis, quo minus constent octo plenis pedibus, quorum septimus est trochæus: ut:

Pro pec | cato | magno | paulum | supplici | i satis | est pa | tri.

Loci reliqui tribrachos, spondæos, dactylos, anapæstos admittunt, iambo semper excluso, qui nunquam trochaicum ingreditur carmen, uti nec trochæus iambicum. Nec tamen tantum interest inter trochaicum et iambicum versum, quin, qui nunc trochaicus est catalecticus, possit modo fieri iambicus acatalectus, si unicam duntaxat syllabam initio præponas: ut:

Cum faci | em vide | as vi | detur | esse | quanti | vis pre | ci.

Trochaicus est; sed si legas:

Qui, cum | faciem | videas | vide | tur es | se quan | tivis | preci,

fit iambicus acatalectus; hoc enim modo neque hunc ingreditur trochæus, neque illum iambus. Hinc etiam sæpe fit ut propter syllabam aliquam communem idem versus possit aliquando vel trochaice vel iambice mensurari: ut:

Eho, non tu dixti esse inter eos inimicitias, carnufex?

cum enim ultima in, Eho, sit brevis, trochaicus est versus; at si vel longam facias, vel *nonne* pro *non* legas, e trochaico statim fiet iambicus acatal. et propterea trochaici a nonnullis appellantur iambici ab initio catalectici: quod Aristoteles etiam facere videtur, ubi hunc versum ex iambis Archilochi citat, Rhet. l. III. c. 17.

Χρημάτων δ' ἄελπτον οὐθέν ἐστιν οὐδ' ἀπώμοτον.

Atque exinde nemini mirum videri debet, si trochaicos cum iambicis in eadem scena sæpe mistos videat, cum ab his ad illos tam facilis sit transitus.

Trochaicis acatalectis parcius uti videtur, atque ibi solum ubi fabulæ partes turbatiores aguntur, ita ut vix numerum sentire possis: ut, Phorm. I. 3. 1.

Adeon' rem redisse, ut qui mihi consultum optume velit esse:

et in iis ipsis locis multo majori numero catalecticorum semper immiscentur. Et certe felicissima ubique arte id agit Poëta, ut rerum quæ aguntur turbatam vel tranquillam rationem carminis etiam ratio confusa vel expedita semper exprimat: quod etiam facit ut plurimum voluptatis iis prorsus pereat, qui ad hunc auctorem legendum neglecta vel non intellecta metri ratione accedunt.

Tetrametris nonnunquam interseritur dimeter iambicus: ut,

Verebar quorsum evaderet:
Amore abundas, Antipho:

aut trochaicus: ut, Proh Deum atque hominum fidem: rarius monometer, ut, Quid illud est.

Sed de his non opus est ut quicquam dicam, cum et raro occurrant, et ex iis quæ de trimetris et tetrametris diximus, facile possint intelligi.

DE LICENTIA METRI TERENTIANI.

Diximus supra, carmen iambicum a comicis usurpatum, præter pedem iambum, etiam spondæum, aliosque pedes, qui sunt ejusdem cum spondæo mensuræ, frequentius admittere. Dubitatur autem interea inter doctos, annon et pes creticus sive amphimacer, qui spondæum excedit, in metro Terentiano locum habeat: quanquam enim alii nunquam admittendum esse censeant; alii tamen admittunt, sed parcius. Et certe siquis ad normam Virgilianam omnes nostri Comici voces vocumque pronuntiationes expendendas esse credat, nullo modo pedem istum effugere poterit. Sed, cum heroicum carmen longe a comico scribendi modo distet, dubitandum non est quin et alius quoque pronuntiandi modus huic, alius illi conveniat. Comœdia quippe popularem fere sermonem nobis exhibet; cujus apud omnes gentes mos est, ut eæ dictiones, quæ frequentius occurrunt, contractiore modo sæpe pronuntientur, et veluti in unam coëant: quod tamen, si vel in oratione gravi vel in heroico carmine fieret, ridiculum videretur. Hoc modo apud auctorem nostrum voces, quid, quod, sed, &c. cum voce sequenti quodammodo coalescere interdum videntur: ut:

Nihil propter hanc rem; sed est quod succenset tibi.
Quidnam est? puerile est: quid est? nihil: quin dic, quid est?

ubi, ne pes creticus admittatur, sed est, et, quid est, quasi in unam coire syllabam credimus. Quod autem hic de pede cretico vitando diximus, de ceteris etiam intelligendum est qui spondæum excedunt. Sic vox, Nihil, in primo pede prioris versus modo allati, monosyllaba est; quanquam in quarto pede sequentis eleganter disyllabice pronuntietur. Eodem modo non solum voces, magis, et, satis, sed etiam, quidem, simul, apud, et tamen, vel ultimam literam sæpe elisam habent, vel in unam syllabam contrahuntur: ut:

Ne hoc quidem tacebit Parmeno. Oh dubiumne id est?
Et simul conficiam facilius ego quod volo.
Præsto apud me esse aiunt: egomet convivas moror.
Tamen vix humane patitur, verum si augeam.

Muretus quidem, ut hanc licentiam effugiat, legit: *Tamen humane vix patitur*—— sed in nullis Mss. ita legitur, neque Latina videtur ea verborum collocatio. Et certe quanquam frequentes istæ sive collisiones sive elisiones syllabarum illorum auribus insolitæ videantur, qui omnia ad Augustani ævi normam exigere solent; non absurdæ tamen iis videbuntur, qui vel Enniani sæculi reliquias legunt, vel popularem loquendi morem, quem supra memoravimus, paulo attentius considerant: nec fortasse mirabuntur, si primam syllabam in, ille, ipse, iste, &c. vel ultimam in, vide, cave, jube, domi, heri, &c. sæpe correptam videant. Ob eandem etiam rationem sæpe fieri solet ut, Dii, Deos, ait, scio, mihi, meus, tuus, suus (nonnunquam, tibi et sibi, ut putat Faërnus) in unam syllabam contrahuntur, aut vox, jam, in duas extendatur. In vocibus, ejus, hujus, cujus, sunt qui primam syllabam corripiendam, et s finale in secunda elidendum, ante consonam, more antiquo, censent: quorum sententiam etsi non prorsus improbamus, melius tamen versui consuli posse censemus, si eæ voces in unam syllabam inter pronuntiandum contrahantur, adeo ut eodem fere modo proferantur quo apud Anglos, his et whose: ut:

Si illum relinquo, ejus vitæ timeo; sin opitulor, hujus minas.

Interjectiones, jurandi adverbia, et voces fictitias, pro libitu loquentis vel produci vel corripi, ipsa comicæ locutionis ratio suadet ut credam; neque opus esse, ut pro *at at* scribatur *at at at*, vel *æpol* pro *edepol*, quæ vox sæpe primam corripit apud hunc auctorem. Nemo non observat voces esse quasdam quæ diversam quantitatem apud diversæ ætatis scriptores habent: sic vox, suspicio, contra mensuram hodiernam, plerumque apud nostrum auctorem secundam syllabam producit: quod ne fieret, Goveanus in ejus locum reposuit *suspectio;* sed sine ratione, cum idem fieri videas apud Plautum:

Et ne in suspicione ponatur stupri: Amph. I. 2. 27.
Suspiciones omnes ab se segreget: Asin. IV. 1. 29.

Et apud Phædrum in Prologo lib. III.

Suspicione siquis errabit sua.

Nec a ratione fortasse alienum videbitur, si syllaba natura brevis interdum, quasi data opera, producatur, quo magis emphatice mentem loquentis exprimat. Sic Phorm. v. 6. 75.

Quin novo modo ei faceres contumeliam.

Quo in loco Phormionis personæ admodum convenire mihi videtur, si prima syllaba in, novo, comice producta sit. Agnosco quidem Faërnum, ut et Waseum, aliter hunc versum metiri, nempe contrahendo vocem, novo, in unam syllabam, et primam in, ei, producendo: sed hæc ratio impeditior videtur: quod si cui neque horum neque nostra hujus versus expediendi ratio placeat, næ iste turbatum a Mureto verborum ordinem, contra omnium Mss. fidem, si velit, amplectatur. Ita enim Muretus legit:

Novo modo ei quin faceres contumelias:

sed, an hæc verborum collocatio venusta sit, doctis judicandum relinquo.

Cum tantam itaque licentiam sibi nonnunquam sumserint Comici, ut metrum suum ad popularem loquendi morem magis accommodarent; mirum non erit si frequentius ista libertate utantur, quam vel ipsi carminis heroici scriptores sibi interdum permiserunt. Hinc m finale vel vocalis ante alteram vocalem in sequenti dictione sæpe non eliditur: ut:

Ego cum illo quocum tum uno rem habebam hospite.
Jamdudum te amat, jamdudum illi facile fit.
Eho vero laudas qui heros fallunt? in loco:

nec euphonia sua caret hæc elisionis omissio.

Initium quoque sequentis versus sæpe in scansione fini præcedentis annectendum est: ut:

Rationem, est hercle inepta, ne dicam dolo,
Atque absurda: pisces ceteros purga, Dromo.

S finale ante consonam sæpe exteri, non opus est ut memorem, cum nemo, qui vetustiorum poëtarum reliquias versat, hoc ubique fere fieri non videat.

Atque hæc de Comicorum licentia quasi obiter attigisse sufficiat. Qui plura cupit, Gabr. Faërni emendationes adeat, hominis in hoc genere versatissimi? vel Chr. Wasei nostratis libellum qui Senarius inscribitur, sive de legibus et licentia veterum poëtarum, ubi tota res fusissime explicatur, et innumeris confirmatur exemplis. Et certe, si ad hanc liberiorem veterum poëtarum normam viri ingenio et doctrina spectatissimi Goveanus et Muretus satis attendissent, haud tantum sibi in immutando Terentio licentiam, contra optimorum codicum auctoritatem, temere arripuissent. Sed, dum omnia ad hodiernas metri Virgiliani regulas cogere studuerunt, verborum ordinem invertere, voces minutiores pro libitu addere vel detrahere, versus nunc hoc, nunc alio modo secare non sunt veriti; adeo ut nonnullis in locis sua plane Terentio venustas periisse videatur: quis enim hunc verborum ordinem Terentiana elegantia dignum dicet?

Omnes in lauta te et bene parte aucta putant.

Neque ab exemplari Muretiano satis sibi cavisse videtur Cl. Heinsius: qui, quanquam plurimis in locis emendationes Faërni e lib. Bemb. secutus sit, ordinem tamen verborum a Mureto turbatum ita sæpe non emendavit, ut, utraque simul admissa lectione, ne metrum quidem ipsum constet: quod ne temere dictum videatur, unum aut alterum exemplum apponam. Heaut. v. 4. 12. olim ita legebatur:

Non sunt hæc jam parentis dicta: non si ex capite sis meo:

qui versus, cum iambicus inter trochaicos Mureto ferendus non videretur, ita ab illo est mutatus:

Non sunt hæc jam dicta parentis: non si ex capite sis meo:

cum autem recte moneret Faërnus voculam *jam* in omnibus deesse Mss. sic melius constare trochaicum; sustulit eam Heinsius, sed ordinem verborum sequentium *dicta parentis* non animadvertit, qui ita neque iambicus neque trochaicus erit, nisi legas, ut olim, *parentis dicta.* Sic Adelph. v. 2. 14. cum olim legeretur:

Alia cura: porro autem dum studeo illis ut quam plurimum;

Muretus (ut constaret trochaicus) ita invertit:

Alia cura: porro autem illis dum studeo ut q. p.

Faërnus e Mss. pro *porro* restituit *heia,* quod et versum sanat absque ista inversione. Heinsius autem admissa voce, heia, dum sequentium verborum ordinem antiquum restituere neglexit, versum prorsus corrupit. Eodem modo si inter voculas duas, (quas

simul constare metri ratio vetat,) utri utra locum cedat, ambigatur; interdum, posthabita metri ratione, utramque admittit; interdum contra, irreptitiam simul cum genuina delet. Sic cum huic versui olim,

Sine me vacuum tempus ne quod dem mihi,

deesse aliquid ad metrum viderat Muretus, ex conjectura ***dem*** mutavit in ***duim;*** Faërnus autem e cod. Bemb. pro ***vacuum*** reposuit ***vacivom:*** Heinsius, contra metrum, utramque simul mutationem retinuit. Sic Heaut. IV. 5. 19.

Quod ei es pollicitus: garris: unde id? a tuo patre.

cum aliquid metro superesse deprehenderetur, Muretus ex ingenio suo delevit vocem ***tuo,*** Faërnus ex auctoritate Mss. delevit ***id;*** editio Heinsiana utramque vocem sustulit, metro rursus depravato. Quod pluribus in locis fieri videbit, quicumque editiones Mureti, Faërni, atque Heinsii invicem conferre operæ pretium fore existimabit.

FRANCISCUS HARE, S. T. P.

DE METRIS COMICIS.

Qui cum fructu legere velit, quæ de metris comicis dicturus sum, domo afferat oportet eorum cognitionem, quæ in vulgatis carminis condendi regulis continentur; neque enim prima prosodiæ elementa tradere hujus instituti est. Qui iis leviter imbutus est, novit brevem syllabam unius esse temporis, longam duorum; pedes autem ex syllabis componi; et ex iis unum esse duorum temporum, pyrrichium; tres trium, trochæum, iambum, tribrachyn; quatuor temporum quatuor, spondæum, dactylum, anapæstum, et amphibrachyn, (sed hic ultimus ad metra Terentiana intelligenda prorsus inutilis;) tres ex pedibus simplicibus quinque temporum, bacchium, antibacchium, et creticum; unum denique sex esse temporum, nempe molossum: sed hi quatuor ad pæonicum genus spectant, de quo nihil hic dicturus sum.

Ex pedum dissyllaborum geminatione vel conjunctione oriuntur metra, quæ Græci διποδίας seu συζυγίας dixere, numero sedecim.

1. Ex pyrrichio geminato fit proceleusmaticus, temporibus

spondæo æqualis, adeoque in simplicium pedum numero merito ponendus.

2. Ex geminato trochæo, trochæo-trochæus, seu ditrochæus.
3. Ex geminato iambo, diiambus.
4. Ex geminato spondæo, dispondæus.
5. Ex trochæo et pyrrichio, pæon primus.
6. Ex pyrrichio et trochæo, pæon tertius.
7. Ex iambo et pyrrichio, pæon secundus.
8. Ex pyrrichio et iambo, pæon quartus.
9. Ex trochæo et iambo, choriambus.
10. Ex iambo et trochæo, antispastus.
11. Ex pyrrichio et spondæo, ionicus a minore.
12. Ex spondæo et pyrrichio, ionicus a majore.
13. Ex trochæo et spondæo, trochæo-spondæus, seu epitritus secundus.
14. Ex spondæo et trochæo, spondæo-trochæus, seu epitritus quartus.
15. Ex iambo et spondæo, epitritus primus.
16. Ex spondæo et iambo, epitritus tertius.

Ex hisce metris quatuor solum ad præsens institutum faciunt, secundus scilicet, quartus, decimus tertius, et decimus quartus.

In hæc quatuor metra, aliave quæ iis sunt temporibus æqualia, omnes versus Terentiani, exceptis pauculis pæonici generis, ut mox videbimus, resolvi possunt. His igitur probe cognitis, nihil erit in metris Terentianis, quod non vel tironi facillimum videbitur, præter licentias, de quibus suo loco.

Metra autem quæ quatuor supra memoratis temporum ratione paria sunt, et eorum vicem sustinere possunt, sequens tabella exhibet.

Trochæo-trochæo seu ditrochæo	Trochæo-spondæo seu epitrito secundo	Spondæo-trochæo seu epitrito quarto	Spondæo-spondæo seu dispondæo.
Sunt temporibus æquales,			
Ditribrachys	Tribrachy-spondæus	Spondæo-tribrachys	Spondæo-dactylus
Tribrachy-trochæus	Tribrachy-dactylus	Dactylo-trochæus	Dactylo-spondæus
Trochæo-tribrachys	Tribrachy-anapæstus	Dactylo-tribrachys	Spondæo-anapæstus
	Trochæo-dactylus	Anapæsto-trochæus	Anapæsto-spondæus
	Trochæo-anapæstus	Anapæsto-tribrachys	Dactylo-anapæstus
			Anapæsto dactylus
			Didactylus
			Dianapæstus.

Unaque cum iis metrorum viginti quinque numerum conficiunt; quæ juxta alphabeti ordinem in quinque classes distributa lectori ob oculos ponere utile putavi, cum exemplis singulorum adjunctis, locisque unde sunt desumta.

1. A. A. Dianapæstus: iter hac-habui. Eun. v. 8. 35.
2. A. D. Anapæsto-dactylus: tĕ amō-quo magĭs. Ad. iv. 5. 46.
3. A. S. Anapæsto-spondæus: videō-sentum. Eun. ii. 2. 5.
4. A. Tr. Anapæsto-tribrachys: itidem-pătria. Eun. ii. 2. 4.
5. A. T. Anapæsto-trochæus: prius au-dite. Eun. v. 8. 37.
6. D. A. Dactylo-anapæstus: est genus-hominum. Eun. ii. 2. 17.
7. D. D. Didactylus: quid lacry-mas pater. Ad. iv. 5. 45.
8. D. S. Dactylo-spondæus: ut tuo a-mori. Eun. v. 8. 46.
9. D. Tr. Dactylo-tribrachys: interea-aliquĭd. Heaut. ii. 4. 11.
10. D. T. Dactylo-trochæus: suppedi-tare. Eun. v. 8. 46.
11. S. A. Spondæo-anapæstus: quid con-libuit. Eun. v. 8. 26.
12. S. D. Spondæo-dactylus: nemo est-principi°. v. 8. 48.
13. S. S. Dispondæus: pannis-annis. ii. 2. 5.
14. S. Tr. Spondæo-tribrachys: multum ac-cipere. v. 8. 45.
15. S. T. Spondæo-trochæus: ut spes-nulla. Eun. ii. 2. 9.
16. Tr. A. Tribrachy-anapæstus: adeo ut-etiam. Hec. ii. 1. 24.
17. Tr. D. Tribrachy-dactylus: nisi vi-des nisi. And. ii. 2. 36.
18. Tr. S. Tribrachy-spondæus: homine-quoquo. Eun. v. 8. 53.
19. Tr. Tr. Ditribrachys: hodie-item-alia. And. ii. 2. 17.
20. Tr. T. Tribrachy-trochæus: mea quidem-hercle. And. ii. 2. 10.
21. T. A. Trochæo-anapæstus: missa-facio ef-. Ad. v. 9. 34.
22. T. D. Trochæo-dactylus: dum stu-des dare. Eun. v. 4. 28.
23. T. S. Trochæo-spondæus: vis po-tiri. Heaut. ii. 3. 81.
24. T. Tr. Trochæo-tribrachys: fundite-emite. Ad. v. 9. 34.
25. T. T. Ditrochæus: vis a-mare. Heaut. ii. 3. 81.

Hi sunt pedes compositi, seu metra quibus ad metra Terentiana explicanda opus erit, quos omnes compendii gratia ditrochæos dicere liceat, cum ditrochæis vel puris vel impuris pares sint. Horum vero numerus augeri possit, si longam syllabam in dactylo vel anapæsto in duas breves resolvendo eorum loco proceleusmaticum suffeceris, ut, quam quidĕm redeat ăd, Heaut. v. 3. 8. sed hoc rarissime factum est, nec ullus fere proceleusmatici usus, nisi

cum in fine versus dactyli vel cretici locum sustinet, quod sæpissime fit. Quin et e metris supra positis ista in quibus pes posterior est dactylus, vel ubi nimius syllabarum brevium concursus, rarius usurpantur; optima contra illa sunt, in quibus primus pes trochæus vel trochæo par, vel anapæstus; alter vero vel spondæus, vel anapæstus. Purus enim ditrochæus est levior numerus et tripudiis quam sermonibus aptior, ideoque levitatem istam adjunctione tardioris pedis temperare visum est.

His de metris præmissis, jam ad versus ipsos accedamus; quos ut penitius intelligamus, ante omnia hoc principio loco, utpote quo tota fere res innitatur, ponendum est, versus comicos cujuscumque generis non per simplices pedes, sed per metra seu *διποδίας* dimetiendos esse.

Hoc præceptum, quod est quantivis pretii in re metrica, Græcis unice debemus. Quibus non est copia consulendi de hac re Hephæstionis Alexandrini libellum de Metris, qui jam diu est rarissimus, adeant vetera scholia in Aristophanem, vel Triclinii in Sophoclem: in iis videbunt versus omnes per integra illa scripta per *διποδίας* dimensos: quod apud Græcos tam constans fuit, ut inde nomina versibus indiderint, ac trimetros et tetrametros dixerint, quos Latini non sine magno rei metricæ incommodo, senarios et octonarios. Hinc enim factum est ut vetus illa per metra dimensio paulatim in desuetudinem abierit, et una cum ea rei metricæ scientia, quod ad hæc versuum genera, fere interciderit. Qui enim, metrorum subsidio destitutus, de versus mensura judicare nequit, nisi ex pedum simplicium numero, nec ipse veterum Comicorum scripta apte et numerose leget, neque, si ab aliis recitentur, numerum in iis aliquem deprehendet; nec unquam sciet, num versus suis numeris constet, nisi ad digitos exigat, quod non molestum modo, sed et nimis quam absurdum; cum et nimiam id inter legendum vel audiendum moram, præterquam res patitur, postulet, gratiamque omnem et venustatem numerorum ab aure, cujus unum est de numeris judicium, et cui delectandæ præcipue inserviunt, in totum eximat. Contra, qui versibus comicis per metra dimetiendis assueverit, statim ex ipso versus sono, simulac audierit, facile intelliget cujus generis sit, an in parte aliqua quantitas deficiat, aut aliquid vitii sit in numeris; nec opus est ad judicium de his ferendum, ut in concilium digitos adhibeat.

Hæc ita esse res ipsa comprobabit exemplis quæ mox afferam

ex trochaico genere desumtis. Sentio quidem me hic ab aliis rei metricæ scriptoribus abire, qui de iambico genere primo loco solent agere, ut antiquissimo et facillimo: sed doctissimorum virorum venia dicere liceat, utroque nomine eos vehementer falli. Primum enim clarissimo ex Aristotelis libro de Poëtica testimonio constat trochaicum genus fuisse antiquissimum. Hæc enim ille c. 4. *Τό, τε μέτρον ἐκ τετραμέτρου (τροχαϊκοῦ) ἰαμβεῖον ἐγένετο. τὸ μὲν γὰρ πρῶτον τετραμέτρῳ ἐχρῶντο, διὰ τὸ σατυρικὴν καὶ ὀρχηστικωτέραν εἶναι τὴν ποίησιν. λέξεως δὲ γενομένης, αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε. μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρον τὸ ἰαμβεῖόν ἐστι.* Quod si hoc secus se haberet, tamen, si quæ de re metrica scripturus sum, facilius intelligentur ea primum tradendo, quæ ad trochaicum genus spectant, hæc est idonea ratio, cur hanc potius quam illam viam insistamus. Hæc autem ratio quantum altera facilior sit, et non modo rei metricæ imperitorum captui accommodatior, sed et rei ipsi de qua agitur, aptior atque utilior, non opus est ut verbis meis dicam; lector ipse statim expertus re ipsa deprehendet.

Sed, antequam vera ex Terentio exempla adducam, fictis exemplis, uno scilicet verbo sæpius repetito, singula versuum genera lectori ob oculos ponam, quo clarius et planius eorum naturam, quantitatem, et numerum perspiciat. In trochaico igitur genere, trochaici tetrametri integri exemplum hoc esto:

Phormi-onem = Phormi-onem || Phormi-onem = Phormi-onem.

Hoc est perfectissimi trochaici tetrametri exemplum: *διποδίαι* enim, seu metra quibus constat, sunt omnia ex trochæo et spondæo, id est, ex epitritis secundis conflata, quæ hujus generis summa laus est. Trochaici enim generis proprium est, ut trochæus sit in locis imparibus, sive in priore metri parte; in altera vero spondæum vel spondæo parem, ut prius dixi, malit, ne justo levior et mobilior sit. Hunc versum integrum dixi, quoniam constat ex quatuor metris sive *διποδίαις* integris; quod genus Græci *ἀκατάληκτον* dixere, ut distinguatur ab aliis, in quibus aliquid vel deficit, vel superat. Si versus una syllaba excurreret ultra debitam tetrametri mensuram, *ὑπερκατάληκτον* dixere; si una syllaba deficeret, *καταληκτικὸν*; si pede integro, *βραχυκατάληκτον*. Atque hæc vocabula Latini rei metricæ scriptores sua etiam fecere, cum verbis e Latio sumtis eorum vim haud æque commode exprimere potuerint. Ut hujus autem versus naturam et venustatem intelli-

gas, ad singula metra paululum subsistas oportet; quod si feceris, videbis non modo nullam in medio versu cæsuram fieri, sed et singula metra, intra suos quodammodo limites conclusa, integris dictionibus finiri, ita ut nusquam unum idemque verbum in diversa metra distrahatur: quod etiam in veris exemplis plerumque fieri comperiemus, ut hoc indicio, si dubium aliquando inciderit (quod interdum fit) ad quodnam genus versus referendus sit, iambicum dico an trochaicum, si ad trochaicum genus reducendo verba in metrorum finitionibus crebris cæsuris incidantur, hoc inquam indicio satis certo cognosci possit alterius esse generis. Ut hæc quæ dixi hujus carminis propria esse lector facilius deprehendat, versum quem exempli loco adduxi in bisegmenta hac nota || distinxi, bisegmenta vero in metra hac =, metra denique in pedes ex quibus constant hac -. Atque harum notarum primam per totam hanc editionem in versibus tetrametris, qui etiam quadrati a Latinis rei metricæ scriptoribus dicuntur, semper adhibui; alias vero duas notas iis tantum in locis, ubi metrum impeditius visum est, et molestiam aliquam lectori parum in his exercitato creare potuisset.

His de hoc ficto exemplo dictis, ad illud vera quædam e Terentio sumta jam expendamus; qualia sunt hæc ex Eun. IV. 6. 1.

Th. Cred^{o} equid^{em} - illum = j^{am} adfu-tur^{um} esse ||, ut ĭll^{am} a m^{e} - eripi = at; sine-veniat.
Atqui - s^{i} illam = digit^{o} at-tigerit || un^{o}, ocul^{i} - illic^{o} = effodi-entur.
Usque ad^{eo} e^{go} - ĭllĭus = ferre - poss^{um} in || epti^{am}-, et mag = nifica verba,
Verba - dum sint = : ver^{um} eni^{m} - s^{i} ad rem || confe-rentur = , vapulabit.
Ch. Thais -, ego jam = dud^{um} hic - ads^{um}. Th. O || mi Chre-mes, t^{e} ips^{um} = expec-tabam.
Scin tu - turb^{am} hanc = propter - t^{e} esse || fact^{am}? et -, ade^{o} ad = t^{e} atti-ner^{e} hanc
Omnem - r^{em}? Ch. Ad me = ? qui? quas^{i} - istuc ||. Th. quia dum-tibi so = rorem - studeo
Redder^{e} - ac re = stituer^{e} -, hæc atq^{ue} || hŭjŭsmo-di sum = multa - passa.

Quibus addas hæc ex Heaut. III. 3. 1.

Ch. Quid ĭstuc - quæs^{o} est = ? quĭ ĭstic - mos est, || Clitiph^{o} - ? ĭtane = fier^{i} o-portet?
Cl. Quid ego - feci = ? Ch. Vidin - ego te || modo man^{um} - in sin^{um} = huic mere-trici——et v. 6.
Homin^{em} a-micum = recipere^{e} - ad t^{e}, atq^{ue} || ejus a-micam = subagi-tare.
Vel her^{i} in - vino = qu^{am} immo-destus || fuisti-. Sy. Factum = . Ch. Quam mo-lestus.

Et Adelph. II. 1. 1.

Sa. Obse-crŏ popu=lares - ferte || miser^{o} atq^{ue} - inno=cent^{i} auxilium :
Subve-nit^{e} inop^{i} = . Æs. Oti-ose ||, nunc jăm - illic^{o} = hic consiste.
Quid re - spectas = ? nihil pe-ricli est ||; numquam - d^{um} eg^{o} ader^{o} = , hic te-tanget.

Et Hec. IV. 1. 1.

Perii - , quid agam = ? quo me - vertam || ? quid vi-ro meo = respon-debo
Misera - ? n^{am} audi=visse - vocem || pueri - visust = vagi-entis.

Et ex Phorm. III. 1. 1.

En^{im} ver^{o} - Anti=phō mul-timodis || c^{um} istoc - anim^{o} es = vitupe-randus :
Itane - t^{e} hinc ab=iss^{e}, et - vitam || tuam tu-tand^{am} ali=is dedisse ?
Alios - tuam rem = credi-disti || magi^{s} quam - tet^{e} ani=madversuros ?)
N^{am} ut ut e-rant ali^{a} = , illi - certe ||, quæ nunc - tibi dom^{i} = est, consuleres.

Qui hos versus attentius expendet, comperiet unum tantum ex iis esse, in quo bisegmentum non integra dictione claudatur; in eo vero, non simplicem vocem distrahi, sed præpositionem solum, quacum composita est: et tum in bisegmentis, tum in metris fere omnibus, si qua dictio in duo metra dividatur, sectionem ita fieri, ut syllaba, in quam accentus cadit, non divellatur e sequentibus, sed una cum iis eidem metro accedat.

Atque hæc de hac prima trochaici tetrametri specie dicta sint, qua quidem Terentius rarissime utitur, nisi in initiis scenarum; atque ibi raro invenies plus uno versu hujus generis adhiberi, adeo ut in toto Terentio vix sint totidem alia, quot hic adduxi. In hoc autem versu ut venustas aliqua sentiatur, partes ejus tardius proferendæ sunt, quod et ipsa in initiis scenarum collocatio quodammodo ostendit, cum sermo in primo congressu ipsa natura duce fere semper lentior sit.

Versus, quo maxime gaudet in trochaico genere, quique jucundissime et summa cum venustate decurrit, una syllaba ab hoc deficit, inde dictus tetrameter catalecticus, Latini septenarium dixere, ad hunc modulum factus,

Phormi-onem = Phormi-onem || Phormio-nem = Phormio :

qui constat ex tribus ditrochæis et cretico, pro quo, prima syllaba in duas breves resoluta, sæpe adhibetur proceleusmaticus. Hujus formæ exempla in Terentio ubique obvia. E multis hæc habe ex Andr. II. 2. 22.

Redeunt^{i} - interе^{a} = ex ip-sa re || m^{ihi} inci-dit su=spici^{o} : hem,
Paulul^{um} - obson^{i} = : ipsus - tristis ||: d^{e} impro-viso = nuptiæ :
Non co-hærent =. Pa. Quorsumn^{am} - istuc || ? Da. Ego me - continu^{o} = ad Chremem.
Nihil or-nati =, nihil tu-mult^{i}. ac||cess^{i} : intr^{o} - aspe=xi. Pa. Scio.
Magnum - signum =. Da. Num vi-dentur || conve-nir^{e} hæc = nuptiis ?
Pa. Non, o-pinor = Dav^{e}. Da. O-pinor ||, narras - ? non rect^{e} = accipis.
Certa - res est = : etiam - puer^{um} inde || abiens - conve-ni Chremis,
Oler^{a} et - piscicu=los mi-nutos || ferr^{e} obol^{o} - in cæ=nam seni.

Et Eun. V. 8. 45.

Quod des - paulul^{um} = est, ne-cess^{e} est || mult^{um} ac-cipere = Thaidem,
Ut tu^{o} a-mori = suppedi-tare || possit - sine sum=tu tuo.
Ad ŏmni^{a} - hæc magis = oppor-tunus ||, nec magis - ex u=su tuo,
Nem^{o} est : - principi^{o} = et habet - quod det || : et dat - nemo = largius.
Fatuus - est, in=sulsus -, tardus ||, stertit - noctesq^{ue} = et dies.

Et Adelph. V. 4. 1.

Nunq^{uam} ita - quisquam = bene sub-ducta || ration^{e} - ad vi=tam fuit,
Quin res -, ætas =, usus - semper || aliquid - appor=tet novi ;
Aliquid - moneat =, ut ĭlla - quæ te || scire - credas =, nescias ;
Et quæ - tibi pu=taris - prim^{a}, in || experi - und^{o} ut = repudies.

Hecyræ denique illa III. 5. 20.

Ego me - scio ca=visse -, n^{e} ulla || merito - contu=melia
Fier^{i} a - vobis = possit - : idque || si nunc - memorar^{e} = hic velim,
Quam fi-del^{i} anim^{o} =, et be-nign^{o} in || ill^{am} et - clemen=ti fui,
Vere - possum =; ni t^{e} ex - ips^{a} hæc || magĭs ve-lim re=sciscere.

Sed de hac trochaici catalectici specie hæc satis: est et alia catalectici species quam cretici loco claudit molossus, qui versus Scazon Hephæstioni dicitur; sed nulla hujus generis exempla sunt in Terentio; nihil igitur opus ut de eo plura hic dicam.

Est vero in trochaico genere præter has species insignis etiam dimeter catalecticus, seu posterius bisegmentum tetrametri catalectici, cujus hæc forma est:

Phormi-onem = Phormio.

Hujus generis versiculi singuli tantum occurrunt, nec sæpius simul repetiti, scenam vel scenæ partem constituunt, sed tetrametris eleganter immiscentur. Iis tamen parcius utitur Terentius. Exempla sint hæc:

Proh De^{um} - atq^{ue} homi=num fidem. And. I. 5. 10.
Quod s^{i} ab-esset = longius. Adelph. IV. 1. 8. et
Dicam -, non æde=pol scio. Hec. IV. 1. 5.

Primum etiam hujus versus bisegmentum seu dimeter acatalec-

tus, est Plauto frequens, sed apud Terentium nusquam. Nec omittendum est apud Terentium Andr. IV. 1. 14. unum esse exemplum trochaici tetrametri brachycatalecti, cui scilicet integer pes deest ad tetrametrum complendum.

Non verentur =: illic ubi nihil || opus est-, ibi ve=rentur.

His de trochaico genere dictis, in quo lector nullam difficultatem sentiet qui hæc exempla probe tenet, nisi quæ ex licentiis oritur, siquidem metrice legere expedite queat, omissis literis quæ per synalœpham eliduntur; transeo ad iambicum genus, quo maxime Comici veteres utuntur, ut sermoni et rebus agendis omnium commodissimo. De hoc autem genere sciendum est, quod in paribus locis pedem illum postulet, unde ipsi nomen est. Atque hoc ex ipsa versus iambici natura profluit, cum a trochaico derivetur, qui iambicus fit, si principio syllabam vel semipedem apponas; quod cogitatum etsi neminem fugere potuisset, si de trochaico genere rei metricæ scriptores primum agere cœpissent, nescio tamen an cuiquam in mentem venerit ante doctiss. Bentleium nostrum. Is certe primus id me summonuit ante annos complures, cum, inter vario sermone confabulandum, de Terentii versibus forte verba faceret, pauca quidem, sed quæ homini non prorsus ἀμούσῳ satis essent. Hoc autem pacto syllaba brevis, quæ in trochaico versu secunda fuit, in iambico tertiam sedem occupabit; i. e. secundus pes erit iambus, atque ita porro in ceteris paribus locis. Sed ea veteres Comici usi sunt licentia, ut in omni sede præter ultimam spondæum vel spondæo parem reciperent, unde exsurgit non minor metrorum in hoc genere congeries, quam quæ genus trochaicum ingreditur: sed ab hac nova pedum compositorum mole lector liberabitur, cum perspiciet, quomodo versus iambicus a trochaico deducatur. Trochaici tetrametri catalectici exemplum hoc erat:

Phormi-onem=Phormi-onem || Phormi-onem=Phormio.

Appone syllabam principio, et ex hoc versu fiet iambicus tetrameter acatalectus:

Proh Phormionem, Phormionem, Phormionem, Phormio:

quod in metra iambica distinctum hanc formam induet:

Proh Phor-mio=nem Phor-mio=nem Phor-mio=nem Phor-mio:

quo nihil invenustius; sin syllabam, quam principio addideras, virgula apposita a sequentibus abscindas, metra, quæ supersunt,

erunt omnia eadem quæ prius, nempe ditrochæi: unde sequitur iambicum tetrametrum acatalectum commode spectari posse, ut compositum ex syllaba seu semipede, tribus ditrochæis, et cretico seu dactylo, cum ultima versus syllaba communis sit; aut si primam cretici syllabam in duas breves resolvas, proceleusmatico. Ut scias igitur, an hujus generis versus sit numeris suis integer, non opus est, ut ad pedes iambicos, seu metra ex iis composita confugias; rejecta ab initio syllaba vel semipede, qui sæpe duabus constat syllabis, quære modo, an supersint tres ditrochæi cum cretico, vel pede cretico pari: quod si rem ita se habere compereris, certo scis ad versum recte constituendum nihil desiderari; quantitas sua, numerus illi suus constat.

Atque hinc lector clare videat, quantum in re metrica tradenda factum sit compendium agendo primum de trochaico genere, et ex illo iambicum deducendo, contra quam vulgo fit; cum hoc pacto, qui unum novit, ambo noverit; nullum erit ei negotium cum pedibus iambicis, iisve pedum compositionibus seu metris, quæ genus iambicum constituunt; quæ et scire labor est, et, si scias, non tamen statim intelligas, utrum versus ex iis conflatus recte se habeat, necne: quod facillime dignoscitur, si, syllaba vel semipede ab initio rejecto, in trochaicum redegeris. Atque ad modum hunc iambicos tetrametros in hac editione ubique in medio versu distinguendos curavi; syllabam etiam vel semipedem ab initio in omnibus iambicis virgula resecui, quoties vel minimum difficultatis inerat ad dignoscendum, utrum unam, an duas syllabas abjicere oporteret. Hujus autem generis exempla hæc habe ex Eun. II. 3. 21.

Haud′ similis - virg^{o} est = virgi-num no||strarum - : quas ma=tres student
De′missis - humeris = esse -, vincto || pector^{e}-, ut graci=læ sient.
Si′qu^{a} est ha-bitior = paulo -, pugil^{em} esse || aiunt- : dedu=cunt cibum:
Tamĕt′si bo-n^{a} est na=tura-, reddunt || cura-tura = junceas.

Et III. 5. 35.

Ad′hortor - properent =: d^{um} appa-ratur ||, virg^{o} in - concla=vi sedet,
Su′spectans - tabulam = quandam - pict^{am}: ibi || inerat - pictur^{a} = hæc, Jovem
Quo′ pacto - Danaæ = misiss^{e} - aiunt || quond^{am} in - gremi^{um} imbr^{em} = aureum.

His adjungas Heaut. II. 1. 1.

Quăm in′iqui - sunt pa=tres in - omnes || adule-scentes = judices:
Qu^{i} æq^{uum}′ esse - censent = nos a - pueris || illi-co na=sci senes;

Neq^{ue} Il'lar^{um} af-fines = esse - rerum ||, quas fert - adule=scentia.
Ex' sua li-bidi=ne mode-rantur ||, nunc qu^{ae} est - non qu^{ae} o=lim fuit.

Et v. 2. 34.

Dŭm Is'tis fu-isti = solus-, dum null^{a} || alia - delec=tatio,
Quæ' propior - esset =, t^{e} indul-gebant ||; tibi da-bant: nunc = filia
Postq^{uam}' est in-venta = ver^{a}, in-vent^{a} est || causa-qua t^{e} ex=pellerent.

Sed nihil opus pluribus in hoc genere exemplis, cum sint tanto numero ubique obvia: ex his satis liquet iambicum tetrametrum acatalectum a trochaico t. c. nihilo differre, nisi quod syllaba ab initio sit auctior; atque hinc fit, ut sæpe inter se misceantur, quasi generis ejusdem essent.

Altera iambici tetrametri species, qua plurimum utitur Terentius, quæque ex priore oritur, syllaba a fine resecta, est versus iambicus tetrameter catalecticus, cujus exemplum hoc esto:

Proh' Phormi-onem = Phormi-onem || Phormionem = Phormi:

constat nimirum ex syllaba seu semipede, tribus ditrochæis, et spondæo vel pede spondæo pari, anapæsto, seu tribrachi qui ob ultimam syllabam communem anapæsti vicem sustinet: hoc igitur modo si resolvas iambicum tetrametrum catalecticum, statim deprehendes, versus suis numeris constet necne; nec opus est ut ad alia metra exigas, ut intelligas an quicquam aut nimium sit, aut deficiat.

Sed ut iambici catalectici naturam indolemque penitius intelligas, exemplum quod dedi, in hanc formam refingi oportet:

Proh' Phormi-onem = Phormi-ō, proh || Phormi-onem = Phormi.

Hujus enim carminis venustas in hoc præcipue consistit, ut in quarta sede sit iambus, isque voce integra finitus: quod sequentia Terentii exempla liquido ostendent. Eun. II. 2. 25.

Con'currunt - læti = m^{ihi} obvi-am cup||pedi - nari^{i} = omnes:
Ce'tari-i, lani=i, co-qui, far||tores - pisca=tores,
Quibus' et re - salv^{a} et = perdi-ta pro||fuer^{am}, et - prosum = sæpe:
Sa'lutant- : ad cœ=nam vo-cant: ad || ventum - gratu=lantur.

Et III. 4. 1.

Her^{i}' aliquot - adule=scentu-li co||imus - in Pi=ræo
In' hunc di^{em} - ut de = symbo-lis es||semus-. Chære^{am} = ei rei
Præ'feci-mus: dat^{i} = annu-li: locŭs ||, tempus - consti=tutum est.
Præ'teriit - tempus =, qu^{o} in lo-co di||ct^{um} est, pa-rati = nihil est.

Hom^{o}' ipse - nusq^{uam} est =: neque sci-ō quid || dic^{am}, aut - quid con=jectem.
Nunc m^{ihi}' hoc ne-goti = cete-ri de||der^{e}, ut - illum = quæram.

Quibus adde III. 5. 44.

D^{um} hæc' mecum - reput^{o}, ac=cersi-tur la||vat^{um} in-terea = virgo:
It', lavit-, rediit = ; deind^{e} e^{am} - in lect^{um} || illæ - collo=carunt.
St^{o} ex'pectans - , si quid = m^{ihi} impe-rent: venit || un^{a}, heus t^{u}-, inquit =, Dore
Cap^{e}' hoc fla-bellum =, ventul^{um} - huic sic || facito, - dum la=vamur:
Ubi' nos la-verĭmus =, si vo-les, la||vat^{o}: ac-cipio = tristis.

In omnibus his exemplis, in quarta sede est iambus in integram vocem absolutus: atque ita plerumque fit; ne tamen hoc perpetuum putes, est etiam ubi hanc sedem occupet non modo tribrachys, qui est temporibus iambo par, sed etiam spondæus, et spondæo par anapæstus, isque non voce integra finitus: quod liquet ex his Hec. II. 2. 5.

1 La. Phi'dipp^{e}, ets^{i} - ego meis = m^{e} omni-bus sci^{o} ĕsse || - ad-prim^{e} - obse=quentem,
2. Sed' non ade^{o} - ut mea = facili-tas cor||rumpat - illor^{um} animos:
3. Quod' tu sĭ i-idem face=res, magis - in r^{em} et || nostram, et - vostr^{am} id=esset.
4. Nunc' vide^{o} in - illa=rum po-testat^{e} || esse t^{e}-. Ph. Heia - vero.
5. La. Adi'i tĕ he-ri de = fili^{a}: ut ven^{i} ||, itid^{em} in-cert^{um} a=misti.
6. Haud' ita de-cet, si = perpetu-am vis || ess^{e} af-fini=tat^{em} hanc,
7. Ce'lare - t^{e} iras =: si quid - est pec||cat^{um} a - nobis =, profer:
8. Aut' ea re-fellend^{o} =, aut pur-gando ||, vobis - corri-gemus.

In horum versuum secundo, tertio, et sexto in quarta sede est anapæstus; in quarto, quartam sedem occupat iambus, sed non in vocem integram desinit; in octavo, pro iambo est spondæus, nec ille integra dictione finitus: adde quod secundus et tertius nullis sunt numeris, nisi pro communi secandi ratione aliam substituas, quasi constarent ex primo trochaici tetrametri bisegmento sive duobus ditrochæis, et iambico dimetro catal. hoc modo:

Sed non - ade^{o} ut = mea fa-cilitas || cor'rumpat - illor^{um} = animos.
Quod tu - sĭ idem = faceres, magis in || r^{em} et' nostr^{am} et - vostr^{am} id = esset.

Ea vero Terentii ars est, ut hanc in numeris perturbationem haud facile invenias, nisi ubi res ipsæ quoque de quibus agitur perturbatiores sunt. In rebus pacatis, tranquillis, lætis, secundis numeri quoque festivi sunt, nec leniter modo sed et jucunde ince-

dunt: versumque ita constitutum in vera sua bisegmenta facile resolvas, iambicum scilicet acatalectum, et iamb. dimetrum catalecticum, ut in hoc exemplo:

Sa'lutant - ad cœ=nam vocant ‖, ad'ventum - gratu=lantur:

atque hæc bisegmenta sæpe seorsum posita versiculos constituunt, et quibusvis tetrametris permiscentur.

Majoris bisegmenta, seu iambici dimetri acatalecti exemplum fictum hoc sit:

Proh' Phormi-onem = Phormio.——Vera autem hæc:

1. Ve'rebar, quors^{um} e=vaderet. Andr. I. 2. 5.
2. Mise'ram me-, quod verb^{um} = audio?
3. Quod' si fit-, pereo = funditus.

. Nam' quid ego - dicam = de patre? Andr. I. 5. 6. 10. 18.

5. Rogi'tare-, quasi dif=ficile sit.
6. Quod' poteris-, ab ea = pellito. Eun. II. 1. 3. 9.
7. Ita' prors^{um} ob-litus = sum mei. II. 3. 14.

Ut horum numeros teneas, censendi sunt constare ex syllaba seu semipede, ditrochæo, et cretico aut cretici vicario proceleusmatico, ut in exemplo quinto.

Alterius bisegmenti, sive iambici dimetri catalectici exemplum fictum sit:

Proh' Phormi-onem = Phormi.—Vera autem hæc:

Date': mox eg^{o} - huc re=vertor. Andr. III. 2. 5.
Id a'nus m^{ihi} in-dicium = fecit. Adelph. IV. 4. 9.
Ad'grediar -. Bacchis = salve. Hec. V. 1. 5.

sed hæc apud Terentium rariora sunt; ex tribus, quæ adduxi, duo prima sunt versuum Bacchiacorum clausulæ, de quibus suis locis.

His de trochaicis et iambicis tetrametris acatalectis, catalecticis, eorumque bisegmentis dictis, paucula adjicienda sunt de versibus hypercalecticis, quos si conferas cum trochaico tetrametro acatalecto, videbis alios esse una syllaba a fine auctiores, alios vero una syllaba auctiores ab initio: prioris generis, trochaici scilicet tetrametri hypercatalectici, sunt hi;

Ne t^{u} hoc - mihi po=sterius - dicas ‖, Davi - factum = consili^{o} - et dolis. And. III. 2. 29.
Accers^{e} - ut de = lectet - hic nos ‖: ill^{a} ex-clamat = minime - gentium. Eun. IV. 1. 11.

Reppe-risti = tibi quod - placeat ‖, an nond^{um} - etiam = ? Sy. De fal-lacia. Heaut. III. 3. 35. Et:
Tu for-tasse = quid me - fiat ‖, parvi - pendis = dŭm ĭlli - consulas. IV. 3. 37.

Iambici tetrametri hypercatalectici hi sunt;

Ego' de me - facio = conjec-turam ‖ nem^{o} est - meor^{um} a=micor^{um} - hodie. Heaut. III. 3. 13.
Quin' mihi mo-lest^{um} est =. Cl. Pergis - hercle ‖. Sy. Verum - dico = quod videtur. 21.
Cui' quanto - fuerat = præsta - bilius ‖, ubivis - genti^{um} = ager^{e} æ-tatem. Hec. III. 1. 4.

Sin hos hypercatalecticos conferas cum utriusque generis catalecticis, priores sunt trochaico catalectico uno pede auctiores, posteriores autem iambicum catalecticum uno pede excedunt: sed de his satis, quorum usus tam infrequens est, ut utriusque generis in toto Terentio vix plusdecem sint.

Quod ad horum vero bisegmenta, nescio an trochaici t. h. posteriore usus sit Hec. IV. 1. 4.

Quod si - rescie=rit pepe-risse eam.

Et iambici t. h. priore, Eun. II. 1. 6.

Ne ĭstuc tăm in-iquo = patiar^{e} animo.

Licet utrumque Plauto sit satis frequens.

His igitur relictis, accedo ad iambicum trimetrum, quem Latini senarium dixere, versum longe nobilissimum, et omnium maxime a scenicis poëtis frequentatum; cujus tanta venustas, ut Quintilianus dixerit, etiam Terentii scripta plus gratiæ habitura, si intra TRIMETROS stetissent. Ad versus hujus constitutionem intelligendam, ei, qui probe tenet quæ de iambico tetrametro acatalectico dicta sunt, verbum satis erit; istius enim versus normam in animum revocet, quæ hæc fuit:

Proh' Phormi-onem = Phormi-onem ‖ Phormi-onem = Phormio.

Ex hac unum quemvis ditrochæum eximat; reliqua iambicum trimetrum conficient hac forma:

Proh' Phormi-onem = Phormi-onem = Phormio.

Ut trimetri igitur numeros statim ac audieris teneas, constare censeas ex syllaba seu semipede, duobus ditrochæis, et cretico, seu proceleusmatico, qui cretico par: si trimetrum in has partes resolvas, illico deprehendes absque aliis auxiliis, integer sit necne.

Hujus generis omnia ubique plena sunt: exempli loco sint hæc ex Eun. I. 1.

Quid′ igitur - faciam = ? non e-am, ne = nunc quidem
C^{um} ac′cessor -ultr^{o} ? an = potius - ita me = comparem,
Non′ perpe-ti mere=tricum - contu=melias ?
Ex′clusit - : revocat = : redeam - ? non, si = m^{e} obsecret.
Siquid^{em}′ hercle - possis =, nihil pri-us, neque = fortius :
Ve′rum s^{i} in-cipies, = neque per-tendes = naviter,
Atq^{ue}′ ubi pa-ti non = poteris, cum nem^{o} = expetet,
In′fecta - pac^{e}, ultr^{o} = ad eam venies = : indicans
Tĕ a′mar^{e}, et - ferre = non poss^{e} - ; act^{um} est ! = ilicet.
Per′ist^{i} : e-ludet =, ubi te-victum = senserit.

Sed quod de nonnullis tetrametris dixi, de trimetris quoque quibusdam dicendum est, aliam scilicet secandi rationem interdum adhibendam esse, ne legitima verborum pronuntiatio nimium violetur, et numeri invenuste incidantur : sed vix tria sunt in toto Terentio hujus generis exempla : duo tantum scribenti hæc occurrunt, quorum alterum est in Eun. III. 1. 52.

-tromit-tamus = commis-satum = tu′ Pamphilam :

alterum in Heaut. II. 3. 66.

Facile - scires = desi-deri$^{•}$ id = fie′ri tuo.

Hos versus, ut aliquo sint numero, vides resolvendos esse in duos ditrochæos, syllabam seu semipedem, et creticum.

De hoc autem carminis genere unum porro monendum restat ; nempe ut in tetrametris generibus sunt quidam versus, qui mensuram trochaici tetrametri catalectici, et iambici tetrametri catalectici uno pede excedunt, ita in hoc genere sunt quidam, qui uno pede, justo trimetro prolixiores sunt, quos iambicos septenarios dicas, quales pauculi sunt in Terentio, plures apud Plautum ; de quorum tamen magna parte merito dubitari possit, utrum satis sani ac sinceri sint. Hujusmodi sunt hi ex And. IV. 4. 3.

Puer′ hercl^{e} est - : mulier =, tun′ ad-posuist^{i} = hunc ? ub^{i} - illic est ?

Et v. 6.

Quid′ turb^{ae} est - apŭd fo=rum ? quid - illic = hominum - litigant ?

Hic quidem versus, si singulis syllabis detur maxima sua quantitas, erit T. t. c. sed id parum convenit homini perturbationem magnam simulanti, et præ metu raptim verba præcipitanti : quid quod nullum certum est in Terentio exemplum, trochaicum tetrametrum catalecticum iambicis trimetris immiscendi : nec nisi

rarissime fit apud Plautum : vid. Heaut. I. 1. 20. Aliud autem septenarii exemplum habemus hac ipsa in scena, v. 16.

Mi′rum ver^{o} - impu=denter - mulier = si facit
Mere′trix. CH. Ab - Andri^{a} = est an-cill^{a} hæc =, quant^{um} in-telligo.

Si, Meretrix, non e margine traducta sit, vel collocanda est post, mulier, et sic prior erit septenarius, aut sequenti apponenda est, ut hic, et tunc ille uno pede augebitur. His addas Hec. III. 4. 16.

Her^{e}′ etiam - tu nunc = hic stas - ? PA. Ēt quidem = t^{e} exspec-tō. PAR. Quid est ?

sed hujus versus lectionem mihi suspectam esse ad locum dixi. Superest ut moneam, versibus tetrametris et trimetris, præter cola illa de quibus prius dixi, interdum immisceri brevissima quædam commata ; unius syllabæ, ut, non, Eun. IV. 4. 32. duarum, ut, In-jus, Phorm. V. 8. 44. trium, ut, flos ipse, qui est iambicus monometer catal. Eun. II. 3. 28. Occidi, Eun. II. 3. 1. et, Dorio, Phorm. III. 2. 1. qui sunt trochaici monometri catal. quatuor, seu quæ metrum iamb. integrum constituunt, ut, quid illud est ? And. I. 5. 2. Esse denique quæ metrum iambicum hypercat. constituunt, ut, dis′crucior-animi, Adelph. IV. 4. 1.

Est quidem in vulgatis editt. exemplum etiam commatis iambici dimetri brachycatalecti : Phorm. I. 4. 18. Homi′nem. AN. Stăillico. GE. Hem. Sed, Hominem, ad versum præcedentem rejiciendum esse, ad locum dixi : nec plus uno hujus generis memini apud Plautum. Pers. IV. 4. 116.

Ab^{i}′ argent^{um} - effer huc.

His paucis absolvi quicquid scire opus est ad intelligendum omnia illa carminum genera, quæ a trochæo vel iambo nomen suum sortiuntur ; quatenus ad metrorum Terentianorum intelligentiam eorum cognitio necessaria est. De his autem duplex quæstio moveri potest ; altera, quamobrem tantam carminum varietatem adhibuerit Terentius, et non potius intra trimetros steterit, quod voluit Quintilianus. Consilii hujus rationem multi e rebus ipsis petendam arbitrantur, et Terentium variis versuum generibus usum fuisse, ut rei de qua agitur naturam numerorum concinnitate spectatorum oculis melius subjiceret : sed vereor ut hoc responsum satis firmum sit, cum locorum inspectione constet in Fabularum partibus maxime inter se dissentientibus idem carminis genu-

adhibitum, in continuis autem negotiis diversa. Est quidem ubi numeri rebus mire conveniunt; causam tamen tantæ varietatis opinor hanc unicam fuisse, ut eo magis poëta spectatorum animos reficeret et tædium levaret; cum ipsæ etiam orationis virtutes fastidium pariant, nisi gratia varietatis adjutæ. Gaudent enim omnes varietate, et, sicut oculi diversarum aspectu rerum magis detinentur, ita aures crebris numerorum atque adeo versuum mutationibus oblectantur. Quod cum ipsius Quintiliani judicium sit, miror voluisse elegantissimas Terentii Fabulas solis trimetris astringi, cum et alia genera sint venustissima, et sine illis gratissima numerorum varietas omnis fere periisset. Hinc est quod in scenis, quæ ex tetrametris solis constant, sæpius de alio genere ad aliud transitur; sed hoc tanto fecit judicio Terentius, ut in ipsis quoque narrationibus ad aliam rem transitus simul fiat. Vid. Eun. II. 2. 24. et III. 5. 44. In hac denique versuum varietate Latini secuti sunt Græcos, Græci vero naturam, cui semper grata est vicissitudo.

Quod ad alteram quæstionem, cur diversorum generum versus Terentius misceat, et nunc trimetrum tetrametris, nunc tetrametrum trimetris inserat, nunc in diversis tetrametrorum generibus idem faciat; hoc quoque factum arbitror ob easdem fere causas, et ut in prolixioribus scenis dormitans lector ad aures arrigendas excitetur; sed semper commodis in locis, et ubi res ipsa mutationes ejusmodi vel suadere vel pati saltem videatur. Duo vero genera, quod antea monui, tam parum inter se distant, ut eorum mistura merito nulla censeri debeat, trochaicum dico t. c. et iambicum. t. acat. cum sola inter versus eos differentia sit, quod alterum ab initio alter una syllaba vel semipede excedat. Atque hæc de trochaicis et iambicis generibus dicta sint. Sunt vero in veteribus Comicis, præter hæc, exempla quædam generis etiam pæonici, versus scilicet bacchiaci et cretici; quos apud Plautum magno numero et in omni fere Fabula invenias, sed in Terentio tam pauci sunt, ut ne uni quidem paginæ implendæ sufficiant: de quibus ad loca sua satis dixi, ut iis hic immorari plane supervacaneum sit.

Pergo igitur ad alteram hujus instituti partem, eamque longe difficillimam, de licentiis dicere, quibus veteres Comici usi sunt, earumque modos et rationes exponere. In quibus intelligendis cum viderem me parum adjutum a rei metricæ scriptoribus, quorum tractatus hac in parte sunt supra quam dici potest steriles et jejuni, cum eorum nemo in rem altius penetrarit, aut quicquam solidi tradiderit, præter vulgaria illa quæ in triviis nota sunt; decrevi ante omnia licentiarum causas et origines quantum potui investigare, et nisi plurimum fallor, quænam fuerint, non obscure deprehendi.

In primis igitur sciendum est licentias Comicorum, quod ad partem earum longe maximam, unius esse generis, et in id ferri, ut popularem pronuntiandi consuetudinem repræsentent. Cum enim Comœdia in eo tota sit ut vera vitæ humanæ sit imago, non satis erat eas sibi materias sumere, quæ e quotidiana vita essent depromta, humilemque illum et depressum populi sermonem imitari; oportuit insuper eandem quoque pronuntiandi rationem, quantum poterat, assequi, qua populus in congressibus et colloquiis familiaribus uteretur. Hic verus licentiarum fere omnium fons, quæ tantum eruditis negotium fecerunt; hinc est quod comicis poëtis licuit, quod alii nulli poëtarum generi concessum est. Cetera poëmata scripta sunt ut legantur; Comœdiæ vero (ut Tragœdiæ) ut audiantur. Ut igitur eorum numeros intelligamus, et verborum modos rite æstimemus, non tam ad literas quæ se oculis ingerunt, insitamque earum quantitatem attendendum est, sed ad sonos quos efficerent cum in ore populi ferrentur, qualesque ad aures accederent.

Quomodo verba pronuntiarent Veteres Romani, ea præsertim quæ in colloquiis sunt frequentioris usus, idque iis temporibus, cum floreret adhuc respublica, nec dum civilibus armis fracta uni in imperium cessisset, nemo dixerit; nec profecto in ulla lingua vera pronuntiandi ratio certo sciri potest, nisi ab iis qui viva voce loquentes audierint eos, quibus lingua, de qua agitur, fuerit vernacula. Nobis igitur, cum Romana lingua per tot jam sæcula in usu communi esse desierit, longe facilius est ex versuum comicorum constitutione et licentiarum usu pronuntiandi consuetudinem, quam ex pronuntiandi modo versuum et licentiarum rationes investigare. Hoc tamen nemo non sentit, qui vel leviter animum ad hæc advertat, in sermone et colloquio familiari verba multa, ea præsertim quæ in frequentissimo sunt usu, quæque nullam in se emphasin habent, nec sententiam multum adjuvant, sed quasi vincula quædam orationis partibus invicem nectendis inserviunt, quales sunt articuli, præpositiones, interjectiones, conjunctiones,

et adverbia non pauca; nemo, inquam, est, qui non sentit hujusmodi verba quodammodo præcipitari et nimia celeritate ferri; in verbis etiam vel prolixioribus, vel durioris soni, quæque difficilius proferuntur, literas alias emolliri, alias supprimi, vocesque alias in medio, alias in fine syllaba truncari, verasque syllabarum quantitates mire corripi; multis denique modis effici ut quam minimum temporis inter confabulandum verbis proferendis insumatur, nisi ubi vehementior loquentis affectus, aut rei de qua agitur natura postulet, ut in hoc vel illo verbo insignior mora fiat.

Si quis adeo harum rerum incuriosus est, ut nihil unquam de pronuntiatione linguæ sibi vernaculæ cogitarit, quid velim facile intelliget, si in animum revocet, quid ipse senserit, si unquam homines exteros audierit sermone peregrino et sibi prorsus ignoto colloquentes: nonne ipsi visi sunt miris modis verba præcipitare, incidere, devorare, et dimidiata plurima proferre, ut nihil plane et distincte exaudiri potuerit? Immo qui eatenus linguam exoticam tenent, ut scripta oculis subjecta probe intelligant, illis ipsis homines lingua ista confabulantes tanta celeritate verba fundere videntur, ut non modo literæ, aut syllabæ, sed integra etiam verba sæpe eos fugiant: quod vero nos de exteris colloquentibus sentimus, idem illi etiam de nobis. Quod ostendit hoc omnibus linguis natura insitum esse, ut celerius proferantur, quam legantur, cum multa quæ plene scribuntur, non tamen plene pronuntientur; sed inter loquendum alia premantur penitus, alia mutilentur, ab aliis asperi aliquid abradatur, aliis sua quantitas insigniter imminuatur; alia denique tam raptim efferantur, ut non modo duæ tresve syllabæ, sed interdum etiam duo vel tria verba in unum coaluisse videantur.

Ut hæc pronuntiandi ratio in scena etiam servaretur, necesse fuit ut poëtæ in versibus compingendis non tam spectarent, quid oculus postulet, quam quid ab aure desideretur; qualemque publice recitati sonum effecturi essent, potius quam qua specie essent tacite lecti.

Hæc vera origo atque unicus, opinor, fons licentiarum fere omnium, quæ in veterum Comicorum scriptis occurrunt, quæque tantas offensiones objiciunt lectoribus harum rerum imperitis, et eruditis etiam, qui causas earum investigare neglexerunt. Pleræque enim omnes eodem tendunt, ut veras syllabarum quantitates imminuant, et prosodiæ legibus producenda corripiant, quo ad

popularem loquendi consuetudinem ipsa quoque pronuntiatione propius accedant: quam dum consectantur, longitudo illa ex consonantium positione orta frustra iis obstat; in syllabæ quantitate æstimanda ad vocalis solummodo naturam, quæ syllabæ quasi anima est, respiciunt; si ea brevis sit, syllabam pro libitu corripiunt. Idque non in ultimis modo verborum syllabis factitatum est, sed in aliis etiam quibusvis, mediis, primis, nisi contra obstet accentus; acutum illum intelligo tenorem, qui in omni voce unus est, syllabamque quam acuit præ ceteris intendit, et intendendo veræ ejus quantitati aliquam novam addit; cum intentione illa major aliquantum mora in acuta pronuntianda insumatur: alias positionem facile negligunt, præcipue quidem illam quæ ex eadem consona geminata oritur, cum antiquitus ejusmodi voces litera simplice scriptæ essent; dein illam quæ fit ex muta et liquida, aut ex quibusvis aliis consonis quæ in vocis initio connecti possunt, nulla vocali interposita. Sed nec intra hos fines se continuerunt; quæcumque consonæ brevem vocalem excipiant, sive in eadem, sive in diversis vocibus, longitudinem quæ exinde syllabæ accrescit, pro nihilo habent, et, si versus ita postulet, illico corripiunt: immo, quod magis mirere, malunt hac corripiendi licentia uti, etiamsi facile ab ea cavere potuissent, quam vocem dissyllabam, cujus prima brevis est, in diversos pedes distrahere, cum crebræ cæsuræ orationem nimis exquisitam et elaboratam, numerosam nimis et a pedestri sermone remotam faciant.

Quod videtur etiam in causa fuisse, cur toties creticos, quamvis uno tempore justo longiores, ditrochæorum partes fecerint. Hoc enim sæpenumero ab iis factum quivis facile viderit; sed creticos quatenus creticos non receperunt, cum iste pes ab his generibus omnino abhorreat: hos igitur pedes, licet revera creticos, ac proinde quinque temporum, versibus suis immiscent quidem, sed sub alia quadam specie; nunc utique dactyli, nunc anapæsti, prima scilicet vel ultima pro correpta habita, nunc spondæi, extrita media vocali, vicem sustinent. Maluerunt scilicet prosodiæ leges aliquantum violare, quam a sermonis natura et pronuntiandi consuetudine nimium recedere; cum istis legibus obsequi non potuerint, nisi crebris cæsuris uterentur, et verborum creticum pedem constituentium ultimas syllabas a prioribus sæpissime divellerent. Hoc autem non modo in singulis verbis, cum cretico pares essent, factum est, sed sæpe etiam cum duæ voces ad pedem istum effici-

endum concurrerent. Licentiæ hujus unum exemplum, sed insigne admodum dabo ex Plauti Trinummo, II. 1. 172.

Quæ' neque fu-tura nec = facta sŭnt - tamen il=li sciunt.

In hoc versu cuivis manifestum est duos esse pedes creticos, sed qui dactylorum plane vicarii sunt. Innumera sunt licentiæ hujus apud illum exempla; nec pauca in Terentio, licet hac, ut et aliis fere omnibus, Plauto longe parcius utatur; quod inter præcipuas Terentii laudes merito recensendum est, qui, quamvis in licentiis, sive earum numerum sive genera spectes, adhibendis tam parum sibi indulserit, sermonem tamen tanta arte temperavit, ut Plautino minus assurgat, et pedestrem multo magis referat. Sed de his hactenus.

Alterum, quod plurimi est in hoc argumento ponderis, est accentus quem dixi, seu tenor, quo verbum secundum legitimam pronuntiandi rationem modulatur. Ut enim ille non temere movendus, nec syllaba quam occupat ex longa in brevem mutanda, ita aliarum syllabarum quantitas, ejus præsertim quæ acutam proxime præcedit, ab eo plurimum pendet; et maximarum licentiarum ratio inde est petenda. Quod ut intelligamus, hæc pauca principii loco de natura et vi accentus probe tenenda sunt.

Primo, in omni voce esse acutam, eamque unam tantum.

Secundo, ultimam nunquam esse acutam, ideoque in dissyllabis priorem semper acui; unde fit ut ultimæ exilius sonent, et obscurius audiantur.

Tertio, in polysyllabis secundam, si longa sit, acutam esse; alias tertiam ab extrema; intra trium enim syllabarum numerum, sive hæ in verbo solæ sint, sive ultimæ, acutam semper contineri: ideoque, si plures acutam præcesserint, omnes graves esse, pariter ac illas, quæ sequuntur.

Quarto, cum syllabæ, quam acutus tenor occupat, ex intentione ejus, nova quædam quantitas accedat, istud incrementum quantitatis de syllaba proxime præcedente quodammodo detrahi videtur, dum vox loquentis per eam rapte fertur, ut ad acutam veniat, in qua insignior mora facienda: hinc usu venit ut syllaba acutæ proxima pro correpta habeatur, breviorque acuta videatur, etiam cum ipsa quoque brevis est. Exempla hujus infra afferam clarissima.

Quinto, accentus legitime migrat ex penultima in ultimam longam, quoties voci alicui enclitica adjuncta est, cum hoc pacto

ultima non amplius ultimam, sed ab ultima secundam sedem occupet: e. g. in, Deæ, acuitur prima, in Deæque, secunda.

Sexto, in dissyllabis, quorum prior brevis est, altera longa, si cæsura in diversos pedes distrahantur, accentus necessario migrat in ultimam; quod ideo licitum fuit, quia fieri non poterat ut poëtæ hac licentia non uterentur; ipsa metri necessitas excusat. Nec vitari potest in cujusvis generis iambicis, quoties versus ab hujusmodi voce incipit; et, si in talem desinat, quæcumque vox præcesserit, ultima ejus syllaba si longa sit, a ceteris divulsa fiet prima pedis cretici, adeoque in pronuntiando acuetur: quod valet etiam in trochaicis catalecticis, qui hac in parte ab iambicis nihil differunt.

Septimo, in trisyllabis metri conditio interdum mutat accentum, facitque ut e prima in secundam migret; cum scilicet syllaba brevis ante mutam et liquidam producitur: ut si secundam in, volucres, producas, quæ extra metrum et in ore populi semper corripitur: sed non licet contra in trisyllabis accentum e secunda in primam vel tertiam movere, mediamque licet positione sola longam corripere; cum eo legitima pronuntiandi ratio nimium immutetur, nec immutationis idonea satis causa audienti, quo minus offendatur, se ostendat. Est quidem ubi Plautus hac etiam licentia utitur, sed parcius; e. g. vi eorum, quæ quarto loco dicta sunt, corripere licet secundam in, voluptatis, sed non idem licet in, voluptas, quamvis hoc quoque a Plauto sæpius fiat.

Unum porro monendum superest de pronuntiatione consonarum i et u, quæ non tam dure efferendæ sunt, ac apud nos fieri solet, sed molliore sono, quique proxime accedat ad illum quo pronuntiamus y et w; quod et ab aliis dudum observatum est, et verum esse abunde constat ex resolutionibus syllabarum quæ ab istis literis incipiunt, quæ nunquam tam crebræ fuissent, si Veteres literas eas eodem quo nos modo pronuntiassent: cum majus tum fuisset inter ejusdem literæ sonos, quibus nunc consona, nunc vocalis efferretur, discrimen, quam quod ex altera in alteram transitum facile pati potuisset: e. g. inter, pariete, et, pargite, quomodo nos efferimus, pernimium interest; inter, pariete, vero et, paryete, parum admodum: sic, tenuia, et, ten-wia, idem fere sonant, sed, tenuia, et, tenvia, cum vau, sono multum diversa sunt. Atque hæc observatio de veris harum literarum sonis est maximæ sæpe utilitatis: v vero consonam sic pronuntiari solere clarissime

ostendit vox, cauneas, cum sono referret, cave ne eas: Cic. de Divin. II. 40.

His autem principiis ex pronuntiationis in sermone familiari usitatæ et accentus natura desumtis innixi, omnium fere licentiarum quibus Comici veteres usi sunt, rationes facile expediemus. Quod ad illas, quæ alterius sunt generis, ex iis etiam plures ex sermonis et colloquii natura oriuntur; aliæ libertati isti imputandæ sunt quæ aliis etiam poëtis ex metri necessitate concessa est, quæque ex eo poëtica licentia dicitur, in qua Latinis præiverunt Græci, imprimis vero Homerus. Sed, ut distinctius agam de licentiis hisce, quæ ex diuturna Plauti et Terentii lectione observavi, huc fere redeunt.

Primo, monosyllaba quævis, ea præsertim quæ sunt frequentioris in sermone usus, pro libitu corripiunt, licet obstet non positio modo, sed in nonnullis etiam vocalis longa, vel diphthongus. Exemplo sint hæc:

a	aut	ob	quod
ab	dein	per	hic
abs	e	sed	hæc
ad	ex	vel	hoc
an	haud	ut	huic
at	in	proh	hunc
et	nec	qui	hanc
atq' (vel) ac	nunc	quid	hoc (abl.)

hac			corripiuntur ante vocales.	
huc	cum	rem		est
hinc	dum	quum		estn'
mihi (monos.)	hem	quem		sunt
is	jam	quam		vult
id	nam			vis (a, volo)
nihil				ir[e].

Ad, ab, abs, ob, an, in, con, in compositione etiam sæpe corripiuntur, cum brevis sit omnium vocalis. "Observat curioseque animadvertit (ut Gellii verbis utar, l. II. c. 17.) M. Tullius, in et, con, præpositiones tunc produci atque protendi, cum literæ sequerentur, quæ primæ sunt in, sapiente, atque, felice: in aliis autem omnibus correpte pronuntiari." Quæ vero in sermone correpte pronuntiabantur, in versibus quoque Comici pro arbitrio corripuerunt. Et quod de, in, et con, dixit Cicero, in aliis etiam præpositionibus et particulis locum habuisse plurimis exemplis constat, quæ infra suo loco afferam. Sed an ad illorum modum ante easdem aut alias quasdam literas producte etiam in sermone dicerentur, cum id non ab ipsius rei ratione, sed ex linguæ consuetudine penderet, nobis frustra hodie quæritur.

Secundo, in dissyllabis multis quæ sunt frequentissimi in sermone usus, priorem pro libitu corripiunt, si vocalis brevis sit, ut in

ante	inde	quippe	hujus
autem	inter	unde	ille[2]
ergo	intro	ambo	illic
etsi	intus	ejus[1]	illuc
forte	nempe	cujus	illinc
ipse	eccum	perque	esse
ipsus	eccam	numquid	estis
iste	ecquis	quicquid	essent
istic	ecquid	unquam	posse
istuc	idne	usque	adde
istinc	quodque	usquam	redde
			omnis.[3]

Quibus addas, hercle, neve,[4] et sive.

Tertio, in dissyllabis, quorum prior brevis est, alteram quoque sæpissime corripiunt: ut in

apud	foris	quidem	utrum	fidem
enim	foras	simul	amor	Jovem
ehem	heri	tamen	color	manus
fere	parum	velut	pudor	forum

1 *Ejus*] In, ejus, cujus, et hujus, ut prior corripiatur, i consona in vocalem vertitur, et cum vocali præcedente diphthongescit; diphthongum autem ante vocalem corripi ad Græcorum exemplum poëtis Latinis familiare est: et hinc fit quod cum, modi, composita sæpe us abjiciant, et dicimus, eimodi, cuimodi, huimodi.

2 *Ille*] Prior in, ille, ipse, et iste, corripitur per omnes casus, et secunda fere in, illius, ipsius, et istius.

3 *Omnis*] Priorem in, omnis, videntur pronuntiasse, ut Itali in *ogne*.

4 *Neve*] Neve et sive, cum pyrrhichii locum obtinere videntur, opinor pro monosyllabis potius habenda esse, et licet plane scribantur, contracte pronuntiari oportere, ut *neu* et *seu*; et inde esse quod *siv'* corrupta sit, And. I. 3. 2. Sive istá uxor, - sive a=mica est - gravida e=Pamphilo est.

fores	viris	hero	dabit	sedens
idem	bonis	herum	dari	erat
levi	bonas	senex	dolet	erant
manum	bonos	soror	habet	erit
manus (plur.)	malis	uxor	habent	foret
miser	malos	abi	solent	abest
minas	domi	cave[6]	studet	potes
modo	domo	mane	student	potest
aves[5]	domum	nega	tacet	velim
oves	puer	roga	taces	velis
boves	pater	tace	tacens	velint
novæ	patris	vide	vides	volunt
novo	patri	amat	viden	lubet
novum	herus	dedi	videt	licet
dolis	heri	dedit	lubens	

Quarto, in polysyllabis compositis, si prima syllaba componens brevis est extra compositionem, in compositione quoque sæpissime corripi solere, (quod de monosyllabis prius observavi, quodque valet etiam in compositis ab, ante, et inter,) exempla hæc, ne plura congeram, ostendunt.

advenis	arcesso	interest	indiligenter
abduco	cognatus	interminatus	ingenium
absurde	colloquor	ignavus	integer
adsitis	commodare	ignoro	invidia
advenis (verb.)	incedo	impingo	inveniri
affines	incepto	intelligo	oblecto
ancilla	incertus	impero	obsecro
antehac	indignus	imperium	occultus
antiquus	interim	imprudens	ostendo.

Quinto, quæ acuuntur in tertia ab extrema, interdum acutam corripiunt, si positione sola longa sint, ut, optime, servitus, pervelim, Pamphilus, et pauca alia, quo cretici mutantur in anapæstos. Idem factum est in, neutiquam, licet incipiat a diphthongo: inter-

5 *Aves*] V in, aves, et similibus, videtur in vocalem verti, et voces proinde pro monosyllabis habendas esse.

6 *Cave*] In, caveto, etiam, negato, et rogato Plautus secundam corripit.

dum quidem in verbis hujus formæ dubium est, utrum prima an ultima sit quæ pro correpta habeatur, ut in, expedi, centuplex, perdidit, &c.

Sexto, in polysyllabis syllaba, quæ acutam proxime præcedit, sæpe corripitur, etsi non positione modo, sed et vocali longa sit, vi eorum quæ de accentu dicta sunt, ut in

ărgentum	minĭstremus	volŭntatis	supĕllectilis
ŏrnatus	magĭstratus	volŭptatis	cicătrices
Alĕxandrum	pugĭllatum	venŭstatis	obĕdirent
gubĕrnator	potĕstatis	senĕctutis	vidĕbatur
			verĕbamini.

Plautus hac licentia usus est etiam cum syllabam producit diphthongus, ut in, audivi. In nonnullis etiam, cum syllaba acuta brevis est, ea quæ illam proxime præcedit, etsi vocali longa animata, tamen corripitur, ut in, amicitia et pudicitia.

Septimo, in quibusvis verbis vocalem longam vel diphthongum finalem sequente vocali corripiunt, et pro arbitrio negligunt longitudinem ex positione sola ortam; et quasvis syllabas pro brevibus habent, quarum vocalis brevis est, siquidem accentus non eas intendat. Plautus quidem ipsam acutam quoque in nonnullis corripuit, ut in

dedisse	modestæ	fenestras	Philippus
necesse	sceleste	papillas	Philippei
libello	puellam	sagittas	sinistram.

Terentius vero nusquam, quod sciam, nisi in, tametsi et favillæ, quas in vulgi quoque ore corripi solere credibile est: quod de aliis etiam maximam partem dicendum arbitror.

Octavo, in unam sæpissime contrahunt syllabas in quibus duæ quævis vocales concurrunt, ut

ai in, ain	ia in, scias	
ea in, solea	ei in, hodie	oi in, proin
ei in, dein	ii in, rediit	ui in, huic
eo in, adeo	io in, otiose	uo in, duobus.
eu in, Deus	iu in, diu	

Exempla hujusmodi sunt magno numero:

mihi[7]	eum	eorum	fuere
nihil	eam	earum	fuisse

ais	eo	eodem	fuissent
ait	rei	eadem	sciunt
meus }	spei	eamus	videat
tuus } per omnes	fidei	filii	taceo
suus } casus	diei	perii	docuit
Deus }	die	aiebat	commoveo
Deæ	via	fui	transeuntem
duæ	quia	fuit	gaudii
	trium	fuisti	jurgium

mulier[8]	eveniat	grandiuscula	potuerit
melius	perveniat	tardiusculus	rejiciat
suavius	divitias	comprehendit	introiit
probior	etiam	reprehendit	abieram
nequior	ineptias	deosculor	abiero
sexcenties	certiorem	dehortatus	redierit
via	occasionem	aperiuntur	perierim
quia	tumultuosa	ejiciat[9]	periimus.

Nono, verba sæpe breviant exterendo vocalem vel syllabam e media voce, vel resecando a fine: quorum prius syncope dicta est, alterum apocope.

Exempla syncopes sint hæc:		Eodem modo in dissyllaba contrahuntur	
erpite	dixti	alterum	quo pacto hæ voces e creticis fiunt spondæi.
surpuit	justi	militis	
exporge	sensti	nominis	
amisti	audistin	virginem[1]	
commisti	dixe	clamitans	
promisti	decesse	paululum	
præscripsti	excessis	liberæ[2]	
exclusti	scissem.	liberet:	

7 *Mihi*] Mihi et nihil sunt semper fere monosyllaba, vel certe rarissime in duos pedes distrahuntur.

8 *Mulier*] In hac voce plurimisque aliis, in quibus vocalis prior est i, contractio fit mutando i in consonam, quæ, ut ante dictum est, pronuntianda est ut nostrum y: atque hac ratione pedes proceleusmatici in versuum finibus sæpe in dactylos vel creticos contrahuntur, ut in, mulierem, mulieres, abiero, perierim, redierit, præterieris: quæ pronuntianda, mul-yerem, mul-yeres, abyero, per-yerim, red-yerit, præteryerit: neque syllaba, quæ i in consonam versam præcedit, mutatione ista semper producitur. Hujus exempla plura sunt apud Plautum, ubi, mulier, potius, probior, et similes voces pyrrhichii loco sunt, quasi duorum tantum essent temporum.

Apocopes exempla hæc habe:

itan	tun	in, pro, isne	star'[3]
satin	parumn'	haben	potess'
egon	sanun	viden	animul'.

Denique in multis non modo s finale pro libitu abjiciunt, sed vocalem etiam quæ proxime præcedit. Exempla sunt innumera, in quibus s abjicitur cum dictio desinit in us; sed vocalem quoque, cui adjuncta est, resecuit sæpe Plautus, idque non in nominibus tantum, ut in, servus, sed in verbis etiam, ut in, volumus, attulimus, &c. Eadem quoque licentia, cum vox desinit in is, non modo s abjicitur, ut in, magis, nimis, pergis, tristis, quod a Terentio factum, sed is etiam, ut in, similis, consimilis, exorabilis, corporis, Veneris. Interdum s abjecta, i corripitur, neque s modo sed is quoque a fine detrahitur, etiam cum natura longa est; exempla, ubi s detracta i corripitur, sunt, multis et miris, ex quibus facta sunt, multimodis et mirimodis: posterior quoque in, nobis, et, vobis, eadem licentia aliquoties apud Plautum corripi videtur, et nonnunquam totum is abjici, nisi pro iis legendum sit bis et vis, quorum prius pro, nobis, antiquos dixisse annotavit Festus: hujus autem licentiæ clara exempla sunt, paratis, imperiis.

His addas quod es interdum abjicitur in, res; et, res est, ex eo sæpius fit monosyl.

Atque hæ fere sunt rationes, quibus veteres Comici veras verborum quantitates solent imminuere, corripiendo nempe et contrahendo. Et hujus generis est licentiarum pars longe maxima: earum vero causæ ex populari loquendi consuetudine et pronuntiationis natura petendæ sunt. Sed et aliæ nonnullæ sunt alterius

9 *Ejiciat*] In vocibus hujus formæ prior i cum altera in unam coalescit, et tum i duplex cum vocali prima diphthongum induit.

1 *Virginem*] Non satis constat utrum in hac voce vocalis media elidenda sit, an prima corripienda; posterius malim, cum in multis animadvertas, vocalem brevem ante duas consonas quorum prior est r, corripi. Contra vero affertur hic versus Ennii: Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas. Sed satis multa apud Ennium exempla sunt, in quibus versus hexameter incipit ab anapæsto.

2 *Liberæ*] Eadem contractio fit in, liberare, liberius, periculum, et similibus.

3 *Star'*] Clara, ni fallor, apud Plautum exempla sunt hujus licentiæ, qua e finale in verbis modi infiniti abjicitur sequente consona, qua licentia nulla apud Italos frequentior.

generis, quæ scilicet insitas verborum quantitates augent, et in prosodiæ leges peccant, ut syllabas natura breves producant; quæ fere sunt hujusmodi.

Primo, synalœphas crebro negligunt, et vocalium concursus, nec vocalem ne brevem quidem elidunt, his præcipue locis; sequente diphthongo, ante pausam, in bisegmentis, et cum alia persona dicentem excipit.

Secundo, in dissyllabis quibusdam priorem non raro producunt, ut in, ei, rei, spei: quæ tunc i duplici scribi solent. Plautus etiam eadem licentia usus est in, tuus, suus, eum, Deus; qua licentia nulla minus venia videtur digna; nunquam certe eam adhibuit Terentius.

Tertio, finales syllabas breves in quavis sede ante diphthongum producunt, ut, īd aurum, sēd æquum, īnaudivit; nec non ante vocalem quamvis in bisegmentis, et vi cæsuræ; id quod Plautus sæpe fecit in vocibus dactylicis, cum in vocali exeunt sequente consona; sed et vocalem brevem sequente etiam vocali sæpius produxit in bisegmentis.

Quarto, re in compositis sæpius producunt consonam quæ sequitur geminando, ut in, redux, reduco, retulit.

Quinto, in polysyllabis sæpe producunt antepenultimam, contra prosodiæ leges, si in eam cadat accentus, ut in, conventitia, conductitium, projectitiæ, emissitiis, et aliis in itiis desinentibus. Sed Plautus hac licentia usus est etiam in dissyllabis, cum encliticæ adjectione accentus movetur, Ærāque, Lactēque, in quibus vel secundas produxit, vel, que, in duas syllabas resolvit: idem etiam in vocibus quaternis aut quinis syllabis constantibus primam, brevem licet, plus semel produxit, ut in, amarentur, amatoribus, amatorie.

Sexto, i et u breves in primis aut mediis syllabis ante vocalem producunt, ut in, īerit, fūerit, plūerat, audīerat, habūerit.

Septimo, unam syllabam in duas resolvunt, vel resolutione diphthongi, ut in, hospitæ, Cliniæ, aquæ, vel i et u consonas in vocales mutando, ut in, iam, quod sæpe fit dissyllabum, larvæ, larvatus, milvus, &c. quæ mutatio non dura, aut coacta videbitur, si, quæ prius dixi de legitima literas has, cum consonæ sunt, pronuntiandi ratione, in animum revocemus. Et hac forte licentia, quid et que interdum Plauto producta sunt.

Octavo, h consonæ sæpe vim habet, ut syllabam brevem positione longam reddat, vel ut vocalis finalis, quæ præcesserat, non elidatur. Hoc Plauto perpetuum: sed Terentius parcissime.

Hæc autem ea fere sunt quæ de licentiis dicenda habui, quarum quasdam in prosodiæ leges et pronuntiandi rationes nimium peccare non diffitendum est. Sed istæ pleræque omnes Plautinæ sunt; Terentius et modum adhibuit, quod ad licentiarum numerum, et miro delectu usus est, quod ad earum genera, et a non paucis penitus abstinuit.

Is quidem tam caste egit, tam parcus fuit in licentiis utendis, iis præsertim quæ veras verborum quantitates augent atque intendunt, ut sæpe in iambicis, cum licentiam adhibitam putes, dum in legendo legitimæ pronuntiationi et sectioni in ditrochæos obtemperas; si tamen versum ad veros pedes exigas, nullam ei sustentando licentiam necessariam esse deprehendas. Vide And. I. 5. 54.* And. I. 5. 14.* And. IV. 1. 58. Eun. III. 5. 12. Eun. IV. 3. 23. et 4. 6.* Eun. V. 1. 17.* Heaut. III. 1. 6.* Heaut. V. 1. 50.* Hec. IV. 1. 46. Hec. IV. 2. 29.* Phorm. I. 2. 96.* Phorm. III. 1. 10. Phorm. III. 2. 44. Quæ cum recogito, Terentium ad veras vocum quantitates magis quam ad pronuntiandi rationes animum in pluribus advertisse arbitror; ideoque muto jam sententiam in iis ex locis laudatis, quibus signum hoc * apposui, et eorum sectiones ad veras verborum quantitates refingi velim, contra ac putabam, cum notas ad ea scriberem, Plautinis licentiis æquo tum forte addictior.

Sed et ipse quoque Terentius in earum usu nimius videbitur iis, qui novis solum Augustei sæculi poëtis legendis assueverint, nullum vero in Veteribus hisce legendis tempus posuerint. Ab his quæretur, cur non Terentius eandem in numeris puritatem servaverit, ac Græci in suis Comœdiis, aut Latini etiam ipsi in Tragœdiis componendis. Quod ad Græcos, si Terentius eos non assecutus est hac in parte, in aliis enim non raro superavit, id non poëtæ sed linguæ culpa fieri puto, quæ tam dura, tam aspera, tot consonis obsessa, tot elisionibus obnoxia, ut, quod Quintilianus dixit, 'Sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis Atticis concessam Venerem, quando eam ne Græci quidem in alio genere linguæ obtinuerint:' quod de numerorum et versuum apud Græcos puritate et suavitate non minus verum est, quam de alia quavis Comœdiæ Græcæ præstantia, unde tanta illis quam mirantur omnes venustas. Quod vero Tragœdias Latinas spectat, ex

Seneca male judicatur de illis qui Terentio erant vel antiquiores vel ætate pares, cum apud eos etiam numeri multo sint impuriores quam apud tragicos recentiores. Quod si ipsi etiam Terentio longe castiores fuerint, et parcius multo licentiis uterentur, id diversis scribendi generibus imputandum est. Cum Comœdia, ut pluribus dixi, vulgarem et loquendi et pronuntiandi consuetudinem imitetur; Tragœdia vero, ut in argumentis longe majoribus versatur, ita dictione quoque sua, et eloquendi ratione a plebe longissime recedit. Tragœdia enim est poëma nobile, elatum, grandi lentoque passu incedit, amat lecta, pulchra, sonora verba, nec quicquam eorum quæ profert, aut præcipitari velit, aut obscure premi. Hinc Tragœdia in numeris etiam tantum a Comœdia distat, et licentiæ in hanc frequentissime receptæ, quæ in altera nequaquam essent ferendæ.

De Comicorum enim licentiis in genere, jure dicas, quod Terentianus elegantissimis versibus dixit de singulari illa, qua in iambicis spondæum vel dactylum in secundo vel quarto loco posuerunt.

> Sed qui pedestres fabulas socco premunt,
> Ut quæ loquuntur sumta de vita putes,
> Vitiant iambum tractibus spondaicis,
> Et in secundo et ceteris æque locis.
> Fidemque fictis dum procurant fabulis,
> In metra peccant arte, non inscitia,
> Ne sint sonora verba consuetudinis, &c.

Iambi quidem sedes Græci quoque Comici vitiarunt tractibus spondaicis; et id insigne est discrimen inter eos et Tragœdiæ scriptores: sed hoc Græci raro. Latini vero, ut Prisciani verbis utar, 'in multis initium aliquod accipientes a Græcis, solent ab angusto in effusum licentiæ spatium hoc dilatare:' quod, ut dixi, linguæ plurimum vitio vertendum est. Latine quippe scribentes salvo puri sermonis nitore haud efficere potuere, ut, in vitæ communis rebus exprimendis, numeris astrictioribus uterentur.

Quod ad eas autem licentias quas adhibuit Terentius, ne lectori minus exercitato vel minimam offensiunculam objicerent, ubicumque in prosodiæ regulas peccatur, signo aliquo quænam esset licentia, indicavi: syllabis præter morem correptis accentum brevem, productis longum apposui; eorum etiam alterum appinxi

omnibus syllabis in quibus synalœpha vel ecthlipsis negligitur; et nonnunquam iis etiam syllabis quarum quantitas minus cognîta est: o etiam finale verborum, ut puerorum præjudicio occurratur, qui plerumque pro correpto habere solent, cum in id accentus metricus cadit, accentu longo notavi: ubi vero in voce aliqua binæ syllabæ in unam contrahuntur, id literis margini appositis semper ostendi. Ad hæc, cum sæpe fiat ut metrum seu *διποδία* in pedes diversis modis resolvi possit, e quibus ille eligendus qui legitimæ pronuntiationi minime officit, numerosque minime sonoros reddit; ejusmodi metra hac nota - in pedes suos distinxi. Nihil denique omissum est, quod excogitare potui, ut metri Terentiani intelligentia facillima redderetur, et ad tironum captum prorsus accommodata. Cum vero versus comici ad tibias canerentur, superest ut de iis pauca quædam dicam, quæ satis sint ad intelligenda illa quæ in Fabularum harum titulis habentur.

De his multi multa et valde diversa; quæ ne recensere quidem, nedum excutere vel otium est vel animus. Constat apud omnes primis temporibus tibias ex arundîne fuisse; eam vero, quæ radicem antecesserat, lævæ tibiæ convenire; quæ cacumen, dextræ, inquit Plinius l. XVI. c. 36. ex Theophrasto, cujus verba sunt: *Τὴν μὲν πρὸς τῇ ῥίζῃ ἀριστερὰν εἶναι, τὴν δὲ πρὸς τοὺς βλαστοὺς, δεξιάν*: ex his autem dextram graviorem sonum edidisse sæpius a Donato dictum est; quod isti tibiæ convenisse, quæ angustiore esset foramine, ostendit vir clariss. Isaac Vossius in elegantissimo Libello de Viribus Rhythmi p. 111. ex hoc Æliani loco, qui extat apud Porphyrium in Hypomnematis ad Harmonica Ptolemæi: *Ἐὰν λάβῃ τις δύο αὐλοὺς, τοῖς μὲν μήκεσιν ἴσους, ταῖς δὲ εὐρύτησι τῶν κοιλιῶν διαφέροντας, καθάπερ ἔχουσιν οἱ Φρύγιοι πρὸς τοὺς Ἑλληνικοὺς, εὑρήσει παραπλησίως τὸ εὐμυκοίλιον ὀξύτερον προϊέμενον φθόγγον τοῦ στενοκοιλίου. Θεωροῦμέν γέ τοι τοὺς Φρυγίους στενοὺς ταῖς κοιλίαις ὄντας, καὶ πολλῷ βαρυτέρους ἤχους προβάλλοντας τῶν Ἑλληνικῶν.*

Ea quæ de Tibiis in titulis dicta sunt, juxta fabularum seriem sic se habent:

1	2	3
		Acta primum
Tibiis paribus dextris et sinistris.	Tibiis duabus dextris.	Tibiis imparibus, deinde duabus dextris.

4	5	6
Tibiis Sarranis.	Tibiis paribus.	Tibiis imparibus.

Sed quædam ex his non satis sincera esse liquet cum ex codicum varietate, tum ex Donato, juxta quem,

Secunda acta est	Quarta	Sexta
tibiis dextra et sinistra.	tibiis dextris.	tibiis Sarranis.

Ut hæc autem intelligamus, observandum est Veterum tibicines duas simul tibias inflare solitos esse, quæ, si dextra manu dextraque oris parte tenerentur, dextræ dictæ sunt: quæ vero læva manu lævaque oris parte, sinistræ: hunc apud illos morem fuisse antiqua marmora et nummi magno numero ostendunt. Duas vero dextras, non pares dextras, et proinde duas sinistras, recte et proprie dici patet et ex his titulis, et ex notissimo Phædri loco l. v. Fab. 6. de tibicine, qui sinistram fregerat tibiam:

Duas cum dextras maluisset perdere.

Ex tertio titulo liquet tibias dextras ab imparibus distingui, ideoque pares fuisse, id est, paribus foraminibus, paresque sonos edidisse, quod idem pari jure de duabus sinistris etiam dicendum. Impares igitur fuere duæ tibiæ, quarum dextra altera, altera sinistra: in primo igitur titulo, cum tibiis paribus addatur dextris et sinistris, in quinto vero tibiis paribus nihil tale addatur, censendum est vel in primo dextris et sinistris ex abundanti adjici, vel in quinto voces eas injuria quadam excidisse: cumque, nisi aliquid ejusmodi addatur, scire nequeamus, utrum dextræ an sinistræ fuerint, opinor paribus tibiis quatuor intelligi, duas scilicet dextras, cum duabus sinistris, et diversas Fabulæ partes diversis tibiis actas fuisse; alias nempe duabus dextris, alias vero duabus sinistris; vel totam Fabulam altera vice his tibiis, altera illis. Utrumque in usu fuisse non est ut dubitemus, cum ex hisce titulis constet eandem fabulam non semper iisdem tibiis actam fuisse; et in eadem actione modos canticorum et diverbiorum sæpe mutatos annotarit Donatus.

Quarta fabula acta dicitur tibiis Sarranis, vel, ut alii legunt, Serranis; sed mihi indubium est *Sarranis* veram esse lectionem, a Sarra dictis, quæ Tyro olim nomen fuit; unde Virgilius, 'Sarrano indormiat ostro:' G. II. 506. et antiquior Virgilio Ennius, 'Pœnos Sarra oriundos,' ut locum illum laudavit Probus. Mihi

quidem locus non parum suspectus est, cum in nullis aliis titulis tibiæ proprio nomine indigitentur; quamvis dextras Lydias fuisse, impares vero Phrygias, post Donatum eruditi fere omnes existiment: sed ut ut hoc sit, si nec duæ dextræ, nec dextra altera, altera sinistra fuerint, necesse est fuisse duas sinistras; quas forte ominis causa Sarranas quam sinistras dicere maluerunt.

Atque hæc de vexatissima quæstione dixisse sufficiat, cum, pauca licet, e rebus tamen ipsis petita sint, et proinde vera, et illa, quæ de tibiis in titulis dicuntur, satis explicent. Tota enim quæstio curiosa magis, quam utilis, nec ad Fabulas melius intelligendas quicquam adjuvat, cum eædem Fabulæ diversis tibiis, diversæ vero eisdem agerentur. De tibiis igitur qui plura velit, adeat Jul. Scaligerum, Salmasium, Is. Vossium; præ ceteris vero C. Bartholinum, qui de earum materiis, formis, usibus, copiose atque erudite scripsit.

RICARDI BENTLEII

DE METRIS TERENTIANIS

ΣΧΕΔΙΑΣΜΑ.

Ἄρσις, Θέσις, et Διποδία.

Iambicus versus senorum pedum Latinis veteribus senarius vocabatur, a pedum et ictuum numero. Horatius, Art. Poët. 251.

Syllaba longa brevi subjecta vocatur Iambus,
Pes citus: unde etiam Trimetris accrescere jussit
Nomen iambeis, cum senos redderet ictus
Primus ad extremum similis sibi.

Sex, inquit, habet ictus versus senarius; et tamen Trimetrus sive Ternarius Græcis vocatur; quasi tres tantum ictus redderet, ob pedis celeritatem, præsertim cum totus iambis puris decurrit. Latini igitur per *μονοποδίαν*, singulos pedes, hos versus dividebant; Græci per *διποδίαν*, seu geminatos. Inde, qui Græcis est Tetrametrus, Varroni a pedum numero est Octonarius. Juba rex apud Rufinum de Metris, p. 2712. 'Quod autem binis pedibus, et non

singulis, scandatur iambicus, vetus institutum est.' Et mox: 'Unde apparet heroicum singulis pedibus scandi etiam apud Veteres solitum, Iambum autem binis.' Marius Victorinus, p. 2497. 'Per Monopodiam sola Dactylica scanduntur; per Dipodiam vero cetera.' Nescivit hic Bacchiacos et Creticos, quos etiam Monopodia dimetitur. Diomedes, p. 503. 'Feritur senarius iambicus combinatis pedibus ter.' Terentianus Maurus, p. 2432.

> Iambus ipse sex enim locis manet,
> Et inde nomen inditum est senario:
> Sed ter feritur, hinc trimetrus dicitur;
> Scandendo binos quod pedes conjungimus.

Ictus Percussio dicitur; quia tibicen, dum rhythmum et tempus moderabatur, ter in Trimetro, quater in Tetrametro, solum pede feriebat: Ἄρσις autem sive Elevatio appellatur; quod in iisdem syllabis, quibus tibicen pedem accommodabat, actor vocem acuebat ac tollebat. In Thesi autem sunt ceteræ syllabæ, quæ ictu destitutæ minus idcirco audiuntur. Hos ictus sive ἄρσεις, magno discentium commodo, nos primi in nostra editione per accentus acutos expressimus, tres in Trimetris, quatuor in Tetrametris:

> Poéta cum primum ánimum ad scribendum áppulit,
> Id síbi negotí crédidit solúm dari.
> Enimvéro, Dave, níl loci est segnítiæ neque socórdiæ,
> Quantum íntellexi módo senis senténtiam de núptiis.

Etsi revera, quod Romani voluerunt, seni in quoque Trimetro sint Ictus; qui sic exprimi possint:

> Poéta cúm primum ánimum ad scríbendum áppulít,
> Id síbi negótí crédidít solúm darí.

Verum quia in paribus locis, 2. 4. 6, minus plerumque elevantur et feriuntur, quam in imparibus, 1. 3. 5, idcirco eos more Græcorum hic placuit omittere. Horum autem accentuum ductu (si vox in illis syllabis acuatur, et par temporis mensura, quæ pedis Ditrochæi vel Ἐπιτρίτου δευτέρου spatio semper finitur, inter singulos accentus servetur) versus universos eodem modo lector efferet, quo olim ab actore in scena ad tibiam pronuntiabantur. Hoc quoque commodi in his accentibus lector inveniet: quod statim et ictu oculi trochaicos ab iambicis, qui in eadem scena interdum locum habent, possit distinguere: si accentus scilicet in prima versus syllaba est, trochaici sunt; sin minus, iambici.

CÆSURA.

Omne versuum genus suam habet cæsuram sive incisionem, qua verbum terminatur, et vox in decursu paulum interquiescit. Illa fere cæsura Romanis placuit, quæ in priore tertii pedis syllaba fit: ut in heroico:

> Arma virumque cano | Trojæ qui primus ab oris
> Italiam fato | profugus Lavinaque venit
> Littora, multum ille et | terris jactatus et alto
> Vi superum, sævæ | memorem Junonis ob iram.

Varro quidem apud Gellium xviii. 15. scribit observasse se in versu hexametro, quod omnimodo quintus semipes (id est, prior pedis tertii syllaba) verbum finiret. Mirum, quod 'omnimodo' dixerit, cum Lucretius jam tum variaverit:

> Reddenda in ratio | ne vocare, et semina rerum:

et Catullus:

> Omnia fanda nefan | da malo permissa furore.

Postea sæpius Virgilius:

> Lyrnessi domus al | ta, solo Laurente sepulcrum.

Homerus autem olim sæpissime,

> Οὐλομένην ἣ μύ | ρι' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν.

Non 'omnimodo' igitur dictum oportuit; sed 'plerumque.'

In Sapphico similiter Romani quinto fere semipede:

> Pindarum quisquis | studet æmulari,
> Jule, ceratis | ope Dædalea
> Nititur pennis | vitreo daturus
> Nomina ponto.

In Alcaico: Doctrina sed vim | promovet insitam,
Rectique cultus | pectora roborant.

In Phalæcio: Multis ille bonis | flebilis occidit:
Nulli flebilior | quam tibi, Virgili.

Sic et in iambo trimetro:

> Jam jam efficaci | do manus scientiæ:
> Supplex et oro | regna per Proserpinæ,
> Per et Dianæ | non movenda numina,
> Per atque libros | carminum valentium
> Refixa cœlo | devocare sidera.

Hanc cæsuræ sedem plerumque in trimetris servant poëtæ comici: ut Noster:

Ne cuí sit vestrum | mírum, cum partés seni
Poéta dederit | quaé sunt adolescéntium:
Id prímum dicam | deínde quod veni éloquar:

et itidem Græci:

Οι γάρ βλεποντες | τοίς τυφλοις ηγούμεθα,
Ουτός δ' ακολουθει | κάμε προσβιάζεται.

In iambicis trochaicisque tetrametris cæsura plerumque fit post ditrochæum secundum:

Demíssis humeris ésse vincto | péctore ut gracilaé sient.
Vídeo sentum squálidum ægrum | pánnis annisque óbsitum.

Illud autem inprimis notandum; cum Græci magistri per διποδίαν trimetros iambos scandere juberent, semper eos intellexisse διποδίαν ἰαμβικὴν; adeo ut sic divideretur ex eorum ratione versiculus:

Ne cuí sit ve | strum mírum, cur partés seni
Poéta dede | rit quaé sunt adolescéntium:
Id prímum di | cam, deínde quod veni éloquar.
Οι γάρ βλεπον | τες τοίς τυφλοις ηγούμεθα,
Ουτός δ' ακολου | θει κάμε προσβιάζεται:

ubi vides primam dipodiam in mediis verborum syllabis desinere, totamque cæsuræ virtutem ac gratiam misere perire. Quare ego jam ab ipsa adolescentia in omnibus iambicis præter tetrametrum catalecticum, de quo postea dicam, aliam mihi scansionis rationem institui, per διποδίαν scilicet τροχαϊκὴν, hoc modo:

Po | éta dederit | quaé sunt adolescéntium:

primo semipede quasi subducto et abciso, versu autem in dactylum vel creticum exeunte. Si quidem ista διποδία ex trochæis duobus, vel uno et spondæo sive epitrito secundo constans, commodare, commodavi, et cum cæsuræ indole convenit; et verum iambei rhythmum auribus insinuat; et poëtæ, dum versus hos fabricatur, præcipue mentem occupat; et, quod maximum est, in omni fere comicorum metrorum genere principatum obtinet; veramque causam, cur in una Comœdia tot versuum species adhibeantur, sola demonstrat.

VARIETAS METRORUM. IAMBICI, TROCHAICI.

Quintilianus, Institut. Orat. x. 1. 'In Comœdia maxime claudicamus,—licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur: quæ tamen in hoc genere sunt elegantissima; et plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus trimetros stetissent.' Mirificum sane magni rhetoris judicium! Optabat scilicet, ut Fabulæ Terentianæ, quæ in primo cujusque actu et scena a trimetris inchoantur, eodem metro ac tenore per omnes actus scenasque decucurrissent. Crederes profecto hominem nunquam scenam vidisse, nunquam comœdum partes suas agentem spectavisse. Quid voluit? quod nec Menander nec ullus Græcorum fecit, Terentius ut faceret? ut ira, metus, exultatio, dolor, gaudium; et quietæ res et turbatæ, eodem metro lente agerentur? ut tibicen paribus tonis perpetuoque cantico spectantium aures vel delassaret vel offenderet? Tantum abest, ut eo pacto plus gratiæ habitura esset Fabula, ut, quantumvis bene morata, quantumvis belle scripta, gratiam prorsus omnem perdidisset. Id primi artis repertores pulchre videbant; delectabant ergo varietate ipsa, diversaque ἤθη καὶ πάθη diverso carmine repræsentabant. Marius Victorinus, p. 2500. 'Nam et Menander in Comœdiis frequenter a continuatis iambicis versibus ad trochaicos transit, et rursum ad iambicos redit.' Non ita tamen agebant Veteres, ut ab uno in aliud plane contrarium repente exilirent; ab iambicis in dactylicos; sed in propinquos trochaicos, ipso transitu pæne fallente. Quod ut clarius conspiciatur, omnem Terentianam copiam hic sistam, unoque et eodem pede ditrochæo universam fere emetiar.

Illud tamen prius admonendum; ut a trimetris suas Fabulas, rebus sedatioribus, nostrum inchoasse; ita semper tetrametris finisse; quod Fabulæ catastrophe, cum res turbulentæ paulatim et ægre consilescerent, hoc carminis genus postularet, magno spiritu effundendum. Præ omnibus tamen trochaici pleni firmum actoris latus requirebant; qui nunquam scilicet nisi in maximo affectuum tumore veniunt; efferendi, non, ut quidam autumant, tarde lenteque, sed clamore summo, cum labore maxumo. Unde factum, ut, cum alias in διποδίᾳ spondæi vel anapæsti placuerint, in his trochæi vel dactyli studio quærantur:

Crédo equidem illum jam áffuturum, ut íllam a me eripíat: sine veniat
Atqui, si illam dígito attigerit, óculi illi illico éffodientur:

qui versus, nisi toto pulmone exhausto, pronuntiari apte non possunt: in trimetris vero clamosa hæc *πάθη* inarescerent prorsus et obmutescerent.

Ditrochæis igitur sic constituitur iambus trimetrus:

Id | síbi negoti | crédidit so | lúm dari.
Vi | cómmodavi | cómmodavi | cómmoda.

Iambicus tetrametrus plenus:

Dum | témpus ad eam | rém tulit sivi | ánimum ut exple | rét suum.
Vi | cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi | cómmoda.

Trochaicus tetrametrus plenus sive *ἀκατάληκτος*,

'Adeon' hominem esse | ínvenustum aut | ínfelicem | quémquam ut ego sum.
Cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi.

Trochaicus tetrametrus syllaba deficiens, sive *καταληκτικὸς*,

Quót modis con | témtus spretus? | fácta, transacta | ómnia: hem.
Cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi | cómmoda.

Pentametrus *καταληκτικὸς*; qui semel iterumve adhibetur:

Sánus es? Domum | íre pergam: ibi | plúrimum est. Revo | cémus hominem. | Sta íllico.
Cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi | cómmoda.

In his omnibus commodius est, meo judicio, *διποδίαν τροχαϊκὴν* cæsuræ accommodatam et congruam, quam *ἰαμβικὴν* ab ea deerrantem, in metiendo versu asciscere.

Superest tamen unus iambici generis, tetrametrus *καταληκτικὸς*; in quo *διποδία* veterum magistrorum *ἰαμβικὴ* sine controversia tenenda est; ob ipsam, a qua in aliis discedit, Cæsuræ concinnitatem:

Nam sí remit | tent quíppiam | Philúmenam | dolóres.
Ανδρές φιλοι | και δήμοται | και τού πονειν | εράσται.
Δημόσθενης | Δημόσθενους | Παιάνιευς | εγράψε.
Vi cómmoda | vi, cómmoda | vi, cómmoda | vi, cómmo.

Sed et in his *διποδία τροχαϊκὴ* tempus quidem et spatium exacte servat, in incisionibus tamen peccat. Ceterum utram velit rationem lector sequatur: accentus in nostræ editionis textu ambabus æque conveniunt: at in nupera quadam, universi hujus generis, quorum ingens copia est, versus prava cæsuræ distinctione jugulantur:

Concurrunt læti mi obviam cup | pediarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, far | tores, piscatores.

Cum sic cæsura ponenda esset,

Concurrunt læti mi obviam | cuppediarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, | fartores, piscatores.

Illud quoque in hoc genere observandum, pedem illum ante cæsuram, mi obviam, et, i coqui semper, ut hic, creticum vel ei *ἰσόχρονον* media brevi esse oportere; nullum hic apud Nostrum licentiæ locum esse; non magis quam in fine senarii. Hæc versuum horum indoles et sola gratia est: quam in nostra editione incolumem habent; in prioribus vero ante nos innumeris mendis strangulatam et sepultam.

CRETICI, BACCHIACI, CHORIAMBICI.

Porro, super hos iambicos trochaicosque, etiam creticis, bacchiacis, choriambicisque versibus, sed semel tantum singulis, utitur Terentius; eisque in monodia duntaxat, nunquam in diverbio: hi, ringente licet invidia, nobis se apud Nostrum debent:

Creticus: Tánta ve | córdia in | náta cuiquam | út siet.
Cástitas | cástitas | cástitas | cástitas.
Bacchiacus: Adhúc Ar | chylís quæ ad | solént quæque | opórtet.
Honéstas | honéstas | honéstas | honéstas.
Choriambicus: 'Obstipuit | péctore con | sístere nil | cónsili quit.
Cóntremui | cóntremui | cóntremui | cóntremisco.

Hi tamen, more Græco, novissimum sibi versum alterius generis assumunt, ut pro rhythmi ratione cum strepitu ac canore finiantur.

CLAUSULÆ.

De clausulis sic Varro apud Rufinum, p. 2707. ‘ Clausulas primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam: ut apud Accium:

An haéc jam obliti súnt Phryges?

Nonnunquam ab his initium fit; ut apud Cæcilium:

Di boni, quid hoc?

apud Terentium: Discrucior animi.’

Huic ultimæ adde aliam ex Nostro:

Occidi.

Ceterum de clausulis hoc uno verbo dixisse sufficiat: si ab eis initium fit, liberæ sunt et nullius metri legibus astrictæ: sin sententiam claudunt, a præcedentibus legem accipiunt. Scilicet post

iambicos tetrametros, vel trochaicos catalecticos, ab iambo incipiunt; ut illa Accii:

An haéc jam obliti sínt Phryges?

et illæ Nostri:

Præscísse me ante? nónne prius commúnicatum opórtuit?
Miserám me, quod verbum aúdio?
Múnus nostrum ornáto verbis, quód poteris; et istum aémulum
Quod póteris ab ea péllito.

Ita semper in ceteris: et ratio est, quod διποδία τροχαϊκὴ quasi uno versu continuetur:

Commúnicatum opórtuit: miserám me quod verbum aúdio?

Unde in trochaico pleno, quo διποδία consummata est, a trochæo incipit:

Próin tu solicitúdinem istam fálsam, quæ te excrúciat, mittas.
Quícum loquitur fílius?
'Et illud rus nulla ália causa tám male odi, nísi quia prope est:
Quód si abesset lóngius.

Hanc sibi legem fixerunt, sancientibus aure ac rhythmo, primi artis inventores: sed in hac tamen ante nos editiones peccant. Illud porro notandum; in tetrametris solis apud Nostrum, nunquam in trimetris, clausulis locum esse. Neque id omittendum, has et reliquas omnes apud Nostrum clausulas in cretico terminari: audio, pellito, filius, longius; una tantum excepta, Hec. v. 1. quæ in spondæum exit:

Aut né quid faciam plús, quod post me mínus fecisse sátius sit.
Aggrédiar. Bacchis, sálve.

Id tamen judicio, non casu, a Poëta factum: quippe post hanc solam ex omnibus clausulam a tetrametris plenis in catalecticos scena transit, qui spondæo finiuntur:

Salvé, Lache. Edepol crédo te non níl mirari, Bácchis.

LICENTIA TERENTIANA, QUA DEFLECTIT A GRÆCIS COMICIS.

De licentia veterum Romanorum, tragicorum comicorumque, paulo inclementius loquitur Horatius, Arte Poët. 255. Iambicus, inquit, versus,

Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondæos stabiles in jura paterna recepit
Commodus et patiens; non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter: hic et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus et Enni.
In scenam missus cum magno pondere versus
Aut operæ celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poëmata judex:
Et data Romanis venia est indigna poëtis.
Idcircone vager, scribamque licenter? ut omnes
Visuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniæ cautus? vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At vestri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales: nimium patienter utrumque,
Ne dicam, stulte mirati; si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

Candide magis de iis judicat, venustissimus in tenui materia scriptor, Terentianus Maurus, p. 2433.

Culpatur autem versus in Tragœdiis,
Et rarus intrat ex iambis omnibus:
Ut ille contra, qui secundo et talibus
Spondæon aut quem comparem receperit.
Sed qui pedestres fabulas Socco premunt,
Ut quæ loquuntur sumta de vita putes,
Vitiant iambon tractibus spondaicis,
Et in secundo et ceteris æque locis:
Fidemque fictis dum procurant fabulis,
In metra peccant, arte, non inscitia:
Ne sint sonora verba consuetudinis,
Paulumque rursus a solutis differant.
Magis illa nostri: nam fere Græcis tenax
Cura est iambi, vel novellis comicis,
Vel qui vetusta præcluent Comœdia.

Ceterum quod in utrisque vituperat Flaccus, et in Comicis ex-

excusat Maurus, hoc est: quod in sedibus paribus, secunda et quarta (nempe uterque per dipodiam iambicam dimetitur: in ratione nostra erunt prima et tertia, pedes scilicet ditrochæorum priores) non volubiles pedes iambum aut tribrachyn, ex rhythmi lege ac Græcorum exemplo; sed tardos spondæos sive alios eis *ἰσοχρόνους* intulerint. Totum hoc, uno exemplo, et sensu et memoria facile tenebis. Græci ad hanc formam in iambicis:

Vi cómmodavi | cómmodavi, cómmoda.

Latini ad istam, non semper, sed quotiescumque vellent:

Vi cómmendavi | cómmendavi | cómmoda.

Vides, menda, spondæum bis positum pro iambo, moda: postremam sedem violare nunquam sunt ausi. Idem et in trochaicis obtinet:

Græci: Commodavi | commodavi | commodavi | commoda.
Latini: Commendavi | commendavi | commendavi | commoda.

In his pedibus, excepto ultimo, pro brevibus longæ syllabæ assumuntur; quod tamen, opinor, celeri pronuntiatione juvabat et occultabat actor, ne ipse a tibicine rhythmum Græcum servante discreparet.

Quod ad crimen autem hoc attinet; tragicis quidem veteribus minor est excusatio, cur non ad artis regulas versus suos exegerint; cum, toto stylo et colore a communi sermone discreti, nova verba ac sesquipedalia pro lubito finxerint. Fugiebant scilicet limæ laborem; certi se in re ante inexperta et apud aures tum indoctas veniam impetraturos. Melius vero ac mitius de comicis est sentiendum. Profecto Terentius noster, si quisquam alius, in artis leges arte peccavit; studio, non ignorantia; necessitate vel saltem commoditate inductus; et, qualecumque illud delicti est, magnis virtutibus redemturus. Sermo enim ea de causa propius apud Nostrum ad consuetudinem accedit, quam apud Menandrum: oratio apud unum de medio sumta deque vita honestiorum civium; versus minime cavi, sed verbis sensibusque spissi: apud alterum, dum metro servire coactus est, stylus paulo elatior, et sententiæ dilutiores. Adde huc, consonantes in lingua Latina pro vocalium numero frequentiores esse, quam in Attica: adde omnia apud Latinos vocabula, monosyllabis duntaxat exceptis, esse barytona; de qua re mox plura dicam; et facile pronunties, minoris esse operæ atque artis, ad Menandri normam Græce scribere, quam Latine ad Terentii.

DE METRIS IN LINGUA NOSTRA USITATIS.

Enimvero par et æquum est, ut eandem veniam veteribus Latinis demus, quam hodiernis qui Anglice scribunt poëtis concedimus: quorum nemo est, cui non indulgemus, ut syllabis interdum longis contra indolem rhythmi loco brevium utatur. Nam, ut Latini omnia metrorum genera de Græcis acceperunt, ita nostrates sua de Latinis. Quo magis est dolendum atque indignandum, jam a literis renatis pueros ingenuos ad dactylica, quod genus patria lingua non recipit, ediscenda, ferula scuticaque cogi: Terentiana vero metra, quæ domi tamen et in triviis inscientes ipsi cantitant, magistrorum culpa penitus ignorare. Trochaicus tetrametrus catalecticus, ut Terentio, ita nostratibus frequentissimus est:

'Ego ille agrestis, | saévus, tristis, | párcus, truculen | tús, tenax.
Háppy is the | coúntry life blest | wíth content good | heálth an' ease.

Qui trochaicus, unius syllabæ accessione, fiet iambicus tetrametrus plenus:

Thrice háppy is | the coúntry life | blest wíth content | good heálth an' ease.

Quin et iambicus ille *καταληκτικὸς*, Terentio multum et merito amatus, apud nostros quoque in magna gratia est;

Nam sí remit | tent quípipiam | Philúmenam | dolóres.
Is décently | run throúgh the lungs: | And thére's an end | o' Búlly.

Neque vero bacchiacus Terentii nostris intactus est:

Adhúc Ar | chylís quæ as | solént quæque | opórtet.
All jóy to | great Caésar | long lífe, love | and pleásure.

Creticum ejus quoque lingua nostra facillime admittit;

Tánta ve | córdia in | náta cui | quam út siet.
'O the sweet | coúntry life | blést with health | peáce an' ease.

Denique et illud metrum, quod in epicis et heroicis jam diu apud nostrates regnum obtinet, ab iambico Veterum senario profluxit; necessitate linguæ nostræ, quæ tota monosyllabis scatens cæsuram senarii raro admittit, quinarius factus:

Though deép, yet clear; | though géntle, yet not dúll.

Huic in fine sextum iambum appone; et extemplo habebis senarium Terentianum:

Though deép, yet clear, though | géntle, yet not dully slow.

Rursus, si ab hoc Euripidis senario, qui primus omnium in Oresta [Hecuba] venit,

Ηκώ νεκρων κευθμώνα και σκοτού πυλας,

pedem novissimum auferas; quinarium jam habebis, perfectissimum hodierni nostri epici exemplar:

Ηκώ νεκρων | κευθμώνα και σκοτού.
Though deep, yet clear, | though gentle, yet not dull.

In Anglico tamen hoc notes velim, tres syllabas positione longas loco brevium poni. Eas tu postea, et quam Denhamo veniam concedis, Terentio neges. Perfectissimum autem exemplar ideo appello; ut poëtis nostratibus, ingenii sane venæque felicibus, sed eruditionis interdum modicis, quid hodierni epici, quo numeris omnibus absolutus fiat, rhythmus geniusque sibi poscat, obiter ostendam: in versibus nempe singulis tres syllabas breves. Hoc sane confitendum est, avorum tempore, scabros asperosque versus, magno longarum pondere onustos, plerumque exiisse: hodiernos autem poëtas longe eos teretiores tornatioresque dare; sed aure fortassis magistra, non arte; quæ tamen ars principio judicibus auribus dedebatur. Habent itaque, quod in longo sane opere frustra expectandum, in epigrammate vel elegiola facile obtinendum, versus epici exemplar; quo et numerus brevium et sedes ostenduntur. Quanquam in nostris est et varietati locus, ut in his:

Though deép, yet clear; though géntle, yet not dull;
Stróng without rage, withóut o'erflowing full.

Ictus in hoc posteriore, qui in secunda syllaba fieri solet, in prima fit; et venuste quidem; modo raro fiat, ac brevis sequatur. Et nescio equidem, an in Terentio quoque, cum trimetrum aliquoties inchoet ab, hicíne, hocíne, sicíne, libéra, non in primam retrahendus sit accentus, líbera, &c. etiam in iambico; ob τὸ ἰσόχρονον scilicet et ἰσόρρυθμον; cum rhythmus, Hephæstione teste, sit metro potentior. Tale illud Plauti, Rudent. II. 6. 29.

Piscibus in alto credo præbent pabulum:

ubi, píscibus, libentius efferrem, quam, piscíbus.

LICENTIA TERENTIANA, QUA DEFLECTIT A LATINIS EPICIS.

Sed, ut redeam, unde digressus sum. Ut a Græcis comicis desciverunt Latini pro brevibus syllabis tardas infulciendo; ita vitio prorsus contrario peccarunt, corripiendo scilicet ejusmodi syllabas, quæ in Latino sermone erant longæ. Hujus autem licentiæ modum ac fines non cujusvis est reperisse; cum ex interpretibus hi, qui laxissime et ultra terminos licentiam hanc expandunt, monstra nonnunquam et portenta pro veris lectionibus tuentur; alii contra, qui nimis arctis eam finibus claudunt, syllabasque omnes ad epicorum poëtarum normam exigunt, singulos fere versus miseris modis, addendo, mutilando, invertendo, contra codicum fidem, jugulant et trucidant. Illud in universum animadvertas velim, nullas eos syllabas, quæ natura et vocalis sono longæ sunt, corripuisse; sed eas tantum, quæ per vocalem quidem breves erant, positione tamen et consonantium concursu factæ sunt longæ. Hæ vero voces et numero paucæ sunt, monosyllabæ fere vel dissyllabæ, vel cum præpositionibus compositæ; et ex ipsa sede situque commodo veniam merentur. Cum autem in ipso nostræ editionis textu singula hæc in versibus singulis per accentuum intervallum sponte se ostendant; non opus est, ut singillatim hic enumerentur. Illud tantum monebo, quod ante me opinor nemo; in primo fere versuum pede, et parcius alias, licentiam hanc exercuisse Nostrum: idque rectissimo judicio; cum actor, in fine prioris versus anima recepta, plenum rapidumque spiritum posset effundere:

Sed id grátum fuisse—
Sine invídia laudem.
Sine omní periclo.
Propter hóspitai.
Hic est ílle non te.
Studet pár referre.
Ob hanc ínimicitias.
Ob décem mnas ínquit.
Inde súmam uxori.
Soror dícta est, cupio.
Símul consílium cum re.

Color vérus, corpus.
Néque Antipho ália.
Sed hoc míhi molestum est.
Bonum ingénium narras.
Sed hic Pámphilus quid.
Is hinc béllum fugiens.
Nempe Phórmionem.
In hanc nóstram plateam.
Supelléctile opus est.
Sed ecca ípsa egreditur.
Ego exclúdor, ille.

Négat quis! négo, ait, aio. Sed ostium cóncrepuit.
Enimvéro, Dave, nil loci est. Némini plúra acerba.
Habent déspicatu. Quid ignáve peniculo.
Dolet díctum imprudenti. Sed estne ílle noster.
Adest óptime ipse. Tamen víx humane.
Solent ésse id non fit. Tacet cúr non ludo.
Quid huic híc negotist. Jubet fráter? ubi is est.
Student fácere. Omnia ómnes ubi resciscunt.

Hoc, ut vides, Terentii judicium erat; ut in primo fere pede versus, ubi paratior venia est, licentia illa uteretur: idcirco excusatior, quod non ipse eam primus intulerit; sed a Plauto, Cæcilio, ceterisque tum in scena regnantibus acceptam retinuerit. Licentia certe erat; et indigna forte, cui Romuli nepotes indulgerent. Nam, qui hodie non Comicos veteres excusatum, sed defensum eunt; qui fontem rei causamque et originem deprendisse se gloriantur; popularem scilicet tunc temporis pronuntiandi morem: ut necesse fuerit comicis, quæ verba communi civium sermone spretis consonantibus rapide efferebantur, ea verba in suis Fabulis, quæ audiebantur scilicet, non legebantur, corripere: næ illi operoso conatu nihil dicunt, pollicentes magna nihil extricant. Quid enim? si usus tum civium communis,

Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi,

syllabas de quibus agitur raptim pronuntiabat; jam non comicorum vel licentia vel crimen est, qui mori obtemperantes eas corripiebant; sed epicorum, qui usu improbante producebant. Mutantur tantum rei; crimen ipsum non eluitur: aut hi aut illi sunt culpæ damnandi. Quibus autem culpa hæreat, scitu facillimum est. Priorem in, ille, et, esse, constanter producebant epici; Noster interdum corripit, sæpius producit: quod si recte et ex usu corripit, tanto sæpius, dum sæpius producit, peccat. Propter, apud epicos semper priore longa est: Noster semel corripit, And. II. 6. 8.

Propter hóspitaï hujusce consuetudinem.

Si hoc ex consuetudine vulgi; cur intra decimum versum, et ubique alias, producit?

Nil própter hanc: sed est quod succenset tibi.

Eadem reliquorum ratio est: quibus venia quidem, præsertim

hodie, lingua jamdudum emortua, facile conceditur: nisi culpam quis defendendo fecerit majorem.

Ceterum, abi, domi, redi, dari, roga, jube, tace, vide, et siqua id genus alia quæ ultimam brevem habent, vix est ut licenter dicas, sed legitime corripi; cum veteres epici idem jus usurpaverint.

Similiter de crasi censeas; qua duæ vocales, quarum una brevis, in unam contrahuntur: ut, diu, Deum, Deorum, meum, tuum, suum, meorum, &c. fuit, fuisse: hæc, et siqua hujusmodi, jure quoties vellent contrahebant comici; quia idem epicis jus erat. Durius quidem nostratibus sonant, hujus, cujus, ejus, novo, levi, in unam syllabam contracta: verum id eo evenit, quod nos hodie male pronuntiemus. Notum enim est eruditis, consonantes i et u apud Latinos eodem fuisse sono et potestate, quo hodie y et w. Pronunties igitur, cuyus, nowo, lewi, et mollior fiet crasis. Ita Noster, twa, swa, grandyuscula, stellyonino; plane ut Virgilius, stellyo, abyete, &c. Eadem ratione, cum, jam, efferrent, ut nos hodie, yam; in duas syllabas pro lubitu dissolvebant, 'nunc ïam.' Ceterum in hac editione, ubi ïam disyllabon est, notatur diæresis; et, cuíus, huíus, eíus, ubi monosyllaba sunt, super i habent accentum; ubi disyllaba, super u et e; cújus, hújus, éjus.

Eii, reii, speii, priore per ectasin producta, non indigent venia; cum Lucretius aliique olim epici idem fecerint. In nostra editione, cum producuntur, duplice i scribuntur.

Neque illud inter licentias numeres, cum Comici s finale in syllaba brevi, sequente tamen consonante, nonnunquam abjiciunt, ut, tristi', famelicu': siquidem idem facit passim Lucretius. Ceterum quod nos quidam docent, et in syllaba longa hoc solere fieri, et sequente vocali, et totam etiam syllabam cum s sæpe resecari, falluntur et fallunt. In, consimilist, a priore nihil, sed ab, est, vocalis resecatur; ut in, palamst, necessumst. Multimodis apud Nostrum non divisim effertur, multi' modis; sed vox una est ut, omnimodis: et Lucretius utraque utitur.

Quin et, ubi synalœphæ vis cessat, et vel vocalis quæpiam vel m finales non eliduntur, altera vocali eas excipiente; ne hoc quidem in licentiis ponas: qualia ista et plura apud Nostrum: omnes quí amant, mé et ætate, né ubi acceperim, quaé erat mortua, una ire cúm amica, dúm id efficias, quicum uno rém habebam. Quippe et epici, Lucretius, Virgilius, Horatius eodem modo in hexametris:

sed dúm abest quod avemus, credimus an quí amant, si mé amas inquit, cocto núm adest honor idem. In his autem aliisque similibus tria sunt observanda; nunquam hoc fieri nisi in verbo monosyllabo; quod verbum si in vocalem exit, oportet syllabam esse longam; ictum denique habere in prima syllaba anapæsti. Harum vero conditionum ignorantia quot nuper peperit errores? dum et in polysyllabis verbis, et in syllabis brevibus, et in aliena sede, posse fieri hoc existimabant.

Atque hactenus de licentia Terentiana, deque ejus limitibus, modicis sane illis neque incommodis: qualem hodie in poëtis nostratibus patriaque lingua patienter ferimus. Quin et ausim polliceri sponsorque fore, quemvis adolescentem, vulgaris modo prosodiæ et syllabarum quantitatis callentem, lecta una alteraque editionis nostræ scena, suo Marte ac sine magistro totum hoc quod quæritur percepturum. Quo magis mirum, quosdam cetera doctissimos, sed in his rebus paulo ὀψιμαθεστέρους, tam immodica verborum pompa se et operam suam efferre: quasi tantæ molis esset Romanam nunc licentiam, quantæ olim erat gentem, condidisse. Neque tamen, si ipsi audiendi sunt, immerito gloriantur: cum ex eorum sententia nihil non veteribus Comicis et licuerit et libuerit: ut tam vagæ licentiæ limites ullos posuisse, perinde sit ac Sarmatas et Gelonos intra campos suos coërcuisse. Nimirum hi non ipsos poëtas, non artem et rhythmi genium, sed librarios sibi duces sumunt; et tot fere licentiarum species sibi fingunt, quot in toto Plauto Terentioque vitiosæ lectiones nunc restant; unique loco, qui emendandus erat, ex altero æque mendoso patrocinium quærunt. Quid mirum igitur, si, quo major iis tam falsæ metricæ notitia accrevit, eo in dies, ut queruntur, magis decreverit emendationum suarum numerus? Illud, si dubitas, exemplo sit; ubi Plauti auctoritate pedes creticos in trimetris asciscunt. Locus elegantissimus est, Trinummo, I. 2. in urbanos, quos vocat scurras,

> Qui omnía se simulant scíre, nec quicquám sciunt:
> Quod quísque in animo hábet aut habiturúst, sciunt:
> Sciúnt, quod in aurem réx reginæ díxerit:
> Sciúnt, quod Juno fábulatast cúm Jove:
> Quæ neque fu | tura neque | facta sunt | tamen illi sciunt.

Duos illic creticos agnoscunt et accipiunt, dactylorum scilicet vicarios: neque hoc contenti, innumera hujusmodi portenta Plauto suo assignant, pauca etiam Terentio. Nos pauca illa jam ejuravimus; de innumeris olim fortasse curabitur. Interea, quid hic Plauti locus sibi postulet, videamus;

> Quæ néque fu*tura nec facta sunt*, tamen illí sciunt.

Hic duæ longæ corripiuntur; duo cretici veniunt, quo ne dactylis quidem, si aurem habemus, venire fas est. Hosne numeros ut laudaverint Pisonum proavi? quis comœdus actor, ne ipse quidem Pellio, vel pretio voluerit emere; vel blaterare hæc ad tibiam in scena ausus fuerit? non suas potius sibi res poëtam talem habere jusserit? Si licentiarii nostri de emendatione desperarunt; humanius tamen erat, de mendo potius confiteri, quam poëtam ipsum proscribere. Vide tamen, quam facilis ea ne quærentibus quidem se offerat. Tolle illud *facta*; et trimetrum, quales hic ceteri sunt, rotundissimum habes:

> Quæ néque futura, néque sunt, tamen illí sciunt.

Quin et hoc sensus ipse, non metrum solum, efflagitat: nam quæ futura, et quæ sunt, in eodem genere sunt opposita: non futura et facta. Si illud 'facta sunt' a poëta esset, dixisset utique, quæ neque fient neque facta sunt; atque insuper de duobus peccatis unum lucratus esset.

ARS TERENTIANA.

Restat jam, ut de arte Terentiana, quæ tantopere olim celebrata est, pauca delibemus. Horatius, Epist. II. 1.

> Ambigitur quotiens uter utro sit prior; aufert
> Pacuvius docti famam senis, Accius alti:
> Dicitur Afrani toga convenisse Menandro:
> Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi:
> Vincere Cæcilius gravitate, TERENTIUS ARTE.

Ubi dubium est, artemne metricam velit, an comicam. Utramque opinor; nam in utraque laude Noster, tam versuum concinnitatis, quam lucidæ rerum dispositionis, primas tenebat.

Illud sane in lingua Latina notabile, ne unum quidem verbum præter monosyllaba tonum in ultima habuisse. Déum, igitur, vírum, méum, túum, priore licet brevi pronuntiabant, nunquam nisi in versu, Deúm, virúm, meúm, tuúm. Quintilianus, Instit. I. 5. 'Est autem in omni voce utique acuta syllaba, nec ultima unquam:

ideoque in dissyllabis prior.' Priscianus, p. 1287. 'Acutus accentus apud Latinos duo loca habet, penultimum et antepenultimum: apud Græcos autem et ultimum.' Et paulo post: 'Apud Latinos in ultima syllaba, nisi discretionis causa, poni non solet accentus.' Donatus, p. 1740. 'Tonus acutus, cum in Græcis dictionibus tria loca teneat, ultimum, penultimum, et antepenultimum; tenet apud Latinos penultimum et antepenultimum; ultimum nunquam.' Maximus Victorinus, p. 1942. 'Acutus, cum apud Græcos tria loca teneat, apud nos duobus tantum poni potest; aut in penultima, ut, prælegístis; aut ea quæ a fine est tertia, ut, prælégimus.' Olympiodorus in Aristotelis Meteora, p. 27. Τότε μὲν Γραικοὶ ἐκλήθησαν, νῦν δὲ Ἕλληνες. τοῦτο δὲ τὸ ὄνομα οἱ μὲν Ῥωμαῖοι παροξύνουσι, Γραῖκοι λέγοντες. ἡ δὲ κοινὴ διάλεκτος ὀξύνει. Καθόλου δὲ οἱ Ῥωμαῖοι πᾶν ὄνομα παροξύνουσι διὰ τὸν κόμπον· ὅθεν Ὑπερηνορέοντες ἐκλήθησαν ὑπὸ τῶν ποιητῶν. Hoc est: Qui olim Γραικοὶ dicti, nunc appellantur Ἕλληνες. Illius autem verbi penultimam Romani acuunt, dicentes Γραῖκοι; sed communis sermo acuit ultimam, Γραικοί. Et universim Romani in quacumque voce penultimam vel antepenultimam acuunt, propter fastum et grandiloquentiam: unde a poëtis dicuntur Ὑπερηνορέοντες, feroces et superbi.—Ceterum quod hic fastui tribuit, id dialecto Æolicæ, unde lingua Latina partem maximam profluxit, rectius imputatur. Æolenses enim, ut notum est, Βαρύτονοι erant; et Θέος, Ἄνηρ pronuntiabant, cum alii Θεὸς, Ἀνήρ.

Jam vero id Latinis comicis, qui Fabulas suas populo placere cuperent, magnopere cavendum erat, ne contra linguæ genium ictus seu accentus in quoque versu syllabas verborum ultimas occuparent. Id in omni metro, quoad licuit, observabatur; ut in his:

'Arma virúmque cáno, Trójæ qui prímus ab óris
Itáliam fáto prófugus Lavínaque vénit
Líttora; multum ílle et térris jactátus et álto
Vi súperum, saévæ mémorem Junónis ob íram.

Qui perite et modulate hos versus leget, sic eos, ut hic accentibus notantur, pronuntiabit; non, ut pueri in scholis, ad singulorum pedum initia,

'Italiám fató profugús Lavínaque vénit,

sed ad rhythmum totius versus. Ubi nulla vox, ut vides, accen-

tum in ultima habet, præter unicam illam, virúm: idque recte ob sequens encliticon, que: quod hic semel dictum, in Terentio passim fieri, animadvertes. Idem efficiunt ME, TE, SE: Miserám me, quod verbum audio? quippe hæc Latinis, ut etiam, rem, enclitica sunt, ut Græcis ΜΕ, ΣΕ. Eadem est et interrogationis vis; sive cum ne enclitico, sive absque ne. In hac igitur concinnitatis laude palmam omnibus præripuit Terentius; eamque ut consequi posset, ut et vetitos ictus effugeret, et vocabula tamen significantiora semper sub ictu poneret; non minore studio judicioque verba disposuit, et a prosæ orationis ordine decenter invertit, quam mirificus in hac materie artifex ipse Virgilius.

Priscianus de versibus comicis narrat, 'fuisse quosdam, qui abnegarent ulla esse in Terentii Comœdiis metra: vel ea, quasi arcana quædam et ab omnibus doctis semota, sibi solis esse cognita confirmarent.' Ibidem ait, 'Omnes quidem Comicos crebris synalœphis et episynalœphis et collisionibus et abjectionibus S literæ fuisse usos scandendo versus suos; TERENTIUM AUTEM PLUS OMNIBUS.' Verum profecto hoc est; et causa unica, cur magistelli isti vel negarent metra esse apud Nostrum, vel ut arcana quædam venditarent. Quod vero hic queritur et criminatur magnus grammaticus, non vitium est, sed virtus Terentii prima: qui synalœphas illas data opera consectatus est; quo syllabæ ultimæ liquescerent coalescerentque cum sequentibus; eoque vetiti ac vitiosi in ultimis ictus artificiose effugerentur. Hæ vero synalœphæ, quæ tenebras olim magistris offuderunt, jam in nostra editione, percussionum intervallis distincta, ne pueris quidem negotium facessent.

Totum autem hoc, quod de ictu in ultimis syllabis cautum fuisse diximus, de secunda tantum trimetri διποδίᾳ capiendum; nam in prima et tertia semper licuit; siquidem ista sine venia conclamatum actumque erat de Comœdia Tragœdiaque Latina. Cum igitur hunc versum similesque apud Nostrum videris:

Malúm quod isti Di Deæque omnés duint:

cave vitio id poëtæ verteris; etsi, Malúm, illud et, omnés, si in communi quis sermone sic acuisset, deridiculo fuisset. Nimirum aures vel invitæ patienter id ferebant, sine quo ne una quidem in Fabula scena poterat edolari. Quin et Græcos ipsos eadem tenuit necessitas, eadem passa est indulgentia. Cum Aristophanes dixit,

Δουλόν γενεσθαι πάραφρονουντος δέσποτου.

Cum Euripides,

Ηκώ νεκρων κευθμώνα και σκοτού πυλας.

idem admiserunt in Δουλόν et Ηκώ, quod Noster in, Malúm et omnés: ipsi enim alibi priorem acuunt, Δούλον et Ἥκω.

In secunda igitur trimetri διποδίᾳ hoc de quo agimus non licebat. Gellius XVIII. 15. 'In senariis versibus animadverterunt metrici duos primos pedes, item extremos duos, habere posse singulos integras partes orationis, medios haud unquam posse: sed constare eos semper ex verbis aut divisis aut mixtis atque confusis.' Quotus quisque hoc vel intelligat? nedum ut senarios per singulos pedes scandendo tempus in hac observatione conterat? At in nostra editione vel aliud agentibus in oculos incurrit; simulque ratio, quam metrici isti tacent, plane apparet. Hoc illi voluerunt; in his et similibus senariis:

Venit Chremes postridie ad me clamitans.
Mansuetique animi officia, quid multis moror:

duos primos duosque postremos pedes singulis verbis claudi, et recte: at pedem tertium quartumve non posse recte. Cur hoc? quia tum necesse est, ut ictus in ultimas syllabas cadant; quod, ut dixi, in prima ultimaque διποδίᾳ solet fieri; in media nec solet et vix unquam licet. Rarissime igitur, semel atque iterum, sed magno sententiæ lucro, admisit hoc in trimetris Terentius:

Persuásit nox, amór, vinum, adolescentia.
Scelésta ovém lupó commisi: dispudet.

Nam illud,

Nosse ómnia hæc salús est adolescentibus,

in hac editione *saluti* est. Notandum quoque in, amór, et lupó, priorem brevem esse, et ex musicæ rationibus ita oportere; ut apud Horatium,

Jam jam efficaci do manús scientiæ.
Ad pervicacis heu pedés Achilleï.

Et similiter in verbo trisyllabo duos ictus recipiente, si id διποδίαν trochaicam inchoat, media erit ex arte brevis:

Nísi pol filiúm multimodis éxpeto, ut redeát domum.

Ita recte hic editum, non *expecto;* ut et alia plurima, quæ ante nos vitiosa ferebantur, in omni versuum genere hic corriguntur.

ELOGIA VETERUM

DE PUB. TERENTIO.†

Varro, Parmenone; Nonius in, Poscere.

IN argumentis Cæcilius poscit palmam; in ethesin Terentius; in sermonibus Plautus.

† In his judiciis quædam ne absurditate quidem carent: quale Volcatii Sedigiti pridem doctis visum est. 'Elegantia sermonis,' et 'mores,' consensu tribuuntur: etiam 'ars et metri diligentia.' In 'argumentis' quid valeat subinde videbimus. Diximus autem antea, aliud vulgi, aliud eruditorum de Poëtis judicium esse. Certe, si quis attendat, Horatii versus allati, vulgi sententiam, non ipsius, summi sane Critici, exprimunt. Quid enim ipse admiraretur in principe Comicorum, noluit cuiquam occultum esse. Ipsi eruditi tantum inter se non discrepare videbuntur, si singulos intueamur, quin unius et alterius sententia ceterorum auctoritate obrui queat. De Horatio dictum est: quem non legit, multo minus Terentianas in eo imitationes observavit, qui ad interpretes sibi hic eundum existimat. Servii auctoritas tanti non est, ut loco rationis esse debeat. Nonne enim multa sunt, quæ eruditionis potius, quam judicii facultatem in eo Grammatico testantur? Fabius Quintilianus pleno laudat ore Terentium; nisi quod incaute de trimetris addit: refutatus merito a Georgio Fabricio. Ceterum, qui paucissimos accuratæ criticæ successu omni ævo præstitisse ignorat, illum pleraque interioris doctrinæ mysteria fugiant necesse est. Non sufficit eruditio, quæ confidentiam persæpe generat; ut plus satis promti sint, ad pronuntiandum, qui Auctoris genium nondum perdidicerunt: ne dicam de pervulgatis opinionibus, quæ haud raro eximias quoque mentes devertunt: cum præsertim, quod probe notandum, de Nova Comœdia judicaturis, respectus Veteris subinde obstaret, animumque divorse traheret. Dicam iterum: Accedat vir ingenio et doctrina præstantissimus ad ferendam paulo explicatius de magno aliquo et perfecto ex Veteribus Poëta sententiam: nisi iterum iterumque relegerit, nisi cogitaverit subtilissime, ac exegerit singula attentissime, facile linea excidet. Documenta nolumus jam nisi ex proximo petere. Sicut acerrimi vir ingenii Franciscus Guietus nuper admodum, rectissime et felicissime amplexus Afranii sententiam, 'omnes omnium Comicorum in uno Terentio eminere virtutes,' judicavit; ita superiore sæculo, nollemus summo viro, et quod caput rei est, κριτικωτάτῳ, Julio Scaligero ea

Cicero, de optimo genere oratorum.

In re quod optimum sit quæritur: in hominibus dicitur, quod est. Itaque licet dicere, et Ennium summum epicum poëtam, si cui ita videtur; et Pacuvium tragicum; et Cæ-

de nostro poëta excidisse, quæ nullo modo defendi, ac ne tolerari quidem possunt.

Illud quidem libenter sumimus, quod de judicio populi fatetur: quo etiamsi superatum esse legam a Philemone Menandrum, nondum tamen ideo Menandro major est Philemon. Debet enim, ni fallor, eruditis idem licere, quod populo: ut hic quidem pro suo captu, illi pro ingenio et doctrina sententiam ferant. At enim populi judicio hic standum est: populo dabantur fabulæ; et is 'non ad discendam sermonis puritatem eo confluebat, sed ad animum risu ac jocis relaxandum:' quæ Scaligeri verba sunt. Sed περιεργία populi non tollit artium instituta. Quando in foro reus accusatur ac defenditur, populus non confluit ad discendam sermonis elegantiam; neque propterea non laudabitur Orator, qui ei studet. Confluxerit populus ad oblectandum animum visu et auditu rerum ridicularum; huic desiderio explendo, nemo opinor Poëta fabulam scripserit: histrione enim quam poëta dignior hæc opera esset. Poëtæ institutum ad philosophiam spectat: atque in Comœdia hoc ipsum agit, ut, dum putat populus ludicram rem geri, amore virtutum, odio vitiorum, quæque his affinia sunt, et ad emendandos mores pertinent, imbuatur. Rudioribus itaque temporibus, rudius hoc solebat fieri: animisque nec compositis nec excultis aliquid indulgendum erat. Accedente quodam cultu, ut in omnibus civitatibus ab inconditis moribus ad gradus quosdam disciplinæ proceditur, temperandum erat quicquid nimium videbatur; invitatis et placide traductis ad rectiora animis, ut voluptatem non jam ex solo risu, quod imperitissimorum est, sed ex consuetudine vitæ fortunæque humanæ, eleganti rerum textu ac consecutione per imitationem expressa, sibi petendam judicarent. Quam ipsam rem cum Comœdia Nova sibi proposuisset, aliorum industria sane profecerit; certe solius Terentii ingenio ad fastigium ascendit. Si igitur Volcatius Sedigitus de Comicis judicium ferre voluit, cur tam diversa miscuit? Cur Plautum et alios ideo prætulit, quod plus de antiquæ Comœdiæ genio referrent; cur populo, etiam cultiori sæculo haud ægre ad solutiora respicienti, adulatus potius, quam Poëseos instituto, et doctrinæ legibus obsecutus est? Sed mittamus Sedigitum: qui tamen errandi Scaligero auctor fuit: nam, ut ejus judicium defenderet, suo non bene usus est. Quis enim porro ferat ista? 'At res putentur ipsæ, profecto languidiores erunt Terentianæ:' quam apud Plautum scilicet aliosque. Quis demum ille languor? si omnia excutias, hoc dicendum fuerit: Quæ res in Comœdia ita exhibentur, ut minus captetur risus, neque jocis et facetiis omnia impleantur, illæ languidiores sunt. Nunquam tulisset ille princeps Criticorum æquo animo, si quisquam alius pronuntiasset languidiorem esse Poësin, ubi retinetur, quod est difficillimum, sed Poëta accurato dignum, ex hilaritate modus. Quid? quod urbanitatis eruditæ ac festivitatis artificio nemini cedit Terentius. Tantum obest rationi auctoritas, cui te semel

cilium fortasse comicum. Unum vero est genus perfecti, a quo qui absunt, genere differunt, ut ab Accio Terentius, sed in eodem non sunt pares.

Et infra.

Iidem et Andriam et Synephebos, nec minus Terentium et Cæcilium, quam Menandrum legunt. Quod est igitur eorum in orationibus e Græco conversis fastidium, nullum cum sit in versibus?

Lib. VII. Epist. 3. ad Attic.

Secutus sum, non dico Cæcilium, Mane ut ex portu in Piræeum, (malus enim auctor latinitatis est,) sed Terentium, cujus Fabellæ, propter elegantiam sermonis putabantur a C. Lælio scribi: Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeum.

In Lælio.

In Andria familiaris meus Terentius dixit.

permiseris. Et excogitandum tamen aliquid fuit, ne sine ratione videretur disputari. 'Quando,' inquit Scaliger, 'res eo perducta est, ut nos in lingua patria, hoc est, Latina simus peregrini, quam ex nitidissimi cujusque auctoris operibus emendicatam, ad ea, quæ sentimus, applicaremus; atque in ea Terentianæ munditiæ potiores essent salibus Plautinis: quantum propter animi voluptatem tribuerunt Plauto Prisci, tantum ætas nostra ob linguæ Latinæ cultum, Terentio. Ille igitur illorum secunda fortuna commendatus: hic nostra miseria magnus factus est. Nam equidem Plautum ut Comicum, Terentium ut locutorem admirabor.' Si miseria junioris ævi causam dedit ἁμαρτήματι κριτικῷ, quid ergo ante tot sæcula Horatium movit, ut stultitiæ postularet eos, qui sales Plautinos ad urbanitatem et leporem referrent? ut non phrasin magis Terentii, quam sales et lepores tanto studio consectaretur? At unus et item alter ob solum linguæ Latinæ nitorem nuper tantum Terentio tribuit. Nescio, quinam illi fuerint: omnium minime decebat Scaligerum in eo numero esse: qui, si tanta intensione animi tractasset Terentium, quanta Virgilium, non minus perfectum in suo opere illum per omnia judicasset. Sunt autem, ut omnibus patet, inter eruditos non pauci, et fuerunt, qui orationem Terentii merito quidem adamarunt, longe plura autem, id est, omnia ea, quibus opera hujusmodi commendantur, in eo admirati sunt: nec ut 'locutoris' (absit verborum vilitas, ubi plus quam verba spectantur) sed ut Comici et Philosophi exacti hoc exemplar sibi proposuerunt. Enimvero, qui præter stylum nihil in Terentio amare didicit, eum a Musis et Gratiis cum maxime alienum esse, nemo abnuat. Sed hæc hactenus ad Jul. Scalig. Poët. lib. III. cap. 96. et lib. VI. cap. 2. *Jo. Henr. Bœclerus.*

Et mox.

In obsequio, quoniam Terentiano verbo libenter utor, comitas adsit.

Horatius, lib. Epist. ad Augustum.

Dicitur Afranî toga convenisse Menandro:
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi:
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit, et hos arcto stipata theatro
Spectat Roma frequens.

Ovidius, lib. II. Tristium.

Nec liber indicium est animi; sed honesta voluntas
Plurima mulcendis auribus apta refert.
Accius esset atrox: conviva Terentius esset;
Essent pugnaces qui fera bella canunt.

Volcatius Sedigitus, apud A. Gell. lib. XV. cap. 24.

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poëtæ comico cui deferant.
Eum, me judice, errorem dissolvam tibi:
Ut contra si quis sentiat, nihil sentiat.
Cæcilio palmam Statio do comico.
Plautus secundus facile exsuperat ceteros.
Dein Nævius, qui servet pretium, tertiu'st.
Si erit, quod quarto, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Atilium.
In sexto sequitur hos loco Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo causa antiquitatis Ennium.

Velleius Paterculus, lib. I.

Dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentiumque, et Afranium suppari ætate nituerunt.

Fab. Quintilian. lib. X. cap. 1.

In Comœdia maxime claudicamus; licet Varro dicat, Musas Ælii Stilonis sententia Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent: licet Cæcilium laudibus ferant: licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur: quæ tamen sunt in hoc genere elegantissima, et plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus trimetros stetissent.

Idem Declamat. IX. sive Gladiator.

Terentium, quem inter ceteros captivos, secundo Punico bello, Scipio Africanus vinculis exsolverat, memoriæ tradidere majores, insigne receptæ libertatis pileo testantem in triumpho ducis esse conspectum.

Plinius, lib. I. Epist. 16.

Legit mihi nuper epistolas, quas uxoris esse dicebat: Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi.

A. Gellius, lib. VII. cap. 14.

Vera autem et propria hujusmodi formarum exempla in Latina lingua M. Varro esse dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.

Idem, lib. VII. cap. 21.

Neque magno intervallo postea Q. Ennius, et juxta Cæcilius et Terentius, ac subinde Pacuvius: et Pacuvio jam sene Accius, clariorque tunc in poëmatis eorum obtrectandis Lucilius fuit.

Ausonius, in Protreptico ad Nepotem.

Tu quoque qui Latium lecto sermone, Terenti,
Comis et astricto percurris pulpita socco,
Ad nova vix memorem diverbia coge senectam.

Lactant. de Falsa Sap. cap. 4.

Nemo potest de se recte judicare, quod nobilis poëta testatur: Ita enim comparatam esse hominum naturam, &c.

Eusebius in Chronico.

Ptolomæi VI. id est, Philometoris regno decessit P. Terentius, quo tempore Aristarchus, Homericorum ille versuum censor, floruit.

Hieron. in Chronico, Olymp. 155. ann. 3.

P. Terentius Carthaginiensis, Comœdiarum scriptor, ob ingenium et formam libertate donatus, in Arcadia moritur: qui primam Andriam, antequam Ædilibus venderet, Cæcilio (Acilio) multum se miranti legit.

Idem: de Optimo Genere Interpretandi.

Terentius Menandrum, Plautus et Cæcilius veteres comicos interpretati sunt: numquid hærent in verbis? ac non decorem magis et elegantiam in translatione conservant, quam veritatem interpretationis?

Idem, ad Suniam et Fretellam.

Hanc esse regulam boni interpretis, ut idioma alterius linguæ suæ linguæ exprimat proprietate: quod quidem et Tullium in Protagora Platonis, et in Œconomico Xenophontis, et in Demosthenis contra Æschinem oratione fecisse convincimus, et Plautum, Terentium, Cæciliumque, eruditissimos viros in Græcis Comœdiis transferendis.

Idem, ad Paulinum.

Habet unumquodque propositum principes suos. Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones: philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem: Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium.

Paulus Orosius, lib. IV. cap. 19.

Scipio jam tunc cognomento Africanus, triumphans urbem ingressus est, quem Terentius, qui postea comicus, ex nobilibus Carthaginiensium captivis pileatus, quod indultæ sibi libertatis insigne fuit, triumphantem post currum secutus est.

Livius, lib. XXX. non comicum hunc intelligit, sed ad Terentium Culleonem senatorem Rom. refert, qui pileo capiti imposito secutus est Scipionem triumphantem: certe de alterutro Quintiliani etiam locus ex Declam. IX. intelligendus est. *Lindenbrogius.*

Sidonius Apollinar. Carm. XX.

Quid vos eloquii canam Latini,
Arpinas, Patavine, Mantuane,
Et te, comica qui doces, Terenti,
Et te, tempore qui satus severo,
Graios, Plaute, sales lepore transis?

Rufinus Grammaticus Antiochensis.

Agnovit metrum servatque Terentius artem;
Nam prologos trimetro didicit componere versu,
Scenarumque actus primos pede claudit eodem.

Servius in illud, lib. I. Æneid. 'Talibus incusat.'

Sciendum est Terentium, propter solam proprietatem, omnibus Comicis esse præpositum; quibus est, quantum ad cetera spectat, inferior.

Fl. Sosipater Charisius, lib. II.

Ἤθη, ut ait Varro de Latino Sermone, lib. V. nulli alii servare convenit quam Titinnio et Terentio. Πάθη vero Trabea, inquit, et Attilius et Cæcilius facile moverant.

Isidor. Origin. lib. I. cap. 39.

Fabulas poëtæ quasdam delectandi causa finxerunt, quasdam ad naturas rerum, nonnullas ad mores hominum interpretati sunt. Delectandi causa fictas, ut eas, quas vulgo dicunt, vel quas Plautus et Terentius composuerunt.

Ex antiquo cod. Ms. in Bibliotheca Regis Gall.

Natus in excelsis tectis Carthaginis altæ
Romanis ducibus bellica præda fui.
Descripsi mores hominum, juvenumque, senumque,
Qualiter et servi decipiant dominos:
Quid meretrix, quid leno dolis confingat avarus;
Hæc quicumque legit, sic, puto, cautus erit.

DE ÆLIO DONATO.

Hieronym. in Chronico Olymp. 284.

Victorinus rhetor et Donatus grammaticus, præceptor meus, Romæ insignes habentur: e quibus Victorinus etiam statuam in foro Trajano meruit.

Idem Apolog. advers. Rufinum.

Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium Commentarios: Vulcatii in Orationes Ciceronis: Victorini in Dialogos ejus, et in Terentii Comœdias præceptoris mei Donati, æque in Virgilium, et aliorum in alios; Plautum, Lucretium, Flaccum, Persium, atque Lucanum. Argue interpretationes eorum, quare non unam explanationem secuti sint, et in eadem re quod vel sibi, vel aliis videatur enumerent.

Hieronym. in Eccles. cap. 1.

Comicus ait: Nihil est dictum, quod non sit dictum prius: unde et præceptor meus Donatus, cum ipsum versiculum exponeret, Pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt.

DE EUGRAPHIO.

Gerbertus quondam scholasticus ad Airardum, Epist. VII.

Petitionibus tuis annuimus: nostra ut exequaris negotia, velut propria, monemus. Plinius emendetur, Eugraphius recipiatur.

Gerbertus hic postea PP. factus, Sylvester dictus fuit, vixitque sub Othone III. Imp. circa A. C. 998. Vid. Fascicul. Tempor. Onuphrius Panvin. in Chron. Eccles. et alii.

ELENCHUS ALPHABETICUS

SCRIPTURÆ COMPENDIORUM

QUÆ IN HAC TERENTII EDITIONE INVENIAS.

A B C	Hæ notæ explicantur in p. 18. Præfationis.
Arg.	Editio Argentina. Præf. p. 7.
Bas.	Codex Basilicanus.
Bem.	Codex Bembinus.
Bent.	R. Bentleius.
Bip.	Bipontina Editio.
Bodl.	Bodleianus Codex.
Bœcl.	Bœclerus.
Bœnd.	Bœndermakeri Codex. Vide Præf. p. 5.
Both.	F. H. Bothe.
Br.	Codex Halensis D. Pauli J. Bruns. Vid. Præf. p. 18.
CCC.	Ms. Collegii Christi Corporis.
Dac.	A. Dacieria.
Davent.	Editio Daventriensis. Præf. p. 7.
Do.	Donatus.
EA.	Editio Anonyma. Vid. Præf. p. 6.
EM.	Editio Mediolanensis.
EP.	Ed. Prima: ann. 1469. Vid. Præf. p. 6.
Er.	Erasmus.
ET.	Editio Tarvisiana. Præf. p. 6.
Eug.	Eugraphius.
EV. 1.	Editio Veneta 1490.
EV. 2.	——— 1512.
EV. 3.	——— 1521. Aldina.
EV. 4.	——— 1559. Vid. Præf. p. 7.
Fa.	Faërnus.
F. F.	Franc. Fabricius.
F. H.	Franc. Hare.
G.	Ms. Grævii. Præf. p. 4.
GC.	Gothanus Ms. Chartaceus.
G. F.	Georg. Fabricius.
Glar.	Glareanus.

GM. Gothanus Ms. Membranaceus: qui Friderico C. G. Perlet antiquior videtur chartaceo. Vide GC. supra.

Gov. Goveanus.

Gu. 1. 2. Sic suos Guelferbytanos codd. appellat Bothe. Vid. Præf. p. 18.

Guelf. 1. 2. 3. Hi sunt tres codd. sic ordinati a Perlet. De quatuor codd. Guelf. sic loquitur vir doctus: "Ante omnes, Guelferbytani, s. Wolfenbuttelani codd. quatuor maximo usui mihi contigerunt. Quos ab Langero, bibliothecario meritissimo, venia data ab his qui ex intimis Sereniss. Ducis Brunswigæ florent, ut acciperem impetravisse me gratissimo animo testor. De his codd. membr. est unus, forma splendida, in fol. de anno 1433. Secundus mihi Guelf. cod. in 4to. est, vix aliqua re præter formam insignitus. Tertius scriptus est a duabus manibus diversis. Ultimum commemoro Guelf. librum, quem debeo humanitati Langeri ultro mihi superaddentis." Ceterum, quod attinet ad tres priores horum codd. et quos nominamus Gu. 1. 2. hæc notanda judicavimus: Re diligenter perpensa, credimus Gu. 1. Bothii esse eundem ac Guelf. 3. Perletii: (Cf. VV. LL. ad Andr. I. 1. 72. Eun. Prol. vs. 3. Adelph. I. 1. 48. v. 8. 6.) et Gu. 2. Bothii eundem esse ac Perletii Guelf. 2. (Cf. VV. LL. ad Andr. I. 2. 20. et 3. 13.) At, quoniam vix omnes nodos, qui nobis quærentibus erant impedimento, possumus expedire, potius eorundem codicum lectiones repetere, quam in ambages et insidias lectores adducere visum est. Ergo quisque pro se judicet.

Guy. Guyetus.

Hel. Vid. Præf. p. 18.

Hul. Donati Ms. Hulst.

J. 'Addo,' ait Perlet, 'lectiones e codice Jenensi, Romano ac Veneto desumtas, quas variantes Bachius familiaris benigne mecum communicavit.'

Junt. Ed. Juntina.

Leid. 1. 2. 3. 4. 5. Codices Leidenses. Præf. p. 1.

Lind. Lindenbrogius, s. Lindenbruchius.

M. Ms. Markianus. Præf. p. 4.

Mur. Muretus.

Pal. et Pall. Palatinus et Palatini: Parei codices.

Par. Pareus.

Par. 1. 2. 3. Parei codices.

Perl. Frid. C. G. Perlet.

Pet. Codex Petrensis.

Pict. Editio Pictaviensis. Præf. p. 7.

Pr. Priscianus.

R. Ms. in Bibl. Reg. Paris.

RC. Romanus Cod. apud Perlet.

R. D. Ruhnkenii Dictata. Vid. Præf. p. 30.

Riv. Rivius.

St. Editio R. Stephani. Præf. p. 7.

Tr. Codex Academiæ Trajectinæ. Præf. p. 4.

V. Codex Vaticanus.

Vi. Victorianus Ms.

Vict. "Victorius vel Victorianus cod." Sic hæc nota in usu est apud Perlet, et sic ab eo explicata.

West. Westerhovius.

Wiel. Abr. Wielingius. Vid. Præf. p. 8.

Wit. Ms. V. D. De Wit. Vid. Præf. p. 5.

Z. Zeuniensis ed. Lond. 1820. Paucissimis exceptis, repetitio (si Auctorem spectes) mera est editionis Frid. Lindenbrogii.

Zeun. M J. C. Zeunius.

PUB. TERENTII

ANDRIA.†

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS,[1] M. FULVIO ET M. GLABRIONE ÆDILIBUS[2] CURULIBUS. EGERUNT L. AMBIVIUS TURPIO, ET L. ATTILIUS PRÆNESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS[3] CLAUDII[4] FILIUS, TIBIIS PARIBUS,[5] DEXTRIS ET SINISTRIS.[6] ET EST TOTA GRÆCA.[7] EDITA M. MARCELLO[8] ET CN.[9] SULPICIO COSS.[10]

† *Publii Terentii Carthaginiensis Afri Andria.* Sic hanc Fabulam coronat Lindenbrogius, et sic notat: '*Pub. Terentii Carthaginiensis*] Asserere hunc titulum Terentio volui, quem in nonnullis exemplaribus ita conceptum reperi. Itaque sic vocatur a Donato, et a quibuscumque aliis Vitam illius descriptam habemus. Fuit alius Terentius Libo, de quo in Prolegomenis: cujus fortean fragmenta sunt, apud Varr. de L.L. lib. v. 'Gaudia sua si omnes homines conferant unum in locum, tamen mea exsuperet lætitia.' Et Gellium Noct. Attic. lib. XVIII. c. 11. 'Pallium face ut splendeat.' At vero verba illa apud Festum in Summussi: 'Quod potes sile, cela, occulta, tege, tace, mussa, mane:' potius Cæcilii, quam Terentii esse puto. Ex Carthaginiensis vero hujus sex, quæ reliquæ sunt, fabulis, cum primum in scenam producta esset Andria, pronuntiata fuit 'Andria Terentii,' ut et 'Adelphœ:' quemadmodum docet Donatus. At in reliquis omnibus nomen Auctoris præpositum: quod scire nos, suffecerit. Nam ita nunc quoque edi debere, futilis ratio esset: nec puto quemquam adeo inepte religiosum, ut in hoc me errasse dicat.' Hæc habet Editor Delphinensis:

Andria] Hæc Comœdia prima Terentii nominatur Andria, ab Andro, Insula Maris Ægæi (*l'Archipelague*), hodie *Andrò*.

1 *Ludis Megalensibus*] Exhibita in ludis Scenicis, Cybele magnæ Deorum Matri sacris.

2 *M. Fulvio et M. Glabrione Ædilibus*] Ædiles erant Magistratus Romæ; ex eo dicti, quod ædes sacras et privatas curabant; ut annonam quoque, et ludos et spectacula publica, quæ populo exhibebant: propterea Fabulas, Tragœdias, et Comœdias a Poëtis emebant, agique mandabant. Primo Ædiles ex plebe creati sunt: deinde duo ex Patriciis adjuncti; qui Curules nominati sunt, quod honoris causa in Curiam curru veherentur: in quo sella eburnea erat imposita, in qua considerent.

3 *Modos fecit Flaccus*] Id est, numeros composuit Canticorum, qui post singulos Actus canebantur, eosque distinguebant.

4 [*Claudii*] In Mss. plerisque *Claudi*. Perlet. Sic dat Both. qui, '*Claudi:*'

ait: 'Intell. libertus. Vulgo male additur *filius*.']

5 [*Paribus*] In quibusd. vett. *parilibus*. Lind.]

6 *Tib. &c.* [*Tibiis paribus, et imparibus: dextris, et sinistris*] Tibiæ dextræ et sinistræ dictæ sunt a lateribus unde inflarentur. Pares sunt dextræ, vel sinistræ, si solis dextris, vel solis sinistris caneretur: impares, si una dextra, altera sinistra: quæ impares dictæ sunt, quia, ut numero foraminum, sic etiam sono differebant. Nam dextra pauciora habebat foramina, ac proinde sonum graviorem: sinistra plura, idcirco sonus erat acutior. Quod si dextra et sinistra jungerentur, sonus erat mixtus ex gravi et acuto. Dextræ quoque Lydiæ dicebantur; sinistræ Sarranæ, a Sarra, quæ aliter Tyrus dicta est, unde Sarranum ostrum, pro purpura Tyria. Dextra et sinistra dictæ sunt Phrygiæ. Lydiæ conveniebant rebus gravibus; Sarranæ, sive sinistræ jocis. Phrygiæ adhibebantur, si jocis gravitas misceretur. Hæc fabula Andria acta fuit tibiis paribus, partim solis dextris, partim solis sinistris: nec enim semper in tota fabula iisdem modis utebantur, sed sæpe eos mutabant: quod cum fiebat, ascribi solebat, M. M. C. hoc est, Mutantur Modi Cantici.

7 *Et est tota Græca*] Id est, argumenti Græci; nam in ea inducuntur Græci, cunctaque scribuntur secundum ritus Græcorum. Græcæ Comœdiæ dicuntur Palliatæ, ut Latinæ Togatæ: nam Græci super Tunicam Pallium inducebant; Latini vero Togam.

8 *Edita M. Marcello*] Priscum quidem et primum fuit institutum Romanorum, per annos Regum et Consulum tempora notare: mos vero, numerare res gestas ab annis Urbis conditæ, sero cœpit.

9 [Glar. legit *Caio.*]

10 [Mihi sic Inscriptio hæc videtur legenda: *Andria Terentii. A. l. M. M. Fulvio, M. G. æ. c. Egere L. A. Turpio, L. A. P. M. f. Clau. Flaccus, Clau. Filius t. p. et imparibus, hoc est, sinistris et dextris. Tota Gr. est. Menandrou. Edita M. Marcello, Cn. S. C.* Gov.]

FABULÆ INTERLOCUTORES.

SIMO, *senex, pater Pamphili: a simo naso nominatus. Simi iracundi.*

SOSIA, *libertus Simonis. A σώζειν, servare, in bello servatus.*

DAVUS, *servus Simonis. A patria. Davi enim iidem ac Daci.*

MYSIS, *ancilla Glycerii. A patria Mysia.*

PAMPHILUS, *adolescens, filius Simonis. A τὸ πᾶν, et φίλος; omnium amicus.*

CHARINUS, *adolescens, amans Philumenam. A χάρις, gratiosus.*

BYRRHIA, *servus Charini. A πυῤῥὸς, rufus.*

LESBIA, *obstetrix Glycerii. A Lesbo patria, ferace vini suavissimi.*

Glycerium, *amica Pamphili. A γλυκερὸς, dulcis.*
Chremes, *senex, pater Philumenæ. A χρέμπτεσθαι, screare, quod senes screare soleant.*
Crito, *hospes Andrius. A κριτὴς, judex.*
Dromo, *lorarius. A δρόμος, cursus.*

C. SULPICII[1] APOLLINARIS PERIOCHA[2] IN TERENTII ANDRIAM.

Sororem falso creditam meretriculæ,
Genere Andriæ, Glycerium vitiat Pamphilus:
Gravidaque facta, dat fidem, uxorem sibi
Fore hanc; nam aliam pater ei desponderat,[3]
Gnatam Chremetis: atque, ut amorem comperit,
Simulat futuras nuptias; cupiens, suus
Quid haberet[4] animi filius, cognoscere.
Davi suasu non repugnat Pamphilus.
Sed ex Glycerio natum ut vidit puerulum
Chremes, recusat nuptias, generum abdicat.
Mox filiam Glycerium insperato agnitam
Hanc Pamphilo dat, aliam[5] Charino conjugem.

Pamphilus, Simonis filius, pudicitiæ Glycerii, filiæ Chremetis, vitium offert. Hæc falso credebatur soror Chrysidis meretriculæ ex Andro insula; quam Glycerium cum gravidam fecisset Pamphilus, dat ei fidem se hanc uxorem ducturum: nam pater Simo illi desponderat aliam Chremetis filiam, nomine Philumenam: utque rescivit Simo filium captum esse amore Glycerii, fingit nuptias se illi parare mox faciendas, volens deprehendere animum Pamphili de uxore ducenda: ille, suasu Davi servi, ait patri Simoni, se quam is dederit uxorem libenter accepturum: sed, ut Chremes vidit puerulum natum esse ex Glycerio, Pamphilum generum rejicit, nuptias recusat: mox filiam Glycerium cum agnovisset præter spem, dat eam Pamphilo; aliam nomine Philumenam dat etiam in uxorem Charino.

NOTÆ

1 *C. Sulpicii*] Sulpicius Apollinaris ille est, qui, a Gellio sæpe laudatus, Pertinacem Imperatorem literas docuit.

2 *Periocha*] Est brevis explicatio rem comprehendens, a περιέχειν, comprehendere, complecti.

3 [*Nam, &c.*] *Nam pater ei aliam desponsaverat* dat Both. qui ita notat: '*Desponsaverat* dedi ex B et Hel. cum vulgo legatur inconcinne: *nam aliam p. ei desponderat.* C *sibi desponderat.*']

4 [*Hab.*] A *habeat*, minus bene. *Both.*]

5 [*Hanc, &c.*] Vulgo *aliam* legitur pro *illam*, confusione *A* et *I* literarum non infrequenti in codicibus. *Id.* qui exhibet *H. P. illam dat Ch. Z. Dat P. hanc, aliam Ch.*]

ÆLII DONATI,

V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ,

PRÆFATIO IN ANDRIAM TERENTII.

Comœdia Andria, cum Palliata sit, de loco nomen accepit, a[1] Menandro prius, et nunc ab ipso Terentio: qui, cum de Chryside loqueretur, sic ait: 'Hei, vereor, ne quid Andria apportet mali:' et hoc commune vocabulum est et in Græca et in Latina lingua. Hæc majori ex parte Motoria est; continetque actus amatorum adolescentium, et patrum piorum. Sunt ibi callidi servi, astutæ ancillæ, severi senes, adolescentuli liberales. In hac, primæ partes senis Simonis sunt, secundæ Davi, tertiæ Chremetis, et deinceps reliquorum. Prologus in hac acer inducitur, et in adversarios non mediocriter exasperatus, sed tamen id subtiliter, ut omnia lacessitus facere videatur, ac dicere. Hic protasis subtilis, epitasis tumultuosa, catastrophe pæne tragica; et tamen repente ex his turbis in tranquillum pervenit. Hæc prima acta est ludis[2] Megalensibus, M. Fulvio et M. Glabrione Ædilibus Curulibus.[3] Egerunt L. Attilius Prænestinus et L. Ambivius Turpio. Modos fecit Flaccus, Claudii filius, tibiis paribus, dextris et sinistris. Et est tota Græca, edita M. Marcello et Cn. Sulpicio Coss. Pronuntiataque est Andria Terentii, ob incognitum adhuc nomen Poëtæ, et minoris apud populum auctoritatis ac meriti. Diverbiis aut canticis[4] lepide distincta est: et, successu spectata prospero, hortamento Poëtæ fuit ad alias conscribendas. Initium autem προτατικὸν πρόσωπον, id est, adventitiam personam recepit Sosiæ, propter evolvendam argumenti obscuritatem. Persona autem protatica ea intelligitur, quæ, semel inducta in principio Fabulæ, in nullis deinceps Fabulæ partibus adhibetur. Annotandum sane, puellarum[5] liberalium nullam orationem in proscenio induci,

1 *Et a* dant edd. Delph. et Z.

2 Vet. cod. Petr. Danielis *Hæc pr. facta est, acta ludis.* Lind.

3 Al. *M. Fulvio ædile, et M. Glabrione, Q. Minucio Valerio curulibus.* Id.

4 *Diverbiis authenticis.* Sic quidem omnes scripti libri. Sed non dubito quin vera sit emendatio hæc: *Div. aut canticis.* Id.

5 *Annotandum sane, puellarum*] Falsum est, quod hoc loco monet Dona-

in Comœdia Palliata, præter invocationem Junonis Lucinæ; quæ et ipsa quoque post scenam fieri solet.

tus, puellas liberales nusquam in Palliata Comœdia loqui: loquitur enim in Heautont. Antiphila, in Plauti Curculione Planesium, in Epidico virgo illa Stratippoclis, aliæ alibi. *West.*

ÆLII DONATI ARGUMENTUM IN ANDRIAM.

CHREMES Atticus, pater Pasibulæ et Philumenæ, cum ex his duabus se Pasibulam perdidisse falso crederet, relictam Athenis, nec visam postea multo tempore, tanquam unicam sibi putabat Philumenam: quam Charinus adolescens Atheniensis adamabat unice, et sibi petebat uxorem. Sed pater eam Pamphilo cuidam Simonis filio ultro desponderat: qui Pamphilus contra sororem Chrysidis, ac peregrinam tum creditam, Pasibulam supra dictam, alteram Chremetis filiam, sub nomine Glycerii, latenter sic amavit, ut ex ea filium suscepisset inscio patre. Qua re intellecta, commotus Simo pater Pamphili, dum per falsas nuptias tentat animum Pamphili, multis modis a Davo ipse deluditur servo: periculoque Charini et Pamphili motus error in Fabula usque ad eum finem ductus est, dum Athenas veniens Andrius quidam Crito rem aperiat, et nodum Fabulæ solvat: per quem agnita Pasibula recipitur a parentibus, et traditur Pamphilo amanti: Philumena vero Charino despondetur, et traditur exoptanti. Perspecto argumento, scire debemus, hanc esse virtutem poëticam, ut a novissimis argumenti rebus incipiens, initium Fabulæ, et originem narrative reddat spectatoribus: auctoremque præsentem sibi exhibeat,[1] ubi finis est Fabulæ. Hunc enim orbem[2] et circulum poëticæ virtutis[3] non modo secuti sunt Tragici Comicique Auctores: sed Homerus etiam et Virgilius tenuerunt. Divisionem Actuum in Latinis Fabulis internoscere difficile est: causam jamdudum demonstravimus. Unde autem, aut quo modo, quamvis ægre, tamen intelligi distinguique possint, est operæ pretium dicere. Principio dicendum est, nullam personam, egressam quinquies, ultra exire posse. Sed illa re plerumque decipimur, quod personam, cum tacuerit, egressam falso putamus: quæ, nihilominus in proscenio tacens, loquendi tempus expectat. Est igitur attente animadvertendum, ubi et quando scena vacua sit ab omnibus personis, ut in ea Chorus vel Tibicen audiri possit: quod cum viderimus, ibi Actum esse finitum debemus agnoscere. Confundit sæpe lectorem id, quod persona in superiori scena desinens, et in proxima incipiens loqui, non intelligitur ingressa: quod ipsum experientes, statim dijudicant de rerum ac temporum quantitate. Post enim fieri, ut et ingressa sit ac egressa, quam prave credimus de proscenio non recessisse. Posse autem quinto egredi personam, non et necesse esse dicimus: ut appareat ultra exire non posse. In Tragœdia et parcius exire, et solere pariter, et licere. Primus Actus in Andria narrationem Simonis apud Sosiam continet argumenti: quod populus hac occasione perdiscit: mox querelam apud se Davi de domino, et ejusdem cum domino verba, et rursus ejusdem servi deliberationem, quid rerum gerat. Secundi Actus hæc sunt: Charini verba primo cum Byrrhia servo, et post cum ipso Pamphilo de nuptiis Philumenæ: Davi interventus, et cum eo disputatio de nuptiis Pamphili: Pamphili sermo cum patre, dolo consentientis in nuptias: Byrrhiæ verba: Davi callida oratio adversum senem. Tertio Actui hæc attribuuntur: Mysidis cum obstetrice colloquium, Davo ac Simone audientibus: partus Glycerii suspectus seni: et Davi apud eum fraudulenta sermocinatio. Simonis verba cum Chremete de nuptiis: Davi perturbatio ac Pamphili. Quartum Actum per hæc intelligimus. Prima Charini verba sunt, indignantis velut fidem sibi non servatam a Pamphilo: tum Mysidis verba apud Pamphilum, ejusdemque questus: Davi administratio doli adversus Chremetem. In quinto Actu: Simonis et Chremetis prope jurgium disputatio; tum detectio fallaciarum Davi; tum indignatio patris adversus filium; tum Critonis interventus: et per eum cognitis rebus in tranquillum res acta, ducentibus uxores, quas concupiverant, Pamphilo et Charino. Illud non commovere nos debet, quod in horum Actuum distinctione videntur de proscenio non discessisse personæ quædam: sed tenere debemus, ideo Terentium vicinitatis mentionem fecisse in principio, ut modico receptu et adesse et abesse personam intelligamus. Nihil ergo sequius[4] factum est ab antiquis, qui ad hunc modum Terentianas Fabulas diviserunt.

1 Excerpta Ms. R. *exhibiturus.* Lind.

2 Ita R. Al. *ordinem.* Id.

3 Al. *poëticæ artis et virt.* Id.

4 *Secus* Z.

ARGUMENTUM EUGRAPHII † IN ANDRIAM.

SED nunc de Andria videamus. Andria prima fabula ideo vocatur, eo quod ex Andro, insula Græcorum, venerit Chrysis fœmina Athenas, ubi hæc acta referuntur, et cum Chryside alia, quæ vocabatur Glycerium, cum non esset ex Andro sed potius Atheniensis, sicut consequentia manifestant. Argumentum totius fabulæ istud est.

Bello exorto Athenis Chremes quidam Atheniensis, relictis omnibus, ad alia demigravit. Cujus frater Phania, qui Rhamnusius dictus est, accipiens filiam illius, neptem videlicet suam, nomine Pasibulam, quæ postea Glycerium dicta est, in Asiam proficiscitur, quærens fratrem suum, nomine

† Vid. Præfationem excerptam e D. Paulo Jac. Bruns.

Chremetem. Sed nave fracta, venit simul cum nepte adhuc parvula, ad insulam Græcorum, nomine Andrum, ibique dum moraretur per aliquot dies in hospitio cujusdam viri qui habebat filiam vocabulo Chrysidem, morte præventus est. Nec multo post pater Chrysidis quoque moritur. Tum illæ duæ puellæ ab Andro proficiscentes, cum aliis pedissequis, Athenas devenerunt, falsoque Pasibula, quæ et Glycerium, credebatur soror esse Chrysidis ob maximam familiaritatem. Illis quoque diebus et Chremes reversus est, pater Pasibulæ, cum alia filia, Philumena nominata. Attamen, cum simul una in urbe habitarent, Chremes et filia ejus Pasibula, quæ et Glycerium, a nemine agnoscebatur, quod filia ejus esset. Non enim recognoscebat illam, quoniam admodum parvula erat, quando ipse ab Athenis demigravit. Quo tempore Simo quidam Atheniensis desponsavit filio suo Pamphilo filiam Chremetis Philumenam. Sed, dum cum aliis juvenibus Pamphilus ad domum Chrysidis meretricis concurreret, non propter ipsam, sed propter Glycerium, quæ falso soror Chrysidis credebatur, nimium iratus pater ejus Simo simulavit se velle nuptias accelerare, statuitque diem nuptiarum, quando filius ejus filiam Chremetis Philumenam, quam ei desponsaverat, duceret, filio totum ignorante, volens probare, si verum esset, quod de filio audiebat, dum ille aut sperneret Philumenam propter scortum quæ dicebatur Glycerium aut etiam duceret. Habebat autem libertum suum nomine Sosiam et servum Davum, quorum consilio credebat filium amare Glycerium, et, dum eis manifestasset, quidam renuntiavit omnia Pamphilo, filio illius. Qui, quia fidem habebat promissam Glycerio, juravit nullo modo eam dimittere. Tunc Davus astutissimus dedit ei consilium, quatenus interrogatus a patre Simone, si vellet Philumenam ducere, non repugnaret, sed se velle obedire diceret, sicque delusus pater prolongaret ipsas nuptias; sicque fecit. Sed Chremes, ut vidit natum puerulum ex Glycerio, recusavit nuptias, ignorans Glycerium filiam esse suam. Tunc temporis supervenit ab Andro vir nomine Crito, cognatus patris Chrysidis; atque, dum inter Simonem et Chremetem Pamphilumque altercatio esset, nimiumque Simo iratus esset filio suo Pamphilo, advenit Crito Andrius et edocuit ista omnia superius dicta, Glycerium videlicet filiam esse Chremetis. Et, quia Philumena, quam ei pater desponsaverat, soror erat Glycerii, placuit, ut Pamphilus Glycerium haberet; Philumenam vero dedit Chremes Charino, qui eam ducere volebat.

Sensus vero totius fabulæ iste est, sed Comicus miro eam dilatavit modo multaque honesta inseruit. Argumenta et prologos licet quidam autument a Caliopio, ejus recitatore, esse compositos, tamen sciendum, ab eodem Comico fuisse compositos, teste Prisciano, qui versiculum primi prologi in exemplum sumit. In prologis autem nihil aliud ostendit, nisi quod æmulis et reprehensoribus suis respondet, sicque ibi de se quasi de alio loquitur. Illud quoque, quod in fine omnium fabularum habetur, verba sunt Caliopii, ejus recitatoris; qui, dum fabulam terminasset, elevabat auleam [1] scenæ et alloquebatur populum dicens: Vos valete, vos plaudite; sive Favete et plaudite.

1 Lege *aulæa*. Vid. Præf. *Bruns.*

PROLOGUS. †

Poeta, cum primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negoti credidit solum dari,
Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.
Verum aliter evenire multo intelligit:
Nam in prologis scribundis operam abutitur;

Cum primum Terentius Poëta animum applicuit ad faciendas Comœdias, credidit hunc sibi tantum laborem imponi, ut Comœdiæ, quas fecisset, populum delectarent: verum animadvertit, multo aliter quam putaverat evenire: nam in prologis scriben-

*** Notas Bentleianas, quas in his VV. LL. ad Andriam inveneris, e Z. fere extraximus. Id quidem fecimus, ut brevitati consuleremus. At, cum Bentleii famæ et veræ harum VV. LL. utilitati vix hac ratione satis factum postea videretur, tandem judicavimus in variis ceterarum Fabularum lectionibus exponendis paulo quidem longiorem, at certe magis fidam, Faërni ac Bentleii Notarum Epitomen exbibendam.—Quam rationem inierit ipse Zeunius, explicatam ejus verbis accipe: 'Faërnum quidem olim, et postea Bentleium cum intellexissem multam Terentiano textui emendando et lectionum auctoritate confirmando operam dedisse; ab usu hujus editionis critico, præsertim cum multæ Lindenbrogii notæ eundem spectent, non alienum duxi, ubique utriusque viri sententiam adjungere; sed, ne liber magnitudine et scholiorum nube molestus lectoribus, et forte pretio emtoribus incommodus existeret, hoc temperamento sum usus, ut fere verbis meis, ad rem brevius, salva perspicuitate, significandam, utriusque viri sententiam in compendium redigerem, et uni nomini tribuerem Bentleii; adeo ut copia locorum omissa, et verborum formularumque ambagibus detractis et crebris ejusdem rei repetitionibus vitatis, nihil nisi sententiæ argumentorumque, sive a codicum auctoritate, sive metri legibus, sive loquendi usu, et elegantia sermonis sumtorum, summam spectandam sequendamque mihi esse existimarem.'

2 *Negotii* Br. Pareus distinguit *dari Populo, ut:* damnat West.—5 *Operam* vulg. at Par. ex Pall. *opera*. Perlet. *Opera* quoque esse in Bodl. notat

NOTÆ

† *Prologus*] Est oratio, quæ ad spectantes ante fabulam habetur: estque vel commendatitius, vel relativus, vel argumentativus, vel mixtus. Commendatitius est, quo fabula vel Poëta commendatur: relativus sive anaphoricus est, quo maledicta adversario, aut gratiæ populo referuntur: argumentativus, sive hypotheticus est, quo argumentum fabulæ narratur: mixtus est, qui plura horum aut omnia in se continet. Hic Prologus est anaphoricus, sive relativus, defensionem Poëtæ adversus malevolorum accusationes suscipiens.

1 *Appulit*] Appellere proprie est, ex alto mari in portum invehi: cui contrarium est solvere, cum funibus solutis navis e portu discedit.

5 *Operam abutitur*] Abutitur prologo Terentius, quoniam non explicat argumentum, quod vere prologi est officium; sed respondet malevolis, quibus facit invidiam.

Non qui argumentum narret, sed qui malevoli
Veteris Poëtæ maledictis respondeat.
Nunc, quam rem vitio dent, quæso animum advortite.
Menander fecit Andriam et Perinthiam :
Qui utramvis recte norit, ambas noverit.
Non ita dissimili sunt argumento, sed tamen
Dissimili oratione sunt factæ, ac stylo.
Quæ convenere in Andriam, ex Perinthia
Fatetur transtulisse, atque usum pro suis.
Id isti vituperant factum ; atque in eo disputant,
Contaminari non decere fabulas.

dis cogitur uti opera aliter atque convenit : cum argumentum fabulæ non exponat, sed respondeat criminationibus Lucii Lavinii, veteris Poëtæ malevoli. Nunc autem animum attendite, de qua re adversarii hunc vituperent. Menander Poëta Comicus Græcus fecit Perinthiam et Andriam Comœdias. Qui unam earum noverit, ambas noverit ; adeo simili sunt factæ argumento, sed dissimili tamen sermone: et modo loquendi. Terentius fatetur quidem se transtulisse ex Perinthia, Comœdia Græca Menandri, in suam Comœdiam Andriam Latinam quæ sibi commoda visa sunt, hisque usum tanquam sibi propriis. Hanc rem isti culpant: ideoque disputantes aiunt, indecorum esse fabulas Comicas corrumpi, alteram alteri immiscendo.

West.—7 *Maledicis* legit tueturque Both.—8 Guelf. 3. Br. *animadvertite.* In Guelf. 1. script. *advertite.*—11 *Ita non sunt diss. arg.* Both. edidit : 'quomodo,' ait, 'hæc verba etiam Donatus vel scripta invenit, vel certe ordinari voluit.' '*Et tamen* Bent. eleganter. Quam lect. *et* postea se ap. Eugraphium reperisse idem affirmat. Al. *sed.*' Perlet. 'Nisi elidas in *argumento* syllabam, non constat trimeter: aut nisi legas *diss. arg. sunt.*' Erasmus. *Set* Both.—13 Post 'Per.' vult Bent. *hic:* quod edidit Perl. 'Quæ emend.' ait Both. 'confirmari videtur codice B, in quo post 'Per.' verbum quale *hij*, i. e. *hi,* vel quiddam simile, evidenter erasum est.' Monet Perlet *hic* non habere Guelf. 2. 3.—15 Goveanus *Isti id* ex libb. antiquis ob metrum. *West.* Gu. 1. *in eum*, prave legente librario. *Both.*—16 In quibusd. Mss. *debere.* West. Exemplar Bibliothecæ Regis Galliar. *debere.* Lind.—

NOTÆ

9 *Menander*] Fuit Poëta Græcus, princeps novæ Comœdiæ, de quo Ovidius lib. I. Am. 'Dum fallax servus, durus pater, improba lena Vixerit, et meretrix blanda, Menander erit.' Ad ejus exemplum Terentius se composuit; ideo dimidiatus Menander a C. Cæsare nominatus fuit.

Perinthiam] Perinthia Comœdia Menandri dicta a Perintho, urbe Thraciæ, quæ *Pera* est Volaterrano, *Rodosto* Belonio, *Pantiro* Castaldo.

13 *In Andriam, ex Perinthia transtulisse*] Donatus ait Terentium primam Scenam Perinthiæ Menandri in suam Andriam transtulisse.

16 *Contaminari non decere fabulas*] Contaminari res dicitur, cum alteri rei ita immiscetur, ut neutra incorrupta maneat. Livius lib. IV. 'Contaminari sanguinem suum patres, confundique jura gentium rebantur.' Sic Lavinius vitio dabat, quod Terentius mutuabatur ex Menandro ea quæ in rem suam faciebant, et ex multis Comœdiis unam faceret.

Faciunt, næ, intelligendo, ut nihil intelligant ;
Qui cum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium
Accusant ; quos hic noster auctores habet :
Quorum æmulari exoptat negligentiam
Potius quam istorum obscuram diligentiam.
Dehinc ut quiescant, porro moneo, et desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.

Certe, dum nimium intelligentes videri volunt, ostendunt se nihil intelligere : nam, cum hunc Poëtam nostrum reprehendunt, etiam reprehendunt insignes Poëtas Latinos, Nævium, Plautum, Ennium ; quorum auctoritatem Terentius sequitur ; quorum imitari exoptat liberam et negligenti similem in transferendo curam, potius, quam istorum servilem et affectatam in reddendis verbis operam, præ nimia diligentia obscuram. Verum his denuntio, ut in posterum taceant quieti, et desinant maledicere, ne malefacta sua videant manifesta omnibus fieri. Vos quidem, specta-

17 Josephus Scaliger ad Propert. IV. 2. 68. legebat, *Faciunt, ne intelligendo ut nihil intelligant.* Quasi duæ negativæ unius vicem sustineant. Duriuscule, si quid video. Turnebus mallet interrogative, *Faciuntne intelligendo, ut nihil intelligant?* Quo modo tamen plures jam dudum ante eum legisse, Guido Juvenalis auctor est. Quin jam Donati ætate ita a quibusdam lectum, palmario argumento utitur Turnebus, quod τὸ NAE, formatum e Græco Ναὶ, sit fere initiale. Contrarium autem est vel Heaut. v. 1. 45. 'At, næ, illud haud inultum, si vivo, ferent.' Cum Turnebo tamen videntur facere Tanaq. Faber et Dacieria. Gravior autem erit sententia, si legas, ut edidi, utque est in vulgatis.' *West.* Sed et Fr. Sanctius videtur legisse *ne.* Is enim hunc l. respiciens scribit Minerv. II. 19. init. 'Rogabo ego illos, cur velint artes confundere, et facere ut ne intelligendo nihil intelligant?' *Id. in Add.* *Næ* ferri potest. Nostri libb. omnes [sc. A B C Gu. 1. 2. Hel. Et sic semper intellige.] *ne*, et sic Bent. *Both.* *Næ* mutand. in *ne,* et cum interrog. proferendum. *Eugraphius.* Et sic habet Br. *Næ* anteponunt R. D.—19 *Habuit* Br.—20 C *spectat*, haud male. *Both.*—25 Par. *pernoscat is.* Dam-

NOTÆ

20 *Quorum æmulari exoptat negligentiam*] Imitandi modus alius est servilis, alius vero ingenuus. Servilis ille est, cum quasi superstitione quadam ab eo, quem imitandum nobis proposuimus, ne transversum quidem digitum discedere audemus: idcirco Horatius ait : 'O imitatores, servum pecus! ut mihi sæpe Bilem, sæpe jocum vestri movere tumultus!' Ingenua imitatio est, quando non verbum verbo reddimus; sed sic aliena tractamus, ut non pro alienis habeantur, sed agnoscantur pro nostris: unde Horatius in Arte: 'Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.' Subaudiendum, ut. Quo loco non negat fidi esse Interpretis verbum verbo reddere: sed negat boni Imitatoris esse id facere, ut vult quoque Seneca Epist. LXXXV. Similis debet esse imitator, quomodo filius; non quomodo imago. Certe operæ pretium erit hanc epistolam perlegere. Eadem sentit Terentius.

Favete, adeste æquo animo, et rem cognoscite,
Ut pernoscatis, et quid spei sit reliquum,
Posthac quas faciet de integro Comœdias,
Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

tores, favete; adeste benevoli, et spectate attenti hanc Comœdiam; ut perscienter noscatis, quæ spes habenda sit de reliquis, quas de novo Poëta faciet: utrum debeatis eas spectare, an e scena excludere.

nat West. 'Expressi *et quid* pro *ecquid*, quod ita esset in plusculis Mss.' *West.* 'Est casca scriptura *et quid* pro *ecquid:* ita tamen ut *etquid* pro uno verbo veniat, et *quid* sit encliticum. Semel monuisse sat erit.' *Bent. Ut p. quid spei sit reliq.* Br. Vulgo *relliquum*, metro laborante. *Both.* qui exhibet *reliquum*, cum *spe:* ut et *ecquid* cum Perl. Vult Gov. *Ut et is pernoscat, quid sp. &c.*—26 *Post hac* Br. *Post hic* Both.

NOTÆ

27 *Exigendæ*] Id est, expellendæ. Sic idem Terentius in Prologo Hecyræ: 'Partim earum sum exactus: partim vix steti.'

ACTUS † I. SCENA I.

SIMO. SOSIA.

SI. Vos istæc intro auferte: abite. Sosia,
Adesdum: paucis te volo. SO. Dictum puta:
Nempe ut curentur recte hæc. SI. Immo aliud. SO. Quid est,

SI. *Vos, servi, tollite ista, quæ emi apud forum, et inferte ea in ædes: festinate. Sosia accede. Paucis verbis volo tecum loqui.* SO. *Puta te jam mihi dixisse, quod volebas, et me id intelligere; nempe ut hæc obsonia, quæ emisti, recte apparentur?*

1 Br. *ista hæc*, et alibi.—5 Guelf. 1. omitt. *arte.*—6 Edit. *iis:* quanquam

NOTÆ

† *Actus*] Actus, majores sunt fabulæ partes; Scenæ, minores. Actus vocantur, quia variæ in quoque Actu sunt actiones. Scena Græce significat tentorium; nam priscis temporibus ante usum Theatrorum sub frondibus et umbraculis agebant. Scenæ in fabula sunt, cum novarum personarum egressus et ingressus fiunt e Scena in Theatrum.

2 *Paucis te volo*] Duplex hic defectus orationis, nam 'verbis' et 'alloqui' desiderantur.

Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?
SI. Nihil istac opus est arte ad hanc rem quam paro;
Sed iis, quas semper in te intellexi sitas,
Fide et taciturnitate. SO. Expecto quid velis.
SI. Ego postquam te emi, a parvulo ut semper tibi
Apud me justa et clemens fuerit servitus
Scis: feci, e servo ut esses libertus mihi,
Propterea quod serviebas liberaliter.
Quod habui summum pretium, persolvi tibi.
SO. In memoria habeo. SI. Haud muto factum. SO. Gaudeo.
Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo,
Et id gratum fuisse advorsum te, habeo gratiam.
Sed hoc mihi molestum est: nam isthæc commemoratio

SI. *Immo aliud est.* SO. *Quid est aliud præter hoc, quod tibi mea ars efficere possit?* SI. *Nihil ista tua arte opus mihi est ad hanc rem, quam paro facere; sed his virtutibus (quas semper cognovi in te esse positas) fide et taciturnitate in secretis celandis.* SO. *Expecto quid velis me facere.* SI. *Ego, postquam te emi tunc, cum puer esses, scis, ut in conditione servili te semper habuerim clementer et moderate. Feci ut esses libertus mihi patrono; non amplius servus domino. Præmium quam potui maximum, libertatem dedi tibi; quoniam libenter, ut liberi homines solent, non invite, ut servi, serviebas mihi.* SO. *Id in memoria habeo.* SI. *Nollem non factum esse.* SO. *Lætor, si quid bene de te merui, aut adhuc mereo, quod probes, Simo; et id tibi placuisse in beneficii loco habeo: verum hæc quæ dicis mihi molesta sunt; nam hæc ista longa recensio tuorum in me beneficiorum*

notæ præferunt *his.* Bruns. *His* exhibent Guelf. 2. Br. et ed. Both.—8 *Emi a parvulo, ut* Br.—9 *Fuit* Guelf. 1. et *tua* in fin.—10 Edit. *e.* Interpungunt edition. post 'mihi,' atque ita scholia impr. et Bent. *Bruns. Ex* dat Perl. Legit Br. *ex servo ut esses libertus, mihi Propt.*—11 Guy. præfert *servib.* Perlet. Idem in V. C. Paris. legi Pareus auctor est. *West.* V. C. *servib.* Lind. Scribe *servib.* Bent.—12 *Q. s. ego h. p.* dat Both.—13 Cum Palmerio sic distinguendum esse censeo: *haud muto.* (h. e. me non pœnitet.) So. *factum gaudeo.* Bent. Sed res eodem redit. *R. D.* Alii legunt *fatum.* Præstat lectio vulg. *West.* Bentleium sequitur Both.—14 Ed. *tibi quid.* Ed. *placet*, improbante Bent. *Bruns. Placeat:* sic B C Hel. quod et elegantius vulgato et metro aptius. *Both. Si q. t.* Br. *Placet.*—15 *Gratum id* vult Gov.—16 *Set hoc m.* Ita codd. Gu. et Hel. neque aliter Bent. codd. haud dubie secutus suos. Vulgares tamen librarii et editores, versui timentes,

NOTÆ

10 *Libertus*] Libertus, est servus manumissus a domino; id est, servitute liberatus; nam manus significat potestatem.

12 *Summum pretium*] Libertas dicitur inæstimabilis a Jurisconsultis.

15 *Id gratum fuisse advorsum te*] 'Advorsum' hic significat, erga.

Quasi exprobratio est immemoris beneficii.
Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis.
SI. Ita faciam. Hoc primum in hac re prædico tibi;
Quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ.
SO. Cur simulas igitur? SI. Rem omnem a principio audies;
Eo pacto et gnati vitam, et consilium meum
Cognosces; et quid facere in hac re te velim.
Nam, is postquam excessit ex ephebis, Sosia,
Liberius vivendi fuit potestas: nam antea
Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum ætas, metus, magister prohibebant? SO. Ita est.
SI. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,

est quasi exprobratio et accusatio facta in eum, qui accepti beneficii oblitus est. Sed age dic semel et breviter, quid est, quod velis me facere. SI. *Ita faciam; dicam. Hoc ab initio te monitum volo: hæ nuptiæ, quas credis esse veras, veræ esse a me simulantur.* SO. *Cur simulas igitur?* SI. *Rem omnem a principio audies, simulque cognosces, quæ sit ratio vitæ filii, et quod meum consilium, et quid facere in hac re te velim. Nam, Sosia, is filius meus postquam egressus est annos primæ adolescentiæ, major ei vivendi arbitrio suo libertas concessa est. Nam antea quomodo quis posset scire aut noscere ingenium ejus, dum ætas puerilis, metus, magister ei moderabantur, et vitii causam præcidebant.* SO. *Ita est, ut dicis.* SI. *Quod plerique omnium adolescentulorum solent facere, ut animum ad aliquod exercita-*

Sed m. h. Saltem dedissent *S. mi h.* sed neutro indigemus. *Both.*—17 Guy. Bent. *immemori.* Perl. Dat Both. *Quasi benefici immemoris exprobratio est. Benefici* legend. notant R. D. Vult Gov. *Sed mi h. m. e. n. i. c. est Q. ex. i. beneficii.*—19 *Hoc primum prædicto tibi* Br. Vult Gov. *in re hac.*—21 *Cur i. s.* Br.—22 Pro *Eo* notant aliter legi *Quo* glossæ ejusdem. Sic habent: 'vel quo.' Hæc varia lect. ait Bruns, ab editoribus non annotatur.—23 Vel *te h. in re.* Erasmus. *Te in h. re v.* Br.—25 Illud *Liberius*, cum non minus sententiæ, quam metro officiat, muta in *Libera*, posito in versu antecedente post 'Sosia,' *ac.* Ceterum reliqua senis oratio, inde a verbis 'nam,' ad 'cohibebant,' per parenthesin est intelligenda. *Bent.* V. *viv. fuit pot.* inconcinne quidem. Bent. *Libera*, minus probabiliter. *Both.* qui dat *Liberius viv. est pot.* Exhibet Br. *Lib. f. v. p.* Vult Gov. *Fuit viv. lib. pot.*—27 Vult Bent.

NOTÆ

16 *Sed hoc mihi molestum est*] Apte ad hanc sententiam Cicero inquit: 'Odiosum sane genus hominum, officia exprobrantium; quæ meminisse debet potius is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit.'

24 *Excessit ex ephebis*] Ἥβη, est extrema pars pueritiæ, prima adolescentiæ. Ephebus est, qui ad ætatem adolescentiæ pervenit, ad decimum quintum ætatis annum.

26 *Qui scire posses, aut ingenium noscere*] Ingenium ejus, qui in potestate est, nosci non potest, cum is sui animi non sit rector, nec ei liceat, quod libet, facere.

Ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad Philosophos:
Horum ille nihil egregie præter cetera
Studebat; et tamen omnia hæc mediocriter.
Gaudebam. SO. Non injuria: nam id arbitror
Apprime in vita esse utile, ut NE QUID NIMIS.
SI. Sic vita erat: facile omneis perferre ac pati;
Cum quibus erat cumque una, iis sese dedere;
Eorum obsequi studiis; advorsus nemini:
Nunquam præponens se illis: ita facillime
Sine invidia laudem invenias, et amicos pares.
SO. Sapienter vitam instituit: namque hoc tempore
OBSEQUIUM AMICOS, VERITAS ODIUM PARIT.
SI. Interea mulier quædam, abhinc triennium,

tionis genus adjungant; aut equos alere, aut canes venaticos, aut Philosophis operam dare: ex his omnibus studiis nullum vehementius quam alia affectabat, et tamen his omnibus mediocriter studebat. Gaudebam hoc ingenio eum esse. SO. *Non sine causa gaudebas: nam id arbitror in primis utile in vita esse, Ut ne quid agas supra modum.* SI. *Sic ejus vitæ institutum erat; facilitate et suavitate morum, omnes perferre ac pati, quibuscumque una conversabatur; horum voluntati sese accommodare, eorum obsequi studiis, nemini repugnans, nunquam se illis præferens: quæ ratio facilis est ad laudem comparandam, et amicos sibi conciliandos.* SO. *Sapienter vitam instituit; namque, ut tempus est, Obsequium amicos, veritas odium parit.* SI. *Interea dum Pamphilus sic honeste vivebat, tres abhinc*

Dum eum . . . cohibebant.—30 *Autve ad Ph.* Guelf. 1.—33 Vult Bent. *nam id ego arb.*—35. 36 *Pati Cum q. erat, cumque una iis* Br. *Pati, Cum q. erat c. una. iis* Z. Sententia adjuvanda est distinctione hac: *facile omnes perferre ac pati:* (sc. ignotos etiam) *cum quibus erat cumque una, iis sese dedere;* (sodalibus).' *Bent.* Hel. *his* pro *iis.* Guelf. 2. *iis una sese* collocat.—37. 38 Verba *advorsus . . . illis* sunt interpolata putanda, ob tautologiam, quam efficiunt, et constructionem, quam turbant. *Bent.* *Adv. nem. eor. st. obs.* ed. Both.—38 *Illis.* In vetustiss. edd. sed et Mss. quibusd. *aliis.* West. Conjicit Gov. *Præp. se aliis nunquam:* 'ita,' ait, 'et versus vult, et orationis efflagitat venustas. *Aliis* esse legend. et codex me monuit pervetustus, et aliis quoque video placuisse.' *Ut* post 'ita' inserunt Guelf. 3. Br. Hic et habet *se pr. il.* At huj. cod. diversam verborum collocationem fere negligendam esse cum Bruns. putavimus: nam, cum, ut ejus utamur verbis, non secundum metri leges codex exaratus sit, non multum inde subsidii ad constituendum metrum expectari potest.—39 *Invenias laudem* vult Gov.—43 *Huc viciniæ.*

NOTÆ

30 *Aut ad Philosophos*] Ellipsis est Terentiana: potest enim subintelligi, ire, animum applicare.

36 *Cum quibus erat cumque*] Tmesis est, sive sectio pro, cum quibuscumque erat.

Ex Andro commigravit huc viciniæ,
Inopia et cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma, atque ætate integra.
So. Hei vereor, ne quid Andria apportet mali.
Si. Primum hæc pudice vitam, parce, ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quæritans:
Sed postquam amans accessit, pretium pollicens,
Unus, et item alter; ita ut ingenium est omnium
Hominum ab labore proclive ad lubidinem;
Accepit conditionem, dein quæstum occipit.
Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc, secum ut una esset, meum.
Egomet continuo mecum: Certe captus est!
Habet! observabam mane illorum servulos
Venientes aut abeuntes: rogitabam: Heus puer,

annos, fœmina quædam ex Andro insula in hanc viciniam se contulit, egestate et negligentia propinquorum coacta: eximia formæ specie, et florenti ætate. So. *Hei timeo ne quid ista Andria apportet mali.* Si. *Primum hæc pudice, frugaliter, et laboriose vivebat; nendo lanam et texendo telam victum quæritans. Aliquot amantes accesserunt pretium libidinum pollicentes. Ita, ut ingenium est omnium hominum a labore proclive ad libidinem, consensit pollicitationibus; deinde cœpit quæstum corpore facere. Qui tunc illam amabant, forte (ita ut fit) illuc filium meum perduxerunt ad Chrysidem, ut una cum illis conviviaretur. Egomet statim cœpi mecum cogitare; Captus est certe amore, habet vulnus. Observabam mane illorum servulos venientes ad Pamphilum, aut abeuntes. Sæpe*

Plaut. Mil. II. 3. 2. 'Hic proximæ viciniæ.' Ut adeo non opus sit tueri *huic viciniæ*, quod ex Nonio, Prisciano, et Charisio laudant Muretus, Lind. et Par. *West.* In regio exemplari *huic*. Lind. Nostri codd. omnes vitiose legunt *huic*. Bent. *Huic* et Br. et Guelf. 2. 3.—44 Bent. *neclegentia*, etymo *nec* indagato, sicut *nec-otium*, h. e. *negotium*. Perl.—46 *Ei v.* Br.—48 *Lana et t.* Br. Guelf. 2.—51 *Ab l.* Sic Gu. 1. quod elegantius vulgato *a l.* Bothius. *A l.* etiam Br. Z.—54 Ita quædam editiones recte exhibent. Vulgo, *illuc secum, ut una esset.* West.—57 *Cogitabam* Br.—59 Friget *illi.* C. *Illi hoc e. n.*

NOTÆ

43 *Huc* [*Huic*] *viciniæ*] Id est, in hanc viciniam. Dativus pro Accusativo, ut Nonius et Priscianus annotarunt. Donatus legit, huc viciniæ.

46 *Hei vereor*] 'Hei,' interjectio timentis et dolentis.

56 *Habet*] Vulneratus est. Translatio ab Amphitheatro; ubi, cum Gladiatores vulnus acceperunt, habere dicuntur. Virg. XII. Æn. 'Hoc habet: hæc melior magnis data victima Divis.'

57 *Heus*] Adverbium vocantis.

Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? nam Andriæ
Illi id erat nomen. So. Teneo. Si. Phædrum, aut Cliniam,
Dicebant, aut Niceratum; nam hi tres tum simul
Amabant. Eho, quid Pamphilus? Quid? symbolam
Dedit, cœnavit: gaudebam. Item alio die
Quærebam: comperiebam, nihil ad Pamphilum
Quicquam attinere: enimvero spectatum satis
Putabam, et magnum exemplum continentiæ:
Nam, qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi,
Neque commovetur animus in ea re tamen,
Scias posse habere jam ipsum suæ vitæ modum.

ab his quærebam: Heus, puer, dic, quæso; quis heri Chrysidem habuit? Nam hæc Andria sic nominabatur. So. *Scio.* Si. *Respondebant, Phædrum, aut Cliniam, aut Niceratum; nam hi tres tunc simul amabant Chrysidem. Eho, dicebam, quid Pamphilus fecit? Quid fecit? respondebant: partem suam contulit ad convivium, cœnavit. Gaudebam hæc audiens. Similiter alio die interrogabam; comperiebam nihil agi quicquam, quod ad Pamphilum attineret. Certe putabam eum satis a me exploratum esse, et magnum exemplum continentiæ exhibere. Nam, qui cum hominibus talis ingenii conversatur, neque tamen eorum consuetudine ad libidinem impellitur, crede jam posse ipsum vitæ suæ moderamen et regimen*

Both. qui dat *Illud erat n.*—60 Al. *Dicebat*, non inepte. *Perl.* Sic Br. ubi in Glossis Bruns notat: 'Edit. *Dicebant*: atque ita nunc in cod.' *Tum* omittunt Br. et ed. Perl. qui monet: 'Guelf. 1. post 'tres' leg. *tum.* Guelf. 2. *tum* post 'hi.'' Bent. vult *Aut Niceratum dicebant.*—61 Præstat *symbolam* legere, quam *symbolum*, quod est in nonnullis Mss. et recepit nuper Dacieria. *West.* *Symbolam:* ita Ms. *Lind.* *Symbolam* Bent. ex Vat. et Bas. aliisque. Erasm. *symbolum.* Perl.—62 *Itidem* ed. Both.—64 Lind. et Par. ex Ms. Paris. *attingere* citant. *West.* *Quicq.* non hab. Guelf. 2.—66 Conj. Gov. *conflictat* ob metrum.—67 *N. commoveatur a. in ea re, tamen Scias* Br. '*Tamen.* M. *tum.* Guyetus delet, legens, *Neque commovetur animus in ea re, scias, Potesse habere jam ipsum suæ vitæ modum.* Sed et *tum* legebant Gov. et Fr. Fabricius. Pareus τὸ *tamen* frustra mutari ait: recte; nam et Donatus legit, et appositum magis est, præterquam quod in plerisque omnibus Mss. legitur.' *West.*—68 In exemplari vetusto scriptum reperio, *in ea re, scias Tum jam ipsum hab. posse s. v. m.* quæ sine controversia vera est lectio. *Gov.* Lege ex cod. Aca-

NOTÆ

58 *Dic sodes*] Priscianus ait verbum esse defectivum, pro, si audes: ut sis, pro, si vis. Precationem vel exhortationem denotat.

61 *Symbolam Dedit*] Dicitur symbolum et symbola a συμβάλλω, confero. Inter alia significata, est pecunia, quæ erogatur a quolibet convivarum. Latine, collecta. Gallice, *l'escot.*

66 *Conflictatur*] Confligi et conflictari res aliqua dicitur, cum ad aliam atteritur et affricatur: ut cum lapis ad ferrum igniarii alliditur, ad eliciendam scintillam.

Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, et laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.
Quid verbis opus est? hac fama impulsus Chremes
Ultro ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.
Placuit; despondi: hic nuptiis dictus est dies.
So. Quid obstat, cur non veræ fiant? Si. Audies.
Fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt,
Chrysis vicina hæc moritur. So. O factum bene!
Beasti; metui a Chryside. Si. Ibi tum filius
Cum illis, qui amabant Chrysidem, una aderat frequens;
Curabat una funus; tristis interim,

habere. Cum hoc mihi pergratum erat, tum omnes una voce omnia bona mihi de illo dicebant, et me fortunatum omnino esse prædicabant, qui filium haberem tam bonæ indolis. Quid pluribus verbis opus est? Hoc secundo rumore adductus Chremes cupide me convenit, ut unicam suam filiam cum grandi dote uxorem daret filio meo. Placuit conditio mihi, itaque promisi sponsione filium meum ducturum Chremetis filiam. Hic nuptiis faciendis constitutus est dies. So. *Quid ergo impedit quominus reipsa hæ nuptiæ fiunt?* Si. *Audies. Circiter dies paucos, quibus hæc acciderunt, Chrysis hæc vicina moritur.* So. *O factum bene! Beatum me reddidisti. Metui Pamphilo ab istius Chrysidis consuetudine.* Si. *Tunc temporis filius meus frequenter aderat in domo mortuæ, cum illius amatoribus. Apparabat una*

demico, *S. p. jam hab.* Bent. Quo modo dat Perl.—69 *Tum* pro *Cum* Br. Guelf. 1. 2.—70 Gu. 2. *benedicere*, ex int. *Both.*—72 *Compulsus.* Sic Gu. 1. quod versui aptissimum: modo tollas vulgatum *est*, quod post 'opus' ascripsit nescio quis interpres. *Id.* *Comp.* Guelf. 3. Vide nostrum Elenchum Alphabeticum. Sat erit semel monuisse.—76 In Mss. quibusd. et edd. vetustiss. *Q. igitur obs.* West. *Igitur* habet Br. In glossis illius cod. notat Bruns: 'Edit. omittit *igitur*. Sed Bent. in omn. suis codd. reperiri [et recte reperiri] ait. Idem delere jubet *veræ*, pro quo Ms. noster *vere*. Aliter interpungunt hunc vs. edit.' De suo cod. notare pergit Bruns: 'A pr. m. *fiunt*, quæ vox interpunctioni congruit. Sed est mutata fortasse ab ipso scriba in *fiant*.' Interpungit sc. Br. *Q. i. obstat? Cur, &c.* 'Erasm. omittit *igitur*; quo retento putat *veræ* expungend.' *Perl.*—77 *Fere in d. p.* Ita omnes libb. Tamen Charisius diversam lectionem affert, lib. II. in voce 'Ferme.' *Lind.*—79 F. F. e 7. Mss. Prisciani, lib. VIII. *hei m. a C.* West. *Ei* insertum videtur a sec. m. Deest in edit. *Bruns, qui de suo cod. loquitur.* Tres codd. nostri habent, *beasti; ei m. a C.* Hanc lect. comprobat Donati liber, auctoritas Prisciani, et sensus elegantia. *Bent.* Gu. 1. *ei m.* B. *ehi m.* Hel. *me: hei m.* Gu. 2. *m. ei a C.* Sed nihil muto. *Both.* *Ei* inserit Perl.—80 Mallem, si per codd. liceret, *amarant.* West. *C. i. q. amabant, una a. f.*

NOTÆ

75 *Despondi*] Per mutuas stipulationes et sponsiones matrimonia contrahebantur. Hinc sponsalia, sponsus, et sponsa.

Nonnunquam collacrymabat. Placuit tum id mihi:
Sic cogitabam: Hic, parvæ consuetudinis
Causa, hujus mortem tam fert familiariter:
Quid, si ipse amasset? quid hic mihi faciet, patri?
Hæc ego putabam esse omnia humani ingenî,
Mansuetique animi officia. Quid multis moror?
Egomet quoque ejus causa in funus prodeo,
Nihil suspicans etiam mali. So. Hem, quid est? Si. Scies.
Effertur: imus. Interea inter mulieres,
Quæ ibi aderant, forte unam aspicio adolescentulam,
Forma! So. Bona fortasse. Si. Et voltu, Sosia,
Adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra.
Quia tum mihi lamentari præter ceteras

funus. Aliquando collacrymabatur. Placuit tunc id mihi. Sic cogitabam; hic, ob conversationem brevis temporis, mortem hujus mulieris ægre fert adeo, ut si familiaris ei longo tempore fuisset: quid si eam amasset? quid mei, qui pater sum, causa non faciet? Hæc ego officia putabam esse ingenii humani, et benigni. Quid te pluribus verbis detineo? Egomet quoque ejus causa in funus prodeo, nondum habens eum suspectum de amore. So. *Hem, quid est?* Si. *Tu audies. Exportatur cadaver. Imus. Interea inter mulieres, quæ ibi aderant, forte unam aspicio adolescentulam, forma.* So. *Bona fortasse.* Si. *Et vultu, Sosia! adeo modesto, adeo eleganti, ut nihil supra dici possit. Quia tunc mihi visa est lamentari plus-*

meus Both. ed. qui *meus* in vs. præc. post 'filius' legi in Hel. notat. *Amarant* accipiunt Bent. Perl.—84 Alii, *flet.* Glossæ τοῦ Br. *Causa* ad prior. vers. Guelf. 1.—85 Minimam στιγμὴν posui post *faciet*, quod ita ἐμφατικώτερον videretur *τὸ patri*; tum quod Donatum ita pronuntiasse viderem. *West.* Non sequuntur alii. Lego *quid mihi hic.* Bent. quem sequitur Perl. *Hic quid mihi* Both.—89 *Quid id est* Br. Perl. Both. 'Tres codd. legunt *quid id est.* Recte.' *Bent.* 'Vulgo, *quid est*, solito errore. Sequor B C Gu. 1.' *Both.* Guelf. 3. abest *etiam.*—91 Vult Gov. *Q. i. a. asp. forte adol.*—92 Bent. *Forma bona . . .* Sosia. *Fortasse.* *O* vulgatis abest: extat in Gu. 1. quod placet. *Both.* qui edidit *Forma . . . .* Sosia. *Bona f.* Simo. *Et v. o S.* Primam versus partem sic etiam dat Perl.—93 Discrepant exemplaria Prisciani lib. XIV. *Adeo modesta, adeo venusta.* Lind. Abest Guelf. 2. *adeo* posterius, posito *atque* in ejus locum. *Perl.*—94 *Quæ tum* V. C. *Lind.* Sic Br. quod probandum videtur, judice Bruns. 'Nostri codd. summo consensu et edd. priscæ pro *Quia tum* legunt *Quæ tum.* Vera lectio est *Quæ cum.*' Bent. *Quæ cum* dat Perl. quod vocat elegantius quam *Quia tum*, et Both. notat

NOTÆ

90 *Effertur*] Verbum funebre: solebant enim corpora mortuorum alte ferri humeris a propinquioribus, ut Metellus elatus fuit a filiis tribus Consularibus, duobus Triumphalibus, uno Censorio, et altero Prætore.

93 *Adeo venusto*] Id est, pulchro: a Venere. Venustas proprie de fœminis dicitur; dignitas de viris.

Visa est; et quia erat forma præter ceteras
Honesta et liberali; accedo ad pedisequas;
Quæ sit, rogo. Sororem esse aiunt Chrysidis.
Percussit illico animum: At at! hoc illud est!
Hinc illæ lacrymæ! hæc illa 'st misericordia!
So. Quam timeo, quorsum evadas! Si. Funus interim
Procedit: sequimur: ad sepulcrum venimus:
In ignem imposita 'st: fletur. Interea hæc soror,
Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius,
Satis cum periclo: ibi tum exanimatus Pamphilus

quam ceteræ, et quia illa erat forma omnium venustissima, et maxime ingenua; accedo ad ancillas, quæ illam sequebantur; quæ sit, ab his quæro. Sororem respondent esse Chrysidis defunctæ. Hoc responsum illico mihi commovit animum. At at, mecum dicebam, hinc illæ lacrymæ fluebant, hæc res, illa causa est, cur Pamphilus tam officiosus erat in curando funere; hæc excitavit illum ad tantam misericordiam erga Chrysidem. So. *Quam timeo, ad quem finem procedat tuus hic sermo.* Si. *Interim exequiarum pompa progreditur: sequimur, ad sepulcrum venimus, in rogum posita est, deploratur. Interea hæc soror, de qua locutus sum, ad flammam appropinquavit inconsideratius; satis cum periculo: ibi tunc exanima-*

plane legi in cod. Gu. quem haud malæ notæ esse censet. Versus 94—96. sic diminuit Bothius: *Quæ c. m. l. p. c. V. est, et, qua erat, forma, acc. ad ped.*—96 *Ac lib.* Guelf. 2. *Pedisseq.* Br. GM. et ed. Perl.—98 Qui *Perculsit* defendunt, in Grammaticam peccant. *West.* *Percuss.* Donat. et vett. omnes. Vulg. *perculsit.* Lind. Mutata est lectio [*percuss.*] in *perculs.* quam rejecerunt edd. *Bruns ad Br.* Post 'anim.' add. *pavor* Guelf. 1. *Perl.* *Attat* vult Gov. hic et alibi.—99 Pro *Hinc* lege *Hæc.* Nam, præterquam quod tres codd. ita legunt, aliter versus sustentari nequit, nisi amplectaris archaismum *Hæc* pro, *Hæ.* Bent. *Hæc* dat Both. *Est* pro *'st* Br. et Both.—100 Priscian. Inst. Gram. lib. XVIII. *evadat.* West.—102 *Imp.* Ita edidi ex Mss. quibusd. Sed et ita recensuit olim Heinsius. *Id.* *Imp.* reg. cod. *Lind.* *Imp.* B et C. *Both.* *Imp.* codd. nostri plerique omnes habent. Recte. *Bent.* *Imp.* defendunt R. D. *Posita* Guelf. 1. *Est* pro *'st* Br. Both.—104 *Et cum periculo* Br. ubi Bruns notat: 'Hæc lect. est sequior. Olim enim legebatur, ut ex spatio lituræ vestigiisque binarum literarum *ss* conjici potest, *Satis*, neque

NOTÆ

95 *Forma Honesta*] Id est, eleganti. Horat. Sat. 2. lib. I. 'Neque, si quid honesti est, Jactat, habetque palam; quærit quo turpia velet.'

96 *Et liberali*] Sic liberale ingenium dicitur, libero homine dignum.

102 *Fletur*] Cadavere in rogum collocato, deflebatur a propinquis; unde deplorata corpora mortuorum dicuntur, quibus ultimus luctus persolutus est. Et, per metaphoram, morbus deploratus, ægroti deplorati, quibus nullo remedio succurri potest: et deplorata Resp. id est, eversa, de qua nihil melioris spei superest.

Bene dissimulatum amorem et celatum indicat.
Accurrit: mediam mulierem complectitur:
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?
Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres,
Rejecit se in eum, flens, quam familiariter.
So. Quid ais! Si. Redeo inde iratus, atque ægre ferens.
Nec satis ad objurgandum causæ. Diceret:
Quid feci? quid commerui, aut peccavi, pater?
Quæ sese in ignem injicere voluit, prohibui;
Servavi: honesta oratio est. So. Recte putas:
Nam, si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit,
Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?
Si. Venit Chremes postridie ad me, clamitans,
Indignum facinus! comperisse, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam: ego illud sedulo

tus Pamphilus amorem, quem tantopere dissimulaverat et celaverat, demonstrat. Accurrit, mediam mulierem complectitur: Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum? Tunc illa reflexit se in eum admodum familiariter: ita ut quivis posset facile cernere amorem inter illos esse consuetum. So. *Quid ais?* Si. *Redeo inde iratus, ægre ferens ea quæ Pamphilus ostenderat: nec tamen satis causæ habebam ad illum objurgandum; hoc enim mihi dicere potuisset: Quid feci? quam pœnam commerui? quod peccatum commisi, pater? Opposui me ei, quæ in ignem se præcipitare voluit; illam a morte liberavi. Honesta excusatio hæc est.* So. *Recte putas; nam, si eum objurges, qui vitæ alicujus auxilium tulit, quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum?* Si. *Venit Chremes ad me postera die, clamitans indignum facinus se deprehendisse; Pamphilum pro uxore habere hanc*

aliter edit. Eædem præferunt *periclo.*'—109 Secutus sum hanc distinctionem, ut pateret, verum sensum esse, Glycerium flentem se rejecisse quam familiariter, atque inde consuetum utriusque amorem potuisse cerni. Pareus non minus significanter edidit: *Rejecit se in eum flens. quam familiariter!* West. quem sequitur Both. *Eum, flens quam* Br. Nullatenus interpungunt Perl. Z. Adeo facile est componere lites.—112 Post 'aut' add. *quid* Guelf. 1. *Perl.*—113 Barth. ad Stat. Theb. VI. 203. *projicere* legit. *West.*—114 *Ratio*, quod est in quibusd. Mss. non placet. *Id.* In quibusd. libb. teste Mureto, *ratio:* sed præstat *oratio.* Perl.—116 Vulg. *qui ded.* sed Bent. invertit, sicut *vitæ qui* vs. sup. *Perl.* qui Bent. hic sequitur. *Ei, qui damnum ded.* Both. *Facies* Guelf. 2.—118 M. et duo Leidd. *comperisse se.* Tr. hæc jungit, *indignum facinus comparisse.* Incertam distinctionem dicit Donatus. Præstat vero lectio vulg. *West.* Cum Tr. facit Br. *Facinus: comp.* Z. *Se* post 'comper.' inserit Guelf. 3.—119 Gu. 1. *sed. illud:* Hel. *id sed.* Both. qui edidit *Pro ux. pereg. hanc hab. Ego sed.* Vult Gov. *pereg. illi ego sedulo Negare fac-*

NOTÆ

109 *Quam familiariter*] Valla interpretatur per interjectionem: Quantum familiariter! et refert ad 'flens.'

119 *Ego illud sedulo*] Goveanus le-

Negare factum: ille instat factum: denique
Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
Neget daturum. So. Non tu ibi gnatum? Si. Ne hæc quidem
Satis vehemens causa ad objurgandum. So. Qui, cedo?
Si. Tute ipse his rebus finem præscripsti, pater.
Prope adest, cum alieno more vivendum 'st mihi:
Sine nunc meo me vivere interea modo.
So. Quis igitur relictus est objurgandi locus?
Si. Si propter amorem uxorem nolit ducere,
Ea primum ab illo animadvertenda injuria 'st.
Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias

peregrinam. Ego illud factum esse pernegare cœpi. Ille instat factum. Postremo ita tunc discedo ab illo, ut ab eo, qui negaret se daturum uxorem filiam meo filio. So. *Non tu filium tuum ibi objurgasti?* Si. *Ne hæc quidem causa satis valida fuit ad objurgandum.* So. *Dic mihi, quæso, cur non?* Si. *Nam is diceret mihi: Tu ipse, pater, terminos constituisti meis voluptatibus: prope adest tempus, cum vita mihi agenda erit ex voluntate alterius, sine nunc meo me vivere arbitrio.* So. *Quænam igitur alia occasio opportunior se dare potest ad eum objurgandum?* Si. *Si propter amorem uxorem nolit ducere, hæc primum punienda est mihi ab illo facta injuria. Et nunc id laboro, ut, prætextu simulatarum nuptiarum, veram objurgandi*

tum est.—123 Vult idem *Sat.*—124 M. *Tute his rebus.* Leidd. omnes, *Tute ipse.* Gulielmius, componens cum verbis Ciceronis Verr. v. 63. 'Statui egomet mihi tum modum orationi meæ,' Nostrum ita citat: *Tute ipse huic rei statuisti modum, pater.* Crediderim, memoria lapsum, non inspecto Comico. *West.* *Præscripsisti* Z. Perl.—125 F. Dousa ad Lucil. I. 13. *abest.* Cic. de Senect. XXI. 'Propius absum.' Gisb. Cuperus legebat ex Mss. *Prope est.* Vid. Burm. ad Petron. cap. 127. *West.* *Est* Br. in cujus glossis *adest* videtur poni pro var. lect. *Est* pro *'st* Br. Z. Perl. Both. Sed non idonea causa est cur de hoc plurem mentionem faciamus.—126 Mss. quidam *S. n. me meo int. viv. modo.* West.—127 In nostris fere omnibus libris est, *Qui igitur*, quod est recipiendum. Cod. Vaticanus veterrimus, teste ad Phædrum I. 31. Gudio, legebat *relicuus* h. e. *reliquus.* Sed recepta lectio est retinenda. *Bent.* *Qui* Br. et Ms. Par. et ed. Both.—128 Pro vulgari *nolit*, et Donati *nollet*, repone *nolet*. Bent. *Notet* dant Both. Perl.—129 *Ea pr. ab i. est an. inj.* Nos ita, versu postulante, neque minore tamen vetustate, *Ea pr. ab i. an. inj. est.*

NOTÆ

git, *Illi ego.*

129 *Ea primum ab illo animadvertenda*] Pro ejus injuria, ab eo illata: sic Plaut. 'Foris concrepuit a Sene,' id est, Senis. Lucret. 'Fulgor ab auro,' pro, auri. Cicero in Epist. 'Reus a Milone:' id est, accusatore Milone. Animadvertere injuriam pro, punire. Cicero in Verrem: 'Ea sunt animadvertenda peccata, quæ difficillime præcaventur.'

Vera objurgandi causa sit, si deneget.
Simul sceleratus Davus si quid consilî
Habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli:
Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia
Facturum; magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quam ut obsequatur gnato. So. Quapropter? Si. Rogas?
Mala mens, malus animus: quem quidem ego si sensero!
Sed quid opus est verbis? Sin eveniat, quod volo,
In Pamphilo ut nihil sit moræ, restat Chremes,
Qui mihi exorandus est; et spero confore.
Nunc tuum est officium, has bene ut assimules nuptias:
Perterrefacias Davum: observes filium,
Quid agat, quid cum illo consilii captet. So. Sat est.

causam habeam: si nempe uxorem recuset: tum etiam ut sceleratus Davus, si quas fraudes excogitavit, eas totas effundat; quoniam mihi nunc nocere ejus non possunt doli; quem ego credo totis viribus conaturum magis certe propter id, ut mihi incommodet, quam ut obsequatur filio. So. *Quapropter?* Si. *Quæris? mala mens, malus animus ejus ad id credendum me impellunt: quem quidem ego si sensero meis consiliis obsistere, acerbissime eum puniam: sed quid pluribus verbis opus est? Sin eveniat, id quod volo, ut in Pamphilo nulla sit mora nuptiis, restat Chremes placandus, quem spero facile me exoraturum. Nunc tuum est officium, ut has bene simules fore nuptias; perterrefacias Davum, observes quid faciat filius, quid consilii cum Davo*

Gov.—131 *Denegat* Br.—133 *Obsint.* Ita Mss. et edd. veteres, quas vidi, omnes. Fa. *obsunt* malebat, cui assentitur Guy. Non male, nisi auctoritate destituerentur. *West.* Fa. contra codd. quos et ipse et ego vidimus, mavult tamen legi *obsunt* pro conjunctivo. Nec, quid intersit, video. *Bent.*—134 Vulgo *pedibusque.* Sed codd. nostri, præter Hel. *et pedibus.* Copula omissa fortior evadit oratio. Vidit Bent. *Both.*—135 *Facturum, magis, id adeo mihi* Br.—138 *Sine* Br. *Sine ut* Guelf. 1. *Q. volo in Pamphilo, ut nihil sit moræ; rest. C.* Br.—141 *Simules* Guelf. 2.—144 Vict. *sequor.* Perlet. Sic Br. ubi

NOTÆ

135 *Magis id adeo*] 'Adeo' pro, certe, sine dubio. Virgil. I. Georg. 'Multum adeo rastris glebas qui frangit inertes.' Sæpe sumitur pro, quoque, maxime apud Plautum. Subjectum post 'atque' auget significationem. Cicero pro Cluentio: 'De foro atque adeo de civitate sublatus est.' Apud Comicos sæpe est particula ornativa, seu expletiva, nihil ad sensum conferens, sed vel ad sermonis ornatum, vel ad metrum explendum adhibita. Terentius infra: 'Propera adeo puerum tollere hinc a janua.'

137 *Quem quidem ego si sensero*] Est comminatio per reticentiam, sive ἀποσιώπησιν. Convenit irato hæc figura. Idem Terentius in Eun. Act. V. Sc. 5. 'Ego te furcifer! si vivo; sed istud, quicquid est, primum expedi.' Subintelligendum, puniam, ulciscar, vel quid simile.

Curabo. Eamus jam nunc intro. Sɪ. I præ; sequar.

capiat. So. *Satis est. Curabo ea, quæ mihi imperas. Nunc jam introëamus domum.* Sɪ. *Præcede, sequar.*

notat Bruns: 'Sic etiam alii codd. Edit. *sequar*, quæ l. est a correctoris manu in Ms.'

ACTUS I. SCENA II.

SIMO. DAVUS.

Sɪ. Nᴏɴ dubium est quin uxorem nolit filius:
Ita Davum modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse audivit. Sed ipse exit foras.
Dᴀ. Mirabar, hoc si sic abiret: et heri semper lenitas
Verebar quorsum evaderet.
Qui, postquam audierat non datum iri filio uxorem suo,
Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id ægre tulit.
Sɪ. At nunc faciet; neque, ut opinor, sine tuo magno malo.
Dᴀ. Id voluit, nos sic nec opinantes duci falso gaudio,

Sɪ. *Non dubium est mihi, quin filius neget se uxorem ducturum; adeo Davum modo timere sensi, ubi nuptias futuras esse audivit. Sed ipse exit foras.* Dᴀ. *Mirabar si hæc heri simulatio de nuptiis sine causa excogitata, et pro nihilo foret; verebarque, quem haberet exitum continua ejus et inusitata lenitas: qui, postquam audierat non datum iri filio suo uxorem filiam Chremetis, nunquam ulli servorum vel verbum dixit de hac re, neque id ægre ferre visus est: hanc filii scilicet rejectionem.* Sɪ. *At nunc dicet tibi; faciet neque id, opinor, sine tuo magno malo.* Dᴀ. *Sententia ejus fuit, nos nihil suspicantes falso ducere gaudio per hanc lenitatem*

1 Quatuor hi versus in quibusdam Mss. etiam in Donato manu exarato, Scenam ɪɪ. constituunt. *West.* Pro *filius*, *Pamphilus* Guelf. 2. et *natus* 3.—2 *Ut* pro *ubi* 1.—4. Priores tres a præcedd. vss. non disjungit Both. at hic novum incipit dialogum. Dialogum dico, nam non ille has Fabulas per actus et scenas dividit. Par. conjunctim *semper-lenitas.* Assentior Guyeto, ait West. hyphen non agnoscenti in his verbis. Hic, aiunt R.D. 'semper' rectius jungitur cum 'verebar.'—5 Sic dividit Bothius: *V. q. evaderet: qui, postquam*

NOTÆ

4 *Mirabar*] Davus, postquam de Sosia futuras nuptias audivit, ædibus exiens hæc secum metuens loquitur.

Sperantes jam, amoto metu; interea oscitantes opprimi;
Ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.
Astute! Sɪ. Carnufex, quæ loquitur! Dᴀ. Herus est, neque provideram.
Sɪ. Dave. Dᴀ. Hem, quid est? Sɪ. Ehodum ad me. Dᴀ. Quid hic volt? Si. Quid ais? Dᴀ. Qua de re? Sɪ. Rogas?
Meum gnatum rumor est amare. Dᴀ. Id populus curat, scilicet!

insolitam, et amoto metu nuptiarum, bene sperantes, et desidentes incuriose, nos prævenire, ne nobis ullum temporis spatium esset cogitandi aliquid, ad disturbandas nuptias. Astute! Sɪ. *Carnifex quæ loquitur?* Dᴀ. *Herus est, neque animadverteram.* Sɪ. *Dave.* Dᴀ. *Hem, quid est?* Sɪ. *Ehodum ad me.* Dᴀ. *Quid hic vult?* Sɪ. *Quid ais?* Dᴀ. *Qua de re quæris?* Sɪ. *Rogas? quasi nescias. Rumor est filium meum amare.* Dᴀ. *Quasi vero ea cura vulgus solicitet.* Sɪ.

audierat filio, Uxorem non dari suo, Nunq. &c.—10 Integrum hunc versum, ut nothum, rejicit Guy. haud cogitans, non cohærere ita, quæ sequuntur, *Ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.* Sane enim, si opprimerentur necopinantes Pamphilus et Davus, *omne spatium cogitandi* eadem opera illis adimeretur. Distinxi autem, *Sperantes jam, amoto metu;* contra ac vulgo fit. Vulgo ita: *Sperantes, jam amoto metu.* Sed minus apte. *West.* Alii *inter osc.* Atque ita Pall. omnes: neque aliter videtur in omn. codd. suis legisse Fa. laudatque Fr. Hare. Ita et EA. *Id. in Add. Sperantes, jam am.* Br. *Sperans, ïam, am.* Both. *Inter* Guelf. 2. 'Lege *interea.* Nam *inter* repugnat melioribus codd. nocet metro, et turbat sensum propterea, quod præter Davum et Pamphilum non erant tum alii, qui oscitarent.' *Bent.*—11 *Ut ne ess.*] Mss. quidam *Ne ess.* West. Τὸ *Ut* requirit iambicus. *Id. in Add. Ut ne* vult et Bent. *Neque esse sp.* Both. qui notat: 'B recte *Nec esse.*'—12 Quidam Mss. Libri et editi, *prævideram.* Sic et Ms. Donati. *West. Provideram*] H. e. porro videram; habent et Faërni libri omnes, et nostri, uno excepto, qui legit *prævideram.* Bent.—13 Hunc in duos vss. dividit Br. secundum ab 'Hic volt' incipiens: sed versuum numeros in Br. non mutat Bruns. 'Pall. al. *agis;* al. cum gl. *dicis:* sed *ais* et *agis* in Terent. comœd. centies

NOTÆ

10 *Oscitantes*] Oscitare, sive oscitari, est hiare, os aperire. Oscitatio negligentiam arguit.

Opprimi] Præveniri, occupari. Videtur translatum esse ab ædificiis ruina incautos opprimentibus.

12 *Astute*] Hoc gestu et agitatione capitis Davus dixit.

13 *Ehodum*] Est interjectio ad se vocantis, interdum admirantis, ut infra: 'Eho, an tute intellexisti hoc assimularier?'

14 *Id populus curat, scilicet*] Expulsio ironica, qua eludit Davus dictum Simonis, ita colligens: Id populus non curat. Ironia est Tropus, quo intelligitur contrarium ejus, quod dicitur, ab εἴρω, quod est, dico; unde εἴρων dissimulator, qui aliter dicit, ac sentit.

SI. Hoccine agis, an non? DA. Ego vero istuc. SI. Sed nunc ea me exquirere,
Iniqui patris est: nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet.
Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum:
Nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat.
Dehinc postulo, sive æquum 'st, te oro, Dave, ut redeat jam in viam.
DA. Hoc quid sit? SI. Omnes qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt.

Advertisne animum ad ea, quæ a me dicuntur, an non? DA. *Adverto.* SI. *Sed nunc me curiose inquirere, an filius amet, severioris et durioris patris fuerit. Nam, quod antehac fecit, nil mea refert. Dum tempus adolescentiæ amorem permisit, sivi ut animum voluptatibus satiaret. Nunc hoc tempus aliam vitæ rationem affert, alios mores postulat. Dehinc postulo, sive æquum est, te oro, Dave, ut in viam bonæ frugis redeat.* DA. *Quid hæc verba significent, non intelligo.* SI. *Omnes, qui amicas habent, inviti uxores accipiunt a parentibus.* DA. *Ita aiunt. Tum, si*

inter se permutantur.' *Perl.*—16 *Quod.* Sunt ex Mss. et editionibus vetustis, in quibus est *quæ:* et mox, *attinent.* West.—17 *Sini.* Ita Mss. quæ lectio Diomedis auctoritate probari potest: lib. I. *Lind.* Sed ipse Diomedes præfert *sivi.* Bruns. Codices quidam ap. Lind. pro *sivi* habent vetustam formam *sini,* quæ forte a Terentii manu est. *R.D.* *Sini* dat Z.—18 In lectione, *his dies,* nostri et Faërni consentiunt codd. Sed numerus postulat, ut pro vulgari *affert,* cum Cicerone, Epist. Fam. XII. 25. legatur *defert.* Bent. *Defert* versus exosculatur. Astipulatur Gu. 1. in quo male expuncto genuino verbo superscriptum legitur vulgatum *affert.* Both.—19 J. *et si* pro *sive.* Perl. —20 M. *Miror, hoc quid sit.* Leid. 1. addit, *nescio,* 2. *ignoro,* sed utrumque diversa manu. Par. ex Ms. Palatino citat, DA. *Hoc quid sit, nescio.* SI. *Hoc quid sit, dicam. Omnes qui amant.* Glossemata sunt omnia; quale et illud, quod in Ms. Argentorat. vidit Bœclerus: *Hoc quid sit, nescio.* SI. *Si quæras dicam. omnes.* Optime omnium ellipsin supplevit Donatus, nisi quod, ἀντὶ τοῦ *quæris,* legendum *quæro.* Possit tamen fortasse interrogative dictum esse, *Hoc quid sit?* pro, Quid dicam hoc esse? Quæ explicandi ratio si minus placet, possit abruptus Davi sermo videri per Simonem continuo narrare pergentem connectendus cum illis, 'Non, hercle, intelligo.' Certe quidem ejusmodi loquendi ratio frequens est in Comœdiis. *Uxorem.* Quidam libri scripti et editi, *uxores.* West. EA. DA. *Miror, hoc quid sit.* SI. *Si quæ-*

NOTÆ

15 *Hoccine agis, an non*] Aliud agere proverbiali figura est, aliud cogitare, *penser ailleurs.*

Sed nunc ea me exquirere, Iniqui patris est] Ironia est; significat enim non esse iniqui patris, cum tam multa permiserit, tandem sub ipsas nuptias in filii mores inquirere.

19 *Sive æquum 'st*] Ironica correctio: *ἐπανόρθωσις.* Quæ tollit id quod dictum est, et pro eo, quod magis idoneum videtur, reponit.

DA. Ita aiunt. SI. Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum,
Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumque applicat.
DA. Non hercle intelligo. SI. Non? hem. DA. Non: Davus sum, non Œdipus.
SI. Nempe ergo aperte vis, quæ restant, me loqui? DA. Sane quidem.
SI. Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis
Fallaciæ conari, quo fiant minus:
Aut velle in ea re ostendi, quam sis callidus:
Verberibus cæsum te, Dave, in pistrinum dedam usque ad necem;

quis sibi sumsit magistrum ad amorem, improbum, ipsum animum libidine jam ægrum ad deteriorem partem plerumque applicat. DA. *Per Herculem, hæc, quæ dicis, non intelligo.* SI. *Non intelligis? Hem.* DA. *Non: Davus sum, tardi ingenii servulus: non Œdipus ænigmatum interpres.* SI. *Nempe ergo vis aperte me loqui, quæ restant mihi dicenda?* DA. *Id certe velim.* SI. *Si sensero te quicquam fallaciæ hodie conari, ad has nuptias impediendas; aut velle in isto conatu ostendere, quantum sis astutus: virgis verberatum te in pistrinum, Dave, conjiciam,*

ris, dicam. Et ita ET. *Id. in Add.* Codici Br. desunt nomina DA. et SI. ante verba, quæ iis in edit. tribuuntur. Atque codici Donati defuisse suspicatur Zeunius. *Bruns.* Post *Hoc q. s.* Hel. hæc inculcat: *Nescio.* SI. *Si quæras, dicam. Omnes, &c.* Gu. 2. *Hoc quid sit, ignoro.* Both. Venustas fecit ut de illo dubitarem, *Hoc quid sit?* Sciebam enim *Quid hoc* magis esse Terentianum, quam *Quid hoc sit?* Cum ergo mihi jam esset locus suspectus, et scriptum postea in aliis exemplaribus adverterim *Miror quid hoc sit,* judicavi Interpretis verba pro Terentianis in contextum irrepsisse. *Gov.* *Si quæras, dicam* habet Guelf. 1. *Ignoro* 2.—21 Ad 'cepit' glossa τοῦ Br. scripsit 'habere.' Legit igitur glossa *cæpit,* notante Bruns. 'Gu. 1. in litura *magisterium.*' Both.—22 Si τὸ *Ipsum* referas ad 'animum ægr.' languere videtur sententia. Crediderim igitur, scripsisse Poëtam, *Ipsu' animum,* h. e. *Ipsus,* idque a Librariis mutatum in *Ipsum.* West.—23 In R. τὸ *hem* desideratur. *Lind.*—25 Aliter *hisce.* Er.—27 *Ostendi.* Ita post Fa. plures legendum esse contendunt. Ego nullus dubitem, quin scripserit Terentius, *ostendere,* cum quod quidam libri scripti et editorum vetustissimi ita legunt, tum, quod Latinius dictum videtur, *conari, aut velle ostendere.* West. Unus liber habet *ostendere,* ceteri cum Faërnianis recte legunt *ostendi.* Bentleius. Mur. *ostendere* ex antiq. lib. *Perl.* *Aut te videro velle, &c.* Guelf. 2.—28 *Pristrinum* Br. ubi notat Bruns: 'Edit. *pistrinum:* recte.' 'Nomen 'Dave' cum hic totum

NOTÆ

23 *Hem*] Interjectio est irascentis aut indignantis.

Davus sum, non Œdipus] Allegoria sumta ab Œdipi et Sphingis fabula. Œdipus solus Sphingis ænigma solvit, scilicet, quid esset animal mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes: quod quidem homo est.

Ea lege atque omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam.
Quid? hoc intellextin'? an nondum etiam ne hoc quidem? DA. Immo callide:
Ita, aperte ipsam rem modo locutus, nihil circuitione usus es.
SI. Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me deludier.
DA. Bona verba quæso. SI. Irrides? nihil me fallis: sed dico tibi,

quoad neci datus male pereas: ea conditione, eoque auspicio, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam. Intellexistine quid hoc est? An nondum ne hoc quidem intelligis? DA. *Immo perfecte intellexi: ita clare rem expressisti, sine circuitione verborum.* SI. *In quavis alia, quam in hac re, me decipi potius passus sim.* DA. *Meliora loquere, quæso.* SI. *Irrides? nihil me lates: sed prænuntio ne temere in*

in depressione latitet, numerosior efficitur oratio, si post *pistrinum* collocetur.' *Bent.* Sic id verbum collocant Br. Both. Perl. Collocat versum aliter Guelf. 3. *te, Dav. usq. ad nec. in pist. ded.*—30 *Quid hoc? int.* Br. 'Signum interrogandi in ed. ante [post] 'Quid:' recte.' *Bruns.*—31 Ms. *circumitione.* Lind. Lege *circum itione* ob fidem nonnullorum codd. qui habent *circumitione*, et inprimis ob usum loquendi apud Plautum et Nostrum, qui semper dicunt *circumire.* Bent. Utroque modo dicitur *circumire* et *circuire.* R. D. *Circumit.* dat Both. *Locutus es, et nih.* Guelf. 2.—33 Nescio quomodo, h. l. non placet *τὸ sed.* Si conjecturam facere fas est, dixerim literam *S* repetitam ex præcedente 'fallis,' *D* vero ex sequente *dico*, atque adeo legendum esse, *edico*, totumque locum ita distinguendum: *Irrides? Nihil me fallis. Edico tibi, Ne temere facias.* Dubium omne tollit Donatus ad III. 2. 15. illa notans: 'Hic illud redit: Edico tibi, Ne temere facias.' *West.* Recte vett. nostri codd. *irrides* sine interrogatione ponunt. Illud autem *sed dico* cum in re tam gravi nimis sit tepidum, reponendum censeo *edico*, h. e. denuntio. *Bent.* Sine interrog.

NOTÆ

28 *Te in pistrinum dedam*] Pistrinum locus est pinsendo frumento destinatus, ubi molæ trusatiles, dictæ a trudendo, quæ impellebantur a servis, qui per convicium Asini audiebant; et molæ quoque contemtim præsepia. Aliæ erant versatiles dictæ, quæ versabantur a jumentis.

29 *Atque omine*] Est signum futuri eventus. Plaut. in Casina, Act. II. Sc. 8. 'Nostro omine it dies.' Id est, auspicato, feliciterque; id est, Omen est nostrum, non adversariorum.

33 *Nihil me fallis*] Id est, lates. Ovid. Eleg. 2. lib. IV. Trist. 'Nos procul expulsos communia gaudia fallunt.' Id est, latent. Horat. 'Segetis certa fides meæ Fulgentem imperio fertilis Africæ Fallit sorte beatior.'

Ne temere facias: neque tu hoc dicas, tibi non prædictum. Cave.

hac re quicquam doli coneris, neque tu dicas postea tibi non fuisse prædictum; cave, tibi dico.

dant Br. Both. Et probare videtur Bruns. *Nil me fallis: edico tibi* Both. *Me irrid.* Guelf. 3.—34 Ita Mureto auctore vulgo nunc editur. Olim ita: *neque tu haud dicas.* Quod prætulerim. Certe neque summorum Criticorum auctoritate caret, neque aliter legendum Donato placuit. Græcissat locutio, majoremque vim habet, quam si simpliciter dixisset, *neque dicas.* Georg. Fabricius inter *παρέλκου* [s. *παρέλκοντος*] species refert, ad Heaut. IV. 3. 7. dicens, esse *pernegantium.* Et citat Gudius ad Phæd. I. 25. Est in uno Leidd. *neque hoc tu dices.* West. EA. *neque haud tu dicas.* Ita et ET. Sed EM. an. 1476. *neque tu dicas.* G. *neque tu hoc dicas.* Id. in Addendis. R. et V. C. *hoc sic dices.* Lind. Pro *dicas* recte V. et tres meliores e nostris legunt *dices.* Non enim edicit Simo, ne Davus *dicat* sibi non prædictum: ipse Davus jam præmonitus non hoc *dicet*, nec dicere audebit. Ceterum pro lectione V. *hoc* lege *haud*, ita ut *neque haud* accipiatur negative. *Bent.* *Neque tu haud dicas.* Sic Schmieder. Sed *hoc tibi* codex Oldenb. Sine dubio legend. *Oldenburgicus* vel Oldenburgensis. [Uberiorem huj. cod. notitiam locique ubi lateat, mihi editori impertire non potuit doctissimus et humanissimus frater b. auctoris. *Bruns.*] C. G. Lenzius. Recte C *dices.* Both. GM. *hoc tu dices.* Perl. *Neque tu hoc dices tibi* Br. Hoc *τῷ haud* præfert Gov. Continuatur in Guelf. 2. hæc scena sequenti. Quod ita se habet in ed. Both. Continuari in quibusd. libris, etiam Mss. testis est West.

NOTÆ

34 *Neque, &c.* [*Neque tu haud dicas tibi non prædictum*] Goveanus legit, *neque tu hoc*, non, *haud.* Muretus ita ait: Quicquid dicat Donatus, legendum hoc, non, haud. Est enim ordo, et sensus: Neque, id est, et ne tu dicere possis hoc tibi non prædictum, en prædico: cave.

ACTUS I. SCENA III.

DAVUS.

ENIMVERO, Dave, nihil loci 'st segnitiæ, neque socordiæ,
Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis.
Quæ, si non astu providentur, me aut herum pessumdabunt.

Certe, Dave, nullum tempus relictum segnitiæ, neque socordiæ; quantum modo intelligere potui senis Simonis sententiam de nuptiis Pamphili: quæ nisi caveantur astute, me aut herum Pamphilum oppriment; nec quid agam certum est mihi;

NOTÆ

3 *Me aut herum pessumdabunt*] Pessum ire, est perire: ut pessumdare perdere, et, in eadem significatione, pessum premere, ducta tralatione a

Nec quid agam certum 'st: Pamphilumne adjutem, an auscultem seni:
Si illum relinquo, ejus vitæ timeo: sin opitulor, hujus minas;
Cui verba dare difficile est. Primum jam de amore hoc comperit.
Me infensus servat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam:
Si senserit, perii: aut, si lubitum fuerit, causam ceperit:
Quo jure, quaque injuria præcipitem me in pistrinum dabit.

Pamphilumne adjutem opera mea, an seni, ejus patri, obsequar. Si illum relinquo, timeo ne in vitæ periculum incidat: sin opem fero, timeo ea, quæ minatus est mihi herus Simo, quem fallere difficile est. Primum jam comperit amare Pamphilum: iratus me observat, ne quam faciam fallaciam ad impediendum nuptias. Si senserit me id fecisse, perii; aut, si ei libuerit, causam capiet, cur me, sive jure, sive injuria

4 *Adscultem* Br. ubi notat Bruns: 'Edit. *auscult.* Literis *ad* superscriptum *ob*: sed *obscultem* est verbum nullum.'—7 *Observat* Br. 'Sunt ex Mss. et editis libris in quibus τὸ *in* non legitur.' *West.* Delent Guelf. 1. Br. Z. '*Faciam nuptiis.* Ita R. alii, *in nuptiis.*' Lind. 'Lectio, *in nuptiis*, quæ in duobus nostris codd. et editionibus antiquis plerisque reperitur, placet, quod convenit loco I. 2. 25. et tollit ingratum homœoteleuton, 'faciam,' 'fallaciam.' *Bent.* —8 Ut sensus constet, notat Bent. in verbo 'ceperit' esse finem antecedentis intelligendum: igitur 'perii' esse pro interjectione, et pro *aut si* reponend. *aut quam.* Aliquid impediti, aiunt R. D. in huj. l. constructione: de quo vid. Bent. *Si s. perii! aut, si l. f. c. c.* Both.—9 *Quo jure, quaque injuria.* Tuentur hanc lect. Leidd. sed et Tr. cum M. Variant editiones vetustæ; quanquam pleræque cum Mss. consentiunt. Guy. legebat, *Qua jure, quaque injuria.* Malim, si quid solicitandum, integrum locum ita legere et distinguere: *Quo jure, quave injuria; præcipitem me in pistrinum dabit.* Sed et Priscianus lib. XVIII. ita citat: *Quo jure, quave injuria.* Erasmus et Guy. mallent abesse *me*: non intercederem, si per Codd. liceret. *West.* Gov. omisit *me.* Id. in Add. Etsi omnes codd. et libri consentiunt in lectione vulgari, sensus tamen postulat, ut *Quo* mutes in *Qua*, et *quaque* in *qua me*, et deleas *me* post præcipitem.' *Bent.* Omnino cum Bent. et aliis legendum *Qua jure, qua injuria.* R. D. *Qua...qua*: docente Bent. Vulgo *Quo jure quaque injuria.* Saltem dedissent *Qua jure.* Both. Plurimi codd. habent ut edidi. *Perl.* qui eadem dedit cum West. *Quo jure, qua inj. p. me in pristr. d.* Br. *Qua j. qua*

NOTÆ

re maritima. Argumento est locus Plauti in Cist. Act. II. Sc. 1. 'Maritimis moribus mecum experitur: ita meum frangit amentem Animum: nisi quia miser non eo pessum, mihi nulla abest Perdito pernicies.' Idem Plautus in Aulul. Act. IV. Sc. 1. 'Servum ratem esse amanti hero æquum censeo; ut toleret, ne pessum abeat.' In Rudente sine figura, Act. II. Sc. 3. vers. 64. 'Nunc eam cum navi scilicet abivisse pessum in altum.' J. Gul. Veris. lib. IV. c. 4. Glossarium: 'Pessumdat: βυθίζει.' 'Καταποντίζω: demergo, pessumdo.'

9 *Quo jure, quaque injuria*] Id est,

Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam: hæc Andria,
Sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est.
Audireque eorum est operæ pretium audaciam:
Nam inceptio 'st amentium, haud amantium.
Quicquid peperisset, decreverunt tollere.
Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam,
Civem Atticam esse hanc. Fuit olim quidam senex,
Mercator: navem is fregit apud Andrum insulam:
Is obiit mortem: ibi tum hanc ejectam Chrysidis
Patrem recepisse, orbam, parvam: fabulæ!
Mihi quidem hercle non fit verisimile; atqui ipsis commentum placet.
Sed Mysis ab ea egreditur. At ego hinc me ad forum, ut

in pistrinum dedat. Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam, quod hæc Andria, sive ista uxor est, sive amica, e Pamphilo gravida est: et est pretium operæ jucundumque audire eorum audaciam. Nam ea res inceptio est amentium, non amantium; quicquid peperisset, sive masculum, sive fæminam, decreverunt educare; et fingunt nunc inter se quandam fallaciam, dicturi illam Glycerium civem esse Atticam. Fuit olim quidam senex mercator: is, nave fracta, tempestate ad Andrum insulam ejectus est. Is vita decessit: ibi tunc patrem Chrysidis aiunt Glycerium, ejectam ad littus, parente orbam in suam tutelam recepisse. Fabulæ hæc sunt. Mihi quidem, per Herculem, non fit verisimile: verumtamen hoc ipsis commentum placet. Sed Mysis e domo Chrysidis egreditur: at ego hinc ad forum me confero. Pamphilum

me inj. pr. in Both.—10 Edit. Zeunii *accidit*, forte operarum errore. *Bruns.* Sic Guelf. 2. omisso *etiam.*—11 Jan. Gulielmius eumque secutus T. Faber legunt: *Si ista.* Scilicet, ut metro consulant, Latinitati minus consulunt. *West.* *Si* vult et Bent. et probant Both. et R. D.—13 Gu. 1. *Namque hæc inc. am. est, non am.* 2. *Nam inc. hæc am. est, haud am.* Both. *Inc. hæc* Guelf. 2.—15 *Nunc* post 'fing.' Guelf. 2.—16 Voluit Bent. *olim hinc*: accipiunt Both. Perl.—17 *Navim* Guelf. 3.—19 *Fabulæ sunt* id.—20 *Atque.* Quidam libri scripti: *atqui*; sed editam lect. retinet Donatus. *Lind.* Tolle illud *hercle*, quod et versum et sententiam onerat. Atque pro *Mihi* repone *Mi*, et pro *atque* usus antecedentis particulæ 'quidem' requirit *at.* Bent. *Atque* hic ponitur pro, et tamen, et verum. *R. D.* *At* Bent. bene cum Guy. pro *atque* vulg. *Perl.* *Atque* dant Br. Z. *Mi quidem non fit verisimile: at ipsis* Both. qui monet *quidem* in A omitti. *Hercle* omittit Perl. quod notat esse in Guelf. 3.—21. 22 Sic legit Both. *At ego hinc me ad forum Ut Pamphilum*

NOTÆ

quocumque modo; sive aliquo jure, sive aliqua injuria.

12 *Est operæ pretium*] Rem significat factu, vel auditu, vel memoratu dignam.

14 *Decreverunt tollere*] Id est, agnoscere, suscipere, educare. Infantes olim, simul ac nati erant, humi deponebantur. Ab humo vero tollebantur, et in sinum recipiebantur. Qui non tollebantur, pro abdicatis et projectitiis habebantur.

Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem
opprimat.

adibo atque alloquar, ne pater ei hujus rei ignaro superveniat.

conveniam, ne pater opprimat. Imprudenter Guelf. 1. *Ne pat. de hac imprudenter opp.* omittens *re*, nisi nos fallit Perl.

ACTUS I. SCENA IV.

MYSIS.

Audivi, Archilis, jamdudum; Lesbiam adduci jubes.
Sane pol illa temulenta 'st mulier et temeraria:
Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem.
Tamen eam adducam. Importunitatem spectate aniculæ;
Quia compotrix ejus est. Di, date facultatem, obsecro,

Audivi, o Archillis! quæ præcipis. Jamdudum Lesbiam obstetricem adduci jubes. Sane, per Pollucem, mulier illa valde vinosa est et temeraria: nec satis idonea est, cui committere debeas mulierem primo partu, qui periculosus est: tamen eam adducam. Spectate importunitatem hujus aniculæ. Archillis adeo instat, ut Lesbia quam cito adducatur: quia cum ea compotare solet. Dii, date,

1 *Archilis.* Secutus sum auctoritatem Faërni, per unicum *l* scribendum præcipientis, ex Mss. quanquam non omnibus. Sunt enim, ubi hæc litera geminatur. *Lesbiam adduci jubes.* Goveanum, dum nimis religiose versus Terentianos ad metri normam reducere conaretur, Latinitatem perdidisse, legendo, *quod Lesbiam adduci jubes*, merito post Muretum queritur Sanctius Minerv. III. 14. Fabrini jungit, *jamdudum Lesbiam add.* West. Etsi in omnibus codd. et Faërnianis et nostris legitur *Archilis*, tamen ob analogiam Thestylis, Phidylis, Erotylis, hic quoque rescribe *Archylis*. Atque pro præterito sensus postulat *Audio*, ut inf. Hec. III. 2. 1. *Bent. Jamdudum* dicitur de tempore non longe præterito in Eun. IV. 6. 5. 'Ego jamdudum hic adsum.' Cic. de Amicit. c. 22. 'Ea, quam jamdudum tractamus, stabilitas amicitiæ.' *R. D.* Bent. omnino sequuntur Both. et Perl. *Archillis* Z. Non distinguit Br. post *Arch.*—2 M. non agnoscit *illa*. Guy. *pol. saue* legit. *West.*—4 Contextus jubet illud *adducam* mutari in *adduci?* ut sit repetitio antecedentis 'Lesbiam adduci jubes,' cum indignatione. *Bent. Adducam* tuentur R. D. et Perl. qui *adduci* non recte conjectum putat.—5 *Obsecro* omittit Br.—

NOTÆ

2 *Pol*] Per Pollucem: Ædepol, per ædem Pollucis: Æcastor, per ædem Castoris: Mecastor, me Castor juvet: Hercle, per Herculem: Mehercule, me Hercules juvet.

Temulenta] Id est, vino dedita, a Temeto, vino prisca lingua. Gellius lib. x. cap. 23.

Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.
Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor quid
siet.
Opperiar, ut sciam nunc, quidnam hæc turba tristitiæ
afferat.

precor, vires Glycerio ad feliciter pariendum, atque obstetrici Lesbiæ industriam opportunam in educendo partu: ut in aliis mulieribus sublevandis potius erret. Sed quidnam video Pamphilum exanimatum? Vereor quid hoc sit. Expectabo, ut sciam, quidnam tristitiæ hæc perturbatio illi afferat.

8 In M. non legitur *nunc*. Tr. *nunc quidni* corrupte. Donatus legit *num quidnam*, dicitque: Comicum est, et Terentianum. [Sic inf. II. 1. 25. sed ET. et EM. *sciam quidnam.* West. in Add.] Vere illud. Atque ita recensuit Heinsius. *Nunc* nullam vim habere quis non videt? Ita tamen et Bodl. *West.* Pro *nunc, quidnam* Donatus et unus cod. legit *num quidnam*, recte. Deinde, cum nondum turbam Mysis vidisset ullam, cetera restitue ita, *hæc turbæ tristitia.* Bent. quem sequitur Both. *Num quidnam* accipiunt R. D. *Turbæ tristitia* accipit Perl. et bene transmutatas has terminationes censet.

ACTUS I. SCENA V.

PAMPHILUS. MYSIS.

Pa. Hoccine 'st humanum factum aut inceptum! hoccine 'st officium patris!
My. Quid illud est? Pa. Proh Deum atque hominum fidem! quid est, si non hæc contumelia 'st?

Pa. *An hoc factum, aut inceptum contra filium, humanum est? an hoc officium est patris?* My. *Quid illud est?* Pa. *Deos hominesque testor! si hoc con-*

1 Ob lect. a Donato indicatam, et sensus elegantiam lege, *Hoccine est factu humanum aut inceptu?* Bent. Al. *factu—inceptu*, male. *Perl. Hoccine factum est h. aut i. hoccine off. patris* vult Gov.—2 Leidd. quatuor: *Quid est, si hæc non contumelia 'st?* Atque ita recentiores ediderunt. M. *quid est, si hæc contumelia non est?* quomodo et vetustissimi impressorum codicum exhibent. Et testatur Pareus, ita esse in uno Pall. Si legas, ut est in M. metrum quidem laborat, sed sensus erit ἐμφατικώτερος, q. d. Quid est contumelia, si hæc contumelia non est? Leidd. unus: *Quid illud est? Proh Deum fidem, quid? si hæc non contumelia est?* West. Mur. tollit *fidem*. ET. et EM. *Deum fidem atque hominum.* G. *Pro Deum fidem, quid est.* Id. in Add. Illud *atque hominum* a codice primariæ notæ abest, nec in codd. aliis certum habet locum. Dele igitur, præsertim cum ita in versu 11. oriatur incrementum.

Uxorem decrerat dare sese mihi hodie: nonne oportuit
Præscisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?
My. Miseram me! quod verbum audio?
Pa. Quid Chremes? qui denegarat se commissurum mihi
Gnatam suam uxorem; id mutavit, quia me immutatum videt?
Itane obstinate operam dat, ut me a Glycerio miserum abstrahat?
Quod si fit, pereo funditus.
Adeon' hominem esse invenustum, aut infelicem quenquam, ut ego sum!

tumelia non est, quid deinde nomine contumeliæ appellandum erit? Si pater constituerat mihi dare hodie uxorem, nonne ante de hac re certior fieri debui? Nonne consilium et deliberationem participare? My. *Miseram me, quod verbum audio?* Pa. *Quid de Chremete dicam, qui denegaverat se daturum filiam suam in uxorem? Mutavit sententiam, quia me animum immutavisse intelligit; itane obstinate laborat, ut me miserum a Glycerio abstrahat? Quod si fit, pereo prorsus. Adeone quisquam hominum invisus est Veneri et Fortunæ, ut ego sum? Proh Deum atque*

Porro *hoc* habet CCC. et Donatus. Recte. *Bent.* Recte Bent. *hoc* edidit pro vulg. *hæc.* R. D. *Proh Deum fidem! quid, si hoc non, contumelia est?* Both. qui notat: ' Legitur vulgo *quid est, si, &c.* numeris durioribus, ut vix dubitem *est* profectum esse a nescio quo sciolo.' *Proh Deum fidem, quid est? si hoc non contumelia 'st* Perl. ' Bent. *atque hominum* abesse ait a codice primariæ notæ. Abest etiam a Br. En igitur qualis ille sit.' *Bruns.* *Si hæc non* etiam Br. *Fidem* non habere unum vetustum exemplar, nec *atque hominum* habere alterum monet Gov.—3 Mur. et Fa. repererunt in Mss. quibusdam *decrevit.* Probat T. Faber, explicans de secundo Simonis consilio repentinarum nuptiarum. *West.* G. EA. et ET. cum EM. *decrevit:* quod probat F. F. *Id. in Add.* *Decrerat,* auctore Faërno, habet liber Victorianus; alii fere omnes, et Donatus, *decreverat;* paucissimi iique recentissimi, *decrevit.* Duo tantum ex nostris *decrevit;* alii magno numero *decrerat.* Bent. *Mi* pro *mihi* Both. Perl. *Uxorem sese decreverat dare mihi* Br. *Dare* in aliquibus codd. non legitur: neque carmen postulat, et iratus supprimere multa solet.' *Gov.*—4 *Antea* Guelf. 2. et *comm. esse op.*—6 *Denegaverat* vult Gov. et sic scriptum reperisse testatur.—7 *Quia.* Al. *quoniam.* Lind. *Quia,* pro vulgari *quoniam,* comprobatur auctoritate codd. Malim 'mutavit' accipi absolute, ut supra, I. 1. 13. et *id* mutari in *is,* ut oppositio venustior efficiatur. *Bent.* quem sequitur Both. *Quoniam* Br.—8 Pro *Itane* rescribe *Ita.* Bent. quem sequitur Perl. qui eodem Bent. præeunte edidit *dat op.* Collocat Guelf. 2. *ut me mis.*—10 *Ut*

NOTÆ

5 *Miseram me! quod verbum audio*] Audito uxoris nomine, ex terretur Mysis.

10 *Invenustum*] Venus in talorum jactu invocabatur, et, qui Venerem frequenter jaciebat, venustus, id est, fortunatus habebatur; contra invenustus, id est, infortunatus. Alii venustum eum dicunt, cujus genituræ domina sit Venus; maxime si fuerit

Proh Deum, atque hominum fidem!
Nullon' ego Chremetis pacto affinitatem effugere potero?
Quot modis contemtus, spretus? facta, transacta omnia. Hem!
Repudiatus repetor. Quamobrem? nisi si id est, quod suspicor.
Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest,
Itur ad me. **My.** Oratio hæc me miseram exanimavit metu.
Pa. Nam quid ego nunc dicam de patre? ah!
Tantamne rem tam negligenter agere? præteriens modo
Mihi apud forum, Uxor tibi ducenda 'st, Pamphile, hodie, inquit, para;

hominum fidem! Nullone ego pacto efficere potero, ut Chremes mihi affinis et socer non sit? Quot modis despectus et spretus ab illo fui? Facta et transacta omnia in contrahendis nuptiis; postea repudiatus sum. Hem repudiatus repetor. Quamobrem? causam ignoro, nisi forte illud est, quod suspicor: nimirum Chremetis filia deformis est, et monstro similis. Ea quoniam ab omnibus respuitur, quantumvis sæpius oblata, ad me recurritur. My. *Oratio hæc me miseram exanimavit metu.* Pa. *Nam quid ego nunc dicam de patre? Ah, tantine momenti rem, ut sunt nuptiæ, tam negligenter transigere potuit? Ipse præteriens modo in foro, Pamphile, inquit, uxor tibi ducenda est hodie. Ad id para te. Abi domum. Sic lo-*

ego sum, quemq. Both.—11 *Proh Deum atque hominum fidem!* Hæc in nonnullis Mss. continuo subjunguntur illis versu 8. *Ut me a Glycerio miserum abstrahat.* Hæc notat Perl. ad *abstrahat?* in vs. 8. ' Sustulit Bent. interrogationem, probatam multis, ut melius procedat sententia. Recte. H. l. sequitur ap. Par. versus 11. quem is ita collocatum in Pall. reperisse affirmat.' ' Hic versus non post octavum est collocandus ob codd. novicios; antiqui sunt audiendi.' *Bent.*—12 *Nullo ego pacto Chremis* vult Gov. qui postremum verbum sic scriptum in codice reperit.—14 Quidam libb. script. et editi *nisi id est.* Magis Comicum videtur *nisi si.* West. ET. *nisi id est.* Id. in Add.—15 *Ea, quoniam* Br. Notat Bruns: ' Edd. non distinguunt post 'ea:' male: nam 'ea' ablat. casus est, et construitur cum 'Itur.'' Sub varietate lectionis Guelf. 1. monet Perlet esse in illo Ms. *et* post 'alunt:' et sub var. l. Guelf. 2. esse in illo *et ea.*—16 Sunt ex Mss. et editis, in quibus *exanimat* legitur. *West.* *Itum* reperit scriptum in codice Goveanus.—17 Deleatur *nunc* cum codd. fide, tum metri causa. Nam 'quid' sub ictu stare debet. *Bent.* *Nam quid ego nunc de patre? Vah* Both. qui notat *dicam* esse a glossatore. *Dicam nunc* Perl. *Nunc* omittit Br.—18 Omitte *ne* cum cod. regio. *Bent.*—19 *Mi* dat Perl. et notat: ' Pro *Mihi* vulg. Bent. ubique locorum *Mi.*' Hæc monet West. ' *Hodie.* Non cepit

NOTÆ

in Geminis, aut in prosperos Jovis radios inciderit: at in Leone, Ariete, et Virgine infelix esse perhibebatur.

Abi domum. Id mihi visus est dicere: Abi cito, et suspende te.
Obstupui. Censen' ullum me verbum potuisse proloqui?
Aut ullam causam, ineptam saltem, falsam, iniquam? obmutui.
Quod si ego rescissem id prius; quid facerem, si quis nunc me roget?
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. Sed nunc quid primum exequar?
Tot me impediunt curæ, quæ meum animum divorse trahunt:
Amor, misericordia hujus, nuptiarum solicitudo:

quens, id mihi visus mandare, Abi cito, et suspende te. Ad hæc verba obstupefactus sum. Putasne me ullum verbum proferre potuisse, aut ullam excusationem, licet ineptam, fictitiam, et injustam? Mutus repente factus sum. Quod si quis nunc a me quærat, quid facerem, si ego id præsensissem? respondebo: Aliquid facerem, ne id facerem: ducerem uxorem, viderer que consentire jussui patris. Sed nunc quid primum exequi debeo? Tot me impediunt curæ, quæ animum meum distrahunt in partes varias; amor, misericordia Glycerii, solicitatio,

vim hujus vocis Guy. expungens *τὸ cito*, quod est in versu seq. et rescribens: *Abi domum. Id mihi visus est dicere: abi domum et suspende te.'*—20 *Ac susp.* Ita duo Gu. Vulg. *et.* Both. *Ac* Br. et Guelf. 3. Et hoc et illud delet Gov.—21 Adrianus Barlandus legebat, *Obstipui.* Atque ita est in uno Leidd. Utrumque enim dicitur, 'obstupesco' et 'obstipesco.' Sed et Par. *Obstipui* edidit ex Ms. *West. Obstipui.* Al. *obstupui.* Lind. *Obstipui* habent, auctore Faërno, Vaticanus, Decurtatus, alibi Bembinus, et apud Virgilium antiquissimus liber Romanus. *Bent. Obstip.* Br. Z. et Both. *Censen' me verb. pot. ull. pr.* Br. Perl. *Ull. verb. me* Both. Sed tales VV. DD. variæ collocationes adeo densantur, ut eas omnes nec velimus nec possimus memorare.—22 Rotundiores fluunt numeri, fide Pet. ubi 'aut' annectis antecedenti versui, et 'saltem' ponis ante 'ineptam.' *Bent.* quem sequitur Perl.—23. 24 Exhibui vulgatam distinctionem; sed moneo, omnino legendum et distinguendum esse: *Quod si ego rescissem id prius: (quid facerem? si quis nunc me roget; Aliquid facerem, ut hoc ne facerem.)* West. Fr. Hare expungit *τὸ nunc:* nulla nisi metri ratione ductus. *Id. in Add. Quod si ego, &c.* Sic edidit Faërnus, consentientibus codd. vetustis. At, ne Arses et Theses se incnocinne habeant, repone, *Quod si ego scissem id prius, quid facerem, si quis nunc me interroget.* Bent. Vulg. *roget;* sed Eng. *interroget,* astipulante metro. *Both.* qui sic edidit: *Quodsi e. r. id prius, q. facerem, si q. n. m. interroget, Al. facerem, ut h. n. facerem.—Set nunc.* Sic Perlet: *Quod si e. scissem id prius...q. facerem, si q. n. m. interroget; Al. facerem, ut h. n. facerem, sed, &c.* Interrogat Br. post 'prius' et 'roget.' Monet Perlet legi *resciss.* in Guelf. 1. 3. Vult. Gov. *Quod si ego prius id rescissem, &c.* Ceterum *exequor* Br. nisi fallit Bruns.—25 *Meme* F. F. *West. in. Add. Adverse* Guelf. 1.—26 *Solicitudo.* Ita præstat legere cum plerisque Mss. quam *solicitatio.* Et videtur ita legisse Donatus, quia prius, quid *solicitudo* sit, describit, tum, quid *solicitatio* ab ea

Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc,
Quæ meo cumque animo lubitum 'st, facere: ein' ego ut advorser? hei mihi!
Incertum 'st quid agam. My. Misera timeo, incertum hoc quorsum accidat.
Sed nunc peropus est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa advorsum hunc loqui.
Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur.
Pa. Quis hic loquitur? Mysis, salve. My. O salve, Pamphile. Pa. Quid agit? My. Rogas?
Laborat e dolore, atque ex hoc misera solicita 'st die,

qua urgeor, ut uxorem accipiam, patris reverentia, qui mihi tam leniter permisit usque ad hanc diem arbitrio meo vivere. An ego committam, ut ei adverser? Hei mihi! incertum est, quid agam. My. *Misera, timeo, quo tendat istud, incertum est, et quem exitum habeat. Sed nunc maxime opus est, aut Pamphilum cum ipsa Glycerio, aut me aliquid de illa apud hunc loqui. Dum enim animus pendet dubius, levi impulsu in hanc vel illam partem ducitur.* Pa. *Quis hic loquitur? Mysis, salve.* My. *O salve, Pamphile.* Pa. *Ut se habet Glycerium?* My. *Quæris?*

differat. *West. Solicitatio* dant Br. Z. Perl. Both.—27 *Leni.* V. C. *liberali.* Lind. Ne totum illud 'animo' in Thesi, plane contra artem, lateat, transfer 'est' post 'animo.' *Bent.* Assentiuntur Both. et Perl. Pro *leni* GM. *dulci.* Aliter *ad hoc,* pro *adhuc,* notante Er.—28 *Eine* Guelf. 1. *Ei* pro *hei* Br. et Perl. qui *ei* esse notat in plurim. Mss.—29 Omnes mei et Faërni codd. habent *Incertum hoc:* recte. Deinde *quorsum* muta in *quorsus,* metri gratia. *Bent. Hoc incertum* Z. *Quorsus* Both.—30 Lege *peropu 'st.* Nostri codd. omnes hoc ordine, *aut aliquid de illa me.* Tolle *aliquid,* quod et incertæ est sedis, et repugnat sensui. *Bent. Set p. nunc est...aut de ipsa me adv.* Both. qui notat: '*De ipsa.* Sic Gu. 1. quod concinnius vulgata lect. *de illa.*' *Ipsa* est in Guelf. 3. *Sed n. peropust,...aut de illa me adv.* Perl. qui *aliquid* post 'me' concinne ejicere Bentleium censet.—31 Fa. testatur, Donatum cum omnibus libris antiquioribus legere, *huc vel illuc:* quomodo et legit Bodl. Sed in Donato, uti vulgo editur, nihil ad hæc verba notatur; sed neque in Ms. Hulst. Videtur autem elegantius omitti *τὸ vel.* West. *Cum in dub.* V. C. *Lind. Huc vel ill.* Br. Z. Perl.—32 *Mysis?* Perl. Both. Z. 'Ed. Zeun. *Mysis?* Sed signum interrogationis mendum esse videtur typog. Superscriptum 'o' in codice nullum dubium relinquit, quin sermo ad Mysin dirigatur.' *Bruns.* 'Sign. interrog. non est mend. typog. Nondum tamen pœnitet sententiæ, melius cum Mss. tolli.' *Id. in Add.* '*Agitur.* Sic vett. edd. et codd. nostri præter A et Gu. 1.' *Both.* qui ita dedit.—33 *Ex hoc misera solicita 'st.* Locutio rarior, sed elegans. Usitatius, solicitus causa alicujus,

NOTÆ

31 *Paulo momento*] Metaphora a trutina: cum id, quod ponderatur, in neutram partem vergit, et incertum pendet.

Quia olim in hunc sunt constitutæ nuptiæ: tum autem hoc timet,
Ne deseras se. PA. Hem, egone istuc conari queam?
Ego propter me illam decipi miseram sinam?
Quæ mihi suum animum atque omnem vitam credidit;
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim;
Bene et pudice ejus doctum atque eductum sinam
Coactum egestate ingenium immutarier?
Non faciam. MY. Haud vereor, si in te solo sit situm:
Sed vim ut queas ferre. PA. Adeon' me ignavum putas?
Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum,
Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor
Commoveat, neque commoneat, ut servem fidem?

partus doloribus torquetur; et, quia olim hic dies nuptiis constitutus est, de hac re anxia timet; tum autem ne deseras se. PA. *Hem, egone istud possim conari? ego illam miseram propter me decipi patiar? quæ mihi affectus animi sui atque omnem vitam commisit: quam ego præter ceteras animo meo dilectam loco uxoris habuerim. Egone sinam ejus ingenium, bene et pudice institutum atque educatum, egestate coactum, alia vitæ ratione minus honesta immutari? Non faciam.* MY. *Non id timeo, si istud in tua unius potestate sit positum; sed timeo ut violentiam paterni imperii possis sustinere.* PA. *Adeone me pusillanimum putas esse, adeone ejus meritorum erga me immemorem, inhumanum, aut ferum: ut neque me familiaritatis conjunctio, neque amor, neque pudor impellat, et admoneat, ut perseverem in fide*

de aliquo, ex re aliqua. Ut autem, quod sentio, dicam, videntur mihi male cohærere *ex hoc et Quia,* si legas, ut est in vulgatis, *ex hoc misera solicita 'st, diem Quia.* Quare edidi, uti dudum recensuit Heinsius, *ex hoc misera solicita 'st die, Quia.* Atque ita Leidd. omnes, tum M. et E. V. 1490. aliæque vetustæ. Nisi quod Leidd. unus repetit, *Quia olim in hunc diem.* West. G. *diem. Quia olim, &c.* Id. in Add. Sic Br. Z. Perl. Both. *Die* esse in Guelf. 1. et in 3. *in diem* monet Perl.—34 A *institutæ*, opinor ex male intellecto *con* præpositionis compendio. *Both.*—35 In Tr. legitur, *Egone, hem, egone istuc conari queam.* Sed prius *Egone* linea trajecta deletum. Tum continuo, *Egon' propter me.* Quod posterius non displicet. Citat etiam ex Ms. Lindenbrogius: et reperi in Leidd. omnibus. *West.*—36 Omnes nostri codd. *Egon' propter.* Recte; ut versu præcedente 'egone.' *Bent. Egon* Br. *Egon'* Both. Perl. *Decepi* Guelf. 2.—38 *Egregio* M. *West.* Vulgo pro *autem*, quod nos reposuimus, legitur *animo:* sed friget hoc, præsertim cum modo habuerimus 'animum.' *Both.* In Guelf. 1. *in animo.*—39 Nutritum pro, educatum: *Glossæ τοῦ Br.* Litera erasa inter *c* et *t* ostendit olim sic in cod. lectum fuisse. *Bruns. Ejus* redundat: versui enim officit et venustati. *Gov.*—41 *Vereor.* R. *verear.* Lind. Plerique ex nostris *verear*, et duo, *in te sit solo*, quam lect. et ordinem præfero. *Bent. Verear* Perl. Both.—42 Numeri gratia repone, *Sed ut vim queas ferre. Adeone me ignavum putas?* Bent. Sequuntur Both. Perl.—43 Lege, *Adeone porro ingratum, inhumanum, ferum?* ne accentus in repetito *Adeon'* varietur; et Asyndetorum celeritas a rei natura postulatur. *Bent.* Accipit Both. ut et Perl. nisi quod dat *Adeon'*.—44 M. *mansuetudo.* West.—45 *Neque com.* omittit Br. Notat Bruns: 'Edd. add.

MY. Unum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui.
PA. Memor essem? o Mysis, Mysis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
De Glycerio: jam ferme moriens me vocat:
Accessi; vos semotæ: nos soli: incipit:
Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides.
Nec clam te est, quam illi utræque res nunc utiles,
Et ad pudicitiam, et ad rem tutandam sient.
Quod ego te per hanc dextram oro, et ingenium tuum,

erga illam? MY. *Quid sis facturus nescio, sed ego hoc unum scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui.* PA. *Ut memor essem? O Mysis, Mysis! etiam nunc mihi dicta illa Chrysidis impressa sunt in animo meo de Glycerio. Illa jam morti proxima vocavit me ad se. Ego accessi ad eam. Vos secessistis. Nos soli remansimus. Ea sic incipit loqui: Mi Pamphile, hujus formam eximiam et ætatem vides; nec te latet quam illi utræque res istæ incommodæ sint, et ad conservandam pudicitiam et rem familiarem: propter quod, oro te per hanc tuam dex-*

neque com. quæ in Ms. supra lineam alia, ut videtur, manu.' *Commoneat neq. commov.* Guelf. 1.—46 In R. *τὸ hanc* desideratur. *Lind. Hanc* abest a melioribus codd. nec ancillæ de domina loquenti convenit. Deinde 'esse' pone ante 'meritam,' qui ordo est in Donati Msto. Oxoniensi, ut 'meritam' clare possit audiri. *Bent. Unum h. scio esse meritam, ut sis memor sui* Both. qui notat: 'Vulgo *ut m. esses sui*, depresso verbo 'memor.' C *sis:* quod recepi: itaque et seq. versu dedi *Memor sim* pro vulg. *Memor essem.*'—48 Ut ambiguitas genitivi tollatur, 'dicta' pone post 'animo.' *Bent.* Accipit Bothius.—50 Ad 'Acc.' in Glossis τοῦ Br. est 'ego:' de quo notat Bruns: 'Inseritur tanquam pars textus.'—52 M. et Tr. sed et Lugdunenses omnes, *inutiles.* Unus ita: *quam illi nunc utræque inutiles*, omisso *res*, quod habet Priscianus. Sed ætate Donati etiam *utiles* lectum. Unde non dubitavi edere, uti recensuit Heins. *West.* G. EA. ET. EM. *quam illi nunc utræque res inutiles.* Id. in Add. *Illi nunc utræque inutiles.* Sic ex R. editum, quod Priscianus in parte agnoscit, apud quem legimus lib. XIV. *quam illi nunc utræque res inutiles.* Lind. R. hoc ordine ponit, *quam illi utræque res nunc inutiles.* Repone *utiles*, et versus est salvus. *Bent. Quam utiles.* I. e. parum utiles. Sæpe adjectiva affirmantia, si 'quam' illis præponatur, quasi interrogandi modo, negandi vim habent; quod cum viri docti quidam non satis caperent, locum interpolarunt scribendo: *quam illi nunc utræque res inutiles.* R. D. *Quam illi utræque res inutiles* Both. qui notat: 'Vulgo *quam illi nunc utr. inut.* insolite quidem, et verbo *utr.* male posito. Sequimur A et C et vett. edd. Bent. non sine auctoritate librorum *res nunc utiles* ironice: sed nativi sunt morientes.' '*Utiles* Do. ironice. Pall. *inutiles;* itid. Romanus cod.' *Perl. Quam illi nunc utr. res inutiles* Br. *Q. i. n. utr. inutiles* Z.—53 Gov. et Glar. tollunt *ad:* quod et abest ab EM. sed nil obstat versui, modo legatur *tutandam ad rem.* West. Recte 'rem' ante 'tutandam' locum obtinet. *Bent. Ad rem tutandam et ad pudicitiam sient* Both.—54 Al. *et genium tuum.* Lind. Lege, *Quod te ego per dextram hanc oro, et per genium tuum.* Duo Pall. habent *genium*, quod et sententia ipsa flagitat. Deinde *per* repetendum est ante *genium*, ut æqualitas constet. *Bent. Quod ego per hanc te dexteram et*

Per tuam fidem, perque hujus solitudinem
Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras:
Si te in germani fratris dilexi loco,
Sive hæc te solum semper fecit maximi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem.
Bona nostra hæc tibi permitto, et tuæ mando fidei.
Hanc mihi in manum dat: mors continuo ipsam occupat.
Accepi: acceptam servabo. MY. Ita spero quidem.
PA. Sed cur tu abis ab illa? MY. Obstetricem arcesso.
PA. Propera.

tram et genium tuum; per tuam fidem, perque hujus solitudinem, te obtestor, ne abs te hanc separes, neve deseras. Si te ut fratrem germanum dilexi, sive hæc te solum semper maximi fecit, ceteris hominibus posthabitis; sive in omnibus rebus tibi morem gessit: te isti virum do, amicum, tutorem, patrem; bona hæc nostra tibi committo, et tuæ commendo fidei. Chrysis, hac oratione finita, mihi Glycerium tradit in manum. Mors statim ipsam invadit. Datam accepi. Acceptam servabo. MY. *Ita futurum id spero.* PA. *Sed cur abis ab illa?* MY. *Obstetricem accerso.*

Genium tuum Both. Bentleium sequitur Perl. 'Vulg. *ingenium:* sed Bent. legend. docet *genium.*' R. D.—55 GM. *solicitud.* Id. in marg. al. *solitud.* Perl. *Ejus* pro *hujus* Guelf. 1.—58 Plusculi Mss. legunt *maximum.* West. *Sive hæc te* lege ex codd. nonnullis. 'Te' enim, cum in ictu non sit, non potest non elidi. *Bent.* *Sive te hæc* dat Z. *Maximum* Guelf. 1. 2.—61 *Permitto.* Quidam Mss. *committo* legunt. Præstat autem vulgatum, ne idem bis dicatur. *West.* EA. et ET. *committo.* Id. in Add. Plus est *permitto* quam *committo.* R. D. A, Gu. 2. Hel. *committo,* ut et Lindenbrogianus, ex int. quidem elegantioris vocis. *Both.* *Comm.* Br. Guelf. 1.—62 *Ac* pro *Hanc* Both.—63 *Equidem* Guelf. 1. 'Post vs. 63. sequuntur hæc in Guelf. 2. *Nisi mors adimet hanc mihi nemo.* Cf. IV. 2. 14.' *Perl.*—64 Bodl. *Properabis.* West. Τὸ *abis* versus non patitur. Et est brevitas Comica, si absit. [Sic judicat et Gov.] F. H. laudat Bergium, qui in Ed. sua, anni 1574. tres posteriores vss. in duos tetrametros dispescuerit. *Id. in Add.* Sic et fecit Both. qui versum 64. ad verbum 'audin',' et versu 65. scenam terminat. 'Verba 'atque audin?' debent versum antecedentem claudere.' *Bent. ad vs.* 65. '*Sed cur tu ab illa?* Sic edidit Sandby.' *Zeun.*

NOTÆ

54 *Et ingenium tuum*] Alii, ut et Donatus, legunt *genium.* Genius Deus est, in cujus tutela vivimus, a gignendo dictus, quod statim nos genitos suscipiat et tueatur. Fuit autem hic orandi modus, per Genium et dextram, Antiquis usitatus et familiaris. Horat. Epist. 7, lib. I. 'Quod te per Genium, dextramque, Deosque Penates, Obsecro et obtestor.'

56 *Ne abs te hanc segreges*] Segregare est, a grege separare. Sententia est: Ne segreges, id est, repudies tibi junctam, neu deseras solam et orbam.

62 *Hanc mihi in manum dat*] Id est, fit mihi uxor, et materfamilias, quæ in manu et viri potestate est.

Atque audin'? verbum unum cave de nuptiis;
Ne ad morbum hoc etiam. MY. Teneo.

PA. *Propera. Atque, audisne? cave, ne illi unum verbum dicas de nuptiis, ne ad morbum, propter hoc, molestia et dolor accedat.* MY. *Teneo.*

Ea dat Both. *Arcerso* Br. Ubique scribend. *arcesso* notant R. D.—66 *Siet* post 'ad morb.' Guelf. 3.

ACTUS II. SCENA I.

CHARINUS. BYRRHIA. PAMPHILUS.†

CH. QUID ais, Byrrhia! daturne illa Pamphilo hodie nuptum? BY. Sic est.
CH. Qui scis? BY. Apud forum modo e Davo audivi. CH. Væ misero mihi!
Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit;
Ita, postquam ademta spes est, lassus, cura confectus, stupet.
BY. Quæso, ædepol, Charine, quoniam non potest id fieri, quod vis,

CH. *Quid ais, Byrrhia? daturne hodie Philumena uxor Pamphilo?* BY. *Datur.* CH. *Quomodo id scis?* BY. *Modo in foro id de Davo audivi.* CH. *Væ misero mihi! ut animus in spe atque timore antea usque huc attentus fuit ad hujus rei exitum, ita, postquam spes sublata est, lassus, cura exesus, oblanguet et stupefactus est.* BY. *Quæso, ædepol, Charine, quoniam id fieri quod vis non potest,*

† *Ch. B. P. Dominus. Servus* Br.—1 In R. τὸ *hodie* deest. *Lind.* Etsi in omnibus codd. hic ordo verborum reperitur, *daturne illa hodie Pamphilo nuptum?* metri tamen gratia Fa. recte correxit. *Bent.* Vulgo *daturne,* metro impeditiore. *Both.* qui edidit *datur.*—2 In quibusdam, *de Davo* legitur, in aliis *ex Davo,* rursus in aliis *a Davo.* Plurimi Mss. *e Davo:* quomodo et Do. *West.* Pro *de D.* recepimus lectionem Donati *e D.* quam ipsi Faërno placere videmus. *Bent.* *E* legendum, non *de.* R. D. *De* Z.—3 *Ante hac* Perl. qui notat RC. omittere *ante.*—4 *Lassus cura, conf.* Br.

NOTÆ

1 *Daturne illa Pamphilo nuptum*] Dicitur 'nuptum,' et 'nuptui dare,' collocare viro virginem.

Id velis, quod possit. CH. Nihil volo aliud, nisi Philumenam.
BY. Ah! quanto satius est, te id dare operam, qui istum amorem ex animo amoveas tuo,
Quam id loqui, quo magis lubido frustra incendatur tua!
CH. Facile omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis damus.
Tu si hic sis, aliter sentias. BY. Age, age, ut lubet. CH. Sed Pamphilum
Video: omnia experiri certum 'st prius quam pereo. BY. Quid hic agit?
CH. Ipsum hunc orabo: huic supplicabo: amorem huic narrabo meum.
Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies.
Interea fiet aliquid, spero. BY. Id aliquid nihil est. CH. Byrrhia,

velis id quod possit. CH. *Nihil aliud, quam Philumenam volo.* BY. *Ah, quanto potius est, te id laborare, ut istum amorem Philumenæ ex animo tuo ejicias, quam hos sermones habere, quibus cupiditas tua inutiliter inflammetur.* CH. *Facile omnes, cum sani et valentes sumus, utilia præcepta ægrotis damus. Tu, si meo loco sis, aliter sentias, quam sentis de amore meo.* BY. *Age, age, ut tibi videtur.* CH. *Sed Pamphilum video. Decrevi omnia exquirere ad salutem, priusquam peream.* BY. *Quid hic agit omnia exquisiturus imprudens?* CH. *Ipsum Pamphilum orabo, huic supplicabo; amorem meum vehementem huic exponam. Obtinebo, credo, ab illo, ut ad aliquot saltem dies nuptias suas differat: interea aliquid, ut spero, accidet boni.* BY. *Id aliquid nihil est.* CH. *Byrrhia, quid tibi videtur?*

Lapsus Guelf. 2. *Et conf.* 1.—5 Pro *quoniam* R. habet *quando;* sic laudat quoque locum Do. ad Æn. v. 704. et sane melius convenit sensui, ut infra IV. 5. 10. Cetera Fa. emendavit ita, *non potest id fieri, quod vis.* Recte. *Bent.* A *quando:* quod sententiæ magis aptum. *Both.* qui cum Perl. *id* dedit. *Id* omittit Z.—7 Quidam Mss. *ab an.* West. *Dimoveas* Er. Gov. et G. F. *Id. in Add. Tuo* omnino subdititium est. Pro *animo amoveas* Donatus monet etiam legi *corde ejicias.* Quæ lectio perplacet. Denique, ut ex his duobus versibus unus tantum efficiatur trochaicus acatalecticus, cum Fa. 'BY. Ah' in finem præcedentis rejiciendam puto. *Bent.* quem ab omni parte sequitur Both.—10 Sensus postulat *censeas.* Bent. Accipit Perl. *Sentires* Pal. *Autem* post 'Tu' Guelf. 2. Monet Perl. *sentias* esse in 3.—11 Mss. quidam et edd. vetustæ, *peream.* Præstat autem lectio vulgata, utpote certius consilium pereundi indicans. *West.*—13 *Prodat.* Ita Do. et Non. Marcell. v. 'Prodere.' Ita et plerique Mss. Prætor autem 'prodere diem' dicebatur, cum rem differebat. Alii, *protrahat.* Idem. G. ET. EM. *protrahat.* Id. in Add. *Prodat.* Gu. 1. *producat,* ceteri nostri *protrahat,* ex int. *Both. Protrahat* Guelf. 1. 2. *producat* 3. *Ut per aliquot* Br. ubi notat Bruns: 'Hæc vox [sc. *per*] erasa est in Ms. et abest editis.' Ceterum monet Perlet: 'Par. 4. var.

Quid tibi videtur? adeon' ad eum? BY. Quidni? si nihil impetres,
Ut te arbitretur sibi paratum mœchum, si illam duxerit.
CH. Abin' hinc in malam rem cum suspicione istac, scelus.
PA. Charinum video. Salve. CH. O salve, Pamphile.
Ad te advenio, spem, salutem, auxilium, consilium expetens.
PA. Neque pol consilii locum habeo, neque auxilii copiam.
Sed istuc quidnam 'st? CH. Hodie uxorem ducis? PA. Aiunt. CH. Pamphile,
Si id facis, hodie postremum me vides. PA. Quid ita? CH. Hei mihi!
Vereor dicere. Huic dic quæso, Byrrhia. BY. Ego dicam. PA. Quid est?

Adibone Pamphilum? BY. *Quidni? saltem, ut, si nihil ab eo impetres, existimet te sibi paratum uxoris Philumenæ adulterum.* CH. *Abi hinc in malum cruciatum, sceleste! cum suspicione ista.* PA. *Charinum video. Salve, Charine.* CH. *O salve, Pamphile. Ad te confugio, spem, salutem, auxilium, consilium impetrare abs te cupiens.* PA. *Neque pol habeo facultatem aliis consulendi, neque potestatem auxiliandi. Sed quidnam est istud?* CH. *Hodie uxorem ducis?* PA. *Aiunt.* CH. *Pamphile, si hoc facis, hodie me ultimum vides in vivis.* PA. *Quid ita?* CH. *Hei mihi! non audeo præ verecundia dicere. Dic, quæso, huic, Byrrhia.*

quod imp.'—15 Unus cod. e nostris habet *Quid nisi? ut nihil impetres;* duo, *Quid nisi? nihil ut impetres.* Emenda igitur *Quid ni? nihil ut impetres.* Igitur 'ut' signif. etsi, quamvis. *Bent.* quem sequitur Perl. *Quid nisi nihil imp.* Br.—16 Guelf. 1. omittit *sibi.*—17 Alii *in malam crucem.* West. *Abin* recte legunt codd. præter quatuor nostros, ubi est *Abi.* In V. et Vi. *n* abrasum est. Nullus vero nostrum habet *crucem.* Retine *rem.* Bent. Suspicor *Abin* aut *Abeas* legend. *Er. Abi* Br. *Crucem* Guelf. 1. 2.—18 Alia orationis vis et virtus erit, si post 'O salve' majorem feceris interpunctionem. Nam elata voce pronuntiandum est 'Pamphile.' *Bent.*—19 *Advenio.* Ita Pr. lib. XVIII. et Mss. plusculi, eosque secutæ edd. vetustæ. Vulgo *venio.* West. qui notat in Add. *venio* legere G. ET. EM. Hoc est etiam in Br. 'Auxilium' post 'consil.' poni jubet Bent. Morem faciunt Perl. Both.—20 Mur. et F. F. mallent *N. p. auxilii l. h. n. consilii c.* West. Pro *consilii* lege *consili.* Nam Veteres omnes in substantivis, exeuntibus in 'ius' vel 'ium,' semper genitivos, ut vocativos, 'i' simplici efferebant. Sub Augusti senescentis demum ætate mutatio genitivorum, qualis hodie est, facta est. Deinde Pet. et R. habent *neque ad auxiliandum copiam:* at Eug. *neque ad auxilium copias.* Ego legendum esse censeo, *neque ad auxilium copiam.* Bent. Omnino sequuntur Both. Perl. quorum prior notat: 'Vulgo *neque auxilii copiam,* pessime. A *neque ad auxiliandum copiam.* Gu. 2. *copiam auxilii,* quod ferri posset, modo reponeretur *auxili.* Sed correctorem sapit transpositio.' *Consilii* Br. at monet Bruns primo in eo lectum *consiliis. Neque ad auxiliandum cop.* id. cod.—21 *Ita aiunt* Guelf. 1. *O Pamph.* 3.—22 Mss. quidam *Q. i. est?* West.—23

BY. Sponsam hic tuam amat. PA. Næ iste haud mecum sentit. Ehodum dic mihi,
Num quidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine? CH. Ah, Pamphile,
Nihil. PA. Quam vellem! CH. Nunc te per amicitiam et per amorem obsecro,
Principio, ut ne ducas. PA. Dabo equidem operam. CH. Sed si id non potes,
Aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi. PA. Cordi? CH. Saltem aliquot dies
Profer, dum proficiscor aliquo; ne videam. PA. Audi nunc jam:
Ego, Charine, neutiquam officium liberi esse hominis puto,

BY. *Ego dicam.* PA. *Quid est?* BY. *Hic Charinus sponsam tuam Philumenam amat.* PA. *Certe, valde a me dissentit. Ehodum dic mihi, Charine, numquid aliud amplius, quam amor tibi cum illa fuit?* CH. *Ah, Pamphile, nihil.* PA. *Quam vellem fuisset!* CH. *Nunc te per amicitiam nostram et per amorem meum erga Philumenam obsecro, primo ut ne eam ducas.* PA. *Equidem id conabor facere, ne mihi sit uxor.* CH. *Sed, si non potes id efficere, aut si hæ nuptiæ ex animo placent.* PA. *Placent? scilicet.* CH. *Saltem has aliquot dies protrahe, dum aliquo me conferam, ne videam illas.* PA. *Audi nunc jam. Ego, Charine, minime officium ingenui hominis esse opinor poscere gratiam sibi haberi, cum nullo hanc officio promeruerit. Ego istas nuptias effugere magis cupio, quam tu eas assequi.* CH. *Recreasti mihi animum tuis verbis.* PA. *Nunc, si quid potes, aut hic Byrrhia, facite, fingite, invenite, efficite, ut quovis modo tibi uxor Philumena detur. Ego studebo, ut ne mihi detur.* CH. *Sufficit mihi quod ais.* PA. *Davum opportune video, cujus consilio confido.* CH. *At tu hercle, Byrrhia, multo absimilis es huic Davo. Nihil quicquam mihi dicis, nisi ea, quæ scire me, non sunt utilia. An non fugis hinc?* BY. *Ego vero fugio, ac libenter quidem.*

Al. disting. *V. dicere huic. Dic q.* Perl. Ita disting. Br. Both.—24 *Ne* Br. Glossa cujus habet: Non. De quo monet Bruns: 'Probat nota, tempore librarii *æ* non per *e* scriptam esse; quod ad finiendam codicis ætatem facit.' —25 *Aha* Br.—26 Mss. quidam *et amorem.* West. *Quantum vellem* V. C. *Lind. Per* delet Both. qui notat: 'Vulg. *et per amorem,* duris numeris. *Per* abest C.'—27 Pro *potes,* quod non commodum efficit sensum, lege *potest. Potest* habent quoque editt. quædam vett. et ipse Do. cum 'fieri' deesse dicat, videtur ita legisse. *Bent.* Bent. recte legit *potest.* R. D. Accedit Both.—28 Ut vitetur Homœoteleuton, pro *hæ* lege *hæc,* ut alibi. *Bent. Hæc* Bent. recte. Atque sic perspicue Gu. 2. *Both. Aut tibi.* Ingerit Par. *si* ex Mss. *Perl. Saltim* Guelf. 2.—29 *Proficiscor.* Mss. alii, *proficiscar.* Præstat prius. *West.* Posterius habent Guelf. 1. 3.—30 *Hominis* V. C. Alii *τὸ hominis* non habent. *Lind.* Vulg. *Ego, Charine, neut. off. lib. &c.* sed affectui convenit, metrum hic aliud adhiberi, cumque sequens vs. haud dubie sit iambicus (nam cur *mereat* reponatur, ut Bentleio placet, nulla causa), hæc quoque ad eand. normam refingenda erant. Ceterum scribendum esse, ut fere ubique scribitur in B C Hel. *ne utiquam,* non *neutiquam,* aut certe elidendum esse *ne,* ut anapæstus efficiatur, non amphimacer, multi docent poëtarum loci. *Both.* Bent. divisim *ne utiquam.* Perl.—31 In Mss. quibusdam est *mereatur:* in aliis *mereat:* rursus in aliis *promereatur.* West. Cum iambicus hic inter tot trochaicos non satis belle incedat, lege, *mereat.* Sic quoque legisse videtur Do. *Bent. Cum nil promereat* Both. qui *is* delet. *Mereat* Perl. exhibet. *Promereat* Guelf. 3. *promereatur* 2.—33 *Reddidisti* male incipit a pede cretico: corrige itaque *Redduxti,* præsertim cum Pet. habeat *Reddixti,* et usus loquendi postulet. Deinde, *tu* ne elidatur, emenda *tute.* Bent. Omnino sequitur Both. ex parte Perl. qui retinet *Reddidisti.* Notat Bothius: 'Nostri etiam *Reddisti,* i. e. *Reddixti,* literis *s* et *x* passim confusis.' *Aut tu* esse in Guelf. 1. et pro *hic* in 3. *iste* monet Perl.—34 *Eff.* J. ingerit *ut.* Perl.—35 Ut 'mihi' sub ictum veniat, pone *qui mihi.* Bentleius. *Qui ne mihi.* Sic Do. optime collocato 'ne.' *Both.* Bentleio accedit Perl. qui notat *mihi qui* esse in Guelf. 1.—36 Bodl. *cujus.* Præstat autem lect. vulgata, *Hujus.* West. qui notat in Add. 'G. cum EA. *cujus.*' *Cujus* dant Br. Z. Both. Perl. qui monet: '*Cujus.* Ita Bent. Par. *quojus* antique:' et ad vocem 'quicquam:' 'GC. *facis.* Glossema olet.' *Sapis* post 'mihi' in Guelf. 3.—37 Forte rectius *sciri.* West. Unus e nostris, *opus est.* Certe alterutrum legendum est, aut *opus est scire,* aut *opus sunt sciri.* Posterius placet. *Bent.* Gu. 2. haud male *quæ minime opus.* Bothius. *Sciri.* Ita Bent. Bip. *Perl.* qui cum Both. id accipit. A Guelf. 3. absunt verba *Nisi . . . scire.*

NOTÆ

26 *Quam vellem*] Ut esset causa recusandæ Philumenæ in uxorem.

28 *Cordi*] Repetitio ironica. Immo hæ nuptiæ mihi Pamphilo displicent.

Cum is nihil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi.
Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier.
CH. Reddidisti animum. PA. Nunc, si quid potes aut tu, aut hic Byrrhia,
Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi.
Ego id agam, mihi qui ne detur. CH. Sat habeo. PA. Davum optume
Video. Hujus consilio fretus sum. CH. At tu hercle haud quicquam mihi,
Nisi ea, quæ nihil opus sunt scire. Fugin' hinc? BY. Ego vero, ac lubens.

NOTÆ

34 *Efficite, qui detur tibi*] 'Qui' pro, ut. Plaut. 'Valeo, et venio ad minus valentem, et melius qui valeat fero.' Idem multis locis aliis.

36 *Haud quicquam mihi*] Ellipsis. Subintellige, dicis.

37 *Nisi ea*] Scilicet, propter ea, quæ in principio retulit Byrrhia: 'CH. Daturne illa hodie Pamphilo nuptum? BY. Sic est. CH. Qui scis? BY. Apud forum modo de Davo audivi.' Quæ verba meminit hoc loco Charinus se non libenter audivisse.

ACTUS II. SCENA II.

DAVUS. CHARINUS. PAMPHILUS.

Di boni, boni quid porto! sed ubi inveniam Pamphilum?
Ut metum, in quo nunc est, adimam: atque expleam animum gaudio.
CH. Lætus est, nescio quid. PA. Nihil est: nondum hæc rescivit mala.
DA. Quem ego nunc credo, si jam audierit sibi paratas nuptias.
CH. Audin' tu illum? DA. Toto me oppido exanimatum quærere.
Sed ubi quæram? aut quo nunc primum intendam? CH. Cessas alloqui?
DA. Abeo. CH. Dave, ades: resiste. DA. Quis homo 'st, qui me? o Pamphile,

DA. *Dii boni, quam felicem et gratum nuntium affero? Sed ubi inveniam Pamphilum, ut metum, in quo nunc est, ei auferam; ejusque animum lætitia perfundam?* CH. *Lætus est Davus, propter nescio quid.* PA. *Nihil est, quod lætetur: nondum hæc mala audivit de nuptiis, quæ mihi parantur.* DA. *Quem ego nunc credo, si acceperit sibi ducendam esse Philumenam.* CH. *Audisne tu illum?* DA. *Toto me oppido exanimatum quærere. Sed ubi eum quæram? Quo nunc primum me vertam?* CH. *Quid cessas hunc alloqui?* DA. *Abeo, cum hic eum non invenio.* PA. *Dave, accede, gradum siste.* DA. *Quis homo est, qui me appellat? O Pamphile, te ipsum*

2 Ne 'metum' in thesi totum subsidat, sed melius exaudiatur, pro *in quo*, repone *quo in*. Bent. *Ut m. qui nunc est* Both.—3 Ab uno Par. cod. abest *hæc*, ab altero *mala*. Perl. *Nihil est . . . mala* absunt contextui, suppleta in marg. *Bruns*, qui loquitur de Br. ut solet.—5 *Quærere.* Superscriptum *scio*, quasi sit pars contextus. *Bruns.*—6 *Aut* Guy. delet ex R. Sed et omisit Dac. neque est in Bodl. *Intendam.* Mss. quidam, *tendam*. West. Sex ex nostris melioribus codd. non habent *aut*. Bent. *Aut* abest A. *Both.* qui id delet: nec agnoscit Br.—7 *Abeo.* Guy. ex Mss. quibusdam et editis defendit *Habeo*, scil. ubi quæram. Non videtur. Abiisse Davum apparet. Tum *Habeo* h. l. nihilo magis differt ab *Abeo*, quam *holim* ab *olim*, *hostium* ab *ostium*, et ejusmodi sexcenta alia, quæ sunt in nonnullis Mss. et edd. antiquissimis. *West.* *Qui me?* M. *qui me vocat?* Ita et quædam edd. vetustæ, etiam anni 1469. Videtur autem *τὸ vocat* ex glossa irrepsisse. *Id.* Nostri codd. quanquam legunt *Abeo*, præfero tamen *Habeo*. Bent. Vulg. putide *abeo*. Both. Parum refert

NOTÆ

1 *Di boni*] Erant enim et Dii mali, ut Pestis, Febris, Pallor, et Timor: quin et Impudentiæ et Infamiæ templa posita fuere.

Te ipsum quæro: euge, Charine: ambo opportune: vos volo.
CH. Dave, perii. DA. Quin tu hoc audi. CH. Interii. DA. Quid timeas scio.
PA. Mea quidem hercle certe in dubio vita 'st. DA. Et quid tu, scio.
PA. Nuptiæ mihi. DA. Et id scio. PA. Hodie. DA. Obtundis, tametsi intelligo.
Id paves, ne ducas tu illam: tu autem, ut ducas. CH. Rem tenes.

quæro. Euge, o Charine, ambo opportune adestis. Vos alloqui volo. CH. *Dave, perii.* DA. *Immo, tu hoc audi.* CH. *Prorsus de me actum est.* DA. *Quid tu timeas scio.* PA. *Mea quidem hercle vita in gravi periculo versatur.* DA. *Et tu quid timeas quoque scio.* PA. *Nuptiæ mihi paratæ sunt.* DA. *Et id scio.* PA. *In hunc ipsum diem.* DA. *Me verbis enecas, quamvis quid sentias intelligam. Tu, o Pamphile, id metuis, ne ducas uxorem Philumenam; tu Charine, ne non*

quo modo scribatur. Nam Romani olim aspirare ex usu tantum solebant, figura literæ H nondum cognita. *Perl.* qui dat *Habeo* cum Both. Pro Charino dat Br. medium sermonem in h. v. Pamphilo, quod faciunt Bent. Both. Perl. 'Edd. male tribuunt,' ait Bruns. 'hanc loquelam Charino, ut tum ex antecedd. tum conseqq. clarum est.' *Vocat* post 'qui' Guelf. 2.—8 Vett. edd. *o Charine.* Dedi *quærebam* pro vulg. *quæro*. Both. *Ambos* Guelf. 1.—9 Integer hic locus varie legitur. Bem. ita: CH. *Dave, perii.* DA. *Quin tu hoc audi.* PAM. *Interii.* D. *Quid timeas, scio.* CH. *Mea quidem hercle certe in dubio vita 'st.* D. *Et quid tu, scio.* PAM. *Nuptiæ mihi.* D. *Etsi, scio.* Malim, si quid solicitandum, Pamphilum prius facere loquentem, ita: P. *Dave, perii.* D. *Quin tu hoc audi.* P. *Interii.* D. *Quid timeas, scio.* CH. *Mea quidem hercle certe in dubio vita 'st.* D. *Et quid tu, scio.* P. *Nuptiæ mihi.* D. *Et id scio.* West. Etsi verba, 'Dave, perii—interii,' Donatus ascribit Charino, tamen ob consensum codd. et contexti rationem tribuenda sunt Pamphilo. Nam absurdum est non modo priores vel in amore vel metu partes Charino dare, sed et Davum prius alienum quam herilem filium compellare. *Bent.* Bem. sequitur Perlet. Westerhovii sententiam de personis mutandis Bent. et Both. Præcesserat Br.—10 M. non agnoscit *hercle*: sed nec plusculi alii. Defendit Riv. et videtur omnino retinendum. Hul. *Et tu quid, scio*, elegantius et ἐμφατικώτερον. *West.* EA. ET. et EM. non agnoscunt *τὸ certe*. Id. in Add. *Certe* et *quid tu* Do. habet, tres libri, quos vidit Faërnus, et meliores ex nostris. Recte. *Bent.* *Et quid tu? scio* Br. Notat Bruns: 'Rectius abest signum interrogandi editis.' Guelf. 1. omitt. *certe*, et Guelf. 2. omitt. *hercle*.—11 Mss. plusculi *Et si scio*, minus eleganter. *West.* Plerique libri Faërni habent *Et si scio*; nostri partim *Et id scio*, partim *Etsi scio*. Posteriorem lectionem requirit sententia. *Bent.* *Nuptiæ.* Mss. Par. add. *parantur*. Perl. *Et si, scio* Br. *Et si scio* Z. *Etsi scio?* Bent. Both. *Et si scio?* Perl. qui notat Guelf. 1. habere *Et* absque *si*, 2. *id* pro *si*, 3. *et* pro *si*.—12 *Paves.* R.

NOTÆ

12 *Ne ducas tu illam; tu autem, ut ducas*] Post verba timendi, 'ne' pertinet ad fugienda: 'ut' ad cupita, pro quo dicimus, 'ne non.' Ergo vir

PA. Istuc ipsum. DA. Atque istuc ipsum nihil pericli est: me vide.
PA. Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu. DA. Hem,
Libero. Uxorem tibi non dat jam Chremes. PA. Qui scis? DA. Scio.
Tuus pater modo me prehendit: ait tibi uxorem dare sese
Hodie: item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus.
Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi hæc.
Ubi te non invenio, ibi ascendo in quendam excelsum locum.

ducas. CH. *Intelligis id quod res est.* PA. *Istud ipsum est.* DA. *Atqui istud ipsum, quod times, nullum in se habet periculum. Me vide.* PA. *Oro te, quamcito hunc mihi misero timorem adime.* DA. *Hem adimo. Chremes jam tibi filiam non dat uxorem.* PA. *Quomodo id scis?* DA. *Ego scio. Tuus pater modo me manu apprehendit; ait se hodie tibi uxorem dare, item alia multa, quæ commemorandi nunc tempus non est. Illico ad te properans celeriter cucurri ad forum, ut hæc tibi dicam. Ubi te non invenio, ascendo ibidem in altum quendam locum; circum-*

pcaves. Lind. Al. *præcaves.* Al. *cave.* Perl. Illud *præcav.* habet Br.—13 *Atq. hoc ipsum* Pr. lib. II. *Lind.* *Atqui* Guelf. 1.—15 Unus cod. ex Regiis locat numerosius ita, *Tibi uxorem non dat jam Chremes.* Deinde *Scio* est inutile: non enim respondet interrogationi, quæ non est, 'an sciret,' sed 'quomodo sciret.' Præfero igitur lect. variam *Scies,* quæ est in margine CCC. *Bent.* *Jam* delet Both. et cum Perl. dat *Scies.*—16 Alii *apprehendit:* sed refragante Do. et plerisque Mss. *West.* G. EA. EM. *app.* Id. in Add. Duo codd. rotundius et melius ponunt 'me' ante 'modo.' Omnes Faërni codd. habent *dare sese;* unus ex nostris ponit *sese dare;* alter primariæ notæ *sese* non habet; quod cum in versu redundet, lege *dari,* ut supra, I. 2. 20. *Bent.* *Prehendit.* Nostrum [sc. *app.*] extat in B C Hel. et Gu. utroque: quod elegantius. Codd. *dare se,* ut B, vel *dare sese,* ex int. *Both.* Bent. ed. *dari:* respicit ad I. 2. 20. at ego respicio ad I. 5. 3. *Perl.* *Dare* sine *sese* Both. *App.* dat Br.—17 Si cum Gov. legas *Se hodie* initio versus, præcedens erit trochaicus octonarius catalecticus. *West.*—19 Guy. legit *escendo,* quod Veteribus amatum. *Id.* 'Ibi,' quod a duobus nostris abest, ego versus gratia repono post 'quendam.' Atque *ascendo* muto in *escendo,* quod magis est e Vet. consuetudine, et reperitur in cod. vetere Guyeto viso. *Bent.* Sequuntur omnino Both. et Perl. *Invenio ibi, ascendo, &c.* Br. Ubi notat Bruns:

NOTÆ

amicus timet, ne ægrotus moriatur; qui vero illius hæreditati inhiat, timet ut moriatur, vel, ne non moriatur.

13 *Me vide*] Asseveratio promittentis: Terentius etiam ea utitur in Phormione: 'Fient, me vide.' Hoc etiam genere sermonis Gallice utimur, cum quippiam aut non credenti aut non intelligenti persuadere aut demonstrare cupimus.

Circumspicio: nusquam: forte ibi hujus video Byrrhiam:
Rogo: negat vidisse: mihi molestum: quid agam, cogito.
Redeunti interea ex ipsa re mihi incidit suspicio: hem,
Paululum obsoni: ipsus tristis: de improviso nuptiæ:
Non cohærent. PA. Quorsumnam istuc? DA. Ego me continuo ad Chremem.
Cum illoc advenio: solitudo ante ostium: jam id gaudeo.
CH. Recte dicis. PA. Perge. DA. Maneo. Interea introire neminem
Video, exire neminem: matronam nullam: in ædibus
Nihil ornati, nihil tumulti: accessi: intro aspexi. PA. Scio.

spicio. Nusquam ego te aspicio. Forte ibi hujus Charini servum Byrrhiam video; quæro ab eo, num te viderit; respondet non vidisse. Ægre id fero: quid mihi sit agendum cogito. Interea mihi redeunti e foro forte orta est suspicio ex ipso nuptiarum apparatu. Hem, inquam apud me: paululum obsonii est apparatum, ipsemet pater Simo tristis est, quem hilarem esse decet, tam subito nuptiæ fiunt. Hæc inter se non conveniunt. PA. *Quamobrem hæc dicis?* DA. *Ego me continuo confero ad Chremetis domum. Cum ego illuc advenio, solitudo videtur ante ostium: jam ex eo gaudeo.* CH. *Recte dicis.* PA. *Perge.* DA. *Illic expecto: interea neminem introire video, exire neminem; matronam nullam in domo, nullum ornatum, nullum tumultum discurrentis multitudinis. Accessi intro, circumspexi.* PA. *Scio, curi-*

'Edit. distinguunt post 'invenio,' recte.' Notat Perl. 'ibi' esse post 'inv.' in Guelf. 1. 3. et in 3. esse *ascendo.*—20 Post 'nusquam' reponendum esse censeo *es.* Atque tres e nostris recte collocant *ibi forte.* Bent. Accedit omnino Perl. qui monet: 'Bent. add. *es,* quo GM. glossam tangit, 'eras.''—21 Bodl. et ed. an. 1469. *vidisse se.* West. *Vidisse:* Par. Mss. *se.* Perl. *Vid. sese* Br. *Est* post 'molest.' in Guelf. 2.—23 *Tristis erat* Guelf. 1.—24 Pr. [lib. VI. p. 62.] *Egomet;* quo modo et Do. jam legit. *West.* *Chremem:* ita Bent. Er. Mur. Lind. al. At Par. *Chremetem,* testans in nullo Mss. esse *Chremem.* Perl. 'Non cohærent' dat Charino Br. at notat Bruns: 'Edit. omitt. nomen, et melius tribuuntur verba Davo.' *Egomet* Guelf. 2.—25 Pro *illoc,* quod est Donati, omnes codd. quos vidit Faërnus, et priscæ editt. legunt *illo.* Bent. Et sic dat Bent. *Illuc* Guelf. 2. qui addit *erat* post 'solit.'—26 Ita Mss. plerique, etiam Bodl. Alii, PA. *Recte dicis.* CH. *Perge.* Sed et editi variant. Malim cum Do. utrumque tribuere Pamphilo. *West.*—27 Omnes quidem ita distinguunt, sed post 'matronam nullam' interpunctionem tollendam censeo, et comma rescribendum post 'ædibus.' *Bent.* *Matrona nulla* optime Gu. 1. et Hel. Vulgo *matronam nullam,* minus vivide. *Both.* qui Bentleio accedit in pungendo post 'ædibus:' et sic Br. et Perl.—28 Sunt Mss. in quibus est *introspexi.* West. Vulgo, PAM. *Scio.* *Magnum signum.*

NOTÆ

27 *Matronam nullam*] Matronæ pronubæ nuptiarum celebrationi præerant ex parte uxoris, sicut Aruspex ex parte mariti. Illæ nuptam in mariti domum deducebant, et eam in geniali toro collocabant. Ad hujusmodi officium spectatæ pudicitiæ mulieres adhibebantur, quæ uni solum viro nupsissent.

28 *Nihil ornati*] Antiquus geniti-

Magnum signum. DA. Num videntur convenire hæc nuptiis?
PA. Non opinor, Dave. DA. Opinor, narras? non recte accipis.
Certa res est: etiam puerum inde abiens conveni Chremis,
Olera et pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni.
CH. Liberatus sum hodie, Dave, tua opera. DA. Ac nullus quidem.
CH. Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat. DA. Ridiculum caput!
Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere.

osus es. Magnum indicium est nuptias non parari. DA. *Num videntur convenire hæc futuris nuptiis?* PA. *Non opinor, Dave.* DA. *Opinor, inquis? non recte intelligis: certa res est, non opinio. Præterea, discedens illinc, conveni servulum Chremetis, qui dicebat se ferre olera, et minutos pisciculos, obolo emtos, in cœnam seni.* CH. *Liberatus sum hodie omni cura et metu tua opera.* DA. *Minime quidem liberatus es.* CH. *Quid ita? Nempe Chremes non dat filiam suam Pamphilo.* DA. *Ridiculum hominem: quasi necesse sit, si ille non dat filiam Pamphilo,*

Sed quid tandem se scire dicit Pamphilus? Et vide, quam bene quadret exultans illud 'Magnum signum' tepido 'Non opinor, Dave.' Immo gravissimo verbo, 'Scio,' i. e. certo scio, finit orationem servus; 'Magnum signum' autem calidiori Charino tribuendum est. *Both.*—29 *Num* ἐμφατικώτερος lectio, quam illa quorundam Mss. *Non.* West. Vetus Cod. *Magnum signum est hoc.* Lind. Verba 'conc. hæc' invertit GM. *Nihil vid.* Guelf. 2.—31 Do. *Chremi.* Sic et Mss. quidam, et ex editis vetustissimi. *West.* Illud *conveni* alienum ab hoc loco est. Itaque repone *conspexi.* Deinde, etsi Valerius Probus ait, apud Terentium 'Chremis' et 'Chremetis' in genitivo dici: auctoritati tamen Donati parendum putamus, adeo ut legamus *Chremi.* Bent. Nihil commodius Bentleii conjectura legentis *conspexi.* Donatus et meliores codd. habent *Chremi.* Nam talia nomina duplici modo declinantur. *R. D.*—32 Quidam Mss. legunt, *emtos obolo.* Guyeto placebat, *Olera et pisciculos ferret obolo cum seni.* West. Ne, *obolo,* quod hic emphasin habere debet, totum in Thesi lateat: ordinem muta sic: *f. in cœn. ob. seni.* Bent. quem sequitur Perl. *Holera* Mur.—33 Joh. Clericus Art. Crit. III. 1. 6. 26. malebat, *Hac nul.* Melius Mss. quidam et editi, *At nul.* West. Omnes codd. Faërni habent recte, *hodie, Dave,* non *Dave, hodie,* uti tres e nostris: atque *Ac,* non *At,* ut Put-

NOTÆ

vus, pro, ornatus. Fores floribus et frondibus ornari consueverant.

32 *Obolo*] Obolus, minutus fuit nummus Græcus, sexta pars drachmæ. Drachma Attica et denarius Romanus valebant sex assibus nostris Turonensibus. Obolus igitur asse Turonensi, vel duodecim nummulis Turonensibus valebat, *douze deniers tournois.*

33 *At nullus quidem*] 'Nullus,' pro, non.

Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. CH. Bene mones. 36
Ibo; etsi hercle sæpe jam me spes hæc frustrata est. Vale.

te illam uxorem accipere. Nisi tu provides, nisi senis Chremetis amicos oras, ambis: nihil efficies. CH. *Bene mones. Ibo ut ea, quæ præcipis, exequar; quamvis, hercle, hæc spes me jam sæpe fefellit. Vale.*

schius edidit; nec *Ah,* uti quidam perperam lusit. *Bent.*—37 *Et si.* Mss. quidam, *tametsi:* alii, *tamen etsi:* uti mox pro, *sæpe jam me spes,* legunt, *sæpe me mea spes.* West.

NOTÆ

36 *Nisi vides, &c.*] Ellipsis; deest enim, efficies. Ellipsis est figura, qua in oratione aliquid reticemus, quod ad ejus absolutionem sit necessarium.

ACTUS II. SCENA III.

PAMPHILUS. DAVUS.

PA. QUID igitur sibi volt pater? cur simulat? DA. Ego dicam tibi.
Si id succenseat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes,
Ipsus sibi esse injurius videatur: neque id injuria;

PA. *Quid igitur pater cogitat facere? cur simulat nuptias?* DA. *Ego dicam tibi: si propter id pater tuus nunc irascatur, quia Chremes nolit ut suam filiam ducas; ipsemet tibi videri possit injuriam tibi facere; et jure quidem, priusquam*

1 In vett. codd. nulla hoc loco distinctio est a priori scena, ut neque in R. *Lind.* Neque in Guelf. 1. 2. et ed. Both. In Guelf. 2. *Dave,* et in 3. *o Dave,* post 'igitur.'—2 Complures Faërni libri habent *dat:* nostri omnes *det,* quod ad sententiam est rectius. *Bent.* Sic dant Br. Both. Perl. qui sic notat: 'Fa. Bent. Par. *suscens.* ex Mss. Vulg. *dat* minus Latine.' *Suscens.* etiam Br.—3 Guy. rescribendum censet *tibi.* Hallucinari videtur. *West.* *Vel quid* pro *neque id* dat Br. Ceterum hunc et sequentem vs. transponit Both.

NOTÆ

3 *Ipsus sibi*] Barlandus inquit: Refer 'sibi' ad 'videatur,' et subaudi ad vocem 'injurius' dativum, tibi.

Prius quam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit.
Sed, si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet.
Tum illæ turbæ fient. PA. Quidvis patiar. DA. Pater est, Pamphile.
Difficile est: tum hæc sola est mulier: dictum ac factum invenerit
Aliquam causam, quamobrem ejiciat oppido. PA. Ejiciat? DA. Cito.
PA. Cedo igitur, quid faciam, Dave? DA. Dic te ducturum. PA. Hem. DA. Quid est?
PA. Egone dicam? DA. Cur non? PA. Nunquam faciam. DA. Ne nega.

perspexerit quæ tua sit voluntas de nuptiis; sed, si tu dixeris te nolle uxorem, tunc ille culpam in te conjiciet: tum etiam lites et jurgia maxima commovebuntur. PA. *Quid vis? patiar uxorem mihi dari?* DA. *Pater tuus est, Pamphile! Difficile est te ei resistere. Præterea hæc mulier, quam amas, sola est sine auxilio. Dicto citius inveniet aliquam causam, propter quam expellat illam e civitate.* PA. *Expellat?* DA. *Illico.* PA. *Dic mihi igitur, quid faciam, Dave?* DA. *Dic te ducturum Philumenam.* PA. *Hem.* DA. *Quid est?* PA. *Egone id dicam?* DA. *Cur non?* PA. *Nunquam faciam, Dave.* DA. *Noli negare te ducturum*

—5 *Omnem*, quod vulgo abest, in fine additur A et Hel. comparetque post 'culpam' in Gu. 2. [et Br.] sicut fuit etiam in Lindenbrogiano, neque abest B et C. *Both.* qui id in fine addit. Monet Perl. sic ad 'culpam:' 'GM. *omnem.*' *Negares* Guelf. 2.—6 M. *Omnes tum illæ.* Lind. in vet. Cod. legit paulo ante, *culpam omnem in te transf.* Videtur autem et *omnes* et *omnem* ex glossa irrepsisse: quanquam *omnem* est in plusculis Mss. Pleræque edd. exhibent, *Quid vis? patiar?* Aliæ, *Quid? vis patiar?* eodem propemodum sensu. Nostra vero lectio jam Donati ætate fuit cognita. Placet vero præ altera illa. Nulla interrogationis nota est in plusculis Mss. unde R. Stephanus, et dudum ante eum plures ita ediderunt, ut nos exhibemus. *West. Quidvis patiar*... Both. *Quid vis patiar?* Z. *Quidvis patior* cum puncto maximo Br. —7 Guy. Eugraphium secutus, *dictum factum.* Ita et Grævius legebat, forsan e Ms. suo. *West.* Ibi nunc video legi *dictum aut factum.* Id. in Add. *Aut* pro *ac* Guelf. 2.—8 Metri causa interserendum est *eam*, et legendum *eam oppido eiciat.* Dein usus loquendi ante 'cito' postulat *ac*, quod a præcedente syllaba absorptum est. *Bent.* Vulgo *ejiciat:* sed codd. fere, etiam nostri A C Hel. *eiciat* τρισυλλάβως recte: modo reponas quoque cum Bent. *Ac cito.* Bothius. *Eiciat* in GM. inveni. *Perl.* qui sic edidit, et dat Br. *Ac* abesse a Guelf. 2. monet Perl.—10 Duæ syllabæ desunt. Forte scriptum erat *faciam. Dave.* Er. Præstaret *Ego dicam?* Er. et Glar. duas syllabas deesse putant. *West.*—12 Guy. *Ut hinc excl.* West. qui in Addendis monet: 'G. *ac concl.* fortasse pro *hac concl.* quod est in EA. ET. EM. sed et in Donati ed. veteri.' '*Huc.* Sic Bent. Er. West. Lind. In GM. et Br. *hac.*' Perl. *Non ita est Nempe hoc. Sic esse, &c.* Br. ubi notat Bruns: 'Edd. distinguunt post 'est' male.'—13 Omittit *hoc esse* Guelf. 1.—15 *Reddes ei omnia* Br.—16 *Sunt ei certa consilia incerta, ut sient sine* id.—17 *Hoc* pro *hocce* id. —18 Vulgo *gnatam: nec, &c.* male, *Both.* qui edidit *gnatam, ne.*—18-20 Integrum locum ita lego et distinguo: *nec tu ea causa minueris Hæc, quæ facis: ne is mutet suam sententiam, Patri dic velle, ut, cum velit, tibi jure irasci non queat.* Hæc, opinor, expeditissima sunt, et planissima. *Velle.* Mss. quidam *velle te.* Et mox, *nequeat* pro *non queat.* West. *Velle te* GM. Br.—21 Ita lego cum Mss. et impressorum vetustis nonnullis: alii *speres.* West. Pro vulgari *speras*, præter Donatum, V. quem Fa. inspexit, et ex nostris veterrimus,

NOTÆ

7 *Dictum ac factum*] Donatus proverbium celeritatis esse ait. Græci dicunt ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον. Gallice, *aussi-tôt dit, aussi-tôt fait.* Simul factum ac dictum.

PA. Suadere noli. DA. Ex ea re quid fiat, vide.
PA. Ut ab illa excludar, huc concludar. DA. Non ita est.
Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem:
Ducas volo hodie uxorem: tu, Ducam, inquies.
Cedo, quid jurgabit tecum? hic reddes omnia,
Quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient,
Sine omni periclo: nam hocce haud dubium est, quin Chremes
Tibi non det gnatam: nec tu ea causa minueris
Hæc, quæ facis; ne is mutet suam sententiam.
Patri dic velle: ut, cum velit tibi jure irasci, non queat.
Nam, quod tu speras, propulsabo facile: uxorem his moribus

esse. PA. *Noli suadere, ut dicam me ducturum.* DA. *Vide, quid ex ea re eveniat.* PA. *Ut a Glycerio excludar, cum Philumena concludar.* DA. *Non ita est. Nempe opinor, id esse dicturum tibi patrem Simonem: Volo, ut hodie ducas uxorem. Tu vero, Ducam, inquies. Dic mihi, qua de re pater jurgabit tecum, si ita ei responderis. Tunc id efficies, ut, quod certum et deliberatum est ei exequi, incertum fiat, sine ullo periculo ducendæ Philumenæ: nam hocce dubium non est, quin Chremes non det tibi filiam uxorem. Nec tu, ea causa, quod dixeris patri tuo te illam ducturum, minus frequenter cum Glycerio versaberis; ne scilicet Chremes, credens te illam dimisisse, mutet sententiam de non danda tibi filia; teque rursus generum petat. Tu autem dic patri te velle facere, quæ volverit; ut, quamvis cupiat, tibi justa de causa irasci non possit. Nam, quod tu speres, refutabo facile:*

NOTÆ

18 *Minueris*] Minus frequentem consuetudinem habere debes cum Glycerio. Ceterum hæc scena continuatur ad superiorem, summota Charini persona; quod videre est ex his verbis: 'Quid igitur sibi vult pater?'

Dabit nemo: inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat.
Sed, si te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris.
Aliam otiosus quæret: interea aliquid acciderit boni.
PA. Itan' credis? DA. Haud dubium id quidem est. PA. Vide quo me inducas. DA. Quin taces?
PA. Dicam: puerum autem ne resciscat mihi esse ex illa, cautio est:
Nam pollicitus sum suscepturum. DA. O facinus audax! PA. Hanc fidem
Sibi, me obsecravit, qui se sciret non deserturum, ut darem.
DA. Curabitur: sed pater adest: cave, te esse tristem sentiat.

Nemo, inquis, dabit uxorem homini his moribus prædito: pater tuus potius tibi inveniet uxorem egenam et indotatam, quam te perditum ire amicæ amore patiatur. Sed, si cognoverit te libenter velle uxorem, facies eum obsequio negligentem, et tibi aliam quam Chremetis filiam otiosus cunctator quæret. Interea aliquid accidet, quod desiderio tuo respondeat. PA. *Itane credis fore?* DA. *Certum id quidem est.* PA. *Vide in quod periculum me conjicis.* DA. *Quin taces securus?* PA. *Dicam patri me ducturum esse Philumenam. Cavendum autem est diligenter, ne pater resciscat puerum esse mihi a Glycerio; nam ei promisi me illum educaturum.* DA. *O facinus temerarium!* PA. *Illa oravit me ut hoc sibi pollicerer, ut sciret me non eam solam relicturum.* DA. *Illud a me curabitur; sed pater adest. Cave ne te esse tristem ex vultu deprehendat.*

habent *speres*. Recte. *Bent.* *Speres* dant Z. Both. Perl.—24 Ita in plerisque omnibus est Mss. itaque ediderunt R. Stephanus, Heinsius, alii. Nuperæ vero edd. Mss. quosdam, atque inde Lindenbruchium et Bœclerum secutæ, *Alia* exhibent. *West.* Etsi omnes codd. quos ego et Fa. inspeximus, habent *Alia*: melius tamen videtur *Aliam*, sc. cum dote, non inopem. *Bent.* *Alia otiosus* habet Sandby. *Zeun.* Vulgo *Alia*, et sic omnes scripti: male. *Both.* GM. et Br. *Alia*. Perl. Sic Z. *Aliquod* Guelf. 2.—25 Bent. cum West. tacite edidit *Haud dubium id quidem'st*. Zeunius. *Dubium id quidem.* Ita, ne quis porro credat auctoritate carere hanc lect. nostri Mss. præter Hel. omnes, haud dubie Faërniani quoque et Bentleiani, item edd. vett. Vulgo male omittitur *id*. Both. Habet et Br. Omittit Z. *Haud dub. quid. est id* Guelf. 1. 'Mss. quidam,' ait West. '*Quin tace.*'—26 Vulgo legunt *ab illa*. Sed præferendum *ex illa*, quod Fa. in multis libris, præsertim antiquioribus invenit, et ego in omnibus meis. *Bent.*—28 Mss. quidam, *qui sciret, se non deserturum*. Guy. ex Mur. *non desertum iri*. West. Recte legit vetus Mureti cod. *desertum iri*. Bent. *Deserturum* defendunt R. D. sed alterum voluit Both. et cum Perl. edidit. *Qui me sciret* Br.—29 M. *cave ne*. West. *Cave ne te tr. sent. esse* Guelf. 2. Sic notat Perlet: 'Par. un. C. *ne*.'

ACTUS II. SCENA IV.

SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

SI. REVISO quid agant, aut quid captent consilii.
DA. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde, ex solo loco.
Orationem sperat invenisse se,
Qui differat te: proin tu fac, apud te ut sies.
PA. Modo ut possim, Dave. DA. Crede, inquam, hoc mihi, Pamphile,
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum esse verbum, si te dices ducere.

SI. *Redeo, ut videam, quid Pamphilus et Davus agant, aut quid consilii capere cupiant.* DA. *Patri nunc dubium non est, quin te ducturum uxorem neges. Venit ille ex secreto aliquo loco, meditatus orationem, quam sperat se invenisse idoneam; qua animum tuum disturbet, et in diversum distrahat; proinde fac ut sis tui compos, et paratus ad respondendum.* PA. *Dummodo id possim.* DA. *Crede mihi hoc; inquam, Pamphile, patrem tuum ne uno quidem verbo tecum altercaturum, si te dices uxorem velle, quam dederit.*

1 Pro *aut quid* numerus postulat et Terentii consuetudo *quidve*. Bent. Sic dat Perl.—2 *Nunc* abest a quibusdam Mss. *West.*—4 M. *Rationem*. Sic et Pal. 1. *Id.*—5 Quidam Mss. atque in iis duo Leidd. *Qua*. Mss. quidam *ap. te sies*. Idem. G. *Qua*. Idem in Add. *Qua*. Ms. *Qui*. Lindenbrogius. Bas. et Decurtatus habent *Qui*, et ita quoque in Vi. et V. est emendatum, ait Fa. Duo tantum e nostris *Qua*, ceteri *Qui*. Bent. Vulgo *ap. te ut sies*, frustra. *Both.* qui delet *ut*. *Qua* dant Guelf. 1. 2. Br. *Sis* GM.—6 Guy. *Modo possim*, ob metrum. *West.* *Modo ut possim*. Ms. *Modo ut possim, Dave*. Lind. Vulgo *Modo ut possim, Dave*: consentientibus quidem scriptis, sed invitis veteribus impressis libris, qui instar scriptorum merito habentur. Et mihi subridiculum semper visum est illud *Dave*. Both. qui dat *Ut possim modo*, 'C. I. et E. V. *possum*, male.' *Perl.* Per has abbreviaturas vult J. et fortasse ed. Ven.—8 Abest *esse* a Par. Mss. quarto. *Perl.*

NOTÆ

1 *Captent*] Captare, est desiderare capere; ut vendito, non est, frequenter vendo, sed vendere cupio. Talia multa sunt, quæ frequentativæ formæ censentur, cum sint desiderativa; qualia sunt prendo, dormito, ostento, munito, id est, munire cupio. Hæc ex Turnebo.

7 *Commutaturum Unum esse verbum*] Sermones commutare, est colloqui; sed hoc loco est altercari, et verbis invicem certare; et 'nunquam tecum commutaturum unum esse verbum,' hoc possis interpretari, ne uno quidem verbo tibi reclamaturum.

ACTUS II. SCENA V.

BYRRHIA. SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

BY. HERUS me, relictis rebus, jussit Pamphilum
Hodie observare, ut, quid ageret de nuptiis,
Scirem: id propterea nunc hunc venientem sequor.
Ipsum adeo præsto video cum Davo: hoc agam.
SI. Utrumque adesse video. DA. Hem, serva. SI. Pamphile.
DA. Quasi de improviso respice ad eum. PA. Ehem, pater.

BY. *Herus Charinus jussit me, rebus omnibus posthabitis, hodie observare Pamphilum, ut scirem quid ageret de nuptiis cum Philumena: propterea nunc venientem hunc subsequor. Sed ecce hic propius adest cum Davo. Hoc agam, ipsum observabo.* SI. *Utrumque, Pamphilum ac Davum, prope esse video.* DA. *Hem serva, quæ præmonui.* SI. *Pamphile.* DA. *Respice ad patrem, tanquam non prævideris*

1 Mss. quidam *rel. r. omnibus.* West. ET. et EM. *rel. r. omn.* Id. in Add.—2-3 Guy. omnino docet scribendum, *huc ven.* intelligitque Pamphilum. Mihi etiam major obscuritas esse in his verbis videtur. Quid ergo? Conjiciebam, lect. vulg. *hunc*, esse retinendam, et per *hunc* non Pamphilum, sed Simonem intelligendum. *West.* Pro *id* unus e nostris habet *huc*, rectius. Sed totus versus est spurius. Emenda sic, *observarem, quid ageret, &c.* Bent. Bentl. legit, *observarem quid:* et seq. versum tanquam spurium delet. Burmann. Bentleianis inventis ad Suet. Vesp. c. XXIII. contradicit, et constructionem *me jussit observarem* scabiem vocat, sed Gesnerus defendit et construendi rationem explicat in Thes. Ling. Lat. voce 'Jubeo.' *R. D.* Bentleium omnino sequitur Both. *Observarem quid* dat Perl. Ad vocem *hunc* notat Gloss. ap. Br. 'Vel huc.' Distinguit Perlet *Scirem id: propt.*—6 *De.* Alii *ex.* West.—8 Ordo

NOTÆ

3 *Id propterea*] 'Id' sæpe apud Plautum et Terentium amat poni pro, ideo, et, propter id: estque antiqua locutio; quamobrem quidam censent legendum hic esse: *ut quid ageret de nuptiis Scirem id.* Nam, si legatur, *id propterea*, alterum fore supervacuum. Verumtamen vera est lectio *id propterea.* Etenim tralatitium, ut synonymæ voces apud hunc auctorem aliosque sæpe jungantur, ut 'etiam quoque,' 'nunc jam,' 'ergo igitur,' 'quamvis licet,' 'propere ocyus,' aut ornandi, aut explendi metri, aut significationis intendendæ causa, etsi superfluæ, copulantur.

4 *Præsto video*] Præsto esse, id est, præsentem esse, vel adesse. Cicero: 'Præsto sunt hirundines æstivo tempore.' Et pluribus locis aliis.

6 *Quasi de improviso*] Id est, reflectendo conjice ita oculos ad eum, ac si antea illum non vidisses; ne suspicetur meditata nos habuisse consilia.

DA. Probe. SI. Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.
BY. Nunc nostræ timeo parti, quid hic respondeat.
PA. Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora. BY. Hem.
DA. Obmutuit. BY. Quid dixit! SI. Facis ut te decet,
Cum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.
DA. Sum verus? BY. Herus, quantum audio, uxore excidit.
SI. I nunc jam intro: ne in mora, cum opus sit, sies.
PA. Eo. BY. Nullane in re esse homini cuiquam fidem!
Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet,
Omnes sibi malle melius esse, quam alteri.

illum. PA. *Hem pater.* DA. *Probe respondisti.* SI. *Volo ut ducas uxorem hodie, ut tibi dixi.* BY. *Ego nunc metuo nobis; solicitus quid Pamphilus respondeat patri.* PA. *Neque in ista re, neque in ulla alia ero unquam in mora, quominus ea fiant, quæ volueris.* BY. *Hem.* DA. *Ad hoc responsum Pamphili, pater Simo obmutuit.* BY. *Quid dixit Pamphilus?* SI. *Facis ut te decet, cum istud, quod postulo, impetro a te tam grate et obsequiose.* DA. *Nonne sum veridicus?* BY. *Herus, quantum ex verbis Pamphili intelligo, uxoris spe dejectus est.* SI. *I jam nunc intro, ut nulla mora per te fiat, quando opus erit.* PA. *Eo.* BY. *Itane est ut nulla in re homini cuiquam sit fides? Verum est illud proverbium: Omnes*

verborum, *nostræ timeo parti*, idem reperitur in omnibus codd. Faërni, et meis plerisque. *Bent.* Sc. antea fuerat scriptum *nost. p. t.*—9 Omnes fere nostri rotundius et metro convenientius legunt, *tibi erit usquam.* Bent. Sic Br. et Both. *Usq. tibi erit* Z.—10 *Quid dixit!* Vulgo cum interrogandi signo editur. Sed interrogatio nulla est. Sunt verba admirantis. Idem Antesignanus edidit. *West.* Sed interrogationem dant Br. Z. Bent. Both. Perl. qui notat: '*Ommutuit.* Sic script. Bent. Par. recte.'—12 Quidam Mss. *ab uxore excidit.* Alii, *decidit.* Westerhovius. G. EA. ET. EM. *ab uxore.* Id. in Add. Non agnoscit Br. interrogationem post 'verus.'—14 Mss. alii *esse cuiq. hominum fidem.* Westerhovius. G. [Br.] et EA. *Nullamne in re esse homini cuiq. fid.* EM. *Nullamne in re cuiq. homini fid.* Id. in Add. Veteres quædam edd. *cuiquam hominum:* Pet. *cuique homini*, quod melius est, ne ictus in ultimam τοῦ *homini* perperam incidat. *Bent.* Vulgo *Nullane in re esse homini cuiq. f.* prorsus inconcinne. Bent. [et Perl.] *N. in re esse cuiq. h. f.* Vide an magis profecerim. *Both.* qui dat *N. in re cuip. esse homini f.* Monet Perl. esse *Nullamne* in Par. Mss. et *quoiquam* in Par.—15 Gu. 2. *istud.*—16 Plerique libri cum editt. priscis [et sic Both. et Perl.] collocant versum: *O. sibi esse melius malle q. a.* V. et Bas. ita: *O. sibi malle melius esse, &c.* Ego repono sententiæ gratia, *O. sibi esse bene mavelle, q. a.* Bent. Damnat Perl. emendationem Bentleianam.—17

NOTÆ

9 *Hem*] Interjectio est indignantis Byrrhiæ, qui secum hoc totum loquitur.

10 *Quid dixit*] Interrogatio est indignantis; et Byrrhia secum hoc totum loquitur.

Ego illam vidi virginem, forma! bona
Memini videre: quo æquior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.
Renuntiabo, ut pro hoc malo mihi det malum.

sibi melius esse malle, quam alteri. Ego vidi virginem illam Philumenam; memini me vidisse illam forma honesta esse. Quapropter æquior sum et moderatior in accusando Pamphilo, quod verba dederit Charino; si se illam ut uxorem in somnis, quam illum (Charinum) amplecti maluit. Illud hero meo renuntiabo, ut pro hoc malo nuntio me male tractet.

Varie hæc distinguuntur. Sunt, qui legunt: *Ego illam vidi virginem: forma bona Memini videre.* Alii: *Ego illam vidi virginem forma bona. Memini videre.* Rursus alii: [et sic Z.] *Ego illam vidi: virginem forma bona Memini videre.* Ἐμφατικώτερον autem videtur, ut edidi. *West.* Lege, *Ego, cum illam vidi, virginem forma bona Memini videre.* Bent. Sequitur Perl. *E. il. vidi virginem: forma bona Memini videri* Both. Abest *cum* a Guelf. 3. ait Perl. ad h. vs. Fortasse voluit versum 11. aut 13.—18 Alii: *Memini me videre.* Elegantior autem Latinitas est, quoties τὸ '*memini*' jungitur infinitivo præsenti. *West.* —19 *Si sese in s.* Both.—20 Vel non: supple det. *Br.* Suntne igitur codices, qui præferunt *non det?* Bruns. *Hoc* delet Both.

ACTUS II. SCENA VI.

DAVUS. SIMO.

DA. Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare, et ea me hic restitisse gratia.
SI. Quid Davus narrat? DA. Æque quicquam nunc quidem.

DA. *Simo me credit aliquam fallaciam huc afferre, atque ea de causa hic remansisse.* SI. *Quid Davus narrat?* DA. *Nihil quidem quicquam nunc, æque atque*

1 Quidam Mss. *aliquam fallaciam* legunt, omisso *sibi*; quemadmodum mox *restitisse gratia hic.* West.—2 Sunt, qui non agnoscunt *me.* Id.—3 Alii, *Quid, Dave, narrat?* sub. Pamphilus: perperam, opinor. Ex Pal. 2. citat Pareus: *Neque quicquam nunc quidem:* sensu perspicuo. *Id.* Etsi omnes codd. repugnant, legendum tamen puto, *Quid, Dave, narrat,* sc. Pamphilus, qui superiori Scena cum Davo domum ibat. Igitur Davus, quem Simo cum filio de nup-

NOTÆ

1 *Hic nunc me credit*] Davus secum ita videtur loqui, ut spectator tantum audiat: sic tamen loquitur, ut velit audiri a Simone.

SI. Nihilne? hem. DA. Nihil prorsus. SI. Atqui expectabam quidem.
DA. Præter spem evenit: sentio: hoc male habet virum.
SI. Potin' es mihi verum dicere? DA. Nihil facilius.
SI. Num illi molestæ quippiam hæ sunt nuptiæ,
Propter hujusce hospitæ consuetudinem?
DA. Nihil hercle: aut, si adeo, bidui est aut tridui
Hæc solicitudo: nosti? deinde desinet.
Etenim ipsus secum eam rem recta reputavit via.

antea narro. SI. *Nihilne? hem.* DA. *Nihil prorsus.* SI. *At ego expectabam ut aliquid narrares.* DA. *Evenit illi contra expectationem, sentio, quod nihil inaudivit quicquam a me, quod speraret scire: hoc male habet virum.* SI. *Potesne mihi verum dicere?* DA. *Hoc mihi nihil facilius est.* SI. *Nonne filius ægre fert has nuptias, propter istius peregrinæ Glycerii consuetam familiaritatem?* DA. *Neutiquam hercle, aut, si adeo ægre fert, duorum dierum aut trium hæc ægritudo est. Scisne? Deinde finem accipiet: namque recta ratione sæpius consideravit in*

tiis locutum aliquid putat, hic interrogatur. *Bent.* *Dave* Bent. Omn. codd. *Davus.* At vero præter Bent. in Par. Ed. it. *Dave* pro var. exhibetur. Quod ipsum probo. *Perl.*—4 Bent. semper fere pro *nihil* et *mihi* edidit *nil, mi.* Semel monuisse sat erit. *Zeun.* *Atqui?* Br.—5 Ed. 1469. *evenit huic.* West. —6 Guy. rescribit *Facilius nihil.* Id. Concinnitatis gratia ante 'nihil' pone *Ego?* Bent. Dat Both. *Potin' est te dicere verum mihi?* DA. *Nil fac.* Perlet sequitur Bent. et monet Guelf. 1. omittere *Ego?*—7 Cod. unus e Regiis habet *hæc.* Vetuste et vere. *Bent.* Accedit Perl.—8 Er. eumque secutus Guy. *Huj. propt. cons. hosp.* West. Etsi omnes codd. quos vidit Fa. habent ordinem Donati: melior tamen est ordo: *Propt. hosp. hujusce.* Ceterum antiquius est *hospitaï.* Bent. Dat Perl. *Pr. hospitæ huj. cons.* 'Vulgo *quippiam hæ sunt* (Gu. 1. *sunt hæ;* unde colligas non ita certam esse sedem pronominis) *n. Propter huj. hosp. cons.* prorsus inconcinne. *Both.* qui legit *quipp. sunt n. Hæc propt. hosp. hujus cons.*—9 Bodl. *bid. aut trid. est.* West. Sic et Br. *Si* omittit Guelf. 1.—10 Bent. post 'nosti' posuit signum interrogationis, quod non est opus. *Zeun.* Interrogationem non admittunt Br. Z. Both. 'Mallem,' ait Perl. 'pronuntiatum absque interrogatione. Leg. al. *nostin;* al. *nostine.*' *Sinet* Guelf. 1.—11 Solicitant hunc l. eruditi; et est mira Msstorum varietas. Bodl. *Eam secum rem ipse recta reputavit via.* Fa. ita esse in libris scriptis fatetur, ut edidi. Delet autem *recta,* cum quod non aliter stet versus, tum quod Donatus hanc vocem non agnoscat. Agnoscit vero in Ms. Hulst. sed ita: *Eam rem recta putavit via.* Guyetus, ut versum rectum et integrum habeat, *eam rem* tollit, vocans interpretamentum. Non autem libet, neque adeo licet ita grassari. *West.* Vet. Cod. *Eam secum ipse*

NOTÆ

4 *Hem*] Indignantis hic vox est.

5 *Præter spem evenit*] Hoc secum loquitur Davus.

Hoc male habet virum] Quod de me nihil rescire potest certi de animo filii; qui præter spem ejus promisit se ducturum uxorem: quodque suspicari videamur, ipsum nuptias simulare. Idcirco Davus postea dixit, 'Commovi.'

11 *Reputavit*] Sic Donatus legit. Alii *reputabit.*

SI. Laudo. DA. Dum licitum est ei, dumque ætas tulit,
Amavit: tum id clam: cavit, ne unquam infamiæ
Ea res sibi esset, ut virum fortem decet.
Nunc uxore opus est: animum ad uxorem appulit.
SI. Subtristis visus est esse aliquantulum mihi.
DA. Nihil propter hanc rem: sed est, quod succenset tibi.
SI. Quidnam est? DA. Puerile est. SI. Quid est?
DA. Nihil. SI. Quin dic, quid est?
DA. Ait, nimium parce facere sumtum. SI. Mene?
DA. Te.
Vix, inquit, drachmis est obsonatus decem.
Num filio videtur uxorem dare?

animo hunc insanum amorem Glycerii. SI. *Hac de causa eum laudo.* DA. *Dum illi per te licitum fuit, atque ætas permisit, amori indulsit; tum id secreto. Cavit ne unquam ex hac re infamiam contraheret, ut virum fortem decet. Nunc uxore illi opus est: ideo, ille animum contulit ad uxorem ducendam.* SI. *Visus est mihi subtristis esse aliquantulum.* DA. *Minime sane propter nuptias, sed causam habet cur tibi subirascatur.* SI. *Quidnam est?* DA. *Puerilis res est.* SI. *Quid est?* DA. *Nihil.* SI. *Tamen, dic mihi quid sit.* DA. *Ait te nimis parcum esse in faciendo sumtu.* SI. *Mene?* DA. *Te. Vix, inquit, decem drachmarum pretio obsonia emit. Num filio nuptias videtur apparare? Quem, inquit, invitabo ad*

rem recta reputavit via. Lindenbrogius. *Etenim ipsus secum eam rem reputavit via.* Sic versum legit in V. Faërnus, cui consentit unus e nostris vetustissimus. Sed nos delemus *secum* tanquam alienum, et post 'rem' reponimus *recta*, quod Faërnus vidit in codd. et consuetudo Terentii et Plauti postulat. *Bent.* Accedit Perl. *Recta* delet Z. *Secum* post 'ips.' legere Guelf. 3. notat. Perl.—12 Mss. quidem *est illi.* West. Bent. metri causa scripsit *eii.* Zeun. Dat *Sic laudo.* DA. *Dum ei licitum est* Bothius, cui *eii* minus placet. —15 *Sibi* post 'ux.' Guelf. 2.—16 In quibusdam Mss. non legitur τὸ *esse.* West. Ut trochæus evitetur, lego *aliquantillum.* Bentlius. *Aliquantum.* Sic Gu. 1. quod metro aptius est quam vulgatum *aliquantulum.* Ap. Pr. p. 1208. legitur *aliquid.* Both.—17 Dele *rem*, ut 'hanc' referatur ad hospitam, Glycerium. Antiquissimi libri habent *suscenset.* Bent. Sequitur Perl. qui notat: 'Var. lect. ap. Bip. *succenseat.*'—18 Alii, *Nihil est.* Er. Guy. Tan. Faber, *Quid id est?* ob metrum scilicet. *West.* Ante 'Nihil' repone *Quid id est?* Bent. Sequitur Perl. 'Vulgatum scabris numeris et male collocato verbo 'Puerile.' Gu. 2. *sed quod succ. tibi.* Bentleii Regius *Quid est? Puerile est: quidnam est.* Unde reponend. esse vidi *Puerile quiddam est.* Er. scriptos haud dubie secutus, *Quid id est?* ut sententia et versus postulant, monente Bent. quod et in B et C conspicitur, libro A exhibente *Quid est id?*' Both. qui dat: *Sed, quod succenset tibi, Puerile quiddam est.* SI. *Quid id est? &c.* —19 Alii, *Ait te.* Mss. quidam, *perparce.* Westerhovius. G. EA. ET. EM. *perparce.* Id. in Addendis. *Ait.* Pall. *te.* Sed ea lect. sicut pleræque Palatinorum, glossam sapit. *Perl.* qui notat *perparce* esse in Guelf. 1. 3.—20 Duo codd. primarii legunt *est obsonatum.* Recte. *Bent.* Bent. edidit *obsonatum:* sed displicet homœoteleuton. *Both.* Bentleium sequitur Perl.—21 Ms. plusculi citra interrogationem: *Non filio v. u. dare;* sed minus ἐμφατικῶς. *West.* qui in Addend. monet ita dare G. EA. ET. EM. Ad *Num* notat glossa in Br. 'Vel

Quem, inquit, ad cœnam vocabo meorum æqualium
Potissimum nunc? et, quod dicendum hic siet,
Tu quoque perparce nimium: non laudo. SI. Tace.
DA. Commovi. SI. Ego istæc, recte ut fiant, videro.
Quidnam hoc rei est? quid hic volt veterator sibi?
Nam, si hic mali est quicquam, hem illic est huic rei caput.

cœnam meorum æqualium, maxime nunc in hac nuptiarum celebritate? Et, quod tua venia hic absente filio dicere debeo, tu quoque parce nimium sumtum facis. Non laudo istud. SI. *Tace.* DA. *Ego solicitavi animum Simonis meis verbis, et in suspicionem adduxi, nos credere nuptias eum simulare.* SI. *Ego providebo ut hæc decenter parentur et fiant. Quidnam hoc rei est? quidnam sibi vult hic vetus fraudum architectus? Nam, si hic, in his nuptiis, quicquam impedimenti est; hem, in hoc rerum cardine præcipue versatur hujus impedimenti caput.*

nonne.' *Non* pro *Num* Guelf. 1.—23 Interrog. signum dat Br. post 'siet.'—24 Lege *per parce nimium*, h. e. pernimium parce. Nam, quod supra 19. 'nimium parce' dixerat, id nunc amplificat. *Bent.*—25 Ita vulgo distinguitur, nec male. Possit tamen sensus esse: *Ego istæc recte, ut fiant, videro.* Ut adeo jungenda sint, *recte videro*, non, *recte fiant.* West. *Ego, istæc ut fiant, videro* Bothius. Bent. et Perl. minora puncta omittunt.—26 Lege, *Quid hoc est reii.* Bent. *Quidnam hoc est re* (sic) dat Both.—27 Lege *mali'st*, ne *mali* totum in Thesi obscuretur. *Bent.*

NOTÆ

23 *Quod dicendum hic siet*] Id est, hic inter nos, non alibi.

26 *Veterator*] Imposturis assuetus.

ACTUS III. SCENA I.

MYSIS. SIMO. DAVUS. LESBIA. GLYCERIUM.

MY. ITA pol quidem res est, ut dixti, Lesbia:

MY. *Ita pol quidem res se habet, ut dixisti, Lesbia! non facile invenientur vir*

1 Mss. quidam, *ut dixit Lesbia.* Præstat autem lectio vulg. *West.* Duo tantum codd. habent *dixisti.* Quæ vera est lectio. Nam concinnius 'res'

NOTÆ

Laudat hic in principio hujus Scenæ Mysis Pamphilum a fidei constantia erga Glycerium.

Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.
SI. Ab Andria 'st ancilla hæc? quid narras? DA. Ita est.
MY. Sed hic Pamphilus. SI. Quid dicit? MY. Firmavit fidem. SI. Hem.
DA. Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.
MY. Nam, quod peperisset, jussit tolli. SI. O Jupiter!
Quid ego audio? actum 'st, siquidem hæc vera prædicat.
LE. Bonum ingenium narras adolescentis. MY. Optumum.
Sed sequere me intro, ne in mora illi sis. LE. Sequor.
DA. Quod remedium nunc huic malo inveniam? SI. Quid hoc?

constantis fidei erga mulierem. SI. *Ex Andriæ familia est hæc ancilla. Quid narras?* DA. *Ita est.* MY. *Sed hic Pamphilus.* SI. *Quid illa dicit?* MY. *Fidem, quam dederat, confirmavit.* SI. *Hem.* DA. *Utinam, aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.* MY. *Nam, quem partum illa edidisset, ille jussit educari.* SI. *O Jupiter! quid ego audio? actum est de nobis, si modo ea vera sunt, quæ hæc ancilla prædicat.* LE. *Mores bonos narras adolescentis.* MY. *Optimos; sed sequere me intro, ne tardius ad illam venias.* LE. *Sequor.* DA. *Quale remedium nunc huic malo inveniam?* SI. *Quid hoc rei est? adeone Pam-*

in Arsi hic ponitur, quam illic in Thesi. *Bent.*—3 Duplicem feci interrogationem, contra quam fieri solet. Sunt autem Mss. in quibus est, *quid narrat?* quando verba proxime præcedentia citra interrogationem fuerint pronuntianda. *West.* Verba ita distribuenda esse censeo, ut, 'Quid narras,' sint Davi non interrogantis, sed admirantis et quasi negantis, vel gravate concedentis, ut Phorm. v. 7. 42. sed 'Ita'st' sint Simonis, rem confirmantis. *Bent.* qui cum Br. et Z. non interrogat post 'hæc.' Sequuntur omnino Bentleium Both. et Perl. *Narrat* Guelf. 2.—5 *Aut hic surdus.* Sic Plautus Casin. III. 3. 12. *Metuo, ne non sit* surda *atque hæc audiverit.* Mss. quidam prius *aut* omittunt. *West.*—8 *Bonum* delet Both. Interrogationem post 'adol.' pro var. lect. memorat Br. glossa.—9 *Ne in mora illi sis.* Nonnulli Mss. addunt, *cum opus est.* West. Vulgo *mora illi sis,* ex int. Codd. nostri unanime *sies.*

NOTÆ

4 *Sed hic Pamphilus*] Mysis pergit laudare Pamphilum, non attendens ad Simonis verba, sed alloquens Lesbiam. Itaque sensus est: Vix invenias virum fidelem mulieri; sed hic Pamphilus ita fidelis est Glycerio, ut fidem, quam ei dederat se eam ducturum, confirmaverit; pollicendo ei, se, quod peperisset, educaturum, cum posset exponere. Exinde inter se seorsum colloquuntur.

10 *Quod remedium*] Simo, ex sermone Mysis ad Lesbiam, audiverat ea quæ Pamphilus pollicitus fuerat Glycerio, in confirmationem fidei datæ: propterea solicitus Davus quærit, qua arte avertat mala, quæ ex improvida Mysis narratione accidere

Adeon' est demens? ex peregrina? jam scio, ah!
Vix tandem sensi stolidus. DA. Quid hic sensisse ait?
SI. Hæc primum affertur jam mihi ab hoc fallacia;
Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.
GL. Juno Lucina, fer opem! serva me, obsecro!
SI. Hui, tam cito? ridiculum: postquam ante ostium
Me audivit stare, approperat: non sat commode
Divisa sunt temporibus tibi, Dave, hæc. DA. Mihin'?
SI. Num immemores discipuli? Da. Ego, quid narres, nescio.

philus insanit ex amore hujus peregrinæ? Jam tandem novi rem omnem. Ah, vix tandem intellexi stultus ego hanc fallaciam. DA. *Quid hic se intellexisse ait?* SI. *Hæc primum jam mihi intenditur a Davo fallacia. Hanc simulant parere, ut deterreant Chremetem a nuptiis faciendis.* GL. *Juno Lucina, fer opem, serva me, obsecro.* SI. *Hui, tam cito Glycerium parit? Risu digna res. Utprimum illa me audivit ante ostium stare, festinat parturire. Hæc, Dave, non satis apte tibi per tempora disposita sunt.* DA. *Mihine hoc dicis?* SI. *Num ita oblivisceris, et negligis Pamphilum discipulum tuum, ut eum tam male doceas?* DA. *Ego*

Both. qui dat *ne in mora sies.* *Illi* delet et Br.—11 Hugenius junctim videtur legisse: *Adeon' est demens ex peregrina?* Sed et ita edidit Lind. Perperam, opinor, sed et contra Donati mentem. *Ah.* Dolentis et suspirantis est particula, qualis h. l. minus convenit in Simonem. Malim, *vah.* West. Non interrogationem, sed maximum punctum dat Br. post 'peregr.'—12 Pro *sensisse*, in quibusdam Libris est, *sensisse se;* in aliis, *se sensisse.* West. qui notat in Addendis: 'G. EM. ET. *sens. se.*' Sic Br.—15 In R. ut et in aliis Ms. sic erat: *Intus, Juno L.* Sed τὸ *Intus* ideo ab exscriptore additum est, ut intelligamus hæc post scenam fieri; ut in Adelph. Act. III. scen. 4. 'Miseram me, differor doloribus.' Nam et hic quoque vet. cod. addit *intus.* Lind. Accedit Westerhovius, qui monet *Intus* exhibere Ed. an. 1469. Sic et Br. habet, sed junctum cum 'Glycerium.'—17 *Commodis* dat Both.—19 Jam Donati ætate lectum etiam, *Num immemor es discipuli?* quomodo est in M. [et GM.] et duobus Leidd. edit. 1469. aliisque, [et Z.] Præstat lectio altera, quam exhibuimus. Sunt autem Mss. atque in illis Tr. ubi citra interrogationem legitur, *Non immemor es discipuli:* quomodo et quædam edd. vetustæ expresserunt, in quibus est Junt. Sed et Eug. ita legebat. *West.* Lego cum Donato *immemores.* Altera lectio, quam posuit Donatus et expressit Fa. *immemor es discipuli*, sc. Pamphili, plane inepta est. *Bent.* *Immemores* edidit Sandby. *Zeun.* *Num immemor es discipuli.* Primo sic in Ms. [sc. Br.] legebatur: sed mutatum est *Num* in *Non*, signum interr. deletum, et prior lectio tanquam V. L. superscripta. *Bruns.* Vulgo, *Ego, quid narres, n.* versu impedito. Abest *Ego* Gu. 1. *Narras* Hel. Græ-

NOTÆ

poterant; idcirco jam dixerat: 'Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.'

16 *Hui, tam cito*] 'Hui' interjectio est admirantis, irascentis, interdum etiam irridentis, qualis hic est.

19 *Num immemores* [*immemor es*] *discipuli*] Alii legunt in nominativo plurali: Num immemores discipuli tui sunt præceptorum, quæ eis tradidisti?

SI. Hiccine me si imparatum in veris nuptiis
Adortus esset, quos mihi ludos redderet!
Nunc hujus periclo fit. Ego in portu navigo.

minime intelligo, quid dicas. SI. *Si me hic improvidum fallaciarum suarum, parantem veras nuptias filio, aggressus esset, quot modis me fuisset ludificatus? nunc ejus periculo hæc a me simulantur: res vero meæ in tuto sunt positæ.*

co more. *Both.* qui delet *Ego* et legit *narras.*—21 Minus placet emendatio Guyeti, legentis, *ederet.* West. Corrigit Bentl. egregie *quos me l.* R. D. *Me* dat Both. *qui hanc Scenam* cum sequenti continuat.

NOTÆ

Hi discipuli sunt, Pamphilus, Mysis, et Lesbia, quos Simo ait magistrum habere Davum in nectendis dolis, et magistri præcepta imprudenter observare atque exequi.

ACTUS III. SCENA II.

LESBIA. SIMO. DAVUS.

LE. ADHUC, Archilis, quæ assolent, quæque oportet
Signa esse ad salutem, omnia huic esse video.
Nunc primum fac, isthæc ut lavet: post deinde,
Quod jussi ei dare bibere, et quantum imperavi,

LE. *Adhuc, Archillis, omnia signa, quæ solent, quæque oportet indicare salutem decumbentium ex partu, huic puerperæ adesse video. Nunc primum fac, ut ista lavet: deinde date ei bibere, quod præscripsi, et quantum imperavi: statim post*

1 Sunt qui *ἀρχαϊκῶς oportent* legunt. *West.* Alios legere *oportent* monet glossa in Br.—2 *Sig. ad sal. esse.* O. l. s. et Donatus *Sig. esse ad sal.* Faërnus. Ita et nostri omnes. *Bent.*—3 *Lavetur* in quibusd. libb. *West.* Deleo *ut*, ut pes creticus servetur; aut, si quis *ut* retinere malit, legat cum veterrimo cod. *fac ista ut.* Bent. Omnia hæc turbat Gov. et *facite* pro *fac* legit, metri sui gratia. *Ut* delent Perl. Both.—4 Alii, *dari:* fortasse emendatius *date:* cujus repetitio emphatica est. Legitur autem *date* in Mss. nonnullis et ed. Ven. 1490. Juntina posterius *date* non agnoscit. *West.* *Dare.* Rectius, quod in Ms. *dari.* Lind. Lectio *dari*, quam in V. et Decurtato reperit

NOTÆ

3 *Fac, isthæc ut lavet*] 'Lavet' de balneo intelligendum est. Lavabant lassi, peregre venientes. Plaut. in Truculento: in Epidico, Actu v. Sc. 1. Et 'lavatrina' balneum domesticum.

Date: mox ego huc revertor.
Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo.
Deos quæso, ut sit superstes, quandoquidem ipse est ingenio bono.
Cumque huic veritus est optumæ adolescenti facere injuriam.
SI. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse ortum? DA. Quidnam id est?
SI. Non imperabat coram, quid opus facto esset, puerperæ:
Sed, postquam egressa est, illis, quæ sunt intus, clamat de via.
O Dave, itan' contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?

redibo huc. Ecastor, puer valde pulcher et elegans natus est Pamphilo. Deos precor, ut vitalis sit, et incolumis, quoniam certe pater ejus bono est ingenio, et veritus est facere injuriam huic bonæ adolescenti mulieri. SI. *O Dave! quis non credat, qui te noverit, hoc etiam a te esse inventum?* DA. *Quidnam id est?* SI. *Lesbia obstetrix non præcipiebat ipsi puerperæ coram in cubiculo, quæ facienda erant; sed, postquam exivit foras, mulieribus, quæ sunt intus, maluit imperare, clamando e via. O Dave, itane contemnor a te? Aut itane tandem videor tibi aptus et opportunus, quem tam manifeste fallere incipias dolis? Saltem, astute,*

Fa. et ego in septem e nostris, haud dubie, ut Bacchiacorum modi et leges serventur, est præferenda. *Bent.* *Dari.* Sic Bent. Par. ex libb. *Perl.* qui sic legit cum Both. et monet *dare* legere Guelf. 2. '*Date* esse legend. non *dare*, et codd. nonnulli testantur, et ratio indicat loquendi.' *Gov.* *Dari* dat Br.—5 *Revertor.* Ita quidam Mss. et editi, quod haud scio, an elegantius, quam vulgatum *revertar.* Westerhovius. Donatus, nonnulli codd. Faërni, et ex nostris meliores recte legunt *revertor.* Bent. Romanus cod. omitt. *huc.* Perl. Vulgo *ego huc*, duris numeris. Omisit pronomen A. *Both.* qui ipse *ego* omisit. *Revertar* Guelf. 1. et Z. 'In Guelf. 2. *Date.* Quod fuerat *Dato.*' Perl. —6 *Percastor* habent omnes fere codd. Terentii et aliqui Donati, quos consuluit Faërnus: sed V. et omnes præter unum nostri *Perecastor.* Lege, *Per ecastor.* Nam *Per* pertinet ad 'scitus,' h. e. valde scitus. *Bent.* *Per Castor.* *Per* conjungendum est per tmesin cum 'scitus.' *R. D.* Pr. *Percastor.* Al. *Per æcast.* Sed plurimi libb. sine diphth. ut anapæstus in prima huj. vs. servetur. *Perl.* —8 Lege ex Pet. *est veritus*, metri causa. *Bent.* Sequuntur Perl. et Both. —9 *Natum* pro *ortum* ap. Do. 'Nostri omnes et vett. edd. *qui te norit:* recte.' *Bent.* Both. dat: *Vel h. quin credat, qui te norit.*—10 Un. Ms. Par. *Non vi parab.* vitiose. *Perl.*—11 Guelf. 1. omittit *intus.* Id.—13 Si legas

NOTÆ

7 *Ut sit superstes*] Olim parentes precabantur, ut sibi sui liberi superstites essent, id est, superviverent: unde superstitionem dictam esse ait Cicero, II. de Nat. Deor. Mart. lib. VII. Epig. 95.

Saltem accurate, ut metui videar: certe si resciverim!
DA. Certe hercle nunc hic se ipsus fallit, haud ego. SI. Edixin' tibi?
Interminatus sum, ne faceres? num veritus? quid retulit?
Credon' tibi hoc, nunc peperisse hanc e Pamphilo?
DA. Teneo, quid erret: et quid agam, habeo. SI. Quid taces?
DA. Quid credas? quasi non tibi renuntiata sint hæc, sic fore.
SI. Mihin' quisquam? DA. Eho! an tute intellexti hoc assimulari? SI. Irrideor?
DA. Renuntiatum est: nam qui isthæc tibi incidit suspicio?
SI. Qui? quia te noram. DA. Quasi tu dicas, factum id consilio meo.

non tam aperte me decipias; ut ego videar metui a te, non stolidus et excors æstimari, idque certe, si resciverim. DA. *Certe hercle, hic se ipse nunc fallit, non ego illum.* SI. *Nonne edixi tibi, et minando vetui, ne tu faceres aliquam in nuptiis fallaciam? Num veritus es? Quid profuit edicere, et minari? Putasne me tibi credere hoc, peregrinam hanc a Pamphilo gravidam factam filium ei peperisse?* DA. *Scio in quo Simo fallatur. Ego paratum habeo, quid agam.* SI. *Quid taces?* DA. *Cur credas hanc peregrinam peperisse? Quasi vero non tibi renuntiatum sit hæc eventura esse.* SI. *Mihine quisquam renuntiavit?* DA. *Eho! an per te solus intellexisti fingi hoc, Glycerium peperisse?* SI. *Irrideor.* DA. *Renuntiatum est tibi sic fore. Nam unde hanc suspicionem aliter habere potuisti?* SI. *Unde? Quia noram ingenium tuum.* DA. *Ita loqueris, quasi credas id factum*

videbor, constat versus. *Er. Tibi videor quem.* Ex omnibus fere l. s. legendum est *Tibi videor esse:* aliter non staret octonarius. *Fa.* Sic et omnes nostri. *Bent.*—14 Edit. distinguit post 'certe.' *Bruns.*—15 Bodl. et Ed. 1469. *nunc ipsus se fallit*, omisso *hic.* West. Lege *Edixi tibi*, sine interrogatione. *Bent.* Sequitur Both.—16 Lege *veritu's*, h. e. veritus es. *Bent.* Sequitur Perl. 'Vel?' ait glossa in Br. post 'faceres:' 'atque ita,' ait Bruns, 'edidit West.' Punctum maximum pro interrog. habent Bent. Z. Perl. Legit Both. *Int. sum: num facere veritus? ecquid retulit?* et notat: 'A *veritus es? quid.* I. e. ni fallor, *veritus? ecquid.* Certe sic reponend. puto.'—17 Fortasse haud incommode *τὸ nunc* additur superiori commati: quod fecit Pr. lib. XVIII. *West. in Add.* Interpunge post 'nunc.' *Bent.* Sequuntur Perl. Both.—18 *Teneo quid erret: quid ego agam.* O. l. s. et Do. *et quid ag.* Fa. Nostri quoque universi *et quid ag.* Bent.—19 Lege *tibi siet renuntiatum, hæc sic fore*, ob sententiam et vs. 21. *Bent.* Bent. mutat *siet renuntiatum.* Sed equidem nec mutatis ipsis, nec quibus defendat assentior. *Perl.*—20 *Irrideor?* Cum interrogatione videtur dictum, ut dubitantis potius sit, quam affirmantis. Unde exclamandi signum sustuli. *West.* Sic et Both. Sed non interrogant Bent. Z. Perl. 'Aptius erit, si reponas, *Min' quicquam?* sc. renuntiatum est?' *Bent.* Sequitur Both. et id mallet Perl. si codd. ita haberent. *Assimularier* Guelf. 3.—21 Alii legunt *suspectio.* West. *Suspicio* Ms. et Pr. lib. XV. Al. *suspectio.* Lind. Ne recipe *suspectio* pro *suspicio*, contra omnes codd. Nam versus est salvus, dummodo pro *istæc tibi* reponas *tibi istæc.* Bent.—23 Rotundius et verius sic: *Non satis pernosti me etiam.* Bent. Accedunt Perl. Both.—24 Bodl. *Sed quid tibi narrare cœpi.* West. Metri et sententiæ gratia lege *Ego non te?* Ceterum plane inutile est *tibi*, quod nostri codd. habent ante 'narrare.' *Bent.* Sequitur Perl. at Both. dat *Egon' te?* DA. *Set si quid enarrare occepi.* *Tibi* dat Br. et notat Bruns: 'Edit. omitt. *tibi*, et est in Ms. superscriptum, sed literis contextus et eadem manu.' Dat et Guelf. 3. *Egone* habere Guelf. 2. 3. monet Perl.—25 Illud 'Falso' quanquam omnes libri tribuunt Simoni, cum tamen persona hominis sit indignum, ipsi Davo quoque ascribendum puto. *Bent.* Dissentit Perl. Legit Both. *Falson'?*—26 'Intellexti' cum interrog. Br. et Z. *Ego* abest a Guelf. 2. 3.—27 Ne *puerum* in Thesi absorbeatur, colloca *mox puerum huc deferent.* Bent. Sequuntur Perl. Both.—28 Ordo codd. et vett. edd. melior est: *tibi, here, ren.* Auctor tamen adhuc melius fortasse *tibi, here, ren. esse fut.* Bent. *Tibi, here, ren. futurum* dat Perl. *Ren. tibi, here, futurum* Both. *Tibi, here, nuntio futurum* Br. et notat Bruns: 'Pro *nuntio* olim fuit fortasse *renuntio* in Ms. atque sic edit.' Abest *futurum* a Guelf. 2.—29 G. F. delet *τὸ dicas*, ob metrum, et ut rotundior sit et ornatior sententia. *West.* Tolle *mihi* versus gratia. *Bent.* *Hoc posterius Davi factum dicas* Both. edidit.—30 Abest *ego* in Junt. *West.* Romanus cod. omitt. *hanc.* Perl. Sic Br. *Tuam*

SI. Certe enim scio. DA. Non satis me pernosti etiam, qualis sim, Simo.
SI. Egone te? DA. Sed, si quid narrare occepi, continuo dari
Tibi verba censes. SI. Falso. DA. Itaque hercle nihil jam mutire audeo.
SI. Hoc ego scio unum, neminem peperisse hic. DA. Intellexti.
Sed nihilo secius mox deferent puerum huç ante ostium:
Id ego jam nunc tibi renuntio, Here, futurum, ut sis sciens.
Ne tu hoc mihi posterius dicas, Davi factum consilio, aut dolis.
Prorsus a me opinionem hanc tuam esse ego amotam volo.

fuisse meo consilio. SI. *Certe enim scio sic esse.* DA. *Non satis perfecte novisti, qualis sim, Simo.* SI. *An ego non satis novi te?* DA. *Sed, si quid narrare incepi, statim te falli opinaris.* SI. *Falso id opinor, scilicet.* DA. *Itaque mehercule nihil jam, ne mu quidem dicere audeo.* SI. *Hoc ego unum scio, nullam mulierem peperisse hic in domo Glycerii.* DA. *An certo scis illud? Sed, quicquid scias, tamen ancillæ Glycerii mox deponent infantem ante ostium nostrum. Id ego jam nunc tibi prædico, here, factum iri, ut certior sis, ne tu hoc postea dicas factum esse Davi suasu et fraudibus. Omnino hanc omnem suspicionem tuam a me depul-*

NOTÆ

25 *Jam mutire audeo*] Mu canum est, inquit Charisius, sicut gru porcorum: unde grunnire. Et mutiunt canes, cum incipiunt irritari.

Si. Unde id scis? Da. Audivi, et credo: multa concurrunt simul,
Qui conjecturam hanc nunc facio: jam primum hæc se e Pamphilo
Gravidam dixit esse: inventum 'st falsum: nunc, postquam videt
Nuptias domi apparari, missa est ancilla illico
Obstetricem arcessitum ad eam, et puerum ut afferret simul.
Hoc nisi fit, puerum ut tu videas, nihil moventur nuptiæ.
Si. Quid ais! cum intellexeras
Id consilii capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?

sam esse volo. Si. *Unde tu scis hanc Glycerium peperisse?* Da. *Audivi, et credo. Multa concurrunt, unde hanc conjecturam nunc facio: jam primum hæc se dixit gravidam esse ex Pamphilo. Hoc falsum esse compertum est. Nunc, postquam videt nuptias apparari domi, statim ancilla missa est ab illa Glycerio, vocatum obstetricem ad ipsam, ut simul afferret aliquem puerum suppositítium. Hoc nisi fiet, et puerum allatum videas, ab illis turbari nequeunt nuptiæ.* Si. *Quid ais? Postquam intellexeras eas id consilii capere, cur non id illico Pamphilo renun-*

delet Both.—31 *Multa concurrunt simul.* Hæc Simoni tribuit Bodl. cum editis quibusdam. *West.* Hinc usque ad vs. 36. in G. EM. ET. Simo loquitur. *Id. in Add.* Bent. Dac. Sandby, et alii verba, 'multa concurrunt ... moventur nuptiæ,' tribuunt Davo: recte. Nam, quæ hic dicuntur, Simoni non conveniunt, et a contextu abhorrent. *Zeun.* Plusculi Mss. 'multa,' &c. Simonis personæ attribuunt, at West. Par. Bent. continuatam orationem Davo dant. Probe. *Perl.* Br. et Z. dant aliter. Bruns notat: 'Nomen 'Simo' deletum, [sc. ex Br.] ut et paulo post 'Davus.' '—32 Mss. *jam prius hæc.* Lind. Sic Br. qui dat *e Pamph.* cum Perl. qui notat: 'Vetus Interp. 'Vel, Quomodo; vel, Per quæ.' Inde lectio J. probatur *Quis* pro, Quibus.' —33 *Esse* post 'est' Guelf. 3.—34 GM. post 'appar.' in marg. *a me.* Quæ lectio pars textus an glossa sit nescio. *Perl.*—35 *Afferat* Guelf. 2.—36 Hæc rursus Davo tribuit Bodl. sed et nonnulli ex impressis. *West.* Lege, *Hoc ni fit, tu puerum ut videas.* Bent. Sequitur Both.—37 Ut sit dimeter iambicus acatalectus, lege, *Quid ais? ubi intellexeras.* Bent.—38 Bodl. *Id capere consilium:* edit. 1469. *Hoc consilium capere.* West. Cum Terentii ævo et diu post *consili* dicerent, lego hic *consilium.* Sic habent omnes nostri codd. præter unum. *Bent.* *Consilium* dant Br. Perl. Sic notat Bothius; 'Vv. 488. 9. Priorem h. versuum vulgo finiunt verbo 'intellex.' Sed manifesta in his senariorum forma iambicorum: modo pro *ais* reponas *aisti*, quod agnoscit Probus. Bent. *ubi* sine auctoritate: idem *consilium*, ut plures Mss. etiam nostri:' et sic legit: *Quid aisti? cum int. id consili Capere, cur non ext. dix. P.*

NOTÆ

32 *Qui conjecturam hanc nunc facio*] 'Qui,' pro, quomodo; unde et pro omnibus casibus ponitur, apud Plautum atque alios Comicos.

Da. Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? nam omnes nos quidem
Scimus, quam misere hanc amarit: nunc sibi uxorem expetit.
Postremo id mihi da negoti: tu tamen idem has nuptias
Perge facere ita, ut facis: et id spero adjuturos Deos.
Si. Immo abi intro: ibi me opperire, et, quod parato opus est, para.
Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem.
Atque haud scio, an, quæ dixit, sint vera omnia.
Sed parvi pendo. Illud mihi multo maximum 'st,
Quod mihi pollicitus est ipsus gnatus. Nunc Chremem
Conveniam: orabo gnato uxorem: si impetro,
Quid alias malim, quam hodie has fieri nuptias?

tiasti? Da. *Quis igitur eum a Glycerio abstraxit, nisi ego? Nam certe nos quidem omnes scimus, quam perdite ille hanc amarit. Nunc sibi uxorem exoptat dari. Postremo, da mihi id negotii, ut caveatur a positione pueri ante fores tuas: tu tamen perge apparare omnia ad nuptias, ut facis; et id spero adjuturos Deos.* Si. *Immo abi intro. Ibi me expecta, et ea appara, quæ apparari opus est. Davus non persuasit mihi, ut ea, quæ dixit, omnino huic crederem: et fortasse omnia, quæ dixit, sunt vera; sed parvi hoc facio. Illud autem omnium plurimi facio, quod mihi ipse filius pollicitus est, uxorem se accepturum, quam darem. Nunc Chremetem conveniam; eum orabo ut uxorem filiam det filio meo. Id si impetro, quid malim alio tempore, quam hodie, has fieri nuptias? Nam non dubium est mihi, quin*

—40 Colloca verba ita: *Scimus, hanc quam misere amarit.* Bent. Ita dat Perl. *Miseræ* Br.—41 Bodl. non agnoscit τὸ *idem*, neque ed. 1469. *West.* *Idem* abest a G. et EM. *Id. in Add.* Lege, *Postr. id da mihi neg.* Bent. Accedunt Both. Perl. *Tantum* pro *tamen idem* Guelf. 1.—42 G. et Leidd. unus, *adjutores*, quomodo et ed. 1490. et Junt. exhibent; sed et ita in quibusdam Mss. invenerat Riv. quam lect. defendit Guy. utpote antiquam, et quæ ab antiquis libris manarit. Fa. in libris recentibus ita legi affirmat; in antiquioribus, *adjuturos.* Tr. legit, *id spero adjutores habebis Deos:* possitque videri græcissare locutio, *adjutores id*, pro, ad id. *West.* Recentes Faërni codd. et unus tantum e nostris habent *adjutores.* Male. *Bent.* Edit. *adjuturos:* quæ tanquam vera lectio in cod. superscripta est. *Bruns.*—45 Hunc vs. esse glossam censet Both. et respuit.—47 Pro *ipsus*, edidit Bent. *ipse.* Zeun. *Ipse* dant Br. Both. *Chremetem* Guelf. 2.—48 Alia distinctio est in cod. vetusto: *Conveniam: orabo: gnato uxorem si impetro.* Placet tamen Prisciani lectio, *id si impetro.* Bent. Distinctum recepi vs. a Bent. Nisi verior est distinctio hæc: *Conveniam: orabo: gnato uxorem si imp.* Lectio *id* Prisciani est ex quatuor codd. *Perl.* *Id* inserit Both.—49 *Alias* editio Hoogstratani

NOTÆ

41 *Id mihi da negoti*] Scilicet, (ut vult Donatus,) ut caveatur a positione pueri ante ostium. Alii volunt: Id mihi da negotii, ut efficiam, quo Pamphilus uxorem velit.

Nam gnatus quod pollicitus est, haud dubium est mihi,
Si nolit, quin eum merito possim cogere.
Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam.

filium possim pro patria potestate cogere, si nolit, præstare, quod mihi pollicitus est. Atque etiam opportune ecce Chremes mihi obviam venit.

omisit. *West.* *Quid alias,* h. e. cur alio tempore, repugnat sensui. Hoc enim non deliberandum est, sed optandum. Rectissime legit Horatii Schol. Acron ad Serm. I. 4. 63. *Quando alias.* Bent. Præstat cum Bent. legere *Quando alias.* R. D. Sequitur Both. *Qui* dat Perl. qui notat *Quid* legere Guelf. 1. 2. 3. Omittunt *has* J. Br.—50 *Dubium id mihi* Both. *Dub. est id mihi* Br. Notat Bothius: '*Id,* quod vulgo abest, invenitur in A, utroque Gu. et vett. edd.' Inveniri in Guelf. 2. 3. monet Perl.—52 Postquam per Synchysin duo superiores versus essent interpositi de Pamphilo, hic rursus de Chremete intelligendus. Neque adeo necesse cum Do. et Mss. quibusdam in fine vel *Chremem* addere, vel *Chremetem,* quod ex Glossa videtur additum. *West.* Pro *obviam,* quod non modo ambiguum est, quia 'ipsum' de Pamphilo accipi potest, sed et a sensu alienum, quia Simo adhuc in scena stabat, necdum Chremen conventum ierat, lege *Chremen,* quod nonnulli codd. adjiciunt. *Bent.* *Atqui* Mss. Par. Abest *in* a Guelf. 3. et Br. *Et cum* pro *eccum* dat Guelf. 3. *Chremetem* in fine addit Guelf. 2.

ACTUS III. SCENA III.

SIMO. CHREMES.

Si. Jubeo Chremetem. Ch. O! te ipsum quærebam.
Si. Et ego te. Ch. Optato advenis.
Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id viso, tun', an illi insaniant.
Si. Ausculta paucis: et quid ego te velim, et tu quod quæris, scies.

Si. *Salvere Chremetem volo.* Ch. *O! teipsum quærebam!* Si. *Et ego te.* Ch. *Optatus advenis. Aliquot me convenerunt, qui dicebant, ex te se audivisse, hodie filiam meam nubere filio tuo: ob id venio huc, ut videam, tune, an illi insaniant.* Si. *Pauca, quæ dicam, attente audi. Et cur ego te alloqui volo, et tu*

2 J. Fr. Gronov. ad Plaut. Truc. II. 6. 21. *Aliquot ad me adiere:* ex Mss. *West.* G. [Br. et ita Perl.] *Al. me adierunt.* EM. *Al. ad me adierunt.* Id. in Add. *Adiere* edidit Fa. Sed omnes, quos vidi, codd. et edd. habent *adierunt.* Recte; ut illud 'steteruntque comæ.' *Bent.* *Ad me adiere* forma antiquior et verior. *Both.*—3 *Filio tuo gnato* Guelf. 3. Alterutrum pro glossa. *Perl.* —4 *Ausculta paucis.* Ad hæc Donatus: 'Et *paucis* et *pauca* legitur.' Pr.

Ch. Ausculto: loquere quid velis.
Si. Per ego te Deos oro, et nostram amicitiam, Chreme,
Quæ, incepta a parvis, cum ætate accrevit simul;
Perque unicam gnatam tuam, et gnatum meum,
Cujus tibi potestas summa servandi datur;
Ut me adjuves in hac re: atque ita, ut nuptiæ
Fuerant futuræ, fiant. Ch. Ah, ne me obsecra:
Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.
Alium esse censes nunc me, atque olim cum dabam?
Si in rem est utrique, ut fiant, arcessi jube.

quod a me quæris, disces. Ch. *Audio. Loquere, quæ velis.* Si. *Chreme, ego te per Deos oro, et nostram amicitiam, quæ, incepta inter nos, cum parvi adhuc essemus, accrevit simul cum annis nostris crescentibus; perque unicam filiam tuam, et filium meum, cujus servandi potestas summa tibi datur; ut me adjuves in ejus salute conservanda; atque ita nuptiæ inter illum et filiam tuam fiant, quemadmodum eæ fuerant futuræ.* Ch. *Ah noli me obsecrare. Quasi hoc, si justum sit id, orando te a me impetrare oporteat. An alium me opinaris esse, atque olim eram, cum ultro filiam meam offerebam in uxorem filio tuo? Si hoc utrique nostrum utile est, ut hæ nuptiæ fiant, jube filiam meam ad eas faciendas advocari: sed, si ex ea re plus mali,*

vero Instit. Gramm. lib. XVIII. citat *Ausculta pauca,* additque: 'Sic enim habent antiqui Codices, teste Donato commentatore ejus.' Atqui hodie in Donato nihil de veteribus Codd. legitur. *West.* Ut iambus quaternarius staret, veteres magistri *pauca* substituerunt pro *paucis.* Sed nostri codd. omnes habent *paucis.* Totus versus sic constituendus est: *Ausculta: paucis et quid te ego velim et quod tu quæris scies.* Bentleius. *Ausculta paucis.* Sic potius legendum, quam *Ausculta pauca.* *Paucis* Bent. jungit cum 'scies.' *R. D.* *Ausculta! paucis, et* Z. Nostram interpunctionem rectam censet Perl.—6 Quinque e nostris habent *Per ego te Deos:* repone *Per te ego Deos.* Bent. Sic reposuit Both. *Per te Deos o.* Z.—8 *Nostrum* pro *meum* Guelf. 1.—10 Lege cum R. *atque ita uti.* Bent. *Uti* dant Perl. Both.—14 Riv. ex Mss. Terentii et Donati citat, *in re.* Probam esse lect. *in rem* patet ex Hec. I. 2. 27. ET. et EM. tamen *in re.* *Arcessi* in Mss. veteribus omnibus Terentianis et Virgilianis legi testatur Pierius ad Virg. Æn. x. 11. De hac voce Bœclerus ita in Chrestomathia: 'Qui pro *accerso* ubique *arcesso* substituere, atque ex duobus vocabulis unum facere studuerunt, tot optimorum manuscriptorum codicum, denique Grammaticorum veterum auctoritate pridem refelluntur.' Vossius vero in Etymologico *τὸ accerso* nec Latinum pronuntiat. Vide

NOTÆ

6 *Per ego te Deos oro*] 'Per' in obtestationibus et adjurationibus solet separari a suo accusativo, interjecto nominativo, qui sæpissime est 'ego,' ut scribit Valla. Virgil. IV. Æn. 'Mene fugis? per ego has lacrymas dextramque tuam te.' Seneca in Agamemnone: 'Per te parentis memoriam obtestor mei.' Plaut. in Menæch. Act. v. 'Per ego vobis Deos atque homines dico.' Idem in Bacchid. Act. v. Sc. 5. Festus: 'Ob vos sacro, in quibusdam precationibus est, pro, vos obsecro: ut et, sub vos placo, pro, supplico.'

Sed, si ex ea re plus mali 'st, quam commodi
Utrique, id oro te, in commune ut consulas:
Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.
SI. Immo ita volo, itaque postulo, ut fiat, Chreme:
Neque postulem abs te, nisi ipsa res moneat. CH. Quid est?
SI. Iræ sunt inter Glycerium et gnatum. CH. Audio.
SI. Ita magnæ, ut sperem posse avelli. CH. Fabulæ.
SI. Profecto sic est. CH. Sic hercle, ut dicam tibi:
Amantium iræ, amoris integratio 'st.
SI. Hem, id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,
Dumque ejus libido occlusa 'st contumeliis:
Prius quam harum scelera, et lacrumæ confictæ dolis,
Reducant animum ægrotum ad misericordiam,
Uxorem demus: spero consuetudine
Et conjugio liberali devinctum, Chreme,

quam commodi utrique plus eventurum est, id oro te, ut mei tuique rationem æque habeas, tanquam filia mea tua sit, et filius tuus meus. SI. *Quin ego ita volo ut dicis; itaque ut fiat postulo, Chreme; neque id a te postulare velim, nisi re ipsa præsens occasio id suadeat.* CH. *Quid est?* SI. *Iræ sunt inter Glycerium et Pamphilum.* CH. *Audio vero.* SI. *Ita graves, ut sperem filium hunc ab illa posse abstrahi.* CH. *Fabulæ meræ.* SI. *Profecto sic est, ut dico.* CH. *Sic etiam est ut dicam tibi: Amantium iræ, amoris instauratio est.* SI. *Hem, id te oro, ut malo occurramus, dum se dat occasio opportuna; dumque ejus libido repressa est injuriis acceptis; priusquam harum mulierum fallaciæ et lacrymæ simulatæ reducant ejus animum, ægrum amore, ad misericordiam: uxorem illi demus filiam tuam. Ego spero illum, Chreme, ingenuæ uxoris conversatione, et conjugio de-*

porro Fabri Thesaur. v. 'Arcesso.' *West.* Nonnulli libri cum Donato legunt *in re.* Sed placet lectio Eugraphii, *Si in rem est utrique, fiunt, arcessi jube.* Bent. Scribe *arcessi*, ab antiquo 'arcio.' V. Cellarii Orthogr. *Zeun.* —15 *Boni* pro *comm.* Guelf. 3.—16 Ne lege cum plerisque codd. *id te oro*, ne suspendatur synalœpha. Donatus legit *in commune consule*, quod parum refert. *Bent.* *Commodi, Utrique id* Br.—17 Cod. academicus: *Pamphiloque*; nescio an verius. *Bent.* Recte Bent. præfert Mss. lectionem *Pamphiloque.* R. D. Insertum est contextui ab alia manu *Si:* male. *Bruns.*—19 Ut medearis versui, lege cum codd. quibusdam *ni ipsa.* Bent. Morem gerunt Both. Perl.—23 In quibusd. Codd. est *reint.* in aliis *redint.* West. Servius et Acron habent *redint.* Charisius *reint.* Nostri codd. cum Donato et antiquis Faërni libris *integratio.* Recte. Deinde venustius erit, si, deleto *est*, in fine versus ponas *hem*, quod vulgo principium sequentis occupat. *Bent.* *Integratio.* In nonnullis edd. legitur *redint.* repugnante metro. *R. D.* *Hem* prorsus omittit Br. *Integr. am.* Guelf. 2. *Iræ am. int. am. est* 3.—25 *Lubido* Bent. Both. Perl.—27 Alii *Reducant*, sed nostri omnes, et quidam antiqui Faërni habent *Reducunt.* Recte. *Bent.* *Reducunt* Both. Perl.—28 Finit particula 'et' Bent. versum. Sic Mur. Er. Bip. Sed incipiunt vulgo ead. sequentem. *Perl.* qui cum Both. Z. et Br. incipiunt seq.

Dein facile ex illis sese emersurum malis.
CH. Tibi ita hoc videtur: at ego non posse arbitror,
Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.
SI. Qui scis ergo istuc, nisi periculum feceris?
CH. At istuc periculum in filia fieri, grave est.
SI. Nempe incommoditas denique huc omnis redit:
Si eveniat, quod Di prohibeant, discessio.
At, si corrigitur, quot commoditates, vide.
Principio, amico filium restitueris:
Tibi generum firmum, et filiæ invenies virum.
CH. Quid istuc? si ita istuc animum induxti esse utile,
Nolo tibi ullum commodum in me claudier.
SI. Merito te semper maxumi feci, Chreme.
CH. Sed quid ais? SI. Quid? CH. Qui scis eos nunc discordare inter se?

vinctum, deinde facile ex illis malis et perdito amore se expediturum. CH. *Ita tibi videtur; at ego non arbitror eum posse inde facile emergere, neque filiam meam perpetuo habere conjugem, neque me perpeti ei superinduci amicam ab illo.* SI. *Quomodo igitur id scis, nisi expertus sis?* CH. *At istud experiri in filia difficile et molestum est.* SI. *Nempe incommoditas in summa huc omnis recidit; si eveniat, quod Dii avertant, inter eos separatio: si vero corrigitur et resipiscit, vide quot commoditates inde nascentur: primum amico filium restitueris, tibi generum firmum et filiæ maritum invenies.* CH. *Quid istud? fiat ut petis. Si id tibi persuasisti esse utile, nolo tibi ullum commodum in me claudi et auferri.* SI. *Merito te semper, ut amicum verum, maximi feci, Chreme.* CH. *Sed quid ais?* SI. *Quid quæris?* CH. *Unde scis Pamphilum et Glycerium nunc inter se dissidere, et dis-*

vs. cum 'Conjugio.'—29 R. *divinctum, Chremes.* Lind. Alii *devictum*; sed antiqua et melior lectio *devinctum.* Bent.—30 Pro *emensurum* edit. Schmieder. lege *emersurum.* Lenz. Alii *Dehinc*, sed aliquot libri Faërni, in his V. et nostri, Riviique unus habent *Dein.* Recte. *Bent.* *Dehinc* Guelf. 1. *Se* 3. —33 Non procedat oratio, nisi pro *scis* reposueris *scias*, quod sæpe apud Nostrum et Plautum est monosyllabon. *Bent.*—36 *Discensio* Guelf. 1.—37 Leidd. unus: *At si corrigat se.* Mss. quidam, *quot commoditates inde, vide.* West. *Corrigitur* vetustiores: alii *corrigatur*, vel *corrigetur.* Si hoc arridet, tum lege *Sin corrigatur.* Bent. *Corrigetur* Br. *Inde* pro *vide* Guelf. 2.—38 *Amicum* Br. quod correctum fuit in *amico.*—39 Vetustiores nostri, *invenias:* recte; ob antecedens 'restitueris.' *Bent.* Sic dant Both. Perl.—40 Faërni libri antiqui et nostri omnes recte habent *Quid istic?* Bent. Sic

NOTÆ

40 *Quid istuc*] Verbum hoc post multas preces assensionem significat. Sic Heautontim. 'Quid istuc? quandoquidem ducenda est, ego abeo propemodum, quam volo.' Et in Adelph. 'Quid istuc? dabitur quidem, quando hic volt.'

SI. Ipsus mihi Davos, qui intimus est eorum consiliis, dixit.
Et is mihi suadet, nuptias quantum queam, ut maturem.
Num censes faceret, filium nisi sciret eadem hæc velle?
Tute adeo jam ejus verba audies. Heus, evocate huc Davom.
Atque eccum: video ipsum foras exire.

cordare? SI. *Ipse Davus, qui interiora eorum consilia novit, id mihi dixit: et is mihi suadet ut nuptias accelerem, quam maxime possum. Putasne, id mihi suaderet, nisi sciret filium meum hæc eadem velle? Tu ipse jam ejus verba audies. Heus accersite ad me Davum. Sed ecce video ipsum prodire domo.*

dant Br. Both. Perl. Z. *Si* abest a Guelf. 2.—41 Pro *in me claudier* sensus postulat *intercludier*. Bent. Accedunt Both. Perl. *Calvier* Par. Mss. *In me claud.* esse in Guelferbyt. 2. notat Perl. 'Pro *incomm.* edit. Schmieder. legendum *commodum*.' Lenz.—42 G. EM. *maximum*. West. Sic et Guelf. 2. *Maxume* Br.—43 *Ais*. Superscriptum g, quasi legend. esset *agis*. Bruns. Abest *nunc* a Guelf. 2.—44 *Cons. eorum* uterque Gu. recte. *Both.*—45 Mss. quidam, *persuadet*. Ita et Junt. cum quibusdam veteribus aliis. Sic Br.—47 Versus gratia Fa. cum R. Stephano, auctoritate unius cod. recte 'verba' postposuit τῷ 'audies:' nisi pro *evocate* malueris legere *vocate*. Bent. Postponit et Br.—48 *Sed*. Alias *Atque*. Er. *Atque* Fa. et Bent. codd. In l. antiq. *Sed* pro *Atque*. Perl. Τὸ *ipsum* in R. non est. *Lind.* *Eum* J. pro *ipsum*. Br. et Both. non distinguunt post 'eccum.'

NOTÆ

47 *Adeo*] Sæpe sumitur pro, quoque; ut hic.

48 *Eccum*] Pro, ecce eum, Veteres dixerunt; et 'ellum,' pro, ecce illum.

ACTUS III. SCENA IV.

DAVUS. SIMO. CHREMES.

DA. AD te ibam. SI. Quidnam est?
DA. Cur non arcessitur? jam advesperascit. SI. Audin' tu illum?

DA. *Ad te ibam, here!* SI. *Quidnam est?* DA. *Cur Philumena, desponsa uxor Pamphilo, non accersitur? Jam vespera prope est.* SI. *Audisne tu illum,*

2 *Cur uxor.* Uxor redundat in versu, et videtur additum ab interprete. *Er.* Bodl. *Cur uxor non.* Quomodo et Junt. legit, et Ven. 1490. *West.* G.

Ego dudum nonnihil veritus sum, Dave, abs te, ne faceres idem,
Quod vulgus servorum solet, dolis ut me deluderes,
Propterea quod amat filius. DA. Egon' istuc facerem? SI. Credidi.
Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam. DA. Quid? SI. Scies:
Nam propemodum habeo tibi jam fidem. DA. Tandem cognosti qui siem.
SI. Non fuerant nuptiæ futuræ. DA. Quid? non? SI. Sed ea gratia
Simulavi, vos ut pertentarem. DA. Quid ais! SI. Sic res est. DA. Vide!
Nunquam istuc quivi ego intelligere: vah! consilium callidum.

Chreme. Ego jam pridem, Dave, a te id veritus sum; ne faceres idem, quod plerique servi facere solent: ut me dolis deluderes, propterea quod amat filius, cui ad amorem magister fueras. DA. *Egone id facerem in te?* SI. *Id credidi, atque etiam id metuens, quod nunc dicam, te et Pamphilum celavi.* DA. *Quid est?* SI. *Scies; nam prope tibi jam credo.* DA. *Tandem, qui sim, cognovisti.* SI. *Nuptiæ, quas dicebam me parare, non fuerant futuræ.* DA. *Quid? non?* SI. *Sed ea de causa simulavi eas mox faciendas, ut vos, quid animi haberetis ad eas, explorarem.* DA. *Quid ais?* SI. *Sic res se habet.* DA. *Vide. Nunquam ego intelligere potui te id simulare. Vah consilium prudens et cautum!* SI. *Audi: postquam*

EM. *Cur uxor non.* Sed Er. et G. F. recidunt τὸ *uxor*. Id. in Add. Hic versus diu vexavit interpretes, jam ab Erasmi ætate. Sed tolle illud *tu illum*, et iambicum tetrametrum habebis, quales sex priores. *Bent.* Accedunt Perl. Both. qui cum Bent. et Z. retinent τὸ *uxor:* ut et Br. qui legit *accersitur* cum Bent.—3 Ne 'Dave' in Thesi pæne sit mutum, loca post 'abs te.' *Bent.* Ita dant Both. Perl.—6 Plusculi Mss. et editorum probatissimi legunt, *Quid est?* Metrum postulat *Quid?* West. qui monet in Addendis G. ET. EM. legere *Quid est?* Absunt verba huj. vs. post 'dicam' a Guelf. 2.—7 Alii cum Do. *habeo jam tibi*. West. Illud *tibi*, quod versum adeo deformat, non est cum Faërno e quibusdam codd. evocandum. Ceterum, cum 'Tandem' habeat ictum in secunda, lege cum interrogatione, *Tandem cognosti qui siem?* Bent. Omnino sequitur Perl. Eo Bothius, ut omittat *tibi*. *Jam* pro *Nam* Guelf. 2.—10 Ut ictus sit in 'ego,' pone cum uno cod. *istuc*

NOTÆ

2 *Jam advesperascit*] Ex ritu nuptiarum hoc dictum est. Noctu enim uxor ducebatur in domum mariti, prælatis facibus.

10 *Vah*] Interjectio est lætantis, irridentis, insultantis, mirantis, et blandientis, qualis hic est.

SI. Hoc audi: ut hinc te introire jussi, opportune hinc fit mihi obviam.

DA. Hem! numnam periimus? SI. Narro huic, quæ tu dudum narrasti mihi.

DA. Quidnam audio! SI. Gnatam ut det oro, vixque id exoro. DA. Occidi.

SI. Hem! quid dixti? DA. Optume inquam factum! SI. Nunc per hunc nulla 'st mora.

CH. Domum modo ibo; ut apparentur, dicam: atque huc renuntio.

SI. Nunc te oro, Dave, quoniam solus mihi effecisti has nuptias.

DA. Ego vero solus. SI. Corrigere mihi gnatum porro enitere.

DA. Faciam hercle sedulo. SI. Potes nunc, dum animus irritatus est.

hinc te jussi introire domum, opportune Chremes mihi fit obviam. DA. *Hem!* *nonne periimus?* SI. *Tunc narravi illi, quæ tu pridem dixisti mihi.* DA. *Quidnam ego audio?* SI. *Filiam ut det filio meo, oro; idque ægre precibus ab eo impetro.* DA. *Interii.* SI. *Hem! quid dixisti?* DA. *Optime, inquam, fecisti.* SI. *Nunc per Chremetem nulla dilatio est, quin nuptiæ fiant.* CH. *Domum modo ibo: ut nuptiæ apparentur dicam; atque ad vos, quid actum fuerit, celeriter renuntiabo.* SI. *Nunc te oro, Dave, quoniam solus mihi tuo consilio effecisti, ut hæ nuptiæ peragerentur.* DA. *Ego vero solus id quidem feci.* SI. *Posthac labora filium meum emendare.* DA. *Dabo sedulo operam, ut hoc faciam.* SI. *Potes nunc, dum animus ejus ira commotus est in Glycerium.* DA. *Fiet. Quiescas.* SI. *Age*

ego quivi. Bent. Sequuntur Both. Perl.—11 Al. *oportuit me.* Br. ad vocem 'opport.' Hæc glossa, ait Bruns, me valde mirum capit.—12 *Narro quæ, &c.* Alias *Narro huic.* Er. Versus gratia illud 'Hem' priori versui appone. *Bent.* Sic ediderunt Both. Perl. *Narra* Br. Guelf. 2. Vel *Narro,* ait glossa in Br. Atque hæc lectio vera, ait Bruns, est in edit.—13 Lege *audiam* in futuro ob sensum. *Bent.* Ita legunt Both. Perl. *Is* ante *gnatam* dat Br.—14 Τὸ *Hem* in R. deest. *Lind.* Lege *quid dixisti,* uti unus cod. primariæ notæ habet; atque *Hem* priori versui appone. *Bent.* cui imperanti paret Perl. *Factum est* Guelf. 2.—15 Sunt Mss. et editi veteres, in quibus est, *apparetur,* impersonaliter. *West.* Illud *apparentur,* sc. nuptiæ, est ineptum. Repone *apparetur,* impersonaliter. *Bent.* Sequitur Both. *Huic* pro *huc* Guelf. 2.—16 *Fecisti* Guelf. 3.—17 *Solus!* Both. *Solus?* Br. Perl. *Corrige* Br. qui leviter pungit post 'gnatum.' '*Natum* Guelf. 3. Sic cor-

NOTÆ

12 *Hem! numnam periimus*] Interjectio metuentis: et hoc summisse Davus dicit.

17 *Ego vero solus*] Est repetitio secum irascentis.

DA. Quiescas. SI. Age igitur, ubi nunc est ipsus? DA. Mirum ni domi 'st.

SI. Ibo ad eum, atque eadem hæc, quæ tibi dixi, dicam itidem illi. DA. Nullus sum.

Quid causæ 'st, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?

Nihil est preci loci relictum. Jam perturbavi omnia:

Herum fefelli; in nuptias conjeci herilem filium;

Feci hodie ut fierent, insperante hoc, atque invito Pamphilo.

Hem astutias! Quod si quiessem, nihil evenisset mali.

Sed eccum ipsum video. Occidi.

Utinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me præcipitem darem.

igitur. Ubi nunc ipse est Pamphilus? DA. *Mirum, si alibi est quam domi.* SI. *Ibo ad eum, atque eadem hæc, quæ dixi tibi, similiter illi dicam.* DA. *Omnino de me actum est. Quæ causa impedit, quin recta via proficiscar in pistrinum? Nullus precibus locus relictus est, quibus veniam impetrem. Omnia turbis permiscui; herum fefelli Simonem, ejus filium in nuptias præcipitavi, feci ut illæ fierent, nullo modo hanc rem sperante ac nolente Pamphilo. O subtiles astutias! quod si nihil movissem, et quietus sedissem, nihil accidisset mali: sed ecce Pamphilum ipsum video. Funditus perii. Utinam hic esset aliquod præcipitium in quod me dejicerem.*

rect. ex *natam.*' Perl.—20 *Dicam eadem illi.* R. *dicam idem illi.* Lind. Ut 'tibi' et 'illi' sit in ictu, præferenda est lectio unius cod. *tibi, quæ dixi, dicam itidem illi.* Bent. Sic dant Both. Perl. *Ibidem* Br. si Bruns recte notavit. Sed aliter sentio, cum glossa in Br. sit 'similiter.' *Hæc* abest a Guelf. 2.—22 *Tam* pro *Jam* Both.—25 Mss. plusculi cum Eug. legunt *astutia.* West. *Astutia* R. [et Br.] *Lind.* Al. *Em,* in fine prioris vs. *Perl.* Sic Br. Sed in fine prioris versus *Hem* dat Z. *Qui* pro *Quod* Br. *Hem astutia mea* Guelf. 2.—27 Versus hic Guyeto spurius, et Terentio indignus videtur, nulla addita ratione. Forte offendit illud 'quo.' Causa nulla est, quare loco moveatur versus, cum et Donatus agnoscat, et Mss. tueantur, et sententia sit apta desperanti, adeoque perturbato, ut, quid diceret, vix cogitaret. *West.* *Me nunc.* Sic invertit Bent. Hic vs. Guyeto subdititius esse videtur. Aliter Priscianus, qui, de metro disserens, hunc vs. contendit nihil referre, utrum per iambos an per trochæos metiamur. *Perl.*

ACTUS III. SCENA V.

PAMPHILUS. DAVUS.

PA. UBI illic est scelus, qui me perdidit? DA. Perii. PA. Atque hoc confiteor,
Jure mihi obtigisse, quandoquidem tam iners, tam nulli consilii
Sum. Servon' fortunas meas me commisisse futili?
Ergo pretium ob stultitiam fero: sed inultum nunquam id auferet.
DA. Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si hoc devito malum.
PA. Nam quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo

PA. *Ubi est sceleratus ille qui me perdidit?* DA. *Perii.* PA. *Atque hoc, confiteor, merito meo mihi accidisse; quandoquidem tam stolidus et imprudens sum. An oportuit fortunas meas me committere servo, levi, et garrulo? Ergo præmium fero stultitiæ meæ: sed impune id nunquam feret.* DA. *Si hoc periculum, quod imminet, nunc evito; sat scio, me posthac ab alio quovis liberum fore.* PA. *Sed quid ego nunc dicam patri? negabone me velle uxorem, qui modo pollicitus sum me*

1 *Ubi est il. sc. G. West.* Multi codd. addunt *hodie*, quod postea librarii, ut metro consulerent, ejecerunt, et interpolarunt *perdidit*; quod si abest, fit aposiopesis, quæ iracundo convenit: ut illud, 'Quos ego.' Deinde 'Perii' non est Davi, sed ipsius Pamphili. Denique illud 'Jure' appone huic ipsi versui primo. Igitur lege, *Ubi illic est? scelus, qui me hodie: perii: atque hoc confiteor jure.* Bent. Sequuntur Both. et Perl. nisi quod ille non interpungit post 'est.' *Perdidit* post *hodie* Guelf. 1. *Perdidit*, omisso *hodie* 2. *Perdidit* post 'me' 3.—2 *Nullius* Br. et cod. Romanus. Punctum maximum exhibet Br. post 'obtigisse.'—3 *Futuli* M. *West.* *Sum* ad finem prioris vs. transponunt Bent. Perl. Omittunt Gu. 2. et Both.—4 F. H. vel *Ego pr. ob st. f.* legend. vel in *Ergo* pyrrhichium statuend. præcipit. Quorum neutrum se satis approbat. Alii *a me auferet:* sine dubio perperam. *West.* Lege ex vett. edd. et uno cod. regio, *sed inultum id nunquam a me auferet.* Bent. Bent. *a me.* Itidem GM. *Perl.* Bentleium omnino sequitur Both. nisi quod dat *En* pro

NOTÆ

1 *Ubi illic est scelus*] 'Illic' pronomen est comicum, et tritum usu vulgi. 'Scelus' pro scelesto. Sic Græci substantivo utuntur pro adjectivo. Dicitur 'ille scelus,' relatione non ad vocem 'scelus,' sed ad rem significatam, scilicet Davum.

2 *Tam nulli consilii*] Priscianus tradit in Institutionibus Grammaticis octo illa nomina, unus, ullus, uter, nullus, totus, solus, alius, et alter, Veteres inflectere consuevisse ut alia nomina primæ et secundæ declinationis.

Qui sum pollicitus, ducere? qua fiducia id facere audeam?
Nec, quid me nunc faciam, scio. DA. Nec quid de me: atque id ago sedulo.
Dicam, aliquid jam inventurum, ut huic malo aliquam producam moram.
PA. Ohe. DA. Visus sum. PA. Ehodum, bone vir, quid ais? viden' me tuis consiliis
Miserum impeditum esse? DA. At jam expediam. PA. Expedies? DA. Certe, Pamphile.
PA. Nempe ut modo. DA. Immo melius, spero. PA. Oh, tibi ego ut credam, furcifer?

ipsi obsecuturum? Qua confidentia id facere audeam? Nec, quid nunc de me faciam, scio. DA. *Nec ego quoque, quid de me faciam: etsi ego id ago diligenter, ut sciam quid de me facere possim. Dicam Pamphilo me aliquid jam inventurum, ut huic malo nuptiarum aliquam dilationem temporis afferam.* PA. *Oh.* DA. *Visus sum a Pamphilo.* PA. *Ehodum, bone vir, quid ais? Videsne me miserum esse impeditum tuis consiliis, quibus me in has nuptias conjecisti?* DA. *At jam expediam.* PA. *Expedies?* DA. *Certe id efficiam, Pamphile.* PA. *Nempe ut modo expedivisti.* DA. *Immo melius, ut spero.* PA. *Oh furcifer! Egone tibi credam?*

Ego Bentleii.—6 *Nam.* Sic Do. Al. *Sed.* Perl. Punctum, quod edd. dant post 'me,' Br. dat post 'modo.'—7 *Sum pollicitus ducere.* Ita vulgo junctim editur. Clarior vero erit sententia, et propior ad mentem Terentii, commate inserto post 'pollicitus.' *West.* Junctum edunt Bent. Both. Perl. cum Br. Ad vocem 'fiducia' sic notat Bruns: 'Litura post hanc vocem, et vestigia supersunt vocis *facere*, quam præferunt editt.'—8 *Nec quid de me.* Ita exhibent pleræque editiones. Aliæ, *nec quidem me.* Rursus aliæ, in quibus est Juntina: *nec me quidem.* Elegantius erit, si repetantur Pamphili verba, sine ulla immutatione. Id vidit Guy. rescribens: *Nec quid me nunc faciam, scio.* DA. *Nec quid me.* M. et ed. Ven. 1490. *Nec quid de me nunc faciam, scio.* DA. *Nec quid de me.* Magis comicum videtur absolutum *me.* West. Lege *Nec quid me, a. i.* Venustas a repetitione tota est. *Bent.* *Nec de me equidem* Mur. et Sandby. *Nec quid me; at id* Both. *Nec de me et equidem* J. Bentleium sequitur Perl. *Nec quidem me, atque id* Br. Z. *Nec* abest a Guelf. 2. quem cum Guelf. 3. legere *de me* monet Perl.—9 R. *Dicam aliquid me inveni.* Lind. Pro *jam* habent *me* V. Bas. et duo e nostris veterrimi: recte. *Bent.* Fa. ex libb. *jam me.* Perl. qui sequitur Bentleium. *Me jam* Br. *Me* male abesse ab edd. censet Bruns. Ceterum notat glossa in Br. ad vocem 'moram:' 'Vel?' Interrogatio, ait Bruns, convenit consilio ancipiti quo se hærere aiebat.—10 Pro *Ohe* scribe *Oh*, atque *agis*, quod duo codd. habent, pro *ais*, ut *quid agis?* sit ipsa ironia, sicut 'bone vir.' *Bent.* Ad vocem *Ohe* Perl. notat: 'Var. in libb. *Ohe, Oh, Heo, Ehodum.*' *Oh* dat Both. *agis* Perl. Pro *Ohe* habet Br. *Heo*, et pro *Ehodum* habet *Heo dum.* '*Ais* pro *agis* Guelf. 3. Ita centies.' *Perl.*—11 *Misere* dat Both.—12 *Hoc*

NOTÆ

10 *Ehodum*] Interjectio ad se vocantis.

12 *Oh*] Admirantis est, cum contemtu, ut mox infra: 'Oh! tibi ego ut credam, furcifer?'

Tu rem impeditam et perditam restituas? hem! quo fretus siem,
Qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias.
An non dixi hoc esse futurum? DA. Dixti. PA. Quid meritus? DA. Crucem.
Sed sine paululum ad me redeam: jam aliquid dispiciam. PA. Hei mihi.
Cur non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut volo?
Namque hoc tempus, præcavere mihi me, haud te ulcisci, sinit.

Tu rem tot difficultatibus implicatam et desperatam restituere poteris? Hem, quo homine innixus sum, qui me hodie ex tranquillissimo statu in has nuptias molestas conjecisti! Annon dixi hoc malum eventurum esse? DA. *Dixisti.* PA. *Qua pæna dignus es?* DA. *Cruce. Sed paululum permitte ut recipiam animum: jam aliquod consilium disquiram.* PA. *Hei mihi! cur non habeo spatium temporis ad te puniendum, ut volo? nam hoc breve tempus permittit mihi consulere rebus meis, non de te pænas sumere.*

tibi G. ET. *West.* A, B, uterque Gu. et Hel. *Hoc* exhibent pro *Oh.* Nil muto. *Both.*—13 Mss. quidam, *fretus sum:* fortasse rectius. Er. τὸ *hem* extra metrum esse additum autumat. *West.* Versus exigit *sim* pro *siem.* Bent. Sic dant Perl. Both. *Restitues* Guelf. 2.—15 Scribendum est *meritu's,* ut *es* cum *meritus* coalescat. *Bent.* Aliqui libb. iique antiquiores, ut Fa. commemorat, non habent verb. *es,* nec Do. quidem. At Bent. invenit *es* in suis libb. sed monet scribend. *meritu's.* Quanquam C. G. I. qui leg. *meritus,* hab. a manu sec. ascripta hæc; Participia pro verbis ponunt Attici: quod frequenter Latini faciunt. *Perl.* qui Bent. sequitur. *Ego* post 'dixi' Guelf. 3.—16 L. antiq. *paul. sine.* Vulg. *ut redeam.* Abest *ut* a mult. libb. Id quod more Terent. obvium est fere ubique. *Perl.*—17 Leidd. unus; *Quod non h.* Guy. malebat, *Cum non h.* quomodo etiam est in Tr. et edd. quibusdam vetustis. *West.* Unus e nostris recentior *Cur non h.* Retineri potest vulgare *Cum.* Bent. *Cur,* quod præferunt A, B, Gu. 2. Hel. non mihi magis recipiend. videtur quam Anglo erudito. *Both.* *Cum* dant Br. Z. Perl.—18 In ed. 1469. est: *Namque hoc tempus præcavere mihi me monet, haud te ulcisci sinit.* Ex glossa scilicet. *West.* *Sinit* cum turbet sensum, audacter repone *monet.* Bent. *Monet* Pal. Glossam sapit. *Perl. ad vocem 'præcav.' Mihi, me haud* Br.

ACTUS IV. SCENA I.

CHARINUS. PAMPHILUS. DAVUS.

CH. HOCCIN' est credibile, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua ut comparent commoda? ah!
Idne 'st verum? immo id est genus hominum pessimum,
In denegando modo quis pudor paululum adest:
Post, ubi tempus promissa est jam perfici,

CH. *Hocne credi aut verbis exprimi potest, ut tanta vesania cuiquam a natura insita sit; ut malis gaudeat aliorum, atque ex incommodis sua capiat commoda? Ah, idne est verum? certe genus id hominum est deterrimum. Si quid rogentur, tunc his tantummodo paululum in denegando pudoris est: postea, ubi tempus est id, quod promiserunt, præstari, tunc necessario animum detegunt, audendo cum timore*

1 Ut versus constet totus e dactylis, legi debet *Hoccine credibile;* quæ lectio reperitur in cod. Academico Prisciani 900. annorum. *Bent.* Sic Gov. et Both.—3 Mss. quidam, *gaudeat.* Et mox, *comparet.* Ita et cum Junt. nonnullæ edd. vetustæ, etiam anni 1469. *West.* G. ET. EM. *gaudeat* et *comparet:* pro quo tamen in EM. est *computet.* Id. in Add. *Gaudeat* R. *Lind.* Do. V. Bas. et unus e nostris habent recte *gaudeant, comparent.* Alii *gaudeat, comparet.* Bent. *Gaudeant* ex melioribus libris legendum pro *gaudeat.* R. D. *Gaudeat* GM. *Perl. Gaudeat alienis atque* Br. Notat Bruns: '*Alienis* superscriptum non literis, quibus glossæ exarari solent, sed majoribus.'—4 *Ut comparet comm.* R. *Lind.* *Comparet* Br. *Uti* Gov.—5 Both. legit *Idne vero? immo id est pessumum h. g.*—6 Pet. recte legit *paulum,* ut creticus fiat. Atque *in* appone superiori versui. *Bent.* *In* omittit Both. dividit *deneg.* in *De neg.* et dat *paulum.* In fine huj. vs. notat glossa in Br. 'Vel?' De quo ita Bruns: 'Non cepit mentem Poëtæ, qui interrogat.—7 Antiqui libri, cum quibus Do. con-

NOTÆ

3 *Ut malis gaudeant*] Alii, *gaudeat* legunt. Si *gaudeant* legas, cum Terentius dixisset 'cuiquam,' numerus erit pluralis pro singulari: ut alibi idem Poëta: 'Si quisquam est, qui *placere se studeat* bonis Quamplurimis, et minime multos lædere: In his Poëta nomen profitetur suum.' Sic Plaut. in Curcul. Act. I. Sc. 5. 'Sua quisque habeant, quod suum est.' Virg. 'Quisque suos patimur manes.' Iterum Plaut. in Captivis: 'Ubi quisque vident, eunt obviam:' sunt enim signa universalia 'quisque,' 'quisquam,' 'quicumque.'

6 *Denegando modo quis pudor p. a.* [*est paululum*] Don. *queis pudor paululum adest.* Et hic est sensus: Quibus pudor solummodo adest in denegando ea, quæ ab his petuntur: postquam polliciti sunt, et tempus est promissa perfici, tunc necessario se aperiunt, timide tamen: sed res, quam promissam dare nolunt, cogit eos hanc denegare.

Tum coacti, necessario se aperiunt:
Et timent: et tamen res cogit denegare.
Ibi tum eorum impudentissima oratio est:
Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi?
Heus, proximus sum egomet mihi. Attamen ubi fides?
Si roges, nihil pudet: hic, ubi opus est,
Non verentur: illic, ubi nihil opus est, ibi verentur.
Sed quid agam? adeamne ad eum, et cum eo injuriam hanc expostulem?

quodam; et tamen, pudore abjecto, res petita, quam dare nolunt, cogit eos denegare. Tunc eorum oratio impudentissima talis est: Quis tu es? Qua necessitudine mihi conjunctus? Cur meam rem tibi dem? Heus, licet mihi sis proximus, tamen ipse mihi sum proximior. Quod si eos roges: Ubi est fides quam mihi dederas? tunc nullo pudore afficiuntur. Hic, ubi opus est, postquam jam promiserunt, vereri fidem datam frangere, non verentur: illic, ubi nihil opus est, vereri petita denegare: cum nondum promiserunt, ibi verentur. Sed quid agam? adeamne Pamphilum? et cum eo conquerar de injuria, quam mihi facit, accipiens Phi-

cordat, omittunt *est*. Bent. qui cum Br. et Both. id omittunt. *Est prom.* Z.—8 *Coacti* omittit Gov. et vult *aperiunt, timent, et cogit res eos Tum deneg.* Illa verba *Et timent* ad finem huj. vs. transfert Z.—9 *Cogit.* Alias *premit.* Deest aliquid metro. *Er.* Variant Mss. et editi. In quibusdam, *res premit denegare*; in aliis, *res premit eos denegare.* Sed nescio quomodo non placet τὸ *premit*; primum, quod Terentianum non est; tum, quod Antesignanus, editor ἀκριβέστατος, exhibuit *cogit*; denique quod hæc vox elegantius infertur post τὸ 'coacti.' M. *res cogit ea eos denegare.* Ed. 1469. *res eorum premit.* West. *Et tamen res eos premit denegare* G. Schottus Nod. IV. 18. mavult *tandem* pro *tamen.* Id. in Add. *Premit* R. ut et in aliis vett. *Lind.* Fa. in Vi. pro *cogit* invenit *premit*: quod recepit Bent. consentientibus suis. *Zeun. Premit* Br. Notat Bruns: 'Superscriptum 'vel pro,' quod non intelligo. Nam *promit* plane huc non quadrat.' 'GM. sup. script. *cogit.*' Perl. qui dat *premit* cum Both. Hic τὸ 're' in fine ultimi verbi huj. vs. transfert in vs. sequentem. *Premit eos* Guelf. 1. 2. habere monet Perl.—11 Post 'tu' pone *homo*, et post 'cur' desiderat versus *ego.* Bent. *Cum* pro *cur* habet Z. Sic legit hunc et seq. vs. Bothius: *Tu quis es? quis mihi es? cur tibi meam? heus, mihi Proxumus sum egomet! Attamen ubinam fides?*—12 *Ubi fides?* Cum interrogationis nota expressi, quod emphasis dicti id requirere videretur. *West. Ubi fides, Si roges? nihil* Br. De hoc sic Bruns: 'Edit. ponunt signum interrog. post 'fides.' Sic fortasse olim in Ms. sed mutatum, ut expressimus, neque id male.' '*Heus* pertinet ad finem antecedentis.' *Bent.* '*Heus* Bip. priori vers. annectunt, Muretum secuti.' *Perl. Fides est* Guelf. 2.—13 Scribe *pudent*, quod est antiquum. Constitue versum sic: *attamen, ubi fides, Si roges, nil pudent, hic ubi opust: illic ubi Nil opust, ibi verentur.* Bent. Sic Bothius: *Si roges, nil pudent: Hic, ubi opus est, non verentur; illi, ubi nil opus, ibi verentur.* '*Pudet.* Al. add. *illos.*' Perl.—14 Illud *Non verentur*, quod in perantiquo nostro, in regio ap. Lind. et apud Eug. abest, dele. *Bent. Non. Illic* Br. Notat Bruns: 'Edit. add. *verentur*: quod tanquam glossa in Ms. superscriptum est. Lectionem codicis nostri Lind. et Bent. in Mss. suis invenisse videntur. Non enim satis accurate eam exscripserunt.' Gov. vult: *Nihil verentur: illic, ubi verentur, ibi non est opus.* Abest *ibi* a GM.—15 Vulgo *et cum*

Ingeram mala multa? atque aliquis dicat: Nihil promoveris.
Multum: molestus certe ei fuero; atque animo morem gessero.
PA. Charine, et me, et te imprudens, nisi quid Di respiciunt, perdidi.
CH. Itane, imprudens? tandem inventa 'st causa: solvisti fidem.
PA. Quid tandem? CH. Etiam nunc me ducere istis dictis postulas.
PA. Quid istuc est? CH. Postquam me amare dixi, complacita est tibi.
Heu me miserum! qui tuum animum ex animo spectavi meo.
PA. Falsus es. CH. Nonne tibi satis esse hoc visum solidum est gaudium,

lumenam in uxorem, contra quam mihi promiserat? Injiciam in eum multa maledicta. Quodsi quis dicat: Nihil profeceris; Multum, respondebo. Saltem, si nihil proficiam, molestiam ei exhibuero; atque animo obsecutus fuero. PA. *Charine, et me et te, imprudens et insciens, nisi nos Dii in hac re juvent, perdidi.* CH. *Itane imprudens fecisti? Tandem invenisti prætextum fallaciæ. Præclare fidem datam liberasti scilicet.* PA. *Quid tandem vis dicere?* CH. *Etiamne quæris me istis dictis tuis fallere?* PA. *Quidnam istud est, quod mihi objicis?* CH. *Postquam me amare dixi Philumenam, statim etiam placuit illa tibi. Heu me miserum, qui tuum animum ex meo æstimavi!* PA. *Erras valde, Charine, qui sic de meo ingenio judices.* CH. *Nonne tibi visum est satis hoc esse integrum gaudium; nisi me*

eo. Gu. 2. *ut cum eo.* Neutrum horum mihi videtur genuinum. *Both.* qui dat *aut.*—16 Guy. solicitat τὸ *atque*, reponens *at.* Malim, si quid mutandum, *atqui.* West. *Atque* non placet. Nam *atqui* hab. vet. ed. quod idem servit objectioni. *Perl.* Vulgo *atque*: sed vett. edd. *atqui*: quod melius. *Both. Atqui* vult et Gov. Non interrogant post 'multa' Br. et Perl.—17 Ne temere trochaicos duos iambicus excipiat, mutetur *Multum* in *Nil?* Bent. Vulgo seorsim ponitur *Multum*: sed Gu. 1. recte sequentia adjungit. Alter quoque Gu. *Multo molestus.* Both. Adjungit et Gov. et Br. qui dat *in* ante 'animo.'—20 Mss. quidam et editorum vetustissimi, etiam anni 1469. *seducere.* Alii, *subducere.* West. Codd. recentes, auctore Faërno, habent *seducere*; antiqui vero, *ducere*, quod placet. Ceterum versus gratia lego: *Quid ita tandem? Etiam me dictis ducere istis postulas?* Bent. *Qui* pro *Quid* Both. qui interrogationis signum exhibet post 'postulas' cum Br. qui dat *seducere* cum Guelf. 1. 3. Interrogationem approbat Bruns.—23 Si legas *Non*, versus erit octonarius trochaic. catalect. *West.* Ne sit versus impeditus et inconcinnus, sub-

NOTÆ

20 *Ducere*] Pro, fallere. Græci ὑπάγειν eadem significatione dicunt. Alii *seducere* legunt.

Nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres?
Habeas. Pa. Habeam? ah! nescis, quantis in malis verser miser,
Quantasque hic suis consiliis mihi confecit solicitudines,
Meus carnifex. Ch. Quid istuc tam mirum est, de te si exemplum capit?
Pa. Haud istuc dicas, si cognoris vel me, vel amorem meum.
Ch. Scio: cum patre altercasti dudum: et is nunc propterea tibi
Succenset: nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.
Pa. Immo etiam, quo tu minus scis ærumnas meas:
Hæ nuptiæ non apparabantur mihi:
Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.
Ch. Scio: tu coactus tua voluntate es. Pa. Mane. 34
Nondum scis. Ch. Scio equidem illam ducturum esse te.

amantem promissis fovisses, et spe falsa detineres? Habeas tibi illam. Pa. *Habeam? Ah nescis quantis in malis positus sim miser: quantasque molestias atque ægritudines mihi creaverit Davus, hic meus carnifex.* Ch. *Quid istud mirum est, si te imitatur?* Pa. *Si cognoveris vel me, vel amorem meum erga aliam, quam Philumenam, non istud dicas.* Ch. *Sat scio, tu patri tuo jam pridem repugnasti: et is nunc propterea tibi nunc irascitur, nec te potuit cogere, ut Philumenam uxorem duceres.* Pa. *Immo etiam rem ignoras, quo minus cognoscis miserias meas; hæ nuptiæ non apparabantur mihi, nec quisquam vel Simo vel Chremes de Philumena mihi danda cogitabant.* Ch. *Scio; nemine jubente, tua voluntate coactus es.* Pa. *Mane: audi: nondum scis, ut res se omnino habeat.* Ch. *Scio equidem te*

lata interrogatione, lege—*Non satis tibi esse hoc solidum visum'st gaudium.* Bent. Bentleius *Non.* Itidem Er. *Perl.* Sic et Both. sine interrog.—25 'Habeam' sine interrog. Br. sed cum puncto maximo. 'Vulgo *ah nescis.* Sed A *ahah,* quod *ah an* fuisse puto.' *Both.* qui ita edidit.—26 *Confecit.* Guy. pro *conflavit,* quomodo jam Donati ætate lectum, *conflat.* Si *conflet* reposuisset, ἀνακόλουθον post 'verser' vitasset. *West.* Libri omnes legunt *confecit.* Bent.—27 *Q. i. t. m. est? de te ex. capit* G. *West.* Tolle *est,* quod idem Eug. nescit. *Bent.* qui sibi obsequentem habet Bothium. *Dicas* post 'istuc' Guelf. 3.—28 *Cognoveris* Guelf. 2. Omittit Guelf. 1. prius *vel.*—31 *Quo tu minus scis.* Tuenda hæc lectio, ex consensu Mss. et editorum codicum, contra Guyetum reponentem: *quo scias magis.*—32 *Hæc* ap. Do. recte, more Veterum. *Bent.* Do. legit *Hæc:* et solebant Veteres 'Hæc' pro, Hæ, dicere. *R. D.* C plane, *Hæc,* antique et vere. *Both.*—34 In l. antiq. non est *tu:* quod pronom. Fa. interposuit. *Perl.*—35 Pal. s. Romanus ap. G. F. *Nondum etiam scis:* recte. Illud *illam* versus respuit. *Bent.* *Nondum scis.* *Equidem, duc-*

NOTÆ

26 *Mihi confecit solicitudines*] Alii, *conflavit.*

29 *Scio: cum patre altercasti dudum*] Ironia.

Pa. Cur me enicas? hoc audi: nunquam destitit
Instare, ut dicerem, me esse ducturum, patri:
Suadere, orare, usque adeo donec perpulit.
Ch. Quis homo istuc? Pa. Davos. Ch. Davos! Pa. Davos omnia.
Ch. Quamobrem? Pa. Nescio: nisi mihi Deos satis
Scio fuisse iratos, qui auscultaverim.
Ch. Factum hoc est, Dave? Da. Factum. Ch. Hem! quid ais, scelus?
At tibi Di dignum factis exitium duint.

illam ducturum. Pa. *Cur me dictis enecas? Hoc audi. Hic nunquam cessavit me urgere ut patri dicerem me ducturum, suadere, orare, eo usque, donec me tandem impulit invitum ad id faciendum.* Ch. *Quis homo te ad hoc impulit?* Pa. *Davus.* Ch. *Davus?* Pa. *Davus omnia omnino turbavit.* Ch. *Quamobrem?* Pa. *Nescio ob quam causam adeo turbavit omnia; nisi quia Dii, sat scio, mihi irati fuerunt, qui ei aures præbuerim.* Ch. *Hocne factum est a te, Dave?* Da. *Factum.* Ch. *At te Dii perdant, ut meritus es.* *Eho, dic mihi; si omnes hunc*

turum illanc esse te legit Both.—36 Al. *enecas.* Perl. Sic Br. Notat Bruns: 'Edit. *enicas,* male.'—37 Mss. quidam: *me duct. esse.* West. *Inst. ut, me ducturum, pat. dicerem* Both.—39 Ch. *Davos!* Cum admirationis signo expressi contra ac fieri solet; cum quod Donatus id monet, tum quod ipse sensus postulat. Præter Mss. alios etiam duo Leidd. et M. *Davos interturbat.* Alii, *Interturbat omnia:* sic ed. 1469. Rursus alii: *Davos interturbat omnia.* Ita et Bodl. Donatus omissa voce *Davos* tantum *interturbat,* quod plusculæ edd. veteres imitatæ. In aliis Codd. est, *Davos omnia,* quod genuinum videtur, ἐμφατικώτερον certe est; neque dubitem, τὸ *interturbat* ex annotationibus irrepsisse. *West.* Dele *interturbat* tanquam glossema. *Bent.* Punctum maximum habet Br. post alterum 'Davos:' et cum Guelf. 2. *interturbat* pro *omnia.* Notat Bruns: 'Edd. 'Davos' cum signo interr. quod male excidit ex cod. *Davus* ante *intert.* ed. Zeun. omitt. Dedit West. *Dav. omnia:* sed dura est ellipsis.' '*Interturbat,*' ait Gov. 'esse interpretis affirmare ausim;' et hunc et duos seqq. vss. dividit eo modo quo West. At Bent. Both. Perl. cum Br. hos vss. in duos reducunt, et primum claudunt cum voce 'Nescio.' Ceterum sic dat hunc vs. Bentleius: *Q. h. i.* Pa. *Davos.* Ch. *Davos? quamobrem?* Pa. *Nescio.* Eum sequitur Perl. Bothius quoque, excepto quod *interturbat* legit post 'istuc.'—40 *Satis scio* elegantius abest, et *ei* abundat. *Bent.* Tollit Bent. *satis scio* audacter. Quanquam Terent. more 'nisi' ubique jungitur verbo finito, non infinito. *Perl.* Vulgo *Interturbat* (*omnia* addunt A et Gu. 1. quod ascriptum, postquam sedem legitimam mutasset suam vox *intert.*) Ch. *Quamobrem, &c.* Bent. delet *intert.* quasi glossema, et *satis* et *scio:* sed rei convenit vehementius inferri metrum. *Both.*—41 *Qui auscultaverim.* Ita edd. pleræque omnes vetustæ, Junt. Aldina, R. Stephani, aliæ. Vulgo: *qui auscultaverim ei,* quomodo Leidd. unus, vel, *qui ei auscultaverim.* Malaspina ad Cic. Att. XI. 6. *qui illum auscultaverim:* quæ varietas facit, ut credam, sententiam sine pronomine rotundiorem esse et elegantiorem. *West.* *Ei* dant Guelf. 2. et Z.—42 Libb. antiquiores omnes, *Factum est hoc;* et mox pro *Factum,* Pet. *Factum est.* Utrumque recte. *Bent.* Gu. 1. *Factum hoc est a te, Dave?* ex int. *Both.* Bentleium sequitur

Eho, dic mihi, si omnes hunc conjectum in nuptias
Inimici vellent : quod, nisi hoc, consilium darent?
DA. Deceptus sum, at non defatigatus. CH. Scio.
DA. Hac non successit, alia aggrediemur via.
Nisi id putas, quia primo processit parum,
Non posse jam ad salutem converti hoc malum.
PA. Immo etiam : nam satis credo, si advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
DA. Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesque et dies,
Capitis periclum adire, dum prosim tibi.
Tuum 'st, si quid præter spem evenit, mihi ignoscere.
Parum succedit quod ago : at facio sedulo.

inimici in has nuptias, quas aversatur, conjicere vellent, quid nisi hoc, quod dedisti consilium, ei darent? DA. *Deceptus sum eventu, at non defatigatus, ut rem in melius referre desperem.* CH. *Scio, scilicet.* DA. *Hac ratione res non successit; alia aggrediemur: nisi putas, quia primo parum feliciter evenit, non posse hoc malum jam ad salutem referri.* PA. *Immo vero, puto id posse fieri: nam etiam credo facile, si diligentem operam dederis, ex unis duas mihi conficies nuptias.* DA. *Ego, Pamphile, cum tuus sim servus, hoc tibi debeo; conari totis viribus, noctesque diesque mortis periculo me exponere, dummodo tibi utilitatem afferam. Te vero convenit, si quid contra expectationem tuam evenit, mihi ignoscere. Si parum successit,*

Perl. et ita Both. nisi quod non invertit *hoc est.* Ea verba invertit Br. qui dat *ho* ante 'scelus.'—43 Mss. *Ut tibi.* Lind. *Utinam* post 'tibi' Guelf. 2.—45 *Inimici ejus.* Ita ex Ms. editum: tamen in R. et aliis τὸ *ejus* non habetur. *Lind.* Ne versus duriter incedat, pro *quod, nisi* lege *quidni.* Bent. Accedunt Perl. Both.—46 Mss. quidam *defetigatus.* Alii, *delassatus.* West. *Defetigatus* Bent. Both. cum Br. cujus glossa dicit: 'Lassatus: alii fatigatus.'—47 M. *aggrediamur.* Atque ita Bœcleri omnes scripti codices: ex impressis 1469. Ven. 1490. et Fabrini. *West.* Codd. superstites omnes, *aggrediemur.* Bent.—48 Lege *Nisi si id.* Bent. Morem gerit Both.—49 Lege numerose magis, *Non jam ad salutem posse, &c.* Bent.—51 *Unicis* Guelf. 2.—55 *Eveniat* G. *West.* Metri ratio *évenit*, non *evénit*, efflagitat. *Bent.* Hoc cf. cum Do. Sic dat Bothius: *pr. spem, mihi te ign.*—56 Vi. et alii antiqui codd. *succedit*, recte, non *successit.* Bent. Ad vocem 'sedulo' Perl. monet: 'GM. in marg. 'saltem.' Ex eod. cod. totam fere aliam periodum transcribo hanc: *Parum si succedit, quod ego ... aut facio sedulo; aut* (saltem) *tute melius aliud reperi, aut me m.*

NOTÆ

43 *At tibi Di*] 'At' principium est increpationi aptum. Virg. II. Æn. 'At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,' &c. Horat. 'At, o Deorum quisquis in cælo regis Terras et humanum genus.'

44 *Dic mihi*] Semper hoc 'dic mihi' injuriosum est, aut curiosius interrogantis, ait Donat. in hac fabula, et in Hecyra. Virg. 'Dic mihi, Damœta.' Inducitur Menalcas amare interrogans Damœtam.

Vel melius tute reperi : me missum face.
PA. Cupio : restitue, in quem me accepisti, locum.
DA. Faciam. PA. At jam hoc opus est. DA. Hem! st,
mane : concrepuit a Glycerio ostium.
PA. Nihil ad te. DA. Quæro. PA. Hem! Nunccine de-
mum? DA. At jam hoc tibi inventum dabo.

quod ago, at facio ex animo, et bona fide. Vel, si opera mea tibi non placet, tu aliud melius reperi; me vero abire jube. PA. *Cupio. Tu vero in eum statum me restitue, in quo eram, antequam patri promisissem me uxorem ducturum.* DA. *Faciam.* PA. *At jam opus est, statim te hoc facere.* DA. *Hem, st mane. Glycerii ostium concrepuit.* PA. *Hoc nihil ad te pertinet, qui attentus esse debes consilio excogitando.* DA. *Id quæro.* PA. *Hem, an hoc tandem agis?* DA. *At jam hoc inventum tibi dabo.*

f.'—57 Notat Fa. in quibusdam libris legi, *Vel melius tu aliud reperi.* Atque ita est in edd. Aldinis, R. Stephani et Joh. Fabrini; ed. autem 1490. et Junt. 1505. sed et Bodl. *Vel melius tute aliud reperi.* West. Omnes Faërni et nostri, *tute*, recte; plerique etiam addunt *aliud*, male. *Bent.* *Tute aliud reperi* Br. Guelf. 2. sed 1. *aliud melius.*—58 Citat Fa. ex libris antiquis: *restitue, quem a me accepisti locum.* Et ita est in Bodl. [G. EM.] Cum qua lect. convenit paraphrasis Donati. Sed et Eug. perpetuus Donati imitator ita legit, ut et Junt. annorum 1505. et 1565. Leidensium unus: *quo me accepisti loco.* Præstat autem lectio vulgata, quanquam græcissans. *West.* Recentiores *in quem*, sed vetustiores recte omittunt *in.* Bent. In optimis membranis legitur *restitue quem a me accepisti locum;* quam lect. Bent. confirmat ex Phorm. Prol. vs. 34. Verum nec altera lectio spernenda, *restitue in locum.* R. D. Bent. omittit *in* cum Br. Z. Perl. Both. et cum iis dat *a me.*—59 Omnes codd. *Hem sed.* Igitur, ne *sed* elegans pereat, et versui consulatur, sublatis *Hem* et *mane*, substituimus *hinc.* Omnes fores, quæ in Fabulis memorantur, intra scenam erant, et eam versus aperiebantur. Lege igitur, *Sed concrepuit hinc, &c.* Bent. Dat Bothius: *Faciemus ... Hem! Set mane: con. ost.* Dat Br. *Hem. Sed mane.* Bodl. *a Gl. crep. ost.*—60 Cod. insignis, *Hem nuncne demum?* recte. *Bent.* Assentit Both. In Guelf. 2. *Quamobrem?* ante 'Quæro.'

NOTÆ

59 *Hem! st, mane*] *St*, si legatur, indicit silentium. Nam *st* sibili sunt silentium imperantes. Plaut. in Epid. Act. II. Sc. 2. 'St, St, habete animum bonum.'

Concrepuit a Glycerio ostium] Ablativus cum præpositione 'a' est loco genitivi, quod frequens est Terentio.

ACTUS IV. SCENA II.

MYSIS. PAMPHILUS. CHARINUS. DAVUS.

MY. JAM, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, et mecum adductum
Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi, noli te macerare.
PA. Mysis, quid est? MY. Hem, Pamphile, optume te mihi offers. PA. Quid est?
MY. Orare jussit, si se ames, hera, jam ut ad se venias;
Videre ait te cupere. PA. Vah! perii: hoc malum integrascit.
Siccine me atque illam opera tua nunc miseros solicitarier:
Nam idcirco arcessor, nuptias quod mihi apparari sensit.
CH. Quibus quidem quam facile potuerat quiesci, si hic quiesset.

MY. Jam tuum Pamphilum, ubicumque is erit, curabo, ut brevi inveniam, et mecum tibi adducam. Tu tantum modo, anime mi, o Glycerium! noli te solicitudine macerare. PA. Mysis, quid est? MY. Hem, Pamphile, opportune mihi obvius fis. PA. Quid est? MY. Hera te me orare jussit, ut, si se ames, jam ad se venias. Ait, se cupere te videre. PA. Vah, perii. Hoc malum, nempe, hæc animi anxietas propter metum nuptiarum, ex integro me cruciat. Itane oportet me atque illam, tua opera, nunc miseros solicitari? Nam idcirco a Glycerio accersor, quia nuptias mihi apparari audivit. CH. A quibus quidem nuptiis liberi et quieti esse potuimus, si Davus quievisset, nec suis dolis omnia perturbasset. DA. Age, si

1 Alii *Jamjam.* West.—2 Colloca *modo tu,* et versus salvus erit. *Bent.* Sic edidere Both. Perl.—3 In G. ET. EM. personæ ita ordinantur: PA. *Mysis.* MY. *Quid est?* In iisd. libb. versu seq. *ad sese* legitur. *West.* Versus constat, si legas *opportune te.* Er. Pone PA. *Mysis.* MY. *Quis est? ehem, Pamphile, opportune te:* deletis ultimis, *Quid est?* Num *Quis* habet unus cod. *Ehem* monosyllabon præfer τῷ *Hem,* quod est indignantis vel conturbati. *Opportune,* ut Adel. III. 2. 24. quod sæpe permutatur cum *optume,* ob similitudinem, *optune* et *optume.* Denique *Quid est* a correctoribus ortum est ad versum supplendum, postquam vitiose legerunt *optume.* Bent. Sic legit Bothius: PA. *Mysis!* MY. *Quis est? Hem, te optume mihi, Pamphile, offers!* PA. *Quid id est?* Perl. edidit: PA. *Mysis!* MY. *Quis est? ehem!* Dat Br. PA. *Mysis.* MY. *Quid est? hem.*—4 *Illa* post *se* Guelf. 1. *Sese* Br. Z. Bent. Both.—6 Gov. et Glar. *solicitari:* ne acatalecticus inter catalecticos ponatur. Unde et F. H. in dimetiendo hoc vs. ultimum *er* omittendum esse præcipit. *West.* Lege, ut versus postulat, *solicitari.* Bent. Tollunt paragogen Bent. Mur. *Perl.* Sic et Perl. et Both. Interrog. signum dant Br. et Perl. admirationis Both. post *solicit.* Hoc probat Bruns. —7 *Accersor* Br. et Bent.—8 Mss. quidam et editi *poterat.* West. Antiqui codd. pro

DA. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga. MY. Atque ædepol
Ea res est; propterea que nunc misera in mœrore est. PA. Mysis,
Per omnes tibi adjuro Deos, nunquam eam me deserturum:
Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omneis homines.
Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores. Valeant,
Qui inter nos discidium volunt. Hanc, nisi mors, mihi adimet nemo.
CH. Resipisco. PA. Non Apollinis magis verum, atque hoc responsum est.
Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,
Quo minus hæ fierent nuptiæ, volo: sed, si id non poterit,
Id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse, ut credat.

Pamphilus hic non satis insanit sponte sua, tu illum incita. MY. Atque ædepol ea causa est, propter quam nunc misera in dolore et luctu est. PA. Mysis, per omnes Deos tibi affirmo, nunquam eam me solam deserturum, non si omnium hominum inimicitias sciam me suscepturum. Hanc meam esse cupide exoptavi. Illa mihi obvenit. Nostri mores conveniunt. Procul facessant, qui inter nos discessionem fieri volunt. Hanc, nisi mors, mihi auferet nemo. CH. Animum recipio. PA. Non Apollinis responsum magis verum atque hoc est. Si poterit fieri, ne pater credat, me fuisse in causa, quominus hæ nuptiæ fierent, libenter id volo; sed, si id fieri non poterit, id faciam ad quod animus propensus est, ut pater credat me in causa fuisse, cur hæ nuptiæ infectæ permanerent. Quis tibi videor esse, Charine?

poterat recte *potuerat,* versu ipso postulante. *Bent.*—9 Ed. 1469. *tu eum inst.* West. Abest *Age* a Guelf. 1.—11 Solicitat hanc lect. Guy. contendens ejiciendum esse illud *Per,* ob rationem versus scilicet. Mihi contra videtur 'adjuro' pro simplici, juro, esse positum, nisi quod paulo majorem etiam vim habet. Unde particula 'ad' auctiva dicitur Donato. *West.* Dele *tibi,* ut redundans. *Bent.* 'Adjuro' ponitur pro simplici, juro. *R. D.*—14 Recte Fa. pro *dissidium* ponit *discidium,* consentientibus nostris vetustis libris. Nam venit a, discindere, ut 'excidium' ab, excindere. *Bent.*—15 Pro *Resipisco,* CCC. *Respiro.* Utrumque recte. Ceterum hoc verbum ipsi Mysidi tribue. *Id.* Ita tribuunt Both. Perl.—16 *Poterit* GM. commode, ob 'poterit' vs. 17. Al. *potuerit* prave. *Perl.* *Potuerit* Br. ut et in vs. 17.—18 Gifanius Ind. Lucret. *in proclive* tuetur. *West.* Sic Br. '*In proclivi* hic dicitur pro *proclive.* Quidam codd. habent *in proclivo.* De forma 'proclivus,' vid. Fabricium ad

NOTÆ

16 *Ut ne pater per me stetisse credat*] 'Ut ne' idem significat quod, ne. Plaut. in Mercat. 'At ego expurgationem habebo, ut ne succurrat.' Terentius ipse in Eunucho: 'Ulciscar, ut ne impune in nos illuseris.' Sic et Cicero: 'Fides tua patietur, ut socrus adolescentis rea ne fiat.'

Quis videor? CH. Miser æque, atque ego. DA. Consilium quæro. CH. Fortis.
PA. Scio quid conere. DA. Hoc ego tibi profecto effectum reddam.
PA. Jam hoc opus est. DA. Quin jam habeo. CH. Quid est? DA. Huic, non tibi habeo, ne erres.
CH. Sat habeo. PA. Quid facies? cedo. DA. Dies mihi hic ut sit satis vereor

CH. *Æque mihi videris miser esse, atque ego.* DA. *Consilium quæro, ut his nuptiis me expediam.* CH. *Fortis es, qui id quæras.* PA. *Scio quid coneris, et quam difficile sit id perficere.* DA. *Hoc ego tibi profecto, quod inveni, effectum reddam, Pamphile.* PA. *Jam hoc opus est, quod ais te effecturum.* DA. *Quin jam habeo paratum, ut statim id exequar.* CH. *Quid est?* DA. *Non id excogitavi tui gratia, sed Pamphili; ne erres.* CH. *Ego satis habeo, si huic consulas.* PA. *Dic mihi, Dave, quid facies mei causa?* DA. *Vereor, ut hic dies mihi sufficiat, ad agendum*

h. l. et Oudendorp. ad Hirt. de Bell. Afric. c. 10.' *R. D.*—19 Hallucinatur Donatus, existimans, Pamphilum velle constantiam suam probari, et sibi dici, *Fortis.* Quam sententiam secutus et planius expediturus Guyetus hunc versum suo more aliter disponit, ita: *Quis videor?* CH. *Fortis, at miser æque atque ego.* DA. *Consilium quæro.* T. Faber primus, opinor, monuit, ex Donati *Et fortis*, Charinum, cujus sermo a Davo erat interruptus, ubi respondisset, 'Miser æque atque ego,' continuo addidisse, *At fortis es.* Perizonius suspicabatur, τὸ *Fortis* εἰρωνικῶς Davo non a Charino, sed a Pamphilo dictum. Patet autem ex verbis Davi, Pamphilum voluisse se miserum dici, non fortem. Quare, cum dixisset, 'Quis videor?' et Charinus respondisset, 'Miser æque atque ego,' videtur Pamphilus vultum iratum intendisse in Davum; qui, ut leniat iram herilis filii, regerit illud, 'Consilium quæro.' Quod audiens Charinus, *Fortis es,* inquit. Atque ita est in Mss. quibusdam, et editorum vetustissimis. Citra ironiam autem id dictum a Charino, ex sequentibus conficitur, ubi participem se fieri consilii illius serio expetit. *West.* Pr. Inst. lib. XVII. *Quis tibi videor?* addens τὸ 'Quis' notare, Qualis. *Id. in Add.* *Æque, atque ego.* Postremæ duæ voces in Ms. non erant. *Lind.* 'Consilium quæro' dicit Davus: lege *Forti's;* hæc Charinus non Pamphilo, sed Davo dicit: sequentia, *Scio quid conere,* emenda, *Si quid conere,* et tribue ipsi Charino. Nam nondum potest iratus Pamph. blande loqui cum Davo. *Bent.* Bent. eleganter legit *Fortis es, Si quid conere.* R. D. Assentit Perl. qui notat: 'Bent. ex un. cod. CH. *Forti's, Si quid.* Quæ lect. præstat vulgatæ.' 'Vulgo *Scio quid conere,* ex int. C *conaris,* ex usu Græco. Bent. *Si quid conere,* præter necessitatem.' *Both.* qui sic legit: PA. *Fortis! Scio quid conare!* *Ego* post 'Quis' Guelf. 3. *Fortis es* 2.—21 In Ms. τὸ *habeo* deest. *Lind.*—22 Colloca e libris Faërni *Dies mi hic ut satis sit.*

NOTÆ

19 *Consilium quæro*] Melius est hoc a Davo dici, quam a Pamphilo.

20 *Scio quid conere*] Si Pamphili est persona, Ironia est in Davum; et sensus est, ut supra: Scio quid conere; nempe ut iterum me miserum reddas, et ex unis nuptiis geminas mihi conficias. Sed non esse personam Pamphili ex subjectis ostenditur. Si Charini est persona, sensus est: Scio quid conere; sed an efficere possis nescio.

Ad agendum: ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas.
Proinde hinc vos amolimini: nam mihi impedimento estis.
PA. Ego hanc visam. DA. Quid tu? quo hinc te agis? CH. Verum vis dicam? DA. Immo etiam.
Narrationis incipit mihi initium. CH. Quid me fiet?
DA. Eho tu impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo,
Quantum huic promoveo nuptias? CH. Dave, attamen. DA. Quid ergo?
CH. Ut ducam. DA. Ridiculum. CH. Huc face ad me ut venias, si quid poteris.

quod deliberavi, ne me otium habere credas ad narrandum tibi, quod sum facturus. Proinde vos hinc amovete, nam mihi impedimento estis. PA. *Ego Glycerium invisam.* DA. *Quid tu, Charine? quo tendis?* CH. *Vis dicam verum?* DA. *Hic Charinus non abiturus est, puto; immo etiam velut narrationis alicujus mihi incipit initium.* CH. *Quid de me fiet? me miserum!* DA. *Eho, impudens. Nonne satis habes, quod tibi diem addam; quo temporis spatio profero nuptias Pamphili; tu vero possis ambire, orare Chremetem, atque ejus amicos.* CH. *Dave attamen.* DA. *Quid ergo est?* CH. *Fac ut ducam Philumenam.* DA. *O ridiculum hominem. Quasi illa sit in mea potestate.* CH. *Fac, ut ad me venias, si*

Metri causa. *Bent.* Accedit Perl. *Dies satis sit vereor* legit Both. et censet alia esse interpretis. *Dies hic mihi ut satis sit vereor* dat Br. *Ut ne* Guelf. 2.—23 *Putes* id. *Me* omittit Br. quod abesse posse censet Bruns. Glossa ejusdem Ms. notat et post 'credas' et post 'agendum' in seq. versu: 'Vel ?'—25 *Quo hinc te agis?* Lect. hanc, ipsamque adeo locutionem vindicat Bœclerus, Chrestomath. v. 'Agere.' *Immo etiam.* *Narrationis incipit mihi initium.* Varie hæc expediunt Interpretes. Mallem, si per Codices liceret, integrum locum ita legere et distinguere: DA. *Immo etiam Narrationis incipis mihi initium?* Certe quidem in quatuor editis *incipis* legitur, quorum duo Veneti, annorum 1490. et 1512. duo Lugdunenses, annorum 1511. et 1520. *West.* Punctum post 'etiam' non exhibent Bent. Perl. Both.—26 Mss. quidam, et impressi, quos laudavi, *Quid de me fiet?* West. Sic Guelf. 2. 3.—27 Priscian. lib. v. *Eho impudens, non sat habes.* Charisius libro I. *Quid si tibi addo dieculam?* Lind. Abest *tu* a Guelf. 2. 'Edit. add. *tu*, quod ex Ms. erasum esse videtur.' *Bruns.*—28 *Ego* pro *ergo* Guelf. 1.—29 *Huc face ad me ut venias, si quid poteris.* Ita omnes legunt et distinguunt. Sed et inde incertum manet, quid sibi hæc velint, *si quid poteris;* an, si quid poteris venire; an, si quid poteris invenire. Malim autem ita: *Huc face ad me ut venias; si quid, poteris:* quorum verborum ordo et sensus est: Face ad me ut venias; poteris, si quid habes consilii. Blande enim rogantis formula est, Ciceroni sæpius usitata, 'Poteris et facies.' *West.* Duo e nostris vetustissimi, *ad me venias,* omisso *ut;* concinnius. *Bent.* *Ut* Bent. elegantius

NOTÆ

26 *Narrationis incipit mihi initium*] Quia hoc, 'Verum vis dicam?' est velut prooemium narraturi.

DA. Quid veniam? nihil habeo. CH. Attamen si quid. DA.
Age, veniam. CH. Si quid,
Domi ero. DA. Tu Mysis, dum exeo, parumper operire me
hic.
MY. Quapropter? DA. Ita facto est opus. MY. Matura.
DA. Jam, inquam, hic adero.

quid poteris efficere mei gratia. DA. *Quid ego veniam? Nihil habeo, quod tui causa possim.* CH. *Attamen si quid possis.* DA. *Age, veniam.* CH. *Si quid feceris quod mihi renuntiandum sit, domi ero.* DA. *Tu, Mysis, expecta hic paulisper, dum egrediar domo Glycerii.* MY. *Quamobrem?* DA. *Ita fieri opus est.* MY. *Festina.* DA. *Jam, inquam, hic adero.*

omisit. *Perl.* Omittit et Both.—30 *Quod veniam, nil habeo* Both. Dat Guelf. 1. *Att. si quid age.* DA. *Age, ego ven.*—31 Deleto *me*, metri leges salvæ erunt. *Bent.* Delet Both.—32 Id. dat *jamjam* pro *jam inquam*, non monito lectore.

ACTUS IV. SCENA III.

MYSIS. DAVUS.

MY. NIHILNE esse proprium cuiquam! Di vostram fidem!
Summum bonum esse heræ putavi hunc Pamphilum,

MY. *Itane est, ut nihil sit proprium cuiquam hominum? Dii! vestram fidem imploro. Putabam hunc Pamphilum summum bonum esse heræ meæ, Glycerii:*

1 Quæ nunc una est scena, in vulgatis divisa erat: sed, quicquid hujus factum, vett. codd. fide factum, quos hic secuti sumus auctores: quamvis Donatus priorem editionem agnoscere videatur. *Lind.* Hanc scenam cum superiori continuat Both. In Bodl. esse *N. cuiq. homini proprium* testatur West. *Esse* abest ab ed. Perl. qui monet *Nihilne esse* exhibere Guelf. 1. 2.—2 Quinque codd. cum edd. vett. *putabam.* Non male. Verum, ne pes tertius uno verbo 'heræ' constet, repone *deputabam*, ut Hec. IV. 1. 9. *Bent.* *Heræ hunc putabam* Both. *Putabam* Guelf. 3.—3 *Amatorem* Bodl. non agnoscit. *West.* Pro *amatorem*, quod et minus est quam 'Amicum,' et contra Fabulæ argumentum, ne Glycerium meretrix videatur, lege *tutorem:* cf. sup. I. 5. 6. *Bent.* Τὸ *virum* in Ms. deest. *Lind.*—5 *Laborem.* Ita edidi ex quinque Leidd. sed et Tr. et M. Consentit ed. Junt. et Par. ex quatuor Pall. Accedit auctoritas Donati et Eugraphii. Vetustissimæ tamen edd. secutæ Mss. quosdam libros, *Dolorem* exhibent. *Laborem capere* nescio quomodo magis est Terentiana locutio. *West.* Al. *laborem quem capit.* Lind. Plures codd. Faërni et nostri, iique antiqui, habent *Laborem.* Bent. *Dolorem* Mur. *Perl.* Sic Z.—7 *Mysis.* Hic Donato et in quibusdam Mss. et editis est initium Scenæ 4. *West.* *Est* omittit Both. *O Mysis* habet Guelf. 3.—8 *Memoria* cum Tr. et M. etiam duo Leidd. legunt. Sed et ita est in vetustissimis impressis codd. pro quo alii *malitia* habent. Leidd. unus et Bodl. *militia:* corrupte. Si vero partes Mysidis in hac Scena respicias, nullus *malitiæ* locus; quanquam ita legendum esse post Faërnum contendit Tan. Faber. *West.* V. C. *malitia.* Lind. Pro *memoria* V. Bas. et aliqui alii, quos inspexit Faërnus, it. Eugraphius legunt *malitia*; recte. In quibusdam corrupte legitur *militia.* Bent. *Malitia* dant Both. Perl. *Militia* Br. cujus glossa memorat *memoria.*—11 In Bodl.

NOTÆ

1 *Proprium*] Dicitur, quod non est cum aliis commune; quod est perpetuum et stabile; et cujus non solum possessio nostra, sed etiam proprietas et dominium est. Virg. 'Nimium vobis Romana propago Visa potens, Superi! propria hæc si dona fuissent.' Plaut. in Mercatore, Act. II. Sc. 3. 'Proprium nequit mihi evenire, quod cupio.'

Amicum, amatorem, virum in quovis loco
Paratum: verum ex eo nunc misera quem capit
Laborem! facile hic plus mali est, quam illic boni.
Sed Davus exit. Mi homo, quid istuc obsecro 'st?
Quo portas puerum? DA. Mysis, nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem expromta memoria atque astutia.
MY. Quidnam incepturus? DA. Accipe a me hunc ocyus,
Atque ante nostram januam appone. MY. Obsecro,
Humine? DA. Ex ara hinc sume verbenas tibi,

amicum certum, amatorem perpetuum, virum semper ubique paratum ad eam tuendam; verum, quem ejus causa misera nunc patitur dolorem! certe plus mali est in dolore quem illa percipit, quam boni, in illius Pamphili amore. Sed Davus exit e domo Glycerii. Mi homo! quid istud, obsecro, est? quo portas hunc puerum? DA. *Mysis, nunc opus est mihi, ad hanc rem quam paro, tua memoria præsenti, et promta ex tempore, atque astutia tua.* MY. *Quidnam incepturus es?* DA. *Accipe cito hunc puerum a me, atque ante januam nostram appone.* MY. *Obsecro, an hunc in terra ponam?* DA. *Ex ara hac sume verbenas, atque eas vice stramenti*

7 *Quo portas puerum*] Davus ex ædibus Glycerii exportat infantem pannis involutum, traditque Ancillæ; quasi mater eum ante fores Simonis exponi mandasset. Ceterum in plurimis codicibus continuantur hæ duæ Scenæ, ut unam conficiant.

11 *Ex ara sume verbenas*] Aræ in scena erant veræ et propriæ: dextra Baccho in Tragœdia; Apollini in Comœdia; sinistra ei Deo, vel Heroi, cui ludi fiebant. In his verbenæ imponebantur Apollini. Videatur Evanthius in Prolegomenis in hunc Auctorem. Item Scaliger in Poëtica, lib. I. cap. 21. Taubman. in Mostellariam Plauti, Act. V. Sc. 1. et Vossius in Inst. Poëticis, cap. 10. lib. II.

Atque eas substerne. MY. Quamobrem id tute non facis?
DA. Quia, si forte opus sit ad herum jusjurandum mihi,
Non apposuisse, ut liquido possim. MY. Intelligo.
Nova nunc religio in te istæc incessit, cedo?
DA. Move ocyus te, ut, quid agam, porro intelligas.
Pro Jupiter! MY. Quid est? DA. Sponsæ pater intervenit.
Repudio, quod consilium primum intenderam.
MY. Nescio quid narres. DA. Ego quoque hinc ab dextera
Venire me assimulabo: tu, ut subservias
Orationi, utcumque opus sit verbis, vide.

ei subjice. MY. *Quamobrem tu ipse hoc non facis?* DA. *Quia, si forte opus mihi sit jusjurare, hero id exigente, id certo et sincere facere possim.* MY. *Intelligo. Unde nova ista religio venit tibi in mentem?* DA. *Matura, ut quid postea acturus sum intelligas. Proh Jupiter!* MY. *Quid est?* DA. *Sponsæ Pamphili pater Chremes intervenit, dum loquimur. Abjicio consilium, quod primum ante adventum ejus ceperam.* MY. *Nescio quid narres.* DA. *Ego quoque hinc a dextra parte, qua venit Chremes, me venire simulabo. Tu vide, ut quibuscumque verbis, quibus opus erit, subservias, et commodes orationi meæ.* MY. *Ego nihil intelligo, quid tu*

legitur *sume:* qualis ellipsis festinantibus est propria. *West.*—12 Ob numeros meliores 'id' pone post 'tute.' *Bent.* Quidam Mss. et editorum antiquissimi, *tute ipse.* West. *Tute id* Both. Perl. *Ei* post 'subst.' Guelf. 3. *Ei* pro *eas* dat Both. qui notat *eas* minus bene esse.—13 Do. legit *jurandum.* Idem in quibusdam Mss. et impressis legitur, defenditurque ab Antesignano, ob metrum scilicet. Alii *jurejurando.* West. *Jurejurando* G. EM. *Id. in Add.* R. *jusjurandum.* Lind. *Jurandum* est vox nihili. Omnes, quos vidi codd. habent *jusjurandum,* præter unum academicum, ubi est *jurejurando.* Nos, ut versui medeamur, legendum censemus *jurato,* quod eodem dicitur modo, quo infra 'transcurso,' Hec. III. 4. 17. *Bent. Jurato* exhibet Both. qui notat pessime legi *Quia,* et dat *Quin.*—15 Edd. vetustiss. *Unde nova nunc religio in te isthæc incessit?* Sed et ita Mss. quidam exhibent. *West.* Dele *in.* quod repugnat usui 'incessere.' *Bent. In te incessit.* Hoc verbum variis modis construitur: Religio incessit me, mihi, et in me. *R. D. In te ist. rel. incessit! Cedo!* Both. Punctum maximum dat Perl. post 'cedo:' et sic Br. qui dat idem post 'incessit.'—17 *Quid est* recte habent omnes codd. *Bent. Quid est* Fa. ex o. l. s. Non habet l. antiq. *Perl.* Delet *est* Both.—18 Mss. et editi quidam vetusti, *prius.* West. *Quod consilium* colloc. libb. antiqq. Al. invert. *cons. quod.* Perl. *Quod primum intendi, jam consilium repudio* Both. *Primo* Guelf. 1.—19 GM. *narras,* minus Latine. *Perl.*—20 *Ut* omittit Both.—21 *Opus* in Thesi totum occultatur. Lege, *opu'st verb.* Bentleius. *Sit:* GM.

NOTÆ

14 *Liquido*] 'Liquido jurare,' 'liquido dicere,' est pure, manifeste, aperte, certo, omnino.

21 *Utcumque opus sit verbis*] Hæc dicens Davus abit, priusquam fraudulentum ejus consilium Mysis intelligat: quæ causa est, ut ea in Scena proxima præter rem Davo respondeat, ac fere prodat ipsius commentum.

MY. Ego, quid agas, nihil intelligo: sed, si quid est,
Quod mea opera opus sit vobis, aut tu plus vides,
Manebo: ne quod vostrum remorer commodum.

agas: sed, si opus est vobis in aliqua re opera mea, aut tu plus prævides, quam ego, hic expectabo, ne, quod vobis commodum est, retardem.

pro var. *est.* Perl. *Utc. opus, verbis vide* dat Both.—23 Pro *aut* lege cum Guy. *ut,* h. e. quia. Etenim dubium non est, Myside Davum esse longe calidiorem. *Bent. Ut* Mur. Bent. pro *aut* vulgo. *Perl.* qui *ut* dat cum Both.—24 Bodl. *ne vost.* West. Al. *aliquod.* Mur. in vet. Veneto repp. *ne quid,* quod exponit: ne in aliqua re. *Perl.*

NOTÆ

24 *Ne quod vostrum remorer commodum*] Commodum Pamphili. Ceterum hæc Scena est actuosa: magis enim in gestu, quam oratione est constituta.

ACTUS IV. SCENA IV.

CHREMES. MYSIS. DAVUS.

CH. REVERTOR, postquam, quæ opus fuere ad nuptias
Gnatæ, paravi, ut jubeam arcessi: sed quid hoc?
Puer hercle 'st. Mulier, tun' apposuisti hunc? MY. Ubi illic est?
CH. Non mihi respondes? MY. Nusquam est: væ miseræ mihi!

CH. *Redeo, postquam apparavi ea, quæ opus fuit apparare ad celebrandas nuptias filiæ, ut jubeam vocari eos, quos his interesse convenit. Sed quid hoc est? Puer hercle est. Mulier, tune hic posuisti eum?* MY. *Ubinam est Davus?* CH. *Non mihi respondes?* MY. *Hem, nusquam in his locis reperitur ille. Homo me*

1 Hæc in Mss. quibusdam et impressis est Scena 5. *West.*—2 *Accersi* Br. et Bent. *Est* in fine Guelf. 2.—3 Mss. quidam, et ed. 1469. *posuisti.* West. *Posuisti* Ms. *Lind.* Ne versus sit justo longior, aut dele *hunc,* aut scribe *tu,* ut edd. vett. habent. *Bent. Posuisti* Br. *Hunc* delet Both.—4 *Hem nusq. est*

NOTÆ

2 *Sed quid hoc*] Interrogatio est ignorantis Chremetis quid esset, quod primum viderat. Erat autem puer pannis involutus.

3 *Ubi illic est*] Mysis Davum requirit, qui se summoverat, conspecto Chremete; ut ipse de foro venire videretur.

Reliquit me homo, atque abiit. Da. Di vostram fidem!
Quid turbæ est apud forum! quid illic hominum litigant!
Tum annona cara 'st: quid dicam aliud, nescio.
My. Cur tu obsecro hic me solam? Da. Quæ est hæc fabula?
Eho, Mysis, puer hic unde est? quisve huc attulit?
My. Satin' sanus es, qui me id rogites? Da. Quem ego igitur rogem,
Qui hic neminem alium videam? Ch. Miror, unde sit.
Da. Dicturan' es quod rogo? My. Au. Da. Concede ad dexteram.

reliquit. Da. *Dii vestrum fidem! quantus tumultus in foro; quanta multitudo hominum est, qui illic litigant? Tum annona cara est. Nescio, quid aliud dicam.* My. *Cur tu, quæso, hic me solam reliquisti?* Da. *Hem, quænam fabula hic agitur? Eho, Mysis, unde puer hic allatus est? Quisve hunc portavit huc?* My. *Satisne animi sanus es, qui hoc a me quæras?* Da. *Quem igitur interrogem, qui neminem hic alium, quam te video?* Ch. *Miror unde sit.* Da. *Respondebisne, Mysis, ad id, quod quæro?* My. *Au.* Da. *Veni ad dexteram.* My. *Desipis.*

Br.—5 Ed. 1490. *Reliquit me homo sic solam:* forte scriptum fuerat, *hic solam:* quod e versu octavo possit videri repetitum. *West.*—6 Varie hæc leguntur. Jam Donati ætate lectum, *quid illic hominum litigat!* Mss. quidam et impressorum vetustissimi, *quot illic hominum litigant!* Id. Est qui refingat *est ad forum.* Melius, opinor, Guy. *Quid t. ap. forumst? quid illic h. l.* vel *quid illud hominum.* Bent. *Quot* GM. in marg. *Perl.* *Quid t. ap. f. est! quid hominum litigant* Both.—7 An *Num a. cara est?* Westerhovius. *Quid dicam aliud, nescio.* Ita distinxi cum edd. præstantissimis, Juntina, Aldina, Stephani, aliis. Vulgo: *quid dicam aliud? nescio.* Cic. Att. xvi. 15. 'Nihil enim habeo aliud, quod dicam.' *Id.* Vulgatum habet Z. *Quid dicam, aliud nescio* Br.—8 Ed. 1469. *Hem quæ.* West. Plures et meliores codd. concinnius, *Hem, quæ hæc est fabula?* Bent. Ita dant Both. Perl. *Hem* habet et Br.—10 In R. τὸ *es* desideratur. *Lind.* Quamvis contra omnes codd. repone: *Satin sánu's, mé qui id rógites? Quém igitúr rogem?* Vel ictus ipsi satis hoc probant. *Bent.* Accedit Perl. *Es* delet Both.—11 Omnes Faërni et nostri libri habent *videam*, non *video*. Bent. *Video* Guelf. 1. et Both.—12 Alii

NOTÆ

4 *Væ miseræ mihi*] Quasi dicat: Davi mandato huc veni; at ille me reliquit, atque abiit.

5 *Di vostram fidem*] A dextra veniens Davus simulat se e foro venire.

7 *Tum annona cara 'st*] Hoc Davus ad spectatores conversus, vel summisse dicit. Est autem 'annona' res omnis quæ ad annuum victum reponitur.

8 *Cur tu obsecro hic me solam*] Simplicitas Mysidis fere detegit fallaciam.

12 *Au*] Interjectio turbatæ et consternatæ mulieris.

Concede ad dexteram] Hæc summisse: monet ancillam Mysidem, ut clam, quid sit opus, eam monere possit.

My. Deliras? non tute ipse? Da. Verbum si mihi
Unum, præterquam quod te rogo, faxis, cave.
My. Male dicis? Da. Unde 'st? dic clare. My. A vobis. Da. Ha, ha, he.
Mirum vero, impudenter mulier si facit meretrix?
Ch. Ab Andria 'st ancilla hæc, quantum intelligo.
Da. Adeon' videmur vobis esse idonei,
In quibus sic illudatis? Ch. Veni in tempore.
Da. Propera adeo puerum tollere hinc ab janua.
Mane; cave quoquam ex istoc excessis loco.
My. Di te eradicent: ita me miseram territas.
Da. Tibi ego dico, an non? My. Quid vis? Da. An etiam rogas?
Cedo, cujum puerum hic apposuisti? dic mihi.

An non tu ipsemet mihi eum in manus dedisti? Da. *Si mihi verbum unum, præter id quod te rogo, dixeris, vapulabis. Cave ne id facias.* My. *Male mihi dicis.* Da. *Unde hic puer est? dic clare.* My. *A vobis.* Da. *Ha, hæ. O rem ridiculam! Quid mirum est, si mulier meretrix impudenter mentiatur?* Ch. *Hæc ancilla Glycerii est, quantum intelligo.* Da. *Vobisne videmur adeo opportuni vestris ludificationibus et imposturis?* Ch. *Veni in tempore.* Da. *Festina celeriter hunc puerum auferre a janua. Hic mane. Cave ne quoquam alio pedem moveris ex hoc loco.* My. *Dii te funditus perdant, qui me miseram adeo terrefacis.* Da. *Tibine ego dico, an non?* My. *Quid vis?* Da. *At etiam quæris, quid velim? dic, cujus puerum ante hoc ostium posuisti? dic mihi.* My. *Nescisne cujus sit?* Da. *Tace*

Dicturan,' omisso *es.* West. Lege *Dictura es.* Bent. *Es* delet Both.—13 *Deliras?* Cum interrogationis nota expressi, quod id ἐμφατικώτερον videbatur. *West.* Dele *si*, quod est contra leges linguæ, et transfer e versu sequenti *unum* in locum illius. *Bent.* Sequuntur Both. Perl. qui testatur in Guelf. 2. esse *si mihi*, et in 1. 3. *Verb. si mihi ullum.*—14 Lege cum libris nostris *præterea quam*, h. e. præterquam, ut 'posteaquam.' *Bent.* Accedunt Both. Perl. —15 *A vobis* ex Mss. nonnullis edd. vetustissimæ et optimæ. Alii, *A nobis*, quod et Fa. tuetur. *West.* Ut sensus et versus sit salvus, lege, *Quin dicis, undest clare?* My. *A nobis.* Da. *Attate.* Nam non modo ridendi locus hic non est, sed codd. quoque habent, *Ahahe.* Legimus igitur *Attate*, quod est admirantis et conterriti. *Bent.* *Dic* delet Both. et dat *nobis* cum Br. Z. et Perl. qui legit *Aha! he!* Exhibet Br. *A, ha, ha.*—16 Ne versus sit longior, *meretrix* præpone sequenti. *Bent.* Parent Both. Perl. *Est* post 'Mirum' Guelf. 2.—17 Dele *ancilla*, quæ poterat e vestitu cognosci. *Bent.* Parent hic quoque idem.—19 *In* ante 'tempore' delet Both.—20 Ed. 1469. *Propterea adeo puerum tolle.* West.—21 *Excesseris* Guelf. 2.—22 *Quid ita* id.—23 Venustius edd. vett. *dico ego.* Bent. Sic dat Both. *At etiam*

NOTÆ

13 *Verbum si mihi Unum*] Comminatur summisse Davus.

21 *Mane; cave*] Rursum hæc Davus summisse loquitur, non audiente Chremete; et est interminatio prohibentis, ne tollat Mysis puerum.

MY. Tu nescis? DA. Mitte id, quod scio: dic, quod rogo.
MY. Vestri. DA. Cujus vestri? MY. Pamphili. DA. Hem!
quid? Pamphili?
MY. Eho, annon est? CH. Recte ego semper fugi has
nuptias.
DA. O facinus animadvertendum! MY. Quid clamitas?
DA. Quemne ego heri vidi ad vos afferri vesperi?
MY. O hominem audacem! DA. Verum: vidi Cantharam
Suffarcinatam. MY. Dis pol habeo gratias,

id quod scio: dic quod quæro. MY. *Vestri.* DA. *Cujus vestri?* MY. *Pamphili.* DA. *Hem, quid ais, Pamphili?* MY. *Eho, an non est?* CH. *Merito semper ego has vitare volui nuptias.* DA. *O facinus puniendum!* MY. *Cur adeo exclamas?* DA. *Tune hunc puerum dicis esse Pamphili, quem ego heri vidi ad vos afferri sub vesperam?* MY. *O hominem impudentem!* DA. *Verum est. Vidi Cantharam sarcina oneratam.* MY. *Diis pol habeo gratias; quandoquidem parienti Glycerio*

Br. et Bent. Z. Both. Perl.—25 Post 'nescis' glossa in Br. notat: 'Vel ;' i. e. absque interrogatione.—26 Varietas Librorum lect. facit dubiam. Omnium antiquissimi ex editis habent, ut exhibui. Lind. aliique: *Cujus? nostri?* Rursus alii unica interrogatione: *Cujus nostri?* In his est Bodl. *West.* Par. *Cujus? nostri?* Sed magis convenit *Cujus nostri?* Perl. qui hoc dat cum Br. Bent. Both. Dedit Z. *Cujus? nostri?*—27 Quomodo *semper* fugit, qui I. 1. 73. ultro ad Simonem venit? repone igitur *nempe.* Deinde 'has' pone ante 'fugi,' auctoritate unius codicis. *Bent.* *Has fugi nuptias* Perl. *Recte has fugi semper nuptias* Both. *Effugi* Guelf. 2.—28 Edidit Both. *O anim. fac.* MY. *Quid? quid clam.*—29 *Quem* Br. *Perferri ad vesperam* Guelf. 3. *Perferri* legere Gu. 1. notat Both.—30 Petrus Nannius Miscell. lib. I. ex conjectura legit, *cantharum Suffarcinatum,* intelligens *χύτραν* seu fictile vas, cujusmodi Athenis in exponendis pueris fuisse usitata, ex Aristotele, Callimacho, et Aristophane observat Farnabius. In eadem vero qua Nannius sententia fuisse plures, ex tribus Leidd. apparet, in quorum uno voci *cantharam* suprascriptum, sed alia manu, 'chorbem;' in secundo, 'corbem;' in tertio, 'corbem honustam de puero.' Ansam dedit Eugraphius. Mihi id duriusculum videtur. Et obstat consensus Msstorum, quorum nullum unquam vidit Nannius, ipso teste, Miscell. lib. II. cap. 6. Video Lind. accedere ad sententiam Nannii. *West.* Recte a West. repudiatur ratio P. Nannii. *Zeun.* *Verum: vidi C.* Ita cum Bent. West. distinxi. Prave continuant Lind. Par. cum seqq. *Verum vidi.* Perl. *Hanc* post *Canth.* habet Br.—31 Duo e nostris *gratiam;* recte. *Bent.* Bent. recte edidit *gratiam;* nam hoc est ex more Comicorum. *R. D.* Vulgo *gratias,* refraganti B: et verisimile est obliteratam fuisse formam insolentiorem. *Both.* qui dat *gra-*

NOTÆ

25 *Mitte id, quod scio*] Hæc summisse etiam dicit.

26 *Cujus vestri*] Vult data opera Pamphilum nominari.

31 *Dis pol habeo gratias*] Habemus illis gratiam a quibus fatemur beneficium accepisse, nec posse illud referre: Diis vero dixit, 'habeo gratias,' quas his reddere nequit.

Cum in pariundo aliquot affuerunt liberæ.
DA. Næ illa illum haud novit, cujus causa hæc incipit.
Chremes, si positum puerum ante ædes viderit,
Suam gnatam non dabit: tanto hercle magis dabit.
CH. Non hercle faciet. DA. Nunc adeo, ut tu sis sciens,
Nisi puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam
Provolvam: teque ibidem pervolvam in luto.
MY. Tu pol, homo, non es sobrius. DA. Fallacia
Alia aliam trudit: jam susurrari audio,
Civem Atticam esse hanc. CH. Hem! DA. Coactus legibus

aliquot affuerunt liberæ matronæ, quibus credi oportet. DA. *Profecto illa Chremetem non novit, propter quem hanc fallaciam aggreditur. Si Chremes (ita illa cogitat) positum puerum ante ostium Simonis viderit, non dabit filiam suam Pamphilo. Immo, ego aio; tanto magis, per Herculem, ei dabit.* CH. *Non per Herculem id faciet.* DA. *Nunc etiam ut scias, si hunc puerum hinc non exportas, jam nunc ego eum in mediam viam volvendo protrudam, teque ibidem versabo plurimum in luto.* MY. *Tu pol homo vino captus es.* DA. *Fallacia alia aliam producit: jam obmurmurari audio in hac domo Glycerii, illam esse civem Atticam.* CH. *Hem.* DA. *Pamphilus, (inquiunt) qui eam vitiavit, cogetur legibus Atticis eam*

tiam.—33 *Ne illa.* Pro, valde illa. Vel *Illa ne,* id est, numquid illa? per solœcismum, immutato ordine. *Eug.* *Ne,* Br. qui dat *hoc* pro *hæc,* et interrogat post 'incipit.'—34 Lege *appositum.* Bent. Aliq. codd. ap. Bent. et vett. edd. *puerum pos.* Perl.—35 Interrogant Br. et Both. post 'dabit.' Deest, ait Bruns, interrogatio editionibus: sed vix deesse potest. Abest *dabit* posterius a Guelf. 2.—36 *Scis* Guelf. 3.—37 Alii *jamjam.* West.—38 Mss. quidam, *Provolvo.* Edd. vero antiquissimæ mox repetunt eandem vocem *ἀντὶ τοῦ pervolvam,* ubi Nannius mallet, *proluam,* scilicet quia Donatus *παρόμοιον* agnoscit, quod aut nullum, aut perquam inscitum sit in *Provolvam* et *pervolvam.* Id.—41 *Eho* pro *Hem* Z.—42 Omnes nostri libri *Eho obsecro,* recte.

NOTÆ

32 *Aliquot liberæ*] Servis non licebat testimonium perhibere.

34 *Chremes, si positum puerum*] Chremetem nominat, quem præsentem esse se ignorare simulat.

39 *Fallacia Alia aliam trudit*] Prior fallacia est; puerum esse natum ex Pamphilo; quæ prior aliam producit, nempe Glycerium esse civem Atticam. Alius sensus hic esse potest: Fallacia alia aliam pellit, et prodit: nimirum commentum illud, (Glycerium esse civem Atticam,) falsum esse ostendit, dictam Glycerium peperisse puerum ex Pamphilo.

41 *Civem Atticam esse*] Regio Atheniensium primum dicta est Actica ab Acte, quod Græce littus significat: deinde Attica: maxima enim ex parte littoralis erat.

Coactus legibus] Legibus Solonis cautum fuit ut qui virginem liberam civemque Atticam stuprasset, ut aut illam uxorem duceret, aut dotaret.

Eam uxorem ducet. MY. Au! obsecro; annon civis est?
CH. Jocularium in malum insciens pæne incidi.
DA. Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus advenis.
Ausculta. CH. Audivi jam omnia. DA. Anne tu omnia?
CH. Audivi, inquam, a principio. DA. Audistin' obsecro?
Hem scelera! hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi.
Hic ille est! non te credas Davom ludere.
MY. Me miseram! nihil, pol, falsi dixi, mi senex.
CH. Novi rem omnem: est Simo intus? DA. Est.
MY. Ne me attingas, sceleste: si pol Glycerio non omnia
    hæc.
DA. Eho, inepta, nescis quid sit actum? MY. Qui sciam?

uxorem ducere. MY. *Eho, dic mihi, obsecro, an Glycerium non est civis Attica?* CH. *Insciens ego pæne incidi in periculum joco dignum.* DA. *Quis hic loquitur? o Chreme, commode advenis! Audi.* CH. *Audivi jam omnia.* DA. *Ah, tune omnia audivisti?* CH. *Audivi, inquam, a principio.* DA. *Audivistine, obsecro te? Hem scelera! Hanc ancillam Glycerii jam oportet in crucem tollere. O Mysi! hic ille est Chremes, vir meritis clarus; ne tu credas vos rem habere cum Davo servo, quem deludatis dolis.* MY. *Me miseram! Nihil, pol, dixi falsi, mi senex!* CH. *Novi rem omnem; sed an Simo domi est?* DA. *Ita, est domi.* MY. *Ne me attingas, sceleste Dave! Dispeream, si pol Glycerio non omnia hæc renuntiem.* DA. *Eho inepta nescis, cur hoc ita sit a me factum.* MY. *Quomodo id sciam?*

Bent. *Eho* l. antiq. At Fa. *Au.* Perl. *Eho* dant Z. Both. Perl. cum Br.—45 Taubmann. et Lind. *Ah, ne tu.* West. *An hæc tu* R. *Lind.* In omnibus nostris deest *jam*, male. Ceterum plures et meliores, *An hæc tu.* Lego, *Anne hæc tu.* Bent. Sequuntur Both. Perl. *An hæc tu* Br. *Jam* abest a Guelf. 2.—47 Bodl. non agnoscit τὸ *hinc*, sed et pro *abripi* legit *arripi.* West. *Hem* apponi debet superiori. *Bent.* *Hem* sic in fine versus Bent. Mur. Ille tamen, si semper in fine hanc particulam poni jubet, non sibi ipse constat. Posuit nunc in principio, nunc in medio pluries. *Perl.* qui eam hic collocavit cum Both. ad nutum Bentleii.—48 Plerique nostri habent, *Hic est ille.* Bent. *Hic est ille* Do. In l. antiq. *Hic illic est.* Perl. qui illud dat cum Br. et Z. *Illudere* Gu. 1. et Hel.—50 Pentameter est, nisi legas *Intus est* in fine. *Er.* Ne inter Senarios male dimeter et tetrameter locum occupent, dudum Guy. et alii versum effecerunt unum: *Novi omnem rem: est Simo intus?* DA. *Est.* MY. *Ne me attigas.* Plautinum est *attigas.* Hinc intelligitur, Davum Mysidi osculum obtulisse. *Bent.* Accedunt Both. Perl. nisi quod hic dat *attingas.* In l. antiq. est *Sed est S. i.*—52 Pauci codd. habent *Quid sciam?* Ceteri nostri, et Faërni omnes, *Qui sciam?* Bent. *Qui* Bent. Sed hoc esset nescire se fatentis cupientisque edoceri, non contemnentis, quod hic requiritur. *Both.* *Qui:* sic Bent. et Br. Mirum est, qui Bent. cum Br. sæpe in

NOTÆ

43 *Jocularium in malum*] Per antiphrasim dictum; significat enim magnum ac serium malum, ut notat Muretus.

45 *Anne tu omnia*] Simulata admiratio; alii legunt: *Ah ne tu omnia?*

DA. Hic socer est: alio pacto haud poterat fieri,
Ut sciret hæc, quæ volumus. MY. Hem, prædiceres.
DA. Paulum interesse censes, ex animo omnia,
Ut fert natura, facias, an de industria?

DA. *Hic Chremes est socer futurus Pamphili. Hic non poterat alio modo scire, quæ voluimus ut sciret; puerum nempe ex Pamphilo Glycerium peperisse, eamque esse civem Atticam.* MY. *Hæc me præmonere debueras.* DA. *Parumne interesse existimas inter ea, quæ fiunt vere, et natura ducente; atque ea, quæ arte et industria simulantur?*

uno eodemque conveniat, nisi antea cognoverit ejus recensionem. *Perl.* At Bentleius vix tantæ fraudis fuisset reus, ut lectiones aliorum pro suis sciens prudensque vindicaret. Putat Gov. *quid sit actum* esse interpretis, non Auctoris; claudit versum superiorem cum voce 'Glycer.' et legit *Quid sciam?*—54 Restitui τὸ *Hem* ex Mss. plusculis et edd. vetustissimis. Quanquam nec Junt. nec Aldina, nec St. nec Lindenbruchii agnoscunt. *West.* Fa. e codd. suis legit *volumus:* nos *voluimus*, fide codicis 900 annorum. *Bent.* Ad vocem *volumus* glossa in Br. notat: 'Vel *i.*' De quo sic loquitur Bruns: 'Num *volui* an *voluimus* sit varia lectio, ambigi potest.' 'Fa. facit,' ait Perl. 'ex *quæ* vel *præ* dissyllabon *quaë* vel *praë*: in quo reprehenditur a Bent.' Idem dat *voluimus* cum Both. *Hem* omittunt Br. Bent. Z. Both. Perl.—55 *Paulum* si cum Donato per, multum, explicas, sensus loci quidem patitur, sed repugnat usus loquendi. Legendum esse censemus *Hilum*, quod est Lucret. III. 881. *Bent.* Sed sic etiam alibi Noster. *Both.* Ap. Terent. *Hilum* nullibi invenitur. *Perl.* *Si ex a. o. facias* Guelf. 3.—56 *Natura ubi fert* Both.

ACTUS IV. SCENA V.

CRITO. MYSIS. DAVUS.

CR. IN hac habitasse platea dictum 'st Chrysidem:
Quæ sese inhoneste optavit parere hic divitias
Potius, quam in patria honeste pauper vivere.

CR. *Mihi dictum est in hac platea habitasse Chrysidem, quæ maluit hic Athenis turpiter divitias acquirere; quam pudice, in patria Andro, pauper vivere. Ejus*

1 Ab hac Scena Actum quintum ducere initium nullus dubito, vel ex Critonis persona, cujus adventus catastrophen facit, solvitque errorem omnium. Idem antiquissima manu ascriptum est EV. 1. *West.*—2 Mss. quidam et editi, *parare.* Sed τὸ *parere* ex Probo vindicat Riv. admisitque in suam ed. 1536. Et sane Terentianum magis est. *Id.* Ut 'pauper' sequentis versus possit casum nominativum obtinere, sequor lectionem cod. ubi pro *sese parare* reperitur *sibi parere.* Præsertim cum omnes Fa. habeant *parere.* Bent. *Parare* Z. *Quæ inhoneste parere se hic optavit divitias* Both. *Ditias* vult Gov.—3 *Pau-*

Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.
Sed quos perconter? video. Salvete. My. Obsecro,
Quem video? estne hic Crito sobrinus Chrysidis?
Is est. Cr. O Mysis, salve. My. Salvos sis, Crito.
Cr. Itane Chrysis? hem! My. Nos quidem pol miseras perdidit.
Cr. Quid vos, quo pacto hic? satin' recte? My. Nosne? sic.
Ut quimus, aiunt, quando, ut volumus, non licet.
Cr. Quid Glycerium? jam hic suos parentes reperit?
My. Utinam! Cr. An nondum etiam? haud auspicato huc me attuli.

bona, jure cognationis, post mortem illius mihi obvenerunt. Sed video, quos de loco domus Glycerii interrogem. Salvete. My. *Obsecro, quem video? Estne hic Crito, sobrinus Chrysidis? Ille ipse est.* Cr. *O Mysis, salve!* My. *Tu quoque salvus sis, Crito.* Cr. *Verumne est Chrysidem decessisse?* My. *Nos quidem pol miseras perdidit.* Cr. *Quid vos hic agitis? Quomodo vivitis? Satisne commode?* My. *Nosne, quomodo habeamus, rogas? Ut possumus, quando, ut volumus, non licet, sicut communi fertur proverbio.* Cr. *Quid agit Glycerium? jamne suos parentes reperit?* My. *Utinam reperisset.* Cr. *An adhuc non reperit? Non*

per legerunt veteres Grammatici, Donatus, Probus, Servius, Pr. In quibusdam Mss. et editis est *paupera.* Ms. Bodl. et Lind. *viveret.* West. *Pauper vivere* plerique Mss. et Pr. lib. v. p. 41. tamen in R. *viveret* erat. *Lind.* Ordo *honeste in patria* et efficit suaviores numeros, et comprobatur meis et Faërni libris, sed recentioribus. Deinde lego cum codd. duobus Bodleianis *viveret.* Bent. *Viveret* e Mss. optime reposuit Bent. *R. D.* Verba eodem modo quo Bent. collocat Perl. *Viveret* Br. Both. Perl.—4 Vult Guy. *Ejus mortuæ ad me.*—6 *Consobrinus* J. et Venetus cod. *Perl.* C. et Hel. *consobrinus,* recte. *Both.* qui dat *Q. v. estne hic re consobrinus Chrysidis?*—7 *Is est, Crito* Guelf. 2.—8 Lege, *Nos pol quidem.* Bent. Invertit et Perl. *Itan* Br. et alii.—9 *Sic* addunt Interpp. et sine illo non constat versus trimeter. *Er. Sic* male a nonnullis omittitur. *West.* Ratio versus exigit, ut *satine* legatur. *Bent.* Sic dant Both. Perl. qui ad 'Quid vos' notat: 'GM. *agitis:* quod nisi glossema est, vix alias invenitur. Anglus [sc. Bent.] et alii [ut Z.] conjung. *sic Ut* incommode.' Br. delet *sic.*—10 Alias *lubet.* Er. Non habet *quando* RC. *Perl.* *Quandoquidem* Guelf. 2. *Ut volumus, quando* 3.—12 *Adtuli.* Ita vetustissimæ et optimæ edd. ex Mss. quamplurimis. Pr. lib. xv. Instit. Grammat. *attuli* legit, quod F. F. in septem Mss. invenit. Tr. *appulit* legit. *West.* *Appuli* Fa. dedit: et nihil annotavit. Unus ex nostris bonæ notæ *attuli.* Pr. p. 1009. 'Auspicato: Terentius in Andria: Haut

NOTÆ

6 *Sobrinus Chrysidis*] Consobrini proprie dicuntur nati ex duabus sororibus; sobrini, filii consobrinorum; patrueles, filii duorum fratrum.

12 *Haud auspicato*] 'Auspicari' est, ex avium cantu aut gestu futura divinare. 'Auspicato' est adverbium significans, auspiciis factis: 'inaus-

Nam pol, si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem:
Semper enim dicta 'st ejus hæc, atque habita 'st soror.
Quæ illius fuerunt, possidet. Nunc me hospitem
Lites sequi, quam hic mihi sit facile atque utile,
Aliorum exempla commonent. Simul arbitror,
Jam aliquem esse amicum et defensorem ei: nam fere
Grandiuscula jam profecta 'st illinc: clamitent,
Me sycophantam, hæreditates persequi,

faventibus auspiciis huc appuli: nam pol, si scivissem Glycerium parentes non reperisse, nunquam huc me contulissem; semper enim ea Chrysidis dicta est atque habita soror, ejusque bona possidet: tum me peregrinum, quam sit mihi facile atque utile lites habere hic, in aliena patria, plurima exempla docent. Atque etiam opinor Glycerium jam aliquem amicum habere et defensorem paratum: nam fere grandiuscula ætate ex Andro huc Athenas migravit. Vereor ne me ipsi clament

auspicato huc me appuli.' Ita quidem Putschius dedit: sed nostri ibi codd. *attuli,* ut et illi quos G. F. et F. F. consuluerunt. *Bent.* Lind. *appuli,* ut in lib. antiq. *Perl.* *Appuli* dant Br. Z. Both. qui legit *Ah* pro *An.*—13 Alii, *retulissem,* corrupte, opinor. *West.* *Tetulissem* Diomedes lib. I. ac Mss. *Lind.* *Tetulissem:* sic Plautinum est in plurim. libb. Al. *retuliss.* Al. *detuliss.* Perl.—14 *Ejus* Bodl. non agnoscit. *West.* G. et ET. *Semper ejus dicta esse hæc.* Id. in Add. *Dicta est ejus hæc:* variant hic scripti codices: *ejus dicta esse hæc:* sed melius quod in R. *Semper enim dicta ejus hæc.* Lind. Sic V. et Bas. *Semper enim dicta est esse hæc, atque habita est soror.* Reliqui omnes Faërni, *Semper ejus, &c.* Lege *Semper ei dicta est esse hæc atque, &c.* Sensus est gravior per asyndeta, sublato *enim.* Bent. *Semper ejus dicta est esse, atque habita est soror hæc* Br. *Hæc semper esse dicta est atque* Both. Perlet monet Guelf. 2. habere *esse hæc* sine *ejus,* et in Guelf. 3. poni 'esse' post 'est.'—16 Pro *hic* lego *id,* ob fidem quatuor codd. antiquorum, et ob sensum. Nam, cum 'Aliorum exempla' dicat, non solas Athenas vult intelligi, sed quamvis civitatem. *Bent.* *Id* dat Both. *Quam mihi* Guelf. 3.—18 *Ei.* G. cum ET. et EM. *ejus.* West. *Ejus* V. C. *Lind.* Concinnius erit, si cum quatuor codd. et editione vet. colloces: *Jam esse aliquem, &c.* Bent. Mss. Par. *ejus* pro *ei* minus eleganter. *Perl.* *Ejus* Br. *Esse aliq.* Both.—19 R. *profecta'st illinc clam: clamitent, &c.* Lind.—20 *Hæreditatem* G. ET. EM. *West.* Codd. omnes, *Hæreditatem,* sc. hanc Chrysidis. Melius. Ceterum,

NOTÆ

picato' vero significat, auspiciis neglectis. Et, quoniam Romani nihil incipiebant, nisi sumtis auspiciis, idcirco, 'inauspicato' pro, infeliciter, usurpatur.

16 *Quam mihi sit facile atque utile*] Donatus interpretatur, difficile atque inutile.

20 *Sycophantam*] Cum in Attica magna esset ficuum copia, ad eas asservandas publice custodes statuebantur, qui sycophantæ dicti sunt, ἀπὸ τοῦ σῦκα φαίνεσθαι, id est, ficus deferre: quod accusare solerent eos, qui ficus carperent.

Mendicum: tum, ipsam despoliare non libet.
MY. O optume hospes, pol, Crito, antiquum obtines.
CR. Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam. MY. Maxume.
DA. Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex.

sæpius calumniatorem, qui hæreditatem alienam captem, mendicum denique. Tum etiam, et si hæreditas Chrysidis jure mea sit, tamen illam bonis denudare non licet, cum ipsa nulla alia, quam Chrysidis bona habeat. MY. *Optime hospes Crito antiquum tuum morem observas: cum ita te geris erga Glycerium.* CR. *Duc me ad illam, ut, quando huc veni, saltem eam videam.* MY. *Libenter id volo.* DA. *Sequar hos ad ædes Glycerii. Nolo me senex herus Simo hoc tempore nunc videat.*

cum Donato post 'sycophantam' interpungendum puto. *Bent.* Lind. ex Do. *Hæreditates.* Perl. *Hæreditatem* dant Br. Both. Perl. Non distinguunt post 'sycoph.' Z. Both. Perl. Abest *Me* a Guelf. 3.—21 Codd. duo perantiqui, et totidem ap. Riv. habent *lubet:* quod persona Critonis est dignius. *Bent.* *Licet* Z. *Lubet* Br. Both. Perl. *Spoliare* Perl. qui testatur Guelf. 1. 3. legere *despol.*—22 *Ant. retines* EP. *West.* *Opportune* pro *optime* qui legend. putant ut versui consulant, potius quam *morem* addant, vident meo judicio parum. *Gov.* Duo e nostris, *O optume:* recte. *Bent.* Sequuntur Both. Perl. *Morem* post 'obt.' Guelf. 3.

NOTÆ

22 *Antiquum obtines*] Id est, antiquum et consuetum tuum morem. Sic Plautus absolute sine substantivo dixit in Mostellaria, Actu II. Sc. 3. 'Antiquum hoc obtines tuum, tardus ut sis.'

ACTUS V. SCENA I.

CHREMES. SIMO.

CH. SATIS jam, satis, Simo, spectata erga te amicitia 'st mea:
Satis pericli cœpi adire: orandi jam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, pæne illusi vitam filiæ.

CH. *Satis, jam satis, Simo, perspecta est mea erga te amicitia: satis periculi suscepi. Desiste me orare. Dum studeo voluntati tuæ obsequi, pæne ludibrio habere*

1. 2 *Sati'* Bip. Sed apostropho non opus. *Perl.*—2 Omnes Nostri cum Edd. vett. *incepi.* Recte. *Bent.* Sic dant Br. Both. Perl.—3 C. V. *studui.* Lind.

SI. Immo enim nunc quam maxime abs te postulo, atque oro, Chreme,
Ut beneficium verbis initum dudum nunc re comprobes.
CH. Vide, quam iniquus sis præ studio, dum efficias id quod cupis:
Neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas.
Nam, si cogites, remittas jam me onerare injuriis.
SI. Quibus? CH. Ah! rogitas? perpulisti me, ut homini adolescentulo,
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filiam ut darem in seditionem, atque incertas nuptias:

visus sum, et negligere filiæ meæ salutem. SI. *Immo vero summopere a te peto, atque obsecro, Chreme, ut beneficium, verbis jampridem inceptum, nunc re confirmes et præstes.* CH. *Vide quam iniquus sis, præ studio efficiendi id quod cupis consequi: neque consideras, qui modus benignitatis in amicis servandus sit; neque quid a me tuis precibus postules. Nam, si id cogites, tu desinas mihi contra jus importunus et molestus vexator esse.* SI. *Quomodo vexator tibi fui?* CH. *Quærisne? Invitum coëgisti me, ut adolescentulo, alio amore implicato, alieno a ducenda uxore, filiam meam darem, cum periculo divortii et discessionis a conjugio instabili, ut ejus*

Tibi dum obsequier studeo Both. *Natæ* pro *filiæ* Guelf. 3.—4 *Immo enim quam maxime.* O. l. s. *Immo enim nunc quam maxime.* Donatus vero, *nunc cum maxime:* ita et Eug. et ita legendum est. *Fa.* Recte *cum maxime:* licet omnes nostri *quam.* Bent. *Chremes* Br. et *etiam* pro *enim.*—6 O. l. s. et Do. *dum id efficias.* Fa. *Vide quam iniquus sis præ studio, dum id efficias quod cupis:* prava hic distinctio invaluit, sententiæ detrimento. Tu sic interpunge: *Vide quam iniquus sis præ studio: dum id efficias quod cupis, Neque modum, &c.* Bent. Accedit Both. *Vides* Guelf. 1. *Id eff.* dant Br. Z. Both. Perl.—9 Malim cum Mss. quibusdam et editis, *At rogitas?* West. *At rogitas* G. *At rogas* EM. *Id. in Add.* Omnes nostri *At rogitas?* Legendum etiam, *homini ut.* Bent. Invertit et Perl. *At* exhibent Br. Both.—10 GM. *alieno.* Unica quidem lectio, sed ob minorem codicis ætatem parvi habenda. *Perl.*—11 O. l. s. et Do. *Filiam ut darem.* Omnes fere l. s. et maxime antiqui habent *atque in inc.* Fa. Valeant libri omnes, potius quam ut Terentius præ oblivione bis dederit *ut.* Lege, *Filiam darem,* ut Edd. pleræque habent. *Bent.* *Ut* omnino vitiosum est. *Bruns.* Id delent Z. Both. Perl. *In inc.* dant Bent. Z. Perl.

NOTÆ

3 *Illusi vitam filiæ*] 'Illudere' præter significationem vulgatam significat interdum, per ludum noceo. Virg. II. Georg. de vite novella præcipiens: 'Sylvestres uri assidue capræque sequaces Illudunt.' Idem, in primo Georg. de area granis terendis facienda: 'Tum variæ illudant pestes.' Id est, ne varia et periculosa animalcula infestent. Idem II. Æn. 'Certantque illudere capto.' Id est, per ludum et jocum sævire in injuriam illius. Servius Fuldensis. Sic Suetonius in Tiberio dixit 'illudere capitibus,' et 'illudere corpus.'

Filiam darem in seditionem] Id est, ut filiam darem futuram in continuis dissensionibus et rixis cum marito:

Ejus labore, atque ejus dolore, gnato ut medicarer tuo.
Impetrasti: incœpi; dum res tetulit: nunc non fert: feras.
Illam hinc civem esse aiunt: puer est natus: nos missos face.
SI. Per ego te Deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxime utile 'st, illum esse quam deterrimum.
Nuptiarum gratia hæc sunt ficta, atque incepta omnia.
Ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt, erit ademta his, desinent.
CH. Erras: cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam. SI. Scio.
CH. At vero voltu; cum, ibi me adesse, neuter tum præsenserat.

labore atque dolore remedium afferrem filio tuo, amore turpi insanienti. Tu id a me impetrasti. Etiam incepi nuptias contrahere, dum res permisit: nunc non permittit. Tu me quoque consilium mutare permittas. Dicitur etiam Glycerium civem esse Atticam; ex ea puer filio tuo natus est: proinde omitte nos de nuptiis compellare. SI. *Per Deos ego te oro, ne velis his credere, quibus utile est, ut filius meus pessimus sit atque æstimetur. Nuptiarum impediendarum causa hæ fallaciæ omnes inventæ sunt atque inceptæ. Ubi nuptiæ perfectæ fuerint, et causa, quamobrem fraudulenti illi hæc faciunt, his ademta fuerit; dolos et technas suas desinent.* CH. *Falleris; egomet vidi ancillam Mysidem rixantem cum Davo.* SI. *Scio.* CH. *At vero vultu, non simulato; tunc cum neuter eorum me ibi adesse ante senserat.* SI. *Credo;*

eum Br.—12 *Mederer* Br.—13 *Imperasti* Ed. V. 1483. *Tulit* Er. *Perl. Tulit* Br. qui dat *nunc ut fert, feras.* Hic notat Bruns: 'Ed. *non fert:* potior est lectio codicis.' *Impetrasti inceptum, res dum* Both. 'Guelf. 3. *feras:* fuerat antea neglect. post suprascript.'—16 *Eum* pro *illum* Guelf. 2.—17 Chartaceus noster *facta;* et a prima manu duo alii; postea interpolatum *ficta.* Vera lectio est *facta.* Videre hoc, vel ex conjectura, alii. *Bent.* *Facta* Guelf. 2. —18 Mss. quidam, *tum desinent.* West. *Ademta, his desinent* Br. quam distinctionem magis concinnam esse censet Bruns.—19 Lege numerosius *ancillam jurgantem.* Bent. Invertit et Perl.—20 Varie hæc leguntur, vel *neuter dum præsenserat,* vel *neuter dum persenserat.* Bodl. *neuter tum ne senserat.* West. Hic versus in Bem. incipit a dictione '*At:*' ceterum in scansione ea particula in finem præcedentis versus rejicitur. Conjicit Lolgius *neuter dum:* quod nobis maxime placet. Hoc tamen addimus, videri nobis legendum esse, *persenserat.* Fa. Tolle illud *At.* Lolgius *neuter dum.* Atqui codicum omnium lectio, *tum,* eodem prorsus sensu est. 'Tum,' 'cum,' passim: et nonnunquam 'cum,' 'tum.' Ergo recte *tum.* Bent. *Ac,* seu potius *Atque* C: recte. Vulgo

NOTÆ

ita ut matrimonium dissolveretur.

13 *Dum res tetulit*] Antiquum præteritum.

SI. Credo: et id facturas, Davos dudum prædixit mihi.
Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere.

et hanc fraudem facturas Mysim et Glycerium Davus dudum mihi prædixerat; et nescio propter quid id tibi dicere oblitus sum, contra quam proposueram.

At, minus bene. *Both.* qui cum illa voce *Ac* claudit vs. 19.—21 Repone, *Credo, et id futurum Davos.* Bent. *Facturos* Br. de quo notat Bruns: 'Hæc antiqua lect. pro qua edit. habent *facturas,* genio linguæ minus convenienter mutata est in *factura?*' Dat Br. *dum* pro *dudum.*—22 Sic versum constitue: *Et nescio qui tibi sum oblitus hodie, ut volui, dicere.* Bent. *Ut* dant Both. Perl. *Qui id* legit Both. pro *quid,* et locat *Et* in fine vs. 21.

ACTUS V. SCENA II.

DAVUS. CHREMES. SIMO. DROMO.

DA. ANIMO nunc jam otioso esse impero. CH. Hem Davom tibi.
SI. Unde egreditur? DA. Meo præsidio atque hospitis. SI. Quid illud mali 'st?
DA. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus, non vidi. SI. Scelus

DA. *Omnes jam nunc securo animo esse impero.* CH. *Hem, Simo, ecce tibi Davus adest.* SI. *Unde egreditur?* DA. *Meo auxilio, atque hospitis Critonis.* SI. *Quid etiam illud malum est, quod Davus affert?* DA. *Rebus nostris commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi.* SI. *Quemnam sceleratus hic laudat?*

1 *Jam nunc.* *Nunc jam* o. l. s. et Do. et stat versus divisa voce 'jam' in duas syllabas. *Fa.* Olim fuisse *otiosos* in Br. testatur Bruns. Id. cod. dat *En* pro *Hem.*—2 *'St* omittit Both.—3 Is. Vossius in Scholiis Mss. ad h. l. notat, in quibusdam codicibus legi, *adventum ac tempus;* in aliis, *adventum ad tempus.* In Leid. uno est, *ad tempus adventum.* Tr. habet, *adventum ad tempus.* Qui vero *adventum ad tempus* explicant de Homine, qui advenit ad tempus, stylum Terentianum exasperant. *West.* *Adv. ad t.* G. et ET. *Id. in Add.* *Adv. ad t.* R. *Lind.* Bipontinis placuit *adv. ad t.* Mihi non recedendum videtur a lect. vulgari. *Schmieder.* *Adv. ad t.* Par. recepit. Quo teste Mss. Pall. omitt.

NOTÆ

1 *Impero*] Serviliter exultat Davus.

Hem Davom tibi. SI. *Unde egreditur*] Hæc seorsum loquuntur Chremes et Simo, Davo non audiente, et solo secum loquente.

3 *Scelus Quemnam hic laudat*] 'Scelus' pro scelesto.

Quemnam hic laudat? Da. Omnis res est jam in vado. Si. Cesso alloqui?
Da. Herus est: quid agam? Si. O salve, bone vir. Da. Ehem Simo! o noster Chreme!
Omnia apparata jam sunt intus. Si. Curasti probe.
Da. Ubi voles, arcesse. Si. Bene sane: id enimvero hic nunc abest.
Etiam tu hoc respondes? quid istic tibi negotii 'st? Da. Mihin'?
Si. Ita. Da. Mihine? Si. Tibi ergo. Da. Modo introii. Si. Quasi ego, quam dudum, rogem.

Da. *Omnis res nostra jam in tuto posita est.* Si. *Quid cesso hunc alloqui?* Da. *Herus hic est: quid agam?* Si. *O salve, bone vir!* Da. *Hem, Simo, o noster Chremes! salvete. Omnia jam ad nuptias apparata sunt intus in domo nostra.* Si. *Curasti recte tu quidem.* Da. *Ubi voles, filium accersi jube.* Si. *Bene sane dicis: id enim certe nunc unum desideratur ad solennitatem nuptiarum. An non etiam tu ad id, quod quæro, respondes? Quid tibi negotii est in domo Glycerii?* Da. *Mihi?* Si. *Ita.* Da. *Mihine?* Si. *Tibi, inquam.* Da. *Modo in has ædes introivi.* Si. *Quasi a te quæram, quam dudum introiveris.* Da. *Modo introivi*

al. *ad*, al. *tempus*. Perl.—5 Gu. 1 *Eho, noster Ch.* Both. qui dat *Hem* pro *Ehem.* ' Guelf. 1. *Ehem.* Script. *Eh hem.*' Perl.—6 R. *τὸ jam* deest. *Lind.*—7 Varie autem hæc leguntur. Leid. unus, *is enimvero hinc nunc abest.* Tr. *Bene: hic enimvero hinc nunc abest.* M. *id enimvero hinc nunc abest.* Videtur præferenda lectio, quam edidi. *West.* *Id enimv. hinc non abest* G. *Id. in Add.* Omnes fere l. s. et Do. habent *hinc nunc abest*: item Eug. *Fa.* Tres ex nostris, *is enimvero*: unus *hic nunc.* Frustra. *Bent.* *Is enimvero* R. *Lind.* *Hic* GC. sine apice. Hinc var. in edd. *hic, hinc.* Perl. *Is* pro *id* Guelf. 1. *Accerse* Br. Bent.—8 *Responde* M. G. *Responde mihi* EM. *West.* Do. ' Etiam tu hoc respondes? Deest, Annon.' Qui hoc annotavit, legit *respondes.* Sequitur: '' Etiam,' aut adhortatio est, aut conjunctio.' Qui hoc, legit *responde*, ut nostri codices præter unum universi. *Bent.* *Responde, quid* Br. GM. Bent. Both.—9 CCC. *introivi.* Lege, *Mihi? Tibi ergo. Modo ego introivi.* Bent. *Quam dudum id rogem* V. C. *Lind.* *Quam dudum*: J. et cod. Venetus *te.* Perl.

NOTÆ

4 *Omnis res est jam in vado*] Vada sunt fluminum loca minus profunda, in quibus periclitandi nullus est metus. Proverbium est significans rem extra periculum esse, quale est istud: In portu navigo.

5 *O salve, bone vir*] Ironica salutatio.

6 *Curasti probe*] Approbatio ironica irati Simonis.

7 *Bene sane*] Persistit in ironia.

Id enimvero hinc nunc abest] Alii legunt, *hic.* Si hæc lectio locum habet, talis erit sensus: Nam certe propterea hic, nempe Pamphilus, abest, quia abhorret a nuptiis, nec vult eas perfici.

8 *Etiam tu hoc respondes*] Etiam tu hæc verba respondere audes? scilicet: ' Omnia jam apparata sunt intus. Ubi voles, accerse:' tu qui nuptias dolis tuis impedis et disturbas?

Da. Cum tuo gnato una. Si. Anne 'st intus Pamphilus? crucior miser.
Eho, non tu dixti esse inter eos inimicitias, carnufex?
Da. Sunt. Si. Cur igitur hic est? Ch. Quid illum censes? cum illa litigat.
Da. Immo vero indignum, Chremes, jam facinus faxo ex me audias.
Nescio qui senex modo venit, ellum, confidens, catus.
Cum faciem videas, videtur esse quantivis pretii.
Tristis severitas inest in voltu, atque in verbis fides.
Si. Quidnam apportas? Da. Nihil equidem, nisi quod illum audivi dicere.
Si. Quid ait tandem? Da. Glycerium se scire civem esse Atticam.

cum tuo filio. Si. *Anne est intus hic Pamphilus? Crucior miser animi. Eho, annon tu dixisti, carnifex, esse inter eos inimicitias?* Da. *Sunt.* Si. *Cur igitur Pamphilus est in domo Glycerii?* Ch. *Propter quid illum esse censes? cum illa nempe litigat.* Da. *Immo vero, o Chreme, indignum facinus ex me audies. Nescio quis senex modo advenit, (ecce illum in hac domo,) confidens, cautus: cum vultum ejus quis conspicit, videtur quantocumque pretio dignus esse. Tristis et severa gravitas inest in facie, et in verbis fidei sinceritas apparet.* Si. *Quid de illo apportas novi?* Da. *Nihil equidem, nisi quod audivi illum dicere.* Si. *Quid ait tandem?* Da. *Ait se scire Glycerium esse civem Atticam.* Si. *Hem, Dromo,*

Modo ego introivi Both. *Ita* mittunt in superiorem versum Bent. Both. Perl. *Tibi*, non *Ita*, Guelf. 2. *Jam* ante ' quam dudum ' habet Br.—11 *Eas* Br. Notat Bruns: ' Edit. *eos* melius: ut in scena præcedenti *facturos* probavi.'—13 Lege *Chreme* cum uno ex nostris; et cum quatuor *audies.* Bent. *O here* pro *Chremes* dat Both. qui cum Perl. legit *audies.*—14 Mss. quidam et editorum vetustissimi, *quis senex.* Testatur Is. Vossius in glossis Mss. libros antiquiores impressos habere *cautus.* Certe ita habet EV. 1. Lugdunensis 1511. aliæ: sed et ita est in M. *West.* *Quis senex* G. ET. EM. *Id. in Add.* In Decurtato est *Nescio qui.* Fa. Unus quoque e nostris, *Nescio qui*: et Nonius v. ' Confidens.' *Bent.* *Cautus* GM. et sup. script. *callidus.* Perl. *Quis* exhibent Br. Z.—15 *Vid. quant. pr.* Ms. *Lind.*—17 *Nil quidem, nisi quod eum* Both. *Novi* post *equidem* Guelf. 2.—18 Ex vetustioribus libb. et Donato, versusque ratione lege, *civem esse.* Fa. Ita et nostri omnes. *Bent.* GM. colloc. *Quid*

NOTÆ

9 *Quasi ego, quam dudum, rogem*] De negotio interrogatur, de tempore respondet Davus.

11 *Eho, non tu dixti*] Simo convincit Davum mendacii.

14 *Ellum*] Pro, ecce illum, antiquum est.

SI. Hem, Dromo, Dromo. DA. Quid est? SI. Dromo.
DA. Audi. SI. Verbum si addideris. Dromo.
DA. Audi, obsecro. DR. Quid vis? SI. Sublimem hunc intro rape, quantum potes.
DR. Quem? SI. Davom. DA. Quamobrem? SI. Quia lubet: rape, inquam. DA. Quid feci? SI. Rape.
DA. Si quicquam invenies me mentitum, occidito. SI. Nihil audio.
Ego jam te commotum reddam. DA. Tamen etsi hoc verum est? SI. Tamen.
Cura asservandum vinctum: atque audin'? quadrupedem constringito.

Dromo. DA. *Quid est?* SI. *Dromo.* DA. *Audi.* SI. *Si verbum quidem unum præterea addideris, periisti. Dromo!* DA. *Audi, obsecro.* DR. *Quid vis?* SI. *Sublimem in ædes rape quam celerrime.* DR. *Quem vis rapiam?* SI. *Davum.* DA. *Quamobrem?* SI. *Quia ita mihi placet. Rape, inquam, lorarie Dromo.* DA. *Quid feci?* SI. *Rape.* DA. *Si quicquam mendacii me dixisse invenies, occidito.* SI. *Ego nihil audio. Ego te plagis quatiam, ut mereris.* DA. *Tametsi vera dixerim, me rapi ad supplicium jubes?* SI. *Jubeo. Dromo, custodi eum in vinculis ne aufugiat: atque, audisne? manibus pedibusque sicut feram constringito,*

tand. ait. Perl. *Gl. esse civem scire se Atticam* Both.—19 Ut sæpe antea, appone 'Hem' ad finem prioris versus. *Bent.* Accedunt Both. Perl.—20 *Audi.* GM. præmittit *Illud.* Perl.—21 DRO. ante 'Quamobrem' Br. in litura: forte antea DAV. censente Bruns.—22 'Nihil audio:' Bodl. hæc Dromoni tribuit; sequentia vero, 'Ego,' &c. Simoni. *West. Si quicquam mentitum invenies.* Antiqui libri, *Si quicquam invenies me mentitum.* Alii eandem collocationem verborum habent, sine *me;* alii, et cum iis Donatus, *Si quicquam invenies mentitum me.* Fa. Nostri omnes, *me mentitum.* Bent.—23 *Ego, &c.* Non hæc Dromoni dicta, quasi cunctanti Davum rapere, sed ipsi Davo, qui rerum omnium securus, 'Animo jam nunc otioso esse impero,' dixerat, nunc præceps in pistrinum dandus, ibique se moturus. Quanto ineptior est lectio Guyeti: *Ego jam te comtum.* West. Existimat Wiel. hæc dicta esse Dromoni, additque: Qui potuit moveri constrictus quadrupes? Sed quid si, interdiu molam versans, noctu quadrupes constrictus et asservatus sit? Possit et τὸ *commotum* ad animum referri. *Id. in Add. Tametsi hoc verum est? Tu tamen.* Omnes fere l. s. et in his antiquiores, *Tamen et si.* Quod vero sequitur, *Tu tamen,* omnes libri habent *Tamen tu.* Solus V. non habet vocem *tu,* quæ etiam versui incommodat. Itaque delenda est, et distinguendum est post *Tamen.* Fa. Veterrimus noster *Tamen:* neque agnoscit *tu.* Bentleius. DA. *Tamen etsi hoc verum 'st?* SI. *Tamen.* Ita legendum vulgo nunc contendunt Eruditi. Fa. vero testatur, o. Libros s. legere, SI. *Tamen tu.* Suspicabar, Terentium scripsisse, SI. *Tantum,* unde natum fuerit, *Tamen tu.* Sed et edd. quædam antiquissimæ legunt, *Tantum Tu cura ass. vinctum.* Aliæ, *Tu tamen cura ass. vinctum.* TR. *Tum tu cura ass. vinctum.* Leidensium unus post illa, *Tamen etsi hoc verum est?* statim subjungit, SI. *Cura ass. vinctum.* Alter vero, SI. *Tamen tu cura: quadrupedem constringito.* West. In vett. libb. *tamenetsi hoc verum est.* SI. *Audin? quadrupedem.* Lind. Distinguendum

Age nunc jam, ego pol hodie, si vivo, tibi
Ostendam, herum quid sit pericli fallere, et
Illi, patrem. CH. Ah, ne sævi tantopere. SI. O Chreme,
Pietatem gnati! nonne te miseret mei?
Tantum laborem capere ob talem filium?
Age, Pamphile; exi, Pamphile: ecquid te pudet?

ut terra se movere non possit. Age nunc; jam ego, pol, hodie, si vivo, te docebo, quam periculosum sit herum servum fallere, et Pamphilum, patrem. CH. *Ah ne adeo sæve te geras.* SI. *Chreme, specta pietatem filii mei in patrem. An non mei misereris, quod tantas ærumnas patiar ob talem filium? Age, Pamphile; exi, Pamphile. An non pudore ullo afficeris?*

post *Tamen* Fa. recte judicat. *Perl.* Nec interrogat Z. post 'est,' nec distinguit post *Tamen. Tametsi* Br. nec pungit post *Tamen.* Testatur Perl. *tu* ante 'Cura' habere Guelf. 3. et *Tamen tu cura* habere 1.—25 *Tibi, Dave* G. ET. EM. *West. Davo* post 'tibi' Guelf. 1. *Perl. A. nunc. Jam ego* Br.—26 Lege commodiore ordine: *quid herum.* Bent. Sic ordinat et Perl. *Herum quid sit pericli ostendam fallere* Both. 'Et' mittunt Bent. Z. Both. in vs. 27. —27 *Ha, særi ne tanto opere* Bodl. *West. Chreme.* Omnes fere l. s. *O Chreme:* et sane majorem emphasin habet. *Fa.* Ita omnes nostri, duobus exceptis. *Bent.* In Br. forte primo fuisse *sævias* censet Bruns.—28 Vulgo post 'gnati' interpungitur, minus bene. *Both.*—30 *Te* omittit Perl. et id habere GM. notat. *Et quis te* dat Br.

NOTÆ

27 *O Chreme, Pietatem nati*] Subaudi, specta. Ironia est.

30 *Ecquid te pudet*] Sub. decipere patrem.

ACTUS V. SCENA III.

PAMPHILUS. SIMO. CHREMES.

PA. QUIS me volt? perii: pater est. SI. Quid ais, omnium? CH. Ah,
Rem potius ipsam dic, ac mitte male loqui.

PA. *Quis me appellat? Pater est.* SI. *Quid ais, omnium deterrime?* CH. *Ah, rem potius ipsam narra, ac cessa maledicere.* SI. *Quasi quicquam acerbius,*

1 *Omnium.* GM. *sceleratissime,* et sup. script. *nequissime:* quod id. pro glossa est in Br. Sed aposiopesin hanc esse Do. ait: nec in ullo cod. vel ed. sequitur quicquam post 'omnium.' Inde lect. illa merito suspecta. *Perl.*—

SI. Quasi quicquam in hunc jam gravius dici possiet.
Ain' tandem? civis Glycerium 'st? PA. Ita prædicant.
SI. Ita prædicant? o ingentem confidentiam!
Num cogitat quid dicat? num facti piget?
Num ejus color pudoris signum usquam indicat?
Adeon' impotenti esse animo, ut præter civium
Morem atque legem, et sui voluntatem patris,
Tamen hanc habere studeat cum summo probro?
PA. Me miserum! SI. Hem! modone id demum sensti, Pamphile?
Olim istuc, olim, cum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi;

quam meretur, in hunc dici possit. Tune tandem ais Glycerium esse civem Atticam? PA. *Ita dicunt.* SI. *Itane dicunt? o insignem audaciam! Num cogitat quid debeat dicere? Num facti pœnitet? Vide, num ejus color pudoris aliquod signum demonstrat in toto vultu? adeone impotenti est animo adversus cupiditates suas, ut contra civitatis consuetudinem et legem, suique patris voluntatem, tamen hanc habere studeat cum summo dedecore atque ignominia?* PA. *Me miserum!* SI. *Modone id tandem sensisti; te esse miserum? Olim, istud olim tunc sentire debuisti, cum decrevisti aliquo modo exequi, quod cuperes: eodem die istud verbum vere tibi*

4 *Ha* pro *Ain* Guelf. 2.—6 Alias *pudet*. Er. Sic Guelf. 2.—7 *Vide num*. Do. legit sine *Vide*. Fa. *Num ejus*. Omnes ubique codices: *Vide num*. Nempe viderunt aliquid versui deesse. Lego: *Numnam ejus*. Bent. *Num color enim pudoris* Both. qui notat: 'C sequente vs. *Adeon' enim*. Hoc *enim* hinc, ni fallor, excidit.' *Vide num* habet Br. *Vide non* Guelf. 2.—8 *Adeo impotente*. O. l. s. *Adeon;* quam tamen dictionem oportebit per synizesin contrahere. *Fa.* Apage Synizesin istam *Adon:* Legendum *Adeo inpotenti*. Bent.—10 R. *Tamen habere cupiat cum s. p.* Lind. Pro *studeat* in ed. Sandbyensi legitur *cupiat;* quod sane Simoni irato aptius videtur. *Zeun.* *Cupiat* et Br.—11 *Hem, modone* est in editis vetustissimis. Et videtur appositum. Pro *sensti* Mss. quidam et editi *sensisti* legunt. *West.* *Modone*. O. l. s. quotquot vidi, habent, *Hem, mod.* Fa. Sic et nostri omnes. *Bent.* Omittit *Hem* Br. et dat *sensisti*.

NOTÆ

7 *Num ejus color*] Pudoris color est rubor in facie, sicut timoris pallor: unde Latinis 'erubescere' est, pudefieri, pudore suffundi. Græcis ἐρυθριᾷν, rubescere, idem est ac, pudere.

8 *Impotenti animo*] Impotens dicitur, qui suis cupiditatibus imperare non potest. Græcis ἀκρατὴς dicitur.

Præter civium Morem atque legem] Lex erat Athenis a Pericle lata, de qua meminit Plutarchus in ejus Vita; quæ vetabat connubia cum peregrinis jungere, ut, si quis non ex duobus Atheniensibus nasceretur, nothus esset, planeque expers omnium honorum magistratuumque.

Eodem die istuc verbum vere in te accidit.
Sed quid ego? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam senectutem hujus solicito amentia? an
Ut pro hujus peccatis ego supplicium sufferam?
Immo habeat: valeat: vivat cum illa. PA. Mi pater.
SI. Quid, mi pater? quasi tu hujus indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inventi invito patre.
Adducti, qui illam civem hinc dicant: viceris.
PA. Pater, licetne pauca? SI. Quid dices mihi?
CH. Tamen, Simo, audi. SI. Ego audiam? quid audiam,
Chreme? CH. At tandem dicat sine. SI. Age dicat, sino.
PA. Ego me amare hanc, fateor: si id peccare 'st, fateor id quoque.

reipsa convenire cœpit. Sed quid ago? Cur me torqueo? Cur me tristitia conficio? Cur meam senectutem propter ejus amentiam solicitudine et cura vexo? an ut pro ejus flagitiis pœnas solvam? immo habeat potius hanc peregrinam, a me discedat, vivat cum illa. PA. *Mi pater.* SI. *Quid mi pater? quasi tu indigeas hoc patre, quem compellas. Domus, uxor, liberi tibi inventi sunt contra patris voluntatem: suppositi sunt, qui Glycerium illam hujus urbis civem esse affirment. Vicisti, cedo adversanti.* PA. *Pater, licetne pauca loqui?* SI. *Quid mihi dices?* CH. *Attamen, Simo, audi.* SI. *Quid ego audiam, Chreme?* CH. *Attamen permitte ut dicat pro se.* SI. *Age, ut dicat permitto.* PA. *Ego fateor me amare Glycerium. Si id peccare est, fateor quoque me peccare. Pater, tuæ potestati me committo.*

—14 *Eodem die.* *Nuncne demum* J. et Venetus cod. *Perl.*—15 F. F. legit, *Sed quid ago?* quam lect. laudat Guy. Et sane est se ipsum corripientis. Sed et in antiquis quibusdam editis est, *Sed quid ago?* West. *Ago* ET. *Me autem cur excrucio* G. *Id. in Add.* Cod. Academicus: *Sed quid ego me autem? cur excrucio?* Lege, *Sed quid ego me autem excrucio?* Bent. Sic dat Both.—16 *An* collocant in vs. inferiori Bent. Z. Perl. Both. Ad vs. 17. sic notat Perlet: 'An' incipit ap. Lind. hunc vs.: finit ap. Mur. priorem.'—17 Bodl. *Ut* non agnoscit. *West.* *An p. h. p. e. s. ut sufferam* Both. *Ut* abesse a Guelf. 1. 2. notat Perl.—20 Guelf. 2. ad 'inventi' leg. *sunt*. Perl.—21 *Adductis* Guelf. 3.—22 *Ne* 2. *licet* 1.—23. 24 *Attam. S. audi. E. audiam? Q. ego aud. Ch. Attamen d. s.* Bem. qui hic fere incipit posse legi, nam reliquum Andriæ vetustate corrosum est, habet *Tamen, Simo, audi:* ut et Bas. quod numero magis servit. Habet etiam Bem. *Quid audiam, Chremes?* sine geminatione pronominis, *ego*, ut et Vi. et pro *Attamen dicat*, hic et V. et nonnulli alii, præsertim antiqui, *Attandem dicat.* *Sine* Bem. non habet, nisi superadditum. *Faërnus.* *Tam. S. audi. Ego audiam? quid audiam, Chreme? At tandem d. s.* Sic dedit Fa. *Tamen Simo*, nostri omnes; et, uno excepto, *quid ego audiam:* Tres ex vetustioribus *At tandem.* Lege, *Tam S. audi. Egon audiam? quid ego audiam, Chreme? At tamen d. s.* *Attandem* duplici ictu plane invenustum. *Bent.* *Tandem, Simo* R. *Lind.* Bentleio accedit Perl. et sic Both. nisi quod *Tandem, Simo* legit, notatque: 'Vulgo *Tamen*, omisso *At*. Sequimur A et C. Lectionem spernit immerito Bent.' *At tandem* pro *Tamen*, et *Audiam ego?* legere Guelf. 2. monet Perl. ut et Guelf. 3. legere *illum* post 'audi.' *Quid*

Tibi, pater, me dedo: quidvis oneris impone, impera.
Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere? ut potero, feram.
Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me allegatum hunc senem.
Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. SI. Adducas! PA. Sine, pater.
CH. Æquum postulat: da veniam. PA. Sine te hoc exorem. SI. Sino.
Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chremes.
CH. Pro peccato magno paulum supplicii satis est patri.

Quidvis oneris impone. Impera. Vis me uxorem ducere? Vis me Glycerium dimittere? Id quod vis, ut potero, feram. Hoc tantummodo te vehementer oro, ut ne credas hunc a me summissum senem Critonem, qui hanc civem Atticam esse ait. Permitte ut ab hac culpa me purgem, atque illum coram vobis huc adducam. SI. *Tu adducas!* PA. *Permitte id mihi, pater.* CH. *Æqua est ejus postulatio. Da illi facultatem hoc faciendi.* PA. *Sine, ut hoc a te impetrem.* SI. *Sino. Quidvis concedere cupio; dummodo ab hoc me falli non comperiam, Chreme.* CH. *Pro gravi culpa, levissima pœna filii satisfacit patri.*

ego audiam? et *At tamen* pro *At tandem* dat Br.—27 *Hanc* superest: nisi legas *uxorem hanc*. Er. Ex 'vis' elidendum est *s*, ut sit Trochaicus: expeditius tamen mihi videretur, si legeretur *mittere*. Fa. Recte Fa. ex conj. *mittere*. At alius retinet illud *amittere*, et innocentem voculam *vis* e textu relegat: *Vis me uxorem ducere, hanc amittere?* Perperam omnino. *Bent. Mittere* dant Both. Perl. In Guelf. 2. distinguitur: *duc. hanc?*—29 *Adducas?* Bent. per sign. effert interrog. recte: sed Lind. per exclamandi not. minus convenienter. *Perl.* Interrogat et Both.—30 *Ut* pro *hoc* Guelf. 3. Et hoc et illud omittit Br.—31 *Chreme* Br. Bent. Z. Both. Perl.—32 *Paululum.* Aliqui recentes libri habent *paulum*, ut et exigit versus: omnes tamen antiqui et Do. *paululum.* Item Eug. *Fa.* Quæ tanta indoctorum Librariorum reverentia est? Si *paulum*, ut spondæus pronuntietur, cur scribamus *paululum?* Bent. *Paululum* Br. Z. Sed hic sæpe discrepat inter libros.

NOTÆ

27 *Ut potero, feram*] An possit ferre, dubium patri relinquit.

31 *Comperiar*] 'Ab hoc me falli,' utrum a Pamphilo an a Critone intelligendum sit, quis dubitet: sed de Pamphilo dictum esse opinor. 'Comperiar' pro, comperiam, positum esse censet Muretus: ut apud Ciceronem in Miloniana 'punior' pro, punio. Sed non passivum pro activo sumi; verum deponens esse verbum 'comperior' dicendum est, cum etiam Sallustius in Jugurth. in activa significatione hoc verbo utatur: 'Sed ego comperior Bocchum magis Punica fide, quam ob ea, quæ prædicabat; simul et Romanos et Numidam spe pacis detinuisse.' Hæc sunt verba Sall.

32 *Paulum supplicii*] Supplicium illud est accusatio Simonis, adversus filium Pamphilum. Supplicium etiam est supplicatio. Sall. in Catil. 'In suppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant.' Ibidem: 'Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur.' Sic Livius lib. VII. de bello Punico. Tacitus lib. III. Ann. in hac significatione. Sensus hujus loci hanc interpretationem recipit: Pro peccato magno parva supplicatio filii patrem iratum facile placat.

ACTUS V. SCENA IV.

CRITO. CHREMES. SIMO. PAMPHILUS.

CR. MITTE orare: una harum quævis causa me, ut faciam, monet:
Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.
CH. Andrium ego Critonem video? certe is est. CR. Salvos sis, Chreme.
CH. Quid tu Athenas, insolens? CR. Evenit. Sed hiccine 'st Simo?

CR. *Desine me orare. Una quævis harum trium causarum satis me adducit, ut meo testimonio confirmem, Glycerium esse civem Atticam. Vel tui ratio, vel ipsa veritas, vel quod bene opto ipsi Glycerio.* CH. *Nonne Critonem Andrium video? Et certe is est. Salve, Crito. Quid tu Athenas præter solitum venisti?* CR. *Casu id contigit. Sed nonne hic, quem intueor, Simo est?* CH. *Hic est.* SI.

3 Manifestus mihi error videtur hoc in l. Malim igitur ita ordinare: CH. *Andrium ego Critonem video? certe is est. Crito, salvos sis. Quid tu Athenas insolens?* CR. *Evenit.* Sed et ita Do. legisse conjicias ex ejus verbis. *West. Is* detraxit Er. Ego post eam interrogationem, *And. e. Cr. video? et certe* subjici non puto commode. *Ecere*, non *et certe* puto scripsisse Terentium. *Ecere* adverbium est jurandi. *Gov.* Lege *is certe est*. Bent. Accedunt Both.

NOTÆ

4 *Quid tu Athenas, insolens*] 'Insolens,' est præter solitum et consuetudinem tuam. Hic 'insolens' active sumitur, ut sæpissime solet sumi. Plaut. in Amph. 'Si dixero mendacium, solens meo more fecero.' Sic idem in Truc. Sall. 'Insolens vera accipiendi.' Sed et passive sumitur. Horat. III. Carm. Od. 29. 'Fortuna sævo læta negotio Ludum insolentem ludere pertinax.' Gell. lib. I. Noct. &c. 'Atque id, quod a Cæsare, excellentis ingenii viro, in primo de Analogia scriptum est, habe semper in memoria atque pectore; ut tanquam scopulum fugias inauditum atque insolens verbum.' Verum non jungitur cum infinitivo passivo; ut 'insolitus' et 'solitus.' Neque enim dicas 'solens est hoc fieri,' ut 'solitum est hoc fieri.' At τὸ 'solitus' in utraque significatione usitatum est.

CH. Hic. SI. Men' quæris? eho tu Glycerium hinc civem esse ais?
CR. Tu negas? SI. Itane huc paratus advenis? CR. Qua de re? SI. Rogas?
Tune impune hæc facias? tune hic homines adolescentulos,
Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis?
Solicitando et pollicitando eorum animos lactas? CR. Sanusne es?
SI. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?
PA. Perii! metuo, ut substet hospes. CH. Si, Simo, hunc noris satis,
Non ita arbitrere: bonus est hic vir. SI. Hic vir sit bonus?
Itane attemperate venit hodie in ipsis nuptiis,
Ut veniret antehac nunquam? est vero huic credendum, Chreme?

Mene quæris? Eho, tune Glycerium civem hujus urbis esse ais? CR. *An tu negas?* SI. *Itane tu subornatus huc advenis?* CR. *Quare hæc dicis?* SI. *Quærisne? An impune hoc facere tibi licebit? Tune hic homines adolescentulos nulla experientia rerum instructos, ingenue atque honeste educatos, in fraudem inducis? Incitando et promittendo allicis eorum animos?* CR. *Num apud te es?* SI. *Ac meretricios amores nuptiis confirmas et consolidas?* PA. *Perii: metuo ut hospes Crito firmus contra patrem subsistat.* CH. *Simo, si satis hunc virum noveris, non ita de illo censeas, ut facis. Bonus hic vir est.* SI. *Hic vir sit bonus? Itane præsto est, in ipso tempore nuptiarum composito veniens, cum nunquam antehac venerit? An vero huic credendum est, Chreme?* PA. *Nisi patrem metuam, scio,*

Perl. *Certe* post *ego* Guelf. 3.—5 Codices scripti ita fere habent, *Hic.* SIMO. *Men' quæris?* At duo ex melioribus, *Hic.* SIM. *Simo men' quæris?* unde facilis emendatio est: *Hic.* CR. *Simo, men quæris?* SI. *Eho, tu Glyc.* Bent. In Ed. Sandby. est *Hic est.* Zeun. Sic Guelf. 2. Bentleium sequuntur Both. Perl.—6 *Quare.* O. l. s. *Qua de re.* Fa. Lege cum duobus Nostris, *Qua re?* Bent. Mandato obediunt Both. Perl.—7 *Hoc facias?* Antiqui libri *hæc facias?* quod et invidiosius est. *Fa.* Sic et nostri; et in expositione Donatus. *Bent.* *Tune imp. h. fac.* absunt a Guelf. 2.—8. 9 *In fr. illius, Solicitando et pollicitando eorum animos lactans:* sic dedit Fa. *Lactans* pro *lactas*, ut codices omnes habent et Eutyches p. 2185. Erratum, ut credo, Typographi est: quod tamen virum eruditum in fraudem illexit. Ceterum distinctio prava est, quæ sic corrigetur: *In fraudem illicis Solicitando, et pollicitando eorum animos lactas?* Divide ista, non conjunge. Porro *Sanun es?* edidimus; non literis supervacuis, *Sanusne es?* Bent. *Jactas* Bodl. *West.* In interpungendo sequitur Bentleium Perl. qui dat *Sanus es?* *Sanun' es* dat Both. *Jactas* Br. Lectio codicis, ait Bruns, occurrit in nota Eugraphii.—10 *An* pro *Ac* Br. *Meretriculos* Guelf. 2.—12 *Hic est.* O. l. s. *est hic;* et Donatus. *Fa.* Sic et nostri omnes. *Bent.* *Arbitrare* Br.—13. 14 Lege, et distingue: *Itane attemperate evenit, hodie in ipsis nuptiis Ut veniret, antehac nun-*

PA. Ni metuam patrem, habeo pro illa re illum quod moneam probe.
SI. Sycophanta. CR. Hem! CH. Sic, Crito, est hic: mitte. CR. Videat qui siet.
Si mihi pergit, quæ volt, dicere; ea, quæ non volt, audiet.
Ego istæc moveo, aut curo? non tu tuum malum æquo animo feres?
Nam, ego quæ dico, vera an falsa audieris, jam sciri potest.
Atticus quidam olim navi fracta apud Andrum ejectus est,
Et isthæc una parva virgo: tum ille egens forte applicat
Primum ad Chrysidis patrem se. SI. Fabulam inceptat. CH. Sine.
CR. Itane vero obturbat? CH. Perge. CR. Tum is mihi cognatus fuit,

quid commode Critoni in memoriam reducam, pro illa re quam objicit pater. SI. *Calumniator.* CR. *Hem, mene vocari calumniatorem patiar?* CH. *Sic a natura factus est Simo, vehemens et iracundus. Hunc omitte et sperne.* CR. *Viderit qualis ipse sit. Si perseveret quæ vult probra et convicia dicere, ea quæ non vult invitus audiet. Egone has de nuptiis turbas excito, aut fieri curo? nonne malum, quod propter filium tibi accidit, te patienter ferre oportet, non aliis imputare? Nam de his, quæ dixi, jam sciri potest, utrum vera, an falsa sint ea, quæ a me audivisti. Quidam Atheniensis naufragio facto ad Andrum ejectus est, atque una ista, parva tunc, virgo: tum ille egenus omnium rerum forte se recipit et applicat ad Chrysidis patrem.* SI. *Fabulam incipit narrare.* CH. *Sine eum loqui.* CR. *Itane mihi interrumpit sermonem?* CH. *Perge.* CR. *Is, qui tunc eum hospitio exce-*

quam? est vero huic credendum, Chreme. *Evenit*, plurimi ex nostris: Noli cum Fa. per interrogationem efferre, *est vero huic credendum?* Longe melius est per Ironiam. *Bent.* R. *Ita attemp.* Lind. Bentleium omnino sequitur Perl. Both. quoque, excepto quod interrogat post 'Chreme.' *Evenit* dat Br. *Attentate* pro *attemp.* Guelf. 1. A Guelf. 2. abest *hodie.* Idem Ms. exhibet *ergo* pro *vero.*—17 *Perget* EP. *West.* Omnes præter unum nostri *perget*; et sic Edd. vett. Recte. Neque aliter, credo, ipse Faërnus; sed eo deventum est, ut vel menda Typographica pro Bembinis thesauris accipiantur. *Bent.* *Mihi si perget* Both. *Perget* Br.—18 Omnis vis est in τῷ *Ego*, quam vocem nimia licentia rejicit Guy. *West.* *Metuo* Mss. *Moneo* al. *Lind.* *Non tu tua, malum, an. æq. feres* Both. *Tu* abest a Guelf. 3.—19 Mss. quidam et editi vetustiores, in quibus Junt. exhibent *dixi.* Neque videntur satis apte cohærere præsens *dico* et præteritum *audieris.* Faërno tamen placet τὸ *dico.* Si quis pertinacius defendat τὸ *dico*, non intercedo, modo cum Bem. simul legatur *audierim.* West. *Dico* apud solum Bem. est. *Audierim*, etiam CCC. quod postea interpolatum *audieris.* Atqui recte habuit a manu prima, *audierim*, ex Phania scilicet. *Bent.* *Audierim* Perl. quod forte malum sensum non habet, judice Fa. *Dixi* Br. Guelf. 2.—20 *Apud Andrum.* Ita edidi ex Mss. quibusdam, et præstantissimis editis; sed et Prisciano auctore, Inst. Gramm. lib. VII. Alii, *ad.* West. Nostri omnes *apud.* Sed recte Bem.

Qui eum recepit. Ibi ego audivi ex illo, sese esse Atticum.
Is ibi mortuus est. Ch. Ejus nomen? Cr. Nomen tam cito tibi? Phania.
Ch. Hem, perii. Cr. Verum hercle opinor fuisse Phaniam: hoc certe scio,
Rhamnusium se aiebat esse. Ch. O Jupiter! Cr. Eadem hæc, Chreme,
Multi alii in Andro tum audivere. Ch. Utinam id sit, quod spero. Eho, dic mihi,
Quid eam tum? suamne esse aiebat? Cr. Non. Ch. Cujam igitur? Cr. Fratris filiam.

pit, mihi cognatus fuit. Ibi ego audivi ex illo sese esse Atticum. Is in Andro mortuus est. Ch. *Quod fuit ejus nomen?* Cr. *An tam cito tibi nomen ejus edi cupis? Phania nomen fuit, ut puto.* Ch. *Hem perii.* Cr. *Verum hercle, opinor, Phaniam illi nomen fuisse. Hoc certo scio; Rhamnusium se aiebat esse.* Ch. *O Jupiter!* Cr. *Eadem hæc, Chreme, multi alii in Andro tunc audiverunt.* Ch. *Utinam id sit, quod spero. Eho dic mihi, Crito, quid Glycerium parvulam tunc sibi esse dicebat? Suamne filiam dicebat esse?* Cr. *Non.* Ch. *Cujusnam igitur?* Cr. *Fratris eam esse filiam dicebat.* Ch. *Certe mea est.* Cr. *Quid ais?*

ad. Bent. *Ad* Both. Perl. *Nave* Br. Guelf. 3.—22 *Chr. se ad patrem primo* Both.—23 Locus si, ut interpp. volunt, accipiatur, ut 'vero' adverbium sit, sintque hæc inter se distincta, *Itane vero? obturbat*, corruptum esse locum asseveratione omni confirmo. Quod si vero nomen sit casu dandi, referaturque ad verbum 'obturbat,' obturbare vero erit, veritati obstrepere. *Gov.* Corrige *Perge tu.* Cr. *Is mihi.* Bent. Sequuntur Both. Perl.—24 *Ex illo, civem esse Atticum* Both. qui notat: 'Vulgo *ex illo, sese esse Att.* sed B C Gu. 1. *civem esse Atticum*, Hel. *Att. civem.* Recte.'—25 Solicitat hanc distinctionem Guy. legitque: *Nomen? tam cito tibi: Phania.* Maneat vetus distinctio. *West.* Donatus: '' Phania:' Hoc ita dixit Crito, ut nemo audiret: scilicet adhuc dubitans, an ipse sit.' Falsum hoc: quippe, si nemo audiebat, qui factum est, ut statim subinferret 'Hem' et 'Perii?' Donatus iterum: '' Hem:' sunt qui putant Simonem 'Hem' dicere, irascentem filio Critonem submonenti.' Hinc patet, olim fuisse qui illud 'Phania' Pamphilo tribuerent, non Critoni. Recte; unde sic legendum: *Nomen tam cito?* Pa. *Phania.* Ch. *Hem.* Ejecimus *tibi*, quod abest a R. et CCC. et in altero 900. annorum a manu secunda est post rasuram; ut jure quis suspicetur Pam. fuisse erasum, et interpolatum *tibi.* Bent. Sic Br. legit: *Nomen: jam cito tibi? Phania.* Sic Bothius: *Nomen? Tam cito. Phania.* Dat *Ejus nomen dic* Guelf. 3.—26 'Hem' rejiciunt in vs. 27. Bent. Both. *Certe* Br. —27 *Sese aibat* lege. *Bent.* *Sese* dat Perl.—28 Ejice *tum*, quod nec in Pet.

NOTÆ

27 *Rhamnusium*] Rhamnusius a Rhamnunte, oppidulo Atticæ, in quo celeberrimum fuit templum Nemesis, Deæ ultricis superborum (quæ ob id Rhamnusia dicta est), ejusque simulacrum marmoreum factum a Phidia nobili statuario, altum decem ulnas.

Ch. Certe mea 'st. Cr. Quid ais? Si. Quid tu ais? Pa. Arrige aures, Pamphile.
Si. Qui credis? Ch. Phania ille, frater meus fuit. Si. Noram, et scio.
Ch. Is hinc, bellum fugiens, meque in Asiam persequens, proficiscitur.
Tum illam relinquere hic est veritus; postilla nunc primum audio,
Quid illo sit factum. Pa. Vix sum apud me, ita animus commotus est metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.

Si. *Quid tu ais?* Pa. *Arrige aures, Pamphile.* Si. *Quomodo his verbis tam facile credis?* Ch. *Phania ille frater meus fuit.* Si. *Noveram eum, et scio ipsum fratrem tuum fuisse.* Ch. *Is, bellorum motus fugiens, hinc in Asiam proficiscitur me quæsiturus. Tunc illam parvulam hic Athenis relinquere est veritus. Post illa tempora, nunc primum audio, quid de illo factum fuit.* Pa. *Vix mentis compos sum; ita metu agitatus sum amittendæ Glycerii, spe ipsius habendæ, gaudio quod sit civis Attica: dum miror hoc tantum tamque insperatum bonum.* Si.

est. *Bent.* *Tum* delent Both. Perl. qui notat Guelf. 1. 2. dare *tum.* *Heo* pro *eho* Br.—29 *D* ex *Quid* abjici vult Fa. Succurrendum erat alia via; *aibat* scilicet pro *aiebat*; ut passim. *Bent.* *Quid eam tum esse aiebat? suamne* Both.—30 Guy. mallet ita: *Certe mea 'st.* Si. *Quid ais?* Ch. *Tu quid ais? arrige aures, Pamphile.* Mihi aliter videtur. Esto ex Mss. et editorum varietate, hic ordo et sensus: *Certe mea est.* Cr. *Quid ais tu? quid ais? Arrige aures, Pamphile.* West. Sic legit Bothius: *Certe mea est.* Pa. *Quid ais?* Si. *Quid tu autem?* Pa. *Ehem, arrige aures, P.* notatque C dare *Tu ais hem.* —31 *Illic* Bent. secund. Fa. Vulg. *ille.* Perl. qui illud dat.—32 Leve est, quod moneo, nec tamen ad perspicuitatem sensus omnino contemnendum, *κόμματος* signum me posuisse post vocem 'hinc,' contra quam fieri video in omnibus, quos magno numero vidi, editis libris. *West.* Br. et Z. non pungunt post 'hinc.' '*Is*' rejicit Both. in vs. 31.—33 *Hic relinquere.* Nullus est liber, qui ita collocet; sed omnes in hunc modum: *relinquere hic est veritus: postilla nunc primum audio.* Sed versus impeditus est, nisi *post illa* in duas dictiones dividas, ita ut *illa* sit pyrrhichius. *Fa.* Male Fa. et eum secutus vir doctus dactylum faciunt ex *postilla*, quod tribus constat longis. Lege *hic relinquere veritus est.* Bent. Mirum est, si quis ultimam producat. *Perl.* *Tum veritus hic relinquere eam est* Both. *Tempora* post *illa* Guelf. 2. legere notat Perl. qui dat *post illa.*—34 Mss. quidam et editi: *Quid de illo.* West. *De illa* Guelf. 1. *Est* omittit Both.—35 *Et tum* Guelf. 1.—36 *Sane istam multis*

NOTÆ

29 *Cujam igitur*] Vetustum adjectivum per tria genera declinabile: id est, cujus.

30 *Arrige aures, Pamphile*] Metaphora ducta ab animalibus, quorum plerique solent, si quando quid eminus audiant, aures surrigere. Aures erigimus, vel arrigimus, cum aliquid libenter audimus.

SI. Næ istam multimodis tuam inveniri gaudeo. PA. Credo, pater.
CH. At mihi unus scrupulus etiam restat; qui me male habet. PA. Dignus es
Cum tua religione, odio: nodum in scirpo quæris. CR. Quid istuc est?
CH. Nomen non convenit. CR. Fuit hercle huic aliud parvæ. CH. Quod, Crito?
Numquid meministi? CR. Id quæro. PA. Egone hujus memoriam patiar meæ
Voluptati obstare, cum egomet possim in hac re medicari mihi?

Certe istam Glycerium inventam esse tuam ex multis et certis argumentis vehementer gaudeo. PA. *Credo, pater.* CH. *At mihi unum dubium etiam restat, quod me angit.* PA. *Dignus es odio, cum tua superstitiosa anxietate. Tu in re minime dubia occasionem dubitandi quæris.* CR. *Quid istud est?* CH. *Nomen, quo illam vocant, non convenit cum nomine filiæ meæ.* CR. *Fuit hercle aliud ei nomen, dum parva erat.* CH. *Quod, Crito? Numquid meministi?* CR. *Id quæro.* PA. *Egone hujus fluxam memoriam patiar meæ voluptati moram injicere; cum ego possim ipse mihi remedium invenire? Non patiar. Heus, Chreme! quod no-*

modis EP. [Br.] *West.* *Ne istam multis tuam.* O. libri antiqui et Do. *multis modis*, habent. Sed Bem. *multimodis*, quod ad versum optime quadrat. *Fa.* Turpe mendum jam diu hic insedit. Repone: *Næ istam multimodis civem inventam gaudeo.* Bent. *Sane istam multis modis* Vet. Cod. *Lind.* *Multimodis* junctim recte. *Perl.* Sic legit Bothius: *Næ t. m. inveniri eam gaudeo.* CH. *Credo.* PA. *Pater...Sane* pro *Næ* Guelf. 2.—37. 38 *Dignus es Cum tua religione, odio.* Integrum hunc versum Guy. expungi vult, tanquam ab interpolatore ortum. Verum cum et apposite dicantur, et Latinissime, et jam Donati ætate lecta sint, jure vindicantur Terentio, nisi quod Donatus legit *odium.* Quod si admittas, ita distinxerim: *Dignus es Cum tua religione: odium.* Nisi *dignus odium* scripsit Terentius, uti Phorm. III. 2. 34. 'Di tibi omnes id, quod es dignus, duint.' *West.* *Odium* habet Bem. et V. quemadmodum et Do. legit. *Fa.* Noster quoque veterrimus *odium*: et sic Nonius, v. Religio, et Cledonius p. 1901. *Bent.* *Odium* legitur in membranis optimis, non *odio*, ut edd. quædam habent. Vossius de Constructione c. 13. aliique *odium* cum 'dignus' jungunt, ut *dignus odium* elliptice dicatur pro, dignus ad odium. Sed melius est post vocem 'religione' interpungere, et *odium* accipere pro homine odioso, ut 'scelus' pro homine scelesto. *R. D.* *Odium* dant Z. Bent. Both. Perl.—39 Guelf. 2. *Huic nom.*—41 *Egomet.* Revocavi vocem ex Mss. nonnullis et edd. antiquissimis, approbante etiam Rivio. Vulgo, *ego.* West.

NOTÆ

37 *At mihi unus scrupulus*] Scrupus est lapillus pedes ambulantium lædens. Scrupulus, ejus diminutivum, per translationem significat difficultatem, molestiam, dubium.

38 *Nodum in scirpo quæris*] Scirpi junci sunt palustres sine nodo: unde Proverbium est de his qui in rebus claris scrupulum quærunt.

Non patiar. Heus Chreme: quod quæris, Pasibula 'st. CR. Ipsa 'st. CH. Ea 'st.
PA. Ex ipsa millies audivi. SI. Omneis nos gaudere hoc, Chreme,
Te credo, credere. CH. Ita me Di ament, credo. PA. Quid restat, pater?
SI. Jamdudum res reduxit me ipsa in gratiam. PA. O lepidum patrem!
De uxore, ita ut possedi, nihil mutat Chremes. CH. Causa optuma 'st,
Nisi quid pater ait aliud. PA. Nempe. SI. Id scilicet. CH. Dos, Pamphile, est

men quæris, Pasibula est. CR. *Ipsum nomen est.* CH. *Idipsum est.* PA. *Ex ipsa audivi millies.* SI. *Ego credo te credere nos omnes gaudere, o Chreme, propter hoc, quod reperta est tua filia.* CH. *Ita me Dii adjuvent, credo.* PA. *Quid restat, pater?* SI. *Jam pridem, fili, res ipsa, quod filiam amas Chremetis, quæ ab eo agnita est, gratiam meam tibi reconciliavit.* PA. *O lepidum patrem! Quod ad uxorem pertinet; quominus ita eam posthac possideam, ut antea possedi, nihil de hoc mutat Chremes.* CH. *Causa legitima est, propter quam tibi uxoris confirmetur possessio; nisi pater reclamet et dissentiat.* PA. *Certe non reclamabit, neque dissentiet.* SI. *Sic est. Non dissentio.* CH. *Dotem, Pamphile, dico decem*

Tres ex nostris cum vett. edd. *egomet.* Recte. *Bent.* *Ego* Z.—42 Non audiendus T. Faber, legens *Heus, Crito.* Neque adeo opus cum F. H. *quærit* legere. *West.* *Pasibula.* Per unum *s*, et in Bem. et V. et in multis aliis est libris. *Fa.* *Pasibulast.* Teterrimum mendum: an *Pasibulast* hic legemus, tertia brevi, cum Græce sit Πασιβούλη? Immo lege, *Pásibúla.* *Ipsust. East.* Ceterum nihil opus est aut Fabri acumine, qui vult, *Heus, Crito*, aut viri docti, qui *quærit.* Bent. Delent *est* Both. Perl. *Passibula est* Br.—43 *Ex ea* Guelf. 2. Abest *hoc* a 3.—44 *Ut credo* 1.—45 Nimis ingeniosus est Guy. substituens, *reduxit te in gratiam.* West. *Gratiam:* J. et E. V. add. *tuam.* Perl.—46 Distinxi cum Antesignano et Par. post τὸ 'uxore,' ut pateat, absolute dici, 'De uxore,' pro, quod ad uxorem attinet. Præstat autem hæc verba accipere tanquam Pamphili exultantis, non alloquentis Chremetem. Unde frustra est Guy. legens, *mutas, Chreme.* Westerhovius. Bip. pr. var. *nihil mutas Chremes?* Nil notant, ubi. *Perl.* *De...Chremes:* Hæc v. affirmative accipiunt: male. *Both.* Ad 'Chremes' notat glossa in Br. 'Vel ?'—47 *Pater aliud* Mss. quidam. *Dos, Pamphile, est decem talenta:* Hanc lect. ridiculam dicit Guy. præfertque illam: *Dos Pamphilo Decem talenta;* sub. sunt vel erunt. Et sane Do. videtur legisse, *Dos Pamphili est Decem talenta.* Habet vero majorem ἐνέργειαν, si Chremes ipsum Pamphilum futurum generum alloquatur; et magis convenit responsum Pamphili. Tum, qui minus dixerit Terentius, *decem talenta*

NOTÆ

44 *Quid restat, pater*] Obliqua postulatio nuptiarum Glycerii.

Decem talenta. PA. Accipio. CH. Propero ad filiam: eho mecum, Crito:

Nam illam me credo haud nosse. SI. Cur non illam huc transferri jubes?

PA. Recte admones. Davo ego istuc dedam jam negoti. SI. Non potest.

PA. Qui non potest? SI. Quia habet aliud magis ex sese, et majus. PA. Quidnam? SI. Vinctus est.

PA. Pater, non recte vinctus est. SI. Haud ita jussi. PA. Jube solvi, obsecro.

talenta. PA. *Accipio.* CH. *Propere ad filiam eo. Eho, Crito, mecum veni: nam credo illam non me noscere.* SI. *Cur non illam ad me ex ædibus adduci jubes?* PA. *Recte admones. Davo istud jam negotium dabo.* SI. *Non potest id exequi.* PA. *Quomodo?* SI. *Quia aliud et majus habet negotium quod ad ipsum pertinet.* PA. *Quidnam est?* SI. *Vinctus est.* PA. *O pater, non recte vinctus est.* SI.

est dos, quam supra III. 3. 23. ‘Iræ amantium est integratio amoris.’ Si id minus placet, liceat suspicari, natam lectionem *τοῦ est* ex compendio *st*, id est, *sunt;* qui facilis Librariorum error fuit. *West.* *Aliud ait.* Bem. et multi alii, *ait aliud:* item *dos, Pamphile, est.* Faërnus. *Pamphile*, etiam nostri omnes. Lege, et distingue: *Nisi síquid páter ait aliud. Nempe id. Scilicet. Dos, Pamphile, est.* Bent. Dat Bothius: *Nisi si q. p. a. a.* SI. *Nempe id scilicet.* CH. *Dos, &c.* qui notat in Gu. 1. esse: PA. *Nempe nil.* SI. *Id sc.* Legere Guelf. 3. *Nisi* a m. sec. et *nihil* post ‘Nempe’ testatur Perl. *Pamphili* Br.—48 Codex Academicus paulo aliter: *Propere ad filiam eho mecum, Crito.* Bent. *Eho meus Crito mecum* J. et E. V. *Perl.*—49 *Haud nosse credo.* Antiqua exemplaria, *credo haut nosse.* Fa. Sic et nostri, duobus exceptis. *Bent.* *Noscere* Guelf. 2.—50 *Davo istuc.* Omnes fere libri, et in iis vetusti, post ‘Davo’ habent pronomen *ego.* Fa. Sic et omnes nostri. *Bent.* *Ego* omittit Both.—51 *Qui non potest.* Revocavi lectionem ex octo Mss. Bodl. Tr. M. et Leidd. quinque. Atque ita inveni expressum in EP. EV. 1. Junt. 1505. Lugd. 1511. aliis: sed et ita ex V. C. et R. Lindenbruchius citat. Vulgo, *Qui?* West. *Non potest* omittunt Z. Bent. Both.—52 Quid est, *Haut ita jussi?* Nihil extricare possis. Recte codex Academicus: *At ita jussi:* hoc est, ut recte vinciretur. Jocatur senex ex ambiguo verbi ‘recte.’ Donatus, ut nos, legebat *At;* etsi hodie ejus exemplaria *Haut* habeant. *Bent.* Non male conjicit Bent. Donatum legisse *At.* Zeun. Sequuntur

NOTÆ

48 *Decem talenta*] Talentum Atticum, pro pecuniæ summa, valet sexcentis coronatis Gallicis. Decem talenta sunt sex millia coronatorum.

51 *Quia habet aliud magis ex sese*] Id est, suum, magis ad se pertinens.

52 *Non recte vinctus est*] Pamphilus per ‘non recte’ intelligit, non juste: Simo vero per jocum intelligit, non satis stricte; ut qui jusserat Davum tanquam quadrupedem arctissime vinciri.

SI. Age fiat. PA. At matura. SI. Eo intro. PA. O faustum et felicem hunc diem!

Jusseram eum recte vinci. PA. *Jube eum solvi vinculis, obsecro.* SI. *Age, fiat.* PA. *At festina.* SI. *Eo intro.* PA. *O faustum ac felicem hunc diem!*

Bentleium Both. Perl.—53 *Matura.* Hanc lect. contra Fabrum, legentem *mature*, vindicat F. H. *West.* In Bem. et aliquibus aliis libris, non est pronomen *hunc*, quod et consuetudini dicendi accommodatius est. *Fa.* Etiam ex nostris pars major non agnoscit *hunc:* nec Nonius, v. Faustum. Ceterum verum est, quod Faber conjecit, *mature*, non *matura.* Eun. II. 1. 2. ‘Faciam. At diligenter. Fiet. At mature. Fiet.’ Plane, ut hic: et frustra cavillatur vir doctus. *Bent.* Accedunt Both. Perl. qui cum Bent. *hunc* delent.

ACTUS V. SCENA V.

CHARINUS. PAMPHILUS.

CH. PROVISO quid agat Pamphilus: atque eccum. PA. Aliquis forsan me putet

Non putare hoc verum: at mihi nunc sic esse hoc verum lubet.

Ego Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror,

CH. *Venio visum, quid agat Pamphilus; atque ecce illum.* PA. *Aliquis fortasse putet me non putare hoc esse verum, quod mox dico: at placet mihi nunc hoc verum esse. Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse judico, quod voluptates*

1 *Forsitan* R. et V. C. *Lind.* Sic et Br.—2 Codex Academicus, *licet.* Repone, *liquet.* Bent. Τὸ *sic* in Ms. deest. *Lind.* Bent. eleganti conjectura legit *liquet.* R. D. *Liquet* refinxit Bent. mire. *Perl.* Optime Bent. *liquet.* Both. qui dat *deputare.*—3 *Ego vitam Deorum.* Ita Bem. et Bas. sed omnes alii, et Donatus, *Ego Deorum vitam.* Fa. *Ego Deorum vitam* dedit Faërnus: at nostri omnes: *'Ego vitám Deorúm.* Vides ut inconcinne fiant ictus in syllabis postremis. Neque hilo melius, *Ego Deorúm vitám propterea.* Vir eruditus solita sibi felicitate, *Ego Deum vitam.* Sed locus erat ex Servio restituendus, qui sic citat: *Ego Deorum vitam eapropter semp. esse arb.* Bent. qui

NOTÆ

3 *Ego Deorum vitam*] Hoc dictum est ex sententia Epicuri. Ille enim vitam judicabat beatissimam, quæ plurimum haberet voluptatis: tristitiæ quam minimum.

Quod voluptates eorum propriæ sunt: nam mihi immortalitas
Parta 'st, si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit.
Sed quem ego mihi potissimum optem nunc, cui hæc narrem, dari?
CH. Quid illud gaudii est? PA. Davom video: nemo 'st, quem mallem, omnium.
Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia.

propriæ eorum sunt et perpetuæ. Certe immortalitas mihi acquisita est, si nulla tristitia huic præsenti gaudio, quo repleor, interposita fuerit. Sed quem præcipue exoptem mihi nunc obviam fieri, cui fortunam secundam et hanc meam felicitatem commemorem? CH. *Quid illud gaudium est?* PA. *Davum video. Nemo est omnium, quem mallem mihi occurrere: nam scio hunc perfecte atque ex toto animo, ob mea gaudia, gavisurum.*

dat *eapropter. Deorum vitam propterea ego* Both.—4 *Quid* Guelf. 1.—5 Leidd. unus *mihi immortalitas Orta. Parata* G. ET. EM. *West. Parata est* Vet. Cod. *Lind. Est parta* Both.—6 Fa. sic dedit. Sed versus laborat. Succurrunt duo ex nostris codices, qui recte habent, *cui nunc hæc narrem, dari?* Et ex iis alter *optem* cum Bembino: ceteri omnes *exoptem*. Bent. Sequuntur Both. Perl. *Exoptem* Br.—7 *Malim* nostri præter Hel. recte. Vulgo *mallem*. Both. *Malim* dat Br.

NOTÆ

5 *Si nulla ægritudo*] Quamobrem a Romanis duæ Deæ colebantur in eodem templo; Angeronia ab angoribus dicta, et Volupia a voluptate; indicantibus, in vita hominum, voluptates et dolores inter se commixtas esse.

ACTUS V. SCENA VI.

DAVUS. PAMPHILUS. CHARINUS.

DA. PAMPHILUS ubinam hic est? PA. Dave. DA. Quis homo 'st? PA. Ego sum. DA. O Pamphile.

DA. *Ubinam est hic Pamphilus?* PA. *Dave.* DA. *Quisnam homo est, qui me appellat?* PA. *Ego sum.* DA. *O Pamphile!* PA. *Nescis quid mihi acci-*

1. 2 Hæc Scena in Mss. quibusdam additur superiori: cui et *Davi* nomen præfigunt. Editiones vetustissimæ separant, paucis exceptis. Variant Aldinæ. *Pamphilus ubinam hic est?* Hæc circumspectans loquitur Davus: neque

PA. Nescis quid mihi obtigerit. DA. Certe: sed, quid mihi obtigerit, scio.
PA. Et quidem ego. DA. More hominum evenit, ut, quod sim nactus mali,
Prius rescisceres tu, quam ego illud, quod tibi evenit boni.
PA. Mea Glycerium suos parentes reperit. DA. O factum bene! CH. Hem!
PA. Pater amicus summus nobis. DA. Quis? PA. Chremes. DA. Narras probe.
PA. Nec mora ulla 'st, quin eam uxorem ducam. CH. Num ille somniat

derit. DA. *Certe: sed quid mihi acciderit scio.* PA. *Et quidem ego.* DA. *Ut accidere solet hominibus, ita evenit nobis; ut prius cognosceres, quod mali inveni, quam ego audirem, quod boni tibi obtigit.* PA. *Mea Glycerium suos parentes reperit.* DA. *O quam rectè contigit!* CH. *Hem.* *Pater ejus summus amicus noster est.* DA. *Quis?* PA. *Chremes.* DA. *Bene narras.* PA. *Nec quicquam nos retardat quin eam uxorem ducam.* CH. *Num Pamphilus somniat ea, quæ*

adeo opus, cum Guy. ita ordinare personas: DA. *Pamphilus ubinam?* PA. *Hic est, Dave.* DA. *Quis homo 'st? Quisnam homo 'st* G. et EM. *West. Quisnam homo est.* Antiqui libri *Quis homo'st*, ut versus exposcit. *Fa.* Etiam nostri omnes, *Quis.* Duo ex nostris *Ubinam est*; quorum alter *Pamphile* sine *O*: at codex Academicus, *Ego sum Pamphilus.* Lege et distingue: *Pamphilus ubinamst?* PA. *Hic est, Dave.* DA. *Quis homost?* PA. *Ego sum Pamphilus: Nescis quid mi obtigerit.* DA. *Certe.* Ceterum illud, 'Nescis quid mi obtigerit,' sine interrogatione pronuntia. *Bent.* Distinctio in vs. 1. Bentleii et Guyeti non placet Perlet. qui putat *Ego sum Pamphilus* incommode dici. '*Ego sum Pamphilus* bene cod. Bent. Etiam Hel.: *Ego sum Pamphilus.* DA. *O Pamphile.* PA. *Nescis, &c.*' Both. qui sequitur Bentleium, excepto quod interrogat post 'obtigerit' cum Br. Ceterum versum 2. sic dat Bothius: *Nescis quid mi obtigerit?* DA. *Certe non.* PA. *Non?* DA. *Set, quid mihi, scio:* et notat: 'Vulgo *Certe.* C *Certe non*: et sic quoque corrector in B. Alterum *Non* forte excidit.' *Quisquam* pro *Quis* Guelf. 2. Hæc Scena, ait Perl. contexta est in GM. cum priore, in GC. separata.—3 Repone *ut quod sim ego n. m.* Bent. Accedunt Both. Perl. *Ego* abesse a Guelf. 2. 3. notat Perl.—4 Si legas *Tu pr. resc.* versus probe constat. *Er. Quam ego quod tibi.* O. l. s. post *ego* habent *illud.* Fa. Nostri item omnes *illud*, sed male. Porro pro *quod tibi*, repone *tibi quod.* Palatinus Fabricii non habet *illud.* Bent. cui accedunt Both. Perl.—5 Bem. et aliqui alii libri non habent interjectionem *O*, sicut hic ipse antiquissimus liber nec in Eunucho eam habet, nisi superadditam, in eo versu, 'Quid ni habeam? factum bene.' *Fa.* Omnes nostri præter unum agnoscunt *O.* Bent. Eam omisit Z.—6 *Pater est* Guelf. 2.—7 Mss. quidam, *quin jam uxorem:* quam lect. probat G. F. *West.* Duo ex nostris

NOTÆ

2 *Sed, quid mihi obtigerit*] Hoc Davus dicit de vinculis ridicule.

3 *More hominum evenit*] Quia fama mali celerior est, quam boni: id est, evenit, ut facilius mala quam bona nuntientur.

Ea, quæ vigilans voluit? PA. Tum de puero, Dave? DA. Ah, desine.
Solus est, quem diligunt Di. CH. Salvos sum, si hæc vera sunt.
Colloquar. PA. Quis homo 'st? O Charine, in tempore ipso mihi advenis.
CH. Bene factum. PA. Audistin'? CH. Omnia. Age, me in tuis secundis respice.
Tuus est nunc Chremes: facturum quæ voles, scio esse omnia.

vigilans expetivit? PA. *Ceterum de puero, Dave, ut se habet?* DA. *Ah, desine de illo plura quærere. Ille solus est ex omnibus pueris, quem Dii in deliciis habent, et in sinu gerunt.* CH. *Si hæc vera sunt, salvus sum. Compellabo Pamphilum.* PA. *Quis homo est, qui ad nos accedit? Charine, opportune mihi advenis.* CH. *Tecum bene actum esse gaudeo.* PA. *Hem! audistine?* CH. *Omnia audivi. Agedum, in tuis prosperis successibus fac ut me adjuves. Chremetem totum possides: scio illum facturum esse omnia, quæ voles.* PA. *Semper tui me-*

veterrimi, *quin jam.* Recte. *Bent.* *Quin jam* R. *Lind.* *Jam* dant Both. Perl. —8 *Ah, ah* Br.—9 M. et quædam edd. vetustæ, *Solus es.* West. Scripsimus, *diligant*, ex antiquis libris. *Fa.* Duo ex nostris cum vett. Edd. *Solus es*, quod et viro erudito jure placuit: non tamen ideo, quia est Phorm. v. 6. 14. 'Nam sine controversia ab Dis solus diligere, Antipho:' sed quia non tam infanti hoc convenit, quam patri, cui omnia bona tam repentino contigerunt. Hoc tamen ex Phormionis loco scire licet, *diligunt*, quod ex nostris aliquot habent, non *diligant* legendum. *Bent.* *Es* dant Both. Perl. *Diligant* Br. Z. *Salvus sum ego* Guelf. 2.—10 Quidam Mss. et editi vetustissimi, *Adibo et colloquar.* Bodl. *Adibo: colloquar.* West. Omnes quotquot sunt l. s. habent, *o Charine.* Fa. Velint, nolint Librarii, ejiciendum est *o*, ut in versu sequente *n*, *Audisti*, non *Audistin.* Ludit enim operam vir doctus, cum ex eo, quod plurimi codices habeant, *Adibo et colloquar.* *Quis homost?* mavult ejici, *Et colloquar:* et in textum recipi, *Adibo.* *Quis homost? o Charine.* Bent. *Adibo et colloquar* R. [et Br.] *Lind.* *O* delent Both. Perl. qui monet esse in Guelf. 3. *Mihi* omittit Br.—11 *Hem audistin'?* Aliqui libri, inter quos Bem. non habent *Hem.* *Me in secundis:* Libri vetusti, *me in tuis secundis.* Donatus, *tuis secundis rebus:* quod tamen dicit esse ex iis, quæ absolute dicuntur; ex quo apparet eum legere, *in tuis secundis:* nam, si adderetur *rebus*, non esset absolutum. Sane versus hic est octonarius iambicus; si vero legeretur, *audisti?* esset trochaicus, ut ceteri: quod et placet. *Fa.* Plures quoque ex nostris non habent *Hem.* Bent. *Audisti* legunt Both. Perl. *O bene* Guelf. 3. *Benefactum est* 2. Uterque dat *Hem.* *Em* Br. et *secundis rebus.*—12 *Esse*

NOTÆ

9 *Solus est, quem diligunt Di*] Hyperbole de magna alicujus felicitate. Illustres quosque Heroas Deorum filios, cognatos, et amicos fuisse fabulatur Antiquitas, ut Herculem Jovis filium, Æneam Veneris, multosque alios.

PA. Memini: atque adeo longum est nos illum expectare, dum exeat.
Sequere hac me intus ad Glycerium nunc. Tu, Dave, abi domum:
Propere arcesse, hinc qui auferant eam. Quid stas? quid cessas? DA. Eo.
Ne expectetis, dum exeant huc: intus despondebitur;
Intus transigetur, si quid est, quod restet. Ω Plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

mini. Longum vero tempus est nos expectare, donec ille exeat domo: tu sequere hac me intus. Chremes nunc est in ædibus Glycerii. Tu, Dave, abi domum. Festina. Accerse viros, qui eam auferant ex domo, ubi nunc est, et ad nos transferant. Quid stas immotus? Quid tardas? DA. *Eo. Ne expectetis, Spectatores, dum huc exeant in proscenium Actores nostri. Intus sponsalia fient. Intus de dote Philumenæ, de Chrysidis hæreditate, deque ceteris rebus conveniet et transigetur. Plaudite.*

Calliopius recensui.

omittit Both.—14 Hæc varie leguntur. Plurimi libri, cum scripti, tum impressi: *Sequere hac me: intus apud Glycerium nunc est.* Alii, *Sequere hac me intus. Apud Glycerium nunc est.* Potior est lectio, quam exhibui: neque ea Mss. neque probis edd. caret. *West.* *Intus apud Glycerium nunc est* G. EM. *Id. in Add.* Bem. ita habet: *Sequere hac me intus ad Glycerium nunc.* Donatus sic: *Sequere me intus apud Glycerium.* Fa. Pro *nunc*, nostri omnes *nunc est*, quod versus ipse postulat; ut et vidit vir eruditus. *Bent.* qui legit, sequente Bothio, *S. hac me: intus ap. Glycerium nunc est:* et sic Br. nisi quod invertit *hac me.* Anteponit Perl. Westerhovii distinctionem. Legere Guelf. 2. *apud Gl.* monet Perl.—15 *Propere arcesse.* Ita Mss. Lugdunenses omnes, et Bodl. Atque ita ex vett. Codd. legebant Guyetus, F. Fabricius, Lind. *West.* *Propera: accerse.* Meliores et plures libri, *Propere accerse.* Sine dubio hæc melior lectio. *Bent.* *Propera, arcesse* Z. *Abi domum propere.* *Accerse* Br.—16 Mss. quidam *exeat.* Ita et nonnullæ editorum veterum: quando Pamphilus solus intelligitur. Quidam Mss. et EP. *desponsabitur.* West. *Hice* pro *huc* Both. qui hoc minus bene esse censet.—17 Ω *Plaudite.* Non una eruditorum hominum de hac nota (Ω) est sententia. Petitus ex duplici *oo*, id est, ὁ ὄχλος, turba, caterva, quod in Græcis Comœdiis fuerit appositum, τὸ ω natum esse autumat. Bœclerus, uti non negat, τὸ 'Plaudite' a toto histrionum grege fuisse acclamatum, ita contendit, antiquitus non Ω, quod Fa. reperisse se in Codd. vetustissimis scribit, sed G scriptum fuisse, quo *Grex* fuerit notatus. Dacieria Ω a Librariis additum autumat, ut esset signum Finis, quomodo ele-

NOTÆ

15 *Qui auferant eam*] Virgo, nuptui data, antiquo ritu simulabatur ex gremio matris, aut, si ea deesset, ex proxima necessitudine muliere rapi; inde ad virum transferebatur: quod ea res Romulo suisque Sabinas rapientibus feliciter cessisset. Quo respiciens Catullus dicit: 'Qui rapis teneram ad virum Virginem:' in Epithalamio Manlii et Juliæ.

17 *Plaudite*] 'Plaudere' verbum est textricum, Græcis σπαθᾶν vel κροτεῖν:

mentum τοῦ ̓Άλφα fuerit præmissum initiis operum. Qua de re consulendi Interpretes ad Apocalyps. I. 8. *West.* G. Ω *Plaudite. Calliopius recensui.* EM. C *Plaudite. Call. rec.* ET. *Vos valete et plaudite. Call. rec.* Id. in Add. Hic ante verbum 'Plaudite,' in omnibus vero aliis Fabulis ante ea verba 'Vos valete,' Bem. et omnes alii antiqui hanc notam habent Ω: super quo loco ita Eugraphius: Verba sunt recitatoris, qui, dum Fabulam terminaret, elevabat aulæa scænæ, et dicebat ad populum: 'Vos valete et plaudite.' *Fa.* Nota illa in Libris veteribus non est Ω sed ω: de qua, præter Eugraphii sententiam, tres alias longa commentatione producit vir doctus: quarum tamen nulli assentitur, nec suam addit. Nos novam, et aut veram aut certe vero proximam, tribus verbis afferemus. Horat. A. P. 154. 'Si fautoris eges aulæa manentis, et usque Sessuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat.' Nota illud 'Plaudite' a Cantore dici solere. Alius est Actor, alius Cantor. Actores in hac Andria Primarum et Secundarum partium Ambivius et Atilius erant. Tertiarum partium actor, utpote ignobilis, nusquam memoratur. Cantor autem Flaccus, Claudii filius, qui tibiis paribus canebat, dextris et sinistris. Ergo, cum Actores omnes ex Scæna exirent, Cantoris erat, depositis ex ore tibiis, 'Plaudite' insonare. Ut igitur in veteribus libris personæ aliæ notantur, PAM. DAV. CHREM.; ita hic olim *ca.* pro Cantore scilicet: quæ nota cum non intellecta esset, paulatim et compendii causa in proximam ei formam ω degeneravit. *Bent.* Sic Bent. perquam probabiliter: quare ascripsimus personæ nomen. *Both.* Ω in omnibus vett. codd. et R. habetur. In quibusdam libb. *Calliopus.* Lind. Post 'Plaudite' in GM. sequuntur hæc: *Call. rec. feliciter.* Tum minusculis literis separatim ab illis hoc modo: *Finita Fabula in theatro recitator Fabulæ aiebat ω plaudite et valete.* Perl. *Restat* Br. a pr. m. sed mutatum in *restet.* In Br. olim lectum esse videtur *recensuit.* Bruns. Ω delent Bent. Perl. Dat ω Br. *Restat* habent Guelf. 2. 3. quorum hic habet ω *vos valete et plaudite. Calliopius recensui.* Dat *Valete et plaudite* Guelf. 1. Ceterum de versibus, quorum hic meminit Do. audi Westerhovium: 'Citat hos versus Guyetus ex quibusdam exemplaribus sibi visis. In Mss. decem, quorum varias lectiones exhibeo, non reperiuntur, neque in quoquam impressorum codicum, quibus quidem mihi uti contigit. Licet autem et Donati et Eugraphii judicio spurii sint hi versus numero septemdecim, quia tamen jam tantæ sunt antiquitatis, lubet eos ascribere, ut, quisquis tandem illorum auctor sit, quid de Charini nuptiis scripserit, Lectori manifestum fiat. Ita igitur eos exhibet Guyetus:

PA. *Te expectabam: est de tua re, quod agere ego tecum volo.*
Dedi operam, ne me esse oblitum dicas tuæ gnatæ alteræ.
Tibi me opinor reperisse dignum te atque illa virum.
CHA. *Dave, ah perii: de meo amore ac vita nunc sors tollitur.*
CHR. *Non nova isthæc mihi conditio est, si voluissem, Pamphile.*
CHA. *Occidi, Dave, perii.* CHR. *Sed id quamobrem non volui, eloquar.*
Non idcirco, quod eum affinem mihi nollem. PA. *Hem, tace.*
CHR. *Sed amicitia nostra, quæ est a patribus nostris tradita,*

NOTÆ

cum illæ licium densius inculcant, et cum plausu collidunt. Hoc verbum etiam in Theatrum migravit postea: eoque peractis fabulis spectatores dimittebantur. 'Valere' enim et 'plaudere' jubebantur; quæ verba vel a grege histrionum, vel ab ea persona, quæ postrema in Scenam introducebatur, pronuntiabantur: ut videre est apud Plautum. Horat. in Arte: 'Donec cantor,' id est, actor, 'Vos plaudite, dicat.' Cantor est actor. Apuleius eleganter III. Florid. 'Renuntiavere Poëtam dixisse rebus humanis, valere, et plaudere; suis vero familiaribus, dolere, et plangere.'

Non aliquam partem studii adductam tradi liberis,
Nunc cum copia atque fortuna utrique ut obsequeretur, dedit, detur. PA. *Bene*
Factum: abi, atque age gratias homini. CHA. *Salves, Chremes amicorum*
Meorum omnium mihi agissime, quod mihi commodum est, gaudio,
Quam id, quod a te expeto, me reperisse, ut habitus antehac fui
Tibi animum, quo adeumque applicaris studium exinde ut erit,
Tute existimaveris id ita esse facere ex me conjecturam ex me licet.
Alienus abs te tamen quis tu esses, noveras, ita res est. CHR. *Gnatam tibi meam*
Philomelam uxorem, et dotis sex talenta spondeo.

Verba intricata et absurda, ne dicam barbara, et quibus intelligendis Œdipo opus sit conjectore, qui Sphingi interpres fuit. Cum igitur nihil minus quam Terentianum stylum sapiant, in iis restituendis et emaculandis frustra quis operam posuerit.' 'Huic sententiæ Westerhovii,' ait Perl. 'ego item accedo, ac profecto nemo quidem fecerit jacturam, qui notitia illorum carebit.' Pro *agissime* in l. 12. Z. habet *carissime.*

FINIS ANDRIÆ.

PUB. TERENTII

EUNUCHUS.

ACTA LUDIS MEGALENSIB. L.[1] POSTUMIO ALBINO L.[2] CORNELIO MERULA ÆDILIB. CURULIB. EGERE[3] L.[4] AMBIVIUS TURPIO[5] L. ATILIUS[6] PRÆNESTINUS TIBIIS[7] DUABUS DEXTRIS.[8] GRÆCA MENANDRU. ACTA II.[9] MODOS FECIT[1] FLACCUS CLAUDI[2] M. VALERIO C. FANNIO COSS.[3]

1 *Lucio. Postumio. Albino Lucio Cornelio Merula* Br.—2 *Et L.* Perl.—3 *Egerunt* id.—4 *L.* omittit Br.—5 *Turpius* J.—6 *Et L. Atilius* Perl. *Lucius Attilius* Br.—7 Hic Gov. Bent. Both. Perl. collocant verba sequentia 'Modos fecit Flaccus Claudi.' At Br. sic collocat et exhibet: *Græca Menandri. Acta secunda. Modulavit Flaccus Cluditibiis duabus dextris.* De his postremis sic notat Bruns: 'Edit. pro his tribus vocabulis habet *Claudi* et *tibiis du. dextris* ponit post *Prænestinus:* at Bentleius, qui dedit *Prænestinus. Modos fecit Flaccus Claudi tibiis duabus dextris* magis consentit cum Ms.' '*Modos fecit.* Vett. fere omnes et R. *Modulavit.* Postea, *Flac. Claudi tibiis, &c.* Et sane alieniore loco in vulg. libb. posita videntur.' *Lind.*—8 Pro *dextris* vult Gov. *dextra et sinistra.*—9 *Acta secundo est. Græca est Menandru* vult Gov.—1 Nostra [sc. τοῦ Br.] lectio *Modulavit* est fere veterum omnium, teste Lind. *Bruns. Modum laviit* J. Inde *modulavit.* Perl.—2 *Claudii filius* Perl. qui monet in plerisque libb. omitti *filius.*—3 *M. Valerio. G. Mummio. Fannio consulibus* Br. Pro *C. Fannio* Perl. notat in Pall. teste Par. esse *Gaio Mummio. Gaio Fannio* esse in melioris notæ exemplis, in quibusdam tamen Mss. *G. Mummio Fannio*, testatur Lind. Vult Gov. *Edita M. Valerio Messala, C. Fannio Strabone Coss.* Addit Bothius *Pretium meruit octo M. nummum:* et notat: 'Titulo vulgo hæc absunt, quæ olim ibi lecta fuisse testis est Do. in Vita Nostri.'

FABULÆ INTERLOCUTORES.

PHÆDRIA, *adolescens, amator Thaidis. A Græco, φαιδρὸς, hilaris.*

PARMENO, *servus Phædriæ. Παρὰ τῷ δεσπότῃ μένων, manens et astans domino.*

THAIS, *meretrix. A θαητὸς, spectabilis, quasi speciosa.*

GNATHO, *parasitus Thrasonis. A γνάθος, maxilla, quod sit edax.*

CHÆREA, *adolescens, amator Pamphilæ. A χαίρων, gaudens.*

THRASO, *miles, rivalis Phædriæ. A θράσος, audacia.*

PYTHIAS, *ancilla Thaidis. Quasi πυθομένη, percontatrix.*

CHREMES, *adolescens,*[1] *frater Pamphilæ. A χρεμίζω, hinnio: quod hinnitu equorum delectaretur.*

ANTIPHO, *adolescens. Ab ἀντιφαίνομαι, contra appareo, vel ab ἀντίφημι, contra loquor.*

DORIAS, *ancilla Thaidis. Quod Doride regione orta sit.*

DORUS, *eunuchus. Quasi Doricus.*

SANGA, *servus. A Sangia, vico Phrygiæ.*

SOPHRONA, *nutrix Pamphilæ. A σώφρων, castus, continens.*

LACHES, *senex, pater Phædriæ et Chæreæ. A λαγχάνω, sortior, sorte obtineo.*

1 Chremes in elencho personarum editionis F. H. per errorem senex dicitur. *West. ad Act.* I. 2. 124. *in Addendis.*

C. SULPICII APOLLINARIS PERIOCHA[1]

IN TERENTII EUNUCHUM.

SORORENM falso dictitatam Thaidis,
Id ipsum ignorans, miles advexit Thraso,
Ipsique[2] donat. Erat hæc civis Attica.
Eidem Eunuchum, quem emerat, tradi jubet
Thaidis[3] amator Phædria, ac rus ipse abit,
Thrasoni oratus biduum concederet.

Thraso miles abduxit secum Rhodo Athenas Pamphilam, vulgi sermone nominatam sororem Thaidis, quod ille ignorabat, ipsique Thaidi dono dat. Erat hæc Pamphila civis Atheniensis filia; eidem Phædria, ipsius amator, Eunuchum a se emtum ut tradat, Parmenoni imperat, atque in villam abit, exoratus precibus Thaidis, ut in duos dies eu miles potiretur. Frater Phædriæ adolescens Chærea,

NOTÆ

1 *Periocha*] A περιέχω, comprehendo, contineo, περιοχὴ comprehensio Græcis dicitur, idem quod Latinis 'argumentum;' estque brevis totius alicujus rei explicatio.

2 [*Ipsique*] *Illique* dat Both. et *Civis erat hæc.*]

3 [*Thaidis*] *Alius* pro *Thaidis* exhibet Both.]

Ephebus frater Phædriæ puellulam
Cum deperiret, dono missam Thaidi,
Ornatu Eunuchi[4] induitur: suadet Parmeno:
Introiit:[5] vitiat virginem: sed Atticus
Civis repertus frater ejus collocat
Vitiatam ephebo: Phædriam exorat Thraso.

cum Pamphilam perdite amaret donatam Thaidi a milite, supponitur pro Eunucho, ejusque habitu indutus ad ædes Thaidis adducitur, suadente Parmenone: in quibus stuprat Pamphilam; quæ, cum reperisset fratrem suum Chremetem, civem Atheniensem, agnita ab ipso datur uxor Chæreæ, a quo vitiata fuerat; Thraso impetrat a Phædria, ut sint socii in amore Thaidis.

NOTÆ

4 *Ornatu Eunuchi*] Eunuchus castratus dicitur ab εὐνὴ, quod est cubile, et ἔχω, habeo, custodio; quod id genus hominum adhibebatur servandis regum cubilibus. Eustathius deducit nomen istud ab εὔνις, id est, privatus, et ὀχεία, coitus, conjunctio; quasi εὔνις ὀχείας, privatus, carens conjunctione fœminea. [*Eunuchi ornatum* Both. dedit.]

5 [*Introiit*] *Introit* Delph. *Introivit* Both.]

ÆLII DONATI,

V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ,

PRÆFATIO IN EUNUCHUM TERENTII.

HÆC masculini generis nomine nuncupata Fabula est, EUNUCHUS: et est Palliata Menandri vetus: quam ille auctor de facto adolescentis, qui se pro Eunucho deduci ad meretricem passus est, nominavit. Itaque ex magna parte motoria est. Atque in hac Comœdia, qui personam Parmenonis actor sustinet, primas habet partes. Secundæ sunt Chæreæ. Tertiæ ad Phædriam spectant. Hujus Prologus sane est concitatior. Nam et objicit crimina adversantibus: et comminatur in posterum: et accusatorie narrat injuriam Terentio factam: et ad ultimum tumultuose et cum magna invidia defendit Poëtam. Hæc et πρότασιν, et ἐπίτασιν, et καταστροφὴν ita æquales habet, ut nusquam dicas longitudine operis Terentium delassatum dormitasse. Actus sane implicatiores sunt in ea, et qui non facile a parum doctis distingui possint: ideo quia

tenendi spectatoris causa vult Poëta noster omnes quinque Actus velut unum fieri, ne respiret quodammodo: atque, distincta alicubi continuatione succedentium rerum, ante aulæa sublata fastidiosus spectator exsurgat. Acta plane est Ludis Megalensibus, L. Postumio, L. Cornelio Ædilibus Curulibus: etiam tunc personatis L. Numidio Postumio, L. Ambivio Turpione: item modulante Flacco Claudio tibiis dextra et sinistra ob jocularia, multa permixta gravitate. Et acta est tanto successu ac plausu atque suffragio, ut rursus esset vendita, et ageretur iterum pro nova: proque ea pretium, quod nulli ante ipsam Fabulam contigit, octo millibus sestertium numerarent Poëtæ. Proverbia[1] multa sæpe pronuntiata, et cantica sæpe mutatis modis exhibita sunt. Προτατικὸν πρόσωπον nusquam habet: sed suis tantum personis utitur. In hac Terentius delectat facetiis: prodest exemplis: et vitia hominum paulo mordacius, quam in ceteris carpit. Exempla autem morum hic tria præcipua proponuntur, urbani scilicet, parasiti, et[2] militaris. Hæc edita tertium est, et pronuntiata, TERENTII EUNUCHUS: quippe jam adulta commendatione Poëtæ, ac meritis ingenii notioribus populo. Facta autem ex duabus Græcis una est Latina. Nam ex EUNUCHO et COLACE, Menandri Fabulis, hæc EUNUCHUS Terentiana scripta est, non sine crimine, quod multa in hanc translata sint ex multis Poëtis Latinis: quod totum, per Prologum purgat atque defendit.

1 Legend. arbitror *Diverbia*. Lind. 2 *Et* omittit Z.

ÆLII DONATI ARGUMENTUM IN EUNUCHUM.

RAPTA quædam ex Attica virgo nobilis, atque abducta[1] est Rhodum; ibique matri Thaidis meretricis ab amico dono data est, et educata velut soror, una cum filia Thaide. Sed Thais, relicta matre, Rhodo cum amatore quodam Athenas se contulit: ab eoque hæres instituta mortuo, mox a milite Thrasone diligebatur nimis. Qui cum Athenis profectus matrem Thaidis mortuam Rhodi comperisset, et eam virginem, quam diximus, ab hæredibus mortuæ animadvertisset venum esse propositam; quamvis ignarus rerum omnium, emit tamen, et dono amatæ Thaidi vexit Athenas. Verum, postquam adveniens rivalem Phædriam apud amicam reperit,

1 *Adducta* West.

quem per ejus absentiam sibi meretrix conciliarat; affirmavit, se non ante daturum promissam virginem, quam Thais foras æmulum pepulisset. Illa igitur, etsi amaret Phædriam, cupiditate tamen recuperandæ virginis et civis Atticæ, et quam a parvula ut sororem dilexerat, excludit Phædriam. Hinc ille primo irascitur: post accepta facti ratione, a Thaide lenitur: et in bidui spatium sponte concedens militi, rus proficiscitur: statimque, ne ab æmulo muneribus superaretur, Eunuchum et puellam Parmenoni jubet abiens ad Thaidem deducere. Verum Chærea frater Phædriæ tunc ephebus, visa in via virgine, inflammatur amore ejus; atque eo evasit vehementi ardore, ut pro Eunucho ipse deduceretur ad Thaidem. Hac occasione vitiata virgo, et mox civis, et nobilis cognita, datur uxor Chæreæ. Phædria vero et miles rivales, ambo concordes per parasitum redditi, communi amica sine certamine potiuntur. In primo actu Phædria exclusus a Thaide, et secum primo, et mox cum Parmenone conqueritur fortunas suas: et ad postremum coram accusat Thaidem. Rursus permulcetur ab eadem, et voluntate digrediens, rus sese concessurum in spatium bidui esse promittit. Secundus actus, profectionem Phædriæ continet, delegantis servo deductionem Eunuchi et puellæ ad Thaidem; tum parasitum loquentem, per quem virgo a milite dono amicæ missa est; tum interventum Chæreæ amantis virginem, ejusdemque cum Parmenone consilium de eadem potienda per fallaciam: quia pro Eunucho ipse supponitur Thaidi. Tertius actus characterem exprimit militis et parasiti per ridiculum colloquium: tum invitationem ad cœnam Thaidis: tum oblationem velut Eunuchi Chæreæ et puellæ ex Æthiopia per Parmenonem factam: tum verba Chremetis ad Thaidem venientis, perductique ad militem: Antiphonis Chæreæque colloquium de vitiata per dolum virgine. In quarto actu Dorias nuntiat jurgium inter militem et Thaidem: tum reditum habet ex villa Phædriæ, et querelam Pythiæ de vitiata virgine apud Phædriam: et eundem stupentem quod audiebat: errorem ebrii Chremetis: et verba petulantia Thaidis adversum militem, et militis adversum Thaidem: parata prælia, ridiculeque deposita. Quintus actus hæc continet: querelam Thaidis de vitiata virgine, primo cum Pythia, postea cum ipso Chærea: tum interventum Chremetis atque nutricis: tum perturbationem Parmenonis per dolum Pythiæ; atque ejus indicio per senem, qui rure tunc advenerat, confirmatas nuptias: et ad ultimum reditum in gratiam militis cum Phædria et Chærea.

EXPOSITIO TITULI CUM ARGUMENTO.[1]

ACTA ludis Megalensibus. Ita est jungendum. Acta est, recitata est Græca Fabula Menandri de eunucho, Lucio, Postumio, Albino, Cornelio, Merula ædilibus curulibus. Ædiles curules, qui erant apud Romanos, magni

1 Hæc extraximus ab Editione Brunsiana, p. 153.

honoris magnæque dignitatis habebantur, officium scilicet habentes super ædes curiales. Præerant enim curiæ et ordini senatorum. Quorum administrationis tempore si quid agebatur, non solum in Romano imperio, verum etiam in Græcia eorum nomine notabatur, sicut hic ostenditur. Dum enim agerentur ludi apud Megalem civitatem Græciæ in honorem Jovis Olympici, essentque apud Romanos ædiles curules isti, recitata est Græca Fabula Menandri apud Megalem. Egere, id est, fecerunt vel administraverunt hos ludos Megalenses in Græcia, quando ista Fabula Græca Menandri de eunucho recitata est. Ambivius Turpio Lucius. Attilius. Prænestinus Græca Menandri. Superius jungendum est istud. Græca Menandri: i. ita est acta Græca Menandri. Acta secunda ita est jungendum. Secunda fabula eunuchi illa videlicet, quam ⊖ [2] post Menandrum Latino sermone composuit. Acta est i. e. recitata est Marco, Valerio, Gaio Fannio consulibus. Ipsam vero Latinam Fabulam modulavit Flaccus clauditibiis duabus dextris. Quod Menander primum composuit Fabulam Andriæ Græco sermone, deinde vero ⊖ latino, jam dictum est, et quod ejus recitator fuerit Calliopius. At vero modulator ejus Comœdiæ fuit Flaccus, optimus tibicen, unde hic dicitur hanc Fabulam modulasse duabus dextris tibiis claudi. Claudum autem genus tibiarum est, inæqualibus fistulis factum, unde et claudum vocatur, eo quod fistulam habeat breviorem in modum claudi. Dextræ autem tibiæ dicuntur, quoniam ex dextro crure gruis aliarumque avium meliores fiunt. Marco. valerio. Gaio nummio.[3] fannio consulibus. Isti duo tunc temporis consulatum gerebant Romæ, quando ⊖ Fabulæ recitatæ sunt et nota p. c.[4] Comœdia ista Eunuchus appellatur, eo quod contineat in se Fabulam eunuchi, unde et sub fœminino genere profertur, teste Donato,[5] quoniam ad comœdiam refertur.

Argumentum autem sequentis Fabulæ perbreviter dicendum est, quoniam satis in ipso contextu videbitur. In hac Fabula introducit quendam juvenem, nomine Phædriam, filium senis, qui vocabatur Laches. Hic ergo Phædria cum amaret quandam meretricem pulcherrimam, nomine Thaidem, quæ amabatur a quodam milite, qui vocabatur Thraso, ipsa rogante emit ei eunuchum jam vetulum, nec non puellam Ethiopissam. Factumque est, ut eo ipso die, quo hæc munera misit Phædria juvenis meretrici Thaidi per servum suum, nomine Parmenonem, mitteret ei et miles Thraso puellam satis pulchram, quæ vocabatur Pamphila, per quendam parasitum suum, qui vocabatur Gnato. Dum ergo Gnato parasitus puellam, quæ a milite mittebatur, duceret Thaidi, vidit illam minor frater Phædriæ qui vocabatur Cherea, dum ageret ex collatione prandium cum aliis adolescentibus in proximo loco, cujus nomen erat Pireus, tantoque amoris ardore in

2 Compendium scribendi pro, Terentius. *Bruns.*

3 Tollendum est signum distinctionis post nomina, *Marco* et *Nummio*, pro quo scribendum est *Mummio*. Id.

4 Explico, per compendium. *Id.*

5 Donatus enim, quanquam in Prologo ait (v. edit. Zeun. p. 257.) 'hanc masculini generis nomine nuncupatam esse Fabulam,' tamen in fine dicit: 'Hæc Eunuchus Terentiana scripta est;' quo respexit auctor noster. *Id.*

illam puellam exarsit, ut statim relinquens socios insequeretur eam. Sed, antequam pervenisset ad domum meretricis, quo ducebatur puella, ante introduxit eam parasitus. Perveniensque ad januam ipse adolescens reperit ibi Parmenonem servum fratris sui Phædriæ, missum ad hoc ut eunuchum et Ethiopissam Thaidi traderet. Quem dum percontaretur tristis: Quo, inquit, abiit puella, ait ei Parmeno: Thaidi donata est. Tum communi consilio tractantes illi duo, Parmeno videlicet servus, et Cherea frater domini sui, exuit se adolescens Cherea vestibus suis, et indutus est vestibus eunuchi, quoniam tunc temporis eunuchi habitu etiam discernebantur, sicque loco eunuchi cum Ethiopissa Thaidi traditus est a servo ob hoc videlicet, ut voluptatem suam ex puella a Thrasone missa expleret. Quod ita contigit. Nam sine mora Thais meretrix, sperans illum eunuchum esse duas ob causas, videlicet propter vestimentum, et quia imberbis ephebusque erat, inter ceteras commendavit ei etiam Pamphilam, quam amabat. Mos est enim puellarum curam eunuchis committere. Sed quid actum est? Dum igitur Thais milite Thrasone rogante ad domum ejus profecta esset, adolescens solus, qui pro eunucho tenebatur, in cellula cum Pamphila degens optatum explevit genium. Quo peracto ut libuit, statim egressus est, remeans ad propria. Quod dum agnitum esset per Phithiam ancillulam, quam reliquerat Thais ad custodiendam domum, ille vetulus eunuchus adhuc indutus vestibus adolescentis in domum Phædriæ domini sui comprehensus est. Statimque flagellis afflictus confessus est ordinem rei, quod adhuc latebat Phædriam. At cetera, quæ ipse comicus urbanissime dilatat, sequentia perlegens animadvertere quibit.

PROLOGUS.

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quam plurimis, et minime multos lædere,
In his Poëta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimabit esse, sic existimet;

Si ullus est, cui admodum curæ sit, plerisque se gratum esse, nullosque offendere, hos inter Poëta noster dat nomen suum: tum, si quispiam est, qui acerbius aliquid in se dictum suspicetur, sic arbitretur, et sciat, hoc responsum esse in defensionem

1 Bentleius, 'nisi,' inquit, 'pro *studeat* legeris *studeant*, verba *In his* inepta videntur.' Idem testatur se in quatuor Prisciani exemplaribus *studeant* reperisse. Probat Ruhnken.—3 *Hic* abest Gu. 1. quod sententiæ quidem causa facile feramus, ut alibi in prologis, nisi respondere sibi videntur *hic* et *his*. Both.—5 *Existimet esse, sic existimet*] Donatus videtur legisse *Existimat*, pro *Existimavit*: sed non stat versus: liber vero Bem. et Eug. in hunc mo-

Responsum, non dictum esse, quia læsit prior,
Qui bene vertendo, et eas describendo male,
Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit.
Atque in Thesauro scripsit, causam dicere

Terentii lacessiti, non dictum in contumeliam Lavinii lacessentis, qui prior maledictis illum provocavit, qui bene vertendo fabulas, dum verba verbis reddit, et easdem scribendo male, dum sententiam obscurius exprimit, ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas. Idem Lavinius Menandri comœdiam Phasma, hoc est, Spectrum nominatam, recens admodum spectandam edidit; atque in Thesauro, alia Menandri

dum habent: *Existimavit esse, sic existimet:* ita et alii fere om. libb. script. sed eo amplius, post *existimet*, in aliquibus est *præsumat*, in aliquibus vero, *sciat, præsumat:* [ut G. Br. Guelf. 2. 3. ET. EM. qui duo pr. codd. et EM. etiam *Existimavit*, ET. *Existimat.* Gifanius quoque in Ind. Lucret. v. 'Fac,' defendit *τὸ sciat:*] ut facile appareat ea verba inculcata ex glossemate alicujus interpretantis verbum *existimet*. Fa. Idem censent West. Perlet. Guelf. 1. habet, *Existimat hoc esse, sic existimet, sciat præsumat.* 'Plures ex nostris *Existimavit;* unus *Existimabit.* Sane sententia ipsa futurum postulat: 'Si quid in hoc prologo dicturus est inclementius.' Legendum tamen, *Existimarit e. sic e.* 'Siquis existimaverit,' ut vs. 1. 'Siquis studeat.' Donatus ad locum: *Existimat* pro *Existimavit:* Corrige, *Existimarit* pro *existimaverit.*' Bent. Lectionem Bent. dant Both. Perl.—6 Bodl. *qualis læsit prius.* Et *τὸ prius* est in Mss. plusculis. In Lips. et aliis, [G. Br. Bent. codd. Guelf. 1. 2. cum ET. et EM.] *quale sit prius:* barbare: quo magis mirum, Erasmum huic lectioni favere. Phorm. Prol. 14. 'Vetus si Poëta non lacessisset prior.' *West.* Nostram lect. exhibent Bem. V. Eug. Bent. Perl. Both. Probat quoque Fa. Z. habet *quia læsit prius.*—7 Varii varie hunc locum tentarunt. Guy. cum deploratum videret, legere maluit: *Qui male vertendo, et eadem scribendo male.* Vereor ne male. Mihi omnino nihil mutandum videtur; quanquam assentior Guyeto et Bœclero, Terentium non tribuisse malevolo Poëtæ laudem bene vertendi. *West.* Legendum monet Fa. ex Bem. *et easdem scribendo male.* Est et hæc lectio in Vi. licet is pro *scribendo* habeat *conscribendo*, Eug. F. H. Bent. Perl. Z. Bothius legit, *et eadem scribundo male, ex.* Cum præpositione item finiunt Bent. Perl. Mur. Alii incip. ead. sequentem.—8 Sic Fa. sed *Ex* priori potius versui apponendum: ut inf. v. 2. 20. 'Quin involem in Capillum.' Neque enim cum viro docto tam facile corripuerim syllabam, cum positione, tum natura longam. *Bent.*—9 Totus hic versus arena sine calce est: nec cum prioribus nec cum sequentibus cohæret. Equidem in Donato Ms. hoc legi, quod in editis non reperitur: 'Item, id est similiter.' Unde sic legendum constat: *Item ut M. P. n. n. d.* Bent. Nihili est hoc verbi *nunc nuper: per*, in *nuper*, absorpsit sequentem similem syllabam, *nu* autem male geminatum in *nunc* degeneravit. *Both.* Legit igitur idem: *Item ut M. P. nuper perdidit.* Alii pro *Phasma* legunt *Pharma*, al. *fana.* In Ms. Lips. suprascript. *Fabula, quam ego scripsi.*—10 Bodl. *a Thesaurω.* In aliis *Thensauro*, quomodo Par. et alii ediderunt. Sed et Riv. ex Do. verbis conjicit, ita scripsisse Terentium. Duo Leidd. et Ms. Lips. alter, *a Thesauris*, alter, *a Thesauro* legunt. *West.* G. R. ET. EM. Z. *a Thesauro.* Guelf. 1. *a Thesauris. Atque in thesauros*] Corr. in *a thesauris.* Edit Zeun. *a thesauro.* Nostri codicis lectio est unice vera: nam *thesauros* est nomen Græcum fabulæ *θησαυρος* Latinis literis expressum. *Bruns. Atque a thesauro*] Alias *a the-*

Prius, unde petitur, aurum quare sit suum,
Quam ille qui petit, unde is sit thesaurus sibi;
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.
Dehinc, ne frustretur ipse se, aut sic cogitet:
Defunctus jam sum, nihil est quod dicat mihi.
Is ne erret moneo, et desinat lacessere.
Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur;
Quæ proferentur post, si perget lædere
Ita, ut facere instituit. Quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam Ædiles emerunt,
Perfecit, sibi ut inspiciundi esset copia.

fabula, inducit possessorem, qui rei partes sustinet, prius causam dicentem, quare Thesaurus auri inventus ad se pertineat, quam petitor, qui actor est, unde sibi is obvenerit, aut unde in patris sepulcrum reconditus sit. Deinde, ne fallat sese, aut sic animo putet: Defunctus jam sum periculo et expers omnis reprehensionis: nihil est, quod mihi objicere possit Terentius. Hunc Lavinium, ne erret, præmoneo, et cesset me irritare. Possum alia plura expostulare, quæ in præsenti ei remitto; quæ postea expromentur, si perget maledictis me offendere, ita ut jam incepit. Is, postquam Ædiles emerunt Eunuchum comœdiam, quam nunc daturi sumus in theatrum, consecutus est ut hanc sibi spectandi potestas fieret. Vix præsente Magistra-

sauris: puto fuisse scriptum, *a thesauro is.* Er.—12 Tres ex nostris *ille*, multi *illi*, unus *illum*: sed *illic* adsciscamus ex tribus codd. Rivii, G. F. et Lind. *Bent.* Bem. V. Br. Do. Perl. Z. *ille.* Bothius legit, *Quam illunc ... sibi aut*, et, '*illic*,' inquit, 'vitiose: sequimur unum Bentleii cod. Jam *unde* similiter positum atque in antecedente vs. *Aut* in extremis vss. passim invenitur, velut Ad. Act. I. Sc. 1. vs. 13.' '*Quam ille* supplendum facit; alioquin *illum* dicendum erat. V. Giphan. in ind. Lucretii v. 'comparativus.'' *R. D. Quam illic*] *Illic* pro *ille*, ut alias sæpe: *unde esset*, alias *is sit.* Er.—13 M. *pervenit.*—14 Alii, *frudetur.* Rursus alii, *fraudetur:* quomodo et est in Lips. altero, in altero, *defraudet.* R. *frustret*, in aliis *fraudet.* GM. Br. *aut si cogitet.*—16 R. et unus Leidd. *cesset.* Br. J. *desinet.*—17 Variant libri. J. C. Scaliger *condonabuntur* malebat, [ita quoque G. Br. ET. EM. et Donati vetustissima Duboisiana,] ut sit Senarius claudicans. Atque ita est in tribus Leidd. Lips. duobus, Bodl. omnibus codd. Bœcl. Pall. quatuor et G. F. In editis ita exhibent EV. 1. Junt. aliæque veteres. Glar. *condonabimus* præferebat. Riv. *condonabitur* tuetur, etiam Donati auctoritate. *West.* Egregie, inquit Bentleius, CCC. *nunc quæ condonabitur*: ita quoque habet ed. Both.—19 Vulg. *nunc quam.* Do. *acturi simus.*—22 Recte tres, inquit Bent.

NOTÆ

11 *Prius, unde petitur, aurum*] Is unde petitur, id est, possessor, a quo possessio rei petitur, qui rei partes sustinet, *qui est defendeur.* Petitor vero est actor, *demandeur.* Terentius arguit Lavinium induxisse possessorem prius agentem, quam petitorem, quod est contra consuetudinem judiciorum.

17 *Quæ nunc condonabitur*] Veteres 'condono' jungebant accusativo: sic in Phormione Terentius: 'Argentum, quod habes, condonamus te,' pro, tibi.

Magistratus cum ibi adesset, occepta 'st agi.
Exclamat, Furem, non Poëtam, fabulam
Dedisse, et nihil dedisse verborum tamen:
Colacem esse Nævî et Plauti, veterem fabulam:
Parasiti personam inde ablatam et militis.
Si id est peccatum, peccatum imprudentia 'st
Poëtæ: non qui furtum facere studuerit.
Id ita esse, vos jam judicare poteritis.
Colax Menandri est: in ea est parasitus Colax,
Et Miles gloriosus: eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Græca: sed eas fabulas factas prius
Latinas, scisse sese, id vero pernegat.

tu, agi cœpta est, cum vociferatur, furem esse, non poëtam qui hanc comœdiam dedit, nec eum dedisse dicendum esse, cum ne verbum quidem apposuerit de suo. Hanc esse Comœdiam Colacem dictam, id est, Assentatorem, jam olim a Nævio et Plauto editam. Personam Parasiti ex ea furto ablatam et Militis esse a Terentio. Si id fecisse peccatum est, imprudens et inscius ille peccavit: nec enim ullum furtum meditatus est. Id verum esse, vos, spectatores, arbitrari modo poteritis. Colax comœdia a Menandro facta est; in ea Parasitus Colax inducitur, et Miles gloriosus. Eas personas fatetur quidem se transposuisse in Eunuchum, Comœdiam suam, ex Græca; sed prius interpretatione Nævii aut Plauti Latine versas esse, id

ex nostris antiquissimi *adessent:* ita quoque ed. Perl. Legendum potius *adessent* censent R. D. Post vs. 20. in Both. sequitur ille, cujus initium *Perfecit*, quem deinde excipiunt verba, *Magistratus, cum ibi adesset.*—23 In Ms. Lips. altero, *furem esse.*—24 *Nihil* post *tamen* Gnelf. 3. Alii legunt *nil.* —25 Cod. bonus CCC. *Nævi Plauti*, sine conjunctione *et.* Fallor, an sic dedit Terentius: *Colacem esse nempe, Plauti, v. f.* Bent. *Nempe* Bent. omiss. *Nævî et.* Nam *Nævii* putat nullibi *Colacem* memorari. At vero a Nonio et Prisciano 'Colax Novii' memorari, quod *Novii* pro *Nævii* corruptum facile putes. *Perl.* Both. *Nævi aut P.* Br. *Nevii.*—27 Br. *imprudentiæ est*, male, judice Perl.—28 Antiquissimi libb. *quo* habent, non *qui: quo* autem pro *quod* exponendum. *Fa.* Unus etiam Bent. vetustiss. Edd. Perl. Both. Z. *quo.* *Ut* pro *quo* Gnelf. 3.—30 Pro *Colax* utroque in loco reponendum censet Both. *Corax.*—31 Legendum monet Bent. probante Perl. *eas se hic n. n.* idem quoque Both. *Et eas* Gnelf. 2.—34 Hæc lectio placet mihi propter versum: quamvis omnes libb. scripti non habeant nisi unum *se:* et in Bem. ubi geminatum erat, posterius sit deletum. *Fa.* Male factum, quod ex Bem. deleverunt *se.* Fallitur enim vir doctus, cum versum stare posse opinetur unico *se.* Omnes Faërni præter Bem. et nostri universi ibi *sese* habent. *Bent.* Br. G.

NOTÆ

34 *Id vero pernegat*] Non negat Terentius ex Colace Menandri se personam Militis et Parasiti transtulisse, sed accepisse ex Nævio et Plauto pernegat.

Quod si personis iisdem uti aliis non licet,
Qui magis licet, currentes Servos scribere,
Bonas Matronas facere, Meretrices malas,
Parasitum edacem, Gloriosum Militem,
Puerum supponi, falli per Servum Senem,
Amare, odisse, suspicari? denique
Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius.
Quare æquum est vos cognoscere, atque ignoscere,
Quæ veteres factitarunt, si faciunt novi.
Date operam, et cum silentio animadvertite,
Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit.

vero se ignoravisse pertendit. Quod si personis iisdem, quibus veteres Comici usi sunt, novis Poëtis uti non licet, cur magis licet festinantes servos facere, bonas matres-familias in scenam producere; meretrices malas, parasitum voracem, gloriosum militem, partum falsum supponi, deludi per servum senem dominum, amores, odia, suspiciones? Postremo nihil dici nunc a nobis potest, quod non ab aliis ante nos dictum fuerit. Quamobrem æquum est vos, Spectatores, cognoscere quantum liceat Poëtis in imitando sibi sumere, atque ignoscere, si novi ab antiquis, quæ sibi conveniunt, quandoque mutuentur: cum antiquis idem crebro facere licuerit. Vos, Actores, attenti spectate, et cum silentio advertite, ut sciatis quas res contineat atque exprimat Eunuchus Comœdia.

et EM. habent *se.*—35 *Q. s. p. iisdem uti aliis n. l.*] In Bem. est, *iisdem huic uti n. l.* quarum lectionum utra melior sit, statuere nescio: interim vulgatam tenebimus. *Fa.* Atqui facile erat, utra melior esset, statuere. Recte *aliis*, quia multi tum una florebant poëtæ: non *huic*, quasi hic solus tum scriberet. *Bent.* Lips. et Br. *hisdem.*—36 Alii *discurrentes.* Fa. ex Bem. tuetur *currentem servum*, quod probant Guy. Both. Vulgarem lect. defendit Bent. —38 Hic vs. abest Both.—41 Quinque ex nostris, *non sit dictum.* Credo Poëtam sic dedisse, *N. est jam dictum, dictum quod non sit prius.* Bent.—42 J. *nos* pro *vos.*—44 Ab antiquis libb. abest copula *et;* sed hoc amplius Bem. et Bas. habent, *animum attendite:* eandem lect. continet et Donatus, licet aliqua ex parte corruptus: ita enim dicit: 'Nos dicimus *attendite*, quod Veteres plene *animadvertite:*' ubi pro *animadvertite* legendum *animum attendite:* lectionem vero Donati, quæ impressa est, in nullo l. s. ejus inveni: est autem locutio Terentiana, ut in Phorm. 'Nunc quid velim animum attendite.' *Fa.* Tres etiam Bent. et Both. Perl. *animum attendite.* Pall. *animadvortite.* 'Donatus,' inquit Zeun. 'apud Terentium legit haud dubie *animum advertite.*'

NOTÆ

35 *Quod si personis*] Defendit argumento a pari, licere sibi iisdem, quibus illis Nævio et Plauto, uti personis.

ACTUS I. SCENA I.

PHÆDRIA. PARMENO.

PH. QUID igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Cum arcessor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Exclusit: revocat: redeam? non, si me obsecret.
PA. Si quidem hercle possis, nihil prius, neque fortius:
Verum si incipies, neque pertendes naviter;
Atque ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans
Te amare, et ferre non posse; actum est! ilicet!
Peristi! eludet, ubi te victum senserit.
Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita,

PH. *Quid igitur agam? egone illam non adeam? ac ne quidem nunc, cum ipsa Thais sponte me vocet? an potius ita me parem, ut perpetuo non feram meretricum injurias? Expulit foras, rursus accersit: revertarne ad illam? Non, si per sacra omnia me obtestetur.* PA. *Per Herculem, si quidem valeas id facere, nihil melius, neque præstantius: verum si, ubi inceperis, non perseverabis fortiter, atque, ubi amplius vim amoris ferre non potueris, si ad Thaidem, minime te desiderantem, non reconciliata pace, volens redibis, ostendens te ejus amore ardere, neque affectui posse resistere; desperata res est, statim perditus eris: illa ludibrio te habebit, ubi te domitum a se cognoverit. Itaque, dum per tempus licet, cum nondum quicquam*

1 *Non eam?*] Ita distinxi, secutus auctoritatem Val. Probi, veteris Terentii interpretis, quem laudat Do. Sed et ita edidit Aldus, Fabrini, Dac. alii. Pro vulgata tamen distinctione facere videtur locus And. I. 2. 30. *West.* Ita quoque Both. Perl. Br. et Bent. vulgarem lect. habent, *non eam, ne nunc.*—2 In J. *Cum* omittitur. Br. *accersor.*—5 Secundum Donatum Phædria hæc secum loquitur. Hinc Fa. inductus esse videtur, ut, contra omnes, quos viderim codd. Phædriæ tribueret omnia usque ad vs. 12. Male. Etenim ab hoc vs. 5. usque ad 25. esse perpetuam Parmenonis consulentis orationem recte olim vidit Mur. *Bent.* Both. *nil fortius.*—6 G. F. et Lind. ex Charisio laudant, *neque pol tendes naviter.* Præstat autem vulgatum. Sic Heaut. v. 5. 9. In Lips. et aliis est, *perficies.* West. *Perficies naviter*] *Pertendes naviter,* videtur antiquius: quod in Bem. et nonnullis aliis antiquis libb. est. *Fa.* Nostri quidem *perficies:* sed Charisius p. 185. et Servius ad Æn. I. 41. *pertendes.* Bent. Alias *pertendas* Er.—7 Guy. præter genium Terentiani sermonis, *cum neno expetet*, h. e. cum res non expetet. *West.*—9 Br. *Eam te amare.* G. et Guelf. 2. *actum ilico est.*—10 GM. *eludet te.*—11 Sunt libb. atque in iis Lips. et Br. codd. ubi hic vs. tribuitur Phædriæ: ita quoque Z. habet. Bent. Perl. et Both. legunt et distinguunt: *Proin tu, dum*

NOTÆ

1 *Quid igitur*] Hoc 'igitur' significat, Phædriam multa cum servo fuisse collocutum, priusquam in scenam prodiret.

Here: quæ res in se neque consilium, neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.
In amore hæc omnia insunt vitia: injuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum. Incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,
Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modo,
Mori me malim: sentiet qui vir siem.
Hæc verba, una mehercle falsa lacrymula,
Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit,
Restinguet: et te ultro accusabis: et dabis ei
Ultro supplicium. Ph. O indignum facinus! nunc ego et

incepi, diligenter considera quid facere debeam. Domine, rem, quæ consilio et moderatione caret omni, eam prudentia gubernare non vales. Amor hæc omnia in se habet mala: contumelias, zelotypiam, dissensiones, pacem ad tempus, bellum, post bellum pacem iterum; hæc cum sint instabilia, si velis ratione stabilia reddere, nihilo plus proficias quam si desideres, ut quis cum ratione insaniat. Quæ autem nunc ira commotus animo agitas: Egone illam Thaidem adeam, quæ illum Thrasonem mihi prætulit? quæ me sprevit? quæ me heri non admisit? potius mortem præoptaverim: sine modo, me virum fortem experietur. Per Herculem hæc per iram prolata verba, una fallace lacrymula, quam, leviter oculos fricando, vix vi extraxerit, delebit; et te ipse sponte tua culpæ reum argues apud illam, et puniendum præbebis. Ph. *O crudele factum! Nunc ego et illam deterrimam esse, et me*

est tempus, etiam atque etiam hoc cogita, Here.—13 Lege, *eam rem.* Vetuste. Hoc pacto ex laxo densior fit vs. et solidior. *Bent.* In cod. B, inter lineas *rem,* ut omissum, manus serior ascripsit; sed nihil equidem muto, nec vs. desidero solidiorem. *Both.* *Rem* habet GM. in textu. Ex versu hoc et priori Fa. fecit unum. *Perl.*—22 Et versui et sententiæ gratificaberis, si sic reponas: *Hæc verba ea una m. f. lacrimula.* Bent. Vulg. *mehercle,* invitis vett. edd. Donato, metro denique: nam *una* obscurari in thesi (legitur autem vulg. *una mehercle falsa*), minime ferendum. *Both.* qui igitur legit: *Hæc verba, mehercule, una falsa l.* Al. script. *lacrumula.*—23 M. *o. tergendo misere.* Tr. cum EV. 1. et paucis aliis, *misera* habent: quomodo et Donatus videtur legisse; quod conficias ex ejus verbis: 'non, ultro flens, sed, *oculos terendo:*' ubi major emphasis et *αὔξησις* fuerat, si dixisset, *misere terendo.* West. Lege *misera,* non *misere.* Qui hoc non probet, parum in Terentio profecit. Quamvis Servius ad Æn. II. 196. *misere;* et Charis. p. 184. *misere* hic exponat, male. *Bent.* Both. *misera vix ex.* *Misera* quoque probat Ruhnken.—24 Mallent Fa. G. F. Mur. et Guy. *accusabit.* Atque ita est in duobus Leidd. et Lipsianis, G. [Bem. Br. Both. Z.] et EM. Sed et ita in uno cod. exarato legebat Bœcl. Minus tamen accurate, opinor. *West.* *Accusabit* nostri omnes. Ceterum tu sic verba dispone: *Accusabit, et dabis Ultro ei s.* Bent. 'Sic,' inquit Perl. 'Er. Mur. West. ob struct. et sens. verborum, commode. Al. *accusabit.*'—25 Τὸ *et* in om. edd. ap. nos præterquam Both. vs. seq. incipit.—26 Both. *Illanc*

Illam scelestam esse, et me miserum, sentio:
Et tædet: et amore ardeo: et prudens, sciens,
Vivus, vidensque pereo: nec quid agam, scio.
Pa. Quid agas? nisi ut te redimas captum quam queas
Minimo: si nequeas paululo, at quanti queas:
Et ne te afflictes. Ph. Itane suades? Pa. Si sapis:
Neque, præterquam quas ipse amor molestias
Habet, addas: et illas, quas habet, recte feras.
Sed ecca ipsa egreditur, nostri fundi calamitas.
Nam, quod nos capere oportet, hæc intercipit.

infelicem video, et tædio ejus afficior, et amore flagro, et intelligens, sentiens, spirans, inspiciensque in exitium ruo; nec, quid agam, scio. Pa. *Quid facias, nisi ut te captivum liberes pretio quam vilissimo possis? si nequeas parvo, at quanti possis, neque te ægritudinibus animi consumas.* Ph. *Itane suades?* Pa. *Si mente sanus es, neque præter eas solicitudines, quæ amorem solent sequi, alias his adjungas; atque eas, quas præbet, æquo animo sustineas. Sed ecce ex ædibus prodit agri nostri calamitosa tempestas; nam, quod nos colligere oportet, illa totum aufert et capit.*

sce.—30 J. *Nimio.*—32 G. ET. et EM. *præter quas.*—33 In Both. τὸ *et* deest.—34 *Sed ipsa egreditur*] Nullum lib. vidi in quo non ita legatur, *Set ecca ipsa e.* ratio carminis constat, si ex *Set,* elidas *t.* Fa. Eadem chorda semper oberrat: noli *t* elidere, sed *ec* corripere. *Bent.*—35 In Lips. est, *Jam quod nos.*

NOTÆ

34 *Nostri fundi calamitas*] 'Calamitas' est grando et tempestas, quæ calamos segetum prosternit et conterit: unde Cicero Verrem vocat 'calamitosam tempestatem.'

35 *Nam, quod nos capere oportet*] Id est: Thais, nostra pernicies, quæ Phædriam, herum meum, sumtibus absumit, capitque omnia quæ alioquin ab illo in nos conferrentur.

ACTUS I. SCENA II.

THAIS. PHÆDRIA. PARMENO.

Th. Miseram me! vereor ne illud gravius Phædria
Tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromissus non est. Ph. Totus, Parmeno,

Th. *Heu me infelicem! dubito ne illud molestius quam debeat Phædria tulerit, neve in aliam partem, atque ego feci, acciperet, quod hesterna die in ædes meas admissus non est.* Ph. *Totum corpus, Parmeno, mihi tremore concutitur, horret-*

Tremo, horreoque, postquam aspexi hanc. Pa. Bono animo es :
Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis.
Th. Quis hic loquitur? ehem, tun' hic eras, mi Phædria?
Quid hic stabas? cur non recta introibas? Pa. Ceterum
De exclusione verbum nullum. Th. Quid taces?
Ph. Sane, quia vero hæ mihi patent semper fores:
Aut quia sum apud te primus. Th. Missa istæc face.
Ph. Quid missa? o Thais, Thais, utinam esset mihi
Pars æqua amoris tecum, ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet,
Aut ego istuc abs te factum nihili penderem.
Th. Ne crucia te, obsecro, anime mi, mi Phædria.
Non pol, quo quenquam plus amem, aut plus diligam,
Eo feci : sed ita erat res : faciundum fuit.
Pa. Credo, ut fit, misera præ amore exclusti hunc foras.

que frigore, ubi hanc videre cœpi. Pa. *Fac alto fortique sis animo, ne perturberis : si horres frigore, accede ad hunc ignem (nimirum Thaidem) : jam calefies plusquam satis sit.* Th. *Quis hic loquitur? hem, tune eras, mi Phædria? quid hic stans manebas? cur non recta domum ingrediebaris?* Pa. *De cetero, quod excluserit ædibus Phædrium, introducto milite, ne unum quidem verbum protulit.* Th. *Quid taces, Phædria?* Ph. *Quasi vero hæ mihi semper apertæ sint fores, aut quia ex tuis amatoribus tibi sim præcipuus gratia.* Th. *Omitte hæc odiosa verba.* Ph. *Omittam? O Thais, Thais! utinam mutuo amore mihi responderes, fieretque ut injuriæ, quam mihi fecisti, memoria te æque ac me cruciaret, aut nihili eam æstimarem.* Th. *Ne te dolore affligas, obsecro, mi animule, mi Phædria; non, per Pollucem, non id propterea feci, quod alium ullum majori amore, quam te complectar, aut cariorem habeam, sed in eo statu res erat, ut ita facere me oportuerit.* Pa. *Sane vero, ut fieri solet, propter amorem, quo illum prosequitur, eidem occlusit*

4 M. *esto* pro *es.* Sed et ita Pall. tres. *West.*—6 J. *obloquitur.* Vulg. *tun' eras hic.*—7 Lips. *recta intrabas.* Guelf. 1. *introib. via.*—12 *Aut* pro *ac* Guelf. 1. *Ac pariter fieret, ut*] In lib. Bem. particula *ut* subsequenti versui adjungitur : ita 'fieret' primam producit. *Fa.*—13 Both. *fieret, Aut tibi h.*—14 Cod. Academicus, *vili penderem.*—15 Lips. alter et G. *cruciare.* *Anime mi Phædria*] Sic Fa. [G. Br. ET. EM. Z.] errato opinor Typographi. Recte alii, *anime mi, mi Phædria.* Bent. Both. legit : *Ne crucia nimium te, obsecro, mi Phædria!* et notat, '*Ne crucia te, obsecro, anime mi, Phædria,* versu hiante. Bent. *anime mi, mi Phædria,* κακοφώνως. Corruptum censeo verbum *anime,* a quo prope abest, quod reposui, *nimium.* Cf. Heaut. 180.'—18 Bodl. *excludit:* patet vero Donatum *vel exclusti* legisse, quod tuetur Fa. *vel exclusisti.* Pr. lib. xiv. et Lips. *exclusit.* West. Verba Faërni hæc sunt : '*Exclusit hunc foras*] Ita ut supra habent omnes antiqui libb. at omnes recentes et Do. ac Pr. *exclusisti:* ego *exclusti* legendum arbitror, ordine tantum duarum literarum ex antiqua lect. immutato : ita conveniet cum verbis Donati dicentis, 'Parmenonem hoc intulisse παρὰ προσδοκίαν, intuendo puellam, et

Th. Siccine ais, Parmeno? age! sed huc qua gratia
Te arcessi jussi, ausculta. Ph. Fiat. Th. Dic mihi
Hoc primum, potin' est hic tacere? Pa. Egone? optume.
Verum heus tu, hac lege tibi meam astringo fidem :
Quæ vera audivi, taceo, et contineo optume;
Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palam est.
Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.
Proin tu, taceri si vis, vera dicito.
Th. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
Pa. Potest taceri hoc. Th. Ibi tum matri parvolam
Puellam dono quidam mercator dedit,

fores. Th. *Siccine loqueris, Parmeno? perge modo. Sed tu, mi Phædria, quam ob rem te huc acciri mandavi, attente audi.* Ph. *Sic fiat.* Th. *Dic mihi, Parmeno iste potestne tacere?* Pa. *Egone? Optime possum; verum, heus tu, hac conditione fidem tibi do; quæ audivi, si vera sunt, ea recte sileo et fideliter servo : sin falsa, aut vana, aut ficta sunt, confestim omnibus ea manifesta facio: pertusus et rimosus sum, commissa mihi undique transmitto et effundo; itaque dicito vera, si ea me tacere voles.* Th. *Mater mihi e Samo insula fuit; ea Rhodi manebat.* Pa. *Hoc verum esse puto, peregrinam fuisse ei matrem: tacebitur.* Th. *Ibi tum matri quidam mercator puellam parvulam donavit, ex Attica inde usque abreptam.*

ei Phædriam ostendendo;' quæ in *exclusit* locum habere non possunt.' Recte Fa. *exclusti.* Duo ex nostris *exclusisti.* Ceteri *exclusit:* ut et Pr. p. 997. etiam in Scriptis; non ut Fa. citat, *exclusisti.* Bent. Br. habet *exclusit.* Perl. *exclusisti.*—19 *Siccine agis, Parmeno*] Leidd. tres cum Tr. et M. [Br. Both. Z.] *Siccine ais, P.* Sed et ita recensuit Heinsius. Accedunt impressorum vetustissimi, etiam EP. Unde malim ita legere. Respiciuntur enim verba Parmenonis; et continuo sequitur *age.* West. Quinque antiqui libb. ap. Fa. omnes Bent. duobus exceptis, *agis.* Ita quoque Perl. 'In Ms. alterius lectionis vestigia extant, *age sis huc, &c.* quod verius arbitror.' *Lind.* Ita quoque Par.—20 Al. *accersi.*—24 Pro *aut vanum,* unus ex nostris Academicus *aut varium,* alter R. *aut vacuum.* Certe in isto *aut vanum* mendum latitat. Lego *Sin falsum audierim ac fictum c. palamst.* Vides ut ex illo *audierim,* facta sint *aut varium, aut vacuum, aut vanum.* Ceterum *ac* lege, non *aut;* quæ duo passim permutantur. *Bent.* Pr. p. 999. *falsum aut fictum,* omisso *aut vanum:* sed p. 1143. omnia tria habet, etiam in scriptis exemplar.—25 Bent. legit *perpluo:* [ita quoque Both.] sed elegans est vulg. scriptura. *R. D.* vulg. etiam probat Perl.—26 J. *taceo* pro *taceri.* *Taceri*] Tuenda hæc lect. contra Fabrum, ex codd. vetustis et Donato. *West.* Both. *si vis taceri.*—28 Omnes nostri unanimi consensu, et edd. vett. *tum ibi.* Utrumvis probe. *Bent.*—

NOTÆ

27 *Habitabat Rhodi*] Rhodus, Carpathii Maris Insula nobilissima, ambitu 120. mille passuum. Carpathus, *Scarpanto* nunc dicta, insula est, media inter Cretam et Rhodum, contra Ægyptum: huic parti Maris Ægæi nomen dedit.

Ex Attica hinc abreptam. PH. Civemne? TH. Arbitror:
Certum non scimus: matris nomen et patris
Dicebat ipsa: patriam et signa cetera
Neque sciebat: neque per ætatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat, e prædonibus,
Unde emerat, se audisse, abreptam e Sunio.
Mater ubi accepit, cœpit studiose omnia
Docere, educare, ita uti si esset filia.
Sororem plerique esse credebant meam.
Ego cum illo, quo cum tum uno rem habebam hospite,
Abii huc: qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia.
PA. Utrumque hoc falsum est: effluet. TH. Qui istuc? PA. Quia

PH. *Civemne Atticam?* TH. *Opinor: id compertum nobis nondum est. Ipsa puella patris et matris nomen dicebat. Patriam et signa cetera, quibus agnosci posset, ignorabat; neque propter ætatem primam scire potuerat. Mercator, ad patris et matris nomen quod puella dicebat, hoc adjungebat, se accepisse a piratis, a quibus emerat, eam raptam fuisse e Sunio, Atticæ promontorio. Mater, ubi hoc inaudivit, summa diligentia et cura omnia docuit quæ ingenuam decent, et educavit quasi suam filiam, adeo ut vulgo soror mea esse crederetur. Ego cum illo, quocum solo consuetudinem habebam, tum advena Attico, huc Athenas Rhodo veni: ille mihi omnia hæc bona, quæ possideo, moriens reliquit.* PA. *Utrumque hoc falsum est, ideoque effundetur: hoc tacere non potero.* TH. *Quomodo istud?* PA. *Quia*

30 M. *arreptam:* quod et in Lips. et plusculis aliis.—31 Lips. alter, *Certum nescimus.*—32 EP. *signa certa.*—33 Variant codd. Mss. et impressi. Cerda ad Virg. Æn. XI. 572. *scibat* tuetur. *Potuerat*] Forte Latinius, *poterat*, quod alii libb. præferunt, quia scilicet *sciebat* præcessit. Atque ita est in uno Leid. [Br.] Tr. vero, *etiam scire potuerat.* Lipsii cod. dubie, *potuerat.* West. Fa. Both. Z. *potuerat.* Corrigit Bent. *N. scibat, n. p. æ. etiam potis erat.* Ita quoque Perl. *Tunc potuerat* omisso *etiam* Guelf. 3.—35 Mss. quidam: *Unde eam emerat.* Lips. *Inde emerat.* G. et EM. *e Samo.* 'Cicero ad Att. 7. 3. citat, *captam e Sunio:* nisi forte, ut Bœcl. existimat, Terentii verbum exciderat memoria.' *Perl.*—36 Vulg. *a. cœpit studiose o.* ex int. et κακοφώνως, maleque posito verbo *studiose*, inquit Both. qui legit: *accepit, studio cœpit o.*—37 Alii *educere:* quod frequentius apud Nostrum, et defendit Riv. postulatque metrum. *West.* *D. educere, ita ut s. e. f.*] Videtur hæc lect. inde sumta, quod infra dicitur 'eduxit mater pro sua.' Sed nullus liber est in quo sit, *educere:* quam lect. si admittere voluerimus, non oportebit synalœphen facere in, *ita ut.* Fa. Nostri quoque omnes *educare ita ut.* Sed vide superstitio quid facit. Maluit ignoratæ artis crimen auctori impingere: quam ab ignaris librariis vel literam discedere. Lege ut jam a centum annis edd. meliores: *D. educere, ita uti si e. f.* Vir doctus recte hic *educere:* sed cum *ita ut,* gemente versu, retinebat, corrupit beneficium. *Bent.* Perl. Both. *educere, ita uti.* Br. Z. *educare, ita ut.*—39 *Quo cum uno rem habebam tum h.* vulg. Bent. Perl. Both. pro *quocum* legendum monent *quicum:* aliter ut nos habent. *Amorem* pro *uno rem* Guelf.

Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit:
Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.
TH. Ita 'st: sed sine me pervenire, quo volo.
Interea miles, qui me amare occeperat,
In Cariam est profectus: te interea loci
Cognovi: tute scis, post illa quam intumum
Habeam te: et mea consilia ut tibi credam omnia.
PH. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. PA. O dubiumne id est?
TH. Hoc agite, amabo. Mater mea illic mortua 'st
Nuper: ejus frater aliquantum ad rem est avidior.
Is ubi hanc forma videt honesta Virginem,
Et fidibus scire, pretium sperans, illico
Producit, vendit: forte fortuna affuit
Hic meus amicus: emit eam dono mihi,
Imprudens harum rerum, ignarusque omnium.
Is venit: postquam sensit me tecum quoque
Rem habere, fingit causas, ne det, sedulo.

neque unus tibi amator fuit satis, neque hospes Atticus ea, quæ habes, solus dedit: hic enim quoque (Phædria) magnam et potiorem partem tibi largitus est. TH. *Haud nego; sed sine orationem, quo tendit, pervenire. Interea miles, qui ad me animum adjecerat, in Cariam se contulit: tecum interea consuevi; tu ipsemet non ignoras, post illa tempora quam intimus maxime omnium in meo amore et familiaritate sis, et ut mea omnia tibi communicem consilia.* PH. *Ne hoc quidem Parmeno tacebit, cum etiam falsum sit.* PA. *Oh, quisnam dubitet hoc esse falsum?* TH. *Attendite mihi, quæso. Mater mea illic mortem obivit nuper: ejus frater aliquanto lucri cupidior est; is, ubi hanc vidit virginem specie venusta esse, et scire fidibus canere, pretium sperans magnum, statim matre mortua, eam venum exponit, vendit. Forte fortuna hic præsens interfuit Thraso meus amicus, qui harum rerum inscius Pamphilam emit, quam mihi dono daret; is Athenas rediit; postquam cognovit me tecum quoque consuescere, excusationes studiose excogitat, ne eam tradat:*

3.—41 M. *Rogas? quia.* Ita et alter cod. Lips. Guelf. 1. 2. '*Rogas?* s. codd. nostri B C Gu. 1. Hel. bene.' *Both.* qui igitur legit: *Qui istuc? Rogas? Neque, &c.* Br. *Qui istuc? Quia neque, &c.*—42 Both. *neque is solus.*—48 M. *Habueram.*—49 Edd. vetustæ legunt: *Neque hoc q.* Et sane, quia jam dixerat Parmeno, 'effluet,' et jam alterum falsum narratur, commode infertur, *Neque hoc q.* Fa. et Guy. *Neque hoc,* deleto *quidem.* West. *Neque hoc t.* est lect. Vaticana; quam probant Bent. Perl. Br. habet, *Nec hoc t.* Both. legendum monet *Num hoc q. t.*—51 Both. *Nuper: ei f.* Br. *aliquantulum.*—52 Legendum monet Bent. *Is, ubi esse hanc f. v. h. V.* Z. *vidit,* 'forsan operarum errore,' dicit Bruns.—54 M. *ac vendit.*—55 Post *mihi* idem cod.

NOTÆ

46 *In Cariam est profectus*] Caria Minoris Asiæ regio, cui Rhodus adjacet.

Ait, si fidem habeat, se iri præpositum tibi
Apud me, ac non id metuat, ne, ubi acceperim,
Sese relinquam, velle se illam mihi dare:
Verum id vereri: sed, ego quantum suspicor,
Ad virginem animum adjecit. PA. Etiamne amplius?
TH. Nihil: nam quæsivi: nunc ego eam, mi Phædria,
Multæ sunt causæ, quamobrem cupiam abducere:
Primum quod soror est dicta: præterea, ut suis
Restituam ac reddam: sola sum: habeo hic neminem;
Neque amicum, neque cognatum: quamobrem, Phædria,
Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.
Id amabo! adjuta me, quo id fiat facilius.
Sine illum priores partes hosce aliquot dies
Apud me habere: nihil respondes? PH. Pessuma,
Egon' quicquam cum istis factis tibi respondeam?
PA. Eu noster! laudo: tandem perdoluit: vir es.

dicit, si fidem ipsi faciam, se priores partes apud me, te postposito, habiturum, neque metuat, ne, ubi puella data mihi fuerit, sese dimittum; velle se illam mihi donare; verum id dubitare: sed, ego quantum animo conjicio, ad virginem amorem adjunxit. PH. *Numquidnam etiam amplius est?* TH. *Nihil; nam percontata sum, mi Phædria: nunc vero quamplurimæ sunt causæ, propter quas cupio eam ad me a possessione militis transducere: primum quod soror mea dicta est: tum etiam, ut eam suis raptam restituam, et amissam reddam. Sola sum; habeo hic neminem, neque amicum, neque cognatum, qui mihi, cum opus fuerit, auxilientur: quamobrem, Phædria, cupio aliquos mihi amicos conciliare meis meritis. Id ut facilius consequar, peto a te ut mihi præsto esse velis. Permitte illum Thrasonem apud me admitti in potiori parte, hisce aliquot diebus. Nihil respondes?* PH. *Deterrima, tibine ego quicquam respondere debeam, talia cum mihi facias?* PA. *Hei noster, euge, magni te facio; tandem ægre fert se deludi; injurias ad animum re-*

addit, *dedit*, male, judice West.—60 J. et Venetus cod. add. *ab eo* post *acceperim.*—62 *Sed ego suspicor quantum* Guelf. 3.—63 EP. *ad v. a. advortit.*—65 Ita ex Bem. aliisque antiquis legit Fa. Alii cum Do. *cupio.*—67 Colloc. *Redd. ac rest.* Guelf. 3.—68 Legendum monet Bent. *Neque notum, neque cognatum.*—69 *C. a. parare a. b. m.*] Scio et Donatum et o. l. s. consentire in hanc lect. sed video vs. impeditum, nisi legatur ut in Bem. *Cupio a. parere a.* ut et sup. legitur in And. 'parere hic divitias:' ita enim vs. stat, et sensus idem est. *Fa.* *Parere* probant Bent. Perl. Both. Zeun. ita quoque habet A. Leidd. unus *præparare.*—70 Superfluum est *id*, neque comparet in B et Hel. *Both.* Abest quoque in M.—71 Br. *prioris partis.* Lips. alter, *per hosce a. d.*—72 M. et edd. vetustiss. etiam EP. *nihil mihi r.* Sed et apparet, Donatum ita legisse. Ut adeo emphaticum sit *τὸ mihi.* Quod et exhibent Pall. quatuor. *West.* *Nihil r.*] Ita quidem omnes antiqui libb. sed alii omnes et Do. inter hæc duo verba habent *mihi.* Fa. Vs. respuit *mihi:* nec edd. Donati agnoscunt. Duo tantum ex nostris *mihi.* Bent. Par. Mss. *mihi* probe, propter 'tibi' quod sequitur. *Perl.* *Pessima es* Guelf. 1.—73 M. non agnoscit *τὸ tibi:* quod apte infertur post *mihi.* West.—74 *Heu* vulg. Guelf. 3. *Heus.*

PH. At ego nesciebam quorsum tu ires? parvola
Hinc est abrepta: eduxit mater pro sua:
Soror est dicta: cupio abducere, ut reddam suis.
Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt denique;
Ego excludor: ille recipitur: qua gratia?
Nisi illum plus amas, quam me: et istam nunc times,
Quæ advecta est, ne illum talem præripiat tibi.
TH. Egon' id timeo? PH. Quid te ergo aliud solicitat? cedo.
Num solus ille dona dat? nuncubi meam
Benignitatem sensisti in te claudier?
Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia

vocasti: jam vir es. PH. *At ego nesciebam, quo spectaret tua nempe oratio: parvula e Sunio est abrepta: educavit mater eam pro sua filia. Soror mea nominata est: cupio abducere ut reddam suis. Scilicet omnia hæc verba in hanc summam nunc conveniunt, ut excludar, miles ille admittatur. Cujus rei causa, nisi quod illum quam me cariorem habes, metuisque ne Pamphila, quam à Thrasone recepisti, eum tibi intercipiat?* TH. *Egone id timeo?* PH. *Quid ergo te incitat ad hoc faciendum? Expone. Num solus ille tibi donat? Numquid alicubi meam liberalitatem vidisti tibi præcludi? nonne, statim atque mihi significasti cupere te servam*

Br. *Eu noster laudo: tandem.*—75 Variant Mss. codd. et impressi, in prima voce. Leidd. duo cum Bodl. [Br. Guelf. 3.] legunt, *Aut ego n.* quando continua erit Phædriæ oratio, cum signo interrogandi exprimenda, quod facit Lips. Leid. unus, *Haud e. n.* quod Fa. tuetur. Sed Bœclero *τὸ At* longe significantius est h. l. quam *Haud.* Tum Quintilianus *At* legit, loc. cit. *West.* Τὸ *At* quoque probat Bent. 'Rectissime e Mss. edidit Bent. *At e. n.*' R. D.—77 Bem. cum quo hic consentiunt omnes fere libb. recentes, habet *Soror dicta est.* *Ut reddam pro suis*] Edit. omitt. *pro*, quod mendose irrepsit ex præced. versu. *Bruns.*—79 Abest *Ego* Guelf. 2. Both. legit, *Excludor ego.* Br. *qua gratia, Nisi.*—80 Vs. satis inconcinnus. Adjuvant alii codices, qui *Nisi si illum:* sed aliud restat. Lege, *Nisi si illum p. q. m. amas, et istam n. t.* *Me* omnino in ictu esse oportet. *Bent.* *Nisi si* Bodl. Perl. Both.—81 Ed. Delph. *Q. abducta est.* Br. interrogationem habet post *tibi.*—82 Vulg. *Egone.* Syllaba *ne* superflua incommodat metro. *Perl.* *Ego id* quoque reponit Bent. Both. legend. monet, *Ego idne? Quid.*—83 Bem. et aliqui ex antiquis, et omnes fere recentes, *num ubi.* ita et Donatus. *Fa.* Illud *nuncubi*, quod est in pluribus codd. nusquam, opinor, alibi invenitur: *num ubi* versus ipse repudiat. Lego igitur, *num tibi.* Bent. Ita Both. Br. et Perl. *nunc ubi.*—84 Varie hæc leguntur. Mureti *calvier* h. e. decipi, ridet Lips. legens *claudere* h. e. claudicare et deficere. G. EM. et Leidd. unus, *interclaudier:* additumque alia manu, 'intercipi, quin semper facerem, quæ voluisti.' Sed et *interclaudier* ex Mss. et codd. vett. laudat Lind. Et est in EP. Vide et Barth. Advers. XXXIII. 7. *West.* In omn. Pall. teste Par. *claudier.* GM. *interclaudier.* Bent. Both. Perl. *intercludier.* Br. Bem. Z. ut nos.—85 Br. *dixisti.*—87

NOTÆ

85 *Ex Æthiopia*] Quicquid ultra Nigrum Flumen est et Ægyptum,

Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quæsivi? porro Eunuchum dixti velle te,
Quia solæ utuntur his reginæ; reperi.
Heri minas viginti pro ambobus dedi.
Tamen contemtus abs te: hæc habui in memoria.
Ob hæc facta abs te spernor. TH. Quid istic, Phædria?
Quanquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id fieri posse maxime: verumtamen,
Potius quam te inimicum habeam, faciam ut jusseris.
PH. Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres,
Potius quam te inimicum habeam: si istuc crederem
Sincere dici, quidvis possem perpeti.
PA. Labascit, victus uno verbo: quam cito!
TH. Ego non ex animo misera dico? quam joco

Æthiopem, posthabitis rebus etiam necessariis emendam quæsivi? Eunuchum præterea, quem dixisti te velle, quia horum opera reginæ solæ utuntur, comparavi. Heri viginti minas pro amborum pretio persolvi; tamen, licet spretus a te, hæc tibi grata ut emerem in memoria habui. Pro his in te meritis, despectus sum tibi. TH. *Quænam sunt ista, quæ dicis, Phædria? Quamvis hanc Pamphilam cupio ab illo milite recipere; atque hac ratione, si tu concedas biduum militi, censeo id potissimum fieri posse; attamen, potius quam inimicitiam tuam suscipiam, obsequar quibuscumque jussis tuis.* PH. *Utinam ex animi sententia et sincere pronuntiares ista verba (potius quam tuam inimicitiam suscipiam): si istud crederem vere a te dici, nihil tam molestum est quod non possem perferre.* PA. *Nutat corruiturus, uno verbo impulsus illico.* TH. *Me miseram! an non ego hoc ex animi sententia et serio*

Vulg. *Eunuchum porro.*—88 Br. nullam distinctionem ponit post *reperi.*—89 Magis magnificum sonat, quod CCC. habet, *H. minas pro ambobus viginti dedi:* et amat Terentius in sede quinta hoc *viginti* ponere. *Bent.* Ita quoque legit Perl.—90 Nullam distinctionem habent post *te* Br. Bent. Z. at Bip. minorem. Both. legit, *Contemtus abs te, tamen h. h. i. m.*—91 *Bene* post *hæc* Guelf. 3. Br. *istuc.*—93 Suavius hoc modo, *Id posse f.* Bent. Probat Perl. —98 Melius, opinor, *Labascit, victust, uno verbo, quam cito.* Bent.—99 *Quam joco?*] Præpostere signum interrogandi hic est positum: multo rectius in editis post *dico*, et deleta distinctione post *joco.* Bruns. *Ex joco* Guelf. 3.—

NOTÆ

versus utrumque Mare, Atlanticum Rubrumque, Æthiopes olim in Africa tenuere; gens omnium Africæ terrarum amplissima; dicta ab *αἴθω*, uro, et ὤψ, id est, aspectus, vultus.

88 *Quia solæ utuntur his reginæ*] Eunuchis magnus apud reges et divites honos fuit: ut Bagous Alexandri Magni Eunuchus, Putiphar Pharaonis Ægypti Regis, et ille Candaces Reginæ, de quo D. Lucas in Actis Apostolorum: et libri IV. Regum cap. 8.

Rem voluisti a me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te biduum,
Saltem ut concedas, solum? PH. Siquidem biduum;
Verum ne fiant isti viginti dies.
TH. Profecto non plus biduum, aut. PH. Aut? nihil moror.
TH. Non fiet: hoc modo sine te exorem. PH. Scilicet
Faciundum est quod vis. TH. Merito amo te. PH. Bene facis.
Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum:
Ita facere certum est: mos gerundus est Thaidi.
Tu, Parmeno, huc fac illi adducantur. PA. Maxume.
PH. In hoc biduum, Thais, vale. TH. Mi Phædria;
Et tu. Numquid vis aliud? PH. Egone quid velim?
Cum Milite isto præsens, absens ut sies:

dico? Quam rem, etiam per jocum, indicasti te a me velle, quin tandem obtinueris? Ego vero non possum abs te impetrare, ut saltem duos solum dies, quos peto, concedas mihi. PH. *Si quidem duo dies sint tantum, concedo, dummodo viginti ex duobus non fiant.* TH. *Sane non amplius quam duo dies, aut.* PH. *Aut? Perge loqui; tibi moram non facio.* TH. *Non fiet illud, quod vereris, ut plures dies recipiatur a me Thraso. Id solum biduum, quod peto, permitte me a te impetrare.* PH. *Nimirum, quod cupis, me facere oportet.* TH. *Merito amo te.* PH. *Æquum facis. In villam concedam. Ibi, per hos duos dies, mærore me ad maciem usque conficiam. Sic mihi præ tædio facere deliberatum est; si quidem morigerum me esse Thaidi necesse est. Tu, Parmeno, cura, ut illi Eunuchus et ancillula Æthiops tradantur, (Thaidi).* PA. *Sic fiet.* PH. *In hos duos dies vale, Thais.* TH. *Mi Phædria, et tu quoque vale: numquid vis aliud?* PH. *Egone quid aliud velim? Nisi ut cum milite isto præsens sis corpore, absens animo; dies noctesque ames me, me*

101 Sustuli *κόμματος* signum ante τὸ 'biduum,' secutus Junt. et Aldi editiones. *West.* *Abs te, biduum Saltem* nostræ edd. omnes. *Biduo* Guelf. 3.—102 Non interrogant nostræ edd. post 'solum.'—104 *Bidui* Tr. *Aut dixti? nihil* M. et edd. quædam vetustæ. *West.*—105 *Non fiet hoc modo, sine* Br.—106 G. F. utrumque Thaidi tribuit, hoc ordine: *Bene facis: merito te amo.* Eandem lect. tuetur Guy. Non videntur autem tres sequentes versus uni Thaidi esse dicti, sed 107. ab averso Phædria ad spectatores; sequens Parmenoni gestu dolorem significanti; proximus huic voce gloriante et munera sua jactante. *West.* TH. *Merito te amo.* PH. *Bene facis.* Quod vetus codex G. Fabricii, id duo ex nostris veterrimi firmant: Totum hoc a Thaide dici. Et jamdudum res nota est. *Bent.* *Bene facis* tribuit Thaidi GM. *Perl.* TH. *Merito te amo: bene facis.* PH. *Rus, &c.* dant Bent. Bip. Perl.—107 *Illi* pro *ibi* dat Both.—108 *Morigerandum est Thaidi* M. ET. EM. *West.* Altera vox *est* abest ab ed. Both.—109 *Tu deducantur huc fac illi* Both. qui notat: 'B, C, Hel. *deducantur*, recte. *Parmeno* glossema esse, versus arguit.' *Deducantur* Guelf. 1.—110 *At, mi Ph.* Both.—111 *Egone?* Br. Notat Bruns: 'Edit. omitt. signum interrog. sed inest ei aliqua emphasis.'—113 Mutato ordine,

Dies noctesque me ames: me desideres:
Me somnies: me expectes: de me cogites:
Me speres: me te oblectes: mecum tota sis:
Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.
TH. Me miseram! forsitan hic mihi parvam habeat fidem,
Atque ex aliarum ingeniis nunc me judicet.
Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certo scio,
Neque me finxisse falsi quicquam, neque meo
Cordi esse quenquam cariorem hoc Phædria.
Et, quicquid hujus feci, causa Virginis
Feci: nam me ejus spero fratrem propemodum
Jam reperisse, adolescentem adeo nobilem:
Et is hodie venturum ad me constituit domum.
Concedam hinc intro, atque expectabo, dum venit.

desideres, me somnies, me expectes, de me cogites, me speres, me te oblectes, mecum tota sis (animo), mea fac sis postremo anima, quando ego sum tua. TH. *Me miseram! forte Phædria parum mihi fidit, atque ex aliarum meretricum ingeniis me æstimat. Ego per Pollucem, quæ mecum in animo totius rei veritatem scio, hoc certo scio nihil mendacii me excogitasse, neque me quenquam vehementius amare, quam hunc Phædrium: et quicquid hujus rei feci, (quod eum exclusi foras,) propter puellam Pamphilam id feci: nam spero me hujus fratrem, adolescentem valde nobilem, pæne jam invenisse, et is constituit se venturum ad me in domum meam hodierna die: hic igitur dum veniat expectabo.*

numeri meliores fiunt, *Noctes diesque.* Atque hoc frequentius. *Bent.* Tantum certe constat, apud Judæos solum, noctium vices ante dies computari, apud alias gentes minus. *Perl.*—115 *In me* M. *West.* J. et V. [i. e. Venetus codex,] præmitt. *De*; ut sit, *De me speres, de me, &c.* Var. ordo verbor. *Perl.*—116 *Mea fac sis postremo omnis* Both.—117 *Parum* Guy. quod et Gruterus defendit ad Plaut. Menæch. Prol. 16. *West.* Vett. Edd. *forsitan hic parvam habeat mihi fidem.* Lege, *forsan parvam habeat mihi fidem.* Bent. Sequitur Perl. *Forsan parvam mi habeat hic fidem* dat Both. *Habet* Bip.—122 M. et edd. quædam veteres, *quicquid feci, hujus causa virginis feci.* Minus ex stylo Terentii. *West.*—125 Tres ex nostris cum vett. Edd. *venturam se ad me.* Lege, *Et is se hodie venturum ad me const. d.* Bent. *Et* rejiciunt Both. et Bip. ad versum 124. *Se* post 'const.' habet Guelf. 1. et 2. dat *adeo* pro *hodie.*—126 J. et V. [i. e. Ven. cod.] *veniat.* Non probatur. *Perl.*

ACTUS II. SCENA I.

PHÆDRIA. PARMENO.

PH. FAC, ita ut jussi; deducantur isti. PA. Faciam.
  PH. At diligenter.
PA. Fiet. PH. At mature. PA. Fiet. PH. Satin' hoc
  mandatum 'st tibi? PA. Ah!
Rogitare? quasi difficile sit.
Utinam tam aliquid invenire facile possis, Phædria,
Quam hoc peribit! PH. Ego quoque una pereo, quod mihi
  est carius.
Ne istuc tam iniquo patiare animo. PA. Minime: quin
  effectum dabo.
Sed numquid aliud imperas?

PH. *Facito ita, ut imperavi. Ducito istos (Eunuchum et fœminam Æthiopem) et trade Thaidi, meo nomine.* PA. *Faciam.* PH. *At diligenter.* PA. *Fiet.* PH. *At cito.* PA. *Fiet.* PH. *Satisne hoc tibi mandatum memineris?* PA. *Ah quam toties interrogare molestum est: quasi sit difficile, id exequi, quod jubes. Utinam tam facile quid reperias, quam hoc perdes.* PH. *Ut etiam patientius feras hæc dona mihi perire, scito me una quoque cum his mei jacturam facere, quod his donis mihi pretiosius est.* PA. *Minime impatienter fero hæc tua mandata fa-*

1 *Fac ita, ut jussi, ded. isti* Br. Bip.—2 *Fiat* M. *West.* *Fiat* J. *Perl.* *Ah* collocat in vs. sequenti Bip. Bothius hæc et seqq. sic legit:

PA. *Ah! rogitare!*
Utinam tam aliquid invenire facile possis, quam hoc peribit!
PH. *Ego quoque una pereo, quod mi est carius, ne istuc tam iniquo*
Patiare animo. PA. *Minume. Quin effectum dabo. Sed numquid me aliud?*
PH. *M. n. o. verbis, quam pote, et istum pellito ab ea.*
PA. *Memini, &c.*

De quibus notat: '*Quasi difficile sit* nec Do. legisse videtur. *Æmulum* neque Do. agnoscit, nec versus fert. Denique illud *Ah*, vel potius *Au* (nam sic fere scripti, vel *Hau*, ut Hel.) metro nocet.'—3 In edit. Sandby. et Dac. versum unum constituunt hæc: *Ah, rogitare? quasi difficile siet: utinam.* Zeun. *Rogitare, quasi* Br. Bent.—6 Hic versus Guyeto spurius est; immerito. *West.* Hunc versum ita ordinamus: *Ne istuc tam iniquo patiare animo.* PA. *Minime, quin effectum dabo. Sed numquid aliud imperas?* Duos vero versus, qui hos sequuntur, ita ordinamus: *Munus nostrum ornato verbis quod poteris; et istum æmulum, Quod poteris, ab ea pellito.* Faërnus. Recte quidem versus hos ordinavit Faërnus; et sine dubio ex libris suis: in eo tantum deceptus, quod Trochaicum tetrametrum hypercatalecticum, qualis nusquam gentium fuit, hunc esse somniat. Nec felicius rem gerit alius, qui subtimide, ut ait, correctionem hanc offert, *Men,*' pro *Minime.* Trochaicus est, ut circa se alii, levi brachio corrigendus: *Ne istuc tam iniquo patiare animo. Minime, quin*

PH. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris; et istum æmulum,
Quod poteris, ab ea pellito.
PA. Memini, tametsi nullus moneas. PH. Ego rus ibo, atque ibi manebo.
PA. Censeo. PH. Sed heus tu! PA. Quid vis? PH. Censen' posse me obfirmare,
Et perpeti, ne redeam interea? PA. Tene? non hercle arbitror.
Nam aut jam revertere, aut mox noctu te adigent horsum insomnia.
PH. Opus faciam, ut defetiger usque, ingratiis ut dormiam.
PA. Vigilabis lassus: hoc plus facies. PH. Ah, nihil dicis, Parmeno.

cere, sed numquid aliud vis? PH. *Munus nostrum ornamento verborum pretiosius facito, et istum rivalem Thrasonem, quam procul poteris, ab ea removeto.* PA. *Memorem mones: in animo id habeo.* PH. *Ego in villam me conferam, atque ibi tantisper morabor, dum biduum transierit.* PA. *Sic faciendum arbitror.* PH. *Sed heus tu.* PA. *Quid vis?* PH. *Putasne me posse obdurare, et mihi temperare, ne ante duos dies ad urbem redeam?* PA. *Tene posse id perpeti? Non mehercule opinor; nam aut statim ultro redibis, aut mox per noctem te insomnia sola ad urbem impellet et revocabit.* PH. *Opere rustico me exercebo, quoad defessus sim, ut etiam invitus dormire cogar.* PA. *Te lassabis, et nihilo magis ea causa poteris capere somnum.* PH. *Apage, frustra hæc dicis, Parmeno: expellenda est animo*

factum dabo. Bent. *Effectum dabo* collocat Bip. in versu seq.—9. 10 Ms. Lips. et M. [et Guelf. 2.] *Quoad.* Mss. Lips. *Au memini.* Westerhovius. *Pellito.* PA. *Memini.* In omnibus Nostris et Edd. vett. *Au memini.* Lege, *pellito.* PA. *Ah,* | *Memini.* Bent. *Au! memini* Ms. *Lind.* *Quoad* Pall. *Perl. Quoad* Arg. 1496. *Bip.* quæ versum 8. claudit voce 'et,' et eas 'istum æmulum' trudit in versum 9. *Au memini* Br. Bentleium sequitur Perl.—12 'Et' rejiciunt in versum 11. Bent. Bip. Both.—13 Hæc vulg. lectio est, quam et defendit Guy. et præferunt Mss. plusculi et editi quidam veteres. Si vero consideres ea quæ sequuntur, dubium non est, quin scripserit Terentius *adiget.* Gratis Donatum citat Guyetus; is enim testatur, et *adiget* legi. Mss. omnes, quibus usus sum, *adigent* præferunt; nisi quod Tr. dubie, *adigēt orsum.* Palatinorum unus, teste Pareo, *adiget,* quod et Fa. in Codice scripto invenit. Eodem sensu Fabrini reddidit. *West.* *Adigent* G. ET. *Id. in Add.* Do. affirmat legi etiam *adiget* in singulari; quam lect. in uno tantum libro Terentii inveni. *Fa.* Bene sit isti libro, qui *adiget:* nostri enim omnes *adigent.* Jamdudum de vera lectione constitit. Sensus et responsum Phædri postulant *adiget.* Bent. *Adiget* rectius legitur quam *adigent;* quod memini ex Adr. Turnebo Lutetiæ in publica lectione audivisse. *Mur.* *Adiget* Both. Perl.—14 Mss. quidam *ingratus ut ut.* West. *Ingratus* G. ET. sed Gifanius in Ind. Lucret. *ingratis* defendit. *Id. in Addendis.* *Ut defatiger usque ingratus ut dormiam.* Do. et Bem. habent *ingratis,* utroque modo impedita scansione octonarii. Ubaldinus Bandinellus legebat, *ingratiis:* quod et mihi probatur. Præterea antiqui libri habent, *defetiger.* Faërnus. Nostri *ingratus.* In promtu

Ejiciunda hercle hæc est mollities animi: nimis me indulgeo.
Tandem non ego illa caream, si sit opus, vel totum triduum? PA. Hui!
Universum triduum? vide quid agas. PH. Stat sententia.
PA. Di boni, quid hoc morbi est? adeon' homines immutarier
Ex amore, ut non cognoscas eundem esse? hoc nemo fuit
Minus ineptus, magis severus quisquam, nec magis continens.
Sed quis hic est, qui huc pergit? at at! hic quidem est parasitus Gnatho

hæc imbecillitas: nimis me delicate tracto. Nonne tandem, si oporteat illa carere, istud possim, etiam tres dies totos? PA. *Hui, tres dies totos? Vide, ne majora viribus tuis coneris.* PH. *Certum est facere, quod constitui.* PA. *Dii boni, amorne tam potens morbus est? Adeone homines immutat, ut idem, qui prius notus fuerat, amplius cognosci non possit? Hoc nemo fuit minus ineptus, magis gravis, nec magis temperans. Sed quis hic est, qui huc iter facit? At at, hic quidem est*

erat corrigere *ingratiis.* Bent. *Defetiger* Do. quem sequitur West. male. *Bip.* *Ingratus* Br. *Defatiger* Z. Perl.—15 *Faciens* M. *West.*—16 M. *hercle nimis.* Mss. et impressi quidam: *mihi indulgeo.* West. Melius unus e Regiis, *est hæc.* Bent. *Nimis mihi* R. *Lind.* Duo Mss. Par. *Eicienda.* Pall. *mihi:* at Par. ed. *me.* Perl. Rectius *mi,* et Mss. quidam et edd. *mihi.* Sed edd. retinent *me,* ut antiquius. *Bip.* *Hæc* omittit Perl. qui monet esse in Guelf. 2. *hæc moll.* *Mihi* Br. Guelf. 3.—17 *Ego non illa.* Ex o. l. s. et Donato, ita colloca: *non ego illa.* Ex Bem. scribe *Univorsum.* Faërnus. *Ego illa,* anapæstus. Nihil frequentius. *Bent.* *Tandem ne ego.* Sic bene Hel. Vulg. numeris durioribus *non.* A *non ut ego.* Both. *Ne ut ego* Guelf. 2.—18 *Universum* Br.—21 Pr. Inst. Gramm. lib. III. legit, *Minus stultus,* sed lib. XVIII. *Minus ineptus.* West. Ad *quisquam* glossa τοῦ Br. sic: Vel quicquam. Certe, ait Bruns, *quicquam* non convenit præcedenti 'nemo.' *Magis* abest a Guelf. 3. *Mage* dat Both.—22 Ms. Lips. *Sed quis est, qui.* Westerhovius. *Attat, hic quidem.* Nisi vox 'quidem' in unam syllabam contrahatur, quocumque id

NOTÆ

16 *Nimis me indulgeo*] Atticorum more accusativus loco dativi hic positus est, pro, nimis mihi indulgeo; id est, nimis mihi concedo, permitto.

17 *Hui! triduum*] Exclamatio servi, heri dictum irridentis.

19 *Quid hoc morbi est*] Ut morbo ex bona habitudine corpora decidunt, sic animus ab amore ex sua constantia et tranquillitate deturbatur. Sic Propertius: 'Solus amor morbi non amat artificem.'

Homines immutarier Ex amore] Hanc immutationem Poëtæ eleganter pinxerunt in fabula Circes, homines in pecudes commutantis.

22 *Gnatho*] Gnatho a maxillis et edendi aviditate dici videtur. *Γνάθος*

Militis: ducit secum una virginem dono huic. Papæ!
Facie honesta: mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo
Cum meo decrepito hoc Eunucho. Hæc superat ipsam Thaidem.

parasitus militis Gnatho. Ducit secum virginem, in donum Thaidi. Papæ, quam eleganti vultu! Nimirum me hic hodie ludibrio et dedecori exponam cum meo hoc decrepito Eunucho. Hæc virgo formæ specie vincit Thaidem.

modo fieri possit, trochaicus mihi impeditus videtur. *Fa.* Non in unam syllabam contrahitur 'quidem;' sed 'hic' corripitur. *Bent.* *Attat* dant Br. Bent. Z. Both.—23 Quidam Mss. et impressi veteres, *unam* legunt. *West.* *Huic dono:* O. l. s. *dono huic:* ita et in Bem. emendatum. *Fa.* Sic et nostri codices cum Edd. vett. *Bent.* *Unam* Pall. *Perl.* Sic Guelf. 3.—24 Guy. non intelligens, quid sit, 'turpiter se dare,' dicit legendum esse, *ego me turpiter hodie hinc dabo;* h. e. facessam, abibo: quod e Ms. Argent. sed correctoris manu citat Bœcl. *West.* GC. invert. *dabo hic.* Perl.—25 Citat Pr. Inst. Gramm. lib. xv. *Papæ, hæc superat ipsam Thaidem.* West. Ad *hæc* Perl. notat: '*J. nam.*' *Hoc* delet Both.

NOTÆ

maxilla. Ut παράσιτος is est qui, ut victum apud ditiores habeat, iis assentatur: σῖτος Græce cibum significat.

25 *Decrepito*] Sive morti vicino. Decrepiti sunt, quorum funera crepitu et plangore familiæ conclamata sunt. Vel a decrescendo sic dicti, eo quod incurvati et contracti minores fieri videantur; sic capularis senex dicitur a capulo, id est, loculo, capsula mortui, *un cercueil.*

ACTUS II. SCENA II.

GNATHO. PARMENO.

GN. Di immortales! homini homo quid præstat! stulto intelligens!
Quid interest! hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.

GN. *Dii immortales, quantum alius homo alii homini præcellit! Ab inepto quantum distat providus et prudens! Hoc mihi ideo in memoriam redit, nimirum:*

1 Punctum post 'præstat' abjicit Both. et delet versum 2. tanquam a mala manu exortum; et, Sero, ait, inflictum hoc Terentio vulnus ut arbitrer, facit Eug. ap. quem stolidi additamenti ne vestigium quidem apparet.—2 *Quid interest* videntur absolute per admirationem dicta. Atque ita diserte est in Ms. Lips. Jac. Perizonius ad Sanct. Min. III. 5. tamen conjunctim

Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc, atque ordinis,
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.
Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum.
Quid istuc, inquam, ornati est? quoniam miser, quod habui, perdidi. Hem,
Quo redactus sum! omnes noti me atque amici deserunt.
Hic ego illum contemsi præ me. Quid, homo, inquam, ignavissime?

hodie huc veniens incidi in hominem meæ conditionis; non quidem sordidum, nec avarum, qui similiter, atque ego, patrimonium per luxum consumserat; video horridum, immundum, pallidum instar ægrotantis, vestibus laceris indutum, et senectute deformem. Quid iste ornatus sibi vult? dixi. Respondit ille: Quoniam infortunatus ego quæ habui bona amisi. Hem, quo miseriæ redactus sum? Omnes familiares atque amici me deserunt. Hic ego illum despexi, mihique posthabui. Quid, homo, inquam, inertissime, itane tibi consuluisti, ut nulla tibi supersit tui

legit, *stulto intelligens Quid interest!* componens cum illo Gellii III. 14. 'Quid dimidium dimidiato intersit.' Ita et citat Pr. Inst. Gramm. lib. XVIII. *West.* Conjunctim legunt Br. Bent. Z. Perl.—4 In EP. et quibusdam Mss. est *oblig.* Westerhovius. *Abligurierat bona:* Glossar. 'Abligurio, καταλιχνεύω.' Et 'obliguritores' Jul. Firmic. lib. v. cap. 5. *Lind.* Bent. Par. [Both.] per duo r, *abligurr.* Perl. *Obliguerat* Mss. et edd. vett. Vulgatum fortius. *Bip.* *Itidem ut ego* sine *qui* Guelf. 2.—5 Vulgo *unnisque.* C *et annis.* Sed recte copulam omittit B. *Both.* *Sordidum* quidam Mss. legunt pro *ægrum.* West.—6 Alii cum Donato: *Quid istuc ornati? inquam.* Id. Pro *Hem* Codex CCC. singularis notæ *En.* Enimvero ita legendum est. *Bent.* Obsequitur Both. *Em* Br.—7 Mss. quidam, *deseruerunt.* Leidensium unus, *deser^ner.* West. *Mei*

NOTÆ

4 *Hominem haud impurum*] Non sordidum, non avarum. Liberaliter educati sæpe balnea, præsertim calida, adibant nitoris et elegantiæ causa; avari autem minime. Aristophanes, in Pluto Comœdia.

Abligurierat bona] Per luxum et popinationem devoraverat. Ligurire est lautiores cibos carpere: λικνεύω Græce, a λείχω, lambo, lingo. Plinius: 'Postquam, degulato patrimonio, pauper est factus.' Degulare est, gula absumere.

5 *Video sentum, squalidum*] Sentum, horridum, ut sentes, id est, spinæ; squalidum, immundum. Squalidi proprie rei qui diu delituerunt in carcere. Squalor, immundities corpus occupans, a squamarum asperitate. Obsitum, fœdatum, putidum. Situs est mucor, et lanugo quædam ex humore creata in locis sole carentibus. Pannis annisque obsitum, id est, mucore et carie obductum, propter sordidos pannos et ratione ætatis; nam situs et mucor quidam solet esse major in homine misero, et sene, tum in habitu inopum. Obsitus, ab obserendo, dixit Virgilius: 'Loca obsita pomis,' id est, plantata.

Itan' parasti te, ut spes nulla reliqua in te siet tibi ?
Simul consilium cum re amisti ? viden' me ex eodem ortum loco ?
Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis !
Omnia habeo, neque quicquam habeo. Nihil cum est, nihil defit tamen.
At ego infelix, neque ridiculus esse, neque plagas pati
Possum. Quid ? tu his rebus credis fieri ? tota erras via.
Olim isti fuit generi quondam quæstus apud sæclum prius.

fiducia? An sensum una cum fortunis tuis perdidisti? Aspice me, qui non melioris sum generis et status. Qui color corporis, elegantia, nitor cutis, quæ constitutio sanitatis? Omnia mihi suppetunt abunde, et, licet nihil quicquam possideam, nihil tamen deficit. At ego infelix (mihi respondit) neque aliis movere risum, et risui esse, neque verberibus patiendis assuescere possum. Quid? tu (ego subjeci) hisne rebus, nempe, dum quis ridetur, aut vapulat, aliquid profici putas? Vehementer falleris, si ita putas. Olim prioribus temporibus, isti generi parasitorum vapulantium, et ridiculorum, lucro fuit ars ista: hoc vero tempore, hic novus alius est au-

pro *me* Guelf. 3.—9. 10 O. fere l. s. et Do. pro *Itane, Itan;* pro *siet, sit,* habent. Solus Bem. *esset;* quam lect. recipimus. Versus tamen impediti remanent, maximeque posterior. Aliqui τὸ 'simul' in priorem versum rejecerunt: ejusque versus primam syllabam præcedenti applicarunt. Nos, ordinationem versuum vulgatam retinentes, quæ eadem in o. l. s. ex 'simul' l, ex 'viden' n, elidimus. *Fa.* Probo *sit,* non *esset. Siet,* quod tribus exceptis nostri habent, nihili facio. Quippe cum 'reliqua' semper apud Nostrum, vel primam producat, vel quadrisyllabum sit, ipsum *siet* pronuntiandum erit *sit:* atque adeo cur non et scribendum? Ceterum quod 'simul' hic secundam corripiat, sequente licet consonante, id post nostram operam vel pueris notum erit. *Bent.* qui dat *sit* cum Both. *Esset* Z. Bip. Perl. *In te siet? Tibi?* Br. qui dat et *amisisti.*—11 Guyeti audaciam legentis *nitor vestitus, habitudo quæ corporis* reprehendit West. Legendum jubet Bent. *Qui color, qui nitor vestitus, quæ habitudo est corporis?* Scire vellem, respondit Perl. unde vestitui, quo nigro ac pullo incedere parasitos Vir doctus ipse fatetur, nitor veniret. Cave, ait Bip. cum Bent. conjungas *nitor vestitus.* Notat Bothius: 'Male interpungitur post verba 'color' et 'nitor.' Ad vestitum spectare 'color' et 'nitor' pulchre vidit Bent. sed id minus advertit ὑφ' ἓν intelligenda esse hæc verba, ut *color nitor* idem valeat ac, color nitidus. Quare non probo Angli elegantissimi conjecturam, *Qui color, qui nitor,* licet sic plane legatur in C.' Interrogat Z. post 'vestitus;' ut post 'corporis' et Z. et alii.—12 *Deficit* Ms. Lips. *West.* Sic legit Perl. qui monet *defit* legere Guelf. 2. et ad vocem 'cum' sic notat: 'J. *mihi.*'—14 Cum Heinsio et Dac. duplicem feci interrogationem. *West. Quid tu his rebus credis fieri?* Distingue: *Quid? tu h. r. c. fieri?* Bent. Bent. *Quid?* bene. Par. *Quid tu* cum seqq. continuat. *Perl.* Continuat et Br.—15 *Sæclum* GM. sed sup. script.

NOTÆ

14 *Tota erras via*] Proverbialis metaphora a viatoribus sumta.

Hoc novum est aucupium : ego adeo hanc primus inveni viam.
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt : hos consector. Hisce ego non paro me ut rideant ;
Sed his ultro arrideo, et eorum ingenia admiror simul.
Quicquid dicunt, laudo : id rursum si negant, laudo id quoque.
Negat quis ? nego : ait ? aio. Postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari. Is quæstus nunc est multo uberrimus.
PA. Scitum hercle hominem ! hic homines prorsum ex stultis insanos facit.
GN. Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus,
Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes ;

cupandi modus. Quin ego ipse hanc captandi artem inveni. Est genus hominum, qui primos in omnibus rebus se esse volunt, nec sunt; quamvis videri velint. Hos consector: his ego non studeo ridiculus esse, sed his sponte risu assentior, et eorum mores cum admiratione prædico; quicquid dicunt, laudo; si rursus id negant, id similiter nego; si negat quis, nego; si affirmat quid esse, affirmo. Denique in animum induxi, omnia illis assentari. Id lucrum nunc est valde copiosum. PA. *Argutum mehercule hominem: hic homines ex stultis prorsus insanos mente facit.* GN. *Interea dum hi sermones inter nos habentur, atque ubi ad forum venimus, ecce occurrunt mihi celeriter hilares cupediarii omnes, epularum delicatiorum venditores, popinarii, cetarii, qui prægrandes pisces vendunt, laniones, farciminum artifices,*

sæculum. Perl. Hoc dat Br.—19 *Set his ultro arrideo.* Lege *Set eis ultro.* Frustra enim est et nil promovet vir doctus, cum reponit *iis.* Bent. Sequitur Both. *Eis* dat et Perl.—20 Hunc vs. delet Both. Dat Br. *laudo. Id quoque Negat, &c.*—21 *Negat quis? nego: ait? aio.* Citat Cicero in Lælio cap. 25. quanto magis mirum, hunc versum Guyeto spurium videri. Expressi cum interrogatione Gnathonis verba, quod et fecit Dac. majore, ni fallor, emphasi. *West.* Hanc verbor. antiphrasin per interrogat. West. Bent. Both. exprim. incommode. Non ita Fa. Er. Par. Mur. [Bip. Z. Br.] *Perl.*—22 *His* pro *Is* Br.—24 *Ubi venimus.* Versus constat, si *venimus* præsentis sit temporis, vel certe legatur *adventamus,* ut in Bem. est, et nonnullis aliis libris, attestante Riv. Sane in antiquis aliis libris est *advenimus;* quod non ita multum distat ab *adventamus.* Fa. Vera lectio est *advenimus,* ut quinque ex nostris habent. *Bent.*—25. 26 *Concurrunt læti mi obviam cuppedi-*

NOTÆ

22 *Assentari*] Proprie assentamur voce, adulamur gestu, blandimur tactu.

Quibus et re salva et perdita profueram, et prosum sæpe.
Salutant; ad cœnam vocant; adventum gratulantur.
Ille ubi miser famelicus videt me esse in tanto honore,
Et tam facile victum quærere, ibi homo cœpit me obsecrare,
Ut sibi liceret discere id de me: sectari jussi;
Si potis est, tanquam philosophorum habent disciplinæ ex ipsis

piscatores, quibus lucrum attuleram, dum res meæ bene se habebant, atque etiam post earum jacturam, tum quoque in præsentia. Hi me salutant, ad cœnam invitant, de meo adventu mihi gratulantur. Ille miser esurio, ubi me videt in tanto honore haberi, cœpit me orare, ut sibi liceret hanc artem de me discere: jussi eum mei sectatorem esse, et discipulum, si fieri potest: ut, sicut Philosophorum sectæ ab

narii, cetarii, Lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes. O. fere l. s. post *cuppedinarii* habent dictionem *omnes;* vocem vero *aucupes*, nec Do. habet, nec Bem. nec M. Tullius libro primo Officiorum. Qua dictione detracta, digeruntur hi versus hoc modo: *Concurrunt læti mi obviam cuppedinarii omnes, Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores.* Fa. *Aucupes* Fa. T. Faber, alii exulare jubent, et ob metri rationem, et quod Cicero Off. I. 42. eam omittit, et quod Donatus non legit; demum ob Bem. hac voce carentem. Verum ex ratione metri non satis firmum petitur argumentum. Cicero ἁμάρτημα μνημονικὸν committere potuit, nam et 'cupedinarios' omisit. Donatus plura intacta reliquit, quæ tamen in dubium non vocantur. Bembi libro ceteri et Mss. et impressorum præstantissimi, et lectio Probi reclamant. Videturque Horatius respexisse hunc locum Sat. II. 3. 226. Videtur et h. l. Terentius imitator Plauti, Trin. II. 4. 5. *West.* Libri quidem hic *cuppedinarii;* sed, cum hoc a *cuppediis* denominetur, ex Analogia non dubites, quin *cuppediarii* scribendum sit. De ascititio isto *aucupes*, jam olim res conclamata est. *Bent.* *Aucupes* videtur adjectum: repugnat versui, nec ponitur a Donato. *Er.* *Aucupes* habent, teste Par. Pall. omnes. *Perl.* *Janitores* ante *coqui* Guelf. 3. *Cuppedinarii* Br. et *cupedenarii* in nota marginali. *Aucupes* omittunt Br. Z. Bip. Both.—28 *Gratulantur meum* M. *West.*—29 Hæc varie leguntur. *Tanto honore: esse tanto honore: esse in tantum honorem.* Quomodo Junt. St. Fabrini, alii ediderunt. *Idem.* *Videt me esse in tantum honorem.* Ex omnibus libris nullus est in quo hæc vulgata lectio reperiatur, præterquam in Bembino, sed ex emendatione et extra contextum: nam in eo prius erat, *videt mihi esse tantum honorem.* Alii antiqui libri in hoc cum eo concordant, quod *in* nec ipsi habent: omnem autem hunc locum ita, *videt me esse tanto honore.* In omnibus vero aliis cum præpositione sic legitur, *videt me esse in tanto honore.* Alicubi tamen hæc lectio est sine verbo *esse:* quemadmodum et Do. legit: quam lectionem, detracta tamen *in*, omnium commodissimam et locutioni et sensui judicamus, ac versui quoque. *Fa.* *Ille ubi miser famelicus videt me tanto honore.* *Esse* agnoscunt Nostri omnes cum Edd. vett. Et recte. *Bent.* Vulg. *me esse in tanto honore* nullis libris nititur. Invenit Fa. *me tanto honore:* quem sequimur. *Bip.* Sic dant Z. Both. *Ibi ubi m. f. v. me esse tanto honore* Br. *Videt me esse tanto honore* Bent. Perl.—30 'Et' rejiciunt in versum 29. Bent. Bip. Both. Perl.—31 *De me* omittit Br. Notat Bruns: 'Edit. add. *de me.* Quod additur, glossa est in Ms. nostro.' Dat id. cod. *consectari.*—32 *Si pote tanquam philosophorum habent disciplinæ ex ipsis Vocabula*] *Si potis est* corrigo ex o. l. s. versumque sustento,

Vocabula, parasiti item ut Gnathonici vocentur.
PA. Viden', otium, et cibus quid faciat alienus? GN. Sed ego cesso
Ad Thaidem hanc deducere, et rogitare ad cœnam ut veniat?
Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video,

ipsis Philosophis nominantur, sic Parasiti similiter Gnathonici appellentur. PA. *Videsne quid desidia et cibi alieni cupiditas valeant?* GN. *Verum ego nimis cesso hanc virginem ad Thaidem deducere, eandemque invitare ut ad cœnam veniat: sed video Parmenonem, servum Phædriæ, rivalis heri mei, tristi vultu ante fores Thai-*

contrahendo *philosophorum* in *philosophum.* Præterea testatum relinquimus, in contextu libri Bembini pro *disciplinæ* esse *disciplinam.* quemadmodum et Donatus legit; quam et veram esse lectionem putamus. *Fa.* Guy. τὸ *potis* insititium vocat, et recidendum, legitque, *Si est.* Sed non cogitavit vir alia acutissimus, *Si est, parasiti item ut Gnathonici vocentur*, idem valere atque, Si parasiti item Gnathonici vocentur. Tum *Si potis est* ex omnibus Libris scriptis tuetur Faërnus. Qui quod legit *disciplinam*, non video, qua ratione sensus constare queat. Certe Donatum frustra citat. *West.* *Si potis est, tanquam philosophorum habent disciplinam ex ipsis*] Sic dedit Fa. Bembino plus nimio addictus. Frustra Donatum ad partes vocat: qui, cum dicit, 'Nisi forte *disciplinam* pro discipulis posuerit,' casum accusativum orationi suæ, accommodat, non ut in Textu sic positus sit. *Disciplinæ* legebat Donatus, ut codices plerique: sed duo Regii, alter in contextu, alter pro varia lectione, *Si potis est, tanquam philosophorum habent discipuli ex ipsis.* Quid pote planius aut certius? *Bent.* *Discipuli* dant Both. Perl.—33 *Itidem ut.* Sic o. l. præter Bem. et impressum ab Aldo, in quibus pro *itidem* est *ita:* pro qua *item* legendum puto, atque eo magis, quod in aliquo libro legitur *idem*, quod fere est *item.* Fa. *Itidem* Br.—34 Do. etiam *facit*, legi affirmat; et ita habent plerique antiqui libri: ut et ratio versus exposcit. Ceterum, quod aliquibus visum est in Bem. pro *otium*, *ossum* scriptum esse, qui diligentius observarunt eum librum, annotarunt signa impressa calamo vocis *otium*, detrito vetustate atramento: *ossum* vero ut videatur aliquibus esse scriptum, effecit macula quædam, quæ sequenti paginæ hærebat, ex cujus conglutinatione superinductum est huic dictioni instar duorum *s*, loco *t* et *i:* sed et omnes alii libri scripti quotquot sunt et antiqui et recentes vulgatam lect. continent. Præterea et Do. et Eug. Quin et Dionysius Romanus Pontifex, et Martyr ante annos mille trecentos, apertissime hanc lect. tenet, ita scribens ad Severum: 'Vos otiosi comedere vultis alienum cibum, videte ne in vos illud conveniat: Vide quid faciat otium, et alienus cibus.' Adde huc rationem versus, qui cum *otium* optime stat. *Fa.* Palmerius et Mur. nixi Bembino *ossum* defendunt, vocem barbaram et Terentio indignam. Fa. et Guy. *otium* asserunt. *West.* Gifan. in Ind. Lucret. v. 'Suum' legit *os suum.* Cf. Lang. ad Cic. Off. I. 31. *Id. in Add.* *Facit* R. ut et postea *rogare* pro *rogitare.* Lind. Nostri omnes *otium;* et item, duobus exceptis, *facit.* Utrumque sine controversia vere. *Bent.* *Facit* Br. Perl. *Vide otium, et quid cibus* Both.—35 *Rogitare* videtur legisse Do. O. l. s. Terentii *rogare* habent, quod parvi refert. *Fa.* Omnes nostri *rogare.* Bent. *Rogare* G. ET. EM. *West.* *Rogare* Bent. Bip. Both. cum Br. in quo signum interrog. post 'veniat' deletum est.—36 Constans hæc lectio, pro qua tamen alii, *ante o. meretricis tr. video*, reponunt, ut versui consulant, scilicet. Existimat Mur. τὸ *Thaidis* ex margine irrepsisse. F. H. in Notis legit *Thaidis ante ostium*, sed in Addendis *ante*

Rivalis servum. Salva res est: nimirum hic homines frigent.
Nebulonem hunc certum est ludere. PA. Hice hoc munere arbitrantur

dis stantem; res nostræ in tuto sunt; nimirum hic homines frigent (*gratia scilicet apud Thaidem*). *Constitui hunc tenebrionem ludificare.* PA. *Isti putant hoc*

ost. mulieris. West. Sunt qui legant *Thaeidis:* quod ego, quamvis in scriptis exemplaribus non inveniam, tamen non improbo: cum præsertim Donatus hoc nomen varie hic legi affirmet. *Fa.* Claudicare hunc versum omnes sentiunt. De medendi via certatur. *Thaeidis* plane insulsum est. Mur. pro *Thaidis* vult *meretricis;* sed hoc nimis inclementer dici visum est, nec placuit. Alii *Thaidis ego tristem video:* imperite. Vir eruditus, qui 'toties,' ait, 'tantumque de hoc loco restituendo cogitavit, ut pudeat fateri,' quid tandem profert? Immutat ordinem, et sic versum constituit: *Sed Parmenonem Thaidis ante ostium tristem video.* Bene sane: si post tam diutinam cogitationem ex una geminas mendas confecit. Nam et ultimam in *Thaidis* producit, et *ostium* ut *ostum* pronuntiat: quorum neutrum ei licebit. Idem tamen in curis secundis alio se vertit; et pro Mureti *meretricis* reponit *mulieris: ante ostium mulieris tristem video:* quod nemini non facile se probaturum opinatur. Nescio alios, mihi quidem non ita facile: qui sciam nusquam Terentium pronuntiare *mulíeris, mulíerem* (ut nos hodie) sed semper accentu in prima *múlieris, múlierem.* Quid igitur de versu hoc fiet? Dicam, quid mihi non ita diu cogitanti venerit in mentem; quod an omnibus se probaturum sit nescio; a nemine improbari posse certo scio. Lege igitur, *Sed P. ante ostium opperiri tristem video.* Bent. Malimus *contractum tristem.* Bip. *Ante ost. meretricis video tristem* Both. *Tristem stare vid.* Guelf. 2.—37 Alii, *hi homines frigent.* Rursus alii, *homines frigent.* West. Ab omnibus antiquis libris abest dictio *hic;* quæ et versum impedit, et sensui non est necessaria. *Fa.* Duo ex nostris habent *hic,* cum Edd. vett. et Servius ad Georg. IV. 104. et rursus Æn. I. 440. Repone, *salva res: nimirum hice homines fr. Salva res,* ut II. 3. 69. ubi nostri omnes, ut hic, *est* perperam addunt. *Bent.* quem sequitur Both. *Hic* omittunt Br. Z. *Hice* dat Perl. qui monet *hic* dare Guelf. 2.—38 Bodl., Bœcleri omnes, alii: *eludere.* Ita et EV. 1. *Isce hoc munere arbitratur* M. An *Hisce?* quomodo legit Pr. Inst. Gram. lib. XII. Ms. Lips. *Iste hoc munere arbitratur.* West. Omnes fere antiqui libri et in his Bem. sed et Do. habent *Hisce.* Faërnus. Donatus in Edd. vetustis ita: 'Isce hoc munere arbitratur; Isce pro, Is, vetuste.' Hic ergo testis, citatus nil respondet. At Pr. clare, p. 948. 'Nominativus pluralis Hisce, ut, Hisce hoc munere arbitrantur; in quo videntur Euphoniæ causa S interposuisse.' Nos ex tribus codicibus *Hice* et Analogiam potius sequemur, quam istam nescio quam Euphoniam. *Bent.* In edd. vett. *Isce.* Perl. *Hicce arbitratur* al. *Bip.* *Eludere* et *Hisce* Br. In Ms. ait Bruns, literæ *h* superscripta

NOTÆ

37 *Salva res est*] Conjectura a signis; servus rivalis non est intro, sed ante ostium. Igitur est exclusus, res nostra extra periculum est.

Hic homines frigent] Sic Gallice dicimus, *Ces gens ici sont bien froids, ils ne font pas bien leur profit.* Metaphora est proverbialis, sumta ab his, qui, manibus ex frigore stupidis, nihil operari possunt.

Suam Thaidem esse. GN. Plurima salute Parmenonem
Summum suum impertit Gnatho. Quid agitur? PA. Statur. GN. Video.
Numquidnam quod nolis, vides? PA. Te. GN. Credo; at numquid aliud?
PA. Quidum? GN. Quia tristis es. PA. Nihil equidem. GN. Ne sis: sed quid videtur
Hoc tibi mancipium? PA. Non malum hercle. GN. Uro hominem. PA. Ut falsus animi 'st!
GN. Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse? PA. Hoc nunc dicis,
Ejectos hinc nos: omnium rerum, heus, vicissitudo est.

virginis dono Thaidem sibi acquisitam habere. GN. *Plurimam salutem dicit Gnatho Parmenoni, summo et intimo suo amico. Quid fit, o noster?* PA. *Statur.* GN. *Id quidem video. Nonne hic vides id, quod nolis?* PA. *Te video, quem nolim.* GN. *Credo, sed numquid aliud?* PA. *Cur igitur?* GN. *Quia tristis es.* PA. *Nihil equidem.* GN. *Ne sis tristis, quæso. Sed qualis tibi videtur hæc serva?* PA. *Non mala quidem.* GN. *Hominem crucio.* PA. *Ut fallit eum opinio, cum putat hujusmodi munere capi Thaidem.* GN. *Quam gratum hoc munus Thaidi censes esse?* PA. *Propter hoc munus nimirum, putas nos esse ejectos ex his ædibus. Heus varias vices obtinent res mortalium.* GN. *Efficiam, Parmeno,*

est figura aspirationis index.—40 *Impartit.* *Impertit* antiqui libri. *Fa.* Nostri omnes *impertit.* Et Pr. p. 801. *Bent.* *Impartit* Guelf. 3.—41 *Hic quod nolis.* Bem. non habet *hic:* quæ et abesse potest. *Fa.* *Numquidnam quod* dedit Fa. prava erga Bem. reverentia. Nostri omnes, uno excepto, cum Edd. vett. *hic:* nec abesse potest sine sensus dispendio. Tam constat hoc, ut, si a ceteris omnibus afuisset *hic,* et in solo Bem. extitisset, in textum recepisset Faërnus. *Bent.* *Hic* habent Br. Perl. *Nunc* pro *Num* J.—42 Pro *equidem* omnes nostri uno excepto *quidem;* quod ipse versus efflagitat. Porro *tristi's* pronuntia et scribe. *Bent.* quem omnino sequitur Perl. *Quidem* Br. *Quia tristis* et *Nil quidem* Both. *Quid dum* et *Quia tristi's* Bip. *Quiddam* Guelf. 2.—43 *Animo* Ms. Lips. *West.* Egregie tres ex nostris codices, *falsus es.* Tum omnes habent *animo.* Illud *animi* Donato debetur. *Bent.* B, C, Hel. *es.* Both. Sic ipse dat cum Perl. *Animo* Br.—44 *Dices.* *Dicis* legitur in Bem. et aliquibus aliis. *Fa.* Nostri omnes *dices;* minus recte. *Bent.*

NOTÆ

41 *Numquidnam quod nolis, vides*] Hoc dicit Gnatho, virginem ostentans.

45 *Omnium rerum vicissitudo est*] Vicissitudo, est per vices mutatio, alternatio. Fertur in eam sententiam versiculus: Τὰ θνητὰ παντὰ μεταβολὰς πολλὰς ἔχει. Mortalia omnia multas habent mutationes. Celebratur et hoc dictum: Κύκλος τὰ ἀνθρώπεινα, Circulus res humanæ.

Gn. Sex ego te totos, Parmeno, hos menses quietum reddam,
Ne sursum, deorsum cursites, neve usque ad lucem vigiles.
Ecquid beo te? Pa. Men'? papæ! Gn. Sic soleo amicos. Pa. Laudo.
Gn. Detineo te fortasse: tu profectus alio fueras.
Pa. Nusquam. Gn. Tum tu igitur paululum da mihi operæ: fac ut admittar
Ad illam. Pa. Age modo; nunc tibi patent fores hæ, quia istam ducis.
Gn. Num quem evocari hinc vis foras? Pa. Sine, biduum hoc prætereat:
Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,

ut hos sex menses integros sis quietus, ne sursum deorsum in urbe perpetuo curras, ne a prima nocte ad diem usque insomnis sis. Numquid beatum te facio? Pa. *Mene? Papæ! valde me scilicet beatum facis.* Gn. *Sic consuevi amicos beare.* Pa. *Laudo.* Gn. *Fortasse te demoror: tu alio iturus eras.* Pa. *Nusquam alio.* Gn. *Nunc tu igitur paululum adjuva me; fac ut intromittar ad Thaidem.* Pa. *Age modo, propter puellam, quam ducis, nunc tibi hæ fores apertæ sunt.* Gn. *An aliquem ex hac domo evocari mandus?* Pa. *Expecta, dum hi duo dies transeunt: qui mihi nunc pulsu minimi digiti audito fores reseras fortunatus, faciam certe, ut*

Munus hoc et *arbitraris* GM. *Quod* pro *Quam* Guelf. 3. *Dices* Br.—48 *Et quid* et *papa* id. *Beare* Guelf. 2.—49 Do. et bona pars Interpretum distinguunt post 'te.' Mss. quidam, et in his Leidd. tres, Tr. M. et alter Lips. sed et impressi veteres, præter EP. *profecturus.* Leidd. duo addunt: *Si te non detinuissem:* sed alia manu. *West.* In multis scriptis libb. additur *si te non detinuissem:* sed illud emblema est manus sinistræ. *Lind.* 'Fortasse' priorib. an posterioribus jungend. sit, incertum. West. rectius illud, hoc Par. existimat. Sequor Pareum, cum GM. aliisque libb. Add. GM. in textu *si te non det.* Itidem Ms. 1. Par. Sed gloss. olet. *Perl. Detineo te fortasse? tun' pr. alio fueras?* Both. Post *fueras* interrogat et Bip. Post 'te' pungunt Br. Bent. *Fuisses* Guelf. 2.—50 *Paulum. Paululum* legendum ex o. fere l. s. et maxime antiquissimis versusque ratione. *Fa.* Nostri quoque omnes *paululum.* Bent.—51 Repono: *nunc tibi patet foris hæc, quia.* Id. *Ad illam* versum frustra onerant. *Both.* qui ea delet, et dat *illam* pro *istam*, et *hæc* (quod testatur legere C) *patent fores.* Ad vocem 'quia' sic notat Bruns: 'Superpositum *tu*, quasi sit pars textus.'—52 *Nunc* pro *Num* Guelf. 3.—53 *Fort. ap.* Ms. Lips. *West.* Rursus singularem numerum huc revoca, versu ipso te obsecrante, *forem aperis.* Bent. *Digito* GM. *Digitulo* ib. pr. var. *Forem* Bent. Etiam Par. p. var. *Perl.* qui hoc dat cum Both.—54

NOTÆ

47 *Ne sursum, deorsum*] Videtur alludere ad situm Athenarum, quæ in declivi colle exstructæ erant.

52 *Num quem evocari hinc vis foras*] Gnatho irridet Parmenonem, qui in ædes intrare non poterat.

Næ tu istas, faxo, calcibus sæpe insultabis frustra.
Gn. Etiam nunc hic stas, Parmeno? eho! numnam hic relictus custos,
Ne quis forte internuntius clam a milite ad istam cursitet?
Pa. Facete dictum: mira vero militi quæ placeant.
Sed video herilem filium minorem huc advenire.
Miror quid ex Piræeo abierit; nam ibi custos publice est nunc.

sæpe istas pedibus frustra pulses. Gn. *Etiam nunc hic manes, Parmeno? Anne hic positus es custos, ut caveas, ne quis nuntius secreto a Milite celeriter ad Thaidem mandata ferat?* Pa. *Eleganter et facete dictum. Miranda vero, et exquisita sunt, quæ dicis, et digna quæ Militi placeant, tam subtilis et acuti ingenii viro. Sed video heri filium minorem natu Chæream huc venire: mirum est cur ex Piræo discesserit: nam ibi custos nunc publice positus est; non sine causa deseruit sta-*

Istam Both. Perl. qui monet id recte dare Bent.—55 Riv. legit: *Etiam nunc tu hic stas?* T. Faber: *Etiam nunc hic stas, Parmeno? numnam hic tu relictus custos?* deleto *eho*, quod in Junt. non apparere dicit. Apparet autem in editione Philippi de Giunta, Florent. 1505. hoc modo: *Etiam tu hic stas, Parmeno? eho, numnam tu hic relictus custos?* Westerhovius. *Etiam tu hic stas Parmeno? eho numnam tu hic relictus custos.* Multi l. s. et in his antiqui omnes præter Bem. neutrobi habent *tu*, sed pro priore adverbium *nunc*; quod et locutioni et versui est aptius. In Bem. non est nec *tu*, nec *nunc.* Fa. Unus ex nostris cum Edd. vett. *Etiam tu hic stas.* Repone, *Etiamne tu hic stas, Parmeno?* Ex *ne* factum *nc*, id est, *nunc.* Bent. Vulgo *Etiam nunc hic stas, Parmeno? eho numnam, &c.* invenuste eliso nomine. Bent. *nunc* delevit, addidit *tu* ex uno cod. quicum facit B recte: sed *etiamne* non inducendum ex uno Bent. scripto, nostris B, C, et vett. edd. nam versus respuit. *Both.* qui sic legit: *Eho, etiam tu hic stas, Parmeno? numnam hic relictus custos. Numnam tu hic* Bip. Bent. sequitur Perlet; dat etiam *relictu's.*—56 *Cursitet* Mss. quidam cum impressis præstantissimis exhibent. Ita et quinque Leidd. et Do. Alii, *curset.* West. Corrige *curset*, ex eodem libro. *Fa.* Nostri omnes, *cursitet.* Bent. *Curset* Bent. Z. Both. Perl.—57 Nimis arguta est crisis Guyeti legentis. Pa. *Facete.* Gn. *Dictum.* West.—58 *Sed videon* Ms. *Lind.* J. et Venetus cod. *adventare.* Perl. Dat *videon* et *advenire?* Br.—59 *Quid Piræo* Both. *Pireo* Br. *Piræo* Z. Bent. Bip. Perl. qui monet: 'Var. scriptura inter *Piræeo* et *Piræo.* Sed J. F. Heusinger. ad Cic. Off. III. Priscos, ait, nomen illud tribus syllabis plerumque extulisse.' *Quod* Guelf. 3. et distinguit ante 'nunc.' Glossa τοῦ Br. notat pro *publice* alios le-

NOTÆ

56 *Ne quis forte internuntius*] Hæc ironice dicta: quasi nemo a Milite ad Thaidem, nisi clam, ire audeat.

57 *Facete dictum*] Ironice: quia inficeta hæc dicta esse vult Parmeno.

59 *Ex Piræeo*] Piræus vel Piræeus erat portus Athenarum, quadringentarum capax navium, muro duorum millium passuum urbi conjunctus. Piræus vulgo *Porto-Lione.*

Nam ibi custos] Athenienses, postquam ex Ephebis excesserant, militiæ daturi nomen, publice custodes erant in urbe per annum; deinde in suburbana mittebantur Castella, (e quibus unum erat portus Piræus,) ex-

Non temere est; et properans venit: nescio quid circumspectat.

tionem et præsidium; festinans etiam venit. Nescio quid diligenter et attente circumspicit.

gere *sub ilice.*—60 Ms. Par. *circumspectet.* Perl.

NOTÆ

cubituri adversus prædonum incursus: præterea conveniebant eodem adolescentes convivia acturi, ut post indicat Antipho: quare Proverbium factum est; τὸν Πειραιέα μὴ κεναγγίαν ἄγειν, Piræum non vehere vasa inania.

ACTUS II. SCENA III.

CHÆREA. PARMENO.

CH. Occidi.
Neque virgo est usquam; neque ego, qui illam e conspectu amisi meo.
Ubi quæram? ubi investigem? quem perconter? quam insistam viam?
Incertus sum: una hæc spes est; ubi ubi est, diu celari non potest.

CH. *Perii. Neque virgo usquam est, neque ego, qui illam visam in via perdidi. Ubi quæram? ubi vestigia ejus sequar? Quem interrogabo? Qua via procedam? Incertus sum quid sim facturus: hæc sola spes restat, quod, ubivis sit, diu occultari*

1 *Occidi.* Licet o. l. s. aliter habeant, necesse est hanc dictionem, et a præcedentis scenæ ultimo et ab hujus primo versu separare. *Fa. Occidi* nimis apposita personæ Chæreæ est vox, quam quæ contra Codicum fidem a Guyeto imperitis Librariis imputari mereat. *West.* Hanc voc. a librariis esse Guy. non recte judicat. *Perl.*—3 Donatus: 'Et *qua via* legitur.' Et sic duo codices ex nostris cum Edd. vett. Rectius. Ceterum tolle istas interrogationis notas; et sic accipe, *Incertus sum, ubi quæram, &c.* Bent. Sic pungit Br. *Qua via* Both. Perl.—4 *Certus* vult Gov. et interrogat in vs. 3. post

NOTÆ

1 *Occidi. Neque virgo est usquam*] Quia eam e conspectu amiserat.

4 *Ubi ubi est, diu celari non potest*] Ob nimiam formæ gratiam.

O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.
Tædet quotidianarum harum formarum. PA. Ecce autem alterum!
Nescio quid de amore loquitur: O infortunatum senem!
Hic vero est, qui si occeperit, ludum jocumque dices
Fuisse illum alterum, præut hujus rabies quæ dabit.
CH. Ut illum Di Deæque senium perdant, qui me hodie remoratus est;

non potest, ob nimiam formæ gratiam. O faciem venustam! exinde omnes animo deleo mulieres: satietas me capit harum vulgarium pulchritudinum, quas quotidie videre licet. PA. *Ecce autem alterum fratrem Phædriæ minorem. Nescio quid de amore loquitur. O infortunatum senem Lachetem, cui tales contigere filii amore perditi! hic vero adeo acri et rapido ingenio est, ut, si amori se dediderit, nugas fuisse dices ea quæ ille alter (Phædria) fecit, ad comparationem illorum quæ hujus (Chæreæ) rabies committet.* CH. *Ut illum Dii Deæque senem miseris modis in-*

'viam' solum.—6 *Harum quotid.* Ex libris scriptis et Do. hæc verba sic colloca: *quotid. harum.* Fa. Ita nostri similiter omnes. *Bent.* Er. invert. *har. quotid.* ex l. antiq. West. *cotid.* Par. *cottid.* Perl.—7 GM. *in fortun.* id. in marg. al. *fortun. Amare* Guelf. 3.—8. 9 *Hic vero est qui si amare occeperit, ludum jocumque Dices fuisse.* Pr. libro XIV. hunc locum citans, non ponit verbum *amare:* quod nec in Bem. quidem est, in quo etiam *dicet* legitur: quod et placet. Sane hos versus ita ordinamus: *Hic vero est qui si occeperit, ludum, jocumque dicet Fuisse illum alterum, præut hujus rabies quæ dabit.* Putarim tamen legendum *illunc,* ne duo hiatus in uno versu interveniant. *Fa.* Bodl. *Hic vero puer est.* Ms. Lips. G. Bodl. M. et ET. EM. *qui si occeperit amare.* Quomodo et Donatum legisse discas ad vers. 56. Itaque esse in omnibus Pall. auctor est Pareus. Videtur autem e glossa additum. Non audiendi Fa. et Guy. rescribentes ex Bem. *dicet.* West. Prior versus, quem dedit Fa. quantum ad numeros bene habet: alter cum hiatibus istis nullo modo ferendus. Sensit hoc vir doctus; et a Faërno suo desciscens sic versus constituit, in ipso etiam textu: *Hic vero est, qui si occeperit, ludum jocumque,* [*sat scio*] *Dicet fuisse illum alterum, præut hujus rabies quæ dabit.* Nihil, inquit, certius est, quam versum secundum a *Dicet* incipiendum esse. Ubi semel hoc pro comperto assumsit; Lacunam, inquit, verbis hisce, *sat scio,* supplere nullus dubito. Atqui melius erat dubitasse: quam lacunam, quæ nulla est, verbis, quæ nihili sunt, supplevisse. Porro et *Dicet* ideo hic probat, quia Parmeno hic neminem alloquatur. Pari omnia felicitate. Vide, an nobis fortunatius cadat alea: *Hic vero est, qui si occeperit, Ludum jocumque dicas fuisse illum alterum, Præut hujus rabies quæ dabit.* Ceterum vel Prisciani auctoritas, qui p. 997. hos ipsos versus adducit, ut hodie feruntur, deterrere debuit virum doctum, ne *sat scio* hic intruderet, ubi ipse nihil sciebat. *Dices* Prisciani codices, nostrique omnes: et *dicet* ineptum est. Repone, *dicas.* Bent. quem omnino sequitur Perl. *Dicas, Præut hujus rabies quæ dabit illum alterum fuisse* Both. *Dicet* Z.—10 Bodl. G. et EP. *ut illum Di Deæque senem omnes perdant.* Idem ex Vet. Cod. laudat Lind. Pareus *senem* tuetur ex Pall. omisso *omnes.* Ita et Ms. Lips. alter. *West. Senium* a Donato est: *senem,* nostri omnes, et, ut credo, Faërniani: sed dissimulat ille, ne Bembini fides minuatur. Nostri etiam universi cum Edd. vett. *omnes* habent, vel

Meque adeo, qui restiterim; tum autem, qui illum flocci-
fecerim.
Sed eccum Parmenonem! Salve. PA. Quid tu es tristis?
quidve es alacris?
Unde is? CH. Egone? nescio hercule, neque unde eam,
neque quorsum eam:
Ita prorsum oblitus sum mei.
PA. Qui, quæso? CH. Amo. PA. Hem! CH. Nunc,
Parmeno, te ostendes, qui vir sies.
Scis te mihi sæpe pollicitum esse: Chærea, aliquid inveni

terficiant, qui me hodie garrulitate sua detinuit: meque etiam, qui ire cessaverim; tum quoque, qui illum vel tantilli fecerim, ut cum illo manerem. Verum Parmenonem hic video. Salvus sis. PA. *Quid tu tristis es? quidve tam alacriter festinas? Unde venis?* CH. *Ego nescio mehercle, neque unde veniam, neque ad quam partem eam; ita omnino immemor sum mei.* PA. *Cur, quæso?* CH. *Amo.* PA. *Hem.* CH. *Nunc, Parmeno, demonstrare debes, qualis vir sis; memineris te sæpe mihi promisisse, cum diceres: Chærea, tantummodo invenias mulierem quam ames;*

ante vel post *senem.* Academicus etiam *Dii Deæ omnes* absque illo *que:* Regius autem, *qui hodie me.* Repone, *Ut illum Di Deæ omnes senium perdant, qui hodie me remoratus sit.* Bent. *Sit* Bent. recte. *Perl.* qui hic omnino paret Bentleio. *Senem omnes perdant.* Br. *Illunc* et *hodie me* Both.—11 Mss. quidam, *qui illum non fl.* Quomodo et exhibet EP. Junt. aliæque. Scilicet, notante Donato, 'floccifacere' et contemnere et non contemnere significat. Guy. suo more mire finxit hunc locum, ita: *Ut eum Di Deæque senim perdant, qui me hodie remoratus est: Meque adeo, qui restiterim tum, haudque illum fl.* West. *Tum autem quin illum floccifecerim* legend. putamus pro vulg. *qui.* Quidam Mss. *qui illum non fl.* Miramur Bentleium id transmisisse. *Bip.* Superpositum *non* in Br. qui dividit *floccifecerim,* ut Z. Bent. Perl. Both.—12 Ms. Lips. alter: *quidve alacris.* Hæc Guy. expungit, substituens: *Sed eccum Parmenonem: salve.* PA. *Salve tu: quid tristis es?* Turnebus mallet, *quidne es alacris?* sc. non credens, *tristis* et *alacris* simul stare posse. Est vero *alacris* h. l. qui totus in gestibus et motu est corporis. Unde alacrem et lætum plus semel junxit Cicero. *West.* *Quidve al.* Br.—13 *Unde is?* CH. *Ego nescio hercle.* Bem. ita habet, *Egone? nescio hercle:* ita optime versus procedit. *Fa.* Nostri vitiose *Ego.* Bent. *Ego nescio hercle* Br. *Hercle* Bent. Both. Bip. Perl. *Egone* abest a Guelf. 2. qui dat *quorsum vadam.* *Ego nescio* GM. legere testatur Perl.—14 *Prorsus* Br. Bip.—15 *Nunc te, Parmeno, ostendes.* Non stat octonarius nisi legas ut in Bem. Bas. et aliis: *Nunc, Parmeno, te ostendes.* Fa. Lege, *Nunc, Parmeno, te ostenderis.* Poteris etiam, *ostende sis;* sed illud melius. *Bent.* *Ostendas* Guelf. 2 vss. 14. 15. Sic legit Bothius: *Ita oblitus prorsus mei sum.* PA. *Qui, quæso?* CH. *Amo.* PA. *Hem!* CH. *Parmeno, nunc*

NOTÆ

11 *Qui illum floccifecerim*] Indicat Chærea se Archidemidem ne flocci quidem facere debuisse, ut remanens desisteret a persequenda virgine. Est autem floccus, lanæ particula, quæ inutilis a vellere divellitur atque evolat.

Modo quod ames; in ea re utilitatem ego faciam ut cog-
noscas meam;
Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam
clanculum.
PA. Age, inepte! CH. Hoc hercle factum est: fac sis
nunc promissa appareant;
Sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.
Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas matres
student

in ea re faciam, ut experiaris, quantopere possim tibi esse utilis; tum, cum in cellulam tuam omnem penum patris afferebam, et cumulate tibi apponebam, insciis omnibus. PA. *Age, imprudens, exprobra quæ mihi benefecisse prædicas.* CH. *Nunc hercle hoc evenit. Inveni quod amem; fac, si vis, ut promissa extent, sive propterea quod hæc virgo adeo digna res est, in qua omnem vim, studium, et industriam ponas. Non similis est puellarum nostrarum, quæ, ut demissos habeant humeros,*

te ostendes, qui vir sis. Dat *Ehem* Bip.—17 Lege cum Donato Msto, vett. Edd. et tribus nostris codicibus, *utilitatem in ea re faciam.* Tantum *ego,* quod illi habent, ut supervacuum tollo. *Bent.* Obsequitur Perl. et Both. qui dat *Quod ames, modo.*—18 Pr. Inst. Lib. XV. *congregabam.* EP. *penum omne.* West. *Penum omnem* in Bem. et V. et sic etiam legi Do. testatur: et ita etiam Pr. citat libro quinto. *Fa.* Tres tantum ex nostris *omne.* Pr. bis locum laudat p. 654. et 1017. ubi Msti quoque *omnem.* Bent. *Omne* Br.—19 *Pr. ut app. ipsa* M. *West.* *Faxis nunc promissa appareant*] Ita et in Bem. sed V. et alii, *fac sis:* quin et in Bem. est glossema indicans dictum esse *faxis* pro *fac sis.* Fa. Unus quoque ex nostris *faxis:* inepte. Cledonius tamen, magister vetus; p. 1916. 'Faxo faxis, Terent. 'Faxis, nunc promissa appareant.'' Ceterum male post 'appareant' plenam distinctionem hodie ponunt. *Bent.* *Si* Mss. Par. *Perl.* B, C, Hel. *fac nunc sic, nunc prom. ipsa,* vel (nam sic C) *tua ipsa, &c.* Both. qui dat *Hoc hercle nunc, sis, nunc, fac prom. ipsa appareant.* Plenam distinctionem post 'app.' habent Br. Perl.—20. 21 Bodl. verba hæc Parmenoni tribuit: ita: PA. *Si adeo digna res, ubi tu nervos intendas tuos.* CH. *Haud similis virgo.* Ita et Ms. Lips. alter. *West.* Hæc verba, ex auctoritate Donati, Chæreæ attribuimus. *Fa.* Nostri male dant Parmenoni. *Bent.* Recte his præscribi in codd. nostris Parmenonis nomen jam apparet, legoque cum eisdem *Si adeo,* correcto tamen verbo *Sive,* non omisso, quod libri faciunt. *Both.* qui dat *appareant* .... PA. *Sine.* CH. *Si adeo res est digna, &c.* *Si* pro *Sive* Br. qui hunc vs. Parmenoni dat. *Si* Guelf. 2. 3.—

NOTÆ

18 *In cellulam*] Cellæ erant tuguriola servorum et pauperum. Penus est omne quo vescuntur homines, ut definit Cicero: atque etiam ea, quibus animalia nostro usui apta nutriuntur, ut vult Ulpianus Jurisconsultus. Dicta penus, quod hujusmodi res, ad victum necessariæ, intus et penitus recondantur. Dicitur hic, vel hæc, quartæ declinationis, et hic penus peni secundæ, et hoc penus penoris, et hoc penum, et hoc penu indeclinabile.

Demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles sient:
Si qua est habitior paulo, pugilem esse aiunt; deducunt cibum.
Tametsi bona 'st natura, reddunt curatura junceas:
Itaque ergo amantur. PA. Quid tua isthæc? CH. Nova figura oris. PA. Papæ!
CH. Color verus, corpus solidum, et succi plenum. PA. Anni? CH. Anni? sexdecim.
PA. Flos ipse. CH. Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario,

et longius collum, omnem matres dant operam, eisque pectus ligant stricte, ut tenui sint corpore. Si qua sit paulo corpulentior, pugili et athletæ similem eam esse dicunt; etiamsi boni sint temperamenti, plenæ, pingues, detrahunt eis alimentum ne pinguescant, et studio et cultura reddunt eas graciles instar junci: itaque, propter hanc arte et cultu quæsitam venustatem, fit ut amentur. PA. *Tu dic qualis ista tua est.* CH. *Nova ejus forma est et figura corporis, cuique similis ante hæc visa est nulla, color nativus, non fictus, corpus plenum et succulentum.* PA. *Quot ei sunt anni?* CH. *Anni sexdecim.* PA. *Flos ipse ætatis est.* CH. *Hanc tu mihi fac tradas, vel aperta vi, vel arte secreta, fraude, furtove, vel precibus; mea*

22 Alii, *gracilæ.* Vide, quæ notavit Weitzius et Jos. Scaliger in Conjectaneis Varronianis. Auson. Epist. ad Hesperium: 'Si qua tibi in his versiculis videbuntur (nam vereor, ut multa sint) fucatius concinnata, quam verius, et plus coloris, quam succi habere; ipse sciens fluere permisi, venustula ut essent magis, quam forticula; instar virginum, *Quas matres student demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles sient.*' Assentior Faërno et Rivio, Donatum legisse, *gracilæ*, atque adeo notasse tanquam rarius vocabulum. Et sane *gracilæ* est in plusculis Mss. unde ita edidit Par. post Aldum aliosque. *West.* Do. legit *gracilæ.* Sic et in V. erat: sed superaddito *s*, factum *graciles:* contra in Basil. ex voce *graciles s* expunctum. *Fa.* At editiones Donati, tam veteres quam recentiores, *Graciles a Gracilis.* Male tamen, ut existimo. Sed accedat certior testis Val. Probus p. 1466. 'Hic et hæc gracilis, hic et hæc imbecillis: sed Terentius nove, Ut gracilæ sient. Nominativo singulari, hæc gracila, hæc imbecilla.' Eugraphius: 'Legitur et *gracilæ;* ut declinaverit Terentius, Hæc gracila.' Puerorum olim causa factum hic *graciles.* Bent. *Gracilæ* legendum est. *R. D.* Vetus cod. Lindenbrogii et Gu. 1. *corpore.* Both. *Gracilæ* Bip. Both. Perl.—23 *Si quæ habitior paulo, aiunt esse pugilem* Both.—24 *Tamen etsi* Mss. quidam. *Tali curatura* M. *West.* Lindenbrogii codices, et ex nostris veterrimis unus *Tamenetsi.* Lege, *Tamenetsi bona natura est.* Bent. Sequitur Perl. (nisi quod dat *Tamen, etsi*) et Both. qui legit *junceam*, et notat: 'Vulg. *junceas:* sed de una illa virgine sermo est, quam habitiorem finxit. Ergo versu seq. indignantis est.'—25 *Nova figura oris.* Hæc et sequentes versus tres Chæreæ ascribit Guyetus, sed præter necessitatem. Legit autem: CH. *Nova figura oris: papæ: Color verus, corpus solidum, et succi plenum; anni sexdecim, Flos ipse: hanc tu mi vel clam, vel precario Fac tradas.* West.—26 *Anni quot?* EP. *Id. Sedecim* Br. Bent. Bip. Z. Both. Perl.—27 Puto legendum *Hance:* et in 'ipse' non faciendam synalœpham. *Fa.* Misera sane medendi ratio, 'ipse' sine synalœpha, et *hance*, ut octonarius fiat. Cautior vir doctus; qui ex recepta lectione pro Senario Septenarium fore videbat; qualis, ait, versus quam maxime potest evitandus est; etsi uno alterove loco necessario admittendus videatur. Bono animo esse jubeo; ne semel quidem admittetur. Ipse igitur illud *Flos ipse* extra versum posuit: ut Clausula sit, qualis 'Occidi' in hac Scena, et in Heaut. 'Discrucior animi.' Laudandus est, quod aliqua tenus prodierit; tametsi non ad terminum ipsum. Equidem non ut Clausulam extra numerum poni, sed omnino excludi et ejici velim. *Bent.* *Flos ipsus* et *Hanc vel vi mihi vel clam tu vel precario* Both. qui ex more sic omnia invertit.—28 *Potior* alter Ms. Lips. *West.*—29 Hosce versus ita ordinat Guyetus: *Quid? virgo cuja est?* CH. *Nescio hercle, Parmeno.* PA. *Unde est?* CH. *Rogas? tantundem.* PA. *Ubi habitat?* CH. *Ne id quidem.* PA. *Ubi vidisti?* CH. *In via.* PA. *Qui amisti, Chærea?* Sed præterquam, quod nulla nisi sua utitur auctoritate Guy. vel ideo suspecta hæc lectio est, quod illa, *Unde est? Rogas? tantundem*, non sapiunt stylum Terentianum. *West.*—30 *Amisti* Do. quidem legit: sed ratio versus exigit *amisisti:* ut et in Bem. et in omnibus aliis fere libris est. Qui vero sequuntur versus senarii sunt: itaque in eo libro cum hoc, quem supra diximus, versu ordinantur: *Ne id quidem. Ubi vidisti? In via. Qua ratione amisisti? Id equidem adveniens mecum stomachabar modo. Nec quenquam esse hominem arbitror, cui magis bonæ.* Fa. *Amisti* confirmant præter unum et alterum recentiorem tres nostri vetustissimi. Videtur olim fuisse, *Qua ratione illam amisti?* Vir doctus, *Qua r. autem amisti?* Bent. *Amisisti* Pall. *Perl.* Vulg. *amisti*, prisce sed inconcinne. Sequor nostros codd. *Both.* *Illam amisisti* Perl. *Amisti* Z.—32 Sic dedit Fa. Nostri plerique: *Neque ego quenquam hominem esse.* Unus: *Neque quenquam ego esse hominem.* Vett. Edd. *Neque quenquam hominem esse ego arbitror.* Repone, *Neque quenquam ego hominem esse arbitror.* Eodem ordine ponit vir eruditus. *Bent.* quem sequuntur

NOTÆ

27 *Vel vi, vel clam, vel precario*] In jure cum vitio possidet, qui vi, invito domino possidet: clam, qui inscio domino: precario autem, qui precibus a domino quid obtinuit utendum ea conditione, ut liberum sit illi, qui concessit, id repetere.

Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo.
PA. Quid? virgo cuja est? CH. Nescio hercle. PA. Unde est? CH. Tantundem. PA. Ubi habitat?
CH. Ne id quidem. PA. Ubi vidisti? CH. In via. PA. Qua ratione amisisti?
CH. Id equidem adveniens mecum stomachabar modo;
Nec quenquam esse ego hominem arbitror, cui magis bonæ

nihil interest, dummodo eam possideam; jurene an injuria, nihil pensi habeo, dummodo mihi comparetur. PA. *Quæ virgo, quæ conditio, servane an libera?* CH. *Per Herculem, nescio.* PA. *Unde est?* CH. *Tantundem scio.* PA. *Ubi habitat?* CH. *Ne id quidem scio.* PA. *Ubi eam vidisti?* CH. *In platea.* PA. *Quomodo eam e visu perdidisti?* CH. *Id propter equidem adveniens mecum indignabar modo; neque ullum hominem esse puto, cui magis secundæ fortunæ omnes ad-*

Felicitates omnes adversæ sient.
Pa. Quid hoc est sceleris? Ch. Perii. Pa. Quid factum 'st? Ch. Rogas?
Patris cognatum, atque æqualem, Archidemidem,
Novistin'? Pa. Quid ni? Ch. Is, dum sequor hanc, fit mihi obviam.
Pa. Incommode hercle. Ch. Immo enimvero infeliciter;
Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.
Illum liquet mihi dejerare, his mensibus
Sex septem prorsum non vidisse proximis,
Nisi nunc, cum minime vellem, minimeque opus fuit.
Eho, nonne hoc monstri simile 'st? quid ais? Pa. Maxume.

versæ sint. Pa. *Quodnam scelus in te commissum est?* Ch. *Occidi.* Pa. *Quid factum est tibi?* Ch. *Quærisne? Num patris cognatum et æquævum Archidemidem cognoscis?* Pa. *Cur non noverim?* Ch. *Dum hanc sequor virginem, ille in via mihi occurrit.* Pa. *Incommode, per Herculem.* Ch. *Immo infeliciter; nam incommoda alia minora sic appellanda sunt, non hoc malum. Liquido dejerare possum me prorsus illum non vidisse hos sex vel septem menses superiores præteritos, nisi nunc, cum invitus vidi, mihique id damnosum fuit. Ehodum nonne hoc insolitum et instar prodigii est? Quid de hac re dicis?* Pa. *Ita est, ut ais.* Ch. *Sta-*

Perl. et Both. qui dat *mage*. *Ego* abest a Guelf. 3.—33 Primus, opinor, moneo mendum hic subesse. Lego *aversæ*. Bent. *Adversæ* GM. Al. *sient quam mihi*. Perl. *Adversitates* A et C: emendare Poëtam visis sibi scribis. *Both. Aversæ* Perl.—34 *Quid hoc est sceleris?* Vulgo hæc verba Parmenoni tribuuntur. Bœclerus Donatum laudat, tribuentem Chæreæ. Male. Jac. Perizonius conjiciebat, legendum esse, *Qui id factum'st?* ut sensus sit: Qua ratione factum est, ut virginem e conspectu amiseris? Atqui id jam rogaverat versu 30. Estque in vulg. lect. commoda interrogatio, quare se adeo infelicem dicat Chærea. *West.* Male codices, qui nunc supersunt, Parmenoni illud tribuunt, *Quid hoc est sceleris?* Omnia sunt Chæreæ: *Aversæ sient. Quid hoc est sceleris? perii.* Pa. *quid factumst?* Et sic olim Donatus: 'Quid hoc est sceleris? Propter hoc quod patior, inquit. Nunc enim scelus dicit a se commissum.' Lege, *Propter quod hoc patior.* Si Parmenoni hoc assignasset, non *patior* dixisset, sed *pateris*. Bent. Alii 'Quid hoc est sceleris' contra ethos dictum a Parmenone volunt. *Bip.*—35 M. cum quibusdam aliis *Archimenidem*, corrupte. *West.*—36 *Nostin?* Pa. *Quidni?* Ch. *Is, dum sequor hanc.* L. o. hanc collocationem verborum habent, *dum hanc sequor*: sed, ut versus constet, vel legendum est *Novistin*, ut in Bem. est, vel ex 'Quidni' nihil elidetur. *Fa. Novistin* versus gratia videtur interpolatum. Ceteri omnes *Nostin*. Quod retinet vir eruditus. Poteris legere, *Nostine? Quidni?* Bent. *Nostin* et *dum hanc sequor* Br. *Nostine* et *dum hanc sequor* Bent. Bip. Both. Perl.—39 GM. *delirare* mire: cum gl. *dejerare*. Perl. *Delirare* et Br. quod errorem notandum vocat Bruns.—40 *Sex vel septem* M. *West.* Quinque nostri cum vett. Edd. et Prisc. p. 1200. *prorsus.* Concinnius hoc. *Bent. Sex vel septem* Pall. 1. 3. *Aut* GM. *Septem* abest a Guelf. 3. *Perl.* qui cum Both. dat *prorsus.*—41 *Minime opus* Both.—42 Id. dat *Eho, nonne hoc monstri sim. est?*—43 *Occurrit*

Ch. Continuo accurrit ad me, quam longe quidem,
Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens.
Heus! heus! tibi dico, Chærea, inquit. Restiti.
Scin' quid ego te volebam? dic. Cras est mihi
Judicium. Quid tum? Ut diligenter nunties
Patri, advocatus mane mihi esse ut meminerit.
Dum hæc dicit, abiit hora. Rogo, numquid velit.
Recte, inquit: abeo. Cum huc respicio ad virginem,
Illa sese interea commodum huc advorterat
In hanc nostram plateam. Pa. Mirum, ni hanc dicit, modo
Huic quæ data est dono. Ch. Huc cum advenio, nulla erat.
Pa. Comites secuti scilicet sunt virginem?
Ch. Verum: parasitus cum ancilla. Pa. Ipsa est: ilicet!

tim ad me currit quam longe erat, ætate incurvatus, tremens imbecillitate, labiis propendentibus deorsum, gemens præ tussi: Heus, heus, te volo, Chærea, inquit. Ad hæc verba gradum repressi. Scisne, dixit, quæ tibi volebam dicere? Dic, inquam. Cras mea causa agitur. At, quid inde? inquam ego. Ut sedulo patrem moneas rogo, ut meminerit mane mecum stare in judicio. Dum hæc dicit, hora præterit; quæro numquid velit. Recte, inquit, tibi sit, vale. Abeo; cum huc respicio ad virginem, illa interea eodem tempore deflexerat in hanc nostram plateam, ubi Thais habitat. Pa. *Nimirum de illa loquitur virgine, quæ Thaidi donata est a Milite.* Ch. *Cum huc advenio, eam non reperi: disparuerat.* Pa. *Nempe comites virgini aderant.* Ch. *Ita est: secuti sunt nimirum parasitus et ancilla.* Pa. *Ipsa est. Jam,*

Guelf. 2. et *qui* 3. pro *quam*.—49 Libri quidam Mss. et typis expressi, *Dum hæc loquitur*. West. *Dum hæc dicit* dedit Fa. et sic Edd. vett. Sed nostri omnes, excepto uno satis recenti, *Dum hæc loquitur*. Bent. *Loquitur* R. et Vet. Cod. *Lind. Loquitur* exhibent Br. Bent. Both. Perl. qui notat *dicit* esse in Guelf. 2.—50 Scriptum *inquid* in Guelf. 3. et *Habeo* in 2. Hoc et glossa in Br. habet: et Bruns notat: 'Atque sic forte olim lectum fuit, huicque lect. convenit nota [sc. in glossa], 'aliquid tibi dicere.''—51 *Illæc se int.* Both.—52 *In nostram h. pl.* Bip. *Hanc nostr. in plateam* Both.—53 Repone *quæ data dono est*. Bent. Sequitur Perl. *Data huic quæ dono est* Both.—54 Tolle interrogationis notam. *Bent.*—55 Libri quidam junctim *Ipsa 'st scilicet*. West. *Ipsa est scilicet* G. ET. EM. *Id. in Add. Scilicet* nostri Codd. et Edd. vetustæ. Tacet Faërnus: sed ita Bem. notante G. F. Eugraphius ad locum: 'Ipsa est: ilicet. Quoties causa ab oratoribus finiebatur, et a judice sententia ferri cœperat, semper conclamabatur, Ilicet, hoc est Ire

NOTÆ

49 *Rogo numquid velit*] Abituri, ne id dure facerent, Numquid vis, dicebant his quibuscum constitissent. Sic Galli solent dicere, *Vous plaît-il rien me commander?*

Desine: jam conclamatum est. Ch. Alias res agis.
Pa. Istuc ago quidem. Ch. Nostin' quæ sit? dic mihi:
Aut vidistin'? Pa. Vidi; novi: scio, quo abducta sit.
Ch. Eho, Parmeno mi, nostin'? Pa. Novi. Ch. Et scis ubi siet?
Pa. Huc deducta est ad meretricem Thaidem: ei dono data est.
Ch. Quis is est tam potens cum tanto munere hoc? Pa. Miles Thraso,
Phædriæ rivalis. Ch. Duras fratris partes prædicas.
Pa. Immo enim si scias, quod donum huic dono contra comparet,
Tum magis id dicas. Ch. Quodnam quæso hercle? Pa. Eunuchum. Ch. Illumne obsecro

jam res acta est; Chærea habet, captus est. Ch. *Non attendis ad ea quæ dico.* Pa. *Attendo.* Ch. *Novistine quæ sit? Aut vidistine eam?* Pa. *Vidi, novi, scio quo abducta sit.* Ch. *Eho, Parmeno mi, novistine?* Pa. *Novi.* Ch. *Scis ubi sit?* Pa. *Ad has ædes deducta est ad Thaidem meretricem, et in donum tradita.* Ch. *Quis ille est adeo potens, qui tam pretiosum munus det meretrici?* Pa. *Miles Thraso, Phædriæ rivalis.* Ch. *Difficiles partes frater agit contra æmulum ita divitem et munificum.* Pa. *Immo Phædriam partes habere dicas difficiliores, si scias quod munus huic muneri contra apparet.* Ch. *Quodnam illud est, cedo?* Pa.

licet. Signum ergo finis et cognitionis plenæ.' Miror igitur virum doctum, qui illud *scilicet* verius putat. Inter *Ilicet* et *conclamatumst* invenuste, ait, inseri videtur *Desine.* Si, Quare, roges, nesciat: illud tamen scire poterat, invenuste hic repeti *scilicet;* cum in versu fuerit præcedente. *Bent.* *Scilicet* Br. Guelf. 2. 3. *Cum ea* pro *cum ancilla* GM.—57 *Istuc ago equidem.* Ita et in Bem. *Fa.* Unus ex Nostris, *ago equidem:* ceteri *equidem ago.* *Nostin quæ sit? dic mihi, aut Vidistin?* CCC. egregie, *Nostin quæso dic mihi aut Vidistin?* 'Quæso' passim in interrogatione locum habet. Et respondet Parmeno, 'Vidi, novi:' absolute; non, 'quæ sit.' *Bent.* qui dat *I. a. equidem,* quod dant et Both. et Guelf. 3. *Istuc equidem ago* Br. Guelf. 2. Voce 'aut' hunc vs. claudunt Bent. Both. Bip. Perl. *Nostin (quæso, dic mihi) aut* Both. —58 *Novi et scio* J. *Et novi et scio* Guelf. 2.—59. 60 *O Parmeno mi nostin? Novi. Scis ubi siet? Huc deducta est ad Thaidem meretricem, ei d. data est.* O. l. s. *Eho Parmeno* habent: item hi et Donatus, *ad meretricem Thaidem:* aliqui vero, inter quos Bembinus, *Et scis;* omnesque fere antiqui præter eum, in quo est, *et dono data'st,* habent, *ei dono data est.* Itaque sic legemus: *Eho Parmeno mi nostin? Novi. Et scis ubi siet? Huc deducta'st ad meretricem Thaidem, ei dono data'st.* Fa. Tolle istud *Novi;* et totum da Chæreæ: *Eho, Parmeno mi, nostin, et scis ubi siet?* Sic habet Donatus Lindenbrogii; et viro docto idem visum est. *Bent.* Pa. *Novi:* Bent. hancce responsion. Parmenonis extrudit contra morem Terentii. *Adducta* Guelf. 2. *Et ei dono* 1. *Perl.* *Scis* delet Both.—61 *Ita potens* Guelf. 2.—62 *Partes fratris* EP. *West.*—63 *Immo si scias.* Codices nostri duobus modo exceptis, *Immo enim:* et sic veteres Edd. Repone: *Immo enim si scias quod donum dono huic c. c.* Bent. *Domo* Par. vitiose. *Dono* abest a Guelf. 2. *Perl.*—64 *Id* varie

Inhonestum hominem, quem mercatus est heri, senem, mulierem?
Pa. Istunc ipsum. Ch. Homo quatietur certe cum dono foras.
Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam. Pa. Haud diu est.
Ch. Perii! nunquamne etiam me illam vidisse? ehodum dic mihi;
Estne, ut fertur, forma? Pa. Sane. Ch. At nihil ad nostram hanc. Pa. Alia res est.
Ch. Obsecro hercle, Parmeno, fac ut potiar. Pa. Faciam sedulo, ac
Dabo operam, adjuvabo: numquid me aliud vis? Ch. Quo nunc is? Pa. Domum,
Ut mancipia hæc, ita ut jussit frater, deducam ad Thaidem.

Eunuchus. Ch. *Illumne, quæso, dicis deformem hominem, effœminatum quem emit heri, senem, mulierem?* Pa. *Hunc ipsum.* Ch. *Ictibus homo certè extrudetur cum dono foras: sed adhuc ignoravi istam Thaidem in vicinia habitare.* Pa. *Non diu est, ex quo habitat.* Ch. *Occidi. Nunquamne etiam me illam Thaidem vidisse oportuit? Estne, ut tradunt, forma tam honesta et eleganti?* Pa. *Certe est.* Ch. *At nihil est, si cum nostra comparetur.* Pa. *Diversa res est, utraque pulchra est, sed diversæ sunt formarum species.* Ch. *Etiam atque etiam te oro per Deos, Parmeno, fac ut ea fruar.* Pa. *Conabor omni studio, omnibus viribus tibi adero: numquid aliud me vis facere?* Ch. *Quo nunc is?* Pa. *Domum eo, ut mancipia hæc, Eunuchum et Æthiopissam, deducam ad Thaidem, ita ut tuus frater jussit.*

collocatur. Antiqui enim libri et Donatus verbo præponunt; omnes alii postponunt. Ego subdititium arbitror. *Fa.* Omnes nostri *Tum magis id dicas.* Nec cum Fa. accedam. Ego contra *Tum* subditivum existimo. *Bent.* *Tum* delet Both. *Quidnam* Guelf. 3.—65 *Here.* O. l. s. *heri.* Fa. Et nostri quoque *heri.* Pace Donati non subdistinguo, sed conjungo, *senem mulierem.* Bent. Conjungit Br. *Senium mulierem* Both. *Senem et mulierem* Guelf. 1. 2. 3.—68 C. I. [forsan codex Jenensis] *nunq. etiam memini.* Perl.—69 *Alia res est.* Bem. non habet *est.* Fa. qui id vult abesse. Delent Z. Bent. Bip. Both. Perl.—70 Lego, *Faciam sedulo, Dabo operam, adjutabo.* Bent. *Ac* delent Bip. Both. *Adjutabo* dant Both. Perl.—71 *Numquid me aliud vis?* Ita ex Mss. quibusdam ediderunt Junt. Stephanus, alii. Sunt autem et Libri scripti et editi, omittentes τὸ *vis.* Hos Fa. sequitur. Videturque ἔλλειψις apta festinanti. Ms. Lips. [et Guelf. 2.] Ch. *Quid nunc is domum?* West. *Vis* non est in Bembini contextu, nec in aliis antiquis: itaque delevimus. *Fa.* Duo tantum ex nostris *vis* habent. *Bent.* Festinanti aptior est ellipsis. Sic et melius omittitur *ac* ante 'Dabo operam.' *Bip.* Ex litura post 'Numquid' verisimile fit a pr. m. in contextu *vis* affuisse. *Bruns.* Delent Z. Bent. Bip. Both. Perl. *Numquid vis* Guelf. 1. et *Numquid me vis* 3. legere notat Perl.—72 Bem. et aliquot alii ex antiquis habent *ducam:* quod probo: et versus constabit, si vel in *ita ut* non facias synalœpham: vel legas *ita uti.* Fa. *Ita ut* in nostris est. Recte

CH. O fortunatum istum eunuchum, qui quidem in hanc detur domum!
PA. Quid ita? CH. Rogitas? summa forma semper conservam domi
Videbit; colloquetur; aderit una in unis ædibus:
Cibum nonnunquam capiet cum ea; interdum propter dormiet.
PA. Quid si nunc tute fortunatus fias? CH. Qua re, Parmeno?
Responde. PA. Capias tu illius vestem. CH. Vestem? quid tum postea?
PA. Pro illo te ducam. CH. Audio. PA. Te esse illum dicam. CH. Intelligo.
PA. Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo;
Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias;
Quandoquidem illarum neque te quisquam novit, neque scit qui sies.

CH. *O felicem istum Eunuchum, qui quidem datur, ut sit e familia ejus domus!* PA. *Quid ita?* CH. *Quærisne hoc? Excellenti specie conservam semper spectabit domi, colloquia cum illa habebit, versabitur una in unis ædibus, comedet aliquando cum ea, interdum prope eam somnum capiet.* PA. *Quid si tu ipse eodem modo beatus fias?* CH. *Qua ratione, Parmeno? Responde.* PA. *Si tu vestimentum istius Eunuchi capias.* CH. *Vestimentum? Quid inde postea continget?* PA. *Pro illo te introducam in ædes Thaidis.* CH. *Audio.* PA. *Te esse illum dicam.* CH. *Intelligo.* PA. *Tu illis potiaris felicitatibus, quibus tu illum aiebas modo potiturum; ei convictor sis, astes, tangas, colludas, in eodem lecto cubes: quandoquidem ex illis, qui in hac domo sunt, nullus te cognoscit, neque scit qui sis. Præterea ea forma*

illud alterum Faërni *ita uti:* quod vir doctus ascivisse debuit. *Ducam* nostri, duobus exceptis, omnes, non *deducam.* Bent. *Ita uti* Br. Bip. Both. *Ducam* Z. Bent. Both. Perl. Ita Br. *deducam.* CH. *Quo?* PAR. *Ad Th.*—74 *Quid? rogitas* Both. Ita Br. *forma. Semper, &c.*—77 T. Faber, 'Elegantiores homines,' inquit, 'quantum est, mihi favebunt, legenti, *Quid si nunc tute is fortunatus fias?*' Persuasit Dacieriæ. D. Hoogstratanus non dubitavit τὸ *is* in contextum recipere. Mirum autem, non legisse et scripsisse elegantiores homines, *Quid si nunc tu iste fortunatus fias?* quomodo in vetustissimo Codice manu scriptum reperi. *West.* *Tute is* Both.—78 *Quid postea* Ms. Lips. *West.* *Vestem. quid postea* Br.—79 Vir doctus malit *deducam*, si per codices liceret. Sane licet; nam omnes nostri, demtis duobus, *deducam:* quibus etiam nolentibus sic corrigi necesse est. Porro omnes nostri cum Edd. vett. *Te illum esse.* Sed *illum* in Arsi esse debet. *Bent.* *Deducam* Br. Both. Bip. Perl. qui monet *ducam* legere Guelf. 2. 3.—80 *Quibus tu illum.* Melius absque *tu* cum Pet. *Bent.* Illud *tu* delent Both. Perl. *Quibus frui* Guelf. 2. —81 *Capies* id. Ms. *Prope* Pall.—82 *Neque quisquam te.* In l. o. est, *neque*

Præterea forma et ætas ipsa 'st, facile ut pro eunucho probes.
CH. Dixti pulchre: nunquam vidi melius consilium dari.
Age, eamus intro: nunc jam orna me; abduc, duc, quantum potes.
PA. Quid agis? jocabar equidem. CH. Garris. PA. Perii: quid ego egi miser?
Quo trudis? perculeris jam tu me: tibi equidem dico, Mane.
CH. Eamus. PA. Pergin'? CH. Certum est. PA. Vide ne nimium calidum hoc sit modo.
CH. Non est profecto: sine. PA. At enim isthæc in me cudetur faba. CH. Ah!

vultus in te est, ea ætas, ut Eunuchum te esse facile persuadeas. CH. *Belle dixisti: nunquam animadverti utilius consilium dari. Age intro domum nostram eamus; nunc jam me adorna, abduc, duc quo voles, quam cito potes.* PA. *Quid agis? per jocum hæc quidem dicebam.* CH. *Vana loqueris.* PA. *Perii: quid ego miser feci? quo me propulsas tam violenter? prope est, ut me prosternas; tibi equidem dico, abstine ab incepto.* CH. *Propera, eamus.* PA. *Pergisne me trudere?* CH. *Stat sententia tuo uti consilio.* PA. *Vide ne hoc inceptum sit nunc præproperum.* CH. *Non est sane; sine, nec me retrahe.* PA. *At ista faba super caput meum conteretur, hujus facti culpa mihi imputabitur. Ah flagitium, facinus.* CH. *An*

te quisquam. Fa. Sic et omnes nostri; accentu id postulante. *Bent.* *Sciet* vet. cod. *Lind.* *Neque quisq. te* Bip. *Thaidis et puellarum* GM. quod glossam esse censet Perl.—83 Guy. versum hunc insititium vocat, et abesse jubet. Elegantior autem est, quam qui locum non tueatur. *West.* *Forma, ætas*] O. fere libri, et in iis antiqui, et Do. *forma et ætas.* Fa. CCC. *forma et ætas ipse es; es*, inquam, non *est.* Vide, an ex vestigio tam tenui verum subodoratus sim: *forma et ætate ipse es.* Bent. Nihil mutandum. *R. D.* Frigide et inepte Bent. corrigit. *Bip.* quæ *et* omittit.—84 *Disti* Par. ex uno cod. *Perl.* *Dixisti* Bip.—85 *Potest* alii. *Jam, oro, orna* M. *West.* Lege et distingue: *Age eamus intro nunc ïam: orna me, abduc, duc, quantum potest.* *Potest*, veteres G. Fabricii, et Bem. Bembo ipso teste. Ita Noster passim. *Bent.* *Potest* Vet. Cod. *Lind.* Bentleium sequitur Both. *Potest* Perl. *Duc me* Guelf. 2.—86 M. *Quid ais?* Ita et in quibusdam impressis veteribus. Ms. Lips. *jocabar*, omisso *equidem.* West. *Quod ego* Z.—87 *Trudis me* Guelf. 3. Post 'tu me' interrogat Bip. *Jam perculeris tu me!* Both.—88 Male Interpres putat *callidum* scribendum. *Gov.* M. G. ET. EM. *callidum.* Quod et in EP. et aliis quibusdam impressis est. In Ms. Lips. scriptum fuerat *calidum*, sed alterum *l* suprascriptum. *West.* Donatus et *callidum* et *calidum* legi affirmat: sed *callidum* videtur magis probare, nulla quidem ratione. Mihi libros scriptos Donati consideranti, videtur omnis expositio hujus loci esse corrupta; omninoque legendum *calidum*, ut et aliqui l. s. habent, et Stephanus impressit. *Fa.* *Calidum*, quod et versus et sensus postulant, unus tantum ex nostris. *Bent.* *Calidum:* J. et Venetus cod. addunt *consilium*, male. *Perl.* *Callidum* Br.—89 Incidit suspicio, laborare locum unius literulæ permutatione, potuisseque fieri, ut dixerit Parmeno: *ludetur faba.* Westerhovius. PA. *At enim isthæc in me cudetur faba. Ah flagitium facimus*] In Bem. et Vi. 'Ah' Chæreæ ascri-

PA. Flagitium facimus. CH. An id flagitium est, si in domum meretriciam
Deducar; et illis crucibus, quæ nos nostramque adolescentiam
Habent despicatam, et quæ nos semper omnibus cruciant modis,
Nunc referam gratiam; atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?
An potius hæc pati? æquum est fieri, ut a me ludatur dolis:
Quod qui rescierint, culpent: illud merito factum omnes putent.

id flagitium vocas, si in ædes meretricias ingrediar et inducar, cum nulla lex id prohibeat? si illis crucibus, (meretricibus,) quæ nos adolescentes simplices et incautos despiciunt, et omnibus cruciant modis, nunc vicem reddam? atque eas similiter deludam, sicut ab illis deludimur? An potius flagitium est, hæc ab illis meretricibus pati? Æquum est fieri ut Thais a me ludatur: at, qui illud audierint, culpabunt; immo, illud merito factum esse omnes existimabunt. PA. *Quid istud est*

bitur, reliqua Parmenoni. *Fa.* 'Ah' æque ac 'Flag. fac.' tribuunt Parmenoni Br. et Bip.—90 Præstat hæc lect. præ illa, *Flagitium, facinus,* quam tuetur G. F. et præfert Ms. Lips. sed ita, *facin9*, unde apparet, initium τοῦ *m* fuisse erasum. *West.* G. ET. EM. *Flagitium, facinus.* Id. in Add. *Facis* Both. *Facinus* pro var. lect. in glossis τοῦ Br.—92 Si legas *despectam*, constabit versus. *Er.* *Despectam* est in Bem. aliisque. *West.* *Despicatam* Do. et omnes antiqui libri præter Bem. Omnes alii libri recentes, *despectam* habent, ut Bem. *Fa.* Correctores, non Librarii, *despectam* primi dederunt. Præstabo tibi veram Poëtæ manum, *Habent despicatu.* Bent. Sæpe 'habere' cum participio ponitur. *R. D.* *Despectam* recte Bem. Vulgo male *despicatam* vel *despicatu.* Both.—93 *Gratias, atque it. eas fallam ut ab eis* dat Both.—94. 95 Bem. et omnes alii antiqui habent *patri:* ac Donatus quoque, licet aliqua ex parte corruptus: nam, quamvis citando hæc verba dicat *pati:* tamen in expositionis progressu legit *patri:* et sane *pati* nullum habet sensum. *Fa.* Fa. ex Bem. tuetur, quod plusculæ edd. sequuntur, *An potius hæc patri æquum est fieri, ut a me ludatur dolis?* Et in Ms. Lips. est *pat i:* unde licet suspicari, *τὸ r* esse erasum. Neque probis Mss. neque impressis vetustissimis Libris caret lectio, quam exhibeo; firmaturque Donati auctoritate. Eug. tamen *patri* legit. M. cum editis quibusdam antiquis: [Arg. 1496. nominatim memorat Bip.] *Quod qui rescierint, culpent nulli, sed illud factum merito omnes putent.* Postrema etiam in duobus Pall. reperiri, testis

NOTÆ

89 *Isthæc in me cudetur faba*] Id est, tundetur. Nam cudere est ferire. Cudi pecunia dicitur, cum signum Principis vel Reip. ei imprimitur. Cudere fabam est proverbium a rusticis fabas in area fuste tundentibus.

95 *Quod qui rescierint, culpent*] Hypophora sive objectio.

Illud merito factum omnes putent] Anthypophora, sive replicatio ad objectionem.

PA. Quid istuc? si certum est facere, facias: verum, ne post conferas
Culpam in me. CH. Non faciam. PA. Jubesne? CH. Jubeo, cogo, atque impero.
Nunquam defugiam auctoritatem: sequere. PA. Di vortant bene.

quod aggrederis? Si tibi constitutum est id facere, facias; verum, si quid tibi mali ex ea re contigerit, ne mihi causam tribuas. CH. *Non faciam.* PA. *Idne mihi imperas?* CH. *Jubeo, cogo, atque impero: non inficiabor hoc factum esse me auctore.* PA. *Sequere. Dii hunc conatum prosperum reddant.*

est Par. Quæ lect. planissimum reddit sensum, omnemque de patre lectionem excludit. *West.* *Hæc pati* nostri omnes; nisi quod unus vetustus a manu prima *patri:* et postea *pati* factum. Unde istud *pati* processit? suberat aliquod mendum. Si enim a principio *patri* ibi fuisset, vix unquam in *pati* degenerasset. Præterea, quænam ista sunt *hæc?* nempe, in domum meretriciam deduci, crucibus illis gratiam referre. An *hæc patri fieri* possunt? Hæret hic aqua: et sapuit T. Faber, qui *hoc* corrigebat; et ad sequentia retulit, 'ut a me ludatur dolis:' quem frustra ob id sugillat vir eruditus. Sed, ut dixi, altius aliquod latet ulcus, unde illud *pati* profluxit. Vide an recte sanaverim: absit modo ut infundas succum loliginis: *An potius par atque æquum est, pater ut a me ludatur dolis?* Bent. Legendum *An potius hoc patri æquum est fieri.* R. D. Totum hunc vs. a Bent. emendatum recepi. Vulg. mancus satis est atque obscurus. *Perl.* Bent. alia non pulchre audet. Feratur vulgata. *Bip.* *Pati* omnes nostri. *Both.* qui *An potius æquum est, patri hæc fieri, ut, &c.* exhibet. *An potius hæc patri æquum est fieri, ut, &c.* Z. Bip. *Resciverint* Br.—96 *Istic* Br. Z. Bent. Both. Perl.—97 *Cogo.* M. *immo cogo.* Ita et Ms. Lips. et EP. *West.* *Jubesne? Jubeo, cogo, atque impero* dedit Faërnus: sic et Nonius citat v. Cogere; non editus modo, sed in codice nostro veterrimo. Nostri omnes hic cum vett. Edd. *Jubeo immo cogo.* Unde facile fuit refingere: *Juben?* CH. *Jubeo? immo cogo atque impero.* Nisi post 'Jubeo' interrogationem ponas, putidum est *immo:* sed vel sic, longe melius abest. Vir vero eruditus, qui libentius, ut ait, sic legat: *Juben? Immo jubeo, cogo, atque impero,* ut *Juben,* quod præcipuam emphasim habere debuit, in Thesi supprimatur, alio mentem alio aurem diviserat. *Bent.* *Jubeo, immo cogo* [Br. et] R. *Lind.* *Immo* Par. *Perl.* Pro *Non faciam* Both. habet *Non. Fac jam.*—98 Ms. Lips. PA. *Nunquam defugiam auctoritatem: sequere.* CH. *Di vortant bene.* Mss. alii: PAR. *Nunquam defugiam auctoritatem.* CH. *Sequere.* Quomodo et Do. videtur legisse. Atque ita est in EP. Rectius autem utrumque Chæreæ tribuitur. *West.* PA. *Nunquam defugiam auctoritatem: sequere.* CH. *Di vortant bene.* Accedo eorum sententiæ, qui putant has personas male esse inscriptas; et priora quidem in persona Chæreæ continuanda, posteriora Parmenoni tribuenda. *Fa.* Recte hoc: et aberrarunt omnes librarii, præeunte Donato. *Bent.* 'Sequere' Bentleius [ut et Both.] Parmenoni, qui loquitur 'Di vortant bene,' tribuit. Quod præferend. videtur. *Zeun.* *Nunq. def. auct.* al. edd. inepte tribuunt Parmenoni. *Bip.* *Tuam* Guelf. 2. *Perl.* Sic Br. dat: PAR. *Nunq. diffugiam a. s.* PAR. *Di v. b.* Notat Bruns in Corrigendis: 'Edit. tribuit *Nunq. d. a. seq.* Chæreæ: minus apte. Alterum PAR. in cod. est in litura. Scribend. est CH.'

ACTUS III. SCENA I.

THRASO. GNATHO. PARMENO.

TH. MAGNAS vero agere gratias Thais mihi?
GN. Ingenteis. TH. Ain' tu? læta 'st? GN. Non tam ipso quidem
Dono, quam abs te datum esse: id vero serio
Triumphat. PA. Huc proviso, ut, ubi tempus siet,
Deducam: sed eccum militem! TH. Est istuc datum
Profecto, ut grata mihi sint, quæ facio, omnia.
GN. Advorti hercle animum. TH. Vel rex semper maxumas
Mihi agebat, quicquid feceram; aliis non item.
GN. Labore alieno magnam partam gloriam
Verbis sæpe in se transmovet, qui habet salem,
Quod in te est. TH. Habes. GN. Rex te ergo in oculis. TH. Scilicet.

TH. *Magnas vero gratias Thais agit mihi?* GN. *Ingentes.* TH. *Itane, ut ais? Lætane illa est?* GN. *Non tam ipso quidem dono lætatur, quam quod abs te accepit: ob id vero exultans vere triumphat.* PA. *Huc provisum venio temporis opportunitatem, ut deducam mancipia ad Thaidem. Sed ecce militem Thrasonem.* TH. *Est istud profecto mihi a Diis concessum, ut omnia, quæ facio, apud alios me in gratia ponant.* GN. *Per Herculem, istud perspexi.* TH. *Etiam Rex semper ingentes mihi agebat gratias pro eo, quodcumque gesseram; aliis non similiter.* GN. *Sæpe gloriam aliorum labore quæsitam verbis in se transfert is qui habet leporem atque urbanitatem, qualis in te est.* TH. *Intelligis.* GN. *Rex ergo te in oculis.*

2 Var. scriptura *Ingenteis, Ingentis.* Perl. qui dat *Ingentes,* cum aliis.—3 *Quam quod abs te datum est* Pal. 2. *Perl.*—4 *Fiet* Br.—5 *Istuc.* J. et Venetus cod. *mihi.* Perl.—6 Bodl. [et Br.] *Ut grata sint, quæ mihi facio omnia.* M. *Profecto ab fato mihi.* Eleganter autem 'datum' simpliciter dicitur, quod a natura concessum est. *West.* *Profecto mihi ut grata sint quæ facio omnia*] Alia verborum collocatio in o. l. s. et Donato invenitur, hoc modo, *Profecto ut grata mihi sint quæ facio omnia.* Fa. Eodem ordine nostri. *Bent.* Male alii vocem 'mihi' retrahunt ad 'datum.' *Bip.* *Profecto mihi, ut sint grata quæ* ed. Delph.—7 *Rex vel semper* Both. *S. mihi maximas Agebat* Br.—8 M. *Mihi gratias agebat.* Guy. delet τὸ *Mihi.* West. *Mihi*] GC. *gratias.* GM. *grates.* Perl.—10. 11 *Quod in te est* edidi, motus auctoritate Donati, Servii, Festi, Acronis, Prisciani, Nonii Marcelli, sed et plusculorum Mss. et Edd. veterum post an. 1469. Alii, *Qui in te est.* Quos refellit G. F. *West.* *Qui*

NOTÆ

11 *Rex te ergo in oculis*] Id est, ingenti amore prosequebatur.

GN. Gestire. TH. Vero: credere omnem exercitum,
Consilia. GN. Mirum. TH. Tum sicubi eum satias
Hominum, aut negotî siquando odium ceperat,
Requiescere ubi volebat; quasi: nostin'? GN. Scio:
Quasi ubi illam exspueret miseriam ex animo. TH. Tenes.
Tum me convivam solum abducebat sibi. GN. Hui!
Regem elegantem narras. TH. Immo sic homo est

TH. *Scilicet.* GN. *Gestabat, adeo vehementer te amabat.* TH. *Ita est. Totum exercitum meæ fidei committebat, consilia meæ prudentiæ.* GN. *Id admirandum.* TH. *Tum, sicubi fastidio hominum aut tædio negotiorum tenebatur, si quietis desiderio capiebatur, quasi: scisne?* GN. *Quasi quando evomeret illam molestiam ex animo.* TH. *Nosti: tunc me solum abductum mensæ comitem adhibebat.* GN. *Hui! Regem lepidum memoras.* TH. *Immo, sic homo comparatus est; perpauco-*

in te est G. EM. *Id. in Add.* *Qui* legi debere et versus et ipsa Latinitas ostendunt. *Gov.* Veterrimi quique codices et veteres Grammatici *Quod:* bene factum, et hoc veram nobis lectionem conservavit, quam a multis jam sæculis discipulorum gratia corruperant Magistri. Lego enim, *qui sal habet Quod in te est.* 'Sal' olim genere neutro erat. Pr. p. 644. *salem* gen. masc. ex hoc loco citat, *Qui habet salem, quod in te est:* et addit: 'Inveniuntur tamen quidam vetustissimi, etiam neutro genere hoc protulisse.' Cur autem vetustissimi? qui Terentio posteriores multo sunt. 'Sal' syllabam productam esse testis Beda de Metris p. 2359. *Bent.* qui dat *magno* in vs. 9. ubi legit Bothius: *magnam alieno.* 'Male alii *Qui in te est.*' Bip. *Qui* Br. *Sal habet* Both. Pro *transmovet* dant *transfert* J. et Venetus cod. et pro *Scilicet* dat *Si licet* unus Pal.—12 *Gestire* Mss. plurimi cum editorum præstantissimis. Subaudiendum autem, habere vel ferre. Vulgo cum Ms. Lips. Librisque aliis, *gestare,* quando ellipsis nulla. Alii, *Verum.* West. Omnes libri quotquot sunt, et antiqui et recentes, tum Terentii, tum Donati, habent *Gestire.* Quam lect. admittentes, exponemus, lætum esse, et gaudere ex convictu, scilicet tuo. *Fa.* Codex tamen Bembinus, Bembo narrante, *Gestare:* atque ita duo ex nostris veterrimi. Miror, qui Faërnus de hac lect. dubitare potuerit. *Bent.* Pro *Verum,* Bem. habet, *Vero:* quæ vox est asseverantis, et in principio orationis ponitur ab respondente. *Fa.* Nostri omnes *Verum,* et recte. *Bent.* *Gestire* Par. *Perl.* Al. Mss. et edd. *Gestire,* male. *Bip.* *Gestare?* et *Verum* dant Br. Both. *Gestare* et *Verum* Perl. *Exercitum suum* Guelf. 2.—13 *Satias* est in Mss. et editis probatissimis, etiam anni 1469. itaque flagitat metrum. Alii tamen cum Donato *satietas* legunt. *West.* *Satietas* Br. Z. Bent. Bip. Both. Perl. *Et consilia* Br.—14 *Si quod otium* EP. *West.* *Si odium quando* Both.—15. 16 Hos binos versus facessere jubet Guyetus, utpote Terentio indignos. Sed et apte cohærent, et Latine dicti sunt, et firmantur auctoritate Mss. et Donati. *West.* Interrogat Br. post 'Tenes.'—17 *Adhibebat* G. ET. EM. *West.*—18 Lege et distingue,

NOTÆ

12 *Gestire* [*Gestare*] Pro, gestabat. Muretus ait: Male in nonnullis legitur *Gestire.*

16 *Quasi ubi illam exspueret miseriam*] 'Miseriam,' id est, fastidium.

Perpaucorum hominum. GN. Immo nullorum arbitror,
Si tecum vivit. TH. Invidere omnes mihi:
Mordere clanculum: ego non flocci pendere.
Illi invidere misere: verum unus tamen
Impense, elephantis quem Indicis præfecerat.
Is ubi molestus magis est, Quæso, inquam, Strato,
Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?
GN. Pulchre mehercle dictum, et sapienter. Papæ!
Jugularas hominem. Quid ille? TH. Mutus illico.
GN. Quidni esset? PA. Di vostram fidem! hominem perditum
Miserumque, et illum sacrilegum. TH. Quid illud, Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,

rum familiaritate utitur. GN. *Immo, nullorum, si tecum vivit et versatur.* TH. *Omnes mihi invidebant, occulte obtrectabant; ego nihili æstimabam: verumtamen unus maxime omnium mihi invidebat, quem Rex Elephantis Indicis præfectum constituerat. Is cum importunus magis esset, Quæso, inquam, Strato, an idcirco ferocùlus et elatus es, quia belluis imperas?* GN. *Belle, mehercle, et sapienter dictum: Papæ! vocem homini præcluseras, quasi jugulum præcidisses. Quid ille respondit?* TH. *Obmutuit illico.* GN. *Quidni obmutuisset?* PA. *Dii vestram fidem! hominem perditum, miserumque; et illum sacrilegum!* TH. *Quid illud, Gnatho? Nonne memorabile est, quibus modis Rhodium salse taxaverim in convivio? numquid tibi*

Immo sic homost: Perpaucorum hominumst. Bent. *Immo sic homo Est: perpaucorum hominum* Bip. Bothius sequitur Bent.—19 *Immo nullorum arbitror, Si tecum vivit.* Planiora omnia evadent, si Parmenoni hæc tribuas. Quod facit EP. et Eug. Gudius ad Phæd. III. 6. conjiciebat scripsisse Terentium, *Immo mulorum,* quod scilicet ex asinorum genere Thraso videretur esse Gnathoni; ut adeo τὸ *mulorum* opponatur τῷ *hominum.* Elegantius autem *nullorum* opponitur Thrasonis *Perpaucorum.* West.—21 *Ego non flocci pendere: Illi invidere misere.* Et hæc expuncta vult Guyetus. Scilicet quia *illi invidere misere* repetita videntur ex, 'Invidere omnes mihi.' Sed hæc vindicavit Bœcl. raro ceteroquin dissentiens a Guyeto. Et sane repetitio hæc infantiam insulsi Thrasonis arguit. [Hæc repetit Bip. et censet Guyetum hic male expunxisse.] Addo, τὰ *ego non flocci pendere,* sine dispendio abesse non posse. M. et EP. *ego flocci pendere.* Quam lect. laudat G. F. *Invidere misere* Ms. Lips. omisso *Illi.* Id. *Floccipendere* G. ET. EM. *Id. in Add. Non* omittit R. *Lind.* Edit. add. *non,* quod respuit Eug. *Bruns.* Id omittit Br.—22 *Verumtamen unus* Br.—23 M. et vetustissimæ edd. quædam, *el. quem rex Ind. pr.* Et Fabrini in versione addit, *Il Re.* Leidensium unus: *El. quem ind. pr. Rex.* West. *Rex præfecerat* Guelf. 2.—24 *Mag. mol.* id. Ms.—25 Ms. Lips. *potestatem in belluas.* Proprie de Elephantis. Flor. I. 18. *West.*—29 *Quid? illud* Both.—30 *Quo R. p.* id.—31 *Numquid.* An *Nunquam,* quod est in quibusdam Mss.

NOTÆ

21 *Mordere clanculum*] Non aperte, quia a me sibi timebant.

Numquid tibi dixi? GN. Nunquam: sed narra, obsecro.
Plus millies audivi. TH. Una in convivio
Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus.
Forte habui scortum: cœpit ad id alludere,
Et me irridere. Quid agis, inquam, homo impudens?
Lepus tute es, et pulpamentum quæris? GN. Ha, ha, he!
TH. Quid est? GN. Facete, lapide, laute: nihil supra.
Tuumne, obsecro te, hoc dictum erat? vetus credidi.

narravi? GN. *Nunquam: sed refer, quæso. Plus millies jam audivi.* TH. *Hic, quem dico, Rhodius una capiebat cibum in convivio. Forte adjunxeram mihi meretricem: cœpit ille Rhodius adolescentulus ei alludens blandiri et me risui habere: Quid ais, inquam, homo impudens? Tu, cum ipse præda sis, et cibus exquisitus, alienum tamen cibum sectaris; et in altero quæris, quod alius in te quærat.* GN. *Ha, ha, he.* TH. *Quid tibi videtur?* GN. *Urbane, venuste, magnifice, nihil supra est. Tune hujus adagii auctor fuisti? Vetus esse credidi.* TH. *An prius id audie-*

sed et editis. *West.* Bem. et omnes alii antiqui, *Nunquam;* quod magis videtur quadrare. *Fa.* Quin et nostri omnes, tribus exceptis, *Nunquam.* Bent. *Nunquam* postulat responsum. *Bip.* Sic Br. Bent. Z. Both. Perl.—32 *Jam aud.* G. ET. EM. *West.* Nec in Bem. nec in Do. est *jam:* itaque eam delevimus. *Fa.* Atqui nostri omnes cum Edd. vett. agnoscunt *jam:* quod cur unius Bembini causa ejiciatur, nullus video. *Bent.* *Jam* Guelf. 2. *Miliens* ed. Par. *Perl.* *Jam* habet Br.—34 *Ad id ludere* Ms. Lips. G. EP. ET. EM. *West.* *Ludere,* non *alludere* Guelf. 2. *Perl.* Sic Br.—35 *Me irridere* præter Codices Priscianus clare agnoscit p. 1187. et 1201. Do. quoque *inridere* legebat: 'Vide,' inquit, 'quemadmodum miles, dum multa ad dictum suum pervenire fateatur, interim quam contemtus sit atque derisus.' Ubi legendum, *dum vult ad dictum suum pervenire, fateatur interim.* Pace tamen utriusque, dico a manu Terentii fuisse, *Et me irritare.* Bent. *Irritare* Bent. eleganti conjectura legit. *R. D.* Bent. refingit *irritare:* sed et cetera turbat licentius pro more, quam quæ digna sint referri. *Bip.* *Quid agis* expressi ex quibusdam Mss. et impressis. Vulgatum *Quid ais* languet. *West.* *Quid ais* omnes antiqui libri: sed recentiores *Quid agis:* quod non displicet. Sane Bem. pro *homo, homini,* in contextu habet. *Fa.* Repone, *Quid agis, homini inquam, inpudens?* Tres ex Nostris, *Quid agis?* Recte autem Bem. *homini inquam:* quo et nostri spectant, qui uno excepto omnes habent *homo inquam,* non *inquam homo.* Bent. *Ais* Br. Z.—36 *Quæris?*] Nisi cum interrogationis nota exprimatur, minus ἐμφατικὸν erit. Suadentque id verba proxime præcedentia, in quibus itidem interrogatio est. *West.* Repono, *Lepus tute es: et pulmentum quæris? Ha ha hæ.* Poteris etiam hoc modo, *Lepus tute es: et pulpamen quæris? Ha ha hæ:* vel, *Lepus tute, pulpamentum quæris? Ha ha hæ.* Quocumque modo constituas, omnino melius est, ut per interrogationem proferatur. *Bent.* Post 'quæris' non interrogant Br. Z. Bip. *Hæ* pro *he* Bip. *Es et* delet Both.—38 *Tuum obsecro ne hoc dictum erat?* O. l. s. et

NOTÆ

36 *Lepus tute es, &c.*] 'Pulpamentum' significat carnes delicatiores, et lautiora obsonia. Pulpa est pars carnosa in corpore animalis, ut lumbi leporis. Hujus vero Proverbii hæc est sententia: Tu es id quod quæris in scorto; quod in te habes, hoc quæris in altero.

TH. Audieras? GN. Sæpe; et fertur in primis. TH. Meum est.
GN. Dolet, dictum imprudenti adolescenti et libero.
PA. At te Di perdant. GN. Quid ille, quæso? TH. Perditus.
Risu omnes, qui aderant, emoriri: denique
Metuebant omnes jam me. GN. Non injuria.
TH. Sed heus tu, purgon' ego me de istac Thaidi,
Quod eam me amare suspicata 'st? GN. Nihil minus.
Immo auge magis suspicionem. TH. Cur? GN. Rogas?
Scin'? siquando illa mentionem Phædriæ
Facit, aut si laudat, te ut male urat. TH. Sentio.
GN. Id ut ne fiat, hæc res sola est remedio.
Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam

ras? GN. *Sæpe; nam vulgo in primis jactatur.* TH. *A me inventum est.* GN. *Dolet mihi, quod hoc dixeris adolescenti imprudenti quidem, sed libero.* PA. *At te Dii male perdant.* GN. *Quid ille quæso tunc fecit?* TH. *Attonitus fuit. Risu omnes fere emori cœperunt. Denique ex hoc omnes sibi a me timebant.* GN. *Non sine causa.* TH. *Sed ehodum, Gnatho, an expurgare me debeo apud Thaidem de amore istius virginis, quoniam amare eam me suspicatur?* GN. *Immo eam in majorem suspicionem injice.* TH. *Quamobrem?* GN. *Idne quæris? Scisne? Si aliquando illa mentionem facit de Phædria, aut si laudes ejus prædicat, ut te valde pungat.* TH. *Intelligo.* GN. *Id ne fiat, hæc res sola remedii loco est. Ubi no-*

Donatus, *tuumne obsecro:* et hoc amplius, antiqui libri habent, *te:* ut sit *obsecro te.* Fa. Tres ex nostris *te*, ceteri *Tuum ne obsecro.* Placet veterum Editionum lectio, *Tuum obsecro ne hoc dictum erat?* id est per Tmesin, Tuumne obsecro. *Bent.* *Credidi esse* Guelf. 2. *Perl.* *Tuum, obsecro, ne hoc? vetus hoc dictum credidi.* Both.—39 *Et f.* Vet. cod. *effertur.* Lind.—40 Quare hunc versum volente Guyeto expungamus, causa nulla est. Recte tribuitur Gnathoni a Donato. Κόμματος signum feci post 'Dolet.' In Ms. Lips. hic versus Thrasoni tribuitur. *West.* Hunc vs. G. Thrasoni tribuit, legitque *adolescentulo.* Ita et ET. et EM. Et in EM. est *impudenti.* Id. in Add. Gnathonis verba sunt, ex intimo adulatoriæ artis penu petita. Egregie Donatus: 'Addidit parasitus, quo gravius sit Thrasonis dictum, commiserationem ejus in quem dictum est: scit enim homines stultos malos videri velle.' Quid igitur cum illo facias, qui melius putat, ut Thrasoni hic versus tribuatur? Idne ut Thrasoni doleat dictum, quod dictum esse hic gloriatur? At sic, ait, melius Thrasonem excipit Gnatho, 'Quid ille, quæso?' Itane melius? at quemnam tum Parmeno excipiet, 'At te Di perdant?' Thrasonem scilicet perdant, non quem voluit Gnathonem. *Bent.* Thrasoni hunc vs. dat Br. Post 'Dictum' leviter pungunt et Both. et Perl.—42 G. *emori.* West.—44 Alius quam ineptus sermonis Miles dixisset *purgemne;* et sic M. *Bip.* *Purgen* Br.—45 *Suspicatur* G. EM. *West.* O. l. s. et Donatus, *suspicata est?* Fa. Ita et nostri plerique omnes. *Bent.* *Eam ut* Guelf. 3. et *suspicatur* 1.—46 *Magis auge.* O. l. s. *auge magis.* Fa. Sic et nostri universi.

Continuo: siquando illa dicet, Phædriam
Intromittamus commissatum: tu, Pamphilam
Cantatum provocemus. Si laudabit hæc
Illius formam, tu hujus contra. Denique
Par pari referto; quod eam mordeat.
TH. Siquidem me amaret, tum istuc prodesset, Gnatho.
GN. Quando illud, quod tu das, expectat, atque amat:
Jamdudum te amat, jamdudum illi facile fit,

minabit Phædriam, tu illico nomina Pamphilam: siquando illa dicet: Comissationi Phædriam adhibeamus; tu dic vicissim: Pamphilam incitemus ad cantandum. Si hæc laudabit illius formam, tu hujus (Pamphilæ) formam lauda. Par pari referto, quod eam repungat. TH. *Si quidem me Thais amaret, tum istud utile esset consilium, Gnatho.* GN. *Quando illa tua dona desiderat atque amat, jamdudum quoque amat te, jamdudum facile est facere aliquid ei, ex quo dolorem capiat. Timebit*

Bent.—50 *Nominaverit* M.—52. 53 *Comessatum int.* scripsisse Terentium ratio indicat senarii. *Gov.* *Commessatum.* V. et Bas. *commisatum* habet: itemque Bembinus, sed is per duo *s.* Fa. *Tu* ultra metrum excurrit. Cui vitio ut occurratur, vir eruditus post alios *In* præcedenti versui apponit; ut sic legatur, *Phædriam in-Tromíttamus commíssatum: tu Pámphilam.* Nonne belle cadunt accentus? Quanti est, ex Horatii præcepto non digitis modo, sed et aure legitimum sonum callere? Nostri fere omnes cum Edd. vett. non agnoscunt illud *tu.* Recte. Sic ergo locus constituendus est, minima mutatione: *comissatum: Pamphilam Cantum, tu, provocemus. Comissatum,* non *commissatum.* Apud Cic. Ep. Fam. I. 9. hi sex versus adducuntur, ubi editum est, *Tu Pamphilam Cantatum provocemus.* Excutiant, quibus copia est, veteres ibi codices. *Bent.* *Commissatum*] Origo et scribendi ratio varia, quam disquirit Vossius in Etymolog. *West.* *Com.* formatur a κωμάζειν, et rectius per simplex *m* scribitur. *R. D.* Abest *tu* a C. *Both.* Et a Br. qui cum Guelf. 3. *comessatum* habet, et solus *Intromittam* exhibet. *Comissatum int.* dat ed. Delph. Dat Bothius *Intromittamus: comis est; tu, &c.*—55 Sanctius in Minerva IV. 6. pag. 684. ait, peritiores legere: *Par pro pari.* Et sane ita est in Ms. Lips. duobus Leidd. Eug. et EP. Tum post Lind. editiones nuperæ quædam ita exhibent. Junt. Ald. St. aliæque probatissimæ legunt, ut edidi. *Mordeat.* Alii, *remordeat.* Atque ita est in uno Leid. laudatque e Ms. et Servio Rivius. Videturque non male inferri ad illud, 'referto.' *West.* *Par pro pari* est in antiquis libris: quod testatum relinquere voluimus, ne quis amplius hanc lect. in dubium vocet. *Fa.* A quatuor nostris *pro* abest. Apud Ciceronem quoque in diversa abeunt Codices, quos Interpretes ibi consuluerunt; ita tamen ut plures habeant *Par pari referto;* quomodo et Servius citat ad Æn. I. 265. Frustra quæritur aliud locutionis hujus exemplum, *Par pro pari referre.* Cur igitur in ipsorum codicum dissidio non liceat reponere, *Par tu pari referto, quod eam mordeat?* Bent. *Par pro pari* habent V. et D. Marci Flor. teste Victorio. Adsunt porro ad Cic. l. c. Cod. Medic. teste P. Manutio, sec. et tert. Pal. itemque membranæ Gruteri; indeque rescripsit Cortius in Ep. Cic. *Par pro pari,* quod ibi Man. et Vict. voluere. Tandem metri ratio repugnat vulgatæ. Sensit id Lamb. eoque præter codd. ullos fecit *Par tu pari.* Sed *tu* supervacuum foret. Vanus Bent. non inveniri exemplum locutionis similis nostro. *Bip.* *Par pro pari* Br. Z. *Tu par pari* Delph. Both. *Remordeat* Guelf. 1. et Delph.—56 *Istud* Delph.—57. 58 Pro *Quando illud* dat Both. *Quam dudum, des* pro *das,* et *Tam dudum* pro *Jamdu-*

Quod doleat; metuit semper, quem ipsa nunc capit,
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.
TH. Bene dixti: at mihi istuc non in mentem venerat.
GN. Ridiculum: non enim cogitaras: ceterum
Idem hoc tute melius quanto invenisses, Thraso!

semper, ne lucrum, quod ei affers, aliquando iratus ad aliam transferas. TH. *Sapienter locutus es, at istud non occurrerat animo.* GN. *Ridiculum; nec enim mentem ad hæc adverteras. Quanto vero illud ipsum melius invenisses, si cogitasses, Thraso?*

dum in utroque loco. '*Jam dudum amat te*] Ex o. l. s. ita colloca, '*Jamdudum te amat.*' Fa. 'Recte hoc. Omnes nostri in hac lect. consentiunt.' *Bent.* —59 *Metuet.* Bem. et aliqui alii, *metuit.* Utrumque stare potest. *Fa.* Mss. et editi quidam vetustissimi, *metuat.* Quod prælaturum fuisse Faërnum credo, si invenisset. Tum autem distinctionem majorem ante τὸ *metuat* posuerim. Duo Leidd. Lips. et Tr. *metuet.* Ita et Fabrini edidit, aliique. EP. *non capit.* West. Nostri omnes *metuet.* Utrumvis se satis probat; tamen *metuit* malo; quia jamdiu locum in Textu obtinuit. *Bent.* *Metuet* melius quam *metuit* et *metuat.* Bip. *Metuet* Guelf. 3. Br. Both.—62 *Non.* Alias *nec.* Er. Vocem 'Ridiculum' Thrasoni tribuit Dac. Præter necessitatem, opinor. *West.*—63 Repono *Idem hoc aut melius tute invenisses,* T. Bent. *Id tute melius quanto* Both. Post 'Thraso' interrogat Bip. et sic Br. Notat Bruns: 'Deletum est signum interrog.'

ACTUS III. SCENA II.

THAIS. THRASO. PARMENO. GNATHO. PYTHIAS.

TH. AUDIRE vocem visa sum modo Militis.
Atque eccum! Salve, mi Thraso. THR. O Thais mea,
Meum suavium, quid agitur? ecquid nos amas

TH. *Visa sum mihi modo audire vocem Militis; sed ecce eum: salve, mi Thraso.* THR. *O Thais mea, mea suavitas, voluptas, quid agis? ecquantulum nos amas,*

1 *Militis.* GM. add. *Pythias.* Quod exaratum videtur manu posteriore. Sup. script. *o mea ancilla.* Perl. *Visa vocem modo sum* Both.—3 Gifanius Ind. Lucret. v. Suavis, tuetur *savium*: atque ita est in G. *West.* *Et quid*

NOTÆ

3 *Meum suavium*] Suavium et savium est osculum, voluptatis vel gaudii causa datum. Hic blandimentum est amantis. Ut apud Plautum: 'Spes mea, mel meum, suavitudo mea.'

De fidicina istac? PA. Quam venuste! quod dedit
Principium adveniens! TH. Plurimum merito tuo.
GN. Eamus ergo ad cœnam: quid stas? PA. Hem alterum:
Ex homine hunc natum dicas. THR. Ubi vis, non moror.
PA. Adibo, atque assimulabo, quasi nunc exeam.
Ituran', Thais, quopiam es? TH. Ehem! Parmeno,
Bene fecisti: hodie itura. PA. Quo? TH. Quid? hunc non vides?
PA. Video, et me tædet: ubi vis, dona adsunt tibi
A Phædria. THR. Quid stamus? cur non imus hinc?
PA. Quæso hercle ut liceat, pace quod fiat tua,
Dare huic quæ volumus, convenire et colloqui.
THR. Perpulchra credo dona, haud nostris similia.

propter istam fidicinam Pamphilam? PA. *Quam vero eleganter (ironice): quale primo adventu fecit exordium, recensionem faciens beneficii.* TH. *Plurimum ut meritus es.* GN. *Eamus ergo ad cœnam. Quid cessas?* PA. *Hem; ecce tibi alterum hominem Gnathonem, militis dictis et cogitatis ita congruentem, ut ex eo natum illum dicas.* THR. *Ubi vis, cœnemus: nulla in me mora est.* PA. *Ad Thaidem accedam, et fingam me in præsentia ex ædibus nostris egredi. O Thais, an profectura es aliquo?* TH. *Hem, Parmeno, bene fecisti quod nunc me convenis; nam itura sum quopiam.* PA. *Quo?* TH. *Quid quæris? An hunc non vides? (Thrasonem)* PA. *Video id, nec sine tædio: quandocumque velis, accipies dona quæ mittit Phædria.* THR. *Quid hic manemus? Cur non abimus?* PA. *Oro mehercle, ut liceat (quod cum venia tua fiat) Thaidi dare quæ volumus, eam adire, et cum ea loqui.* THR. *Egregia, credo, dona, haud nostris comparanda.* PA. *Reipsa cognos-*

Br.—6 Verba 'Eamus . . . stas' non, sicut vulgo, Parasito, sed Thrasoni attribuunt B, Hel. recte. *Both.* Sic tribuit et Br.—7 Vel Terentii causa, melius quid suggeremus: *Abdomini hunc natum.* Bent. Admodum ingeniosa est Bent. conjectura. *Zeun.* Interpp. hæc per interrog. capiunt. Sed mire blanditur præclara et digna tali ingenio Bentleii emendatio. *R. D.* Verius Bent. rescripsit *Abdomini.* Bip. *Abdomini* Bent. ut solet, ingeniose. *Ex nomine* Schmeid. *Perl.* qui illud dat. Vulg. defendit Both. *Nunc* pro *hunc* Guelf. 3. Dat Br. *Ubi vis. Num moror?*—9 Al. *est* mendose. *Perl.* Sic dat Br. qui et *Hem.*—10 *Bene pol fecisti* G. ET. EM. *West.* *Quid hunc vides?*] Legitur in o. l. s. et apud Donatum, *Quid, hunc non vides?* itaque et Stephanus impressit. Stat autem versus eliso *d*, ex 'Quid.' *Fa.* Omnes omnino nostri cum Edd. vett. *Bene pol fecisti.* Fieri potest, ut vetuste dederit Noster, *Bene pol fecsti. Hunc non vides,* nostri universi. *Bent.* *Bene pol fecisti* R. *Lind.* Sic et editio Delph. quæ ultima ita dat: *Ecquid hunc vides?* Bothius: *itura...Quo? Quo? hunc non vides? Z. itura?* —11 Ms. Lips. non agnoscit τὸ *tibi.* West.—13 *Nobis* post 'liceat' Br.—15 *Haud.* Ita et Priscianus citat, Inst. Gramm. lib. XIV. et XVII. *Aut* Perizonio placebat. In libris antiquis, Mss. et editis utrumque invenias. *West.* *Aut* melius mihi videtur. *Fa.* *Aut* recte dedit Faërnus; dum ejus, credo, Codices, ut nostri omnes, haberent *haut*; et plausores sibi multos reperit.

Pa. Res indicabit. Heus, jubete istos foras
Exire, quos jussi, ocyus: procede tu huc.
Ex Æthiopia est usque hæc. **Thr.** Hic sunt tres minæ.
Gn. Vix. **Pa.** Ubi tu es, Dore? accede huc. Hem eunuchum tibi!
Quam liberali facie, quam ætate integra!
Th. Ita me Di ament, honestus est. **Pa.** Quid tu ais, Gnatho?
Numquid habes, quod contemnas? quid tu autem, Thraso?
Tacent; satis laudant. Fac periculum in literis,
Fac in palæstra, in musicis: quæ liberum

cetur. Heus, jubete ista mancipia, quæ jussi, foras prodire statim. Tu, mulier! procede huc. Hæc ex Æthiopia usque advecta est. **Thr.** *Tres minæ pro hac fœmina expensæ sunt.* **Gn.** *Vix.* **Pa.** *Ubi tu es, Dore? accede huc. Hem Eunuchum tibi; quam vultu ingenuo, non servili, quam florenti ætate.* **Th.** *Ita me Dii ament, elegans est et formosus.* **Pa.** *Quid tibi videtur, Gnatho? Ecquid invenisti quod in eo possis reprehendere? Tacent; silentio satis laudant, et se probare confitentur. Fac experimentum in literis, fac in palæstra,*

Viro tamen docto frigidum videtur *aut*, et a magistro suo desciscens in textum ascivit *haut*. Atqui sua Thraso dona pulchra esse arbitratus est: hoc certum. Ergo ex ista sententia sic locutus est Miles: *Perpulchra credo dona, haut pulchris similia.* Satine placet? Nonne hoc percepisse, si ab ironia incipiat sententia, in eadem necesse esse ut desinat? Atqui Codices, ait, et Pr. p. 983. *haut.* Ita est, et id norat Faërnus: sed fragmenta ejusmodi mendosissime feruntur, præterquam in illo verbo, cujus gratia citantur. In isto Prisciani loco ut *haut* pro *aut*, ita *munera* pro *dona* etiam in scriptis exemplaribus. Num sic quoque hic legemus? At alibi p. 1041. eundem locum laudans *dona* habet; et ibi duo Codices Collegii Caiensis *aut* plane, non *haut*. Bent. *Aut* al. ironice. Notandum est antiquitatem *h* litera carere. *Perl. Aut* tuetur Fa. ut ironia continuetur. Tam sapiens, credimus, non fuit Miles. *Bip.*—17 Sunt, qui maximam στιγμὴν post 'jussi' ponunt. Minus accurate. *West.* Bip. *jussi. Ocyus pr.* Glossa τοῦ Br. notat pro var. l. interrogationem post 'ocyus.'—23 *Tacent: laudant* Ms. Lips. *West.*—26 *Si sit opus.*

NOTÆ

18 *Hic sunt tres minæ*] Talentum Atticum habebat 60. minas. Valet sexcentos Coronatos nostros, id est, 1800. libras Turonenses: itaque mina valet 30. libras Turonenses.

24 *In palæstra*] Palæstra Græce lucta est: accipitur etiam pro decenti motu gestuque totius corporis, quem Galli vocant, *contenance*; cujus præceptores Palæstrici quoque dicti; et, qui hujus ignari erant, apalæstri; itaque hanc ingenui pueri docebantur, et Oratori inprimis necessariam esse scribit Quintilianus.

In Musicis] In Græcia, qui musicam nesciebant, habebantur indoctiores: ut Themistocles habitus fuit, cum in convivio lyram recusasset. Sed Epaminondas, referente Cicerone, fidibus præclare canebat. Musica illa prisca plurimis abhinc annis non corrupta tantum, sed ignorata et

Scire æquum est adolescentem, solertem dabo.
Thr. Ego illum eunuchum, si opus sit, vel sobrius.
Pa. Atque hæc qui misit, non sibi soli postulat
Te vivere, et sua causa excludi ceteros:
Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
Ostentat; neque tibi obstat, quod quidam facit:
Verum, ubi molestum non erit, ubi tu voles,
Ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur.
Thr. Apparet servum hunc esse domini pauperis
Miserique. **Gn.** Nam hercle nemo posset, sat scio,
Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti.
Pa. Tace tu, quem ego esse infra infimos omneis puto
Homines; nam qui huic animum assentari induxeris,
E flamma petere te cibum posse arbitror.

in musicis præceptis; peritum et industrium adolescentem esse præstabo. **Thr.** *Ego illum Eunuchum, vel non potus et ebrius, si sit opus.* **Pa.** *Atque, o Thais! is, qui hæc munera tibi mittit, non pro his petit, te sibi soli vacare, et alios amatores tuos expellere: neque sua prælia jactitat, neque cicatrices: quod quidam facit (Thraso nempe): neque impedit quominus lucrum ex ceteris facias; verum satisfactum sibi esse arbitratur, si eum admittas, quando tibi non incommodum erit, quando voluntas tua feret et opportunitas.* **Thr.** *Hic servus videtur habere pauperem dominum miserumque.* **Gn.** *Ita mehercule; nemo enim posset hunc diu tolerare, qui haberet pecuniam, qua alium emeret.* **Pa.** *Sile tu, quem ego pono infra vilissimos omnes et abjectissimos homines; nam, quod tibi persuadere potueris, ut huic semper assentando ad gratiam et voluntatem loquereris, ex igne te*

Bem. *si opus sit;* sed hic non fiet synalœpha: quam licentiam vitaremus, si legeremus, *si opus siet,* ut omnes alii l. s. et Do. *Fa.* Ita et nostri. *Bent. Siet* Bent. Bip. Both. Perl. *Sciet* Br. in quo glossa est ad hoc verbum 'quod dicis:' de qua ita Bruns: 'Nota favet lectioni Ms. ex aliis libb. non erutæ.'—27 J. et Venetus cod. *hic* pro *hæc*. Perl. *Neque, hæc qui misit, postulat, soli sibi* Both.—29 *Suas* abest a Guelf. 3.—32 *Tum si* dedit Auctor. *Bent.*—36 *Quem ego esse puto infra omnes infimos.* Hic quoque magna facta est transpositio, contra omnium librorum fidem sic habentium, *Quem ego esse infra infimos omnis puto:* et Donati quoque, nisi quod habet, *infra esse.* Fa. Et nostri etiam *esse infra;* sed Donati lectio *infra esse* verissima est. Etsi Pr. p. 992. *esse infra;* etiam Mstus. *Bent. Infra esse* et Both.—37 Lege cum duobus ex nostris, et Edd. vett. *assentari animum.* Bent. Sequuntur Both. Perl.—38 *Te petere.* Vi. et alii plerique, ac Do. *petere te:* qui melior est numerus. *Fa.* Recte: etsi ex nostris tres tantum sic habeant. *Bent.*

NOTÆ

extincta est: nihil enim jam propemodum habere videtur, præter levem aurium delectationem. Ceterum Musica, Dialectica, Rhetorica, cum neutro genere dicuntur in plurali, præcepta illa Artium significant.

26 *Si opus sit, vel sobrius*] Orationis defectus honestus obscœnitatem dissimulans.

38 *E flamma petere te cibum*] Epu-

THR. Jamne imus? TH. Hos prius introducam, et, quæ volo,
Simul imperabo: post continuo exeo.
THR. Ego hinc abeo; tu istam opperire. PA. Haud convenit
Una ire cum amica imperatorem in via.
THR. Quid tibi ego multa dicam? domini similis es.
GN. Ha, ha, he. THR. Quid rides? GN. Istuc quod dixti modo;
Et illud de Rhodio dictum in mentem venit:

victum tibi comparare posse puto. THR. *Tandemne eximus?* TH. *Hæc mancipia prius domum introducam, et, postquam jussero fieri ea, quæ volo, mox exitura sum.* THR. *Ego hinc proficiscor. Tu, Gnatho, Thaidem expecta.* PA. *Non decet imperatorem una cum amica incedere in via.* THR. *Quid pluribus verbis opus est? Unum hoc sufficit: dignus domino servus est.* GN. *Ha, ha, he.* THR. *Quid rides?* GN. *Propter illud quod modo huic servo Phædriæ dixisti: etiam cogito de dicto in*

Te cibum petere Br.—40 *Simul* Ms. Lips. non agnoscit. G. et EM. *postea.* Et mox *Non convenit.* West. *Postea continuo*] Alias *post hoc.* Erasmus. Bem. *post:* sed et Do. ita etiam legi affirmat. *Fa.* Do. et *postea* et *post* legi dicit: prius recte habent nostri codices. *Bent.* *Postea* Br. Bip. Perl. *Post huc* Both. qui, 'Ita,' ait, 'Gu. 1. et Do. *Postea* B, C, Hel. sed *huc* addi satius est.'—41 O. l. s. *istanc;* sed, ut versus stet, prima hujus versus syllaba præcedenti attribuetur, vel 'abeo' in pyrrichium contrahetur. *Fa.* Tres ex nostris *istanc.* 'Hinc,' et similia, in versus initio corripi, frequentissimum. *Bent.* *Non convenit* R. *Lind.* Sic Br. *Istanc* Bent. Z. Perl. et sic Both. qui delet *Ego.*—42 *Amica cum.* *Cum amica* lege ex Do. et o. l. s. Bem. habet *in viam.* Fa. Nostri omnes cum Edd. vett. *cum amica.* Bent.—43 Pr. Inst. Gramm. lib. XVIII. *Quid tibi ego plura dicam?* Mox eodem libro: *Quid multa tibi dicam?* West. Pr. agnoscit *similis*, p. 1125. et 1192. Scripsit fortasse Terentius: *Quid tibi ego multa dicam? domini culcita es.* Sed aliud succurrit castius honestiusque et receptæ lectioni propius; *domini simia es.* Hoc est, domini es imitator et adulator. *Bent.* Sed Plautina illa vox, *simia*, minime Terentio urbaniori convenit. *Perl.* At eam recepit Both.—44 *Hæ* pro *he* Bent. et *istud.* Hoc dat Perl.—45 Bem. et V. post 'dictum' habet *cum:* nec versus repugnat. *Fa.* Lege ergo, *dictum in mentem cum venit;* non ut Faërnus in textu, *dictum cum in mentem venit.* Nostri omnino nesciunt illud *cum.* Bent. quem sequitur Perl. *Dictum cum in mentem* Z. Sic Bothius: *modo, et De Rhodio*

NOTÆ

las pro inferiis (inferiæ sunt sacrificia quæ Diis inferis et manibus solvuntur) in rogum conjicere moris erat; extremæ autem mendicitatis erat et impudentiæ inde cibum petere. Catullus explicat Proverbium: 'Uxor Meneni, sæpe quam in sepulcretis Vidistis ipso capere de rogo cœnam, Cum devolutum ex igne prosequens panem A semiraso tunderetur ustore.'

42 *Cum amica*] Amica est, quam quis amat inhoneste. Terent. in Andria: 'Sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est.'

Sed Thais exit. THR. Abi præ, curre, ut sint domi
Parata. GN. Fiat. TH. Diligenter, Pythias,
Fac cures, si Chremes huc forte advenerit,
Ut ores, primum ut maneat: si id non commodum est,
Ut redeat: si id non poterit, ad me adducito.
PY. Ita faciam. TH. Quid? quid aliud volui dicere?
Ehem, curate istam diligenter virginem.
Domi adsitis, facite. THR. Eamus. TH. Vos me sequimini.

adolescentem illum Rhodium. Sed Thais progreditur. THR. *Abi, præcurre, fac ut domi omnia recte apparentur.* GN. *Fiat.* TH. *Pythias, cura sedulo, ut, si Chremes ad meas ædes venerit, hunc ores primum ut me expectare velit: quod si incommodum id ei est, ut revertatur; si non poterit reverti, illuc, ubi ero, hunc adducito.* PY. *Sic fiet.* TH. *Quid? quid præterea volui dicere? Curam habete magnam hujus virginis. Manete domi.* THR. *Eamus.* TH. *Vos, ancillæ, me sequimini.*

dictum mi illud in m. v.—46 In aliis est: *Abi, præcurre.* Exiguo discrimine, quod ad sensum attinet. Pro illis autem, *ut sint domi Parata*, Mss. plusculi, cum editis, *ut sint domi Parata omnia.* M. *ut sint domi omnia parata.* West. qui non satis accurate expressit qua voce, num *omnia* an *parata*, hunc vs. ordiatur M. '*Ut sint domi Parata omnia.* Vox *omnia* nec in ullo l. s. legitur, nec in Donato: sine qua dictione versus optime stat.' *Fa.* 'Distingue et lege, *Abi præ: cura ut sint domi Parata.* *Cura* Palmerii correctio est, et quidem egregia. *Omnia* nusquam comparet in libris nostris.' *Bent.* '*Cura* est Palmerii correctio egregia.' *Perl.* qui id accipit. *Abi, præcurre* Br. Bip. et sic Both. qui notat: '*Præcurre* nostri unanimes. Palmerius *abi præ, cura*, quod mihi languet.'—48 Bem. *hoc*, pro *huc*, ut Virgilius: 'Hoc tunc ignipotens,' pro, *Huc.* Fa. Melius duo nostri cum Edd. vett. et Donato, *si forte huc Chremes.* Bent. cui accedit Perl. *Fac ut cures* Guelf. 1.—49. 50 Sic codices ubique omnes. Sed inverso ordine repone: *primum ut redeat, si id non commodumst, Ut maneat.* Bent. *Deducito* Ms. Lips. *West.* Invert. Bent. vulg. lectionem recte. Hic enim ordo patet e Scena 5. vss. 27—31. ubi Pythias eod. ordine, quæ a Thaide jussa fuerant, est executa. *Perl.* qui cum Bothio dat Bent. lectionem. *Adduc cito* pro var. l. memoratur in glossis τοῦ Br.—51 *Quid?* abest a G. et EM. *West.* *Quicquid* pro *Quid? quid* Br.—52 *Hem* ed. Delph.—53 *Domi ut sitis* Ms. Lips. *West.* Lege *Domi ut sitis.* Bent. *Domi ut assistis* R. *Lind.* *D. ut sitis* Br. Perl.

NOTÆ

53 *Vos me sequimini*] Thais alloquitur ancillas.

ACTUS III. SCENA III.

CHREMES. PYTHIAS.

CH. PROFECTO quanto magis magisque cogito,
Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum:
Ita me video ab ea astute labefactarier.
Jam tum, cum primum jussit me ad se arcessier;
Roget quis, Quid tibi cum illa? ne noram quidem;
Ubi veni, causam, ut ibi manerem, reperit.
Ait, rem divinam fecisse, et rem seriam
Velle agere mecum. Jam tum erat suspicio,
Dolo malo hæc fieri omnia: ipsa accumbere

CH. *Equidem, quo sæpius de hac Thaide cogito, eo magis mihi timeo ab ea, et mirum ni mihi damnum ingens faciat: adeo mihi video animum ab ea versute tentari et concuti. Jam tum, cum primum jussit me ad se vocari, (quærat aliquis: Quid negotii habes cum illa? Nihil quidem: nec enim ejus notitiam ullam habebam,) dixit mihi se Diis sacra fecisse, velle se mihi rem magni momenti communicare et mecum tractare: eam occasionem, ut ibi manerem, invenit. Jam tum suspicabar hanc dolo malo hæc omnia agere. Cœpit mecum sedere, familiariter agere quasi ex veteri usu*

3 Solicitat hanc lect. Guy. Substituit *tractarier.* Scilicet quia in Pal. legitur, *tactarier.* Quod dicit Guyetus, *τὸ labefactarier* hic nullum locum habere, gratis quidem dicit. *West.* Quinque modis ordo horum verborum in codicibus variatur: qui omnes metro satisfaciunt, si ad digitos exigas. Sed, qui auri plus placet, hic est, qui et codicum est plurium: *Ita me ab ea astute video labefactarier.* Bent. Quod dat Bent. dat Br. *Ita me astute ab ea video* Both. qui monet se sequi Hel. dum sic versum ordinat.—4 Nostri omnes *arcessier domum,* nec glossematis speciem habet *domum.* Eleganter abest *arcessi.* Both. qui scribit *jusserat me ad se domum. Jam hem cum et ad sese arcersirier Domum rog. q.* Br. *Sese* et Guelf. 3.—5 *Si roget* R. *Lind.* Omnes nostri, uno demto, *cum ea.* Anapæstus est, absque synalœpha. *Bent.* Sic habent Br. et Perl. qui notat *illa* esse in Guelf. 2.—7 Quidam Mss. et impressi, *fecisse se.* Alii: *fecisse sese.* West. *Fecisse se* R. *Lind.* Sic Br. —8 Erige hoc per accentus: *Jám erat túm suspicio.* Bent. Sequitur Perl.—

NOTÆ

1 *Chremes*] Chremes adolescens rusticus, frater Pamphilæ, sibi a Thaide metuit, ne se ad eam amandam allicere conetur; deinde ne villam, quam Sunii habet, subducere tentet; aut ne velit intendere se ejus esse sororem quam olim parvulam amiserat; et cuncta, ut suspicax est, maligne interpretatur.

7 *Ait, rem divinam fecisse*] Sacrificasse. Veteres nihil aggrediebantur serium, nisi prius Diis sacra fecissent.

9 *Dolo malo*] Dolus malus est, cum aliud agitur, aliud simulatur: bonus, adversus hostem et latronem.

Accumbere Mecum] Solebant Veteres in cœnaculis lectulos ad recum-

Mecum, mihi sese dare, sermonem quærere.
Ubi friget, huc evasit; quam pridem pater
Mihi et mater mortui essent: dico, jam diu.
Rus Sunii ecquod haberem, et quam longe a mari?
Credo ei placere hoc: sperat se a me avellere.
Postremo, ecqua inde parva perisset soror?
Ecquis cum ea una? quid habuisset, cum perit?
Ecquis eam posset noscere? Hæc cur quæritet?
Nisi si illa forte, quæ olim periit parvula
Soror, hanc se intendit esse, ut est audacia.
Verum ea si vivit, annos nata 'st sedecim,

et consuetudine, loquendi materiam captare. Ubi sermo defecit, huc illa devenit, ut interrogaret quamdudum pater et mater e vita decessissent: respondeo jam diu eos decessisse. Ecquod Sunii prædium mihi sit, et quam longe distans a mari. Suspicor rus illud delectabile et amænum ei videri: spem habet, id a me in se translaturam. Postremo rogat, ecquam postea parvulam sororem perdidissem; num aliquis simul cum ea periisset; quænam habebat secum, quando amissa est; ecquis eam posset internoscere. Hæc cur sciscitetur tanto studio, ignoro: nisi fortasse intendere in jure velit sese esse sororem illam meam quæ olim parvula periit, ut est audacia meretricum. Atqui, si adhuc in vivis est soror, sexdecim annorum est, non amplius: Thais ætate

9 *Accumbebat* Ms. Lips. *West.*—10 *Mihique* Br.—12 *Diu rursum* Guelf. 3.—13 Ms. Lips. *habeam.* Idem et in aliis Libris est. *West.* *Ecquod habeam*] Libri antiqui fere omnes, *et quod haberem:* quod magis consequens et præcedentibus et sequentibus verbis est. *Fa.* Atqui illud *haberem* a Correctoribus est: nostri universi *habeam;* et recte. Porro *Sunio,* non *Sunii;* non enim oppidum hic sed regionem notat. *Bent.* *Ecquod* Br. sed secundum lectionem edit. *ecquid* interrogat Thais. *Bruns.* Bothius omnino sequitur Bent. *Habeam* Br. Perl. *Ecquid* Z.—14 *Se posse a me* M. *West.* *Sperat se postea a me* Vet. Cod. *Lind.* *Se posse* Guelf. 1. 3. Pungit Br. post 'placere,' non post 'hoc.'—15 M. et ET. *hæc qua in die,* corrupte, ut videtur. *West.* *Periisset* Br. Z. Bent. Both. Perl.—16 Lege, ut cetera, *ecquid habuisset.* Bent. Sequuntur Bip. Both. Perl. qui dat *periit:* de qua mutatione et talibus fere silemus. *Quod habuisset comperit* J.—17 Non interrogat Br. ad finem: et ad vocem 'quæritet' glossa in eo cod. habet 'nescio.' 'Vi hujus glossæ,' ait Bruns, 'signum interrog. in Ms. deest.'—18 *Nisi illa* G. et EM. *West.* *Nisi illa forte.* Bem. *Nisi si illa forte.* Fa. Sic et nostri fere omnes. *Bent.* *Nisi sit* Z. quod esse in edit. notat Bruns. *Nisi illa si* ed. Delph.—19 Eug. hunc versum sic citat: *Eam sese intendit esse, &c.* Egregie: et dele *Soror,* quod putide hic repetitur. *Bent.* *Eam sese* Eug. legit et recepit Bent. quem sequimur, rejecto vulg. *Soror.* Bip. Sequuntur et Both. et Perl. qui notat *Eam*

NOTÆ

bendum et meridiandum accommodatos habere, in quibus confabularentur.

13 *Sunii*] Sunium Promontorium est Atticæ. Hodie nominatur, *Capo delle colonne.*

16 *Quid habuisset, cum perit*] Quæ insignia gestabat puella Pamphila, quibus tandem agnita est.

Non major. Thais, quam ego sum, majuscula 'st.
Misit porro orare, ut venirem, serio.
Aut dicat quod volt; aut molesta ne siet:
Non hercle veniam tertio. Heus, heus. PY. Ecquis hic?
CH. Ego sum Chremes. PY. O capitulum lepidissimum!
CH. Dico ego mihi insidias fieri. PY. Thais maxumo
Te orabat opere, ut cras redires. CH. Rus eo.
PY. Fac amabo. CH. Non possum, inquam. PY. At tu apud nos hic mane,
Dum redeat ipsa. CH. Nihil minus. PY. Cur, mi Chremes?

paulo major me est. Misit autem illa me rogatum serio, ut ad se venirem. Aut dicat illa, quid velit, aut mihi importuna non sit; non profecto eam adibo tertio. Heus, heus. PY. *Hic quis est?* CH. *Ego sum Chremes.* PY. *O lepidum hominem!* CH. *Aio mihi his blandis verbis insidias fieri.* PY. *Thais te valde rogabat, ut cras huc redires.* CH. *Ad villam eodem die iturus sum.* PY. *Cras redeas, quæso.* CH. *Non possum, inquam.* PY. *At in hac nostra domo tantisper expecta, dum illa redeat.* CH. *Minime id faciam.* PY. *Cur, mi Chremes?* CH. *Quid me attrec-*

se Bent. ex Pr. sumsisse.—21 *Ego quam sum.* O. l. s. *quam ego sum:* et sustentatur versus, non facta collisione in *quam ego.* Fa. Ita nostri quoque universi; et Pr. p. 609. 'Id est, parvo major quam ego.' *Bent.* *Ego quam sum* Fa. et Bent. ex codd. *Bip.* Fa. tamen certe vindicat *quam ego sum*, et id in textnm recipit Bent.—22 Ita distinguo. Do. dubitat, an hic sensus sit, an ille, *Misit porro orare, ut serio venirem.* Sed quid est *serio venire?* West. Non distinguit Br. ante 'serio.'—23 *Quid velit* EP. *Ne molesta* M. ET. *West.* Quatuor nostri cum edd. vett. *quid volt.* Recte. *Bent.* *Quid* placet. *Perl.* qui id dat cum Br. Both. et R. D.—24 *Heus...Chremes.* Sic cum Do. legendum et distinguendum monet Guy. At Donatum hæc omnia uni Chremeti tribuere, recte observat Faërnus. Tr. *Et quis hic est?* Quatuor Leidd. [et Br.] *Ecquis hic est?* Unus, *Ecquis hic?* EP. *Quis est hic?* Ut dicam, quod sentio; poterat adolescens commode dicere, *Ego sum Chremes*, licet non interrogatus, *Ecquis hic?* Sed et commode Chremes clamat de via: *Ecquis hic?* Quæ verba si Pythiæ tribuas, vix andiri potuit in ipsis ædibus loquens. Sed nec aperturi ostium loquebantur fere, nisi jam aperto ostio. Demum, nisi parturientium, non audita in ædibus loquentis vox. *West.* *Heus heus.* PY. *Hic quid est?* CH. *E. s. C.*] Apparet Donatum omnia hæc uni Chremetis personæ attribuere: præterea o. l. s. recentes habent, *Quis hic est?* vetusti vero et Donatus, *Ecquis hic est?* in Bem. tamen adjectum fuit alia manu verbum, *est:* quo nos propter versum detracto eam lectionem tenemus. *Faërnus.* Recte hæc omnia. *Bent.* *Ecquid hic est* R. *Lind.* *Ecquis hic* Fa. ac Bent. Chremetis esse mire existimant. *Perl.* *Hic quis est* ed. Delph.—26 Interrogant post 'fieri' Bent. Bip. Both.—28 *At apud nos hic mane.* O. l. s. post 'At' habent pronomen *tu.* Versus autem stat, si, ex *apud*, *d* elidas. *Fa.* Sic nostri omnes. *Bent.*—29 *Cur* abest

NOTÆ

21 *Majuscula 'st*] Ratiocinatur Chremes non posse Thaidem esse suam sororem Pamphilam ex ætate; Thais enim ipso major erat.

CH. Malam rem! hinc abis? PY. Si istuc ita certum est tibi,
Amabo, ut illuc transeas, ubi illa est. CH. Eo.
PY. Abi, Dorias, cito hunc deduce ad Militem.

tas? Abi hinc in malam rem. PY. *Si ita stat sententia, rogo ut illuc transeas ubi illa est.* CH. *Fiat. Eo.* PY. *Abi, Dorias, cito; hunc ad Thrasonis domum deducito.*

a Guelf. 2. *Chreme* Both.—30 Bem. et omnes fere libri recentes, *hinc abis:* ita et Donatus, nisi quod non habet vocem *hinc.* Fa. *Malam in rem hinc abis?*] Ita vulgo editur. Ms. Lips. et G. [et Br.] *Malam in rem hinc ibis.* Ita et Leidd. quatuor. De Donati lectione non convenit inter Guy. et Fa. Ille scribere se ait cum Donato: *Malam rem hinc ibis?* Hic Donato tribuit: *Malam rem abis?* Non una igitur Donati lectio. EV. 1. et in contextu, et in Notis Donati exhibet: *Malam in rem hinc abi!* In aliis edd. *Malam rem abis hinc?* Utrumque ἐμφατικώτερον, maxime si posterius distinguas, *Malam rem! abis hinc?* Quomodo non dubitavi edere. *West.* *Malam in rem hinc abis* ET. *Malam in rem hinc abi* EM. *Id. in Add.* *Malam rem hinc abis* dedit Fa. dum codici Bem. in servitutem se addicit. Nostri plerique omnes *ibis;* nec aliter versus sustentatur. *Bent.* West. male dispungit, *Malam rem! hinc abis?* Bip. Nostri omnes *Malam in rem hinc*, et minus eleganter, et male eliso utroque nomine. *Both.* qui dat cum Bent. et Z. *Malam rem hinc ibis?* Sic legunt R. D. *Malam in rem hinc abi* Bip. *Malam in rem hinc ibis* Perl. qui *abis* legere Guelf. 1. testatur.—31 *Ubi illa est.* Malim hæc magis distinguere a superioribus, et legere: *Ibi illa est.* West.—32 *Deduc* EP. ET. EV. 1. *Id.* *Deduc* nostri omnes cum edd. vett. ut alibi *abduc.* Bent. *Deduc* R. *Lind.* Al. *abduc.* Perl. quem ita notantem male intellexisse Bentleium videtur. *Deduc* dant Br. Bent. Both. Perl.

ACTUS III. SCENA IV.

ANTIPHO.

HERI aliquot adolescentuli coimus in Piræeo,

Hesterno die aliquot adolescentuli in Piræeo convenimus, in hunc hodiernum

1 Guy. et Bœcl. contendunt legendum esse, *Piræo.* Sed et Malaspina ad Cic. Att. VII. 3. ita legit. Itaque est in plerisque veteribus impressis, præterquam ET. Variant Mss. Ego vero standum censeo J. Fr. Gronovio, Observ. I. 3. evincenti, omnes Græcos ita locutos, ut Πειραιέα vel Πειραιᾶ vocarint oppidum ac portum Athenarum; nunquam Πειραιὸν oppidum, nunquam Πειραιέα hominem ex portu. Idem gravis Scriptor nec in metri leges peccari, si *Piræeo* legatur, ostendit. Sed et ita exhibent in Cicerone loc. cit. J. G. Grævius, et Jac. Gronovius. Consentit editio Ascensiana, anni 1511. nisi quod bis *Pireæum* legit, vitio, ut videtur, operarum. Ceterum præstat legere, *Piræeo*, quam cum Cicerone, *Piræeum.* Fortasse distinguen-

In hunc diem ut de symbolis essemus. Chæream ei rei
Præfecimus; dati annuli; locus, tempus constitutum est.
Præteriit tempus; quo in loco dictum est, parati nihil est.
Homo ipse nusquam est; neque scio quid dicam, aut quid conjectem.
Nunc mihi hoc negotî ceteri dedere, ut illum quæram;
Idque adeo visam, si domi est. Quisnam hic a Thaide exit?

diem ut cœnaremus de stipibus collatis ab unoquoque convivarum: Chæream huic officio præposuimus: annuli dati pro arrha: locus, tempus definitum est: transiit tempus: nihil præparatum reperitur. Chærea ipse nusquam apparet. Nescio quid debeam dicere, aut cogitare. Nunc mihi a ceteris sodalibus hoc mandatum est, ut illum quæram: ideoque visum ibo, si domi est. Quisnam ex ædibus Thaidis egre-

dum *c. in Piræeo In hunc diem, ut.* West. Tres ex nostris meliores *coiimus.* Omnes autem *Piræo,* non ut nunc legitur apud Cic. ad Att. VII. 3. *Piræum.* Recte: non enim ex urbe in Piræum, sed in Piræo ubi custodes erant publice. *Bent. Piræo*] Alii scriptores hunc portum semper dicunt Piræeum. *R. D.* Cic. ad Att. errorem grammaticum a se admissum excusaturus, provocat ad hunc versum, legendo *in Piræeum.* Sed is et in defensione memoria lapsus videtur hodie omnibus. Omnes enim Mss. habent casum sextum, et sine *e* superaddito *Piræo,* et metro adversum quadrisyllabum. *Bip. Coiimus* Br. Bent. Perl. Both. et *Pirao.* Hoc dant et Z. et Bip. *Pireo* Guelf. 1. 2.—2 *Ut* delet Perl. et notat id legi in Guelf. 2. 3.—4 *Est* post 'dictum' abest a Br.—6 *Illum ut.* O. l. s. numero meliore sic habent, *ut illum.* Fa. Sic nostri omnes et Edd. vett. *Bent.*—7 *Ibo ad eum. Visam si domi est* G. ET. EM. *West. Idque adeo visam, si domist* dedit Faërnus; sed nihil ad locum annotavit. Nostri omnes cum Edd. vett. *Ibo ad eum;* quod in contextum recepit vir eruditus, *Idque adeo* ejecto. Temere factum; et nolim imitari. Codex enim Bembinus, ipso Bembo teste, *Idque adeo.* Equidem, si *Ibo ad eum* asciscerem, post *Ibo* subdistinguerem, hoc modo: *Ibo, ad eum visam si domi est.* Certe, si *Ibo ad eum,* et mox, *visam si domi est* dicas; bis idem dixeris. *Idque adeo visam,* perinde ac *Itaque adeo,* satis se vetustate sua et elegantia commendat. Heaut. I. 1. 122. 'Ibo adeo hinc intro: set quid crepuerunt fores?' Ubi illud 'set' in memoriam mihi redigit, alterum quoque hujus versus colon mendose ferri: *Idque adeo visam si domist: quisnam hinc ab Thaide exit?* Omnes nostri cum vett. Edd. *set quisnam:* syllaba supervacua. Faërnus *set* ejecit: ego cum codice in Bibliotheca publica *hinc* ejicio: *Set* enim huic loco aptissimum. *Bent.* qui dat cum Both. et Perl. *Idque adeo visam, si domist. Set quisnam a Th. ex.* Dat *Ibo ad eum, visam, si domi est: quisnam a Th. exit* Bip. *Quisnam hinc Th. exit* exhibet Z. Notat Perl. legere Guelf. 2. 3. *Ibo ad eum* pro *Idque adeo,* et Guelf. 3. dare *hinc* post 'Quisnam.' Dat Br. *Ibo ad eum, visam si domi est. Sed quisnam hinc a Th. ex.* Testatur

NOTÆ

3 *Dati annuli*] Nobiliores annulos aureos in sinistræ manus digito penultimo gestabant: eos in pignora comissationis dabant: ut adesse ad diem constitutum convivii, quod communi sumtu celebrabant, cogerentur.

Is est, annon est? ipsus est. Quid hoc hominis! qui hic ornatu' est?
Quid illud mali est? nequeo satis mirari, neque conjicere.
Nisi quicquid est, procul hinc lubet prius, quid sit, sciscitari.

ditur? Isne ipse est, an alius? Is ipse est. Quænam hæc species est hominis? Quis hic habitus? Quid illi mali potest accidisse? Nequeo satis mirari, neque conjicere, quid hoc rei sit: sed quicquid est, longe hinc a publica via illud clam volo cognoscere.

Lind. legere R. *Ibo ad eum, visam,* et *Sed quisnam.*—8 Aliquot ex nostris *quid hoc ornatist?* Recte. *Bent.* Vulg. non æque aptum. *Bip.* qui Bent. sequitur cum Both. et Perl. qui monet dare Guelf. 3. *hic orn. Quid hoc hominis est? qui hic ornatus* Br.—9 *Quid illi* Guelf. 3.—10 *Libet* G. EM. *West.* Sic Br. et ed. Delph.

NOTÆ

8 *Quid hoc hominis*] Hæc sunt verba habitum et formam Eunuchi mirantis in Chærea.

10 *Procul hinc*] A publica via, semotis arbitris.

ACTUS III. SCENA V.

CHÆREA. ANTIPHO.

CH. NUMQUIS hic est? nemo est: numquis hinc me sequitur? nemo homo 'st.
Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? pro Jupiter!
Nunc est profecto, interfici cum perpeti me possum,

CH. *Quis hic est? Nemo est. Num ex domo Thaidis aliquis exiit, ad me sequendum? Nemo quisquam est. Jamne retentum in animo gaudium quod sentio mihi proferre licet? O Jupiter! nunc tempus est, cum mihi mortem inferri permit-*

1 *Numquis hic? Nescio. Num me quis hinc? Nemo h. est* Both.—2 Repono, *Jamne rumpere hoc mihi licet? Pro supreme Jupiter!* 'Hoc' secretum, quod premo. Ceterum Nonius v. Rumpere, sic locum hunc legit, *Jamne rumpere hoc mihi licet gaudium?* Ita tam editus, quam scriptus manu veterrima. Porro *mihi licet* etiam Bem. teste Bembo, et CCC. et ex Meadianis alter. Præstat certe, ut 'mihi' sit in Arsi. Cum autem inter lineas super 'hoc' scripsisset aliquis *gaudium;* id postea in textum receperunt, et deinde ejecerunt *supreme.* Bent. Hæc Bent. vexavit. Veremur ut verum docuerit Nonius, aut potius ipse *erumpere* legerit. *Gaudium rumpere* foret contra sensum. *Bip.* Bent. omitt. *gaudium:* quod esse ait ex vs. 4. repetitum. Sed nescio cur tantopere ille habeat repetitiones suspectas. *Perl.* qui legit *rumpere. Mihi licet* Bip. *Jamne rumpere hocne mihi licet? Proh Jupiter* Both.—3 M. *Nunc est tempus profecto.* Ita et editi quidam. Alii, *Nunc tempus pro-*

Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.
Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi,
Qui me sequatur; quoquo eam, rogitando obtundat, enecet;
Quid gestiam, aut quid lætus sim; quo pergam, unde emergam; ubi siem
Vestitum hunc nactus; quid mihi quæram; sanus sim, anne insaniam?
AN. Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.
Chærea, quid est, quod sic gestis? quid sibi hic vestitus quærit?

tere possim, ne tantum gaudium vita longior corrumpat dolore aliquo: sed vereor ne obvius mihi fiat curiosus aliquis, qui quæsitis obtundat mihi aures, cur gestiam, quid lætus sim, quo vadam, unde egrediar, unde mihi vestem hanc comparaverim, quid mihi quæram, sanusne mente sim, an insaniam? AN. *Ad eum accedam et hanc gratiam ejus (ut desiderat) demerebor. Quamobrem sic exultas? Quidve*

fecto est. Editio Veneta in Donati Notis legit *possim*, quod haud scio, an sit elegantius. *West.* Dac. et alii interserunt *tempus* post 'profecto.' Sed haud dubie est glossema. *Zeun.* *Nunc tempu' profecto est, cum perpeti me possum interfici* ed. Delph.—4 M. *vitam:* quomodo et impressi quidam veteres. *West.* —5 Ita plusculæ edd. In aliis est, *Sed neminem curiosum int. nunc mihi video.* Quatuor Leidd. cum Tr. et Ms. Lips. *Neminem hic curiosum int. nunc mihi.* Quæ varietas facit lect. dubiam. Si *neminemne* retineas, videtur τὸ *Sed* abesse debere; eritque sententia magis abrupta, qualis convenit in alacrem et gestientem Chæream. Sin retineas *Sed*, multum decedet admirationi. *Id.* *Sed neminem curiosum* G. ET. EM. *Id. in Add.* *Sed neminemne curiosum*] Testatum relinquimus ita esse in Bem. ne quis unquam revocet in dubium. *Fa.* Sic et G. Fabricii codex, et ex nostris vetustissimus: ceteri male, *Neminem hic cur.* Bent. *Mihi*] GM. *video.* Nisi forte glossa confunditur et textus. *Cur. hic* Guelf. 1. *Perl.* *Neminem hic cur.* Br.—6 Ita ediderunt Junt. Aldus, St. Fa. Heinsius, alii. Guyetus veram lect. et genuinam esse ait, quam etiam præfert Ms. Lips. [et Br.] *Qui me sequatur, quique jam rogitando obtundat.* Atque ita nunc vulgo editur. Cum autem continuo præcesserit 'nunc,' τὸ *jam* vix locum tuebitur. Si conjecturæ locus est, crediderim eas literas, unde effecerunt illa, *quique jam*, et *quoquo eam*, parum perspicue lectas esse. Unde mallem, modo liceret per Codd. *Qui me sequatur, quique me rogitando obtundat.* Sic sensus planus, Latinitas salva, metrum etiam servatum. Itaque exhibet Leid. unus, et Tr. uterque tamen omisso altero *me*. West. *Qui me sequatur quoquo eam; rogitando obtundat, enicet*] Illud *quoquo eam* ex Bem. codice est, Bembo teste; et ex Eug. Nostri *quique jam;* sed veterrimus, paulo propius *quoque eam.* Hoc scilicet voluit, Rogitandoque quo eam: sed minus recte. *Bent.* qui dat *Qui me sequatur quoquo eam; rogitando:* et sic Bip. et Perl. nisi quod leviter pungunt post 'sequatur.' Leviter pungit Both. et post 'sequatur' et post 'eam.' Pro *quoque eam* habet Guelf. 1. *quique*, et 2. *quique jam.* *Enicet* Bent. Both. Perl.—7 *Aut unde* Guelf. 2.—10 *Quidve*] Disjunc-

NOTÆ

8 *Quid mihi quæram*] Superabundat illud 'mihi,' phrasi Attica.

Quid est, quod lætus sis? quid tibi vis? satin' sanus? quid me aspectas?
Quid taces? CH. O festus dies hominis! amice, salve.
Nemo 'st hominum, quem ego nunc magis cuperem videre quam te.

hic habitus denotat? Quid est quod tantam lætitiam exprimis? Quid tibi vis? Satisne sapis? Quid me intueris? Quid siles? CH. *O lætus et faustus mihi dies! amice, salvus sis. Nemo est omnium, quem ego nunc magis cuperem videre quam*

tionem aliqui libri nullam habent; aliqui vero hoc modo, *aut quid sibi:* in nullo est, *quidve:* ut in impressis. *Fa.* Etiam nostri plerique disjunctione *ve* vel *aut* carent; neque aliter stat versus. *Bent.* *Aut quid sibi* Vet. Cod. *Lind.* Ita Br. et Guelf. 3. *Sic* delet Both. Dat Perl. *quid est? quod sic gestis?*—11 *Lætus es* lege. *Bent.* Vulgo *l. sis.* Sed nostrum [sc. *l. es*] rectius. *Bip.* quæ 'aspectas' trudit cum ed. Delph. in versum 12. Sic dat Bothius: *Quid lætus es? quid vis tibi, &c.* *Sanus es* Guelf. 2. 3.—12 Guy. Eugraphium secutus, expungit τὸ *hominis.* Neque ferenda videtur constructio verborum, *festus dies hominis.* Conjiciebam, dixisse fortassis Chæream: *O festus dies! homo mi! amice salve!* vel, *O festus dies! o mi amice salve!* Nisi forte per hypallagen dixit, *festus dies hominis*, pro, homo festi diei. Quales Græci vocantur καλήμεροι. Turnebus Advers. III. 11. *festus dies hominis* dictum putat mira quadam et nova dicendi ratione, pro fausto homine, auspicato et optato; translatione ducta a diebus festis. Ex Ampl. Viri Corn. van Bynkershoëk doctissimis literis duplicem conjecturam didici; scilicet, *O festus dies homini.* Et, *O festus dies ominis.* Quarum utraque se et minima mutatione, et optimo sensu approbat. *West.* Quid cum hoc versu faciemus? ex fine constat, Tetrametrum esse Catalecticum: sed initio claudicat illud *taces.* Donatus: 'Quid me aspectas? quid taces? His duabus interrogatiunculis descripsit vultum dicturi.' Quicumque hoc annotavit, profecto non legebat *taces.* Quomodo enim *Quid taces* describit vultum locuturi? Sed et aliud hic majus est, *Festus dies hominis!* quam magno emerim hodie, ut sensum aliquem hinc aliquis extundat! Donatus: 'Festus dies hominis, pro, Homo festi diei.' Quanto melius fuerat tacuisse, quam hoc dixisse! Bene igitur Eugraphius, 'Quid est,' inquit, 'Festus dies hominis?' Ignorantiam hic suam candide profitetur. Vide an ego veterrimam et teterrimam labem feliciter hinc sustulerim: *Quid dices! o festus dies! o meus amicus! salve.* *Festus dies* est blandientis dictum; et in his formulis nominativo utebantur, æque ac vocativo. *O meus* degeneravit in *ominis* sive *hominis.* Ceterum vir eruditus memorabile hic facinus fecit, verba, ut versui consuleret, sic in ipso textu trajiciens: *Quid est quod lætus sis? quid tibi vis? quid me aspectas? quid taces? Satin' sanus? O festus dies hominis: amice salve:* nescius interea, se ordine sic immutato sententiam totam corrumpere. *Bent.* Ex vulg. editione nullus idoneus sensus elicitur. Bent. conjicit *O festus dies! O meus amicus.* 'Festus dies' blandientis dictum esse planum est. Gesner. in Thes. Lat. v. Festus, et cl. Oudendorp. putabant *O festus dies! O meus amicus*, sc. dies. Poëtæ diem meum diem faustum vocant. *R. D.* Vix ferendum est *festus dies hominis*, nisi forte est pro, homo festi diei. *Perl.* Bent. frigide *quid dices?* rescribit. *O festus dies hominis:* sic appellat amicum, qui ipsi hilaritatem (qualem festus dies) afferat. Instar festi diei advenis mihi, hodie primum homini. Hominem se sensit felicem amore, et amore nihil est humanius. Nihil igitur sensisse nobis videntur Critici, qui parum venuste hæc tentant. *Bip.* quæ 'salve' collocat cum ed. Delph. in vs. sequenti. *Taces quid?* dat Both. qui, 'Neque *hominis* friget,' ait, 'sed recte additur.'—13 *Hominum* ex Mss. quibusdam edidit Faërnus.

AN. Narra istuc quæso quid siet. CH. Immo ego te obsecro hercle ut audias.
Nostin' hanc, quam amat frater? AN. Novi, nempe, opinor Thaidem.
CH. Istam ipsam. AN. Sic commemineram. CH. Quædam hodie est ei dono data
Virgo. Quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem, aut laudem, Antipho,
Cum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem?
In hac commotus sum. AN. Ain' tu? CH. Primam dices, scio, si videris.

te. AN. *Recense, amabo, quid istud sit, quod tam feliciter accidit.* CH. *Immo ego te oro per Herculem, ut audire libeat tibi. Notane tibi est illa, cujus frater amator est?* AN. *Nota est; nempe mihi videtur, illam dicis Thaidem.* CH. *Istam ipsam.* AN. *Sic in memoria habebam.* CH. *Quædam puella hodie ei dono missa est. Quid opus est, ut ejus tibi pulchritudinem verbis aut laudibus exprimam, Antipho! cum scias probe, quam scitus sim formarum explorator et æstimator: ejus amore captus fui.* AN. *Itane?* CH. *Si eam videris, venustarum principem esse fateberis, certo scio. Quid plura dicam? ejus forma*

Ms. Lips. aliique, *omnium.* Editio Junt. Aldina, St. aliæ omiserunt. *West.* *Nemo est quem.* Post vocem 'est' aliqui l. s. et Do. habent, *omnium;* sed multo plures, *hominum:* quod et versui magis servit, et Terentianum est. Collocatio vero verborum in omnibus est, *nunc magis.* Sane in Bem. et compluribus aliis scriptis, hic versus et duo præcedentes ita ordinantur: *Quid est quod lætus sis? quid tibi vis? satin' sanus? quid me aspectas? Quid taces? o festus dies hominis. amice salve. Nemo est hominum quem ego nunc magis cuperem videre quam te.* Fa. Præter Donatum septem ex nostris Codices *Nemost omnium;* unde sic versum constituo: *Nemo omniumst, quem ego nunc magis videre cuperem quam te.* Nam quod vir doctus hic malit *hominum,* quia infra habemus IV. 6. 19. 'Egon formidulosus? nemost hominum qui vivat, minus:' quantum interesset, parum animadvertit. *Bent.* *Nemo'st omnium* R. *Lind.* *Nemo omnium est, quem ego nunc magis videre quam te cupiam* Both. *Nemo est omnium* Br. qui in vs. 11. dedit *sanus es.* *Nemo est omnium, quem ego magi' nunc cuperem quam te* ed. Delph. an. 1731. *Videre cuperem* Perl.—14 *Ut aud. istuc* M. *West.* Vett. Edd. et codex ex nostris unus, *quid sit.* Recte. *Bent.* Sequitur Both.—15 *Ut opinor* M. *West.* *Nostin hanc*] Lege *Nostine hanc.* *Nostin* secundam corripit. *Bent.* *Novi nempe*] Alii et ipse Do. male intercidunt, *Novi; nempe.* Bip. *Novi; nempe* Bent. Both. *Novi: nempe* Perl. *Nostine* Both. *Nostin* Br. in quo superscript. *ut* ante 'opinor,' forte a pr. manu, censente Bruns. Dat et Br. plenum punctum post 'Novi.' *Ut opinor* Guelf. 2. 3.—16 Codices omnes nostri et Edd. Vett. melioribus numeris: *Hodie quædam.* Sensit hoc et vir eruditus. *Bent.* Sic Br. Both. Perl.—17 Msti nostri, præter unum omnes, *Quid ejus.* Lego, *Ejus quid ego.* Bent. *Quid ego tibi ejus* Both. *Quid ejus nunc tibi* Br. omisso *ego.*—18 Nostri omnes cum Edd. Vett. *Cum me ipsum noris.* Scripsit Auctor, *Cum me ipse noris.* Bent. *Cum me ipsum noris* Br. Perl. *Cum ipsus me noris* Both.—19 Alii, *In hanc.* Solent autem verba amorem significantia ablativo fere jungi cum præ-

Quid multa verba? amare cœpi. Forte fortuna domi
Erat quidam Eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi:
Neque is deductus etiamdum ad eam. Summonuit me Parmeno
Ibi servus, quod ego arripui. AN. Quid id est? CH. Tacitus citius audies.
Ut vestem cum eo mutem, et pro illo jubeam me illuc deducier.
AN. Pro Eunuchon'? CH. Sic est. AN. Quid ex ea re tandem ut caperes commodi?
CH. Rogas? viderem, audirem, essem una, quacum cupiebam, Antipho.
Num parva causa, aut parva ratio 'st? traditus sum mulieri.

inspecta, statim amore inflammatus sum. Forte in ædibus nostris erat quidam Eunuchus quem frater emerat Thaidi, necdum ad eam tunc deductus erat. Parmeno ibi servus mihi consilium dedit quod ego avide cepi. AN. *Quid id est?* CH. *Si silentium præbueris, citius percipies: suasit ut habitum cum eo mutem, et pro illo me tradi jubeam Thaidi.* AN. *Pro Eunuchone?* CH. *Pro Eunucho.* AN. *Ecquænam tandem fuit utilitas, quam ex hoc facto perciperes?* CH. *Quærisne? Ea fuit, Antipho, ut virginem spectarem, audirem, conversarer cum ea, cum qua cupiebam. An levis causa aut ratio hæc tibi videtur? Datus sum Thaidi. Illa, ut*

positione. *West.* Poëtæ Latini, cum de amore loquuntur, ablativo potius utuntur quam accusat. *R. D.* *Scio* non habet Guelf. 2. Additum supra *sum* post 'commotus' in Br.—21 Ex nostris plures, atque ii meliores, *frater fuerat.* Magis ex more Terentii, quem adolescentes notabunt. *Bent.* Sic dant Br. Both. Perl. *Quidam erat* Bip. *Quidem* Both. putamus, per errorem typoth.—22 *Etiam tum* M. *West.* *Etiamdum* ex Bem. dedit Fa. Non accedo. *Bent.* Nec accedunt Br. Bip. Perl. Both. Hic dat *tum etiam.* *Ad eam erat* Guelf. 1.—23 *Tacitus* varie legitur in Mss. et impressis. Quidam, *Tace tu.* Alii, *Tacitus sis.* Rursus alii, *Tace sis.* Malim, *Tacedum.* West. *Tacitus sis, citus* Vet. Cod. *Lind.* West. mavult *Tacedum:* sed nostrum [*Tacitus*] melius videtur. *Bip.* *Tace sis* ed. Delph.—24 *Me ducier*] Omnes præter Bem. libri scripti, et Donatus, *me illoc deducier:* quod et versui quadrat. *Fa.* Immo versui non quadrat: etsi, ut ad digitos sic satis quadraret, suspicio est illud *cum eo* a Faërno interpolatum. Omnes enim nostri et vett. Edd. *cum illo.* Recte: et lege *ducier.* Bent. *Cum illo* R. *Lind.* *Illoc*] G. F. ex Pal. *illo.* Perl. *Cum illo* Br. Both. Bip. Perl. *Ut pro illo* Both. quod dicit legere edd. vett. et vulgato censet fortius. *Illoc ducier* Bent. Both. Perl. *Illoc ded.* Br. Z.—25 A vett. Edd. et novem ex codicibus nostris abest *ut:* ergo aliam sedem olim habuit, *Quid ut ex ea re tandem c. c.* Bent. *Ut* ferri potest. *Bip.* Lect. Bent. dant Both. Perl. *Quid tandem ex ea re ut* ed. Delph. *Capies,* omisso *ut,* Guelf. 2.—26 Lege *quicum.* Bent. Id dat Both. *Essemque* Guelf. 1.—27 Lege, ut recte olim Palmerius, *aut prava.* Bent. *Aut prava* verissime Bent. legit. *R. D.* *Aut prava* placeret, si re-

Illa illico ubi me accepit, læta vero ad se abducit domum:
Commendat virginem. AN. Cui? tibine? CH. Mihi. AN. Satis tuto tamen.
CH. Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat: et mihi ne abscedam, imperat:
In interiore parte ut maneam solus cum sola: annuo,
Terram intuens modeste. AN. Miser! CH. Ego, inquit, ad cœnam hinc eo.
Abducit secum ancillas: paucæ, quæ circum illam essent, manent,
Noviciæ puellæ: continuo hæc adornant, ut lavet.
Adhortor, properent: dum apparatur, virgo in conclavi sedet,
Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura hæc: Jovem
Quo pacto Danaæ misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum.

primum me accepit, libens vero et hilaris illa me introduxit domum, commendat custodiam virginis. AN. *Cui? tibine?* CH. *Mihi.* AN. *Satis vero tutori fido scilicet.* CH. *Imperat ne vir quisquam accedat, et mihi ne ab ea discedam imperat, ut in interiore ædium parte remaneam solus cum sola. Nutu promitto modeste, defixis in terram oculis.* AN. *Miser, qui pro libidine explenda tam indigna tuleris.* CH. *Ego, inquit Thais, ad cœnam Militis hinc eo. Abducit secum ancillas quæ se comitentur: paucæ, quæ virgini adsint, domi restant, omnes recens emtæ, et ad servitium parum aptæ: confestim apparant balnea, ut virgo lavet. Dum adornantur necessaria ad lotionem, virgo in conclavi sedet suspiciens attente tabulam pictam, parieti appensam; cujus pictura repræsentabatur Jupiter, quo modo dicitur infudisse*

ferre liceat ad illud 'quid...ut.' *Bip.* Hoc dant Both. Perl.—28 *Deducit* M. *West.* *Accepit, vero, læta* Both.—29 *Satis tuto tamen.* Si per Codd. liceret, tribuerem hæc Chæreæ. Certe optime cohærent cum proxime sequentibus. *West.*—32 *Miser!* Qui Chæreæ hanc vocem tribuunt, multum gratiæ ei adimunt. *Id.*—34 *Hæ* Pall. 1. 2. *Lavent* Par. Mss. *Perl.* *Hæ* Br. *Noviciæ, puellæ* Z. Bip.—35 *Adh. ut* Br. GM.—36 Bœcl. eumque secuti plures, *ibi inerat.* Quomodo est in uno Leid. Ast τὸ *ubi* vincit numero Mss. et editorum probatissimorum, videturque omnino elegantius. *West.* Vett. Edd. et ex nostris libris octo, *ubi inerat.* Quod melius. *Bent.*—37 Non necesse

NOTÆ

34 *Hæc adornant, ut lavet*] 'Hæc,' pro, hæ, ἀρχαϊκῶς. Antiquis moris erat, ut singulis diebus lavarent: hinc tot balnea publica et privata.

35 *In conclavi*] Conclave est locus separatior in ædibus; sic dictus, quod intra eum multa cubicula clausa sint.

37 *Quo pacto Danaæ*] Hæc fabula de imbre aureo Danaës in hoc com-

Egomet quoque id spectare cœpi, et, quia consimilem luserat
Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi;
Deum sese in hominem convertisse, atque in alienas tegulas
Venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri.
At quem Deum? qui templa cœli summa sonitu concutit.

auream pluviam in sinum Danaës. Egomet quoque id contemplatus sum. Et, quia consimili ludo se oblectaverat, multo magis animo gaudebam, videns Deum se in hominem transformasse, atque in tecta aliena furtim per impluvium descendisse, ut mulierem falleret. At quem Deum? Eum nempe, qui cælum tonitru commovet et

cum G. F. *ninxisse* tueri, vel cum Palmerio *nisisse* aut *ninsisse.* West. *Dannem iniisse* Hel. i. e. ni fallor, *Danaæ immisse,* vetuste. *Danaës* dedi ex B, C, cum vulgo pessime legatur *Danaë,* vel secundum Bentleium *Danaæ,* quod ferri potest. C etiam *se* præbet post *misisse.* Bothius. *Q. p. Danaæ* [nam, quod est in Z. *Danæ,* videtur esse error typoth.] *misisse*] Ita omnes scripti ac vulgati libb. nec aliter ab Augustino adducitur hic locus, VII. 2. De Civ. Dei. *Lind.* *Danæ* Br. Z. Dat Both. *Quo Danaës pacto in grem. quond. immisse imb. aiunt aur.*—39 Theod. Marcilius ad Catull. Epigr. LIX. in Nostro legit, *impendio magis magisque.* West.—40. 41 Ms. Lips. *et per alienas tegulas.* Guy. placebat, *et per ahenas tegulas.* Omnis vero vis est in τῷ *alienas.* Durior Guyeto videtur repetitio τοῦ *per,* si legas, *per tegulus, per impluvium.* Legit igitur, *in impluvium,* citatque Plautum. Ego vero Plautum Plauto oppono. *Idem.* *Per alienas tegulas* G. ET. EM. *Id. in Add.* *Venisse clanculum*] Nisi legas *clam,* metrum non constat. *Er.* Ex Bem. et Vi. lego, *atque in alias.* Fa. Scripsit, opinor, Auctor vel *Deum sese in aurum,* vel *in metallum,* vel, ut Flaccus, *in pretium.* Porro duo libri Faërni cum Donato, *atque in alienas tegulas:* Nostri vero *et per alienas tegulas.* Omnino melius. Locum totum sic constituo: *Deum sese in pretium convertisse, et per alienas tegulas Venisse clanculum: per pluviam fucum factum mulieri.* Bent. *Et in alienas* R. *Lind.* *In hominem*] Atqui Jupiter non se in hominem convertit, sed in aurum. Bent. igitur audaci conjectura legit: *in pretium.* Sed Oudendorp. ad Suet. Cæs. c. 1. vulgatam lect. sic defendit, ut hominem capiat pro, affectum humanum. Hoc sensu Jupiter humanum ingenium sibi induit. Sic 'pater' dicitur pro animo paterno, 'mater' pro materno. *R. D.* Bent. licentius, ut solet, hæc mutat. *Per al. teg.* minus aptum videtur, nisi pro tecto s. domo accipias. *Bip.* *Et per al.* Br. Both. qui dat *se* pro *sese.*—42 *Summo* EP. *West.* Non

NOTÆ

posita est, ut monstraretur nihil esse, quod auro et pecunia expugnari non possit. Meminit ejusdem Ovidius lib. IV. Metamorphoseon, et Horatius Ode 16. libri tertii.

41 *Venisse clanculum per impluvium*] Impluvium fuit area sine tecto, quo impluere imber in domum posset.

Fucum factum mulieri] Fucus est genus herbæ tingendis lanis utile: unde pro artificioso et adulterino colore sumitur. Fucum facere, est artificiosa dissimulatione deludere et fallere.

42 *Qui templa cæli*] Versus sunt Ennii.

Ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero ita feci, ac lubens.
Dum hæc mecum reputo, arcessitur lavatum interea virgo:
It, lavit, redit: deinde eam in lectum illæ collocant.
Sto expectans, si quid mihi imperent. Venit una: Heus tu, inquit, Dore,

tremefacit. Si ille hæc fecit, quomodo ego homunculus non eadem facerem? Ego vero illum in hoc et libenter imitatus sum. Dum hæc ego apud me cogito, vocatur virgo ad balneum interim; it, lavit, redit: deinde illam ancillæ in lecto posuerunt. Sto expectans, si quod mihi dent negotium: venit una ex eis: Heus tu, inquit,

muto. Tamen vide annon elegantius sic dedisset, *nutu concutit.* Bent. Bentleio magis placet *nutu.* Sed *sonitus* capiendum pro tonitru. *R. D.*—43 Pace eruditorum dixerim, τὸ *ita* mihi videri otiose παρέλκειν, neque habere, quo referatur. Neque aliter ediderunt Aldus et Heinsius. Mss. variant. *West.* Testatur P. Victorius ad Cic. Fam. IV. 7. Angelum Politianum ex Bem. legisse *homunicio.* Sed et ipse legit ibi ex cod. Mediceo *homuniculi.* Id. in Add. Illud *feci* ineptum est, ut et T. Faber vidit. Faber *ita faciam:* vir eruditus, *ita fecerim:* neuter tamen alia hic menda subodoratus est. *Illud ita fecerim:* Quo quæso pertinet *ita?* an, ut per tegulas deflueret Jovis exemplo? Nimirum, ubi primum *feci* in textum irrepsit, ita in versus subsidium addiderunt; quod tamen a Pet. abest. Sex ex nostris codices *ego vero illud,* non *ego illud vero.* Repono: *Ego homuncio hoc non fecerim? ego vero illud fecerim ac lubens.* Bent. Hic versus est verissima Bentleii emendatione legendus. *R. D.* Arg. vetus legit *ego vero id ita;* unde suspicamur *id ita* ortum esse ex *illut:* sic scribebant 'illud.' Vulneri mala imponit nova Bentleius. Nos illud *facerem* non tentamus: sed pro *feci ac* legimus *faxim.* Bip. quæ dat *ego vero illud faxim lubens.* Dat Bothius *hoc non faxim? ego illud vero item feci, ac lubens.* Ed. Delph. *ego vero illud feci.* Non mutat Perl. nisi quod dat *fecerim* pro *facerem;* monet Guelf. 1. 3. legere *facerem,* et 2. *istud.*—44 *Interea it* Guelf. 1. *Accersitur* Br. Bent.—45 *Deinde, &c.* ita edidi ob metrum, accedente auctoritate Donati, et quorundam Mss. et EP. Quanquam mira in his verbis varietas Librorum. Sunt qui *in lecto* habent; sunt item, qui *in lectulo.* In quibusdam est *collocarunt.* West. Gifanius in Ind. Lucret. v. In, tuetur *in lecto collocant.* Et in G. et ET. est *Deinde eam in lecto illæ collocant.* Id. in Add. O. l. s. et Do. pro *illam, eam* habent: libri vero antiqui omnes fere, et cum iis Do. *collocarunt.* Sunt et aliquot libri, inter quos V. et duo alii antiqui, qui *in lectum* habent, et cum iis Donatus; Bem. pro *lecto illæ, lectulo* habet: quo tamen modo non potest versus procedere. Nos omnibus consideratis neque *in lecto,* neque *in lectum,* sed *in lectu,* antiqua declinatione legi posse arbitramur. Tamen legemus *in lectum,* ne ab antiqua lectione discedamus: *It, lavit, redit, deinde eam in lectum illæ collocarunt.* Fa. Recte hæc: nisi quod versum male disponat, notante etiam viro docto: *virgo: it, Lavit, redit, deinde eam.* Lege, ut nostri qui vetustiores sunt scribunt, *Iit,* una tamen syllaba: *Iit, lavit, rediit; deinde eam in lectum illæ collocarunt.* Bent. *Iit, lavit* R. *Lind.* *Eam* melius quam *illam.* Bip. *Iit* et *rediit* Br. Both. qui dat *in lectum eam.* *Collocarunt* Z. Bip. Both.—46 *Spectans* M.

NOTÆ

45 *In lectum collocant*] A balneis in lectum se recipere moris erat, ut se reficerent a lassitudine et sudore.

Cape hoc flabellum, et ventulum huic sic facito, dum lavamus:
Ubi nos laverimus, si voles, lavato. Accipio tristis.
AN. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem;
Qui esset status, flabellum tenere te asinum tantum.
CH. Vix elocuta 'st hoc, foras simul omnes proruunt se:
Abeunt lavatum: perstrepunt, ita ut fit, domini ubi absunt.
Interea somnus virginem opprimit: ego limis specto,
Sic per flabellum clanculum; simul alia circumspecto,
Satin' explorata sint. Video esse: pessulum ostio obdo.
AN. Quid tum? CH. Quid? quid tum? fatue. AN. Fateor. CH. An ego occasionem

Dore, sume hoc flabellum, et sic ventulum huic excitato, dum lavamus: ubi a balneo redierimus, si voles, lavato. Accipio in manus flabellum, simulans me tristem esse. AN. *Tunc profecto istam faciem tuam impudentem cuperem me vidisse, quis esset habitus tui corporis, quando flatum virgini tu tam magnus asinus flabello faciebas.* CH. *Vix ancilla hæc mihi dixerat, cum omnes foras prorumpunt, abeunt lavatum, ingentem strepitum edunt, ut solent servi facere, absentibus dominis. Interea somno virgo sopitur; ego transversis et obliquis oculis per flabellum studiose intueor, et simul omnia circumspicio, satisne tuta sint: video tuta esse. Pessulum ostio oppono.* AN. *Quid tum factum est?* CH. *Quid tum factum quæris, stulte?* AN. *Fateor me stultum esse qui hæc quæsierim.* CH. *An ego amator occasionem mihi oblatam*

West.—47 Donatum legisse *lavamur,* discas ex ejus verbis. Et ita St. edidit. Variant Mss. In Ms. Lips. τὸ *s* mutatum in *r.* In M. absunt voces, *sic,* et, *lavamus.* Idem. *Et* non est in Bem. et Vi. quæ et majore gratia abest. *Dum lavamur* Do. et iidem libri. *Fa.* Immo retine *et* cum nostris omnibus et Edd. vett. *Bent.* *Et* omittit Z. *Lavamur* Both. Perl.—49 *Tum quidem* bene Hel. Vulgo *equidem,* male eliso adverbio. *Both.*—50 Guy. jubet *flabellulum* nos legere. Sed et ita legit Antesignanus. *West.* *Quis esset status, flabellum*] Hic versus nulla ratione stare potest, nisi legas *flabellulum.* Sane Bem. et Bas. habent, *Qui esset.* Fa. *Flabellum* dedit Faërnus, credo, typographi incuria: etsi codices nostri, *flabellum.* Guy. in scripto invenit *flabellulum,* ut exigit versus. *Bent.* *Flabellulum* poscit metrum. *Bip.* Nostri scripti *Quis,* minus bene. *Both.* qui dat *Qui status erat,* et *flabellulum,* quod dant Perl. Both. Delph.—51 M. *hæc.* Ms. Lips. *proruunt, ita ut fit, ubi domini absunt,* omissis intermediis. *West.*—53 *Aspecto* M. G. ET. EM. *Id.* Ex Bem. et aliis antiquis, ac ratione versus, *specto* legendum. *Fa.* Media fere pars nostrorum, *specto.* Bent. *Aspecto* Br. *L. s. oculis* Guelf. 1.—54 *Et simul*] *Et* non est in Bem. nec Bas. quæ adeo non necessaria est, ut et cum gratia absit. *Fa.* Vix unus et alter ex nostris *et* habent. *Bent.* *Alia loca* Guelf. 2.—56 *Quid? quid tum? fatue*] Ita Junt. Fa. alii. Melanchthon edidit, *Quid tum? fatue.* Sed et Aldus cum St. Et sunt plusculi Mss. et editi vetustissimi, in quibus τὸ *quid* non gemi-

NOTÆ

55 *Pessulum ostio obdo*] Pessulus est obex, aut sera ferrea, qua clauditur ostium.

Mihi ostentatam, tantam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam,
Amitterem? tum pol ego is essem vere, qui simulabar.
AN. Sane hercle ut dicis: sed interim de symbolis quid actum est?
CH. Paratum est. AN. Frugi es. Ubi? domin'? CH. Immo apud libertum Discum.
AN. Perlonge 'st: sed tanto ocyus properemus: muta vestem.

et propositam, tam celeriter fugientem, tam desideratam, tam in expectatam elabi sinerem? Tum per Pollucem talis ego vere fuissem, qualis est Eunuchus, quem simulabam. AN. *Certe per Herculem ita est, ut dicis: sed interea de symbolis, quibus colligendis præfectus es, quid egisti?* CH. *Parata est cœna.* AN. *Officiosus et bonæ frugi es. Ubi? domine?* CH. *Immo apud libertum Discum.* AN. *Procul hinc distat.* CH. *Sed tanto magis idcirco acceleremus.* AN. *Muta vestem.* CH.

natur. *West.* *Quid tum fatue*] Antiqui libri bis habent *quid;* quæ particula geminata necessaria et versui videtur et sensui. Lege ergo hoc modo: *Quid, quid tum? fatue.* Fa. Et nostri plerique omnes, *Quid, quid tum?* sed corrigendum, *Quid tum? quid?* Repetitio hoc postulat. *Bent.* Bent. pro lubitu *quid tum? quid.* Bip. Medium *quid* abest B, Hel. *Both.* qui dat AN. *Quid tum? quid tum?* CH. *Quid, fatue?* Bentleium sequitur Perl. *Egon'* pro *An ego* ed. Delph.—57 *Tantam*] In præstantissimis edd. Junt. St. Frobenii, aliis, hæc vox omissa. Nec adeo metrum videtur admittere, ni legas, *ostentam.* Ms. Lips. agnoscit. *West.* *Mihi ostentatam, tam brevem*] Post *ostentatam* Donatus et omnes l. s. præter Bem. habent *tantam.* Versus autem stat, si legas *ostentam,* ut et in aliquibus libris est. Legendum ergo est, *Mihi ostentam, tantam, tam brevem.* Fa. Melior pars nostrorum *tantam:* quæ vera lectio est. Servius ad Georg. I. 248. 'Ab Ostendor veteres participium Ostentus, non Ostensus dicebant. Terentius in Eun. 'An ego occasionem Mihi ostentatam tam brevem.' Similiter et illud in Phorm. (v. 4. 7.) 'Neque me domum nunc reciperem, nisi mi esset spes ostentata Hujusce habendæ." Sic hodie fertur: sed ex re ipsa apparet Servium ipsum legisse *ostentam* et *ostenta.* Bent. Omittimus *Mihi* s. *Mi,* quo metrum impeditur: et præferimus *ostentam,* quod et Serv. voluisse videtur. *Bip.* *Ostentam* Bent. Both. Perl.—58 *Assimulabar* Ms. Lips. et EP. *West.* *Vere*] Non mihi displicet hæc lectio; ea tamen videtur antiquior, quæ est in Bem. *vero.* Aliqui libri, *qui similabar:* Bem. et Vi. *simulabar.* Fa. Ex duobus illis Faërnus edidit *qui simulabar.* Unus tantum ex nostris sic habet: tres *cui assimulabar:* ceteri *qui assimulabar.* Hoc placet. *Bent.* *Vero* Bent. Perl. *Assimulabar* Br. Bent. Both. Perl.—61 Mss. quidam et editi vetustissimi: AN. *Perlonge est.* CH. *Sed tanto ocyus properemus.* AN. *Muta vestem.* Tr. AN. *Perlonge est;* AN. *sed tanto ocyus muta vestem.* West. Bentleius verba 'sed tanto ocyus properemus' Chæreæ tribuit, cetera Antiphoni. Non male.

NOTÆ

60 *Apud libertum Discum*] Athenis in caupona perpotare nemini, nisi peregrinis et iter facientibus, ne servis quidem licebat, ut refert Isocrates.

CH. Ubi mutem? perii: nam domo exulo nunc: metuo fratrem,
Ne intus sit; porrò autem, pater ne rure redierit jam.
AN. Eamus ad me: ibi proximum est, ubi mutes. CH. Recte dicis.
Eamus; et de istac simul, quo pacto porro possim
Potiri, consilium volo capere una tecum. AN. Fiat.

Ubi mutem? perii: nam domo exclusus sum nunc, similis exuli: metuo ne frater sit in ædibus, tum etiam ne pater e villa jam reversus sit. AN. *Eamus in domum meam; ibi est, ubi commode aliam vestem sumere possis.* CH. *Recte dicis, eamus: quin etiam deliberare tecum volo de ista puella, quomodo ea postea frui possim.* AN. *Fiat ut tibi videtur.*

Zeun. Ita faciunt et Bip. et Perl. *Immuta* Guelf. 3.—62. 63 *A rure* G. EM. *West.* Repone: *Ubi mutem? perii: nam exulo domo nunc: metuo fratrem, Ne intus sit: porro autem patrem, ne rure redierit jam.* Bent. *Exulo domo* Both. Perl. Dat Br. *n. d. exulo.* *Nunc m. f.*—64 *Ubi . . ibi* Guelf. 1.

NOTÆ

64 *Ibi proximum est*] Id est, proximus locus domus nostra est, ubi vestem mutare possis.

ACTUS IV. SCENA I.

DORIAS.

ITA me Di bene ament, quantum ego illum vidi, nonnihil timeo misera,
Ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi.
Nam, postquam iste advenit Chremes adolescens, frater virginis,

DO. *Ita mihi Dii sint propitii, quantum ex vultu Militis perspicere potui, metuo nonnihil misera ego, ne furiosus ille rixam aliquam aut vim faciat Thaidi. Nam, postquam iste adolescens Chremes, frater virginis Pamphilæ, advenit, Thais Militem*

1 Bem. M. ET. EM. *Di ament.* Nec metri ratio videtur admittere τὸ *bene;* quanquam est in Libris plerisque omnibus. *West.* In contextu Bembini et in aliis plerisque l. s. Terentii, et Donati, non est *bene.* Fa. Tres ex nostris cum Edd. vett. non habent *bene.* Bent. Contra metrum et bonos codd. al. inserunt *bene.* Bip. Id rejiciunt Bent. Both. Perl. 'Misera' trudit ed. Delph. in versum 2.—3 Codex Academicus et ex Meadianis alter non habent

Militem rogat, ut illum admitti jubeat: ille continuo irasci;
Neque negare audere: Thais porro instare, ut hominem invitet.
Id faciebat retinendi illius causa: quia illa, quæ cupiebat
De sorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat.
Invitat tristis: mansit: ibi illa cum illo sermonem occipit.
Miles vero sibi putare adductum ante oculòs æmulum:
Voluit facere contra huic ægre. Heus! inquit, puer, Pamphilam
Arcesse, ut delectet hic nos. Illa exclamat, Minime gentium:
In convivium illam? Miles tendere: inde ad jurgium.

rogat, ut illum in domum recipi jubeat; ille statim ira commotus est, neque tamen recusare ausus fuit. Thais præterea instat, ut hominem invitet ad cœnam. Id faciebat Thais, ut Chremetem apud se retineret, quominus abiret; quia res illas, quas vehementer ei de sorore ipsius detegere volebat, indicandi tunc locus non erat. Miles illum invitat invitus, et tristi vultu: mansit adolescens retentus. Thais colloquium cum illo incipit. Miles vero, cum opinaretur a Thaide rivalem sibi ante oculos propositum esse, voluit vicissim facere aliquid, quod molestum esset Thaidi. Heus, inquit, puer, Pamphilam voca, ut lyra canens nos oblectet. Thais exclamabat: Minime omnium hoc licet: in convivium tu illam adduci jubeas? Miles vero id ut fieret contendere; inde ad jurgium ventum est. Interea aurum, annulos, torques,

Chremes. Et sane in textum ex interpretatione irrepsit. Repone, *Nám postquam iste advénerat aduléscens frater vírginis.* Bent. Versus 3. 4. 5. 6. 7. 8. sic legit et diminutos in tres redigit Bothius: *N. p. i. a. C. rogat Militem, illum admitti Ut jubeat; is continuo irasci, neque negare audere; Hæc porro instare; invitat tristis; mansit; sermonem occipit.* 'Istis laciniis excussis,' ait audaci voce, 'vide quam tersus atque elegans sit locus.'—4 *Illum adm. ut j.* et *irasci, neque Negare* ed. Delph. Alteram variationem exhibet Bip. *Eum* pro *illum* Guelf. 2. 3.—6 'Id' rejiciunt Both. Delph. ad vs. 5.—7 *Erat*] Pal. 3. *aptum.* Perl.—8 Ms. Lips. *mansit ibi.* M. *sermonem illico occipit.* Junt. *illico,* omisso *occipit.* Ms. Lips. *incipit:* quod et est in tribus Leidd. totidem Pall. teste Pareo, V. C. Lindenbruchii, et EP. *West. Sermonem illico incipit* G. EM. *Illico occipit* ET. *Id. in Add. Invitat tristis mansit ibi: illa cum illo sermonem illico*] Omnes libri præter Bem. habent *sermonem incipit.* Do. vero, *sermonem occipit.* Itaque Stephanus impressit. Ego ita legendum, itaque distinguendum puto, *Invitat tristis: mansit: ibi illa cum illo sermonem occipit.* Fa. Unus tantum ex nostris cum Donato et Edd. vett. *occipit;* ceteri *incipit.* Utrumvis probe, nec hilum interest. Spondeo me tibi veram Terentii manum restituturum: '*Invitatust: mansit: ibi illa cum illo sermonem occipit.* Bent. Non pungunt post 'mansit,' sed post 'ibi' Br. Guelf. 1. 2. *Incipit* Br. Guelf. 3. *Sermonem incipit illico* 1.—9. 10 Utrumque versum sic refinge: *Miles vero, sibi putans adductum ante oculos æmulum, Voluit facere contra huic ægre: Heus, inquit, puer, i, Pamphilam Accerse.* Bent. Legi Bent. vult *puer, i, Pamph.* non male. *Zeun.* Nisi legas *puere* non constat versus. *Er.* Both. legit *M. v. add. sibi putans an. oc. æm. Huic con. vol. æg. facere: Heus, inquit, puere, Pamph.*—11 *Hic delectet nos! Hæc clamat* Both. *Accerse* Br. Bent. ut solet.—12 *Tun' in convivium* alii. *Westerhovius. Tendere*]

Interea aurum sibi clam mulier demit; dat mihi ut auferam.
Hoc est signi; ubi primum poterit, se illinc subducet, scio.

armillas, ceteraque ornamenta aurea sibi Thais occulte demit; dat mihi ut exportem: hoc est indicium unde scio, illam, ubi primum poterit, clanculum inde discessuram.

GM. sup. script. 'contendit ut adduceretur.' Si quis est, qui hac nitatur explicatione, ille post 'tendere' distinguere debebit; id quod faciunt non pauci. Sed præstat conjungere. *Perl.* Conjungunt Bent. Z. Bip. Both. *Inde adjurgium* Br.—13 *Clam sibi* Both.—14 Unus Leid. *signum,* quod post mutatum in *signi.* Guyeto in Scholiis Mss. τὸ *signi* 'hic nullius pretii est.' Substituit igitur *scin'.* Sed, præterquam quod auctoritate Codicum destituitur, perperam eidem personæ tribuitur *scin'* et *scio.* EP. *potuerit.* Nonius v. Subducere, legit *illi.* Et forte eo respexit Thraso, infra IV. 7. 25. 'Et cum eo clam te subduxti mihi.' In aliis est *illico.* West. *Signum* ET. EM. *Id. in Add. Sese* ed. Delph.

NOTÆ

12 *In convivium illam*] In Græcia non admittebantur ingenuæ mulieres ad convivia, nisi propinquorum et cognatorum, ut Cornelius Nepos refert. Varro apud Nonium sic refert: 'Virgo de convivio abdicatur, ideo quod majores nostri virginis acerbas aures Veneris vocabulis imbui noluerunt.'

13 *Interea aurum sibi clam mulier demit*] Id agebat Thais, ne pro puella data ipsam spoliaret Miles, si ei repetenti virginem negasset.

ACTUS IV. SCENA II.

PHÆDRIA.

Dum rus eo, cœpi egomet mecum inter vias,
Ita ut fit, ubi quid in animo est molestiæ,
Aliam rem ex alia cogitare, et ea omnia in
Pejorem partem. Quid opus est verbis? dum hæc puto,

Ph. *Dum in villam eo, cœpi egomet (ut solent qui aliqua ægritudine animi agitantur) inter eundum de alia re super alia cogitare, et ea omnia in deteriorem partem interpretari. Quid plura dicam? dum hæc cogito, aliud agens, locum*

2 *Ubi quid in animo est molestiæ* magis Terentiana phrasis, quam altera illa Pareo laudata, *ubi quid animum est molestia:* i. e. edit. *West.* Par. ed. ex lib. Stanæi *ubi quid animum est molestiæ.* Perl.—3 *Ex alia re* in quibusd. codd. est. *West.* Magis ex consuetudine Terentii est, si sic refingis: *et ea omnia Pejorem in partem.* Bent. Obsequitur Both.—4 Ms. Lips. *reputo.* Ita

Præterii imprudens villam: longe jam abieram,
Cum sensi: redeo rursum, male vero me habens.
Ubi ad ipsum veni diverticulum, constiti.
Occepi mecum cogitare: Hem! biduum hic
Manendum est soli sine illa? quid tum postea?
Nihil est: quid? nihil? si non tangendi copia 'st,
Eho, ne videndi quidem erit? si illud non licet,
Saltem hoc licebit. Certe extrema linea
Amare haud nihil est. Villam prætereo sciens.
Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias?

prædii transivi. Longe jam ab eo processeram, cum errorem animadverti. Isthuc regressus sum, male quidem me habens. Ubi veni ad semitæ diverticulum, qua a via publica deflectitur ad villam, ibi restiti. Tunc cœpi mecum cogitare: Hem, num per duos dies commorandum est mihi hic ruri, soli, sine Thaide? Quid tum inde mihi erit? nihil. Quid? nihil? Si non tangendi est potestas, eho, anne saltem videndi erit? Si tangere non licet, videre eam quidem licebit. Certe postremum amoris beneficium quippiam est. Villam prætereo sciens ad urbem rediturus, ut imprudens eam antea præterieram; verum quid causæ est, cur subito huc exit Pythias turbata metu?

et EP. et Mss. omnes Bœcleri; tum Ms. Lindenbruchii, Pal. unus, G. et EM. *West.* *Pej. p.*] Vetus interpres *vertere:* quæ lect. est Msti Pal. 3. *Perl.* *Est* delet Both. *Reputo* Br. Guelf. 1. 3.—5 Ita præstantissimæ editiones, Junt. St. Aldi, et his multis partibus vetustiores ET. Venetæ, Argentinæ, aliæ exhibent; itaque recensuerunt Antesignanus, Heinsius cum reliquo eruditorum choro. Neque aliter in Mss. Unus tamen D. Hoogstratanus seorsim sentiens, *Longe hinc abieram,* edidit. In uno Leid. est *aberam,* sed erasa litera *i.* West.—6 *Male quidem me* EP. *Id.* *Male vero me*] Melius ex Regiis unus, *male me vero.* Bent. Sequitur Both. *Sursum* ed. Delph. 1731.—7 *Devert.* in codd. vetustis: quod Burm. ad Petron. cap. 10. tuetur. *West.* Tres antiquissimi libri, *deverti.* Fa. Codex Academicus *venio,* ut prius 'redeo.' Et versus fit suavior. *Bent.* *Devert.* Bent. Perl. *Deverticlum* Both. *Venio* Both. et Perl. qui monet *veni* legere Guelf. 1.—8 *Hoc cœpi* Guelf. 1.—9 *Quid tum? Postea Nihil* Br.—10 Non interrogant post 'quid' Br. Bip. *Fungendi* Pal. 2. *Tangendi si non* Both.—11 *Potest* al. *Perl.* *Potest* A et Hel. Vulgo *licet,* minus eloquenter. *Both.*—13 EP. *Amoris:* quod et in duobus Mss. Bœcleri erat. *West.* Sic Br.—14 *Sed quid hoc est quod*] Deleto verbo *est,* quod non est in Bem. senarius procedit. *Fa.* *Quid hoc est* et *tumida* Br. *Sed q. h. est qui tim.* Guelf. 1. *Est* post 'hoc,' et *quid* pro *quod* 2.

NOTÆ

7 *Ad ipsum diverticulum*] Diverticulum est semita deflectens a via publica ad villam alicujus. Diverticula sunt transversæ viæ.

12 *Extrema linea Amare*] Metaphora ducta a Circo, vel a Stadio: nam initium, et locus, unde ii, qui cursu certant, emittuntur, signabantur linea, ex creta in solo ducta. Hinc illæ loquendi formulæ; ad lineam stare, lineæ insistere, et ultra lineam vagari. Extrema linea amare est tantum videre amicam, et longe abesse a meta, id est, ab ejus possessione.

ACTUS IV. SCENA III.

PYTHIAS. PHÆDRIA. DORIAS.

PY. UBI ego illum scelerosum, misera, atque impium inveniam? aut ubi quæram?
Hoccine tam audax facinus facere esse ausum? PH. Perii! hoc quid sit vereor.
PY. Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatus est virginem,
Vestem omnem miseræ discidit; tum ipsam capillo conscidit.
PH. Hem! PY. Qui nunc si detur mihi,
Ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico!
PH. Nescio, quid profecto absente nobis turbatum 'st domi.
Adibo. Quid istuc? quid festinas? aut quem quæris, Pythias?

PY. *Ubinam ego infelix illum flagitiosum et sacrilegum Eunuchum deprehendam? Aut ubi investigabo? Hoccine tam temerarium facinus committere ausus est?* PH. *Perii! quid hoc sit, quod Pythias queritur, metuo.* PY. *Quin etiam amplius scelestus, postquam per ludum et jocum virginem fefellit, omnem vestitum miseræ discerpsit, atque ipsi comas divulsit.* PH. *Hem!* PY. *Quem ego si nunc tenerem, quam cito unguibus illi venefico in oculos irruerem?* PH. *Equidem nescio quid turbarum, me absente, excitatum est domi. Accedam ad Pythiam. Quid istud est? Quid celeras? Aut post quem curris, Pythias?* PY. *Eheu, Phædria, ro-*

1 Abest *ego* a GM. 'Quæram' trudunt Bip. Delph. in versum 2.—2 *Perii*] Hæc vox in Leidd. omnibus, Tr. Lips. G. sed et editis quibusdam vetustissimis etiam Pythiæ tribuitur. Quam lect. ex Mss. suis laudant G. F. et Gov. non male. *West.* PH. *Perii*] Immo cum libb. fere omnibus et edd. vett. 'Perii' Pythiæ donandum est. *Bent.* 'Perii' Pythiæ donand. est. Itid. in GC. invenio. *Perl.* Sic donant Br. Bip. Both.—3 *Scelus insuper* Both. qui *est* omittit. *Insuper etiam* ed. Delph.—4 Lect. mendosam et non ferendam pronuntiat Guyetus, substituens, *ipsom capillom.* Ms. Lips. *capillo discidit. Tum ipsam capillo conscidit,* pro, tum ipsi capillum consc. Donatus etiam lect. vulg. laudat. *West.* Bent. edidit *miseræ,* quod minus placet. *Zeun.* *Misere* Guelf. 1. *Capillos* Both.—6 *Unguibus*] Edit. add. *facile,* superscriptum recenti ut videtur manu. *Bruns.* *Unguibus ut in oculos facile ego* Both. deleto *illi.* *In oculis* J. et Venetus cod. Abest *ego* a Guelf. 3.—7 *Profecto nescio*

NOTÆ

4 *Vestem omnem miseræ discidit*] Ex his apparet virginem multum reluctatam esse.

PY. Ehem, Phædria, egon'? quem quæram? abi hinc, quo dignus, cum donis tuis
Tam lepidis. PH. Quid istuc est rei?
PY. Rogas me? Eunuchum quem dedisti nobis quas turbas dedit!
Virginem, quam heræ dono dederat Miles, vitiavit. PH. Quid ais!
PY. Perii. PH. Temulenta es. PY. Utinam sic sient, qui mihi male volunt!
DO. Au, obsecro, mea Pythias, quid istucnam monstri fuit?

gasne post quem curram? Apage hinc te, quo meritus es, cum donis tuis tam venustis. PH. *Quid istud est rei?* PY. *Quid a me quæris? O quos tumultus Eunuchus, quem nobis donasti, quos motus edidit! Virgini, quam Miles Thaidi heræ munus dederat, stuprum intulit.* PH. *Quid dicis?* PY. *Perii.* PH. *Ebria es.* PY. *Utinam sic ebrii sint, qui mihi male cupiunt.* DO. *Hau; amabo, mea Pythias,*

quid ed. Delph.—9 *Egon quem quæram? abi hinc quo dignus es*] In Bem. hæc antiqua est lectio, ut, pro *egon, ego* legatur, ut et in aliquot aliis libris: pro *abi hinc, in hinc:* quam lect. liber quoque Vaticanus, licet abrasa *n*, ex *in*, confirmat: item Vi. in quo est, *ii nunc:* in aliquibus aliis est *i hinc*. Est autem hic hæc particula *in*, ex duabus concreta, 'is,' et 'ne,' ut 'abin,' ex 'abis' et 'ne.' Sane in Bem. non est verbum *es*, quo demto versus hos sic ordinamus: *Hem Phædria ego quem quæram? in hinc quo dignus cum donis tuis Tam lepidis?* Fa. Meliores nostri *i hinc;* unus *ii hinc;* ceteri cum Edd. vett. *abi hinc.* Et pro *lepidis* perperam *inlepidis*. Bent. qui legit *ego q. quæram? in' h. q. dignu's cum d. t.* Perl. dat *ego q. quæram? abi hinc quo dignus cum d. t.* et monet *rogas* legere Guelf. 3. ante 'quem,' et 1. *dignus es.* Z. *ego q. q. i hinc, quo dignus, c. d. t.* Bip. *egon' q. q. abi hinc, quo dignu' es c. d. t.* Both. *egon' q. q. in' hinc, quo dignus, c. d. t.* Br. *egon, q. q. I hinc, quo dignus es, c. d. t.*—10 Ms. Lips. G. EP. ET. aliæque *illepidis*. West. Sic Br. Guelf. 1.—11 Pet. *Rogasne?* Repone *Rogan?* Bent. *Rogan'* Both. Perl.—12 *Dederat dono*] *Dono dederat* est in Bem. et Bas. *Fa.* Atqui, quod Edd. vett. et ex nostris unus et, ut videtur, plerique Faërni habent *dederat dono*, magis placet. *Bent. Heræ donavit miles* Both.—13 *Sic sint, qui mihi male*] Rectius legas: *sic sint, mihi qui male.* Bent. Sequuntur Both. Perl. *Sint* Z. Bip.—14 Hunc versum Guy. nothum vocat, ob lectionis varietatem scilicet. Quasi vero non varient lectiones in sexcentis aliis, quæ tamen nemo temere suspecta habuerit, ne ipse Guyetus quidem. *West.* Antiquissima lectio ex Bem. *quod istuc nam monstrum fuit?* Habet et Bas. *quod istuc*. Fa. Duo quoque ex nostris veterrimi *quod*. Ceteri *quid monstri*. Bent. *Quod istuc nam monstrum* Bent.

NOTÆ

11 *Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit*] Antecedens etiam a Poëtis præmittitur relativo, ut in hoc loco. Sic Virgilius in I. Æneidos: 'Urbem quam statuo, vestra est.' Quod in prosa sic efferas: Quam statuo urbem. Sic Orator dicat: Quas ad me dedisti literas, placuerunt.

PH. Insanis: qui istuc facere Eunuchus potuit? PY. Ego illum nescio
Qui fuerit: hoc, quod fecit, res ipsa indicat.
Virgo ipsa lacrymat, neque, cum rogites quid sit, audet dicere.
Ille autem bonus vir nusquam apparet: etiam hoc misera suspicor,
Aliquid domo abeuntem abstulisse. PH. Nequeo mirari satis,
Quo ille abire ignavus possit longius; nisi si domum
Forte ad nos rediit. PY. Vise amabo, num sit. PH. Jam faxo scies.
DO. Perii! obsecro tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.
PY. At pol ego amatores mulierum esse audieram eos maxumos;

ecquid istud monstri fuit? PH. *Desipis; quomodo istud facere Eunuchus potuit?* PY. *Ego nescio quis ille fuerit, an vir, aut Eunuchus? hoc, quod commisit, res ista manifestum facit. Virgo lacrymis conficitur, neque, cum interrogatur, audet dicere quid ei factum sit. Ille autem bonus vir disparuit, neque usquam invenitur. Insuper hoc ego misera suspicor, aliquid eum domo furto sustulisse.* PH. *Mirum admodum mihi videtur, quo ille enervis et debilis viribus tam longe fugere potuerit; nisi forte domum sese receperit.* PY. *Vise, precor, num sit in vestris ædibus.* PH. *Mox faciam te certiorem.* DO. *Perii. Oro, tu mea Pythias, tam horrendum facinus ne audivi quidem.* PY. *At pol ego audieram Eunuchos vehementer ardere*

Perl. *Pythia* Guelf. 1.—15. 16 Sic editi ac scripti. Sic tamen repono: *nescio: hoc, Quod fecit, res ipsa indicat.* Bent. *Qui f.*] Lind. ed. *Quid:* non placet. *Perl. Ista* Both. pro *istuc*.—17 Post 'lacrymat' lacuna est in Br. usque ad Sc. 6. vs. 21.—18 Abest *hoc* a Guelf. 2. et *misera* a Bip.—20 Tres Leidd. *nisi domum:* quod si olim scriptum fuit, *niSI domum,* valebit, *nisi si domum.* G. ET. EM. *posset*. West. Lege, versus causa, *Quo hinc ille abire.* Bent. *Hinc* infert Bent. bene: quo ipsi quidem versus, mihi vero sensus expressior sit. *Posset* GM. *Domi* Guelf. 3. *Perl. Quo ignavus ille abire* Both. *Abire ignavus ille* et *nisi domum* ed. Delph.—21 *Scias* edd. omnes vetustiss. *West. Redierit. Vise amabo, num ibi sit*] In omnibus quotquot sunt libris, pro *redierit* est *rediit:* et pro *num ibi sit, num sit:* solus Bem. recenti manu superadditum habet, *ibi:* quæ dictio nec necessaria est, nec a Donato ponitur. *Fa.* Nostri, uno excepto, omnes *rediit. Redierit* versum corrumpit. *Bent. Rediit*] Sic Fa. ac Fabricio probatur ex Veneto. *Perl. Vise*] Al. *vide*, minus usitatum. *Id. Scias* Guelf. 2. 3.—22 *Audisti* M. *West. Audisti* vet. cod. *Lind. Audivisti* Guelf. 3. Post 'obsecro' maximum punctum dat Bip. Alii leve, aut admirationis signum.—23 *At pol amatores audieram esse mulierum*] Varie collocantur hæc verba in libris scriptis: sed elegantius in Bem. *At pol ego amatores mulierum esse audieram.* Fa. Repone ex vett. Edd. et nostris omnibus: *At pol ego amatores audieram mulierum esse.* Bent. Sequitur

Sed nihil potesse: verum miseræ non in mentem venerat;
Nam illum aliquo conclusissem, neque illi commisissem
virginem.

amore mulierum, sed imbelles esse et impotentes; verum de hoc non cogitaveram; nam illum in aliquo loco conclusissem, si amatorem eum tantummodo esse meminissem; neque illi virginem custodiendam dedissem.

Perl. *At mulierum pol ego amatores aud. esse* Both.—24 *Potesse* legend. arbitror. *Er.* *Posse* G. ET. *West.* Pr. legit *potesse*, ut et in plerisque antiquis libris est. In omnibus vero l. s. Donati est *potuisse;* corrupte quidem, sed tamen unde appareat, eum non *posse* legisse, sed *potesse:* quo quidem modo melius procedit octonarius. *Fa.* Nostri omnes *potesse.* Bent.—25 *Conclussem*] In omnibus libris legitur *conclusissem:* nec sane hic necessaria est syncope. *Fa.* Recte hoc: et nostri quoque omnes *conclusissem.* Bent.

ACTUS IV. SCENA IV.

PHÆDRIA. DORUS. PYTHIAS. DORIAS.

PH. EXI foras, sceleste! at etiam restitas,
Fugitive? prodi, male conciliate. DO. Obsecro. PH. Oh!
Illud vide; os ut sibi distorsit carnufex!
Quid huc reditio 'st? quid vestis mutatio?

PH. *Egredere foras, scelerate! At etiam cessas, fugitive? huc procede, in damnum heri emte.* DO. *Obsecro.* PH. *Oh, vide ut turpiter os torsit scelestus. Quid huc rediisti? Quid vestem mutasti? Quid dicis? Pythias, si paulum tardassem,*

2 Par. 3. plenius *obsecro te ne sævius, eho.* Quod glossema olet. *Perl.* Vulgo *Oh* legitur pro *Eho*, quod est in A, B, reique convenit. C quoque *Ehohe*, Hel. *Ah.* Both. qui dat *Eho*, et id trudit in versum 3.—3 Lege ex uno nostro *Illuc.* Bent. Sequuntur Both. Perl. *Vide, o Pythias* Guelf. 3.—4 *Quid huc reditio*] Interponendum post 'huc' pronomen *tibi*, ut in Donato et Bem. est: *Quid huc tibi reditio'st.* Quod vero sequitur, *quid vestis mutatio est*, ab omnibus antiquis exemplaribus, præter Bembinum, abest verbum *est:* quod nec necessarium est. *Fa.* Sic et codices nostri: sed lego, *Quid, huc tibi reditiost? vestis quid mutatiost?* Bent. *Quid red. est tibi? v. q. mutatio?* Both. *Quid huc tibi red. 'st? q. v. mutatio 'st?* Perl. qui notat *tibi* abesse a

NOTÆ

2 *Male conciliate*] Id est, in perniciem meam emte, magno emte, care comparate. Vetus Terentii Interpres nundinas pro concilio exponit: unde 'conciliare' pro, emere, sumitur.

Quid narras? paulum si cessassem, Pythias,
Domi non offendissem: ita jam adornabat fugam.
PY. Habesne hominem, amabo? PH. Quidni habeam?
PY. O factum bene!
DO. Istuc pol vero bene. PY. Ubi est? PH. Rogitas?
non vides?
PY. Videam? obsecro quem? PH. Hunc scilicet. PY.
Quis hic est homo?
PH. Qui ad vos deductus hodie est. PY. Hunc oculis
suis
Nostrarum nunquam quisquam vidit, Phædria.
PH. Non vidit? PY. An tu hunc credidisti esse, obsecro,
Ad nos deductum? PH. Nam quem? alium habui neminem. PY. Au!

domi illum non reperissem, ita jam paraverat fugam. PY. *Quæso, habesne hominem?* PH. *Cur non habeam?* PY. *O factum bene.* DO. *Istud vero per Pollucem factum bene.* PY. *Ubi est?* PH. *Quid sæpius quæris? Numquid eum vides?* PY. *An videam? Obsecro, quis est ille, quem video?* PH. *Vides Eunuchum quem accusas.* PY. *Quis hic est homo?* PH. *Quem hodie Parmeno ad vestras ædes deduxit.* PY. *Hunc oculis suis nulla ex nostris ancillis unquam vidit, Phædria.* PH. *Nulla eum vidit?* PY. *An tu, obsecro, hunc esse credidisti Eunuchum, qui ad nos deductus est?* PH. *Credidi: nam nullum habui alium.* PY. *Au! hic qui-*

Guelf. 2.—5 *Paululum* Z. *Cessissem* Guelf. 2. *Pythia* Bip.—6 Ita Plautus passim. Itaque expressi ex Mss. quamplurimis et editis antiquissimis. Juntæ, Aldus, St. aliique, *ornabat.* Ms. Lips. *adornarat.* Editi quidam, *ornarat.* EP. *pararat.* West. *Ornabat*] Omnes alii libri et Do. *adornabat.* Solus Bemb. quem ut antiquissimum sequimur, *ornarat.* Bas. *adornarat.* Præterea in Bem. legitur, *factum bene*, sine *O.* Fa. Lego tamen, ut nostri plerique, *adornarat.* Bent. *Adornabat* vet. cod. *Lind.* *Ornarat* Z. *Adornarat* Perl. et sic Both. qui dat *ne* pro *non.*—7 *Factum bene*] Ms. Lips. *O factum bene.* West. *Habesne hominem amabo? Quidni habeam? Factum bene*] Sic dedit Faërnus: sed ex metri ratione legendum est, *Haben':* et, quod omnes nostri cum vett. Edd. habent, *O factum bene*, suavius est. Utrumque vidit vir eruditus. *Bent.* *O* omittit Z. *Haben'* dat Both. *Habeam* delet Bip.—8 *Nonne* Guelf. 3.—9 *Obsecro* ante 'homo' id.—11 Apud Pr. p. 960. *Nostrarum quisquam:* deest *nunquam* etiam in Scriptis. At Cledonius p. 1907. '*Nemo,*' inquit, 'fœminino genere lectum est apud Terentium; ut, Illum nemo nostrarum quisquam vidit.' Apparet, quosdam olim legisse *nemo quisquam:* at hodie Codices omnes, *nunquam quisquam.* Utrumvis probe. *Bent.* *Nost. nunq. q.*] Pr. *Nost. q.* Cledonius *Nemo nost. q.* quod æque bonum. Nostrum Mss. et edd. vett. habent. *Bip.* *Nunquam*] Par. 2. *nusq.* Al. *non.* Perl. qui monet abesse *vidit* a J.—12 *Esse* abest a plusculis Mss. *West.*—13 *Nam quem?*] Ita Gifan. in Ind. Lucret. v. Vietus. Ms. Lips. *Nam quem alium? habui neminem.* Alii, *Namque alium habui neminem.* Id. *Namque alium habui neminem*] Solus Bem. habet *namque;* omnes alii quotquot sunt, item Donatus, *nam quem:* quam et veram lectionem puto ita ut interrogative distinguatur post, *Nam quem?* et affir-

Ne comparandus hic quidem ad illum est: ille erat
Honesta facie et liberali. Ph. Ita visus est
Dudum, quia varia veste exornatus fuit:
Nunc eo tibi videtur fœdus, quia illam non habet.
Py. Tace, obsecro ; quasi vero paulum intersiet.
Ad nos deductus hodie est adolescentulus,
Quem tu vero videre velles, Phædria.
Hic est vetus, vietus, veternosus senex,

dem nullomodo illi, quem ad nos misisti, est comparandus. Ille erat eleganti forma, et facie ingenuo homine digna. Ph. *Talis vobis diu apparuit, quia veste versicolori exornatus fuit: nunc tibi videtur turpis et deformis, quia illa non indutus est.* Py. *Tace, precor, quasi paulo inter se differant. Ad nos hodie deductus est adolescentulus, visu pulcherrimus et gratissimus, quem semper spectare velles. Phædria: hic est rugosus senex, incurvus et flaccidus, veterno laborans, colore sublivido et subrufo, sicut*

mative subdatur, *alium habui neminem.* Fa. Præter Bem. etiam ex nostris veterrimus *Namque.* Recte, ut et vidit vir doctus. *Bent.* *Namque alium* Both. *Nam alium quem* Both. Perl. *Quem mitterem* Guelf. 3. *Ah* Both.—14 Defendit hanc lect. ad Flor. II. 5. 3. Dukerus. In aliis est *Nec quidem.* West. Aliqui libri, inter quos Bembinus, *Nec* habent: quod magis videtur negare. *Fa.* Male Fa. *Nec* edidit: nostri omnes *Ne.* *Ne* etiam Nonius et Pr. hic habent. Ceterum Pr. p. 1012. falsus memoria est, cum, 'An' explicans, hinc citat, *Ne conferendus hic quidem cum illo est;* sic enim ibi Scripti quoque. Sed Nonius ipso verbo, Comparare, ut nulla fraus a librariis esse possit, *Ne comparandus* habet. Vir doctus negat 'comparare' hoc sensu apud Nostrum alibi inveniri. Quid itaque illud supra? II. 3. 'Immo si scias quod donum dono, huic contra comparet.' *Bent.* Edd. quædam vitiose habent *Nec quidem.* R. D. *Nec* Z. Bip. *Conferendus* Guelf. 1.—17 *Eo* Mss. et editi quidam non agnoscunt. *West.* Non potest hic versus stare, nisi demta particula *eo,* quæ nec in Bem. est. *Fa.* *Eo tibi* Codices plerique omnes. *Eo* ejecit Faërnus, fide Bembini, atque ita citat Nonius v. Fœdus; et sic ibi codex veterrimus. Contra Servius ad Æn. III. 216. *Nunc heu videtur fœdus:* ubi legendum est *eo* pro *heu.* Sic et duo Terentii codices ex nostris vetustissimi, *Nunc eo videtur,* ejecto illo *tibi.* Placet hoc. *Bent.* qui *tibi* delet. *Eo* delent Z. Bip. et Perl. qui notat id habere Guelf. 2. Totum versum delet Both.—19 *Est* omittit Z.—20. 21 *Quem tu vero videre*] Muta verborum ordinem, ut est in o. l. s. et Donato, *Quem tu videre vero,* ut et in sequenti versu, *vietus, vetus.* Fa. Ita nostri omnes; *videre vero;* et *vietus, vetus.* Bent. *Videre vero* Z. Bip. Bent. Perl. *Videre velles vero* Both. *Vietus, vetus* Z. Bent.

NOTÆ

21 *Vietus*] Id est, languidus, sine vi. Vel inflexus, incurvus; nam viere, inquit Varro, est vincire; unde vimina.

Veternosus] Veternus, quem λήθαργον Græci dicunt, est apostema ex phlegmate, vel atra bile, natum in posteriore parte cerebri, inexpugnabilem pæne dormiendi necessitatem inducens, magnamque oblivionem.

Colore mustellino. Ph. Hem, quæ hæc est fabula?
Eo redigis me, ut, quid egerim, egomet nesciam.

mustela. Ph. *Hem! quæ hæc est fabula? Eo me redigis, ut egomet nesciam, emerimne*

Both. Perl.—22 In R. *est* desideratur. *Lind.* A Donato discimus Menandrum hic dixisse *stellionem:* Terentium vero sive errantem sive prudentem scientem dixisse *mustelam:* hanc Græce γαλῆν dici, illum γαλεώτην. Bene sit illi quidem, quod Menandreum illud nobis servavit; cujus ductu et indicio Terentianos codices a gravissimo errato jam liberabimus. Nego enim Nostrum dixisse *Colore mustelino:* nego ullum alium sic dixisse aut dicere potuisse; non magis quam 'Colore equino,' 'Colore canino.' Cur hoc? quia, ut Equo aut Cani non unus et proprius est color, ita neque Mustelæ. Mustela, testibus Gesnero et Agricola, plerumque est in dorso et lateribus rutila, raro subfulva: in gutture semper candida; quin nonnunquam tota candida reperitur, quanquam rarius. Quid igitur? si color quisquam *mustelinus* dictus est, a qua corporis parte dictus est; dorso, an gutture? Si ab hoc, candidus est, si ab illo, rutilus. Quis igitur tale nomen indiderit, tam incerti et ambigui sensus? si Ædesionem audis, sublividus color est; si Eugraphium, niger; si me audis, nullus unquam eo nomine signatus est. Aliud ergo investigemus. Menander, cum Eunuchum hunc γαλεώτην, stellionem, vocavit, id voluit, facie eum fuisse maculosa, lentiginosa; talis enim stellioni color est. Ergo, et rem ipsam et auctorem secutus, Terentius sic dederat: *Hic est vietus, vetus, veternosus, senex, Colore stellionino.* Ph. *Hem, quæ hæc est fabula?* Ceterum, quæ vir eruditus multis verbis ad hunc locum contexuit, piget excutere. In Menandro scribit γαλεώδης γέρων, hoc est, γαλεοειδής, a pisce γαλεῷ, mustela: et hoc pacto se putat Terentium ab omni errore liberare. Immo et Terentium et Menandrum ipsum errore cumulat; si eunuchum hunc pisci comparaverint: quanam obsecro similitudine? Pisce mutior esse mallem, quam talia loqui. *Bent.* Mirum, Bentleium Donati incertam correctionem, quam Terentii scripturam in contextum recipere præoptasse. *West.* Bent. erudite legit *stellionino.* R. D. Bentleius ex Menandro et Donati mente reponit *stellionino:* et Do. arguit Terentium, qui a Menandro aberrarit, γαλεώτην senem dicente; sed alii defendunt. Putamus γαλεώδης scriptum fuisse. *Bip.* Donatum sequi debuit Bent. nec committere ut in fraudem ipse illiceretur ab istis grammaticis, qui, Latina ad Græca obscura diligentia exigentes, non poëtam cupiebant Nostrum, sed verbum de verbo convertentem interpretem. Quis enim audiat illum *stellionino* reponentem, quasi color mustelarum æque incertus sit atque equorum et canum? Immo mustelæ pleræque omnes, testibus quos Anglus laudat, in dorso et lateribus rutilæ sunt, raro subfulvæ, rarius etiam totæ candidæ, et frequentissimas hic intelligi, consentaneum est. *Both.* qui dat *mustelino.*—23 Quod in antiquis quibusdam libris est, *emerim,* pervetustum videtur, et jam a Ciceronis ævo; qui haud scio, an huc respexerit, scribens Att. I. 19. 'Ille alter ita nihil est, ut plane, quid emerit, nesciat.' Sed et *emerim* legisse videtur Donatus. An locus expressus e Plauto? Vid. Epid. III. 4. 40. Prætulerim tamen *egerim.* Ms.

NOTÆ

22 *Colore mustellino*] Hic erravit Terentius: nam, cum legisset apud Menandrum: γαλεώτης γέρων, quod lentiginosum senem significat, cujusmodi fere sunt Eunuchi, ad similitudinem stellionis qui pelle est maculosa, ut Eunuchus ille erat ore sparso; stellio autem est γαλεώτης, mustela vero est γαλῆ; hæc perperam Terentius confundit.

Eho tu! emin' ego te? Do. Emisti. Py. Jube, mihi denuo
Respondeat. Ph. Roga. Py. Venistin' hodie ad nos? negat.
At ille alter venit, annos natus sedecim,
Quem secum adduxit Parmeno. Ph. Agedum, hoc mihi expedi
Primum: istam quam habes, unde habes, vestem? taces?
Monstrum hominis! non dicturus? Do. Venit Chærea.
Ph. Fraterne? Do. Ita. Ph. Quando? Do. Hodie. Ph. Quamdudum? Do. Modo.
Ph. Quicum? Do. Cum Parmenone. Ph. Norasne eum prius?
Do. Non; nec, quis esset, unquam audieram dicier.

istum, necne. Eho tu, num ego emi te? Do. *Emisti.* Py. *Impera, ut rursus mihi respondeat.* Ph. *Interroga.* Py. *Venistine hodie in domum nostram? Negat. At ille alter venit, quem deduxit secum Parmeno, natus annos sedecim.* Ph. *Agedum, Dore, hoc mihi explica primum: unde sumsisti hanc vestem, qua indutus es? taces? monstrose homo, an non dicturus es?* Do. *Venit Chærea.* Ph. *Fraterne meus?* Do. *Ita.* Ph. *Quando?* Do. *Hodie.* Ph. *Quampridem?* Do. *Modo.* Ph. *Cum quo?* Do. *Cum Parmenone.* Ph. *An fratrem meum antea cognoveras?* Do. *Minime, nec unquam ab ullo, quis esset, dici inaudiveram.* Ph. *Undenam*

Lips. et EP. *quod egerim, ego nesciam.* West. In Bem. est *rediges:* at in Do. pro *egerim,* est *emerim.* Fa. Retinuit vulgatum Faërnus. Sed recte habet tam *rediges,* quam *emerim:* scribe autem per interrogationem, et distingue, *Eo rediges me, ut, quid emerim egomet, nesciam?* Bent. *Ego* R. *Lind.* Nihil verius lectione, quam Bent. revocavit, *emerim.* R. D. *Emerim* est in Arg. 1496. Vulg. *egerim,* quod non aptum seqq. *Bip. Rediges* Bip. Both. Perl. *Emerim* Perl. *Rediges me, ut, quid egerim egomet, nesciam* Delph.—25 Hic Guy. glossema agnoscit, rescribens, *Venisti ad nos?* Mihi nihil mutandum videtur. Mitto enim de metro dicere, quod satis commodum in hoc versu invenit Antesignanus. *West.* Lege, ut tres ex nostris habent, *Venisti.* Bent. Cur ipsum Dorum non audimus negantem? Sed nil ausimus, quamvis nec metrum satis in sq. procedat. Putavimus sic rescribi posse; sed nobis non satisfacimus: Do. *Non.* Py. *Negat, &c.* Bip. *Venisti* Both.—26 Guy. τὸ *alter* expungit, magis volens Terentium metro, quam metrum Terentio alligare. Certe *ille alter* satis eleganter dicitur. *West.* Tres nostri melioribus numeris, *natus annos.* Bent. Accedit Perl. *Sexdecim* GM. —27 *Hoc nunc mihi* Ms. Lips. *West.*—28 *Unde habes istam, quam habes* Delph. —29 *Dicturu's* Z. Bent. Perl.—30 Ita citat et Pr. p. 1184. Lego, *Meus fraterne? ita.* Bent. Addit *nec quis esset, unquam audieram dicier* Guelf. 2. *Perl. Ita est* Bip. Delph.—32 Do. *Non.* Ph. *Unde igitur fratrem meum esse sciebas?* Do. *Parmeno*] Loco hujus unici versus, omnes alii, præter Bem. et Bas. binos habent, hoc modo: Do. *Non: nec quis esset, unquam audieram dicier.* | Ph. *Unde igitur fratrem meum esse sciebas?* Do. *Parmeno.* Et sane unicus ille versus est impeditus. Sed rursum non videntur hæc mihi Doro, homini minime verboso, utpote novicio, convenire. Quare, utcumque se habeat versus, lectionem vulgatam, quæ eadem antiquissima est, prætulerim.

Ph. Unde igitur fratrem meum esse sciebas? Do. Parmeno
Dicebat eum esse: is dedit mihi hanc vestem. Ph. Occidi.
Do. Meam ipse induit: post una ambo abierunt foras.
Py. Jam satis credis sobriam esse me, et nihil mentitam tibi?
Jam satis certum est, virginem vitiatam esse? Ph. Age nunc, bellua,
Credis huic quod dicit? Py. Quid isti credam? res ipsa indicat.

igitur fratrem meum Chæream esse sciebas? Do. *Parmeno eum fratrem tuum esse dicebat: Chærea hanc mihi dedit vestem.* Ph. *Perii.* Do. *Meam ipse sumsit: postea Chærea et Parmeno ædibus egressi sunt.* Py. *Jam satis, Phædria, credis me non esse temulentam, nec quicquam mendacii finxisse. Jam satis exploratum est et compertum, virginem stupro pollutam esse?* Ph. *Age nunc, stolida, credisne huic id, quod dicat? Nimirum servo, Eunucho, et fugitivo?* Py. *Cur isti non credam? Nam, etsi non crediderim, res satis ipsa declarat.* Ph.

Fa. *Nec quis esset, unquam audieram dicier*] Hæc verba Rivius adulterina pronuntiat. Credo, quia Aldina ed. non legit. At legunt aliæ antiquæ, et EP. neque adeo videntur repudianda, quod in iis est omnimoda Dori ignorantia, qualem manifestari oportebat, ne quid culpæ in ipso Doro residere crederetur. Et agnoscunt Mss. Leidd. tres, totidem Pall. sed et Tr. et Lips. Faërnus dubitanter tuetur vulgatam, scilicet quod ita verbosior videtur Dorus, quam pro novicio. Sed non pauciora verba sunt ista: 'Parmeno ... foras.' Tum Gellius xii. 6. laudat, *audivi dicier.* Tr. *Unde igitur meum esse sciebas?* West. Unus ex nostris Academicus cum Bembino consentit; ceteri omnes duos versus constituunt. Utrum ex his versus sit, hodie nescias. Nam, quod aiunt Doro, homini minime verboso, hæc non convenire; ludunt nos: cum ei, per ipsos qui verba hæc ejiciunt, verboso esse non licet. Ceterum vir doctus 'Non' extra versum posuit, hoc est, ex monosyllabo versum integrum fecit, sive clausulam. Quo tamen exemplo? Quanto facilius erat illud *igitur* cum CCC. ejecisse? *Non. Unde fratrem meum esse scibas? Parmeno.* Bent. *Sciebas* Par. 2. verbo *esse* omisso. *Perl. Nec quis ... dicier* recte omisit Bent. *Both.* qui cum Perl. Bentleium omnino sequitur, nisi quod dat *meum esse fratrem. Scibas* et Bip. quæ exhibet cum Delph. *meum fratrem esse.*—34 *Is dedit hanc mihi vestem*] *Vestem* aliqui l. s. non habent, inter quos Bembinus. Hanc vero collocationem verborum in nullo invenio, sed in plerisque eam quæ sequitur, *is dedit mihi hanc.* Fa. Unus tantum ex nostris, qui in Bibliotheca publica est, cum Bem. facit; ceteri universi, *is dedit mihi hanc vestem.* Recte, opinor. Repone, *Dicebat eum esse; is mi hunc dedit vestem. Occidi.* Bent. quem sequuntur Both. Perl. *Vestem* omittunt Z. Bip.— 36 In Ms. Lips. non est τὸ *tibi?* West. *Me sobriam esse*] Ratio versus hanc collocationem verborum, quæ est in omnibus fere l. s. et Donato, exigit, *sobriam esse me.* Fa. Sic et nostri *sobriam esse me;* nisi quod Pet. *sobriam me esse:* quod et ipsum bene habet. *Bent. Esse et nil me* Both. *Et n. m. tibi* absunt a Guelf. 3.—37 *Vit. esse virginem* Both. *Huic,* non *isti* Guelf. 3.—38 *Dicat* Z. Bent. Bip. Perl. *Quidni* pro *Quid isti* Both.—39 *Etiam nunc paulu-*

PH. Concede istuc paululum: audin'? etiamnunc paululum: sat est.
Dicdum hoc rursum: Chærea tuam vestem detraxit tibi?
DO. Factum. PH. Et ea est indutus? DO. Factum. PH. Et pro te huc deductus est? DO. Ita.
PH. Jupiter magne! o scelestum atque audacem hominem! PY. Væ mihi!
Etiamnunc non credis, indignis nos esse irrisas modis?
PH. Mirum ni tu credis, quod iste dicit: quid agam nescio.
Heus! negato rursum. Possumne ego hodie ex te exsculpere

Dore, secede huc paululum. Audisne? Nunc etiam paululum. Satis est. Responde mihi iterum. Chæreane tuam vestem detraxit tibi? DO. *Factum est ita.* PH. *Et eam induit?* DO. *Factum, inquam.* PA. *Et pro te ad Thaidem deductus est?* DO. *Etiam.* PH. *Proh maxime Deorum Jupiter! O nefarium et impudentem hominem!* PY. *Væ mihi miseræ. Quid? etiamne nunc credere non vis indignis nos esse delusas dolis?* PH. *Mirandum esset, si non tu serva servo fidem haberes. Quid agam incertus sum. An non possum hodie ex te verum exprimere? Heus tu,*

lum] Fa. et Codd. omnes *paululum*: sed versui syllaba superest. Vir doctus in textum recepit *paulum*. Hoc probe. *Bent. Paulum* Both. *Etiam* Bip. Delph.—40 *Chærean*] Et in Bem. et in aliis antiquis est *Chærea*. Fa. Nostri quoque omnes *Chærea*. Bent. *Dic dum*] *Dic tu* C. I. [i. e. cod. Jenensis, ut videtur.] *Perl. Rursus* Both. et *Chærean'*.—41 Mss. plusculi et edd. *eam est indutus?* Leid. unus, *eam est inductus?* West. *Et pro te huc deductus est*] Exagitat omnes, qui ita legunt, tanquam amentes, Palmerius. Scilicet existimat hæc in ædibus suis dixisse Phædriam; unde non fuerit dicendum, *huc*, sed *hinc*. Legit igitur, *pro te ductus est?* Verum illud de ædibus gratis dicitur. *Et ea*] Pr. p. 1185. 'Indutus vestem et veste:' accusativi exempla ex Virgilio petit; ablativi ex hoc loco, *Et ea est indutus*. Lego tamen cum nostris, uno demto, omnibus, et cum Edd. vett. *Et eam*. Bent. quem sequitur Both. qui testatur ita habere suos codd. et sic monet: 'Recte hic legitur *deductust*, i. e. deductus est, ipso versu id flagitante. Neque ego tales contractiones omnino improbo: sed rariores esse dico: scripturas autem has et similes, *meritu's, forti's*, pro, meritus es, fortis es, quas Bent. induxit, auctoritate carere censeo. *Both. Deductust* Bent. *Deductu' est* Bip. Delph. *Deductus'st* Z.—43 Cave facias cum viro erudito primam in 'indignis' brevem. In duobus nostris deest *nunc*, in uno *non*. Repone, *Etiam nunc credes indignis*. Bent. *Etiam non indignis credis nos* Both. *Esse* omittit Bip.—44 Ita dedi, secutus auctoritatem Guyeti. Nec fere 'mirum ni' dicitur, nisi sequente indicativo. EP. *Mirum si*. West. *Mirum ni tu credas quod iste dicat*] Bem. in contextu non habet pronomen *tu*, nec hic nec in sequenti versu, in quo quidem versu nec ulli alii scripti eam vocem habent, sed post 'possumne' sequitur in omnibus *ego*. Fa. Lege ex duobus nostris et uno G. Fabricii, *Mirum ni tu credis*. Ita Noster cum Indicativo semper. *Bent. Credas* Z. *Dicat* Z. Bent. Bip. *Si* pro *ni* Guelf. 2. *Quid agamus scio* RC.—45 In duobus nostris, et Edd. vett. deest *ego*. Lege tamen, *Possumne hodie ego*: et *rursus* malo, quam *rursum*. Bent. Omnino sequitur Both. *Heus tu* Bip. *Heus, negato; rursus: possumne* Perl. qui notat *tu neg.* habere Guelf. 2.—46

Verum? Vidistin' fratrem Chæream? DO. Non. PH. Non potest sine
Malo fateri, video: sequere hac: modo ait, modo negat.
Ora me. DO. Obsecro te vero, Phædria. PH. I intro nunc jam. DO. Oi, ei.
PH. Alio pacto honeste quomodo hinc abeam nescio.
Actum est, siquidem tu me hic etiam, nebulo, ludificabere.
PY. Parmenonis tam scio esse hanc technam, quam me vivere.
DOR. Sic est. PY. Inveniam pol hodie, parem ubi referam gratiam.
Sed nunc, quid faciendum censes, Dorias? DOR. De istac rogas

negato rursum: jubeo. Vidistine fratrem Chæream? DO. *Non vidi.* PH. *Non potest sine tormentis veritatem fateri. Sequere hac. Modo asseverat; modo negat. Ora me, et pœnam deprecare.* DO. *Per Deos vero tibi supplico, Phædria.* PH. *Introito.* DO. *Hoi, hei.* PH. *Alio modo, nisi per hanc fallaciam, non possum ex hac difficultate honeste evadere: etenim actum est; vitiata est virgo a fratre. Tu me hic etiam, tenebrio, ludos facies?* PY. *Hanc fraudem factam esse a Parmenone tam certo scio, quam me nunc vivere.* DOR. *Sic est.* PY. *Per Pollucem inveniam hodie rationem, qua Parmenoni vicem reddam. Sed nunc, Dorias, quid facere suades?* DOR. *De ista virgine nempe, consilium quæris?* PY. *Ita:*

In Bem. est *Vidistine*, et 'sine' sequenti versui ascribitur: quod placet mihi. *Fa.* Sic et nostri plerique. *Bent.* 'Sine' ascribunt versui 47. Bent. Both. Perl.—47 *Seq. me* Mur. ed. *Perl.* Sic Bip. Delph.—48. 49 *Alio, &c.*] Deest syllaba: forte *nunc*. Er. *I intro*] Ms. Lips. *intra*. West. *I intro. Hoi, hei*] Bem. *In intro nunc jam? Oi, ei*: quæ, ut antiquissima, ita vera est lectio et versui congruens. *In* autem, pro, isne. *Fa.* Soli Bem. debetur illud *nunc jam*; ceteri omnes abnegant. Nimirum a Correctore est, metri aliquantum perito. Nos absque illo emblemate sic locum constituimus: *Ora me. Obsecro te vero, Phædria. I intro. Eoi eï. Alio pacto honeste quomodo hinc abscedam, nescio. I intro* cum Edd. vett. nostri omnes. *Oi ei* plerique habent: unus notæ optimæ, nunc Academicus, *Eoiei*; unus ex Regiis *Eooi hei*. Pr. p. 1012. de Interjectionibus agens, 'Terentius in Eunucho, Hoi hei.' Sic edidit Putschius; sed codex veterrimus *Oi ei*. Porro in versu altero pro *abeam* repono *abscedam*; quod apprime convenit. *Bent. In' intro?* et *quomodo abierim hinc ego, nescio* Both. *I'n intro nunc jam?* Bip. *I intro. Oi, &c.* Perl. *In' intro nunc jam?* Z. *Hoi, hei* et *quomodo hinc nunc* Delph.—50 Varie hæc distinguuntur. Nulla interrogatio esse in verbis videtur. *West. Actum est, siquidem. tu, &c.*] Nil sapiunt, qui aliter interpungunt—*nescio. Actum est, siquidem tu me.* Putamus dicere voluisse *Actum est, siquidem* ... int. hic vera dixit. Sed, abrupto sermone, inclamat miserum Eun. *Bip. Actum est siquidem: tu* Bent. Z. Delph.—52 *Inveniam hodie parem ubi pol ref. gratiam*] In Bem. et omnibus fere l. s. 'pol' ante 'hodie' collocatum est: qua collocatione trochaicus, alioqui claudicans, sustentatur. *Fa.* Nostri quoque omnes *pol hodie*. Bent.—53 Ms. Lips. et EP. *faciendum suades*. Idem Pareus citat ex duobus Pall. et Paris. *West. Censes* vett.

Virgine? Py. Ita: utrum taceamne, an prædicem? Dor. Tu pol, si sapis,
Quod scis, nescis, neque de Eunucho, neque de vitio virginis:
Hac re, et te omni turba evolves, et illi gratum feceris.
Id modo dic, abisse Dorum. Py. Ita faciam. Dor. Sed videon' Chremem?
Thais jam aderit. Py. Quid ita? Dor. Quia, cum inde abeo, jam tum inceperat

utrum sileam quod factum est, an dicam? Dor. *Tu pol, si prudens es, dissimula te id scire, quasi nescieris; neque de Eunucho, neque de stupro virgini illato quicquam efferas; hoc modo te omni tumultu liberabis, et virgini gratum facies. Dic solum discessisse et evasisse Dorum Eunnchum.* Py. *Ita faciam.* Dor. *Sed hicne est Chremes quem video? Thais mox ad nos veniet.* Py. *Quid ita?* Dor. *Quia, cum inde ex domo Militis exibam, jam tum cœperat jurgium inter illos.* Py. *Aufer*

Edd. et ex nostris unus. Ceteri omnes *suades.* Utrumvis probe. *Bent. Suades* Vet. Cod. *Lind.* Sic Gu. 1. *Me rogas* Delph.—54 *Tu pol, si sapis, Quod scis, nescis*] Constans lectio. Guy. tamen expungit *Tu*, sed et *nescis* inepte et sine sensu dicit legi, substituens *nesci*, vel *ne sci.* Sensum expressit Fabrini. Locus expressus e Plauto, Mil. II. 6. 88. Possit autem *nescis* dictum videri pro, nesciveris. *West.* Omnis difficultas est in verbo *prædicem:* nam, si id deducimus a, prædico prædicas, versus non stat: si a, prædico prædicis, ut sit *prædicem* pro, prædicam, (antiqui enim 'dicem' efferebant in futuro, pro eo quod nos 'dicam') stat quidem versus, sed verbum 'prædicere' videndum est ut sensui congruat. V. qui aliqua sæpe meliora habet, quam Bem. et quam omnes alii, hic non *prædicem*, sed *prædicam* habet: quamvis deinde addito *e*, et dispuncto *a*, mutatum fuerit in *prædicem.* At Decurtatus, qui et ipse quoque ex eadem bibliotheca est, sanam et integram habet vocem *prædicam.* Sed sensum requiro in *prædicam*, vel *prædicem*, penultima producta. *Fa.* Vides, quæ vir honestus Faërnus hic contulerit: si *prædicem*, versus laborat; si *prædicam*, sententia. Quam in promtu erat suam Terentio manum reddidisse? *Ita utrum prædicemne an taceam?* Mutatur tantum ordo, et bona causa est. *Bent.* Invertit Bent. sic judicans, in consideratione consilium melius h. l. tacendi poni solere posterius. Sed hic non tam poëtæ ingenio quam suometipsius, ut sæpe alias, indulsisse videtur. *Perl. Pol*] Al. *Tu pol*, præter metrum. Quare Guy. et Heins. delent *Tu.* Bip. Bentleium sequitur Both. *Utrumne* Guelf. 2.—55 *Quod scias* Vet. Cod. *Lind.* GC. *scias* perperam. *Perl.*—56 *Hac re et omni te*] O. fere l. s. et Do. ita collocant, *et te omni:* ita stat trochaicus. *Fa.* Sic et nostri omnes. *Bent.* Turnebus malebat *evolvis*, pro, evolveris: credo quod continuo sequatur, 'feceris.' Sic Lucilius: 'Cui nil demsit nix, et sacculus abstulerit nil.' Ubi 'demsit' manifesto pro, demserit, positum. *West.* Prætulerim *evolveris.* Perl.—57 *Chremen* Bent.—58 *Jam tunc cœperat* Delph. *Cœperat* et Bip. *Cum abeo*, omisso *inde*, J. et Venetus cod.—59 Ms.

NOTÆ

56 *Et illi gratum feceris*] Virgo enim sic dolet ob injuriam sibi illatam, ut ipsamet eam celet.

58 *Jam tum inceperat Turba inter eos*] Thrasonem et Thaidem.

Turba inter eos. Py. Aufer aurum hoc: ego scibo ex hoc quid siet.

istud aurum tibi a Thaide traditum. Ego sciam ex Chremete quid factum sit.

Lips. *Tu aufer.* Quod ex antiquis laudat G. F. *West.* *Tu aufer* R. et Vet. Cod. *Lind.* *Aufer*] GC. *Tu.* Al. *Tu fer.* Perl. *Tu aufer* Both. Bip. Delph.

ACTUS IV. SCENA V.

CHREMES. PYTHIAS.

Ch. At at! data hercle verba mihi sunt: vicit vinum quod bibi:
Ac, dum accubabam, quam videbar mihi esse pulchre sobrius!
Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum officium facit.
Py. Chremes! Ch. Quis est? ehem Pythias. Vah! quanto nunc formosior
Videre mihi, quam dudum! Py. Certe tu quidem pol et multo hilarior.
Ch. Verbum hercle hoc verum est; Sine Cerere et Libero friget Venus.

Ch. *At, at, verbis Thaidis circumventus sum; vinum, quod bibi, me superavit; dum mensæ accumbebam, quam videbar mihi esse belle sobrius, et sapere! postquam de mensa surrexi, neque pes, neque mens in suo officio fuit.* Py. *Chreme.* Ch. *Quis est? Ehem Pythias. Vah quanto pulchrior mihi videris, quam pridem?* Py. *Sane, tu quidem, per Pollucem, multo lætior appares.* Ch. *Vulgare, mehercule, verum est dictum: Sine Cerere et Baccho languet Venus, torpetque. Sed an*

1 Mss. plusculi, et ET. EM. *vicit me.* West. *Attat* Bent. Both. *Atat* Z. *Bibit* Guelf. 3.—2 Libri quidam scripti et editi: *accumbebam.* West. *Ac dum*] *Ad dum:* nisi *At dum* Guelf. 3. *Perl.* qui dat *esse mihi*, et notat *accumbebam* dare GM.—4 *Quam tu nunc* Mss. quidam. *West.* Codd. plerique *Chreme.* Bent. qui id dat cum Bip. Both. Perl.—5 Mur. Donatum secutus *alacrior* legit, quod et libri quidam exhibent. *West.* Bem. *Certo*, quod antiquius videtur. *Fa.* Omnes nostri *Certe;* quod rectum est. *Bent.* *Hilarior* omnes l. s. Do. tamen *alacrior* legisse videtur. *Lind.* *Videre quamdudum? Certe quidem tu pol m. alacrior* Delph. *Et* omittunt et Bent. Bip. Both. Perl.—6 Versum hunc scriptum etiam hoc modo reperio, *Verum hercle verbum hoc est, Sine C. et Baccho f. V.* Gov. Idem liber, itemque Decurtatus, pro *est* habent *erit*, quo-

Sed Thais multo ante venit? Py. Anne abiit jam a Milite?
Ch. Jamdudum; ætatem: lites sunt inter eos factæ maxumæ.
Py. Nihil dixit tum, ut sequerere sese? Ch. Nihil, nisi abiens mihi innuit.
Py. Eho, nonne id sat erat? Ch. At nesciebam id dicere illam; nisi quia
Correxit Miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras.

multo ante tempore, quam venissem, Thais hic fuit? Py. *Anne abiit illa jam ex domo Militis?* Ch. *Jam ætas est, ex quo egressa ab illo: rixæ inter illos gravissimæ ortæ sunt.* Py. *Nonne tunc illa dixit tibi ut se sequereris?* Ch. *Nihil, nisi quod abiens mihi nutu capitis signum fecit.* Py. *Eho, nonne id sufficiebat?* Ch. *At nesciebam illam mihi nutu significare, ut ipsam sequerer; sed id quod minus intellexi, id apertius significavit Miles, cum me violenter exturbavit foras*

modo et prius habebat Vi. ut adhuc litura demonstrat. Hoc autem verbo 'erit,' antiqui etiam præsentia et præterita asseverabant. *Fa.* Nostri omnes *est,* ut And. II. 5. 15. 'Verum illud verbum est.' Si *est* placet, pro *sine* lege *absque.* Poteris etiam *erat.* Sed *erit* non est solicitandum. *Bent.* Bent. bene edidit *erit.* R. D. Id. dant Bip. Both. Perl.—7 *An* G. ET. EM. *West.* Particula *ne* non est in Bembino. In alio quoque libro vetusto deletam eam inveni: et certe non est necessaria. *Fa. Anne* scripti plerique. 'Abiit' hic disyllabon est. Porro lege, *multo me antevenit.* Bent. *Anne* Vet. Cod. *Lind. An* Z. Bip. Both. *Me antevertit* Both.—8 Ita colloca hæc verba ex o. l. s. *factæ sunt inter eos.* Fa. Sic vett. Edd. et major nostrorum pars. *Bent.* Et sic dant Bent. Bip. Both. Perl. Delph. Ceterum dat Both. *J. ætatem.* Py. *Eho!* Ch. *Lites, &c.* et monet: 'Illud *Eho* habetur in B, nec spernendum videbatur.'—9 M. *Nihil dixit tunc.* Revocavi autem *tum* ex quibusdam Mss. et editis antiquissimis et præstantissimis, sed et Donato. Impressi recentiores omittunt. Ms. Lips. *ut tu sequerere.* West. Aliqui libri et Do. non habent *tum;* et, pro ea dictione, in Bem. est *tu:* mihi utrumque et *tu* et *tum* otiosum videtur. *Fa.* Immo illud *tu* suam hic emphasin habet, et a Fa. perperam ejectum est. Duo ex nostris veterrimi *tu;* ceteri *tum.* Bent. *Nil dixit, tu ut*] Al. male *dixit tum, ut.* Al. omittunt *tu,* quod rescribimus, Bembino nixi, cum Bent. et Ms. Lips. *ut tu seq.* Bip. Sic et Both. *N. d. ut seq.* Z.—10 *Nescibam* Bent. Bip. Both. Perl.—11 *Corr. me M.* Mss. quidam et editi. *Me excussit* EM. *West.* Post 'minus' interrogat Bip. *Ego int.*

NOTÆ

6 *Sine Cerere et Libero friget Venus*] Ceres est Dea frugum, et Bacchus vini: eleganter Terentius Cererem pro cibo, Bacchum pro vino dixit per metonymiam; inventorem pro invento. Voluptas in calore sanguinis constituta est, qui his rebus alitur. Horatius: 'Non enim posthac alia calebo Fœmina.' Frigent in uxores mariti, qui non admodum amant.

Sed eccam ipsam: miror ubi ego huic antevorterim.

ædibus. Sed ecce ipsam. Miror in qua parte viæ eam antecesserim.

Guelf. 2.—12 *Ips. video* Ms. Lips. EP. ET. EV. 1. *West. Ips. video* R. *Ego hinc* Vet. Cod. *Lind.* Ms. Paris. ap. Par. *hinc. Video* post 'ips.' Guelf. 3. *Perl. Ips. video* et *huic ego* Delph.

ACTUS IV. SCENA VI.

THAIS. CHREMES. PYTHIAS.

Th. Credo equidem illum jam affuturum esse, ut illam a me eripiat. Sine veniat!
Atqui, si illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur.
Usque adeo ego illius ferre possum ineptias et magnifica verba,
Verba dum sint: verum enim, si ad rem conferentur, vapulabit.
Ch. Thais, ego jamdudum hic adsum. Th. O mi Chreme, te ipsum expectabam.

Th. *Puto certe illum Thrasonem mox adventurum, ut illam Pamphilam a me rapiat. Sine veniat: atqui, si illam summo attigerit digito, statim ei oculi eruentur. Adhuc usque tolerare possum illius ineptias et gloriosa verba, dummodo tantum sint verba: nam, si in rem deducantur, et, quæ ille dicit, opere exequi conetur, plagis cædetur.* Ch. *Thais, jam pridem huc adveni.* Th. *O mi Chreme, te*

1 *Sine veniat*] Hæc absunt a Ms. Lips. *West. Credo equidem illum jam affuturum ut illam a me eripiat: sine*] Hunc versum ita in aliquibus l. s. ordinatum invenio, ut comprendat etiam verbum *veniat,* quod in impressis sequenti versui attribuitur. Ceterum quod sequitur, *qui si illam,* ita solus Bem. habet: alii omnes, aut *atqui,* ut et Donatus, aut *atque. Ineptiam* vs. 3. est in Bem. et fuisse in Vi. et Decurtato ex rasura ultimæ literæ apparet. *Fa.* Dele *esse* cum vett. Edd. *Bent. Jam*] C. J. [i. e. Cod. Jen. ut putamus,] *dudum.* Perl. *Esse* delent Both. Perl. *Esse, illam ut eripiat* Delph. *Sine ut* Guelf. 2.—2 Sic lego, *attigerit, oculi illi illico eff.* Bent. *Si illanc uno dig. attigerit, oculi ei illico* Both. *Atque* Bip.—3 Ejice illud *ego;* quod a Donato abest in Edd. vett. *Bent.* Dat Both. *U. a. illius f. ego.*—4 Do. et Mstus et in Edd. vett. *verum si.* Certe *enim* frustra versum gravat. *Bent.*—5 Ms. Lips. *hic sum.* Mss. Bœcleri, cum M. et Lips. *expecto.* Ita et editiones omnium antiquissimæ, et Antesignani. *West.* Vereor ut ex ullo cod. *expecta-*

Scin' tu turbam hanc propter te esse factam? et adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? CH. Ad me? qui? quasi istuc! TH. Quia, dum tibi sororem studeo
Reddere et restituere, hæc atque hujusmodi sum multa passa.
CH. Ubi ea est? TH. Domi apud me. CH. Hem! TH. Quid est?
Educta ita, uti teque illaque dignum est. CH. Quid ais? TH. Id quod res est.
Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quicquam abs te pretii.
CH. Et habetur, et refertur, Thais, a me, ita uti merita es, gratia.

ipsum expecto: scisne tui causa hoc jurgium et contentionem excitatam esse, adeo ut hæc omnis res ad te pertineat? CH. *Ad me? quomodo? quasi istud commoverim!* TH. *Quia, dum sororem tuam (Pamphilam) conor tibi reddere et restituere, hæc a Milite atque alia multa perpeti coacta sum.* CH. *Ubi ea est?* TH. *Domi meæ est.* CH. *Hem (quam timeo!)* TH. *Quid est? timesne ejus pudicitiæ? Educata est, et instituta liberaliter, ut et te et illa dignum est.* CH. *Quid ais? verumne dicis?* TH. *Dico id, quod res est. Hanc tibi dono do, nec pro ea ullas impensas mihi a te reddi posco!* CH. *Hæc gratia tibi habetur, et in animo accepta fertur,*

bam Faërnus protulerit; nostri universi *expecto.* Unde liquido legendum, *O mi Chreme, te ipsum expeto.* Si tamen malit quis Tetrametrum plenum; præsto erit ei forma verbi vetusta, *O mi Chreme, te ipsum expetesso. Expecto* R. *Lind.* Nostri omnes codd. *expecto,* i. e. *expeto,* ut Bent. reposuit. *Both.* qui dat *expeto. Expecto* Guelf. 1. 2. 3. *Chremes* Bent. Z.—7 EP. *quasi ego istuc.* Acidalius legit, *qui quæso istuc?* eleganter. *West. Qui? quasi istuc*] Quocumque te vertas, nihil hinc exsculpes, auctore dignum. Repono, *qui quæso istuc?* Sic plane Codex Regius Chartaceus, de optimo quodam transcriptus; et a m. sec. Academicus. Sua sit igitur laus viro docto, qui ex conjectura hoc idem invenit. *Bent.* Recte Bent. legit *qui quæso istuc.* R. D. Vulg. *qui? quasi* parum aptum h. l. *Bip. Qui quæso* dant Bip. Both. Perl. Pro *studeo* al. legi *cupio* notat Perl.—8 *Ac* pro *et* Bent. Bip. Both.—9 *Ehem* Bip. Delph. —11 *Abs te quicquam* Delph.—12 Assentior Guyeto, legenti *referetur,* quod teste Antesignano primus ita legit Linacer. Et sane sensus ita postulat. Neque enim verbis refertur gratia, sed re ipsa. Unde et Heinsius ita recensuit. Et est in Leidd. quatuor, et Lips. Editiones Aldinæ variant. Illa vero, *a me,* absunt a quibusdam Mss. *West. Et habetur et refertur a me, Thais, tibi, ita ut merita es, gratia*] *Referetur* legendum est ex Bem. et aliis antiquis libris, et ex sensu. Duæ vero hæ dictiones, *a me,* nec in Bem. aut Vi. sunt, nec apud Donatum, aut Priscianum hunc locum citantem libro XVIII. Præterea *tibi* in nullo alio libro, præterquam Bembino, fere invenias. Unus id habet superscriptum in glossematis modum; et sane sine eo stat sermo, et pulchre intelligitur. *Fa. Et habetur et referetur, Thais, ita uti merita es, gratia*] Recte hunc versum constituit Faërnus. *Tibi* pauci qui habent codices in sede in-

TH. At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme:
Nam hæc ea 'st, quam Miles a me vi nunc ereptum venit.
Abi tu, cistellam, Pythias, domo effer cum monumentis.
CH. Viden' tu illum, Thais? PY. Ubi sita 'st? TH. In risco. Odiosa, cessas?
CH. Militem secum ad te quantas copias adducere?
Atat. TH. Num formidolosus, obsecro, es, mi homo? CH. Apage sis:
Egon' formidolosus? nemo 'st hominum, qui vivat, minus.
TH. Atque ita opus est. CH. Hau! metuo, qualem tu me esse hominem existumes.
TH. Immo hoc cogitato; quicum res tibi est, peregrinus est;

si verbis tibi referri nequit, ut merita es. TH. *Verum enim cave ne prius hanc amittas, quam tibi a me tradi possit; nam hæc ea est, quam Miles a me erepturus venit. Abi tu, Pythia, et arcam e domo nostra profer huc cum insignibus et ornamentis, ex quibus agnosci possit; quæque in ea asservantur.* CH. *Videsne Militem, Thais?* PY. *Ubi posita est hæc arca?* TH. *In risco. Molesta, quid moraris?* CH. *Quantum exercitum huc agit? At, at.* TH. *Formidolosusne es?* CH. *Egone formidolosus sim? Nemo est omnium hominum qui vivat minus formidolosus.* TH. *Atque ita nunc opus est ne sis talis.* CH. *Hau! vereor ut me talem esse, qualis sum, putes.* TH. *Immo hoc animo reputa; ille, cum quo tibi decertandum est,*

certa locant, *tibi, Thais, Et tibi habetur.* Ergo frustra vir eruditus, *tibi uti,* pro *ita uti.* Bent. *Referetur* GM. *Perl. Referetur* Bip. Both. *A me* delent Bip. Both. Perl. 'Gratia' collocat Delph. in versu seq. ut et 'Chreme' in vs. 14.—14 *Namque* Both. *Venit ereptum* Delph.—15 *Affer* M. *West.*—17 Alias *Militum.* Er. *Ad te*] Ms. Lips. *atquę.* West. Sic Guelf. 1.—18 *Num.* Sic Fa. pro *Non* vulg. *Perl. Attat* Bent. Both. *At at* Bip. Perl. —19 M. *omnium.* Ms. Lips. *nemo homo.* Pro illis autem, *qui vivat, minus,* Mss. quidam habent cum ET. EM. *qui metuat minus.* West. *Ego*] O. l. s. *Egon;* sequentis vero dictionis *formidolosus* antepenultimam Bem. et aliqui alii antiqui libri per *u,* non per *o,* habent. *Fa.* Omnes nostri, uno excepto, *Egon.* Bent. *Ego* Z.—20 Omnes fere l. s. inter quos Bembinus, non *Hau,* sed *Ah* habent; quod magis placet. *Fa.* Nostri omnes *Au* vel *Hau.* Bent. qui *Ah* dat cum Bip. et Both. *Esse* omittit Z.—21 *Cogito* Guelf.

NOTÆ

15 *Cistellam*] Scriniolum, arcam, in qua erant ornamenta virginis, quibus agnosceretur a suis; nempe forte armillæ, crepundia. Ea Thais jubet efferri domo, ut ostendantur Chremeti, atque ita sororem possit agnoscere.

16 *In risco*] Riscus cista est pelle contecta; nomen Phrygium est.

Minus potens quam tu; minus notus, minus amicorum hic habens.
CH. Scio istuc. Sed, tu quod cavere possis, stultum admittere 'st.
Malo ego, nos prospicere, quam hunc ulcisci, accepta injuria.
Tu abi, atque obsera ostium intus, ego dum hinc transcurro ad forum.
Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac. TH. Mane.
CH. Melius est. TH. Mane. CH. Omitte: jam adero. TH. Nihil opus est istis, Chreme:
Hoc modo dic, sororem illam tuam esse, et te parvam virginem
Amisisse; nunc cognosse: signa ostende. PY. Adsunt. TH. Cape.
Si vim faciet, in jus ducito hominem: intellextin'? CH. Probe.

adrena est, minus potens, quam tu; minus notus, et minus amicorum habens in his locis. CH. *Hoc sat scio; sed imprudentis est damnum pati et recipere, quod evitare et arcere possis. Malo ego nos cavere ab illo Milite, quam post acceptam injuriam vindictam adversus eum persequi. Tu abi domum intro, et sera fores claude, dum ego hinc ad forum transcurro; volo huc adducere advocatos, defensores nobis in hoc tumultu.* TH. *Mane.* CH. *Melius est ut advocatos adducam.* TH. *Mane.* CH. *Desine me detinere, mox rediero.* TH. *Nihil opus est istis auxiliis, Chreme: dic modo illam tuam sororem esse, et te illam parvulam amisisse, nunc cognovisse: signa hac, quibus probes ita esse, ostende.* PY. *Adsunt hæc monumenta.* TH. *Cape ea, Chreme. Si vim faciet Miles, in jus voca, aut trahe.*

2.—22 *Amicorum hic habens minus*] Ea quæ in libris omnibus est collocatio vehementiorem videtur reddere orationem: *minus amicorum hic habens:* quod ex toto versu melius videri potest. *Fa.* Eodem ordine nostri omnes. *Bent.*—23 *Scio ego istuc* G. ET. EM. *West.* *Ego* GM. bene, ut sit ex adverso 'tu,' quod sequitur. *Perl.* *Cavere tu quod* Both.—25 *Ostium obsera.* Collocatio in Bem. et aliquibus aliis, et Donato hæc est: *Obsera ostium.* In omnibus vero quotquot sunt, itemque Donato, *dum ego hinc.* Fa. Nostri quoque *dum ego hinc.* Recte. *Bent.* *Abi*] In GC. script. *ibi*, vitiose videtur pro *abi.* Perl. *Ost. obsera* Bip. *Dum ego hinc* Z. Bip. Both. Perl. *Abi tu* Delph.—26 Illa, *Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac*, absunt a Mss. Lips. et Pal. et EP. In aliis est, *advocatos in turba.* TH. *Mane, mane.* Westerhovius. *Advocatos nobis.* TH. *Mane, mane.* Lind. *Hic adesse* Br. qui geminat τὸ *Mane.*—27 *Mitte* Both.—28 *Hoc dic modo*] O. l. s. et Do. *Hoc modo dic.* Fa. Nostri quoque *Hoc modo dic:* et præterea, *sororem esse illam tuam,* magno consensu. Recte. *Bent.* *Esse illam tuam* Br. Both. Perl. *Et* omittit Both.—29 *Amisisse. Nunc cognosse, signa, ostende* Br.—30 *Vim si* Both.—31

TH. Fac animo hæc præsenti dicas. CH. Faciam. TH. Attolle pallium.
Perii! huic ipsi est opus patrono, quem defensorem paro.

Intellexistine? CH. *Omnino.* TH. *Audacter et animose hæc pronuntia.* CH. *Faciam.* TH. *Attolle pallium humeris delapsum. Perii. Huic Chremeti opus est patrono, quem mihi defensorem paro.*

Ut præsenti quidam libb. cum Do. *West.* Omnes nostri: *ut præsenti.* Lege cum Edd. vett. *præsenti ut dicas.* Bent. *Attolle*] *Tolle* unus e Pall. *Perl.* qui notat *ut* abesse a Guelf. 3. *Ut pr.* Br. Z. *Pr. ut* Bip. Both. Perl.—32 *Patrono opus est* Both. *Opus patrono est* Delph. *Opus est patrono* Br.

ACTUS IV. SCENA VII.

THRASO. GNATHO. SANGA. CHREMES. THAIS.

THR. HANCCINE ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho?
Mori me satius est. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini.
Primum ædeis expugnabo. GN. Recte. THR. Virginem eripiam. GN. Probe.
THR. Male mulcabo ipsam. GN. Pulchre. THR. In medium huc agmen cum vecti, Donax;

THR. *Numquid indecorum est, Gnatho, tam atrocem injuriam mihi factam impune pati? Mori me fortiter potius est. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini. Primum ædes vi capiam.* GN. *Egregie.* THR. *Virginem eripiam.* GN. *Recte.* THR. *Ipsam Thaidem acerbe puniam.* GN. *Belle.* THR. *In medium huc agmen*

1 *Ut* abest a quibusd. libb. *West.*—2 *Seq. me* Mss. quidam et editi. *Id.* R. et vett. libb. *Dorax:* ut et in scriptis exemplaribus Pr. VII. p. 766. *Lind.* *Seq. me* Guelf. 1. 2. *Es* pro *est* Br. ut et *Dorax.*—3 *Recte facies* Guelf. 3.—4 *Dorax* G. ET. EM. Ita et supra vs. 2. *West.* Recte a Bent. est editum

NOTÆ

4 *In medium huc agmen cum vecti*] Primum agmen, seu, ut nunc appellant, prima custodia, *l'avant-garde;* medium agmen, *la bataille;* postremum agmen, *l'arrière garde.* Vectis est lignum teres et oblongum; præ-

Tu, Simalio, in sinistrum cornu; tu, Syrisce, in dexterum.
Cedo alios: ubi centurio est Sanga, et manipulus furum? SA. Eccum adest.
THR. Quid, ignave? peniculon' pugnare, qui istuc huc portes, cogitas?

accede cum vecti, Donax. Tu, Simalio, in sinistrum cornu; tu, Syrisce, in dexterum. Alii procedant. Ubi est centurio Sanga, et manipulus servorum culinariorum? SA. *Ecce eum, adest.* THR. *Quid iners? An tu peniculo, quem portas,*

mulcabo. Zeun. *Mulcabo*] Hoc verbum sæpe confunditur cum *mulctabo.* R. D. *Mulcabo*] Al. male edunt *multabo.* Bip. *Mulctabo* Delph. Z. *Dorax* Guelf. 1. 2. Br.—5 Ms. Lips. *sinistro.* Et *dextero.* West. *Dextrum* Br.—6 *Ubi centurio Sanga* M. GN. *Sanga eccum adest* [Br. et] Ms. Lips. *West.* *Sanga eccum adest* Guelf. 2.—7 Nullus ex nostris, *illuc huc.* Plerique *istunc huc.* Pet. *istum huc.* Recte, quod et vir doctus vidit. *Bent.* *Istum* Both. Perl. *Istunc*

NOTÆ

terea est instrumentum ferreum et militare, quo perfodiuntur parietes.

5 *Simalio*] Jucundum est intelligere nomina strenuorum militum Thrasonis. Simalio, quod simus esset; Donax, *δόναξ*, arundo, qui arundine pro hasta utebatur; Syriscus, a *σύρισκος*, quod Syrus esset origine, vel a syrisco, vase vimineo, in quo ficus solent asservari.

In sinistrum cornu] Cornua erant latera aciei, ita dicta quod prominerent; in quibus stabant equites, qui utrimque claudebant latera aciei pedestris; quapropter turmæ equitum, alæ dicuntur; *des compagnies de cavalerie.*

6 *Ubi centurio est Sanga*] Centurio est centum militum præfectus. Unde et centuria quoque dicitur, cujus tamen numerus postea variavit: nam legio apud Romanos antiquitus quatuor millium erat; unde quadratum agmen dicebatur. Postea duo millia et ducentos adjecit Marius, ut constaret sex millibus et ducentis militibus. In legione erant sexaginta centuriæ, manipuli triginta, cohortes decem.

Manipulus furum] Manipulus est fasciculus herbarum qui manu comprehenditur, quod signum in militia fuit priscis Romanis. Ovidius: 'Pertica suspensos portabat longa maniplos: Unde maniplaris nomina miles habet.' Inde ponitur pro exigua militum manu, quæ unum sequitur signum. Fures hic dicuntur servi, et fures nonnunquam pro servis accipi scripsit Servius ad illud carmen Virgilii: 'Quid domini facient, audent cum talia fures?' Sæpissime tamen fures apud Comicos intelliguntur servi culinarii. Forte fossores intelligit, et cuniculos agentes ad evertenda mœnia et arces, *pionniers.* Sangam, quia coquus erat, Thraso vocat centurionem, tanquam aliis honoratiorem. Sangam dictum quidam volunt a Sangia vico, vel Sangario flumine Phrygiæ; nam Phryges serviles sunt. Forte a Græco *σάγαρις.* Quod securis quoddam genus est.

SA. Egon'? Imperatoris virtutem noveram, et vim militum;
Sine sanguine hoc fieri non posse; qui abstergerem vulnera?
THR. Ubi alii? SA. Qui, malum, alii? solus Sannio servat domi.
THR. Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo.

pugnare cogitas? SA. *Egone peniculum in bello non ferrem, quo vulnera abstergerem? cum Imperatoris fortitudinem notam haberem, et robur militum, nec sine sanguinis effusione hanc obsidionem fieri posse.* THR. *Ubi alii sunt?* SA. *Quinam, malum, sunt isti alii? Solus Sannio abest, qui custodit res quæ sunt domi.* THR. *Tu hosce ordina. Hic ego stabo in media acie post principes milites. Ex isto loco omnibus signum dabo ineundi certaminis.* GN. *Istud est peritum et pru-*

Bip. *Quid ignave. peniculon. Pugnare quis istunc* Br.—9 Quidam Codd. cum interrogationis signo hæc exprimunt, quos secutus sum. *West.* Nostri omnes cum Edd. vett. et Pr. p. 870. longe numerosius, *non posse fieri.* Bent. Sic Br. Perl. *S. s. hocne posse fieri? qui a. vulnera* Both.—10 Ms. M. Lips. et G. cum editis quibusdam, *domum.* Gruterus, Inscript. pag. 769. 'Domum servavit.' Quanquam id potius notat, domum prole auxit. Apul. Metam. VI. 'Ante ipsum limen et atra atria Proserpinæ semper excubans, servat vacuam Ditis domum.' Dixit autem *domi*, uti Plautus Amph. I. 1. 196. Mostell. II. 2. 21. Ovid. Met. I. 625. Perperam existimat Bœcl. Donatum legisse, *domum.* West. *Domi* Bent. edidit: recte. *Zeun.* J. *Quid.* GM. *domum.* Perl. *Domum* Z.—11 *Instrue hic, ego* EP. *West.* Dele *hic*

NOTÆ

10 *Qui, malum, alii*] 'Malum' vicem interjectionis irascentis sustinet.

11 *Hic ero post principia*] Id est, post Principes in acie. Milites in militia Romana Principes dicebantur secundæ aciei milites, armis maxime insignes: ita enim acies apud Romanos instruebatur, ut primi hostes aggrederentur manipuli Hastatorum, ex flore juvenum pubescentium collecti: qui si hostem propulsare non possent, a Principibus, qui omnes scutati erant, in intervalla ordinum recipiebantur. Moxque hi, nempe Principes, in eorum, nempe Hastatorum, locum succedebant. Hastati autem post eos subsequebantur. Si a Principibus quoque non satis feliciter esset pugnatum, a prima acie ad Triarios paulatim se referebant; unoque agmine facto, nullaque spe post se relicta, una omnes in hostem procedebant. Principia est locus in acie Principum militum. Inde, post principia esse, significat, in tuto esse, ubi noster Thraso se collocaverat. Principia etiam est locus in castris, ubi habitat Dux et Imperator. Hæc ex Livio sub finem octavi libri primæ Decadis. Ceterum Homerus Iliados V. laudat Diomedem, quod inter Principes prima acie pugnaret; sicut Homerum imitatus Virgilius similiter Æneam de fortitudine laudans ait: 'Se quoque Principibus permixtum agnovit Achivis.'

GN. Illuc est sapere! ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco.
THR. Idem hoc jam Pyrrhus factitavit. CH. Viden' tu, Thais, quam hic rem agit?
Nimirum consilium illud rectum est de occludendis ædibus.
THA. Sane, quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est.
Ne metuas. CH. Quid videtur? THA. Fundam tibi nunc nimis vellem dari,
Ut tu illos procul hinc ex occulto cæderes: facerent fugam.
THR. Sed eccam Thaidem ipsam video. GN. Quam mox irruimus? THR. Mane.

dentem esse. Quam recte milites disposuit! quam prospexit sibi tuto in loco! THR. *Hoc idem Pyrrhus observavit, hunc ordinem tenuit.* CH. *Videsne tu, Thais, quid agat Thraso, ut nos oppugnet? Certe prudens consilium est, nos intra domum recipere, et fores occludere.* TH. *Sane hic vanus nugator est; nec est causa cur tibi fortis Imperator nunc esse videatur.* THR. *Quid censes faciendum, Gnatho?* GN. *Fundam nunc vellem tibi in manus dari, ut tu illos obsessos ferires clandestino et latenter; in fugam se darent.* THR. *Sed ecce Thaidem ipsam video.* GN. *Quin*

cum Pet. *Bent.* Delet Both. *Instrue hic: ego vero post* Br.—12 G. *i. s. c. locum;* et supra scriptum *cautus elegit.* West. *Ipse* Br. Both. *Locum* Guelf. 1.—13 *Idem hocce*] Bem. Bas. ac Do. *Idem hoc jam;* alii scripti alia quidem collocatione, omnes tamen *jam* habent. *Fa. Hoc jam* etiam nostri. Vir doctus malit *Idem hoc etiam Pyrrhus:* poterat meliore numero, *et Pyrrhus.* Ceterum omittunt hinc plerique scripti nomen Thrasonis; ut totum hoc Gnathonis sit; qui mirus artifex, palam hæc eloquendo, et irrideat simul et aduletur. Sed aliter Donatus ad v. 8. 3. *Bent.* Temere Dac. vult legi *factitat.* Zeun. Plerique Mss. omittunt nomen Thrasonis. Sed conveniunt bene in magnifice ineptum. *Bip. Item P. hoc jam* Both.—15 Sunt libri, in quibus est, *Sane, qui tibi nunc vir videtur esse, hic nebulo magnus est.* Idem jam Riv. observavit. *West.* Repone ex vett. Edd. et Donato etiam Msto, et sex nostris codicibus, *Sane qui tibi nunc vir videtur esse, hic nebulo magnus est.* Hic omnia clara sunt et perspicua: lectio altera tenebras frustra offundit. *Bent.* Vulg. lect. obscura et inepta; sed clara et perspicua quam e Mss. revocavit Bent. *R. D.* Bent. sequuntur Bip. Both. et Perl. qui monet *videtur tibi* esse in Guelf. 2. *Esse, hic nebulo* Z.—16 *Ne m.* THR. *Q. videtur?* GN. *Fundam, &c.* Br. et nostræ omnes Edd. præterquam Westerhovii, qui notat verba, 'Fundam,' &c. etiam Donati ætate a nonnullis credita esse Thaidis ad Chremetem, et suam vindicat lect. *Nunc tibi fundam* Both.—17 *Ut illos* Tr. *West. Ut proc. hinc ex occulto* Both.—18

NOTÆ

13 *Pyrrhus factitavit*] Se post principia posuit. Pyrrhus, Epirotarum Rex. Pyrrho Hannibal inter Imperatores, cum primas Alexandro Magno dedisset, secundas tribuit, quod castra metari primus docuerit, id est, describere et locare; *camper:* ad hoc nemo elegantius loca ceperit, præsidia disposuerit; *choisir bien les lieux: se fortifier.*

Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.
Qui scis, an, quæ jubeam, sine vi faciat? GN. Di vostram fidem!
Quanti est sapere! nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.
THR. Thais, primum hoc mihi responde; cum tibi do istam virginem,
Dixtin' hos mihi dies soli dare te? THA. Quid tum postea?
THR. Rogitas? quæ mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum!

mox impetum facimus? THR. *Mane; omnia prius consilii prudentia, quam vi armorum, tentare sapientem convenit. Fortasse quæ jubebo, nulla vi adhibita, factura est.* GN. *Dii vostram fidem! quanti æstimandus est ille, qui sapit! nunquam ad te accedo, quin doctior recedam.* THR. *Thais, primum hoc mihi responde; cum tibi darem istam virginem, nonne mihi promisisti hos dies soli mihi te concessuram?* TH. *Quid tum postea?* THR. *Istudne rogas, quæ mihi coram ante oculos*

Festus *In quam.* Pall. tres *irruamus.* Ceterum magis placet exclamandi nota Parei, quam interrogandi aliorum. *Perl.* Punctum maximum dat Bip. *Irruemus* Guelf. 2.—19 Næ, parum consuluit huic loco Guyetus, glossema vocans τὸ *sapientem*, quo tota gloriatio continetur. E Dionys. citat Lindenbruchius: Μὴ πρότερον ἄρξαι τῶν ἔργων, πρὶν ἢ πειρασθῆναι τῶν λόγων. Qui locus favet lectioni quorundam Librorum, *experiri verbis* legentium, ob octonarium. In aliis est, *consilio*, quod et apud Nonium legas. Prius defendit Muretus, improbante Rivio: laudans hæc e Libanio: Πρῶτον μὲν γὰρ τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιπηδᾷν, ἀνθρωπινώτερον δήπουθεν. Unde suspicabatur, Aldum [quem sequitur Heinsius] hausisse suum *verbis.* West. *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet*] Nonius bis 'armis' v. Manere et v. Experiri: et sic utroque loco codex noster vetus. Do. habeat sibi suas Figuras, quibus nihil hic opus. Quid enim promtius, quam magno et sententiæ et versus commodo id ipsum, quod Magister postulat, reponere? *Omnia prius experiri, quam arma, sapientem decet.* Sane codex egregius 900. annorum, nunc in Bibliotheca publica, *armas sapientem:* postea per *a* literam *i* trajecta est: *s* adhæsit ex sequente. *Bent. Omnia prorsus* Vet. Cod. *Lind.* Dura est ellipsis. Placet quod Bent. reponit. *R. D.* GC. *consilio*, haud dubie ex Nonio sumtum. *Perl.* Nos putamus conciliari lenissime pacem, sic legendo: *O. p. exp. quam armis, sapientia, decet.* Bip. *Arma* Both. Perl.—20 *Sine vi, quæ jubeam* Both.—21 Mureto placebat, *accedo ad te:* quomodo est in quibusdam codd. *West.* Symm. IX. 79. 'Quod ait noster comicus, Nunquam te adeo, quin abs te doctior abeam, id ego de epistolis tuis,' &c. *Lind.*—23. 24 *Quo mihi ante oculos* G. *West. Mihi hos*] Ex Bem. ita facta collocatione verborum, *hos mihi*, item ex eo libro et omnibus aliis, ac Donato, *coram amatorem*, ita hos versus ordinamus: *Dixtin hos mihi dies soli dare te?* TH. *Quid tum postea?* | THR. *Rogitas? quæ mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum?* Fa. Atqui omnes nostri cum Edd. vett. *hos dies mihi soli.* Lego, *hosce mihi dies soli dare te.* Bent. *Distin* Ms. Par. pro, Dixistine. *Perl.* qui sequitur Bent. *Hos dare mihi dies te soli* Both.

THA. Quid cum illo agas? THR. Et cum eo clam te subduxti mihi?
THA. Lubuit. THR. Pamphilam ergo huc redde, nisi vi mavis eripi.
CH. Tibi illam reddat? aut tu illam tangas? omnium! GN. Ah, quid agis? tace.
THR. Quid tu tibi vis? ego non tangam meam? CH. Tuam autem? Furcifer!
GN. Cave sis; nescis, cui nunc maledicas viro. CH. Non tu hinc abis?

amatorem apposuisti tuum? TH. *An tibi dignus videtur ille, quicum loquaris?* THR. *Et cum eo furtim a me discessisti?* TH. *Ita lubuit.* THR. *Pamphilam huc igitur adduc, et redde, nisi vis eam tibi per vim eripi.* CH. *Tibi illam reddat? aut tu eam attingas, omnium scelestissime?* GN. *Ah quid ais? tace.* THR. *Quid tu tibi vis, cum tua nihil intersit, Gnatho? Ergone meam tangere quis prohibeat?* CH. *Tuam autem ais esse, furcifer?* GN. *Vide, sis, ignoras cui viro nunc convicium dicis.* CH. *Non tu hinc abis, impure? scisne, o Miles! ut tecum agatur?*

‘Rogitas’ collocant Delph. Bip. in vs. 23.—25 Joh. Clericus, Art. Crit. III. I. 9. 13. *Quin* legit, sed præter fidem Codicum. Integer hic versus Guyeto supposititius videtur. Immerito. *West.* *Quid cum illo agas? Et cum eo clam subduxti te m.* Hunc ordinem verborum habent omnes fere l. s. et Donatus. Ceterum in aliquibus et quidem antiquis exemplaribus est *cum illoc.* Ita melius constat trochaicus. *Fa.* Etiam ex nostris bene multi *Quid cum illoc agas?* non *illo.* Sed mirum est omnes codices hoc Thaidi tribuere; cum hi duo versus Thrasonis ambo sint. *Bent.* *Quid cum, &c.*] Hæc verba Thrasonis sunt, non Thaidis. *R.D.* *Quid tu* Guelf. 1. *Agis* 2. *Perl.* *Quid? cum illoc agas?*] Vulg. *Quid cum illoc agas?* Confusum s. nullum sensum verum gignit. Unde et Arg. 1496. legebat *Quid c. i. agis?* Al. ista verba etiam Thrasoni tribuunt, sed præter codd. et sensum. Clericus volebat *Quin;* sed et sic oporteat *agis.* Bip. *Illoc* Br. Both. et Perl. qui totum vs. dat Thrasoni. *Subduxisti te mihi* Delph.—26 Mss. plusculi *nisi si vi.* Ita et EP. *West.* Meliores codices habent, *nisi si vi:* quorum alterum cum supervacuum sit, ejecerunt *si:* ego vero *vi* ejicio. *Bent.* *Libuit* Br. Delph. *Nisi si vi* Br. *Nisi si* Both. Bip.—27 *Aut tu eam*] Omnes fere libri et in iis antiquissimi, et Donatus, *aut tu illam.* Fa. Inter istos, opinor, libros Bembinus erat; idcirco ei nimium addictus Faërnus *tu illam* admisit, etiam cum versus dispendio. Ex tot nostris codicibus unus tantum *illam;* ceteri omnes cum vett. Edd. *tu eam,* quod, ut passim, in unam syllabam compingitur. *Bent.* *Ah quid ais?*] O. l. s. etiam antiquissimi, *Ah quid agis?* et eo amplius solus Bem. *Aha,* quod et placet. Quæ vero sequuntur verba ‘Quid tu tibi vis,’ ea Thrasoni, ut videtur, et recte, Donatus et Bem. attribuunt. *Fa.* *Agis,* plurimi ex nostris: sed omnes ‘Quid tu tibi vis’ Chremeti male assignant. *Bent.* *Eam* Perl. qui notat *illam* habere Guelf. 2. *Tibi eam reddat, aut tu eam tangas...ais* Br. *Ais* Z. *Ha* Eug. *T. i. reddat? tu illam tangas, omnium....?* GN. *Ah, q. agis?* CHR. *Tace, &c.* Both.—28 *Quid tu tibi vis?* In Leidd. quatuor, Lipsiano, aliis, sed et editis antiquissimis hæc Chremeti ascribuntur. Neque sane inepte. Ms. Lips. *tangam eam?* Scilicet scriptum fuerat, *tangaM eam:* quod valet, *tangam meam.* West. Aliæ nostræ edd. *autem, furcifer?*—29 *Maledicas nunc* Bent. Delph.

Scin' tu, ut tibi res se habeat? si quicquam hodie hic turbæ cœperis,
Faciam, ut hujus loci, dieique, meique, semper memineris.
GN. Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.
CH. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. GN. Ain' vero, canis?
Siccine agis? THR. Quis tu es homo? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?
CH. Scibis: principio eam esse dico liberam. THR. Hem! CH. Civem Atticam. THR. Hui!
CH. Meam sororem. THR. Os durum! CH. Miles, nunc adeo edico tibi,
Ne vim facias ullam in illam. Thais, ego eo ad Sophronam
Nutricem, ut eam adducam, et signa ostendam hæc. THR. Tun' me prohibeas,
Meam ne tangam? CH. Prohibeo, inquam. GN. Audin' tu? hic furti se alligat.
Satis hoc tibi est. THR. Idem hoc tu ais, Thais? THA. Quære, qui respondeat.

Si vel minimam turbam hodie hic commoveris, faciam, ut hujus loci, diei, meique semper memoriam habeas. GN. *Misereor tui, qui hujus tanti hominis inimicitias suscipias.* CH. *Infringam caput tuum hodie, nisi abis.* GN. *Siccine minaris, impudens?* THR. *Quis tu homo es? Quid tibi vis? Quid tibi rei est cum illa?* CH. *Primum ego assero eam esse liberam.* THR. *Hem!* CH. *Civem Atticam.* THR. *Hui!* CH. *Meam sororem.* THR. *Frons ferrea!* CH. *Miles, nunc etiam tibi denuntio, ne vim ullam facias contra illam. Thais, ego eo ad Sophronam nutricem, ut eam huc adducam, et hæc monumenta agnitionis ostendam.* THR. *Tune prohibere possis, ne in servam meam manum injiciam?* CH. *Prohibeo. Iterum tibi denuntio.* GN. *Audisne, Thraso? Hic furti se reum fatetur scilicet, se dolo malo rem a proprio domino auferre et detinere. Sufficitne hoc tibi ad repetendam in jure virginem servam tuam?* THR. *An idem hoc ais, quod Chremes, Thais?* TH. *Indignus es cui respondeam; quære*

Bip. Both. *Nunc* Perl. omittit.—30 *Feceris* Mss. quidam et editi. *West.* Sic Br. *Turpe* pro *turbæ* Bip.—31 *Ut* omittit Delph.—33 *Nisi hodie abis* Ms. Lips. *West.* *Tuum*] J. et Venetr cod. *tibi.* Perl. *Tibi* præbent B et C: Hel. *tuum tibi.* Vulgo *tuum,* minus eleganter. *Both.* qui dat *tibi.*—34 *Sic agis?* R. [et Br.] *Lind.* *Homo es* Br. Z. Bent. Bip. Both.—35 *Hui!*] Ms. Lips. *Qui?* West. *Eam* delet Both.—37 Ms. Lips. [et Br.] TH. *Ego eo:* quod et alii libb. præferunt: perperam. *Thais* per lacunam abest a G. Abest etiam ab ET. EM. *West.* *Thais* nescit Guelf. 1. *Vim ne* dat Both. *Ego ad S. eo* Delph.—39 Videtur Eug. legisse: *furti te alligat.* West. Om-

THR. Quid nunc agimus? GN. Quin redeamus: jam hæc tibi aderit supplicans
Ultro. THR. Credin'? GN. Immo certe. Novi ingenium mulierum:
Nolunt, ubi velis; ubi nolis, cupiunt ultro. THR. Bene putas.
GN. Jam dimitto exercitum? THR. Ubi vis. GN. Sanga, ita, uti fortes decet
Milites, domi focique, fac vicissim ut memineris.
SA. Jamdudum animus est in patinis. GN. Frugi es. THR. Vos me hac sequimini.

alio responsum. THR. *Quid nunc agere debemus, Gnatho?* GN. *Age, redeamus: jam hæc ad te veniet sponte supplicans, ut ei veniam condones.* THR. *Credisne?* GN. *Sic certe est: ita comparatæ sunt a natura mulieres; quando vis, nolunt; quando nolis, volunt, et cupiunt ultro, nemine suadente.* THR. *Recte judicas.* GN. *Jamne mox missionem militum faciam?* THR. *Quando voles.* GN. *Sanga, fac ut culinæ cibique memineris, sicut fortes decet milites, qui alacres pro focis et penatibus pugnant.* SA. *Jampridem a bello aversus animus in epulis et cupediis totus est.* GN. *Bonæ frugi es, et utilis.* THR. *Vos hac me sequimini.*

nes antiqui libri habent *prohibebo.* Fa. Tres ex nostris vetustissimi *prohibebo;* ceteri *prohibeo.* Utrumvis probe. *Bent.* qui dat *prohibebo* cum Br.—40 *S. h. est tibi*] Do. legit *Satin' h. est tibi:* et post 'ais' addendum *Thais:* ubi rursus notata loquentis persona locum fecit errori. *Er.* Ms. Lips. *Satis hoc tibi est?* Commode autem hæc in Libris quibusdam [ut Br.] tribuuntur Chremeti, seu cum interrogatione pronunties, seu citra interrogationem. Guyeto *τὸ ais* glossema est, et subaudiendum. Videtur sibi placere Thraso in sua paronomasia, *ais, Thais.* Estque hoc specimen Atticæ illius eloquentiæ. *West.* *Satin hoc est tibi*] Non temere in ullo invenias l. s. hanc lectionem: sed in omnibus et Donato, *Satis hoc tibi est,* quæ verba Militi, et recte, Donatus attribuit. *Fa.* Vir doctus refingit, *Sat hoc tibi est.* Ego malim per interrogationem, et *hoc* ejecto, *Satis tibi est?* Bent. Dant *Satis hoc tibi est?* Br. Perl. *Satin' hoc est tibi?* Delph. *Satis tibi est?* Both. *Hoc idem tu ais* Delph. sine *Thais.* *Idem hoc tu, Thais* Both. sine *ais.*—41 Non inepta lectio quorundam Librorum: *Quid? redeamus.* Sunt vero Mss. [ut Br.] integrum hunc versum Gnathoni tribuentes. *West.* *Quin redeamus*] Ita quidem Codices, uno ex nostris Academico excepto, qui a manu prima *redimus* habuit; postea factum *redeamus.* Quanto venustius *Quin redimus.* Bent. *Q. redimus* recte Bent. edidit. *R. D.* Sic Both. Perl. Habet Br. *Quid nunc agimus, quin redeamus? Jam &c.*—42 *Ingenia* Pal. 1. *Perl.* Sic dat Both.—43 *Tu* ante 'velis' Guelf. 1. 3. *Tu* post 'ubi' utrumque 2. *Perl.*—44 *Ita ut* Bent. Both. Perl. *Ut* sine *ita* Br. Z.—45 *Domique* editi quidam vetusti. *West.* Unam tantum copulam continet Bem. et alii antiqui, ac Donatus, *domi focique;* quod et meliorem habet numerum. *Fa.* Sic et nostri omnes, et Pr. p. 719. *Bent.* *Foci et domi* Eng.—46 Ms. Lips. SA. *Vos me hac sequimini.* Ita et Bœcleri Mss. omnes. EP. *sequimini hac.* West. *Est animus*] Donatus et omnes libri scripti Terentii, præter Bembinum, habent hanc collocationem, *animus est:* quæ et versui commodior est. *Fa.* Nostri quoque omnes, *animus est.* Bentleius. THR. *Vos me hac sequimini*] Nostri omnes, tribus demtis, Sangæ hoc tribuunt. Male, opinor. *Id.* Br. SA. *Vos hac me s.*

VOLUME 2

PUB. TERENTII AFRI

COMŒDIÆ SEX

EX EDITIONE WESTERHOVIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITÆ.

VOLUMEN SECUNDUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1824.

ACTUS V. SCENA I.

THAIS. PYTHIAS.

TH. PERGIN', scelesta, mecum perplexe loqui?
Scio; nescio; abiit; audivi; ego non affui.
Non tu istuc mihi dictura aperte es, quicquid est?
Virgo conscissa veste lacrymans obticet.
Eunuchus abiit; quamobrem? quid factum est? taces?
PY. Quid tibi ego dicam, misera? illum Eunuchum negant
Fuisse. TH. Quis fuit igitur? PY. Iste Chærea.
TH. Qui Chærea? PY. Iste ephebus, frater Phædriæ.
TH. Quid ais, venefica? PY. Atqui certo comperi.
TH. Quid is, obsecro, ad nos? quamobrem adductus est?
    PY. Nescio;
Nisi amasse credo Pamphilam. TH. Hem! misera occidi.

TH. *Pergisne, scelerata, intricate atque obscure mecum loqui? Scio, nescio; audivi stuprum illi esse illatum: abfui, cum vitiata est. Nonne tu istud mihi declarabis quod ex te quæro, quicquid sit? Virgo lacerata veste præ pudore obticet; Eunuchus aufugit. Quamobrem aufugit? quid factum est? Cum hæc a te quæro, nihil quicquam respondes.* PY. *Quid ego infelix tibi amplius respondere possum? Dicunt illum minime Eunuchum fuisse.* TH. *Quis fuit igitur?* PY. *Iste Chærea.* TH. *Qui Chærea?* PY. *Iste adolescens, frater Phædriæ.* TH. *Quid ais, venefica?* PY. *At eum ipsum esse certo cognovi.* TH. *Cur ad nos, quæso, venit? Cur ad nos adductus est?* PY. *Nescio, nisi amore captum fuisse credo Pamphilæ.*

3 *Num tu* G. EM. *West.* Sic Guelf. 2. *Id* post 'quicquid' 3. Dat Br. *aperte es? Quicquid est, Virgo, &c.*—5 *Quod* Guelf. 2.—8 *Quis* id. Ms.—9 *Pro certo* Ms. Par. *Perl.* *Certe* Br. at, cum glossa ad hanc vocem in Br. sit *certe*, aut lectionem aut glossam male indicasse Bruns videtur.—10 *Ad nos, aut quamobrem adductus est?* Senarius hic impeditus optime procedit, quemadmodum legitur in Bem. *ad nos, quamobrem adductu'st:* ita et Vi. nisi quod habet *adductus* sine *est*. Fa. *Aut* in omnibus nostris est, uno excepto. Certe elegantiam suam hic habet. Et versus causa olim ejecit Bembinus Librarius. Lege, *ad me; aut quamobrem adductust*. Bent. Reponit Bent. *ad me*, quippe quod sola Thais domina sit. Sed miror, quam aberraverit V. D. qui nesciat pluralem numerum hujus pronominis sicut singularem promiscue usurpari. *Perl.* Proculdubio hoc non nescivit Bentleius: non erat adeo indoctus et imperitus ingenuarum literarum. Novit ac meminit. *Aut* dant Br. Perl. *Est* omittit Both.—11 Post 'occidi' ego non, ut multi, comma, sed cum West. punctum posui. *Perl.* Comma dant Br.

NOTÆ

4 *Virgo conscissa veste*] Thais breviter refert quæ sibi Pythias latius recensuerat.

Infelix! siquidem tu istæc vera prædicas.
Num id lacrymat virgo? Py. Id opinor. Th. Quid ais, sacrilega?
Istuccine interminata sum, hinc abiens, tibi?
Py. Quid facerem? ita ut tu justi, soli credita 'st.
Th. Scelesta, lupo ovem commisisti: dispudet,
Sic mihi data esse verba. Quid illic hominis est?
Py. Hera mea, tace; tace, obsecro; salvæ sumus:
Habemus hominem ipsum. Th. Ubi is est? Py. Hem! ad sinistram:
Videsne? Th. Video. Py. Comprehendi jube, quantum potest.

Th. *Hem! Misera interii, si tu infelix quidem ista vere commemoras. An ideo virgo lacrymas fundit?* Py. *Id arbitror.* Th. *Quid ais, sacrilega? Nonne istud tibi abiens minata imperavi, ne vir quisquam ad eam adiret?* Py. *Quid facerem? ita ut imperasti, illi soli custodienda data est.* Th. *Pessima, lupo ovem tuendam dedisti. Valde me pudet, ita me delusam esse. Quæ hæc est species hominis?* Py. *Hera mea, sile, sile, obsecro; salvæ sumus; habemus hominem ipsum (Chæream) in nostra potestate.* Th. *Ubi is est?* Py. *Hem, videsne illum ad sinistram?* Th. *Video.* Py. *Manda in eum manum injici, tanquam in fugi-*

Bent. Bip. Colon dimidium *Z.* Nullum Both. qui dat *Hem miserum! Occidi Infelix, &c.*—12 *Ista vera*] O. l. s. *istæc vera.* Fa. Nostri quoque omnes *istæc.* Bent. *Vera tu istæc* Both.—14 *Istucne* Both.—15 Ms. Lips. *jussisti,* omisso *tu.* Eandem lect. ex Pall. et Paris. laudat Pareus. Et est in EP. *West. Ut tu justi*] *Jussisti* R. *Lind. Justi* sine *tu* Delph. *Jussisti* sine *tu* Br.—16 *Ovem lupo commisisti*] Qui *commisti* legunt, facile se ex hujus versus difficultate explicant: sed et Do. et o. l. s. *commisisti* habent. *Fa.* Nonius, v. Committere: 'Terentius Eun. Ovem commisisti lupo.' Sic et Ms. vetus. Acron ad Horat. Carm. I. 3. 'Commisit: Credidit. Terent. Ovem lupo commisisti.' Codices quoque universi *commisisti,* versu tamen indignante ex *vem lupo* pedem fieri seu Dactylum seu Anapæstum. At est qui ex culpa ipsa fiduciam sumat; et, quia admissa hic est, inde colligat familiarem et quotidianam fuisse. Magna demum isto pacto erit licentiarum seges. Repono, *ovem lupo commisi.* Nimirum Thais commisit jubendo, æque ac Pythias jussum faciendo. Inde quod sequitur, 'Sic mihi data esse verba,' non 'tibi.' *Ovém lupó;* utrumque in Arsi; et sic in pronuntiatione fit mora, ut oportet. Venia tamen indiget Terentius, qui in pede tertio finalem acuit. *Bent.* Bent. *commisi,* male. *Bip.* Vulg. *commisisti,* vel *commisti;* sed recte Bent. *commisi,* et sic Do. legisse apparet. *Both. Ovem lupo* Both. Bip. Perl. *Dis, pudet* Br. quem sic dedisse, etiam constat ex glossa ejus ad vocem *dis,* sc. testibus utor.—17 *Quid hominis illic est*] Non fere in ullo libro invenias hanc collocationem, sed eam quæ sequitur, *Quid illic hominis est?* ita et Donatus: Bembinus vero hoc amplius, pro *illic, illuc* habet. Vi. prius quidem *illuc* habebat, sed postea in *illic* mutatum est: eademque manu in margine ascriptum *illud:* quæ mihi lectio, id est, vel *illuc,* vel *illud,* magis placet, quam *illic.* Fa. *Illic Z. Q. i. h. est* dat Pythiæ Both.—18 *Hera mea, tace*] Nisi legas bis *tace,* versus non constat. *Er.* Ms. Lips. *Hera mea, tace, obsecro.* Leid. unus: *O hera mea, tace, tace, obsecro.* West. *Tace* semel dat Bip.—19 *Sinisteram* Bent. Both. Hic dat *Hom. ips.*

Th. Quid illo faciemus, stulta? Py. Quid facias, rogas?
Vide amabo! si non, cum aspicias, os impudens
Videtur. Th. Non est. Py. Tum quæ ejus confidentia 'st!

tivum. Th. *Quid illi faciemus comprehenso, inepta?* Py. *Quærisne quid facias? Vide, quæso, si non est insigniter impudens; ex aspectu sane videtur esse. Nonne talis est, qualem dico?* Th. *Non est.* Py. *Atque etiam qualis est ejus audacia.*

hab. Dividit Delph. sic: *sumus: hominem | Hab. ipsum. U. is est? Hem ad sinistram, non vides? | En. Video, &c.*—20 Nos ex Bem. *Videsne* et *Comprendi.* Fa. Libri nostri fere omnes *Viden* et *Comprehendi.* Bent. qui sic dat cum Br. Both. Perl. *Comprendi* Bip. *Potes* Guelf. 2.—21 *Q. illi faciemus, stulta?* Py. *Q. faciam*] Do. et Bem. pro *illi, illo;* pro *faciam, facias* habent: et hoc posterius habent aliqui alii l. s. etiam ex antiquis. *Fa. Illo faciemus* Fa. et alii recensuerunt. Sed in Mss. plusculis est *illi.* West. *Quid facias*] Variant Mss. *faciam, facias, faciemus,* legentes. *Id. Quid facias*] Hinc usque ad finem Scenæ omnia in G. tribuuntur Pythiæ. Nisi quod suprascriptum eadem, ut videtur, manu, esse libros, in quibus illa 'Non est' Thaidi, reliqua rursus Pythiæ tribuantur. Donatus itidem omnia Pythiæ tribuisse videtur. *Id. in Add.* Duo ex nostris *facias: illo* unus veterrimus et Pr. p. 1101. Ceteri *illi,* nescio an rectius. *Bent. Illo* Par. ed. *Perl. Illo* Fa. et alii optimi codd. Sed multi scripti et edd. *illi:* nec hoc damnamus. *Bip. Faciemus*] Sic olim in Ms. [sc. Br.] sed correctum in *faciam.* Bruns. In Br. est *illi. Illoc* Both.—22. 23 *Non est*] Varie hæc exhibentur. Sunt, qui Pythiæ tribuunt, sunt item qui Thaidi. Heinsius recensebat, Th. *Non.* Py. *Tum quæ ejus confidentia 'st?* Atque ita est in Ms. Lips. Tres Leidd. Pythiæ tribuunt, *Non est?* quomodo Par. et alii ediderunt. Mihi in mentem veniebat, Chærea propius accedente, Pythia vero interim in eum debacchante, Thaidem dixisse, *Non: st.* Acidalius legebat: *Monstrum! quæ ejus confidentia est?* Vereor, ne magis ingeniose, quam vere. *West. Os impudens, &c.* Hæc omnia sine interpositione personæ Thaidis in libris antiquis leguntur: quin et Donatus quoque hæc ipsa omnia personæ Pythiæ attribuit. Ergo hæc ita intelligenda sunt: Vide amabo, si non os impudens quidem videtur, non autem est. *Fa.* Atqui plurimi apud me Codices *Non est* Thaidi tribuunt. Lego: *Vide amabo si non, cum aspicias, os impudens Videtur.* Th. *Non.* Py. *Tum quæ ejus confidentiast?* Bent. Sensus talis: Vide impudentiam, vide aspectum, quemadmodum incedit. Os ergo impudens videtur, cum aspicias venire. Et, quasi aliquid meretrix dixerit, ita subjungit, *Non est?* quasi: Negas esse quod dico? Et, hoc ut confirmet, adjungit: Cur igitur tanta confidentia fretus incedit? *Eug. Non*] Vulg. *est.* Non habent Mur. Bent. Both. Atque *Non* West. Bent. Both. Thaidi bene tribuunt respondendum. *Perl. Non est*] Al. et hoc a Pythia dictum tribuunt Thaidi præter sensum. *Bip. Non est?* Br. Z. qui dant hæc verba Pythiæ.

ACTUS V. SCENA II.

CHÆREA. THAIS. PYTHIAS.

CH. APUD Antiphonem uterque, mater et pater,
Quasi dedita opera, domi erant, ut nullo modo
Introire possem, quin viderent me. Interim,
Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obviam
Venit: ubi vidi, ego me in pedes, quantum queo,
In angiportum quoddam desertum; inde item
In aliud, inde in aliud: ita miserrimus
Fui fugitando, ne quis me cognosceret.
Sed estne hæc Thais, quam video? ipsa 'st: hæreo:
Quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi?
TH. Adeamus: Bone vir, Dore, salve. Dic mihi,
Aufugistin'? CH. Hera, factum. TH. Satin' id tibi placet?
CH. Non. TH. Credin' te impune habiturum? CH. Unam hanc noxiam

CH. *In ædibus Antiphonis, et pater et mater ejus quasi consulto præsentes erant, cum ingressuri eramus, ita ut nullo modo introire possem, quin me viderent. Interea, dum ante fores sto, notus quidam mihi occurrit in via. Simul ac vidi, mox me in pedes conjeci quam citissime in angiportum quoddam solitarium; inde etiam in aliud, inde in aliud. Ita fugitando miserrimus fui, metuens ne quis me agnosceret. Sed estne hæc Thais, quam video? Ipsa est. Incertus sum animi quid agam? Verum quid mea refert? Quid faciet mihi?* TH. *Eamus ad eum. Bone vir Dore, salve. Dic mihi, fugistine domo?* CH. *Hera, id feci.* TH. *Hoccine fecisse tibi jucundum est?* CH. *Minime.* TH. *Credisne hoc impune et inultum*

1 *Pater et mater* Guelf. 1. 3. Br.—5 Quod est in libris quibusdam, *egomet in pedes*, possit videri natum ex antiqua scriptura, *ego med in pedes*. West. *Egomet in pedes* G. ET. EM. *Id. in Add.* Omnes antiqui libri *egomet*; cujus vocis extremam literam conjicit Lolgius esse debere *d*, et legendum *egomed in pedes*. Fa. Nostri quoque omnes *egomet*: vitiose pro *ego me*. Remittimus enim Lolgio Plautinam suam et opicam lectionem *ego med*, *med* pro *me*. Bent. *Egomed* Z. *Egomet* Delph.—6 *Quendam* J. et Venetus cod. *Perl.*—7 *Inde miserrimus Fugi fugitando* G. *West.*—8 *Fugi* et Guelf. 2.—9 *Harreo*] J. *pereo*. Perl. Non pungit post 'hæreo' Bip. at levissime Br. Both. Z.—10 *Ah quid faciam?*] Non fere invenias *Ah* in ullo l. s. sine quo stat optime versus, et nihil sensui deperit. *Fa.* Nec in nostris reperitur *Ah*. Bent.—12 Quid hic quærat vir doctus, cui numeri sanissimi suavissimique hic displicent, nescio. Ejus vero correctionem scio nemini placituram, CH. *Hera.* TH. *Aufugistin?* CH. *Factum.* Bent. *Factum*] J. et Venetus cod. *est*. Perl. *Placet*] J. *videtur*. Id. Correctioni Francisci Hare se opponit et Westerhovius.—13 Ms. Lips. et EP. *abiturum*: quomodo edidit St. et ex duobus Pall. citat

Mitte: si aliam admisero unquam, occidito.
TH. Num meam sævitiam veritus? CA. Non. TH. Quid igitur?
CH. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
TH. Quid feceras? CH. Paululum quiddam. PY. Eho! paululum, impudens?
An paulum hoc esse tibi videtur, virginem
Vitiare civem? CH. Conservam esse credidi.

tibi fore? CH. *Unum hoc delictum mihi remitte: si aliud unquam commisero ullum, interfici me jube.* TH. *Num meam duritiam et crudelitatem timuisti, adeo ut fugeres?* CH. *Non.* TH. *Quid igitur?* CH. *Timui ne ista (Pythias) me accusaret apud te.* TH. *Quam culpam feceras?* CH. *Levem quandam culpam.* PY. *Eho levem, impudens? An levem esse culpam æstimas, virgini civi vitium afferre.* CH. *Conservam meam esse putavi.* PY. *Conservam putasti? Vix mihi*

Pareus. Præstat tamen *habiturum*. *Noxiam* est in libris, quod quidem sciam, omnibus: nisi quod Franciscus Floridus Sabinus in defensione pro Laurentio Valla adversus Andream Alciatum legit *noxam*. Vide Opuscula de Latinitate JCtorum veterum, ex recensione Caroli Andreæ Dukeri, pag. 11. Sed et in Ms. Lips. est *noxam*. West. *Abiturum*] In aliquot antiquis exemplaribus, inter quæ est et Bembinum, legitur *habiturum*: quæ minime dubia est lectio. *Fa.* Nostri plerique *habiturum*. Bent. In quibusdam libb. legitur *te impune habiturum*: sed recte dicitur *impune habere*. R. D. Male Alciatus *noxam*. Bip. *Noxiam* Ms. [sc. Br.] a pr. m. *Bruns.*—14 *Mitte, si aliam unquam admisero ullam, occidito*] Hanc lect. in nullo l. s. invenio. Sed hanc quæ sequitur in plerisque, *Amitte, si aliam admisero unquam, occidito*: quæ et elegans est compositio et versui optime serviens. *Fa.* Nostri quoque *Amitte*. Bent. Meliores edd. recte habent *Amitte*. R.D. Variant Mss. et Edd. *Mitte, Amitte, Dimitte, Omitte*. Metro adversatur *Mitte*. Placeret magis in hac inconstantia *Remitte*. Al. post 'unquam' ingerunt *ullam* contra codd. *Bip. Amitte* Br. quod positum est pro *Admitte*, uti ex sequenti *amisero* pro *admisero* clarum est. *Bruns. Amitte* Bent. Both. Bip. Perl. *Omitte* Z.—15 *Num meam sævitiam veritus es?*] Aliquot antiqui libri, et in iis Bembinus, item Donatus, non habent *es*. In libro scripto Donati legitur *sævitiem*, quod magis antiquum videtur. *Fa.* Etiam a nostris plerisque abest *es*. Sed quid versui fiet? Nam Faërni *Quïd* vel *saëv* dissoluta nauseam excitant. Vir doctus in textum recipit *es*. Tu hanc corrigendi viam insiste: *Num meam sævitiam veritu's? Non. Non? quid igitur?* Bent. quem sequitur Both. nisi quod dat *veritus*, non *veritu's*: quod dat Perl. *Veritus es* Bip. Delph.—17. 18 Nisi legas *paulum*, versus non constat. *Er. Paululum quiddam. Eho paululum impudens?*] Et utrobique in hoc versu, et in sequenti legendum *paulum* ex Bembino, versusque ratione. *Fa.* Recte *paulum*; et sic unus ex nostris. Præterea pro *quiddam*, Chartaceus codex *quidem*. Repone, *Quid féceras? Paulúm quid. Eho paulum, impudens?* Jam vides, cur *paulum* acuat ultimam, nempe ob Encliticum *quid*; ut Græce Μικρόν τι. *Bent. Paululum* G. EM. *West.* Post *Paulum quiddam* sequitur in Guelf. 3. versus 15. *Perl. Eho, &c.*] Edd. West. et Zeunii tribuunt Thaidi, fortasse ex operarum errore. *Bruns.* Ipse correxit Westerhovius in Erratis. *Paulum* dant ter Both. Perl. *Paululum* dat ter Delph. et pro *hoc esse* exhibet *esse hoc*.—19 *Vitiare civem? Cónservam esse crédidi. Consérvam?*] Vides *Consérvam* in repetitione variare accentum: quod nusquam apud Nostrum fieri solet.

PY. Conservam! vix me contineo, quin involem in
Capillum: monstrum; etiam ultro derisum advenit.
TH. Abin' hinc, insana? PY. Quid ita vero? debeam,
Credo, isti quicquam furcifero, si id fecerim;
Præsertim cum se servum fateatur tuum.
TH. Missa hæc faciamus. Non te dignum, Chærea,
Fecisti; nam, etsi ego digna hac contumelia
Sum maxume, at tu indignus, qui faceres tamen.
Neque ædepol, quid nunc consilii capiam, scio,
De virgine istac: ita conturbasti mihi
Rationes omnes, ut eam non possim suis,
Ita ut æquum fuerat, atque ut studui, tradere;

tempero quin irruam in comam. Monstrum, etiam nos ut ludibrio habeat, ex industria huc advenit. TH. *Abi hinc, stulta.* PY. *Quasi vero ullam pœnam debeam isti furcifero, si involaverim in capillum ejus: præsertim cum non liberum, sed servum tuum se esse profiteatur.* TH. *Hæc inutilia omittamus. Non te facinus dignum admisisti, Chærea: nam, quamvis propter conditionem meam hac injuria maxime digna videar, tamen tu indignus es, qui eam mihi faceres; neque per Pollucem nunc scio quale consilium capiam de ista virgine; ita res meas confudisti omnes, ut eam nequeam suis talem, intactam, et virginem reddere, ita ut æquum fuerat, atque ut omni studio conata fui: ut integram gratiam inirem a Chremete*

Repono igitur: *Vitiáre civem? Meám consérvam credidi.* Bent.—20 *Contineo me* Both.—21 *Capillum monstro. Etiam, &c.* id. Interrogat Br. in fine.—22. 23 *Quid ita vero?*] Ms. Lips. aliique, *Quid ita vero abeam?* Ex glossa. G. ET. EM. ita exhibent: *Quid ita vero abeam? Credon' isti quicquam furcifero, Præsertim, &c.* West. Liber Bembinus, pro *Abi*, *Abin*; pro *fecerim*, *fecero* habet. Ceterum, quod Donatus in expositione horum verborum *debeam, Credo, isti quicquam furcifero*, dicit subaudiri debere 'vero,' non video cur eam dictionem desideret, quæ, mutata tantum distinctione, præsto est; si enim post 'Quid ita' distinguas, remanet vox *vero* subsequentibus applicata, hoc modo: *Quid ita? Vero debeam, Credo, isti quicquam furcifero.* Fa. Unus ex nostris veterrimus *Abin*, *n* nunc eraso: omnes *fecerim*; quod equidem prætulerim. *Bent.* *Abeam* pro *debeam* GM. *Id si fecerim* abest a Guelf. 1. 2. 3. *Perl.* *Si id fecerim* abesse non possunt. *Bruns.* Absunt et a Br. qui dat *Abi*, et cum Z. *Quid ita vero abeam?* omisso *debeam*, exhibet. Ante, non post, 'vero' interrogat Bent.—25 *Ista* ante 'hæc' Guelf. 3.—26 *Si* pro *etsi* Br. Bent. Z. Bip. Both.—27 *Non dignus* pro *indignus* Br.—30. 31 Sex e nostris Codices, et in iis vetustissimi, *ne possim:* unus etiam antiquus *neque ut studui.* Repone, *ut eam ne possim suis, Ita ut æquum fuerat, itaque ut studui, tradere.* Bent. *Ne* pro *non* dat Perl.

NOTÆ

27 *At tu indignus, qui faceres tamen*] Id est, non te decuit eam injuriam mihi facere, cum sis frater Phædriæ, mei amatoris, et diligenter ac liberaliter fueris institutus.

Ut solidum parerem hoc mihi beneficium, Chærea.
CH. At nunc dehinc spero æternam inter nos gratiam
Fore, Thais: sæpe ex hujusmodi re quapiam, et
Malo principio, magna familiaritas
Conflata est: quid si hoc quispiam voluit Deus?
TH. Equidem pol in eam partem accipioque, et volo.
CH. Immo ita quæso. Unum hoc scito; contumeliæ
Non me fecisse causa, sed amoris. TH. Scio:
Et pol propterea mage nunc ignosco tibi.
Non adeo inhumano ingenio sum, Chærea,
Neque ita imperita, ut, quid amor valeat, nesciam.
CH. Te quoque jam, Thais, ita me Di bene ament, amo.
PY. Tum pol tibi ab istoc, hera, cavendum intelligo.

et reliquis virginis cognatis, ut integrum et perfectum hoc beneficium conferrem in Chremetem et virginis cognatos. CH. *At nunc exinde spero æternam fore inter nos omnes, me, illam, et te, benevolentiam, Thais; nam sæpe ex simili re aliqua turbulenta, atque ex malo principio, magna necessitudo et conjunctio contracta est. Quid si hoc, auctore aliquo Deo, factum est?* TH. *Equidem pol, in eam partem et accipio, et ita volo evenire.* CH. *Quinimmo, ita ut accipias et velis, te rogo. Hoc unum scias velim, me non eo animo cum virgine rem habuisse, ut tibi injuriam facerem; sed ab amore ad id faciendum impulsum fuisse.* TH. *Scio, et per Pollucem propterea tibi libentius veniam do. Non adeo humanitatis expers sum, neque tam ignara, ut quanta sit amoris potentia non noverim.* CH. *Te quoque jam, Thais, ita me Dii ament, nunc amo.* PY. *Etiam per Deos tibi metuendum, hera,*

—32 Ed. vet. c. figg. (quæ sæpius cum lectt. ET. et EM. conspirat) *hoc pararem.* Arridet *parare:* sed *Ut* impeditam efficit constructionem, et nomen *Chæreæ* in blanda et clemente oratione tota supervacuum videtur. Itaque rescribendum putamus *et* (quod priorem versum claudat) *Solidam hoc | para | re bene | ficio | ni gra | tiam.* Judicent alii an expellenda sit vulg. ut peregrina, nostraque civitatem mereatur. *Bip.* Bipontini conjunctione *Ut* gravantur: nos non ita. *Pararem* J. *Perl.* *Hoc parerem* Both. *Ut* collocant in versu priore Bip. Delph.—34 *Futuram* pro *Fore* Guelf. 3.—35 *Malo ex principio*] Præpositio *ex* abest ab omnibus antiquis libris. In reliquis collocata est ante dictionem *Malo*, ubi stare propter versum non potest: quare subdititiam rati sumus. *Fa.* Sex e nostris *Ex malo principio;* et recte fecit qui primus *Malo ex principio* edidit. *Bent.* *Malo ex pr.* Bip. Delph.—36 *Voluit quispiam* Bip. *Quispiam hoc* Both. Perl.—37 Duo Pall. non habent *que*. Sed 'que et' nostro amatur. *Perl.* *Quæ* pro *que* Br.—38 *Etiam* pro *ita* Perl. qui monet *ita* esse in Guelf. 2.—39 *Me non* Both.—40 *Magis* Br. et nostræ edd.—41 Nostri plerique omnes *sum ingenio:* unde reponendum, *Non adeo inhumano ego sum ingenio, Chærea.* Bent. Et sic dat Both. *Sum ingenio* Perl.—42 Ms. Lips. *Neque imperita.* Alii: *Neque tam imperita.* West. *Neque tam imperita*] Omnes fere antiqui libri et in iis Bembinus, *Neque ita imperita.* Fa. Nostri quoque omnes *ita*. Bent. *Tam* Guelf. 2. 3. et Delph. *Amor quid* Both. qui monet: '*Tam* B, Gu. 1. et Do. quod placet præ vulg. *ita*.'—44 Guyetus hic mire acutus est, legens contra fidem Codicum, *Tu pol tibi ab istoc, hera, cavendum attendito.* Addens pro ratione,

CH. Non ausim. PY. Nihil tibi quicquam credo. TH.
Desinas.
CH. Nunc ego te in hac re mihi oro ut adjutrix sies.
Ego me tuæ commendo et committo fidei.
Te mihi patronam cupio, Thais; te obsecro:
Emoriar, si non hanc uxorem duxero.
TH. Tamen si pater. CH. Quid? ah! volet, certo scio;
Civis modo hæc sit. TH. Paululum opperirier
Si vis, jam frater ipse hic aderit virginis:
Nutricem arcessitum iit, quæ illam aluit parvolam.
In cognoscendo tute ipse aderis, Chærea.
CH. Ego vero maneo. TH. Vin' interea, dum is venit,

ab isto sentio, ne quam technam et fraudem faciat. CH. *Non ausim, etiamsi velim (propter fratrem Phædriam).* PY. *Nullam fidem tuis dictis habeo.* TH. *Fac ut desinas, Pythias.* CH. *Nunc in tuam, Thais, me do fidem, et in clientelam trado, teque obsecro ut in ducenda uxore Pamphila me juves. Te mihi patronam eligo, Thais; te per Deos obtestor: moriar omnino, si non hanc in uxorem accipio.* TH. *Tamen, si pater voluerit.* CH. *Ah quid dubitas? Volet, probe scio; dummodo hæc sit civis.* TH. *Si paulisper vis expectare, mox ipse frater illius huc adventurus est, Chærea; nutricem ivit accersitum, quæ Pamphilam parvulam aluit. Tu ipse, dum de Pamphilæ origine inquiretur, præsens intereris.* CH. *Ego vero expectabo, dum Chremes hic adsit.* TH. *Visne interea, dum is huc redit, domi*

τὸ intelligo parum ad sententiam facere. Scilicet non animadvertebat, in sensu latere illa, 'Si te quoque jam amat Chærea.' M. *Tum pol tibi ab isto Chærea cavendum intelligo.* Ms. Lips. *Tum pol ab istoc, hera, cavendum intelligo.* West. *Tum pol tibi ab isto*] Plerique l. s. etiam antiqui et Donatus *ab istoc* habent: quo quidem modo melius stat senarius: aut legendum, ut in Bembino, *cavendum esse.* Fa. Tres ex nostris veterrimi, paulo melius, *Tum pol ab istoc tibi, hera, cavendum intellego.* Bent. Ita dant Both. Bip. Delph. Perl. *Chærea* pro *hera* Guelf. 1.—46 *Idem nunc ego* Ms. Lips. *West.*—47 Hujus versus et sequentis [sc. vs. 46.] ordinem ex l. s. o. commutamus, ut, qui nunc prior est, sit posterior. *Fa.* Sic et nostri et Edd. vett. *Bent.* Hic vs. anteit priorem [sc. vs. 46.] in GM. Br. Pall. al. At Fa. primus constituit ex l. s. ordinem, quem nunc habemus. *Perl.* *Fide* Both.—48 Hic versus Guyeto insititius videtur, sed præter rationem. *West.* *Cupio*] Omnes quotquot sunt l. s. *capio* habent: idque in aliquibus etiam Donati libris est: in aliquibus *cupio.* Fa. Nostri etiam omnes cum Edd. vett. *capio.* Bent. *Cupio* GC. *Perl.*—50 *T. si p. velit* EP. *West.* Distingue hoc modo: *Tamen si pater quid.* CH. *Ah volet, certo scio.* Bent. quem sequitur Perl. et ita Both. nisi quod dat *Si pater tamen quid. Ah: quid? ah:* habet Br. *Certe* Guelf. 2.—52 *Hic ipse frater* Both.—53 *Parvam* Ms. Lips. *West.* *Accersitum* Bent. Delph. et sic Br. qui dat *it* pro *iit.*—54 *Ipse hic aderis* Ms. Lips. *West.* Sic Br. Delph. —55 *Visne interea dum is venit*] Ita aliqui libri habent, aliqui vero *dum venit is:* quæ variatio facit ut eam dictionem subdititiam putem: eo magis quod nec in Bembino est, ubi ita legitur, *Vin interea dum venit.* Fa. Nostri *Visne,* quod melius. *Bent.* *Visne int. dum venit* Br. Bent. Bip. Perl. et Both. qui dat

Domi opperiamur potius, quam hic ante ostium?
CH. Immo percupio. PY. Quam tu rem actura, obsecro,
es?
TH. Nam quid ita? PY. Rogitas? hunc tu in ædeis cogitas
Recipere posthac? TH. Cur non? PY. Crede hoc meæ
fidei;
Dabit hic aliquam pugnam denuo. TH. Au, tace, obsecro.
PY. Parum perspexisse ejus videre audaciam.
CH. Non faciam, Pythias. PY. Non pol credo, Chærea,
Nisi si commissum non erit. CH. Quin, Pythias,
Tu me servato. PY. Neque pol servandum tibi
Quicquam dare ausim, neque te servare: apage te.
TH. Adest optume ipse frater. CH. Perii hercle: obsecro,
Abeamus intro, Thais: nolo me in via
Cum hac veste videat. TH. Quamobrem tandem? an quia
pudet?

maneamus, potius quam hic ante fores? CH. *Immo vehementer cupio.* PY. *Quidnam, quæso, nunc factura es?* TH. *Quidnam ita?* PY. *Tune quæris? An hunc tu, quæ ab eo delusa es, intro ædes posthac admittere cogitas?* TH. *Cur non?* PY. *Faciet aliquam turbam de integro; verbis meis fidem adhibe.* TH. *Au, tace, oro.* PY. *Non satis compertum habere videris ejus confidentiam.* CH. *Non faciam quod vereris, Pythias.* PY. *Non, per Pollucem, credo, Chærea, nisi postquam nihil a te mali factum fuisse compertum fuerit.* CH. *Immo, Pythias, tu me servato.* PY. *Neque per Deos tibi quicquam servandum dare ausim, neque te servare. Apage te a me.* TH. *Advenit opportune ipse frater Pamphilæ Chremes.* CH. *Perii mehercule. Obsecro, Thais, intro ædes eamus: nolo me in via ut Chremes ita vestitum videat.* TH. *Quamobrem tandem? an quia te pudet?* CH.

maneo vero.—56 Pall. tres *quam stemus ante ost.* *Stemus* glossatori haud dubie debemus. *Perl.*—58 Edit. *Nam quid,* atque sic mutatum in Br. *Bruns.* In Br. enim erat *Numquid.*—59 *Post hæc* Br. *Fide* Both.—60 *Pugnam aliquam* Br. Bent. Perl. *Pugnum hic aliquam* Both.—61 Mutarunt olim Magistri; ne Noster vetuste loquens discipulis displiceret. Revoca ipsius manum: *perspexe ejus mihi videre.* Bent. *Perspexe* Bip.—62 *Pol* non est in Bem. nisi recenti manu addita: quæ et impedit versum. *Fa.*—63 *Non fuerit* Ms. Lips. *West.* Par. Ms. *fuerit,* invito senario. Pall. tres *Pythia.* Perl.—64 *Servandum* abest Guelf. 2. nisi forte negligentia librarii omissum. *Perl.*—65 *De re* pro *dare* Br.—66 *Optime adest* Both. Delph. *Perii, hercle obsecro* Br.—68 *Quid* pro *quia* dat Both. qui monet: '*Quid* longe fortius invenerat Donatus: qui sic: 'Hæc interrogatio irrisionis plena est in eum, quem nihil pudet.'

CH. Id ipsum. PY. Id ipsum? virgo vero! TH. I præ;
sequor.
Tu istic mane, ut Chremem introducas, Pythias.

Idipsum nempe est. PY. *Idipsum? Virgo vero vitiata an pudori fuit?* TH. *Præito; sequar: tu istic mane, Pythias, ut Chremetem domum introducas.*

Viden', hoc 'nihil' ad Terentianum *quid* referri?'—69 Editi vetustissimi *virgo vero vitiata.* Mss. plusculi *sequar.* In G. suprascriptum: Corrupta est, cujus non pudet, et vestis pudet. Mox autem *sequar.* Ita et ET. EM. *West. Virgo vero*] Donatus non per interrogationem, sed affirmative legit, ut 'Egregiam vero laudem.' Dicente enim Chærea se nolle in via videri cum veste Eunuchi, subjicit Pythias: 'virgo vero:' quasi diceret: En qui sit virginalis pudoris. *Fa. Virgo vero!*] Stomachose hæc dicta. Fa. et Dac. præeunte Donato, εἰρωνικῶς in Chæream dictum accipiunt. *West. Sequar*] Antiqui libri, et Donatus, *sequor.* Fa. Plerique nostri quoque, *Sequor.* Recte: una enim cum eo egreditur e Scena. *Bent. V. vero*] Placet interrogatio. *Perl. V. vero*] Al. ironice sic dictum ipsum Chæream putant. Al. rectius trahunt ad virginem, cui vitium inferre ipsum non puduerit. *Bip. V. vero*] Mente supplendum est: ejus te nihil pudebat. *R. D.* Plenum punctum post 'vero' dant Z. Bip.

ACTUS V. SCENA III.

PYTHIAS. CHREMES. SOPHRONA.

PY. QUID? quid venire in mentem nunc possit mihi?
Quidnam? qui referam illi sacrilego gratiam,
Qui hunc supposuit nobis? CH. Move vero ocyus
Te, nutrix. SO. Moveo. CH. Video; sed nihil promoves.
PY. Jamne ostendisti signa nutrici? CH. Omnia.
PY. Amabo! quid ait? cognoscitne? CH. Ac memoriter.

PY. *Quid? quid in animo excogitare nunc possum ego? Quidnam? quomodo nunc scilicet par pari referam illi scelesto Parmenoni, qui hunc Chæream pro Eunucho nobis supposuit?* CH. *Move te vero citius, nutrix!* SO. *Moveo.* CH. *Video, te moves; sed nihil promoves.* PY. *Jamne, Chremes, ostendisti omnia signa cistellæ Sophronæ nutrici?* CH. *Omnia ostendi.* PY. *Obsecro, quid dicit? Agnoscitne illa?* CH. *Agnoscit, et memoriter recenset.* PY. *Grata, per Pollu-*

1 *Quicquid* pro *Quid? quid* Br.—2 O. l. s. *sacrilego illi.* Fa. Sic et nostri plerique omnes. *Bent.* Sic Br. et nostræ edd.—3 Repone *supposivit.* Bent. *Hunc qui* Both.—4 *Te, nutrix*] *Move vero ocyus, genetrix* R. *Lind. Tu nutrix* et *Ego moveo* Guelf. 2. *Nutrix, te* Both.—5 *An* pro *Jamne* Br.—6 *Ac memoriter*] Guyetus, *Ac me noverit.* Ms. Pal. [1.] *Ac me norit.* Præstat lectio vul-

PY. Bene, ædepol, narras; nam illi faveo virgini.
Ite intro: jamdudum hera vos expectat domi.
Virum bonum, eccum, Parmenonem incedere
Video. Vide, ut otiosus it, si Dis placet!
Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo.
Ibo intro, de cognitione ut certum sciam:
Post exibo, atque hunc perterrebo sacrilegum.

cem, narras; nam bene illi puellæ cupio. Introite, nam jam pridem Thais hera vos expectat domi. Ecce virum bonum Parmenonem video spatiari. Vide ut otiosus et securus ambulat. Spero me habituram facultatem, si Diis placet, quo eum arbitratu meo agitem, et anxium reddam.

gata. *West.*—10 Sunt veteres impressi, et manu exarati libri, in quibus est, *ut otiosus sit.* Ita Ms. Lips. et quinque Leidenses, cum omnibus Mss. Bœcleri, et EP. Præstat autem *it*, quia 'incedere' præcessit. *Id. Ut otiosus sit*] Bem. *it*, quamvis hoc verbum per *d* scriptum sit. *Fa.* Nostri omnes mendose *sit* habent. Eugraphius: 'Attende ut securus Parmeno ambulat et otiosus.' *Bent. Sit* Br. *Viden'* Delph.—11 Ap. Pr. p. 1143. Codex veterrimus habet, *hunc excruciem meo modo.* Recte. *Bent.* Sic Perl. *Meo qui hunc exc. modo* Both.—13 Repone *exeo.* Bent. *Exeo* Fa. eleganter dedit pro *exibo.* Both. qui illud exhibet. Faërnum id dedisse scribit et Zeunius: sed nescimus unde: ipse Bentleius non id fatetur.

ACTUS V. SCENA IV.

PARMENO. PYTHIAS.

PA. REVISO, quidnam Chærea hic rerum gerat.
Quod si astu rem tractavit, Di vostram fidem!
Quantam et quam veram laudem capiet Parmeno!
Nam, ut mittam, quod ei amorem difficillimum, et
Carissimum, ab meretrice avara, virginem

PA. *Redeo visum quas res hic agat Chærea. Quod si astute cæptum executus est, Dii, vestram fidem testor, quantam et quam veram laudem consequetur Parmeno! nam, ut taceam quod ei amorem difficillimum et magno pretio parandum a*

1 *Agat* pro *gerat* Guelf. 3. Br.—2 *Qui se* Guelf. 1.—3 *Quantum* Z. *Et* delet Both.—4 *Omittam*] *Mittam* Bem. *Fa.* Duo quoque ex nostris vetustissimi *mittam.* Bent. *Omittam* Perl.—5. 6 *Avara*] M. addit, *surripui.* quod

Quam amabat, eam confeci sine molestia,
Sine sumtu, sine dispendio; tum hoc alterum,
Id vero est, quod ego mihi puto palmarium,
Me reperisse, quo modo adolescentulus
Meretricum ingenia et mores posset noscere;
Mature ut cum cognorit, perpetuo oderit.
Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius;
Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans:

meretrice avara, virginem nimirum, quam perdite amabat, procuravi, et acquisitionem ejus perfeci sine difficultate, sine sumtu et impensis pecuniarum; id vero est gloriosum et palma dignum, quod mihi tribuo, quoniam rationem inveni qua adolescentulus possit meretricum ingenia et mores pernoscere, ut, cum tempestive illas penitus cognoverit, perpetuo odio eas prosequatur. Dum foris cœnant, nihil videtur tersius, et honestius, nihil magis ornatum nec magis lepidum. Quæ, cum epu-

et Rivius a se inventum merito glossam vocat. *West.* *Eam confeci sine molestia*] Non audiendus Donatus scribens ad gladiatores respici, et virginem intelligi adeo devictam, ut gravissimo vulnere occubuerit. Sensus enim est: Feci ut potiretur virgine, quam amabat. Est emphasis in τῷ 'confeci,' amplius quid sonante, quam, effeci. Id igitur vult: Effeci ei virginem suo modo fruendam. In plusculis Mss. est, *confeci ut potiretur*, ex glossa scilicet, observante Riv. *Id.* G. ET. EM. *Eam confeci uti potiretur sine molestia.* Donati sententiam firmare videtur Apuleius, qui 'interficere virginitatem' dixit. *Id. in Add.* Citato Donato, notat Bentleius: 'Vides, quantam veteribus Magistris molestiam hæc dederint: nec immerito; non enim aliter explicabis, nisi prius emendaveris. Ecce tibi rem confectam: *Nam, ut mittam, quod ei amorem difficillimum et Carissimum, a meretrice avara virginem Quo amabat, eum confeci sine molestia.* Ubi id habes, quod postulavit Do. 'Confeci,' expedivi amorem difficillimum et carissimum, quo amabat virginem ab meretrice avara. 'Amare a meretrice virginem,' h. e. in domo et familia meretricis. *A meretrice* omnes nostri, non *ab.* Eug. ad locum: 'Gloriatur, quod amorem ei difficillimum explicaverit, cujus partes enumerat: quod EUM confecit sine molestia,' &c. *Bent.* '*Quo amabat, eum* Bent. recte.' *Perl.* qui notat *Quam* pro *Quo* habere Guelf. 2. et *Quam amabo* dare Guelf. 1. Notat idem *ut potiretur* dare GM. qui, ut videtur, ea verba locat in fine versus. Audacter, nec tamen acute correxisse hos vv. Bentleium censet Bip. quæ vulg. omnino defendit, etiam vulgatum illud *ab*, quod contendit notare h. l. principium, l. unde fuerit illa difficultas et caritas. 'Vulgo *eam*, male;' ait Bothius, qui dat *eum*, 'præterea nihil mutandum censeo.' *A* Br.—10 *Meretricium* Guelf. 2.—11 *Cognoverit* Br. *Tum cognosceret* pro *cum cognorit* Guelf. 2.—13 *Neque magis comp.* Both. *Nec mage comp.* Bip.—14 Non audiendus Guy-

NOTÆ

8 *Palmarium*] Palmarius, a, um; quod est palma dignum: aliquando substantivum est et videtur poni pro victoria, l. I. § 5. D. De extraordinariis cognitionib. his verbis; 'Honoraria summa peti poterit usque ad probabilem quantitatem; etsi nomine palmarii cautum est.' Id vocabulum sumtum a Gladiatoribus; nam victori Gladiatori is honos habebatur, ut coronatus palma laudes ferret.

Quæ, cum amatore suo cum cœnant, liguriunt.
Harum videre ingluviem, sordes, inopiam;
Quam inhonestæ solæ sint domi, atque avidæ cibi;
Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent;
Nosse omnia hæc, salus est adolescentulis.

lantur, non vorant, sed lente et delicate suaviora quæque cum amatore suo mandunt: harum vero licet videre insatiabilem voracitatem, immunditias, egestatem, cum domi sunt. Quam obscœnæ, quam gulæ deditæ, quo pacto juris hesterni panem atrum deglutiunt. Hæc omnia didicisse non modo utile, sed salutiferum adolescentibus.

etus, versum hunc in Morboniam ablegans. Agnoscit Donatus, agnoscunt Codices Mss. Et, si oppositionis legem consideres, appositissimus est. Varro de R. R. III. 16. de apibus: 'Non, ut muscæ liguriunt, quod nemo has videt, ut illas in carne aut sanguine, aut adipe. Ideo modo considunt, in quo est sapor dulcis.' Malim, *In eo modo considunt.* Ubi P. Victorius annotat: 'Duo *rr* hoc verbum habere in optimis exemplaribus et hic, et apud Terentium observavi in Eunucho, *Quæ cum amatore suo cum cœnant, ligurriunt. Ligurriunt* enim, flosculos epularum carpunt, et delicatiores dapes studiose sectantur.' Sed et plusculi Mss. habent *ligurriunt.* In aliis est: *Quæ cum amatores suos vocant, liguriunt.* West. Lectio Vet. Cod. *cum amatores suos vocant, lig.* non mala. *Lind.* *Quæ cum amatore suo cum cœnant, liguriunt*] Tres antiquissimi libri *ligurriunt* per duo *r* scribunt. Posset ergo hic versus sustentari eliso per parellipsin altero ex eis: melius tamen est retrahere dictionem *suo;* quæ nec in Vi. est nisi superaddita: nec sane sensui est necessaria. *Fa.* Libri fere omnes *cum amatore suo:* quod vir eruditus in textum admisit, et *liguriunt* scribit secunda brevi. Sed laterem profecto lavant, quicumque huic versui medicari cupiunt. Ex Lindenbrogii codice id colligas, Annotatiunculam, olim inter lineas factam, in textum postea irrepsisse; et pro vario Librariorum captu in senarii numeros redactam. *Bent.* qui *ligurriunt* edidit et defendit: sed totum versum damnat et uncinis includit. 'Male,' ait Bip. 'hunc vs. dispungunt edd. a sqq. cum pars antecedentis sit, cui contraria sunt conseqq. Stultissime Bent. hunc vs. stultitiæ arguens expungit ut ingestum. *Ligurire* est, multo fastidio suaviora quæque degustare. Est a λίγυς, suavis; non a λίχνος, gulosus.' *Quam cum a. c. cum ligurriunt* dat Both. notatque: 'Vulgo *Quæ cum a. cum c. ligurriunt:* quæ ita displicebant (merito autem displicebant) Bentleio, ut totum versiculum delere quam emendare mallet: nimis calide hoc quidem. Novum autem orationis membrum incipi verbis 'Nec magis,' maxime τῷ 'quicquam' intelligitur: quod si abesset, recte uno tenore dicerentur illa: 'nil videtur mundius, Nec magis compositum, nec magis elegans:' nunc minus.' *Ligurriunt* Br. Eug. et Perl. qui omittit *suo.*—15 *Ingluviem*] Ita præstantissimæ editiones, St. Aldi, Junt. aliæque vetustiores, etiam EP. cum Mss. plurimis. Faërnus tamen tuetur *illuviem.* In Ms. Lips. est *inluviem.* Ita et duo Leidd. et fuit in tertio; unde postea formatum *igluviem.* Duo diserte, *illuviem.* West. Videtur 'ingluvies' dicta quasi, ingulnvies, a gula. G. et EM. *illuviem:* quod tuetur Gifanius in Ind. Lucret. *Id. in Add.* Paucissimos libros scriptos invenias, in quibus pro *ingluviem* non legatur *illuviem*, vel *inluviem*, ut in omnibus antiquis: et sane ita legendum esse etiam ipsa oppositorum ratio ordoque ostendit. *Fa.* Etiam ex nostris plerique *inluviem;* et sententia id flagitat. *Bent.* *Illuviem*] *Ingluviem* habent deteriores libri. *R. D.* Bent. edidit *illuviem*, haud recte. *Bip.* *Illuviem* dant Br. Z. Both.—16 *Sint solæ* Both.—17 Linacer *cum jure* legit. *West.* Præpositione 'ex' sic sæpe utuntur medici. *R. D.*—18 Mallet Guyetus in Scholiis Mss. *adolescentuli:* ut

PY. Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus,
Ulciscar, ut ne impune in nos illuseris.

PY. *Ego, per Pollucem, pro istis dictis et factis te, scelerose, ulciscar et puniam, ut non impune feras quod nos ludificatus fueris.*

ad solum Chæream referatur. *West.* *Nosse omnia hæc salus est adulescentulis*] Sentitne auris tua ingratum illud *salus est?* Si minus, at certe hoc concedes, vix bene Latine sic dici. Repono, *Nosse omnia hæc saluti est adulescentulis.* Bent. *Saluti* ergo dat Both.—19 *Pol pro istis te dictis* Ms. Lips. *West.*—20 Mallet Guy. in Scholiis Mss. *Ulciscar: ut ne impune in nos illuseris?* Id. *Impune in nos illuseris*] Melius ex Regiis unus, et ex Meadianis alter, *impune nos illuseris.* Bent. *Illuseris*] GM. hic finem habet Scenæ. *Perl.* *Ego pol...illuseris*] Pyth. regressa forsan v. 8. substitisse videtur, et secum loquenti Parm. aures præbuit: auditisque hæc ad spectatores dicit: dein exclamans de infortunio Chæreæ propius accedit. Unde Bent. scenam sequenti conjungit. Sed tamen novum metrum incipit a clamore Pythiæ. *Bip.* Hæc sequentibus conjungunt et Z. Both. Perl.

ACTUS V. SCENA V.

PYTHIAS. PARMENO.

PY. PROH fidem Deum! facinus fœdum! o infelicem adolescentulum!
O scelestum Parmenonem, qui istum huc adduxit! PA. Quid est?
PY. Miseret me: itaque, ut ne viderem, misera huc effugi foras.

PY. *Proh Deum fidem! facinus turpe et crudele! O infortunatum adolescentulum! O scelerosum Parmenonem, qui istum in hanc domum adduxit!* PA. *Quid est?* PY. *Adeo misericordia commota sum, ut, ne tam atrox tormentum cernerem, misera huc foras me subduxerim. Quæ infanda et sæva suppliciorum*

1 *Pro fidem Deum.* Solus Bem. habet hanc collocationem verborum: quamvis deinde, eadem fere manu, eorum inversio sit notata ab indicante legendum *Pro Deum fidem,* ut habent omnes alii libri et Donatus. In antiquissimis libris hæc superioribus junguntur in unam eandemque scenam. *Fa.* Servius ad Æn. II. 502. sic citat: *Pro Deum atque hominum fidem.* Fortasse an vera lectio est, *Pro Deum atque hominum, facinus fœdum.* Bent. *P. D. fidem* Br. Eug. Bent. Bip. Both. Perl.—3. 4 *Itaque ut ne viderem*] Recte Perizon. ad Sanctii Minerv. IV. 11. p. 723. conjungit omnia, et sine interrogatione verba 'Quæ futura ex. d. dicunt in eum indigna' refert ad 'viderem;' et sic edi-

Quæ futura exempla dicunt in eum indigna? PA. O Jupiter!
Quæ illæc turba 'st? numnam ego perii? adibo: quid istuc, Pythias?
Quid ais? in quem exempla fient? PY. Rogitas, audacissime?
Perdidisti istum, quem adduxti pro Eunucho, adolescentulum,
Dum studes dare verba nobis. PA. Quid ita? aut quid factum 'st? cedo.
PY. Dicam: virginem istam, Thaidi quæ hodie dono data 'st,
Scis eam hinc civem esse, et fratrem ejus esse apprime nobilem?
PA. Nescio. PY. Atqui sic inventa 'st: eam iste vitiavit miser.

exempla dicuntur in eum facienda esse! PA. *O Jupiter! quæ illa turbatio est? Egone occidi? accedam. Quid istud est, Pythias? quid quereris? in quo exempla gravia pœnarum edenda esse dicis?* PY. *An quæris, impudentissime? Exitium attulisti huic adolescentulo, quem pro Eunucho ad ædes nostras deduxisti, dum nos dolis circumvenire conaris.* PA. *Quid ita dicis? aut quid factum est? Dicito.* PY. *Dicam. Novistine virginem istam, quæ hodie dono data est Thaidi, civem esse hujus urbis; ejusque fratrem inter primos nobiles numerari?* PA. *Nescio.* PY. *Atqui esse eam civem Atticam compertum est. Hanc iste adolescentulus stu-*

dit Bent. [et Both.] *R. D.* Ms. Lips. *digna.* Perizonii ad Sanct. Min. IV. 11. n. 3. auctoritate motus, maximam distinctionem sustuli post 'foras.' *West.* *Ut ne*] *Id* [Br. et] Rom. cod. *Perl.* Maxima distinctione ad finem versus 3. pungunt Br. Bip. Perl. et post 'indigna' Br. Post 'indigna' admirandi signum exhibet Perl.—5 *Illæc*] GM. gl. *illa hæc.* Itid. Br. in textu. *Perl.* Vulg. *Quid istuc, Pythias? Quid ais,* minus recte. *Both.* qui levissime pungit in fine huj. vs. *Istic* Br.—6 *Rogas* Br.—7 *Istunc* Both.—9 *Hodie quæ dono*] Bem. *quæ hodie.* Fa. Atqui omnes nostri, *Thaidi, hodie quæ.* Recte; et gratior it versus: quod et vir doctus sensit. *Bent.* *Hodie quæ* Br. Delph. Both. Perl.—10 *Scis eam hinc civem esse*] Atqui hoc pacto *civem* in Thesi totum occultatur. Omnes fere nostri, *civem hinc?* Bent. *Et ejus fratrem apprime nobilem*] O. l. s. ita collocant, *fratrem ejus;* et Donatus quoque: ac præterea is ipse et libri scripti Terentii fere omnes, post 'ejus,' habent verbum *esse:* quod et versui necessarium est, et sermoni, quamvis geminatum videatur, non incommodum. *Fa.* Omnes etiam nostri, *fratrem ejus esse:* sed lege, *fratrem eii esse.* Nunc indicat, fratrem virgini esse; non sumit ut Parmenoni notum. Qui enim potuit hoc scire, qui ne ipsam quidem quæ esset sciret? *Bent.* *Scisne hinc esse civem, et fratrem ei esse* Both. *Scin' eam hinc civem esse, et ejus fratrem app. nobilem* Delph. *Scin'* etiam Bip. *Civem hinc* Perl. *Scis istam civem* videtur legisse Eug.—11 *Est* omittit Both.—12

Ille ubi hoc rescivit factum, frater violentissimus.
PA. Quidnam fecit? PY. Colligavit primum eum miseris modis. PA. Hem!
Colligavit? PY. Atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.
PA. Quid ais? PY. Nunc minatur porro, sese id, quod mœchis solet;
Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim. PA. Qua audacia
Tantum facinus audet? PY. Quid ita tantum? PA. An non tibi hoc maxumum est?
Quis homo pro mœcho unquam vidit in domo meretricia
Prehendi quenquam? PY. Nescio. PA. At, ne hoc nesciatis, Pythias,

pravit miser. Ille frater ejus, impetuosus admodum, et ad vim inferendam promtissimus, ubi hoc inaudivit. PA. *Quidnam fecit?* PY. *Constrinxit primum eum, in modum crudelem, arctis vinculis.* PA. *Hem, colligavit?* PY. *Atque id, deprecante illum Thaide ne id faceret.* PA. *Quid ais?* PY. *Nunc minitatur sese id facturum, quod adulteris fieri solet: quod sumi supplicium non adhuc vidi, neque videre velim.* PA. *Quis ita audax, et temerarius, ut tantum facinus audeat?* PY. *Quid ita tantum ais?* PA. *An non hoc maximum est? Quisquamne hominum unquam vidit ullum in ædibus meretricis corripi pro mœcho?* PY. *Hoc nescio.* PA.

Ille ubi id r. f. Bem. non habet partic. *id*, nisi superadditam: qua demta, factum nomen erit, et perinde erit ac si diceret: Ubi rescivit rem: quod elegantius sine pronomine dici videtur. *Fa. Ille ubi rescivit factum*] Sic ex Bem. Faërnus, et sic ex Regiis unus. Ceteri omnes, *Ille ubi id rescivit factum.* Bent. *Id* vel *hoc* omittunt Br. Delph. Z. Both. *Id* pro *hoc* dant Bent. Bip. Perl. *Esse factum* Guelf. 2. 3.—13 Ms. Lips. *miseris nodis.* Sed erasa prima parte τοῦ *m.* Westerhovius. Bem. *Hem* in sequentem versum rejicit. Melius est eam interjectionem delere ex fide aliorum vetustorum librorum, versuumque ratione. *Fa.* Neque nostri agnoscunt *Hem.* Et præterea illud *Atque equidem*, quod libri constanter retinent, suo se indicio prodit. Lege, *Et quidem orante.* Bentleius. *Hem* omnes nostri, et apte in re atroci infertur trochaicus plenus. *Both.* *Hem* collocat Delph. versu 14. post 'Colligavit.' Omittunt Br. Bip.—14 *Colligavit eum* G. *Hæc* ad *ais* absunt a Ms. Lips. In EP. est *A. e. fecit orante.* West. *Quidem* Bent. pro *equidem*, recte. *Colligavit eum* Guelf. 2. *Eum ligavit* 3. *Perl.* qui cum Both. dat *Et quidem.*—15 *Sese id facturum* Ms. Lips. ET. [Guelf. 1.] *Minitatur* G. EM. [Delph.] *West.* Omnia hæc dat Br.—16 ET. junctim *Qua audacia facere tantum facinus audet?* West.—17 In G. suprascriptum: Alii libri hoc modo: *Annon tibi dehonestare tantum juvenem hoc maximum est?* Id. *Audet*] J. et Venetus cod. *facere:* non inepte. *Perl.* *Hoc* omittunt Bent. Bip. Delph. Both. Perl.—18 *Quis homo pro mœcho unquam vidit*] Vides *pro* acui, et *mœcho* in Thesi deprimi. Non ita Scena proxima vs. 22. 'Hunc pro mœcho postea.' Lege hic ergo, *Quis homo unquam pro mœcho vidit.* Ita voces singulæ recte feriuntur. *Bent.* Obsequuntur Both. Perl.—19 *Deprehendi* G. ET. EM.

Dico, edico vobis, nostrum esse illum herilem filium. PY. Hem,
Obsecro, an is est? PA. Ne quam in illum Thais vim fieri sinat.
Atque adeo autem cur non egomet intro eo? PY. Vide, Parmeno,
Quid agas, ne neque illi prosis, et tu pereas; nam hoc putant,
Quicquid factum est, ex te esse ortum. PA. Quid igitur faciam miser?
Quidve incipiam? Ecce autem video rure redeuntem senem.
Dicam huic, an non? dicam hercle, etsi mihi magnum malum

Ac ne hoc ignoretis, Pythias, nuntio, denuntio vobis, illum esse nostri heri filium. PY. *Hem! quæso, an is est?* PA. *Ne quam in illum violentiam exerceri Thais permittat. Immo etiam, cur non ego intro domum irrumpo?* PY. *Ne hoc facias: cave: nec enim illum juveris et te perditum iveris. Hoc enim credunt, te hujus, quod factum est, quantumcumque sit, esse auctorem.* PA. *Quid igitur faciam, infelix? Quidve aggrediar? Ecce autem aspicio senem herum e villa in urbem revertentem. Num illi dicam filii periculum, an non? Nuntiabo per Herculem,*

West. Hic versus est octonarius iambicus, cum alii hujus scenæ sint trochaici catalectici; sed in dictione *Deprehendi* variant l. s. alii enim *Deprendi*, alii *Apprehendi.* Bem. et V. *Prehendi;* quæ mihi lectio probatur: ex qua facio *Prendi*, duas in unam priores syllabas contrahendo: præsertim cum aliquot libri eam partem ita contractam habeant in *Deprendi.* Fa. Duobus exceptis omnes nostri *Prehendi;* hoc est, ut Faërnus, *Prendi.* Bent. *Prendi* Bip. Both. *Deprendi* Delph. *Anne* pro *At, ne* Guelf. 2. et Z.—20 *Edico vobis*] GM. *et edico tibi.* Perl.—21 *Ne quam, &c.* Existimat Bœcl. Donatum hæc verba Pythiæ tribuere, laudatque. Certius id constaret, si integris vocibus expressa essent omnia Donati. Ubi enim dixerat, 'Quam bene providet Pythias!' addit: 'quæ equidem o. n. n. s. i. t.' Quodcumque fuerit, verba edicentis et interminantis Phædriæ esse videntur. Sin aliter capias, multum de vi verborum decedere necesse est. Neque aliter apte satis cohærent illa: 'Atque adeo autem cur non egomet intro eo?' Prohibiturus scilicet, ne vis fiat in Chæream. *West.* *Quis* pro *an is* Delph. *Eum* pro *illum* videtur legisse Eug. *Fieri vim* dat Both.—23 *Nam hoc ita* Guelf. 1.—24 Nostri fere omnes *a te.* Bent. Sic Br. Both.—25 *De rure* Guelf. 3.—26 Guy. in Scholiis Mss. *Dicam hercle, dicam.* West. Hic versus, qui ut ceteri Tetrameter esse debuit, toto pede brevior est. Sed præsto adest vir doctus, qui nulla neque in 'Dicam' neque in 'hercle' elisione facta pedem, sed ligneum, suppeditat. Quo vero exemplo nulla hic fiet elisio? Plauto, ait, hoc frequens. Miseret me profecto Plauti, qui omnibus erratis patronus accersitur. Tu mecum lege, *Dicam huic, an non dicam? dicam hercle, etsi mihi magnum malum.* Bent. Sequuntur Both. Perl. *Etiam* post 'hercle'

Scio paratum; sed necesse est, huic ut subveniat. PY. Sapis.
Ego abeo intro: tu isti narra omnem rem ordine, ut factum siet.

quamvis noverim mihi magnum malum inde datum iri; sed necesse est huic dicere, ut illi auxilietur. PY. *Sapis, qui hæc facturus sis. Ego intro domum eo. Tu hero tuo recense ex ordine, ut omnia facta sunt.*

Guelf. 3.—27 *Si sapis* Guelf. 2.—28 Mss. M. et Lips. *omnem ordinem.* Ita et EP. ET. aliæque, quas laudat Riv. In aliis varie. *Narrato* G. ET. EM. *West.* *Tu isti narrato omnem rem ordine ut factum siet*] In magnam difficultatem incidit et hic versus. Sed, cum Vi. et Bem. non *narrato* habeant, sed *narra:* cumque et ab his libris et ab omnibus aliis absit dictio *rem:* ita enim in omnibus legitur, *omnem ordinem, ut factum siet;* unus etiam, pro *omnem, omne* habeat; crediderim et versui commode et sermoni legendum, *Ego abeo intro: tu isti narra omne ordine, ut factum siet.* Quod autem *omne* absolute dici possit, ostendit Plautus in Amphitryone. *Fa.* Mire hic variant codices nostri. Recte Faërnus. *Bent.* *Sit* R. *Lind.* *Abeo; tu isti narrato ordine omne, uti f. siet* Both. *Narrato omnem ordinem ut factum sit* Br. *Narrato* Guelf. 1. 3. Delph. *Narrato ordine, ut* Bip. omissis *omnem rem.*

ACTUS V. SCENA VI.

LACHES. PARMENO.

LA. Ex meo propinquo rure hoc capio commodi,
Neque agri neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi satias cœpit fieri, commuto locum.
Sed estne ille noster Parmeno? et certe ipsus est.
Quem præstolare, Parmeno, hic ante ostium?
PA. Quis homo 'st? ehem, salvum te advenire, here, gaudeo.

LA. *Ex meo suburbano prædio hanc commoditatem habeo, quod neque ruris neque urbis fastidium me unquam valde capit; ubi alterutrius cœpit satietas fieri, locum alterum altero muto. Sed estne ille noster servus Parmeno? et certe ipse est. Quem expectas, Parmeno, ante has fores?* PA. *Quis homo me appellat? Ehem!*

3 *Simul comm. locum* M. *Satietas* ET. EM. *West.*—4 In R. *est* omittitur. *Lind.* Edit. add. *noster,* quod tanquam glossam habet codex. *Bruns.*—5 M. [Guelf. 2.] ET. EM. *ante ostium Thaidis.* In G. τὸ *Thaidis* suprascriptum est. *West.* *Præstolare*] GM. sup. script. *ris,* ut legatur *præstolaris.* Perl.—6 Ms. Lips. *salvom te advenisse gaudeo.* Ita et EP. aliæque vetustæ, sed addito, *here.*

LA. Quem præstolare? PA. Perii! lingua hæret metu.
LA. Hem! quid est? quid trepidas? satin' salve? dic mihi.
PA. Here, primum te arbitrari, quod res est, velim;
Quicquid hujus factum est, culpa non factum est mea.
LA. Quid? PA. Recte sane interrogasti: oportuit
Rem prænarrasse me. Emit quendam Phædria
Eunuchum, quem dono huic daret. LA. Cui? PA. Thaidi.
LA. Emit! perii hercle: quanti? PA. Viginti minis.
LA. Actum est. PA. Tum quandam fidicinam amat hic Chærea.
LA. Hem! quid? amat? an scit jam ille, quid meretrix siet?

salvum te redire, here, gaudeo. LA. *Quem expectas?* PA. *Occidi. Lingua hæret palato præ metu.* LA. *Hem! cur contremiscis? Satisne domi salvæ sunt res nostræ? Dic mihi.* PA. *Here, primum te arbitrari velim; quicquid hujus rei, de qua quæritur, factum est, culpa mea factum non est.* LA. *Quidnam est?* PA. *Recte quidem interrogasti: nam ante me narrasse oportuit rem quæ te absente evenit. Phædria emit quendam Eunuchum, quem donaret illi.* LA. *Cuinam?* PA. *Thaidi.* LA. *Occidi per Herculem. Quanto pretio?* PA. *Pretio viginti minarum.* LA. *Actum est de me.* PA. *Tum quandam Chærea fidicinam amat hic apud Thaidem.* LA. *Hem! quid? amat? an jam didicit quid sit meretrix?*

G. *salvom te advenire gaudeo, here.* West. Omnes nostri, uno excepto, *advenisse* cum Edd. vett. Præterea duo veterrimi et tertius bonæ notæ non habent *here.* Lege, *salvom te advenisse gaudeo.* Mox tertio abhinc versu 'here' habes: quod putide repeteretur. *Bent.* *Advenisse*] Sic rectius Bentleius. *Bip.* Bentleii totam lect. dant Br. Both. et Perl. qui monet *advenisse, here* dare Guelf. 2. *Hem.* Delph.—8 *Quid est?* quid *trepidas?*] Ita tres Leidd. et Bœcleri omnes. Alii junctim, *Quid est, quod trepidas? Satin' salve?* Ita Do. sed et Mss. et editi quidam. Ms. Lips. *Quid tu trepidas?* Ita et Leid. unus: unus vero, *Quid est, quod tu trepidas?* In aliis est *salvæ.* Ita Livius I. 58. et XL. 8. In aliis *salve.* Ita Plautus et Sallustius Donato citati. *West.* Appone 'Hem' versui priori: et lege, *Quid est, quod tu trepidas? Tu* habent nostri plerique omnes. *Bent.* *Salvæ* Par. ed. *Perl.* Sic Delph. Both. *Quid est, quod trepidas* Both. *Quid est quod tu trepidas* Br. 'Hem' rejiciunt in versum 7. Bip. Both.—9 Mss. et edd. vett. quidam, *id quod res est.* West. Plerique ex nostris *id quod r. e.* Bent. *Id* dant Br. Bent. Delph. Bip. Both. Perl.—10 *Hujus quicquid* Both.—11 *Quid id est* Guelf. 2.—12 *Prænarrare* M. *West.* Sic Guelf. 2.—15 Repone, *amat hinc:* id est, eadem Thaidis domo. *Bent.* *Hinc* Bent. recte. *Perl.* qui id dat cum Both.—16 *Hem, quid? amat?*

NOTÆ

9 *Te arbitrari, quod res est, velim*] Se Parmeno excusat et purgat antequam accusetur; quæ orationis perturbatio animum male conscium arguit.

An in Astu venit? aliud ex alio malum.
Pa. Here, ne me spectes: me impulsore hæc non facit.
La. Omitte de te dicere: ego te, furcifer,
Si vivo! sed istuc, quicquid est, primum expedi.
Pa. Is pro illo Eunucho ad Thaidem deductus est.
La. Pro Eunuchon'! Pa. Sic est: hunc pro mœcho postea
Comprehendere intus, et constrinxere. La. Occidi.
Pa. Audaciam meretricum specta. La. Numquid est
Aliud mali damnive, quod non dixeris,

An in astu (in urbem) ex Piræeo venit? Aliud ex alio malum oritur. Pa. *Here, ne me minacibus oculis intuearis; non ego eum ad hoc faciendum impuli.* La. *Desine de te verba facere; ego te, furcifer, si vitam Dii prorogent, male mulcabo: sed istud, quodcumque est, paucis verbis enarra.* Pa. *Is (Chærea) pro Eunucho Thaidi traditus est.* La. *An pro Eunucho?* Pa. *Sic est: hunc postea intus comprehenderunt et colligaverunt.* La. *Interii.* Pa. *Temeritatem meretricum considera.* La. *An aliud mali, damnive, quod non dixeris, adhuc tibi dicendum*

an scit jam ille quid meretrix siet] Vides *amat*, quod præsertim in repetitione acui debebat, in Thesi latere. Ergo 'Hem' priori versui appone, et lege, *Quid? amat? an jam scit ille quid meretrix siet?* Priscianus p. 1012. *Hem, amat? quid? an scit ille:* omisso *jam:* sic ibi et vetus codex. *Bent. Quid*] Mutatum in *quod*. Bruns. Bentleium sequitur Both.—17 Ms. Lips. *An in Astu venit aliud ex alio malum?* Eand. lect. ex libris Mss. et editis citat, sed improbat Rivius. Vide Donatum. *West.*—18 *Hoc* M. *Id.*—21 Ms. Lips. [Br.] et G. *ad Th. hanc.* Id. *Ad Thaidem hanc*] *Hanc* non est in Bembino, et certe superfluit, cum jam supra dixerit, 'huic Thaidi.' *Fa.* Nostri omnes, uno excepto, *hanc:* et sane amat Terentius syllabas ultimas liquefacere. Lege vero, *Is pro illo Eunucho ad Thaidem huc deductus est.* Supra II. 3. 60. ipse dicit Parmeno: 'Huc deductast ad meretricem Thaidem: ei dono datast.' Et nota, eum tam hic quam illic ante ostium Thaidis stetisse. *Bent.* Sequuntur Both. Perl.—23 *Comprendere* Both.—24 Totum vs. dat Lachi Both-

NOTÆ

17 *An in Astu venit*] Athenienses urbem suam Astu vocabant. Cicero primo de Legibus: 'Theseus,' inquit, 'eosdem migrare ex agris, et in Astu, quod appellatur, omnes se conferre jussit.' Ἄστυ Græce significat urbem. Ceterum Athenæ in duas divisæ erant partes; urbem, quæ dicta Ἄστυ, et portum, qui Πειραιεὺς vocatus est: eas autem partes unus complectabatur ambitus; sed ita ut plebeii et democratiæ fautores in regione Piræei agerent; elegantiores nobilioresque Astu incolerent. A potiori igitur parte et ad portus discrimen Ἄστυ et Ἀστικοὺς nominabant Urbem et Urbanos.

19 *Furcifer*] Dicebatur servus, qui ob leve delictum cogebatur a domino ignominiæ magis, quam supplicii causa, in vicinia furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus, et prædicare peccatum suum, simulque monere ceteros ne simile quid admitterent.

Reliquom? Pa. Tantum est. La. Cesso huc introrumpere?
Pa. Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum;
Nisi quia necesse fuit hoc facere, id gaudeo,
Propter me hisce aliquid esse eventurum mali.
Nam jam diu aliquam causam quærebat senex,
Quamobrem insigne aliquid faceret his. Nunc reperit.

restat? Pa. *Nihil præterea est.* La. *Quid moror, quin intro has ædes impetum facio?* Pa. *Certum est mihi magnum ex hac re impendere malum: sed necesse fuit hoc factum referre seni, ut filio suo Chæreæ succurreret. Ex hoc gaudeo hisce meretricibus, mei causa, aliquod malum factum iri: nam jam pridem aliquam causam optabat habere senex, ut aliquod insigne facinus in meretrices istas ederet: is nunc invenit.*

ius.—26 Forte *Relictum.* Er. *Introrumpere*] Alii *intro irrumpere.* Non. Marcellus: *intro rumpere.* G. *Cur cesso huc intror.* West. *Reliquom. Tantum est. Cesso huc intro irrumpere*] Bem. et Vi. et aliqui alii, *introrumpere.* Utroque modo versus stat, si in 'Cesso huc' synalœpha non fiat. *Fa.* Non in 'Cesso huc' cessat Synalœpha: sed *Reliqüom* est quadrisyllabon, ut alibi non raro. *Introrumpere* autem etiam Nonius hic legit v. Rumpere. *Bent. Relictum* defendit Both. ob accentum. *Cesson'* Delph. *Intro irrumpere* Br. —28 *Necesse*] Donato memoratum *necessus* defendit P. Victorius, legiturque in exemplo, quo usus est Guyetus, edit. Heidelb. 1587. *West.* In Bem. scriptum est *necessus*, quod et Do. admittit. *Fa.* Sane syllaba longa hic versum adjuvat. Sed *necessum* hic malim, ut sæpe apud Plautum. Donatus quidem agnoscit *necessus*, sed genere masculino ut *necessis.* Bent. *Necessum* Bip. *Fuit necessum* Both. *Fuit necessus* Perl.—29 *Venturum* M. *West. Me propter al. hisce event. mali* Both. *Esse* omittit et Perl. qui notat id habere Guelf. 2. 3.—31 Editi vetustissimi fere omnes cum Mss. quibusdam, [ut Br.] *faceret. Is nunc reperit.* Minus accurate. Ita tamen et Junt. et St. Aldinæ variant. *West. Quamobrem insigne aliquid faceret iis: nunc reperit*] Unus tantum ex nostris hoc ordine: duo cum vett. Edd. *insigne faceret aliquid;* plerique, *aliquid insigne faceret.* Repone certissime: *Quamobrem aliquid ægre faceret iis; nunc reperit. Aliquid mali insigne* ne Latinum quidem est. In altero quoque ordine legere poteris, *Quamobrem ægre faceret aliquid iis.* Bent. *Iis* Z. Delph. Bip. Both. et Perl. qui notat in Guelf. 3. esse *is nunc rep. causam.*

ACTUS V. SCENA VII.

PYTHIAS. PARMENO.

Py. Nunquam ædepol quicquam jamdiu, quod magis vellem evenire,

Py. *Nunquam ædepol quicquam jucundius, quod magis mihi optarem accidere,*

Mihi evenit, quam quod modo senex intro ad nos venit errans.
Mihi solæ ridiculo fuit, quæ, quid timeret, sciebam.
PA. Quid hoc autem 'st? PY. Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.
Sed ubi, obsecro, is est? PA. Men' quærit hæc? PY. Atque eccum video! Adibo.
PA. Quid est, inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin'? PY. Perii:
Defessa jam sum misera te ridendo. PA. Quid ita? PY. Rogitas?
Nunquam, pol, hominem stultiorem vidi, nec videbo. Ah,
Non possum satis narrare, quos ludos præbueris intus.

unquam accidit, quam quod modo senex Laches intro domum ad nos venit, falso existimans filium suum esse constrictum. Soli mihi risum præbuit, quæ causam, cur metueret, noveram. PA. *Quid autem hoc est, quod loquitur Pythias?* PY. *Nunc propter id prodeo foras, ut Parmenonem adeam et alloquar; sed ubi quæso est?* PA. *An me quærit hæc?* PY. *Atque ecce eum video: ad eum ibo.* PA. *Quid est, insana? quid tibi vis? quid tam effuse rides? perseverasne ridere?* PY. *Risu morior: delassata sum misera jam te deridendo.* PA. *Quid ita?* PY. *Quærisne? num ignoras? nunquam pol quenquam ineptiorem cognovi, nec cognoscam: ah, nequeo satis verbis exponere quos risus excitaveris intus in ædibus: atqui primo te*

2 *Quam senex quod intro ad nos modo* Both. Maximam distinctionem dat Br. post 'modo.'—3 *Scibam* Bent. Bip. Both.—4 *Id exeo* Ms. Lips. *West.*—5 In antiquis libris legitur affirmative, *Me quærit hæc.* Item, *Nunquam pol.* Fa. Sic et nostri. *Bent.* *Is* omittunt Br. Bent. Z. Both. Delph. *Me* dant hi omnes, cum Perl. Post 'hæc' non interrogant Bent. Both. Bip. Perl.—6 *Perii*] M. et Bœnd. cum edd. vetustissimis, *Ah, ah, eh, perii.* Defendit Adrianus Barlandus, Antesignanus resecat, ob metrum. *West.* *Quid tibi vis*] Lege, *q. t. est?* Bent. Vulgo *Quid est, inepta?* Sed *Quid* arbitror fuisse QUID; i. e. *Quid id:* certe versus poscit *Quid id est*, non *Quid est*. Both. *Ha, ha, he, perii* Guelf. 2. *Ahaheu, perii* 1.—7 *Rogas* Ms. Lips. *West.* *Deridendo* Guelf. 3.—8 *Ædepol* G. [et Guelf. 2.] *Vidi te* M. et Bœnd. *West.* *Stulticiorem* Br.—9 *Non pote satis narrare* alias. *Er.* Ms. Lips. et Bœnd. cum EP. *Non satis potest narrari.* Par. ex tribus Pall. et Paris. citat, *Non potest satis narrari.* Alii, *Non pote satis narrari.* West. Lege ordine paulum immutato: *Non possum satis narrare quos præbueris ludos intus.* Sed unde illud petitum est, *Non possum satis narrare?* Siquidem nostri universi, *Non satis potest narrari quos.* Quarum lectionum non (ut vir doctus opinatur) utraque commoda est: hæc enim posterior versum trucidat. Quod

NOTÆ

3 *Mihi solæ*] Vetuste pro, soli.

6 *Quid est, inepta? quid tibi vis*] Conspecto servo cœpit ancilla erumpere in risum, adeo ut sibi temperare non posset.

At etiam primo callidum et disertum credidi hominem.
Quid? illicone credere ea, quæ dixi, oportuit te?
An pœnitebat flagitii, te auctore quod fecisset
Adolescens, ni miserum insuper etiam patri indicares?
Nam quid illi credis animi tum fuisse, ubi vestem vidit
Illam esse eum indutum pater? quid est? jam scis te periisse?
PA. Hem! quid dixti, pessuma? an mentita es? etiam rides?
Itan' lepidum tibi visum est, scelus, nos irridere? PY. Nimium.

cautum, intelligentem, et facundum esse existimavi. PA. *Quid?* PY. *An statim fidem adhibere dictis meis debuisti? An te pœnitebat flagitium, quod te impulsore commisisset adolescens Chærea, nimis leve fuisse, nisi amplius miserum illum patri proderes et deferres? Nam quomodo eum affectum fuisse putas, ubi se vidit a patre deprehensum esse, in illa veste Eunuchi? quid est? scisne de te jàm actum esse?* PA. *Hem! quid dixisti, deterrima? An mentita es, cum mihi dixisti Chæream a Chremete colligatum fuisse? etiam pergis ridere? Itane urbana et lepida existimari voluisti, scelesta, si nos ludibrio haberes?* PY. *Valde hoc visum est mihi lepidum.*

si hanc loquendi formam prætuleris, sic versui mederi possis, *Non satis potest narrarier, quos dederis ludos intus.* Sed prior illa lectio satis se commendat. *Bent.* *Non pote satis narrari* R. *Lind.* *Q. præb. l.*] GM. sup. script. *de sene quem fecisti domum ingredi.* Huic glossæ etiam in Br. adduntur hæc: *pulsantem ut senes solent.* Perl. Hæc tota glossa est in Br. unumque versum conficit, de quo ita Bruns: 'Totus versus abest edition. neque inter VV. LL. eum reperi.' *Non pote satis narrari* Both. Delph. *Non satis potest narrari* Br. *Non potest satis narrari* Both. qui notat: 'Al. *Non possum satis narrare:* quod Bent. præfert. Al. *Non satis pote.*' *Præb. ludos* Perl.—10 *Callidum et*] Nostri magno numero *ac*, et Edd. vett. *Bent.* Sic dat cum Br. et Perl. *Credidi te* Guelf. 3. *At te etiam* Both. qui *te* vulgo minus recte abesse censet.—11 PA. *Quid?* PY. *Illicone*] In antiquis libris et omnibus fere aliis etiam dictio 'Quid' Pythiæ tribuitur. *Fa.* Ita etiam nostri. *Bent.* Reddimus τὸ 'Quid' Pythiæ. *Bip.* *Illico nec reddere* Guelf. 3. Dat 'Quid' Pythiæ Guelf. 1.—13 *Miserum patri ni insuper etiam* Both.—14 Iterum jugulatur versus. Repone, *Nam quid illi credis tum animi.* Bent. Sequitur Perl.—15 M. et Bœnd. sed et quidam editi vetusti: PA. *Quid est?* PY. *Jam scis te periisse?* Præstat autem utrumque tribuere Pythiæ, et inferre ad consternatum Parmenonis vultum. *West.* *Quid est? jam scis*] Lege *Quid? jam scis.* Bent. *Quid*] Vulgo *quid est?* asperioribus numeris. Bent. *est* omisit, et sic B. *Both.* *Perisse* Br. Bent. Bip. Both. Post *periisse* non interrogat Z.—16 Scripti et editi quidam libri, *dixisti.* West. Non potest hic versus ullo modo stare, nisi *dixisti* legas; ut et in aliquibus libris scriptis Terentii et Donati invenio. *Fa.* Duo ex nostris *dixisti:* ceteri *dixti.* Et fortasse 'Hem' priori versui apponendum; et tum legas, *Quid dixti, pessuma? an mihi mentita es? etiam rides?* Bent. *Ehem* Delph. Bip. Both. *Dixisti* Bip. Both. Perl. *Qui* pro *quid* Guelf. 2.—17 *Nimium*] Libri quidam Mss. et editi, *Nimirum.* West. *Illudere* et *Nimirum* Par. p. var. *Perl.* *Nos irridere, scelus* videtur legisse

PA. Siquidem istuc impune habueris. PY. Verum? PA. Reddam hercle. PY. Credo.
Sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse, quod minitare.
Tu jam pendebis, qui stultum adolescentulum nobilitas
Flagitiis, et eundem indicas: uterque in te exempla edent.
PA. Nullus sum. PY. Hic pro illo munere tibi honos est habitus: abeo.
PA. Egomet meo indicio, miser, quasi sorex, hodie perii.

PA. *Si quidem id inultum tuleris, tum demum id lepidum tibi videri dicas.* PY. *Quasi vero id valde metuam.* PA. *Par tibi hercle referam.* PY. *Credo, sed in longam diem forte accidet illud, quod nobis minitaris: tu jam pendens e trabe vapulabis, qui imprudentem adolescentem spectatum et insignem flagitiis reddis, et eundem etiam prodis, et denuntias. Uterque, pater et filius, in te pœnas exercebunt, quæ sint documento ceteris, ne delinquant.* PA. *Perii.* PY. *Ejusmodi honos tibi et palmarium defertur, pro Eunucho, quem dono Thaidi adduxisti. Discedo.* PA. *Egomet me indicans sermonibus meis, quasi sorex occentu et strepitu se prodens, mihi perniciem attuli.*

Eug.—18 Ovidius plenius, Amor. I. 6. 23. 'Redde vicem.' Ita et Petronius non semel. Sed et in quibusdam libris est: *Reddam hercle vicem.* West. 'Verum' irridentis est, uti dein 'credo.' *Bip.* Non interrogant post 'Verum' Br. et nostræ edd.—19 Antiqui libri *minare.* Fa. Et plerique nostri. *Bent.* *Minitare* metro adversum. *Bip.* *Minare* Bent. Bip. Both. Perl.—20. 21 M. et Bœnd. cum quatuor Pall. et edd. veteribus, *denobilitas.* Scilicet et 'nobilis' et 'nobilito' in pejorem partem sumitur. *West.* In altero ex his numeri male se habent, in utroque sententia. Repone, *Tu jam pendebis, stulte, qui adulescentulum nobilitas Flagitiis, et patri indicas: uterque exempla in te edent.* Cur Chæream stultum vocet, nulla ratio est; quem intus ipsa noverat feliciter rem gerere. At Parmeno stultus, ut hic vs. 8. 'Nunquam pol hominem stultiorem vidi nec videbo.' Porro duo codices, Regius et Academicus, *et eundem patri indicas:* unde, ut fit, vox advena domesticam expulit. Nisi enim *patri* retineas, quid hic faciet *uterque*, et filius et pater, cum unus tantum nominetur? Denique nostri universi cum edd. vett. *exempla in te edent.* Bent. *Stulte* Bent. et Both. Vulg. *qui stultum adolescentulum:* non recte. GC. *qui stultum istum denobilitas adol.* Perl. Refingit Bent. *stulte, qui ad.* Sed jam satis stultitiam servo objecerat; et credas stultum hic dici ex amore et ex prima ætate imprudentem Chæream, non nisi auctore servo ad hæc impulsum. *Denobilitas* a Grammaticis fœdum est. Vulg. omittit *patri;* unde vero sic *uterque?* Bent. vero expungit *eundem;* in quo et omnes libb. conveniunt, nec metrum læditur. *Bip.* *Edet* Delph. *Exempla in te* Br. Bentleium omnino sequitur Both. Videtur Eug. legisse *adolescentem.*—22 Guyeto versus hic subdititius videtur: credo, quia parum intellexit. 'Pro illo munere,' pro Eunucho. *Bent.* *Abeo*] Explic. GM. *patre,* Br. *Chærea.* Longe aberrant. *Abeo* non est, ab illo: sed, discedo. *Perl.* *Habitus ab eo*] Hæc codicis nostri lectio ab aliis codd. nondum, quantum scio, prolata est. *Abeo* habet aliquid frigidi. *Bruns.*

ACTUS V. SCENA VIII.

GNATHO. THRASO.

GN. QUID nunc? qua spe, aut quo consilio, huc imus? quid inceptas, Thraso?
TH. Egone? ut Thaidi me dedam, et faciam quod jubeat. GN. Quid est?
TH. Qui minus, quam Hercules servivit Omphalæ? GN. Exemplum placet.

GN. *Cur venimus huc, nunc cum Thais tibi irata est? quæ ibi spes est, quod consilium ut veniamus? Quod cæptum tuum est, Thraso?* TH. *Ut Thaidi me dedam victus, et faciam quæcumque imperabit.* GN. *Quid est?* TH. *Quare minus serviam Thaidi, quam Hercules servivit Omphale?* GN. *Exemplum mihi gratum*

1 Ms. Lips. *qua spe huc imus? aut quo consilio?* Ms. Lips. et G. *quid ceptas?* West. *Quid nunc*] Par. Ms. *facis.* Quod glossema censeo esse. *Perl.* *Ceptas,* i. e. *cæptas* B, C, Hel. ne de suo dedisse id Bentleium quis existimet. Vulg. male *inceptas.* Both. *Cæptas* et Br.—2. 3 *Quid est?* TH. *Qui minus, quam Hercules servivit Omphalæ*] Omnia hæc G. F. vellet dicta a Gnathone. Ego vero, si per Codd. liceret, omnia nec Thrasoni ascripserim, nec Gnathoni; sed putem, ordinem personarum esse turbatum; Thrasonemque, ubi dixisset, 'ut Th. me d. et f. q. j.' videntem Gnathonis admirantis vultum, mox subjunxisse, 'Quid est?' moxque Gnathonem, ne non adularetur in re quamlibet turpi, dixisse: 'Qui minus, q. H. s. Omphalæ?' demum Thrasonem, 'Exemplum placet.' Ad quæ Gnatho conversus ad spectatores, 'Utinam tibi c. v. s. caput!' Quæ sequuntur, optime tribuuntur Thrasoni. Alii, *Qui minus huic.* West. *Quid est*] Malim, *Quid ais?* Nam est admirantis. *Ais* monosyllabon, ut passim. *Bent.* Bent. *est* pro sua licentia emisit ac substituit *ais,* ut monosyllabum. Sed *Quid est* Thrasonicum nobis videtur. Quanquam ego in Guelf. 1. inveni *Quid dicis?* Quod Angli sane attingeret conjecturam. *Qui minus:* Par. p. var. *Quid m.* Totum mavult G. F. dici a Gnathone. At ego Thrasoni tribuo, quippe qui, uti supra Pyrrho, hic Herculi ipse se confert. *Perl.* Vulg. τὸ *Quid est?* quasi miranti Gnathoni tribuunt. Sed rectius sic quæsisset, *Quid ais?* quod Bent. pro lubitu rescripsit. Rectius vero Westerhovii sententiam amplectimur, qua is, persona Gnathonis omissa, Thrasoni et hæc cum seqq. tribuit. Miramur G. F. hæc omnia *Quid est . . . Omphalæ* dicta voluisse a Gnathone, quomodo et ed. recusa 1580. ad rationem Melanchth. et Erasmi habet. Et iidem tribuunt verba 'Ex. pl.' Thrasoni; quod ineptum. Sunt verba adulantis in os stulti; sed idem Gn. ad spectatores conversus et summissiori voce exemplum ad irrisionem Militis exequitur, 'Utinam,' &c. *Bip.* *Qui minus huic* Delph. Bip. *Dedam Thaidi me* Both. *Omphale* Eug. Notat Perl. *quid* pro *quod* esse in Guelf. 2. nisi velit

NOTÆ

3 *Quam Hercules servivit Omphalæ*] Omphales Lydiæ Reginæ amore captus Hercules eo se demisit, ut leonis exuvium, clavamque, et arma ipsi gestanda concederet: ipse vero muliebri habitu inter virgines neret.

Utinam tibi commitigari videam sandalio caput!
Sed fores crepuere ab ea. Th. Perii! quid hoc autem 'st mali?
Hunc ego nunquam videram etiam: quidnam properans hinc prosilit?

est. Utinam tibi videam demulceri calceamento caput. Sed quid? fores ejus strepuere. Th. *Perii! Quid autem hoc est mali? Hunc ego nunquam conspexeram: et nunc hic quidnam celerans hinc lætus foras exsilit?*

id in eo esse pro *Quid est?*—4 *Tibi* abest a G. EM. *West.* Et Guelf. 3.—5 *Sed fores crepuere ab ea. Perii.* Thr. *Quid autem hoc est mali*] In o. l. s. *crepuerunt* legitur: et verbum 'Perii' Thrasoni attribuitur, quemadmodum et apud Donatum est. Verba autem quæ sequuntur ita collocantur, *quid hoc autem'st m.* Ita versus, qui trochaicus est, optime constat, eliso ex 'quid' *d.* Fa. Sic et nostri libri. *Bent.* Τὸ 'Perii' aptius ego cum Er. Gnathoni perturbato exclamandum do, quam, quod vulgo fit, Thrasoni. *Perl. Crepuerunt* Br. Bip. Both. Perl. Dat Delph. *Sed quid? fores crepuere ab ea: quid autem hoc est mali?*—6 *Et jam hic quidnam properans prosilit*] Antiqui libri, *et jam quidnam hic properans prosilit?* Fa. *Hunc ego nunquam videram: et jam quidnam hic properans prosilit*] In antiquis libris *etiam* ab *et jam* distingui nequit. Melius alii hic interpungunt, *Hunc ego nunquam videram etiam:* i. e. adhuc: ut infra: 'Nunqnam etiam fui usquam.' Servius ad Æn. XI. 352. 'Etiam, pro, Adhuc: ut Terent. Hunc ego nunquam videram etiam.' Porro pro *hic properans*, alii *hinc* malunt, ut tres habent ex nostris Codices; vir doctus ex conjectura *huc*. Nodum in scirpo quærunt: *hic* pronomen est, non adverbium. *Bent. Hic*] Al. *hinc*. GM. *hic:* sed ab sec. m. insertum. *Perl. Hic properans* Bent. Both. Perl. et sic Br. qui distinguit ante, non post, *etiam*. *Et jam hic quidnam properans* Z.

NOTÆ

4 *Commitigari videam sandalio caput*] Sandalium est calceamentum muliebre, quo Omphale Herculem, si pensum in lanificio non absolvisset, cædere solebat.

5 *Quid hoc autem 'st mali*] Eunuchi habitu Chærea, sed virili confidentia, prosilit e domo Thaidis, et Militem velut novi rivalis terret aspectu.

ACTUS V. SCENA IX.

CHÆREA. PARMENO. PHÆDRIA. GNATHO. THRASO.

Ch. O populares! ecquis me vivit hodie fortunatior?

Ch. *O populares viri, o cives, ecquis hodie extat me beatior? Nemo unus per*

1 Lege cum codicibus nostris præter duos universis, *hodie vivit*. Bent.

Nemo hercle quisquam; nam in me plane Di potestatem suam
Omnem ostendere; cui tam subito tot contigerint commoda.
Pa. Quid hic lætus est? Ch. O Parmeno mi, o mearum voluptatum omnium
Inventor, inceptor, perfector! scin' me in quibus sim gaudiis?
Scis Pamphilam meam inventam civem? Pa. Audivi. Ch. Scis sponsam mihi?
Pa. Bene, ita me Di ament, factum. Gn. Audin' tu illum, quid ait? Ch. Tum autem Phædriæ
Meo fratri gaudeo amorem esse omnem in tranquillo: una 'st domus.
Thais patri se commendavit in clientelam et fidem;

Herculem: nam in me omnino Dii specimen dederunt suæ potestatis; cui tam subito tot simul et cumulate bona contigerunt. Pa. *Quamobrem hic lætitia exultat?* Ch. *O Parmeno mi, o omnium mearum voluptatum inventor, inceptor, perfector, scisne quibus abundo gaudiis? Scisne Pamphilam meam agnitam fuisse civem Atticam?* Pa. *Inaudivi.* Ch. *Scisne promissam mihi in uxorem?* Pa. *Bene, ita me Dii ament, factum.* Gn. *Audisne, Thraso, quid ille dicit?* Ch. *Tum autem gaudeo, Phædriæ fratri meo omnem amorem ex toto acquisitum esse sine metu cujusquam rivalis. Una est familia. Thais se in clientelam et fidem patris dedit.*

Sic Perl. et sic Both. qui dat *fortunatior? hercle | Nemo quisquam: nam in me plane Di pot. s. omnem | Ostenderunt, cui tum subito tot congruerint commoda.*—2 *Potestatem*] Par. p. var. *potentiam.* Perl.—3 *Contigere* G. EM. Alii, *congruerint:* de qua voce vide Festum. Ms. Lips. *commodo.* Alii, *bona.* West. *Contigere* Guelf. 1. *Cito* pro *subito* 3. *Perl. Congruerint*] Sic dedit Faërnus, nec quicquam annotat. Abeat in malam rem istud *congruerint.* Codices, quantum est ubique, *contigerint* vel *contigerunt.* Lege *contigerint*, hoc est, contingere possent: si enim *contigerunt;* nulla potestas Deorum, sed Fortunæ tantum ostendetur. *Bent. Contigere* placet. *Congruerint* Fa. præter codd. fecerat: quod huc non congruit. *Bip.* Vulg. legitur *contigerint* pro eo, quod ex melioribus libb. protulit Fa. *congruerint.* B *congruerunt*, quod et ipsum ferri potest. *Both. Contigerunt* Br. *Congruerint* Delph.—4 *O mi Parmeno* Both. *Qui* pro *Quid* Guelf. 2.—5 Al. *scisne.* Perl.—6 *Civem inventam* Both. *Scin Pamphilam* Br.—7 EP. *ament, bene factum.* G. [et Br.] *Dii bene ament, factum.* G. ET. *Audin' tu hic quid ait?* West. Lege ex o. l. s. et Do. *Audin' tu hic quid ait?* Fa. Sic et nostri quoque. *Bent. Amabunt* Guelf. 3. *Hic* pro *illum* 2. 3. *Aud. tu quid hic ait* 1. *Perl. Hic* pro *illum* Br. Bent. Both. Bip.—8 In nullo libro hanc collocationem invenio; sed in omnibus fere et Donato, hanc quæ sequitur: *esse amorem omnem, &c.* Fa. Sic et in nostris. *Bent.* qui eam dat cum Br. Bip. Perl. *Omnem amorem esse* Both.—9. 10 Sic Fa. Sed omnes nostri, uno excepto, *Thais se pátri commendavit:* ut vel ipso accentu personæ dignitas intelligatur. Porro distinctio mutanda est: *Thais se patri commendavit: in clientelam et fidem Nobis dedit se.*

Nobis dedit se. PA. Fratris igitur Thais tota 'st? CH. Scilicet.
PA. Jam hoc aliud est quod gaudeamus: miles pellitur foras.
CH. Tum tu, frater ubi ubi est, fac quamprimum hæc audiat. PA. Visam domum.
TH. Numquid, Gnatho, dubitas, quin ego nunc perpetuo perierim?
GN. Sine dubio, opinor. CH. Quid commemorem primum, aut laudem maxume?
Illumne, qui mihi consilium dedit, ut facerem; an me, qui ausus sim

PA. *Fratris tui igitur Thais tota est in potestate?* CH. *Omnino.* PA. *Jam alia insuper nobis causa gaudii. Thraso excluditur a Thaide.* CH. *Tu, Parmeno, da operam ut Phædria frater, ubicumque sit, hæc resciat.* PA. *Visam domum, num is forte ibi sit.* TH. *Numquid, Gnatho, dubitas me periisse?* GN. *Non dubito; immo, certo credo.* CH. *Quid primum memorem, aut quem laudibus extollam? illumne qui mihi suasit, ut facinus exequerer? an me, qui ausus fuerim illud aggre-*

Bent. *In client. et*] Par. in marg. *in* Andr. II. 1. 3. *Perl.* Bentleiana distinctio est in Bip. et Both. et sic in Delph. At fere silemus de lectt. ed. Delph. quando per ejus Interpretationem satis sunt manifestæ.—11 Ms. Lips. G. EP. *pelletur.* Par. ex duobus Mss. citat, *quia miles pelletur foras.* West. Quatuor ex nostris *pellitur;* ceteri omnes *pelletur.* Concinnius hoc, et ad sensum et ad numeros. *Bent.* *Pelletur* R. *Lind.* Sic Br. Bip. Both. —12 Glar. et G. F. cum Guy. præferunt *domi,* quomodo est in M. et Bœnd. cum edd. vetustis. In quibus ita Donatus: *Visam d.* unde vix conficias, *domi* legerit, an *domum.* Hoc Latinius videtur dictum. Ms. Lips. et Tr. *visam domum.* Ita et Leid. unus. *West.* In principio hujus versus adde dictionem *Tu* ex Bem. Alii libri habent *Tum tu:* quod stare non potest. *Fa.* Nostri omnes mendose, *Tum tu.* Bent. *Hoc* Guelf. 2. *Ut audiat* 3. *Perl.* *Domum* defendit Bip. *Tu* pro *Tum tu* Bent. Z. Both.—13. 14 *Numquid, Gnatho, dubitas quin ego perpetuo perierim? Sine | Dubio opinor. Quid commemorem primum? aut quem laudem maxime*] Alia lectio est in Bem. Nam is solus, post 'Gnatho,' habet *tu;* item, post *ego, nunc,* licet deletum. Pronomen vero *quem* non habet: atque in his duobus postremis o. l. s. consentiunt, id est, ut dictionem *nunc* habeant, *quem* vero non habeant. Sed in Bem. ita ordinati sunt hi duo versus: *Numquid, Gnatho, tu dubitas quin ego nunc perpetuo perierim? | Sine dubio opinor. Quid commemorem primum aut laudem maxime?* Faërnus. Nostri *quem* non habent, *nunc* habent; utrumque recte: sed illud male, quod careant *tu.* Bent. *Tu dubitas* Both. Cum voce 'Sine' claudit hunc vs. Delph. ut et Bip. quæ ad 'Visam domum' sic notat: 'Abitio sic Parmenonis mutat scenam. Restant ab altera parte Thraso cum Gnathone, ab altera Chr. secum loquentes.' Bip. igitur versu nostro 13. incipit Scenam decimam. *Quem laudem* Delph.—15 *Illum qui* Ms. Lips. *Illum qui dedit mihi consilium* G. ET. EM. *West.* *Illum qui mihi dedit consilium*] Bem. *Illumne;* quod expeditiorem reddit versum: qui tamen et juxta vulgatam lect. utcumque sustentari potest. *Fa.* *Illumne qui mihi dedit consilium ut facerem; an me qui ausus sim*] Sic Fa. ex

Incipere? an fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit;
Quæ tot res, tantas, tam opportune in unum conclusit diem?
An mei patris festivitatem, et facilitatem? o Jupiter!
Serva, obsecro, hæc nobis bona. PH. Di vostram fidem! incredibilia
Parmeno modo quæ narravit: sed ubi est frater? CH. Præsto adest.
PH. Gaudeo. CH. Satis credo: nihil est Thaide hac tua, frater, dignius
Quod ametur: ita nostræ est omni fautrix familiæ.
PH. Mihi illam laudas? TH. Perii! quanto minus spei est, tanto magis amo.

di? an partem laudis tribuam fortunæ quæ direxit? quæ tot tantasque res opportune uno absolvit die? an mei patris humanitatem et comitatem? O Jupiter, fac precor ut perpetua sint nobis hæc bona. PH. *Dii vestram fidem! quæ modo Parmeno incredibilia commemoravit? Sed ubi est frater?* CH. *Præsto est; hic præsens est.* PH. *Lætor.* CH. *Vere credo. Nulla est mulier tua illa Thaide dignior, quæ ametur, frater; ita favet nostræ omni familiæ.* PH. *Mihi vero illam laudas, qui hanc amo et quanti sit scio?* TH. *Occidi. Quanto minus spei restat,*

Bembino: sed non attendit ad versum hiantem, *qui ausus sim:* ubi synalœpha cessat, plane contra artem. Et quidem in promtu est *qui ausus siem* reponere: sed, si antea recte 'dedit,' et postea 'gubernatrix fuit;' tum hic necesse est *ausus sum,* ut alter ex Meadianis habet. Repone igitur, *an me qui id ausus sum.* Bent. In uno cod. Bent. *ausum sum,* probe. *An illum* Guelf. 3. *Perl.* *Illum* Br. *Mihi* delet Both. *Dedit consilium* dant Br. Z. Bent. Bip. Delph. *Qui id ausus sim* Bip. Delph. *Qui id a. sum* Both.—16 *Gubernator* mallet Guy. Vulgatam tuetur West. *Congubernatrix* Ms. Lips.—17 Par. p. var. *hunc* pro *unum.* Perl.—18 *Felicit.* pro *facilit.* Guelf. 1. 'An' rejiciunt in versum 17. Delph. et Bip.—19 *Di*] Hic quibusdam [inter quos Dac. numerabis] initium est novæ Scenæ. *West.* Vulgo sine distinctione *S. o. h. nobis bona* (vel *bona nobis*). *Di, &c.* quasi una hæc Scena esset, quod falsum arguit versus 12. *Both.* qui voce 'Di' novam Scenam inchoat, et sic dividit: *Di, vostram fidem! incredibile, P. m. quod narravit! | Set ubi est frater? Præsto adest. | Gaudeo, &c.* Monet Fa. *bona nobis* esse in o. l. s. et Bent. ita esse in suis. Sic dant Br. Bent. Perl. Voce 'bona' Scenam claudunt GM. et Guelf. 1. et voce 'Di' incipit Bip. Scenam undecimam. Notat Bruns: '*Di*] Inchoat versus novam lineam, quasi initium sit novæ Scenæ.' *Incredib. sunt* Guelf. 3.—20 *Præsto est* Guelf. 3. et Delph.—21-23 *Nihil est Thaide tua dignius*] Desunt hic post dictionem 'Thaide' duo verba, quæ in o. l. s. sunt, *hac frater.* Et in sequenti versu Bem. habet, *ita nostræ omnis est fautrix f.* et recte: dicemus enim, Sum fautor tui, quod in casu dandi non temere reperias. Versus autem ita in trochaicos ordinamus: *Gaudeo. Satis credo: nihil est Thaide hac, frater, tua | Dignius quod ametur, ita nostræ omni'st fautrix familiæ. | Mihi illam laudas? Perii: quanto minus spei est, tanto magis amo.* Fa. Nostri omnes *hac frater* habent; unus tantum *omnis* cum Bembino. Vide vero superstitio quid facit. Ut faveat Bembino Faërnus, negat *Sum fautor tibi* bene Latine dici. Quid

Obsecro, Gnatho, in te spes est. GN. Quid vis faciam? TH. Perfice hoc
Precibus, pretio, ut hæream in parte aliqua tandem apud Thaidem.
GN. Difficile est. TH. Si quid collibuit, novi te. Hoc si effeceris,
Quodvis donum et præmium a me optato, id optatum feres.
GN. Itane? TH. Sic erit. GN. Si efficio hoc, postulo, ut mihi tua domus,

tanto magis amore ardeo. Obtestor te, Gnatho, omnem spem in te posui. GN. *Quid vis faciam?* TH. *Perfice precibus, pretio, ut mihi aliquis locus tandem restet certus, in amore Thaidis.* GN. *Difficillime id fieri potest.* TH. *Novi ingenium tuum; si tibi quid placet, id facile efficis: si hoc mihi adeptus fueris, cujusvis doni et præmii optionem tibi do. Opta, optatum a me accipies.* GN. *Itane ais?* TH. *Aio.* GN. *Si hoc efficio, postulo ut tuæ domus mihi semper fores apertæ sint; sive*

ergo illud est, Hec. II. Prol. vs. 40. 'Facite ut vestra auctoritas Meæ auctoritati fautrix adjutrixque sit.' Ceterum, post 'familiæ,' ex omnibus fere libris et Edd. vett. pone, *Hui, Mihi illam laudas?* Quod egregie juvat sententiam. *Bent.* Riv. *Hui, mihi illam laudas?* præfert ex codd. emendatioribus. Ms. Lips. *quanto minus spei est mihi.* West. *Mihi illam laudas?*] Bent. ex libb. s. *Hui.* Sed omitt. Fa. West. Lind. al. *Perl.* qui notat *Hui mihi* legere Guelf. 1. *Mihi Thaidem illam laudas* videtur legisse Eug. Dat Br. *hac, frater, tua,* et *omni est,* et *Hui mihi,* et *quanto minus mihi spei est.* Delph. et Bip. claudunt versum 20. voce 'Gaudeo,' et dant *hac, frater, tua.* Delph. claudit versum 22. verbis *Hui mihi,* et ordinat *quanto spei est minu'.* Bip. dat *omni est,* et terminat versum 22. voce *Hui.* Dant Bent. et Both. *omni est:* et claudunt versum 22. voce *Hui.* Dat et Both. *quanto spe minus,* omisso *est.* 'Dignius' collocant in versu 22. Bent. Both. Perl. et dant *hac, frater, tua.* —24 *Quid vis? faciam.* Ita dant Par. Perl.—25 *Tandem*] Ita legit Schottus, Nod. Cic. IV. 18. Gebhardus *tamen,* ad Ciceronis Fam. VII. 31. *West.* *Aliqua in parte tamen* Delph. *In parte ut hæream* Both.—26 Duo Leidd. et Bœnd. *Si quid collibuit tibi, est facile, novi te.* West. Hic optimi Faërni diligentiam desidero. Codex enim Bembinus, ipso Bembo teste, non *conlibuit,* ut nostri, sed *conlibitum* habet. Donatus, tam in Edd. vett. quam codice scripto: 'Siquid tibi collibitum est,' Ellipsis: pro *Siquid collibitum est, efficis.* Repone ergo, *Difficile est. Siquid collibitumst, novi te.* Bent. *Si quid collibitum 'st*] Ita Do. [et Both. et ipse Perl.] *Collibitum est facile* Guelf. 2. *Si quid tibi* 3. et *cognovi.* Perl.—27 *Quodvis donum et præmium a me optato*] Lectum olim etiam ἀσυνδέτως, teste Donato. Et ita exhibet editio Aldina, et quædam aliæ. Sunt libri, in quibus est, *donum in præmium.* In aliis, *donum a me et præmium optato.* West. Contra Donati distinctionem facit ipse Terentius supra, II. 3. 60. 61. 63. 66. Consule Burmannum ad Ov. Met. II. 44. *Id. in Add.* *Donum, pr.*] Al. *et.* Extrud. Par. Mur. Bent. al. Lectum olim ἀσυνδέτως. *Perl.* Vulg. *Quodvis donum et pr.* putide. Bent. copulam omittere satis habuit. *Both.* qui dat *Quodvis donum præmio a me, &c.* Notat Bruns: '*Quodvis*] Mutat in *Quidvis.*' *Et* omittunt Br. Eug. Bip. Perl.—28 Quidam libri, *ut tua mihi domus:* elegantius. *West.* *Si hoc efficio*] L. s. et Donatus, *Si efficio hoc.* Fa. Nostri quoque omnes *efficio hoc;* et bona eo-

Te præsente, absente, pateat; invocato ut sit locus
Semper. TH. Do fidem, futurum. GN. Accingar. PH. Quem hic ego audio?
O Thraso! TH. Salvete. PH. Tu fortasse, quæ facta hic sint, nescis.
TH. Scio. PH. Cur ergo in his ego te conspicor regionibus?
TH. Vobis fretus. PH. Scin' quam fretus? Miles, edico tibi,
Si te in platea offendero hac post unquam, quod dicas mihi,

adsis, sive absis; ut mensæ tuæ mihi semper locus aliquis relinquatur vacuus, etsi non invitatus fuerim. TH. *Polliceor tibi, meamque fidem obligo, hoc ita fore ut petis.* GN. *Aggrediar.* PH. *Quem hic ego audio? O Thraso, tune hic es?* TH. *Salvi estote.* PH. *Tu fortasse ignoras, quæ hic facta fuerint.* TH. *Minime ignoro.* PH. *Cur ergo in his urbis partibus te conspectui meo offers? cur non hinc abis?* TH. *Vobis confisus hic adsum.* PH. *Scis quam confidere debeas? Miles, denuntio tibi, si posthac te unquam in hac platea forte obvium habuero; nihil causæ*

rum pars, *tua mihi domus.* Concinnius, ut 'Mihi' in Arsi sit. *Bent.* *Si efficio, hoc postulo ut tua mihi* Br. *Hoc si efficio* Delph. et *tua mihi* cum Bip. Both. Perl.—29 *Te præsente, te absente* EP. *West.* *Et absente* Guelf. 3. atque *et* post 'invoc.' *Perl.*—30 *Do fidem ita futurum*] Delevimus dictionem *ita,* quæ in Bem. et aliquot aliis libris non est; sine qua et versus et sensus optime constant. *Fa.* Neque in nostris est *ita.* *Do fidem futurum:* ut in 'fidem' elevatio et mora fiat. *Do fidem ita futurum;* vix audis hic 'fidem,' sine quo cetera nihili sunt. *Bent.* O. l. s. quotquot sunt, *Quem ego hic audio?* nec versus repugnat, si in dictione 'Quem' non fiat collisio. *Fa.* Sic et nostri: non fit hic collisio, quia 'Quem' in ictu est, in principio Anapæsti. *Bent.* *Ita* habet Delph. *Facturum* Guelf. 3. *Ego hic* Br. Bip. Both.—31. 32 Suspicor carmen inversione ordinis depravatum. Constabit, si sic legas: *O Thraso, salvete: tu fortassis hic quæ facta sunt nescis. Scio, cur ergo in his te conspicor regionibus?* Ut *ego* elidatur. *Er.* *Conspicor*] Ms. Lips. *conspicio.* West. *Cur te ergo in his ego conspicio* R. et Vet. Cod. *Lind.* Hi versus in libro tantum Bembino juxta vulgatam lectionem leguntur: nisi quod pro *conspicor* habet *conspicior.* Alii antiqui libri habent *conspicor* cum Donato; et in superioribus, *quæ facta hic sient.* Præterea et antiqui et recentes omnes libri et Donatus ita ferme verba collocata, versusque ordinatos habent: *O Thraso. Salvete. Tu fortasse quæ facta hic sient Nescis. Scio. Cur te ergo in his ego conspicor regionibus?* Fa. Ita dant Bent. Bip. Delph. *Cur te ergo in his ego conspicio* Br. Dat Bothius: *Eho, Thraso, ... Salvete. Tu fortasse, quæ facta hic scient, Nescis. Scio. Cur ergo in his te ego conspicor reg.* Perl. legit *Tu fortasse, quæ facta hic scient, Nescis,* et notat *scient* esse in Guelf. 3. et *ergo tu* in 2.—33 *Scis*] Repone ex omnibus libb. et edd. vett. *Scin.* Et fortasse legendum est *Vobis fretum. Scin quam fretum?* Nisi cum

NOTÆ

32 *In his regionibus*] Gallice; *en ces quartiers.* Nam Urbs in regiones, regio in vicos, vici in ædes divisi sunt.

Alium quærebam, iter hac habui, periisti. Gn. Eia, haud sic decet.
Ph. Dictum est. Gn. Non cognosco vestrum tam superbum. Ph. Sic erit.
Gn. Prius audite paucis; quod cum dixero, si placuerit,
Facitote. Ph. Audiamus. Gn. Tu concede paulum istuc, Thraso.
Principio ego vos credere ambos hoc mihi vehementer velim,
Me, hujus quicquid facio, id facere maxume causa mea:
Verum idem si vobis prodest, vos non facere, inscitia 'st.

erit, quod dicas mihi: Quendam alium quærebam, aut, Iter mihi hac fuit; illico peribis. Gn. *Eia non sic convenit facere.* Ph. *Satis hoc sufficiat dictum tibi fuisse.* Gn. *Non vos cognosco tam superbos esse.* Ph. *Sic fiet.* Gn. *Prius audite quæ breviter dicam: hæc ubi dixero, si grata fuerint, facite.* Ph. *Audiamus.* Gn. *Tu abscede paululum istuc, Thraso. Primum hoc vos rogo, ut mihi credatis, me, quicquid in hac re facio, in primis mei gratia id facere: verum, si idem quoque vobis utile est, stultitia est, si id non faciatis.* Ph. *Quidnam hoc est?*

Donato solœcismum dicas, stulto et militi convenientem. *Bent.* *O Miles* Guelf. 3.—34 *Si in platea hac te offendero post unquam, nihil dicas mihi*] O. l. s. quotquot sunt, ita habent: *Si te in platea offendero hac, post unquam nihil est quod dicas mihi:* ita versus esset trochaicus hypercatalecticus, cujusmodi et alibi apud Terentium inveniuntur. Quare, si quis hinc detrahere quid velit, ut versum faciat catalecticum, negabo ex sola ratione versus id facere licere, nisi testimonium librorum scriptorum afferat. Nos ergo ex Bembini auctoritate hunc locum emendamus, detrahendo has duas dictiones, *nihil est:* quam lectionem et Donatus hic et supra Scena 7. actus quarti, si bene consideretur in libris scriptis, licet ex parte corruptis, tenet. Puto ego illa duo verba *nihil est* ab aliquo inculcata, qui non intellexerit Terentii modum loquendi. Hic enim adverbium 'quod' significat id, quod vulgo dicimus, quantum ad id. *Fa.* Omnes nostri *nihil est quod.* Perperam. Elegans hic est usus particulæ 'quod.' *Bent.* *Unquam*] In Pall. teste Par. *nihil est.* Perl. Legit Delph. quod est in initio huj. Notæ, nisi quod habet *nihil quod.* *Nihil est quod* Br.—35 *Heia* Br. Bent. Both. Perl.—36 *Vostrum genus* tres Pall. *Perl.*—38 Lege *paulum.* Bent. *Auditote* Guelf. 3. *Huic*, omisso *istuc*, 2. *Perl.* *Paulum* dant Bip. Delph. Both. Perl.—39 *Volo* Ms. Lips. G. EM. *West.* Antiqui libri et Do. ita collocant, *vos ambos credere.* Fa. Duo tantum ex nostris *credere ambos:* quod tamen, vel sine illis, versus sibi vindicaret. Porro omnes habent *volo*, non *velim.* Et sic Edd. vett. *Bent.* *Volo* R. et vett. libb. *Lind.* *Ambos credere* Br. Bip. Delph. *Volo* Br. Bent. Delph. Both. et Perl. qui monet *velim* esse in Guelf. 3.—40 *Faciam* G. EM. *West.* *Faciam* libri omnes cum edd. vett. *Bent.* *Faciam* Vet. Cod. *Lind.* Sic Br. Bent. Delph. Bip. Both. et Perl. qui notat *facio* esse in Guelf. 3.—41 *Verum id si vobis*] O. l. s. et Donatus, *Verum si idem:* nec versus repug-

NOTÆ

38 *Tu concede paulum istuc, Thraso*] Id facit Gnatho, ne Miles se vituperari audiat.

Ph. Quid id est? Gn. Militem ego rivalem recipiendum censeo. Ph. Hem!
Recipiendum! Gn. Cogita modo. Tu hercle cum illa, Phædria,
Et libenter vivis; etenim bene libenter victitas.
Quod des, paulum est; et necesse est multum accipere Thaidem,

Gn. *Ego, ut competitorem Militem in amore tibi esse patiaris, Phædria, tibi expedire arbitror.* Ph. *Hem! ut competitorem patiar?* Gn. *Cogita modo, Phædria: tu mehercule cum Thaide laute et sumtuose convivaris; nam etiam delicatis et amplis conviviis delectari soles. Quod vero ei des, parum tibi est; et necesse est*

nat, si synalœpha non fiat. *Fa.* *Si idem* Br. Bent. Z. Bip. Perl. *Id* post 'vos' Guelf. 1.—42 *Rivalem ego*] Do. et o. l. s. præter Bembinum, *ego rivalem*, meliore numero et compositione. *Fa.* Nostri omnes, *ego rivalem.* Et pro *Quid est* quinque cum Edd. vett. *Quid id est?* Bent. *Quid est* Br. Bip. Z. *Em* Br.—43-45 *Ph. Hem, Recipiundum*] Hoc Chæreæ tribue: 'Hem' solum Phædriæ; qui præ indignatione nihil respondet, sed vultu consilium spernit. *Bent.* Ms. Lips. *benivolenter victitas.* Guyeto, *etenim bene libenter victitas.* *Quod des, paulum est*, ineptorum interpolatorum additamenta sunt. Inepte, ne quid gravius dicam. *West.* *Tu hercle cum illa, Phædria, Et libenter vivis, etenim bene libenter victitas, Quod des paululum est, necesse est multum accipere Thaidem*] Dictio *etenim* in multis libris est in duas divisa: et sane ratio sermonis exigit, ut, postquam *et* præcessit, aliud *et* sequatur: nam illud *et*, quod sequitur in principio sequentis versus, *Et quod des paululum, et necesse est multum accipere Thaidem*, omnes antiqui libri et multi alii ex recentibus non habent. Omnes vero quotquot sunt, post *paululum*, habent verbum *est*, et post id in contextu Bembini non est conjunctio *et;* qua demta, versui commodius est. *Fa.* Omnes nostri cum Edd. vett. habent *et necesse*, tres autem *paulum* pro *paululum:* *Quod des paulum est, et necesse est.* Pro *Et libenter vivis*, unus ex Regiis *Ut libenter.* Lege et distingue, *Tu hercle cum illa, Phædria, Ut libenter vivis (et enim bene libenter victitas) Quod des paulumst, et necesse est multum accipere Thaidem.* *Ut vivis;* hoc est, prout vivis. Ut tu laute, sumtuose, cum ea vivis quotidie, necesse est, ut illa multum accipiat; tibi vero paulum est quod des. Quid jam difficultatis est? Sed exoritur vir eruditus, qui omnia hic conturbet: neget *libenter vivere* pro, laute, hilariter hic dici, sed libenter cum illa; neget *bene libenter* una jungi, sed *libenter* subdistingui, Libens, Volens, *bene victitas.* Quid ergo illud prisci Catonis c. 156. 'Si voles in convivio multum bibere, cœnareque libenter?' Quid quod Cicero De Finibus II. 8. de Lælio et Gallonio? Hunc nempe Gurgitem 'libenter cœnasse' fateri omnes; 'bene' cœnasse, Lælium et omnes qui recte sapiunt negare. Sed piget in his morari; nec ejus hariolationem *et etiam* pro *et enim*, nec trajectionem 'hercle' in versum sequentem vacat excutere. Febriculosæ hæ correctiunculæ, quasi herbæ solstitiales, paulisper fuere. *Bent.* Ex Bent. conjectura legendum est *Ut libenter vivis:* deinde parenthesi includenda verba *etenim bene lib. victitas.* R. D. Ph. *Hem!* Ch. *Recipiendum*] L. antiq. Ph. *Hem recipiendum.* Hanc oration. a Bent. inter duas personas contra o. codd. divisam ac distinctam recepi quidem in textum, sed parum abest, ut ab ingenioso Viro tam scite persuadente ad vulg. lectionem recedam. *Victitas, et* Guelf. 2. *Perl.* Bent. ex uno Cod. contra ceteros omnes rescribens *Ut*, dein (*et enim—victitas*) intercludens,

Ut tuo amori suppeditare possit sine sumtu tuo.
Ad omnia hæc magis opportunus, nec magis ex usu tuo
Nemo 'st: principio et habet quod det, et dat nemo largius.
Fatuus est, insulsus, tardus: stertit noctesque et dies.
Neque tu istum metuas ne amet mulier: facile pellas, ubi velis.
PH. Quid agimus? GN. Præterea hoc etiam, quod ego vel primum puto:

multum aliunde lucrari Thaidem, ut tuo amori satisfaciat, nulloque pretio hoc tibi constet. Ad hæc autem omnia, nemo est magis idoneus, nec magis utilis tibi, quam hic Thraso. Principio multum largiri potest, et nemo est qui det largius. Stolidus est, illepidus, ignavus, somno dies noctesque immersus est; neque timendum est ne a muliere magis quam tu ametur; facile illum expuleris, quandocumque libebit. PH. *Quid nobis agendum est?* GN. *Insuper hoc quoque, quod ego præcipuum*

sermonem interficit, et ipse Harii libita ad h. l. reprehendit. Sapientius disjungi vult Fa. *et enim,* ut respondeat hoc et priori. *Enim* h. l. sane: quod rem eleganter auget. *Quod des: Et,* quod male recepit Heins. abest a libb. antiquis, et a metro respuitur. *Bip.* quæ dat *Quod des paululum est, necesse est m. &c.* Legit Bothius: *Et lubenter vivis (etenim bene lubenter victitas), Et, quod des, paulum est, necesse est, multum accipere Thaidem. Tuo ut, &c.* Sic Delph. dat: *Et lib. vivis (etenim b. lib. victitas) Et quod des paulum, et necesse est, &c. Paululum* exhibent Br. Z. *Et enim* Perl.—46. 47 Alii legunt, *suppeditari:* perperam. *West.* Spondeo tibi, me veram Poëtæ manum reduxisse: *Ut tuo amori suppeditare possint sine sumtu tuo Omnia hæc; magis opportunus.* Suppeditare, intransitive, est Suppetere, sufficere. Exempla sunt obvia. Siquis tamen malit, legat hic *suppeditari,* ut ex nostris duo. *Bent. Sine sumtu tuo. Ad*] Post 'tuo' distinguunt West. ac Mur. recte. Al. continuant sermonem perplexe. *Perl. Nec magis*] *Et* pro *nec* Guelf. 3. quod corrector, deleto illo, adjecit. *Id.* Omissis nugis, s. ausis Bentleii, subvenimus potius sqq. aptius intercidendo. *Bip.* quæ dat *Ut tuo amori suppeditare possit sine sumtu tuo ad Omnia hæc, magis opportunus, nec magis, &c.* Dat Bothius: *Tuo ut amori suppeditare possint sine sumtu tuo Omnia, magis opportunus nec magis, &c.* Dat Delph. *Sine sumtu tuo; ad Omnia hæc magis, &c.* Ceterum notat Bruns: '*Ex usu tuo, Nemo*] Edit. sine distinctione.' Cum Br. distinguunt Bent. Perl.—48 *Nemo 'st*] Ms. Lips. *Nemo potest.* West. Sic Br. *Nemo potest esse* Guelf. 2.—49 Bem. et nonnulli alii, mihi probati, libri, non habent copulam *que.* Fa. *Noctes et,* sine *que,* omnes nostri, duobus exceptis. Sed illud etiam vide, ut decrescat sententia; 'tardus' quippe minoris contumeliæ est, quam aut 'fatuus' aut 'insulsus.' Senserunt hoc veteres Magistri; itaque exponunt: 'Tardus in venerem; qui non facile explicet venerem; quæ res meretricibus odiosa est.' Apage hoc; et repone, *Fatuus est, insulsus, bardus, stertit noctes et dies.* Nonius tamen, v. Tardus, hunc locum citat; et sic habetur apud Asconium p. 69. *Noctes et dies* R. *Lind.* Bent. eleganti, sed non necessaria conjectura legit *bardus.* R. D. Bentleium sequitur Both.—50 *Tu* abest post 'Neque' a Guelf. 2. *Perl.* Id omittunt et Br. Bent. Bip. Dat Both. *Ne istunc metuas ne. Pellas facile* Delph.—51 *Quid agimus?*] Omnino hoc Chæreæ tribuendum; qui cum sponsam haberet Pamphilam, nec Thaidis amore teneretur, prior ad consentiendum erat, quam frater. *Bent.* Bent. frustra id Chæreæ tribuit. *Bip.*

Accipit hominem nemo melius prorsus, neque prolixius.
PH. Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opus est. CH. Idem ego arbitror.
GN. Recte facitis. Unum etiam hoc vos oro, ut me in vestrum gregem
Recipiatis: satis diu hoc jam saxum volvo. PH. Recipimus.
CH. Ac libenter. GN. At ego pro istoc, Phædria, et tu, Chærea,
Hunc comedendum et deridendum vobis propino. CH. Placet.

existimo; nemo hominem convivio excipit liberalius, neque lautius et magnificentius. PH. *Nimirum hoc homine omni modo nobis usus est.* CH. *Idem judico.* GN. *Recte vobis prospicitis. Unum etiam est quod a vobis postulo, ut me in vestram sodalitatem admittatis. Satis diu hunc lapidem molior: jamdiu id conor.* PH. *Admittimus.* CH. *Idque libenti animo facimus.* GN. *At ego pro ista gratia, Phædria, tuque, Chærea, hunc Militem vobis comedendum et deridendum propino: hunc vobis trado, ut ejus sumtibus lauta et copiosa convivia faciatis, eique ex solito*

—52 In tribus antiquis libris legitur *homo nemo.* Ita 'Accipit' absolute intelligendum est: et sic quoque stat versus, assignando primæ sedi trochæum. *Fa.* Recte *homo nemo;* ut ex nostris aliquot; etsi novem fere in diversas partes abeant. Nonius, v. Accipere, habet *Accipit hominem.* Sed ibi codex scriptus 900. annorum, *homo.* Servius quoque *homo* ad Æn. III. 353. *Prorsum,* non *prorsus* plerique omnes: quod certe inter 'melius' et 'prolixius' ideo concinnius est, quod ingratus iste sibilus evitetur. *Bent. Acc. hominem nemo prorsum neque* Br. *Melius* abesse non posse notat Bruns. *Nemo melius prorsum* Bent. Bip. Both.—53 Muta personarum vicem, et prius da Chæreæ, posterius Phædriæ; qui, ut Thaidis amator, ad consensum tardior esse debet. Neque aliter Donatus. *Bent.* Accedunt Both. Perl. *Ego* omittit Delph.—54 Ab omnibus nostris et Edd. vett. abest *hoc.* Recte: et sic citat locum Servius ad Æn. XI. 352. *Bent.* Omittit et Br.—55 In Ms. Lips. τῷ *volvo* suprascriptum, *verso.* Quomodo et Cicero videtur legisse, Tusc. Quæst. I. 5. 'Num illud, quod Sisyphu' versat Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum?' In EP. est, *jam hoc saxum volvo.* West. *Hoc jam s. vorso*] Msti nostri prorsus omnes cum Edd. vett. *jam hoc.* Concinnius *satis diu jam.* Sed illud, quod dedit Faërnus, unde venit? Pet. *verso,* ceteri *volvo.* Prætulit illud fortasse quis, ex Cicerone Tusc. I. 4. Quasi non a Virgilio major auctoritas, Æn. VI. 616. 'Saxum ingens volvunt alii, radiisve rotarum Destricti pendent.' *Bent.* Quidam Mss. *verso,* quod nec displicet. *Bip. Sat* Bip. *Jam hoc* Br. Perl. *Verso* Br.—56 *Lubenter* Br. Both. Perl. *Isto* Bent. Perl.—57 Ms. Lips. legit: *comedendum et bibendum vobis præbebo.* Sed τῷ *bibendum* suprascriptum, *deridendum.* Et Fabrini edidit, *bibendum.* EP. *deridendum vobis præbebo.* Et τὸ *præbebo* ex

NOTÆ

57 *Propino*] Græcus in conviviis mos fuit, prægustandi vinum, priusquam poculum alteri traderetur: unde προπίνων et propinare dicuntur; propinantes autem sublatum poculum ostentabant, nominantes cui erant illud tradituri.

Ph. Dignus est. **Gn.** Thraso! ubi vis, accede. **Th.** Obsecro te, quid agimus?
Gn. Quid? isti te ignorabant: postquam eis mores ostendi tuos,
Et collaudavi secundum facta et virtutes tuas,
Impetravi. **Th.** Bene fecisti: gratiam habeo maxumam.
Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.
Gn. Dixin' ego in hoc inesse vobis Atticam elegantiam?

illudatis. Ch. *Gratum hoc nobis est.* Ph. *Dignus est, Thraso, qui sic tractetur.* Gn. *Thraso, quando libebit, accede.* Th. *Amabo, quid egisti?* Gn. *Isti ingenium tuum non cognoverant: postquam eis exposui mores tuos, teque etiam laudibus extuli, prout facta tua et virtutes merentur, impetravi ab eis quod volebas.* Th. *Bene meritus es de me: gratiam habeo maximam. Nunquam etiam, ubicumque fui, ullus extitit, qui me summo amore non complecteretur.* Gn. *Nonne ita est, ut vobis dixi, Thrasonis eloquentiam esse plane Atticam?* Ph. *Nihil, Gnatho,*

duobus Mss. laudat Pareus, ex tribus *præbeo:* quod magno conatu defendit Muretus. Cicero autem 'comedendi' verbo passim hoc sensu utitur. Et Plautus. *West.* Recentissimus quisque, et pessimus liber, *præbeo:* Bembinus vero et omnes alii antiqui *propino* habent, ut in lectione vulgata. Ita et Donatus, qui dicit Gnathonem facete sic dixisse, ut parasitum, et ut qui de convivio loqueretur. Atqui, si dixisset, *deridendum præbeo*, quid faceti esset in dicto? nec versui propterea timendum, quod *propino* primam corripiat; nam et eandem producit Martialis. *Fa.* Pudet me nostrorum codicum, qui *præbebo* vel *præbeo* habent, uno tantum alterove excepto. *Propino* sine dubio recte. Sed aliud est quod miror tot sagaces Interpretes præteriisse. Quid enim hoc, *Propino comedendum et deridendum?* Qualis vero *propinatio*, ubi nulla potus mentio est? Qualis porro utilitas in stulto homine *deridendo?* Tædium hoc magis, quam aut lucrum aut voluptas esset. Non patiar tam deforme mendum diutius hic inolescere. Lego enim, *Hunc comedendum et ebibendum vobis propino. Placet.* Jam habet Gnatho, quod eis propinet. Res prodigi nepotis non minus exhauritur vino præbendo, quam cibo: æque ebibitur homo ejusmodi, ac comeditur: æque exsugitur quis et exsorbetur, quam devoratur. Quid, quod *deridere* non est vitæ parasiticæ: aut ipsi deridentur, aut aliis arrident. Nonius v. Propinare: 'Terentius Eunucho: *Hunc vobis comedendum et bibendum et deridendum propino.*' Vides versum ultra terminos excurrere: et veri admodum simile est, duplicem hujus loci lectionem ab homine minime malo esse positam, tam veterem *et ebibendum*, quam noviciam *et deridendum*. Bent. *Præbebo* R. sed *propino* in plerisque libb. *Lind.* Fatendum est *deridendum propinare* non nisi per duram catachresin dici; verumtamen hæc a parasito per vernilitatem quandam dicta videntur. *R. D.* Vulg. defendit Bip. Bentleium sequitur Bothius. *Præbebo* Br. *Præbeo* Delph. —58 *Accede, ubi vis* Both. *Ita dignus est* Br. qui *te* omittit.—59 *Sed* ante 'postquam' Guelf. 2. 3.—61 Repone *fecistis*. Bent. quem sequitur Both. —62 Omnes fere nostri cum vett. Edd. *quin me amarint*. Recte. *Bent.* Sic Br. *Me omnes quin* Both.—63 M. *vobis in hoc esse.* Magna Msstorum pars et ET. EM. cum Donato legit, *eloquentiam*. Sed et Erasmus in Adag. Martial. IV. 86. 1. *West.* *Atticam eloquentium*] Ita omnes recentes libri, cum Donato: sed antiqui, *elegantium:* quod magis videtur hui loco, et personæ

Ph. Nihil prætermissum est. Ite hac. Ω Vos valete, et plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

omissum est a te, de Thrasonis virtutibus scilicet. Ita hac omnes. Vos valete et plaudite.

Calliopius recensui.

Militis convenire, si Atticam elegantiam intelligas, pro lepore sermonis Attici. *Fa.* Nostri omnes *eloquentiam* cum Edd. vett. *Bent.* Pall. teste Par. *eloquentiam.* Itid. GM. In GC. fallit scriptura. *Perl.* Ex antiquis codd. rectius suasit Faërn. *elegantiam.* Bip. *Eloquentiam* Br. *Vobis in hoc esse* Bip. Delph. *Esse* pro *inesse* Bent. Z. Both. Perl.—64 Ms. Lips. *Nihil præter promissum est* CIƆ *vos valete plaudite. Calliopius recensui.* Leidensium unus: *ω vos valete.* Mss. plurimi legunt, ut edidi. Si cum Mureto et Fabriciis legas, *Nihil præter promissum est*, Phædria per jocum confirmabit id, quod de Thrasone dixerat Gnatho. Atque ita ediderunt Juntæ, Fr. Raphelengius, alii. *Ite hac:* EP. *Ite hac. ω vos valete plaudite.* Quod vero in quibusdam libris legeretur, *Ite hac o vos valete et plaudite*, inde natum autumat G. F. *Ite hac omnes*, quod est in quibusdam Mss. et editis. *West.* G. illa 'Ite hac' Gnathoni tribuit; 'sed et ET. EM. *Id in Add. Nihil prætermissum est. Ite hac omnes. Vos valete et plaudite*] Nullus omnino liber scriptus habet dictionem *omnes;* qua demta, non stat versus. Antiqui omnes hanc continent lectionem, *Nihil præter promissum est. Ite hac. Vos valete et plaudite:* quo quidem modo versus contracta dictione 'Nihil' in unam syllabam, optimus est trochaicus. Nunc, qui sit horum verborum sensus, videndum est; et puto hunc esse, ut interroganti Gnathoni, 'Dixin ego in hoc esse vobis Atticam elegantiam,' plus respondeat Phædria, dicendo, *Nihil præter promissum est*, quam si responderet, 'Dixisti:' dicendo enim *nihil præter promissum est*, et Gnathonem promisisse, et Thrasonem præstare significat: si enim nihil præter promissum est, ergo omnia sunt ut promissa sunt. Sane in libro Victoriano antiquum glossema in margine ascriptum est in hunc modum: Omnia promisso tuo respondent, et nihil extra illud est. *Faërnus.* Veterrimi ex nostris etiam, *Nihil præter promissum est.* Bent. *Ite hac*] L. antiq. *omnes.* Sed nullus lib. script. id quod Fa. monet, hab. *omnes.* Habet autem GC. quem ille non vidit. Post vocem 'hac' sequitur in GM. pro glossa: ad domum illius; et in contextu signum aut lit. In GM. et Guelf. 2. 3. finem faciunt verba: *Calliopius recensui.* Perl. *Præter missum*] Edit. *promissum*, probante Bent. et sic etiam in Ms. a pr. m. quod perperam correctum est. *Bruns.* Omittit Br. *et*, et ita Fabulam claudit: *Terentii Afri Eunuchus explicit: Calliopius recensuit. Præter promissum* dant Bent. Z. Bip. Both. Delph. Ω non habent Bent. Bip. Both. Perl. Delph.

FINIS EUNUCHI.

PUB. TERENTII

HEAUTONTIMORUMENOS. †

ACTA[1] LUDIS MEGALENSIBUS, L. CORNELIO LENTULO L.[2] VALERIO FLACCO ÆDILIBUS CURULIBUS. EGERUNT[3] L.[4] AMBIVIUS TURPIO ET[5] L. ATTILIUS PRÆNESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII. GRÆCA EST MENANDRU. ACTA PRIMUM[6] TIBIIS IMPARIBUS; DEINDE DUABUS DEXTRIS. ACTA[7] III.[8] EDITA[9] M. JUVENTIO ET M. SEMPRONIO COSS.[1]

1 Hanc Epigraphen incipiunt Bent. et Both. ab illis verbis: 'Græca est Menandru.'—2 *Et L.* Delph.—3 *Egere* Br. *Egit* Bent. Bip. Both. Delph. qui omnes omittunt *et L. Attilius Præn.*—4 *L.* nesciunt Bent. Bip. Both.—5 *Et* omittit Br. qui verba sequentia τὸ *Prænestinus* sic exhibet: *Græca Menandri prima, acta secunda modos fecit Flaccus clauditibiis duabus dextris M. Junio T. Sempronio consulibus.*—6 *Acta I.* Delph.—7 *Actast* Bent.—8 *Acta etiam III.* Delph. *Acta etiam tertio* Bip.—9 *Edita* omittunt Bent. Bip. Both. Delph.—1 *Ti. Sempronio, M. Juventio* Bip. *M. Juventio, Ti Sempronio* Bent. Both. *M. Juventio et Ti. Sempronio* Delph. In titulo, ait Erasmus, *C. Cornelio* alias legitur *T. Sempronio.* Inscriptio sic videtur Goveano legenda: *Publ. Terentii Afri Heaut. Græca est Menandrou. Acta l. M. L. C. Lent. L. V. F. æ. cur. Egit L. A. T. Modos fecit Clau. Flaccus, Clau. Filius tibiis paribus. Acta deinde duabus dextris. Acta etiam tertio. Edita T. Sempronio Graccho, M. Juventio Helua Coss.*

NOTÆ

† Hæc Fabula Græca Menandri, Latina facta a Terentio, nomen Græcum retinuit, ἑαυτὸν τιμωρούμενος, id est, seipsum puniens. Acta est Ludis Sacris Cybeles, magnæ Deorum matris: L. Cornelio Lentulo, L. Valerio Flacco, Ædilibus Curulibus. Egit Ambivius Turpio. Modos fecit Flaccus Claudii (filius supple). Acta primum tibiis imparibus; hoc est, dextra et sinistra: deinde duabus dextris. Prior est modus Phrygius, alter Lydius, ut diximus. Quod cum fiebat, ascribi Scenæ solebat M. M. C. Mutantur Modi Cantici. Acta etiam tertio, M. Juventio et M. Sempronio Consulibus.

Expositio Tituli. Acta est id est recitata est ludis Megalensibus Lucio Cornelio Lentulo Lucio Valerio ædilibus curulibus. Egere: fecerunt vel administraverunt hos ludos Megalenses in Græcia quando ista fabula Menandri Heautontimorumenos recitata est Lucius Ambivius Turpio Lucius Attilius Prænestinus. Græca Menandri prima. Ita est jungendum. Acta est Græca fabula Menandri prima apud Megalem civitatem istis supra dictis officium gerentibus super ædes curiales Romæ. Acta secunda. Modos fecit Flaccus clauditibiis duabus dextris Marco Junio Tito Sempronio Consulatum gerentibus Romæ. Flaccus vero modulavit eam. Appellatur autem hæc fabula Heautontimorumenos quod Latine sonat se ipsum excrucians sive in suam ipsam excruciationem permanens. Introducit enim in hac fabula quendam senem nomine Menedemum qui nimio opere ac labore semet ipsum excruciavit præ dolore eo quod filium suum severa increpatione a se fugasset dum pergeret frequenter ad scortum. Venditis enim pæne omnibus, quæ habebat, accepit rastrum cœpitque agrum excolere nimia instantia. Quem dum alius senex nomine Chremes interrogavit quid hoc esset quod se die nocteque ita cruciaret enarravitque ei omnem ordinem rei cumque hortaretur eum paululum requiescere, obtineri non potuit. Dicebat enim: sine ut sumat filius meus de me pœnas. At vero in proximo requievit, quoniam filius ejus reversus est. Cetera quæ ipse Poëta miro modo dilatat, sequentia manifestabunt. Hanc autem fabulam sicut et ceteras Menander prius Græco sermone composuit. Postea præsens comicus Latinis novam reddidit moreque suo in prologis maledictis æmulorum respondit.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

Chremes, *senex, Clitiphonis pater. A χρέμπτεσθαι, screare, quod senes screare soleant.*

Clitipho, *adolescens, Chremetis filius. A* κλειτὸς, *inclytus, et* φῶς, *lux: q. d. inclytum lumen.*

Syrus, *servus Chremetis. A patria Syria dictus.*

Menedemus, *senex, Cliniæ pater. A* μένος, *robur, et* δῆμος, *populus: q. d. robur populi.*

Clinia, *adolescens, Menedemi filius. A* κλίνω, *inclino. Vel a* κλίνη, *lectus nuptialis; nam Antiphilam uxorem duxit.*

Dromo, *servus Menedemi. A* δρόμος, *cursus.*

Sostrata, *Chremetis uxor. A* σώζω, *servo, ut quæ filiam exponi jussam conservavit.*

Bacchis, *amica Clitiphonis. A* βάκχος, *propter ebrietatem vel insaniam.*

Phrygia, *ancilla. A patria nominata.*

Nutrix.

Antiphila, *amica Cliniæ. Ab* ἀντὶ, *contra, et* φίλη, *amica. Quasi contra et vicissim amans.*

C. SULPICII APOLLINARIS PERIOCHA[1]

IN TERENTII HEAUTONTIMORUMENON.

In militiam proficisci gnatum Cliniam
Amantem Antiphilam compulit durus pater:
Animique sese angebat, facti pœnitens.
Mox ut reversus est, clam[2] patrem divortitur
Ad Clitiphonem, is amabat scortum Bacchidem.
Cum accesseret cupitam[3] Antiphilam Clinia,
Ut ejus Bacchis venit amica,[4] ac servolæ
Habitum gerens Antiphila, factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho: hic technis Syri,[5]
Decem minas meretriculæ aufert a sene.

Pater Menedemus, justo severior, Cliniam filium coëgit victum jurgiis, cum Antiphilam amaret, ad bellum ire; et ipse Menedemus, pœnitentia ductus talis duritiei, seipsum cruciabat in animo. Statim ut ipse Clinia rediit militia, nesciente patre divertit, et se recipit apud Clitiphonem, Chremetis filium. Is Clitipho captus erat amore Bacchidis meretricis. Cum Clinia accersitum misisset Antiphilam, cujus videndæ ingenti desiderio flagrabat, Bacchis etiam venit cum Antiphila, quæ servili habitu induta est, quasi foret Bacchidis serva. Id factum fuit, ut hanc rem patri suo occultaret Clitipho, ne ille animadverteret Bacchidem a se amari. Hic Clitipho a Chremete extorquet pro Bacchide amica decem minas, arte et astu-

1 Hoc argumentum, et Prologus, æque ac tota Comœdia in Ms. junctis versibus exarata est. *Bruns.*—2 *Mox ut, reversus, clam* Both. qui notat: 'Legitur *reversus est*, m. l., nisi scribas *reversust*, quod duriusculum in novo auctore.' Al. *patre devertitur* vel *divertitur.*—3 Al. *accesseret cupitum. Accesseret* Br.—4 Both. *Item alius venit Bacchis amica.*—5 In Ms. sic scriptum est,

NOTÆ

10 *Decem minus*] Scriptores Latini, pariter et Græci, drachma et denario promiscue utuntur: denarius autem Romanus valet sex assibus nostris Turonensibus, ut drachma Attica. Mina Attica habet centum drachmas: igitur decem minæ Atticæ valent 100. Coronatis nostris, sive trecentis libris Turonensibus: nam mina decem coronatis æquivalet.

Antiphila Clitiphonis reperitur soror.
Hanc Clinia, aliam [6] Clitipho uxorem accipit.[7]

tia Syri servi. Antiphila reperitur soror Clitiphonis, et filia Chremetis. Clinia hanc duxit uxorem; Clitipho aliam accipit, dimissa Bacchide.

tecgnis siri. Bruns.—6 Vulg. *aliam*, minus bene. *Both.* qui legit *illam.*—7 *Uxorem ducit* Bent.

JO. CALPHURNII BRIXIENSIS VIRI CLARISSIMI

IN P. SEXTI TERENTII

HEAUTONTIMORUMENON PROLEGOMENA.

Hæc Fabula, Menandri Græca: quæ facta a Terentio Latina, nomen idem observavit, ne Græci nominis euphoniam perderet: quod Terentius minus laudis existimaret propria scribere, quam Græca transferre. Nomen habet a sene seipsum excruciante ob filii absentiam: quem amantem, duritia sua in militiam proficisci compulerat: ἑαυτὸν τιμωρούμενος, Latine, seipsum excrucians interpretatur. Illud animadvertendum, omnes Terentianas fabulas ex utroque genere mistas, præter hanc. Nam comœdiæ aut motoriæ sunt, aut statariæ, aut mistæ. Motoriæ, turbulentæ: statariæ, quietiores: mistæ, ex utroque actu consistentes. In hac, quæ plurimum delectat et actu et stylo, primæ partes sunt Menedemi et Chremetis: secundæ Cliniæ et Clitiphonis: tertiæ Syri: et sic deinceps. Hæc etiam, ut ceteræ, quinque actus habet, Prologum concitatum. Nam et se purgat, et in lædendis adversariis est occupatus. Argumentum quoque non simplicis negotii habet, nec unius adolescentis, ut in Hecyra: sed duorum, ut in fabulis.*

* Ms. et editi vett. præter Lind. *ut in ceteris fabulis.* Quæ omnino vera videtur lectio. *West.*

ARGUMENTUM EJUSDEM.

Chremes gravidæ uxori olim interminatus, si puellam pareret, nolle tolli, At illa clam anui Corinthiæ nutriendam dedit. Hanc adultam Clinia, invito patre, amare cœpit; cujus duritia et assiduis jurgiis in militiam proficisci compulsus est. Postea facti patrem Menedemum adeo pœnituit, ut omnia venderet, et agrum emeret, in eoque se exerceret; ut sic filii injuriam ulcisceretur. Paulo post revertitur Clinia, et clam patre devertitur apud Clitiphonem, qui et ipse amabat scortum Bacchidem. Mittit arcessitum cupitam Antiphilam Clinia: cum qua et Bacchis una venit. Hanc adolescentes Cliniæ amicam simulant Syri technis. Antiphila ad matrem deducitur: cujus occasione Syrus decem minas meretriculæ aufert a Chremete. Dehinc Antiphila Clitiphonis soror reperitur, et Cliniæ in uxorem datur. Chremes Bacchidem a Clitiphone amari animadvertit: irascitur: minitatur: sed, et Menedemo adhortante, filio ignoscit: et aliam illi dat conjugem. In primo actu agitur de conjunctione senum, scilicet Menedemi et Chremetis; simul et de amicitia et familiaritate adolescentium; in qua Clitipho ardentissimus ostenditur. Secundus actus continet, quemadmodum adolescentes amicas receperint; simul et Syri callidum consilium. Tertius actus exprimit Syri fallaciam in Chremem, ut Bacchidem credat Cliniæ esse amicam, et Antiphilam arrhaboni Bacchidi relictam esse putet pro argento, quod anum Corinthiam meretrici debere finxit. In quarto actu agitur de recognitione Antiphilæ, et de extorsione argenti, quod Bacchidi Clitipho promiserat. Quintus actus continet omnium rerum conversionem ad jucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum: et quemadmodum Antiphilam uxorem Clinia duxerit: Clitipho vero, dimissa Bacchide, aliam acceperit.

PROLOGUS.

Ne cui sit vestrum mirum, cur parteis seni
Poëta dederit, quæ sunt adolescentium,
Id primum dicam: deinde, quod veni, eloquar.
Ex integra Græca, integram comœdiam
Hodie sum acturus, Heautontimorumenon;
Duplex quæ ex argumento facta 'st simplici.

Ne quis vestrum, qui auditis, miretur, cur Terentius noster Poëta mihi seni dederit officium recitandi Prologi, quod solet fieri ab adolescentibus: causam primum vobis aperiam; deinde enarrabo, quare in scenam prodierim. Ego sum hodie recitaturus hanc Comœdiam integram, nominatam Heautontimorumenon, translatam ex integra Græca Menandri Comœdia, quæ facta est duplex (nimirum quia in hac Comœdia duo sunt filii-familias amatores, duæ amicæ, duo senes, duo servi, quæ omnia in Menandro erant simplicia) ex simplici argumento, quod præbuit Menedemus, se labore et dolore macerans. Indicavi recenter esse ex Græca tra-

1 In GM. lego, inquit Perl. ni scriptura fallor, *præcipuas.*—2 Br. *adolescentum.*—3 Viri sagacissimi, sed audacia sæpe præcipites, Palmerius et Guyetus, inverso ordine legunt: *Id dicam deinde: primum quod veni eloquar.* West. Bent. Ita quoque lectionem Guyeti, sed improbans, citat Perl. EP. tamen inquit, 'Reponit Guyetus, Goveanum secutus: *Id deinde dicam: primum quod veni eloquar.*' Pro *quod* Par. in marg. ex Pall. scribit *quo.* EP. habet *quid.*—6 Guy. ex Bem. legit *duplici*: sed notant Fa. et Bent. id in

Novam esse ostendi, et quæ esset: nunc qui scripserit,
Et cuja Græca sit, ni partem maxumam
Existimarem scire vestrum, id dicerem.
Nunc, quamobrem has parteis didicerim, paucis dabo.
Oratorem voluit esse me, non prologum.
Vestrum judicium fecit; me actorem dedit.
Sed hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.

ductam, et quo nomine vocaretur. Nunc, nisi arbitrarer plerosque vestrum, qui hic adestis, scire, qui composuerit, et cujus auctoris ea sit, id significarem. Nunc brevi sermone dicam, quamobrem has partes agendi apud vos susceperim, et hanc orationem recitandam didicerim. Poëta Terentius voluit me Oratoris officio fungi, ut hunc defenderem ab adversariis, et ab eorum insectationibus vestra protectione tutus esset, non Prologi præfationem agentis. Ipse Poëta voluit, ut, orata ejus causa, judicaretis inter ipsum et adversarios, meque recitatorem pro se vobis exhibuit. Sed hic Actor (ego nempe qui ago, recito hanc Comœdiam) tantum ex ornatu loquendi et suavitate pronuntiandi consequetur, quantum Poëta valuit apte invenire (id est, Actor studebit pronuntiatione sua vobis placere, sicut Poëta sua commoda inventione et artificio argumenti) qui composuit hanc orationem quam

eodem lib. mutatum in, *simplici;* quomodo et Eng. legit. Invertunt ordinem Tan. Faber et Bent. legentes, *Simplex...duplici:* verissime, censente Ruhnkenio. Lessing. *Simplex...simplici.*—7 Suspectum mihi semper visum *τὸ nunc*, tanto magis, quia continuo sequitur, 'Nunc quamobrem has partes didicerim.' Crediderim fere, scripsisse Poëtam, *nam qui s.* optime, si quid video, sensu. Firmat conjecturam Guy. in Glossis Mss. *West.* Ita quoque habet Both.—11 Alii *esse voluit.* In Br. *τὸ esse* deest, et *τὰ paucis dabo* versum incipiunt.—13 Pro *Sed* legendum censet Bent. *Si,* quod probat Both. Quærit West. 'quid, si per interrogationem legatur: *Sed...dicturus sum?*'—

NOTÆ

11 *Oratorem voluit esse me*] Id est, oratione a vobis petere, ut ne plus possit oratio iniquorum quam bonorum; ut æqui sitis; ut crescendi copiam faciatis iis qui novas exhibent Comœdias; æquo animo adsitis, ut liceat per silentium statariam agere Comœdiam.

Non Prologum] Orator est, cui causa defendenda datur: talem se esse Actor hujus Comœdiæ declarat; non Prologi recitatorem, qui argumentum narret; sed qui pro Terentio causam apud Spectatores dicat, adversus rumores, a Lucio Lavinio malevolo ceterisque adversariis contra Poëtam sparsos.

13 *Sed hic actor tantum poterit a facundia*] Commendatio est sumta a personis Actoris et Poëtæ: et hic esse sensus videtur: Quamvis Poëtæ inventio in hac Comœdia sit admodum artificiosa, et oratio commode excogitata, ut nihil aptius et facundius esse possit; Actor tamen ita eleganter eam pronuntiatione, voce, et gestu corporis exprimet, ut eam gratam et insignem magis efficiat.

Nam quod rumores distulerunt malevoli,
Multas contaminasse Græcas, dum facit
Paucas Latinas; factum hic esse id non negat,
Neque se id pigere: et deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum: quo exemplo sibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tum quod malevolus vetus poëta dictitat,
Repente ad studium hunc se applicasse musicum,
Amicum ingenio fretum, haud natura sua;
Arbitrium vestrum, vestra existimatio
Valebit; quamobrem omnes vos oratos volo,
Ne plus iniquum possit, quam æquum, oratio.
Facite æqui sitis: date crescendi copiam,
Novarum qui spectandi faciunt copiam
Sine vitiis; ne ille pro se dictum existumet,
Qui nuper fecit servo currenti in via

sum pronuntiaturus. Nam, quod invidi divulgaverunt sermones, ipsum Poëtam Terentium maculasse et corrupisse multas Comœdias Græcas, quando fecit paucas Latinas: hic non inficiatur a se factum esse, ut ex multis Græcis paucæ componerentur Latinæ; seque non pœnitere affirmat, et se deinde itidem facturum opinatur: habet enim auctores bonos, Nævium, Plautum, et ceteros Poëtas Comicos. Qua imitatione putat sibi licere idem facere, quod illi fecerunt. Tum deinde, quantum ad id pertinet quod vetus Poëta ille L. Lavinius malignus suis detractionibus jactitat, Terentium animum appulisse subito ad studium Musarum et ad scribendas Comœdias, confisum potius ingenio et industria suorum familiarium, Scipionis et Lælii, quam sua natura et arte; in hoc vestrum judicium et vestra sententia pondus et auctoritatem habebit. Quapropter oro vos omnes ne sermo iniquorum plus valeat, quam sermo bonorum et justorum. Curate, ut ex æquitate vestra hanc rem arbitremini. Facite potestatem ut augeatur et incrementum capiat eorum fama et favor, qui dant copiam et facultatem spectandi novas Fabulas Comicas, nullis erroribus et vitiis inquinatas. Ne Lavinius putet hæc dici sui causa; cum non ita multo antehac fecit in suo poëmate, ut populus decederet, et locum daret servo fatuo

17 Sensus videtur commendare lectionem Faërni, quam Bent. quoque secutus est, *facit,* pro *fecit.* Zeun.—18 'Lege,' inquit Bent. 'cum omnibus nostris et edd. vett. *id esse factum hic non negat.*' Ita quoque Br. et Perl. Bothius *factum id esse hic n. n.*—19 Recte solius Bembini fide ejecit *id* Fa. quippe in priore commate est, 'id esse factum.' Quam inficete autem, 'id esse factum, neque id pigere?' Sed aliud præterea muta: *id esse factum non n. Neque se pigere, et deinde factum iri autumat.* Bent.—23 Lege, inquit idem, cum nostris fere omnibus et edd. vett. *R. a. s. se a. hunc m.*—26 In Bem. est *quare:* in Vict. autem ascriptum in modum variæ lectionis, *vel quare.* Vetustiores nostri omnes, inquit Bent. *quare,* non *quamobrem. Quare* etiam exhibent Br. EP. Perl. Both.—30 Mss. et editi quidam, *nec ille.*—32 Interpretes

Decesse populum: cur insano serviat?
De illius peccatis plura dicet, cum dabit
Alias novas, nisi finem maledictis facit.
Adeste æquo animo; date potestatem, mihi
Statariam agere ut liceat per silentium;
Ne semper servus currens, iratus senex,
Edax parasitus, sycophanta autem impudens,
Avarus leno, assidue agendi sint mihi,
Clamore summo, cum labore maxumo.
Mea causa causam hanc justam esse animum inducite,
Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.

discurrenti per plateam contra decorum. Quasi vero populus obsequi et cedere debeat mancipio dementi. De Lavinii erroribus Poëta pluribus aget, quando edet alias novas fabulas, nisi finem imponit detractionibus et dictis contumeliosis. Attenti estote et favete mente placida et quieta. Concedite ut usque ad exitum cum silentio vestro possim recitare hanc Comœdiam statariam, quæ motus non habet, neque turbas: ne semper servus festinans, senex ira motus, parasitus vorax, calumniator impudens, leno pecuniæ avidus, mihi, qui senex sum, et quietem quæro, assidue sint repræsentandi cum vociferatione magna et defatigatione. O vos spectatores! mei causa, credite justam esse causam, cur petam, ut vos cum silentio attenti sitis, et ut in agendo aliqua parte laboris sublever; ne mihi semper exhibendi sint, vel servus currens, vel senex iratus, vel parasitus edax, vel calumniator

frustra se torquent in hanc lectionem explicando. Verissima est Perizonii emendatio, *Dixisse p.* Nam Terentius Luscio Lavinio vitio vertit quod populum in scena induxerit cum servo loquentem. *R. D.* Approbat Bent. Editi vetustiss. ex Mss. quibusdam, *Decessisse.* 'Qui hoc loco *serviam* legi volunt, nescio quem sensum Poëtæ affingunt.' *West.*—37 GC. a dictionibus *irat. sen.* incipit versum sequentem.—39 GM. *seni.* Itid. Br. omisso *mihi.* Sed illa vox, *seni*, aut pro glossa primo fuisse, aut deinde in textum irrepsisse, aut denique per incuriam librarii e vs. 43. huc reducta videtur. *Perl.* Ms. Lips. EP. ET. et EV. 1. cum quibusdam aliis etiam exhibent *seni.*—43

NOTÆ

31 *Qui nuper fecit servo currenti*] Lavinium perstringit, qui in quadam Comœdia servum furentem et discurrentem per vicos expresserat, et populum illius impetui cedentem: quod contra decorum est, disconveniens Comœdiæ, et nimis Tragicum, furentes in scenam Comicam inducere.

36 *Statariam agere*] Romana Comœdia etiam dividitur in statariam, motoriam, et mixtam: in prima res sunt quietiores; in altera magis turbulentæ; in tertia utrumque concurrit. Motoria est Amphitryo Planti; stataria ejusdem Cistellaria; mixta Eunuchus Terentii. Hanc Comœdiam Poëta ait esse statariam.

41 *Mea causa*] Actor postulat, ut ejus opera inserviat potius agendis Comœdiis statariis, quam motoriis, cum Actor ipse sit senex, cui parci debeat.

Nam nunc novas qui scribunt, nihil parcunt seni:
Si qua laboriosa 'st, ad me curritur;
Sin lenis est, ad alium defertur gregem.
In hac est pura oratio. Experimini,
In utramque partem ingenium quid possit meum.
Si nunquam avare pretium statui arti meæ,
Et eum esse quæstum in animum induxi maxumum,
Quam maxume servire vestris commodis;
Exemplum statuite in me, ut adolescentuli
Vobis placere studeant potius, quam sibi.

impudens, vel leno avarus. Nam Poëtæ, qui novas Comœdias nunc faciunt, nullam mei servi, veteris Actoris rationem habent, et difficiliores ut agam Comœdias mihi mandant. Si qua Comœdia hujusmodi est, ut in ea recitanda multum laboris exigatur, ad me venitur, ut eam agam: sin facilis est actu, si non motoria est, sed stataria, aliis Actoribus mandatur agenda. In hac stataria Comœdia sermo est nitidus et purus. Periculum facite, tam in Comœdiis lenibus, quam laboriosis; tam in statariis, quam motoriis; quæ sint ingenii mei vires in utrisque recitandis. Si quidem nunquam caro pretio artem meam æstimavi, et mihi putavi hoc lucrum ingens esse vestris commodis inservire et prospicere; exemplum in me proponite, et ita mihi favete, ut juvenes Actores prodituri vobis potius, quam sibi oblectationem afferre conentur, et potius gratiæ vestræ demerendæ, quam quæstus sui causa artem comicam exerceant.

Libri quidam scripti et impressi, *mihi.*—44 Bem. *Si quæ:* quod legendum censet Malaspina, auctoritate vett. exemplar. et ratione carminis. Mureti lectionem, *Laboriosa si qua est*, laudat F. F. 'Bentleius metri causa edidit, *Si quæ.* Promiscue dicitur 'si qui' et 'si quis,' 'si quæ' et 'si qua.' V. interpret. ad Cic. ad Attic. IV. 2. 'si quæ vis esset facta;' et Bent. ad Hor. Ep. II. 6.' *R. D.* *Si quæ* Both. Z. Mss. quidam et impressi vetustiss. *decurritur.*—45 In quibusdam codd. *Sin levis est.* Bem. et plerique alii libb. *Si lenis.*—49 ET. et EM. *In animum induxi meum.*—51 Hos binos versus Guy. immerito addititios vocat. *West.*

ACTUS I. SCENA I.

CHREMES. MENEDEMUS.

CH. QUANQUAM hæc inter nos nuper notitia admodum 'st,

CH. *Quanquam hæc notitia admodum nova inter nos est; inde nata, quod præ-*

1 Videtur hæc vera lectio, quia minus trita, quam quæ ab aliis libris præfertur, *nupera notitia.* Et ita citat Cic. Fin. II. 4. Quanquam versus utrum-

Inde adeo, quod agrum in proxumo hic mercatus es,
Nec rei fere sane amplius quicquam fuit;
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiæ puto,
Facit, ut te audacter moneam, et familiariter;
Quod mihi videre præter ætatem tuam
Facere, et præter quam res te adhortatur tua.
Nam proh Deum atque hominum fidem! quid vis tibi?
Quid quæris? annos sexaginta natus es,
Aut plus eo, ut conjicio: agrum in his regionibus
Meliorem, neque pretii majoris, nemo habet;
Servos complureis: proinde quasi nemo siet,
Ita tute attente illorum officia fungere.
Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi
Domum revortor, quin te in fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre. Denique

dium in hac vicinia emisti: nec ulla certe prior causa alia est ejus notitiæ: ceterum vel virtus tua, vel vicinitas, quod non in extrema parte amicitiæ pono, me inducit, ut te familiariter et libere moneam, te mihi videri contra senilem tuam ætatem gerere, et præter quam utilitas tua suadet. Nam proh Deorum atque hominum fidem! quid vis, aut quid petis? explevisti annum sexagesimum, aut eum excedis, ut conjecto; nemo possidet agrum fertiliorem, neque pluris æstimatum in confinibus, neque plura mancipia, quam tu, habet; tamen tu ipse illorum officia facis; animo tam attento, quasi nullos habeas. Nunquam tam mane exeo, neque redeo domum tam sero, ut non videam te pala aut alio ferramento terram eruere in agro tuo, aut arando laborare, aut aliquod onus gerere: denique nullum relaxas tempus, quin

que recipit. *West.*—4 Quidam Mss. *mea vicinitas.*—5 *Propinqua*, obscure quidem: quod sentiens Bent. reponebat: *Quod ego esse in aliqua parte.* Vide, an nos melius, *propinqui.* Both. Lectionem Bentleii exhibet Perl. et *aliqua* legisse videtur Eug.—6 Br. *familiaritate.*—10 Mss. quidam: *Aut quid quæris*, haud male, censente Both.—11 Delendum *eo* monet Bent. et legendum: *Aut plus, ut conjicio*, quomodo et Both. EP. non agnoscit τὸ *ut.*—12 Al. *preti.* —13 An *complures* idem quod *plures*, gradu comparativo? Nusquam id lectum. Repone vel cum Guy. *Servi complures:* subintellige, *sunt tibi;* vel mecum, *Servos non plures.* Servius ad Æn. II. 247. 'Duæ negativæ apud Latinos faciunt unam confirmativam. Etsi Terentius Græco more dixerit: 'Agrum in his regionibus Meliorem neque preti majoris nemo habet.'' Ergo ut *neque* dixit, ita et *non* more Græco. *Bent.* Emendationem Guyeti sequitur Both. Br. legit *quamplures.* 'Hanc comparativi formam,' inquit Perl. 'esse negat Bent. Et Guy. legi mavult: *Servi complures*, sc. tibi sunt. At nos potius ex superiorib. referre suademus, *nemo habet*, vs. 12. *nemo* h. l. sc. servorum.' 'Non indignantis et objurgantis magis est *proinde quasi*, quam si *perinde quasi* dixisset, quod existimant G. et F. F. nam et hoc libri quidam præferunt.' *West.*—14 'Omnes nostri,' inquit Bent. 'cum edd. vett. *Ita attente tute.*' *Et fungere* Guelf. 2.—17 Cicero de Fin. I. 1. ita citat hunc

Nullum remittis tempus; neque te respicis.
Hæc non voluptati tibi esse, satis certo scio.
At enim dices, Me, quantum hic operis fiat, pœnitet.

semper te fatiges, nec tuæ parcis valetudini. Pro certo compertum habeo hæc ad delectationem tuam non fieri. At enim dices: Tædet me operis, quod fit hic a

locum, ut τὸ *denique* non sit initium novæ sententiæ, sed claudat superiorem. Terentius autem promiscue usurpat. Quanquam Donatus ad Phorm. I. 2. 71. notat: 'more suo Terentius, *denique* posuit in fine sensus. Sic in Heaut. 'Fodere, aut arare, aut aliquid facere denique;' ut sit *denique*, vel deinde, vel ad postremum.' Secutus autem sum distinctionem trium vetustiss. edd. EP. ET. EV. 1. tum Rob. Stephani, Fabrini, et aliorum; quam et observatam videre me memini in G., cum inviserem ad Cl. Virum, Joh. Theod. Schalbruchium, Gymn. Amstelod. Professorem: post cujus obitum Cod. illo potitus video me recte meminisse: sed et in ET. et EM. τὸ *denique* inchoat novam sententiam: sed in utraque pro ferre legitur *facere.* Unde ipse Grævius ita legit ad Cic. Fam. X. 24. Accedunt Mss. Leidd. Lips. Tr. Bodl. et Bœnd. Et sane non videtur magis ex loco Ciceronis confici, τὸ *denique* h. l. finire sententiam, quam Eun. III. 1. 42. 'Risu omnes, qui aderant, emoriri: denique Metuebant omnes jam me.' Quæ verba ita citat Priscianus Instit. Grammat. lib. X. *Risu emoriri omnes denique.* West. *Ferre* hic perinde foret ac portare, gestare. Quis vero sic loquentem ferat? Lege cum edd. vett. et uno ex nostris, *facere:* alius utrumque habet *facere, ferre.* Eug. 'Hic est labor ille plurimus; quo quotidie aut fodere invenitur, aut aliquid facere.' Ita Cicero de Fin. I. 1. locum hunc citans *denique* prioribus apponit; licet ibi editum sit *ferre.* Atqui si *ferre* legeris, necessario illud *denique* sequentibus apponetur. *Bent.* Etsi Bent. lectionem *aut aliquid facere denique*, quam reperit in uno cod. et vett. edd. et quæ a Donato ad Phorm. I. 2. 71. est expressa, sensus gratia præferendam putat: vulgaris tamen lectio, cum et Ciceronis auctoritate de Fin. I. 1. et sensus præstantia comprobetur, haud dubie retineri debet. Nam ferre aliquid, seu gestare, laboribus rusticis probe convenit. Ceterum post *denique* interpungendum est. Nam Terentius hanc particulam solet in fine sententiæ ponere ut Phorm. l. l. et Eun. I. 2. 78. *Zeun.* Pro *ferre* recte Bent. ex libris antiquis revocavit *facere.* R. D. *Facere* quoque probat Both. Do. ad Phorm. I. 2. 71. legit *al. facere denique*, quod Bent. præfert. Sed *al. facere* non augendi causa dicitur, cf. Andr. I. 5. 24. Quare malumus *ferre*, idque cum Mss. (ap. West.) EP. ET. EM. Arg. c. fiss. R. Steph. Fabrini, Rivio, Er. Mel. Heins. West. dispungimus a *denique;* uti Eun. III. 1. 42. *Editor Bip.* Abest *denique* Guelf. 2.—19 Al. indunt *tibi*, quod e glossa in Mss. irrepsisse videtur; certe senarium interficit. *Ed. Bip.* Deest quoque in Both. Sed probant et defendunt Bent. Fa.—20 *At enim te, q. h. o. fiat, pænitet.* Sic e Mss. quibusdam recipimus: sic salvus est senarius; sic et Noster inf. IV. 3. 35. Ad. V. 3. 44. et sic Cic. formulam 'at enim' adhibet in objectione, cui statim respondeat. Pro glossa igitur nobis est, quod vulgo ingeritur, *At enim dices me.* Sed Bem. et Do. ad Eun. V. 7. non habent *me*, quod proinde omisit Fa. Alii intercludunt. Bent. cum Mur. omittit *dices*, et retinet *me.* In hac inconstantia nostrum magis placet. *Ed. Bip.* Codd. agnoscunt *dices*, neque sane intelligo, cur hoc Bent. expunctum voluerit potius quam *operis* (v. enim: *hic operis fiat*), quod minime necessarium est ad sensum, magisque offendit propter statim sequentia: 'Quod in opere faciundo.' Ex-

NOTÆ

20 *At enim dices*] Anthypophora; responsio ad ea quæ objici possent.

Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.
Me. Chreme, tantumne est ab re tua otii tibi,
Aliena ut cures, eaque, nihil quæ ad te attinent?
Ch. Homo sum: humani nihil a me alienum puto.
Vel me monere hoc, vel percontari puta.
Rectum est? ego ut faciam: non est? te ut deterream.
Me. Mihi sic est usus: tibi ut opus facto 'st, face.
Ch. An cuiquam est usus homini, se ut cruciet? Me. Mihi.
Ch. Si quid laboris est, nollem: sed quid istuc mali
est,

servis meis, qui nimis cessare solent; ideo operi manum libet admovere. At, si sumas id laboris, quod perdis operando in agro, in illis incitandis ad opus faciendum, magis utilitati tuæ prospicias. Me. *O Chreme! tantumne tibi vacat a tuis negotiis, ut de alienis solicitus sis; et præsertim de his quæ nihil ad te spectant?* Ch. *Ego me hominem esse cognosco; nihil, quod ad hominem pertinet, ad me non pertinere arbitror. Vel monendi causa, vel inquirendi, me hæc tibi dicere puta: inquirendi causa, ut, si hoc quod facis rectum est, ego quoque sic faciam: monendi causa, ut, si rectum non est, id facere tibi dissuadeam.* Me. *Utile est mihi sic facere: tu facito ut tibi opus esse putas.* Ch. *An utile est cuiquam homini, ut se torqueat et affligat?* Me. *Mihi id utile est.* Ch. *Si quis labor esset necessarius, nollem te reprehendere; sed quod infortunium est istuc quod pateris? obsecro, quid*

pressi cod. C. *Both.* Qui igitur legit: *At dices enim: me quantum hic f. p.* Alii habent: *A. c. d. m. q. h. ab operis f. p.* Br. *At dices enim m. q. h. o. f. p.*—21 *Quid* Guelf. 1. 2.—23 In Bem. et aliquibus aliis libb. ita hæc verba sunt collocata: *Chreme tantumne ab re tua 'st.* et ita etiam a Cic. citantur lib. xii. ad Att. Ita quoque habent Bent. Perl. Bip. Bothius legit, *Tantumne ab re tua tibi est oti, Chreme.*—24 Omnes codd. Bent. Br. Bœnd. cum edd. vett. et Perl. Both. *ea quæ nihil ad te attinent.* Abest *ea* Guelf. 2.—25 Duo ex nostris, *nihil a me:* ceteri perperam, *a me nihil.* Bent. 'Omnes libb. scripti,' inquit Fa. '*nihil a me.*' Br. G. et Both. tamen, *a me nihil.* G. quoque *humanum.*—26 Abest *Vel* Guelf. 2. 'In quibusdam Mss. *movere.* Sic And. v. 4. 18. præstat autem *monere.*' West.—27 *Non ut deterream.* Lege *non est, te ut deterream.* Hunc locum, præterquam quod duarum dictionum defectus in omnibus impressis corruperat, etiam obscurabat confusa distinctio: sic etiam distinguendum est; *Rectum est, ego ut faciam: non est, te ut deterream.* Fa. Lectionem Faërni probat Bent. sed per interrogationem pronuntiare monet. Ut habent Both. Bip. Ceteræ edd. ap. nos sine interrogat. legunt. In Guelf. 2. abest *ego.*—28 Br. *tibi ut est opus facto.*—30 *Si quid laboris est, nollem: s. q. i. m. est?* Sic codd. omnes, versu ipso frustra reclamante. Tu ei suppetias vel sic ferto, *S. q. labori est, nollem: s. q. i. m. est?* vel sic potius, *Si quid laboris, nollem:* ejecto *est.* Genitivus ideo placet, quia sequitur, 'quid mali.' Trin. v. 2. 57. 'Si quid tibi, pater, laboris. Nihil evenit, ne time. Bene re gesta salvos redeo.' Est nunc Guyetus; et ut spurium Terentioque indignum expungat. *Bent.* 'Hunc vs. Guy. et Bœcl. spreverunt, parum inde boni sensus elici posse fatentes. Sed mihi quidem videtur sententia aperta, et post *nollem,* quod abrupte dixerat

Quæso? quid de te tantum meruisti? Me. Eheu!
Ch. Ne lacryma: atque istuc, quicquid est, fac me ut
sciam:
Ne retice: ne verere: crede, inquam, mihi,
Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.
Me. Scire hoc vis? Ch. Hac quidem causa, qua dixi
tibi.
Me. Dicetur. Ch. At istos rastros interea tamen
Appone: ne labora. Me. Minime. Ch. Quam rem agis?
Me. Sine me vacivom tempus ne quod duim mihi
Laboris. Ch. Non sinam, inquam. Me. Ah! Non
æquum facis.

tam male de te meruisti, ut te tam perdite affictes? Me. *Eheu me miserum!* Ch. *Noli flere; fac ut sciam: istud quicquid est, noli celare; ne time, mihi fidem habe: levabo te hac molestia, aut consolationem dando, aut consulendo, aut reipsa tibi operam navando.* Me. *Vis scire quid hoc est?* Ch. *Ita certe volo, propter hanc causam, quam tibi dixi, videlicet ut te juvem.* Me. *Dicetur tibi.* Ch. *At interim, dum dices, depone istos rastros.* Me. *Minime sum depositurus.* Ch. *Ne laborare pergas; quid agis te ita macerando?* Me. *Patere me laborare, ut nullo non tempore labore me exerceam.* Ch. *Non patiar, inquam.* Me. *Ah! inique agis, qui mihi laboranti impedimento sis.* Ch. *Hui! obsecro, tam ponderosos*

Chremes, repetend. esse ex vs. 26. 'vel monere, vel percontari.' Bent. omitt. *est* [post *laboris*]. Sed bis positum more videtur Terentii.' *Perl.* *Est* omittit quoque Both. 'Quis non indignetur, hunc vs. Guyeto spurium videri, et Terentio indignum? Bœclero itidem parum boni sensus hinc elici posse visum. Muretus, cui sententia satis aperta non erat, sensum tamen feliciter expressit.' *West.* Br. Perl. Bip. Both. interrogationem ponunt post *mali est*, et omittunt post *Quæso.*—31 Guyetus ut hianti versui succurrat, *meruistid? Eheu.* Vir eruditus, '*meruisti,*' inquit, 'non elidit ultimam.' Facilis sane curandi ratio: sed ex arte necesse est, ut elidat. Aliud adhuc tentat, *meruisti? Eheu heu.* Sane *Eheu*, si *Eheu heu* pro bono dactylo veniet. Tu corrige, *Oiei:* et vide nos ad Eunuchum iv. 4. 47. *Bent.* Lectionem Bentleii dant Perl. Both. In ed. Bip. legitur *Heu hoi.* GM. *eheu;* ubi sup. script. *dolentis.*—33 Prava hic interpunctio est, ex falsa interpretatione nata. Repone: *Ne retice: ne verere: crede inquam mihi. Aut c.* Bent.—35 Vulg. *hac causa equidem.*—36 Ch. *istos rastros .... depone* vulg. 'Ex om. libb. script. lege, *at istos.* Ex Bem. vero et plerisque aliis, maxime antiquis, *appone:* quod idem est quod *depone.*' Fa. 'Nostri omnes,' inquit Bent. '*at istos;* et ex eis meliores *appone.*' *Dic tibi* Guelf. 1. *Tibi* post *Dicetur* 2. 3. Ibid. abest *at* 2. *Tantum* pro *tamen* 1.—38 Quidam Mss. et editi [Br. Z.] non agnoscunt τὸ *me.* West. 'Vs. hic nullo modo, ut quidem nunc legitur, sustentari potest: mendum est in dictione *vacuum,* cujus loco Bem. habuit *vocivom,* quod postea emendatum est in *vacivom,* quod idem est quod *vacuum;* quæ dictio a Plauto usurpatur in Pseudolo: 'Fac sis vacivas Pseudole ædis aurium.'' *Fa.* 'Bene hic Bem. *vacivom.* Nostri omnes *vacuum.* Mutarunt, ut cetera, magistri.' *Bent.* Br. G. ET. et EM.

Ch. Hui, tam graves hos, quæso? Me. Sic meritum 'st
 meum.
Ch. Nunc loquere. Me. Filium unicum adolescentulum
Habeo: ah! quid dixi habere me? immo habui, Chreme:
Nunc habeam, necne, incertum est. Ch. Quid ita istuc?
 Me. Scies.
Est e Corintho hic advena anus paupercula:
Ejus filiam ille amare cœpit perdite,
Prope jam ut pro uxore haberet: hæc clam me omnia.
Ubi rem rescivi, cœpi non humanitus,
Neque ut animum decuit ægrotum adolescentuli,
Tractare; sed vi, et via pervolgata patrum.
Quotidie accusabam: Hem, tibine hæc diutius
Licere speras facere, me vivo patre,

portas hos rastros? Me. *Pœna, qua dignus sum, sic postulat.* Ch. *Nunc explica causam, cur te crucies.* Me. *Est mihi filius unicus adolescentulus. Ah! quid dixi, mihi esse, o Chreme? sed fuit mihi antehac: nunc utrum sit, necne, dubium est.* Ch. *Cur istud ita est, ut nunc non habeas filium?* Me. *Audies. Vetula egena, peregrina ex Corintho, urbe Achaiæ, habitat in hoc oppido. Ille filius meus captus est amore nimis vehementi filiæ hujus vetulæ, adeo ut fere jam haberet eam pro uxore. Fecit hæc omnia, me nesciente. Ubi id cognovi, repente cœpi tractare animum filii mei, ægrum amore, inhumane et inclementer, neque ut debui; sed objurgabam eum quotidie violenter et more communi patrum. Hem! dicebam; an credis tibi permitti hujusmodi, quæ facis, longiori tempore facere, me vivente,*

vacuum.—42 Ms. Lips. Br. Guelf. 3. EP. Both. *At quid d.* Ms. Bodl. *At quod d.* EP. non agnoscit *τὸ immo.*—43 Abest *ita* Guelf. 2.—45 Bodl. *E. f. iste a. c. virginem.* G. GM. Br. Perl. *virginem.* Bœnd. ET. EM. *perdite virginem.* GC. Bip. Z. Both. *a. c. perdite.* 'Sic aliquot ex nostris, *perdite*: alii, *virginem*: nonnulli utrumque, *perdite virginem*: alii, *virginem perdite.* Ex his duabus quæ deterior erit lectio, 'Dede neci; melior vacua sine regnet in aula.' Equidem *virginem* retineo; quippe quæ mox invenietur Chremetis filia. At isto *perdite* nihil est opus; quippe id satis exprimunt quæ sequuntur, 'Prope jam ut pro uxore haberet.'' *Bent.*—47 Varie in Mss. et editis antiquis legitur, *Ubi rem rescivi, Ubi rem scivi, Ubi id rescivi, Ubi rescivi.* West. 'Legerim cum Mss. nonnullis et editis vetustissimis, *humaniter*, quomodo et Diomedem legisse observat Riv. Quanquam in EV. 2. *humanitus* apud Diomedem reperio. In quatuor tamen Mss. Leidd. Tr. G. et Bodl. impressisque vetustiss. est *humanitus.* In Leid. 5. dubie scriptum, *humanit'.* Ita et in Bœnd. Nonius 'humanitus' et 'humaniter' *ἰσοδύναμα* facit.' *Idem.*—49 Vulgata *vi et via* excedit senarium; et quid opus est *vi* ad accusandum. Ortum nobis videtur *vi* ex ambigue lecto *via.* cf. vero Plaut. Merc. I. 1. 46. quem Noster imitatus est. *Bip.* '*Sed vi et via pervulgata p.* male eliso *vi*, quod, si locum haberet, præcipuum sibi accentum posceret, *via* autem *μονοσυλλάβως* pronuntiato, quomodo ap. Terent. nunquam. Aberranti igitur oculis librario debentur verba *vi et*; pro *pervulgata* autem scribendum *pro vulgata* i. e. secundum vulgatam patrum viam, maxime, ne cæsura legitima versus

Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco?
Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia.
Ego te meum esse dici tantisper volo,
Dum, quod te dignum 'st, facies: sed, si id non facis,
Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.
Nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio otio.
Ego, istuc ætatis, non amori operam dabam,
Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem; atque ibi
Simul rem, et belli gloriam, armis reperi.
Postremo adeo res rediit: adolescentulus,
Sæpe eadem et graviter audiendo, victus est.
Et ætate putavit me, et benevolentia,
Plus scire et providere, quam se ipsum sibi.
In Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.

videlicet ut habeas amicam vice uxoris? Falleris opinione tua, si putas tibi hæc per me licere, nec meam nosti voluntatem, Clinia. Ego volo te nominari filium meum, interea dum facies officium, quod te decet: at, si talem non te præstas, ego excogitabo id, quod honestum et æquum est me agere contra te. Certe istud, quod facis, ex nulla causa nascitur, præterquam ex desidia et nimia cessatione. Ego cum essem ea ætate, qua tu es, non indulgebam amori, sed discessi ex patria in Asiam, quia pauper eram, atque ibi mihi acquisivi armis pariter divitias et laudem. Tandem res eo plane deducta est; adolescentulus defatigatus fuit assiduas objurgationes audiendo, et eadem verba gravia et probra. Existimavit me ea quæ decent intelligere melius, et certius consulere, quæ e re sua essent, quam is ipse, propter ætatem meam. Profectus est in Asiam ad Regem Persarum, ut ei militaret.

careat. 'Pro' et 'per' sæpissime confunduntur in codd.' *Both.*—52 Vulg. *uxoris in.* Abest *in* Guelf. 2.—55 Bac. conject. *facis.* Atque verum est, præsens temp. cum *Dum* jungi, præsertim cum præsens item antecesserit. *Perl.*—57 Vulg. *nisi ex nimio otio.* Bent. reponit, *nimio ex otio.* Ita quoque Perl. Bothius legit, *N. a. ex re i. nimio nisi fit otio.* Abest *nisi* mendose Guelf. 2.—59 GM. p. var. *miseriam.* Perl.—60 Ita post Goveanum et Fa. Guyetus. Vulgo: *armis belli.* West. *Armis belli* dant Br. Bent. Z. Engraphius et Br. habent, *Simul et rem et gloriam.* Both. *S. remque et b. g. a. r.* '*Ibi simul r. et g. a. r.* Vulg. *ibi* jungitur vs. priori, qui sic excedit. Igitur illud seq. initium esse jubemus, delendo *belli*, quod supervacuum. Vett. scr. et edd. habent *armis belli*; manifestum glossema, e quo Gov. et Fa. perperam fecere vulgatum.' *Bip.* '*Repperi*: recte; non *reperi.*' Perl.—61 *Ad id* pro *adeo* Guelf. 1.—63 *Putavit me ætate et benevolentia.* Aliquot libri ita habent, *et ætate*: quod et elegantiæ conducit, et versui: non enim habebit tantum hiatum: quamvis et sic quoque non oportebit facere synalœpham in *me et*: ut in secunda sede sit dactylus: vel certe dissolvenda erit diphthongus. *Fa.* 'Nostri fere omnes, *et ætate.* Ceterum si Bembo ipsi fides est, codex suus habuit, *et ætate et sapientia.* Sed Fa. qui codici illi nimium favebat, hoc tacuit. Recte, ut omnes, *benevolentia.* Hoc refer ad 'providere;' 'ætate' ad 'Plus scire.'' *Bent.* *Putavit me et ætate* dant Br. Bent.

CH. Quid ais! ME. Clam me profectus, menses treis abest.
CH. Ambo accusandi; etsi illud inceptum tamen
Animi est pudentis signum, et non instrenui.
ME. Ubi comperi ex iis, qui ei fuere conscii,
Domum revortor mœstus, atque animo fere
Perturbato, atque incerto præ ægritudine:
Assido; accurrunt servi, soccos detrahunt;
Video alios festinare, lectos sternere,
Cœnam apparare: pro se quisque sedulo
Faciebat, quo illam mihi lenirent miseriam.
Ubi video hæc, cœpi cogitare: Hem! tot mea

CH. *Quid ais?* ME. *Abiit, me inscio; absens est jam per tres menses.* CH. *Ambo estis culpandi; quamvis hoc filii tui propositum animi verecundi est indicium, immo fortis et strenui.* ME. *Postquam cognovi ex sodalibus eum discessisse, qui id sciebant; domum redeo tristis, atque animo penitus commoto et perplexo præ animi dolore; sedeo: servi celeriter ad me accedunt: educunt pedibus calceamenta. Video alios properare, parare lectulos discubitorios, cœnam curare: quisque pro virili sua parte efficiebat diligenter, ut mihi mitigarent hunc tristitiam. Postquam vidi, quæ servi faciebant, considerare cœpi: Hem! tot servi sunt anxii mei*

Perl. Both. Z. Bip. Script. *boniv.* pro *benev.* Guelf. 1.—66 Sic dedit Fa. sed nostri universi cum vett. edd. *Clam me est profectus: menses tres abest.* Certe si hæc disjungas, paternum animum et affectum magis expresseris. *Bent.* Bothius legit, *Profectus clam me est; m. t. a.*—67 *Z. et si.*—69 Nostri omnes, *qui fuere ei conscii.* Recte. Quippe Trochæus in ista sede ne Græcis quidem ipsis placet. *Bent.* Ita quoque Br. Perl. Both.—71 Sic a vett. edd. et a Fa. est. Sed nostri, uno excepto, omnes *Conturbato;* quod certe plus est quam *Perturbato.* Codex Acad. 900. annorum *incerti* habet; CCC. a manu prima *inerti.* Anne igitur legendum, *Conturbato atque inerti præ ægritudine? Inerti,* omnis consilii experti. *Bent.* *Conturbato* habent Ms. Lips. Bodl. Br. EP. Perl. Both. *Perturbato* Guelf. 1. 2. Bip. Z.—72 M. et Bœnd. *Adsideo.* Ita et in Mss. Bœcleri duobus, et in EP. ET. EV. 1.—73 Si jam 'videt;' cur versu abhinc tertio narrat, 'Ubi video?' Hoc non est venæ Terentianæ, præsertim in diverbio tam elaborato. Repone, *Inde alii f. l. s.* Hoc Lectoris indoli relinquam; nec, quod in promtu est, exemplis firmabo. *Bent.* Idem censet et legit Both. 'Bent. delet *Video,* quasi superfluum propt. 'Ubi video,' vs. 76. Non probatur.' *Perl.* 'Guy. in glossis Mss. *lectom sternere,* quod scilicet solus esset Menedemus.' *West.*—74 *Cœnam parare.* Edit. *apparare,* et sic nunc Ms. *Bruns.*—75 *Faciebant.* Sic repon. Bent. Both. et sic notavit olim G. F. Probatur quoque hæc lect. ob 'lenirent.' *Perl.* *Ut* post *quo* Guelf. 2.—76 Bent. post *video* distinguit. Sed

NOTÆ

66 *Quid ais*] Admirantis potius, quam interrogantis.

72 *Soccos*] Socci sunt calceamenta humilia, quibus maxime utebantur Comœdi; sicut Cothurni proprii Tragœdorum, altiores soccis.

Solius soliciti sint causa, ut me unum expleant?
Ancillæ tot me vestiant? sumtus domi
Tantos ego solus faciam? sed gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea 'st,
Eum ego hinc ejeci miserum injustitia mea.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam: nam usque dum ille vitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas injurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, quærens, parcens, illi serviens.
Ita facio prorsus: nihil relinquo in ædibus,
Nec vas, nec vestimentum: corrasi omnia,
Ancillas, servos, nisi eos, qui opere rustico

solius gratia, ut mihi soli satisfaciant, et morem gerant. An æquum est, ut tot ancillæ vestibus me induant? ut ego tantas impensas solus domi faciam? ego, inquam, qui expuli meis ædibus unicum filium Cliniam, misere afflictum injuria, quem conveniebat uti æqualiter his sumtibus et servis, aut etiam magis; quod ætas juvenilis ad utendum his est aptior. Certe existimem me quavis pœna dignum esse, si his bonis solus utar; nam, quamdiu filius deget vitam illam ærumnosam, exul a patria propter meas contumelias, interea tamdiu dabo illi assidue pœnas, conficiens me ærumnis, acquirens laboriose, parcens vitæ et genio, serviens illi in colendo agro. Facio omnino ut deliberavi. Nihil domi meæ reliqui, vas nec vestimentum: omnem collegi supellectilem; venales proposui, ac vendidi omnes ancillas, servos, præ-

alios magis commode puto post *hæc.* Perl. In quibusdam Mss. et EP. ET. EV. 1. Bip. *mei.* Ita et Valla.—77 *Soliciti sunt causa.* Ex sequentibus 'vestiant,' 'faciam' apparet hic legendum, *soliciti sint.* Vidit hoc T. Faber, et recte vir eruditus ei accessit. *Bent.* Perl. legit *sunt,* et notat 'al. *sint,* perperam.' *Sunt* dant Br. Z. Bothius legit, *S. sint soliciti, me unum ut expleant, Ancillæ.* —79 Repone ex ipsius orationis tenore et filo: *T. e. s. faciam: qui g. u.* Nisi hoc feceris, pro *ejeci,* legas *ejiciam* aut *ejexim.* Sed illud melius. *Bent.* 'Vulg. *sed gnatum,* solito errore. Vid. ad Prol. 13. *si,* etsi.' *Both.* Qui dat Perl.—80 *In* pro *uti* Guelf. 2.—82 *E. e. ejeci hinc.* Melior numerus est in Bem. et aliquibus aliis, *E. e. hinc ejeci.* Fa. 'Unus tantum ex nostris, *ejeci hinc:* ceteri recte, *hinc ejeci.*' Bent. 'Suavior sonat hæc collocatio Bent. quam quæ vulgo est, *E. e. ejeci hinc.*' Perl.—84 *V. i. incolit.* Bem. *colit,* V. et Vi. *colet:* quod et placet. *Fa.* 'Meliores nostri *colet,* ut Nonius v. 'colere:' ceteri *incolet.*' Bent. '*Incolit.* Alias *incolet.*' Er.—85 Animadvertis, credo, illud *patria* sine ullo accentu, ut nullius significationis, transmitti. Ne hoc sic abeat, reponere possis, *Inopém, carentem pátria ob meas injúrias.* 'Vitam patria carentem;' ut Horat. Carm. I. 31. 'Nec turpem senectam Degere, nec cithara carentem.' Nonius tamen v. Colere *carens* habet; et sic ibi codex noster veterrimus. Forte ab auctore erat, *Inops carensque patria.* Bent. '*Inopem, car. patr. ob m. i.* pessime obscurato verbo *patria.*' Both. qui legit, *Patria carens, inops, ob m. i.*—87 Sic edd. vett. et ex codd. nostris unus: ceteri *parcens, quærens.* Bent.—88 *G. prorsus nihil, &c.*—90

Faciundo facile sumtum exercerent suum :
Omnes produxi ac vendidi : inscripsi illico
Ædeis mercede ; quasi talenta ad quindecim
Coëgi ; agrum hunc mercatus sum ; hic me exerceo.
Decrevi tantisper me minus injuriæ,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miser ;
Nec fas esse ulla me voluptate hic frui,

ter eos qui bene collocarent operam, et demererentur impensas suas in rure exercendo : proscripsi protinus domum venalem pretio, apponens inscriptionem ad fores ; comparavi prope quindecim talenta : hunc emi fundum : fatigo me in hoc agro. O Chreme! judicavi me minus iniquum esse et injurium in filium, interea dum in miseria versabor ; nec mihi licere hic aliquam voluptatem capere, nisi postquam

Linacer, *in opere r.* West.—91 Non convenit inter Interpretes, *exercerent* legendum sit, an *exerceant*. Utrumque est in Mss. et editis probatissimis. Possit et *exercent* legi : quomodo est in Tr. et Leidd. uno. Mur. Var. Lect. VIII. 13. ex sententia Dionysii Lambini legit *exsarcirent*. Guy. *exsercirent*, q. d. resarcirent, pensarent. Turnebus Advers. III. 5. ita *exsercirent* se ait legere, ut *exercerent* non damnet, adducens verba Ambrosii, Offic. lib. II. ' Sed direptione alicujus, et amissione patrimonii in eam recidere injuriam, ut sumtum exercere non queat.' Kockertus in Indice *victum exercerent* legit. *West.* ' *Sumtum exerceant suum. Exercerent*, quod et elegantius et numerosius est, habent tres antiquissimi libri.' *Fa.* ' Reponendum hic *exsercirent*, ut primus, opinor, vidit Janus Palmerius, acutissimo vir ingenio. [Jam ante Palmerium id vidit Dionys. Lambinus, qui teste Mureto Var. Lect. VII. 13. legebat *exsarcirent:* male tamen etiam *sumtum* corrigens in *victum*. Reizius.] Atque esto, ut S. Ambrosius ter quaterque ea phrasi usus sit, ' Sumtum suum exercere :' nempe ante ejus ætatem jam hunc Terentii locum interpolaverant Magistri ; ne verbo obsoleto discipulos male loqui docerent. Coloniensis codex apud Palmerium a prima manu, *sumtum exercirent suum:* alter apud eundem, *sumtum exerciunt suum.* Bem. teste ipso Bembo, hoc in margine ascriptum habuit, *exercerent, resarcirent.* Atqui qui sic primus interpretatus est, proculdubio legebat *exercirent*. Paulus in Epitoma Festi : *Exercirent, sarcirent.* Unde hoc nisi ex hoc Terentii loco? et vix dubites, quin apud Festum ipsum locus totus adductus fuerit.' *Bent.* ' *S. exercerent.* Non dubitandum est, quin felicissime correxerint viri eruditi *s. exercirent* antique pro *exsarcirent* i. e. compensarent.' *R. D. Exsercirent* Bent. Both.—93 *Inscripsi i. Ædes: mercedem q. t.* Hæc est Bembi collocatio et distinctio simul. GM. et Br. *mercede.* Perl. *Talenta duodecim* absque *quasi* Guelf. 2.—97 Mss. quidam,

NOTÆ

93 *Talenta quindecim coëgi*] Talentum apud Athenienses erat pecuniæ summa, valens sexcentis Coronatis Gallicis; eratque duplex, minus et majus. De minore talento Attico, quod sexaginta minas continebat, hic agitur. Majus continebat 80. minas. ' Coëgi,' id est, in unum redegi : inde coactiones argentariæ sunt collectiones pecuniarum, et coactores, *des receveurs particuliers.* Quindecim Talenta conficiunt summam novem millium Coronatorum Gallicorum.

Nisi ubi ille huc salvos redierit meus particeps.
CH. Ingenio te esse in liberos leni puto,
Et illum obsequentem, si quis recte aut commode
Tractaret. Verum neque tu illum satis noveras,
Nec te ille : hocque fit ubi non vere vivitur.
Tu illum, nunquam ostendisti, quanti penderes,
Nec tibi ille 'st credere ausus, quæ est æquom patri ;
Quod si esset factum, hæc nunquam evenissent tibi.
ME. Ita res est, fateor : peccatum a me maxumum est.

filius meus, hæres, et bonorum particeps, huc reversus fuerit incolumis. CH. *Puto te esse natura miti in liberos, et filium esse obsequentem, si quis cum eo ageret leniter et convenienter ; sed tu nec satis exploraveras ejus ingenium, nec ille tuum perspexerat. Non vivitur ibi recte et quiete, ubi mores invicem ignoti sunt. Tu nunquam indicasti, quanti eum æstimares, et ille veritus est tibi committere consilia, quæ æquum est patri communicare filium : quod si factum esset, hæ molestiæ nunquam tibi contigissent.* ME. *Eo modo, quo dicis, res se habet, confiteor ; gravissi-*

Nefas. West. Abest *hic* Guelf. 2. Abest quoque Br.—101 *Neque.* Revocavi hanc vocem ex ed. Junt. Ald. St. et his multo vetustioribus. Vulgo *nec.* Variant Mss. *West.* ' Codd. nostri magno numero, *neque tu illum.* Repone, *V. neque illum tú s. n. Nec te ílle.* Et *ille* et *tu* accentu elevari debent. *Bent.* —102 Mss. quidam, cum tribus Leidd. G. et ET. *hoc ibi fit, u. n. v. v.* Assentior Mureto, legenti, *hoc ubi fit, ibi non vere vivitur.* Quorum verborum sensus præ altero illo multo planior est. Atque ita est in Tr. q. d. Ubi nec pater filium, nec filius patrem satis novit, ibi non vere vivitur. Sic Adelph. v. 9. 30. Sed et ita ex Mss. edidit Fabrini. *West.* ' *Nec te ille: hocque fit, ubi non vere vivitur.* Sic a Fa. est : sed versus misere claudicat : ut vel Librarii senserunt : quorum alii *hoc ibi fit*, alii *hoc qui fit* ; Bem. solus, *hocque fit.* Repone, *Nec te ille ; hoc quod fit, ubi non vere vivitur.*' Bent. ' *Hocque fit* : mendose. Plerique codd. in his nostrorum vetustissimus (nam is mihi videtur C): *hoc ibi fit* : alii Mss. *hoc qui fit*, unde Bent. *hoc quod fit.* Sequor equidem Hel. et sic pridem Mur.' *Both. Hoc quod* Perl. *Hoc qui* Br. *Ubi fit, ibi* Guelf. 2.—104 Vulg. *Neque ille tibi ausus est credere.* Br. *Nec tibi credere est ausus.* Bœnd. *quod est æquum.* GM. *rite* et sup. script. *vere.*—106 *Alia* pro *Ita* Guelf. 2. Ita ex Mss. et editis veteribus recensuit Heinsius, estque ita in Mss. quatuor Leidd. sed et ex V. et Bem. laudat Jac. Perizonius, Vir Cl. ad Sanct. Min. IV. 4. num. 86. expletque : ' Illud negotium, quod negotium peccatum a me est, est maximum.' Mss. quidam : *fateor, peccatum meum maximum esse.* Alii, cum Bœnd. *fateor, peccatum meum maximum est.* Tr. *peccatum maximum meum est.* Alii, *peccatum a me maxime est.* Lind. ex Vet. Cod. citat, *peccatum meum.* West. Vict. *maxime.* Ita quoque Both. qui notat,

NOTÆ

98 *Meus particeps*] Id est, hæres meus. Justinianus Imperator in Institutionibus Juris lib. II. tit. 19. sic ait : ' Sed sui quidem hæredes appellantur ; quia domestici hæredes sunt, et, vivo quoque patre, quodammodo domini existimantur.' Unde passim servi in Comœdiis filios dominorum heros minores vocant, et servus Abraham Isaacum dominum suum appellat, cap. XXIV. Genes. vers. 65.

Ch. Menedeme, at porro recte spero, et illum tibi
Salvom affuturum esse hic, confido, propediem.
Me. Utinam ita Di faxint! Ch. Facient: nunc, si commodum est,
Dionysia hic sunt hodie; apud me sis volo.
Me. Non possum. Ch. Cur non? quæso, tandem aliquantulum
Tibi parce: idem absens facere te hoc vult filius.
Me. Non convenit, qui illum ad laborem impulerim,
Nunc me ipsum fugere. Ch. Siccine est sententia?
Me. Sic. Ch. Bene vale. Me. Et tu. Ch. Lacrymas excussit mihi,

me erravi. Ch. *At, o Menedeme! certe spero et credo illum brevi salvum, et bene valentem ad te venturum.* Me. *Utinam ita Dii faciant.* Ch. *Efficient, ut filium recuperes. Nunc, si tibi est opportunum et gratum, volo venias hodie apud me: Bacchanalia hic celebrantur.* Me. *Non possum.* Ch. *Cur non? Aliquantum, quæso, tuos remitte labores. Clinia filius tuus etiam absens idem precatur.* Me. *Non decet nunc me cessare a labore, qui illum laborare coëgerim.* Chr. *Itane decrevisti?* Me. *Ita.* Ch. *Sis valens et sanus.* Me. *Tu quoque, Chreme.* Ch.

' vulg. *maxumum*, vitiose.' *Maxamum* dant Br. Perl. Bent. Bip. Z.—107 *Recte spero illum tibi salvum adfuturum.* Post *spero*, o. l. s. habent conjunctionem *et*: ita post *spero* distinguendum, neque id verbum ad sequentia referendum, sed absolutum relinquendum, hoc modo: *Menedeme at porro recte spero; et illum tibi Salvum affuturum esse hic confido propediem.* Fa. ' Delemus *et* ante *illum*, quod et metro adversum, nec opus est.' *Bip.* Lind. legit et distinguit, *Menedeme, at porro recte spero; illum tibi Salvum, &c.*—109 Vulg. *Utinam Di ita faxint.* Br. et alii *faciant.* Bothius non agnoscit τὸ *ita*, ut etiam Calphurnius. ' Omnes fere nostri, *nunc si est commodum:* magis ex more auctoris.' *Bent.* *Sed nunc com. est* Guelf. 2.—110 Al. distingu. *Dion. hic sunt: hodie a. m.*—113 Ita exhibeo ex Mss. Et ita in quatuor codd. Pall. legebat Par. Accedunt ex editis Junt. Aldd. et his vetustiores. Alii, post Faërnum, *impellerim.* Antesignanus, *impullerim;* quam epenthesin laudat Glar. Atque ita de Farnabii Lege Pedia nullum est periculum. *West.* ' Versum hunc esse impeditum omnes vident: mendum est in verbo *impulerim;* quo stante, aut deest una syllaba senario, aut est trochæus in quinta, qui pes in hunc versum non cadit: quæ difficultates vitantur ex antiqua lectione libri Vaticani, in quo erat *impellerim;* sed deinde abrasis mediis literis mutatum in *impulerim;* sic tamen ut prior lectio conjici possit. Idem factum et in Vict. nisi quod hic habebat *impelerim* per unum *l.*' Fa. ' *Ad laborem impellerim.* Sic dedit Fa. nostri omnes *impulerim:* quo versus quidem claudicat. Repone, *laborem hinc pepulerim.*' Bent. GM. *compulerim.* Both. *impellerem.*—

NOTÆ

110 *Dionysia hic sunt*] Ludi sunt, festi dies in honorem Dionysii, id est Bacchi Latinis, qui et Liber dicitur; unde Bacchanalia, Liberalia: Græcis sunt Dionysia.

Miseretque me ejus. Sed, ut diei tempus est,
Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad cœnam ut veniat. Ibo, visam si domi est.
Nihil opus fuit monitore: jamdudum domi
Præsto apud me esse aiunt: egomet convivas moror.
Ibo adeo hinc intro: sed quid crepuerunt fores
Hinc a me? quisnam egreditur? huc concessero.

Me lacrymari coëgit, et ejus valde misereor; verum, dum adhuc aliquid diei superest, oportet me admonere hunc vicinum Phaniam, ut veniat ad cœnum. Ibo visum, si est domi. Nihil opus fuit ad cœnam vocatore. Dicunt eum adesse jamdudum domi apud me. Egomet in mora sum convivis iis, qui ad cœnam vocati sunt. Ibo hinc intro domum: sed quid janua, et a quo aperiente stridit? quis exit a domo mea? Huc intro me conferam.

116 Mss. quidam: *Sed, ut dixi, tempus est:* male. Vid. inf. I. 2. 38. *West.*—117 Quod testatus est Lindenbrogius, ' τὸ *oportet* in omnibus veteribus Libris deesse;' idem ego de nostris testor, ab omnibus id abesse, præterquam duobus ex recentissimis, qui *Monere me oportet* habent. Unde hoc evenisse dicas? nisi quod olim verbum aliquod hinc exciderit; quod nunc suæ sedi restituo: *Set ut diei tempus est, Tempust monere me hunc vicinum Phaniam.* ' Tempus est monere:' ut Hec. IV. 2. 21. ' Tempus est concedere.' Ex verbis duobus continuis alterutrum excidere, solenne est. *Bent.* *Oportet* abest Br.—118 *Ibo ut visum.* Ex fide omnium l. s. deleo particulam *ut.* Fa. ' Nostri tamen, demtis quatuor, omnes *ut* habent; nisi quod ex Medianis alter, *ibo et visam.*' Bent.—120 Al. *Aiunt mæsto a. m. esse.* Both. *Præsto mi esse aiunt.*—121 Ultimum vs. Guy. deleri vult, advocans auctoritatem Georgii Fabricii. Is vero non tantum dicit, quædam Mss. eam non agnoscere, sed et laudat a figuris Comicis, et in Pal. exhiberi ait. Me τὸ *hinc* iteratum paulo offendit, tanto magis, quod in Libris nonnullis reperi, *hic a me.* Integrum igitur locum ita ordinaverim: *ibo adeo hinc intro. Sed quid crepuerunt fores? hic a me quisnam egreditur?* Sane ' egredi ab aliquo ' Comicum est et Terentianum. Distinctionem firmant præstantissimæ edd. Junt. Ald. St. aliæ. Bœnd. *ibo adeo hic intro.* Et mox, *hinc a me quisnam egreditur?* West. *Adeo* abest Br.—122 *Quinam* Guelf. 2. et Br.

ACTUS I. SCENA II.

CLITIPHO. CHREMES.

Cl. Nihil adhuc est, quod vereare, Clinia: haudquaquam etiam cessant:

Cl. *O Clinia, nihil est propter quod timeas Antiphilam non venturam. Nondum*

Et illam simul cum nuntio tibi hic ego affuturam hodie scio:
Proin' tu solicitudinem istam falsam, quæ te excruciat, mittas.
Ch. Quicum loquitur filius?
Cl. Pater adest, quem volui: adibo. Pater, opportune advenis.
Ch. Quid id est? Cl. Hunc Menedemum nostin', nostrum vicinum? Ch. Probe.
Cl. Huic filium scis esse? Ch. Audivi esse in Asia. Cl. Non est, pater:
Apud nos est. Ch. Quid ais! Cl. Advenientem, e navi egredientem, illico
Abduxi ad cœnam: nam mihi magna cum eo jam inde usque a pueritia

etiam illa et Dromo servus, qui ad eam accersendam missus est, nimium diu morantur; et scio illam hodie affuturam hic una cum nuntio Dromone: ideo depelle hanc curam falso conceptam, quæ angit animum tuum. Ch. *Quem alloquitur filius?* Cl. *Pater advenit, quem desideravi. Ad eum ibo. O Pater, accedis tempestive.* Ch. *Quid illud est, propter quod tempestive accedo?* Cl. *Nostine hunc Menedemum vicinum nostrum?* Ch. *Recte novi eum.* Cl. *Scis eum habere filium?* Ch. *Audivi eum esse in Asia.* Cl. *O Pater, non est in Asia; in ædibus nostris est.* Ch. *Quid dicis?* Cl. *Continuo eum ad cœnam duxi exeuntem e navi: nam*

1 *Aut* pro *haud* Guelf. 2.—2 Versus hic novem pedum est: qui, si ex eo demas pronomen *ego*, quod neque in Bem. est, neque in plerisque aliis, adhuc tamen remanet impeditus, nisi *tibi* in unam syllabam contrahas, et, quod frequentius est, in dictione *illam* prima corripiatur, eliso uno *l*: hoc modo versus erit octonarius iambicus. *Fa.* '*Hic* abest a Regio Chartaceo: et a vetere Lindenbrogii utrumque abest, *hic ego.* Recte.' *Bent.*—3 *Proin opinionem* Guelf. 1. *Quæ quenquam excruciet omittas* 2. *Omittas* Br. Guelf. 1. —6 Crediderim, τὸ *id* additum ob metrum; et est in Tr. deest in tribus Leidd. *West.* 'Meliores nostri et plures, *Quid id est?*' Bent.—7 *Audivi in Asia.* Hic deest verbum *esse*, quod omn. libb. script. habent post dictionem *Asia*, præter Bem. qui post *audivi*: quod numero magis quadrat. *Fa.* 'Nostri pæne omnes cum Bem. *audivi esse*: et post subdistingue, *H. f. s. esse? Audivi esse: in Asia N. e. p.*' Bent.—8 *Venientem e navi.* Om. l. s. *advenientem*: nec vs. repugnat, si ex *apud*, *d* abjicias. *Fa.*—9 In quibusdam Mss. et edd. *Adduxi*: quomodo et Pr. lib. VII. legit: quanquan in Prisciani Mss. esse *Abduxi*, F. F. testatur. *West.* 'Male in nonnullis edd. legitur *Adduxi.*' R. D. Quatuor ex vetustioribus nostris non habent *magna*: recte: sic enim versus rotunde exit, *Abduxi a. c. nam mihi c. e. j. i. a. p.* et sententia

NOTÆ

1 *Nihil adhuc est, quod vereare, Clinia*] Hoc principium indicat, de qua re sint inter se locuti adolescentes, Clinia et Clitipho.

Fuit semper familiaritas. Ch. Voluptatem magnam nuntias.
Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum esset hodie, amplius;
Ut hanc lætitiam nec opinanti primus ei objicerem domi:
Atque etiam nunc tempus est. Cl. Cave faxis; non opus est, pater.
Ch. Quapropter? Cl. Quia enim incertum 'st etiam, quid se faciat: modo venit.
Timet omnia, patris iram et animum amicæ, se erga ut siet, suæ:
Eam misere amat: propter eam hæc turba, atque abitio evenit. Ch. Scio.
Cl. Nunc servolum ad eam in urbem misit, et ego nostrum una Syrum.
Ch. Quid narrat? Cl. Quid ille? se miserum esse. Ch. Miserum? quem minus credere 'st?

mihi magna semper fuit cum eo amicitia a tenera usque ætate. Ch. *Affers mihi nuntium lætum. Quam vellem Menedemum, quem invitaveram hodie, nobiscum epulari, præter alios convivas, ut insperatum hoc gaudium primus ei offerrem. Adhuc satis tempestivum est eum invitare.* Cl. *O Pater! vide ne id facias: non convenit eum hic esse.* Ch. *Quare?* Cl. *Quia dubium est adhuc quid Clinia intendat facere de se. Modo advenit; timet omnia; indignationem patris; et dubitat quo animo amica sua sit nunc erga se. Eam amat vehementer. Hæc discordia inter eum et patrem, et profectio in Asiam contigit ejus causa.* Ch. *Hæc omnia mihi nota sunt.* Cl. *Jussit servum Dromonem eam quæsitum ire, et ego servum nostrum Syrum simul misi.* Ch. *Quid novi refert?* Cl. *Quæris, quid dicit? ait se esse infortunatum.* Ch. *Quem minus credendum est esse, quam ille est?*

sibi sufficit, sine illo *magna.*' Bent. *Magna* abest Br. Both. Alii, *a pueris*, quod probat G. F.—10 Al. *Semper fuit.* 'Hic sequitur in utroque cod. Goth. versus, 'Quid narrat,' &c. qui vulgo ponitur in edd. et codd. post hinc octo; confuse tamen, ut opinor, cum hic inconvenientius abruptus, illic positus aptius videatur. Sed et West. notat, 'integrum hunc vs. in M. esse ante vs. 11. locatum.' Etiam itid. invenio in uno Guelf.' *Perl.*—11 Τὸ *hodie* ejicit Guy. nec agnoscit Nonius Marcellus. Seu vero absit, seu adsit, nihil decedit metro. *West.* Non agnoscunt Br. Bent. Both. Perl. notat, 'al. omitt. *hodie*, perperam.'—12 Al. *primum*, mendose. *Perl.* 'Om. libb. script. ita habent, *p. objicerem ei, d.* præter Bem. in quo omnino non erat dictio *ei*; sed deinde superaddita est, quæ tamen mihi non placet.' *Fa.* *Ei* abest Both. Bip.—13 Schmied. omittit *etiam*, male, judice Perl. Reponendum monet Bent. *A. e. n. satis tempori'st. C. faxis, non est opus, pater.* Bothius legit, *nunc satis tempori est. Cave faxis: non opus, pater.* 'Bent. temere corrumpit *satis tempori est.*' Bip.—14 Mss. quidam et impressi, *quid de se faciat.*

Quid reliqui 'st, quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur bona?
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias;
Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:
Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.
CL. Immo ille fuit senex importunus semper: et nunc nihil magis
Vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis faxit, pater.
CH. Illene? sed reprimam me: nam in metu esse hunc, illi est utile.

Quid deest, quod non habeat ea, quæ certe a vulgo censentur esse bona in homine? Habet patrem et matrem, patriam salvam, amicos, natalium claritudinem, propinquos, opes, et divitias: atque hæc omnia talia sunt, qualis animus ejus, qui ea tenet: atque utilia ei, qui scit illis frui, ut decet; illi vero, qui his abutitur, nocua sunt et mala vere tunc dicuntur. CL. *Sed ille senex Menedemus fuit semper acerbus et molestus; et nunc nihil magis timeo, quam ne ille, plus æquo succensens, aliquid faciat adversus filium.* CH. *Illene Menedemus? sed linguam cohibebo, neque dicam quod sentio, patrem nempe posthac facturum, quodcumque libuerit filio. Certe utile est Clitiphoni, hunc Cliniam vereri patrem, et permanere in timore.* CL. *Quid*

—16 *Turbatio* Guelf. 3.—18 Recte codd. quos vidi universi, *miserum se esse. Miserum?* Bent. 'Ad verba Virgilii Ecl. x. 46. 'nec sit mihi credere,' Servius vulgo editur ex Heautont. citare, *Miserumque minus credere est.* Barbare. Scripsit, *Miserum! quem minus credere est?*' West. Br. habet, *Miserum quem m. c. est?*—19 Cod. A *reliquum est;* haud male. *Both.* Ms. Lips. Bodl. Br. Guelf. 1. EP. ET. EV. 1. *esse in homine.*—20 Gov. et hic et And. IV. 5. 2. *ditias* legendum esse contendit, ut scilicet durior elisio evitetur. *West.* Ita quoque Par.—21 Vulg. *Atque*, prorsus invita sententia. *Both.* qui legit, *At hæc. Animus est qui* Br.—23 CH. *Immo ille senex fuit importunus semper et nunc nihil magis.* Ita quidem optime stat octonarius, contracto *nihil* in unam syllabam: sed nullus est liber scriptus, qui ita habeat, sed ad unum omnes, *Immo ille fuit senex importunus semper*, meliore collocatione, et numero non repugnante, si vel ex *semper r* abjicias, vel *τὸ senex* in unam syllabam contrahas. *Fa.* Abest *ille* a quibusdam.—24 Br. *faxit pater.* 'Intererat sententiæ, *κόμματος* signum ante hanc vocem poni, neque enim nominandi casus est *τοῦ faxit*, quomodo in omnibus, quas vidi, vidi autem plurimas et præstantissimas, editionibus expressum reperi, sed vocandi, quo Chremetem compellat Clitipho. Sic supra versu 13. 'Cave faxis; non opus est, pater.'' *West.*—25 Both. *nam metuisse hunc.*—26 Mss. quidam et editi: *Quid tu te-*

NOTÆ

22 *Qui uti scit, ei bona*] De bonis externis loquitur, sive bonis fortunæ, quæ sunt nobilitas, bona fama, honor, divitiæ, πολυφιλία καὶ χρηστοφιλία, amicitia cum multis bonisque, πολυτεκνία καὶ εὐτεκνία, liberorum multitudo et bonitas. Quæ dicuntur ἀδιάφορα, indifferentia, neque bona neque mala; sed sunt bona bene his utenti; mala male utenti.

25 *Sed reprimam me*] Hæc submissa voce Chremes protulit, ne audiret

CL. Quid tute tecum? CH. Dicam: ut ut erat, mansum tamen oportuit.
Fortasse aliquantum iniquior erat præter ejus lubidinem:
Pateretur; nam quem ferret, si parentem non ferret suum?
Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere?
Et quod illum insimulat durum, id non est: nam parentum injuriæ
Uniusmodi sunt ferme: paulo qui est homo tolerabilis.
Scortari crebro nolunt; nolunt crebro convivarier:

dicis apud te? CH. *Dicam: utcumque res erat, oportebat filium domi manere, nec patrem deserere. Fortasse pater erat aliquanto severior contra effrænem filii voluptatem: at ille pati debebat: quem enim alium toleraret, si patrem suum non pateretur? Utrum rationi consentaneum erat, hunc patrem vivere ex arbitrio filii? an hunc filium ex voluntate patris? et, quod Clinia accusat patrem Menedemum, ut asperum et morosum; id non est verum; nam parentum facta aspera et injuriæ in filios sunt unius fere generis, nec dissimilia: verum inter illos qui æquiores sunt, et qui facilius tolerari possunt: filios quidem permittunt scorta visere, et convivia inire; sed non sæpius et frequenter fieri ea permittunt: parce impensas suppedi-*

cum. Bœnd. *ut ut erat pater.*—27 Hæc cum Latinissime sint dicta, nescio qua audacia legit Guy. *Fortasse aliquanto iniquior erat pater: ejus lubidinem pateretur?* Quidam Codices Mss. et impressi: *propter ejus lubidinem.* West. 'Nostri omnes *aliquanto* vel *aliquando*: sed recte *aliquantum.*' Bent. Br. Both. et Bip. dant *aliquanto.*—28 Bœnd. *non fert.*—30 Bembi codex, si ipsi fides, *insimulant* habuit. Recte. *Bent.* Probat quoque Perl. et Bip.—31 Guy. legit, *Hujusmodi:* quod itidem in Mss. quibusdam reperi: et laudat Canterus ex cod. antiquo. *West.* '*Hujusmodi.* Sic B, Hel. quod præstat ambiguo *Uniusmodi* vulgatarum.' *Both.* Br. *Unius modi.*—32 M. pro *nolunt* exhibet *non vult.* Et mox, *Præbet:* quomodo et Arg. legit, et ET. Ms. Lips. non agnoscit alterum *nolunt*, uti neque EP. *West.* *Scortari non vult,*

NOTÆ

filius.

30 *Parentum injuriæ Uniusmodi sunt*] Id sibi vult, patres duros inter se omnes similes esse, aspere exercere imperium in liberos, atque omnia animi laxamenta prohibere. At pater, qui paulo æquior et tolerabilior est, aliqua sane patitur, sed non crebro fieri. Commentator Horatii Satira 2. lib. I. refert Catonem Censorium, cum vidisset hominem honestum ex fornice exeuntem, laudasse, cum existimaret libidinem sine crimine compescendam esse: at postea cum frequentius eum ex eodem lupanari exeuntem advertisset, Adolescens, inquit, ego te laudavi, quod interdum huc venires, non quod hic habitares. Inter Ethnicos sapientissimi non putabant peccare, qui fœminis ad hoc venalibus uterentur, ut apparet ex XV. cap. Actuum Apostolorum: sed eodem capite omnis fornicatio prohibetur.

Præbent exigue sumtum: atque hæc sunt tamen ad virtutem omnia.
Verum ubi animus semel se cupiditate devinxit mala,
Necesse est, Clitipho, consilia consequi consimilia: hoc
Scitum est; periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.
Cl. Ita credo. Ch. Ego ibo hinc intro, ut videam nobis quid cœnæ siet.
Tu, ut tempus est diei, vide sis, ne quo hinc abeas longius.

tant, et tamen omnia, quæ faciunt, virtutis causa faciunt: nam, postquam animus humanus irretitus est voluptatibus obscœnis, necesse est, o Clitipho, ut similia consilia ineantur, et locum habeant. Hoc est enimvero prudenter factum, ex aliorum eventu sumere consilium; aliorum exemplis erudiri sapientissimum est et utilissimum. Cl. *Existimo esse ita ut dicis.* Ch. *Ego ibo intro domum, ut sciam quid ad cœnam paratum sit. Tu, Clitipho, dum adhuc dies est, noli discedere hinc longius.*

crebro convivarier Guelf. 1. *Non vult* 2.—33 *Et ea sunt tamen ad v. o.* Bem. sine conjunctione habet dict. *hæc*, alii cum conjunct. *atque*: quod et placet. *Fa.* 'Nostri omnes, *atque hæc sunt.*' Bent.—34 Al. *Verum animus ubi.*—35 GM. Perl. *consilia sequi consimilia: hoc Scitum est.* Guelf. 2. *similia.* 'Bent. in fine addidit *hoc*. Unde nescio.' *Zeun.* Both. *hoc* omittit.—36 Br. *Hoc scitum est.* 'Verum est, quod unus ex Regiis hic habet, et scena sequente vs. 9. duo, *tibi quid ex usu siet.*' Bent. 'Recte Bent. *quid* ex Mss. reposuit pro *quod*: nam *quod* ad ipsum modo periculum respicit, *quid* ad alia similia atque ad alia etiam contraria.' *R. D.*—37 Nullus l. s. hanc habet collocationem, sed omnes ita, *ut videam cenæ quid nobis sit*, vel *siet*. Solus Bem. *quid in cen siet*: deinde deleto *in*, post *cen* superadditum est *e*, ut fieret *cene*. Ego legendum puto, *quid in cenam siet*: ut et in Andria, 'ferre obolo in cenam seni:' nec versus repugnat, si ex *quid*, elidas *d*. Fa. 'Ita summo consensu libri exhibent. Guy. tamen reponit, *nobis quid in cœnam siet*. Credo quod And. II. 2. 32. legitur, 'Olera et pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni.' Ubi vero Latine satis *cœnæ* dici non poterat. Inde adeo non sunt hæ locutiones parallelæ. EP. *nobis cœnæ quid siet.*' West. 'Nostri universi, *nobis cœnæ quid siet.*' Bent. '*Cœnæ quid nobis siet.* Ita verba ordinantur in cod. A, melius quam in vulgatis, ubi sic *nobis q. c. s.*' Both. *Quid sit nobis* Guelf. 1.

ACTUS II. SCENA I.

CLITIPHO.

Quam iniqui sunt patres in omnes adolescentes judices!

Cl. *Quam patres sunt acerbi et importuni censores in omnes juvenes, et arbi-*

Qui æquum esse censent, nos jam a pueris illico nasci senes;
Neque illarum affines esse rerum, quas fert adolescentia.
Ex sua libidine moderantur, nunc quæ est, non quæ olim fuit.
Mihi si unquam filius erit, næ, ille facili me utetur patre;
Nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccati locus:
Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.
Perii! is mihi, ubi adbibit plus paulo, sua quæ narrat facinora!
Nunc ait, Periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu siet:
Astutus! næ ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.
Magis nunc me amicæ dicta stimulant: Da mihi, atque affer mihi;

trantur esse justum nos nasci sapientes, mores seniles habentes statim a pueritia, neque nos esse participes harum rerum, quas juvenilis ætas affert. Hi ex sua cupiditate quæ nunc est, non quæ olim fuit, cum adolescentes erant, modum nobis imponunt atque imperant. Si unquam filius mihi natus fuerit, certe is me patrem experietur mitem et benignum; nam facultas dabitur mihi cognoscendi peccata ejus, et ignoscendi ei. Non faciam sicut pater meus, qui mihi declarat, quod sentit, per alterius exemplum. Perditus sum præ nimia ejus importunitate. Is postquam bibit paulo largius, quæ facta sua commemorat mihi! Nunc dicit: Delige tibi exempla ex aliorum eventis, quæ tibi sint utilia: cautus scilicet. Certe ille non intelligit quam ad ejus sermonem surdus sim, quasi fabulam narret. Verba Bacchidis amicæ me magis instigant: Da mihi munus hoc, atque affer aliquid novi. At-

Notat Mur. male h. l. *Actus* novi factum esse principium, cum vix *Scenæ* novæ sit locus. Chremes enim solus ingreditur domum, Clitiphone in proscenio manente. Quem secutus Guy. in Notis Mss. dicit: 'Si rem attente consideres, erit hæc Actus primi Scena tertia.' *West.* 'Ita in om. script. codd. hi Actus distinguuntur: quod tamen aliis displicuisse video.' *Lind.* In ed. Both. nulla distinctio in novum Actum vel novam Scenam hoc loco apparet.—2 Nec Bem. nec plerique alii habent particulam *jam*. Fa. 'Atqui omnes nostri cum vett. edd. habent *jam*: nec abesse potest sine detrimento.' *Bent.*—3 Al. *rerum esse.* R. *quas adolescentia sinit.*—4 Guy. præter fidem codicum vs. hunc insititium vocat. *West.* Al. *quæ est nunc.*—5 M. *me ille facillime utetur patre.* Ms. Lips. *næ ille facillime utetur patre.* GM. *facillimo.* Br. *Mihin' si unquam f. erit, ne ille facillime uteretur patre?* Notat tamen Bruns, 'Edit. *utetur* et in Ms. literæ *r e* punctis infra positis deletæ sunt. Edit. sine interrogatione quæ omnino abesse debet.'—6 Mss. quidam *peccatis.* Ita et editi antiquissimi. *West.*—8 Both. *Perii, is mi ubi.* 'Guy. vs. hunc expungit, sed merito indignante Bœclero, quem sibi ceteroquin passim habet obsequentem.' *West.*—9 *Periclum* non *periculum* exigit ratio octonarii, ut et in Bem. est. *Fa.* Br. *facito tibi, quod.* Reponit Bent. *quid*, ut sup. I. 2. 36. Hic vs. anteit nostro priori in Guelf. 1.—10 *Narrat* omisso *mihi.* Idem.

Cui quid respondeam nihil habeo ; neque me quisquam est miserior :
Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen
Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciæ.
Mea est potens, procax, magnifica, sumtuosa, nobilis.
Tum, quod dem ei, RECTE est ; nam, nihil esse mihi, religio 'st dicere.
Hoc ego mali non pridem inveni ; neque etiamdum scit pater.

que ad hæc nescio quid respondere debeam, neque quisquam est infelicior me. Nam hic Clinia, etsi etiam anxius est, et solicitus de rebus suis, attamen possidet amicam honeste et caste educatam, nesciam astutiarum meretricum. Mea est opulenta, petens assidue, petulans, magnifice se gerens in omnibus, sumtus avida, spectata, et insignis. Præterea unde ei munera faciam mihi non liquet. Nam religioso metu impedior dicere, me nihil habere, quod ei dem. Non dudum nactus sum hunc Bacchidem nequitia insignem, neque adhuc pater rescivit me isto malo laborare.

—12 Aliquot ex nostris: *Cui quod respondeam.* Sine dubio recte. *Bent.* 'Vulg. *habeo,* verbo 'nil' obmutescente : sæpe confunduntur inter se 'habeo' et 'habebo.'' *Both.* qui legit, *Cui, quod respondeam, nil habebo. Quod* dat quoque Perl. *Nec* pro *neque* Guelf. 3.—13 Vulg. *Nam Clinia hic, etsi is suarum rerum.* Sosipater Grammaticus *satis agitat* legit. Verum ex *satagit, at tamen* possit videri natum, *satagitat, tamen.* Inde porro *satis agitat, tamen.* West. 'Pro *satagit attamen* quondam lectum esse *sat agitat tamen,* patet e Charisio p. 193. Rectissime.' *Bent.* 'Non esse opinor, quod a vulgata cum Bent. recedamus.' *Perl.* GM. habet, *sat agit at tamen.*—14 Vix ferre possum *artis* posteriorem hic acuere, cum prior longa sit. Quare inducor, ut ab auctore fuisse credam, *ignaram rei meretriciæ.* Bent. Bothius legit, *Pudice eductam et artis habet ignarurem meretriciæ.*—15 Guy. volebat *patens,* h. e. aditu facilis. *Perl.* Repone certissime, inquit Bent. *Meast petax, procax.*—16 'Fortasse *Dum.*' Lenzius. *Nihil quidem esse* Gu. 1. ap. Both. qui ipse legit, *Tum, quod dem,—recte est ('nihil' enim esse, religio est mihi dicere).—Hoc ego, &c.*

NOTÆ

16 *Tum, quod dem ei, recte est*] Recte, pro, nihil, Veteres boni ominis causa dicebant. Idem Terentius in Eunucho : 'Rogo numquid velit. Recte, inquit. Abeo.' Plautus in Mercatore, Act. II. Scen. 3. 'DE. Unde incedis? quid festinas, gnate mi? CH. Recte, pater.'

Nam, nihil esse, religio est dicere] Religio pro metu accipitur, ut testatur Servius in illud lib. VIII. Æneidos : 'Jam tum religio pavidos terrebat agrestes Dira loci.' Metus vicissim sumitur pro religione a Veteribus; certe idem Virgilius VII. Æneidos de lauro dixit : 'Multosque metu servata per annos.' In quem locum ita Servius : 'Metu, id est, religione quæ nascitur per timorem :' nempe juxta illud Arbitri : 'Primus in orbe Deos fecit timor.'

ACTUS II. SCENA II.

CLINIA. CLITIPHO.

CLIN. SI mihi secundæ res de amore meo essent, jamdudum, scio,
Venissent : sed vereor, ne mulier, me absente, hic corrupta sit.
Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exaugeant ;
Locus, occasio, ætas, mater, cujus sub imperio 'st, mala ;
Cui nihil jam præter pretium dulce 'st. CLIT. Clinia.
CLIN. Hei misero mihi !
CLIT. Etiam caves, ne videat forte hinc te a patre aliquis exiens ?

CL. *Si res, quæ ad amorem meum spectant, prospere se haberent, non dubito quin jampridem Antiphila, et servi qui eam accersiverunt, venissent : sed metuo ne Antiphila pecuniarum largitione expugnata alium amatorem acceperit, dum absens fui. Multæ suspiciones simul in mentem veniunt, quæ me inducunt ad credendum sic esse : locus in quo est, ubi prava habet exempla petulantiæ ; opportunitas ut corrumpatur, quia formosa est, et nota ; ætas florida, quæ plerumque lubrica ; mater improba, sub cujus potestate est, cui nihil suavius est pecunia et mercede.* CLI. *O Clinia.* CL. *Me miserum !* CLI. *Vide ne quis ex ædibus patris egrediens forte*

Hæc Goveano et Mureto est Scena I. sed quam immerito, Bœcl. disserit. Guyeto in glossis Mss. est Act. I. Sc. IV. *West.* In Both. est Act. II. Sc. I. et incipit, *Secundæ si de amore meo res mi essent, jamdudum, scio.*—2 Pro *Venissent* repone *Venisset* : ut inf. vs. 9. 'adesset.' *Bent.* '*Ne me absente mulier corrupta sit.* Libb. script. alii alia collocatione; omnes tamen habent adverbium *hic.*' Fa. 'Vulg. *hic corrupta sit,* minus quidem usitate.' *Both.* qui legit, *Venisset ; set v. n. mulier, me absente hinc, c. s.*—3 Palmerius et alii *exangeant.* Est autem *exaugeant* in Bodl. Tr. G. et tribus Leidd. Bent. reponendum monet, *C. m. opinionem hanc quæ mihi animo exaugeant.* 'Bent. reposuit *opinionem, &c.* bene quidem, quod *opinionem,* minus bene, quod *animo* ; nam hoc quidem frigidiusculum mihi videtur. Facile *mi anc* (nam *h* litera, præsertim ab Italis, omitti solet) *nimium* transiit in *mihi animum,* nec raro 'nimius' et 'animus' inter se commutantur.' *Both.* qui igitur legit, *opinionem quæ mi hanc nimium exaugeant.* Editor Bip. in lectionem Bent. notat : 'Mollius fuisset *mi in animo.* Sed facessant hæc :' et addit, 'Leid. 1. voci *exaug.* superscriptum habet *diminuant,* tanquam *ex* esset privativum. Nobis, si quid emendandum sit, placeret *metum* pro *animum.* Sed feramus vulg.'—4 Al. *Occasio, locus . . . sub imperio cujus est, m.*—6 M. G. cum ET. et EM. *cave.* Br. *caves :*

NOTÆ

3 *Exaugeant* [*exangeant*] Pro, exangant. Sic Veteres loquebantur. 'Claudeo,' pro, claudo ; 'viveo,' pro, vivo ; 'diceo,' pro, dico. Nævius : Tibi, dum vivebo, fidelis ero.' Idem : 'Primum quod dicebo, recte : secundum quod dicebo, eo melius.'

CLIN. Faciam : sed nescio quid profecto mihi animus præsagit mali.
CLIT. Pergin' istuc prius dijudicare, quam scis, quid veri siet?
CLIN. Si nihil mali esset, jam hic adessent. CLIT. Jam aderunt. CLIN. Quando istuc erit?
CLIT. Non cogitas, hinc longule esse? et nosti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est. CLIN. O Clitipho,

aspiciat te. CL. *Cavebo; sed certe cor mihi prædivinat nescio quid infortunii.* CLI. *Perseverasne discernere hoc curiosius, antequam noscas quid erit?* CL. *Si nihil adversi esset, huc Antiphila cum servis jam venisset.* CLI. *Statim advenient.* CL. *Quando?* CLI. *Non consideras eam procul hinc habitare? Cognoscis consuetudinem fœminarum; dum pectuntur, dum ornant comas, dum formam parant vario cultu, in his faciendis annum conterunt.* CL. *O Clitipho! timeo.* CLI. *Ad te*

sed notat Bruns: 'Lectio codicis mutata in *cave.*' 'Omnes libri et edd. vett. *hic*. Recte.' *Bent.* Ita quoque Br. Perl. Both. Abest præpositio *a* Guelf. 2.—8 M. G. Lips. Br. ET. EM. Perl. *quam scias.* 'Omnes fere nostri cum vett. edd. *scias* pro *scis*. Unde promtum est emendare: *quam scias quid rei siet.* Etiam Guy. recte vidit *rei*; licet in reliquis versum corruperit.' *Bent.* 'Vulg. *quid veri siet*, omnino pessime: castigavit Guy. probante Bent. s. infra, hoc quidem admonente IV. 7. 2. vulg. quoque *Pergin' istuc*: sed ita nescias, iambicumne an trochaicum legere incipias.' *Both.* qui igitur dat, *Pergisne id p. d. quam scias, quid re siet.*—9 *Adessent* R. quo Dac. est usa, sed M. Lips. G. ET. et EM. *adesset*, et mox *aderit*. Utrumque est in vetustiss. impressis. *West.* 'Lege ex nostris pæne omnibus cum edd. vett. *adesset ... aderit*. Corrige quoque, *Quando istuc jam erit?*' Bent. Probat Perl. et idem mallet Dac. non male, judice West. 'Bent. *Quando istuc jam erit?* ingeniose, modo *jam* melius collocari posset: nam ita quidem vix audiretur.' *Both.* *Adesset ... aderit* dant Br. Bip. Both. Abest *jam* posterius Guelf. 2. 3.—10 Ita plusculi et præstantissimi Libri. Calphurnius aliique, *longius abesse*. ET. et EV. 1. *Et nostin' mores mulierum?* quæ lectio verior videtur. Quia enim interrogatio præcesserat, *non cogitas, hinc longule esse?* ἐμφατικώτερον erat, hæc rursus per interrogationem exprimere. *West.* 'Nostri universi *longius abesse*. Mutarunt Magistri, ne discipuli obsoleto tum *longule* uterentur.' *Bent.* G. Br. Pall. ET. et EM. habent *longius*. Guelf. 2. et Br. *abesse.*—11 Exhibeo lectionem Cod. Gemblacensis, laudatam Illustrissimo Josepho Scaligero, quem vide. Ceterum Petrus Colvius legit, *molliuntur*. Sed et ita legendum esse contendit apud Plautum, Truc. II. 2. 54. 'Molliendis rem coëgit.' Vulgo *muniendis*. Adde Calphurn. Summi Viri, Lipsius et Scaliger, *molendis*. Lindenbruchius itidem passive dictum autumat ab eo, quod est, 'molere,' significatu turpi; itidem inductus verbis Plautinis, loc. cit. itidemque *molendis* legens. Merito autem vapulat a Barthio, Advers. XII. 10. *Comuntur.* M. *comantur*. Ita et G. F. legit ex Ms. sed et est in Bodl. et editis antiquis; quam lectionem Barthius loc. cit. ἐκ τοῦ *contantur* natam existimat, legitque, *conantur*. Firmat autem lectionem Advers. XIV. 1. verbis Virgilii, Æn. IV. 133. 'Reginam thalamo cunctantem

Timeo. CLIT. Respira: eccum Dromonem cum Syro, una adsunt tibi.

redi; ecce Dromonem cum Syro; mox tibi præsto sunt.

ad limina primi Pœnorum expectant.' Plurimi autem Mss. legunt *conantur*, quod est παράλληλον τοῦ *moliuntur*. Fabrini legens *comuntur* vertit: *mentre che elle si acconciono el capo.* West. 'Donatus ad Hec. IV. 3. 5. *comuntur* legit. G. *conantur*. Sed ET. et EM. *comantur*. Adde Barth. Animadv. in Stat. Thebaid. vs. 804.' *Idem in Addend.* 'Pro *comuntur* omnes fere l. s. habent *conantur*: et in his Bem. Bas. Vi. Alii, sed pauci, *comantur*; nullus, quem viderim, *comuntur*: quare *conantur* repono, quod synonymum est verbi *moliuntur*. Fa. 'Plerique etiam nostri *conantur*. An ille legit, aut legendum hic est, *dum cunctantur?* Non puto.' *Bent.* 'Codd. A, Hel. *comantur*, B, *comuntur*, C, *conantur*, recte, ut jam repositum.' *Both.* '*Dum conantur.* Ita potissima scriptorum codd. pars: in R. tamen *comantur* erat. Sed alterum rectius puto, ad moram mulierum notandum.' *Lind.* '*Comuntur*. Sic Par. Mur. etsi parum codicum auctoritate muniti. GC. *conantur*. Sed interest scire, quod notat Mur. 'vetustiores 'comare' dixisse, ubi posteri comere.' Omnino autem est 'comere' mulierum, 'conari' magis virorum.' *Perl.* *Comuntur* dat Bip. Z. *conantur*.—12 Distingue post *una*. *Una: adsunt tibi.* Bent. Ita quoque *Perl.* Br. *una adsunt, tibi.*

ACTUS II. SCENA III.

SYRUS. DROMO. CLITIPHO. CLINIA.

SY. AIN' tu? DR. Sic est. SY. Verum interea, dum sermones cædimus,
Illæ sunt relictæ. CLIT. Mulier tibi adest; audin', Clinia?
CLIN. Ego vero audio nunc demum, et video, et valeo, Clitipho.

SY. *Dicisme, illas in propinquo esse?* DR. *Sic est, ut dico.* SY. *Interea dum colloquimur, illæ mulieres, Bacchis et Antiphila, relictæ sunt.* CLI. *Ad te appropinquat mulier, quam tantopere desideras. Audisne servos loquentes, Clinia?* CL. *O Clitipho, certe nunc tandem eos audio, et aspicio, et sanus sum, pulso timore.*

3 Pro *video* reponendum monet Bent. *vivo*. Improbat Both.—4 Hæc vulgo

NOTÆ

1 *Ain' tu*] Exordiuntur servi, quasi plura jam inter se collocuti sint.

Sermones cædimus] A Græcis hæc phrasis sumta est; eos enim ita dicere solitos monet Priscianus lib. XVIII. scilicet, κόπτειν λόγους, cædere sermones.

DR. Minime mirum, adeo impeditæ sunt: ancillarum gregem
Ducunt secum. CLIN. Perii! unde illi sunt ancillæ? CLIT. Men' rogas?
SY. Non oportuit relictas: portant quid rerum! CLIN. Hei mihi!
SY. Aurum, vestem: et vesperascit, et non noverunt viam.
Factum a nobis stulte est: abi dum tu, Dromo, illis obviam,
Propera: quid stas? CLIN. Væ misero mihi, quanta de spe decidi!
CLIT. Quid istuc? quæ res te solicitat autem? CLIN. Rogitas quid siet?
Viden' tu ancillas, aurum, vestem? quam ego cum una ancillula
Hic reliqui: unde ea esse censes? CLIT. Vah! nunc demum intelligo.

DR. *Non est mirum eas tamdiu moratas esse; tam sunt occupatæ; ducunt in comitatu suo catervam famularum.* CL. *Nullus sum; unde tot ancillas Antiphila acquisivit?* CLI. *Quærisne a me unde tot illi sint ancillæ?* SY. *Non oportuit illas, Bacchidem et Antiphilam, incomitatas relinquere; tum magnam rerum copiam secum ferunt.* CL. *Væ mihi misero!* SY. *Aurum, vestem; et vespera imminet; iter ignorant; et imprudenter fecimus, qui eas comitati non simus. Tu, Dromo, abi ergo celeriter obviam illis. Festina; quid cunctaris?* CL. *Quam miser ego sum! quanta spe frustratus sum!* CLI. *Quid hoc rei est? quid te solicitum reddit?* CL. *Quæris quid sit? Videsne illam (Antiphilam) ancillis, auro, veste instructam, quam ego discedens reliqui hic cum una servula? Unde opinaris has res illam acquisivisse?* CLI. *Vah! tandem cognosco quid te solicitat.* SY. *Dii boni,*

nunc tribuuntur Syro; sed Dromonis verba sunt, respondentis ad illa Syri: 'Verum interea dum sermones cædimus, Illæ sunt relictæ.' Unde ita recensuit Heinsius, probat Glar. viditque Guy. in R. sed manu secunda DR. Tr. SY. *Minime mirum est.* Juntæ, Aldus, Rob. Stephanus, Raphelengius, Fabrini, alii Clitiphoni tribuunt. Mss. variant. *West.* Syro tribuunt Br. Bent. Both. Z.—6 Vulg. *quid rerum?* sed codd. affirmative: dedi igitur *quod*, i. e. ob id rerum, quod portant. *Both.* Signum exclamationis dant Perl. Bip.—8 Ms. Lips. *abi tu, Dromo, dum.*—9 *Propere: quid stas?* Ubaldinus Bandinellus legebat *Propera*, quod et nos in aliquibus libris invenimus, inter quos Victoriano, licet deinde abraso *a*, substitutum fuerit *e*: et sane *Propera* majoris instantiæ est. *Fa.* 'Nostri plerique omnes, *Propere*: quod rectius est.' *Bent.* *Propere* quoque Ms. Lips. Bodl. Br. 'Alii omittunt *de*, sine sensus et metri dispendio.' *West.*—10 Legendum monet Bent. *Qui istuc.* *Qui istuc* lit. *d*, ut videtur, abrasa. Guelf. 1. M. *solicitant.*—11 Quanto infelicius tentat locum Guy. legens, *Viden' ut.* West. Distinguunt Fa. Bent. Perl. *Viden tu? ... vestem, quam.* Both. *tu* omittit. Abest *ancillula* Guelf. 1. *Ancilla* habet 2.—12 Quidam Mss. et editi vetustiss. *unde esse censes?* omisso

SY. Di boni, quid turbæ est! ædes nostræ vix capient, scio.
Quid comedent? quid ebibent? quid sene erit nostro miserius?
Sed video, eccos, quos volebam. CLIN. O Jupiter! ubinam est fides?
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
Collocupletasti te, Antiphila; et me in his deseruisti malis;
Propter quam in summa infamia sum, et meo patri minus obsequens;
Cujus nunc pudet me, et miseret; qui harum mores cantabat mihi,
Monuisse frustra; neque potuisse unquam ab hac me expellere.

quæ turba mulierum! vix poterunt recipi in nostras ædes, quantum intelligo. Quid edent? quid ebibent? quid erit miserius nostro sene Chremete, quem tanta turba terrefaciet? Ecce hic video adolescentes, quos quærebam. CL. *O Jupiter! ubinam invenietur fides, et constantia? Dum ego desipiens propter te peregre profectus sum vagus, patria privatus, O Antiphila, tu interea loci, me absente, opulentam te fecisti, et me dereliquisti in hac miseria: tu, propter quam amisi famam, et minus obtemperans fui voluntati patris, cujus causa nunc pudore et miseratione vehementer commoveor: qui frequenter culpabat mihi mores harum meretricum: itane est, ut me frustra monuerit, nec potuerit unquam me abducere ab hujus Antiphilæ amore?*

ea.—13 Abest *scio* Guelf. 1.—14 Guy. *quid et bibent.* *Bibent* Guelf. 2. Pro *sene* al. *seni.*—15 *Sed video ecquos volebam* Guelf. 1. Legit Bent. ordine inverso, *Sed ecquos v. quos volebam.* Ita quoque Br. Perl.—17 Mss. et editi quidam, *Conlocupletasti, Antiphila, te, et me.*—18 Abest *sum* posterius Guelf. 2. *Et meo patri minus sum obsequens.* Sic recte dedit Fa. nihil tamen adnotans. Nostri omnes sine *sum* habent, *minus-obsequens.* Riv., vir egregius, cum libris Scriptis tum Donati loco fidens, ejecit, quod in Edito quodam repererat, *sum*: et postea Guy. ex Fa. rursus ejecit. Do. ad Phorm. II. 3. 61. 'Potius quam lites secter, aut quam te audiam:' 'Bis,' inquit, 'posuit *quam*: ut in Heaut. 'Propter quam in summa infamia sum, et meo patri minus obsequens:' et 'Cepi rationem ut neque tu egeres neque hæc posses perdere.'' Ita et olim et postea editi, qui bonum Rivium deceperunt. Correxisse oportuit *minus sum obsequens*, et *neque ut hæc.* Hoc enim voluit Do. in Phorm. bis positum *quam*, ut in Heaut. bis positum *sum*, bis *ut*. Bent.—19 *Meritricum* post *harum* Guelf. 2.—20 *Dolet* ante *monuisse* Guelf. 1. 3. Br. EM. 'Mss. quidam et editi vetustissimi, *Monuisse frustra, dolet.* Ex glossa interpolatoris, sensum hujus vs. non videntis, qui sat commodus est, si τὸ 'pudet' rursus subaudias.' *West.* 'Post *potuisse* omnes fere l. s. habent pronomen *eum*; quod et placet, maxime propter versum.' *Fa.* 'Dormitabat hic bonus Fa. volebat, credo, Ante, non Post *potuisse*: nam ita nostri omnes: et ni ita fiat, versus non juvatur, sed jugulatur. Sed quid sodes illud est? *Expellere me ab hac?* Expellere e loco, domo, urbe, finibus,

Quod tamen nunc faciam: tum, cum gratum mihi esse potuit, nolui.
Nemo est miserior me. Sy. Hic de nostris verbis errat videlicet,
Quæ hic sumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque est, accipis:
Nam et vita est eadem, et animus te erga idem, ac fuit;
Quantum ex ipsa re conjecturam cepimus.
Clin. Quid est, obsecro? nam mihi nunc nihil rerum omnium 'st
Quod malim, quam me hoc falso suspicarier.
Sy. Hoc primum, ut ne quid hujus rerum ignores; anus
Quæ est dicta mater esse ei antehac, non fuit:
Ea obiit mortem: hoc ipsa in itinere alteræ

Attamen nunc ab ea me abstraham, qui tunc, cum mihi patris gratiam conciliare potui, eam relinquere nolui. Nemo vivit me infelicior. Sy. *Hic Clinia errat propter verba, quæ hic locuti sumus. O Clinia! de tuo aliter judicas amore, quam æquum est: nam modus vivendi hujus puellæ idem est, et animus ejus idem est erga te, ac prius fuit; quantum ex ipsa re conjiciendo scire potuimus.* Cl. *Quæso quid est quod dicis? Nihil enim est ex omnibus rebus, quod mihi gratius sit quam me in falsam suspicionem venisse.* Sy. *Inprimis hoc te scire velim, ne quicquam rerum Antiphilæ ignores: vetula illa mulier, quæ ante hoc tempus credita est ejus mater, non fuit: ea vetula mortua est. Hoc inaudivi forte, dum ipsa Antiphila id*

passim habes: Expellere ab amica nusquam. Credas potius ab auctore esse, *ab hac me avellere.* Sed et hoc Magistrorum facinus est, qui verba omnia antiquæ indolis e Terentio ejecta cupiebant. Tu repone, *Monuisse frustra: neque eum potuisse unquam ab hac me aspellere.'* Bent. '*Expellere.* Hic interrogationis notam poni vult Guy. miraturque, neminem ante se id vidisse. Verum ita neque proxime præcedens, neque sequens vs. satis cohæret.' *West.* Both. *potuisse me unquam ab h. expellere.* Guelf. 3. *ab hac re.* Bip. *potuisse eum unquam me ab hac exp.*—21 Guy. citra rationem hunc vs. expungit. In quibusdam libb. est: *Q. tandem nunc faciam,* sensu nihilo deteriore. *West.* 'Vulg. legitur, *Quod tamen nunc;* sed opponi debent *jam nunc* et *tunc*, neque committendum, ut *nunc* lateat in thesi. Cf. 324.' *Both.* qui dat *Quod jam nunc f.*—25 *Cepimus.* Hanc lect. tuetur Riv. contra aliorum Mss. *fecimus:* quod post Fa. laudat Guy. in glossis Mss. In Ms. Lips. est *accepimus.* West. 'Solus Bem. *fecimus;* omnes alii quotquot sunt, *cepimus:* quam et veram lect. arbitror: licet et illa altera stare possit.' *Fa.* 'Deserit hic Bem. suum Fa. Ego vero ex illo *fecimus* ascisco; quamvis nostri etiam omnes *cepimus.* Nusquam aliter Noster.' *Bent.* Hel. *facimus. Cepimus* dant Br. Both. Z. *Fecimus* Bip. Perl.—26 Both. *Quid id obsecro, est?*—28 *Scias* post *primum* Guelf. 3. '*Primum dicam* Ms. Par.' *Perl.* 'Non audiendus Guy. expungens τὸ *rerum.*' West.—30 *Hoc ipsa in itinere alteræ.* Sic habet et Priscianus p. 678. Tamen hæc a Magistris interpolata esse vehemens suspicio est. Bis tantum *iter* in casu obliquo Noster usurpat, hic et in Phormione. Hic, et CCC. et ex Regiis unus *ex ipsa* habent: præterea Reg.

Dum narrat, forte audivi. Clit. Quænam est altera?
Sy. Mane: hoc, quod cœpi, primum enarrem, Clitipho:
Post istuc veniam. Clit. Propera. Sy. Jam primum omnium,
Ubi ventum ad ædes est, Dromo pultat fores:
Anus quædam prodit: hæc ubi aperuit ostium,
Continuo hic se conjecit intro: ego consequor.
Anus foribus obdit pessulum; ad lanam redit.
Hinc sciri potuit, aut nusquam alibi, Clinia,
Quo studio vitam suam te absente exegerit,
Ubi de improviso interventum est mulieri:
Nam ea res dedit tum existumandi copiam
Quotidianæ vitæ consuetudinem,

retulit in via alteri fœminæ. Cli. *Quænam est hæc altera, cui dicis eam hoc narrasse?* Sy. *Desine interrogare, et sine prius recitem hoc quod cœpi dicere. Ad id quod quæris respondebo.* Cli. *Festina.* Sy. *Jam primum omnium, postquam perventum est ad domum puellæ, Dromo pulsat ostium; quædam anus egreditur; postquam hæc anus reclusit fores, continuo hic Dromo intro se immisit; ego cum ipso intro tanquam ejus comes; anus opponit obicem ostio, et claudit illud: revertitur ad lanificium exercendum. Ex hac re agnosci potuit, aut nunquam ex alia, quo exercitio vitam suam traduxerit, dum absens fuisti, cum ad mulierem in medio opere ejus ex insperato venimus. Nam talis inopinatus interventus dedit facultatem æstimandi nobis, quam consuetudinem vitæ quotidianæ habuerit.* Con-

hoc inter lineas. Repone, *ex ipsa in itere hoc, alteræ.* Bent.—33 *Ad istuc* Guelf. 3.—34 *Pulsat* G. EM. *Pulsitat* ET. 'Vulg. *Dromo pultat fores,* pravis numeris et male acuto *est*, occultato vero in thesi τῷ *Dromo.* Codd. A et B *pulsitat,* egregie.' *Both.* qui legit, *pulsitat Dromo fores.* Par. *pulsat.*—35 Al. *aperit,* quod improbat Both.—36 Sic quidem libri; tu tamen repone, *Continuo hic se intro conjicit.* Bent. Ita quoque Both. Perl.—38 Bem. et nonnulli alii, *Hic:* quod et magis placet: nam quod sequitur, *aut nusquam alibi* requirit, *Hic* præcessisse, non autem *Hinc.* Fa. 'Sic in GM. apice quidem mihi viso *Hic.* Al. *Hic.*' Perl. 'Mss. quidam, cum ET. EM. *haud usquam.* Bodl. *haud nusquam.* Et τὸ *haud* in Ms. Lips. sed secunda manu. Ita et EP. Præstat lectio, quam exhibeo.' *West.* 'Pro *aut nusquam,* quod unus tantum ex nostris habet, duo *haud nusquam:* ceteri magno numero *haud usquam.*' Bent. Br. *haud usquam.* Sed notat Bruns. 'alii *nusquam*, et sic olim lectum fuit in Ms. sed nunc deleta est prima litera vocis *nusquam.*' *Haud* pro *aut* Guelf. 1. 3. *Et* fin. 2.—41 'Unus ex Regiis, numeris melioribus, *N. ea tum res d. e. copiam.* Ceterum tolle distinctionem post *copiam.* Bent. 'Par. in marg. *locum* pro *copiam.*' Perl.

NOTÆ

30 *Alteræ Dum narrat*] Ullæ, nullæ, solæ, totæ, aliæ, alteræ, pro, Ulli, nulli, soli, toti, alii, alteri, in fœminino genere apud Antiquos in usu fuisse invenimus.

Quæ, cujusque ingenium ut sit, declarat maxume:
Texentem telam studiose ipsam offendimus,
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Ejus anuis causa, opinor, quæ erat mortua;
Sine auro, tum ornatam, ita uti quæ ornantur sibi;
Nulla mala re esse expolitam muliebri;
Capillus passus, prolixus, circum caput

suetudo ostendit perspicue qualiter natura cujusque sit. Ipsam forte reperimus telam texentem attente; indutam mediocriter veste lugubri, propter anum, puto, quæ mortua erat; nudam auro, eo modo quo solent illæ mulieres quæ ornantur, ut sibi solis placeant, non amatoribus, nulla cerussa, nullo artificio genas fucatam; crinis

—46 G. EP. EM. *anus.* Gellius loc. cit. legit, *quæ est mortua.* West. V. C. *quæ tum erat.* Lind. Ita quoque Guelf. 2.—47 *S. a. t. ornatam, uti q. o. s.* Om. libb. script. præter Bem. præponunt dict. *ita:* quomodo etiam melius habet senarius. Sed si Bem. sequamur, non erit facienda collisio in *ornatam, uti.* Fa. ‘Omnes nostri, uno demto, *ita uti:* et indignor unius Bembini causa versum a Fa. contrucidatum.’ *Bent.* ‘EP. *ornatur sibi.* Ita et Ms. Lips. ubi suprascriptum, ‘non amatoribus.’ Quo magis inficete Guy. hunc vs. expungit.’ *West.* *Ornatur* Br. ‘V. C. *formantur.*’ Lind.—48 Phorm. I. 2. 55. Sunt ex codd. vett. qui legunt: *Nulla malam re expolitam muliebri.* Ita unus Mss. Leidd. G. et Ms. Lips. cui suprascriptum, ‘maxillam illius.’ Itaque legit Calphurnius: sed et Antesignanus ita edidit, vertitque, *son visaige de nul fard de femme poly:* et ET. EM. Dubito autem, an satis recte. Malim igitur: *Nulla mala re expolitam muliebri,* deleto *esse.* Hanc enim vocem si maxime metrum admittit, Latinitas non admittit. Quis enim dixerit: *Offendimus mulierem studiose texentem telam, mediocriter vestitam, sibi ornatam, mala re muliebri non esse expolitam?* Tum neque Aldus, neque Juntæ agnoscunt τὸ *esse,* neque his antiquiores codd. impressi. Fr. F. legit: *Nulla re malas expolita muliebri.* West. ‘Libri omnes, quotquot sunt, post vocem *re,* habent verbum *esse.* in reliquis Bem. cum vulgata lectione consentit: alii vero omnes pro *mala,* habent *malam;* cum expositione addita, ‘id est, maxillam:’ quod quam ineptum sit omnes vident: quod si cui tamen hæc recens lectio placeat, nos antiquam sequemur.’ *Fa.* ‘Sex ex vetustioribus nostris *malam:* duo cum vett. edd. non habent *esse:* unus ordine inverso *expolitam esse.* Etiam hic versus Magistrorum ungues passus est. Guy. suo more, cum non caperet, ineptum et spurium pronuntiat. Quid si poëtæ manum restituimus? Ecquid erit præmii? Principio, illud *esse* absurde hic positum est, ad versum sustentandum: *esse* nullum hic locum habet. Repone id, quod Magistri ejecerunt, *N. mala re interpolatam muliebri.* Bent. ‘Vulg. *N. mala re esse exp. m.* Sed *esse* ex sequente *ex*— natum esse, cum hic alienissimum sit, statim colligitur; jam vero laborat versus, atqui codd. nostri omnes, item Faërniani præter Bem. et Bentleii sex, *malam,* non *mala:* hic igitur latebat vitium. ‘Malacus,’ ‘malacum pallium,’ ‘malacissare,’ Plautus. Verbum ignotius cito depravatum fuit.’ *Both.* qui igitur dat: *Nullaque malaca re exp. m.* GM. GC. Br. *malam. Et* post *Nulla* Guelf. 3. Non hab. *esse* 2. *Nulla mala re interpolatam m.* Bip.—49 Par. *C. sparsus* pr. var. *Perl.* ‘Pro *Capillus passus,* tres ex nostris

NOTÆ

46 *Ejus anuis causa*] ‘Anuis,’ genitivus casus, priscis usurpatus.

Rejectus negligenter: pax! Clin. Syre mi, obsecro,
Ne me in lætitiam frustra conjicias. Sy. Anus
Subtemen nebat: præterea una ancillula
Erat; ea texebat una, pannis obsita,
Neglecta, immunda illuvie. Clit. Si hæc sunt, Clinia,
Vera, ita uti credo, quis te est fortunatior?
Scin' tu hanc, quam dicit sordidatam et sordidam?
Magnum hoc quoque signum est, dominam esse extra noxiam,
Cum ejus tam negliguntur internuntii:
Nam disciplina est eisdem, munerarier
Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.
Clin. Perge, obsecro te, et cave, ne falsam gratiam
Studeas inire. Quid ait, ubi me nominas?

ejus erat sparsus, longus, nulla cura circa caput immissus. Cl. *Mi Syre, precor ne me inducas in lætitiam falso.* Sy. *Anus nebat subtemen, filum torquebat quod in tela texenda stamen intercurrit. Præter eam anum una servula texebat simul, pannosa, squalida, fœdis immunditiis horrida.* Cli. *O Clinia, si Syrus vera narrat, ita ut credo, quis est te beatior? Scisne hanc ancillulam, de qua iste loquitur servus, ut inculta et sordibus turpi? Ingens indicium est dominam ipsius esse sine culpa, cum, qui ei inserviunt in nuntiis ferendis ad amatores, tam negligenter se curant et parant. Nam præceptum in arte amandi hoc amatores observant, qui captant accessum ad dominas, ut ancillas primum muneribus sibi concilient.* Cl. *Precor, persequere inceptam narrationem, et vide ne de industria captes mendacio meam benevolentiam. Quando me nominasti, quid dixit ipsa Antiphila?* Sy.

pro varia lectione, at in ipso textu duo, *sparsus.* Accedat Ausonii auctoritas, in fine Idyll. xii. ‘Totum opus hoc sparsum, crinis velut Antiphilæ: Pax.’ Hinc certum est, legisse eum *Capillus sparsus.* Porro illud *prolixus* non placet. Repone *promissus.*’ Bent. Improbat Both. qui reponit *prodigus.* Improbant quoque Bip. Perl.—50 Sic Pr. quæ vera est lectio. *Lind.* Legendum monet Bent. *Rejectus negligenter, pax.* ‘*Pax.* Hoc male servo attribuitur.’ *Both.* qui igitur legit: *R. negligentur.* Clin. *Pax, Syre mi, o.* Z. habet *R. n.* Clin. *Syre mi o.*—52 M. GM. et EP. cum Calphurnio, *Subtegmen.* Al. *ancilla.*—54. 55 M. *Si hæc vera sunt Clinia, ita u. c.* Both. *Vera hæc, Clinia, Si sunt, ut credo.* ‘V. C. *ita ut hic dicit.*’ Lind. *Hic dicit* pro *credo* Guelf. 3. *Hic dicitur* pro *credo* 2.—56 Recte discedit Bœcl. a Guy. hunc vs. delente. Porro autem ita distinxerim: *Scin' tu? hanc quam dicit sordidatam et sordidam, M.* West. ‘*Scin' tu* omnes nostri, sicut et Ms. Lindenbrogii: et sic solet Comicus. vulg. *Scin' hanc. Sordidæ...dominæ.* vulg. inepte, *sordidatam et sordidam.*’ Both. GM. invert. *sordidam et sordidatam.* Bent. Perl. *tu* omittunt.—57 Pall. et alii *noxam.*—58 Quidam libb. vett. *Cum ejus tam negligenter vestiantur internuntii.* Quod glossema videtur, nec a Terentio profectum. *West.* Bent. legit *Cum tam negligitur ejus internuntia.*—59 *Nam disciplina est iisdem.* Quærunt et dubitant Interpretes de *iisdem.* Quid si legendum sit, *Nam disciplina est sectæ?* Bent.—60 Pall. *quæ* pro *qui.* —61 Absunt voculæ *te* et *ne* Guelf. 2.—63 Hel. *diximus.* Al. *rediisse.*—

Sy. Ubi dicimus redisse te, et rogare uti
Veniret ad te, mulier telam deserit
Continuo, et lacrymis opplet os totum sibi; ut
Facile scires, desiderio id fieri tuo.
Clin. Præ gaudio, ita me Di ament, ubi sim, nescio:
Ita timui. Clit. At ego nihil esse scibam, Clinia.
Agedum vicissim, Syre, dic quæ illa 'st altera?
Sy. Adducimus tuam Bacchidem. Clit. Hem! quid? Bacchidem?
Eho sceleste, quo illam ducis? Sy. Quo illam ego? ad nos scilicet.
Clit. Ad patremne? Sy. Ad eum ipsum. Clit. O hominis impudentem audaciam!
Sy. Heus! Non fit sine periclo facinus magnum et memorabile.

Quando nuntiavimus te reversum esse peregre, teque eam precari, ut ad te viseret; illico puella abjecit telam quam texebat, et lacrymis totam faciem perfudit, adeo ut clare intelligeres, id fieri amore et cupiditate tui videndi. Cl. *Ita mihi Dii sint propitii, non sum apud me, præ nimia lætitia; adeo metui prius.* Cli. *At, o Clinia, ego sciebam nullam esse causam, cur metueres. O Syre, agedum refer quæ est illa altera.* Sy. *Adducimus tuam amicam Bacchidem.* Cli. *Hem! quid? Bacchidem adducitis? Eho, o flagitiose! quo ducis illam?* Sy. *Quo illam duco, rogas? certe ad ædes nostras.* Cli. *Utrum ducis illam apud patrem?* Sy. *Ad eum ipsum duco.* Cli. *O impudentem audaciam scelerati hominis!* Sy. *Heus tu, res insignis et memoranda non sine discrimine geritur.* Cli. *Illud vide: tu,*

64 Fa. Guy. ex Bem. *desinit.* Quod forte elegantius. *West.* 'Nostri omnes *deserit:* et sic Fa. in textu. Placet tamen *desinit.*' Bent.—65 Vulg. *os t. sibi, Ut facile scires, d. i. fieri tuo,* prorsus inconcinne. B. *scias;* sed id requireret *factum esse,* non *fieri.* Both. qui ergo dat, *os totum, tuo Ut f. scires d. i. fieri.*—70 Do. in Adelph. IV. 4. legit *Abducimus:* quod magis proprium dicit esse, quam *Adducimus.* Fa. 'Nostri omnes *Adducimus:* nec audimus hic Donatum.' *Bent.*—71 Vulg. *ducis:* sed B, Gu. 1. Hel. et Lindenbrogii liber (nam *abducis* manifesto falsum) *adducis,* proprie et vere. *Both. Adducis* Guelf. 2.—73 In Bem. dictio *heus* præcedenti versui ascribitur: *memorabile* vero, non cum conjunctione *et,* sed cum negatione *nec,* positum est hoc modo, *nec memorabile:* ita conjicio et in Vi. fuisse; sed deinde *nec* mutatum est in *et.* Fa. 'Nostri omnes cum Eug. *et* habent: ut opinor rectius. Corrector, credo, Bembini cod. *nec* posuit, ut versum lacerum resarciret. Alio modo Guy. hoc procurat: *Non fit sine p. magnum facinus et memorabile.* Ego vero hanc viam insisto: *N. f. s. p. facinus magnum et commemorabile.* Porro autem nostri omnes cum edd. vett. *heus tu;* non tantum *heus,* ut Fa. Recte; ut versus quadratus et plenus sit.' *Bent.* 'Vulg. inconcinne *magnum et memorabile,* ego scriptos sequor, *nec memorabile* habentes.' *Both.* 'Quidam codd. scripti et impressi legunt, *Nec fit,* et mox, *nec*

Clit. Hoc vide! in mea vita tu tibi laudem is quæsitum, scelus;
Ubi si paululum modo quid te fugerit, ego perierim.
Quid illo facias? Sy. At enim. Clit. Quid enim? Sy. Si sinas, dicam. Clin. Sine.
Clit. Sino. Sy. Ita res est hæc nunc, quasi cum— Clit. Quas, malum, ambages mihi
Narrare occipit? Clin. Syre, verum hic dicit; mitte: ad rem redi.
Sy. Enimvero reticere nequeo: multimodis injurius,
Clitipho, es; neque ferri potis es. Clin. Audiendum hercle est: tace.

sceleste, studes laudem quærere in vitæ meæ periculo. In qua re facienda si quid etiam tantillum erraveris, de me actum erit. Quid facias illo? Sy. *At vero nullum erit periculum.* Cli. *Quid, vero, non erit?* Sy. *Dicam, si patiaris.* Cl. *Permitte ut dicat.* Cli. *Permitto.* Sy. *Ita se res nunc habet, quasi cum.* Cli. *Quas, o malum! verborum circuitiones incipit mihi recitare?* Cl. *O Syre, Clitipho verum dicit; omitte ista tam longa sermonis diverticula; revertere ad propositum.* Sy. *Certe non possum continere, quin dicam quod sentio; Clitipho est iniquus et molestus multis de causis, atque intolerabilis.* Cl. *Mehercule oportet illum*

memorabile. Præstat lect. vulgata.' *West.*—74 Scribendum monet Bent. *scelus?* per interrogationem.—75 Omitt. *si* et add. *modo* post *paul.* Guelf. 2. Al. *tete.*—76 Hærent in *illo* interp. et Bent. id temere mutat in *illa.* Bip. *Illa* quoque Perl. CCC. et ex Regiis unus, *dico:* unde locum sic refingo: '*Si sinis, dico. Sine.*' Bent. Ita quoque Both. qui notat: '*sinis,* quod dedit Bent. liquido perscriptum legitur in cod. B.'—77 Libri quidam Mss. et editi antiqui, *quasi cum illa.* Tr. *Quas mihi ambages, malum, Narrare occipit? Mitte atque redi.* Sy. *Enimvero reticere nequeo. Multis modis injurius est Clitipho: neque ferri potis est.* Clin. *Audiendum hercle est: tace.* Clit. *Quid est?* Sy. *Vis amare, vis potiri.* Quæ posteriora, ab illis, *multis modis,* etiam sunt in uno Leidd. Sed et Bodl. *West.*—78 M. *mitte ista.* 'V. C. *mitte ista: atque ad.*' Lind.—79 Ita placebat Fa Itaque recensuit Heinsius. Alii, *est,* quasi non ad Clitiphonem, sed de Clitiphone sermo sit. Aliter vero per totam Scenam. Libri quidam, *multis modis:* quod neminem animadvertisse contra metri rationem esse miratur Mur. *West.*—80 *Clitipho est, neque f. potis est.* Bem. *Clitipho es, neque f. potes:* sed *potis es* exigit ratio trochaici. *Fa.* 'Nostri perperam *est, est.* Ceterum post *tace* nostri omnes addunt, Clit. *Quid est?* nisi quod ex Regiis unus id habeat, loco τοῦ *tace.* Apparet olim varie lectum esse, ab his *tace,* ab illis *Quid est?*' Bent. 'Omnes fere codd. post *tace* addunt, Clit. *quid est?* cod. autem noster B, *quid id est?* optime.' *Both.* 'Putem integrum locum ita esse ordinandum: Clit. *Quas, malum, ambages mihi Narrare occipit?* Clin. *S. v. h. d. . . . . . Audiendum hercle est.* Clin. *Tace.* Clit. *Quid est?* Sy. *Quid est? vis amare.* Habetque hæc lect. auctoritatem Mss. sensu commodo et perspicuo. Sane ita in Ms. Coloniensi legisse se testatur J. Gulielmius. Sed et ita exhibent G. EP. ET. EV. 1. Et in M. est, Clit. *Quid est?* in EM. Clit. *Quid est? tace.* Sy. *Quid est? vis amare.*' West. 'GM. *Clitipho, quid est?*' Perl. *Clitipho, quid est?* Sy. *Quid est? vis, &c.*

Sy. Vis amare; vis potiri; vis, quod des illi, effici:
Tuum esse in potiundo periclum non vis: haud stulte sapis;
Siquidem id sapere 'st, velle te id, quod non potest contingere:
Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his amittenda sunt.
Harum duarum conditionum nunc utram malis, vide;
Etsi consilium, quod cepi, rectum esse et tutum scio:
Nam tua apud patrem amica tecum sine metu ut sit, copia 'st.
Tum, quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inveniam via;
Quod ut efficerem, orando surdas jam aures reddideras mihi.
Quid aliud tibi vis? Clit. Siquidem hoc fit. Sy. Siquidem! experiundo scies.
Clit. Age, age, cedo istuc tuum consilium: quid id est? Sy. Assimulabimus,

audire, Clitipho; sile. Sy. *Vis amator esse: vis compos esse amicæ: vis quæri et inveniri quæ illi dones: nullum vis subire periculum, ut fruaris amica: non inepte sapis, si sapere est velle evenire quod non potest. Aut pericula suscipienda sunt cum his commodis; amare, potiri scilicet amica, invenire quod illi detur: aut illa commoda sunt relinquenda cum periculis. Nunc cogita et delibera utram harum conditionum præoptas; aut cum amica periculum suscipere; aut eam recusare una cum periculo; quamvis pro certo sciam, hoc consilium, quod inivi, esse idoneum, et expers periculi; nam factu est facile mihi, ut Bacchis amica tua sit una tecum in domo patris, sine timore; deinde, hac eadem ratione, pecuniam reperiam quam promisisti amicæ: quod ut efficerem, etiam atque etiam rogitando aures mihi jam obtuderas, et obstupefeceras. Quid aliud et melius consilium tibi dari cupis?* Cl. *Si quidem hoc quod dicis efficies, res se bene habet.* Sy. *Dicis: si quidem hoc efficies; et videris dubitare: videbis id fieri reipsa.* Cl. *Eia, age, dic, quale est*

Guelf. 1. 2.—82 Both. *Tum, esse in p.*—83 Br. non distinguit post *id.*—84 *Mittenda* dant Bent. Bip. Perl. Bothius legit, *A. hæcce c. i. s. trahenda, a. i. c. h. mittenda s.* et notat, 'vulg. *hæc*, quasi sic quoque iambicus esset vs. obscurato quidem verbo gravissimo. Elegantem lectionem *trahenda* itidem debes libro Helmstadiensi: nam vulg. ex int. legitur *habenda.*'—86 Nostri omnes, *Etsi hoc consilium.* Repone, *Etsi c. hoc.* Bent.—87 Hunc vs. Par. uncinis inclusit. *Perl.* Vulg. *Nam apud p. tua a.* Bothius legit, *N. a. p. amica tecum ut sine metu s. c. e.*—88 *T. q. argentum illi:* sic A. vulg. *T. q. illi argentum;* minus bene. *Both.*—90 Reponendum monet Bent. *Q. alid tibi vis. S. h. fiet.* Br. *vis tibi?* Clin. Sed notat Bruns: 'Edit. tribuunt Clitiphoni. Recte.'—92

Tuam amicam hujus esse. Clit. Pulchre: cedo quid hic faciet sua?
An ea quoque dicetur hujus, si una hæc dedecori est parum?
Sy. Immo ad tuam matrem abducetur. Clit. Quid eo? Sy. Longum 'st, Clitipho,
Si tibi narrem. Quamobrem id faciam, vera causa est. Clit. Fabulæ!
Nihil satis firmi video, quamobrem accipere hunc mihi expediat metum.
Sy. Mane. Habeo aliud, si istud metuis; quod ambo confiteamini
Sine periclo esse. Clit. Hujusmodi, obsecro, aliquid reperi. Sy. Maxume.
Ibo obviam hinc: dicam ut revortantur domum. Clit. Hem!

istud tuum consilium? Sy. *Fingemus Bacchidem esse amicam Cliniæ.* Cl. *Belle dicis. Quid vero rei aget hic Antiphila? An ea quoque dicetur esse amica Cliniæ, si hæc una non satis affert ei dedecoris, et magis decet eum habere duas?* Sy. *Sed ducetur Antiphila ad Sostratam matrem tuam; non hic manebit.* Cli. *Quid tum, si ad Sostratam matrem ducetur?* Sy. *O Clitipho, prolixior sermo est, si mihi dicendum sit tibi, cur id faciam: non sine justa causa suadeo ut Antiphila deducatur ad matrem tuam.* Cli. *Sunt nugæ; nihil stabile satis in tuo consilio video, propter quod sit mihi utile hunc timorem subire, ut amica mea sit apud patrem.* Sy. *Mane, audi quod dicturus sum, scio aliud consilium, si istud times; quod quidem ambo confiteamini expers esse periculi.* Cli. *Rogo, excogita tale consilium, quale dicis.* Sy. *Libentissime: ibo obviam illis mulieribus: dicam eis ut in ædes*

Bodl. *Hujus esse amicam*, ex glossa. *West.* '*Tuam amicam hujus esse amicam.* Aliqui libb. non habent *amicam*, nisi semel in principio: quæ geminata et superfluit sensui, et impedit versum.' *Fa.* 'Abest [*amicam*] ab uno ex nostris et ab edd. vett.' *Bent.* *Quid hic suam* pro *fac. sua* Guelf. 2.—93 *Eane quoque* Both.—94 Libri quidam scripti et impressi, *deducetur.* West. Ita quoque legendum monet Bent. Bothius habet, *Immo ad matrem deducetur.* —95 Secutus sum distinctionem F. Fabricii. Vulg. *C. Si tibi narrem, quamobrem id faciam: vera causa est.* West. Vulgatam distinctionem sequuntur Bent. Bip. Perl. Z. Both.—97 Bent. reponit, *si iste est metus:* frustra, cens. Bip.—98 Mss. plusculi, *Istiusmodi, quæso.* West. 'Vulg. *hujusmodi*, invitis nostris omnibus et Lindenbrogiano, qui, *istiusmodi*, quod contemnentis, adeoque verius h. l. Versui timebant librarii.' *Both.* 'Par. pr. var. *istiusmodi.*' Perl.—99 Mss. quidam et editi veteres fortasse rectius, *I. o. his.* Quidam *I. o. huic: dicam u. revortatur d.* West. '*Hinc* ineptum hic est: unde in uno ex nostris, et in edd. vett. est *his.* Sed adhuc magis ineptum illud *revortantur.* Repone *I. o. huic; d. u. revortatur d.* Hoc jamdudum correxeram: nunc autem in altero ex Meadianis clare et sine litura sic scriptum reperio.' *Bent.* 'Rectissime Bent. e Mss. legit *I. o. huic*, i. e. Bacchidi.' *R. D.*

Quid dixti? SY. Ademtum tibi jam faxo omnem metum,
In aurem utramvis otiose ut dormias.
CLIT. Quid ago nunc? CLIN. Tune? quod boni est.
CLIT. Syre, dic modo
Verum. SY. Age modo, hodie sero, ac nequicquam voles.
CLIN. Datur: fruare dum licet, nam nescias,
Ejus sit potestas posthac, an nunquam tibi.
CLIT. Syre, inquam. SY. Perge porro; tamen istuc ago.

suas revertantur. CLI. *Hem! Quid dixisti?* SY. *Jam auferam omnem ex animo metum, ut tranquille, absque solicitudine, somnum capias.* CLI. *Quid facio nunc?* CL. *Tune quæris quid facias? tibi aliquid boni fortuna offert; fruere eo, dum licet.* CLI. *O Syre, dic nunc vere mihi, quid facere debeo.* SY. *Agedum modo, age nunc; nam hodie tarde ac frustra voles agere, si differas.* CL. *Conceditur tibi frui amica; fruere, dum per occasionem licet; nam ignoras an posthac ejus rei tibi facultas detur.* CLI. *Syre, inquam.* SY. *Perge ultra in me revo-*

Al. *quid boni est.* Guelf. 2. *quod.*—103 Al. disting. *Syre, dic modo: verum.*—104 Alii, *Datur modo fruere.* Utroque modo metrum constat. *West.* 'Sic dedit Fa. et sic habent, qui supersunt codices. Primus vidit Mur. *est* hic (post verba *quod boni*) delendum esse; et Cliniæ sermonem, *Quod boni datur, fruare dum licet*, interrumpi; dum Clitipho cum Syro suam rem agit. Partem veri vidit; partem reliquam nunc absolvo. Bis enim Cliniæ oratio præciditur. Eugraphii auctoritate, [Vide Not. Var.] et ipsius sententiæ ductu, sic versus hos constituo: *Quid ago nunc?* CLIN. *Tune? quod boni—* CLIT. *Syre, dic modo Verum.* SYR. *Age modo: hodie sero ac nequicquam voles.* CLIN. *Di dant, fruare dum licet: nam nescias—* CLIT. *Syre, inquam.* SYR. *Perge porro, tamen istuc ago.* CLIN. *Ejus sit potestas posthac an numquam tibi.* CLIT. *Verum hercle istuc est: Syre, Syre, inquam, heus heus Syre.* Hanc addidi notam —, ut verba interrumpi indicarem. Ceterum, quod versus qui in Scriptis Editisque quartus est, nunc a me quintus sit; non jam Eugraphium appello, sed rem ipsam. Pro *Datur*, quod codices habent, reposui *Di dant.*' Bent. qui etiam ulterius notat, 'nullus ex nostris habet *modo.*' *Dum licet. Nam licet* Br. ubi notat Bruns. 'hæc vox [*licet* posterius] expuncta est in codice: male, me judice, quoniam sequens *tamen* ad eam referri videtur.' 'Verbis *quod boni*, interruptis quidem, sed non disjungendis, male additum *est*, quod Mur. delendum esse vidit, recteque omittunt Bent. et Millerus, cum verbum ipsum mox sequatur, *quod boni . . . datur*' Bip. Non intelligo, inquit Both. cur reponat Bent. *Di dant* pro *Datur.*—105. 106 Hos duos vss. transposite reddunt Bent. Bip. Perl. Both. *Si* post *Ejus*, et

NOTÆ

101 *In utramvis aurem otiose ut dormias*] In utramvis aurem dormire, est, animo otioso securoque esse. Eodem sensu dixit Plinius: 'Nihil est, quod in dextram aurem, fiducia mei, dormias.' Admonent medici ut, in primo somno, in aurem dextram incumbamus; cum experrecti redormire cupimus, ut in sinistram. Qui autem levi somno uti vult, in neutram incumbit aurem, quo facilius expergefiat.

106 *Syre, inquam*] Clitipho revocat Syrum discedentem.

CLIT. Verum hercle istuc est. Syre, Syre inquam, heus, heus, Syre.
SY. Concaluit: quid vis? CLIT. Redi, redi. SY. Adsum: dic quid est?
Jam hoc quoque negabis tibi placere? CLIT. Immo, Syre,
Et me, et meum amorem, et famam permitto tibi.
Tu es judex: ne quid accusandus sis, vide.
SY. Ridiculum est, te istuc me admonere, Clitipho;
Quasi istic minor mea res agatur, quam tua.
Hic si quid nobis forte adversi evenerit,
Tibi erunt parata verba, huic homini verbera:
Quapropter hæc res neutiquam neglectui est mihi.
Sed istunc exora, ut suam esse assimulet. CLIN. Scilicet

cando; nihilominus mulieribus obviam eo, amicam tuam remissurus. CLI. *Per Herculem verum dicis; Syre, Syre, inquam; heus, heus, Syre.* SY. *Hominem excitavi: quid petis?* CLI. *Revertere, revertere.* SY. *Præsto sum; dic quare me revocas. Jam statim etiam negabis hoc tibi jucundum esse, ut amica veniat, et non domum revertatur.* CLI. *Quin potius, o Syre, tibi trado etiam me et meum amorem et existimationem meam; arbitrum te constituo. Cave ne in aliqua re sis reprehendendus.* SY. *O Clitipho, res digna risu est, mihi hoc præcipere, quasi minus de meo periculo agatur, quam de tuo in hac re, si forte quicquam non prospere successerit: a patre verbis objurgaberis; ego verberibus cædar: idcirco hæc res, quam cogito agere, nullo modo a me negligitur; sed persuade Cliniæ, ut fingat*

unquam pro *nunq.* Guelf. 1. *Agam* 2. *Istuc tamen age* EP.—107 *Syre, Syre, inquam.* Quæ sequuntur in edit. *heus heus Syre* textui Ms. absunt, et margini ascripta sunt, forte alia manu. *Bruns.*—109 Non interrogant post *placere* Bent. Bip. Z. Perl.—110 *Et famam.* Hæc absunt a Ms. Lips. *West.*—111 Sic omnes codd. et sic quasi Terentianum et ideo rectum accipimus. Quomodo vero Syrus est judex? aut cur videat, ne accusandus sit? quis enim accusare solet judicem suum? Repone: *Tu es inlex.* Bent. '*Judex.* Lectio indubitata, sufficit commode ad sensum. Tamen revocat Anglus, quod miraberis, *inlex* Plautinum.' *Perl. Judex* probat Both.—112 Idem omittit *est.*—113 Vett. edd. *minus res mea:* unus ex Regiis, *minor res mea.* Repone, *Quasi istic mea res minor.* Bent.—115 G. ET. EM. *homini huic.*—116 Al. *Quapropter neutiquam hæc res.* Guelf. 1. *ne utique* divisim. Br. *ne utiquam.* '*Ne utiquam.* Sic plane codd. B et C, non, ut vulg. conjuncte: *neutiquam:* recte quidem: nam *ne* eliditur, animadvertente etiam Fa. Vid. ad And. 302.' *Both.* Bent. Perl. *neglectu* legunt. Z. *neglectu'st.* Delph. *neglecta est.*—117 *Sed istum exora.* Bem. Bas. et multi alii *Sed istunc:* versus sustentatur rationibus totiens repetitis. *Fa.* Omnes quoque Bent. *istunc.* 'Vulg. *scilicet*, non recte, et *istunc:* codd. B et C *istum*, quod suavius.' *Both. Istum* habet

NOTÆ

108 *Concaluit*] Hæc Syrus clam loquitur, vel ad spectatores.

Facturum me esse: in eum jam res rediit locum,
Ut sit necesse. CLIT. Amo te merito, Clinia.
CLIN. Verum illa ne quid titubet. SY. Perdocta 'st
probe.
CLIN. At hoc demiror, qui tam facile potueris
Persuadere illi, quæ solet quos spernere!
SY. In tempore ad eam veni, quod rerum omnium est
Primum: nam quendam misere offendi militem,
Ejus noctem orantem: hæc arte tractabat virum,
Ut illius animum cupidum inopia incenderet;
Eademque ut esset apud te ob hoc quam gratissima.

tuam amicam esse suam. CL. *Profecto res pervenit in eum statum, ut necesse sit facere me, quod suadet Syrus; ut simulem tuam amicam esse meam.* CLI. *O Clinia! amo te, ita de me meritus es; verum metuo ne in aliquo Bacchis hæsitet et verbis se prodat.* SY. *Peritissima illa est talium dissimulationum.* CLI. *Sed illud valde mirum est mihi, quomodo potueris persuadere illi tam facile ut veniret, quæ (Bacchis) solet despicere quales amatores!* SY. *Conveni eam opportune, quod est præcipuum in omnibus rebus; nam apud eam inveni quendam miserum militem obsecrantem, ut ejus noctu copia sibi esset. Hæc agebat cum hoc milite astutia meretricia ita subtiliter, ut animum illius, amore captum et cupidine, sui desiderio, cum sui copiam non permitteret, inflammaret, utque eadem opera maxume placeret*

Delph.—118 Edd. vett. et ex nostris duo: *jam res:* ceteri *res jam,* excepto uno, qui, ut prævideram legendum, recte habuit: *F. m. e. in eum res rediit jam l.* Bent.—119 Nostri *necesse:* cum tamen Bem. *necessus,* ut Eun. v. 5. 28. repono hic, ut illic, *necessum.* Idem. *Necesse* Guelf. 1. 'F. F. *merito amo te,* ne vocalis in *te* corripiatur.' *West.* Ita et Delph.—121 Bodl. *Ad hoc d.* —122 Plusculi Mss. legunt, *quosque.* West.—124 Mss. et edd. quidam cum Calph. *miserum quendam o. ibi m.* Ita et Bodl. G. et ET. EM. *Idem.* '*Misere quendam.* Magis placet collocatio, quæ est in Bem. *quendam misere.*' Fa. '*Misere offendi* ut juncta veniant, non placet: vel ob ipsum ambiguum. Sed nostri omnes sic habent, *N. miserum q. o. m.* Recte. Plerique habent *o. ibi m.* atque ita citat Servius ad Æn. I. 661.' *Bent.* *Miserum q. o. ibi m.* Br. Perl. *Q. misere o. ibi m.* Bip. *Q. miserum o. i. m.* Both.—125 *Hæc arte tractabat virum.* Varie hæc et binos proximos versus legi et explicari, notum ex Interpretibus. Malim, si per Codices liceret, *Hæc ea arte t. v. Ut i. a. c. i. incenderet: Ea denique, ut esset apud te hoc quam gratissima.* Dixit autem, *Arte tractabat,* uti Eun. v. 4. 2. 'Quod si astu rem tractavit.' *West.*—126 EP. *accenderet.* Bothius legit, *Ut cupidum illius inopia animum incend.* —127 *Ob hoc.* Voces suspectæ, quas tamen agnoscunt Mss. quidam et editorum præstantissimi. In Bem. est: *Eademque ut esset apud te hoc quam gratissimum.* Dixit autem *eadem,* pro, una, simul: quod Plauto familiare. EP. *ob hoc quam gratissima.* West. 'Varie legitur hic locus in l. s. sed optime, judicio meo, in Bem. *apud te hoc quam gratissimum.*' Fa. 'Egregie hic Bem. nostri enim omnes, *gratissima.*' Bent. 'Vulg.

NOTÆ

124 *Miserum militem*] Delusum arte meretricia.

Sed heus tu! vide sis, ne quid imprudens ruas:
Patrem novisti, ad has res quam sit perspicax:
Ego te autem novi, quam esse soleas impotens:
Inversa verba, eversas cervices tuas,
Gemitus, screatus, tussis, risus, abstine.
CLIT. Laudabis. SY. Vide sis! CLIT. Tutemet mirabere.
SY. Sed quam cito sunt consecutæ mulieres!
CLIT. Ubi sunt? cur retines? SY. Jam nunc hæc non
est tua.
CLIT. Scio; apud patrem: at nunc interim. SY. Nihilo
magis.
CLIT. Sine. SY. Non sinam, inquam. CLIT. Quæso,
paulisper. SY. Veto.
CLIT. Saltem salutare. SY. Abeas, si sapis. CLIT. Eo.
Quid istic? SY. Manebit. CLIT. O hominem felicem!
SY. Ambula.

tibi, propter talem militis repulsam. Sed, heus tu, cave si vis, ne in aliquem errorem incautus incidas. Tibi exploratum est, quam pater tuus sit acutus in his rebus perspiciendis; ego quoque probe novi quam sis impotens affectuum tuorum moderator. Nota mihi sunt verba tua præpostere prolata, et ambigua, cervicis inflexio in sinistram partem (quod signum est amantis et impudici stulti). Mitte suspiria et singultus, screatus, tussim, risum. CLI. *Laudabis meos gestus.* SY. *Cave si vis.* CLI. *Tutemet me miraberis, et meam agendi rationem.* SY. *Sed quam velociter nos assecutæ sunt mulieres!* (ironice.) CLI. *Ubi sunt? cur retines eas, neque sinis nos earum præsentia delectari?* SY. *Jam nunc hæc Bacchis non est amica tua; memineris ejus rei, de qua inter nos nunc convenit.* CLI. *Scio quod coram patre simulandum est eam esse amicam Cliniæ; sed interea, priusquam ad patrem eatur, sine mea ut sit.* SY. *Non plus nunc est tua, quam apud patrem.* CLI. *Permitte.* SY. *Non permittam, inquam.* CLI. *Quæso, paulisper id concede.* SY. *Te hac re prohibeo.* CLI. *Saltem sine ut eam salutem.* SY. *Discede, si prudens es.* CLI. *Discedo. Quid iste faciet Clinia?* SY. *Remanebit.* CLI. *O hominem fortunatum Cliniam! qui maneat cum amica.* SY. *Perge, quamvis invitus.*

apud te hoc quam. Codd. nostri et vett. edd. *ob hoc.* Sed supervacanea hæc pessimeque collocata, ut vel hinc, supposititia esse, intelligas. *Eadem:* una opera. Vid. ad Eun. Prol. 7. Bem. *gratissimum,* quod invita sententia recepit Bent.' *Both.* qui igitur legit, *apud te quam gratissima.* Bembi lect. dant Perl. Delph. vulgatam Bip. Z.—131 *Inversas* Br.—132 Juvat lectio quorundam libb. in quibus est, *tusses.* West. *Tusses* dant Perl. Both.—137 Both. legit *non sino, inquam.*—138 In duobus antiquiss. libris, Bem. et V. est *sapias;* quod et versui convenit. *Fa.* Nostri omnes mendose *sapis.* Bent. *Sapias* dat Both. 'Mss. quidam et editi, *Eho, Quid istic?*' West.—139 *Clinia* post *manebit* Guelf. 3.

ACTUS II. SCENA IV.

BACCHIS. ANTIPHILA. CLINIA. SYRUS.

BAC. ÆDEPOL, mea te Antiphila laudo, et fortunatam judico,
Id cum studuisti, isti formæ ut mores consimiles forent:
Minimeque, ita me Di ament, miror, si te sibi quisque expetit.
Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.
Et cum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero,
Omniumque adeo vostrarum, volgus quæ abs se segregant;
Et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile 'st.
Nam expedit bonas esse vobis: nos, quibuscum est res, non sinunt.
Quippe forma impulsi nostra, nos amatores colunt:
Hæc ubi immutata est, illi suum animum alio conferunt.
Nisi si prospectum interea aliquid est, desertæ vivimus.

BA. *Per ædem Pollucis, o cara Antiphila, laudem tibi tribuo, et te felicem esse censeo; quod omni studio curavisti, ut mores tui essent convenientes et conformes pulchritudini et venustati corporis. Nec mirum est mihi (ita me Dii adjuvent) si te quisque exoptat suam esse; nam sermo tuus fuit mihi index ingenii tui: et, cum apud me animo meditor rationem vitæ tuæ, atque etiam omnium vestrarum juvencularum, quæ summovent a suo consortio amatorum multitudinem, mirum non est vos esse tales, quales estis, et nos non esse vestri similes: nam vobis conducit et commodum est probæ esse vitæ; illi amatores, quibuscum habemus consuetudinem, non permittunt nos esse vobis similes, quia incitati nostra pulchritudine nos diligunt; postquam iste decor amissus est, illi ad alias amicas a nobis deficiunt. Interea, nisi, dum floret forma nostra, et ab illis observamur, aliquid provisum est nobis, exigendo ab illis pecunias; vitam agimus derelictæ et abjectæ. Postquam vobis*

2 *Dum* pro *cum* Guelf. 2. Abest *isti* 1. Both. *studuisti, illi.* Alii *mores ut.*—3 In libris nonnullis est *quisquam.* Probat Both.—5 Delph. *Adeoque vostrarum omnium.*—7 *Esse istiusmodi.* Mss. quidam non agnoscunt *τὸ esse.* West.—8 Mss. quidam et impressi, *bonis.* Idem. '*Vobis esse bonas.* In o. l. s. ita est, *bonas esse vobis.*' Fa. 'Sic et nostri plerique *bonas esse vobis;* et sic Nonius v. 'expedire.' Nihilo tamen minus repone, *bonis esse vobis.*' Bent. *Bonis* dant Perl. Both.—9 *Nos.* Primo legebatur *nobis,* postea correctum. *Bruns.*—10 Dubiam lectionem facit Bem. in quo est, *imminuta.* Videtur autem locus expressus e Plaut. Mostell. I. 3. 43. 'Nihilo ego, quam nunc tu, amata sum, atque uni modo gessi morem; Qui pol me, ubi ætate hoc caput colorem commutavit, Reliquit, deseruitque me. tibi idem futurum, crede.' Sed et præstantissimæ edd., Venetæ veteres, Junt. Ald. St. aliæ exhibent, *immutata.* West. *Imminuta* probat Fa. et dant Bip. Z.—11 Mss. plusculi:

Vobis cum uno semel ubi ætatem agere decretum 'st viro,
Cujus mos maxume 'st consimilis vostrum, hi se ad vos applicant.
Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini,
Ut nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas.
AN. Nescio alias: me quidem semper scio fecisse sedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum. CL. Ah!
Ergo, mea Antiphila, tu nunc sola reducem me in patriam facis:
Nam, dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves,
Præterquam tui carendum quod erat. SY. Credo. CL. Syre, vix suffero.
Hoccine me miserum non licere meo modo ingenium frui!

semel constitutum est tempus vitæ traducere una pariter cum unico viro, cujus vivendi modus admodum convenit moribus vestris; tales viri vobis animos adjiciunt. Hac vero gratia fidei mutuæ ultro citroque obligamini; ita ut nulla clades miseriæ unquam possit evenire vestro amori. AN. *Nescio quid aliæ faciant; me certe scio semper omni studio curasse, ut nullum perciperem commodum, nisi ex commodo illius.* CL. *Vah! ergo, mea Antiphila, tu sola causa es mei reditus in patriam: nam, dum longe abfui a te, omnes ærumnæ, quas toleravi, fuere mihi leves assidua tui cogitatione; nisi quod desiderio tui videndi afficiebar.* SY. *Credo ita esse, quod dicis.* CL. *Difficulter fero, o Syre, quod in ea sum angustia, ut libere colloqui cum Antiphila non concedatur mihi. Hocne tolerare possum, ut mihi non licitum sit modo meo et ex voluntate me gerere?* SY. *Quin etiam, ut patrem tuum*

Nisi p. i. a. nobis est. Ita et edd. vetustissimæ. *West.* Ita quoque omnes Bent. sed ipse reponendum monet, *Nisi p. interea a nobis est.*—12 Sunt Mss. et edit. præferentes *simul ἀντὶ τοῦ semel.* Perperam, opinor. *West.* *Semel* probant Fa. Bent.—14 Guyeto hic vs. spurius est, et turbans ceterorum sensum. Bœclero *τὸ vero* suspectum est. Legit igitur vel *ultro,* vel *vestrum.* In vulgato major emphasis. Dixit autem *utrique ab utrisque,* uti Phorm. v. 3. 17. 'Uterque utrique est cordi.' *West.* *Ab utrisque* absunt a G. Sed ab EM. integer versus. *Id. in Addend.* Non hab. *ab utrisque* Guelf. 2.—15 Vulg. *Ut nunquam ulla,* minus bene. Both. qui legit, *Nulla ut unquam.*—16 Aliqui libb. ita collocant, *me scio quidem semper.* GM. *me scio semper quidem.*—17 Guy. *τὸ illius* mutat in *alius.* Temere. *Ah!* Mss. quidam et editi, *Vah.* Prius præstat, ob metrum. *West.* 'CLIN. *Vah.* In Bem. est *ah:* ut et exigit vs.' *Fa.* 'Nostri omnes mendose *Vah.*' Bent. In Br. *Vah* incipit vs. sequentem.—18 G. ET. EM. *Vah mea Ant.* Guelf. 2. *reducere* pro *reducem.*—19 Ita vulg. pravis accentibus rhetoricis. Gu. 1. omittit verba *abs te.* Both. qui legit, *N. d. absum, mihi l. fuerunt omnes, q. c. l.*—20 *Syre, vix suffero, &c.* Tan. Faber non Cliniæ hæc tribuit, sed Clitiphoni. Improbant West. Bent. Bip.—21 Mss. quidam et editi vetustissimi: *ingenio.* West. 'CCC. *ingenium:* ceteri perperam *ingenio.*' Bent. *Ingenio* Br.—22

SY. Immo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit.
BAC. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos? AN. Ah! retine me, obsecro.
BAC. Amabo, quid tibi est? AN. Disperii! perii misera! BAC. Quid stupes,
Antiphila? AN. Videon' Cliniam, an non? BAC. Quem vides?
CL. Salve, anime mi. AN. O mi expectate, salve. CL. Ut vales?
AN. Salvum advenisse gaudeo. CL. Teneone te,
Antiphila, maxume animo exoptata meo?

animadverti animatum esse erga te, tibi molestus erit, ac negotium facesset, si te cognoverit adhuc amare. BA. *Quisnam est ille juvenis, qui nos aspicit?* AN. *Ah Bacchis! oro te, retine me, ne cadam.* BA. *Per amorem rogo te, quid habes?* AN. *Occidi, præ amore sum impos mei.* BA. *Infelix ego perdita sum. O Antiphila, cur ita attonita es et consternata?* AN. *Utrum video amicum meum Cliniam, an non?* BA. *Quem intueris?* CL. *O Antiphila! meum corculum! mea vita! salvam te esse quam gaudeo!* AN. *O mi optate Clinia, salve!* CL. *Quo modo te habes?* AN. *Lætitia singulari afficior, quod te reducem et incolumem cerno.* CL. *O Antiphila, tantopere desiderata amori meo! tene adhuc*

Duras dabit. Guy. hunc vs. spurium vocat. Palmerius audacius *puras* legit. *West.* 'Guy. suo more totum vs. spurium esse et delendum pronuntiat. Prius tamen quam deleatur, vide an nos melius quid afferamus, *I. u. p. t. v. partes diu e. d. d.*' Bent. 'Vulg. *t. v. d. e. h. diu etiam duras d.* quæ mendosa esse, omnes confitentur. Bent. deletis verbis *esse habitum*, ex conjectura dedit, *vidi, partes,* nimis pro arbitrio.' *Both.* qui ipse dat, *vidi ex abitu tuo, etiam se durum dabit.* Emendationem Bent. reprobat Bip. et lect. vulgatam defendit. 'Versus conclamatus nec sine meliorum Mstorum ope restituendus.' *R. D.* *Partes* probat Perl.—23 Quidam libb. [G. et EM. nomine memorat in Add.] legunt *intuetur*. West.—24 M. cod. Lips. Bœcleri omnes, et Bodl. G. [Guelf. 2.] *Disperii misera.* Ita et EP. ET. cum vetere anonyma. Vulgo: AN. *Disperii!* BA. *Perii, misera!* EM. *Perii misera!* West.—26 Alii, *O mi Clinia.* Ms. Lips. et M. *O mi expectate Clinia.* Ita et EP. ET. EV. 1. *Idem.* *O mi expectate Clinia* Br. Both. Bip. Bent. Guelf. 1. 2. 3. *O mi Clinia* Perl.—27 *Salvum venisse*] Alias *advenisse*. Er. *Te* post *salvum* Guelf. 3.—28 Optime staret senarius, si *exoptatam* legeretur: et ita scripsisse Terentium existimo. *Fa.* Bodl. *spectata.* Ms. Lips. *expectata.* 'Recte Fa. *exoptatam*; nostri licet omnes *exoptata* vel *exspectata*; sed in ceteris male rem gessit. Sic ab eo hi versus constituti sunt: *Amabo quid tibi est.* A. *disperii.* B. *perii misera: quid stupes Antiphila?* A. *videon Cliniam an non?* B. *quem vides?* CL. *Salve anime mi.* A. *o mi Clinia, salve.* CL. *ut vales?* AN. *Salvum venisse gaudeo.* CL. *teneone te, Antiphila, maxume animo exoptata meo?* Ubi in versu primo *perii misera* male assignatur Bacchidi. Nostri omnes, A. *disperii misera.* B. *quid stupes.* Recte quidem additum *perii*, versu ipso postulante; sed tum totum illud, *disperii, perii misera* Antiphilæ est. Plaut. Merc. IV. 1. 15. 'Disperii, perii misera, væ miseræ mihi.' Versu tertio

SY. Ite intro: nam vos jamdudum expectat senex.

meam possideo? SY. *Intro concedite; nam jam pridem senex Chremes vos expectat.*

pro *O mi Clinia*, Codices nostri omnes *O mi expectate Clinia:* quod nullo modo repudiandum fuit. In quarto nostri omnes *advenisse*, quod melius. Ceterum ut versus a me ordinentur, textus ipse satis docet: BA. *Amabo quid tibi est?* A. *disperii, perii misera.* B. *quid stupes, Antiphila?* A. *videon Cliniam, an non?* B. *quem vides?* CL. *salve anime mi.* AN. *O mi exspectate Clinia, salve.* CL. *ut vales?* AN. *Salvum advenisse gaudeo.* CL. *teneone te, Antiphila, maxume animo exoptatam meo?* Bent. *Exoptato* Guelf. 1. *Expectata* Br. *Exoptatam* Both. Perl.—29 Abest *jam dudum* Guelf. 3.

ACTUS III. SCENA I.

CHREMES. MENEDEMUS.

CH. LUCISCIT hoc jam: cesso pultare ostium
Vicini? primum ex me ut sciat sibi filium
Redisse; etsi adolescentem hoc nolle intelligo.
Verum cum videam miserum hunc tam excruciarier
Ejus abitu, celem tam insperatum gaudium,
Cum illi pericli nihil ex indicio siet?
Haud faciam: nam, quod potero, adjutabo senem;

CH. *Dies advenit. Quare tardo nunc pulsare has fores vicini Menedemi? ut primum a me fiat certior, filium peregre reversum esse sibi: quamvis noverim Cliniam nolle ut pater sciat eum venisse; sed, cum videam hunc miseriis afflictum patrem adeo vexari discessu filii, an reticere debeam gaudium tam inexpectatum, cum nihil ex hac indicatione impendeat periculosum juveni? Non celabo senem; nam juvabo eum quoad potero; sicut cerno filium*

1 Unus ex nostris 900. annorum *Luciscit:* ceteri *Lucescit.* Bent. Br. *Lucescit*, qui etiam non interpungit post *hoc jam.* *Lucescit* Guelf. 3. *Hoc cur jam cesso* 1. 2.—2 Sustuli post *Vicini* cum Par. notam interrogandi, quæ vulgo posita est. *Perl.* Non interrogant etiam Br. Both. 'Mss. quidam, *primo:* quod tuetur Tan. Faber. Sic sup. I. 2. 12.' *West.* Bem. *e me.* Fa. 'Nostri omnes *ex me:* et recte.' *Bent.*—3 Deest *etiam* Vult ergo legi *etiamsi.* Bruns. —4 Pro *cruciarier* Bent. edidit cum Fa. *excruciarier.* Zeun. *Cruc.* Both.—6 *Cum ei nihil periculi ex indicio siet.* Miror, unde hoc habuerit Fa. Nostri omnes melius, tam ad versum quam sententiam: *C. illi p. n. e. i. s.* *Illi* hic necessarium est: nam Cliniam intelligit, non Menedemum. *Bent.*—7 M.G. et EA. ET. EM. *quantum potero.* Est autem *quod* idem cum 'quoad,' καθ' ὅσον. Mss. quidam et editi, *adjuvabo.* West. '*Quam potero.* In Bem. Vi. et Bas. et præterea nonnullis aliis, attestante Jo. Rivio, legitur *quod potero.* *Quod* autem accipitur pro 'quantum,' itaque exponitur in marg. libri Bem.' *Fa.* 'Vet. cod. *qua potero, adjuvabo s.*' Lind. *Quantum* pro *quod* Guelf. 2. *Adjuvabo* GM. Br.—

Ita ut filium meum amico atque æquali suo
Video inservire, et socium esse in negotiis;
Nos quoque senes est æquom senibus obsequi.
ME. Aut ego profecto ingenio egregie ad miserias
Natus sum: aut illud falsum est, quod volgo audio
Dici, diem adimere ægritudinem hominibus:
Nam mihi quidem quotidie augescit magis
De filio ægritudo; et quanto diutius
Abest, magis cupio tanto, et magis desidero.
CH. Sed ipsum foras egressum video: ibo, alloquar.
Menedeme, salve: nuntium apporto tibi,
Cujus maxume te fieri participem cupis.
ME. Num quidnam de gnato meo audisti, Chreme?
CH. Valet, atque vivit. ME. Ubinam est, quæso? CH. Apud me domi.

meum Clitiphonem præsto esse amico ac ætate parili Cliniæ, ejus filio, in omnibus: eo etiam modo justum est, nos senes inservire senibus. ME. *Certe, aut ego valde a natura comparatus sum ad infelicitatem perferendam, aut illud non est verum quod audio dici; scilicet, tempus auferre mærorem hominibus. Nam certe augetur quotidie animi molestia quam habeo ex absentia filii; et, quanto longius absens est, tanto majori cupiditate afficior, ejusque desiderio teneor.* CH. *Sed aspicio Menedemum egressum extra domum: accedam ad eum, et compellabo. O Menedeme, salvus sis: rem gratam nuntiatum tibi venio, et quo impertiri magnopere desideras.* ME. *O Chreme, nonne aliquid rescivisti de filio Clinia?* CH. *Sanus est.* ME. *Obsecro, ubi est?* CH. *Domi meæ.* ME. *Domi tuæ meus gnatus*

8 Vi. Bas. Bip. Delph. *Item ut.*—11 Palmerius solicitat τὸ *ingenio*, tuetur Acidalius. In Bem. et quibusdam aliis libb. est, *ingenio egregio.* Mss. et editi quidam *ad miseriam.* West. ‘ *Egregie ad miseriam.* Perspicue mihi melior videtur lect. libri Bem. *egregio ad miserias:* quæ dictio, *miserias*, etiam in lib. Decurtato est.’ *Fa.* ‘ Nostri omnes, uno recentiore excepto, *miseriam;* et plerique *egregie.* Equidem *miseriam* hic prætulerim.’ *Bent.* ‘ Vulg. *egregio*, quatuor deinceps vocibus *o* litera terminatis, haud pro Terentiana elegantia. *Miseriam* A, Hel. vulg. *miserias*, minus significanter.’ Both. qui cum hoc vs. novam scenam incipit. *Miseriam* dant Br. Perl.—13 Equidem vix crediderim admisisse Terentium, ut *diem*, quod in Emphasi esse debuit, sine accentu quasi mutum transmiserit. Fortasse olim correctorias manus passus est hic locus. Vide an sic melius exierit: *Aut ego profecto ingenio egregio ad miseriam Sum, aut illud falsumst, vulgo quod dici audio, Diem tandem adimere ægritudinem omnibus.* Bent. ‘ Vulg. *Dici diem*, quo merito offensus criticus Anglus expunxit *Dici*, reposuitque, *Diem tandem*, durissime. Scripsimus autem *Die*, veterum more: nam *Diei* semper baccheus est.’ *Both.* *Dicere* Guelf. 2.—14 Ms. Lips. et EA. non agnoscunt τὸ *quidem.* West. Abest Br. Guelf. 2.—15 Abest *et* Br. *Quantum* Guelf. 2.—16 *Magis cupio.* Hæc absunt a M. *West.*—17 ‘ *Adibo atque alloquar* G. EM.’ *West.* ‘ *Adibo, alloquar.* Bem. et Bas. *ibo:* quod magis versui servit.’ *Fa.* Omnes quoque Bent. *ibo, alloquar.* *Adibo atque* Guelf. 2.—21 ME. *Quæso ubinam?* O. l. s.

ME. Meus gnatus! CH. Sic est. ME. Venit! CH. Certe. ME. Clinia
Meus venit! CH. Dixi. ME. Eamus: duc me ad eum, obsecro.
CH. Non vult te scire se redisse etiam, et tuum
Conspectum fugitat, propter peccatum; tum hoc timet,
Ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta sit.
ME. Non tu ei dixisti, ut essem? CH. Non. ME. Quamobrem, Chreme?
CH. Quia pessume istoc in te atque in illum consulis,
Si te tam leni et victo animo esse ostenderis.
ME. Non possum: satis jam, satis pater durus fui. CH. Ah!
Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimia, aut parsimonia.
In eandem fraudem, ex hac re, atque ex illa, incides.
Primum; olim potius, quam paterere filium

est? CH. *Ita est.* ME. *Venit?* CH. *Certe.* ME. *Rediit meus filius?* CH. *Jam satis dixi eum venisse.* ME. *Eamus; oro ut ducas eo, ubi est.* CH. *Non vult te suum reditum scire; etiam tuam præsentiam evitat, propter culpam amoris a te prohibiti: deinde hoc formidat ne tua pristina illa severitas gravior facta sit.* ME. *An non dixisti ei qualiter me haberem?* CH. *Non dixi.* ME. *O Chreme, quare non dixisti?* CH. *Quia pessimum consilium capis adversus te et filium, si te gesseris erga eum tam indulgenti et fracto animo.* ME. *Non possum aliter me gerere. Fui plusquam æquum est acerbus.* CH. *Ah Menedeme, nimis propendes in utramque partem, in duritiam et indulgentiam; peccas vel nimia benignitate vel tenacitate: utraque tibi pariter fraudi erit. Olim perterrefecisti filium, potiusquam*

quotquot sunt, ita habent, *Ubinam est, quæso?* Fa. ‘ Mss. quidam, et EA. *Hic apud me domi.*’ West. ‘ Nostri omnes, *Hic apud me domi.* Repone: *Apud me hic domi.*’ Bent. ‘ Vet. cod. *Apud me domi est.*’ Lind. Br. *Hic apud me domi.* *Hic* ante *apud* Guelf. 2. 3. ‘ Plerique Mss. et edd. vett. redundantius, *Hic ap. me domi.* Fa. omisit *hic*, nec sic vs. constat. Nos retinemus illud, et rejicimus glossema *ap. me* ex Eun. IV. 6. 9. ingestum.’ *Bip.*—22 *Sic ita est* Guelf. 1. *Ita est* 2.—24 Distinguit Br. post *redisse: redisse, etiam et.*—25 Corrige pravam distinctionem, hoc modo: *Conspectum fugitat: propter peccatum hoc timet.* Bent. Probat Perl. In Bip. legitur: *C. f. ob peccatum: t. h. t.* *Tum* omittunt Z. Perl.—26 *Illa antiqua.* Bem. et Vi. *antiqua illa:* quæ elegantior videtur collocatio. *Fa.* ‘ Nostri omnes *illa antiqua.* Nescias utrum malis.’ *Bent.* ‘ Vet. cod. *adaucta siet.*’ Lind.—28 Codd. Bent. *in illum.* In libb. antiq. non est hoc alterum *in.* Perl.—29 Vet. cod. *Qui te.* Lind. ‘ *Et victo esse animo.* O. l. s. *et v. a. esse.*’ Fa. ‘ *Animo*, quod minime oportuit, in Thesi delitescit. Ergo recte habet, *et v. esse a.*’ Bent. Ita quoque Both.—30 Both. *at* pro *ah.*—31 Lege, ut meliores fiant numeri, *V. utramque in partem.* Bent.—33 *Atque illac incides* Both.—

Commeare ad mulierculam, quæ paululo
Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Proterruisti hinc: ea coacta ingratiis
Post illa cœpit victum volgo quærere.
Nunc cum sine magno intertrimento non potest
Haberi, quidvis dare cupis: nam, ut tu scias,
Quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem siet:
Primum, jam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste atque auro. Satrapes si siet
Amator, nunquam sufferre ejus sumtus queat;
Nedum tu possis. ME. Estne ea intus? CH. Sit rogas?
Sensi: namque ei unam cœnam atque ejus comitibus

permitteres eum itare ad hanc puellam, quæ tunc victu tenui acquiescebat, et cui omnia placebant, quæ illi dabantur. Ex eo tempore compulsa fuit invito animo, ut vitam inopem toleraret, corpus vulgare. Nunc, quando filius tuus non potest ea potiri sine tuo gravi damno, paratus es dare libenter quidlibet quod petutur: in dando ultra modum largior es: nam ne ignores quam egregie ornata atque apparata sit ad ruinam fortunarum tuarum et filii: primum nunc duxit secum plusquam decem ancillas onustas vestibus aureisque ornamentis. Si Satrapa vel Præfectus Provinciæ sit amator ejus puellæ, nunquam queat sustinere impensas faciendas ejus causa; tantum abest, ut tu his sufficere possis. ME. *Eane est in domo tua?* CH. *Quærisne, an sit apud me? Satis percepi eam ibi esse. Nam ei atque ancillis quæ sunt in ejus*

34 *Potius.* Hæc vox abest a M. *West.*—35 Gov. et Mur. *C. filium quam paterere.* Idem. Glar. et Guy. inverso ordine, *Primum olim potius commeare filium Quam paterere ad mulierculam.* Quomodo numeri quidem meliores, sed sententia impeditior fit. Nos aliam emendandi viam instituimus, ad Horat. Serm. II. 5. 79. *Commetare ad mulierculam, quæ paululo.* Bent. *Commetare* probat Bip. Vulgatum tenet Burmann. ad Sueton. Claud. cap. 18.—37 Mss. quidam, et EA. *Perterruisti.* West. *Ea re* Guelf. 2.—39 Alii legunt *detrimento.*—43 Vulg. *Oneratas,* frequentissimo librariorum lapsu. Both. qui igitur legit *Ornatas.* *Et* pro *atque* Guelf. 2. 'Un. cod. *satrapas* ap. Bent. qui inde facit, eliso *s*, *satrapa.*' Perl. Ita quoque Bip. Both.—44 Vulg. *Sufferre ejus sumtus.* Sed displicet τὸ *ejus,* e quo versus laborat. Tum sine dubio imitatus Cic. ad Fam. x. 10. extr. scribit: 'non si Varronis thes. haberem, sufficere sumtui possem.' Sic enim cum P. Man. ex duobus vetustis verius ibi legimus, quam vulg. *subsistere sumtui,* quod perperam tuetur Gron. ad Liv. XXVII. 7. Sed et h. l. ap. Ter. in ed. vet. c. figg. est *sufficere ejus sumtus.* verba 'sufficere,' 'sufferre,' 'subsistere,' sæpius permixta. Nostra ratio Cic. et Ter. reconciliat. Cf. inf. ad Scen. II. 34.' *Bip.* qui inde legit, *sufficere is sumtui.* *Sufferre* defendit Perl.—45 Linacer, *Si sit, rogas?* h. e. an sit. Ita et Mss. quidam, et editi vetustissimi. *West.* 'Al. Mss. et edd. *si sit,* repugnante metro.' *Bip.* *Si sit* Guelf. 2.—46 *Nam ei*

NOTÆ

37 *Ingratiis*] Adverbialiter ponitur, id est, invito animo.

Dedi; quod si iterum mihi sit danda, actum siet.
Nam ut alia omittam, pytissando modo mihi
Quid vini absumsit! sic hoc, dicens; asperum,
Pater, hoc est; aliud lenius sodes vide.
Relevi dolia omnia, omnes serias;
Omnes solicitos habui: atque hæc una nox.
Quid te futurum censes, quem assidue exedent?

comitatu unam cœnam præbui; quæ si iterum præbenda sit, nihil mihi relinquetur ex bonis. Nam, ut prætercam alia, quæ impensa sunt; leviter degustando vinum tentandi gratia, quantum vini exhaustum est mihi, cum dicerent: Hoc vinum est acerbum; aliud mitius præbe, quæso. Considera, o Menedeme; aperui omnes cados, omnes amphoras et vasa fictilia in quibus vinum asservabatur; omnes servos meos variis ministeriis occupavi: atque hæc una tantum nocte facta sunt. Quid te putas fore, cujus corrodent substantiam et facultates tam frequenter? sic me Dii

unam cœnam. Omn. libb. script. *nam unam ei c.* Fa. 'Nostri quoque, *nam unam ei.* Scribe *eji.*' Bent. *Nam unam ei* Br. Bip.—47 Mss. quidam *Q. s. i. sit dandum.* West. 'Vulg. *Dedi: quod si.* Sed cod. C: *quæ si,* procul dubio vere.' *Both.*—48 *Pitissando.* In Bem. *pytisando* scriptum est per *y* in prima syllaba, et per unicum *s*; licet deinde alterum adjectum sit. Vi. et Decurtatus *pytissando* per duo *s* habent; item V. et Bas. sed hi duo cum aspiratione post *t*. Fa. 'Ut Bem. ita cod. noster 900. annorum *pytisando*: quod recipimus: versus certe eo pacto ad Græcorum numeros accedit.' *Bent.* *Pitiss.* Bip.—49 Pro *Quid, quid,* Bent. cum Fa. recte non nisi unum *quid* edidit. *Zeun.* Non distinguit post *hoc* Br. Bothius legit: *Q. v. absumsit: Sic hoc! dicens.*—50 Antesignanus distinguit, *Pater, hoc est, aliud lenius: sodes vide, Relevi.* 'Aliud agebat qui pro *aliud lenius,* maluit *illud lenius.* Ceterum pro *vide* Nonius v. asperum *para* habet. Non accedo. *Vide,* ex tua cella; *para,* ex taberna pete.' *Bent.* Distinguit Br. *Pater, hoc est aliud lenius: Sodes: vide.*—51 Eug. et Diomedes Grammaticus, *Relivi.* Pr. Instit. Grammat. lib. x. *Relevi omnia dolia mea, omnes s.* West. '*Relivi dolia*] Bent. cum Fa. *Relevi* edidit. Rectius. Nam nisi certe legas *relini,* forma *Relivi* videtur abhorrere ab analogia linguæ.' *Zeun.*—52 Ita libri nunc omnes: sed et versus et sententiæ ipsius causa repone, *Omnis s. habuit; a. h. u. n.* Bent. 'Vulg. *O. s. habui,* m. l. verbo *solicitos* obscurato. Bent. *habuit;* sed potior Mureti ratio.' *Both.* qui dat, *O. habui s.* Ita et Bip. 'Legendum de Bentleii conjectura *O. habuit s.*' R. D. M. et Bœnd. cum EA. *hæc fuit u. n.* West. —53 Mss. quidam, *facturum.* Idem.—54 *Ita me Di amabunt, ut tuarum mise-*

NOTÆ

48 *Pytissando*] Id est, expressis labris expuendo, dum quis saporem vini probat.

51 *Relevi dolia omnia, omnes serias*] Dolia fuerunt Romanis vasa majora vino servando præcipue idonea, quæ maxime fictilia erant; nam Plinius refert, doliis, quibus hodie utimur, tantum in Alpibus suo tempore homines uti cœpisse. Seria est vas vinarium fictile oblongum. Relinere est, aperire quod oblitum obturatumque erat, soluta argilla aut gypso, quo erant oblita.

Sic me Di amabunt, ut me tuarum miseritum est,
Menedeme, fortunarum. Me. Faciat quod lubet:
Sumat, consumat, perdat, decretum 'st pati,
Dum illum modo habeam mecum. Ch. Si certum est tibi
Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Ut ne scientem sentiat te id sibi dare.
Me. Quid faciam? Ch. Quidvis potius, quam quod cogitas:
Per alium quemvis ut des: falli te sinas
Technis per servulum; etsi subsensi id quoque,
Illos ibi esse, et id agere inter se clanculum.
Syrus cum illo vestro consusurrat! conferunt
Consilia adolescentes: et tibi perdere

ament, ut tuorum bonorum jacturæ commiseratione moveor. Me. *Faciat filius meus ex animi sui sententia; sponte capiat, et quantum volet exhauriat, ad nihilum redigat; decrevi hæc omnia ferre, dummodo ejus præsentia fruar.* Ch. *Si ita constitutum est tibi facere, censeo id multum ad vestram rem interesse, ut ille existimet, te nesciente vel decepto, tantum sibi sumtuum concedi facere.* Me. *Quid agam?* Ch. *Quodlibet aliud, potius quam id quod constituisti; scilicet pati, ut sumat, consumat, perdat; ut, quod illi dari vis, des per quemlibet alium, patiaris te deludi fallaciis per servulum: quamvis etiam aliquo modo percepi, illos, nempe servos, in eo totos esse, et moliri clam fraudes inter se, ut te fallant. Syrus cum Dromone submissa voce colloquitur: filii nostri communicant invicem consilia. Melius est tibi*

ritum est. Non *Ita*, sed *Sic* est in o. l. s. et post *ut*, additur *me*. Fa. 'Sic et nostri. Guy. pro *amabunt* reponit *amassint*: recte quidem; si aut codices juberent, aut postularet sermo. Sed Plaut. Pœn. I. 3. 30. 'Ita me Di amabunt.' et IV. 2. 47. 'Diespiter me sic amabit.' *Bent.*—55 *Quid* Guelf. 1. *Libet* Br.—58 *Sic facere id permagni.* Pro *id*, *illud* legitur in Bem. Bas. Vi. et multis aliis, ut et ratio versus requirit. *Fa.* 'Sic et nostri.' *Bent.* *Illud id*, pronom. *illud* relato ad superiora, Guelf. 2.—59 Ita edidi, secutus auctoritatem Guyeti. Sed et ita est in Tr. In uno Leid. legitur, *Ut nesciente s. t. i. s. dari.* Vulgo, *U. nescientem.* West. 'Pal. Guy. Bœcl. Vir doctus; recte omnes, *Ut ne scientem.* Nimirum vel, ut illi, *ne scientem sentiat*; vel, ut æque bene, *nescientem censeat.* Certe utrumque, et *nescientem* et *sentiat* stare una vix possunt.' *Bent.* 'Legendum, *U. ne scientem s.*' R. D. *Ut nescientem* Br. Bip. Z. *Dari* Guelf. 3.—60 *Hoc* ante *quod*. Id.—63 Aliquot libb. inter quos Bem. Bas. Vi. hæc habent sine conjunctione, quod et elegantiæ et versui servit. *Fa.* 'Etiam a nostris abest *et*; et tamen in textu Faërni subsistit. Nos nostro jure exulatum mittimus.' *Bent.* *Et* abest Br. Both. Delph.—64. 65 Omnes fere antiqui libri *consusurrant*: quod vero sequitur, *conferunt Consilia adulescentes*, in Bem. est *ad adulescentes*: ut et versus exposcit. Forte legendum est, ut conjicit Lolgius, *Consiliad adulescentes*: ut *d*, interponatur hiatus vitandi causa, sicut in 'med erga.' *Fa.* 'Illud Lolgii nescio cujus *Consiliad* ad morboniam relegandum est. Lege ex Bem. *consusurrant, conferunt Consilia ad adulescentes.*' Bent. Lectionem Bembi probat Ruhnken. et dant Both. Perl. Bip. nisi quod Both. τὸ *illo* omittit.—67

Talentum hoc pacto satius est, quam illo minam.
Non nunc de pecunia agitur: sed illud, quomodo
Minimo periclo id demus adolescentulo.
Nam si semel tuum animum ille intellexerit,
Prius proditurum te tuam vitam, et prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium; hui,
Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!
Tibi autem porro ut non sit suave vivere:
Nam deteriores omnes sumus licentia.
Quodcumque inciderit in mentem, volet: neque id
Putabit, pravum an rectum siet, quod petet.

perdere talentum eorum technis, quam minam te filio indulgentiorem ostendendo. Nunc non agitur utrum pecuniam largiaris filio, necne; sed illud, quo pacto illi largienda sit, minimo incommodo: nam, si filius tuus perceperit voluntatem tuam; videlicet te prius perditurum vitam tuam atque omnem pecuniam quam filium abire sinas; hui, quam magnum aditum aperueris ad luxum ac libidinem! adeo ut certe non sit tibi jucundum vivere; nam deteriores evadimus nimia libertate. Filius tuus volet omne quod ei in mentem venerit; neque considerabit, an id, quod postula-

Edd. quædam vetustæ, in quibus Junt. et Ald. non agnoscunt τὸ *de*: quod nec in Gambarelli Observationibus editum. Mss. variant. *West.* *De* omittunt Bent. Bip. Perl. Both.—68 Vulg. *periclo id demus*: putide. *Both.* qui igitur *id* omittit.—69 Libb. antiq. *is.* GM. *intellex. ille*, contra iambum. *Perl.*—71 *Amittis* Br. *Illum* pro *filium* Guelf. 3.—72 Reponit Bent. *Q. eji f. a. nequitiem p.* 'Vulg. abest *ei*, requisitum id quidem ab opposito 'Tibi,' propterea que etiam assumendum, ne non elisi verbi *nequitiem* accentus offendat, sequente vocali, retrahatur. Bent. *Q. eji f.* sed dialyses has et similes 'eji,' 'reii,' 'speii,' 'hospitaï,' 'Cliniaï' elegantem neque Epicorum obsoletiora sectantem usurpasse Nostrum, admodum dubia est res: accedit quod isto pacto vox gravissima *Quantam* elideretur.' *Both.* qui inde legit, *ad nequitiem ei p.* *Nequitiem* dant Perl. Z. *Nequitiam* GM. Br. Bip.—73 Elegans hic versus Guyeto ut spurius expungitur. *West.*—74 Scholiastes ad Hor. Carm. I. 19. 3. legit, *corruptiores sumus o. l.* e corrupto, ut videtur, codice. *Idem.* 'Pro *fimus* Bent. edidit *sumus*: minus eleganter.' *Zeun.*—75. 76 G. R. et vet. cod. ap. Lind. *Quod cuique cumque.* Br. *Quo cui quæcumque.* 'In his duobus versibus magna variarum lectionum est seges; ut in nothis et subdititiis solet evenire. Veteres plerique nostri: *Quod cuique cumque inciderit in mentem volet; Neque id putavit, pravum an rectum sic petet.* Alii *Quod cuicumque*; alii *sit quod petet.* Tolle totum hoc panni vulgaris assumentum. Ex notula aliqua olim in textum irrepsit sententiola generalis. Nam illud *cuique* satis declarat ad solum Cliniam, ut oportuit, hoc non pertinere. Postea pro captu suo singuli in versus redigere laborarunt. Miror equidem Guyetum, qui tot bonos versus ejecerit, hos insulsos tam patienter tulisse: sed miseror Virum eruditum, qui id multis verbis agit, ut ex malis pejores faciat.' *Bent.* *P. p. a. r. quod petet, siet.* Omnes fere l. s. *P. p. a. r. sit, quod petet*: aliqui, *an rectum siet*: quod tamen non adjuvat versum. In uno tantum libro est, *pravumque an rectum*: quo quidem modo stat optime senarius.' *Fa.* 'Alias *petit.*' Er. Bothius legit, *Quodcumque in m. inciderit, id volet, petet, Neque id putabit pravumne an rectum siet.* Br. *pravum, an rectum*

Tu rem perire, et ipsum, non poteris pati.
Dare denegaris; ibit ad illud illico,
Quo maxume apud te se valere sentiet:
Abiturum se abs te esse illico minabitur.
ME. Videre verum, atque ita uti res est, dicere.
CH. Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quæro, tibi qui filium restituerem.
ME. Cedo dextram: porro te idem oro ut facias, Chreme.
CH. Paratus sum. ME. Scin', quid nunc facere te volo?
CH. Dic. ME. Quod sensisti illos me incipere fallere,
Id ut maturent facere: cupio illi dare,
Quod volt: cupio jam videre. CH. Operam dabo.

bit, sit iniquum an justum: tu non poteris ferre bona deperdi, et ipsum una filium. Si recuses dare ei quæ petet, continuo ea re utetur, qua se vigere et validum esse adversum te intelliget; statim minabitur se discessurum a te. ME. *Existimo te vera loqui, atque ita ut res se habet.* CH. *Per Herculem præterita nocte somnum minime cœpi, dum cogito, quemadmodum redderem tibi patri cupido filium tuum.* ME. *Da dexteram. Etiam te precor ut deinceps idem facere pergas.* CH. *Sum paratus ad id faciendum.* ME. *Scisne quid cupio te modo facere?* CH. *Quid est, cedo.* ME. *Quia intellexisti illos inceptare me decipere, fac ut festinent id perficere. Cupio illi dare quæcumque velit: cupio statim eum videre.* CH. *Fa-*

sit, petet. Bip. *pravumne an rectum sit, quod petet.*—77 *Illum* pro *ipsum* Guelf. 2.—78 M. *Dare si denegaris.* Alii, *denegabis.* Ms. Lips. *ibit ad illum ilico, Qui.* EA. *ibit ad illum ilico, Quem.* West. '*Dare denegabis.* Multi libb. script. inter quos Bem. et alii antiqui, *denegaris.*' Fa. 'Nostri fere omnes, *denegaris.*' Bent. Br. *Dare si d. ibit ad illum. Si dare* Guelf. 3.—79 R. Br. Guelf. 1. 2. *Qui m.*—80 Nostri omnes *minitabitur:* melius versui consulentes. *Bent.* 'Vulg. *abs te esse, illico minabitur:* sed putide repetitur *illico, scilicet* optime quadrat loco: vicina—*seillico, scilicet.*' Both. qui inde dat, *A. se abs te scilicet minitabitur.* Ms. Lips. R. Br. et Vet. Cod. ap. Lind. *minitabitur.*—81 Bem. *vera.* 'Nostri omnes *verum:* quod placet: neque mutavit Fa.' *Bent.*—82 Abest *ego* Guelf. 2.—83 Acidalius ad Velleium Paterc. II. 37. testatur, in vet. cod. Parisiensi scriptum inveniri, *D. id quæso. Restituerem.* Vix Latinitatem tuetur. Malim igitur, *restituam:* quod est in quibusdam Mss. et impressis vetustissimis. *West.* 'Vulg. *restituerem*, turbata consecutione temporum.' *Both.* qui legit *restituerim.*—84 Par. p. var. *Cede.* Al. *dexteram.* 'Nostri omnes meliore ordine, *porro te oro idem ut.*' Bent. Abest *ut* Guelf. 2.—85 *Scin quid nunc te facere volo*] Varie collocantur hæc verba, sed hæc mihi collocatio omnium, quas inveni, commodissima videtur ob numerum, *scin quid nunc facere te volo?* ita plerique libri scripti habent, et in iis aliquot ex antiquis, ut Bas. *Fa.* Ita quoque omnes Bent.—86 M. et EA. *incipere velle fallere.* West. Ita quoque vet. cod. ap. Lind. *Velle* pro *incip.* Guelf. 3. *Velle* post *incip.* 1.—87 Pal. 2. *Volo ut m.* Glossatoris videtur, verbi *volo* vs. 85. immemoris. *Perl.*—88 Bentleius edidit, *cupio ipsum j. v.* Certe sensus egregie commendat illud *ipsum.* Zeun. Tres qui sequuntur versus, ad finem hujus scenæ apposuerunt Bent. Perl. Both. et Lenzius, apud quem tamen hic est ordo: *A me nescio ... Ne nos ... Syrus*

Syrus est prehendendus, atque adhortandus mihi.
A me nescio quis exit: concede hinc domum,
Ne nos inter nos congruere sentiant.
Paulum negotî mihi obstat: Simus et Crito,
Vicini nostri, hic ambigunt de finibus:
Me cepere arbitrum: ibo, ac dicam, ut dixeram,
Operam daturum me, hodie non posse his dare.
Continuo hic adero. ME. Ita quæso. Di vostram fidem!
Ita comparatam esse hominum naturam omnium,

ciam ut properent, et filium videas. Syrus est mihi conveniendus, atque adhortandus ut deducat filium tuum ad te. Nescio quis egreditur a domo mea. Confer te hinc domum, ne filii nostri percipiant nos consentire in eadem mente. Aliquid controversiæ impedit me, quominus domum eam: videlicet Simus et Crito vicini nostri litigant hic de terminis agrorum suorum: elegerunt me arbitrum. Ibo ad eos, et eis dicam me non posse hodie vacare eorum negotiis, sicut promiseram me vacaturum. Continuo præsto hic ero. ME. *Sic facias, rogo. Dii, vestram fidem atque opem invoco! Itane est verum, ingenium hominum sic esse constitutum,*

est prehendendus a. a. mihi. Cupio ipsum jam Br. Al. omittunt *ipsum* perperam. *Perl.*—89 Mss. et editi quidam, *apprehendendus.* In cod. Bembi ascriptum, 'deest *ad*: sed ideo prætermisit, quia dicturus erat *adhortandus.*' Quæ ipsissima Calphurnii verba sunt. *West.* 'Omnes nostri et vett. edd. *apprehendendus*, quod vividius vulgato *prehendendus.*' Both. Br. *appreh. atque hortandus.*—91 Quidam sic versui opitulatum eunt, *Ne illi nos inter nos congruere s.* Vir eruditus hoc modo, *Ne nosmet inter nos cong. s.* Dederat, opinor, Auctor, *Ne nos i. n. consentire s.* Bent. 'Vulg. *congruere*, labante versu: nam *congruere* dixisse veteres, quemadmodum dixere 'fervo,' 'fulgo,' 'strido,' 'tuor,' item 'fodire,' 'linire,' 'moriri,' 'arcessire,' non probat Muretus.' *Both.* qui ergo legit *congruisse. Consentire* probat Perl.—92 Mss. quidam [inter quos G. et ET. ut notat in Add.] *Paulum hoc negoti.* West. 'Lege ex nostris omnibus et edd. vett. *Paulum hoc negoti.* Vides, ut commode versus conjungantur, tribus illis hinc amotis. *Operam dabo: Paulum* modo *hoc negoti mi obstat.* Recte *hoc*; quia statim narrat, quod sit.' *Bent. Paulum hoc n.* Br. Bip. Perl. Both. Delph. Zeunius legit *Paululum negoti.*—93 Vulg. *hic*, nulla vi: cod. A, *hi*, unde apparet, scriptum fuisse *hice*, ut passim. *Both.* —95 GM. *hiis*, haud dubie pro *his.* Perl. *Iis* dant Br. Perl. Bent. Z. Both. —96 Legendum monet Bent. *C. h. adsum.*—97 Quod hic emendat Guy. *Ita comparatum e. h. natura o.*, si cum sequentibus connectas, vix Latinitatem tuebitur. Neque adeo hæc lectio Faërno, qui eam primus docuit Guyetum, satis se approbat. Et Lactantium legisse, *comparatam naturam*, observat Farnabius. Sed et Cl. Grævius vulgatam lect. tuetur ad Cic. Fam. VI. 4. *West.* 'Aliqui l. s. inter quos Bem. non *Itan*, sed *Ita* habent. Sed Bem. eo amplius, quod *comparatum* habet; ex quo tamen postea effectum est *comparatam*, *a* litera superscripta, et *naturam* quidem habuit, sed *m*, deinde deleto, remansit *natura:* quod si recipiatur simul cum voce *comparatum*, erit ordo: Ita comparatum esse natura omnium hominum: ut 'natura' sit ablativus

NOTÆ

89 *Syrus est prehendendus*] In Andria: 'Tuus pater modo me apprehendit.'

Aliena ut melius videant, et dijudicent,
Quam sua? an eo fit, quia in re nostra, aut gaudio
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine?
Hic mihi quanto nunc plus sapit, quam egomet mihi!
Ch. Dissolvi me, otiosus operam ut tibi darem.

ut acutius perspiciant negotia aliorum, et melius discernant, quam sua? Ideone istud fit quod sumus impediti, quominus recte judicemus in causa nostra; aut nimia lætitia, aut nimio animi dolore? Hic Chremes quanto magis nunc sapienter sentit et loquitur pro utilitate mea, quam egomet? Ch. *O Menedeme, expedivi me cito a vicinis, ut tuis rebus vacarem.*

casus: quæ quidem locutio bonis auctoribus usurpata est. Quod tamen, diligentius totum animadversum, non placet.' *Fa.* 'A et Eug. *Itan*,' Hel. *Tam*, Lactantius de falsa sap. 4. *Ita enim comp.* quæ scripturæ eodem redeunt: forma hæc usitatior.' *Both.* *Itan*' Br.—98 Mss. et editi quidam vetusti, cum Calphurnio, *judicent.* West. '*Aliena melius ut videant et judicent.* Ex o. l. s. ita collocamus hæc verba, *aliena ut melius*: et præterea ex Bembino legimus *dijudicent*: quo quidem modo stat optime versus.' *Fa.* *Judicent* Br.—99 *Hoc* post *eo* Guelf. 1. 3. Reponit Bent. *re in nostra.*—100 Vulg. *nimio*, ambigue. *Both.* qui igitur reponit *nimium.*—101 Omn. libb. script. *nunc quanto.* Fa. 'Sic et nostri universi *nunc quanto*, meliore accentu; hæsit tamen in textu Faërni, *quanto nunc.*' Bent. *Nunc q.* Br. Bip. Both.—102 Sic inf. IV. 3. 43. Phorm. I. 2. 37. Mss. Bœcleri omnes, Bœnderm. et Mark. cum EA. EP. Junt. St. *ocius.* Injurius autem in Terentium est Guy. versum hunc expungens, ut addititium. Si enim rem recte putes, appositissimus est. Dac. *operam ut huic darem*, edidit, quasi de Menedemo, non ad Menedemum. *West.* G. et EM. *D. me ocius.* Idem in Add. *Dissolvi me ocius.* Tres antiquissimi libri, et aliqui alii, pro *ocius* habent *otiosus*: qua lectione et versus stat, et sensus est optimus: distinguendum autem est post *me.* Fa. 'Quatuor modo ex tot nostris *otiosus*; ceteri perperam *ocius.*' Bent. C, *otiosius.* Z. *Dissolvi me ocius.* Hoc versu novam scenam incipit Bip. et cum Daciera legit *ut huic darem.*

ACTUS III. SCENA II.

SYRUS. CHREMES.

Sy. Hac illac circumcursa: inveniendum 'st tamen

Sy. *Age, Syre, discurre undique; tamen pecunia conficienda est: techna excogi-*

1 Vereor, ut satis intellexerit Guy. vim locutionis integræ, *τὸ tamen* mutans in *enim.* Aut enim sensus est, Tu hac illac circumcursita sane, alias res agendo, argentum tamen inveniendum est. Et poterat nullo sensus damno abesse *τὸ tamen.* West. 'Quid est *tamen*? an pro tandem, ut olim Goveanus? an legendum *enim*, cum Guyeto? Hæret sane sententia, neque est

Argentum: intendenda in senem est fallacia.
Ch. Num me fefellit, hosce id struere? videlicet
Ille Cliniæ servus tardiusculus est:
Idcirco huic nostro tradita 'st provincia.
Sy. Quis hic loquitur? perii! numnam hæc audivit?
Ch. Syre. Sy. Hem!
Ch. Quid tu istic? Sy. Recte equidem: sed te miror, Chreme,
Tam mane, heri qui tantum biberis. Ch. Nihil nimis.
Sy. Nihil, narras? visa vero 'st, quod dici solet,
Aquilæ senectus. Ch. Eia! Sy. Mulier commoda, et
Faceta, hæc meretrix. Ch. Sane, idem visa 'st mihi.

tanda est in Chremetem. Ch. *Num me latuit hosce servos, et adolescentes nectere fallaciam in Menedemum? Nimirum ille servus Cliniæ Dromo aliquanto lentior est, ideo negotium quærendæ pecuniæ datum est huic servo nostro Syro.* Sy. *Quis loquitur hic, nullus sum. Num Chremes audivit hæc, quæ dixi?* Ch. *Syre.* Sy. *Hem.* Ch. *Quid tu istic facis?* Sy. *Nihil quidem; sed, Chreme, valde miror te surrexisse tam mane, qui hesterna die tantum biberis.* Ch. *Non plus æquo.* Sy. *Non plus æquo ais? Senectus aquilæ visa est in te, ut plus biberis, quam comederis: quod proverbium in ore populi habetur.* Ch. *Eia de hoc satis dictum.* Sy. *Hæc meretrix quæ est cum Clinia, est mulier elegans et festiva.* Ch. *Sane visa est*

coloris sani et Terentiani. Repone *H. i. c. inveniendum es tamen, A.*' Bent. Ita quoque Bip. Both.—3 M. Bœnd. et Leidd. tres, cum EA. *Non m. f.* Tr. *Non me f. hosce instruere.* West. *Instruere* Guelf. 3.—4 Versus gratia scribe, *Ille Cliniaï servos tardiusculust.* Sic alibi 'hospitaï,' 'Phædriaï.' *Lind.* Ita et Fa. Bent. Bothius legit, *Est Cliniæ ille servos tardiusculus.* Ita et Delph.—6 Vulg. *hæc audivit*, frigide. *Bothius*, qui legit *hic.* Delph. *audit.*—7 Sic Fa. ex Bem. dedit: nostri omnes, *Recte quidem te demiror, Chreme*: nisi quod duo ex veterrimis, *equidem.* Lege et distingue: *Quid tu istic? Recte: equidem te demiror, Chreme, T. m.* Bent. Ita et Delph. GM. *quidem.* Guelf. 1. *demiror.* 2. *te demiror* absque *sed.* Both. *Recte: sed te dem.* Br. *Recte equidem: te dem.*—8 Delph. *qui here t. b.* EP. *biberas.* Post *biberis* interrogat Br. *Te potuisse surgere* post *bib.* Guelf. 3. Bothius legit, *nil minus.*—9 Bent. Perl. Both. Bip. Delph. *Nil, narras?*—11 Mss. et editi quidam: *Faceta hæc est m.* West. '*Sane, idem visa 'st mihi.* Varie hæc leguntur. Expressi autem editiones St. et Ald. cum EA. Junt. Ch. *Sane idem visa est tibi.* Aliæ, Ch. *Sane.* Sy. *Idem visa est tibi?* Mss. plurimi firmant lectionem, quam exhibeo. Præter rationem autem Guyetus *τὸ sane* non Chremeti tribuit, sed Syro. Licet enim formam minus, certe quidem

NOTÆ

10 *Aquilæ senectus*] Proverbium in senes, qui plus bibunt, quam edunt. Refert enim Plinius lib. x. cap. 3. Hist. aquilam fame mori, adeo superiore accrescente rostro, ut aperiri non queat; eoque Aquilam tantum in senecta bibere, aut de præda sanguinem sugere, unde plus bibit quam comedit.

SY. Et quidem hercle forma luculenta. CH. Sic satis.
SY. Ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona:
Minimeque miror, Clinia hanc si deperit.
Sed habet patrem quendam avidum, miserum, atque aridum,
Vicinum hunc: nostin'? at quasi is non divitiis
Abundet, gnatus ejus profugit inopia.
Scin' esse factum, ut dico? CH. Quid ego nesciam?
Hominem pistrino dignum! SY. Quem? CH. Istunc servolum
Dico adolescentis. SY. Syre, tibi timui male.
CH. Qui passus est id fieri. SY. Quid faceret? CH. Rogas?

mihi talis qualem refers. SY. *Et certe per Herculem est forma speciosa et splendida.* CH. *Mediocriter.* SY. *Bona quoque, non ut quondam erant bonæ; sed sicut his temporibus sunt mulieres: nec mirum est mihi, si Clinia eam ardenter amat: sed ille habet quendam patrem avarum, miserum, et siccum parsimonia. Novistine hunc vicinum? Sed quasi hic non valde sit dives, filius ejus profugus abiit egestate coactus. Scisne factum esse, ut dico?* CH. *Cur ego ignorem? O hominem dignum, qui detrudatur in pistrinum, ad circumagendas molas!* SY. *Quem dicis?* CH. *Intelligo Dromonem servum Cliniæ.* SY. *O Syre, metui ne quid mali tibi accideret ex hac re.* CH. *Qui servus passus est, ut filius discederet.* SY. *Quid faceret?* CH. *Quæris quid faceret ille? Excogitaret technam aliquam, ex*

consuetudinem et vitæ rationem non minus quam Syrus, laudat Chremes, dum ait: 'idem visa est mihi,' h. e. commoda et faceta. Tum τὸ *sane* vix occurrit in fine sententiæ.' *Idem.* 'In Bem. pro *mihi*, legitur *tibi*: sed personæ, aliter ibi notatæ, id quadrare faciunt, quod alioqui videtur absurdum: CH. *Sane.* SY. *Idem visa est tibi: Et quidem h.*' Fa. 'Fa. dedit *tibi*: sed omnes nostri *mihi*, sensu sanissimo et planissimo. Nos non colemus Bembinum tam superstitiose.' *Bent.* 'CH. *Sane.* SY. *Itan' visa est tibi?* Primum ex Bem. recipimus, hæc dici a Syro, dein *tibi*. Sed nos *Itan'* ex *Idem* invenimus. Vulgo enim hæc tribuuntur et Chremeti, sic expressa: *Idem visa est mihi.*' Bip. Z. CH. *Sane.* SY. *Idem visa est tibi?* Both. CH. *Sane quidem.* SY. *Visa est mihi et Forma quidem h. l.*—13 *Satis* pro *sane* Guelf. 2.—14 *Minime quoque* Id. *Propter hanc* 3.—15 M. et Bœnd. *hominem avidum.* Both. *misereque aridum.*—16 Mss. quidam, *quasi si is. Ditiis* pro *divitiis* vult Gov. *West.* Br. *At qui si is.* Bothius legit, *V. hunc: Nostin'?* CH. *At quasi.* SY. *Is nunc divitiis.*—18 Bem. Bas. Vi. et aliqui alii *Scis*, alii *Scisne.* Fa. 'Nostri quoque meliores et plures, *Scis.* Sed vide versum integrum: *Scis esse factum, ut dico? Quid ego nesciam?* Quorsum illud *nesciam?* quale responsum? nec sententia nec sermo sanus est. Lege certissime, ut olim Palmerius, nemine adhuc auscultante, *Quid ego ni sciam?*' Bent. 'Par. pr. var. *ni sciam.*' Perl. *Scis* dant Br. Bip. Z. Both. Perl.—19 *Istum s.* Aliquot nostri *Istunc*: melius, quia vitatur homoëoteleuton. *Bent.* *Istum* Br. Perl.

NOTÆ

20 *Syre, tibi timui male*] Secum hoc susurrat Syrus.

Aliquid reperiret, fingeret fallacias,
Unde esset adolescenti, amicæ quod daret;
Atque hunc difficilem invitum servaret senem.
SY. Garris. CH. Hæc facta ab illo oportebant, Syre.
SY. Eho! laudas, quæso, heros qui fallunt? CH. In loco
Ego vero laudo. SY. Recte sane. CH. Quippe quia
Magnarum sæpe id remedium ægritudinum 'st.
Huic jam mansisset unicus gnatus domi.
SY. Jocon' an serio illæc dicat, nescio;
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.
CH. Et nunc, quid expectat, Syre? an dum hinc denuo
Abeat, cum tolerare hujus sumtus non queat?

qua adolescens haberet, quod donaret amicæ, ac vitam conservaret huic seni, qui continuo labore se enecat, moroso, ac vitam fastidienti. SY. *Jocaris.* CH. *O Syre, debebat hic servus hæc quæ dixi facere.* SY. *Eho, obsecro, laudibus prosequeris eos servos, qui verba dant dominis?* CH. *Laudo eos scilicet, quando id faciunt in tempore, et opportune.* SY. *Certe recte facis.* CH. *Nam fallacia ejusmodi plurimis mentis et corporis doloribus sæpe medetur. Si fefellisset Dromo dominum suum Menedemum, jam ab eo filius Clinia non aufugisset.* SY. *Nescio an Chremes dicat ista per jocum, an ex animo, sed mihi auget voluntatem, ut magis cupiam technas, quas cogito, perficere.* CH. *O Syre, quid ipse servus expectat nunc? an expectat donec Clinia iterum hinc ex domo patris discedat, cum is non possit ferre*

—21 Br. interrogat post *fieri.*—22 *Fallaciam* Guelf. 1.—25 Z. Bent. Perl. Bip. Both. *oportebat.*—27 *Quia.* Abest a M. In quibusdam libb. est, *Quippe qui.* Unde in cod. Bembi ascriptum: 'parelcon. abundat *qui.*' West. 'Meliores nostri *Quippe qui.*' Bent. '*Quippe quia.* An *quod?* certe vulg. *quia* redundat syllaba.' *Bip. Quippe qui* Br. Perl.—28 Vulg. *id* omittitur.—29 *Jam huic mansisset.* Non constat versus, nisi aut *Jam* aut *huic* in disyllabon dissolvas: quorum neutrum placet. Repono, *Huic jam m.* Bent. Vet. cod. ap. Lind. *Nam huic.* '*Jam huic m.* versu manco, cui succurrens Bent. reponebat *Huic jam*: sed bene Gu. 1. *Jam primum huic.*' Both. qui igitur dat, *J. primum huic g. u. mansisset d.* *Jam huic* dant Br. Perl. Bip. Z. Delph.—30 Br. *Joco an s.* 'Bœnd. et Ms. Lips. *ille hæc dicat.* EA. *ille illæc d.*' West. 'Lege cum duobus nostris, *ille hæc dicat.*' Bent. Ita et dant Both. Perl. *Illæc* Guelf. 2.—31 *Libeat* pro *lubeat* Id. et Br.—32 *At nunc.* Alias *Et.* Er. '*At nunc q. e.* Bem. et alii antiqui habent *Et nunc*: quod magis consequens videtur.' *Fa.* Omnes quoque Bent. *Et nunc.*—33 Codd. nostri universi *illius*, non *hujus.* Latet altius vitium. Repone, *Abigat, c. t. illius s. n. q.* Bent. Ita et Both. *Abeat ... illius* dant Br. Perl. Bip. Alii pro *non*

NOTÆ

30 *Jocon' an serio illæc dicat, nescio*] Hæc secum clam Syrus loquitur.

31 *Nisi mihi quidem*] *Nisi* hoc loco usurpatur pro *sed*, ut sæpe apud Terentium.

Nonne ad senem aliquam fabricam fingit? Sy. Stolidus est.
Ch. At te adjutare oportet adolescentuli
Causa. Sy. Facile equidem facere possum, si jubes:
Etenim quo pacto id fieri soleat, calleo.
Ch. Tanto hercle melior. Sy. Non est mentiri meum.
Ch. Fac ergo. Sy. At heus tu! facito dum eadem hæc memineris,
Si quid hujus simile forte aliquando evenerit,
Ut sunt humana, tuus ut faciat filius.
Ch. Non usus veniet, spero. Sy. Spero hercle ego quoque.
Neque eo nunc dico, quo quicquam illum senserim:
Sed si quid, ne quid. Quæ sit ejus ætas, vides.
Et næ ego te, si usus veniat, magnifice, Chreme,
Tractare possim. Ch. De istoc, cum usus venerit,
Videbimus, quid opus sit: nunc istuc age.
Sy. Nunquam commodius unquam herum audivi loqui,
Nec, cum male facerem, crederem mihi impunius

sumtus hujus meretricis? An machinatur aliquam fallaciam in Menedemum? Sy. *Ipse servus est stupidus, nullam habet solertiam aptam ad ejusmodi fraudem fabricandam.* Ch. *Sed oportet te ei opem ferre, adolescentis Cliniæ gratia.* Sy. *Possum eum in hac re juvare, si imperas: nam longo usu scio, qua arte id faciendum sit.* Ch. *Mehercule eo aptior es servus, qui dominis scias mederi.* Sy. *Meus non est mos mendacium proferre.* Ch. *Ergo id effice, tu qui calles.* Sy. *At heus tu, Chreme, fac ut memineris hæc eadem, quæ præcipis me facere; si quid aliquando acciderit, quemadmodum se habent humanæ res, ut filius tuus Clitipho, aliquid simile hujus facti Cliniæ agat.* Ch. *Non hoc eveniet, ut spero.* Sy. *Spero quoque ego per herculem non eventurum; neque idcirco hæc dico, quod aliquid tale perceperim de illo; sed dico si quid evenerit, ne quid mihi succenseas. Quæ sit hujus ætas vides, quam amori obnoxia. Profecto etiam si id usu veniat, arte mea possum efficere ne talem in te mærorem suscipias, quo Menedemum confici vides; ita pulchre te tractabo, et splendide.* Ch. *Considerabimus de ista re, quid opus sit, cum acciderit: nunc intende fallaciam in senem Menedemum.* Sy. *Nunquam audivi herum loqui opportunius, quam nunc, nec cum aliquid mali molirer, crederem me unquam majori*

queat legunt *nequeat.*—35 GM. *adjuvare.*—43 Ms. Lips. *quod quicquam.* West. 'Nostri omnes mendose *quod.*' Bent. *Quod* Br. Z.—44 *Ne quid.* Abest a M. *Quæ sit ejus ætas, vides.* Guy. hæc verba et quæ sequuntur ad *possim* delet. *West.* Br. *quid nequit. Ne quid* mutatum in *nequit* in Guelf. 1. 'Vulg. *vides:* sed quid tunc faciemus sequente *Et?*' Both. qui ergo dat *vide.*—47 Meliores nostri melius, *quod opus sit.* Bent. 'Al. *quod* male.' *Perl.*—48 *Unquam.* Bœnd. et EA. *quam nunc.* West. 'Vulg. *commodius unquam:* cod. C, dilucide, *quicquam.*' Both.—49 M. et EA. *malefecerim.* Hunc et sequentem

Licere. Quisnam a nobis egreditur foras?

cum impunitate id posse facere. Quisnam exit domo nostra?

vs. expungit Guy. Nihil tamen in illis, quod vel Latinitati obstet, vel argumento non serviat. *West.* '*Malefacerem.* Sic dedit Fa. sic habent codd. nostri. Sed certa est Mureti emendatio, *malefacere.*' Bent. *Malefacere* improbat Perl. Bothius legit *malefacere creduam.* Br. *malefacerem credere. Malefacere* Bip. Delph.

ACTUS III. SCENA III.

CHREMES. CLITIPHO. SYRUS.

Ch. Quid istuc, quæso? qui istic mos est, Clitipho? itane fieri oportet?
Cl. Quid ego feci? Ch. Vidin' ego te modo manum in sinum huic meretrici
Inserere? Sy. Acta hæc res est: perii! Cl. Mene? Ch. Hisce oculis; ne nega.
Facis adeo indigne injuriam illi, qui non abstineas manum:
Nam isthæc quidem contumelia 'st,
Hominem amicum recipere ad te, atque ejus amicam subagitare.

Chr. *O Clitipho, quid istud sibi vult? Qualis hæc consuetudo, ludere cum meretrice? Oportetne id te facere?* Clit. *Quid ego feci?* Chr. *Nonne ego te vidi immittere manum in sinum hujus mulierculæ?* Sy. *Actum est de hac re: sentiet Chremes Bacchidem esse amicam Clitiphonis. Perii ego.* Cl. *Dicisne me manum in sinum huic meretrici inseruisse?* Ch. *Vidi hisce oculis: noli negare. Certe facis injuriam indecenter illi Cliniæ, qui non reprimas manum tuam a tractatione ejus amicæ: nam hoc quidem est injuria, admittere in domum suam hominem amicum, et cum amica ejus rem habere. Quam etiam immoderate te gessisti*

1 M. et Bœnd. *quid istic?* Mur. autem τὸ *fieri* temere mutari, et primam sæpe habere productam, exemplis docuit. *West.* Z. *itane fieri, quæso?* Sed notat Zeun. 'Bent. cum Fa. recte edidit *itane fieri oportet?* Nam repetitum *quæso* minus gratum est.'—2 *Hujus* Guelf. 2.—3 Cod. Bem. *Ingerere,* laudante Guyeto. *West. Ingerere* quoque probant Fa. Bip. 'Omnes nostri *Inserere,* quæ vera lectio est.' *Bent.*—4 Guy. ne in legem Pediam peccetur, τὸ *adeo* expunctum vult. *West.*—5 *Nam ista q.* Br.—6 Sic dedit Fa. sed veterrimi quique nostri, *subigitare;* ut et codd. Plautini habent. *Bent. Subigitare* vet. cod. ap. Lind. et ita dant Br. Perl. Both. *Recipe* pro *recipere*

Vel heri in vino, quam immodestus fuisti! Sy. Factum. Ch. Quam molestus!
Ut equidem, ita me Di ament! metui, quid futurum denique esset.
Novi ego amantium animum: advertunt graviter, quæ non censeas.
Cl. At mihi fides apud hunc est, nihil me istius facturum, pater.
Ch. Esto: at certe concedas hinc aliquo ab ore eorum aliquantisper.
Multa fert libido: ea prohibet facere tua præsentia.

heri in convivio? Sy. *Actum est.* Ch. *Quam importunus et acerbus fuisti? adeo, ita me Dii servent, ut equidem timui quid contingeret, ne oriretur contentio inter te et Cliniam. Ego novi ingenium amatorum: accipiunt moleste ea, quæ non putes eos animadvertere et suspicari.* Cl. *Sed, o pater, hic confidit mihi, et sat credit me nihil facturum istius rei quam times.* Ch. *Sit ita: saltem secede in aliquem locum aliquamdiu a conspectu illorum. Multa libido concupiscit et incitat amantes inter se agere: et tua præsentia impedit eos. Ego de meipso id conjicio.*

Guelf. 1.—7 *In vino.* Ita metri ratio postulat ut legatur. Bœnd. M. EA. ET. *in convivio:* octonario hypercatalectico. *West.* ‘*Vel heri in convivio.* Omnes fere l. s. inter quos Bem. non *in convivio* habent, sed *in vino:* in quo etiam libro vs. finit, non in *factum*, sed in *quam molestus.*’ Fa. ‘Nostri universi *in vino.*’ Bent. ‘*In convivio*] Ms. R. *in vino:* quod non displicet.’ *Lind. In convivio* dat Z. reliquæ edd. ap. nos, *in vino.* Add. τῷ *fact.* verb. *est* Guelf. 2. Ita et ed. Delph.—8 Corrigit Guy. *Ut e. i. m. Dii, metuerim.* Bœclero *Ut metui!* valet, ‘quam metui!’ ‘quanto in metu fui!’ Idem tamen Guy. in Scholiis Mss. ‘An *metuim* pro *metuerim?*’ West. ‘Guy. hic corrigit, *Ut metuerim*, hoc est, adeo ut metuerim: atque hoc arripuit et transtulit vir eruditus. Magno conatu nihil agitur.’ *Bent.* Br. *Di amabunt, metui:* ubi notat Bruns. ‘sic primo: nunc *amabat* neque aliter edit.’—9 Libri quidam script. et impressi *animos*. West. ‘Omnes l. s. *animum:* ita procedit optime trochaicus.’ *Fa.* ‘Omnes nostri *animum.* Hoc recte: sed aliud restat: cum enim ‘animum advertere’ passim ap. hunc et Plautum dicatur, ‘advertere’ per se eo sensu nunquam: si distinguas post *animum*, plane contra morem egeris. Nimirum certa est Palmerii emendatio: *N. e. amantis: animum advertunt. Amantis*, terminatione prisca, hoc est *amantes.* Quod cum Magistri *amantis* gen. sing. acciperent, necesse erat ut supponerent *amantium.*’ Bent. Palmerii emendationem etiam probat Both.—10 Lege cum uno ex Regiis, ut trochaicus sit æque ac ceteri, *At fides mi.* Bent. ‘M. et Bœnd. *facturum putat.*’ West. *At fides mi* Perl. Both. *Putat* pro *pater* Guelf. 2.—11 *Hinc* abest a Ms. M. et Lips. *West.* ‘*Certe concedas aliquo ab eorum ore.* Bem. et alii antiqui ita collocant, *ab ore eorum.* Ceterum Vi. et Decurtatus habent *concedas hinc*, qua particula addita melius versus procedit, qui est trochaicus acatalecticus.’ *Fa. Hinc* nulli ex nostris: sed tres veterrimi, *certe ut concedas.* Repone, *at certe ut hinc c. a.*’ Bent. Non hab. *ut* et *hinc* Guelf. 2. GM. *ut.* Both. *ut hinc concedas.* Perl. *certe ut c. hinc.* Br. Bip. *at certe concedas aliquo.* Delph. *at c. concedas ab ore eorum aliquantisper aliqu.*—12 *Earum et* post *libido* Guelf. 3. ‘Ex Bem. solo Fa. dedit *facere prohibe*;

Ego de me facio conjecturam: nemo 'st meorum amicorum hodie,
Apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam:
Apud alium prohibet dignitas, apud alium ipsius facti pudet,
Ne ineptus, ne protervus videar; quod illum facere credito.
Sed nostrum 'st intelligere, utcumque, atque ubicumque opus sit, obsequi.
Sy. Quid istic narrat? Cl. Perii! Sy. Clitipho, hæc ego præcipio tibi,
Hominis frugi et temperantis functus officium. Cl. Tace sodes.
Sy. Recte sane. Ch. Syre, pudet me. Sy. Credo; neque id injuria.

Hodie nullum habeo amicum cui audeam detegere omnia mea arcana. Apud alium ejus auctoritas interdicit, apud alium me pudet ipsius facti, ne videar insulsus et petulans: quod crede illi Cliniæ accidere, nempe eum timere ne ante te videatur protervus et lascivus. Sed debemus scire obsecundare et inservire commodis aliorum qualitercumque et quocumque in loco necessum sit. Sy. *Audisne quid narrat Chremes pater?* Cl. *Occidi.* Sy. *Clitipho, sicut jam feci ex officio servi, probi, et utilis, te admoneo, ut discedas aliquo, ut jussit pater.* Cl. *Sile, obsecro.* Sy. *Recte profecto me tacere vis.* Ch. *O Syre, pudet me.* Sy. *Non dubito te pudere,*

cum et ceteri ejus et nostri universi habeant *prohibet f.* numeris melioribus, et minore licentia.’ *Bent. Facere p.* Bip. Perl. Delph.—13 Reponit Bent. *De me ego f. c.* Ita et Perl. Bothius *D. m. facio ego c. nemo amicorum hodie est.* Bip. Delph. *amicorum* omittunt.—14 Br. *occulta audeam*, sine *Clit.*—15 Mss. et editi quidam *piget.* West. ‘*Facti piget.* In Bem. et aliquot aliis antiquis, *pudet*, quod magis videtur convenire.’ *Fa.* ‘Nostri omnes *piget*, uno Regio excepto.’ *Bent.* ‘*Piget* Er.’ *Perl.*—17 Sic codd. omnes: sed hiat et sine cæmento est sententia. Quanto venustius est, quod a me jam habebis: *atque utcumque, ubicumque opus est obsequi.* Bent. Bothius legit, *Et. n. est, intelligere atque, utcumque, ubicumque, opus est, o.* Perl. *utcumque, aut ubicumque.*—18. 19 *Præcipio.* Utitur præsenti, ut ostendat perpetuam disciplinam. Tanaq. Faber interrogantem facit servum, et versum sequentem ironice pronuntiantem. Idem Cl. Perizonio placebat. Guy. *Præcepi.* Vid. supra II. 3. fin. *West.* ‘Abr. Wielingius legit et distinguit: Ch. *Clitipho, hæc ego præcipio tibi.* Sy. *Hominis frugi et temperantis functus officium?*’ Idem. Interrogant post tibi Bent. Both. Z. Bip. *Functu's off.* Bent. Z. ‘Par. p. var. *sis*

NOTÆ

12 *Ea prohibet facere tua præsentia*] Impersonaliter, id est, cujuscumque præsentia.

Quin mihi molestum 'st. Cl. Pergin' hercle? Sy. Verum dico quod videtur.
Cl. Non accedam ad illos? Ch. Eho! quæso, una accedundi via 'st?
Sy. Actum 'st: hic prius se indicarit, quam ego argentum effecero.
Chreme, vin' tu homini stulto mihi auscultare? Ch. Quid faciam? Sy. Jube hunc
Abire hinc aliquo. Cl. Quo hinc abeam ego? Sy. Quo? quo lubet: da illis locum.
Abi deambulatum. Cl. Deambulatum! quo? Sy. Vah! quasi desit locus.
Abi sane istac, istorsum, quo vis. Ch. Recte dicit: censeo.

nec immerito: quin etiam ego, qui pater non sum, id ægre fero. Cl. *Per Herculem perseverasne adversus me loqui?* Sy. *Dico quod videtur mihi verum esse.* Cl. *An non licet accedere ad Cliniam et Bacchidem?* Ch. *Una ratio honesta est ad eos appropinquandi, proterve et lascive te immiscens eorum amoribus.* Sy. *Actum est de incepto meo. Hic Clitipho se indicabit, antequam elicio pecuniam quam det meretrici. O Chreme, visne tu mihi homini hebetioris et crassioris ingenii credere?* Ch. *Quid agam?* Sy. *Jube Clitiphonem abscedere hinc alio.* Cl. *In quem locum abscedam?* Sy. *Quoquo voles. Cede paulum Cliniæ et Bacchidi. Abi spatiatum.* Cl. *Spatiatum? Quo?* Sy. *Vah! quasi nullus sit locus ubi spatieris. Certe abi per istam partem, versus istam, in quamlibet.* Ch. *Syrus*

funct. officio.' Perl. *Ut sis funct. officio* Guelf. 3.—21 Mss. quidam *Quin etiam.* Alii, *Pergis hercle.* Guy. ex Bem. restituit, *Perdis hercle.* Malim, ut edidi, et quomodo est in Mss. quibusdam et edd. antiquissimis: *Pergin' hercle?* Atque ita solent, qui jam tacere jusserant alterum. Sic supra II. 2. 8. 'Pergin'?' Plaut. Pœn. I. 3. 24. 'Pergin' pergere?' Tum *perdis* absolute pro 'perdis me' nescio an dicatur. Tanaq. Faber legit: *Hercle vero, dico quod videtur.* G. F. *Pergin'?* Sy. *Verum hercle, dico quod videtur.* West. 'Ego *pergis* lego affirmative; quod cum *hercle* magis congruit: ut et in Phorm. v. 6. 9. 'Pergis hercle: nunquam tu odio tuo me vinces.'' *Fa.* 'Nostri omnes *Pergin?* et recte, modo *hercle* Syro tribuas hoc modo: *neque id injuria: quin Mihi molestumst. Pergin? Hercle v. d. q. v. Quin* præcedenti vs. appono: quod posteriori dedit Fa.' *Bent.* '*Hercle* tribuunt Clitiphoni, improbante Mureto, et recte quidem; sed scribendum quoque *vero* pro vulg. *verum.* s. p. 'hercle vero' et 'non hercle vero.' *Both.* qui etiam τὸ *quin* vs. præcedenti apponit. 'Cuperus Observatt. I. 19. contendit ita legendum esse, *Pergin' hercle.* Sy. *Verum? dico q. v.*' Zeun. Distinguunt Perl. Bip. Delph. ut Bent. præterquam τὸ *Quin* versum incipit. Z. *Pergis hercle.*—22 *Nonne accedam a. illos?* Libri aliquot, inter quos Bem. *Non a.* Fa. 'Nostri omnes *Nonne:* quod placet.' *Bent.* *Nonne ac. ad eos?* Br. *Nonne* Perl. Bip. Delph. Z. et Both. qui totum vs. ita dividit: Cl. *Nonne a. ad illos? eho quæso!* Sy. *Una accedundi via est...Actum est! &c.* Non interrogat Br. post *via est.*—23 *Indicavit* Guelf. 3. 'Mss. quidam *effero:* male. EA. *affero.*' West. *Effecero* probant Fa. Bent. et dant Perl. Bip. Both. Z. Delph. *Effero* dat

Cl. Di te eradicent, Syre, qui me hinc extrudis. Sy. At tu pol tibi istas
Posthac comprimito manus.
Censen' vero? quid illum porro credis facturum, Chreme,
Nisi eum, quantum tibi opis Di dant, servas, castigas, mones?
Ch. Ego istuc curabo. Sy. Atqui nunc, here, hic tibi asservandus est.
Ch. Fiet. Sy. Si sapias: nam mihi jam minus, minusque obtemperat.
Ch. Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti, Syre? aut

recte dicit, sic arbitror esse faciendum. Cl. *O Syre, Dii te extirpent, qui me istinc ejicis.* Sy. *Sed per Pollucem, tu cohibeto posthac istas manus tuas, nec eas inseras in sinum mulieribus. Censesne vero, Chreme, quid sit agendum? Quid putas illum filium facturum esse, nisi castigas, observas, admones eum, quantum potestatis Dii tibi dant?* Ch. *Ego omni studio istud faciam.* Sy. *Certe nunc filius est tibi custodiendus.* Ch. *Ita fiet.* Sy. *Si sapienter agas, hoc facies: nam jam minus minusque sequitur mea consilia.* Ch. *Quid tu fecisti? Num aliquid egisti de illa re, de qua paulo ante te conveni? aut invenisti, quod tibi gratum sit?*

Br.—27 *Quo vis.* Divisim edidi, secutus duos Mss. Codices Leidenses, et præstantissimas editiones, Junt. Ald. St. Heinsii, aliorum. Vulgo, *quovis.* In Tr. prior versus in fine habet *quo*, sequens in ipso initio, *vis:* unde certi nihil constitui potest. M. *Recte dicis.* West. *Quovis* junctim dant Br. Bent. Perl. Z. divisim Both. Bip.—28. 29 Alii: *Quid me hinc extrudis?* Rursus alii, *Qui me h. extrudas.* Bodl. *Qui m. istinc extrudas.* Ms. Lips. legit: *At tute istas Posthac c. m.* West. '*Qui m. istinc extrudis.* Ex ratione versus, et fide libri Bembini et aliquot aliorum, lego, *hinc extrudis.*' Fa. 'Illud *pol* nescio unde venerit. Nec ex nostris ullus, nec vett. edd. id agnoscunt: et universi habent *istinc*, non *hinc*. Repone: *Di te eradicent, qui istinc me extrudas, Syre.* Sy. *At tu tibi istas posthac c. manus. Extrudas* cum in veterrimo nostro est, tum in egregio illo Palatino G. Fabricii.' *Bent.* 'Al. omitt. *pol.* Hos ego vss. 28. 29. recepi a Bent. ita ut hic eos constituit. Quorum prior hypermeter est.' *Perl.* qui tamen, quoad verba, ut nos legit. Br. *Q. m. istinc extrudis. At tu tibi istas.* Both. legit et dividit ut Bent. præterquam quod τὸ *pol* inserit post *tu.*—30 *Censen' vero?* Hæc Clitiphoni tribuit Guy. laudat Bœcl. quando εἰρωνικὸν fuerit. Videntur potius Syri ad Chremetem verba. *West.* Hoc versu novam scenam incipit Bip.—31 *Quantum Di dant tibi opis.* Melior videtur compositio, quæ est in Bem. et aliis antiquis, *quantum tibi opis Di dant.* Fa. 'Nostri omnes, *tibi opis;* sed iidem *dent* non *dant.*' Bent. 'Gu. 1. et Hel. *dent.*' Both. Br. *q. t. D. dent o. Dent* Guelf. 3. Delph. *q. D. dant o. tibi.*—32 Mss. quidam, *observandus.* Alii, *servandus:* et, *here, ibi.* West.—33 Mss. et impressi quidam veteres, *Si sapis.* Idem. *Sapis;* ab altera manu *sapias* Guelf. 2.—34 *Et quid* Idem. 'Vulg. *tecum egi, egisti?* putide. In verbis 'quod dudum tecum' elegans ellipsis est. Codd. B, C, Hel. *egistin etiam* (nam vulg. abest *etiam*), bene, nisi *egisti* retinendum est.' *Both.* qui igitur legit *quod dudum tecum, egisti etiam, Syre, aut.* Br. *q. d.*

Reperisti, tibi quod placeat? an nondum etiam? Sy. De fallacia
Dicis? st! inveni nuper quandam. Ch. Frugi es: cedo, quid est?
Sy. Dicam: verum, ut aliud ex alio incidit. Ch. Quidnam, Syre?
Sy. Pessuma hæc est meretrix. Ch. Ita videtur. Sy. Immo si scias.
Vah! vide, quod inceptet facinus. Fuit quædam anus Corinthia
Hic: huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuum.

an nondum etiam? Sy. *Loqueris de fabrica seni intendenda? Non ita multo antehac excogitavi aliquam.* Ch. *Frugi es. Dic, quod invenisti.* Sy. *Dicam, sed ut aliud ex alio sequitur.* Ch. *O Syre, quidnam est?* Sy. *Hæc meretrix est admodum prava.* Ch. *Talis apparet.* Sy. *Immo si scias quam sit pessima, miraberis. Vah! cognosce quid incipiat facere: quædam vetula ex Corintho hic habitavit, hæc meretrix dedit illi mutuo mille drachmas argenti.* Ch. *Quid inde*

tecum egi? egistin Syre? an.—35 *An nondum etiam?* Terentianum hoc est. Quare Guyeti *an non?* languet: qui dum metro consulere vult, Latinitatem negligit. *τὸ dudum* certe requirebat, ut diceretur, *An nondum etiam?* Sic And. I. 2. 30. *West.*—36 Mss. quidam, *Dicis: inveni quandam nuper.* Alii, *Dicis: hem, inveni nuper quandam.* Exhibeo lectionem Faërni. Sed post F. Fabricium legit Guy. Sy. *De fallacia? Inventa 'st: inveni nuper quandam.* Atque ita est in Bœnd. Mirum vero, placuisse acri Critico, *Inventa 'st. inveni.* Ex variis lectionibus prætulerim illam Daventriensem: *De fallacia Dicis? hem, inveni nuper quandam.* Quomodo et Juntæ ediderunt, cum Aldo. Rob. Stephanus: *De fallacia Dicis? est, inveni nuper quandam.* Atque ita Bem. *Idem.* '*De fallacia Dicis? hem inveni nuper quandam*] In nullo l. s. invenio dictionem *hem*, quæ et alioqui hic inepta est, et nullum sensum habet: aliqui loco ejus nihil prorsus habent: aliqui has duas voces *inventa est*, quod stare non potest: in Bem. et aliis antiquis legitur *est.* quod cum hic nullo modo cohæreat, sine dubio corruptum putamus: et pro *est*, legendum *st*, quæ nota est indicentis silentium.' *Fa.* '*St*, quod Fa. ex conjectura posuit, prorsus ineptum est. Quorsum enim silentio opus, cum soli in scena sint? Meliores quique codices habent, *est*; quo indicio, et istum et priorem quoque versum certo restitui: *Quid tu? ecquid de illo quod dudum tecum egi, egisti, Syre? Aut est tibi, quod placeat, an nondum etiam? De fallacia Dicis? est: inveni nuper.*' Bent. 'Vulg. *Dicis? est: inveni:* sed quorsum pertinet illud *est?* codex A, *inventa.*' Both. qui inde dat, *Dicis? Est inventa n. q. Dicis? est: inveni* Br. Perl. *Dicis? st:* Bip. Z. Delph. '*Cedo quid id est.* Bem. et nonnulli alii non habent particulam *id* sed utroque modo stat versus.' *Fa.* 'Unus tantum ex optimis nostris, *quid est.*' Bent. GM. Br. Bip. Delph. *id* habent.—38. 39 *Immo si scias. Vah! vide, quod inceptet facinus.* Varie hæc legunt Interpretes. Præstantissima Librorum Mss. et impressorum pars exhibet, ut edidi. Tr. *Immo hoc vide Si scias, quod inceptat facinus. Hoc vide* G. ET. EM. *West.* 'Edd. vett. et plerique nostri *Hoc vide.* Pet. tamen *Vah vide*, ut Fa. Atque id placet. Plerique nostri *inceptet*, non *inceptat.* Utrumvis probe.' *Bent.* Both. legit *Immo si scias.* Ch. *Vah!* Sy. *Hoc vide, quod inceptat facinus!*

Ch. Quid tum? Sy. Ea mortua 'st: reliquit filiam adolescentulam.
Ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento. Ch. Intelligo.
Sy. Hanc secum huc adduxit, eaque est nunc ad uxorem tuam.
Ch. Quid tum? Sy. Cliniam orat; sibi uti id nunc det, illam illi tamen

factum est? Sy. *Hæc vetula e vita decessit: reliquit filiam adolescentulam. Ea filia data est pignori huic meretrici, pro ea pecunia, quam illi crediderat.* Ch. *Intelligo.* Sy. *Hæc meretrix adduxit secum hanc adolescentulam, quæ nunc est apud Sostratam uxorem tuam.* Ch. *Quid inde colligis?* Sy. *Clinia orat ut illa meretrix det nunc sibi illam puellam, tamen ipse Clinia spondet se daturum illi Bacchidi*

Ad verba, *Immo si scias* in Br. notat Bruns, 'addit. supra lineam *hoc.*' Bip. *Immo, si scias. Vah! quod inceptat f.*—40 Both. *Hic; ei d. h. a.* Fa. Bip. *hæc argenti. Arg. hæc* universi Bent. 'Mss. quidam, *mutuo.* Vulgatum defendit J. F. Gronovius, de Sestertiis III. 1. legens, *dedit.* West. *Mutuo* Guelf. 2. 3.—41 M. et Bœnd. cum EA. *reliquit ei filiam.* West. Script. *reliquid;* ac sæpe ita Guelf. 2.—43 Alii: *ea quæ.* West. '*Ea quæ est nunc ad ux. tuam.* Bem. Vi. et Decurtatus, *apud uxorem.* Bas. et alii *ad*, quod magis placet.' *Fa.* 'Plures ex nostris *ad:* sed placet *apud.* Et deinde pro *ea quæ est*, repone, *eam quæ est.*' Bent. Ita et Bothius. Perl. *ea quæ e. n. ad u.* Z. *ea quæ e. n. apud u.*—44 Mss. quidam: *Clinia orat, sibi ut nunc det* Tr. *illi tamen Post daturus.* Longum est, varias variorum interpretationes vexatissimi hujus loci referre. Mihi ita legendus et distinguendus videtur: *Cliniam o. sibi uti id nunc det: illam illi tamen Post daturum mille nummum poscit.* West. 'Ch. *Quid tum?* Sy. *Clinia orat sibi uti nunc det illam: illi tamen Post daturum mille numum poscit.* Qui præcedentia bene consideravit, id est, 'pessima hæc est meretrix:' et 'vide quod inceptet facinus;' cum postea viderit eam nihil moliri, nihil omnino agere, neque mali, neque boni, nimirum existimabit locum esse corruptum; quem nos ex auctoritate librorum antiquissimorum, Vaticani et Bembini, ita emendamus, ut pro *Clinia Cliniam*, pro *daturum daturam*, legamus: quod posterius etiam in libro Victoriano est, et eo amplius ex Vaticano et Basilicano et nonnullis aliis, pro *uti nunc, uti id nunc:* itaque distinguemus: Ch. *Quid tum?* Sy. *Cliniam orat, sibi uti id nunc det: illam illi tamen Post daturam mille numum*

NOTÆ

40 *Drachmarum argenti mille*] Drachma Attica, et denarius Romanus sunt ejusdem æstimationis sex assibus Turonensibus. Mille drachmæ valebunt centum Coronatis Gallicis, aut trecentis libris Turonensibus. Construitur autem mille substantivum cum genitivo utroque numero; Mille nummum: Mille talentum, pro nummorum et talentorum. Ovidius XIII. Metamorph. 'Est aliquid de tot Graiorum millibus unum A Diomede legi.' Aliquando mille adjectivum est pluralis numeri tantum et indeclinabile, ut, mille drachmæ, mille nummi.

42 *Relicta huic arrhaboni est*] Arrhabo, et arrha, est id quod dari solet ad confirmationem contractus; aliquando idem quod pignus, ut hic sumitur.

Post daturam: mille nummum poscit. Ch. Et poscit quidem! Sy. Hui!
Dubium id est? Ch. Ego sic putavi: quid nunc facere cogitas?
Sy. Egone? ad Menedemum ibo: dicam, hanc esse captam ex Caria,
Ditem et nobilem; si redimat, magnum inesse in ea lucrum.
Ch. Erras. Sy. Quid ita? Ch. Pro Menedemo nunc tibi ego respondeo:
Non emo: quid ais? Sy. Optata loquere. Ch. Atqui non est opus.

mille nummos, quos ipsa poscit. Ch. *Et poscit quidem Bacchis tantum argenti?* Sy. *Hui! an dubium est quin illa poscat hanc summam?* Ch. *Ego non dubito. Quid nunc, Syre, facere cogitas?* Sy. *Quid faciam quæris? conveniam Menedemum, dicam hanc adolescentulam esse captam et advectam e Caria, locupletem, et clari generis et multum lucri illum quæsiturum ex ea, si det mille drachmarum pro ejus redemtione.* Ch. *Falleris.* Sy. *Quid ita? Nego Menedemum tanti puellam redemturum, et loco Menedemi, tibi nunc respondeo: Nolo emere: quid dicis?* Sy. *Loquere nobis grata verba, et nostris votis commoda.* Ch. *Certe non est usus eam*

poscit.' Fa. 'Mendosa lectio jam a multis sæculis rem obscuravit. Revocabo tibi sepultam illam scripturam: *Quid tum?* Sy. *Cliniam orat, sibi ut id nunc det; illa illi tamen Post datum iri mille nummum præs sit.* Ch. *Et præs sit quidem?* Sy. *Hui Dubium id est? ego sic putavi.* Ch. *Quid nunc facere cogitas?*' Bent. '*Clinia.* Sic omnes nostri, quod elegantius vulgato *Clinium.* Ceterum locus difficilis: vulg. sic se habet: *sibi uti id nunc det: illam illi tamen Post daturam m. n. poscit.* Codd. parum juvant, nisi quod A et B *exposcet*, C *et poscet*, ut Faërni quoque nonnulli libri. Aliquid hic turbatum esse, non est dubium.' *Both.* qui igitur ita emendat: *Clinia orat sibi uti nunc det (illam illi interim Præstituram) mille nummum; poscit.* Ch. *Et exposcet quidem? Clinia* Br. GM. Delph.—45 Non distinguunt post *daturam* Bip. Z. Delph. 'Vulg. *nummum poscit:* al. Mss. et edd. vett. *nummos p.* uti et dein: *et poscet quidem.* Scriptum primitus credas, *nummum spondet:* ac dein: *et spondet q.*' Bip. M. et Bœnd. *Exposcit.* GM. *Et poscet.*—46 *Dubiumne id est?* Bem. non habet particulam *ne*, sine qua melius procedit trochaicus, et personam Chremetis annotat post *putavi.* Fa. Ita et Perl. Bip. Both. *Dubiumne* Br. Guelf. 2. 3.—48 Mss. et impressi quidam, *m. in ea esse l.* West. 'Sic dedit Fa. quod a correctoribus venisse suspicio est. Quippe nostri codices universi cum edd. vett. *m. in ea esse l.* Repono: *m. esse in ea re l.*' Bent. 'Vulg. *in ea* minus usitate. *In eo* i. e. in ea re. B, C *inesse*, sicut vulg. Hel. *magnum ei esse l.*' Both. qui dat, *m. inesse in eo l.* Br. *m. in ea esse l.* Perl. *m. esse in ea l. Hab. et* in loco verborum *in ea* Guelf. 2.—49 Quatuor hos postremos vss. expungit Guy. *West.* 'In Ms. R. *nunc* deest.' *Lind.*—50 Mss. et editi quidam, Sy. *Quid agis?* Ita et Calphurnius. *West.* 'Aliqui libri, *quid agis?* inter quos Bem. et Bas.' *Fa.* '*Non emo: quid agis?* Sy. *o. l.* Sic dedit Fa. et sic quidem plerique nostri. Sed duo, et vett. edd. *ais.* Recte: modo personam mutes: Ch. *Non emo.* Sy. *Quid ais? o. l.*' Bent. Ita et Both.

Sy. Non opus est? Ch. Non hercle vero. Sy. Quid istuc? miror. Ch. Jam scies.
Mane, mane! quid est, quod tam a nobis graviter crepuerunt fores?

emere. Sy. *Non est usus?* Ch. *Non est usus per Herculem.* Sy. *Miror quare hoc dicas.* Ch. *Statim cognosces: desine loqui, et audi. Quidnam est, propter quod fores nostræ t... strepitum ediderunt?*

Z. Bip. Delph. Perlet. Cod. Br. habet *Non emo: quid agis?*—51 Ch. *Atqui non opus est.* O. l. s. *non est opus:* liber vero Bem. hic sic notatas personas habet: Ch. *Qui.* Sy. *Non est opus.* Ch. *Non opus est.* Sy. *Non hercle vero.* Ch. *Quid istuc? miror.* Sy. *Jam scies. Mane, mane, &c.* hæc annotare placuit, si quis forte clariorem aliquem sensum possit elicere, quam ex impressa distinctione. *Fa.* '*Non opus est?* Lege ex aliquot nostris *Non est opus?* et pro *Quid istuc miror*, lege ex plerisque nostris, *Qui istuc, miror.*' Bent. Non interrogat Br. post *opus est.* Idem legit *Qui istuc? miror.* Both. *Non opus?* Ch. *N. h. v.* Sy. *Qui istuc, miror.* Cod. C, Bip. Perl. *Qui istuc, m.* Delph. *Qui istuc?*—52 Al. *crepuere.* Hunc vs. Syro tribuit Bent. Ita et Perl. Both. *Quid* pro *quod* legit Perl. et notat, 'Libb. antiq. *quod*, prave.' 'Versus hic conjungit scenam sq. qua superveniet Chremetis uxor cum nutrice. Contra omnem sensum edd. plerique eam ab hoc Actu dividunt, et quarti Actus principium esse jubent. Nos cum Daciera ad Act. III. retrahimus; additam habet ed. vet. c. figg.' *Bip.*

ACTUS IV. SCENA I.

SOSTRATA. CHREMES. NUTRIX. SYRUS.

So. Nisi me animus fallit, hic profecto est annulus, quem ego suspicor;
Is, quicum exposita est gnata. Ch. Quid volt sibi, Syre, hæc oratio?
So. Quid est? isne tibi videtur? Nu. Dixi equidem, ubi mihi ostendisti, illico,

So. *Nisi animus errat, hic certe est annulus, quem ego opinor esse; is est, cum quo filia mea exposita fuit.* Ch. *O Syre, quid hic sermo uxoris meæ significat?* So. *Quid est, o nutrix, isne tibi videtur?* Nu. *Dixi eum esse ubi primum mihi eundem*

1 Cum Chremes et Syrus in proscenio remanserint, non videtur Mureto hic novi Actus initium esse. *West.*—3 So. *Quid est?* Hæc Guy. in glossis Mss. Syro tribuit, respondenti ad illa Chremetis, 'Quid volt sibi, Syre,

Eum esse. So. At ut satis contemplata modo sis, mea Nutrix. Nu. Satis.
So. Abi jam nunc intro, atque, illa si jam laverit, mihi nuntia:
Hic ego virum interea opperibor. Sy. Te volt: videas, quid velit.
Nescio, quid tristis est: non temere 'st: metuo, quid siet. Ch. Quid siet!
Næ, ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit.
So. Ehem! mi vir. Ch. Ehem! mea uxor. So. Te ipsum quæro. Ch. Loquere, quid velis.
So. Primum hoc te oro, ne quid credas me advorsum edictum tuum
Facere esse ausam. Ch. Vin' me istuc tibi, etsi incredibile 'st, credere?
Credo. Sy. Nescio quid peccati portet hæc purgatio.
So. Meministin' me esse gravidam, et mihi te maxumopere dicere,

ostendisti. So. *At diligenter vide, ut eum satis modo intuita fueris.* Nu. *Satis eum intuita sum.* So. *Jam abi intro domum, et mihi refer, si illa Antiphila jam laverit. Interea hic expectabo maritum.* Sy. *Chreme, uxor tua te quærit, videas quid velit. Ignoro qua de causa mæsta sit. Non sine causa id contingit. Metuo quid sit.* Ch. *Quid sit? Ista fœmina summopere se fatigabit, in nugis proferendis.* So. *Ehem, mi vir.* Ch. *Ehem, mea uxor.* So. *Quæro teipsum.* Ch. *Dic quid est, quod velis.* So. *In primis hoc a te postulo, ne me credas ausam esse aliquid facere contra jussum tuum.* Ch. *Visne me credere istud tibi? credo, quamvis non credendum sit.* Sy. *Nescio quid culpæ ferat hæc excusatio.* So. *Recordarisne cum essem gravida, te*

hæc oratio?' Codices vero omnes, quos vidi, tribuunt Sostratæ. Guy. expunxit in suo codice τὸ *mihi*, quod est in plerisque omnibus Mss. et editis vetustis. *Idem.* *Esse* post *videtur* Guelf. 1.—4 Mss. et editi quidam vetustissimi, *At vide, ut satis.* West. Bent. reponit, *At satis ut.*—5 Omnes libb. s. ap. Fa. et Bent. *Abi nunc jam.* Ita et Br. Both. Bip.—7 O. l. s. *quid sit*: ita bene versus procedit: sed hoc amplius Bem. et Vi. pro *metuo*, *timeo* habent. *Fa.* 'Nostri omnes *metuo*, et *sit*.' Bent. *Metuo quid sit* Br. Perl. Bip. Both. Delph.—8 EP. non agnoscit τὸ *jam*.—9 Mss. quidam *Hem* pro *Ehem*. —10 Ms. R. *P. hoc oro.* Guelf. 2. *hæc* et *adversus*.—11 Br. *Vis.* Bem. *et incredibile est*.—12 Omnes fere l. s. inter quos Bem. et alii antiqui, *portat*. Fa. 'Nostri quoque *portat*.' Bent. *Portat* Br. Perl. Bip. Both. Delph.—13 *Dicere.* Pro eo Mss. Leidenses quatuor, Bœnd. Tr. et Bodl. sed et ex editis præter EP. et EA. etiam Veneti, Juntarum, Rob. Stephani, Aldi, Davent. Antesignani, aliorum, legunt *interminatum*: quæ glossa videtur τοῦ 'edicere.' *West.* *Maximo opere interminatum* G. *Idem in Add.* '*Mihi te magnopere interminatum.* Omnes quotquot sunt l. s. *maximopere int.* Soli Bem. et Vi. *maxumo opere dicere*: quam antiquam et veram esse lect. puto.' *Fa.* 'Lege,

Si puellam parerem, nolle tolli? Ch. Scio quid feceris:
Sustulisti. Sy. Si sic factum est, domina, ergo herus damno auctus est.
So. Minime: sed erat hic Corinthia anus, haud impura: ei dedi

mihi maxime minatum esse, si parerem puellam, nolle ut nutriretur? Ch. *Scio quid feceris; educasti eam.* So. *Ita factum est; educavi.* Sy. *O hera, si educasti puellam, herus ex hoc damnum percepit.* So. *Minime, sed vetula ex Corintho non inhonesta nec impudica hic habitabat; tradidi ei filiam meam exponendam.*

ejecto *esse*, et ex *dicere*, quod et Eug. habet, facto *edicere*: *Meministin me gravidam et mihi te maxumo opere edicere. Interminatum*, quod libri nostri habent, ex interpretatione venit.' *Bent.* 'Vulg. *me esse g. e. m. t. max. dicere.* Bent. *me grav. . . . edicere*: et *edicere* quidem legitur in Bem. et Vi. sed ceteri, quotquot innotuerunt, codd. etiam Berolinenses omnes et Hel. *max. op. interminatum*, quod cur spreverint, non video: certe, cum modo 'edictum' habuerimus, putide infertur *edicere*, et aptissime usurpatur trochaicus plenus: *esse* officit versui, quod vidit Bent.' *Both.* qui inde legit *Meministin' m. g. . . . maxumo op. int.* Perl. *Meministin' m. g.* Br. *M. m. esse g. . . . max. op. int.* Bip. *M. m. g. . . . max. op. dicere.* Delph. *max. op. dicere.*—15 *Si sic factum est, domina, ergo herus damno auctus est.* Varie hæc leguntur. In quibusdam libris est, So. *Ita factum est.* Sy. *Sic est factum domina?* Ita Ms. Tr. In aliis: Sy. *Sic est factum: domina ergo, herus damno auctus est*: quam lectionem tuetur Acidalius. In edit. Amstelodamensi, anni 1618. ex recensione Heinsii, quæ servatur in Bibliotheca Lugduno-Batava, So. *Sic est factum.* Ch. *Domin'?* Sy. *Ergo herus damno auctus est*: quæ et Bembini Cod. lectio est. In aliis aliter, ut veram lectionem vix exputes: est autem in verbis, uti edidi, ex plusculis Mss. et antiquissimis impressis, elegans ὀξύμωρον. *West.* Bem. post *Sustulisti*, ita notatas habet personas: So. *sic est factum.* Sy. *domina ergo herus damno auctus est*: sed hæc lectio non videtur procedere, cum infra Sostrata dicat, 'minime.' Omnes alii libri, et antiqui et recentes, hæc omnia verba Syro attribuunt. *Fa.* 'Ch. *Sustulisti.* Sy. *sic est factum, domina: ergo herus damno auctus est.* Sic Fa. et libri nostri. Sed locum hunc non carere mendo recte suspicatus est Vir doctus: quid tamen ista ejus conjectura sibi velit, *dominæ ergo herus damno auctus est*, equidem non intelligo, nec de ea plura dicam; cum nesciam utrum velit, *dominæ herus*, an *dominæ damno?* Acidalius ad Paterculum sic corrigebat: *Sic est factum: domina ego, herus damno auctus est.* Ingeniose, hoc confitendum est: et ideo Guyetum plausorem sibi invenit. Syrus nova domina, Chremes damno, novæ scilicet dotis, auctus est. Quanquam autem juvenili jactantia Acidalius 'edicat omnibus sic esse scribendum,' liceat tamen mihi novam aleam periclitari. Repono igitur, *Sustulisti. Sic est factum: minor ergo herus damno auctus est.* Sic et olim legebat Eug.' *Bent.* *Sic est factum.* Ch. *Domin'?* Sy. *Ergo h. d. auctus est*, Bip. quæ sic notat 'Al. *Domina*; idque et a Syro dictum voluere; unde magnæ nugæ ab editoribus datæ ob Mss. inconstantiam. Nostrum invenit Heinsius.' Z. Sy. *Sic est f. domina.* 'Optime Bent. Eugraphium secutus, reposuit *minor* pro *domina*: sed recipienda quoque erat aliorum codd. (quibuscum facit noster A) lectio: *Si sic factum est, ergo* autem delendum: absorpsit conjunctionem antecedens personæ nota.' *Both.* qui igitur legit, *Sic si f. est, minor h. d. a. est.* Br. *Sic est factum? d. . . . auctus est?*

NOTÆ

15 *Ergo herus damno auctus est*] Propter dotem, quæ danda est filiæ.

Exponendam. CH. O Jupiter! tantamne esse in animo inscitiam !
So. Perii! quid ego feci? CH. Rogitas? So. Si peccavi, mi Chreme,
Insciens feci. CH. Id equidem ego, si tu neges, certo scio,
Te inscientem atque imprudentem dicere ac facere omnia:
Tot peccata in hac re ostendis: nam, jam primum, si meum
Imperium exequi voluisses, interemtam oportuit:
Non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitæ dare.
At id omitto: misericordia, animus maternus: sino.
Quam bene vero abs te prospectum est! quid voluisti? cogita.
Nempe anui illi prodita abs te filia est planissume,
Per te vel uti quæstum faceret, vel uti veniret palam.
Credo id cogitasti: quidvis satis est, dum vivat modo.

CH. *Proh! Jupiter! oportetne esse tantam ignorantiam in mente ullius?* So. *Perdita sum, quid commisi?* CH. *Quæris.* So. *Mi Chremes, si erravi, per imprudentiam, non dedita opera id feci.* CH. *Certum id sane est mihi, quamvis negares, te dicere ac facere omnia per ignorantiam; tot peccata tua in hoc facto ostendis. In primis si voluisses complere jussum meum, oportebat puellam interire, non verbis fingere eam esse mortuam, et re ipsa eam spe vitæ donare, cum posset fieri ut anus illam educaret, non exponeret. At id prætereo, te debuisse exequi meum imperium; misericordia, affectus maternus te impulerunt; concedo. Quam pessime vero providisti filiæ! quid voluisti facere? considera. Certe filia prostituta est omnino a te; vel ut quæstum turpiter corpore suo faceret, vel ut venderetur publice. Credo ita putasti; quidlibet eveniat, lucrum corpore faciat, sive serviat; satius est, quam*

Sic est f. Perl.—16 Al. *sed hic erat anus C. ... tantam esse.*—17 *Tantam esse* Bip. Perl. Bent. *Esse tantum* Both. sed notat, 'Operarum errore *tantum* legitur pro *tantam.*' *Tantam ne* Br. *Tantamne* Guelf. 2. et omnes codd. Bent. '*Inscitiam.* G. F. defendit *inscientiam.* Et laudat ex Ms. uno Bœclerus. Mihi in nullo repertum.' *West.*—18 Quidam libri τὸ *perii!* Chremeti tribuunt. *Idem.* 'Codices plerique omnes, *At rogitas?* quod majoris est indignationis.' *Bent.* Ita et Br. Bip. Perl. Both. Delph. Omitt. *si* Guelf. 1. Br. *O mi Chreme.*—19 *Id equidem ego, etiamsi tu neges.* Bem. non habet vocem *etiam*, quæ et versum impedit, et sensui non est necessaria: alii omnes libri habent, *etsi t. n.* quod et ipsum stare potest: præterea solus Bem. *equidem*, alii omnes *quidem* habent. *Fa.* 'Nostri omnes *Id quidem ego.*' Bent. Br. *Id q. e. etsi t. n. certe s. Id quidem ego* Perl. *Etiamsi* Er.—20 *Nescientem* Guelf. 3.—22 *Esse* post *interempt.* Idem.—24 Ms. R. *animus m. sino, te devicit.* Lind.—25 Vulg. *est: quid voluisti?* nulla distinctio utroque loco in codd. A, B. *Both.* qui igitur dat *prospectum est, quod voluisti, c.*—26 Legendum monet Bent. *Nempe illi anui.* Ita et Both.—28 Alii, *quidvis satius est.* Libri quidam: *quid vis? satis est.* West. '*Quidvis satius est.* O. l. s. *satis*

Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum atque æquum sciunt?
Melius, pejus; prosit, obsit; nihil vident, nisi quod lubet.
So. Mi Chreme, peccavi, fateor: vincor: nunc hoc te obsecro:
Quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior,
Ut meæ stultitiæ in justitia tua sit aliquid præsidî.
CH. Scilicet equidem istuc factum ignoscam: verum, Sostrata,
Male docet te mea facilitas multa. Sed istuc, quicquid est,

eam non vivere. Quomodo te geras erga eos qui nesciunt, neque rationem juste vivendi, neque quid honestum sit factu, neque æquitatem naturalem, quid juvet magis, quid magis noceat, nihil sibi proponunt, nisi quod eis placet? So. *O mi Chremes, erravi, confiteor delictum, jure arguor. Nunc tibi supplico, ut quanto tuus animus est ætate peritior, sit tanto promtior ad parcendum, ut tua æquitas aliquid auxilii præbeat simplicitati meæ.* CH. *Scilicet equidem, hanc culpam tibi condono; sed, o Sostrata, te male multa facere suadet mea lenitas. Sed quicquid*

est: ut et exigit versus.' *Fa.* 'Et nostri omnes *satis.*' Bent.—29 Legendum monet Bent. *illisce*, non *illis.* Ita et Both. *Neque* pro *aut* Guelf. 3.—30 Ms. Pal. 2. *an pros. an obs.* Prava lect. ac tam eleganti verborum concinnitati adversaria. *Perl.*—31 Al. *nunc te obsecro.*—32 *Natu gravior.* Hæc non placent Guyeto, integrum versum expungenti ut addititium, laudante Bœclero; quod nec explicari commode, nec connecti queat. Optime autem constabit sensus, si cum Mss. et editis quibusdam vetustissimis legas, *Tanto sit ignoscentior.* Nisi quod metro repugnat. Dacieria e Ms. Regio laudat, *Ignoscentior tanto sit.* [Ita esse in G. monet West. in Add.] Canterus *natu gravior, ignoscentior* legit. Doctiss. Wielingius integrum octonarium facit, legens: *Quanto tu es natu gravior, tanto animus sit ignoscentior.* West. 'Omnino *tanto* hic necessarium est, quod libri aliquot habent: nonnulli *tanto sis, tanto esto.* Tu repone: *Quanto tu me es annis gravior, tanto es ignoscentior.*' Bent. 'Etiam nostri libri agnoscunt *tanto*: cod. A in margine: 'al. *tanto esto ignoscentior.*'' Both. qui legit ut Bent. Br. *Q. t. e. a. ætate n. g. i.* 'Ms. R. *ignoscentior tanto sit.*' Lind. *Gnata* Guelf. 2. 'Mendum hic versus habere videtur a *natu*; sed id certe antiquum, quod jam Serv. ad Virg. Æn. IX. 201. refert. Guy. pro more expunxit versum, et Bent. pro lubitu male satis refingit: *Quanto tu me es annis gravior, tanto es ignoscentior.* Vett. scripti et edd. quidam addunt l. ante *ignoscentior*, l. post: *tanto sit.* Sed id glossema est, versumque excedit. Velimus *Quando tuus est animus natura æquior, ignoscentior.* Sed nil audemus contra vetustam lectionem.' *Bip.*—33 Plusculi Mss. omittunt τὸ *in.* West. 'Bem. præpositionem *in* addit post *stultitiæ*: quæ lectio quanto melior sit, omnes vident: ita etiam habebant Vi. et Bas. sed nunc *in* abrasum est.' *Fa.* 'Nostri universi *justitia tua* casu recto: et recte, ut Tacitus 'Sibi quisque præsidio,' et alii passim. *In justitia*, quod Bembinus exhibet, vel ideo rejiciendum quod in ambiguum cadat, nec ab 'injustitia' sono distingui possit.' *Bent.* *In* omittit Br. Bothius legit, *Injustitiæ meæ ut justitia t. s. a. p.* 'Bem. *in.* Sed *justitia t.* nominativus est. Placet igitur Bembini lectio *in*, præsertim si *in* et *justitia* junctim compre-

Qua hoc occeptum 'st causa, loquere. So. Ut stultæ et misere omnes sumus

Religiosæ; cum exponendam do illi, de digito annulum

Detraho; et eum edico, ut una cum puella exponeret;

Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.

CH. Istuc recte: conservasti te, atque illam. So. Is hic est annulus.

CH. Unde habes? So. Quam Bacchis secum adduxit adolescentulam. SY. Hem!

CH. Quid ea narrat? So. Ea lavatum dum it, servandum mihi dedit.

Animum non advorti primum; sed, postquam aspexi, illico

Cognovi: ad te exsilui. CH. Quid nunc suspicare, aut invenis

istud est quod narrasti de exposita filia, dic qua occasione inceptum est. So. *Ut omnes nos mulieres sumus inconsultæ et superstitiosæ, cum do illi anui filiam exponendam, eximo annulum de digito, et præcipio illi ut exponeret puellam cum annulo: si illa interiret, ut aliquam partem bonorum nostrorum haberet.* CH. *Fecisti istud recte, sic servasti te, ne faceres contra religionem; atque illam, ne moreretur.* So. *Ecce hic est annulus.* CH. *A quo eum recuperasti?* So. *Habeo ex adolescentula, quam Bacchis adduxit secum.* SY. *Hem!* CH. *Quid ea refert?* So. *Dum hæc Antiphila it lavatum, tradidit mihi illum, ut servarem. Quamprimum animo non attendi; sed postquam aspexi, statim agnovi, et exultans ad te veni.* CH. *Quid conjicis esse, aut quid reperis indicii de illa adolescentula?* So.

hendatur; ut sit, 'injustitia.'' *Perl. Injustitia tua.* Delph.—35 Both. *Mala docet mea facilitas te multa.* Bodl. *quid est.* Br. *sed istud.* Abest *istuc* Guelf. 2.—36 EP. *hoc ceptum.* In editis antiquissimis est *stultæ et miseræ:* quod perperam ex Msstorum *stulte et misere* expressum, cum utrumque videatur esse adverbium. *West.* 'Lege ex R. *eloquere.* Et pro *stultæ et misere* lege ex duobus nostris veterrimis *stultæ et miseræ.*' Bent. Ita et Perl. Br. habet, *hoc cæptum . . . stultæ et miseræ.* Both. *eloquere. Eloquere . . . stulte et misere.* Bip. quæ notat, 'Al. *stultæ et misere . . . superstitiosæ.*' Z. *stultæ et miseræ.* Delph. *stulte et misere.*—40 *Hic est annulus.* O. l. s. *Hic is est.* Bem. et Vi. quos et sequimur, *Is hic est.* Fa. 'Nostri *Hic is est*, accentu meliore.' *Bent. Hic is est* Br. Perl. Bothius, *Hic is annulus.*—41 M. et Bœnd. *adduxit, ex adolescentula.* Sed τὸ *ex* glossema videtur, quia Mss. plurimi omittunt. *West. Ad adolesc. ac tulit* Guelf. 3.—42 Al. *Quid illa.*—43 Sunt Mss. plurimi, in quibus est *Annulum: non advorti primum.* Ita EA. et EP. nisi quod habent *primo.* Idem est in Bodl. et Bœnd. Hanc lectionem Mur. illam Fa. defendit. *West.* '*Annulum n. a. primo.* Bem. et V. pro *Annulum* habent *Animum:* ita optime procedit trochaicus, aliter impeditus: sane pro *primo*, Bem. habet *primum.*' Fa. 'Duo ex melioribus nostris *Animum*, et itidem *primum.*' Bent.

NOTÆ

42 *Lavatum*] Secundum antiquos: nos dicimus 'lotum.'

De illa? So. Nescio; nisi ut ex ipsa quæras, unde hunc habuerit,

Si potis est reperiri. SY. Interii! plus spei video, quam volo.

Nostra est, ita si est. CH. Vivitne illa, cui tu dederas? So. Nescio.

CH. Quid renuntiavit olim? So. Fecisse id quod jusseram.

CH. Nomen mulieris cedo quod sit, ut quæratur. So. Philtere.

SY. Ipsa est: mirum ni illa salva est, et ego perii. CH. Sostrata,

Sequere me intro hac. So. Ut præter spem evenit! quam timui male,

Nescio, nisi ut exquiras ab ea unde acceperit hunc annulum, si id potest sciri. SY. *Occidi, video plus esse spei, de agnitione filiæ, quam volo. Si ita est, ut refert Sostrata, hæc adolescentula est de nostra familia.* CH. *Vivitne illa anus cui tu tradideras filiam tuam?* So. *Nescio.* CH. *Quid illa retulit tibi quondam se fecisse, postquam ei dederas filiam exponendam?* So. *Retulit se fecisse id quod jusseram, scilicet, se puellam exposuisse.* CH. *Dic quod sit nomen anus, ut quæratur illa.* So. *Philtere est nomen ejus.* SY. *Ipsa est, a qua Antiphila educata est. Mirum est, ni illa anus est incolumis, et ego perii.* CH. *Sostrata, sequere me domum hac via.* So. *Ut contra quam speravi evenit!*

Br. *Annulum n. a. primo.* *Primo* Guelf. 3.—44 Br. *Agnovi.*—45 In Bem. non est particula *ut*, qua sublata versus nihilominus stat, et sensus est optimus, exponendo 'nisi' pro 'sed:' ut sæpe in hoc Auctore. *Fa.* 'Nostri omnes: *n. ut ex ipsa.*' Bent. qui tamen *ut* omittit. Omittunt etiam Bip. Z. Both. Delph.—46 Libri quidam scripti et impressi, *Si potest.* West. Ita Br. *Reperi* Guelf. 2. Both. *spe v.*—48 So. *Fecisse id quod jusseram.* Præstat hæc lectio præ illa quorundam Librorum: CH. *Quid renuntiavit olim fecisse?* So. *Id quod jusseram.* EA. *id quod miseram.* West. '*Quid renuntiavit olim?* Post hæc verba annotata est in libro Bembino persona Sostratæ, recentiori tamen manu: ita prius erat et in Vi. sed deinde ut in vulgata lectione, mutatum est.' *Fa.* Br. τὸ *fecisse* Chremeti tribuit. Ita et Bip. Delph.—49 Legendum monet Bent. *mulieri;* quod etiam dat Both. Br. legit *Filtere.*—50 *Ipsa est*] GM. præmitt. *Si*, quod nusquam alibi invenio. *Perl.* Br. *I. est: mirum est ne.* Ubi notat Bruns, 'Edit. omitt. *est* et pro *ne* habent *ni.* Sed lectio codicis placet, modo interpungatur post *est*, et *ne* habeatur scriptum pro *næ*, uti in ed. Bent. hæc vocula scribitur.'—51 In Bem. non est dictio *hac:* qua sublata versus stabit, non faciendo synalœpham in *me intro:* eo magis quia Antiqui dicebant *med intro.* Fa. 'Omnes nostri *intro hac:* neque aliter stabit versus.'

NOTÆ

46 *Interii*] Nolebat Syrus Antiphilam agnosci tam cito filiam a Chremete, ne occasio præriperetur auferendi ab illo argentum, et ne vapularet, si cognosceret Bacchidem esse amicam Clitiphonis filii.

Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollenda, Chreme!
CH. Non licet hominem esse sæpe ita ut volt, si res non sinit.
Nunc ita tempus est mihi, ut cupiam filiam: olim nihil minus.

quam misere timui ne nunc ita immitis esses, ut olim fuisti, cum filiam tolli et nutriri noluisti. CH. *Non esse licet hominem sæpe, ut ei libet, si res patiatur: ita nunc fert conditio temporis, ut cupiam filiam habere; sed olim nihil minus, re familiari non permittente.*

Bent. *Hac* omittit Delph.—52 Bem. *tollendo:* quod et melius videtur. *Fa.* *Tollendo* dant Bent. Perl. Z. Bip. Both. Delph.—54 Legendum et distinguendum monet Bent. *Nunc ita tempus fert, mi ut cupiam:* quod probat Bothius. Br. Delph. legunt *tempus est, mihi.*

ACTUS IV. SCENA II.

SYRUS.

NISI me animus fallit, haud multum a me aberit infortunium:
Ita hac re in angustum oppido nunc meæ coguntur copiæ;
Nisi aliquid video, ne esse amicam hanc gnati resciscat senex.

SY. *Nisi mens in præsagiendo me decipit, mala fortuna non longe erit a me; adeo per Herculem mei conatus vehementer in arctum redacti sunt, nisi provideo, ut Chremes non cognoscat hanc Bacchidem esse amicam filii sui; nam nihil est*

Hanc Scenam superiori jungit Mur. Atque ita est in libris antiquis, et quibusdam Mss. *West.* Ita et Both. In ed. Bip. hic incipit Act. III. Sc. VI.—1 Ne versui syllaba deficiat, lege *haud permultum,* aut, *haud perlonge;* quam lectionem Eug. habuisse videtur. *Bent.* Mss. quidam *abierit.* West.—2 Videtur cum Mss. quibusdam legendum, *Ita hercle.* In Ms. Lips. et Bœnd. est utrumque *Ita hac re hercle.* Et ed. Paris. 1552. ad marginem habet *hercle.* Qui *in augusto* legunt libri, a librariis corrupti sunt, referentibus ad 'oppido,' quasi substantivum. Licet adverbium inde ortum, quod 'oppido' bonum vocarent rustici, h. e. urbi, omne magnum et excellens. *Idem.* Both. *Ita in augustum hercle.* Bip. Delph. *Ita hercle in angustum.*—3 *Nisi aliquid video.* Sic And. II. 2. 36. Bœnd. et M. *Nisi aliquid provideo.* Mss. alii *N. a. videro.* West. 'Lege: *aliqui video* vel *aliqua,* hoc est, aliqua via, ratione.' *Bent.* 'Vulg. *aliquid:* correxit Bent. Cod. A non *video* sicut vulg. sed *provideo,* quod versum sanat. *Both.* qui inde

Nam quod de argento sperem, aut posse postulem me fallere,
Nihil est: triumpho, si licet me latere tecto abscedere.
Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam subito e faucibus.
Quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineunda 'st mihi.
Nihil tam difficile 'st, quin quærendo investigari possiet.
Quid, si hoc nunc sic incipiam? nihil est: quid, si sic? tantundem egero.
At sic opinor: non potest: immo optume. Euge! habeo optumam.
Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argentum tamen.

unde ullam spem habeam auferendi argenti, aut fallendi senis. Victoriam obtineo, si mihi conceditur tuto, et sine plagis elabi. Angor animi, quod tam bonum frustum mihi ex gutture tam repente extractum sit, id est, tanta opportunitas extorquendi argenti a sene. Quid faciam, aut quid excogitem? Inveniendum denuo mihi est aliud commentum. Nihil est tam impeditum, quod non possit conando expediri. Quid erit si nunc sic ordiar? tale figmentum nullius momenti est. Quid erit si hoc pacto faciam? non amplius profecero: at censeo sic posse fieri: minime potest: immo vero perbelle fieri potest. Eia scio bonam pecuniæ eliciendæ rationem. Per Herculem, ad me, ut puto, reducam pecuniam eandem illam, quæ tanquam mancipium fugitivum a me se proripuit.

legit *Nisi provideo, ne.*—4 Al. *quod sperem de argento.* M. *fallere herum.*—5 R. Stephanus ed. in 8. anni 1545. ita exhibet: *si licet me latere tecto, discedere:* quasi τὸ 'latere' verbum sit, non nomen. *West. in Add.* Bip. *latere tecto, absced.* Br. *scilicet me latere, tecto abs.*—6 Lege ex duobus nostris, *Crucior bolum mihi tantum e.* Bent. Ita et Perl. Both. In quibusdam Mss. est: *mihi esse ereptum t. s. ex faucibus.* West. Ita Br. In Z. et Both. *desubito.*—8 *Est* abest vulg.—9 *Nunc.* Turbat octonarium, atque abest a quibusdam Mss. in aliis deletum. *West.* Vulg. *Quid, si hoc sic incipiam nunc?* Bem. Bas. et Vi. habent, *Quid, si hoc nunc s. i.* Pro *egero* Bent. reponit *ago.* 'Vulg. *quid, si sic?* m. l. *Sic* subaudiendum est, non scribendum; natum id, ni fallor, ex 'si.' Bent. pro *egero* reponebat *ago,* minus quidem probabiliter.' *Both.*—10 *Euge optimam habeo*] Bem. *habeo optimam:* ita et Vi. et Bas. quæ collocatio numerosior est. *Fa.* Sic et nostri libri. *Bent.* Br. *Immo optume est. Euge optumam habeo.* 'Ms. Lips. *habeo: euge! optimam habeo.* Itid. GM. injecto *est.* Qui leg. et colloc. ita, *Immo optume est, euge, optimam habeo.*' Perl. *Est* post *optume* Guelf. 2.—11 Al. *illud idem.* '*Tamen*] Fortasse valet, *tandem;* sed ἐπέχω. Guy. in Gloss. Mss.' *West.*

ACTUS IV. SCENA III.

CLINIA. SYRUS.

CL. NULLA mihi res posthac potest jam intervenire tanta,
Quæ mihi ægritudinem afferat: tanta hæc lætitia oborta est.
Dedo patri me nunc jam, ut frugalior sim, quam volt.
SY. Nihil me fefellit: cognita est, quantum audio hujus verba.
Istuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor.
CL. O mi Syre, audistin' obsecro? SY. Quid ni? qui usque una affuerim.
CL. Cui æque audisti commodius quicquam evenisse? SY. Nulli.
CL. Atque ita me Di ament, ut ego nunc non tam meapte causa

CL. Nulla res tanta potest mihi accidere posthac, quæ animi molestiam mihi pariat; tanta lætitia mihi advenit. Trado me nunc totum in patris potestatem, ut fiam etiam frugalior quam cupit. SY. *Non erravi, cum ita esse judicavi: quantum enim intelligo verba hujus Cliniæ, Antiphila a parentibus agnita est: istud, ut optabus, evenisse valde gaudeo.* CL. *O mi Syre, quæso, audistine rem totam de agnitione Antiphilæ?* SY. *Cur non audiverim, qui fuerim assidue cum parentibus, quando eam recognoscebant.* CL. *Cui homini audisti tantum evenisse boni, ut mihi evenit?* SY. *Nulli.* CL. *Atque ita me Dii ament, ut non tam propter me ipsum*

In ed. Both. hic incipit Act. III. Sc. VI. In Bip. Act. III. Sc. VII.—1 Bothius legit, *Nullum mihi jam posthac potest intervenire tantum. Evenire* Guelf. 3. Abest *tanta* eidem.—2 *Adorta* Guelf. 2.—3 *Dedo patri me nunc: jam ut*] Sic Fa. sed distingue, *Dedo patri me nunc jam, ut.* Bent. Bothius legit, *Patri me dedo nunc jam, ut.* Non interpungit post *jam* Br.—4 Bodl. *ut audio.* Both. *hujus audio.*—5 Hic versus suspectus est Guyeto, scilicet quia Syrus secum loquitur, neque Cliniam alloquitur. Tum *ex sententia* eidem Guy. Latinum quidem videtur, sed *tua* suspectum est. *West.*—6 Bem. Bent. Perl. Both. Bip. *audisti.* Probat Fa. Vet. cod. ap. Lind. *usque nunc.*—7 *Æque commodius.* Hæc est lectio Juntarum. Et si ita scripsit Terentius, auctorem habuit Plautum, Capt. III. 5. 42. 'Nec est quisquam mihi, æque melius cui velim.' G. F. *παρέλκον* speciem facit. Codex Bem. pluresque alii habent, *commode.* Alii cum EP. præferunt *commodi.* Mss. variant. Mss. et editi quidam, *evenire:* non male. *West.* '*Cui æque audisti commodi quicquam evenisse?* SY. *Nulli*] Bem. et Vi. *commode*, quod magis placet: ut sit, quicquam magis evenisse, æque commode.' *Faërnus.* 'Recte hoc *æque commode:* nostri mendose *commodi.* Sed versus adhuc laborat. Lege, *Cuiquam æque. Cuiquam quicquam: Nunquam cuiquam:* in his placent sibi Comici.' *Bentleius*, qui igitur legit *Cuiquam æque a. commode q. e.* Probat Perl. *Commode* Bip. Delph. *Commodi* Br. Z. *Cuinam æque a. commode* Both.—8 Abest *nunc*

Lætor, quam illius, quam ego scio esse honore quovis dignam.
SY. Ita credo: sed nunc, Clinia, age, da te mihi vicissim:
Nam amici quoque res est videnda, in tuto ut collocetur;
Ne quid de amica nunc senex. CL. O Jupiter! SY. Quiesce.
CL. Antiphila mea nubet mihi. SY. Siccine mihi interloquere?
CL. Quid faciam, Syre mi? gaudeo: fer me. SY. Fero hercle vero.
CL. Deorum vitam apti sumus. SY. Frustra operam, opinor, sumo.
CL. Loquere; audio. SY. At jam hoc non ages. CL. Agam. SY. Videndum est, inquam,

lætor, quam propter illam Antiphilam, quam scio omni honore esse dignam. SY. *Credo sic esse, ut ais; sed, o Clinia, eia, age nunc, obsequere mihi, ut tibi sum obsecutus. Nam ut amici res extra omne periculum sit, etiam providendum est, ne senex Chremes sciat nunc aliquid de amica Clitiphonis Bacchide.* CL. *O Jupiter!* SY. *Mane.* CL. *Antiphila mihi dabitur in uxorem.* SY. *Sicne me interpellas loquentem?* CL. *O mi Syre, quid faciam? præ nimio gaudio non sum apud me; patere me.* SY. *Certe patior ægre quidem.* CL. *Acquisivimus vitam Deorum.* SY. *Operam perdo, ut puto.* CL. *Loquere, audio.* SY. *Sed statim me non audies.* CL. *Audiam.* SY. *Prospiciendum est quoque, ut jam antea dixi, ut res*

ante *non* Guelf. 2.—10 Br. *date.* sed notat Bruns, 'junctim legisse glossatorem, ex glossa patet.'—11 Ne versum hunc insititium credam cum Guyeto, facit manifesta repetitionis nota, 'inquam,' mox versu 17. Tum repetitio fit levi et eleganti variatione. *West.* 'Bem. *in tutum*, licet infra, *in tuto.*' Fa. 'Lege et distingue, *Nam amici quoque res, est videndum in tuto ut collocetur:* ut infra vs. 17. omnes nostri *in tuto.*' Bent. 'Bent. fing. *videndum*, sed contra morem, ut opinor, Poëtæ, per zeugma etiam h. l. jungentis. Eun. III. 5. 62.' *Perl.* *Clinia* post *Nam* Guelf. 3.—12 In EP. post *senex* additur *resciscat.* In Guelf. 3. *cognoscat.*—13 Alii, *me interloquere?* quod ex Festo probat G. F. et præfert ed. Pictaviensis ex recensione Melancthonis, et Ms. Lips. Itaque edidit R. Stephanus. Guy. *Siccine, Clinia, mihi interloquere?* ob metrum. *West.* 'Plerique libri *Siccine me.*' Bent. Ita GM. Br. Bip. *Siccine mi* Bent. Perl. Both.—14 M. *Fero h. fero.* Both. *F. h. sane.*—15 M. Bœnd. Ms. Lips. G. cum ET. EM. EA. EP. Junt. St. aliisque *adepti s.* Est autem *apti* ab apiscor, uti *adepti* ab adipiscor. *West.* '*Deorum vitam adepti sumus*] Bem. pro *adepti* habet, *apti*, a verbo 'apiscor:' quod idem est cum adipiscor: ita optime procedit octonarius iambicus catalecticus sine ulla licentia: quod si quis maluerit *adepti*, sic quoque stare versus potest, si ea dictio, p eliso, fiat anapæstus: quod vero sequitur, *Frustra operam hanc opinor sumo*, ab libro Bas. et omnibus fere recentibus abest dictio *hanc*, et in Vi. deleta est, ut et nos delemus: numerosiore ob hoc versu; sic enim iambum in quarta habet. Bem. et alii antiqui eam vocem habent, sed ita collocatam, ut versus stare non possit.' *Fa.* 'Recte hoc. Nostri perperam *adepti.* Ab

Amici quoque res, Clinia, tui in tuto ut collocetur:
Nam si nunc a nobis abis, et Bacchidem hic relinquis,
Senex resciscet illico, esse amicam hanc Clitiphonis:
Si abduxeris, celabitur itidem, ut celata adhuc est.
Cl. At enim istoc nihil est magis, Syre, meis nuptiis adversum:
Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam? Sy. Quid ni?
Cl. Quid dicam? quam causam afferam? Sy. Quin nolo mentiare.
Aperte, ita ut res sese habet, narrato. Cl. Quid ais? Sy. Jubeo.
Illam te amare, et velle uxorem: hanc esse Clitiphonis.
Cl. Bonam atque justam rem oppido imperas, et factu facilem;
Et scilicet jam me hoc voles patrem exorare, ut celet

amici tui Clitiphonis in tutum locum deducatur: nam si nunc discedis hinc a nobis, relicta hic Bacchide, statim Chremes repente cognoscet eam amari a filio: si eam tecum hinc a nobis duxeris, ipsa celabitur ejus esse amica, ita ut huc usque celata est. Cl. *Verum, o Syre, nihil magis contrarium meis nuptiis ista re, quam mones: nam qua fronte videbo patrem, ubi duxero mecum Bacchidem? Scis quid velim dicere.* Sy. *Cur non sciam?* Cl. *Quid dicam, aut quam rationem reddam?* Sy. *Etiam nolo eam reddendo, ut mentiaris. Clare, et vere exponito id, quod res est.* Cl. *Quid dicis?* Sy. *Volo significes te amare Antiphilam, et te eam velle habere uxorem, et Bacchidem esse amicam Clitiphonis.* Cl. *Suades vero rem valde bonum et æquam, nec factu difficilem; tu scilicet voles hoc me impetrare a Patre ut celet*

omnibus vero abest *hanc.*' Bent. *Apti* Bip. Both. *Z.* *Adepti* GM. Br. Delph. *Frustra op. op. hanc sumo operam* Guelf. 1. *Hanc* ante *frustra* 3. Deest *operam* 2.—17 Al. *res est:* ut sup. vs. 11.—19 Editi antiquissimi, vel *Noster*, vel *Noster senex.* Utrumque est in Mss. *Noster* G. ET. EM. *West.* 'Ex Bem. suo Fa. *Senex* edidit: alii omnes ubique *Noster*: recte: et *senex* ejus interpretamentum est.' *Bent.* *Noster* Br. Perl. *Senex* Both. Z. Delph. —21 Vir eruditus, 'numerorum,' inquit, 'gratia lubens legerem, *magis meis, Syre:*' sed sæpe ostendit horum se numerorum parum scientem esse. Velius Longus p. 2236. 'Antiqui dixerunt *miis* per i, non *meis* per *e*: ut Terentius: 'A. e. i. nihil est magis, Syre, miis nuptiis adversum.'' Eodem verborum ordine. *Bent.*—23 Concinnius fuerit: *Quid dicam? quid causæ afferam?* Id. In 'libris quibusd. *Quid? nolo mentiare.* [Ita Delph.] Do. tuetur lect. vulg. ad Eun. II. 1. 6.' *West.* Br. *Quid: nolo mentiare Aperte. Quid* improbat Bip. *Ut ment.* Guelf. 3.—24 Sic codicum quicquid ubique est. Sed vide quanto concinnius est, quod daturus sum, *Aperte, ita ut res sese habet, narrare.* Cl. *Quid ais?* Sy. *Jubeo: Narrare.* Dicturus erat Syrus 'Jubeo:' sed Clinia admiratione percussus interpellavit, dicendo 'Quid ais?' *Bent.* Probant Both. Bip. Perl. Abest *ita* Guelf. 3.—25 *Uxorem* ipsius lege versus primam hic corripit: indigna sane venia. Vide an fortasse scripserit, *Illanc amare*

Senem vostrum. Sy. Immo, ut recta via rem narret ordine omnem. Cl. Hem!
Satin' sanus es, aut sobrius? tu quidem illum plane prodis.
Nam qui ille poterit esse in tuto? dic mihi.
Sy. Huic equidem consilio palmam do: hic me magnifice effero,
Qui vim tantam in me, et potestatem habeam tantæ astutiæ,
Vera dicendo ut eos ambos fallam; ut, cum narret senex
Voster nostro, istam esse amicam gnati, non credat tamen.
Cl. At enim spem istoc pacto rursum nuptiarum omnem eripis:
Nam, dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam.
Tu fortasse, quid me fiat, parvi pendis, dum illi consulas.

senem vestrum Chremetem? Sy. *Quin potius ego volo, ut vere et sine diverticulis verborum rem, ut acta est, recenseat.* Cl. *Hem, satisne sanæ mentis es? an non temulentus? Certe tu prodis Clitiphonem. Nam quomodo poterit ille esse tutus, si pater ejus negotia resciverit? dic mihi.* Sy. *Certe huic meo commento primas defero; de hac re mihi placeo, et triumpho, qui habeam potestatem tantæ versutiæ et fraudis, ut dicendo vera hos ambos senes decipiam. Ut quando vester Menedemus, dicet nostro Chremeti istam Bacchidem esse amicam Clitiphonis, tamen Chremes nullam fidem dictis illius adhibeat.* Cl. *Sed certe rursus adimis mihi hoc modo omnem spem nuptiarum Antiphilæ; nam dum ipse Chremes credet hanc Bacchidem a me amari, non tradet mihi filiam suam uxorem. Fortasse tu, Syre, parum curas, quid fiet de me, dum modo provideas Clitiphoni.* Sy. *Quid (malum) putasne per*

et velle te uxorem: esse hanc C. Bent. *Hanc Bacchiden dicas esse Clitiphonis* Guelf. 3. cf. infra 5. 19. hæc fere ead.—27 Vulg. continue: *Et scilicet* ... Syro rectius *Et* tribuitur, pergenti imperare. *Both.* 'Bem. *orare*: quod magis videtur convenire: non enim tanta res erat ut magna mole precum impetranda esset: sed *orare*, versus ratio non admittit, nisi legas *orare patrem*: quæ collocatio etiam ex libro scripto est.' *Fa.* 'Si *orare* adsciscis; etiam hoc modo poteris: *Et scilicet jam me voles, hoc patrem orare ut celet.* Sed omnes nostri *exorare.*' Bent.—28 Both. *Senem* omittit, et pro *ut* legit *uti.* Interrogat Br. post *vostrum.* Vulg. *omnem* omittitur.—29 *Prodis.* Vox magis Terentiana, quam quæ a Fa. ex Bem. et aliis defenditur, *perdis.* West. 'Nostri omnes *prodis*: quod multo melius.' *Bent.* *Perdis* Bip. Delph.—30 Senarius hic intervenit, quia statim ad aliud versuum genus transiturus erat Syrus. Vir igitur eruditus, qui hinc forte excidisse putat *hoc si fecero*, ut hic versus par fiat sequentibus, tota via erravit. *Bent.* 'Par. ed. *ec. sero*, nescio unde.' *Perl.*—31 Both. *Huic quidem...hoc me.*—32 Nescio an Auctor dederit, *tantam astutiæ.* Vim tantam, et potestatem tantam. *Bent.* 'Verum divinavit Bent.' *Both.*—34 In Bem. venustior collocatio est, *esse istam.* Fa. Ita Bip. Perl. Bent. Delph. Both.—35 Bodl. Bœnd. cum EA. EP. aliisque *omnem mihi e.* West. Ita Br. et Guelf. 3.—37 Mss. et editi quidam: *Quid de*

SY. Quid? malum! me ætatem censes velle id assimularier?
Unus est dies, dum argentum eripio: pax! nihil amplius.
CL. Tantum sat habes? quid tum, quæso, si hoc pater resciverit?
SY. Quid si redeo ad illos, qui aiunt, quid si nunc cœlum ruat?
CL. Metuo quid agam. SY. Metuis? quasi non ea potestas sit tua,
Quo velis in tempore, ut te exsolvas: rem facias palam.
CL. Age, age, traducatur Bacchis. SY. Optume: ipsa exit foras.

longum tempus id velle fingi de Bacchide? Unum diem tantum postulo simulationi, dum argentum aufero: nullum amplius volo tempus. CL. *Tantum sat habes temporis ad pecuniam eripiendam? Quæso quid deinde sequetur, si Chremes hoc figmentum perceperit?* SY. *Quid si me remittis ad illos, qui dicunt; quid si cælum labatur deorsum?* CL. *Dubito, quid debeam agere.* SY. *Dubitas? quasi non habeas potestatem hanc, ut te liberes quando tibi libebit, et palam dicas te velle Antiphilam uxorem, et Bacchidem esse amicam Clitiphonis, non vero tuam.* CL. *Eia, age, Bacchis ad nos deducatur.* SY. *Optime: ipsa Bacchis domo Chremetis egreditur opportune.*

me fiat. Editio Anonyma, et ei ætate proxima, anni 1469. *Quid de me fiat, parum curas.* Mur. *parvi curas* defendit: quod plusculi libri præferunt. Consentit G. F. Latinius est, *parum curas.* Utrumque autem glossema videtur τοῦ *parvi pendis.* West. 'In Bem. et omnibus fere antiquis est *parvi pendis;* in recentibus, *parvi curas.*' Fa. Emendat Bent. *Tu fors quid me f. p. p.* 'In Reg. exempl. *parum curas:* atque ita in aliis vett. codd.' *Lind.* 'Vulg. *parvi pendis,* vel *curas,* ut nostri: nempe utrumque glossema est, intelligendumque 'facis:' omissum id Græcorum more.' *Both.* qui igitur legit *T. fortasse, me q. fiat, parvi, d. i. c.* Leg. *curas* pro *pendis* Guelf. 2. *Curas* Br. Delph.—38 Mss. quidam, *tandem* pro *ætatem:* sed et EP. cum EA. aliisque. *West.* Ita et GM.—39 *Effero* pro *eripio* Guelf. 3.—40 Non interrogat Br. post *habes.* *Senex* pro *pater* Guelf. 3.—41 EP. *qui dicunt.* Parum abest, quin rideam Guyetum, legentem: *Quid si rideo illos;* citra Mss. et impressorum Codd. fidem. Ut autem, quod sentio, dicam, parum mihi boni sensus esse videtur, seu legas, *quid si redeo,* seu, *quid si rideo.* Lego igitur, et distinguo: *Quid si? redeo ad illos, qui aiunt, quid si nunc cœlum ruat?* West.—43 Vet. cod. ap. Lind. *et rem facias.*

ACTUS IV. SCENA IV.

BACCHIS. CLINIA. SYRUS. DROMO. PHRYGIA.

BAC. SATIS, pol, proterve me Syri promissa huc induxerunt;
Decem minas, quas mihi dare pollicitus est: quod si is nunc
Me deceperit, sæpe obsecrans me, ut veniam, frustra veniet.
Aut cum venturam dixero et constituero; cum is certo
Renuntiarit, Clitipho cum spe pendebit animi;
Decipiam, ac non veniam: Syrus mihi tergo pœnas pendet.
CL. Satis scite promittit tibi. SY. Atqui tu hanc jocari credis?

BA. *Per Pollucem satis inepte, et inconsiderate, promissa Syri me huc ad Clitiphonem induxerunt, propter decem minas quas Clitipho promisit se mihi daturum. Quod si Syrus nunc fefellerit me, ipse sæpe mihi supplicans, ut Clitiphonem veniam, frustra veniet. Aut postquam promisero me venturam, et tempus præfixero, isque Clitiphoni retulerit certum id fore, Clitipho vero ut veniam sperans, cum anceps animi pendebit, fallam eum, nec veniam, ut constitueram ei. Tum vero Syrus persolvet mihi pœnas dorso suo.* CL. *Bacchis promittit tibi Syre satis lepide, se effecturam ut pœnas luas, si eam decipis.* SY. *Sed certe, an tu credis Bacchidem*

In ed. Both. hic est Act. III. Sc. VII. in Bip. III. Sc. VIII.—1 M. et Par. pro var. *adduxerunt.* Post *induxerunt* cum commate distinguunt Br. Bent. Both. Bip. Delph. et Perl. qui ita lectorem monet: 'Cave ne ponas cum quibusdam post *indux.* distinctionem commate pleniorem. Intellige potius et construe, 'Decem minæ quas,' &c. quomodo Andr. Prol. 3. et 26.'—2 *Propter* ante *decem* Guelf. 3. M. *Decem ob minas.* Bent. Both. Perl. ob versum reponunt, *dare est pollicitus.* Bip. *quas mihi daret, pollicitu' st.*—3 *Me deceperit.* Ratio versus requirit, ut dictio *me* præcedenti versui ascribatur, et in eum modum eam habent omnes libb. script. *Fa.* Ita quoque habent Perl. Both. Bip. Delph. 'Vulg. *ut veniam:* sed ineleganter componuntur 'ut veniam, frustra veniet.' Huc pertinet Goveani lectio, codicibus, ut reor, debita: *aut frustra veniet.*' Both. qui inde legit, *ut veniat, f. v.*—4 Al. *certe.*—5 *Renuntiarit.* Ita Mss. plurimi et editiones optimæ. Et præcessit 'dixero' et 'constituero.' Unde male vulgo *Renuntiavit.* West. Bent. legendum monet *Renuntiabit,* probante Perl. 'Plenior videtur lectio libri Bembini, *cum in spe.*' Fa. Ita et dant Bent. Perl. Both. Bip. Z. Delph. *Et* ante

NOTÆ

1 *Promissa huc induxerunt*] Sic explico; Satis pol proterve me Syri promissa ad Clitiphonem huc duxerunt, in decem minas; id est, ad decem minas accipiendas quas Clitipho pollicitus est dare mihi.

2 *Decem minas*] Mina continet centum drachmas. Drachma valet sex assibus Turonensibus: valet igitur mina triginta libras Turonenses, et decem minæ valent trecentas ejusmodi libras, vel centum Coronatos.

Faciet, nisi caveo. BAC. Dormiunt: pol ego istos commovebo.
Mea Phrygia, audisti, modo iste homo quam villam demonstravit
Charini? PH. Audivi. BAC. Proximam esse huic fundo ad dextram? PH. Memini.
BAC. Curriculo percurre: apud eum miles Dionysia agitat.
SY. Quid hæc inceptat? BAC. Dic me hic oppido esse invitam, atque asservari;
Verum aliquo pacto verba me his daturam esse, et venturam.
SY. Perii hercle. Bacchis, mane, mane: quo mittis istanc? quæso!
Jube, maneat. BAC. I. SY. Quin est paratum argentum. BAC. Quin ego maneo.
SY. Atqui jam dabitur. BAC. Ut lubet: num ego insto? SY. At scin' quid, sodes?

hæc joco dicere? Faciet id quod minatur, nisi providero ut illi pecunia subducatur a sene nostro. BA. *Desides sunt atque otiosi: ego excitabo istos (Cliniam et Syrum). O Phrygia mea, audistine, quam villam Charini iste homo paulo ante indicabat?* PH. *Audivi.* BA. *Audivistine eam esse vicinam huic prædio dextrorsum?* PH. *Recordor istum hominem ita demonstrasse.* BA. *Illuc celeriter curre uno cursu, sine intermissione. Miles celebrat Bacchanalia apud eum.* SY. *Quid hæc Bacchis de novo parat?* BA. *Nuncia illi me custodiri arcte apud Chremetem, contra voluntatem: verum me verbis decepturam illos qui hic me detinent, quovis modo, et ad eum venturam.* SY. *Mehercule nullus sum. O Bacchis, siste, siste, obsecro: quo mittis Phrygiam? Jube non eat quo missa est.* BA. *Phrygia, abi quo te jussi ire.* SY. *Immo, decem minæ sunt paratæ.* BA. *Immo, ego maneo.* SY. *Sed certe statim accipies pecuniam.* BA. *Quemadmodum tu vis. Detur nec ne, non curo amplius. Num urgeo, ut des?* SY. *Sed scisne, amabo, quid facias?* BA.

Clitipho, omisso *in* Guelf. 3.—8 M. *cavero.* Ita et EP. EA. aliæque. *West.* —9 *M. P. audistin, homo iste modo q. v. d.* Omnes libb. script. hanc collocationem habent, *audistin modo homo iste q.* at Bem. Vi. et Decurtatus hanc, *audistin modo iste h. q.* ita versui optime consulitur, ut etiam iambum habeat in quanta, eliso tamen *s*, ex 'iste,' ut sit in tertia dactylus: sane Bem. habet *audisti.* Fa. 'Omnes nostri *audistin*, et *homo iste.* Recte tamen Faërniani, *audistin, modo iste h.* 'Iste' primam hic corripit.' *Bent.* *Audistin* dant Both. Bip. Perl. Delph. *Audistin modo homo iste q. v. demonstrarit?* habet Br.—11 Idem legit *Dyonisia.*—12 Quidam codd. non agnoscunt τὸ *hæc.* West. Bent. reponit *Quid hæc cæptat.* Ita et Bip. Τὸ *hæc* omittunt Both. Z. Delph. Pro *asservari* M. et editi vett. cum Calph. legunt *servari.*—13 Vet. cod. ap. Lind. *atque venturam.*—14 Br. Bent. Bip. Perl. Delph. *istanc quæso?* GM. Both. *istam? quæso.* Guelf. 2. *nunc* post *istanc.*—15 Mss. quidam *Abi.* Ita et EP. cum EA. Ms. Lips. et Bœnd. *Quin ego hic maneo.* Neque aliter quædam edd. vetustissimæ. *West.* Nostri omnes *Abi:* quod

BAC. Quid? SY. Transeundum nunc tibi ad Menedemum est, et tua pompa
Eo traducenda est. BAC. Quam rem agis, scelus? SY. Egone? argentum cudo,
Quod tibi dem. BAC. Dignam me putas, quam illudas? SY. Non est temere.
BAC. Etiamne tecum res hic mihi est? SY. Minime: tuum tibi reddo.
BAC. Eatur. SY. Sequere hac. Heus, Dromo! DR. Quis me volt? SY. Syrus. DR. Quid est rei?
SY. Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad vos propere.
DR. Quamobrem? SY. Ne quæras: efferant quæ secum huc attulerunt.

Quid? SY. *Oportet transeas nunc ad ædes Menedemi, et tuus ancillarum comitatus eo traducatur.* BA. *O sceleste, quid moliris?* SY. *Quærisne, quid ego moliar? Pecuniam fabrico, quam tibi tradam.* BA. *Putasne me esse idoneam, quam derideas et fallas?* SY. *Non sine causa id ago.* BA. *Habeone quicquam negotii hic tecum?* SY. *Minime, sed solvo mox, tibi quod est promissum.* BA. *Eatur, si ita est, ut dicis.* SY. *Sequere me hac parte, Bacchis. Heus, Dromo.* DR. *Quis me appellat?* SY. *Syrus te vult.* DR. *Quæ res de novo obtigit?* SY. *Traduc festinanter hinc ad vos omnes ancillas Bacchidis.* DR. *Quamobrem?* SY. *Noli quærere; et ipsæ ancillæ secum exportent, quæcumque huc asportaverunt. Chremes*

corripere solet ultimam. Iidem habent, *Quin ego hic m.* quo etiam modo stabit versus. *Bent.* qui tamen legit ut nos. *Abi...Quin e. hic* Br.—16 Mss. et editi quidam *dabitur tibi.* M. *non ego insto.* Ita et impressi quidam veteres. *West.* 'Frustra vir doctus, *scin?* BA. *Quid sodes?* 'Quia,' inquit, 'istanc interrogandi formulam non satis intelligo.' 'Scin quid sodes,' subaudi 'facias,' ut libri bene multi hic in textu addunt; vel 'facere te velim.'' *Bent.* 'Multi codd. in his nostri: *quid sodes facias?*' Both. Ita GM.—17 *Nunc.* Desideratur hæc vox in Ms. Lips. Bodl. et Bœnd. cum EA. *West.* Bem. post 'Transeundum' et non post 'Menedemum' habet verbum *est.* Br. legit, *Transeundum tibi est ad Menedemum et t. p.* 'Vulg. *Trans. nunc tibi:* sed omittitur *nunc* in codd. A et B; C autem: *Transeundum quid tibi, &c.* quod non spernendum duxi, utpote iratæ admodum conveniens.' *Both.* qui igitur legit SY. *Transeundum...* BA. *Quid?* SY. *Tibi ad M. est et t. p.* *Huc* post *Transeund.* Guelf. 1.—18 Br. *transducenda.* Bem. *Ego?* probante Fa. *Egon?* defendit Bent. quod dant etiam Br. Perl. Delph. *Ego?* dat Both. *Ego argentum* Bip. sine interrogatione. —19 *Hoc* ante *temere* Guelf. 3. R.—21 *Sequere hac.* Vulg. hæc Syro tribuunt, qui in scena aliquantisper etiam manet: male. Phrygiæ dicit Bacchis. *Both.* R. *Sequere me hac.* Bip. conjicit *hunc*, pro *hac.*—22 GC. *traduc.*—23 In aliis est *et ferant.* Sic G. ET. EM. *West.* *Et ferant*] Bem. *efferant:* quod ita, id est, sine conjunctione, venustius videtur. *Fa.* 'Vir eruditus miratur, cur Faërno minus placuerit, *et ferant*, quod omnes præter Bembinum codices habent. Jure hoc Faërnus; quia quæ intro attulerant, effe-

Sperabit sumtum sibi senex levatum esse harum abitu.
Næ, ille haud scit, paulum lucri, quantum ei damni apportet.
Tu nescis id, quod scis, Dromo, si sapies. DR. Mutum dices.

sperabit impensas sibi esse diminutas harum discessu muliercularum; certe senex Chremes ignorat, quantum damni, hoc paulum lucri afferat ei. Tu Dromo, quod scis, dissimulabis, quasi nescias, si sapienter vis agere. DR. *Adeo taciturus ea sum, ut mutum me esse dicas.*

renda erant; non solum ferenda. Quod ceteri *et ferant* habeant, inde factum est, quia antiqui *ecferant* scribebant, ut nunc in veterrimo Plauti codice semper est scriptum; et Terent. hic IV. 3. 31. 'Ecfero.'' *Bent.* *Et ferant* Br. Guelf. 2. *Et* post *attulerunt* 3.—24 Guy. suo arbitrio, ut solet, scribit, legitque, *Speravit.* West. 'Ex Bem. et aliis antiquis, versusque ratione, scribe *harunc.*' Fa. 'Etiam unus ex nostris omnium veterrimus *harunc.*' Bent. Ita et Br. Bip. Z. Both.—25 Mss. et editi quidam, *hoc paululum lucri.* West. *Hoc paulum . . . eii* Bent. *Hoc paulum* Bip. Perl. Delph. Bothius *hoc paulum . . . illi.* Br. *hoc paululum.* *Paululum* etiam Guelf. 2.—26 *T. n. id, q. s. Dromo, si sapies.* Solicitat hæc Guy. tanquam spuria, et ex Eun. IV. 4. 54. expressa. *West.* Alii omittunt *id.* Br. *Multum dices.*

NOTÆ

25 *Næ, ille*] Significat Syrus senem Chremetem facilius potuisse Bacchidem aliquamdiu alere, quam decem minis defraudari.

26 *Tu nescis id, quod scis*] Sic Terentius in Eunucho: *Tu pol si sapis, quod scis, nescis:* est figura dicta Græce *ὀξύμωρον.* Composita hæc vox ex *ὀξὺς* acutus, et *μωρὸς* fatuus. Nempe acute dicitur, quod fatue prolatum videtur: sic Cicero in Bruto: 'Eloquentia loqui dedidicit,' et Horatius, Ode 34. lib. I. 'Insanientis dum sapientiæ Consultus erro.'

ACTUS IV. SCENA V.

CHREMES. SYRUS.

CH. ITA me Di amabunt, ut nunc Menedemi vicem
Miseret me; tantum devenisse ad eum mali.

Illanccine mulierem alere cum illa familia?
Etsi scio, hosce aliquot dies non sentiet;
Ita magno desiderio fuit ei filius:
Verum ubi videbit tantos sibi sumtus domi
Quotidianos fieri, nec fieri modum,
Optabit rursum ut abeat ab se filius.
Syrum optume eccum! SY. Cesso hunc adoriri? CH. Syre. SY. Hem!
CH. Quid est? SY. Te mihi ipsum jam dudum optabam dari.
CH. Videre egisse jam nescio quid cum sene.
SY. De illo quod dudum? dictum ac factum reddidi.
CH. Bonan' fide? SY. Bona hercle. CH. Non possum pati,
Quin tibi caput demulceam. Accede huc, Syre:

CH. *Ita me Dii juvent, ut nunc misereor incommodi Menedemi; scilicet tanta in eum mala cecidisse. Itane est, ut alenda sit ei mulier illa (Bacchis) cum tanto ancillarum comitatu? Quamvis non sum nescius eum ægre non laturum per aliquot dies tantum impensarum onus, adeo desideravit filium videre: sed quando cognoscet tantos sumtus quotidie faciendos esse in domo sua, idque omnino ultra modum, denuo cupiet ut filius a se discedat. Ecce hic Syrum opportune.* SY. *Quid moror verbis aggredi Chremetem?* CH. *Syre.* SY. *Hem, quid est? jamdudum desiderabam te mihi obviam offerri.* CH. *Videris egisse jam nescio quid cum Menedemo.* SY. *De illa re, quam longe ante communicaveramus? Ut dixi, sic effeci.* CH. *Verene dicis?* SY. *Per Herculem vere dico.* CH. *Non possum abstinere ut non tibi caput demulceam, ita mihi places. O Syre, appropinqua ad me; faciam tibi aliquid*

In ed. Both. et Bip. hic incipit Act. IV. Sc. 1.—1 'Mss. et editi quidam *ament.* Guy. *amassint.* Alii Mss. *Di bene ament.* Mss. et editi quidam antiquissimi, *Menedemi vitam.*' West.—3 Br. Bent. Z. *Illancine* per unum *c.* Both. *Illancne.*—4 *Aliquod* vitiose Guelf. 2.—5 Hic versus ab uno ex Regiis abest. Certe spurius est, et ex nota marginali huc irrepsit. *Bent.* 'Omnino hic versus est Terentianus, utut absit ab uno ex Regg. ap. Bent. Notes vero, Cliniam introiisse cum Bacchide ad patrem.' *Bip.*—7 Reponit Bent. *Quotidiano,* probantibus Bip. Ruhnken.—9 Mss. quidam et editi, *Sed Syrum.* West.—10 *Quid est.* Vocati solebant quærere, 'quid est?' Quare hæc fortasse melius Syro tribuuntur, quam Chremeti. Sic supra II. 3. 108. Syrus vocatus ait, 'quid est?' et IV. 4. 21. Dromo vocatus, 'quid est rei?' inquit. Integrum igitur locum ita ordinaverim: *Syrum optime eccum: cesso hunc adoriri? Syre.* SY. *Hem, Quid est? te mihi ipsum jam dudum optabam dari.* In plerisque libris est, *exoptabam,* sed refragante metro. G. *exoptabam.* EM. *expectabam.* West. '*Exoptabam dari*] Bem. et aliquot alii habent *jamdudum optabam;* et hunc vs. ita ordina ex l. s. CH. *Quid est?* SY. *Te mihi i. jamdudum o. d.*' Fa. '*Optabam* ab antiquis correctoribus est. Nostri codd. *exoptabam.* Lege, *Quid est? te mi ipsum jamdudum exopto dari.*' Bent. 'Vulg. *Hem Quid est?* A mala manu esse 'quid est,' glossema τοῦ 'hem,' versus argumento est.' *Both.* qui inde legit: SY. *Hem, Ipsum te mihi jamdudum exoptabam dari.* *Exoptabam* Br. Z. 'Daciera verba *Quid est?* ipsi quoque Syro tribuenda censet: male. Melius conveniunt Chremeti cupienti andire, quid cum sene egerit.' *Zeun.*—13 Distinguendum monet Bent. *Bonan' fide?*

Faciam boni tibi aliquid pro ista re, ac lubens.
SY. At si scias, quam scite in mentem venerit!
CH. Vah! gloriare evenisse ex sententia?
SY. Non hercle vero: verum dico. CH. Dic, quid est?
SY. Tui Clitiphonis esse amicam hanc Bacchidem,
Menedemo dixit Clinia; et ea gratia
Secum adduxisse, ne tu id persentisceres.
CH. Probe. SY. Dic sodes. CH. Nimium, inquam. SY. Immo si scias.
Sed porro ausculta, quod superest fallaciæ.
Sese ipse dicet tuam vidisse filiam;
Ejus sibi complacitam formam, postquam aspexerit;
Hanc cupere uxorem. CH. Modone quæ inventa 'st? SY. Eam.

boni pro ista astutia, idque lubenti animo. SY. *Sed si scires quantum ingeniose adinveni!* CH. *Vah! in hoc tibi falso fortasse apud me gloriaris, quod res evenerit ut volebas.* SY. *Non mehercule vero: verum dico.* CH. *Dic quid hoc est.* SY. *Clinia dixit patri suo Menedemo hanc Bacchidem esse amicam filii tui Clitiphonis, et se eam adduxisse secum ea de causa, ne tu id perciperes.* CH. *Optime, scite inventum.* SY. *Dic vere amabo.* CH. *Valde scite, inquam.* SY. *Immo magis scite inventum, si scias: sed deinde audi quod reliquum est astutiæ. Ipse Clinia dicet se vidisse tuam filiam Antiphilam, ejusque pulchritudinem sibi complacuisse, ubi primum illam vidit, uxorem suam esse velle.* CH. *Dicisne eam quam paulo ante*

SY. *Bona.* CH. *Hercle n. p. p.* Probant Perl. Both.—16 Mss. M. Lips. et Bodl. *mihi in mentem.* Ita et EP. *West.* Ita et Ms. R. ap. Lind. GM. Br.—17 Nec Nannius, legens, *Vah! hariolare, evenisse ex sententia?* Nec Guy. *An hariolare, evenisse ex sententia?* satis mihi percepisse mentem Terentii videntur, præter Codicum fidem ita legentes. Nihil mutandum videtur. Dacieriæ τὸ *gloriare* valet, falso autumas. Quo sensu parum cohærent ea, quæ sequuntur. Mss. quidam: *Vah! gloriare, istuc evenisse ex sententia?* West. Notam exclamationis ponit Both. post 'sententia,' ita ut in Hel. 'Par. Mss. *hariolare.*' Perl. —18 Both. *Nondum hercle.* Guelf. 1. *Syrus* post *hercle.*—21 Legendum monet Bent. *Se eam traduxisse*, probante Perl. Bothius *ea se gratia Eam adduxisse.* 'Priscian. lib. VIII. *præsentisceres:* mendose. Et *persentisceres* esse in Mss. testatur F. F.' *West.*—22 *Si scias*] Bœcl. M. Bodl. Bœnd. G. *sic satis.* Ita et Calph. et EP. cum EA. Junt. ET. EM. *West.* 'Ex Bem. et V. Fa. dedit *si scias:* nollem factum: id enim habuimus vs. 16. Nostri omnes *sic satis.* Recte.' *Bent.* Ita et Perl. Both. legit *Immo sic; satis.* Br. *I. sic satis?*—23 Non est hic insititius versus, quod existimabat Guy. *West.* 'Cod. vet. Lindenbrogii, *quod super f. est.* Repone *quid s. f. est.* Quatuor ex nostris *quid* non *quod.*' Bent. 'Par. p. var. *quid.*' Perl. Lectionem Bent. dat Bothius.—24 Duo optimi Faërniani, Bem. V. *dicit;* et sic ex Regiis unus. Sed quid quæso sibi vult *Sese ipse?* Putidum hoc et insulsum. Quis enim alius hoc diceret? Repone: *Se deinde dicit t. v. f.* Bent. *Dicit* Bip.—26 Bodl. Bœnd. Lips. cod. *H. se cupere.* Ita et EP. EA. Junt. *Modone*] Ms. Bodl. *Modo quæ*, et ita EA. *Eam*] M. *Ea.* West. '*Hanc se cupere uxorem, modo quæ inventa'st?* SY. *eam*] Numerosior

Et quidem jubebit posci. CH. Quamobrem istuc, Syre?
Nam prorsum nihil intelligo. SY. Hui! tardus es.
CH. Fortasse. SY. Argentum dabitur ei ad nuptias,
Aurum, atque vestem, qui, tenesne? CH. Comparet?
SY. Id ipsum. CH. At ego illi neque do, neque despondeo.
SY. Non? quamobrem? CH. Quamobrem? me rogas? homini! SY. Ut lubet.
Non ego dicebam, in perpetuum illam illi ut dares,

nostram esse reperimus? SY. *Eandem; et certe mandabit eam a te in uxorem peti.* CH. *Cur dicis istud, Syre? nam omnino sermonem tuum non capio.* SY. *Vah, quam tardi es ingenii, qui verba mea non capias!* CH. *Fortasse id in causa est.* SY. *Pecunia dabitur Cliniæ ad nuptias, qua emat ornamenta aurea, indumenta, mundum et suppellectilem; intelligisne?* CH. *Pecuniam qua emat sibi talia?* SY. *Idipsum est.* CH. *Sed ego Chremes neque do, neque spondeo filiam meam in uxorem.* SY. *Quare non das?* CH. *Quare? num id quæris a me? filiam meam dem uxorem juveni huic, qui more fugitivi servi patrem reliquit, et qui meretricem amat?* SY. *Fac ut lubet. Ego non dicebam ut eam illi propriam*

est hic versus in libris Bem. et Vi. *Hanc cupere uxorem.* CH. *modone quæ inventa'st?* SY. *eam.* Videtur et Bas. habuisse *modone*, sed pars ultima ejus dictionis abrasa est.' *Fa.* *Hanc se cupere . . . Modon*' Br.—27 Alias *equidem.* Er.—28 'Ms. Lips. non agnoscit τὸ *es.* Neque EP. In aliis est, *Vah! tardus es.* Gudius ad Phædr. III. 6. 2. legit, *Hui, quam tardus es!*' West. *Prorsus.* Bent. Both. Perl.—29 Both. *illi* pro *ei.*—30 Mss. quidam et editi vetusti post EA. et EP. *qui comparet: tenesne?* CH. *Comparet?* Sensu nihilo deteriore. *West.* '*Atque vestem. qui*] Sublata interpunctione lege *vestem qui.*' Lenzius. Br. non interrogat post *Camparet.* Guelf. 1. *qui comp. tenesne?* CH. *Comparet?* 2. *Ut comparet.*—31 SY. *Id ipsum.* CH. *at illi ego neque do, nec spondeo.* O. l. s. *at ego illi;* qua collocatione id quod sequitur hujus versus stare non potest, nisi legas *despondeo*, ut in Vi. V. Bas. et omnibus aliis fere, tam antiquis, quam recentibus libris est: nec me ab hoc dimovet distinctio Donati dicentis, 'spondere patrem puellæ, despondere patrem adulescentis:' perspicue enim apparet Poëtam hanc distinctionem negligere: cum infra in persona ejusdemmet Chremetis, patris puellæ, dicat: 'Egon, cui daturus non sim, ut ei despondeam?' in quo versu legimus, *non sum*, ex libro Bembino, et multis aliis, cum in Basilicano et aliquibus aliis sit, *non sim:* utraque lectione versus stat, vel abjiciendo *n*, ex *Egon*, vel eam dictionem in unam syllabam contrahendo. *Fa.* Sic et nostri. *Bent.* Bothius legit, *At ego neque do neque ei desp.* Bip. *nec do, nec desp.* Guelf. 2. *spondeo.*—32 Legendum monet Bent. *Nam q.* Improbat Perl. Both. tamen probat. Guelf. 1. omitt. CH. *Quamobrem.* '*Homini*] M. et Bœnd. addit: *Darem illam fugitivo?* Calphurnius: *Homini fugitivo dabo?* Utrumque est in editis.' *West.* 'In codicis C margine hæc ascripta verbo 'homini:' 'fugitivo darem, sive implicito meritricio amore.' Hæc in ordinem recepta olim fuisse, ex Calphurnii interpretatione intelligitur.' *Both.* qui igitur lacunam ponit post 'homini.' Ita et Bip. In Br. τὰ *Ut lubet* vs. sequentem incipiunt. '*Me rogas? homini*] Ita Reg. exempl. sed mire variant alii scripti libb. quidam, *me rogas? fugitivo dabo filiam, &c.* al. *homini fugitivo dabo?*' Lind.—33 M. *perpetuo:* quod laudat Rivius, et in duobus Mss. legit Bœcl. Ms. Lips. Bœnd. et editi primi, *Non ego perpetuo dicebam ut illum illi dares.* West. Reponit Bent. *Non e. d.*

Verum ut simulares. Ch. Non mea 'st simulatio.
Ita tu istæc tua misceto, ne me admisceas.
Egon' cui daturus non sum, ut ei despondeam ?
Sy. Credebam. Ch. Minime. Sy. Scite poterat fieri.
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere jusseras,
Eo cœpi. Ch. Credo. Sy. Ceterum equidem istuc, Chreme,
Æqui bonique facio. Ch. Atqui cum maxume
Volo te dare operam, ut fiat, verum alia via.
Sy. Fiat: quæratur aliud: sed illud, quod tibi
Dixi de argento, quod ista debet Bacchidi,
Id nunc reddendum 'st illi: neque tu scilicet
Eo nunc confugies: Quid mea? num datum mihi est?
Num jussi? num illa oppignerare filiam
Meam, me invito, potuit? verum illud, Chreme,
Dicunt, Jus summum sæpe summa malitia est.

in manum dares, verum ut fingeres te daturum. Ch. *Non est meum quid simulare: tu misceto fallacias et technas tuas eo modo ut non me his intermisceas. Visne ut despondeam meam filiam in uxorem ei, cui dare nolo?* Sy. *Credebam te velle id facere.* Ch. *Minime.* Sy. *Id subtiliter poterat fieri: et ego ideo orsus sum hanc technam, quoniam ita instanter id jubebas.* Ch. *Credo.* Sy. *Sed certe, here, istud æqui bonique causa facio.* Ch. *At vero deinde volo te summopere conari, ut fallacia intendatur in Menedemum; verum volo id fieri alio modo.* Sy. *Fiat: alius modus excogitetur: sed illud quod tibi dixi de argento, quod ista filia tua debet Bacchidi, propterea quod ei oppignerata fuit, istud argentum Bacchidi persolvendum est: neque tu nimirum recurres ad id prætextus, dicendo, Quid mea interest? num mihi creditum est? num mandavi ut daretur? nam anus illa jus habuit dandi filiam meam pignori me nolente? O Chremes, verum est istud, quod vulgo dicitur; nimius juris rigor sæpe nimis pugnat cum æquitate.* Ch. *Non confugiam*

serio, ut illam illi dares: V. u. s. Non meumst s. Improbat Both. et legit: *in perpetuum illam ut ei dares....meum est simulatio.* Br. *perpetuam dicebam ut illam illi dares.* 'Codd. Bent. omnes *perpetuo.* Qui ipse more suo codices neglexit *serio* fictum sibi recipiendo.' *Perl.*—34 Guelf. 3. *simulare.* 'Legendum est *non meum est simulatio* ut meliores libri habent, in deterioribus legitur *non mea est simulatio.*' R. D.—35 EP. non agnoscit τὸ *tua.* Bœnd. et EA. *admisceto.* Libri quidam, *ut ne,* quod probant Gov. et Guy. *West.*—36 *Ego* Both. Perl. Z. *Non sim* Br. Bip. Both. Delph. *Egon.* Guelf. 2. *Sim* 3. —38 Abest *tu* 2.—39 *Tibi quidem* post *ceterum* 3.—40 *Atqui tum maxime.* Bem. *quam maxime:* ego lego *cum m.* usitatissimo Antiquis dicendi modo: ut et habet V. et habebat Vi. *Fa.* 'Etiam ex nostris veterrimus *cum max.*' Bent. Br. *Atqui. Tum max.*—43 Vulg. *Dixi de argento,* quod balbutire est. A scriptore fuit, ni fallor, *Dixid argentum.* Both. qui igitur legit, *Argentum dixi.*—45 *Confugias* Guelf. 2.—47 Bent. reponit *vere.* Ita et Perl. Both. vulgatam tamen lect. *verum,* defendit Ruhnken.—48 *Malitia.* In aliis est

Ch. Haud faciam. Sy. Immo, aliis si licet, tibi non licet.
Omnes te in lauta et bene aucta parte putant.
Ch. Quin egomet jam ad eam deferam. Sy. Immo filium
Jube potius. Ch. Quamobrem? Sy. Quia enim in hunc suspicio 'st
Translata amoris. Ch. Quid tum? Sy. Quia videbitur
Magis verisimile id esse, cum hic illi dabit:
Simul et conficiam facilius ego, quod volo.
Ipse adeo adest: abi: effer argentum. Ch. Effero.

ad eas summi juris rationes. Sy. *Sed, si juris ille rigor aliis permittitur, tamen non decet te eo uti quod omnes te numerant inter lautos et locupletes.* Ch. *Quin immo, ego nunc argentum feram ad Bacchidem.* Sy. *Sed potius jube filium id facere.* Ch. *Quare?* Sy. *Certe quia suspicio amoris translata est in hunc filium tuum, qui putatur a Menedemo esse Bacchidis amator.* Ch. *Quid inde sequitur, si talis putatur?* Sy. *Quia id videbitur esse verisimilius, cum filius tuus dabit illi Bacchidi argentum hoc. Et simul efficiam minimo negotio id quod incepi; facilius decipiam Menedemum. Certe Clitipho ipse advenit, o Chreme; i domum et argentum profer.* Ch. *Profero.*

injuria: fortasse rectius, ob vocum ἐναντίωσιν. *West.* '*Est malitia* Bem. numero meliore: nam in trimetris non fere invenias tribrachum in quinta.' *Fa.* 'Sic et unus e Regiis.' *Bent.* Both. legit, *Jus s. s. summa, dicunt, malitia. Est malitia* Bip. Perl. Z. Delph.—49 Abest *si* Guelf. 3.—50 Rivius defendit *parti,* ob rationem metri, qui sextus casus est Plauto et Lucretio. Ineptum versum hunc dicit Guy. et minus Latinum. In Mss. Leidensibus tribus, sed et Tr. et Lips. EM. est, *bene acta parte.* In Leidensium uno, *in laudata et bene acta parte.* Et editio Juntina post 1469. exhibet τὸ *acta,* sensu obscuro, vel nullo. Palmarius *bene uncta* legebat; laudatque Vir Cl. Petrus Burmannus ad Petron. cap. 43. Phrasis autem integra, 'Esse in lauta parte,' suspecta est Bœclero. Malim, si per Codd. liceret: *Omnes te in lauta et bene aucta re putant.* Possit tamen et vera lectio videri: *Omnes te in lauta et bene per te aucta re putant.* Quæ conjectura est Cl. Viri, Jac. Perizonii. *West.* '*Omnes te in lauta et bene acta parte putant*] Sic dedit Fa. sed de versu recte constituendo desperavit. At vir eruditus ex novo suo Licentiarum penu curva omnia jubet recta esse: *parti* pro *parte* a Rivio sumit: et deinde *aucta* legens pro Faërni *acta.* Tu repone, *Omnes te in lauta esse et bene aucta re putant.* Ceterum ex nostris unus Regius, alter Academicus *aucta;* ceteri *acta.* Bent. Emendationem Bentleii legit et defendit Bip. 'Non mutanda vox *aucta:* nam recta et Latina sunt 'augeri opibus,' 'auctus re, fortuna,' &c. Verum vox *parte* merito suspecta est viris eruditis.' *R. D.* Rescribendum monet Both. *Omnes inlautum id in bene aucta re putent.* 'Hunc vs. qui tantopere variat, retinui, ut est a Fa. Pro *aucta,* quod vulgo est, hab. al. *facta,* al. *uncta;* pro *parte* Bip. *copia.* GM. *acta parte.* Bent. *aucta re.* Addo quod mihi placitum est, *parta re.*' Hæc Perl. qui ed. Bip. primam denotat, sed in secunda neque legitur *copia,* neque meminit quidem Editor in Nota, ubi citans varias lectiones et emendationes, 'Nemo,' inquit, 'tandem felicius correxit Bentleio, quem sequimur.'—52 Al. *in eum s.*—55 Omnes edd. ap. nos, *Et simul.* Guelf. 3. *perficiam.*

ACTUS IV. SCENA VI.

CLITIPHO. SYRUS.

CL. NULLA est tam facilis res, quin difficilis siet,
Quam invitus facias. Vel me hæc deambulatio,
Quam non laboriosa, ad languorem dedit!
Nec quicquam magis nunc metuo, quam ne denuo
Miser aliquo extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Ut te quidem omnes Dii Deæque, quantum est, Syre,
Cum tuo istoc invento cumque incepto perduint!
Hujusmodi res semper comminiscere,
Ubi me excarnifices. SY. I tu hinc quo dignus es.
Quam pæne tua me perdidit protervitas!

CL. *Nulla res est tantum facilis, ut difficilis non videatur, si eam contra voluntatem facias. Etiam hæc deumbulatio minimi laboris quam me defatigavit et linguefecit! Neque nunc timeo ullam rem magis, quam ut iterum ejiciar hinc in aliquem locum, ne possum ire ad amicam. O Syre, utinam omnes Dii Deæque, quotquot sunt, te perdant cum isto commento tuo et consilio. Tu mihi semper excogitas ejusmodi res, in quibus me excrucies.* SY. *Tu ipse hinc abi in malam rem, ut meruisti. Quam pæne tua petulantia ad perniciem adegit me.* CL. *Per Her-*

In Bip. et Both. hic est Act. IV. Sc. 2.—1 Guelf. 3. *sit.*—3 Abest *dedit* 2. —5 M. Bœnd. et EA. *excludar.* West. Ita et Guelf. 2.—6 *Ut te omnes equidem.* Plerique l. s. inter quos Bem. *Ut te quidem omnes:* pauci, *Ut te omnes quidem:* nullus vero est liber, ubi legatur, *Ut te omnes equidem:* quod vero sequitur 'Di Deæque quantum est, Syre:' in scansione impeditum est: aliqui ut versui consulerent, conjunctionem *que* sustulerunt; quod contra omnium librorum fidem est, quos quidem nos viderimus. *Fa.* 'Recte qui ap. Fa. *que* sustulerunt.' *Bent.* Br. *Et te o. quidem.* *Que* omittit Both. ita et Delph.—7 *Cum istoc invento cumque i. perduint.* Sic dedit Fa. dubito an ex libris: nostri enim omnes *tuo* addunt, *Cum tuo istoc.* Lege ex vetustissimo nostro, *Cum tuo isto invento c. i. p.* Bent. Ita et Both. Perl. Zeunius *tuo* omittit. Guelf. 2. *perdant.*—8 M. *Hujusmodi mi res.* West. *H. mihi r.* Bent. Z. Perl. *H. mi r.* Delph. 'Abest *mihi* nostris omnibus.' *Both.* Abest Guelf. 2.—9 Bembus legit et defendit, *Is hinc, q. d. es?* Alii *In hinc.* West. 'Magis antiqua videtur lectio libri Victoriani, *In hinc;* et sic quoque versus stat.' *Fa.* '*In hinc quo d. es?* Sic dedit Fa. versu una syllaba justo breviore. Repone, *Ibin hinc q. d. es?* ut Eun. III. 3. 30. 'Malam rem hinc ibis?' At vir doctus aliud suspicatus est, *I; sis, hinc quo dignus es.* 'Sis,' ut notum, perinde est ac 'Si vis.' Frustra ea conditione malum imprecatur, 'I in malam rem, si vis;' si volens lubensque eas.' *Bent.* Both. legit, *In' tute hinc, q. d. es?* 'Vi. *In,* (isne)' *Perl.*—10 M. Bœnd. et EA.

CL. Vellem hercle factum: ita meritus. SY. Meritus! quomodo?
Næ me istuc ex te prius audivisse gaudeo,
Quam argentum haberes, quod daturus jam fui.
CL. Quid igitur dicam tibi vis? abiisti: mihi
Amicam adduxti, quam non liceat tangere.
SY. Jam non sum iratus: sed scin' ubi nunc sit tibi
Tua Bacchis? CL. Apud nos. SY. Non. CL. Ubi ergo? SY. Apud Cliniam.
CL. Perii! SY. Bono animo es: jam argentum ad eam deferes,
Quod ei pollicitus. CL. Garris: unde? SY. A tuo patre.

culem, vellem id evenisse, ita dignus es exitio. SY. *Dignus? qua de causa? Certe gaudeo istud me convicium a te audiisse, antequam pecuniam accipias, quam statim tibi numeraturus eram.* CL. *Quid igitur vis dicam aliud, cum causam aliter dicendi mihi non dederis? hinc discessisti, adduxisti mihi amicam, quam non permittatur attractare?* SY. *Jam non sum iratus propter felicem exitum mei incepti: sed scisne, ubi nunc sit amica tua Bacchis?* CL. *Est in domo nostra.* SY. *Non est.* CL. *Ubi igitur?* SY. *Apud Cliniam.* CL. *Occidi.* SY. *Animo bono esto: jam deferes ad eam argentum, quod ei promisisti.* CL. *Nugaris. Unde istud argentum*

prodidit. Ita et Ms. Bœcleri. *West.*—12 *Audisse gaudeo*] O. l. s. *audivisse;* et sustentatur versus contractione hujus verbi in antibacchium. *Fa.* Ride istum antibacchium. Pone, inquit, *audivisse,* sed contrahatur in *audisse.* Cur non itaque et sic scribatur? *Ne me istuc ex te prius audisse gaudeo.* Sed cum omnes ubique codices *audivisse* habeant; lege cum codice Petrensi, *Ne me istuc prius ex te audivisse gaudeo:* et melior sane constructio est. Infra, v. 4. 8. 'Cave istuc verbum ex te audiam;' et alibi. Vir doctus, si *me* deleatur, numeros fore meliores putat. Immo deteriores: tum enim 'prius' in Thesi delitescet contra morem pronuntiandi. *Bent.*—14 Ms. Lips. et Bœnd. *tibi vis dicam?* Ita et EP. cum EA. *West.* *Quid igitur dicam tibi vis? abisti, mihi Amicam adduxti, quam non liceat tangere.* Sic a Fa. est; qui nihil annotat. Quid hic vir eruditus? In textum ascivit, *abiisti,* versu ait postulante; et confectum dedit negotium. Ego vero sententiam hic, non numeros desidero. Quorsum enim illud *abiisti?* Syrus nusquam abierat, domi vel in scena permanserat: Clitipho est qui abiit, et invitus, deambulatum. Si hoc, ut est, verum est, sine dubio latet altius mendum. Sane nostri *abisti,* ut et Faërniani. Præterea universi sic verba disponunt: *Quid igitur tibi vis dicam?* Ex his vestigiis veram lectionem indagavi; quæ sic se habet, *Quid igitur tibi vis dicam? adisti mihi manum: Amicam adduxti, quam non liceat tangere.* Bent. *Tibi vis dicam?* Br. Bothius *tibi vis dicam? abegisti! mihi Amicam.* Perl. *tibi vis d.*—15 *Adduxisti* Guelf. 2. Post hunc vs. addidit Both. ex Hel. *Credendum, ex animo nonnihil me irascier:* et dein huc transposuit vss. 12. 13. Syro tribuens: dein habet, CL. *Jam non sum iratus.* SY. *Sed sin'. ubi nunc sit tibi.*—17 Gov. et Mur. ut metro consulant, tollunt *Tua.* Er. vero resecat τὸ *Apud.* Illud elegantiam, hoc Latinitatem lædit. *West.* Br. *Apud nos est.* Pro *ergo* al. *igitur.*—19 Mss. plusculi et EP. cum EA, *unde id?*

CL. Ludis fortasse me. SY. Ipsa re experibere.
CL. Næ ego fortunatus homo sum! deamo te, Syre.
SY. Qua causa id fiat: obsecundato in loco.
Sed pater egreditur: cave quicquam admiratus sies:
Quod imperabit, facito; loquitor paucula.

sumetur? SY. *A patre tuo.* CL. *Fortasse derides me.* SY. *Experiere ipso facto.* CL. *Certe ego sum homo fortunatus: valde te amo, Syre.* SY. *Qua causa tibi hæc pecunia tradatur, noli quærere; tantum obsequere in tempore. Sed pater tuus domo exit. Vide ne tu mirari quicquam videaris, nempe quod argentum accipias deferendum ad Bacchidem. Facito id quod ille imperabit; loquere admodum pauca verba, ne ex sermone tuo ulla suspicio ei oboriatur.*

West. ‘Particula *id*, non est in Bem. ut et exigit versus.’ *Fa.* Sic et unus ex nostris. Ceterum plerique omnes recte addunt *es: Quod ei es pollicitus.* Bent. Ita Bip. Perl. Delph.—22 Integrum hunc vs. Mur. facit secundum a fine, ita collocans verba Syri: *Sed pater egreditur: cave quicquam admiratus sies, Qua causa id fiat: obsecundato in loco: Quod imperabit, facito: loquitor paucula.* Quam emendationem laudat Guy. laudant alii. Nemo auctoritatem ullius Codicis vetusti profert. Et fateor, si ita legeretur in idoneo quopiam Ms. sensum fore optimum. Idem tamen Guy. in Codice suo ita ordinat personas, ut ista, *Sed pater egreditur*, etiam Clitiphoni tribuantur. Videtur autem ordo verborum vulgatus retineri posse. In M. Tr. Leidensium uno, et Junt. aliisque antiquis omnia hæc Syro tribuuntur usque ad finem Scenæ: quæ lectio conjecturam nostram firmat. Vulgo autem versus a fine tertius Clitiphoni datur. *West.* Collocationem Mureti dant Bent. Both. Bip. Perl. Delph. Sed cum Guyeto Bip. verba *Sed pater egr.* Clitiphoni tribuit. ‘Verba *obs. in loco* et seq. versu *cave q. a. s.* transponuntur in Z. contra auctoritatem editionis West. qui versus ordinat ut in Ms.’ *Bruns.* —23 *Sis* pro *sies.* Bent. Both. Perl. Delph.—24 EA. et ET. *loquere.* West. In Guelf. 3. hi vss. ordine sequuntur hoc, SY. *Qua causa obs. in l.* CH. *Næ ego h. s. fort. d. te Syr.* SY. *Sed pat. egr. c. q. adm. s.*

ACTUS IV. SCENA VII.

CHREMES. CLITIPHO. SYRUS.

CH. UBI Clitipho nunc est? SY. Eccum me! inque. CL.
Eccum hic tibi!

CH. *Ubi nunc est Clitipho?* SY. *Clitipho, dic, adsum.* CL. *Hic adsum, tibi*

In Bip. Both. Act. IV. Sc. 3.—1 Scribe, *Ubi C. nunc?* ut deleatur *est.*

CH. Quid rei esset, dixti huic? SY. Dixi pleraque omnia.
CH. Cape hoc argentum, ac defer. SY. Hei, quid stas? lapis!
Quin accipis? CL. Cedo sane. SY. Sequere hac me ocyus.
Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere;
Nam nihil est, illic quod moremur diutius.
CH. Minas quidem jam decem habet a me filia,
Quas pro alimentis esse nunc duco datas:
Hasce ornamentis consequentur alteræ.

morem gerere paratus. CH. *Syre, dixistine filio meo quæ res esset, quare mittam hoc argentum?* SY. *Dixi pleraque omnia.* CH. *Cape has decem minas, Clitipho, ac defer ad Bacchidem.* SY. *Hei, stupide, cur stas? cur non accipis argentum?* CL. *Certe dato.* SY. *Sequere me per hanc viam cito. Tu, Chremes, interea dum ibimus, expectabis nos in hoc loco, donec egredimur: nam nulla est causa, propter quam longam moram faciamus istic, ubi est Bacchis.* CH. *Certe filia mea a me jam habet decem minas, quas æstimo me dedisse pro nutrimentis ejus: alteræ decem minæ consequentur hasce pro ornamentis corporis; hæc deinde*

‘Clitipho’ enim nequit ultimam corripere. Eun. IV. 7. 10. ‘Ubi alii? Qui malum alii?’ Possis etiam, *Ubi C. est nunc?* vel cum uno ex Regiis *Ubi nunc jam est Clitipho?* Bent. ‘EM. *Eccum me tibi.*’ West. ‘Bent. omittit *est*, sed, ut opinor, contra morem Poëtæ, qui nusquam ‘ubi’ ponit sine verbo finito.’ *Perl.* *Est* omittit Bip. Ita et Both.—2 M. *dixti huic Syre?*—3 Bem. *Ii, quid stas? lapis!* Vide supra IV. 6. 9. In aliis est *I.* rursus in aliis *hem.* Ceterum Guy. parum accurate omnia hæc, *cape hoc argentum, ac defer. i, quid stas? lapis! quin accipis?* Chremeti tribuit. Chremes enim, qui adhuc non commutaverat verbum unum cum filio, ‘lapidem’ eum diceret? Chremes juberet primum ire cum argento filium ad Bacchidem, mox demum a se accipere argentum? non cohærent. Bene igitur ordinatæ sunt personæ, ut vulgo ex Mss. exhibentur. Possint tamen illa, *Quin accipis?* etiam Chremeti tribui, si per Codices liceret. *West.* Nostri meliores *Ei:* ceteri *Hei* Bent. qui cum Fa. Perl. Both. Bip. *I* legit. Z. *Ii.* Br. *Ei.* Ita et Par.—4 Ms. Lips. *S. hac nunc ocius.* EA. et EP. *S. me hac nunc o.* Ita et Bodl. [Br.] Bœnd. *West.* *Nunc* post *me* Guelf. 2. *Credo* vitiose 3.—5 Par. pro var. *opperire.* Perl.—6 Ita distinxi. Vulgo *κόμματος* signum post *τὸ illic* ponitur. *West.* Ita et Bent. Perl. Z. Post *illic* distinguunt Bip. Delph. Nullam tamen distinctionem neque post *est* neque post *illic* dant Br. Both.—7 In ed. Bip. hic incipit Act. IV. Sc. 4. Both. legit *jam filia a me habet decem.*—8 Binos hosce versus tanquam insititios expungit Guy. Sed præterquam quod Codicum fide destituitur, *τὸ porro* in versu seq. locum habere non potest, nisi etiam de alteris illis decem minis mentione prius facta. *Duco*] M. Bœnd. et Bœcleri omnes cum EA. *dico.* West. ‘V. *Quas hortamentis:* ita et Bas. sed sine aspiratione. Vi. et Decurtatus, *Q. pro ornamentis.* Bem. *Q. ornamentis;* recentiores omnes *Q. pro alimentis:* ego suspicor aliquid inesse mendi.’ *Fa.* ‘Eadem est et in nostris lectionis varietas. Unus ex melioribus *hortumentis:* quod Eug. agnoscit, et interpretatur ‘nutrimentis.’ Idem vocabulum in Plautum quoque irrepsit Capt. III. 4. 82.’ ‘Hortamenta absunt: Ajacem, hunc cum vides, ipsum vides.’ Vetus codex Camerarii

Porro hæc talenta dotis apposcunt duo.
Quam multa injusta ac prava fiunt moribus!
Mihi nunc, relictis rebus, inveniendus est
Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.

ornamenta requirent sibi adjungi duo talenta pro dote. Quam multa iniqua et perversa fiunt, his corruptis temporis moribus, ut nimii et supervacanei sumtus in liberis et educandis et elocandis fiant! Aliquis est nunc reperiendus mihi sponsus filiæ, omnibus aliis negotiis prætermissis, cui dem bona mea parta corporis opera et mentis industria.

Ornamenta ibi legit; ut et hic legendum.' *Bent.* *Quas ornamentis* Br. *Nutrimentis* Guelf. 2.—9 M. Bœnd. et EA. *pro ornamentis.* Tanto minus τὸ *ornamentis* solicitandum mihi videtur, quod præter 'alimenta' et dotem, etiam 'ornamenta' requirebantur ad filiam ex honesta familia ortam. *West.* GC. *alimentis:* ibid. in marg. pro var. *ornamentis.* Perl. *Pro ornamentis* Guelf. 2.—10 *Apposcunt duo.* Sic Fa. ex Bem. nostri omnes *apposcent.* Sive autem *apposcunt*, sive *apposcent* legeris; quæro, quænam sint ista *hæc* quæ hoc apposcant? Guy. *hæ* legit, et 'minas' intelligit: (et sic sane CCC.) cui accedit vir doctus, qui *hæc* feminino genere accipit, ut Eun. III. 5. 34. et alibi. Enimvero reponendum est *P. hæc t. d. apposcet duo.* 'Hæc,' mea filia jam reperta, hoc dotis apposcet. *Bent.* Mss. quidam et EP. ET. EM. *apposcent.* West. 'Vulg. *apposcunt.* codd. fere *apposcent*, solus Hel. *apposcet*, ut Bent. reponi jussit.' *Both.* qui igitur *apposcet* dat. 'Nullus in vulgata lectione sensus est, ut eo facilius admittenda videatur Bentleii emendatio.' *R. D.* Bentleii lectionem probat Perl.—11 Guy. Eugraphium legisse autumat: *Quam multa justa injusta fiunt moribus.* Quod et G. F. defendit. Retinendæ autem vulgatæ lectioni aptus videtur locus Plauti, Stich. v. 1. 1. 'More hoc fit, atque stulte, mea sententia.' Uti enim Plautus, 'Hoc more fit, atque stulte,' ita Terentius, 'Multa fiunt moribus, injusta ac prava.' Certe enim injusta quæ sunt, moribus nunquam fient justa. Ut adeo minime opus sit, cum Dac. legere: *Quam multa injusta ac prava, justa fiunt moribus.* Neque cum priore Aldi editione: *Quam multa justa injusta ac prava fiunt moribus.* West. *Quam m. i. ac p. f. m.* Sic dedit Fa. sic omnes nostri. Lege tamen et distingue *Quam multa, justa injusta, f. m.* Sic plane Eug. et sic G. F. ex conjectura dedit, probante Guy. *Bent.* Meliorem hujus loci lectionem conservavit Eug. et ex eo restituerunt viri doctissimi *Q. multa justa injusta f. m.* R. D. Ita et dat Both.—12 In aliis est, *relictis omnibus.*—13 Unus ex nostris *meo:* quod vir eruditus nescit an verius sit; ut Adelph. v. 4. 21. 'Eos meo labore eductos.' Non accedo: sic enim 'labore' absolute, infra v. 4. 17. 'Ut serves, quod labore invenerit.' et v. 5. 6. 'Mea bona ut dem Bacchidi dono sciens.' *Bent.*

ACTUS IV. SCENA VIII.

MENEDEMUS. CHREMES.

ME. MULTO omnium nunc me fortunatissimum

ME. *Mi fili, existimo me factum esse multo felicissimum omnium, qui nunc*

Factum puto esse, gnate, cum te intelligo
Resipisse. CH. Ut errat! ME. Te ipsum quærebam, Chreme.
Serva, quod in te est, filium, et me, et familiam.
CH. Cedo quid vis? faciam. ME. Invenisti hodie filiam.
CH. Quid tum? ME. Hanc sibi uxorem dari volt Clinia.
CH. Quæso, quid tu hominis es? ME. Quid est? CH. Jamne oblitus es,
Inter nos quid sit dictum de fallacia,
Ut ea via abs te argentum auferretur? ME. Scio.
CH. Ea res nunc agitur ipsa. ME. Quid dixti, Chreme?

vivunt, cum cognosco te ad meliorem mentem rediisse. CH. *Quantum fallitur arbitrans filium resipuisse!* ME. *O Chreme, te ipsum quærebam. Serva me, et filium Cliniam, et familiam, quod potes.* CH. *Dic, quid me vis facere?* ME. *Filiam tuam hodierno die reperisti.* CH. *Quid inde sequitur?* ME. *Clinia cupit hanc filiam tuam sibi tradi in uxorem.* CH. *Obsecro, qualis homo es tu?* ME. *Qualis homo sim?* CH. *An oblivioni mandasti ea, quæ collocuti sumus de fallacia in te per servum facienda; scilicet ut ficto matrimonio argentum tibi eriperetur.* ME. *Teneo memoria ea de quibus inter nos convenit.* CH. *Fallacia ista nunc fit, quam tu putas esse rem seriam.* ME. *O Chreme, quid dixisti? falsus sum: sic*

In Both. Act. IV. Sc. 4. in Bip. Act. IV. Sc. 5.—1 Nostri omnes, uno recentiore excepto, cum vett. edd. *M. o. me nunc.* Bent. Ita et dant Br. Perl.—2 *Dum* pro *cum* Guelf. 3.—3 Alii *Resipiscere.* Guelf. 3. *Resipuisse.* Abest *Chreme* 2. *Chremes* legit Z.—4 Vet. cod. ap. Lind. *me et familiam meam.*—5 Par. *quid vis? faciam.* Sed ea distinctio sensum mutat. *Perl.* *Quid vis faciam?* Bent. Bip. Z. Both. Perl. Delph. *Quid vis faciam.* Br.—6 Omnes nostri *hanc uxorem sibi.* Bent. Ita et Br. Both. Delph.—7 Ms. Lips. non agnoscit *tu*, neque EA. et EP. neque Bodl. et Bœnd. Est autem cum contemtu dictum. *West.* Frustra oneratur versus. Nostri universi rotundius: *Quæso, quid hominis es? Quid? Jamne oblitus es?* Bent. '*Quæso quid hominis es?* Pall. *tu.* Al. omitt. Hanc autem Par. putat formulam esse comicam.' *Perl.* Br. Bip. habent ut Bent. Bothius legit *Quid tu hominis, quæso, es? Quid id est? Jamne oblitus es. Quid?* omisso *est* Guelf. 2.—9 M. *auferatur.* Ita et Guelf. 1. Distinguit 3. ME. *Scio ea.* CH. *Res nunc, &c.*—10 Integrum locum ita lego ac distinguo: CH. *Ea res nunc agitur ipsa.* M. *Quid dixti, Chreme?* CH. *Erravi: res acta 'st.* M. *Quanta spe decidi!* CH. *Et quidem hæc, quæ apud te est, Clitiphonis est Amica.* Quanquam quomodocumque legas, et personas ordines, non omnis obscuritas tollitur. Quare amplius cogitandum. Quid si Syro aucupanti ex occulto sermonem senum attribuantur hæc: *Erravi: res acta 'st: quanta spe decidi!* Primum enim, ne expungam cum Faërno, facit consensus Codicum. Tum videtur Syrum pœnitere, quod consilium de emungendo Menedemo aperuisset Chremeti, ubi animadvertit, herum eam rem communicare cum Menedemo, metuens ne Menedemus præsentiscens dolos, caveat, ne decipiatur. Antesignanus ita παραφράζει, ut dubites, Chremetisne sint verba, an Menedemi. Quod de Syro dixi, non est insolens in Comœdiis. Acidalius vero emendari judicat: CH. *Ea res nunc agitur ipsa.* M. *Quid narras, Chreme? Immo hæc quidem, quæ est apud me, Clitiphonis est Amica.* CH. *Ita aiunt, et tu credis?* M. *Omnia.* Sed et versus 11. desideratur in quibusdam libris. Ms. Mark. CH. *Sic res*

Erravi: sic res acta 'st: quanta spe decidi!
CH. Immo hæc quidem, quæ apud te est, Clitiphonis est
Amica. ME. Ita aiunt. CH. Et tu credis? ME. Omnia.
CH. Et illum aiunt velle uxorem, ut, cum desponderim,
Des, qui aurum ac vestem, atque alia, quæ opus sunt, com-
paret.
ME. Id est profecto! id amicæ dabitur. CH. Scilicet

res acta est, ut decipiar. Quanta spe privatus sum? CH. *Immo hæc Bacchis, quæ est in ædibus tuis, est amica Clitiphonis.* ME. *Sic dicunt filius et servi.* CH. *Et tu credis?* ME. *Credo.* CH. *Et illi servi dicunt illum filium tuum Cliniam petere sibi uxorem; ut, ubi filiam meam in matrimonium illi promiserim, ei tradas pecuniam, qua coëmat ornamenta aurea, ac vestimenta, atque alium ornatum qui ad nuptias requiritur?* ME. *Certe ita res se habet: id argentum dabitur*

acta 'st. M. *quanta spe decidi!* Alii omittunt τὸ *sic.* Tr. *Quæ opus est.* West. ME. *Quid dixti Chreme*] Bem. *quid narras.* Sed hoc non magni refert: illud majoris momenti est ex versu qui sequitur: *Erravi: sic res acta est: quanta spe decidi:* in contextu libri V. non esse nisi primam dictionem *Erravi:* in Bem. vero illum versum omnino non esse: et sane eum esse subdititium ex insequentibus patet. Quare eum versum omnino delendum arbitramur: quæ vero sequuntur, ea ex Bem. personæ Menedemi attribuimus: *Ea res nunc agitur ipsa.* ME. *quid narras Chreme? Immo hæc quidem, quæ aput me est, Clitiphonis est Amica. ita ajunt.* CH. *et tu credis?* ME. *omnia.* CH. *Et illum ajunt velle uxorem, ut cum desponderis, Des qui aurum, ac vestem, et alia quæ opus sunt, comparet.* ME. *Id est profecto.* Fa. 'Nostri omnes *dixti.* Soli Bembino debemus, quod spurius versus hinc ejiciatur; qui fictus est ex II. 3. 9. 'Væ misero mihi, quanta de spe decidi.' Et inde etiam habemus, *Immo hæc quidem quæ aput me est:* cum nostri perperam habeant, *Et quidem hæc quæ apud te est.* Tamen ex nostris omnibus *Desponderim* legimus, non *Desponderis.* Et, *Ita ajunt: et tu credis omnia:* soli Chremeti tribuimus.' *Bent.* 'Nos cum Fa. Bent. Millero, Bembinum sequimur et sic edimus hoc versu *narras* pro *dixti*, quod alii habent.' *Bip.* '*Erravi*] Edit. add. *res acta quanta de spe decidi.* Quanquam hæc verba in contextu codicis desunt, leguntur tamen tanquam glossa ad 'Ea res nunc,' &c.' *Bruns.* *Erravi:* versum hunc subdititium esse censet Both. addit tamen: '*Erravi* quidem glossema existimo τοῦ 'Quid narras?' verba vero, *Sic res acta est* (ita enim fere codd. et vett. edd.) istorum 'Ea res agitur;' reliqua, monente Bent. ex II. 3. 9. desumta sunt, vitii genere non infrequenti. Si quis tamen est, qui contra fidem optimorum librorum hoc quicquid est versiculi servare sibi cupiat, is sic emendabit: *Erravin'?* CH. *Sic res* ME. *Actum est? de spe decidi?*' 'Sensus facile probat, quod Bentleius, præeunte Faërno, personarum rationem sic ordinat: M. *Quid narras, Chreme? Immo hæc quidem quæ apud me est, Clitiphonis est Amica.* C. *Ita aiunt: et tu credis omnia: Et illam aiunt velle uxorem, ut cum desponderim, Des, qui,* &c.' *Zeun.* Abest *ipsa* Guelf. 2. *Narras* dat Perl.—11 Delph. *Erravi: res acta est: quanta de spe decidi?* Guelf. 1. CH. *Erravi res acta est.* ME. *Quanta de spe decidi.* Z. *Erravi: res acta: quanta de spe decidi!* Perl. *Erravi* ....—12 *Et quidem istæc q.* Guelf. 1. *Etiam* pro *Immo* 3. Ms. R. *Et quidem:* deinde in vett. lib. ἀντὶ τοῦ *hæc*, legitur *isthæc.* Lind. Br. *Equidem hæc quæ apud te est.* *Apud me* dant Perl. Z. Bip. Both.—13 *Est amica* Br. qui etiam legit, CH. *Et tu credis omnia?* duos seq. vss. etiam Chremeti tribuens.—14 Legendum monet Bent. *illam*, quod probant Perl. Both. *Desponderis* Bip. Delph.—15 Br. *et vestem.* Both. omittit *sunt.*—16 Br. *Id est profecto? id*

Daturum. ME. Vah! frustra sum igitur gavisus miser.
Quidvis tamen jam malo, quam hunc amittere.
Quid nunc renuntiem abs te responsum, Chreme,
Ne sentiat me sensisse, atque ægre ferat?
CH. Ægre? nimium illi, Menedeme, indulges. ME. Sine.
Inceptum 'st: perfice hoc mihi perpetuo, Chreme.
CH. Dic convenisse; egisse te de nuptiis.
ME. Dicam: quid deinde? CH. Me facturum esse omnia;
Generum placere: postremo etiam, si voles,
Desponsam quoque esse dicito. ME. Hem! istuc volue-
ram.
CH. Tanto ocyus te ut poscat, et tu id, quod cupis,
Quam ocyssume ut des. ME. Cupio. CH. Næ tu pro-
pediem,

amicæ Bacchidi. CH. *Scilicet credas eum daturum.* ME. *Vah! igitur ego miser frustra lætatus sum, existimans filium resipuisse: tamen malo quidvis mihi perire quam filium. Quid referam filio nunc, te mihi respondisse, Chreme, ne filius intelligat me intellexisse fallaciam, idque moleste ferat?* CH. *Moleste ferat? O Menedeme, nimium illi permittis.* ME. *Sine, jam incepi ei indulgere. Perfice, o Chreme, ut perpetuo id mihi liceat.* CH. *Dic illi te me adiisse, et mecum de nuptiis contrahendis egisse.* ME. *Dicam; quid postea?* CH. *Dic me esse facturum omnia, quæ petit; dic quoque gratum esse mihi, eum mihi generum fieri: postremo, si voles, dicito filiam meam a me ipsi desponsam esse.* ME. *Filiam tuam ipsi esse desponsam? hem, cupiebam te hæc dicere, ut ei renuntiarem.* CH. *Dic illi ista, ut tanto citius a te pecuniam petat, et tu illi quam citissime, quod cupis illi dare, largiaris.* ME. *Cupio dari, quodcumque poscet.* CH. *Certe, ut considero sumtum, quem es*

a. dabitur? Bent. Z. Perl. Delph. *Id e. profecto: id.*—17 Si cum Eugraphio et Bœclero verba hæc [*Scilicet Daturum*] Menedemo tribuas, q. d. Scilicet daturum me decrevi, vel, daturum me esse dicam, quod postulabit filius, minor emphasis erit in illis Menedemi, 'Vah! frustra sum igitur gavisus miser,' sub. filium meum Cliniam ad uxorem appulisse animum, et Antiphilam filiam tuam sibi in matrimonium petere. Nannio τὸ *Daturum* valde ignavum videtur. Ita tamen et Plautus Curc. II. 2. 13. 'Item alios Deos facturos, scilicet.' Guyeto in glossis Mss. τὸ *Vah* additamentum est histrionicum. Mur. mutavit in *ah.* Neque Juntæ, St. Er. aliique agnoscunt τὸ *sum.* Mss. variant. *West.* *Frustra igitur gavisus miser*] In omnibus libris est verbum *sum;* in Bembino quidem, post *frustra:* in aliis post *igitur:* sed antiquiorem lectionem admittendo, versum ita expedimus, ut vox *frustra* hic ultimam corripiat, quod exemplo non caret; ex *igitur* vero *r* elidatur. *Fa.* Leve hoc est, et facilem curam admittit. Lege pro *Vah*, quod dolenti magis convenit *Ah.* Sed aliud est, et paulo majus: Dixerat Menedemus, 'id amicæ dabitur;' cui respondet Chremes, 'Scilicet Daturum.' Quem? Si ad 'dabitur,' diserte respondes, dic (quæ vera lectio est) *Scilicet Datum iri.* Bent. Ita et legit Both.—20 Vulg. *sentiat me sensisse*, quod infantis. Codex C *sciat* pro *sentiat*, unde colligas, confusa inter se fuisse hæc verba, ita ut scriberent *sciat sensisse* pro *sentiat scire* vel *rescisse.* Both. qui inde legit *Ne sentiat rescisse me.*—22 GF. vere testatur, legi etiam *perpetuum:* quod prætulerim, ut ἐμφατικώτερον. *West.* Ita et Both.—26 Par.

Ut istam rem video, istius obsaturabere.
Sed hæc ita ut sunt, cautim et paulatim dabis,
Si sapies. ME. Faciam. CH. Abi intro; vide, quid postulet.
Ego domi ero, si quid me voles. ME. Sane volo:
Nam te sciente faciam, quicquid egero.

facturus brevi, te satias capiet istius filii. Sed, ita ut hæ res se habent, si sapienter vis te gerere, dabis argentum cum omni cautela et minutim. ME. *Ita faciam.* CH. *Abi domum tuam: vide quid petat: ego manebo domi, si quid voles me facere.* ME. *Sane volo: nam nihil faciam quicquam nisi ex tuo consilio.*

pro var. *Desponsatam.*—27 EP. *Tantocius.*—28 Br. *Ne tu. Scio* post *proped.* Guelf. 2.—29 Both. *Istanc rem v.* Ita et Guelf. 3. Mss. Pall. *adventui.* GM. *adventu.* At præstat *istius.* Perl.—30 Ms. Lips. *Sed hæc ista ut sunt.* Ita et EP. Rivius et F. F. defendunt, *S. hæc ut ut sunt*, h. e. qualiacumque sunt. Atque ita est in Mss. nonnullis et editis. *West.* Ubaldinus Bandinellus legebat, *Sed hæc ut ut sunt;* et est in V. at in Bem. *Sed hæc uti sunt:* quæ placet lectio. *Fa.* Meliores tres ex nostris, *Sed ut uti istæc sunt:* Alter, *Sed hæc uti ut s.* Vel lege: *hæc ut ut sunt*, vel *ut ut istæc sunt.* Nec hilum interest. *Bent.* Br. *Sed hæc ista ut.* Ita et vet. cod. ap. Lind. Bip. *Sed, hæc uti sunt.* Both. Delph. *Sed, hæc ut ut sunt.* Z. *Sed ut uti istæc sunt.*—31 M. Bodl. Bœnd. et Lips. *postulent.* Ita et omnes Mss. Bœcleri, et EP. EA. St. Junt. Ald. aliæ. *West.* Bem. et Vi. *postulet:* ita et duo ex Bentleianis. Br. *postulent.* Itid. GM. cum apice ita: *p o s t u l ē t.*—32 Both. *Sane volam.* —33 Alii *te scientem*, h. e. certiorem. Eug. et Mss. plurimi legunt, ut edidi. *West.* Aliqui libri, inter quos Bem. *te scientem:* id est, tibi renuntiabo: ita habebat et Vi. sed postea ex *scientem m* abrasum est. *Fa.* Duo ex nostris *scientem;* sed ex antiquiore *m* abrasum est. Recte tamen *scientem;* non quod illum alterum non sat bene se habeat, sed quod hoc melius. *Bent. Scientem* dant Bip. Both. Z. Delph.

ACTUS V. SCENA I.

MENEDEMUS. CHREMES.

ME. EGO, me non tam astutum, neque ita perspicacem esse, id certo scio:

ME. *Certo scio me non esse tam callidum, neque ita circumspectum: sed hic*

1 Mss. quidam omittunt τὸ *certo.* Unde nec in omnibus est impressis. *West.* Vulg. *astutum neque ita pers. esse certo scio:* sed *id* comparet in codd. nostris aliisque, et codex A: *astutum atque perspicacem.* Both. qui ipse legit *astutum ac pers.* Bent. Bip. Perl. Delph. *esse, id scio.* Z. *esse, certo*

Sed hic adjutor meus, et monitor, et præmonstrator Chremes,
Hoc mihi præstat. In me quidvis harum rerum convenit,
Quæ sunt dicta in stultum; caudex, stipes, asinus, plumbeus:
In illum nihil potest; nam exsuperat ejus stultitia hæc omnia.
CH. Ohe! jam desine Deos, uxor, gratulando obtundere,
Tuam esse inventam gnatam; nisi illos ex tuo ingenio judicas,
Ut nihil credas intelligere, nisi idem dictum sit centies.
Sed interim, quid illic jam dudum gnatus cessat cum Syro?
ME. Quos ais homines, Chreme, cessare? CH. Ehem! Menedeme, advenis?
Dic mihi; Cliniæ, quæ dixi, nuntiastin'? ME. Omnia.

Chremes auxiliator meus, et consiliarius, et præceptor in hoc me anteit. Omnia, quæ dicuntur in stultum, in me concurrunt; caudex, stipes, asinus, plumbeus: in illum nequaquam; nam ejus vecordia excedit hæc omnia. CH. *Ohe, uxor, cessa tædio et molestia Deos afficere toties gratias agendo, nisi illos ex tua natura æstimes, ut tibi persuadeas nihil illos percipere, nisi eadem centies eis dixeris. Sed interea cur Clitipho moratur tamdiu cum Syro apud Menedemum?* ME. *O Chremes, quos homines dicis morari tamdiu?* CH. *O Menedeme, ergo hic ades? dic mihi, retulistine Cliniæ quæ tibi respondi?* ME. *Omnia.* CH. *Quid dixit?* ME. *Ince-*

scio. Tam pro *ita* Guelf. 3. Bruns, *Ego me non astutum . . . . esse, id certe scio.* 'Vetus codex *tam perspicacem*, in eodemque libro *esse* desideratur.' *Lindenbrogius.*—3 Idem cod. Lind. *quod harum rerum vis.*—4 Nota constructionem, 'harum rerum quæ sunt dicta:' Guy. correctum voluit *horum.* Immo repone ex duobus nostris, uno 900. annorum, altero Regio, *Quæ s. dictæ.* Bent. Et sic jam ante Dac. *Dicta* defendit Bip. et Ruhnken. Pro *caudex* Guy. præfert *cautes*, ut est in Mss. quibusdam. Ita et Par. habet pro var. Guelf. 3. *stipex.*—5 Ita legendum esse, non *astutia*, quod Mss. quidam præferunt, vel unius Plauti auctoritas evincit. Quidam libri non agnoscunt τὸ *nam.* West. Bent. legit, *In illum nil potest: exuperat ejus stultitia h. o.* 'Cod. A, *nam exuperat*, et sic quoque vett. edd. minus fortiter. *Astutia* pro vulgato *stultitia* sumsi ex Hel. et vett. edd. Similiter 'astutus' valet Ad. II. 2. 13.' *Both.* qui igitur legit: *In illunc nil potest: exuperat omnia ejus astutia.* Perl. *nil potest.* Z. *nam* omittit.—6 Mss. quidam *congratulando.*—7 Guelf. 3. Both. *eos.*—8 Mss. et editi quidam, *nisi si idem dictum est.* West. *Dictum est* Bip. Both. Z. Delph. *Dictum 'st* Bent. Perl.—9 Al. *Sed quid interim illic.* Both. *Sed interim illi quid.*—10 *Quos ais homines, Chremes, cessare? Ehem, Menedeme, advenis?* Ex uno Academico abest *Chremes:* in altero Regio additum est *per tempus.* Repone *Quos ais homines cessare? Ehem per tempus, Menedeme advenis.* Bent. Ita et Perl. Bothius legit, *Quos cessare homines ais Chreme? Hem, per t. M. advenis.* Post *advenis* non interrogat

CH. Quid ait? ME. Gaudere adeo cœpit, quasi qui cupiunt nuptias.
CH. Ha! ha! he! ME. Quid risisti? CH. Servi venere in mentem Syri
Calliditates. ME. Itane? CH. Voltus quoque hominum fingit scelus.
ME. Gnatus quod se assimulat lætum, id dicis? CH. Id. ME. Idem istuc mihi
Venit in mentem. CH. Veterator! ME. Magis, si magis noris, putes,
Ita rem esse. CH. Ain' tu? ME. Quin tu ausculta. CH. Mane. Hoc prius scire expeto,
Quid perdideris: nam ubi desponsam nuntiasti filio,
Continuo injecisse verba tibi Dromonem, scilicet
Sponsæ vestem, aurum, atque ancillas opus esse, argentum ut dares.

pit lætari, tanquam illi qui volunt cupide uxorem habere. CH. *Ha, ha, he.* ME. *Quid risisti?* CH. *Astutiæ Syri venerunt mihi in memoriam.* ME. *Itane est?* CH. *Etiam scelestus ille format et docet homines vultus componere ad simulandum quemlibet habitum.* ME. *An hoc ais, propterea quod filius Clinia fingit se esse lætum?* CH. *Scilicet.* ME. *Ejusdem rei memini.* CH. *Syrus est veteranus in astutia et fallaciis.* ME. *Magis id verum esse, si eum magis cognoscas, existimes.* CH. *Itane est, ut dicis?* ME. *Quin tu ausculta.* CH. *Siste paululum; prius audire cupio quid perdideris per ejus technam et fallaciam: nam, postquam nuntiasti filio tuo filiam meam Antiphilam illi in uxorem a me promissam, nonne verum est Dromonem dixisse tibi illico necesse esse, ut dares sponsæ filii vestimenta, ornamenta aurea, pedissequas, servos, argentum?* ME. *Nihil mihi quicquam horum*

Br.—12 Ms. Lips. G. et Bœnd. cum EA. ET. EM. *occepit.* EP. *occipit.* West. Veterrimi ex nostris, *adeo occepit.* Bent. Ita Both. *Occep.* Guelf. 3. Ibid. *concipiunt.*—13 *Risti* pro *risisti* Guelf. 1.—14 M. *homini.* Distinguit Br. *fingit. Scelus.*—15 *Id*] Par. pro var. *idem.* Nisi anticipatum sit *idem* quod sequitur. *Perl.* Guelf. 1. *itidem,* pro *idem.* Ita et Br.—16 *Putas* Idem. 17 Mss. et editi quidam veteres, *expecto:* sed contra metrum. *West.* Lege *Manedum:* alioqui claudicat versus. Sæpe occurrit apud Plautum. *Bent.* Ita et Perl. Both. *Mane: prius scire expeto.*—18 Vet. cod. ap. Lind. *desponsatam. Credo* post *desponsam* Guelf. 3.—20 In Mss. quibusdam desideratur τὸ *atque.* Sed et in EA. et EP. qua particula omissa versus claudicat. *West.* Bem. et alii antiqui fere omnes, *atque ancillas;* ita etiam versu requirente. *Faërnus.* Unus tantum e nostris, et is recentior, habet *atque.* Nempe a Correctoribus venit, ad versum sustentandum: sententiæ enim nocet, quæ melius per Asyndeta decurrit. Illud quoque invenustum prorsus, quod 'aurum' sine accentu sit, 'atque' in ictu. Inverso ordine scripsit Auctor: *S. aurum, v. ancillas opus e. a. u. d.* Bent. Abest *atque* nostris et antiquioribus omnibus. C, *vestes.* Both. qui legit *S. vestes, aurum, ancillas o. e. a. u. d.*

ME. Non. CH. Quid? non? ME. Non, inquam. CH. Neque ipse gnatus? ME. Nihil prorsus, Chreme:
Magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiæ.
CH. Mira narras. Quid Syrus meus? ne is quidem quicquam? ME. Nihil.
CH. Quamobrem? ME. Nescio equidem: sed te miror, qui alia tam plane scias.
Sed ille tuus quoque Syrus idem mire finxit filium,
Ut ne paululum quidem suboleat, esse amicam hanc Cliniæ.
CH. Quid ais? ME. Mitto jam osculari atque amplexari: id nihil puto.
CH. Quid est, quod amplius simuletur? ME. Vah! CH. Quid est? ME. Audi modo:

dixit. CH. *Quid, non dixit?* ME. *Nihil, inquam, quicquam simile dixit.* CH. *Neque ipse filius?* MEN. *Nihil prorsus; sed potius urgebat solummodo, ut hodierno die nuptiæ celebrarentur.* CH. *Mira refers. Quid? Syrus servus meus, nihilne etiam quicquam petiit?* ME. *Nihil.* CH. *Cur nihil petiit?* ME. *Hoc ego quidem ignoro: sed te illud nescire valde miror, qui tam clare et perspicue res alias scias; ille idem Syrus informavit etiam mirum in modum filium, adeo ut ne tantillum quidem sentiat quisquam amorem Cliniæ erga Bacchidem.* CH. *Quid ais?* ME. *Nunc omitto osculationes atque amplexus Clitiphonis et Bacchidis.* CH. *Quid est quod amplius simulari possit, ubi ventum est ad oscula et amplexus?* ME. *Vah!*

Atque omittit Perl.—21 *Quid? non?* Duplicem feci interrogationem, monente Bœclero, ob majorem emphasin. *West.* *Non? quid non?* Lege *Qui non?* Bent. *Quid non?* Br. Perl. Z. Bip. Delph. Bothius legit *Non.* CH. *Quid?* ME. *Non, inquam.* Bent. Perl. *prorsum.*—22 Vulg. *Magis unum.* B: *Magis hoc unum.* *Unum* si dedisset scriptor, præcipuum id versus locum sibi posceret, quod fieri nequit. *Both.* qui igitur dat *Magis nunc etiam.* 'Ms. Pal. 3. *Magis hoc u.*' Perl.—24 Prava hic distinctio est, quæ omnem sententiæ venerem extinguit. Repone, *Quamobrem, nescio.* ME. *Equidem miror; qui alia tam plane scias.* Bent. Ita et Perl. Both. Bip. legit *Q. nescio.* ME. *Equidem te miror, q. a. t. p. s.* et notat, 'illud *sed* hoc loco male ingestum, cum sq. versus adversetur 'Sed ille,' recte omisere Er. al.' Z. habet *Quamobrem?* ME. *Nescio; equidem miror, qui a. t. p. s.*—25 Ita Fa. et G. F. Alii, *Sed tuum ille.* Mss. et editi veteres variant. *West.* Bem. Vi. et tres ex Bentleianis *Sed ille tuum.* Ita et Eug. Z. Perl. *Sed tuum ille* Bip. Delph. *Sed ille q. tuus* Bruns. 'Vulg. *Sed ille tuum q. S. idem, &c.* sed A et B *itidem,* nostrique omnes et Calph. *tuus.* Scilicet utrumque, *tuus* et *tuum,* esse genuinum, nomenque servi ex int. irrepsisse.' *Both.* qui igitur legit, *Sed ille tuus tuum q. idem m. f. f. ut.*—26 Guyetus, metro consulturus, delet τὸ *amicam,* sed contra fidem Codicum. *West.* Veterrimus noster *subolat.* Alter *subolet.* Ceteri omnes *suboleat.* Bent. *Subolat* Br. Perl. 'C *paulum,* quod versui convenit.' *Both.*—27 Vulg. *mitto:* sed cod. B *omitto,* recte, ut iambicus hic sit versus, qualis et sequens. *Idem.* Guelf. 3. *mittam.* Bent. Perl. Bip. Both. Z. Delph. *nil puto.*—28 ME. *Vah!*

Est mihi in ultimis conclave ædibus quoddam, retro:
Huc est intro latus lectus; vestimentis stratus est.
CH. Quid, postquam hoc est factum? ME. Dictum factum, huc abiit Clitipho.
CH. Solus? ME. Solus. CH. Timeo. ME. Bacchis consecuta 'st illico.
CH. Sola? ME. Sola. CH. Perii! ME. Ubi abiere intro, operuere ostium. CH. Hem!
Clinia hæc fieri videbat? ME. Quidni? mecum una simul.
CH. Filî est amica Bacchis, Menedeme. Occidi!
ME. Quamobrem? CH. Decem dierum vix mihi est familia.
ME. Quid? istuc times, quod ille operam amico dat suo?
CH. Immo quod amicæ. ME. Si dat. CH. An dubium id tibi est?

CH. Quid est? ME. Ausculta nunc mihi. Est quoddam cubiculum secretum in interiori parte domus meæ: lectus portatus est intro in istud cubiculum: paratus est et ornatus est stragulis. CH. Postquam hoc factum est, quid consecutum? ME. Dicto citius, Clitipho in conclave se conjecit. CH. Solus? ME. Solus. Bacchis illico eodem abiit post illum. CH. Sola? ME. Sola. CH. Perditus sum. ME. Postquam introierunt, clauserunt januam. CH. Hem! Clinia hæc intuebatur? ME. Cur non intuitus esset? mecum simul una intuebatur. CH. O Menedeme, Bacchis est amica filii Clitiphonis; perii. ME. Quamobrem? CH. Vix habeo rem familiarem ad decem dies. ME. Quid? an times istud, quod inservit Cliniæ amico? CH. Quin potius timeo quod amicæ inservit. ME. Si verum est quod amicæ inservit. CH. An de hoc dubitas? aliquemne putas esse animo ita

CH. *Quid est?* ME. *Audi modo.* Hæc Menedemo tribuit Guy. et legit: ME. *Vah! quid est? audi modo.* Improbat West.—29 Guy. ob versum, *conclavis.* Et mox *quædam:* idque pluribus etiam astruit tam in Scholiis Mss. quam editis. *West.* *Est mihi ultimis conclave in ædibus.* Bem. et omnes fere alii, etiam ex antiquis, ita collocant, *Est mihi in ultimis:* procedet versus, vel vitando synalœpham, vel disjungendo diphthongum in voce 'aedibus.' *Fa.* Atqui ea lectio sola vera est, *Est mihi ultimis.* Neque enim synalœpha omitti, nec dissolvi diphthongus iste potest. *Bent.* Both. *Ultimis est mihi c. in ædibus.* Z. *Est mihi in u. c. in æd.*—31 *Quid posthac* Guelf. 3. Ibid. et 2. *Dict. ac factum.* Ita et Calph. Br. EA. EP.—34 Guelf. 2. *hoc.* Mss. et edd. quidam *una mecum.*—37 Both. *Qui istuc times, quod operam a. d. suo?* Etiam Br. non interrogat post *Quid.*—38 *Immo amicæ.* L. s. fere o. *Immo quod a.* quæ particula explendo et sermoni et versui necessaria est. *Fa.* Sic et nostri omnes. *Bent.* Abest *quod* Guelf. 2. Interrogat Br. post *dat.*—39 In

NOTÆ

28 *Vah*] Hac interjectione Menedemus significat multo plura esse ignota Chremeti.

Quemquamne animo tam communi esse, aut leni putas,
Qui se vidente amicam patiatur suam?
ME. Quidni? quo verba facilius dentur mihi.
CH. Derides? merito mihi nunc ego succenseo.
Quot res dedere, ubi possem persentiscere,
Nisi essem lapis? quæ vidi! væ misero mihi!
At næ, illud haud inultum, si vivo, ferent:
Nam jam! ME. Non tu te cohibes? non te respicis?

benevolo et commodo, ut ferat amicam seorsum abduci in conspectu tuo? ME. Ha, ha, he: quare non id fiat ab his, ut facilius decipiar? CH. Me ludis. Jure mihi nunc irascor. Quot signa hujus mali mihi data sunt, ex quibus possem percipere ea, quæ adversus me facta sunt ab illis, nisi essem stupidior lapide? o quæ aspexi! væ misero mihi! sed certe non ferent hoc facinus impunitum, si vita suppetit; nam jam. ME. Tu non te moderaris? tu non habes rationem prudentiæ tuæ? non ego

EA. ET. et EV. 1. 2. est *comi*, non *commi*, quod in veteri Veneto deprehendisse se testatur Mur. et quod forsan possit valere *communi.* Faërnus dubitat, an 'animus communis' satis Latine hoc sensu dicatur. Certe Vir Cl. J. G. Grævius ex Mss. ita edidit ad Suet. Vesp. 22. 'Super cœnam autem, et super aleas communissimus,' h. e. valde affabilis et familiaris. Ita et legit Gruterus ex Ms. Pal. primo, et Casaubonus ex Viterbiensi. Atque ita est in EP. aliisque veteribus, sed et Ms. Lips. et Tr. et duobus Leidd. In uno *cōi.* Ita et in Ms. Bœnd. Sed in Bodl. *communi et leni.* Westerhovius. G. *communi.* ET. *cōi et leni.* Idem in Add. *Quemquem animo tam communi esse, aut leni putas.* Et hic quoque o. fere l. s. inter quos Bem. et omnes fere antiqui, præter Bas. habent, *Quemquamne:* aliqui vero pro *communi*, *comi;* quod mihi maxime placet. Sed multo maxima pars ita scriptum, ut et pro *communi* et pro *comi* accipi possit, hoc modo *cōi.* Movet me ut *comi* malim, non modo ratio versus, qui, si *communi* legas, stare non potest; sed etiam quod non fere vocabulum 'communis' invenias in hac significatione, qua hic ponitur, nisi (et id quidem judicio nostro mendose) apud Suetonium, in vita Claudii, de quo in notationibus emendationum ejus auctoris fusius disseremus. Sane et in quibusdam libris impressis *comi* legi testatur Jo. Rivius, ut sciatur, non nos hoc primum advertisse, nec publicasse: certis tamen de causis lectionem vulgatam retinebimus. *Fa.* Pro *aut*, nostri fere omnes *et.* Repone, *Quemquamne t. a. comi esse et leni putas.* Bent. *Comi esse, et leni* Bip. ex Arg. *Comi* Both. *Et leni* Perl. *Quenquam a. t. communi esse et leni p.* Br.—40 Guelf. 2. *Quod.*—41 EP. *Ha! ha! he! quidni?* M. et cod. Lips. *Ah! ah! eh! quidni?* Dictum autem εἰρωνικῶς: unde mox Chremes; 'derides?' inquit. *West.* ME. *Ah! ah! eh!* Hæc non sunt in Bem. et certe risus non videtur habere hic locum. Sed nec versus hæc recipit. *Fa.* Nec agnoscunt plerique nostri. *Bent.* Br. *Ah. quidni, q. . . . . mihi?* Interrogat et Both. post *mihi.* *Ha ha he: quidni* Guelf. 2. 3.—42 Lege et distingue, *Derides? merito: ut mihi nunc e. s.* Bent. Both. *Derides merito. Mihi n. e. s.* Br. *Derides. Merito m. n. e. s.*—43 *Quod* Guelf. 2. EP. *præsentiscere.*—44 L. o. s. *Ni essem lapis?* Fa. '*Ni essem lapis.* Vides, quam incommode accentus fiant. Decem e nostris habent *Nisi.* Lege igitur *Nisi si e. lapis: quæ vidi? væ m. mihi.*' Bent. Br. *Ni essem lapis; quæ vidi. Væ m. mihi.* Perl. *Nisi si e. lapis? quæ vidi! væ m. mihi!* Bip. *Ni essem lapis?* Both. *Nisi lapis eram. Quæ.*—45 Guelf. 3. *id* non *illud.*—46 Lacunam habent post

Non tibi ego exempli satis sum? CH. Præ iracundia,
Menedeme, non sum apud me. ME. Tene istuc loqui?
Nonne id flagitium 'st, te aliis consilium dare,
Foris sapere; tibi non posse auxiliarier?
CH. Quid faciam? ME. Id quod me fecisse aiebas parum.
Fac te patrem esse sentiat; fac ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere, et poscere;
Ne quam aliam quærat copiam, ac te deserat.
CH. Immo abeat, multo malo, quovis gentium,
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem:
Nam, si illi pergo suppeditare sumtibus,
Menedeme, mihi illæc vere ad rastros res redit.

sum sufficiens exemplum tibi? CH. *O Menedeme, non sum mei compos, adeo sum ira commotus.* ME. *Decetne te istud loqui? nonne id reprehensione dignum, te aliis consulere, in alienis rebus sapientem esse, et te non posse tibi opem ferre, et moderari?* CH. *Quid agam?* ME. *Id quod me dicebas non sufficienter egisse in filium: fac ut tuus filius experiatur te esse patrem ipsius: ita, ut committere audeat tibi omnia consilia: modeste petere, et postulare quod honestum est, ne aliunde habendi, quæ cupit, facultatem inveniat, ac te relinquat.* CH. *Quin potius discedat quocumque volet, quam hic manens deducat me ad egestatem per nequitiam ac libidinem: nam, o Menedeme, si perseverem illi subministrare impensas ad fovendam meretricem, mihi res familiaris eo redigetur, ut rem rusticam facere, fodere et*

Nam jam Bip. Perl. et Both. Guelf. 3. legit *Omnia jam.*—49 Fr. Pith. *Nonne istud f.* Lind. Abest *id* Guelf. 1.—50 *Non posse auxiliarier.* Syllaba deest, quam typographi culpa excidisse credo. Siquidem codices nostri universi, *non posse te aux.* Taceant itaque, qui synalœpham hic omitti propter sequentem diphthongum volunt. *Bent.* *Te* habent Br. Both. Perl. Delph.—51 R. *Quid vis faciam?* An legendum, *Quid vis faciam? Id q. m. f. aibas parum.*' Sed recte unus ex Meadianis *quod tu me.* Repone, *Quid faciam? I. q. tu m. f. aibas p.* Nusquam, si memini, aliter Noster, quam 'aibam,' 'aibas,' 'aibat,' per disyllabon. *Bent.* Ita et dant Both. Perl. Post *aiebas* distinguit Br. *aiebas; parum.* Abest *tu* Guelf. 2. 3. qui etiam *parumper* habet.—52 Al. *Fac te esse patrem.* Codex Academicus et edd. vett. præterea veterrimus noster, *ut sentiat.* Repone *F. te esse patrem ut sentiat: fac ut audeat.* Bent. Ita et GC. Both. Perl.—55 Alii, *multo potius.* Rursus alii, *potius malo.* Lectio, quam exhibeo, vincit numero Mss. et edd. vetustissimarum. Et est Plauto familiaris. *West.* Bent. præfert lectionem *potius malo.* Ita et Both. *Multo malo* probat et defendit Bip.—57 Insolens constructio, seu tertio, seu sexto casu ponatur τὸ 'sumtibus.' Conjiciebam scripsisse Terentium, *illis .... sumtibus.* Ut adeo, 'suppeditare sumtibus' esset, parem esse sumtibus, seu, exæquare sumtus sua liberalitate. Expeditissima tamen conciliandi ratio videtur levis mutatio interpunctionis, ita, *Nam si illi pergo suppeditare, sumtibus, Menedeme, m. &c.* Ms. Lips. et Bodl. *si illi pergam.* Ita et EA. EP. aliæ. *West.* Bem. et Vi. *pergo.* Recte: nostri tamen omnes *pergam.* Porro ex eis duo *illius.* Repone *N. si illius pergo s. s.* Bent. Br. *pergam.* Perl. *illius pergo.* Both. *illis pergo.* 'Cave,' inquit Bip. 'cum Bent. rescribas *illius*, aut cum West. conjicias *illis.* Suppeditare enim sumtui alicujus, est illum tolerare posse; quod Chremes negat.'—58 *Mihi illæc vero.*

ME. Quot incommoditates in hac re accipies, nisi caves?
Difficilem ostendes te esse, et ignosces tamen
Post; et id ingratum. CH. Ah! nescis, quam doleam.
ME. Ut lubet.
Quid hoc, quod volo, ut illa nubat nostro? nisi quid est,
Quod mavis. CH. Immo et gener et affines placent.

arare terram cogar, sicut fecisti. ME. *Quot molestias capies in hac re, nisi tibi consulis? tu te præbebis morosum et durum filio, et tamen illi veniam condonabis postea, et ingratus erit filius, nullam gratiam veniæ habebit tibi.* CH. *Ah, non novisti quanto dolore sim affectus.* ME. *Doleas ergo quantum libuerit tibi. Verumnum fieri tandem vis hoc quod posco; ut filius meus ducat uxorem tuam filiam? nisi quid aliud est, quod tu præoptes.* CH. *Immo et Clinia futurus gener et affini-*

Sic ex Bem. Fa. perperam. Nostri omnes *vere:* quæ vera lectio est. Sed et aliud restat: *illæc . . . res* sine dubio mendose. Absolute enim dici solet 'res redit:' nunquam cum pronomine vel adjectivo. Bene ergo cod. Regius a prima manu *illic:* quod postea *illæc* factum. *M. mihi illic vere ad r. r. r.* Bent. Ita et Perl. Both. legit et defendit *illic vero.* *Illæc vero* Z.—59 EA. EP. et Junt. Ald. aliæ, Lindenbruchii Ms. et vetus codex, Ms. Lips. et Bœnd. *Quot incommoda tibi in hac re capies:* quam lectionem tuetur Faërnus. Sed Juntina altera ea emendatione Faërni, 1565. Rob. Stephani cum plusculis aliis exhibent, ut edidi; atque haud scio, an melius, consentientibus nonnullis Mss. Terentiana sunt, 'commoditas' et 'incommoditas,' in contrahendis nuptiis. Malim, si per Codices liceret: *Ex hac re.* Mur. tamen, *Quot incommoditates in hac re accipies*, utpote contra metri leges scriptum repudiat. *West.* Hic versus vix mihi videtur sustentari posse, nisi forte elidendo ex *Quot t:* quæ dictio in libro Bembino per *d* scripta est; neque id errore aliquo, sed perpetuo more ejus librarii, et abjiciendo per synalœpham ultimam syllabam dictionis 'incommoditates:' eliso prius *s.* Ceterum o. l. s. præter Bembinum, ita habent hunc versum, eodem sensu, sed numero meliore, *Quot incommoda tibi in hac re capies nisi caves?* Fa. Bene est quod monuit Fa. in Bem. fuisse *Quod.* Unus ex Meadianis, *Quod incommodi tibi.* Repone *Quod incommodi tibi in h. r. a. n. caves?* Bent. 'In Par. Mss. *incommoda.* Bent. *Quod incommodi*, mire.' *Perl.* Both. legit *Quod incommodi tibi i. h. r. capies, n. caves? Capies* habet quoque Calphurnius. Br. *Quot incommoda tibi capies nisi caves.* Bip. Delph. *Quot incommoda tibi in hac re capies, n. caves? Tibi* post *incom.* Guelf. 2.—60 Al. *ostendis.* Bothius legit *D. ostendes te et ignosces post tamen.* Al. colloc. *et tamen post ignosces.*—61 Bœnd. G. et Bodl. sed et EP. et EM. *Et id erit ingratum.* EA.: *Et id erit tibi ingratum.* Utrumque ex glossa. Vide supra II. 3. 21. Alii, *quid doleam:* quod defendunt Rivius et Guy. *West.* *Et id ingratum erit* Both. *Et id erit ing.* Br. Ms. Par. *e. id tibi erit i.*—62 *Quid hoc, quod volo.* Ita præter Bœnd. M. et Tr. legit EP. tum EV. 1. Daventriensis, Junt. aliæ; itaque recensuerunt Mur. et Heinsius. Robertus Stephanus, Aldus, Fabrini, nuperi quidam, *Quid hoc, quod rogo.* Est autem *volo* vehementer cupio. Sic And. III. 3. 18. Heaut. V. 4. 4. Tum confirmant lectionem quam exhibeo, quæ proxime sequuntur, 'nisi quid est, Quod mavis,' h. e. magis vis. Eandem lectionem contra Goveanum et Guyetum delentes τὸ *hoc*, defendit J. Fr. Gronovius, ad Plaut. Bacchid. II. 3. 15. *West.* 'Lege,' inquit Bent. 'ex nostris universis, *Quid hoc quod volo.*' 'Vulg. *Q. h. q. rogo*, frustra exasperato versu. Bentleiani et nostri præter Gu. 1. *quod volo.*' Both. qui *hoc* omittit, et ordinat *illa ut nubat.* *Rogo* Guelf. 1. 3 Br.

ME. Quid dotis dicam te dixisse filio?
Quid obticuisti? CH. Dotis! ME. Ita dico. CH. Ah!
ME. Chreme,
Ne quid vereare, si minus: nihil nos dos movet.
CH. Duo talenta pro re nostra ego esse decrevi satis.
Sed ita dictu opus est, si me vis salvom esse, et rem, et filium,
Me mea omnia bona doti dixisse illi. ME. Quam rem agis?
CH. Id mirari te simulato, et illum hoc rogitato simul,
Quamobrem id faciam. ME. Quin ego vero, quamobrem id facias, nescio.

tas ejus mihi sunt grata et accepta. ME. *Quam dotem nuntiabo filio meo te dixisse? cur taces?* CH. *Quam dotem dicere velim filiæ?* ME. *Id quæro.* CH. *Ah!* ME. *Nihil timeas, etiamsi modicam dixeris: non dos nos ducit.* CH. *Ego decrevi duo talenta sufficere pro ratione nostrorum bonorum. Sed, si vis me esse salvum, et rem meam, et filium meum, opus est ut dicatur me doti constituisse omnem meam substantiam.* ME. *Quid agis?* CH. *Fingito te mirari quamobrem id faciam, et simul quærito ab illo (filio Clitiphone) quam putet esse hujus rei causam?* ME. *Quinimmo, certe egomet ignoro, cur illud agas.* CH. *Cur ego id*

quod volo ut tua nubat nostro; Dein cum τῷ *nisi* vs. sequentem incipit.—63 *Quod malis* Br. vet. cod. Lind. Guelf. 1. 2. 3. Both. Delph.—64 Ordo est, *Q. d. d. filio, te dixisse?* West. Bent. et Both. legunt *filiæ:* quod se mirari dicit Perl. nam genero dos dabatur, non filiæ.—65 Vulg. *Ita dico,* ex int. quod ostendunt sequentia, ubi procul dubio ex C elegans *si quid minus* recipiendum est pro vulgato *si minus.* Idem liber: *Nil vereare.* Both. Qui igitur hunc et seq. versum legit *Quid obticuisti? Dotis? Ita. Ah . . . Ne quid Chreme, Vereare, si quid minus est: nil nos dos movet.*—66 *Si*] Par. Ms. *est:* quod glossema esse mihi videtur. *Perl.* Bip. *minu'.* Al. *Nihil dos nos movet.*—68 Lege meliore numero *Sed ita dictu est opus.* Bent. Ita et Perl. Both. Mss. quidam: *et filium, et rem.*—69 Abest *Me* Guelf. 3. Idem cum Bodl. et Br. *dotis* pro *doti.* Both. legit *Omnia mea doti dixisse illi me bona.*—70 Mss. quidam: *Id emirari te simula.* Bodl. non agnoscit τὸ *hoc,* neque EA. *West.* Br. *I. emirari*

NOTÆ

64 *Quid dotis dicam te dixisse*] Dicere dotem, et promittere dotem, differunt in antiquorum Jurisconsultorum libris. Dicere dotem, est certis verbis promittere, nulla interrogatione vel stipulatione præcedente: promittere dotem, est cum stipulatione promittere. Dotis dictione tres solum personæ obligari poterant, scilicet, mulier ipsa, debitor ejus, et pater.

65 *Quid obticuisti*] Ita dixit, quasi puderet Chremetem dicere, quod parva dos videretur; nam tacemus consilia, reticemus dolores, obticemus quorum nos pudet.

CH. Egone? ut ejus animum, qui nunc luxuria et lascivia
Diffluit, retundam; et redigam, ut, quo se vortat, nesciat.
ME. Quid agis? CH. Mitte; sine me in hac re gerere mihi morem. ME. Sino.
Itane vis? CH. Ita. ME. Fiat. CH. Age jam, uxorem ut arcessat, paret.
Hic, ita ut liberos est æquom, dictis confutabitur.
Sed Syrum! ME. Quid eum? CH. Egone? si vivo, adeo exornatum dabo,
Adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit semper mei;
Qui sibi me pro ridiculo ac delectamento putat.

agam? ut reprimam illius mentem, qui dissolutus est libidine et petulantia, et deducam in eum statum ut nesciat in quam partem se vertat. ME. *Quid facis?* CH. *Omitte ac permitte satisfacere animo meo in hac re.* ME. *Non impedio. Visne ut ita fiat?* CH. *Ita volo.* ME. *Fiat.* CH. *Age, ut jam Clinia accersat Antiphilam, præparet se ad nuptias. Hic (Clitipho) ita verbis convictus objurgabitur, ut justum est reprehendi liberos a parentibus; sed Syrum puniam supplicio quo dignus est.* ME. *Cur illum punies?* CH. *Quærisne? Si vita superest, ita illum excultum, politum, et comtum dabo, ut mei semper recordaturus sit: qui (Syrus) putat me esse dignum, quem ludibrio habeat, et fallat. Dii ita mihi sint*

te simulato e. i. rogitato. Admirari pro *Id m.* Guelf. 1. Abest *hoc* 3.—72 Nonius Marcellus *Ego, næ si vivo.* M. ET. *illi animum.* Mss. duo Bœcleri, G. EM. *illius animum.* West. *Illius* Br. Both. Bip. Delph. *In luxuria* Guelf. 1. —73 Mss. plusculi *Defluit. Et* omittunt Bent. Perl. Z. Delph.—74 Mss. quidam *Quid ais?* alii *ac sine me.* Pro *sino* Dac. præter fidem codicum *sine* legit, et Chremeti tribuit: quod scilicet Menedemus non queat commode dicere, 'Sino,' antequam rogasset, 'Itane vis?' Idem placebat V. C. Jacobo Perizonio. *West. Mitte ac sine.* In Bem. asyndeton est, *mitte, sine:* quod concitate loquenti aptius. *Fa.* Omnes nostri, *mitte ac sine;* quo versus numerosior fit. *Bent.* Ita et Br. Both. Perl. *Dimitte* Guelf. 2. 3.—75 *Age jam ut uxorem accersat, paret.* Bem. *Ac jam.* Omnes vero quotquot sunt l. s. ita collocant: *uxorem ut accersat.* Fa. *Ac jam* Bent. Perl. Both. Bip. '*Paret.* M. cum duobus Pall. *præparet.* Ita et Mss. omnes Bœcleri, et EP. Bœnd. et EA. *præparet se.*' West. *Accersat præparet* Br. *Accersat* Delph. *Et præparet se* Guelf. 1. *Præparet* 2. 3. Ita et vet. cod. ap. Lind.—77 Reponit Bent. *Ego, si vivo, eum adeo exornatum dabo.* Ita et Perl. Both. legit *Ego, si vivo, næ adeo e. d.* '*Ego næ si vivo, adeo e. dabo.* Al. *Egone?* quod non satis hoc loco convenit. Nos sequimur Non. Marcell. veteresque edd. ET. Arg. c. figg.' *Bip.*—78 G. cum ET. et EM. *Depexum usque.* Bodl. *usque, ut dum vivat.* EP. *usque dum vivat.* West. *Adeo depexum, ut dum vivat, meminerit semper mei.* Sic dedit Fa. et sic extat apud Nonium. Sed tres ex nostris notæ optimæ, *Adeo depexum, usque ut dum vivat meminerit semper mei.* Plurimi, *usque dum vivat:* uni tantum recentissimo deest *usque.* Repone, *Adeo pexum, usque ut dum vivat meminerit semper mei.* Bent. Br. *usque ut dum vivat, m. s. me.* Guelf. 2. *depess. usque dum.*—79 Alii *deridiculo.* Pro *delectamento* Mss. et editi quidam, *oblectamento:* quod defendit Guy. *West.* Legendum monet Bent. ex veterrimis, *deridiculo:* quod et versus exposcit, et Plautus

Non, ita me Di ament! auderet hæc facere viduæ mulieri,
Quæ in me fecit.

propitii; ille Syrus non auderet facere viduæ mulierculæ ludos et technas quas mihi fecit.

Tacitusque usurparunt. Ita et habent Br. Perl. Both.—80 Omnes fere l. s.
facere hæc: quæ collocatio rationi trochaici servit. *Fa.* Sic et nostri uni-
versi. *Bent.* Ita et Br. Perl. Bip. Delph. 'Vulg. *viduæ mulieri.* Atqui 've-
tula,' 'vetus mulier' 'senex mulier,' in convitiis sunt, 'vidua' non est,
nec causam, cur sit, invenias. Legitur quoque vulg. minus quidem elegan-
ter: *auderet facere hæc viduæ mulieri.* *Uni* extat in Hel.' *Both.* qui inde legit,
auderet uni hæc vetulæ m.—81 Guelf. 1. *Quod.* Bœnd. additum *tantas illusiones.*
Both. legit *Mihi quæ fecit.*

ACTUS V. SCENA II.

CLITIPHO. MENEDEMUS. CHREMES. SYRUS.

CL. ITANE tandem, quæso, Menedeme, ut pater
Tam in brevi spatio omnem de me ejecerit animum patris?
Quodnam ob facinus? quid ego tantum sceleris admisi miser?
Volgo faciunt. ME. Scio, tibi esse hoc gravius multo, ac durius,
Cui fit; verum ego haud minus ægre patior, id qui, nescio;
Nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo volo.

CL. *O Menedeme, rogo, itane tandem pater expulit animo omnem paternam benevolentiam in tam parvo tempore? propter quod delictum? quod tam grave scelus ego infelix commisi? æquales mei facere solent quod ego feci.* ME. *Scio hoc tibi, cui fit, esse molestius et acerbius multo, quam ulli alii; sed ego id fero non minus moleste tui causa; id quomodo nescio nec causam, cur id doleam, intelligo, nisi*

1 *Itane tandem quæso.* His addebat Ubaldinus verbum *est:* quod et in ali-
quibus libris legitur, præsertimque in omnibus antiquis, præter Bem. *Fa.*
Omnes etiam nostri *quæso est.* Bent. Ita et Br. Perl. Both. Bip. Delph.
Abest *quæso* Guelf. 2.—2 Illa, *de me*, non leguntur in omnibus Mss. *West.*
Both. *patris animum ejecerit?*—4 In quibusdam libris est, *Volgo id f.* quan-
quam τὸ *id* elegantius abest. *West.* Nullus l. s. habet dictionem *id*, præter
Vi. *Fa.* Nec ullus ex nostris. *Bent.* Gu. 1. *Vulgo id f.* ut legit et Calphur-
nius. *Both.*—5 Distinguit Bent. *patior. Id qui, nescio Nec rationem capio.* Bip.
patior id, qui nescio; Nec. Br. *patior id, qui nescio Nec.* Legit et distinguit
Ruhnken. *V. e. haud minus patior: id qui nescio Nec.* Z. *patior: id qui nescio,*
Nec. 'Cod. C. *idque* recte.' *Both.* qui igitur legit *patior idque nescio Nec.*—

CL. Hic patrem astare aiebas? ME. Eccum. CH. Quid me incusas, Clitipho?
Quicquid ego hujus feci, tibi prospexi, et stultitiæ tuæ.
Ubi te vidi animo esse omisso, et, suavia in præsentia
Quæ essent, prima habere, neque consulere in longitudinem;
Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut hæc posses perdere.
Ubi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare,
Abii ad proximos, qui erant tibi; eis commisi, et credidi:
Ibi tuæ stultitiæ semper erit præsidium, Clitipho;
Victus, vestitus, quo in tectum te receptes. CL. Hei mihi!
CH. Satius est, quam te ipso hærede hæc possidere Bacchidem.
SY. Disperii! scelestus quantas turbas concivi insciens!
CL. Emori cupio. CH. Prius, quæso, disce, quid sit vivere:

quod tibi cupio quæ vis omnia. CL. *Dicebas hic patrem meum prope esse.* ME. *Ecce eum.* CH. *O Clitipho, quid me culpas? quicquid in hac re feci, ut providerem tibi, et tuæ insaniæ, id factum est, postquam te cognovi esse desidem et ignavum, et reputare ea esse præcipua, quæ tibi dulcia et jucunda sunt in tempore præsenti, neque providere longe in futurum; inveni modum, ut neque tu indigeres necessariis, neque posses absumere hæc mea bona. Postquam tibi, cui debui primo hæredi, non potui propter tuos mores mea bona donare, converti me ad consanguinitate proximos, nempe ad sororem: eorum fidei commendavi, o Clitipho, illa bona; apud eos quoddam perfugium atque auxilium habebis semper tuæ stultitiæ, victum, vestitum, et tectum quo te recipias.* CL. *Hei mihi!* CH. *Melius est ita me disposuisse de bonis meis, quam Bacchidem hæc habere: quod fieret, si tu esses mihi hæres.* SY. *Disperii. Quantos motus ego scelestus excitavi imprudens!* CL. *Mortem omnino desidero.* CH. *Obsecro, disce primo quid sit cum virtute et ratione*

7 In Bem. pro *astare* legitur *esse;* et versus expeditius est: quanquam et
illo modo stare utcumque possit. *Fa.* Apparet hic in Bem. manus correc-
toris. Cum omnes codices *astare*, iste solus habet *esse;* quia 'aiebat' tri-
syllabon accepit. At ubique Noster 'aibas,' 'aibant.' *Bent.* *Eccum.* Hoc
vulg. Menedemo tribuunt; sed Syrus interrogatus fuit, neque adest ille.
Both. qui etiam *aibas* legit. Verba *Quid me, &c.* in Bip. novam Scenam in-
cipiunt.—8 EP. *Quicquid hujus rei feci.*—9 In Ms. Lips. est: *omisso et suavi.*
—11 EP. et Mss. quidam, *ut neque tu egeres.* Ita et Non. Marcellus. *West.*
Cod. scriptus 900. annorum *egeris* et *possis.* Fortasse legendum est: *ut*
neque egeas, neque ut hæc possis perdere. Bent. *Ut neque tu e.* Br. *Tu eger.*
Guelf. 2. 3. Abest *ut* posterius 2.—12 *Me* post *cui* 3. *Cui cui* 2.—14 Both.
præsidium erit.—15 *Receptas* Guelf. 1. 3.—16 *Satius hoc est* 1. *Sat hoc est* 2.

Ubi scies, si displicebit vita, tum istoc utitor.
Sy. Here, licetne? Ch. Loquere. Sy. At tuto? Ch.
Loquere. Sy. Quæ ista 'st pravitas,
Quæve amentia est, quod peccavi ego, id obesse huic?
Ch. Ilicet.
Ne te admisce: nemo accusat, Syre, te; nec tu aram tibi,
Nec precatorem pararis. Sy. Quid agis? Ch. Nihil
succenseo,
Nec tibi, nec huic: nec vos est æquom, quod facio, mihi.
Sy. Abiit; vah! rogasse vellem. Cl. Quid? Sy. Unde
mihi peterem cibum:
Ita nos alienavit: tibi jam esse ad sororem intelligo.

vivere: postquam didiceris, si vitæ pertæsus fueris, tunc utitor hoc sermone. Sy. *An permittis mihi te alloqui?* Ch. *Loquere.* Sy. *At licetne loqui sine periculo?* Ch. *Loquere.* Sy. *Quæ est ista perversitas, vel quæ est ista mentis insania, id nocere huic filio tuo quod peccatum commisi?* Ch. *Desine plura loqui; ilicet; actum est, quod constitui perficietur. Noli te in hoc negotio interponere, o Syre; nemo accusat te: noli tibi quærere asylum, nec deprecatorem, quoniam non indignor, neque ulla tibi minitor, neque Clitiphoni, nec justum est vos vicissim mihi irasci de eo, quod facio.* Sy. *Discessit, at vellem eum interrogasse.* Cl. *Quid?* Sy. *Unde mihi cibus dabitur; ita abdicavit nos. Nunc video te victum habere apud sororem, quam hæredem sibi constituit.* Cl. *Adeone id verum est, fortunam*

Pro *hæc* M. *hoc.*—20 *Licet me* Guelf. 2. Bodl. *Ac tuto.* Bent. Perl. *Istæc pravitas.* GM. *est ista.*—21 *Quæ* sine *ve* Guelf. 2. *I licet* Br.—23 Idem *paraveris.* Ms. Lips. *Quid ais?*—24 Nostri universi *Nec tibi nec huic:* Fa. et eo prior Er. *Nec tibi, nec tibi;* nescio ex librisne an ex conjectura. Videtur tamen verum: nempe vultu et nutu hæc aguntur; primo Syrum, dein filium intuetur: ut Plaut. Capt. II. 3. 87. *Bent.* Lect. Faërni etiam qua auctoritate se nescire affirmat Both. qui legit *Nec tibi neque huic.* Z. Perl. *Nec tibi, nec tibi.* —25 Duos hosce vss. expunctos vult Guy. cujus rei iniquitatem optime ostendit Bœcl. Et sane minus opportune sermo cœptus versu 27. continuo infertur sermoni Chremetis in Scena remanentis. *Vah* abest Bodl. et EA. EP. Mss. quidam *Quid, Syre?* West. *Abiit, et rogasse.* Aliqui libri pro *et, ah;* aliqui *hei;* antiquissimi *vah* habent, quod et placet. *Fa.* Tres modo ex nostris *vah:* reliqui nihil habent. Repone *Abiit? rogasse vellem.* Cl. *Quid, Syre?* Sy. *Unde mi p. c.* Bent. Vulg. *A. ah,* vel *A. vah,* sed exclamationem istam correctoribus deberi, de versu solicitis, recte judicavit Bent. exulantem quippe a plerisque codd. etiam nostris A et C, dubiæque h. l. potestatis. *Both.* qui legit: *Abiit! rogasse vellem . . .* Ch. *Quid?* Sy. *Quid? Unde peterem mihi cibum.* *Quid Syre* Bip. qui etiam cum Dac. hoc versu novam Scenam incipit. *Vah* abest Br. Perl. legit *Abiit? ah, rogasse v.* Delph. *Quid Syre?*—26 Mss. et editi quidam *abalienavit.* Lind. citat e Ms. *Ita nos alienavit sibi: jam isse ad sororem intelligo.* West. *Ita nos abalienavit.* Multi l. s. inter quos Bem. V. et Bas. habent *alienavit:* ita est trochaicus, ut ceteri. *Fa.* Illud *alienavit* a correctoribus est, qui superiori versui 'ah' 'hei' vel 'vah' addiderunt. Scilicet trochaicos esse existimabant, cum sint Iambici. Nostri omnes, quatuor demtis, *I. nos abalienavit,* verbo apud Plautum fre-

Cl. Adeon' rem rediisse, ut periculum etiam fame mihi sit,
Syre?
Sy. Modo liceat vivere, est spes. Cl. Quæ? Sy. Nos
esurituros satis.
Cl. Irrides in re tanta? neque me quicquam consilio
adjuvas?
Sy. Immo et ibi nunc sum, et usque id egi dudum, dum
loquitur pater;
Et, quantum ego intelligere possum —— Cl. Quid? Sy.
Non aberit longius.
Cl. Quid id ergo? Sy. Sic est, non esse horum te arbitror.
Cl. Quid istuc, Syre?
Satin' sanus es? Sy. Ego dicam, quod mihi in mentem:
tu dijudica.
Dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio
Quæ propior esset, te indulgebant, tibi dabant: nunc
filia

meam redactam esse in eum statum, ut periculum subeam fame pereundi? Sy. *Dummodo permittatur nobis frui vita, spes est.* Cl. *Quænam spes relicta est?* Sy. *Spes est fore ut non mediocriter esurie premamur.* Cl. *Rides in re tam seria et misera, neque aliquantulum consilio mihi succurris.* Sy. *Immo, et nunc præsto sum tibi adjutor, et semper adhuc fui; etiam dum pater loquebatur tecum, et quantum conjicere possum.* Cl. *Quid est?* Sy. *Non diu pater absens futurus est.* Cl. *Ergo quid est?* Sy. *Ita res se habet, opinor, te non esse filium horum (Chremetis et Sostratæ).* Cl. *O Syre, cur dicis istud? satisne mentis compos es?* Sy. *Ego dicam quod menti occurrit; tu arbitrare: quamdiu parentibus unicus esse existimatus es, quamdiu nulla fuit illis major et propinquior voluptas quam in te; tibi favebant et faciles erant, tibi large dabant: nunc, postquam Antiphila filia*

quenti. *Bent.* Br. *alienavit sibi: jam.* 'Vulg. *tibi,* frigide: nempe adhæsit *t* ex antecedente verbo.' *Both.* qui legit *abalienavit.* *Ibi jam.* *Abalienavit* Perl.—27 Alii *a fame.* *Syre* abest Bodl. *West.* *Periclum etiam a fame* Bent. *Periclum mi etiam sit fame* Both. *A fame* Perl. *Redisse* Br.—28 Bodl. *Quid?*—30 Abest dictio *id egi* Guelf. 2. *Egit* pro *loquitur* 3.—31 Sunt qui *abierit* legunt, intelligentes de patre; ut sensus sit: non longe discesserit. Alii *Non aberit longius* sub. periculum. Rursus alii *Non abierit longius.* q. d. Res non eo usque procedet, quo tu putas. *Westerhovius.* —32 *Filium* post *te* Guelf. 3. 'Alii *Qui istuc.*' West. Ita cod. egregius G. Fabricii, Bent. Bip. Both.—33 Mss. quidam: *quod in mente mihi est.* Alii, *quod mihi in mentem est.* West. Omnes l. s. *in mente est,* præter V. Puto vulgatam veram esse, et subaudiendum, 'venit.' *Fa.* Unus ex nostris recentior *in mentem:* plures *in mente est:* quinque ex melioribus *in mentem est.* Recte: ita sæpe Plautus. *Bent.* *In mente est* Bip. Br. qui etiam *Sat insanus es?* *In mentem est* Z. Perl.—34 Abest *fuisti* Guelf. 2.—35 Præstat hæc distinctio præ illa: *Quæ propior esset te, indulgebant.* Mss. et editi quidam: *tibi indul.* West. *Esset te,* Br. *Esset te, indulgebant tibi, dabant* Bip. Vet.

Postquam est inventa vera, inventa est causa, qua te expellerent.
Cl. Est verisimile. Sy. An tu ob peccatum hoc esse illum iratum putas?
Cl. Non arbitror. Sy. Nunc aliud specta: matres omnes filiis
In peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria
Solent esse: id non fit. Cl. Verum dicis: quid nunc faciam, Syre?
Sy. Suspicionem istanc ex illis quære; rem profer palam:
Si non est verum, ad misericordiam ambos adduces cito, aut
Scibis cujus sis. Cl. Recte suades; faciam. Sy. Sat recte hoc mihi

reperta est, occasio est reperta propter quam te ejicerent. Cl. *Quod ais, probabile est.* Sy. *An opinaris Chremetem illum patrem tuum indignatum esse, ob hoc flagitium; quod scivit te Bacchidem amare?* Cl. *Non opinor.* Sy. *Nunc considera aliam rem; omnes matres utplurimum sunt auxiliatrices filiis suis, cum peccaverunt, et opem iis ferunt, quando pater in eos inique agit. Nunc vides matrem tuam minime te adjuvare.* Cl. *Dicis verum. Quid ergo, Syre, mihi nunc agendum est?* Sy. *Quære ab illis id quod suspicaris, an sis eorum filius, necne: dic illis plane, quare adductus sis in eam suspicionem. Si id falso suspicaris, statim adduces eos ad miserendum tui: aut, si verum est te non esse eorum filium, scies ex eorum relatu cujus sis.* Cl. *Bene mihi consulis. Quod suades, faciam.* Sy. *Sa-*

cod. ap. Lind. *Quæ prior.*—36 Sic dedit Fa. A duobus nostris abest *vera*: in aliis sedem mutat. In uno deest *inventa*. Repone, *Postquam est inventa, inventa vero est causa, q. t. e.* Bent. Br. *P. vere inventa est, i. e. c.* 'Ms. Par. *qua re*: quod non alienum a more Terentii. Andr. II. 3. 8.' *Perl.*—37 Legit Bent. *tam esse illum.* Both. *An tam o. p. hoc illum esse i. p.*—38 *Expecta* Guelf. 2.—39 Vulg. *in paterna injuria Solent esse*, quod sententiæ quidem causa ferri potest; sed quid faciemus τῷ *esse* sic collocato? nam *Solent* corripere posteriorem syllabam, cui placeat, et qui hoc probet Bent.? accedit, quod in codd. B, Hel. legitur: *et auxilio*, sicut p. commutantur inter se conjunctio et compendium verbi 'esse.' Conjunctio quidem versum jugulat: jam et arsi fruitur τὸ 'auxilio.' *Both.* qui inde legit, *in patria injuria Solent: id non fit.*—40 Gov. et Mur. τὸ *dicis* delent, ob metrum. Neque est in omnibus Mss. Post *quid* Mss. et editi quidam interserunt τὸ *ego*. Alii, *ergo*. West. *Quid ergo n. f. Syre?* Difficilis octonarius, nisi legas, *quid ego*: quam lectionem in aliquibus l. s. inveni. *Fa.* Omnes nostri *ergo*: nec difficilis est octonarius. *Bent.* *Quid ergo* Br. Bip. Z. Delph. Bothius legit *Verum. Dic ergo, quid n. f. S.* *Ergo* post *quid* Guelf. 2.—41 Alii *istam*, improbante Fa. *Ipsis* non *illis* Guelf. 3. *Profert* 2. 'Excidit ex fine versus conjunctio *aut*. Repone igitur *palam: aut, Si non ... adduces cito; Aut scibis.*' Bent.—42 *Vera* Guelf. 2. *Aut*, quod vulgo in fine hujus versus positum est, locatur ab Er. Br. ac Both. ab initio sequentis.—43 Mss. quidam, *cujus sis filius*: ex glossa, *West.* Al. post *Sat recte* omittunt *hoc*. Τὰ *Sat recte* &c. in

In mentem venit: namque adolescens, quam minima in spe situs erit,
Tam facillime patris pacem in leges conficiet suas.
Etiam haud scio, an uxorem ducat; ac Syro nihil gratiæ:

tis commode hæc cogitatio mentem subiit, mihique valde istud consilium placet; namque juvenis quanto minus spei se habere simulabit, fore ut pro filio admittatur; tanto facilius pacem inibit cum bono patre his conditionibus quas dare voluerit filius. Et fortasse continget ut Clitipho uxorem ducat; nihil tamen gratiæ habeatur Syro.

Bip. novam Scenam incipiunt.—44 Fa. ope Codicis Bembini legit: *Nam quam adolescens maxime spe situs erit.* Explicans τὸ *situs*, derelictus; laudante Pareo, et P. Victorio. Guy. ita servat lectionem, ut tamen malit *citus*, h. e. motus: verum neutrum sapit genium Comici nostri. *West.* *Namque adulescens quam maxime in spe situs erit.* Hunc versum habet contextus libri Bembini sine dictione *quam*; quæ tamen ut sensui necessaria, deinde superaddita est: ego et ex libro scripto satis antiquo, et ex ratione versus, pro *namque*, *nam quam* lego: particulam vero *in*, ita exposcente sensu, detraho, ut sit, *nam quam adulescens maxume spe situs erit.* Sane hanc lectionem non habebat a principio liber Bembinus: sed aliam quandam, ut ex vestigiis ejus abrasæ conjicere licet, longe et ab hac, et ab ea quæ est in aliis libris, diversam: nos tamen hanc, quam supra posuimus, quæ illi abrasæ substituta fuit, ut ceteris antiquiorem, et ab Aldo jam receptam, secuti sumus, detracto, ut supra diximus, *in*, propter sensum. *Fa.* *In mentem venit: nam quam adulescens maxime spe situs erit, Tam facillume patris pacem in leges conficiet suas. Etiam haut scio, an uxorem ducat, ac Syro nil gratiæ.* Sic dedit Fa.; sed versum priorem sic habent nostri universi, *In mentem venit: namque adulescens quam in minima spe situs erit.* In verbis magnæ sunt tenebræ, in sententia majores. Paulatim ex illis erependum nobis est. *Spe situs*, quod Faërno placuit, pro 'derelictus,' sine exemplo est, et non placet. Nec ferendum est illud Guyeti, *Spe citus*, id est, motus, dejectus, depulsus. Illud *Facillume* sine dubio mendosum est; quod et versus ipse indicat; nam in mediis Iambicis nulla causa, nullo more, Trochaicus intervenit. Repono, *In mentem venit: namque adulescens quam in minima spe situs erit, Tam difficillume patris pacem in leges conficiet suas. Etiam haut scio anne uxorem ducat: ac Syro nil gratiæ.* *Anne* habent nostri universi, non *an*: quo pacto Iambicus sit; et idcirco, ut prior quoque Iambicus sit, necesse est. Ergo recte: *Tam difficillume.* Bent. 'Restituimus sane suum Terentio, quo is adhuc caruit ob injurias librariorum et criticorum. Vestigia veri tamen præbet cod. Bem. Ceteri longius aberrarunt invertendo *namque ad. quam minima in spe situs erit.* Fa. quidem ex Bem. aliam elicit lectionem: et exponit *situs* per derelictus, quod precario dictum nemini placuit. Satisne vero sanus est Bentleius? qui derelicto tandem hoc versu, invadit in seq. *Tam difficillume.* Talia audet sexcenta magnus nonnullis Bent. In nostro tuendo nolumus longi esse. Quibus sensus est veri, judicent. Versu seq. malumus *Tanto* ob metrum; neque ratio Lat. impedit.' *Bip.* quæ exhibet, *nam quo adolescens maxume in spe solicitus erit, Tanto facillime.* Both. *quam in spe erit minuma situs.* *In minima* Br. Z. Perl.—45 Al. *Tam facillime boni patris.* *Tanto* quod est in Bip. improbat Perl. Both. legit *Tam patris pacem facillume conficiet in leges suas.* —46 Ms. Bodl. *Hoc scio, anne u. d.* corrupte. *West.* Aliquot libri, inter quos Bem. non habent particulam *ne*, sine qua versus est trochaicus, ut ceteri. *Fa.* Atqui omnes nostri *anne*: et recte. *Bent.* *Anne* habent GM. Br. Improbat Bip. quæ pro *ac* ex edd. priscis reddit *at*. 'Vulg. *Etiam haud scio*, male audiente scriba, ut *Etsi haud* permutaret cum *Etsiam* (sic enim vulg.

Quid hoc autem? senex exit foras: ego fugio: adhuc quod factum 'st,
Miror, continuo non jussisse abripi me. Ad Menedemum hinc pergam:
Eum mihi precatorem paro: seni nostro fidei nihil habeo.

Quid autem est hoc? Chremes egreditur; ego fuga mihi consulo. Miror eum non imperasse adhuc me comprehendi. Perfugium ad Menedemum: comparabo eum mihi intercessorem: non fido seni nostro Chremeti.

pronuntiatur *Etiam*) *haud.* Certe *Etsi* loco congruit non *Etiam.*' Both. qui igitur legit *Etsi haud scio, anne u. d.* Eug. *nil sit gratiæ.* Br. *nihil grat.*—47 Al. *Q. autem hoc?* Br. *Q. h. autem est?* 'Ms. Lips. *quod factum 'st adhuc.* EA. *ob hoc, quod factum est.*' West. *Ob hoc* Guelf. 1.—48 Bodl. *hinc nunc pergam.* EP. et EA. *hinc nunc ad M. p.* West. *Miror non jussisse me arripi; ad Menedemum hinc pergam.* Omnes fere recentes libri, et cum his Bas., ita habent, *Miror non jussisse ilico arripi me: hinc nunc ad Menedemum pergam.* Vi. et Decurtatus priorem partem hujus versus similiter ac recentes habent: posteriorem hoc modo, *arripi me; ad Menedemum hinc pergam.* Bem. sic, *Miror continuo non jusse me arripi: ad Menedemum hunc pergam.* qui versus est trochaicus acatalecticus, ut ceteri. *Fa. Miror continuo non jusse me arripi: ad Menedemum hunc pergam.* Sic dedit Fa. Nostri omnes, *Miror non jussisse ilico arripi me: hinc nunc ad Menedemum pergam.* Tam hoc *illico* quam illud *continuo* a mala manu profecta sunt. Lege certissime, *Miror non jusse me abripi hinc: nunc ad Menedemum hunc pergam.* Bent. *Hinc nunc* R. et Br. Par. ed. *Mir. continuo non jusse me arripi: ad Mened. hunc pergam.* GM. *M. hoc non jussisse illico arripi me: hinc j. ad M. perg.* '*Menedemum* haud dubie glossema est: hic usurpatur in vicinis.' *Both.* qui ergo legit *Miror, non jussisse illico a. me. Ad hunc nunc pergam. Nunc* post *hinc* Guelf. 2. 3.—49 Legendum monet Bent. ex cod. Regio *seni nostro nil fidei habeo.* Ita et Perl. Both. habet *nostro fide nil h.*

ACTUS V. SCENA III.

SOSTRATA. CHREMES.

So. Profecto, nisi caves, tu homo, aliquid gnato conficies mali:
Idque adeo miror, quomodo

So. *Certe, nisi provides tu homo, aliquod malum procurabis filio: et valde miror,*

In Bip. est Act. v. Sc. 6.—1 Br. *nisi tu caves homo, aliquid.*—2 Hunc vs. et seq. ita legit et ordinat Both. *Idque adeo miror, qui tibi tum ineptum, mi vir,*

Tam ineptum quicquam tibi in mentem venire, mi vir, potuerit.
Ch. Pergin', mulier, odiosa esse? ullamne ego rem unquam in vita mea
Volui, quin tu in ea re mihi fueris advorsatrix, Sostrata?
At si rogitem jam, quid est, quod peccem, aut quamobrem hoc faciam, nescias.
In qua re nunc tam confidenter restas, stulta? So. Ego nescio.
Ch. Immo scis, potius quam quidem redeat ad integrum hæc eadem oratio.

mi conjux, quo pacto quicquam tam absurdum potueris in animum inducere. Ch. *Oh, perseverasne, mulier, molesta esse? Nullamne unquam rem volui, ut non mihi contraria fueris? Sed, si nunc ego te interrogem quid est, in quo errem, aut quare id faciam, nescias respondere. In qua re nunc tam audacter resistis mihi, o fatua?* So. *Ego ignoro scilicet.* Ch. *Quin vero malo fateri te scire et intelligere quid velim dicere, quam me de eadem re sermonem redintegrare.* So. *Quin vero nullam*

quippiam Venire in mentem potuerit.—4. 5 *Pergin', mulier, odiosa esse?* Ita Bembus, eumque secuti Lind. et Par. M. *Pergin', mulier, molesta esse?* ita et edd. Venetæ, EA. et ET. Sed EP. et pleræque veteres cum Tr. et Ms. Lips. et G. *Oh! Pergin' mulier esse?* In Leidensium uno: *Pergin' mulier esse?* sed suprascriptum, *molesta. Oh pergin' mulier molesta esse* G. EM. *Ullamne ego rem*] Ita Tr. Juntæ, Melanchthon, Rob. Stephanus, alii ediderunt. Quidam antiquiores libri legunt sine interrogatione, *Nullam ne ego:* quæ lectio stomachum Chremetis signate exprimit, si *næ* legas. *In vita mea*] Hæc absunt a quibusdam Mss. neque leguntur in Junt. Ald. St. aliis. *West. Pergin mulier odiosa esse? nullamne ego rem umquam in vita mea Volui, quin tu in ea re mihi fueris advorsatrix, Sostrata?* Male hic rem gessit Fa. dum Bembino codici se mancipio addicit. Repone ex nostris plerisque omnibus, *Oh, pergin mulier esse? nullamne ego rem umquam in vita mea Volui, quin tu in ea re mi adversatrix fueris, Sostrata?* Quanto acerbius est hoc, *mulier esse;* quam si addas *odiosa?* Bent. Bothius legit *Pergin' esse mulier? ullamne unquam ego rem in vita mea V. q. t. i. e. r. mi advorsatrix fueris, S.* Bip. *Pergin' mulier esse? nullamne .... in ea mihi f. a., S.* Perl. *Oh, pergin', mulier esse? ullamne unquam ego rem .... mi advorsatrix f. S. Nullamne* Z. Br. *Oh pergin mulier? Esse nullam ne e. r. u. i. v. m. volui Quin t. i. e. r. mihi advorsatrix f. S.* Abest *unquam* Guelf. 2.—6 R. Stephanus edidit, *quid est, quod peccem hic.* Ita et Pict. Fabrini, aliorum. Et sane τὸ *hic* si maxime non sit a Terentii manu, valde juvat sensum. *West.* Lege, *At si jam rogitem.* Et præterea, tolle plenam distinctionem post *Nescias:* et noli sequentem versum per interrogationem efferre. *Nescias In qua re tam confidenter restas.* Hoc pacto recte respondet, 'Ego nescio?' altero, minime. Porro pro *hoc faciam,* plerique omnes *id;* duo vero ex melioribus, quorum unus 900. annorum est, *id facias.* Lege et distingue, *At si jam rogitem, quid est quod peccem; aut quamobrem id facias; nescias In qua re, &c.* Bent. *Id facias? nescias In qua* Bip. Et sic habet quoque vet. ed. c. figg. Both. habet *At si jam r. . . id facias, nescias Id, quare nunc.* Br. *id faciam, nescias In qua. Id faciam, nescias.* Perl. *Id* post *quid* Guelf. 3. *Hic* post *peccem* 2.—7 Mss. quidam *restitas.* Abest *Ego*

So. Oh! iniquus es, qui me tacere de re tanta postules.
Ch. Non postulo: jam loquere: nihilo minus ego hoc faciam tamen.
So. Facies? Ch. Verum. So. Non vides, quantum mali ex ea re excites?
Subditum se suspicatur. Ch. Subditum! ain' tu? So. Certe, inquam, mi vir.
Ch. Confitere, tuum non esse. So. Au! obsecro te, istuc inimicis siet.

æquitatis rationem habes, qui velis me silere de re tanti momenti, in qua agitur de pernicie filii. Ch. *Non peto ut sileas: jam loquere quantum voles; nihilominus exequar quod institui.* So. *Exequeris?* Ch. *Verum dico.* So. *Non consideras, quantum mali moveas ex hac re, exhæredatiome filii; ipse filius in suspicionem venit se esse suppositum, non verum filium.* Ch. *Se esse suppositum opinatur?* So. *Certe, mi conjux.* Ch. *Fatere non esse filium tuum.* So. *Au, rogo te, istud*

Guelf. 2. Bip. legit *stulta.* So. *Egone? scio.*—8 *Hæc eadem oratio*] Ita Junt. Ald. St. aliæ. Plurimi tamen Mss. non agnoscunt τὸ *hæc,* sed nec ET. EV. 1. 2. nec metrum admittit. Er. quod mireris, resecat τὸ *eadem.* Gov. *hæc* substituit. Esto autem quinto loco proceleusmaticus, sexto dactylus, et *eadem* disyllabum, et constabit versus. *West.* Nullus est liber, præter Bem. qui habeat pronomen *hæc;* quo demto (neque enim multum ad sensum facit) versus melius habebit. *Fa.* Nec metrum, nec sententia huic versui constat. *Hæc* in nullo ex nostris est. Repone, *I. scis potius: quam q. redit a. i. eadem oratio?* Bent. 'Bem. et edd. quædam *hæc eadem,* unde versus laborat. Quare Fa. resecat *hæc:* Er. *eadem,* et Gov. præfert *hæc,* quod et nobis placet metri causa, uti *eadem* glossema videtur.' *Bip.* Exulat *hæc,* Par. teste, a Mss. Pall. *Perl.* Both. legit, *Immo potius quidem quam r. a. i. eadem oratio! Hæc* abest R. Br. Guelf. 3. Delph.—9 Illud *Oh* præcedenti versui appone. *oratio.* So. *Oh, Iniquos es* Bent. Ita et habet Both.—10 Malim *Non postulo jam: loquere.* West.—11 *Num* pro *Non* Guelf. 2. *Malum* 3.—12. 13 Tan. Faber et Dac. *suspicetur* legunt; ut dubie dictum sit. Neque enim jam suspicionem a Syro injectam aperuerat matri; et mox Sostrata, *Sic erit,* inquit. Legit igitur Faber, *Certe, sic erit, mi vir.* Sed in præstantissimis Libris est, *Certe, inquam, mi vir. Confitere, tuum non esse*] Variant Libri scripti et editorum præstantissimi. In aliis est, ut edidi, in aliis simpliciter, *confitere;* rursus in aliis, *confitere, tuum non esse filium.* EA. Junt. St. *Ah.* Mss. et editi quidam: *istuc nostris inimicis siet.* Est autem formula deprecandi infelicia. *West.* In libro Bembino legitur, *Certe sic erit:* et pro *Ah, Au:* eæ vero tres dictiones, *tuum non esse,* penitus in eo libro non sunt: quam nos lectionem ut vetustissimam, et sensui ac versibus, qui aliter stare non possunt, accommodam reponimus. Sunt autem tetrametri trochaici; prior quidem hypercatalecticus; posterior catalecticus: mallem tamen (si demere liceret ex responsione Chremetis dictionem *Subditum,* quod fieri posset nullo detrimento sensus) etiam superiorem esse catalecticum: sed quia sic quoque stare potest, sic relinquemus: itaque legemus, *Subditum se suspicatur.* Ch. *Subditum? ain tu?* So. *Certe sic erit, Mi vir.* Ch. *Confitere.* So. *Au, obsecro te, istuc inimicis siet.* Fa. Vidit Fa. illud *Subditum* in responso Chremetis subdititium esse, sed non ausus est ejicere. Unus ex veterrimis nostris *obsecro* absque

Egone confitear, meum non esse filium, qui sit meus?
Ch. Quid? metuis, ne non, cum velis, convincas esse illum tuum?
So. Quod filia est inventa? Ch. Non; sed, quod magis credendum siet,
Id quod est consimilis moribus,
Convincas facile ex te natum; nam tui similis est probe;
Nam illi nihil vitii est relictum, quin sit et idem tibi.

eveniat inimicis nostris. Egone dicam hunc non esse filium meum, qui sit meus? Ch. *Quid? an vereris, ne non possis, cum volueris, probare in judicio illum esse filium tuum?* So. *Ideone, quod filia est reperta, hunc similiter meum esse filium probare possim?* Ch. *Non propter hoc dico, sed propter aliud quod magis fide dignum est, quia nempe tibi moribus est persimilis; idcirco facili probatione convinces eum te peperisse: nam ipse est tibi simillimus; nullum vitium illi relictum*

te: universi autem *istuc nostris inimicis;* unde facillima surgit emendatio, So. *Snbditum se suspicatur.* Ch. *Ain tu?* So. *Certe sic erit:* Ch. *Confitere.* So. *Au obsecro, istuc nostris inimicis siet.* Ceterum pro *Certe sic erit;* nostri omnes perperam, *Certe inquam mi vir.* Bent. qui etiam *suspicetur* valde repugnat. Bip. legit *Certe sic erit Mi vir.* Ch. *Confitere . . .* So. *Au, obsecro, istuc nostris inimicis siet.* Both. Ch. *Ain' tu?* So. *Certe, mi vir, inquam.* Ch. *Confitere.* So. *Au, obsecro, istuc nostris inimicis siet!* Br. *Ah. obsecro te, istuc nimicis nostris siet.* Perl. *Certe sic erit Confitere. Au o. te, istuc n. i. siet.* Z. *istud.*—15 Junt. *Quid metuis? nonne cum velis, convincas illum esse tuum?* Juvatur autem διασυρμὸς Chremetis, si legas, uti edidi. Lectionem Juntinam tuetur Guy. Et multus in hoc loco explicando est Bœcl. *West. Quid metuis? nonne cum velis, convincas illum esse tuum?* Omnes fere l. s. et in his Bem. ita collocant, *Quid? metuis, ne non, &c.* versu et compositione meliore. *Fa. Quid metuis?* habent Br. Bip.—16 M. et cod. Lips. *sed quo.* Idem citat e Ms. Lindenbrogius, et exhibet EP. *West.* Nostri omnes *quo magis.* Recte. *Bent.* Ita et Br. Perl. Both.—17 Elegantia responsi ne pereat dele *Id.* Bent. Ita et Perl. M. *consimile.* Ms. Pal. *moribus tuis.* 'Post hunc vs. vulg. talia leguntur: *Convinces facile ex te natum: nam tui similis est probe,* quæ quis non videat ex antecedentibus esse interpolata? cod. A: *Quod consimilis moribus tuis.* cod. B: *Id quod* (et sic vulg.) *est consimilis, est probe: Nam illi nil vit. est r. q. id idem moribus Convinces f. ex te natum, nam tui similis sit tibi. Tum pr. &c.* Vides migrare, ut solent, interpretamenta: cujus criminis tamen absolvo verba *tui* et *probe,* quæ sane colorem Terentianum habent, proptereaque a me genuino suo, ni fallor, loco sunt reposita.' *Both.* qui inde dat *Quod est consimilis moribus probe tui: Nam illi, &c.*—18 *Convinces* Bent. Bip. Z. et Perl. Delph. legit *Facile convinces.* Bent. post *te* inseruit *esse.* Ita et Perl. qui etiam ad *natum* notat: 'Hæc verba inde ab initio hujus versus ex antecedentib. interpolata esse mihi cum Bothio videntur. Supra vid. vs. 15.'—19 Hunc vs. Bœcl. insititium vocat et glossam adjectam. Guy. vero etiam proxime præcedentem et sequentem excludit, ut spurios. *Et idem.* Ita Fa. Ms. Bodl. et M. cum EA. *itidem sit et.* Ita et duo Mss. Bœcleri. Unus, *quin id idem sit tibi.* Alii aliter. *West. Quin id itidem sit tibi.* In nullo libro scripto est dictio *id;* qua demta versus stare non potest: nos Bembinum sequemur, in quo est *quin sit et idem tibi:* versumque sustentamus producendo dictionem *et.* Fa. Nostri universi, *quin*

Tum præterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.
Sed ipse egreditur: quam severus! rem, cum videas, censeas.

est, quod non et in te appareat: præterea nulla fœmina partu ederet filium ejusmodi, nisi tu. Sed ipse Clitipho exit, quam gravis et serius. Si rei veritatem cognoscas, tunc judices de ejus moribus quales sint, an revera sit severus et gravis.

itidem sit tibi. Recte ergo, qui primi emendarunt, *quin id itidem sit tibi.* Ceterum pro *relictum*, lubens scriberem *innatum*: quid enim *relictum* hic sit, non intelligo. *Bent.* *Quin itidem sit tibi* Br. *Quin id itidem sit tibi* Bip. Both. Perl.—20 Ms. Lips. *nulla, nisi tu, pareret.* Ita et EP. 'Nostri universi cum edd. vett. *nulla, nisi tu.* Forte olim erat, *T. p. nulla talem, nisi tu, p. f.* Sed recepta lectio satis placet.' *Bent.* *Nulla, nisi tu* Br.—21 Mr. Voiture a Mr. Costar, Lettre XXVI. 'Je vous dirai seulement, que dans mon Terence pour, *rem, cum videas, censeas*, j'ai trouvé *reum.*' West. in Addend.

ACTUS V. SCENA IV.

CLITIPHO. SOSTRATA. CHREMES.

CL. Si unquam ullum fuit tempus, mater, cum ego voluptati tibi
Fuerim, dictus filius tuus tua voluntate, obsecro,
Ejus ut memineris, atque inopis nunc te miserescat mei:
Quod peto, et volo, parentes meos ut commonstres mihi.
So. Obsecro, mi gnate, ne istuc in animum inducas tuum,
Alienum esse te. CL. Sum. So. Miseram me! hoccine quæsisti, obsecro?

CLIT. *O mater, si unquam fuit tempus ullum in quo tibi fui delectationi, appellatus filius tuus, te volente me talem credi, quæso ut recorderis illius temporis, atque ut misericordia mei egeni te moveat: quoniam posco, et cupio, ut indices mihi veros meos parentes.* SOST. *Fili mi, rogo ne istud tibi persuadeas te esse suppositum et falsum filium.* CL. *Sum.* So. *O me infelicem! an hoc, amabo, quæ-*

In Bip. Act. v. Sc. 7.—1 Both. *Unquam si fuit tempus, mater, cum ego v. t.* —2 Bem. *vestra voluntate*: quod et placet; ut consensum in hoc utriusque parentis ostendat: non tamen muto. *Fa.* Nostri omnes *tua.* Bent. *Vestra* recepit Bip.—4 Ms. Bodl. EA. et EP. *peto, aut volo.* Ita et Br. 'GM. *aut* pro *et*, ubi antea abrasum esse aliquid videtur.' *Perl.*—6 Both. legit: *Alienum esse.* CL. *Tuus sum?* So. *Miseram me! hoccine quæsisse, obsecro?* Br.

Ita mihi atque huic sies superstes, ut ex me atque ex hoc natus es!
Et cave posthac, si me amas, unquam istuc verbum ex te audiam.
CH. At ego, si me metuis, mores cave in te esse istos sentiam.
CL. Quos? CH. Si scire vis, ego dicam: gerro, iners, fraus, helluo,
Ganeo, damnosus! crede, et nostrum te esse credito.
CL. Non sunt hæc parentis dicta. CH. Non, si ex capite sis meo
Natus item, ut aiunt Minervam esse ex Jove, ea causa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.
So. Di istæc. CH. Deos nescio: ego quod potero, enitar sedulo.

rere potuisti? ita mihi ac Chremeti supervivas, ut ex me matre atque hoc patre genitus es. Et vide, si me amas, ut nunquam ista proferas. CH. *Sed, si me times, cave ne intelligam istos mores malos inesse tibi.* CL. *Quos mores?* CH. *Si vis scire, ego exponam; cave ne sis nugator, ineptus, ignavus, sine arte et industria, fraudulentus, vorax, bonorum consumtor, scortator, perniciosus tuis parentibus, (ut qui a me decem minas Bacchidi per servum extorsisti,) crede meis præceptis, et ita credito te esse nostrum filium.* CL. *Talia verba contumeliosa nunquam procedunt ab eo qui verus est pater.* CH. *Non patiar me notari infamia propter tuam nequitiam, ea causa quia sis filius meus; etiamsi ex meo capite ortus fueris, similiter ut Poëtæ fingunt Palladem esse natam ex Jove.* So. *Dii istud prohibeant, te fieri infamem propter filium.* CH. *Nescio an Dii prohibituri sint; cavebo ego diligenter*

etiam *te* omittit.—7 *Ita mihi atque huic sis superstes, ut ex me atque hoc natus es.* Versus claudicat. Repone ex cod. Academico, et ex Meadianis altero, *ut ex me atque ex hoc natus es.* Bent. Both. dat, *superstes, ex me atque hoc ut natus es.* *Ex* poster. omittunt Par. Br. Z.—9 Both. *cave inesse istos.*—10 Alii, *helluo.* GM. *gerro es.* R. *helluo, glutto.*—11 Reponit Guy. *nostrum te esse, haud credito.* Both. G. *damnosus.* *Cetera n. t. e. c.*—12 Junt. Ald. St. editiones aliæ: *Non sunt hæc jam parentis dicta.* Testatur autem Fa. in nullo Ms. legi illud *jam.* Dac. male hæc verba tribuit Sostratæ. *West.* *Non?* Ita distinxi, ut gravior esset sententia. Vulgo sine ulla interrogatione: *Non, si ex capite meo sis Natus item, ut aiunt Minervam esse ex Jove, ea causa magis Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.* Malim, si per Codices liceret, *Non? non, si ex capite meo sis Natus.* EA. *Non? si ex capite sis modo Natus, itidem.* Idem. *Non si ex c.* Br. Bent. Both. Bip. Z. Perl. Delph.—13 Cod. C, *a Jove*, quod elegantius vulgato *ex Jove.* Both. qui legit *item ut Minervam esse aiunt a Jove, e. c. m.*—15 Lectio quorundam librorum, *Di istæc prohibeant* [In Add. nominatim memorat G. ET. EM.] metrum corrumpit. *West.* *Di istæc prohibeant* Br. Bent. Both. Perl. Z. 'Ex auctoritate libri Bembini demto *enitar*, trochaicum hunc sanamus: nec vero sensui quicquam deest: subau-

Quæris id, quod habes, parentes: quod abest, non quæris, patri
Quomodo obsequare, et ut serves, quod labore invenerit.
Non mihi per fallacias adducere ante oculos? pudet
Dicere, hac præsente, verbum turpe: at te id nullo modo
Puduit facere. Cl. Eheu, quam ego nunc totus displiceo mihi!
Quam pudet! neque quod principium inveniam ad placandum, scio.

ne fiam, quantum potero. Tu quæris id, quod habes, nempe parentes; non id quod abest tibi, videlicet quomodo complaceas patri, et conserves id boni, quod pater acquisivit multo labore: non erubuisti adducere mihi ante conspectum meum per fraudem et mendacia eam, quam ut infamem pudet me nominare coram matre tua, fingendo eam esse amicam Cliniæ: at te non puduit facere rem flagitiosam et turpem. Cl. *Eheu! quantum me nunc mei tædet! quantum me pudet id fecisse! neque scio unde incipiam ut patrem iratum leniam, et placatum reddam.*

diendum est enim ‘prohibebo,’ ab eo quod dictum est supra, ‘Di istæc prohibeant.’’ *Fa.* Gratia hic Bembino habenda est: nostri omnes *enitar.* Bent. *Enitar* omittunt Both. Z. Perl.—16 M. *quod abest a te.*—17 *Ut* omittunt Bent. Both. Perl. Bip. Sic notat Zeun. ‘Bent. omisit illud *ut.* Recte. Nam corrumpit elegantiam.’ *Ut* pro *et* Guelf. 2.—18 Pro *Non mihi* reponit Bent. *Tén mihi.* Both. ex cod. B, *Num mihi.* Interrogat Perl. post *pudet*, et in vs. sequente post *turpe*, affirmans se hoc modo his suum versibus lumen attulisse.—19 In Br. *τὸ id* omittitur. In Guelf. 1. est *illud.*—20 Bodl. G. et M. cum EA. et EP. aliisque, *Piguit.* West. A Bem. abest *ego.* ‘Tres ex nostris *Puduit facere:* ceteri *Piguit facere.* Ceterum *ego* omnes habent; nec abesse potest, nisi dolente sententia.’ *Bent. Facere puduit* dant Bent. Both. Bip. Delph. Perl. *Piguit f.* Br. Z. Vet. cod. ap. Lind. habet *Puduit facere.* ut Bem. et alii.—21 Ms. Lips. G. et EA. cum EP. ET. EM. et Pall. omnibus, *incipiam:* quam lect. præfert Mur. Alii *capiam.* West. *Principium incipiam.* Ita in Bem. at in V. et Bas. *p. incapam:* ex quo conjeci legendum forte *p. capiam*, sicut et in Eunucho: ‘quod dedit principium.’ *Fa.* Unus quoque noster ex veterrimis *incapiam:* unde legerim, non *capiam*, sed *captem:* ut ‘captare tempus,’ ‘occasionem,’ et alia. *Bent.* GM. *incipiam.* Itid. Par. Bip. Delph. ‘Vulg. *inveniam*, nescio qua fide. Gu. 1. *capiam*, et sic legendum conjecerat Fa. quem sequor. Bent. *incipiam* quanquam malit *captem.*’ Both. Br. *incapiam.*

ACTUS V. SCENA V.

MENEDEMUS. CHREMES. CLITIPHO. SOSTRATA.

Me. Enimvero Chremes nimis graviter cruciat adolescentulum,
Nimisque inhumane: exeo ergo, ut pacem conciliem. Optume
Ipsos video. Ch. Ehem, Menedeme! cur non arcessi jubes
Filiam, et quod dotis dixi, firmas? So. Mi vir, te obsecro,
Ne facias. Cl. Pater, obsecro, ut mihi ignoscas. Me. Da veniam, Chreme:
Sine te exorem. Ch. Egon' mea bona ut dem Bacchidi dono? sciens

Me. *Profecto Chremes nimis acerbe nimisque inhumane objurgando vexat adolescentem Clitiphonem; ergo egredior ad eos, ut pacem inter eos componam. Video ipsos opportune.* Ch. *Ehem, Menedeme, cur non mandas advocari filiam meam Antiphilam, ut sit tibi nurus; et cur non approbas et admittis eam dotem quam dixi?* So. *O mi conjux, ne facias id, exhæredans filium, te precor.* Cl. *O pater, tibi supplico ut mihi parcas.* Me. *O Chreme, parce illi, permitte ut precibus id a te impetrem.* Ch. *Ut ego donem mea bona meretrici Bacchidi sciens, videns? non*

In Bip. Act. v. Sc. 8.—2 Vulg. *Nimisque inhumane*, correpta ‘mis’ syllaba ante encliticum, quod durissimum. *Both.* qui igitur *que* omittit. Pro *optume* al. *opportune.*—4 Al. *et quod dixi dotis.*—5 *Ut* omittunt Bent. Perl.—6 *Sine te exorem.* Ita editi veteres, et plerique Mss. In impressis recentioribus quibusdam est, *exoret.* Malim, *exorent:* nam et mater et filius oraverant. Idem ex Ms. Pal. laudat G. F. *West. Egon' mea bona ut dem Bacchidi dono? sciens Non faciam.* Ita edidi, secutus auctoritatem editionum Juntinæ, St. Pict. Vulgo ita: *Egon' mea bona ut dem Bacchidi dono sciens? Non faciam.* Idem. In libro Bemb. scriptum fuerat *exorent;* postea deleto *n*, remansit *exoret;* quod et placet: nam cum eo quadrat, quod dictum est: ‘Da veniam.’ *Fa. Sine te exoret.* Ch. *Egon mea bona ut dem Bacchidi dono sciens?* Recte Bem. cum duobus nostris vetustissimis *exorent*, uxor scilicet et filius: quo accedunt et alii, qui *exorem* habent. Ceterum versus justo longior est. Est qui *dono* hinc abjicere velit, *Bacchidi sciens;* sed in ista sede trochæum, quantum potest, evitant. Sed ‘dono dat,’ inquit, homini concitate loquenti tædio est et moram facit. Jube hominem sibi tædio esse; et repone, *Sine te exorent.* Ch. *Mea bona ut dem Bacchidi dono sciens?* Tolle illud *Egone.* Bent. Post *sciens* interrogant Br. Perl. Bip. Both. Delph. et Z. quæ etiam

Non faciam. Me. At id nos non sinemus. Cl. Si me
vivum vis, pater,
Ignosce. So. Age, Chremes mi. Me. Age quæso, ne
tam obfirma te, Chreme.
Ch. Quid istic? video, non licere, ut cœperam, hoc pertendere.
Me. Facis, ut te decet. Ch. Ea lege hoc adeo faciam;
si facit,
Quod ego hunc æquom censeo. Cl. Pater, omnia faciam:
impera.
Ch. Uxorem ut ducas. Cl. Pater! Ch. Nihil audio.
Me. Ad me recipio:
Faciet. Ch. Nihil etiam audio ipsum. Cl. Perii! So.
An dubitas, Clitipho?
Ch. Immo, utrum volt. Me. Faciet omnia. So. Hæc,
dum incipias, gravia sunt,
Dumque ignores: ubi cognoris, facilia. Cl. Faciam,
pater.

faciam. Me. *At nos non permittemus quoque.* Cl. *O pater, da mihi veniam, si vis mihi vitam amplius superesse.* So. *Age, Chremes mi, fac quod petitur.* Me. *O Chreme, ignosce, noli te tam obstinatum ostendere.* Ch. *Quid hoc sibi vult? video non mihi permitti perficere hoc, quod inceperam.* Me. *Facis, ut tibi convenit.* Ch. *Ea conditione, ignoscam Clitiphoni, si exequatur quod ego arbitror justum esse eum exequi.* Cl. *O pater, faciam omnia: impera.* Ch. *Impero, ut ducas uxorem.* Cl. *O pater, da mihi tempus ad deliberandum de re tanti momenti.* Ch. *Nullam excusationem audio.* Me. *Rem in me recipio, Clitiphonem ductu-rum uxorem.* Ch. *Nihil respondentem audio ipsum.* Cl. *Nullus sum.* So. *O Clitipho, an vereris uxorem accipere?* Ch. *Quin ab eo quærendum, utrum uxorem velit ducere, necne.* Me. *Faciet omnia, quæ imperabis.* So. *Consilium capere de ducenda uxore, in principio difficile est ei, qui matrimonii ignarus est; sed, posteaquam cognoris quid sit, facile et gratum tibi fiet.* Cl. *Faciam, pater, ut vis.*

exoret legit. *Exorem* defendunt Bip. Both.—7 Vetustissimus noster, et alius e Regiis cum optimo codice G. Fabricii non agnoscunt *id*. Bent. Non agnoscunt Br. Bip. Perl. Both.—8 *Ignosces* Guelf. 3. *Mi* abest Br.—9 Guelf. 2. Bip. *istuc.* M. *non licere mihi.* Guelf. 3. *prendere.* Al. *perpendere:* male, judice Perl.—10 EP. ET. EM. et Mss. plusculi: *si id faciat.* Alii *si facit id.* West. *Si facit* probat Fa. 'Omnes nostri, *si id faciat.* Lege igitur, *si id facit.*' Bent. Ita et habet Ms. R. ap. Lind. Both. et Perl. Br. *si id faciat.* Bip. et Delph. *si facit id.*—12 *Volo* post *ut ducas* Guelf. 3. GM. *audio etiam.* —13 Abest *etiam* Guelf. 2.—14 M. et EA. integrum interserunt versum: *Aut illam accipiet, aut me inimicum habebit.* Ex glossis, ut videtur. *West.* Hel. interserit, procul dubio ex int. *Aut illam accipiat, aut me inimicum habebit, utrum volt.* Both. EA. *gravia omnia sunt.*—15 M. *Faciam, pater, omnia.*—16

So. Gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu
facile ames,
Filiam Phanocratæ nostri. Cl. Rufamne illam virginem,
Cæsiam, sparso ore, adunco naso? non possum, pater.
Ch. Heia! ut elegans est! credas animum ibi esse. So.
Aliam dabo.
Cl. Quid istic? quandoquidem ducenda est, egomet habeo
propemodum,
Quam volo. So. Nunc laudo te, gnate. Cl. Archonidi
hujus filiam.
So. Perplacet. Cl. Pater, hoc nunc restat. Ch. Quid?
Cl. Syro ignoscas volo,

So. *Fili mi, per Pollucem, dabo tibi puellam illam venustam, quam tu cupide ames, filiam Phanocratæ, nostri vicini.* Cl. *Dabisne illam puellam rufam, glaucis oculis, lentiginosa facie, naso incurvo et inflexo? o pater, non possum eam ducere.* Ch. *Eia, quam prudens est in hoc delectu! Facile agnoscas ipsum ad hanc artem animum adjecisse.* So. *Dabo aliam tibi.* Cl. *Qui tantum laborandum est? certe, quoniam necesse est me uxorem ducere, ego inveni fere quod quæritur.* So. *O fili, nunc laudo te.* Cl. *Gratam habeo filiam Archonidis hujus.* So. *Valde grata est mihi.* Cl. *O pater, nunc unum reliquum est.* Ch. *Quidnam istud?* Cl. *Volo,*

Illam. Ms. Bodl. G. et M. cum EA. ET. EM. *puellam:* quod versum facit æquo longiorem. Id Erasmus animadvertens, *Gnate mi,* sustulit. Glar. resecat, *mi.* Gov. et Mur. *tibi.* Lectio quam exhibeo, est optimorum librorum; sed et metrum servat. In EP. est: *Dabo puellam lepidam illam cæsiam virginem.* West. Recte *illam:* nostri mendose *puellam.* Bent. 'Hæc Sostratæ attribuunt, sed Chremeti cod. A, recte.' *Both.* *Puellam* Br. 'GM. *Gnate mihi:* ita tamen scriptum, ut posterior syllaba, 'hi' pallidiore atramento a seriore manu adjecta videatur. libb. antiq. *puellam* pro *illam.* Par. p. var. *ellam.*' Perl. Abest *tu* Guelf. 2.—17 Vet. cod. ap. Lind. *illam puellam.*—20 Nostri omnes *Quid istic?* Placet tamen, quod Bembinus dat, *Immo.* Bent. Ita et habent Perl. Bip. Both. qui etiam *ducendum* legit. Abest *Immo* Guelf. 3.—21 G. *Nunc laudo, gnate.* Et mox, *Archonidis.* Ita et ET. et EM. Ms. Lips. non agnoscit τὸ *hujus.* In Bœnd. et EP. est *Archonidis filiam.* West. *Archonidis filiam.* Idem liber [Bem.] *Archonidi hujus f.* nec aliter stat trochaicus: et ita etiam citat Priscianus libro sexto. *Fa.* Priscianus p. 706. citat *Archonidi filiam:* sed non habet *hujus:* hoc Bembino debemus. Nostri *Arconidis filiam.* Bent. *Nunc laudo, gnate.* Vulg. hæc et sequens 'Perplacet' male Sostratæ ascribuntur. Legitur quoque depravate *Archonidi,* vel *Archonidis,* vel denique, in Italis præsertim libris, *Arconidis.* Nomen est, 'Archonidas' vel Dorice 'Archondas,' Ἀρχωνίδας, Ἀρχώνδας, quo plus semel impegerunt librarii. Vid. Valkenar. ad schol. Eurip. Phœn. 1386. Both. qui verba sup. citata Chremeti tribuit, et inde dat *Archonidæ hujus f.* *Archonidis filiam* Br. Delph. Τὸ *te* abest Br. Bent. Perl. Z. Both. Dant Bip. et Delph.—22 Pro *nunc* Perl. habet *unum.* M. Bœnd. et Guelf. 2. *Ut Syro*

Quæ mea causa fecit. Ch. Fiat. Ω. Vos valete et plaudite!

CALLIOPIUS RECENSUI.

ut Syro condones offensas, quas in te mei causa fecit. Ch. *Fiat, ignoscatur ei.* Ω *Vos spectatores, valete, plaudite.*

Calliopius recensui.

ignoscas.—23 Ω abest Bent. Bip. Perl.

FINIS HEAUTONTIMORUMENOY.

PUB. TERENTII

ADELPHI.[a]

ACTA LUDIS FUNEBRIBUS[b] ÆMILII[1] PAULLI[2] QUOS FECERE Q. FABIUS MAXIMUS, P. CORNELIUS AFRICANUS.[3] EGERE[4] L. ATILIUS PRÆNESTINUS,[c] MINUTIUS PROTHIMUS.[5] MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI, TIBIIS SARRANIS.[6][d] FACTA GRÆCA[7] MENANDRU L. ANICIO, M. CORNELIO[8] COSS.[9]

Adelphi, Comœdia Terentii, acta ludis funebribus Lucii Æmilii Pauli, quos dederunt Q. Fabius Maximus, P. Cornelius Africanus, illius filii. Egerunt L. Attilius Prænestinus et Minucius Protimus. Modos fecit, et cantica Flaccus Claudii filius, tibiis Sarranis paribus, sinistris. Hæc Comœdia facta est Latina e Græca Menandri, L. Anicio Gallo, M. Cornelio Cethego Consulibus.

1 *Æmili* Bent. Z. Both. *L. Æmilii* Perl.—2 *Pauli* Z. Both. Perl.—3 Mur. commemorat antiquitus legi *P. Cornelio Africano Ædil. Cur.* Quæ tamen nomina deleta sunt inde jam ab ætate Donati; siquidem nusquam constat hos duos L. Æmilii Pauli nepotes simul ædilitatem curulem gessisse. *Perl.* qui dat cum Delph. *et P. C. A.*—4 *Egerunt* dant iidem.—5 *Et M. P.* iidem. *Prothymus* Both.—6 *Serranis* Perl. Hæc Z. notavit: 'Dac. legendum esse censet *acta primum tibiis Lydiis, deinde tibiis Sarranis.* Nam *tibias Lydias*, i. e. duas dextras, edidisse sonum gravem et lugubrem, qui adeo conveniret Ludis Funebribus; post primam vero editionem *tibiis Sarranis*, seu sinistris, quæ sonum acutum minusque tristem ederent, eandem repetitam esse Fabulam. Sane hæc emendatio magnam veri speciem accipit ex Donati auctoritate: vide Præfationem ejus in hanc Fab.'—7 *E Gr.* Bent. Z. Both. Perl. *Græca est* pro *Facta Gr.* Delph.—8 *Edita L. Anicio Gallo et M. Cornelio Cethego* Delph.—9 Mihi sic inscriptio hæc videtur legenda: *Adelphi Terentii. Acta ludis Funebribus L. Æmil. Paul. Q. Fab. Maxim. P. Cornelio Africano ædilibus Curulibus. Egere L. Attilius Prænestinus, L. Numidius Posthumus. Modos fecit Clau. Flaccus, Clau. filius, tibiis dextris. Facta Latina est e Græca Menandru, L. Anicio Gallo, M. Cornelio Cethego Coss.* Gov. Sic Br. legit: *Incipit Adelphe acta ludis Funebribus Q. Fabii Maximi, P. Cornel. Afric. Æmilii Pauli ædilium Curul. quos fecere L. Atil. Prænestin. Minuc. Prothim. Modos fecit Flaccus clauditibiis Sarranis. Facta Græca Menandri, Anicio, M. Cornelio consulibus.*

NOTÆ

[a] *Adelphi*] Id est, fratres, Græce. Sic ideo hæc Comœdia nominata est, quod fratres Demea et Mitio senes, et Æschinus Ctesiphoque Demeæ filii, fabulæ suppeditent materiam.

[b] *Acta ludis funebribus*] Ludi funebres erant, qui in honorem defunctorum exhibebantur, quales Homerus memorat celebratos ab Achille in funere Patrocli; et Virgilius refert

NOTÆ

ab Ænea celebratos in honorem Anchisæ parentis: ejusmodi hic dicuntur facti a Q. Fabio Maximo, et P. Cornelio Africano Patri ipsius naturali L. Æmilio Paulo, a quo dati sunt in adoptionem; ille quidem Q. Fabio Maximo: hic vero Africani superioris filio.

[c] *Egere L. Atilius Prænestinus, &c.*] Hi erant magistri histrionum, qui fabulam egerunt.

[d] *Tibiis Sarranis*] Sic dictæ a Sarra urbe, quæ Tyrus est: sinistræ fuerunt hæ tibiæ, auctore Evanthio in Prolegomenis in Terentium, et acuminis levitate jocum in Comœdia ostendebant; nam plura foramina habebant, et sonus idcirco erat acutior: cum dextræ, sive Lydiæ, pauciora foramina haberent, et sonum proinde graviorem. Lydiæ conveniebant rebus gravibus; Sarranæ jocis; Phrygiæ, si gravitas jocis misceretur: sed de his uberius diximus ad inscriptionem Andriæ.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

MICIO, *senex; frater Demeæ, pater adoptivus Æschini. Nomen Latinum a, mitis.*

DEMEA, *senex; frater Micionis, pater Æschini et Ctesiphonis.* Ἀπὸ τοῦ δήμου, *a plebe, quasi plebeius.*

SANNIO, *leno. A* σάννος, *fatuus; quod in hac Comœdia populo risui esset.*

ÆSCHINUS, *adolescens; filius Demeæ, sed adoptatus a patruo Micione. Ab* αἶσχος, *dedecus; quod flagitiis esset infamis.*

SYRUS, *servus Æschini. A patria, gentile nomen.*

CTESIPHO, *adolescens; frater Æschini.* Ἀπὸ τῆς κτήσεως, *prædio, et* φωτὸς, *viro, id est, agricola.*

SOSTRATA, *matrona; mater Pamphilæ. A* σώζειν, *quod est, servare.*

CANTHARA, *nutrix Pamphilæ. A* κάνθαρος, *poculum; a præbendo potum puero.*

GETA, *servus Sostratæ. Gentile nomen, a natione.*

HEGIO, *senex; propinquus Pamphilæ.* Ἀπὸ τοῦ ἡγεῖσθαι, *ducere, quia curam Sostratæ ejusque familiæ habet.*

DROMO, *servus Micionis. A* δρόμος, *cursus.*

PAMPHILA, *nurus; filia Sostratæ, amica Æschini. Quasi* πᾶσι φίλη, *omnibus cara.*

C. SULPICII APOLLINARIS PERIOCHA
IN TERENTII ADELPHOS.

Duos cum haberet Demea adolescentulos,
Dat Micioni fratri adoptandum Æschinum:
Sed Ctesiphonem retinet: hunc, Citharistriæ
Lepore captum, sub duro ac tristi patre,
Frater celabat Æschinus; famam rei [1]
Amoremque [2] in sese [3] transferebat: denique
Fidicinam lenoni eripit.[4] Vitiaverat
Idem Æschinus civem Atticam pauperculam,
Fidemque dederat, hanc sibi uxorem fore.
Demea jurgare,[5] graviter ferre: mox tamen,
Ut veritas patefacta est, ducit Æschinus
Vitiatam: potitur Ctesipho Citharistriam,[6]
Exorato suo duro patre Demea.

Demea, duos habens filios, dat ex illis Æschinum fratri Mitioni in adoptionem, et Ctesiphonem alterum in sua potestate retinet: hunc, fidicinæ festiva forma et ingenio irretitum, cum aspero et sævo patri subditus esset, frater Æschinus occultabat; rumorem et amorem in se transferebat, simulans se esse amatorem citharistriæ: denique eam lenoni per vim abripuit. Stupraverat quoque Æschinus Pamphilam, virginem Atticam, pauperculam quidem, sed bonam, bonis civibus prognatam, pollicitusque fuerat se eam ducturum uxorem. Demea morosum et jurgiosum se præbebat, et iniquo animo ferebat. Sed cito, postquam id quod res erat manifestum fuit de psaltria, Æschinum non sibi, sed Ctesiphoni fratri eam rapuisse, ducit Æschinus uxorem Pamphilam a se compressam; Ctesipho fit compos fidicinæ, placato et victo precibus Demea, patre severo et molesto.

1 *Famam rei*] O. s. l. *famamque Amoris in sese.* Lind. Pro *rei* al. *quoque*: al. *famamque.* Perl. Vulgo *famamque*, satis frequenti errore. *Both.* qui dat *quoque. Rei* Perl. *Cælabat* Br.—2 *Amoris* Br. Both. *Amorisque* Perl.—3 *Se* legitur in nostris. *Both.* qui id dat cum Br. et Perl.—4 Vulgo *eripuit*, duris numeris. *Both.* qui cum Perl. dat *eripit.*—5 *Jurgare et g.* dat Both. qui notat: ‘Vulgo abest copula: sed A et Hel. *et jurgare*, B *ac j.*’—6 Quidam codices, in his nostri, sic fere: *A se vitiatam virginem, civem Atticam, Uxorem pot. Ctes. cith. Suo exorato duro patre Demea*: quæ spuria esse vel inde arguuntur, quod nusquam in his Periochis duodenarium migravit versuum numerum Sulpicius. *Both.* Al. libb. add. *Exorato suo patre duro Demea*: Hic vero versus superfluit et summam rei describendam, et numerum duodecim linearum Apollinari consuetum. *Perl.* In aliis edd. quas hic quoque sequitur West. additur sub finem hic versus, *Exorato suo duro patre Demea.* Zeun. *Ducet Æschinus*] Mss. R. et Pith. *ducit Æschinus A se vitiatam civem Atticam virginem. Uxorem potitur Ctesipho citharistriam, Exorato suo duro patre Demea.* Lind. *Citharistria* et *suo patre duro* Br. Hoc et Delph. dat. *Uxorem* ad finem versus exhibet Br. sed non tribuit Bruns ei codici distinctionem ullam aut post *uxorem* aut post *Potitur*.

ÆLII DONATI,

V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ,

PRÆFATIO IN ADELPHOS TERENTII.

Hæc Fabula palliata, ut ipsum indicat nomen, ex[1] plurali numero, cum sit una: et masculino genere, cum sit Comœdia: ex[2] Græca Lingua, cum sit Latina, censetur. Potuit eam Terentius Fratres dicere: sed et Græci nominis εὐφωνίαν perderet: et præterea togata videretur; ad summam, non statim intelligeretur Menandri esse: quod Terentius in primis lectorem scire cupit: minus existumans laudis, proprias scribere, quam Græcas transferre. Est igitur Menandri: et a Fratrum facto, quibus argumentum nititur, nomen accipit. Hujus tota actio cum sit mixta ex utroque genere, ut fere Terentianæ omnes, præter Heautontimorumenon, tamen majori ex parte Motoria est: nam Statarios locos perpaucos habet. Prodest autem et delectat actu et stylo. In hac, primæ partes sunt, ut quidam putant, Demeæ: ut quidam, Syri. Quod si est, ut primas Syrus habeat; secundæ Demeæ erunt, tertiæ Micionis, et sic deinceps. Quanquam etiam sunt qui putant,[3] primas Micioni dandas, secundas Syro, tertias Demeæ. Nam, quod ait Terentius, 'Senes qui primi venient:' non ad partes quas dicimus, sed ad ordinem pertinet exeuntium personarum. Hæc etiam, ut cetera hujuscemodi Poëmata, quinque Actus habeat necesse est, choris divisos a Græcis Poëtis: quos etsi retinendi causa jam inconditos spectatores minime distinguunt Latini Comici, metuentes scilicet, ne quis fastidiosus finito Actu, velut admonitus abeundi, reliquæ Comœdiæ fiat contemtor et surgat; tamen a doctis veteribus discreti atque disjuncti sunt, ut mox aperiemus post argumenti narrationem. In hac Prologus aliquanto lenior inducitur: qui magis etiam in se purgando, quam in adversariis lædendis est occupatus. Protasis est turbulenta, Epitasis clamosa, Catastrophe lenis. Quarum partium rationem diligentius in principio proposuimus, cum de Comœdia quædam diceremus. Hæc sane acta est ludis scenicis funebribus L. Æmi-

1 E Z.—2 *Et* Z.—3 *Putent* ead. ed.—4 Cod. Pith. *mutatis per sc. modis*

lii Pauli: agentibus L. Ambivio et L. Turpione: qui cum suis gregibus etiam tum personati agebant. Modulata est autem tibiis dextris, id est, Lydiis, ob seriam gravitatem, qua fere in omnibus Comœdiis utitur hic Poëta. Sæpe tamen, mutatis per scenam modis, cantica mutavit:[4] quod significat titulus scenæ, habens subjectas personis literas, M. M. C. Item Diverbia ab histrionibus crebro pronuntiata sunt, quæ significantur D. et M.[5] literis secundum personarum nomina præscriptis, in eo loco ubi incipit scena. Annotandum sane, quod hæc Fabula προτατικὸν πρόσωπον non habet, hoc est, personam, quæ ad argumentum nihil attineat, quæque sit assumta extrinsecus, ut est in Andria Sosia. Hanc dicunt ex Terentianis secundo loco actam, etiam tum rudi nomine Poëtæ. Itaque sic pronuntiatam, Adelphœ Terenti, non Terenti Adelphœ: quod adhuc magis de Fabulæ nomine Poëta, quam de Poëtæ nomine Fabula commendabatur. In hac quidem spectatur quid intersit inter rusticam et urbanam vitam: mitem et asperam: cœlibis et mariti: veri patris et per adoptionem[6] facti. Quibus propositis ad exemplum, vitanda perinde, fugiendaque, Terentius monstrans, artificis Poëtæ per totam Fabulam obtinet laudem.

cantavit. Dan. *cantata.* Lind.—5 Danielis cod. *D. et V.* Id.—6 Ms. *adoptationem.* Id.

ÆLII DONATI ARGUMENTUM IN ADELPHOS.

Ex duobus Atticis fratribus, alter quidem, Demea nomine, rus coluit, uxorem duxit, filios suscepit duos, Æschinum et Ctesiphonem. At alter, Micio nomine, uxorem non duxit,[1] et filios procreare noluit: sed sibi filium fratris Æschinum adoptavit: atque ita indulgenter eduxit a parvulo, ut effuse luxuriatus adolescens ad postremum civem Atticam virginem vitiaret, captus amore ejus: quo facto, et cum matre puellæ pepigit nuptias ejusdem, quam vitiavit. Cumque rem gestam ad patris, a quo adoptatus fuerat, conscientiam jam jamque perlaturus esset, precibus Ctesiphonis, fratris sui, qui apud durum patrem atque agrestem Demeam parcius atque arctius haberetur, impulsus est, et ut eidem a lenone raperet meretricem: quo facto, multiplici errore completur Fabula. Nam et Demea cum hoc ipso, id est, cum Micione litigabat, tanquam cum eo qui corruperit adolescentem adoptatum, in mores perditos, nesciens suum

1 Rectius in Ms. *uxorem ducere et filios procreare noluit.* Lind.—2 Pro *de*

sibi filium Ctesiphonem esse corruptum, eluditurque a Syro et Micione per totam Fabulam. Et mater puellæ jam decimo mense post raptum virginis Æschinum credit sibi ipsi rapuisse meretricem. Quæ perturbatio cito in tranquillum redacta est. Nam, re comperta de vitio virginis, Micio dat civem Æschino quam concupiverat: ejusque matrem ipse accipit. Deprehenso vero Ctesiphone in amore meretricis, primo irascitur Demea: post lenitur, atque habendæ ejus meretricis licentiam præbet. Primus actus hæc continet: Micionis solius primo verba: et post, ejusdem et Demeæ jurgium. Secundus actus hæc continet: lenonis alteram rixam adversus Æschinum pro puella: ejusdem apud Syrum querelas: lætitiam Ctesiphonis: obsessionem amicæ: et ejusdem gratiarum actiones apud Æschinum. Tertius actus hæc continet: trepidationem matris Sostratæ et Cantharæ nutricis ob parturientem Pamphilam vitiatam ab Æschino: Getam nuntiantem dominæ suæ per errorem, quod sibi rapuerit Æschinus meretricem: reditum in scenam Demeæ: ejusdemque cum Syro ludificante sermocinationem: interventum Hegionis, cum querela apud eundem Demeam de facto Æschini, de[2] consolatione Sostratæ. Quartus actus hæc continet: Ctesiphonis cum Syro colloquium: delusionem Demeæ: ejusdemque in scenam interventum, atque secundam frustrationem per Syrum factam: Micionis cum Hegione sermonem: querelam Æschini de rebus suis, ejusdemque cum Micione patre facetissimam dissertationem:[3] Demeæ reditum in scenam ex errore, in quem eum conjecerat Syrus: et renovatum cum fratre ejusdem jurgium: processionem in scenam temulenti Syri. Quintus actus hæc continet: deprehensionem Ctesiphonis cum meretrice: tertium cum Micione jurgium Demeæ, ejusdemque vitæ pristinæ correptionem: et per eum multa in Comœdia Nova, hoc est, blandimentum circa Æschinum, et affabilitatem circa Getam: conciliationem Syri et uxoris ejus: et veniam circa Ctesiphonem: permissionemque habendæ meretricis. Servatur autem per totam Fabulam mitis Micio, sævus Demea, leno avarus, callidus Syrus, timidus Ctesipho, liberalis Æschinus, pavidæ mulieres, gravis Hegio. In dividendis actibus Fabulæ identidem meminerimus; primo paginarum dinumerationem neque Græcos, neque Latinos servasse: cum ejus distributio hujusmodi rationem habeat, ut, ubi attentior spectator esse potuerit, longior actus sit: ubi fastidiosior, brevior atque contractior. Deinde etiam illud, in eundem actum posse conjici, et tres et quatuor scenas introëuntium atque exeuntium personarum. Facta autem hæc una est de duabus Fabulis, Adelphis Menandri, et Commorientibus Diphili.

habet *et* West.—3 *Decertationem*] Ms. *dissertationem*. Lind.

EXPOSITIO EPIGRAPHES; &c.

Extracta ex Editione Brunsiana.

Acta est ista Fabula Adelphe, quam Terentius Latine composuit post Menandrum, ludis funebribus, quos exercebant in anniversariis principum aut regum, quos inter heroas computabant, Quinto Fabio, Maximo, Publio Cornelio Africano, Emilii Pauli S. filio ædilibus curulibus Romæ, quos scilicet ludos fecerunt Lucilius Attilius Prænestinus, Minutius Prothimus. Modos fecit Flaccus clauditibiis Sarranis. Claudum, sicut jam diximus, genus est tibiarum, inæqualibus fistulis compositum. Sarranæ autem tibiæ dicuntur a Sarrano auctore, qui illud genus adinvenit. Fabula autum Adelphe, quam Terentius composuit per Menandrum, recitata est Romæ, dum isti supradicti ædiles curules essent et dum ludi funebres agerentur. Græca vero Menandri facta est Anicio, Marco Cornelio consulibus.

PROLOGUS.

Postquam Poëta. More suo in prologo malivolis respondet poëtis, qui callide ejus scripturas reprehendebant, et loquitur de se quasi de alio.

Sinapothnes Comœdia est Contes Difili. Contes Difilus Græcus comœdus fuit, qui composuit Fabulam, quam appellavit Sinapothnes, quæ Latine sonat, Commorientes; cujus Fabulæ partem ubi dicitur adolescens lenoni i. e. consiliatori stupri tulisse, cum Plautus vetus comicus intactam dimisisset nihil inde dicens, poëta Terentius, comœdus videlicet novus, eam partem sibi sumsit in Adelphos, h. e. in causam duorum fratrum. Adelphœ etenim dicuntur gemini fratres, sive generaliter fratres quicumque aliquo nomine censentur, et sorores. Hæc autem Fabula idcirco Adelphe vocatur, quia causam duorum fratrum narrat, Demeæ et Micionis. Demea siquidem habuit duos filios, quorum alterum commendavit fratri suo Micioni ad nutriendum, qui morabatur in urbe et sine uxore erat. Alterum autem retinuit sibi, cum quo morabatur in rure. Dum ergo Micio, qui in urbe habitabat, lasciviæ permitteret nepotem suum tendere, quoniam vita urbana otiosa solet esse, redarguebat illum frater suus Demea. Cetera pleniter legendo videbuntur.

PROLOGUS.

POSTQUAM Poëta sensit, scripturam suam

Postquam Poëta Terentius intellexit Comœdias, quas scripsit, curiose explorari,

Hæc Fabula in Mss. plurimis vocatur ADELPHŒ. Quod itidem ex libb. antiquis laudat Mur. Sed et Gifanius in Ind. Lucret. v. Tractus corporis.

Ab iniquis observari, et adversarios
Rapere in pejorem partem, quam acturi sumus,
Indicio de se ipse erit; vos eritis judices,
Laudin' an vitio duci id factum oporteat.
ΣΥΝΑΠΟΘΝΗΣΚΟΝΤΕΣ Diphili comœdia 'st.
Eam COMMORIENTES Plautus fecit fabulam.
In Græca adolescens est, qui lenoni eripit
Meretricem, in prima fabula. Eum Plautus locum
Reliquit integrum: eum hic locum sumsit sibi
In ADELPHOS; verbum de verbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus novam: pernoscite,

et notari ab improbis hominibus atque adversariis obtrectandi gratia, et Comœdiam, quam exhibituri sumus, ab his reprehendi et culpari; ipsemet quid fecerit vobis indicabit; vos judicabitis utrum factum laude dignum sit, an vituperio. Diphilus Poëta comicus Græcus Comœdiam fecit, quam Græce Synapothnescontes inscripsit: eam Plautus Latine composuit, et Commorientes nominavit. In Græca Diphili quidam inducitur adolescens rapiens lenoni meretricem, in prima parte Fabulæ; eum locum reliquit Plautus intactum: hic vero Poëta Terentius hunc locum transtulit in Adelphos, et ex Græco in Latinum vertens ornatiorem reddidit. Eam Comœdiam novam, nempe Adelphos, vobis, spectatores, nunc acturi et recitaturi sumus.

West.—2 *Iniquos observare*] Vulgo *Ab iniquis observari.* Quæ grammatistæ cujusdam mihi videtur correctio, caventis, ne iniquos a scriptura observatos acciperent pueruli; quod cavere ineptum est. Jam una hæc sententia; cum vulgo aliter dicatur, scripturam observari; aliter, adversarios eam rapere in pejorem partem; quod genus vitii inprimis fugiunt probi scriptores. *Both.*—3 *Pej. rap. in partem* Both.—4 Guy. *De se ipse indicio erit.* EP. *Ipse de se indicio erit.* Barthius tamen Advers. XII. 6. contendit, legendum esse, *Indicio de se ipsa erit*; et τὸ *ipsa* referendum ad τὸ 'scripturam.' Mss. quidam et editi veteres: *et vos.* West. *Indicio de se ipse erit*] Commodum videtur huic versui sustentando ex 'ipse' vel *p*, vel *s*, elidere: vel ex 'erit' *t*. Fa. 'Erit' corripitur. Vel etiam sic poteris, *Indicio de sese ipse erit, vos judices.* Bent. *De sese ipse erit, vos j.*] Vulgo obscuratis quidem verbis gravibus *se ipse*, numerisque pessimis. *Both.*—5 Τὸ *id* abest a libris quibusdam scriptis et impressis. *West.* *Duci f. op.*] Interpone pronomen *id* post 'factum,' ex Bem. et Vi. *Fa.* Sic in duobus Regiis. *Bent.* *Id* omittit Br. *Factum id* Bent. Bip. Delph. Both. Perl.—6 *Synapothnescontes* Bent. Z. Delph. Bip. Both. Perl. *Sinapothnes contes Difili* Br.—8 *Eripit*] Hanc lect. ex Mss. tuentur Fa. et Par. In plurimis tamen est *eripuit*: quomodo et Do. legit, si credimus Bœclero, sed *eripit*, si Faërno. Videtur autem esse sermo de re præsenti. *West.* Omnes fere l. s. et Donatus *eripit*: quod et versum juvat, et convenire alioqui magis videtur loquenti de argumento Fabulæ, uti præsenti quam præterito: ut in Prologo Eunuchi, 'In ea est parasitus Colax.' *Faërnus.* Ita duo ex nostris vetustissimi. *Bent.* *Eripuit* Z.—9 *Meretricem. In prima Fabula, eum, &c.* Br. *Eum* abest a Guelf. 2.—10 *Eum* abest a M. sed in Bœnd. additum secunda manu. Perperam vero Guy. locum hunc solicitat, legens: *hic vero sumsit sibi.* Neque enim repetitio ejusdem substantivi insolens est Veteribus. *West.* *Eum hinc locum* R. *Lind.*—12 *Eam nos acturi sumus*] Hos tres versus spurios vocat Guyetus, nulla idonea ratione motus. Eug. *Eandem* legit. *West.* *Pernoscite, furtumne factum existumetis*] Neque hæc locutio magis absurda videri debebat Guyeto, quam illa in Prologo Andriæ, versu 24. 'Rem cognoscite, Ut pernoscatis.' *Id.*—15 Davent. distinguit, *malevoli homines, nobiles Tum adjutare.* Præter mentem, opinor, Poëtæ. *Id.*—17 Post 'vehemens' interpone verbum *esse*, ex o. l. s. *Fa.* Sic in nostris omnibus. *Bent.* *Esse* omitt. Er. *Perl.*—19 Quidam vetustissimi Codices legunt, *nobis*; quasi sermo sit de grege histrionum. *West.*—21 *Est* omittit Both.—23 Mss. plurimi: *eam partem aperient.* Quod et est in EA. Alii, *hi partem aperient.* West. *Hi partem aperient, In agendo partem ostendent*] Sic codices; sed legendum, *hi partim aperient, In agendo partim ostendent.* Bent. Sed omnes *partem* utrobique intelligi putant Fabulæ. *Primum* Guelf. 1. *Perl.* *Hi* Bip. Delph. Perl. *Hii* Br. Bentleium omnino sequitur Both.—24. 25 Bœnd. et EA. *ut vestra æquanimitas.* Forsan ex glossa; quia et Donatus τὸ *vestra* deesse notat. Bœcl. etiam τὸ *ut* in duobus Mss. reperit. Seu vero legas, *Vestra poëtæ ad scribendum augeat industriam*, seu, *Poëtæ ad scribendum augeat ut industriam*, versus constabit. *West.* 'Deest, vestra,' inquit Donatus: at quo jure deesse potest? qua consuetu-

Furtumne factum existumetis, an locum
Reprehensum, qui præteritus negligentia 'st.
Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adjutare, assidueque una scribere;
Quod illi maledictum vehemens esse existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam, cum illis placet,
Qui vobis universis et populo placent;
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usus est sine superbia.
Dehinc ne expectetis argumentum fabulæ:
Senes qui primi venient, ii partem aperient;
In agendo partem ostendent. Facite, æquanimitas
Poëtæ ad scribendum augeat industriam.

Nunc perspicite an censere debeatis, hunc locum, quem mutuatus est Terentius, furti vitio accusandum sit, an potius dicendum ab eo resumtum et retentum esse, postquam Plautus eum pro derelicto negligenter habuerat. Nam, quod adversarii isti in vulgus jactant, homines nobili et patricia stirpe clarissimos et operam suam dare, et perpetuo una Comœdias facere; quod illi vituperium grave arbitrantur, id sibi ingenti gloriæ tribuit, cum illis gratus et acceptus est, qui vobis, quotquot hic estis, et universo populo grati et accepti sunt: quorum beneficia, in militia et in pace, commode in omnes collata fuerunt sine fastu et ostentatione. Exinde nolite expectare ut argumentum fabulæ vobis enarretur. Senes, qui primi in proscenium prodibunt, ii partem explicabunt ipso initio, partem in reliquo dramate. Concedite, ut æquo et propitio animo adsitis, quo labor et industria Poëtæ ad faciendas Comœdias magis ac magis excitetur.

NOTÆ

15 *Homines nobiles*] Nempe Scipionem Africanum, Lælium, et Furium Publium.

dine subintelligi? In recepta lectione constructio erit *æquanimitas poëtæ.* Mihi quidem non *vestra*, sed versus integer deesse videtur; quem vide an forte invenerim: *facite, æquanimitas Bonitasque vestra adjutrix nostræ industriæ Poëtæ ad scribendum augeant industriam.* Sic Phorm. Prol. 35. ' Bonitasque vestra adjutans atque æquanimitas:' et Hec. Prol. 24. ' Vestra intellegentia Sedabit, si erit adjutrix nostræ industriæ.' Notum est, in Prologis scribendis se ipsum suppilasse Terentium: tres versus continui in Prologo Heaut. repetuntur in Prologo Hecyræ. Jamque vides, cur versus exciderit: nempe quia eodem verbo duo terminabantur, *industriæ, industriam*; id, ut sæpe fit, librarii oculos fefellit. Denique jam recte habes *augeant*: nam, ut *augeat* producat ultimam, nullum in toto Terentio exemplum. Est quidem, qui sic versum interpolat, *Poëtæ ad scribendum augeat vestra industriam.* Sed bis in eo peccat: nam et verborum collocationem pravam inducit; et *augeat* in dissyllabon contrahit, prorsus contra artem. *Bent.* Ed. nostra c. figg. *facite ut vestra æq.* Sed verba *ut vestra* non sunt a codd. melioribus, et repugnant versui. Quod desiderat Do. *vestra* ante ' æquanim.' illud huic vs. cum aliis addimus, ut constet versus, qui sine eo vacillat. Dac. quoque sic edidit. Bent. vero integrum versum, quo facile caremus, subjiciendo, inanem operam ludit. *Bip.* Quæ Bent. excidisse putabat, cum minime necessaria esse videantur, haud scio an paucorum latura sint suffragia. *Both.* qui dat *Poëtæ adaugeat ad scribendum industriam. Vestra poëtæ ad scribendum augeat industriam* Bip. Delph. *Ut* ante ' æquan.' Guelf. 2. *Facile* Perl. per errorem, ut videtur: quamvis id repetat in Notis.

ACTUS I. SCENA I.

MICIO.

STORAX! non rediit hac nocte a cœna Æschinus,

MI. *Heus, Storax; non reversus est domum Æschinus filius hac nocte a convivio, cui affuit cum sodalibus suis; neque ullus ex servis, qui obviam ei missi fuerant eum comitatum. Equidem hæc communis sententia vera est: minus damnosum est ea accidere quæ uxor irata de te suspicatur, et animo conjicit, quam illa, quæ parentes pii et filiorum studiosi eis timent. Uxor, si tardes domum redire, aut alius mulieris amore detineri te suspicatur, aut aliam amore tui captam esse, aut compotationibus te deditum esse, aut voluptati inservire; denique te solum in deliciis versari, dum ipsa molestiis et tristitia cruciatur. Ah, quæ suspiciones mentem meam agitant, quia non rediit filius! quibus timoribus animus angitur! ne aut ille Æschinus algore obstupuerit, aut uspiam lapsus membrum aliquod sibi omnino ru-*

Var. scriptura *Mitio* et *Micio*, ut ex priori mitis cognoscatur, ex altero μικίων. Probat posterius Mur. secundum Athen. Deipnosoph. VI. *Perl.*—1-2 Guy. eumque laudans Bœcl. post binos hosce versus perperam interrogationis notam poni aiunt. Vetustissimorum Codicum alii ponunt, alii non ponunt: unde nata Donati animadversio. Mihi omnino videtur esse interrogatio. *West.* Tolle notas [Notas: nam quidam interrogant ad finem et primi et secundi vss.] interrogationis. Storax vocatus non respondit: inde scit Micio neminem adhuc rediisse. Nemo domi manebat cum sene præter ancillas. *Bent.* Miror signum poni a nonuullis interrogandi, cum nulla Storacis sequitur responsio. *Perl.* Cum exeundo vocasset Storacem, nemoque servorum respondisset, post aliquantulum temporis ex silentio conjecturam facit, suosque sensus eloquitur. Sapienter hoc monet post Do. Dacieria, notatque alios, qui post ' ierant' signum rogandi ingerunt. Nemo certe respondet. *Bip.* Nec interrogant Br. Both.—4 *Evenire ea*] EA. *evenire tibi.* West. Quæ glossa esse videtur. *Perl.* Omnes antiqui libri, *Aut ibi.* Ita et Donatus. *Fa.* Quatuor tamen ex nostris, *Aut ubi si.* Recte. Et sic citat Servius ad Æn. III. 430. *Bent.* *Ibi* Br.—6 *Propitii*] J. *declarant.* Subditium videtur. *Perl.*—8 *Aut te amari*] Bemb. Bas. et Donatus: *Aut tete amari*, ut et versus exposcit. Vi. habet, *Aut de te amari.* Fa. Et ex nostris nonnulli *tete.* Bent. *Aut animo obsequi*] Iidem libri vetusti: *atque animo obsequi.* Donatus, *aut.* Fa. Nostri omnes *atque.* Bent. *Atque pot. atque an. ob.* Bip. *Aut potare atque in an. ob.* Br. *Atque an. ob.* Bent. Both. Perl.—9 *Tibi bene esse*] Antiqui libri omnes habent, *Et tibi.* Sicut et infra, ' Et quibus nunc solicitor rebus:' sed hic *Et* transit in scansione in præcedentem versum. *Fa.* Etiam nostri plerique *Et tibi.* Sed accentus causa etiam corrigendum, *sibi cum sit male;* non ut libri, *cum sibi sit male.* Bent. Omnes ponunt comma post ' soli,' ego post ' esse,' et ' soli' jungo cum ' sibi.' *Schmieder.* Bentleium sequuntur Both. et Perl. qui monet *cum sibi* esse in Guelf. 3. et abesse *Et* a 2.—11 *Et* a tribus nostris abest: recte. Licet Servius ad Æn. IV. 380. habeat *Et.* Bent. *Et* abest a Guelf. 2. *Perl.* *Ne aut ille alserit*] Legendum, nisi omnia me fallant, *illiserit*, intellecto se, Græce: scriptum antiquo more verbum *ILLAESERIT* cito depravatum est. *Both.* *Et* delent Delph. Bip. Both.—12 Guy. præfert, *præfregerit.* Atque ita in Ms. Argentoratensi scriptum prima manu reperit Bœclerus. Quod mox cum eidem Guyeto minus placeret, mutavit in, *crus fregerit Aliqui;* forte respiciens locum Plautinum modo

NOTÆ

1 *Storax*] Sublata voce Storacem e servulis unum vocat; quo non respondente, intelligit nondum rediisse filium: Storacem enim huic ad cœnam eunti comitem dederat, et alios postea servos emiserat, qui obviam irent, et eum reducerent. Proprie locutus est, cum dixit ' adversum;' nam hi servi adversitores dicebantur, qui adversum ibant foris cœnanti, officii et tuitionis gratia. Storax, Græce στόραξ, est arboris lacryma odorata. Et ab odore ita servus nominatur.

Neque servolorum quisquam, qui advorsum ierant?
Profecto hoc vere dicunt: si absis uspiam,
Aut ubi si cesses, evenire ea satius est,
Quæ in te uxor dicit, et quæ in animo cogitat
Irata, quam illa, quæ parentes propitii.
Uxor, si cesses, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, aut animo obsequi;
Et tibi bene esse soli, cum sibi sit male.
Ego, quia non rediit filius, quæ cogito,
Et quibus nunc solicitor rebus! ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit

Aliquid. Vah! quenquamne hominem in animum institu-
ere, aut
Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?
Atqui ex me hic non natus est, sed ex fratre: is adeo
Dissimili studio est, jam inde ab adolescentia.
Ego hanc clementem vitam urbanam atque otium
Secutus sum; et, quod fortunatum isti putant,
Uxorem nunquam habui. Ille, contra, hæc omnia:

perit. Vah! potestne illud esse, ut quispiam ita animo sit affectus, ut quic-
quam carius habeat quam seipsum? Attamen ex me non est genitus, sed ex fratre
meo Demea. Is frater dissimiliter vitam instituit, atque ego: jam inde usque ab
ephebis ego hanc comem elegi vitam, urbanam et tranquillam; et, quod plerique bea-
tum æstimant, uxorem nunquam ducere volui: ille omnia alia potiora duxit, agro

laudatum. Sed *perfregerit Aliquid* constanter legunt Codices. Sic Liv. XXII. 20.
Cicero de Orat. II. 62. Phæd. v. 7.8. 'Sinistram fregit tibiam.' *West.* Omnes
fere antiqui libri, *præfregerit*. Fa. Sic et nostri. *Bent.* *Aut uspiam nunc ce-*
ciderit] Non dubito, quin ex hoc versu in antecedentem τὸ 'nunc' migraverit,
eoque ponendum sit loco, quo positum jam vides, ut ad tria ista perfecta
'illiserit,' 'ceciderit,' 'præfregerit' æque pertineat potius quam ad unum
'solicitor.' *Both.* *Perfr.* Er. *Perl.* *Præfr.* Br. Bent. Bip. Both. Perl.—13
Ms. Lips. et EP. habent *instituere in animo*. Sed et ita erat in omnibus Mss.
Bœcleri. Guyetus in Scholiis Mss. *Parere,* id est, τίκτειν, defendit. *West.*
In animum instituere] Bent. præeunte Faërno edidit, *in animo*. Utrumque
recte. *Zeun.* *In animo* Guelf. 2. 3. Br. ET. EM. Bent. Bip. Both.—14 *Pa-*
rere Br. *Sit* pro *est* Guelf. 3. Dat Bothius: *quam ipsus sibi! Ac | Non ex*
me natus, fratris hic est. Adeo is est | Dissimilis studio: nam inde ab adolescen-
tia | Ego, &c.—15 Mss. quidam, *Atque*. Quæ inceptiva est particula. At-
que ita Sosipater lib. II. ex Acrone citat, laudantibus G. et F. F. *West.*
In Bembino et aliis antiquis, pro *Atqui*, est *Atque*. Quod vero sequitur in
o. l. s. ita collocatum est, *hic natus non est*. Fa. Similiter nostri plerique
Atque. Charisius p. 204. 'Atque, pro, et. Terentius in Adelphis: 'Atque
ex me hic natus non est, sed ex fratre.' Ubi Acron, Argute, inquit, nam
per conjunctionem transitum fecit ad narrationem.' *Bent.* *Atque* Br. Bent.
Bip. et cum Delph. *natus non est.*—16 Hanc distinctionem ex Aldo, Stephano,
aliis, revocare visum fuit. Vulgo nunc ita: *is adeo Dissimili studio est: jam*
inde ab adolescentia ego. Guyetus ita: *Atque ex me hic natus non est, sed fratre*
ex meo. Sequentem versum expungit. *West.* Tres ex nostris, quorum unus
900. annorum, *Dissimilis studio est*. Recte. *Bent.* *Dissimili st. est jam inde*]
Post 'est' Bent. distinguit [hoc modo: *studio est. jam inde ab adulescentia,*
Ego, &c.] quod opus esse non arbitror. *Zeun.* Guy. hunc vs. ut sæpe alios,
delevit immerito. J. colloc. *jam ab adolesc.* Cacophonia. *Perl.* *Dissimilis* A.
Both. Sic dat Perl.—17 Vide an legendum sit, *vitam urbanumque otium.*
Cic. Ep. Fam. XII. 1. 'Ut ego quidem et urbi et otio diffiderem urbano.'
Bent. *Atque*] GM. sup. script. exhibet *urbanum*. Perl.—18 Guy. substi-
tuit *infortunatum*, exagitans in glossis ἀνεκδότοις Donatum, qui id non viderit,
cum præsertim Menandrum haberet ad manum: præter mentem Poëtæ.
West. Inepte conjecit Guy. *infort.* Bip. *Quo* Guelf. 2.—19 Distingue:
Ille, contra hæc omnia, Ruri agere vitam. Bent. Distinguunt al. post 'Uxo-
rem' perperam; nec minus incommode quidam post 'contra.' *Perl.* Vulgo

Ruri agere vitam: semper parce ac duriter
Se habere: uxorem duxit: nati filii
Duo: inde ego hunc majorem adoptavi mihi:
Eduxi a parvulo; habui, amavi pro meo;
In eo me oblecto: solum id est carum mihi.
Ille ut item contra me habeat, facio sedulo:
Do, prætermitto: non necesse habeo omnia
Pro meo jure agere. Postremo, alii clanculum
Patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia,
Ea ne me celet, consuefeci filium;
Nam, qui mentiri, aut fallere insuerit patrem,
Aut audebit, tanto magis audebit ceteros.

colendo vitam exercere, semper austere et laboriose se tractare: uxorem matrimonio
sibi junxit: filios duos genuit: deinde hunc ego majorem natu in adoptionem
accepi: a puero educavi, habui, et dilexi tanquam filium naturalem; in eo delicias
omnes capio, hoc solum pretiosum habeo: ego omni cura laboro, ut pariter me carum
vicissim habeat ille: do sumtus, prætermitto et dissimulo delicta ejus, nec oportere me
puto in omnibus rebus patria potestate uti erga illum. Postremo, ita eum institui,
ne mihi occultet ea, quæ alii filii clam patribus suis faciunt, nempe culpas, quibus
obnoxia est ætas adolescentiæ; nam, qui mendacium proloqui coram patre, aut eum
solitus fuerit verbis decipere, multo audacius hæc faciet in ceteros. Utilius et me-

distinguunt *Ille contra, hæc omnia.* Verius quod cum Bent. sequimur. *Bip.*
Ille contra hæc omnia, Ruri Both. Perl. et sic Br. excepto quod plenissime
distinguit post 'omnia.'—20 *R. a. semper v.* Sic certe EA. vetusque ed.
nostra cum figg. melius quam vulg. *Ruri agere vitam: semper parce, &c.* Bip.
R. a. vitam semper, parce, &c. Both. qui notat: 'Piget, reverentia codicum
me deterritum haud reposuisse *R. vitam agere*, ut plene exaudiretur τὸ *Ruri,*
verbum gravissimum, quod invenuste nunc deproperatur.'—22 *Duo sunt*
Guelf. 2.—25 Mss. plusculi et editi, *itidem*. Alii, *idem*. West. *Idem*
Guelf. 1. 2.—27. 28 Mss. quidam, et EA. *clunculum Patre.* Sed nec pyrri-
chius, nec trochæus primo senarii loco satis recte subsistit. *West.* Sic
Guelf. 1. *Adulescia* Br.—30. 31 Bœcl. post Guy. *insueverit* defendit.
Utrumque est in libris scriptis et impressis. Adi Gifan. Ind. Lucret. v.
Suetus, et Donat. ad And. v. 2. 26. *Aut audebit* absunt a quibusdam Mss.
unde glossema vocatur Boëclero, legenti, ut versus constet, *magis is.* West.
Pro *insuerit,* alii codices *insueverit:* apud Martianum Capellam p. 160. *in-*
stituerit. Sed, utcumque sit, qualis quæso locutio est, *insuerit aut audebit?*
Certe aut *insuescet* et *audebit;* aut *insuerit* et *ausus fuerit.* Qualis porro sen-
tentia? post *insuerit,* quorsum infertur *audebit?* quasi non sæpe ac diu ausus
sit, priusquam posset insuescere? Varia hic moliuntur Interpretes; sed rem
ipsam puto me reperisse: *Nam qui mentiri aut fallere, ita uti fit, patrem Aude-*
bit, tanto magis audebit ceteros. Bent. *Insueverit* GM. *Insuevit* al. Bent.
vero, diversis temporibus merito offensus, mihi mutationem suam non pro-
bavit. Pro *insuerit* legere ausim *ut suerit,* sensu ac metro servato. Verba
collocanda ita censerem: *Nam qui aut ment. aut fallere, ut suerit, patrem Au-*
debit, tanto, &c. Perl. *Aut audebit*] *Aut* al. versui 31. præponunt, al. [ut Bip.
Delph.] annectunt priori. *Idem.* *Insueverit*] Sic nostra ed. Non intelligit

Pudore et liberalitate liberos
Retinere satius esse credo, quam metu.
Hæc fratri mecum non conveniunt, neque placent.
Venit ad me sæpe, clamitans: Quid agis, Micio?
Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumtum suggeris?
Vestitu nimio indulges; nimium ineptus es.
Nimium ipse est durus, præter æquumque et bonum:
Et errat longe, mea quidem sententia,
Qui imperium credat gravius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur.
Mea sic est ratio, et sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,

lius esse censeo, verecundia et liberali clementia eum avocare a vitiis, quam timore. Hæc non ita fratri, ut mihi, videntur observanda, neque probantur. Ille sæpe me convenit vociferans: Quid facis, Micio? cur nobis corrumpis filium? cur sumtus das ei, ut amicas habeat? ut in potationibus se mergat? cur vestimenta splendidiora et nimio pretiosiora largiris? nimis imprudenter eum moderaris. Ille vero (Demea) asperior est, et sævior plus æquo et bono; et valde fallitur ita sentiendo, ut ego quidem opinor, quicumque sibi persuadet imperium, quod cum violentia quæritur et exercetur, esse fortius et diuturnius, quam illud quod amore conciliatur. Ego sic reor, credoque; qui vi aut necessitate adigitur ad suum faciendum officium, tantis-

Bent. connubium futuri perfecti et imperfecti, *insueverit aut audebit*, ex ipsa re natum; qui vel olim insueverit, vel primum audebit. Bœcl. legit *fallere insueverit Patrem tanto magis is aud. &c.* Sequuntur eum inter alios Dac. et Millerus. *Bip.* quæ dat *insueverit.* Both. dat: *aut fall. institerit patrem Audere, tanto magis audebit ceteros.*—35 Quinque hosce versus laudat Cicero de Invent. I. 19. Guy. tamen *clamans* præfert. *West.* *Venit sæpe ad me clamitans*] Et Do. et Bem. et Bas. et Vi. et multi alii, ita collocant, *Venit ad me.* Fa. Nostri quoque *Venit ad me; clamitans;* quod tamen versus respuit. Repone, *clamans.* Bent. *Clamans*] Al. *clamitans,* quod repugnat metro: et frustra interciditur a 'sæpe,' quod alii præponunt verbis 'ad me.' Quamvis autem et Do. legat *ad me sæpe clamitans,* sequimur tamen cum Guy. et Bent. metri rationes. *Bip.* quæ dat *clamans* cum Both. Perl.—37 Mss. quidam et editi: *sumtus.* West. Aliqui libri, inter quos Bembinus, item Donatus: *sumtum.* Faërnus. Nostri omnes *sumtus.* Bent. *Sumtus* Br. *Sumtum rebus* Both.—38 *Vestitu*] Ita dixit pro, *vestitui,* quod in uno Ms. reperit Bœclerus. Mur. cum Guy. *nimium* defendunt. In vetustissimis libris est *indulgis:* quod ex Bem. laudat F. F. *West.* *Vestitum nimium* Guelf. 2. *Vestitu nimium* Both. Delph.—39 Bodl. et EP. cum EA. *æquum et bonum:* quomodo et omnes Mss. Bœcleri. Sed τὸ 'que' ante 'et' Terentianum est. *West.* *Nimium ipse durus est*] Bem. commodius versui collocat, *est durus.* Faërnus. Nostri omnes, *durus est.* Poteris et hoc modo, *Nimium ipse durust.* Ceterum hunc versum et quatuor præcedentes citat Cicero de Invent. I. 19: ubi *clamitans* et *sumptum* et *durus est,* hodie feruntur. *Bent.* *Que* omittit Guelf. 2.—40 *Et err. quid. m. long. sententia* Guelf. 1. *Et errat multum* C.—42 *Mea est sic ratio*] O. l. s. et Donatus, *Mea sic est ratio.* Fa. Sic et nostri.

Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit;
Studet par referre: præsens, absensque, idem erit.
Hoc patrium est, potius consuefacere filium,
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus interest: hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare liberis.
Sed estne hic ipsus, de quo agebam? et certe is est.
Nescio quid tristem video: credo jam, ut solet,
Jurgabit. Salvum te advenire, Demea,
Gaudemus!

per cavet sibi, et abstinet a malo, dum id cognitum iri putat: si credit occultum fore, rursus ad suos mores revertitur. Ille, quem beneficio acquiras, omni studio libens officium facit, curat diligenter vicissim benefacere; sive adsit coram, vel clam absit, similem sui semper se geret, et in officio suo manebit. Hoc patrem decet potius assuefacere filium, libenter et ultro recte faciendo, quam terrendo exemplis propositis pœnarum alienarum. Hæc differentia est inter patrem ac dominum. Qui non potest talem se præstare, concedat hic oportet se ignarum esse regendi liberorum ingenia. Sed estne hic ipse Demea, de quo loquebar? Equidem is ipse est. Nescio propter quid tristis mihi videtur: puto jam pro more suo jurgiis mecum aget. Salvum te adesse lætor, Demea.

Bent. *Est sic* Z. Perl.—44 Hæc vetus et vera est lect. quam Palmerius perperam immutare tentavit. *Lind.*—46 *Rursus* Bodl. *West.* Antiqui libri, præter Basilicanum, et omnes fere alii, et Donatus, *rursus.* Immo Bem. prius habebat *rursum:* ut et habet Bas. *Fa.* Nostri fere omnes *rursum,* quod versui commodius est; et hic reponendum. *Bent.* *Rursus* Z. *Si clam fore sperat* Both.—47 *Is, quem* Both. *Quem b. a. ille* Bip. et sic multi post Mur.—48 Mss. et editi quidam, *præsens, absens.* West. *Studet par referre* vulgata, et *St. par pari referre* Gu. 1. utrumque ex interp. C omittit conjunctionem. *Both.* qui dat *Studet referre, præsens absens idem erit.* *Par pari referre* Guelf. 3.—49 M. et EA. cum Fabrini editione, *patrum.* Ita et Leid. unus. Sed Tr. *Hoc patrium potius est.* West. *Patrum* ed. nostra c. figg. *Bip.*—50 GM. *recta:* minus Latine. *Perl.*—51 Mallet Guy. *Hoc qui nescit:* non ineleganter, modo Codices faverent. In Tr. erat scriptum, *Hoc qui nescivit;* sed τὸ *nescivit* inductum, et mutatum in *nequit.* West. Malebat Guy. *nescit* probe. *Perl.*—52 Reperi in Mss. quibusdam, *Fateatur, se nescire.* Idem sibi repertum in duobus Codicibus testatur Bœcl. Ex impressis habent EA. ET. Junt. Venetæ, Arg. Davent. aliæ. Donatus non legit τὸ *se,* nec recensuerunt Stephanus, Fabrini, alii. Et sane metri ratio respuere videtur. *West.* Bent. duce Faërno *se* omisit: recte. *Zeun.* *Se* dant Br. Z. Delph.—53 EA. *aiebam:* quomodo et fuit in Bodl. sed mutatum in *agebam.* West.—54 *Tristem nescio quid* Both. *Ut assolet* Br. *Id,* non *jam* Guelf. 3.—55 Donatus infra I. 2. 3. *Objurgabit.* West. *Salvum te advenire, Demea, Gaudemus*] Assentior iis, qui hic novum Scenæ initium statuunt. Qui enim hucusque solus de fratre Demea fuerat locutus, nunc advenientem alloquitur Micio. EP. *Salvo te adveniente, Demea, Gaudemus.* Id. Recte Dac. verba 'Salvom te,' &c.

refert ad initium Scenæ 2. *Zeun.* Ab his verbis 'Salv. te,' &c. Bipontini incipiunt Scenam 2. non inepte. *Perl.* Sic incipit et Both.

ACTUS I. SCENA II.

DEMEA. MICIO.

DE. EHEM! opportune: te ipsum quærito.
MI. Quid tristis es? DE. Rogas me, ubi nobis Æschinus
Siet, quid tristis ego sim? MI. Dixin' hoc fore?
Quid fecit? DE. Quid ille fecerit! quem neque pudet
Quicquam; nec metuit quenquam; neque legem putat
Tenere se ullam: nam illa, quæ antehac facta sunt,

DE. *Hem! commode, in tempore advenis; te ipsum quæro sedulo.* MI. *Quid mæstus es?* DE. *Interrogas me quid tristis sim, cum filium Æschinum habeamus? Nempe ejus causa sum tristis et solicitus.* MI. *Nonne vere dixi illum morose jurgaturum esse? Quid is fecit?* DE. *Quid fecerit, quæris? Qui neque pudore ullo afficitur, neque veretur quenquam, aut timet; neque æstimat se ulla lege obligari: nam, quæ antehac fecit, prætereo: o quænam modo nefanda palam gessit?*

1 *Ehem*] Libri plerique præferunt *Hem;* quod admirantis est, cum illud sit vocantis, atque adeo huic loco parum conveniens. *West.* *Hem*] Aliqui libri, inter quos Bem. et Ba. *Ehem:* quod magis convenit actibus repentinis, ut est subitus ejus, quem quis quærit, aspectus. *Fa.* Ita nostri omnes. *Bent.* *Ehem* commotius in re subita videtur. *Bip.*—2. 3 *Rogas me? ubi nobis Æschinus Siet? quid tristis ego sim?*] Verba obscuriora, et a Donato præterita. Zwærdecronius ita ordinat: *Rogas me, quid tristis ego sim? ubi nobis Æsch. siet?* Possit et ordo esse: *Quid tristis ego sim? rogites me, ubi nobis Æsch. siet:* q. d. Rogitas, quid sim tristis? Rogasse debebas, ubi nobis Æschinus siet. Sunt enim, qui *Rogas;* sunt qui *Rogitas;* sunt item, qui *Rogites* legunt. Eugraphius ita: *Interrogas me, quid ego tristis sim, cum Æschinum filium habeamus?* Leid. unus: *Rogitasne?* mox tres: *quid tristis ego sum?* Dac. unam facit interrogationem: *Rogas me, ubi nobis Æschinus Siet, quid tristis ego sim?* vertitque: *Pouvez vous me faire cette demande, vous, chez qui est Æschinus?* qui sensus omnium est optimus, in verbis de industria, ut videtur, a Poëta turbatis. Neque enim Demea furiosus ordine loqui debebat. *West.* *Rogitas me?*] Bem. et Vi. et multi alii, *Rogas me?* Fa. Et ita sex ex nostris. *Bent.* Edit. *Rogas;* et sine signo interrogationis, quod demum post 'sim' ponit. Sed repetita interrogatio vim habet. *Bruns.* Non repetunt interrog. Bent. Bip. Perl. et Both. qui dat *quid ego sim tr.* *Rogitas* Br. *Nescis* ante 'quid' dat Guelf. 3. *Hoc* abest a Guelf. 2.—4 Multi Mss. *Quid is fecit?* Impressi veteres variant. *West.* *Quid is fecit?* Dictionem *is* delemus ex auctoritate Bembini et Basilicani: quæ nec alioqui necessaria videtur: de Æschino enim sermo est, et de eo utique intelligitur. *Fa.* Sic noster veterrimus. Ceteri *Quid is fecit?* Utrumvis recte. *Bent.* *Is* habet Br.—5 *Neque metuit*] Omnes fere l. s. *nec.*

Omitto: modo quid designavit! MI. Quidnam id est?
DE. Fores effregit, atque in ædes irruit
Alienas: ipsum dominum, atque omnem familiam,
Mulcavit usque ad mortem: eripuit mulierem
Quam amabat. Clamant omnes, indignissime
Factum esse. Hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere! In ore 'st omni populo. Denique,
Si conferendum exemplum est, non fratrem videt
Rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?
Nullum hujus simile factum. Hæc cum illi, Micio,
Dico, tibi dico: tu illum corrumpi sinis.
MI. Homine imperito nunquam quicquam injustius,
Qui, nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.

MI. *Quidnam id est?* DE. *Portam rupit ædium, in ædes irrupit alienas, ipsum dominum cum omni familia verberavit, ictibus laceravit, ac pæne occidit, per vim abduxit mulierem, cujus amore impulsus erat. Omnis populus vociferatur nefarium scelus commissum esse. Quot mihi huc venienti, Mitio, hoc nuntiaverunt? Factus est totius populi fabula et querela. Quod si exemplum proponere utile est, nonne advertit fratrem suum Ctesiphonem in re familiari augenda studium omne ponere, vitam ducere frugaliter et temperanter in agro colendo? nullum unquam ejusmodi facinus ille ausus est. Hæc cum in illum dico, in te etiam dico: tu illum depravari pateris, Mitio.* MI. *Homine ignaro rerum nunquam quicquam iniquius fuit, qui nihil recte factum æstimat, nisi quod a seipso factum est.* DE. *Quare hæc dicis?*

Fa. Sic et nostri plerique. *Bent.*—7 *Dissignavit?*] Ita Ms. *Design.* edit. et cum signo exclamandi. *Bruns.* *Dissignavit* et Eug. Interrogant post *design.* Bent. Perl. *Dimitto* Guelf. 3.—9 *Omnem* omittit Bip. forte per incogitantiam.—10 *Multavit*] Omnes antiqui libri, *Mulcavit.* Fa. Sic duo ex nostris veterrimi. *Bent.* *Mulcavit*] In GM. et Br. *Mult.* Sed Victorius censet, ubi *mulctare* aut *multare* in hac significatione legatur, tunc legend. esse *mulcare.* Perl. *Mulcavit*] Sic recte antiqui l. o. Alii male et usitato errore *Mulct.* Bip. *Multavit* Delph.—12 In Ms. Lips. et EP. junctim legitur, *Factum esse hoc.* Westerhovius. Guelf. 2. quoque pungit post 'hoc,' non post 'esse:' et sic Br. qui dat *quod* pro *quot.*—13 *Dixere!*] Sustuli interrogationis notam. Est enim exclamatio cum admiratione. Bodl. non agnoscit *τὸ omni.* West. Interrogant Bent. Z. Bip. Dat Br. *Dixere.* *In ore, &c.*—14 Mss. et editi quidam vetusti: *patrem.* West.—15 Vetustiores nostri magno numero, *Rei operam dare.* Bent. qui sic dat cum Perl. Dat Br. *ruri esse, parcum ac sob.* Dat Both. *operam ruri, parcum ac sob.*—16 *Nullum hujus simile factum*] Plerique libri cum interrogatione hæc exprimunt. Quod quid sibi velit, non video. *West.* Nostri universi cum Edd. vett. *factum simile:* melioribus numeris. *Bent.* *Factum simile!* dant Both. Perl. *Facti* Guelf. 1.—18 Ms. Bodl. Bœnd. et Lips. cum EA. et EP. *nihil quicquam injustius est.* West. Codices nostri omnes *injustius est:* scribe igitur *injustiust.* Bent. *Injustius est* R. *Lind.* *Injustius est* G. ET. EM. *West. in Add.* Sic Br. *Injustiu 'st* Perl.—19 *Quia, nisi quod ipse facit* Bodl. *West.* *Nihil* Ms. *Nil* edit. *Bruns.* De hac varietate fere silemus. Hic etiam variant edd. Ceterum *facit* Guelf. 1. Bip.

De. Quorsum istuc? Mi. Quia tu, Demea, hæc male judicas.
Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
Scortari, neque potare; non est; neque fores
Effringere. Hæc si neque ego, neque tu, fecimus,
Non sivit egestas facere nos. Tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum fecisti inopia?
Injurium est; nam, si esset, unde id fieret,
Faceremus: et tu illum tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet,
Potius quam, ubi te expectatum ejecisset foras,

Mi. *Quia tu, Demea, pravo judicio res æstimas. Non est flagitii nomine dignum delictum, adolescentem cum meretricibus consuetudinem habere, et potationibus vacare, neque portas ædium perrumpere, mihi crede. Si neque ego, neque tu hæc commisimus, indigentia nobis non permisit. Tu nunc te laude dignum existimas, quod tunc ab his abstinuisti præ inopia; hoc est injuste judicare. Nam, olim si nobis facultas fuisset hæc faciendi, fecissemus: et tu, illum tuum Ctesiphonem, si humanitate præditus esses, patereris hæc facere nunc, dum ætas permittit; potius quam, ubi post mortem tuam tam exoptatam te ante januam collocasset, et mortuum*

Delph.—21 *Crede mi* Both. *Credere* Guelf. 2.—22 *Non est* absunt a M. *West.* Dat Both. *potare* . . . De. *Non est?* Mi. *Neque fores, &c.*—23 *Neque tu, neque ego* Bœnd. EA. EP. *West.* *Id si neque tu fecimus neque ego* Guelf. 2. —24 Bem. *Non siit.* Fa. Nostri omnes *sivit;* versu *siit* malente. *Bent.* *Sivit*] Par. p. var. *sinit.* Perl. *Facere egestas* Both.—25 Interrogandi signum posui, ob majorem emphasin. Neque aliter satis apte infertur illud, 'Injurium est.' *Westerhovius.* Hoc per interrogationem efferendum. Unus autem ex Regiis *duces*, non *ducis.* Etiam bene. *Bentleius.* *Duces*] Sic Bent. ex uno Reg. bene. *Perl.* *Duces* dant Bent. Both. Perl. Non interrogant Z. Bip. Perl. *Tu* sine *tum* Guelf. 2.—26 *Id* delet Perl. qui notat id esse in Guelf. 2. 3.—27 Lege *illum tu.* Bent. Sequitur Perl. *Illunc* habet Both.—28 *Decet* J. Gulielmius in Mil. Glor. Quæst. cap. 5. *West.* *Licet*] Sic nostri omnes: sed duo Jani Gulielmii, quos antiquissimos habuit, *decet*, non *licet.* Vide ipsum ad Plauti Militem cap. 6. et nos ad Horatium II. Epist. 2. 216. *Bent.* *Decet* Par. p. var. *Perl.*—29 Palmerius *elegisset* legit.

NOTÆ

29 *Expectatum ejecisset foras*] Mortui, apud Romanos, ubi animam egerant, lecto extracti humi deponebantur, deinde lavabantur, ungebantur, lecto funebri aptabantur, tum ad ostium domus cadaver admovebatur, versis in portam pedibus; quod Mitio suis verbis significat. Hæc Persius indicat Satira III. his versibus: 'Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto Compositus lecto, crassisque lutatus amomis, In portam rigidos calces extendit: at illum Externi capite induto subiere Quirites.'

Alieniore ætate, post faceret tamen.
De. Pro Jupiter! tu homo adigis me ad insaniam.
Non est flagitium, facere hæc adolescentulum! Mi. Ah!
Ausculta: ne me obtundas de hac re sæpius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi:
Is meus est factus: si quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.
Obsonat? potat? olet unguenta? de meo.
Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum:
Ubi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? restituentur: discidit

extulisset, hæc post faceret tamen, quamvis aliena ætate et intempestiva. De. *Proh Jupiter! tu homo me insanire coges. An non flagitiosum hæc agere adolescentem?* Mi. *Audi, ne me tædio eneces, hæc sæpius inculcando. Filium tuum mihi dedisti in adoptionem: is meus est factus legitimus: si quid delinquit, Demea, in meum delinquit damnum: ego in illa re potiorem partem sustinebo. Lautis epulis et cœnis insumit plurimum, large bibit vina, unguentorum odoribus fragrat? impensis meis hæc facit. Amicas habet? argentum largiar, quamdiu mihi facultas erit; quando non erit, fortasse ex ædibus et familia dimittetur. Januam disrupit? reficietur.*

West. *Expectatum ubi te* Both.—30 *Alieniori*] Libri antiqui et Donatus, *Alieniore.* Fa. Sic et nostri plerique omnes. *Bent.* Edit. [sc. Zeunii] *Alienore* mendose. *Bruns.* Mendum hoc continuatur a Z. Scribit Perl. esse in Guelf. 1. *Al. æt. post*, et in 2. *post fac. tam.* Quære, Lector, Œdipoda, qui hæc tibi explicet. Ceterum *Alieniori* dat Eug.—31 Mss. et editi quidam: *adiges.* Alii, *rediges.* Rursus alii, *redigis.* West. *Adiges*] V. Bas. et Do. *rediges.* Idem Donatus in sequenti Scena super eis verbis, 'Qui insanire incipiunt ex injuria,' citans hunc locum, legit *redigis*, quod lectionem Bembini, Victoriani, et Decurtati ex parte confirmat, in quibus *adigis* legitur: quod probamus. *Fa.* Nostri *rediges*, vel *redigis;* nisi quod codex ex veterrimis pro varia lect. habet *adigis.* Et sic citat Charisius p. 214. *Bent.* *Rediges* R. *Lind.* *Rediges* Br. *Tu me, homo, adigis* Delph.—32 *At* pro *Ah* Both.—34 Mss. et impressi quidam veteres, *adoptatum.* West.—36 Par. in marg. *illic.* Perl.—37 Citat Varro L.L. lib. VI. *Scortatur, potat, olet unguentum de meo;* addens: 'Scortari, est sæpius meretriculam ducere.' Quam lect. contra Codd. fidem laudat Fr. Floridus Sabinus, Lect. Subsec. I. 5. Quia vero *Obsonat* est in Codicibus omnibus, etiam in Donato, et Pr. lib. VIII. et IX. non minus videtur mutandum in *Scortatur*, quam *unguenta* in *unguentum.* West. Varro falsus est memoriæ: quippe omnes hodie libri *Obsonat.* Bent. Varronem haud dubie memoria fefellit. *Perl.* *Potat?*] Par. in marg. 'Sic Mss. omnes. At sunt qui totum locum reformare conantur.' *Id.* *De meo*] GM. *facit.* Glossam olet. Junguntur uno commate *olet ung. de meo* in Guelf. 3. *Id.* Varro lapsus est memoria. *Bip.* Interrogant semel, sc. post 'unguenta,' Z. Delph. *Obsonat, potat, olet unguenta; de meo* Bent. *Obsonat, potat, olet unguenta de meo* Br. Bip.—38 Non interrogant Br. Bent. post 'Amat,' neque post 'effregit,' nec post 'Vestem.' *A me* delet Both. *Ei* pro *a me* dat Br. Notat Bruns: 'Edit. pro *ei* legit *a me;* quod in codice, si non prima, certe

Vestem? resarcietur. Est, Dis gratia,
Et unde hæc fiant, et adhuc non molesta sunt.
Postremo, aut desine, aut cedo quemvis arbitrum:
Te plura in hac re peccare ostendam. DE. Hei mihi!
Pater esse disce ab aliis, qui vere sciunt.
MI. Natura tu illi pater es, consiliis ego.
DE. Tun' consulis quicquam? MI. Ah! si pergis, abiero.
DE. Siccine agis? MI. An ego toties de eadem re audiam?
DE. Curæ est mihi. MI. Et mihi curæ est: verum, Demea,
Curemus æquam uterque partem: tu alterum,
Ego item alterum; nam ambos curare, propemodum
Reposcere illum est, quem dedisti. DE. Ah! Micio.

Vestem dilaceravit? reparabitur. Est (Diis gratia) facultas satis ampla hæc præstandi, et adhuc non sunt mihi gravia: tandem, aut desine me molestia afficere, aut dic quemvis arbitrum; hujus sententiæ acquiescam, et te plus errare quam me clare arguam. DE. *Hei mihi! disce te patrem gerere ab aliis, qui peritiores sunt veræ patriæ potestatis exercendæ.* MI. *Natura tu illi pater es; ego consiliis et recta institutione.* DE. *Tune consulis bene quicquam, qui nimia indulgentia illum perdis?* MI. *Ah! si perseveras aures obtundere, illico discessero.* DE. *Itane me audire recusas, et abis?* MI. *An ego toties de hac re iterata odiosa verba audire cogar?* DE. *Non possum non habere curam filii.* MI. *Æque mihi curæ est, ac tibi. Atqui, Demea, æqualiter partiamur curas filiorum tuorum: tu alterum curabis, hunc nempe, quem retinuisti apud te, in tua potestate; ego alterum itidem, quem adoptavi: nam, quod ambos regere tuo velis arbitrio, hoc pæne est repetere illum quem per adoptionem in filium dedisti.* DE. *Ah, Mitio, quid me accusas!*

antiqua manus superscripsit.'—42 *Et unde*] Quidam libri non agnoscunt τὸ *Et*. West. Dat Bip. *Est Diis gratia, Cum est unde hæc fiant: et adhuc non &c.*—44 Ita plerique libri. Quidam, *in hanc rem*. West. *Et te* Br. *Ei mihi* Br. Bent.—45 *Ab aliis*] Ita Do. et Mss. quidam editique. Alii, *ab illis*. Conjectabat Palmerius: *qui vere sient*. Non male. [At Bip. notat: ' Frustra Palmerius, cui accedunt Guy. et Dac. conjecit *vere scient*.'] Atque ita etiam legi observat Pareus. In Tr. est, *qui vere sunt*. West. *Ab illis* G. ET. *Ab his* EM. *Id. in Add. Ab aliis* Donatus citat: nos tamen malumus *ab illis*, ut et in antiquis libris est, et multis aliis. *Fa.* Nostri omnes *ab illis*. Sed aliud restat. Quid hic facit *sciunt?* Palmerius, probante Guyeto, *sient*. Recte; modo et *veri* pro *vere* addas: *Pater esse ab illis disce, qui veri sient*. Ovid. Met. IX. 24. ' Jupiter aut falsus pater est, aut crimine verus.' *Bent.* Vet. Cod. *qui vivere*. Lind. *Pater*] Micioni tribuerat hunc sermonem scriba codicis, sed ipse nomen delevisse videtur. *Bruns. Illis* Br. Bip. Perl. Bentleium omnino sequitur Both. nisi quod transponit *esse disce*.—47 Bem. *consiliis*. Ita et Cod. Argent. citatque ex Cod. Werteri G. F. *West.*—48 M. *Siccine ais?* ita et omnes Mss. Bœcleri. *An ego toties* Mss. quidam Demeæ tribuunt. *Totiens* G. EM. *West. Re*] J. *te. Totiens* GM. *Perl.* Sic Br.—49 *Cura* bis G.—51 *Ambos curare*] In Ms. Bodl. suprascriptum, *te*. West. Lege *curare ambos*. Bent. Sequitur Perl. Abest *curare* a Guelf. 1.—52 Bœnd. EA. EP. *Ah! ah! Micio*. West. *Ah Micio*] Bem. *A* sine aspiratione habet: Vi. et Bas. *Aha;* Decurtatus et aliquis liber Donati *Ha;* supra etiam per exclamatio-

MI. Mihi sic videtur. DE. Quid istuc? tibi si istuc placet,
Profundat, perdat, pereat! nihil ad me attinet.
Jam si verbum unum posthac. MI. Rursum, Demea,
Irascere? DE. Annon credis? repeton' quem dedi?
Ægre 'st: alienus non sum: si obsto: hem! desino.
Unum vis curem; curo: et est Dis gratia,
Cum ita, ut volo, est. Iste tuus, ipse sentiet
Posterius: nolo in illum gravius dicere.

MI. *Sane sic censeo.* DE. *Ah! quid plura verba perdam? cur hæc mihi exprobras? si ita sentis, prodigat, absumat, in perniciem ruat; nihil mea refert: jam si unum verbum posthac de hac re tibi fecero.* MI. *Rursum, Demea, ira commoveris?* DE. *Annon credis me irasci? num reposco quem adoptivum tibi tradidi? minime quidem reposco, sed ægre fero ejus luxum et libidinem; quamvis per adoptionem eum tibi cesserim, tamen cognationis jure naturali extraneus non sum; quo minus mirari debes, si obsum tuæ voluntati: sed tamen ego desisto. Vis unius Ctesiphonis, quem in potestate retinui, solummodo curam habeam; volo ut vis: et Diis gratias habeo, quod ille meus Ctesipho talis est, qualem cupio: iste tuus ipse Æschinus postremo experietur mala quæ nimia tua facilitas et indulgentia ipsi attulerit. Nolo contra illum pejora prædicere atque ominari.* MI. *Nonnulla, quæ dicit*

nem dixit, ' Ah, si pergis.' *Fa.* Nostri *Ah*. Bent. *Aha* Br. Post hunc vs. collocat Both. versum 56. et sic legit: DE. *Ah, Micio, Irascere? annon credo? repeton' quem dedi?* MI. *Mihi sic, &c.*—53 Bem. et Vi. *Quid istic?* et Donatus quoque, si bene consideretur, ita legit: exponens enim hæc duo verba sic dicit: ' Quid istuc? Deest loquor, aut resisto.' Hæc ille. Certum est autem non dici, resisto istuc, sed istic. Quæ vero sequuntur verba, ita in omnibus libris scriptis collocata sunt, *si tibi istuc placet*. Fa. Nostri etiam meliores *Quid istic?* Et præterea unus ex Regiis, *si istuc tibi placet*. Recte, vel propter accentum. *Bent. Quid istuc*] Sic cod. Edit. *istic:* fortasse ex operarum errore. *Bruns. Quid istic* dant Bent. Z. Bip. Both. et Perl. qui monet *istuc* esse in Guelf. 2. pro *istic*. *Si istuc tibi* legit Both. post Bent. *Si tibi istuc* Br.—54 In Bodl. desideratur τὸ *perdat*. West. *Pereat* in fine versus in Guelf. 1. 2. *Perl.*—55. 56 Mss. et edd. vett. quidam: *ullum*. Uni Codicum Bœcleri ascriptum, *Jam peream, si verbum ullum posthac*. West. *Rursum, Demea, Irascere?* DE. *Annon credis?*] Embolismata hæc videntur Guyeto. Sunt vero in libris cum manu scriptis, tum impressis, quos vidi, omnibus: sed et agnoscit Donatus. Indicant igitur et hæc, et quæ sequuntur, verba stomachum Demeæ, eoque concisa proferuntur. Par. ex uno Pal. citat, *Ah! non credis?* Atque ita edidit. Mallet Palmerius: *Ah! non cedis?* Idem. *Repeton'*] Bodl. *repeton' filium*. Idem. Et veteres nostri et multo plures *verbum ullum*. Bent. *Ullum* R. *Lind. Ullum* nostra ed. *Annon credis* nobis aptius videtur quam cum Do. subaudire ' me irasci.' *Bip. Ullum* dant Br. Bent. Bip. Perl. Post ' Irascere ' non interrogat Br. de quo ita Bruns: ' Edit. interrogat: quæ interrogatio tanquam var. lect. in cod. notatur.' Dat Both. *Rursus, Demea?* DE. *Ægre est, &c.* Vide ad vs. 52.—57 Bœnd. *Jam desino*. Bodl. G. EP. *Desino*. West. *Jam* pro *hem* Guelf. 2. Abest *hem* a Guelf. 3. *Perl.* Abest et a Br. *Em* dat Bent.—58 Mss. quidam, *et est Diis habenda Gratia;* quæ glossa est. *West.*—59 *Et iste* Guelf. 2. *Tuus istic* pro *Iste tuus* Both.—60 Mss. quidam: *Nolo in illum quicquam gr. dicere*. West.

MI. Nec nihil, neque omnia hæc sunt, quæ dicit; tamen
Nonnihil molesta sunt hæc mihi: sed ostendere,
Me ægre pati, illi nolui: nam ita 'st homo;
Cum placo, advorsor sedulo, et deterreo.
Tamen vix humane patitur: verum si augeam,
Aut etiam adjutor sim ejus iracundiæ,
Insaniam profecto cum illo; etsi Æschinus
Nonnullam in hac re nobis facit injuriam.
Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit
Aliquid? postremo, nuper (credo, jam omnium
Tædebat) dixit velle uxorem ducere.
Sperabam jam defervisse adolescentiam:
Gaudebam. Ecce autem de integro! nisi, quicquid est,
Volo scire, atque hominem convenire, si apud forum est.

Demea de Æschino, vera quidem sunt; non autem omnia. Etsi nonnulla illa aliquam molestiam mihi exhibeant, nolui tamen manifestum facere Demeæ, me non æquo animo illa pati: sic enim homo a natura factus est; cum eum placidum ex irato reddere volo, ei acerrime repugno, et per vim et metum ab ira revoco; et tamen vix leniter id patitur: verum, si ei obsequendo magis irritem, adjuvemque impetum ejus iracundiæ, hoc erit profecto cum ipso insanire; etsi Æschinus aliquam nobis hæc agendo facit injuriam, et dedecori est. Quam is meretricem amicam non habuit, aut cui meretrici dona non largitus est? Ultimo nuper (puto, omnium amicarum satietas eum ceperat) dixit se cupere uxorem habere. Spem conceperam fervorem juvenilium voluptatum sedatum esse: gaudebam; ecce autem de novo amare cœpit. Sed, quicquid est, volo certo id scire, hominemque adire atque alloqui, si in foro versatur.

Gravius quicquam Perl. 1. 2. Sic restituit Bip. quæ monet *quicquam* habere suam ed. vet.—61 Recte Dac. ab hoc vs. novam Scenam constituit. *Zeun.* Quod facit et Bip.—62 *Hæc sunt* habent omnes aliæ edd. quæ penes nos sunt.—64 *Cum plane adv.* Both.—65 Ex *Tamen*, *n* eliditur, ut stet versus: alii modico negotio se explicuerunt, legendo *Vix tamen:* quam nos collocationem non admittimus, quia in nullo eam libro scripto invenimus. *Fa.* Ut in primo pede 'Tamen' corripiatur, solens est. *Bent.*—66 *Jam* ante 'adj.' Guelf. 2. 'Aut' in versum 65. rejicit Both. qui hunc vs. ita scribit: *Adj. etiam sim e. i.*—68 *Faciat* Guelf. 1.—71 *Velle se* Guelf. 1. 2.—72 Quidam libri, *deferbuisse.* Alii, *desævisse.* West. *Defervisse*] Alii, teste jam Do. legebant male *desævisse.* Bip.—73 In Bodl. τὸ *autem* est a secunda manu. *West.* *Sed* pro *nisi* Guelf. 2.

ACTUS II. SCENA I.

SANNIO. ÆSCHINUS. PARMENO.

SAN. OBSECRO! populares, ferte misero atque innocenti auxilium!
Subvenite inopi! ÆS. Otiose nunc jam illico hic consiste.
Quid respectas? nihil pericli est: nunquam, dum ego adero, hic te tanget.
SAN. Ego istam, invitis omnibus.
ÆS. Quanquam est scelestus, non committet hodie unquam, iterum ut vapulet.
SAN. Æschine, audi: ne te ignarum fuisse dicas meorum morum;
Leno ego sum. ÆS. Scio. SAN. At ita, ut usquam fuit fide quisquam optuma.
Tu quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle

SA. Per Deos oro, cives, auxiliamini infelici atque innocenti, subsidium afferte homini omnium ope privato. ÆS. Parmeno, jam nunc hic constanter et otiose mane. Quid toties aspicis, mulier? (fidicina,) nullum hic tibi periculum est; nunquam Sannio leno, dum hic præsens ero, te attinget. SA. Ego istam contra voluntatem omnium obsistentium retinebo. ÆS. Quamvis flagitiosus est, et nequam, nunquam quicquam hodie faciet, cur iterum a me cædatur. SA. Ausculta, Æschine, ne te excuses, quod ingenium et institutum vitæ meæ haud noveris; ego leno sum. ÆS. Probe id scio. SA. At sum talis, ut nullus usquam fidei magis observator fuerit: hoc scire te velim; nihil ducam, si ut te excuses, dixeris te invitum hanc

Huic Scenæ in EP. præfixa nomina, SANNIO. PARMENO. MERETRIX. ÆSCHINUS. In Bodl. PARMENO. SANNIO. ÆSCHINUS. Guy. suo codici ascripserat FIDICINA, κωφὸν πρόσωπον. West. In Bent. SANNIO leno. ÆSCHINUS. PARMENO. Both. SANNIO. ÆSCHINUS. Bip. SANNIO, ÆSCHINUS, PSALTRIA, PARMENO servus, personæ mutæ.—2 Libri quidam: *otiose jam illico hic consiste nunc.* Varius autem verborum ordo est in variis Mss. et editis vetustis. *West.*—3 M. *spectas.* Mss. quidam: *nunquam ego dum adero, hic tanget te.* Alii, *nunquam dum ego adero hic, tanget te.* Alii aliter. *Idem.* In ed. Bip. τὸ *tanget* vs. sequentem incipit.—4 Pro *istam* Both. legit *illam.*—5 Libri quidam veteres, atque in iis EA. et ET. Q. *sit scelestus.* West. J. *committat.* 'Vulg. *hodie unquam, it. ut. v.* frustra onerato versu: glossatoris est τὸ *unquam.*' Both. qui igitur *unquam* delet.—6 Mur. *morum meum:* ob metrum: quod probat F. F. *West.* Ita et Dac. *Modorum* pro *morum* Guelf. 2. —7 *Unquam* 3.—8 *Tu quod te.* Sic libri omnes et Charisius p. 191. Frustra igitur est, qui interpolatum velit, *Tum quod te.* Bent. Bothius ordinat:

NOTÆ

8 *Hanc injuriam mihi nolle Factam*] Hæc est sententia: Non contentus

Factam esse, hujus non faciam: crede hoc; ego meum jus persequar;
Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re malefeceris.
Novi ego vestra hæc: nollem factum; jusjurandum dabitur, te esse
Indignum injuria hac; indignis cum egomet sim acceptus modis.
ÆS. Abi præ strenue, ac aperi fores. SAN. Ceterum hoc nihil facis.
ÆS. I intro nunc jam. SAN. At enim non sinam. ÆS. Accede illuc, Parmeno;

mihi injuriam intulisse, te pœnitere facti. Hoc mihi satisfactum non erit; nihilominus actionem, quæ mihi competit, intendam; neque tu mihi unquam verbis satisfacies, quod facto mihi damnum et injuriam feceris. Mihi nota sunt vestra subterfugia et remedia juris, nimirum ista; pœnitet me fecisse, jurejurando dices me non meritum esse, cui hæc injuria fieret: hæc mihi non satis erunt, cum aliter tractatus fuerim ac meritus sum. ÆS. *Abi ante, Parmeno, confidenter; et januam aperi.* SA. *Atqui nihil efficis.* ÆS. *Tu, puella, intra nunc jam domum.* SA. *At enim non permittam ut intret.* ÆS. *Accede huc, Parmeno, nimium hinc secessisti. Hic prope hunc mane. Hem. Sic volo facias; vide ne oculos tuos avertas a meis oculis, Parmeno, ne in mora sis, si nutu oculorum significavero, quin pugnis malæ lenonis contundantur.* SA. *Istud igitur volo ipsum, quod minaris, experiri.* ÆS. *Hem, Parmeno, custodi puellam; tu, leno, omitte illam rapere.* SA. *O factum iniquum!* ÆS. *Duplicabit plagas Parmeno, nisi prospicis tibi.* SA. *O me miserum!* ÆS. *Non innueram, Parmeno, ut Sannioni alterum colaphum infringeres; verum quod tu cecideris eum, satius factum esse duco, et potius mihi, gratumque est, quam si non fecisses. Abi nunc jam cum virgine, Par-*

nolle mi hanc injuriam.—9 Bodl. *hujus ego non faciam. Crede hoc: me jus persequar.* EA. et ET. *crede* omisso *hoc.* West. *Hujus quisquam* Guelf. 1. Ab eodem abest *ego. Hujus nihil est* 3. Abest *hoc* in contextu Guelf. 2. sed est sup. script.—10 *In re* Guelf. 1. 2. J. *malafeceris.* Both. legit *N. t. solves verbis unquam re mihi quod malefeceris.*—11 Ms. Lips. *Novi ego hæc vestra.* EP. *Novi ego vestra: hoc nollem factum.* Bent. versus sic disponit: *te esse in ... Dignum injuria &c.* Pro *vestra hæc* Par. Ms. *jura hæc:* prave, judice Perl. Abest *ego* Guelf. 2.—12 Both. *indignis* pro vulg. *injuria hac.* Atque illi assentior, vulgarem lection. pro glossa habendum esse judicanti vocis 'indignis' a simili sequente sine dubio absorptæ: præsertim cum Do. comice scriptum moneat, 'indignum indignis.' *Perl.*—13 Dubitat Donatus, itane legendum, an, *Abi præstrenue.* Exhibeo autem præstantissimorum librorum lectionem. Nonius Marcellus, *perstrenue.* West. Lege ex nostris aliquot, *Abi præ strenue*, ut 'I præ:' sæpe. Et sic apud Nonium est, v. 'apertum.' Quanquam autem et iste etiam *fores* habeat, legendum *forem:* de qua voce jam supra egimus (Eun. II. 2. 51.). *Bent.* Alii male jungunt *præstrenue.* Bip. Distinctim legendum *Abi præ strenue*, ut in And. 'I præ sequar.' R. D. *Præstrenue* habent Guelf. 1. Eug. Z. et Both. qui etiam *forem aperi* dat. *Fores aperi* Br. Z. Bip. Delph. Perl.—14 Mss. quidam, *I intro jam nunc tu.* Ita et EA. EP. ET. aliæ. Do. non videtur legisse *At.* West. Br. *I i intro jam nunc tu.* 'Al. omittunt *tu*, quod est in Ms. Reg. ap. Lind. et rationi metricæ versus convenit.' *Bip.* *Tu* habet Both. *Jam tu nunc* Guelf. 2. *Huc* pro *illuc* 3.

NOTÆ

ero solenni verborum satisfactione, scilicet, Agnosco indigno me intulisse injuriam: nollem factum.

9 *Hujus non faciam*] Pilum aut floccum manu ostendens, ait se tanti non facturum satisfactionem Æschinis, quanti pilum aut floccum.

Nimium istoc abisti: hic propter hunc assiste. Hem; sic volo.
Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos:
Ne mora sit, si innuero, quin pugnus continuo in mala hæreat.
SAN. Istuc volo ergo ipsum experiri. ÆS. Hem! serva: omitte mulierem.
SAN. O facinus indignum! ÆS. Geminabit, nisi caves. SAN. Hei misero mihi!
ÆS. Non innueram: verum in istam partem potius peccato tamen.

—15 *Hem! sic volo.* Hæc in EA. ET. et EP. Sannioni tribuuntur. *West.* SA. *hem, sic volo.* Æ. *Cave nunc.* Ex auctoritate libri Bembini personæ his verbis ascriptæ deleantur: sunt enim omnia verba Æschini. *Fa.* Sic et nostri meliores. *Bent.* Personas ascribit Br.—16 Plusculi Mss. *dimoveas.* Br. *demotuas:* sed notat Bruns: 'Edit. *demoveas*, atque sic nunc codex.' 'Oculos demovere dicendum est, non dimovere.' *R. D.*—17 *Si innuerim. Innuero* est in omnibus recentibus: nos tamen lectionem antiquam sequemur: ita est octonarius iambicus, ut præcedens et duo sequentes. *Fa.* Antiquiores nostri *innuerim.* Bent. *Innuerim* dant Guelf. 3. Br. Z. Both. Bip. 'Mss. quidam *in malam:* quod Plautinum est.' *West.*—18 M. *ego* pro *ergo.* [Ita et Guelf. 2.] Bodl. *Hem! servate.* West. *Omitte mulierem.* F. H. hæc post alios nonnullos Parmenoni tribuit. In G. autem omnia hæc, *Hem serva. Omitte mulierem*, tribuuntur Parmenoni. *Idem in Add. Omitte mulierem* Parmenoni tribuunt Bent. Z. Perl.—19 Mss. quidam, *O miserum facinus!* Ita et EA. et EP. Quidam vetusti Codices, cum EA. *Hei miseriam!* quomodo et in Donato reperit Rivius, et edidit Rob. Stephanus. Sed et est in Tr. Quinque Mss. Leidenses et Bodl. cum EP. *Ei miseriam!* Alii, *Hei miserum!* West. *O facinus indignum! Geminabit, nisi caves. Hei misero mihi.* Sic dedit Fa. nescio unde. Versus justo longior est; et a Libris scriptis nimium quantum abscedit. Nostri *O miserum facinus*, vel *facinus miserum*, et *Hei miseriam.* Repone, *O facinus miserandum! Geminabit, nisi caves. Hei miseriam!* Sic Phor. v. 9. 19. 'Pro di immortales, facinus miserandum et malum.' And. IV. 4. 28. 'O facinus animadvertendum! Quid clamitas?' *Bent.* *O miserum facinus! Nisi caves, geminabit* Both. *O miserum facinus. .... Hei miseriam* Perl. 'In Ms. R. *indignum* deest. Idem habet *Ei miserum!*' Lind. *O miserum facinus .... Ei miseriam!* Br. *O facinu' miserum! ... Hei miseriam!* Bip. quæ sic notat: 'Inde certe ab Erasmo vulg. *indig-*

I nunc jam. SAN. Quid hoc rei est! regnumne, Æschine, hic tu possides?
ÆS. Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.
SAN. Quid tibi rei mecum 'st? ÆS. Nihil. SAN. Quid? nostin' qui sim? ÆS. Non desidero.
SAN. Tetigin' tui quicquam? ÆS. Si attigisses, ferres infortunium.
SAN. Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?
Responde. ÆS. Ante ædes non fecisse erit melius hic convicium;
Nam si molestus pergis esse, jam intro abripiere, atque ibi
Usque ad necem operiere loris. SAN. Loris liber! ÆS. Sic erit.
SAN. O hominem impurum! hiccine libertatem aiunt æquam esse omnibus?
ÆS. Si satis jam debacchatus es, leno, audi, si vis, nunc jam.

meno. SA. *Quidnam hoc facti sibi vult? Regemne hic te gerere audes Athenis, libera civitate?* ÆS. *Si Rex hic essem, haberes tuis virtutibus digna præmia.* SA. *Quid negotii est, quamobrem me cædis?* ÆS. *Nihil.* SA. *Quid? num tibi notus sum?* ÆS. *Non valde cupio te mihi notum esse.* SA. *Quidquamne ex tuis rebus attrectavi?* ÆS. *Si attigisses tantum, male et infeliciter id tibi cederet.* SA. *Si mihi non permissum est quæ tua sunt, attingere, cur tibi liceat puellam quam emi, retinere? responde.* ÆS. *Utilius tibi erit, hic ante ædes publice injuriam mihi vociferando non fecisse: nam si persistis molestiam mihi exhibere, intro domum sublatus innumeris lororum plagis cæderis, ad necem usque.* SA. *Me hominem liberum loris cædes?* ÆS. *Sic fiet.* SA. *O hominem flagitiis obscœnum! Itane libertate æquali Athenis omnes fruuntur?* ÆS. *Si satis bacchantis more insanivisti, leno, ausculta, si videtur, nunc jam tandem.* SA. *Egone bacchatus*

num: quod in codd. abest, qui plerique, ut edd. veteres nostrum habent.' —20 Abest *in* Guelf. 2. Br. distinguit, *peccato, tamen I nunc jam.* Abest *tamen* Guelf. 1.—21 Bent. *reii.* Τὸ *ne* in 'regnumne' metri causa excludit Guy. 'Ms. R. et vet. cod. *I nunc jam tu.*' Lind. Verba 'Quid hoc rei,' novam Scenam incipiunt in ed. Bip.—22 Ms. Lips. *ex tuis meritis:* sed suprascriptum, *virtutibus.* West.—25 Guelf. 1. *Quin.* Al. *Quid.* Legendum monet Bent. *Qui tibi meam magis licet habere.* EP. *licet eam h.*—26 M. *hoc* pro *hic:* ita et EP. quod laudat Rivius, et ex duobus Mss. Bœcl. *West. Heic convicium* Bip.—27 In Mss. plusculis est, *arripiere;* quomodo et Junt. exhibet, aliæque veteres. Sunt item Mss. in quibus est *N. s. m. perges jam esse, intro arripiere.* Et τὸ *perges* itidem est in EP. *West.* *Perges . . . arripiere* Br. Pro *intro* Guelf. 1. *intus.* *Perges . . arrip.* 3.—29 Nostri codices *esse æquam.* Recte tamen edd. vett. *æquam esse.* Bent. *Esse æquam* Br. Both. Bip. *Hicine* unico *c* Bent. Perl. Z.—30 Recte quinque ex vetustio-

SAN. Egon' debacchatus sum autem, an tu in me? ÆS. Mitte ista, atque ad rem redi.
SAN. Quam rem? quo redeam? ÆS. Jamne me vis dicere id, quod ad te attinet?
SAN. Cupio; æqui modo aliquid. ÆS. Vah! leno iniqua me non volt loqui.
SAN. Leno sum, fateor; pernicies communis adolescentium;
Perjurus, pestis; tamen tibi a me nulla orta est injuria.
ÆS. Nam hercle etiam hoc restat. SAN. Illuc, quæso, redi, quo cœpisti, Æschine.
ÆS. Minis viginti tu illam emisti; quæ res tibi vortat male!
Argenti tantum dabitur. SAN. Quid? si ego tibi illam nolo vendere,

sum in te, an tu in me? ÆS. *Desine ista, atque ad rem, de qua inter nos agitur, redi.* SA. *Quam rem? quo redeam?* ÆS. *Jamne tibi placet ut dicam quod ad te spectat?* SA. *Volo, dummodo æquitatis aliquid habeat.* ÆS. *Vah! leno religiosus scilicet, me cupit æqua proponere.* SA. *Leno sum, haud nego, exitium juventutis, perjurus, pestis publica, et calamitas, tamen nulla cœpta est a me tibi fieri injuria.* ÆS. *Nempe id unum tibi faciendum superest.* SA. *Rogo, Æschine, ut pergas loqui de re ipsa, quæ ad nos attinet, ut jam incepisti.* ÆS. *Minis viginti tu illam fidicinam emisti, quæ res male tibi succedat: tantumdem pecuniæ tibi reddetur.* SA. *Quid si ego illam nolo tibi vendere, an me vi compelles ad id faciendum?*

ribus nostris, *Si satis jam debacchātus, leno, es.* Bent. Ita et habent Both. Perl. *Debacchatus jam es, leno* Br.—31 Laudat Rivius e Budæo et edit. Veneta et Argentina, *Egone autem debacchatus sum in te?* Exhibeo autem lectionem Faërni, optimos Codices secuti, quam laudat G. F. Τὸ *autem* tamen legunt etiam EA. et ET. sed et citat Ant. Augustinus, Emendat. lib. IV. cap. 11. *West.* Pro *mitte* alii *omitte.* Bip. *Egon' debacchatu' sum.* 'GM. collocat *ad rem atque,* mire.' *Perl.*—32 *Quod ad te attinet.* Bem. Bas. Vi. et multo maxima pars aliorum, his præponit pronomen *id:* et stat versus abjiciendo *d,* ex 'quod.' *Fa.* Nostri omnes *id quod.* Bent. *Jamne me id vis dicere* Both. *Id* abest Z. Bip. Abest *me* Guelf. 2.—33 Ms. Lips. *modo æqui.* EP. non agnoscit τὸ *me.* West. Br. *Cupio modo æqui.* Abest *Vah* Guelf. 2. —34 Both. *communis adolescentium pernicies.*—35 Recte duo ex veterrimis nostris, *nullast orta.* Bent. Bothius legit *Pestis, perjurus: tamen a me est nulla tibi orta injuria.* Br. Bip. Delph. *nulla est orta.* Perl. *nulla 'st orta.*—36 Bodl. et M. cum EA. ET. Junt. et EP. *Etiam id restat.* Est autem ironice dictum. Gr. Τοῦτο γὰρ ἔσθ' ὑπόλοιπον. Illud vero *id* defenditur forte loco Ciceronis, Att. XIII. 13. 'Id hercle restabat:' Virg. Æn. X. 29. 'Equidem, credo, mea vulnera restant.' Horat. Serm. I. 9. 28. 'Omnes composui. Felices! nunc ego resto.' *West.* Bem. *hoc restat.* Nostri omnes *id.* Nihil interest. *Bent.* *Id* habent Br. Guelf. 1. 2.—38 Alii *tantum tibi dabitur*

Coges me? ÆS. Minime. SAN. Namque id metui. ÆS. Neque vendundam censeo,
Quæ libera 'st; nam ego liberali illam assero causa manu.
Nunc vide, utrum vis; argentum accipere, an causam meditari tuam?
Delibera hoc, dum ego redeo, leno. SAN. Pro supreme Jupiter!
Minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria.
Domo me eripuit; verberavit; me invito abduxit meam:
Ob malefacta hæc tantidem emtam postulat sibi tradier.
Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.

ÆS. Minime. SA. *Quasi vero id metuam.* ÆS. *Neque eam venumdari posse aio, quæ libera est: nam ego illam vindico, et assero ejus libertatem actione, quæ est de libertate. Nunc delibera, utrum vis facere, vel recipere viginti minas, quas pro pretio ejus dedisti, aut te præparare ad judicium de libertate ad quod te provoco: hoc apud te constitue, donec ego huc revertar, leno.* SA. *Proh supreme Deorum Jupiter! minime miror insanos fieri per injuriam quamplurimos, cum ego insaniam ex injuria, quam accepi: domo me extraxit; cecidit; per vim, contra voluntatem meam servam mihi abripuit; pro his malefactis poscit, ut tanti ei hanc fidicinam vendam, quanti eam emi. Mihi homini misero plusquam quingentos colaphos in-*

improbantibus Fa. Bent. et Perl. J. *ego illam* omisso *tibi.*—39 EA. ET. et EP. *venundandam.*—40 Al. *nam ego illam lib.* Al. *nam lib. ego illam.*—41 EA. et ET. *argentum recipere.* West.—42 Abest *ego* Guelf. 3. EP. *summe Jupiter.* *Pro supreme Jupiter!* Hæc verba in Bip. novam Scenam incipiunt.—43 GM. *quo* pro *qui* prave: nam *qui* pronomen est. *Perl.* Br. *quin* pro *qui.*—44 Mallet Guy. *Homo me arripuit.* EP. *verberavit me: invito a. meam.*—45 Hic vs. et seq. inter se locum commutarunt in Bent. Bip. Perl. In ed. Both. sic ordinantur 47. 44. 45. Br. *darier:* sed notat Bruns: 'Edit. *tradier* quæ est hodierna lectio codicis.'—46 Vulg. *Homini misero:* sed A, B, C, *O homini.* Legendum *O hominem miserum,* i. e. pessimum. *Both.* Br. *O homini misero.* *Plus.* Guelf. 3. *Oh homini.* 'Guy. legendum censet, *impegit,* idque exemplis Plautinis firmat. Videtur autem τὸ *infregit* ἐμφατικώτερον, quam *impegit.* Sic Pers. Sat. I. 115. 'Genuinum fregit in illis.' Cum quo loco verba Terentii componit Isaacus Casaubonus ad loc. cit. Guy. vero post suum *impegit* totum verbum supposititium vocat.' *West.*—47 *Bene promeruit, fiet.* Sic dedit Fa. sed nostri universi, *fiat.* Recte. Id enim, notante

NOTÆ

40 *Ego liberali illam assero causa manu*] Ordo est: Ego assero hanc manu, causa liberali: id est, apprehendo hanc manu, hanc mecum duco, in libertatem eam asserens actione de libertate. Assertores dicuntur et vindices, qui aliquem ingenuum in servitute injuste detentum esse, actione liberali, id est, de libertate, contendebant, et affirmabant esse liberum, petebantque vindicias secundum libertatem, id est, ut in possessione libertatis maneret, interea dum de causa cognosceretur.

Verum enim, quando bene promeruit, fiat: suum jus postulat.
Age, jam cupio; si modo argentum reddat. Sed ego hoc hariolor;
Ubi me dixero dare tanti, testes faciet illico,
Vendidisse me: de argento, somnium: mox; cras redi.
Id quoque possum ferre, si modo reddat; quanquam injurium 'st.
Verum cogito id, quod res est: quando eum quæstum occeperis,
Accipiunda et mussitanda injuria adolescentium 'st.
Sed nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes puto.

flixit: enimvero quia tam bene meritus est de me, fiat quod vult; postulat jus suum sibi tribui scilicet. Age, consentio, si modo pecuniam rependat; sed ego hoc divino, ubi me dixero puellam ei tradere tanti, quanti eam emi, statim testes vocabit, dicet viginti minis me illi vendidisse: nec postea competet mihi actio de vi propter ereptam virginem: quantum ad argentum spectat, spes nulla, aut certe vana erit instar somnii; non numerabitur; semper eludet procrastinatione, dicens subinde, cras ad me huc revertere, pretium solvam conventum. Has dilationes et moras possum etiam ferre, si modo tandem quod promisit præstet, et viginti minæ mihi reponantur: quamvis injuriam mihi faciat, cogens me invitum vendere: atqui mihi propono id, quod verum est, et mecum sic loquor; quando tu leno, turpe lucrum facere cœpisti, suscipienda et toleranda est cum silentio, ne verbum quidem mutiendo, contumelia adolescentium. Sed nullum mihi reddetur ab Æschino argentum: frustra sum, et mecum ratiocinationes male subduco.

alibi Donato, est consentientis, *fiet* vero obedientis. *Bent.*—48 Lege hic et vs. 51. *modo si reddat:* ut I. 1. 4. 'Ubi si cesses' pro 'sicubi.' *Bent.* *Modo si* Both. Perl. Distinguit Br. post *jam: Age jam, c.* 'GM. *ariolor:* sup. script. *divino.* Item Er. sine *h* aspirante.' *Perl.* Abest *hoc* Guelf. 3. —52 Bodl. et EP. *inceperis.* G. *incœperis.* West. *Incep.* Br. Guelf. 3.—54 Elegantissimus hicce versus Guyeto supposititius audit, tantum ideo, quod τὸ *egomet* offendit, mox recurrens initio Scenæ sequentis. Sed hæc potius artificiosa elegantia vocanda. Mss. quidam *deputo.* Ita et EP. et EA. cum Junt. ET. et EM. *West.* *Sed nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes puto.* Sic Fa. ex suis libris: at nostri hoc modo: *Sed nemo dabit: frustra ego mecum has rationes deputo.* Ubi notabis *ego* pro *egomet:* et *deputo* pro *puto:* et inde colliges utrumque a correctoribus esse: quod uterque scansioni respondeat. Repone tamen, quod ipse Auctor dedit, *S. n. d. f. has egomet mecum rationes puto.* Id quoque monendum, unum ex Regiis *hanc rationem* habere. *Bent.* *Deputo* Guelf. 3. Br. Z. Delph. *Ego* quoque Br.

NOTÆ

49 *Testes faciet illico*] Testato denuntiabit me illi puellam vendidisse; sic actio de ereptione peribit, vel accusatio de vi. Deinde solutio erit expectanda.

50 *Mox; cras redi*] Verba procrastinantis debitoris, et frustrantis creditorem.

ACTUS II. SCENA II.

SYRUS. SANNIO.

SY. TACE! egomet conveniam jam ipsum: cupide accipiat, faxo; atque etiam
Bene dicat secum esse actum. Quid istuc, Sannio, est, quod te audio
Nescio quid concertasse cum hero? SAN. Nunquam vidi iniquius
Concertationem comparatam, quam hæc hodie inter nos fuit:
Ego vapulando, ille verberando, usque ambo defessi sumus.
SY. Tua culpa. SAN. Quid agerem? SY. Adolescenti morem gestum oportuit.
SAN. Qui potui melius, qui hodie usque os præbui? SY. Age, scis quid loquar?

SY. Tace, Ctesipho, bono sis animo; egomet adibo Sannionem, efficiamque ut cupiat sibi reddi viginti minas pro puella citharistria, fateaturque id sibi lucrosum esse. Quid rei est, Sannio, quod audio te nescio quam concertationem habuisse cum hero meo Æschino? SA. *Nunquam vidi magis inæqualem concertationem, quam hæc hodie inter nos fuit, qua ego vapulans, ille me usque cædens utrique defatigati sumus.* SY. *Tu in causa fuisti.* SA. *Quid facerem?* SY. *Adolescenti te obsequi oportuit.* SA. *Quomodo id potui melius, qui hodie assidue os ei percutiendum dedi.* SY. *Age, scisne, quid velim dicere? Argentum vili facere in tempore, et*

In Bip. est Act. II. Sc. 4.—1 Mire in ordinandis hujus versus vocibus dissentiunt Mss. et editi vetusti. In Bodl. deest τὸ *jam*. ET. legit *Tace, egomet c. ipsum: cupide jam accipiat faxo.* West. Nostri universi cum edd. vett. alio ordine verba collocant quo iambicus est tetrameter, ut sequentes: *T. e. c. ipsum: c. a. jam faxo: a. e.* Bent. Ita et Br. Bip. In Perl. τὸ *jam* omittitur. *Jam faxo* Guelf. 3—2 Both. *Bene secum esse dicat actum. Quid istuc est, quod te audio. Ut* post *Bene* Guelf. 2.—4 Bodl. *Certationem.* Ita et EA. ET. et Junt. quam lect. laudat G. F. Mss. et editi quidam: *quam quæ hodie.* West. *Certationem comparatam, quam hæc h. i. n. f.* Sic dedit Fa. sed ex nostris plerique, *hæc quæ hodie.* Repono *Certationem comparatam, quam hodie quæ inter n. f.* Bent. Bothius legit *Certationem c. quam hodie inter nos quæ fuit. Certationem* Br. Bip. Z. Perl. qui etiam *quam hæc quæ hodie. Quam quæ hodie* Delph.—5 Distinguit Z. post *usque: verberando usque, ambo.*—6 Libri quidam scripti et editi: *Quid facerem?* West. Duo antiqui libri, inter quos est Bem. *Quid facerem?* utroque modo proceleusmaticus est in tertia sede octonarii iambici. *Fa.* Omnes nostri, duobus mediocribus exceptis, *Quid agerem?* Nihil interest: nisi quod hoc magis ad Græcum metrum accedat. *Bent.* *Quid facerem* Bip. Perl.—7 Junt. *Quid potui melius? usque os præbui.* Legendum monet Bent. *qui hodie ei usque os.* Ita et Both.

Pecuniam in loco negligere, maxumum interdum 'st lucrum.
SAN. Hui!
SY. Metuisti, si nunc de tuo jure concessisses paululum, atque
Adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime,
Ne non tibi istuc fœneraret? SAN. Ego spem pretio non emo.
SY. Nunquam rem facies: abi: nescis inescare homines, Sannio.
SAN. Credo istuc melius esse: verum ego nunquam adeo astutus fui,
Quin, quicquid possem, mallem auferre potius in præsentia.
SY. Age; novi tuum animum; quasi jam usquam tibi sint viginti minæ,

loco convenienti, aliquando est lucrifacere. SA. *Hui!* SY. *Timuisti, si nunc de tuo jure aliquid adolescenti, Æschino, remisisses, atque ejus voluntati obsecundasses, o ineptissime omnium mortalium, ne non tibi istud cum fœnore reponeret?* SA. *Ego spem lucri pecunia præsenti minime commuto.* SY. *Nunquam rem familiarem augebis, nec amplas facultates accumulabis: valeas, apage, nescis juvenes, quasi esca oblata, tanquam aves allicere.* SA. *Puto id melius esse, quod sentis: verum ego nunquam adeo solers et subtilis fui, ut non mallem, qualecumque compendium repræsentari mihi, quam promitti.* SY. *Novi animum tuum liberalem: quasi vero*

Br. *scis quæ loquar?*—8 Cl. Grævius ad Cic. Att. IV. 2. ad hæc verba, 'Quisque horum loco sententiam rogatus,' legit, *Pecuniam loco negligere:* fortasse e suo Ms. *West.* Idem tamen in Addend. notat in Ms. Græv. esse *P. in loco n.* '*Hui*] Mss. Leidenses quatuor, cum Heinsio, in edit. Amstelod. 1618. quæ est in Bibliotheca Leidensi, et quidam alii hanc vocem etiam Syro tribuunt. Codices alii rectius Sannioni. Neque enim in medio sermone facile reperias exclamandi hanc particulam, sed fere initio. Sic And. III. 1. 16. vel solam. Eun. IV. 7. 35. Guido Juvenalis itidem Sannioni tribuit, dicens, 'Interjectio ridentis est, quasi leno rideat dicta servi, et contemnat.'' *Idem.* SA. *Hui!* SY. *Metuisti si nunc.* Hæc omnia in iisdem libris, [vid. v. 4. ad vs. 6.] et in Bas. Syro ascribuntur. *Fa.* Sic et nostri meliores. *Bent.* Ita et Z. Br. *P. interdum negligere.*—9 *Metuisti.* Integrum hunc Syri sermonem interrogationis signo finire visum fuit, exemplo Aldi, Heinsii, et aliorum. M. duo Mss. Bœcleri, EA. et ET. *huic* pro *nunc.* West. Ita Guelf. 1. 2. Ibid. *si* post *atque.*—11 Non interrogant post *fœneraret* Bent. Bip. Perl. Z.—12 Legendum monet Bent. *abi, non scis.* Both. legit *abi! inescare nescis.*—14 *In præsentia.* M. addit, *quam in futurum.* ET. *quam in futuro.* Utrumque ex glossa. *West.*—15 Quærit Bent. 'Quid, si sic refingimus *Age novi tuum animum, quasi hujus jam tibi sint viginti minæ.*' 'Vide,' inquit idem, 'ne illud *jam usquam* totum a correctoribus fuerit, non a manu luscitiosi librarii: fortassis ab Auctore sic erat, *Age novi tuum animum, quasi terunci tibi sint viginti minæ.* Certe hoc modo justius collocantur arses et theses; et apte opponuntur XX. minæ ac teruncius.' Both. *quasi jam nusquam.* Mur. *quicquam* pro

Dum huic obsequare. Præterea autem te aiunt proficisci Cyprum. SAN. Hem!
SY. Coëmisse, hinc quæ illuc veheres, multa; navem conductam; hoc scio.
Animus tibi pendet? ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages.
SAN. Nusquam pedem. Perii hercle; hac illi spe hoc inceperunt! SY. Timet:
Injeci scrupulum homini. SAN. O scelera! illud vide,
Ut in ipso articulo oppressit! emtæ mulieres
Complures; et item hinc alia, quæ porto Cyprum.
Nisi eo ad mercatum venio, damnum maxumum 'st.
Nunc si hoc omitto, actum agam; ubi illinc rediero,

pluris facias summam viginti minarum, præ studio obsequendi Æschino. Præterea autem jam profecturus es Cyprum, ut rumor est. SA. *Hem!* SY. *Aiunt te multa simul emisse, quæ hinc illuc exportares, navem te conduxisse: hoc certo scio. Animi dubius es, utrum proficiscaris Cyprum, an hic maneas. Ubi ex insula Cypro reversus fueris, ut exopto, debitas minas ab Æschino tunc accipies.* SA. *Nusquam pedem effero: per Herculem res mihi periit: hac illi expectatione moti, quod peregre mihi abeundum esset, viginti minas se reddituros promiserunt.* SY. *Metuit, Sannio, propter pecuniam: injeci in animum hominis scrupulum.* SA. *O scelestum! Vide ut occasione opportuna me aggressus est, ut pecuniæ solutionem differret: emtas mulieres habeo multas, alias etiam merces quas Cyprum veho. Nisi illuc mercatum proficiscor, detrimentum ingens accipiam: nunc si hoc negotium cum Æschino non perficiam, si viginti minas non recipiam, antequam abeam Cyprum, nihil*

jam usquam.—16 Mss. quidam *in Cyprum.*—17 Distinguunt Bent. Both. Z. *Coëmisse hinc quæ illuc veheres multa; navem conductam: hoc scio.* Bip. *Coëmisse hinc, quæ.*—18 Bent. *Animus tibi pendet: ubi illinc spero redieris tamen, hoc ages.* Both. *Pendet tibi animus. Ubi illinc, spero, redieris tandem, hoc ages.* Br. *Animus tibi pendet, ubi illinc redieris? spero tamen hoc agis. Animus tibi pendet: ubi* Z. Bip. Perl. Delph. Pro *spero* Guy. *sero.* Pro *tamen* in M. est *tum.*—20 *Illuc vide* Br. Both.—22 Guy. substituit, *in Cyprum:* quomodo et Engraphium legisse autumat. *West.* *Complur.*] Sup. script. in Guelf. 3. ab altera manu *Quam plur.* Legit *multa* post *alia.*—23 *Mercatum veniam.* Nostri plerique omnes *venio.* Præterea pro *damnum maxumumst:* duo habent *damnum est maxumum.* Plane ex more Terentii. *Bent.*—24 Mss. plusculi, *omittam*, et paulo ante *veniam.* Ita et EP. Junt. Ald. St. aliæ. *West.*

NOTÆ

20 *O scelera*] Id est, O scelestos!

21 *Ut in ipso articulo oppressit*] Perseverat in ipsa metaphora sumta a scrupulo, id est, lapillo qui in calceos incidens, nos in articulis pedum premit et lædit. Itaque hic allegorice hæc verba, 'Ut in ipso articulo oppressit,' significant: In temporis puncto, et angustiis, quibus premor, me jamjam profecturum Cyprum aggressus est.

Nihil est; refrixerit res: nunc demum venis?
Cur passus? ubi eras? ut sit satius perdere,
Quam aut hic nunc manere tam diu, aut tum persequi.
SY. Jamne enumerasti id, quod ad te rediturum putes?
SAN. Hoccine illo dignum 'st? hoccine incipere Æschinum?
Per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet?
SY. Labascit. Unum hoc habeo: vide, si satis placet:
Potius quam venias in periculum, Sannio,
Servesne, an perdas totum, dividuum face:
Minas decem corradet alicunde. SAN. Hei mihi!

ago: ubi illinc rediero, nihil est sperandum, voluntas debitoris imminuta erit, et tarda ad solvendum; dicet, quid tardius redis? nunc occasio mihi non est, cur passus es te tanto tempore absentem esse; ubi eras, quando paratus eram tibi pecuniam numerare, nunc mihi facultas non est. Talia objiciet, adeo ut melius sit perdere debitum, quam aut hic morari tam diu, dum iter non facio Cyprum; aut postquam rediero, pecuniam petere. SY. *Jamne tecum computasti, quod recipere debes argenti?* SA. *Hocne decet Æschinum facere? hocne aggredi? ut per vim me cogendo, hanc mihi tollere conetur?* SY. *Nutat animo. Unum hoc habeo, tibi quod dicam, Sannio: considera, si id satis tibi gratum est, potius quam in periculum totum amittendi incidas. Dimidium pretii pro puella, id est, decem minas in præsentia accipe: hanc summam corrogabit ab amicis, vel conficiet alicunde.* SA. *Hei mihi! etiam*

Nostri codices universi, *omittam.* Repone, *Nunc si hoc omittam, ac tum agam ubi illinc rediero; Nihil est.* Ita supra vs. 18. 'Ubi illinc spero redieris tamen, hoc ages.' Egregia certe emendatio; sed non nostra. Fama tantum ad me pertulit, nescio quem sic correxisse. *Bent.* *Omittam ac tum.* Both. *Omittam* Br. *Ac tum* Bip. In Delph. est *omitto, ubi illinc rediero, actum agam, Nihil est.* *Actum agit.* Ducta formula a judiciis, ubi quod semel judicatum est frustra iterum agitur, in Phorm. II. 3. 72. Neque adeo dici potest 'actum agere' de eo qui nihil agit: quam difficultatem tollit elegans viri doctissimi emendatio laudata Bentleio. *R. D.* *Omittam* Guelf. 2. 3.—27 Idem liber [Bem.] et aliquot alii, *Quam aut nunc manere:* alii et Donatus, *Quam aut hic manere:* his duobus modis stat versus, aliter impeditus. *Fa.* Duo ex nostris, *aut hic manere:* ceteri, *aut hinc nunc manere.* *Hic* placet; non, ut Faërnus dedit, *nunc.* Bent. qui inde dat *Quam aut hic manere.* Ita et Guelf. 3. Bip. Delph. *Quam aut nunc m.* Z. Both.—28 *Id* omittunt Br. Bent. Z. *A te* Br. improbante Perl. Bothius legit *Jamne enumerasti, ad te quod r. p.*—29 Non convenit, ut in eodem versiculo *Hocine* primam corripiat, deinde producat. Lege igitur, *Hocine illo dignumst? hocine inceptare Æschinum?* Neque aliter olim Donatus; ut ex ejus verbis conjectare licet: 'Quasi de magno facinore dixit; ut in Heaut. (III. 3. 39.) 'Vah, vide quod inceptet facinus.'' *Bent.*—30 Versum hunc Guy. exulare jubet. *West.* Vulg. *Per oppressionem*, frustra exasperato versu. *Both.* qui igitur dat *Oppressione ut hanc.*—31 Palmerius pro *unum hoc habeo*, legit *virum hoc habeo*, ad Plaut. Cas. II. 8. 34. *West.* Both. *si sat placet.* Br. *vide si placet.*—33 Mss. quidam, *dimidium face.*—34 Ita distinguo hunc locum. In quibusdam Mss. ita ordinantur voces: *Minas corradet alicunde decem.* West. Both. *Decem minas.*—35 Non interrogant, neque post 'miser' neque post 'nihil,' in vs. sequenti, Br. Bip.

Etiam de sorte nunc venio in dubium miser?
Pudet nihil: omnes dentes labefecit mihi:
Præterea colaphis tuber est totum caput.
Etiam insuper defrudet? nusquam abeo. SY. Ut lubet.
Numquid vis, quin abeam? SAN. Immo hercle hoc quæso, Syre;
Ut ut hæc sunt facta, potius quam lites sequar,
Meum mihi reddatur; saltem quanti emta 'st, Syre.
Scio te non usum antehac amicitia mea:
Memorem me dices esse, et gratum. SY. Sedulo
Faciam: sed Ctesiphonem video: lætus est

miser in periculo versor amittendi sortem pecuniæ. Nullo pudore Æschinus movetur? Omnes dentes concussit mihi, colaphis quoque caput totum tumefactum est: præterea etiam meam rem mihi per fraudem eripere audebit? Nusquam proficiscar, Cyprum non ibo: persequar actionem adversus illum. SY. *Fac ut tibi videtur. Nisi quid mandas mihi, nihil me impedit quin abeam.* SA. *Immo sane, hoc rogo, Syre, utcumque hæc sunt in me facta, saltem viginti minæ mihi reddantur pro puellæ pretio, potius, quam litigare cogar. Scio te antehac amicitiam meam expertum non esse, postea cognosces me non esse immemorem beneficii, nec ingratum.* SY. *Sincere id agam. Sed Ctesiphonem cerno. Exultat lætitia propter amicam quam*

Perl. Interrogat Delph. post 'nihil' sed non post 'miser.' Interrogant utrisque in locis Bent. Both. Z.—38 Eug. *defraudat:* sic et ed. nostra vet. Heins. Miller. dederunt. *Bip.* Ita et GM. Z. *Defrudet* tamen Do. Er. Dac. West. Bent. Riv. Fabriciique ex suis codd. legunt. Mss. quidam *nusquam abiero.*—39 Mss. quidam: *Immo jam hercle.* Ms. Lips. *Immo hercle quæso:* omisso *hoc.* West. Both. *Immo quæso hercle hoc.* Post *vis* interrogat Br. *Immo jam* Guelf. 2. *Quæso*] J. *scire.* Perl.—40 *Ut, ut* Perl. Idem cum Fa. Bent. et Both. *acta* pro *facta.* Br. *fata potius* sine distinctione. Guelf. 1. *potiusque* omisso *quam.*—41 Rivius Codices emendatiores, et Donati auctoritatem secutus, *reddat* legit. Atque ita ediderunt Rob. Stephanus, Pulmannus, Aldus. Sed et ita exhibent EV. 1. 2. cum EA. et ET. probat etiam Guyetus. *West.* *Reddat.* Al. *reddatur*, contra metrum. *Bip.* *Reddat* Both.—42 Mss. quidam, et EP. aliæque veteres, *Scio, te non esse usum.* Guy. integrum hunc versum resecat, merito improbante Bœclero. *West.* *Scio non te usum.* Bem. ita collocat: *Scio te non usum:* ita et omnes alii, nisi quod post *usum* addunt verbum *esse:* quod stare non potest. Bas. *Scio te non esse usum.* Fa. Nostri cum Basilicano consentiunt: nisi quod Academicus, *Scio non te esse usum.* Recte. *Bent.* *Scio te non esse* Br. *Scio, te non usum amicitia esse antehac mea* Both. Lectionem Bent. improbat Bip. 'Ms. R. et vet. cod. *Scio te non esse.*' Lind.—43 Both. *M. me esse atque gratum dices.*—44 Br.

NOTÆ

39 *Numquid vis, quin abeam*] Sermo discedentis, sexcenties a Plauto, et Terentio usurpatus. Donatus ad illud Terentii Eunuchi Actu 2. Scena 3. 'Rogo numquid velit,' notat; 'Hoc est, significo me abire:' nam abituri ne id dure facerent, dicebant his, quibuscum essent, numquid vis? *Vous plaît-il me commander quelque chose?*

De amica. SAN. Quid, quod te oro? SY. Paulisper mane.

possidet. SA. *Quid? an agis quod te precor?* SY. *Aliquantisper expecta.*

lætus est de amica.—45 Guy. integrum hunc versum hominis indocti fœtum dicit: sed merito vapulat a Bœclero. *West.* Guelf. 2. *quicquid.* 3. *facies quod te oro?*

ACTUS II. SCENA III.

CTESIPHO. SYRUS.

CT. ABS quivis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas:
Verum enimvero id demum juvat, si, quem æquum 'st bene facere, is facit.
O frater! frater! quid ego nunc te laudem? satis certo scio,

CT. *Nemo est, qui lætus non sit, cum, usus venit, a quovis beneficium accipere; verum profecto, id omnino gratum est, si is quem decet officium præstare, is præstat. O frater, frater Æschine, quid ego nunc laudes tuas verbis celebrem? Satis equi-*

In Bip. Act. II. Sc. 5.—2 *Quem æquum 'st benefacere, is facit.* Exhibeo editiones optimas, Rob. Stephani, Mureti, Erasmi, Goveani, Bergii, Venetas, Antesignani, Fabrini, aliorum. In aliis est, *quem æquum est facere, is bene facit.* Rursus in aliis: *quem æquum est benefacere, is bene facit.* Donatum legisse, *quem æquum est facere, is facit*, apparet ex ejus verbis, '*bene*, subaudiendum est bis numero.' Quod mirum est, non intellexisse Guyetum. Scribit enim: 'Quæ sequuntur verba, 'bis numero,' addititia sunt, et inepta.' Credo, quia ante illa, 'bis numero,' invenit τελείαν στιγμὴν, quales editiones et mihi videre contigit. *West.* G. et EM. *is bene facit.* Idem in Addend. *Si quem æquom'st benefacere, is facit* Do. et liber Bem. Vict. et Decurtatus: *si quem æquom'st facere, is bene facit:* reliqui omnes libri geminant lectionem *bene:* quod stare non potest. *Fa.* Nostri omnes bis habent *bene.* Bent. *Si quem æquum'st facere, is bene facit* Bent. Bip. Both. Z. Delph. 'Etsi Faërni Donatus, liber Bemb. Vict. et Decurt. habent Lindenbr. lectionem *si quem æquom'st facere, i. b. f.* lectio tamen, quam Faërnus edidit, *si quem æquom'st benefacere, is facit*, legibus linguæ convenientior esse videtur, præsertim cum Lindenbrogii Donatus haud dubie eandem sit secutus. Ceterum lectio ceterorum Faërni Bentleiique codd. qua *bene* geminatur, recte a Bentleio repudiatur.' *Zeun.*—3 Quatuor nostri veterrimi cum totidem aliis, *quid ego te nunc laudem?* Ad digitos si exigas, nihil interest; si ad aurem et accentum, non parum. *Bent.* Br. *qui ego te nunc l.* Vulgatam lect. *nunc te*, rectiorem

Nunquam ita magnifice quicquam dicam, id virtus quin superet tua.
Itaque unam hanc rem me habere præter alios præcipuam arbitror,
Fratrem homini nemini esse primarum artium magis principem.
SY. O Ctesipho! CT. O Syre! Æschinus ubi est? SY. Ellum! te expectat domi. CT. Hem!
SY. Quid est? CT. Quid sit! illius opera, Syre, nunc vivo: festivom caput!

dem scio, me nunquam illas tam honorifice prædicaturum, ut orationem virtus tua non excedat. Itaque præcipuum unum hoc proprium arbitror me habere, cujus alii expertes sunt; scilicet fratrem primis artibus, humanitate, beneficentia, omnibus anteferendum. SY. *O Ctesipho.* CT. *O Syre, ubinam Æschinus est?* SY. *Ecce illum, in ædibus te expectat.* CT. *Hem!* SY. *Quid est?* CT. *Quid sit quæris? Illius labore, et industria factum est, ut vita mihi salva sit. O lepidum*

esse censet Bip. quam *te nunc.*—4 Br. *Nunquam tam.*—5 Si *præter alios* legas, illud 'homini nemini' et supervacuum erit, et solœcum. Unius literulæ mutatio ab Auctore propulsabit hanc injuriam: *præter alias præcipuam.* 'Præcipuam præter alias,' præ aliis rebus, ut And. I. 1. 31. 'Horum ille nihil egregie præter cetera Studebat.' et 95. 'Quia erat forma præter ceteras Honesta.' *Bent.* 'Bent. inepte fingit *alias:* provocans ad Andr. I. 1. 31, Sed quod alterum laudat Andr. I. 1. 95. potius est pro vulg.' *Bip.* *Alias* receperunt Both. Perl. De Guelf. 2. notat idem 'non hab. *præter alias.*'—6 *Homini nemini.* Variant Mss. et editi. In aliis est, *Fratrem homini neminem esse.* In aliis, *Fratrem hominem esse.* Duo Mss. Leidenses, *Hominum neminem.* Duo, *Homini neminem.* Unus, *Hominem neminem.* Tr. *Fratrem. hominum neminem esse primarum magis principem.* West. Recte *homini nemini;* ut Hec. III. 1. 1. et alibi 'homo nemo:' licet omnes nostri, uno Regio excepto, hic habeant *neminem.* Bent. *Nemini* etiam legendum monet Fa. Ita et Do. Eug. Sic ordinat Both. *Fratrem primarum esse artium homini nemini m. p.* *Homini neminem* Br. *Fratrem hominum* vet. cod. ap. Lind.—7 Ms. Lips. *expectat te.* Alii *ellum?* interrogative.—8 *Festivom caput!* EA. ET. EV. 1. Heinsius in edit. Amstelod. 1618. Syro hæc tribuunt; quod secuta est Dac. Quando tamen dubium manet, Æschinumne intelligat servus, an Ctesiphonem. Mss. plerique omnes tribuunt Ctesiphoni; atque in iis quinque Leidenses. *West.* Bip. Syro tribuit et legit *illius opera nunc vivo Si O festivum caput!* Abest

NOTÆ

6 *Homini nemini*] Vel *Hominem neminem,* vel *Homini neminem,* variæ sunt lectiones. Nemo homo est antiqua locutio, pro, nullus homo. Si legas, *Homini nemini,* sensus erit planior. Si legas, *Neminem hominem,* ita explica; unam hanc rem me habere præter alios præcipuam arbitror; scilicet hominem neminem, id est, nullum hominem, qui frater sit alicui, primarum artium magis principem.

Qui omnia sibi postputavit esse præ meo commodo;
Maledicta, famam, meum amorem, et peccatum in se transtulit:
Nihil pote supra: sed quisnam? foris crepuit. SY. Mane, mane! ipse exit foras.

virum! immo etiam omnes res postponendas sibi esse putavit meis commodis. Maledicta, infamiam, amoris mei periculum, et peccatum propter raptum puellæ suscepit in se: nihil supra tot beneficia dici potest: sed quisnam venit? SY. *Janua strepuit; ipse domo huc prodit.*

Syre Guelf. 2. Both. omittit *Quid sit?*—9 Rich. Bentleius, V. Cl. ad Horat. Serm. I. 10. 21. ex Donato et Codd. Faërni, sed et e duobus Britannicis optimæ notæ legit, *Quin' omnia sibi postputarit.* Sic Hec. III. 5. 33. Præstat autem *postputavit* legere, vel ideo, quod versu seq. etiam *transtulit* dicit. EP. *Pro meo c.* West. *Qui omnia sibi post putarit esse præ meo commodo*] Do. pro *Qui,* legit *Quin:* dicens admirative pronuntiandum: et ita habet V. ita et in Bembino emendatum est: itaque etiam exigit versus, qui est octonarius iambicus: sed si legas *Quin putarit,* non convenit, sed *putavit:* quod et ipsum in aliquot libris scriptis inveni: est autem plenum *Quine,* ut 'Quemne ipsa reliqui:' deinde abjecto *e,* remanet *Quin.* Fa. *Quin' omnia sibi post putavit esse præ meo commodo; Maledicta, famam, meum amorem, et peccatum in se transtulit.* Codices quidem vetustiores *postputarit:* duo mediocres *postputavit:* Etiam omnes, præter duos veterrimos, *Qui* pro *Quine.* 'Quine,' 'Quemne,' tam subjunctivo quam Indicativo junguntur. Lege igitur, *postputavit;* quia sequitur, 'transtulit.' Deinde pro *se* lege *sese.* *Maledicta, famam, meum amorem et peccatum in sese transtulit.* Bent. *Quine* Both. *Post putarit* Br. 'Versum, in quo vel emendando vel exponendo laborarunt editores et interpretes, hodie primo integrum damus. Primo Do. legit *Quin,* idque admirative pronuntiandum dicit. Nugæ. Sed Bem. cod. a prima manu *Qui;* a secunda, uti V. *Quin,* et alii *Quine.* Nos illud cum ed. nostra vetere, Erasmo, et pluribus aliis præferimus, quod respondeat τῷ 'illius.' Tum fluctuant codd. in verbo *postputavit;* pro quo alii *postputarit,* quod penderet ex isto *Quin,* a nobis rejecto. Neque vero moramur in permixta lectione ed. nostræ veteris, *Qui omnia sibi postponenda putarit præ m. c.* Illud *ponenda* certe a glossatore est, qui non meminerat simile Hec. III. 7. (al. 5.) vs. 33. 'Cum te postputasse omnes res præ parente intelligo.' Et ibi rectius conjunguntur in unam vocem, quæ h. l. dividenda censemus ob τὸ 'esse.' Quo enim referas τὸ 'esse,' nisi ad 'post,' uti Sall. Cat. 23. extr. . . . 'invidia atque sapientia post fuere.' Sed quamvis etiam cum Erasmo, West. aliisque legas *Qui omnia sibi postputavit esse præ m. c.* (quæ rectior illa *Quin' omnia sibi postputarit esse præ m. c.*) desit tamen octonario in ultimis, quod explemus vocula *uno,* interposita contra τὸ 'omnia;' idque omissum librariis corrector margini ascripserat e qua dein in textu mendose additum τῷ *Qui* provenit illud *Quine,* quod turbas has dedit. Unum autem commodum dicit Noster, quod jam fruatur sua; cf. Eun. II. 3. 80.' *Bip.* *Quine*] Illud *ne* videtur abundare ut apud Horat. Serm. I. 10. 21. 'Quine putetis,' &c. ubi vid. Bent. *R. D.* *Pro meo* Guelf. 2.—10 *Laborem*] Vulg. *amorem;* quod quam falsum sit, nemo hominum criticorum sensit. At ab Erasmo in ed. Froben. I. et sqq. veriorem lectionem ascriptam invenimus: 'alias *laborem.*' Recentiores omisere. *Bip.* Vulg. *famam, meum amorem:* vitiose. *Both.* qui igitur legit *f. meûm amorum, et p. in sese.*—11 Mss. quidam, *Nihil supra potest.* Libri quidam vetusti, post EA. *Sed quidnam fores crepuit?* Atque ita Heinsius recensuit. Mss. quidam, *Sed quis-*

nam fores crepuit? Quomodo Leidenses omnes, nisi quod unus omittit τὸ *sed;* in uno suprascriptum, *aperuit.* Tr. et Junt. *Sed quisnam foris crepuit?* τὸ *quisnam* autem antique dictum pro *quænam;* potuitque ita dixisse Ctesipho exultans gaudio, nec satis advertens animum, quæ fores crepuerint. Nisi autem legisset Donatus, *fores,* non annotasset, esse singularis numeri, nominativi casus. Sic 'feles,' 'vulpes,' pro, felis, vulpis. Quanquam et *foris* dixerunt. Plaut. Mil. II. 1. 76. 'Sed foris concrepuit.' *West.* G. *Nihil supra potest: quisnam fores crepuit?* Idem in Addend. Libri nostri omnes, *Nil supra potest.* Legendum igitur, *Nil supra pote.* Fa. *Sed quisnam foris crepuit*] Idem liber, item Do. non habent dictionem *sed;* et pro *quisnam, quidnam* legunt, ut et liber Victorianus, *fores* vero, pro *foris,* tantum Do. et idem Vict. ac Decurtatus, et Bas.; exponemus autem *quidnam fores crepuit,* qua de causa sonuit janua. *Idem.* Nostri omnes *fores,* perperam pro *foris.* *Sed* plerique omittunt: *quidnam* tres habent. Ego pro illo, quod dedit Fa. *Nil póte supra: quidnám fores crepuit?* sic repono, *Nil súpra pote: nam quíd foris crepuit?* Bent. Al. Sy. *Mane, ipse e. f.* 'Sy. *Nil pote supra*] Al. et hæc tria verba tribuunt Clitiphoni. Multum autem et in hoc versu laborant Critici, quorum cura hodie major octonario evasit. Diversimode vero eduntur *Nil pote supra: sed* (aliis omittitur) *quisnam* (al. *quidnam*) *fores* (al. *foris*) *crepuit.* Sy. *Mane, mane! ipse exit foras.* Cum ap. omnes versus excedat octonarium, omittimus cum Er. alterum *mane;* et *crepuit,* quod librariis in mente erat, ubi vox *fores* legebatur, emendamus in *exit.* Iisdem verbis respondet Syrus 'Ipse' (frater quem laudasti) 'foras exit.' Placuit ita magis, quam alia emendatio: *sed quid tam foris crepuit.*' Bip. *Sed quidnam* Z. *Nihil supra potest.* *Quisnam fores crepuit* Br. *Sed quidnam crepuit foris? Mane: ipse e. f.* Both. '*Nil supra potest* GM. et GC. *Quidnam* Par. ed.' *Perl.* 'MS. R. et Vet. cod. *Nihil supra potest? quidnam.*' Lind.

ACTUS II. SCENA IV.

ÆSCHINUS. SANNIO. CTESIPHO. SYRUS.

Æs. Ubi ille est sacrilegus? San. Men' quærit? num
quidnam effert? occidi!

Æs. Ubinam est ille scelestus leno Sannio? Sa. *Mene appellat? num pecuniam*

In Bip. Act. II. Sc. 6.—1 *Ubi ille est sacrilegus?* Ita edidi, Glareanum secutus. Vulgo, *Ubi est ille sacrilegus?* Et ita G. ET. EM. Malim tamen, si per Codices liceret, *Ubi illic est sacrilegus?* Sic And. III. 5. 1. et v. 6. 1. Nam *illic* pro *ille* usitatum Comicis. Sic And. II. 6. 27. Plautus sæpius. *West.* *Men' quærit?*] Ita plurimi libri. Pauci cum cod. Bem. citra interrogationem: quod laudat Tan. Faber. Atque ita est in edit. Amstelod. ex recensione Heinsii, 1618. *Idem.* *Num quidnam effert?*] Mss. quidam, *num quidnam effertur?* Alii *num quidnam affert?* quomodo est in uno Mss. Leidensium. Sed in uno, *num quidnam affert argentum?* ex glossa. *Idem.* *Men' quærit?*] Melius Bem. *Me quærit.* nec interrogative pronuntiandum est. *Fa.* Nostri omnes *Men' quærit?* Sed recte Bem. *Me quærit.* Bent. *Ubi est ille sacrilegus?* Br. Z. *Me quærit.* Both. Bip. Perl. *Affert.* Guelf. 3. et vet. cod. ap. Lind.—

Nihil video. Æs. Ehem! opportune; te ipsum quæro.
Quid fit, Ctesipho?
In tuto 'st omnis res: omitte vero tristitiam tuam.
Ct. Ego illam hercle vero omitto, qui quidem te habeam
fratrem. O mi Æschine!
O mi germane! ah, vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id assentandi magis, quam quo habeam gratum, facere
existumes. 6
Æs. Age, inepte; quasi nunc norimus nos inter nos, Ctesipho.

domo exportat? Perii; nihil video pecuniæ illum domo afferre. Æs. *Ehem; commode occurris, te ipsum studiose quæro. Quid agitur? In securo loco posita est res omnis tua; expelle vero omnem animo dolorem.* Ct. *Per Herculem vero illam expello, qui quidem fratrem te possideo. O mi Æschine, o mi germane; ah vereor te præsentem amplioribus laudibus prosequi, ne id adulandi magis gratia me facere putes, quam quod memor sim beneficii.* Æs. *Age, stulte, hæc omitte; quasi*

2 Hunc et sequentem versum interpolatum esse, suboluit Guyeto: distinguit ergo, Æ. *Hem, Ctesipho, opportune. te ipsum quæro.* Ct. *Quid, Æschine?* Æ. *In tuto 'st omnis res: omitte vero tristitiam tuam.* Malim leviori mutatione: Æ. *Ehem! opportune: te ipsum quæro.* Ct. *Quid fit?* Æ. *Ctesipho, in tuto 'st omnis res: omitte vero tristitiam tuam.* In Mss. Leidensium uno est, Æ. *Ehem opportune, te ipsum quærito, Ctesipho, quid fit? in tuto 'st omnis res: omitte vero tristitiam tuam.* EA. *hanc tristitiam tuam.* West. *Te ipsum quærito.* Omnes fere l. s. *quæro:* utroque modo stat versus. *Fa.* Quinque ex nostris *quæro.* Recte. *Bent.* Gu. 1. *quærito,* quod non deterius. *Both.* *Quæro*] Sic plerique Mss. Al. *quærito* præter metrum. *Bip.* *Quærito* Br. *Quid sit* Guelf. 1.—3 Bem. *tristitiem.* Ita et Bent. Both. Z.—4 *Hercle vero.* Ita plerique libri. Mur. tamen *facile vero* defendit, quomodo et erat in omnibus Mss. Bœcleri, sed et in Ms. Lips. G. EM. et EP. denique Junt. *West.* *Fratrem te habeam* Both. Versus hic magna inconstantia editur. Primum plerique *Ego illam hercle vero;* nostra vetus *Ego vero illam hercle, &c.* alii *Ego illam facile vero.* Bem. vero, omnibus prior, neque *hercle,* neque *facile* habet; unde et nos omittimus cum Dac. Tum illud *quidem* et *te* locum mutant. Plerique *qui quidem te fratrem h. &c.* Sed Bem. Er. Fa. West. Bent. *qui q. te habeam f.* et Dac. *qui te h. f. quidem, o!* Nos in hac inconstantia, et cum ex omnibus metrum laboret, ausi sumus huic mederi, omittendo τὸ *hercle,* quod Bem. non habet, legendo *Ego vero* cum nostra vetere, et quod locum mutaverat, in omni lectione auribus infestum *quidem* retrahendo. Sic utrique voci *Ego* et *illam* vis additur; et sic passim Plaut. et Cic. *Bip.* *Ego illam facile* Br. et Ms. R. ap. Lind. *Ego illam vero o.* Delph.—5 Both. *At vereor.* Br. *coram* omittit.—6 *Quo habeam gratum.* Ita edidi ex Codice Bembi, et auctoritate aliorum, simul metro suadente. In aliis est, *quam quod habeam gratum.* Rursus in aliis, *quam habeam quod gratum.* ET. legit, *Ne id assentandi magis æstimes, quam quod habeam gratum, facere.* G. *quod habeam.* Alii aliter. *West.* Bem. *quo,* ut et exigit versus. *Fa.* Nostri omnes mendose *quod.* Ceterum illud *assentandi* nescio an rectius *assentando:* sed codicibus et Magistris hoc concedemus. *Bent.* *Quod* Br. Bip. Z. Delph. Τὸ *id* abest J.—7 *Quasi nunc norimus nos inter nos.* Hæc varie leguntur. EP. et aliæ, *quasi nunc non nori-*

Hoc mihi dolet, nos pæne sero scisse, et pæne in eum locum
Redisse, ut, si omnes cuperent, nihil tibi possent auxiliarier.
CT. Pudebat. ÆS. Ah! stultitia 'st isthæc, non pudor, tam ob parvolam
Rem pæne ex patria? turpe dictu. Deos quæso, ut istæc prohibeant.
CT. Peccavi. ÆS. Quid ait tandem nobis Sannio? SY. Jam mitis est.
ÆS. Ego ad forum ibo, ut hunc absolvam: tu intro ad illam, Ctesipho.
SAN. Syre, insta. SY. Eamus; namque hic properat in Cyprum. SAN. Ne tam quidem;

nunc inter nos notitia incipiat; verum doleo, nos fere tarde certiores factos esse tuarum rerum, et fere eo redactos esse periculi, ut si omnes homines cuperent te juvare, nullo modo id possent. CT. *Pudore impediebar.* ÆS. *Ah! stultitia est ista, non verecundia; ob rem tam parvi momenti pæne ex patria profugisse: pudet me id dicere: Diis supplico, ut ista avertant, nempe fugam patriæ præ desperatione in amore.* CT. *Erravi.* ÆS. *Quid postremo nobis Sannio dicit?* SY. *Jam mansuetus est.* ÆS. *Ego ad forum me conferam, ut, soluta pecunia, illum dimittam. Tu intro domum ito ad amicam.* SA. *Syre, urge Æschinum.* SY. *Eamus quæso, Æschine, nam hic Sannio in Cyprum proficisci festinat.* SA. *Non tantum festino,*

mus nos. Rursus alii, *quasi non norimus.* West. *Quasi nunc non norimus* Br. Bent. Z. Perl, Delph. Bothius legit *quasi non noverimus.*—8 Mss. et editi quidam, *Sed hoc m. d.* West. *In eum locum redisse*] Sic Phorm. I. 2. 5. ex quo loco conficias, τὸ *rem* hic excidisse; quod Guyetus in tribus Codicibus veteribus scriptum invenit. Legerim igitur, *et pæne rem in eum locum Redisse.* Atque ita habet EA. et ET. sed et EV. 1. Similis locutio est infra III. 2. 1. *Idem.* Do. et Bem. non habent dictionem *Sed*: quod et venustius est et versui congruentius. *Fa.* *Pæne in eum locum Redisse*] Quid est 'nos redisse in eum locum?' Omnino hic desideratur *rem*; ut Heaut. II. 3. 118. 'In eum res rediit jam locum, Ut sit necesse.' Editiones sane veteres, *pæne rem in eum locum.* Sic et scriptus codex apud Guyetum: ac duo alii *rem pæne.* Tu repone, *Hoc mihi dolet nos pæne sero scisse, et in eum rem locum Redisse.* Bentleius. *Rem* etiam B, C, Both. *Sed hoc* Bruns.—9 G. cum ET. et EM. *tibi nihil.* Westerhovius in Addend. Nostri universi cum editionibus veteribus *tibi nil.* Et Anapæstus in his versibus suavior est Dactylo: et 'tibi' in ictu esse debet. *Bent.* Both. legit *Rediisse . . . nil possent tibi a.* Br. *ut s. omnes tibi c. tibi nihil p. a.* Perl. *tibi nil.* *Rediisse* Delph.—10 Br. *Aha stultitia.*—11 Bem. *pæne e patria.* Fa. Nostri omnes *ex.* Bent. *Ex patria pæne! . . . ista ut p.* Both. *E patria* Bip. Bent. Delph. '*Ex patria*] GM. *excessisse.* Glossæ speciem habet.' *Perl.* Post *patria* non interrogat Br. *Et istæc* Z.—13 GM. *apud* pro *ad.* Br. *Ego ibo ad f.*—14 *Eamus* Æschino tribuit Both. 'Mss. et editi quidam vetusti *properat Cyprum.* EA. et ET. *Ne tam*

Quamvis etiam maneo otiosus hic. SY. Reddetur: ne time.
SAN. At ut omne reddat. SY. Omne reddet: tace modo, ac sequere hac. SAN. Sequor.
CT. Heus! heus! Syre! SY. Hem! quid est? CT. Obsecro hercle, hominem istum impurissimum
Quamprimum absolvitote: ne, si magis irritatus siet,
Aliqua ad patrem hoc permanet, atque ego tum perpetuo perierim.
SY. Non fiet: bono animo es: tu cum illa te intus oblecta interim;
Et lectulos jube sterni nobis, et parari cetera.
Ego jam, transacta re, convortam me domum cum opsonio.
CT. Ita quæso: quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.

quantumvis moram hic otiosus faciam. SY. *Reddetur tibi pecunia, ne dubita.* SA. *At effice, ut totam restituat.* SY. *Totam restituet, sile modo, et me sequere hac via.* SA. *Sequor.* CT. *Heus, heus, Syre.* SY. *Hem, quid me vis?* CT. *Per Herculem te oro, homini isti sordidissimo pecuniam pro pretio puellæ cito solvite, ne si magis irritetur aliquo modo, rumor hujus rei ad patrem perveniat, atque ego tunc omnino interierim.* SY. *Id non fiet, securus esto. Tu interea cum amica voluptati indulge, et lectos sterni, ceteraque ad cœnam necessaria adornari jube: ego jam, confecto negotio, illinc domum me referam cum eduliis, quæ emta sunt.* CT. *Sic fiat quæso; quando hæc res feliciter nobis evenit, hunc lætum agamus diem.*

cito quidem.' West.—16 M. *Ah, fac ut omne reddat.* Quæ manifesta glossa est. *Idem.*—17 Lege ex veterrimo nostro et altero *Obsecro hercle te, hominem.* Alioqui claudicat versus. *Bent.* Both. *Hercle, obsecro, h.* Bip. *Obsecro hercle te.* Br. *O. h. te, hominem imp.* Guelf. 1. *Hem* omittit. *Hercle te* Delph. —19 Al. *tunc.*—20 Mss. quidam et EA. EP. et ET. *bono animo esto.* Ita et Do. *West.* *Bono animo esto*] Bem. et Bas. *bono a. es.* Ita optime versus procedit. *Fa.* Nostri perperam *esto.* Bent. *Esto* Br. GM. Z.—21 Br. *lectos.* —22 EA. *Ego autem jam.* West. Ita et Guelf. 3.—23 Mss. plusculi non agnoscunt τὸ *hoc.* Neque EP. *West.* EA. *hilarem sumamus hunc diem.* Ita et ET. *Idem.* Correxit olim Palmerius *hilare sumamus*; cui tamen recte monenti nemo obtemperavit. Videamus, an nobis melius cadat alea. Plautus in eadem phrasi adverbium usurpat. Epid. I. 2. 54. 'Eamus intro ad te, ut hunc hodie diem Luculente habeamus.' Pseud. V. 1. 23. 'Hoc ego modo atque herus minor hunc diem Sumsimus prothyme.' Sed Pœn. V. 6. 30. 'Ut hunc diem Habeamus hilarem, hujus malo, et nostro bono.' Ubi tamen fidenter emendes *hilare.* Nimirum ea ætate 'hilarus' dicebant; nunquam, quod sciamus, 'hilaris.' Extra hæc loca, nec Plautus neque Noster 'hilaris,' sed semper 'hilarus.' 'Hilare' adverbium Nonius ex Afranio citat, et ex ipso Cicerone; qui ter quaterque etiam alias eo adverbio utitur. Charisius p. 180. ''Hilariter' ab eo quod est 'hilaris:' 'Hilare' autem ab 'Hilarus.' Acron in Terentii Adelphos; ubi Terentius, *Hilare*

hunc sumamus, inquit, *diem*. Sed et Afranius in Sororibus: ‘ Nunc te obsequentem atque hilaram, ut dixi, præbeas.’ Hodie quidem apud Charisium utrobique editum est *hilarem*. Sed plane contra auctoris sententiam; qui hæc exempla ideo adducit, ut ‘ hilarus ’ olim dictum esse probet; non ut ‘ hilaris,’ quod in communi tum sermone erat. *Bent*. *Hilare hunc* Both. *Hoc* abest Br. Guelf. 3.

ACTUS III. SCENA I.

SOSTRATA. CANTHARA.

So. Obsecro, mea nutrix, quid nunc fiet? Can. Quid fiet, rogas?
Recte, ædepol, spero. So. Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.
Can. Jam nunc times, quasi nunquam affueris, nunquam tute pepereris?
So. Miseram me! neminem habeo: solæ sumus. Geta autem hic non adest;
Nec quem ad obstetricem mittam; nec qui arcessat Æschinum.

So. *Precor te, mea nutrix, dic mihi, quid eveniet.* Can. *Quæris? per Pollucem faustum rerum eventum spero.* So. *Jam modo dolores parituram invadere cœperunt.* Can. *Nunc metuis, quasi nunquam parturientibus præsens interfueris, neque tu ipsa enixa liberos fueris.* Sos. *O me infortunatam! Nemo mihi est, qui opem ferat; solæ relictæ sumus: Geta autem hinc abest, nec ullus ex domesticis mihi nunc restat, quem ad obstetricem accersendam mittam, aut qui Æschinum huc*

1 *Obsecro, mea nutrix.* Ita præstantissimæ editiones, Junt. Ald. et his vetustiores. In aliis *O. te, mea n.* Rursus in aliis *Obsecro, mea tu n.* Mss. variant. *West.* *Quid fiet, rogas?* Ita plurimi optimique libri Mss. et impressi. Vulgo, *Quid fiat, rogas?* Idem. Bem. Vi. et Decurtatus *Quid fiat?* sane in omnibus libris hic vs. terminat in *rogas.* est autem trochaicus catalecticus, cum sequentes sint octonarii iambici. *Fa.* *Quid fiat* Bent. Both. Z. Perl. *Obsecro, mea tu nutrix* Delph. *Obsecro te, mea n. . . . Quid fiat* Bip. *Quid nunc fiet r.* Br. ‘ Al. *rogitas.*’ Perl.—2 *Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.* Tan. Faber nutrici hæc verba assignat, non Sostratæ. *Bent.* qui improbat.—3 Malim, si per codd. liceret, *Tam nunc times.* West. *Quasi nunquam affueris.* Elegantius codex Pet. *quasi nusquam.* Bent. *Tam nunc* Both. *Quasi nusquam* Perl. Vet. cod. ap. Lind. *peperisti.*—5 Et versus, qui iambicus esse debet, et sententia legi postulant: *Nec est quem a. o. m. n. q. accersat Æschinum.* Bent. Vulg. *Nec g. ad. o. m.* sed iambicus hic vs. esse debet, ut recte monet Bent. Et is quidem *Nec est quem.* Hel. *Nunc* præbet pro *Nec*; sed utrumque verum puto. *Both.* qui legit *Neque nunc quem.* *Accersat* Br.

Can. Pol is quidem jam hic aderit; nam nunquam unum intermittit diem,
Quin semper veniat. So. Solus mearum miseriarum est remedium.
Can. E re nata melius fieri haud potuit, quam factum 'st, hera;
Quando vitium oblatum est; quod ad illum attinet potissimum;
Talem, tali genere, atque animo, natum ex tanta familia.
So. Ita pol est, ut dicis: salvos nobis, Deos quæso, ut siet.

vocet. Can. *Per Pollucem is certe mox præsto hic erit. Etenim nullo cessat die nos invisere.* So. *Solus is meis ægritudinibus medetur.* Ch. *Ex repentino rei casu, nihil fortunatius contingere potuit, quando filia tua vitiata est; quantum præcipue spectat ad juvenem, qui id fecit: cum tam præstanti sit forma, tam clara stirpe, tam bona indole, tam divite domo.* So. *Per Pollucem vera loqueris. Deos precor ut hunc nobis servent.*

—7 *Solus mearum miseriarum est remedium.* Sic recentiores nostri, sed veteres omnes, *S. mearum est miseriarum.* Bent. Ita et Br. Perl.—8 In Mss. Leidensibus quinque, M. G. et Lips. *E re natæ*, q. d. ex usu filiæ: quam lectionem e quindecim Mss. post Rivium defendit Guyetus. Sed scire licet, Terentium ‘ natam ’ pro filia nunquam, ‘ gnatam ’ sæpius dixisse. In Tr. et EA. *Here nate*, quod valet *Heræ natæ*, et agnoscunt plusculæ editiones veteres: quæ lectio nihilo melior est. *West.* *E re nata.* Sic Fa. dedit, auctore Donato: sed nostri codices universi *E re natæ.* Et satius est omnino, ut librorum omnium lectionem retineamus, *E re natæ.* Bent. *Natæ* nostri codd. Hel. *Frenate.* Both. ‘ *E re nata.* Bent. inepte lect. corruptam quorundam codd. et edd. præfert *E re naiæ.*’ Bip. *Eræ natæ* Br. Guelf. 3. *Natæ tantæ* pro *E re nata*, tertio litem dirimens, 1. *O hera* 3. *Natæ* GM. et GC. *Perl.*—9 *Oblatum quando vitium* Bip.—10 Mss. et impressi quidam, *tali animo.* West. Restituo antiquam Poëtæ manum, et suum sibi reddo, *Talem, tali ingenio atque animo, n. e. t. f.* Bent. Ita habent et Both. Bip. *Talem, tali genere, tali animo* Delph.—11 Abest *nobis* Guelf. 3.

ACTUS III. SCENA II.

GETA. SOSTRATA. CANTHARA.

Ge. Nunc illud est, quod si omnes omnia sua consilia conferant,

Ge. *Nunc talis est miseria nostra, ut si omnes omnia sua simul consilia adhi-*

Atque huic malo salutem quærant, auxilii nihil afferant,
Quod mihique, heræque, filiæque herili est. Væ misero mihi!
Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest;
Vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia.
Hoccine sæclum! o scelera! o genera sacrilega! o hominem impurum!
So. Me miseram! quidnam est, quod sic video timidum et properantem Getam?
Ge. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum misericordia
Repressit, neque reflexit; neque quod partus instabat prope,

beant, atque huic malo, quod mihique, dominæque meæ Sostratæ, filiæque ejus Pamphilæ factum est, mederi conentur, nihil quicquam juvent. Væ misero mihi! tot difficultates inopinato circumstant, ex quibus evadi non potest: vis stupri, inopia ipsius puellæ, injustitia erga miseros, solitudo a defensoribus, infamia ab iis, qui credunt vitiatam pretio. Hæcne tempora adeo corrupta sunt? O crimina infanda! o gentem sacrilegam! o hominem impium. Æschinum! So. *Me infortunatam! quidnam est, quod sic video pavidum, et festinantem Getam?* Ge. *Quem neque fides data, et obligatio juramenti, neque ulla commiseratio retinuit, neque revocavit*

1 Mallem cum Guy. *Nunc illud est, cum si.* Si enim *quod si* legas, simpliciter pro 'si' sumendum erit: quando sensus et constructio parum constabunt. Ms. Bœnd. *Nunc istud est.* West. *Si omnes*] Mss. Leidenses quinque, Tr. Bœnd. cod. Lips. G. *omnia omnes.* Ita et omnes Bœcleri, cum editionibus quibusdam vetustissimis, in quibus sunt EA. ET. et EM. Sed editiones Juntarum, Aldi, R. Stephani, Faërni, Heinsii, aliorum, legunt uti edidi. *Idem.* *Nunc illud est, quod si omnes omnia*] Miror sic dedisse Faërnum, cum plerique codices et edd. vett. habeant, *Nunc illud est, quod si omnia omnes.* Vide infra v. 9. 21. Quanto hoc venustius est, et collocatione et numeris! *Bent.* *N. i. est, cum, si omnia omnes* Both. *Omnia omnes* Br. Bip. Perl.—2 Post *quærant* M. addit *nobis.* *Auxili nihil* Bent. Bip. *Auxili nil* Perl. *Ferant* pro *afferant* Guelf. 3.—3 Expungit hunc versum probæ Latinitatis et artificii Guyetus, sed πάθος currentis clamantisque Getæ valde imminuit. *West.* *Mihi* omisso *que* Guelf. 3.—6 *Impurum.* Ita in plerisque Mss. et editis. In quibusdam est *impium:* [In Addend. memorat G. et EM.] quomodo edididerunt Junt. Aldus, Heinsius, alii. *West.* *Hocine sæculum.* Bem. Vi. et Bas. *sæclum:* utroque modo stat trochaicus. *Fa.* Nostri codices *sæculum:* neque aliter stat versus. *Bent.* *Hominem impium* Br. Bent. Both. Z. Perl. Bip. Delph. *Sæculum* Z. Delph.—8 Do. monet, *illum* abundare. Mss. Par. 3. *ulla.* Quod vero, ut opinor, tribuitur magistellis, qui non saperent venustam pronominis, *illum,* abundantiam. *Perl.* Vulg. *illum* legitur pro *ulla,* Mureti lectione, quam exhibet Hel. *Both.* *Illiu' misericordia* Bip. '*Neque illum m.*] Pro eo Mss. quidam, *N. ulla misericordia.* Atque ita recensuit Heinsius. Sed neque auctoritate quorundam impressorum caret. Eleganter autem παρέλκει τὸ 'ille' post relativum, vel nomen proprium. *West.*—10

Cui miseræ indigne per vim vitium obtulerat. So. Non intelligo
Satis, quæ loquatur. Can. Propius, obsecro, accedamus, Sostrata. Ge. Ah!
Me miserum! vix sum compos animi: ita ardeo iracundia.
Nihil est quod malim, quam illam totam familiam mihi dari obviam,
Ut ego iram hanc in eos evomam omnem, dum ægritudo hæc est recens:
Satis mihi id habeam supplicii, dum illos ulciscar modo.
Seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus:
Tum autem Syrum impulsorem, vah, quibus illum lacerarem modis!
Sublimem medium arriperem, et capite primum in terram statuerem,

a perfidia, neque quod tempus pariendi imminebat proximum virgini, quam violarat. So. *Non satis capio quæ Geta dicit.* Ca. *Appropinquemus magis, oro te, Sostrata.* Ge. *Ah me infelicem! vix sum potens animi, ita iracundia inflammatus sum. Nihil est quod magis optem quam omnes ex ista Mitionis familia mihi obvios offerri ut iram hanc omnem in eos egeram, dum hic dolor meus novus est. Pœna sufficiens mihi fuerit, dum modo nunc ultionem de illis sumam; seni patri primum vitam eriperem, qui tam scelestum juvenem in lucem edidit: tum autem Syrum instigatorem, vah! quibus illum tormentis dilaniarem! in sublime elatum medium ejus corpus ad me traherem, et præcipitem in solum durum et saxosum allidérem, sic, ut ejus ce-*

Vulg. *indigne per vim,* præpositione acuta, nomine gravissimo elevato tanquam enclitico: sic 'duriter' et similia leguntur, atque hoc ipsum in vetere inscriptione. *Both.* qui igitur legit *indigniter vi vitium.*—11 *Quæ loquitur* Idem.—13 R. non habet *totam.* Bothius legit *quam illanc t. f. dari obviam* omisso *mihi.* Br. Z. Delph. *dari mihi.* *Dari mi* Bip. Bent.—14 *Ut iram hanc.* Lege ex Bem. et aliis fere omnibus, *Ut ego iram hanc.* Fa. Unus tantum et alter e nostris *ego.* Ceterum unus ex veteribus, *ægritudo est hæc recens,* non *hæc est.* Recte. *Bent.*—15 Guy. inficete versum hunc expungit. *West.* Versus claudicat, nisi in 'dum' synalœpha cesset, plane contra artem et Terentii morem. Dele ista *dum illos ulciscar modo.* Hemistichium est, ut mox vs. 19. *Bent.* Bothius legit *dum illos ulciscar meo modo.*—16 Br. *Seni animum.*—18 Assentior Palmerio et Guyeto, legentibus, *Capite pronum in terram statuerem.* Juvat hanc lectionem, quod nonnullæ editiones habent, *Sublimem medium primum arriperem, et capite in terram statuerem.* Scilicet quia τὸ 'primum' suspectum erat, varie collocatum est. Sed et pronus error fuit 'primum' describentis ἀντὶ τοῦ 'pronum.' Neque ullum commodum sensum τὸ 'primum,' sed incuriose repetitum videtur ex versu 16. *West.* *Sublimem medium arriperem, capite primum in terram statuerem.* Alia collocatio mihi magis probata est in libro Bembino: *Sublimem medium primum arriperem, et capite in t. s.* Fa. Hoc quod Bembinus exhibet, *Sublimem medium primum arriperem,* a

Ut cerebro dispergat viam.
Adolescenti ipsi eriperem oculos; post hæc præcipitem darem;
Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, et prosternerem.
Sed cesso heram hoc malo impertiri propere? So. Revocemus. Geta!
Ge. Hem! quisquis es; sine me. So. Ego sum Sostrata. Ge. Ubi ea est? te ipsam quærito;
Te expecto: oppido opportune te obtulisti mihi obviam,
Hera. So. Quid est? quid trepidas? Ge. Hei mihi! So. Quid festinas, mi Geta?

rebrum per diversas partes viæ spargatur: adolescenti ipsi eruerem oculos, postea præcipitarem ex alto: reliquos ex illa domo projicerem, impellerem, distraherem, concuterem, et in terram affligerem; sed differone heræ hoc malum cito communicare? So. *Revocemus eum currentem. Geta.* Ge. *Hem, quicumque sis, sine me festinare, ne me retine.* So. *Ego sum hera tua Sostrata.* Ge. *Ubinam stas? te ipsam ubique peto, te expecto: valde tempestive te mihi obviam dedisti hera.* So. *Quidnam tibi est? quid trepidus es?* Ge. *Hei mihi!*

Correctore se natum prodit; qui cum id in recepta lectione, *Primum statuerem capite in terram*, ineptum esse vidisset, cum post illud *primum* nihil deinceps sequatur, illud *primum* ad prius versiculi colon retraxit. Atqui, o quisquis eras, alia via succurrendum erat huic difficultati: sic enim legendum, *Sublimem medium arriperem, et capite pronum in terram statuerem.* Bent. *Capite pronum* Both. Bip. Perl. *Sublimem per medium* Br. *Sublimem medium primum a. et c. i. t.* Z. Delph. ‘ Pal. *pronum* restituit primus, quod vero vocabulum ob tantam similitudinem scripturæ facile corrumpebatur in *primum*. In GM. quidem script. invenio *pmū*, ut vix constet, utrum illorum verius legatur. Sed *primum* ex versu 16. huc migrasse verisimile est.’ *Perl.* Verissime viri doctissimi emendarunt, *cap. pronum.* R. D.—19 Ita edd. veteres. Neque insolens est enallage temporis; quam non admittentes alii, *dispergeret* ediderunt. *West.* *Dispergat via* Br. *Cerebro viam ut dispergeret* Both. ‘ *Dispergat.* Cave cum aliis corrumpas in *dispergeret.* Habet enim prius imperfectum, uti cetera omnia, vim futuri, e quo consequatur præsens.’ *Bip.*—20 Guelf. 1. *post hoc.*—21 *Funderem.* Guy. reponit *funderem*, quasi magis militare: sed nulla codd. auctoritate nititur. *West.* *Tunderem*, quod omnes codices habent, minime hic convenit. Etsi ita Nonius citet v. ‘ ruere:’ et ita vetustus ibi codex. Omnino verum est, quod et Guy. vidit, *funderem.* Sic ‘ fusi hostes,’ passim: omnia hæc verba a militari pugna translata sunt. *Bent.* Tò *et* omittit Both. *Tunderem* probat Bip. *Atque* pro *et* Guelf. 3.—22 Libri quidam Mss. et editi: *Revocemus. Geta, Geta, hem!* West. *Revocemus. Geta hem.* Br. *Revocemus Getam, o Geta, Geta* Guelf. 1. *O Geta, Geta* 3.—23 *Ubi ea est?* Corrige *Ubinam es?* ut alibi ‘ ubinam est?’ *Bent.* Ita et Both. ‘ *Ubi es?* Vulg. *Ubi ea est?* Bent. facit *Ubinam es?* Sed omitte *nam*; et sic demum procedet versus.’ *Bip.* *Et* post *quærito* Guelf. 2.—24 *Te expecto.* Sic codices alii: sed lege, *expeto*, ut codex Academicus. *Bent.* Ita et Both. *Te expecto oppido: oportune* Br.—25 *Quid festinas, mi Geta?* Laudat Aspe-

Animam recipe. Ge. Prorsus! So. Quid istuc prorsus ergo ’st? Ge. Perimus!
Actum ’st! So. Eloquere ergo, obsecro te, quid sit. Ge. Jam! So. Quid jam, Geta?
Ge. Æschinus! So. Quid is ergo? Ge. Alienus est ab nostra familia. So. Hem!
Perii! quare? Ge. Amare occepit aliam. So. Væ miseræ mihi!
Ge. Neque id occulte fert: ab lenone ipsus eripuit palam.
So. Satin’ hoc certum ’st? Ge. Certum: hisce oculis egomet vidi, Sostrata. So. Ah,

So. *Quid properas, mi Geta? Animum collige.* Ge. *Omnino.* So. *Quid istud omnino?* Ge. *Periimus, actum est de nobis.* So. *Enarra, quæso, quænam res sit.* Ge. *Jam.* So. *Quid jam, Geta?* Ge. *Æschinus.* So. *Quid igitur is fecit?* Ge. *Alienavit animum suum a nobis; amare incepit aliam virginem, quam Pamphilam.* So. *Hem! perii. Quare alienus factus est a nobis?* Ge. *Aliam amicam, relicta Pamphila filia tua, sibi junxit.* So. *Væ miseræ mihi!* Ge. *Neque id celat, ipsemet a lenone puellam vi abstulit.* So. *Satisne hoc certum habes?* Ge. *Certe his oculis egomet deprehendi hoc, Sostrata.* So. *O me infor-*

rum Grammaticum Guyetus, verba hæc Cantharæ nutrici, non Sostratæ tribuentem, utpote blandiora, quam pro matrona et servo dicta. Sed et heri heræque servis et ancillis blandiebantur, quoties usus veniebat. Tum Geta solus omnem familiam sustentabat. Georgius autem Fabricius illa, *hei mihi*, Cantharæ tribuit. *West.* *Cur times?* post *quid festinas* Guelf. 3.—26 Apparet Donatum *Animam* legisse, non *Animum*, quomodo tamen est in quibusdam Mss. et editis præstantissimis, quia de ‘ anhelitu’ interpretatur; cum ‘ animus’ ad consternationem potius referatur. *West.* *Animum recipe.* Placet mihi lectio Bembini *Animam recipe:* hoc enim et Terentii sensui, et iis, quæ Do. de anhelitu dicit, magis quadrat. *Fa.* Certa lectio *Animam;* et sic codex noster 900. annorum. *Bent.* *Animum* Br. Z. Eug.—27 *Eloquere obsecro quid sit.* Multi l. s. inter quos Bem. post *Eloquere*, addunt *ergo:* quod vero sequitur, etiam præter eos libros et Basilicanum, Do. habet hoc modo, *obsecro te quid sit:* quæ mihi plenior videtur oratio: versui certe optime consulit. *Fa.* *Actumst. Eloquere ergo obsecro te quid sit. Jam. Quid jam Geta.* Sic dedit Fa. et ascito *ergo* Iambicum inter Trochaicos fecit. Veteres nostri fere omnes non habent *ergo;* sed recentiores quinque habent. Lege, *Actumst. Loquere ergo obsecro te.* Bent. *Te* omittit Both. *Loquere ergo* Perl. *Ergo* omittit Br.—28 Al. *Quid ergo is?* Pro *ab nostra* alii *ex* vel *a nostra.* Pro *Hem* Bip. habet *Hei mihi.*—30 Codex unus *a lenone.* Palmerius subdistinguit: *a lenone: ipsus eripuit palam.* Bent. *A lenone* Bip.—31 Faërno Donatus legit, *Scisne hoc certo?* Atque ita est in EA. cum apud Poëtam, tum apud Interpretem, sed et Ms. Bœnd. In aliis libris est, So. *Satin’ hoc certo?* Ge. *Certo.* Rursus in aliis utrobique est *Certe.* West. G. et EM. *Satin’ hoc certe?* Ge. *Certe.* Idem in Addend. *Ah!* Mss. et impressi quidam veteres, *Ah, ah!* quod laudat Rivius. *Idem.* Nostri *Certe, certe:* vel *Certo, certo.* Bent. *Certum ’st?* Ge. *Certe* Z. *Satine hoc certe?* Ge. *Certe.* Br. qui etiam *Ah!*

Me miseram! quid credas jam? aut cui credas? nostrumne
Æschinum?
Nostrarum vitam omnium? in quo nostræ spes, omnesque
opes sitæ
Erant; qui sine hac jurabat se unum nunquam victurum
diem;
Qui se in sui gremio positurum puerum dicebat patris;
Ita obsecraturum, ut liceret sibi hanc uxorem ducere.
GE. Hera, lacrymas mitte: ac potius, quod ad hanc rem
opus est, porro consule.

tunatam! Quænam res jam credi potest, aut cui homini credatur? nosterne Æschinus hæc fecit? ille salus nostrum omnium? in quo spes nostræ, omnia bona nostra posita erant? qui jurabat se ne unum quidem diem sine Pamphila spirare posse? qui promittebat se puerum, qui nasciturus esset, pro suo legitimo in suo sinu positum educaturum? se patri supplicaturum, ut permitteret eam sibi matrimonio jungere? GE. *Hera, desine lacrymari, ac potius quod ad hanc rem attinet, in posterum con-*

omittit. *Certum* probat Bip.—32 In plusculis Mss. et edd. optimis est *nostrum Æschinum;* quod licet ad metrum minus aptum sit, videtur tamen subitæ admirationi magis servire. *West.* *Nostrum Æschinum?*] *Nostrumne Æschinum* habent aliqui libri etiam antiqui, inter quos Bem. qua lectione optime stat trochaicus. *Fa.* *Quid jam credas? . . . nostrum Æschinum Nostram* Br. *Quid jam credas, aut c. credas? n. Æschinum, Nostram* Both. *Quid jam credas?* Perl. '*Ah! me miseram.* Al. omittunt hoc alterum *ah*, quod geminatum est in ed. nostra vetere. Quæ omissio fecit, ut dein al. contra Bem. præpostere redderent *jam credas.*' Bip.—33 Omnes libri scripti ita collocant, *spes opesque omnes.* Fa. *Nostram vitam omnium: in quo nostræ spes opesque omnes sitæ Erant: qui sine hac jurabat se unum nunquam victurum diem.* Sic codices omnes: fallor tamen, an Auctor sic dedit: *Nostram omnium vitam: in quo nostræ spes opesque omnes sitæ; Qui se sine hac jurabat unum nunquam victurum diem.* Bent. *Nostram v. o. i. q. n. spes opesque om.* Br. *Nostram* Bip. Z. Perl. *Spes opesque* Bip. *Nostrum omnium in quo vitæ spes opesque nostræ omnes sitæ, Qui se* Both.—35 Gerardus Falkenburgius suo Codici ascripserat: 'Qui se in sui gremio positurum puerum dicebat, patreis Ita obsecraturum. Ut primitivum sit pro possessivo:' ἐν τῷ ἑαυτοῦ κόλπῳ. In Ms. Lips. et Bœnd. legitur eodem modo, nisi quod *patrem* habent; quomodo et Fabrini edidit, et Juntæ, cum Aldo. Scioppius et G. F. existimant, τὸ *patris* dictum pro *patreis* vel *patres;* quasi Æschinus dixisset, se utrumque patrem, Micionem adoptivum, et Demeam genuinum esse obsecraturum. *West.* *Qui se in sui gremio positurum puerum dicebat, patrem Ita obsecraturum, ut liceret sibi hanc uxorem ducere.* Bem. et V. pro *patrem*, habent *patris;* ut sit ordo, in gremio sui patris: in Bas. et plerisque aliis legitur *patres;* quod et hanc lectionem ex parte confirmat. Quod vero sequitur, ita Bembinus habet, *hanc si uxorem ducere;* ut conjicere detur *si*, pro *sibi*, sicut 'mi' pro 'mihi,' antiquos scripsisse: nec sane aliter stat versus, nisi aut ita scribas, aut certe in scansione eam dictionem in unam syllabam contrahas: quæ deinde per synalœpham elidatur. *Fa.* *Patris* duo ex nostris veterrimi; ceteri *patres.* Porro ex Petrensi codice legendum, *hanc se uxorem ducere.* Bent. Both. ex Hel. legit *Qui senis in gremio sui . . . . ut l. hanc se u. d.* Br. *patres.* Guelf. 2. *senis sui* pro *se in sui.* Delph. *patris? ita.*—36 *Hanc sibi* Br. Perl. *Ut l. hanc u. d.* Delph. *Ut l. hanc se u. d.* Bip.

Patiamurne, an narremus cuipiam? CAN. Au! mi homo,
sanusne es?
An hoc proferendum tibi videtur usquam esse? GE. Mihi
quidem non placet.
Jam primum, illum alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat.
Nunc si hoc palam proferimus, ille inficias ibit, sat scio.
Tua fama, et gnatæ vita, in dubium veniet: tum si maxume
Fateatur, cum amet aliam, non est utile hanc illi dari:
Quapropter quoquo pacto tacito est opus. SO. Ah! minime gentium:

silium quære, an feramus cum silentio hoc malum, an alicui communicemus. CAN. *Hau, mi homo, composne mentis es? An hoc verbis detegendum esse ullo in loco censes?* GE. *Mihi quidem non videtur esse proferendum. Jam primum amorem suum a nobis avertisse, re ipsa nobis manifestum apparet. Nunc si hoc divulgemus, ille pernegabit, probe scio, se stuprasse Pamphilam: tua existimatio, et salus tuæ filiæ in periculum adducetur: tum etiamsi fateatur eam vitiasse, non conducit hanc illi nubere, quando aliam sibi amicam sumserit. Quamobrem, quovis modo, silere istud oportet.* SO. *Ah! neutiquam id faciam, non tacebo.* GE. *Quid vis agere?*

—37 *Consule.* Mss. quidam et edd. vett. *prospice.* Sensu et metro plane eodem. *West.* Do. et omnes quotquot sunt l. s. præter V. *porro prospice.* Fa. Tres ex nostris veterrimi *consule.* Recte. *Bent.*—38 *Au! mi homo.* Hæc præter mentem Donati in Mss. quibusdam et edd. vetustis Sostratæ tribuuntur. *West.* Legendum monet Bent. *Patiamur*, demto *ne.* '*Au au, mi homo*] Bem. Vi. et Do. semel tantum *au* habent.' *Fa.* Nostri uno excepto omnes *Au au:* neque aliter stat versus. *Bent.* *Patiamur . . . . Au, au* Both. *Au, au, mi homo: sanus non es.* Br. qui etiam hæc Sostratæ tribuit. *Au, au . . . sanus es?* Perl. *Sanun'ne es? an.* Sic Bip. quæ notat 'retrahimus ad integrandum versum ex sequenti *an.*'—39 *An hoc proferendum tibi usquam esse videtur?* O. l. s. *tibi videtur esse usquam,* præter Bembinum, in quo legitur *usquam esse.* Ceterum prima hujus versus syllaba in præcedentem versum rejicitur: versus vero stat abjecto *r*, ex 'videtur,' item *m*, ex 'quidem,' quamvis consonans consequatur. *Fa.* Nostri partim *esse usquam*, partim *usquam esse.* Sed unus ex Regiis non habet *esse:* idem cum tribus aliis *Proferendum hoc.* Lege *An prof. hoc t. v. usquam? Mi q. n. p.* Bent. *An p. hoc . . . . videtur unquam?* Br. *An p. hoc . . . . videtur usquam?* Both. *P. hoc . . . . v. esse usquam?* Bip. *Tibi usquam esse videtur?* Delph.—40 Vulg. *Jam* frequentissimo errore. *Both.* qui igitur dat *Nam p. animo illum alieno.* Br. *ab nobis.*—41 In quibusdam Mss. et editis antiquis [in Addend. memorat G. cum ET. et EM.] est *proferemus.* West. Nostri omnes mendose *proferemus.* Bent. *Proferemus* Br. qui etiam nullam distinctionem habet post *scio.* *Proferemus* Guelf. 1.—43 Reponit Bent. *non est utile huic, illi dari.* Br. legit *cum amat . . . illi dare.* '*J. amat.* GM. *dare.* Sed *e* in fine mutatum apparet a manu alicujus imperiti.' *Perl.*—44 *Tacito.* Ms. Lips. et Bodl. cum quibusdam edd. vett. *celato.* West. *Quapropter quoquo pacto celato est opus.* Bem. et omnes fere alii, *tacito'st opus:* et ita versus stat, aliter non. *Fa.* Quinque ex nostris *tacito:* plures et vetustiores *celato.* Cui hoc placet, ita legat, *Quapropter quoquo pacto est celato opus.* *Ah minime gentium.* Bent. *Quoquo tacito pacto est opus* Both. *Celato* Br. *Aha* Guelf. 3.

Non faciam. Ge. Quid agis? So. Proferam. Ge. Hem! mea Sostrata, vide, quam rem agas.
So. Pejore res loco non potest esse, quam in quo nunc sita est.
Primum indotata est: tum præterea, quæ secunda ei dos erat,
Periit: pro virgine dari nuptum non potest. Hoc reliquum est:
Sin inficias ibit, testis mecum est annulus, quem amiserat.
Postremo, quando ego conscia mihi sum, a me culpam esse hanc procul,
Neque pretium, neque rem ullam intercessisse, illa aut me indignam, Geta,

So. *Id manifestabo!* Ge. *Ah, mea Sostrata, considera quid agendum sit tibi.* So. *In deteriori conditione res esse non potest, quam in qua nunc posita est: primum nulla dos ei est: præterea, pudicitia quæ loco dotis erat, amissa est, pro virgine dari in uxorem non potest: si negabit Æschinus Pamphilæ vitium obtulisse, testimonium mecum perhibebit hic annulus, quem amiserat. Postremo, quoniam mecum scio certo, me omnis culpæ esse expertem, neque ullam rem intervenisse, quæ illam,*

—45 *Quid agis?* Edd. quædam veteres, *Quid ais?* Et videtur inconcinne eidem personæ tributum, *Quid agis?* et mox rursus, 'vide, quam rem agas.' *West.* Aliqui libri, inter quos Bembinus, *Quid ages?* ut et exigit ratio, cum sequatur responsum Sostratæ in futuro, 'Proferam.' *Fa.* Unus ex nostris *ages.* Alii *agis.* Unus ex Regiis *Quid ais?* et recte. Est admirantis et dissentientis, non interrogantis. Si *agis* legas, bis idem dicitur, cum mox ait, 'quam rem agas.' Porro quæ sequuntur, 'mea Sostrata, vide quam rem agas,' Cantharæ verba sunt, non Getæ: ut vel illud indicat, 'mea Sostrata:' quod muliebre blandimentum est. Uterque et Geta et Canthara consilium Sostratæ repudiant. *Bent.* *Quid ages?* Both. qui etiam Cantharæ tribuit verba *Hem! mea, &c.* Perl. dat ut Bent. *Quid ages?* Bip. Delph.—46 Ex libro Bembino pro *potest* lego *potis est:* aliter nullo modo potest procedere hic versus, neque ut iambicus, neque ut trochaicus. *Fa.* Nostri perperam *potest.* Bent. Ms. Pal. 3. *In pejore.* *Potis est* Both. Bip. Delph.—48 *Dari pro virgine* Both.—49 Magna Librorum pars, *Si inficias ibit.* Utrum elegantius sit, merito dubites. Quod autem Bœclerus reperit, *Si in inficias ibit,* atque inde τὸ *Sin* confirmari putat, non magis sequitur, quam ex lectione Ms. Bœnd. *Si inficias inibit.* West. *Quem amiserat.* M. et Bœnd. *quem ipse amiserat.* Ita et EP. et EV. 1. Guyetus versum hunc, in quo palmarium Sostratæ argumentum est, spurium vocat. Sed nec proxime præcedens sine hoc stare potest; hoc enim unum reliquum erat, ex annulo convincere Æschinum. Nec juvat Guyetum τὸ *amiserat,* pro quo *amisit* scribendum fuisse dicit. Sed et 'annuli' in re simili mentio, Hec. v. 3. 23. seqq. *Idem.* Nostri fere omnes cum edd. vett. *anulus, quem ipse amiserat.* Recte: abjecto, ut solet, *s,* 'analu'' fit dactylus. 'Ipse' sententiæ non parum confert. *Bent.* qui etiam *Si* pro *Sin.* Ita et omnino legunt Both. Perl. *Si* Br. Z. Bip. Delph.—50 Muta ordinem, et scribe, *Postremo quando ego mihi sum conscia.* Bent. Ita et habet Perl. *Quando conscia ego* Both.—51 Reponendum mo-

Experiar. Ge. Quid istuc? accedo, ut melius dicas. So. Tu, quantum potes,
Abi, atque Hegioni cognato hujus rem omnem narrato ordine;
Nam is nostro Simulo fuit summus, et nos coluit maxume.
Ge. Nam hercle alius nemo respicit nos. So. Propera tu, mea Canthara,
Curre: obstetricem arcesse, ut, cum opus sit, ne in mora nobis siet.

aut me non deceat, Geta, judicio agam. Ge. *Quid istud est? quid tibi resistam? accedo tuæ sententiæ, ut quæ melius, quam ego dicas, et prudentius sentias.* So. *Tu quantum potes celeriter proficiscere, atque Hegioni cognato Pamphilæ rem omnem, ut acta est, expone: is enim Simulo marito meo, patri virginis summus amicus fuit, et nos maxime observavit.* Ge. *Recte facis, nam per Herculem nemo alius nostri curam habet.* So. *Festina tu, mea Canthara, abi propere, obstetricem adducito, ut, cum partus instabit, nullam moram faciat.*

net Bent. *intercesse aut illa aut me.* Perl. omittit *ullam.* Par. pro var. *illam autem.* Etiam GM. hab. *illam,* cui voci subscript. *culpa.* *Intercesse* Bip. ita et Er. Dac.—52 Priscianus Instit. Grammat. lib. XVI. *accedo, ut rectius dicas.* Wiel. vel cum Do. *dicam* legit, vel ellipsin statuit, q. d. *ut quæ melius dicas.* Quanquam τὸ *dicam* in nullis mihi libris repertum. *West.* *Quid istuc?*] Aliqui libri, inter quos Bem. Bas. et Vi. *Quid istic?* ita et Do. nam quamvis in eo mendose legatur, *Quid istuc?* tamen in expositione asserit hoc ita dici, quasi diceretur, quid hic resistam? sane ita ordinantur versus in libro Bembino et aliquibus aliis, ut ponatur ante hæc verba dictio 'Experiar,' et sit hic integer versus, *Experiar.* Ge. *Quid istic? accedo ut melius dicas.* So. *Tu quantum potes.* Fa. *Experiar. Quid istic? accedo ut melius dicas. Tu q. potes.* Versus justo longior est. Repone, *Experiar. Quid istic? cedo, ut melius dicas.* Est qui sic legi velit, Ge. *Quid istic?* So. *Accede.* Ge. *Ut melius dicas.* Et 'Quid istic?' ait, dissentientis est. Itane vero? tum erit cum 'non' et 'minime' erunt assentientis. Sed et aliud experitur, *Quid istic cedo? ut eum in jus ducas?* O conjecturas lepidas et probabiles! *Bent.* Both. legit *Quid istic? cedo . . . potest.* Br. *Quid? istic accedo . . . In q. p.* Delph. *Quid istic? . . . In quantum potes, abi,* transfertque dictionem 'Experiar' ad vs. præcedentem: *indignam; experiar, Geta. Quid istic?* Z.—53 Aliqui libri scripti inter quos Bem. ita habent *rem enarrato omnem o.* Et pro *hujus* Bem. habet *ejus.* Fa. Nostri omnes *hujus.* Recte. *Bent.* *Enarrato* Br. Perl. *Ejus r. enarrato* Bip. Bothius legit *Abi, H. cognato hujus, omne enarrato ordine.*—54 *Nostro Simulo.* Cur non potius, *meo?* cum Simulus videatur fuisse maritus Sostratæ, pater Pamphilæ. *West.* Both. *summus Simulo fuit.*—55 Pro *Propera* reponit Bent. *Propere.* Ita et dat Both. Abest *tu* Guelf. 2.—56 GM. collocat *opus cum sit.*

ACTUS III. SCENA III.

DEMEA. SYRUS.

DE. DISPERII! Ctesiphonem audivi filium
Una affuisse in raptione cum Æschino.
Id misero restat mihi mali, si illum potest,
Qui alicui rei est, etiam eum ad nequitiam abducere.
Ubi ego illum quæram? credo abductum in ganeum
Aliquo: persuasit ille impurus, sat scio.
Sed eccum Syrum ire video! hinc scibo jam, ubi siet;
Atque hercle hic de grege illo est: si me senserit
Eum quæritare, nunquam dicet carnufex.
Non ostendam me id velle. SY. Omnem rem modo seni,

DE. *Occidi; audivi Ctesiphonem comitem fuisse Æschini, cum puellam rapuit; id mihi infelici summum malum adhuc reliquum est, si Æschinus Ctesiphonem, qui alicui rei utilis esse potest, ad luxum et libidinem impellat. Ubinam igitur Ctesiphonem quæram? in lupanar, ut suspicor, quoddam ab Æschino abductus est: persuasit flagitiosus ille Ctesiphoni, probe scio, ut secum illuc iret. Sed ecce Syrum venire video: jam ex illo sciam, ubi sit Ctesipho: atque mehercule de illo hominum cœtu est: si animadverterit me illum cupide quærere, nunquam dicet, ubi sit ganeo ille: dissimulabo me id cupere.* SY. *Res gestas ab Æschino Mitioni ex*

2 In aliis est *affuisse*, in aliis *fuisse*. Sed *affuisse* vincit numero Mss. unde etiam prælatum a Mureto. Atque ediderunt ita Juntæ, Aldus, Fabrini, post EA. ET. alias. Neque aliter Nonius Marcellus citat. *West.* Bem. *fuisse.* Sed nostri omnes *affuisse.* Nec spernendum. *Bent.* *Fuisse* Bip. Delph.—4 In Tr. M. Bœnd. aliisque nonnullis est, *alicujus rei:* quomodo et EA. ET. EP. EV. 1. 2. Arg. et quibusdam aliis legitur. Eug. *alicujus spei* videtur legisse. Utrumque perperam: dixit autem *alicui rei.* Ex Donati verbis non licet dispicere, *alicujus*, an *alicui* legerit. *West.* *Etiam eum.* Πλεονάζει τὸ *eum.* Vide supra III. 2. 17. quanquam abest a quibusdum Mss. et impressis [in Addend. notat G. et EM.] In aliis est *etiam ad nequitiam eum adducere.* Idem. *Abducere.* Præstat hæc lectio præ illa quorundam codd. *adducere.* Idem. *Ad nequitiam adducere.* Bem. *ad nequitiem*, quod magis sapit antiquitatem. *Fa.* Nostri omnes *nequitiam.* Bent. GM. *alicujus:* sup. script. *utilitatis.* Lind. omittit *eum*, quod Par. narrante abundat. *Perl.* qui dat ut Bent. *ad nequitiem adducere.* Bothius legit *Q. a. re est, etiam meum ad nequitiam adducere.* Br. *ad nequitiam eum adducere.* Notat Bruns ‘ ed. omitt. *eum* rectissime.’ *Alicujus rei* R. D. *Eum* abest Z. *Ad nequitiem adducere* Bip. *Ad nequitiem* Delph. *Nunc* pro *eum* Guelf. 3.—5 Mss. quidam et impressi *aliquo in ganeum.* West.—6 Mss. et editi quidam veteres legunt *persuasit Æschinus ille impurus:* quod ex glossa videtur irrepsisse. *Idem.* *Æschinus* post *persuasit* Guelf. 2.—7 Τὸ *jam* abest a quibusdam libris.—9 C *At.* Both. *Atqui.*—10 *Omnem rem.* In quibusdam codd. h. l. initium Scenæ IV. statuitur, [In Addend. memorat G. ET. et EM.] laudante Mureto. Malui autem plurimorum et Donati auctoritatem sequi. *West.* Omnes l. s. *id me velle.* Fa. Sic et

Quo pacto haberet, enarramus ordine:
Nihil vidi quicquam lætius. DE. Pro Jupiter!
Hominis stultitiam! SY. Collaudavit filium:
Mihi, qui id dedissem consilium, egit gratias.
DE. Disrumpor. SY. Argentum annumeravit illico:
Dedit præterea in sumtum, dimidium minæ:
Id distributum sane est ex sententia. DE. Hem!
Huic mandes, si quid recte curatum velis.
SY. Hem! Demea, haud aspexeram te. Quid agitur?
DE. Quid agatur! vostram nequeo mirari satis
Rationem. SY. Est hercle inepta, ne dicam dolo,
Atque absurda. Pisces ceteros purga, Dromo:
Congrum istum maxumum in aqua sinito ludere
Paulisper: ubi ego venero, exossabitur;
Prius nolo. DE. Hæccine flagitia! SY. Mihi quidem
non placent;

ordine recitavi: neminem quenquam hilariorem illo vidi. DE. *Proh Jupiter, hominis ineptiam!* SY. *Filium Æschinum laudibus prosecutus est: mihi qui illi suasissem, gratias egit pro consilio.* DE. *Animi discrucior.* SY. *Pecuniam statim numeravit; insuper in sumtum dimidium minæ largitus est: postea id dispartitum est ex voluntate Æschini.* DE. *Si quid recte paratum esse cupias, hoc officium manda huic Syro.* SY. *Ehem, Demea, non te videram: quid fit?* DE. *Quid fiat rogas? non possum satis mirari vestrum agendi morem.* SY. *Est mehercule inconveniens, ne mentiar, et ineptus. Pisces ceteros sordibus expurga, Dromo; congrum istum maximum in aqua sine paulisper spatiari, et subsilire: postquam ego venero, ossa ei detrahentur. Prius nolo eum purgari.* DE. *Hæcne flagitia fieri*

nostri omnes. *Bent.* Ita Br. Both. Bip. Perl. et Delph. quæ hunc vs. in duos separat finiens priorem verbo *velle.* *Omnem rem* novam Scenam incipiunt in Both. et Bip. Ita et in Guelf. 2. *Modo* abest 3.—11 *Quo p. se h.* Idem cum Z. Delph. Improbant Perl. West. ‘ Pro *enarramus* bona librorum pars *enarravimus* exhibet.’ *West.*—12 Bent. Bip. Delph. *Nil quicquam vidi.*—14 *Qui id dedissem consilium.* Varie hæc leguntur, et, *qui dedissem*, et *qui consilium dedissem.* West. Nostri omnes *qui id d.* Bent. Ita et Bem. Bas. *Consili* Both. Abest *id* Guelf. 2.—15 Mss. quidam, *enumeravit.* Atque ita est in EA. ET. et Venetis. *West.*—16 *Insumtum* Br.—20 In plusculis codd. repetitur, *Quid agitur?* quod morosius videtur, et Demeæ magis conveniens. *West.* *Agitur* Guelf. 1. 3.—21 Bent. *ne dicam dolo, atque.* Both. *ne d. dolo, et.* Guelf. 2. *dolos.*—23 EP. *Congrum vero.*—24 In Bembino pro *Paulisper* est *Tantisper*, quamvis deinde mutatum in *Paulisper.* sed retinendo antiquam lectionem, *Tantisper* absolute ponitur: idemque est quod, interea: saue in eodem libro pro *venero*, est *rediero:* quod et ipsum placet. *Fa.* *Tantisper, ubi ego rediero, exos.* Sic dedit Fa. Nostri omnes *Paulisper*, et *venero.* Utrumque recte. Nam et *Tantisper* nusquam alias absolute: et Syrus *venero* dicit; quia jam in Scena sive in Platea est, et nondum domum venerat. Coquis hæc præcipit; dum ipse in Scena moratur. Certe *rediero* locum hic non habet; nisi jam inde

Et clamo sæpe: Salsamenta hæc, Stephanio,
Fac macerentur pulchre! De. Di vostram fidem!
Utrum studione id sibi habet, an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum? væ misero mihi!
Videre videor jam diem illum, cum hinc egens
Profugiet aliquo militatum. Sy. O Demea!
Istuc est sapere, non, quod ante pedes modo 'st
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt,
Prospicere. De. Quid? isthæc jam penes vos psaltria 'st?
Sy. Ellam intus. De. Eho, an domi est habiturus? Sy. Credo, ut est
Dementia. De. Hæccine fieri! Sy. Inepta lenitas

debent? Sy. *Mihi quidem displicent, et clamitare soleo. Hæc sale condita edulia elue, et emolli diligenter, Stephanio.* De. *Dii vestram fidem invoco, utrumne id cum delectatione studet facere, aut in hoc se laudandum esse existimat, si corruperit filium. Væ misero mihi! Videre videor diem illum, cum hinc omnium indigus abibit ad militiam.* Sy. *O Demea! hoc est sapientem esse, non quod obvium est, et ob oculos solum versatur videre; sed etiam quæ ventura sunt prævidere.* De. *Quid istane fidicina in vestris est ædibus?* Sy. *Ecce illam intus.* De. *Eho, an domi eam Æschinus tenebit?* Sy. *Credo, quæ eorum insania est.* De. *Adeone flagitiosi sunt, ut hæc committant?* Sy. *Stulta Mitionis mansuetudo, et indul-*

aliquo abiturus esset Syrus; quod non fit. *Bent.* Faërni lect. dant Both. Bip.—25 Mss. quidam *Hæccine fieri flagitia.* West. Nobis *quidem* h. l. additum videtur a sciolis librariis; ut passim. Demto illo versus constat. *Bip. Equidem* Guelf. 2.—27 *Ut* post *Fac* Idem.—28 Hottomannus ad Cic. Verr. IV. 1. legit *an tanti putat.* West. Al. *habeat*, male. *Perl.* Br. *studio ne* separatim. Vulg. *Utrum studione id sibi, &c.* sed Do. legisse videtur *verum:* unice convenit *vero*, quod reposui. *Both.* qui etiam ordinat *Studione vero id sibi habet. Hunc* post *sibi* Guelf. 2.—29 *Fore, gnatum si perd.* Both.—30 Perl. *cum huic egens.* Br. Both. *cum hic e.*—34 Distinctio sic est in Guelf. 3. *Quid istæc? jam.* Br. *Quid, istæc jam.*—35 *Ellam intus*] Qui ita ediderunt, auctoritate Donati nituntur. Sed editiones vetustissimæ et probissimæ legunt, *Est jam intus.* Atque ita reperi in G. et quatuor Mss. Leidensibus, quam lectionem Dacieria revocavit. In quinto Ms. Leidensi, Bœnd. et Bodl. *Etiam intus.* In Lips. *Est etiam intus.* Mss. Bœcleri varie, *Est etiam intus. Est hæc jam intus.* Quomodo et EA. ET. et EM. exhibent. *West.* Sy. *Est jam intus*] Super his verbis Donatus hæc dicit: '*Est jam intus:* ut, Ellum, confidens, catus.' ex iis Donati verbis adducor ut credam, atque adeo pro certo teneam, legendum esse, *Ellam intus:* aliter quæ ex Andria huc citat, non quadrant. *Fa.* Nostri omnes, *Est jam:* sed recte *Ellam* ex Donato; et præterea pro *Eho, an domi est habiturus?* lege *Eho, an est domi habiturus?* Bent. *Etiam intus* Br. *Eho, domin' habiturus?* Both. 'Par. Ms. *Est hæc jam intus.* Quæ quidem interpretatio mihi videtur vocis 'Ellam' minus obviæ.' *Perl. Etiam intus* Guelf. 1. qui etiam cum 3. *sit habiturus?*—36 Libri quidam: *Hæccine flagitia!* Alii *Hæccine flagitia fieri!* quod ex glossa videtur. *West.*

Patris, et facilitas prava. De. Fratris me quidem
Pudet, pigetque. Sy. Nimium inter vos, Demea (ac
Non, quia ades præsens, dico hoc), pernimium interest.
Tu, quantus quantus, nihil nisi sapientia es:
Ille, somnium: sineres vero tu illum tuum
Facere hæc? De. Sinerem illum! an non sex totis mensibus
Prius olfecissem, quam ille quicquam cœperit?
Sy. Vigilantiam tuam tu mihi narras? De. Sic siet
Modo, ut nunc est, quæso. Sy. Ut quisque suum volt esse, ita 'st.

gentia nimia id efficit. De. *Pudore afficior propter fratris turpitudinem, et dolore, propter licentiam, qua perdit filium.* Sy. *Nimium, Demea, tu et Mitio dissimiles estis, nec hoc dico ut te præsentem in os laudem: pernimium dissimiles, inquam. Tu quantuscumque es, non sapiens tantum es, sed ipsa sapientia: ille vanus, instar somni, et iners. An ferres illum tuum filium Ctesiphonem, si ea committeret, quæ Æschinus committit?* De. *Ferre illum? an non sex mensibus integris ante odoratus fuissem, et deprehendissem, quam ille ullam rem cœpturus esset facere.* Sy. *Quid vigilantiam, et prudentiam tuam mihi commemoras, quæ mihi maxime nota est?* De. *Talis esse pergat cupio, qualis nunc est.* Sy. *Ut quivis optat esse*

Hæccine fieri flagitia? Bem. non habet dictionem *flagitia*, sine qua procedit senarius sine detrimento sensus. *Fa.* Etiam a tribus nostris abest *flagitia* Bent. *Hæcine fieri.* In Ms. R. additur *flagitia:* sed aliena manu. *Lind.*—37 Both. *Patris! facultas prava! Me fratris q.*—39 *Quod ades.* Ita Gu. 1. vulg. *quia ades*, ingrata elisione. *Both.*—40 *Nil* Bent. Both. Bip. Perl.—41 M. et Bœnd. cum EA. ET. Venet. Davent. St. Ald. Junt. *Ille futilis.* Sed improbat Fa. Bœcl. citat e Ms. *Futile somnium.* Ms. Lips. *somnus.* Fœdissimum mendum vocat Guy. legitque, *omnium*, uti And. v. 3. 1. Quæ lectio cum nullius codicis, quod quidem sciam, auctoritate nitatur, somnianti excidisse videtur. *West. Ille futilis, somnium. sineres vero illum tuum*] Tò *futilis* non habet, nec Donatus, nec liber Bembinus, aut Vaticanus: quæ dictio et valde impedit senarium, qui ea deleta sustentatur, corripiendo priorem in 'Ille,' addendoque dictionem *tu*, post *illum*, ex libro Vaticano et Basilicano, quam recentiores habent post *vero:* Bembinus vero nusquam. *Fa.* Nostri omnes perperam *futilis* addunt; sed ex eis duo recte, *illum tu tuum*, non *tu illum tuum.* Bent. *Ille somnium futilis .... vero illum tuum* Br. *Ille somnium! Tun' sineres vero illunc tuum* Both. *Ille futilis* Guelf. 1. *Futile somnium* 2. Tò *tu* abest Z. *Illum tu tuum* Delph.—42 Libri quidam Mss. et impressi veteres, *aut non.* West. Om. lib. script. *aut non.* Fa. Sic et nostri *aut.* Bis tamen apud Priscianum *ac;* ut in codice vetusto legitur. *Bent. Aut non* Br. Both. Z. Bip. ita et Guelf. 3.—43 *Cœperit*] Fa. Riv. Barthius Advers. XVI. 1. ex Prisciano et quibusdam vetustis Terentii et Donati Libris *cœperet* tuentur. Et laudat Bœclerus e duobus Mss. Adde ejusdem Chrestomath. *West.* Priscianus p. 879. Præteritum imperfectum esse dicit a 'cœpio.' Sed p. 1193. habet *cœperit*, et codex ibi vetus. Duo veteres ex nostris *cœperit*, reliqui *cœperet.* Bent. *Cœperet* Br. Both. *Ceperit* Guelf. 1.—44 Legendum monet Bent. *V. t. tun' mihi? Sic sit modo Ut nunc est quæso. V. t. tu mihi? Sic sit modo* Both. Bip. *Sic sit modo* Br. Perl.—45 Quidam codices ex glossa

De. Quid eum? vidistin' hodie? Sy. Tuumne filium?
Abigam hunc rus: jamdudum aliquid ruri agere arbitror.
De. Satin' scis ibi esse? Sy. Oh! qui egomet produxi.
De. Optume 'st.
Metui, ne hæreret hic. Sy. Atque iratum admodum.
De. Quid autem? Sy. Adortus jurgio fratrem apud forum,
De psaltria istac. De. Ain' vero? Sy. Vah! nihil reticuit.

suum filium, sic est. De. *Quid eum? (intelligit Ctesiphonem) vidistine hodie?* Sy. *Tuumne filium? (abigam hunc molestum senem ad suum prædium.) Jampridem hunc ruri alicui rei dare operam opinor.* De. *An certior es, ibi eum agere.* Sy. *Oh, qui egomet illum eo usque deduxi.* De. *Recte factum. Timui ne hic hærens cum Æschino moraretur.* Sy. *Atque ira valde commotum.* De. *Quamobrem?* Sy. *Incepit in foro fratrem objurgare propter hanc fidicinam.* De. *Itane est, ut ais?* Sy. *Vah! nihil prætermisit eorum, quæ exprobranda fuerunt: nam ut*

habent *Ut quisque filium suum.* West.—46 Distinguit Br. *Quid? eum vidistin hodie?* et ita Bip. Guelf. 2. *Quid, eum* Vulg. *Tuumne filium*] Ms. Lips. *Abigam hunc rus. Tuumne filium? Abiit hinc rus. jam dudum aliquid ruri agere arbitror.* West.—47 *Abigam hunc rus.* Hæc Syrus secum, vel ad spectatores conversus. Male igitur in nonnullis codd. tribuuntur Demeæ. G. *Abiit hinc rus.* Idem. Verba *Abigam hunc rus*, aut Demeæ sunt tribuenda, aut Syrus ea ad Spectatores dicit, non audiente Demea. *Zeun.* Demeæ tribuunt Br. Both. legitque ille *Abiit hinc rus?* hic quoque *hinc* pro *hunc.* Sic ad hæc verba notat Bruns, 'Edit. tribuit Syro: male, ut recte judicavit Zeun. Bothius ergo Demeæ tribuit, sed *hinc*, quanquam bona lectio, est apud eum ex mendo typographico. *Abiit hinc* vel *Abigam hunc*, atque ita in cod. olim lectum esse ostendit litura; unde corrector suam lectionem hauserit nescio, nam edit. quas consului omnes *Abigam hunc.*' *Hinc* pro *hunc* Guelf. 3.—48 *Ibi esse.* Pro eo libri quidam legunt, *eum ibi esse:* quod ex glossa videtur insertum. *West.* *Qui egomet produxi.* Variant libri, etiam *quem* et *quin* legentes; quorum hoc metro repugnat. *Idem.* *Satin scis ibi eum esse?* Dictio *eum* in nullo est l. s. quam et alioqui versus respuit, nec sermo desiderat: utique enim intelligitur *eum.* Fa. Nec in nostris est *eum.* Bent. *Qui egomet produxi*] Hic variant libri; alii *qui*, ut Bembinus et Basilicanus; alii, *quin;* alii, *quem*, ut Vi. et Decurtatus ac Donatus, quos sequimur. *Fa.* Ita variant et nostri; ita tamen ut vetustiores *qui;* mediocres *quin;* recentiores *quem.* Nonius v. Producere: 'Terentius Adelphis: O quin' egomet produxi.' Sic et codex ibi vetustus. Edd. Terentii vett. et ibi Donatus *quem.* Hoc ideo præfero, quia sequitur mox *iratum.* *Quem egomet produxi. . . . . Atque iratum admodum.* Certe *quin'*, quod quidam mavult, stare hic non potest; nisi ex 'scis ibi esse' Dactylus fiat; et balbutientem ac titubantem senem hoc devolvisse fingamus. *Bent.* Post *produxi* interrogat Br. *Oh, quem* Both. Bip.—49 Mss. quidam et veteres impressi *ne hæreret huic*, i. e. Æschino: quam lect. tuetur Janus Gulielmius; sed in Scholiis ineditis refutat Guy. *West.*—50 Omnes codices *Adortus est.* Lege *Adortus jurgio est.* ut etiam est ap.

NOTÆ

47 *Abigam hunc rus*] Hæc secum Syrus tacite loquitur,

Nam, ut numerabatur forte argentum, intervenit
Homo de improviso: cœpit clamare, o Æschine!
Hæccine flagitia facere te! hæc admittere
Indigna genere nostro! De. Oh! lacrumo gaudio.
Sy. Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam.
De. Salvos sit, spero: est similis majorum suum. Sy. Hui!
De. Syre, præceptorum plenus istorum ille. Sy. Phy!
Domi habuit unde disceret. De. Fit sedulo.
Nihil prætermitto: consuefacio: denique,
Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.

lenoni pecunia forte numerabatur pro pretio puellæ, repente Ctesipho supervenit in ipso facto: cœpit ita vociferari; Æschine, hæcne flagitia committere te non pudet? indecora sanguini nostro, et familiæ? De. *Oh, præ gaudio lacrymas continere nequeo.* Sy. *Non tu hoc argentum perdis solum, sed etiam teipsum.* De. *Hunc Dii servent; ut spero, majores suos imitabitur.* Sy. *Hui!* De. *Syre, ejusmodi præceptis, quibus fratrem monuit, abundat Ctesipho.* Sy. *Phy! domestica hæc habuit a te monita, et exempla quibus imbutus est.* De. *Sic informatur a me diligenter: nihil negligo: his eum exerceo studiis: denique spectare, tanquam in speculo, mores, et actiones omnium volo, atque ex aliis, quod ei usui sit, exemplum*

Donatum. *Bent.* *Adortus est* Br. *Adortus jurgio est f. ad f.* Both. *Adortus jurgio est* Bip. Perl.—51 *Psaltria hac* Br. Bent. Both. Bip. et Perl. Ms. Lips. Guelf. 3. *Ain' verum?*—55 In plusculis libris est, *Oh, oh.* In aliis etiam *præ gaudio.* West. *Generi* Br. *Ohe* Idem. In Guelf. 2. *tuo* pro *nostro.* Ibid. *Oh, oh lac. prægaudio.* *Præ gaudio* 3.—56 Pro *hoc* Both. legit *hic.*—57 Reponendum monet Bent. *Salvos sit; spero erit similis.* Improbat Bip. Br. *suorum.* Ita et G. cum ET. et EM.—58 Hunc versum quam elegantem et commodum expungit Guy. ut insititium, licet jam a Donato lectum, et in omnibus codicibus expressum. *West.* Omnes libri *plenus est.* Lege *S. præceptorumst plenus i. i. P.* Bent. *Plenus est* Br. Guelf. 2. *Pheu* pro *Phy* Both.—60 *Nil* Bent. Z. Both. Perl. Delph.—61 Mirifica lectionum varietas in codicibus cum Mss. tum impressis. Videas in illis, *tanquam in speculo:* et, *tanquam speculum vitas omnium:* et, *tanquam in speculum vitas hominum.* West. G. *tanquam in speculum vitas omnium.* ET. et EM. *in vitas hominum.* Idem in Addend. *In speculum vitas omnium.* Bem. habet *in vitas.* Fa. A nostris omnibus male abest *in.* Bent. *In s. vitas o.* Br. 'Par Ms. *in speculo* male.' *Perl.* *Inspicere tanquam in speculum in vitas omnium*] Sic legitur in codice Bembino omnium veterrimo et sic edidit Bent. Vulgares editiones habent *Inspicere tanquam in speculum vitas omnium*, quam lectionem Burmannus ad Petron. 84. p. 538. confirmari putat loco Ciceronis in Pison. c. 29. Sed utriusque loci diversa ratio est,

NOTÆ

57 *Hui*] Fingit se admirari quæ dicit senex.

Hoc facito. Sy. Recte sane. De. Hoc fugito. Sy. Callide.
De. Hoc laudi est. Sy. Isthæc res est. De. Hoc vitio datur.
Sy. Probissime. De. Porro autem. Sy. Non hercle otium 'st
Nunc mihi auscultandi. Pisces ex sententia
Nactus sum: hi mihi ne corrumpantur, cautio 'st;
Nam id nobis tam flagitium 'st, quam illa, Demea,
Non facere vobis, quæ modo dixti: et, quod queo,
Conservis ad eundem istunc præcipio modum:
Hoc salsum 'st; hoc adustum 'st; hoc lautum 'st parum,
Illud recte: iterum sic memento: sedulo
Moneo, quæ possum, pro mea sapientia.
Postremo, tanquam in speculum, in patinas, Demea,
Inspicere jubeo, et moneo, quid facto usus siet.
Inepta hæc esse, nos quæ facimus, sentio:
Verum quid facias? ut homo 'st, ita morem geras.
Numquid vis? De. Mentem vobis meliorem dari.

petere: hoc facito, dico. Sy. *Sapienter certe.* De. *Ab hoc caveto tibi.* Sy. *Perite.* De. *Hoc laudem affert.* Sy. *Hoc utile est.* De. *Hoc dedecus parit.* Sy. *Præclare.* De. *Ut longius, et amplius memorem.* Sy. *Per Herculem nunc nihil mihi restat otii, ut sermoni tuo attentas aures præbeam: pisces ut optabam inveni: qui ne computrescant mihi sedulo cavendum est: nam id nobis tam flagitiosum est, et indecorum, quam vobis hæc non agere, quæ modo locutus es: et quoad possum hæc conservos meos sic moneo; hoc sale nimis conspersum; hoc ustum præ nimia coctione; hoc parum mundatum est; illud recte; fac ut iterum recorderis sic apparare cibum: diligenter sic præcipio, pro eo, quod sapere possum. Ultimo tanquam in speculum, in patinas, lances, discos, paropsides spectare jubeo. Et moneo, suadeo, doceo, quæcumque facere utile est. Fateor stulte fieri, quæ committuntur in hac familia: verum, quid facias? ut Mitio a natura factus est, ita obsequendum ei, qui herus est. Num quid vis mandare?* De. *Ut ad saniorem mentem redeatis.*

ne dicam lectionem *in vitas* planissime confirmari v. 74. *R. D.*—68 *Quam illa, Demea*] Lege ex vetere nostro 900. annorum codice *quam illa, o Demea.* In ista sede Spondeus suavior Trochæo est. Præterea, pro *quæ modo dixti,* lege, *modo quæ dixti.* Anapæstus hic suavior Dactylo. *Bent.* *O Demea . . . modo quæ dixti* Both. *O Demea* Bip. Perl.—69 *Dixisti* Guelf. 3.—72 Mss. quidam *mementote.* Forte, quod dictum 'Conservis.' Atque ita editiones Venetæ, EA. ET. Pulmanni. Mire autem exprimit ἀλαζονείαν rei culinariæ Præfecti. *West.* Both. *recte est.*—73 Ms. Bodl. et Ms. Lips. *pro mea sententia.* Ita et Br.—74 Abest *in* posterius Guelf. 2.—75 EP. *facto opus siet.* 'Bem. *usus sit:* ita pulchre stat senarius, eliso ex 'usus' posteriore *s.*' Fa. Tres ex nostris, *opus siet.* Etiam bene. *Bent.* *Usus sit* Z. Bip. Both. Perl. Delph.

Sy. Tu rus hinc abis? De. Recta. Sy. Nam quid tu hic agas,
Ubi, si quid bene præcipias, nemo obtemperet?
De. Ego vero hinc abeo, quando is, quamobrem huc veneram,
Rus abiit: illum curo unum: ille ad me attinet.
Quando ita volt frater, de istoc ipse viderit.
Sed quis illic est, procul quem video? estne hic Hegio,
Tribulis noster? si satis cerno, is hercle 'st: vah!
Homo amicus nobis jam inde a puero. Dii boni!

Sy. *Tu ad prædium proficisceris?* De. *Sic est.* Sy. *Nam quid tu hic facias, ubi si quædam bona præcepta tradas, nullus est qui ea observet?* De. *Ego vero hinc discedo, cum Ctesipho, cujus causa huc veneram, rus reversus est. Illius solius curam gero, ille mihi proprius est filius: quoniam ita se velle frater significavit, pro arbitrio suo ei consulat. Sed quis ille est quem procul venientem video? estne hic Hegio tribulis noster? Si recte aspicio, is certe ipse est. Vah! homo est amicitia nobis conjunctus jam inde a primis annis. Dii boni! profecto eorum, qui ei similes*

—78 *Nunc quid vis?* Br.—79 *Tu rus hinc abis?* Ita exhibeo ex quinque Mss. Leidensibus, M. et Bœnd. sed et EP. St. Junt. EA. aliis; tanto magis, quod mox Demea respondet: 'Ego vero hinc abeo.' Et de Ctesiphone: 'Rus abiit.' Rivius et Faërnus *ibis* tuentur; quod est in Ms. Lips. G. *Recte.* West. Sy. *Tu rus hinc abis?* De. *Recte.* O. fere l. s. inter quos Bembinus et Victorianus, *hinc ibis,* ut exigit versus: solus vero Bembinus pro *Recte,* habet *Recta;* quod maxime placet: ut sit sensus, 'recta eo rus.' *Fa.* Nostri meliores *ibis:* et CCC. pro varia lectione *Recta:* in textu, ut ceteri, *Recte.* Bent. *Ibis? Recte* Z. Bip. *Recte* Br. *Ibis* Both. Perl. Delph.—80 Br. Guelf. 1. Z. Both. *obtemperat.*—81 *E. vere* Z.—82 Legendum et distinguendum monet Bent. *Rus abiit: illum curo: unum illud ad me attinet, Quando ita vult frater: d. i. i. v.* *Attinet, Quando i. v. frater: de.* sic distinguendum vult West. Ita et Z. '*Curo unum, ille.* Alia est Bent. lectio, atque ejus distinctio hæc, *illum curo: unum illud.* Qua vero mutatione, ut pace viri dicam, sensus magis obscurari quam illustrari mihi videtur.' *Perl.*—84 *Sed quis illic est, quem procul video?* Aptior versui collocatio est, quæ est in libro Bembino, et Donato, *quem video procul:* in eo vero, quod mox sequitur, *estne hic Hegio,* particulam *hic,* non habent nec Donatus, nec liber Bembinus, nec multi alii. *Fa.* Utraque lectio ad digitos respondet; sed in una est *procúl,* in altera *prócul.* Bent. *Quem video procul? estne Hegio* Bip. *Estne Hegio* Br. Z. Both. Perl. *Ille* pro *illic* Guelf. 2.—85 Unus ex Academicis *is est hercle. Vah.* Pet. *is hercle. Vah.* Hoc placet. Infra IV. 2. 39. 'Verum hercle. Vah.' *Bent.* Ita Perl. Both. Bip.—86 *Dii boni.* Hæc verba in M. junguntur versui seq. *West.*

NOTÆ

85 *Tribulis noster*] Qui ex eadem est tribu. Populus Atheniensis distributus fuit in tribus duodecim, ad mensium numerum, et rursus unaquæque tribus in triginta genera, quemadmodum vocant, ad dierum mensis numerum.

Næ illiusmodi jam nobis magna civium
Penuria 'st: homo antiqua virtute, ac fide.
Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.
Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias
Restare video! vah! vivere etiam nunc lubet.
Opperiar hominem hic, ut salutem, et colloquar.

sint, magna est egestas civium: vir antiqua virtute, ac fide præditus: non facile damnum aliquod ab illo publice eveniet. Quam vehementer gaudeo, cum etiam adhuc homines his moribus præditos superstites aspicio! Vah! Vitam agere etiam nunc jucundum est. Præstolabor hic illum, et cum eo sermonem conferam.

—87. 88 *Ne illiusmodi jam nobis magna civium Pænuriast, homo antiqua virtute ac fide.* Sic Fa. Sed omnes nostri cum vett. edd. numerosius, *magna nobis.* Repone, *Ne illiusmodi jam magna nobis civium Pænuriast, antiqua virtute ac fide.* Deleatur *homo*, quod versum onerat; et putide hic iteratur, cum altero abhinc versu præcesserit, 'Civium illiusmodi antiqua virtute ac fide.' In quibus Hegio comprehensus æque laudatur, ac si addas *homo*. Bent. Ita et Both. *Magna nobis* Br. Bip. Perl. et Delph. quæ etiam *antiqua homo.*—89 *Haud cito.* Junt. omisit, et Ald. Mss. quidam et impressi veteres, *Haud scio.* West. *Haud scito* Guelf. 1. *Aliquid* pro *quid* 3. Ita sententiam finit Br. *sit publice Quam gaudeo. Ubi.*—90. 91 *Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias Restare video: vah, vivere etiam nunc libet.* Illud *vah* et supra metrum redundat, et, cum admirantis et una indignantis sit, nullum hic locum habet. Lege et distingue, *Quam gaudeo: ubi etiam hujus generis reliquias Restare video, vivere etiam nunc lubet.* Bent. Post *video* interrogat Br. *Vah* abest Both. Bip. Omnes edd. penes nos *lubet* pro *libet*.

ACTUS III. SCENA IV.

HEGIO. GETA. DEMEA. PAMPHILA.

He. Pro Di immortales! facinus indignum, Geta.
Quid narras! Ge. Sic est factum. He. Ex illan' familia
Tam illiberale facinus est ortum? o Æschine,
Pol haud paternum istuc dedisti. De. Videlicet

He. *Proh Dii immortales! facinus infandum, Geta, quid refers?* Ge. *Sic istud commissum est.* He. *Ex illone genere tam claro tam indignum ingenua persona scelus exire potuit? O Æschine, per Pollucem haud parentum moribus conveniens istud fecisti.* De. *Scilicet de citharistriæ hujus raptione inaudivit; propterea ille, quamvis non sit propinquus genere, tamen id ægre fert: pater vero ipse Mitio hoc facinus minimi facit. Hei mihi! utinam hic præsens esset, atque Hegionem querentem audiret.* He. *Nisi hanc injuriam ex æquitate reparabunt, non sic impune habebunt.* Ge. *In te, Hegio, omnem spem nostram posuimus, nullum alium defensorem habemus, tu es Patroni loco, et parentis: ille senex pater Pamphilæ Simulus, e vita discedens, nos fidei tuæ custodiendos tradidit: si a te deserimur, perditi sumus.* He. *Ne hujusmodi verba loquaris, neque hoc faciam, neque fas esse, neque nisi cum impietate me id posse facere judico.* De. *Accedam. Hegionem salvum esse et bene valentem ex animo opto.* He. *Te ipsum invenire cupiebam: salvus sis, Demea.* De. *Quid autem est, quod me velis?* He. *Filius tuus Æschi-*

In Bip. et Both. hic est Act. III. Sc. 5.—1 *Facinus indignum, Geta: Quid narras!* Præstat hæc lectio præ illa quorundam librorum: *f. i. Geta, Quod n.* quomodo tamen citat Priscianus Instit. Grammat. lib. XVIII. *West.* Et ita habent Guelf. 2. et Hel. Bip. et Both.—5 Mss. quidam: *De ps. hic aud.* Non incommode. *West.* Non dixisset Demea *hac*, sed *istac*, ut supra dixit III. 4. 25. 'Istæc jam penes vos psaltriast?' Unus ex Meadianis *hic*, scilicet Hegio. Sed ille nongentorum annorum, *De psaltria hoc audivit.* Recte: sic Eun. III. 2. 45. 'Et illud de Rhodio.' *Bent.* Ita et Both.—6 Guy. legit: *pater id nihili pendit:* addens in glossis ineditis, *τὸ is* respuere aures Latinas; credit autem, *id* mutatum in *is*, quod præcederet, 'Id illi nunc dolet.' Sed et Donatus, et reliqui Codices tuentur *τὸ is.* Sic supra III. 2. 17. Itidem τὸ 'illum' πλεονάζει. In quibusdam libris est, *nihil pendit.* West. Vulg. *Alieno: pater is nihili p.* mendosissime: patruus Æschini Micio, non pater. *Both.* qui inde dat *Alieno, patruus n. p. Nihil pendit* Delph. Perl. cum Eug.—7 In Ms. Lips. est, *Utinam hic esset alicubi, atque hæc audiret.* West. Τὸ *prope* abest Both.—8 *Ni facient.* O. l. s. et Do. *Nisi f.* et est in prima sede proceleusmaticus. *Fa.* Et nostri omnes *Nisi.* Bent. *Afferent* Br. sed notat Bruns: 'edit. *auferent*, probante Bent. et sic nunc Ms.' *Ni faciant* Eug. *Auferrent* Guelf. 2.—10 Mss. et impressi quidam [in Addend. memorat G. et EM.] *tu pater:* alii *tu es pater.* West. *Tu pater* Br. Guelf. 1. 2. Bent. Bip. Both.—12 M. Bœnd. et duo Bœcleri: *Si d. nos tu.* Tr. *S. d. tu nos.* Sed Mss. Leidd. quinque cum editis præstantissimis, *S. d. tu.* West. Legendum monet Bent. *periimus.* Ita et dant Both. Bip. Delph.—13 *Nec f. neque me sat p. p. a.* Both. *Arbitror posse* Br. *Nec faciam* Bip.—14 Priscianus Instit. Grammat. lib. XVIII. *Gaudere H. plurimum jubeo.* West. *Gaudere Hegionem.* Sic quatuor scripti: licet Putschius ediderit, *Salvere H.* et *Salve H.* Memoriane lapsus est Magister, an verbo verbum 'gaudere' est χαίρειν? Bent.—15

De psaltria hac audivit: id illi nunc dolet
Alieno: pater is nihili pendit. Hei mihi!
Utinam hic prope adesset alicubi, atque audiret hæc!
He. Nisi facient, quæ illos æquom 'st, haud sic auferent.
Ge. In te spes omnis, Hegio, nobis sita est.
Te solum habemus: tu es patronus, tu parens:
Ille tibi moriens nos commendavit, senex.
Si deseris tu, perimus. He. Cave dixeris.
Neque faciam, neque me satis pie posse arbitror.
De. Adibo. Salvere Hegionem plurimum
Jubeo. He. Te quærebam ipsum. Salve, Demea.
De. Quid autem? He. Major filius tuus Æschinus,

Quem fratri adoptandum dedisti, neque boni
Neque liberalis functus officium est viri.
DE. Quid istuc? HE. Nostrum amicum noras Simulum,
Atque æqualem? DE. Quidni? HE. Filiam ejus virginem
Vitiavit. DE. Hem! HE. Mane; nondum audisti, Demea,
Quod est gravissimum. DE. An quid est etiam amplius?
HE. Vero amplius; nam hoc quidem ferundum aliquo modo 'st:
Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia:
Humanum 'st. Ubi scit factum, ad matrem virginis
Venit ipsus ultro, lacrumans, orans, obsecrans,
Fidem dans, jurans se illam ducturum domum.
Ignotum 'st; tacitum 'st; creditum 'st. Virgo ex eo
Compressu gravida facta est: mensis hic decimus est.
Ille bonus vir nobis psaltriam, si Dis placet,

nus. major natu, neque probo neque ingenuo viro rem dignam egit. DE. *Quid istud est?* HE. *Amicus noster Simulus notus fuit tibi, qui eadem ætate erat nobiscum?* DE. *Quare mihi notus non fuerit?* HE. *Filiam ejus violavit Æschinus.* DE. *Hem!* HE. *Audi, nondum tibi renuntiavi, Demea, illud, quod est deterrimum.* DE. *An quicquam est etiam deterius?* HE. *An deterius etiam aliquid sit? nam hoc quidem aliqua ratione excusari potest; impulit eum ad hoc facinus nox, amor, vinum, adolescentia: hoc peccatum in hominem cadere potest. Ubi vidit se id fecisse, matrem virginis Sostratam adit sponte, flens, supplicans, deprecans, promittens, juramento se obligans illam in uxorem ducturum; parcitum est, silentio facinus tectum est, fides illi habita est. Virgo sic per vim stuprata ex hoc concubitu gravidata est: jam mensem decimum uterum gestat. Ille bonus vir nobis fidicinam,*

Melior lectio quorundam codicum: *Oh! te q. ipsum.* Sic And. III. 3. 1. *West.* Ita et habent Bent. Bip. Both. Perl. Delph.—17 Pro *dedisti* legit Both. *abdedisti.*—18 Ms. Par. et vet. cod. ap. Lind. *officio.* Al. collocant *functus est officium.*—19 Bodl. G. et unus Bœcleri: Q. *istuc est?* Alii Q. *istuc rei est?* West. Q. *istuc est?* Br. Bent. Bip. Z. Perl.—20 Illud *Atque* Bent. Bip. superiori vs. apponunt. Both. legit *Simulum et Æqualem?*—22 *An quid.* Ita præstantissimi libri. In aliis quibusdam, ut G. et EM. *An quicquam.* West. Nostri *quicquam,* non *quid.* Utrumvis recte; sed hoc magis. *Bent.* *Quicquam* Br. Z.—23 M. *Vero amplius est.*—25 Τὰ *Humanum est* in Br. versui superiori apponuntur. ' *Ubi scit factum.* Libri quidam: *ubi sit factum.* Unde Fabrini ita legens vertit: *subito che fu fatto questo.* Alii: *ubi sic factum.* Maxima tamen Mss. et impressorum pars cum Donato: *Ubi scit factum.* Sic Virg. Æn. v. 788. ' Causas tanti sciat illa furoris.' ' *West.* *Ubi sit* Guelf. 1. *Ubi istud f.* Both.—29 *Mensis hic decimus est.* Etsi sic citet Lactantius ad Statii Thebaidem I. ' Mensis hic decimus est,' tolle tamen *hic,* quod et versus respuit, nec sensus desiderat. *Bent.* *Hic* expungunt quoque Both.

Paravit, quicum vivat; illam deserat.
DE. Pro certon' tu istæc dicis? HE. Mater virginis
In medio 'st; ipsa virgo; res ipsa: hic Geta
Præterea, ut captus est servorum, non malus,
Neque iners, alit illas: solus omnem familiam
Sustentat: hunc abduce, vinci; quære rem.
GE. Immo hercle extorque, nisi ita factum 'st, Demea.
Postremo non negabit: coram ipsum cedo.
DE. Pudet; nec, quid agam, neque quid huic respondeam,
Scio. PAM. Miseram me! differor doloribus.
Juno Lucina, fer opem! serva me, obsecro! HE. Hem!

si ita Diis visum est, quæsivit, cum qua consuetudinem habeat, derelicta Pamphila. DE. *Hæcne certa sunt, quæ dicis?* HE. *Sostrata, mater virginis, in medium proditura est, ut id probet, ipsa virgo Pamphila, ipsa virginis graviditas: hic præterea Geta, servus frugi, pro conditione et statu servili, et solers, alimenta illis subministrat, solus toti domui victum præbet: abducito, vinculis astringito, facinus quærito.* GE. *Quinetiam tormentis exquire, et suppliciis crucia, nisi ita factum est, Demea, postremo non inficiabitur ipse Æschinus; hunc nobis hic præsentem statue.* DE. *Pudore suffundor, neque quid faciam, neque quod responsum ei dem invenio.* PA. *O me infelicem! discindor doloribus. Juno Lucina fer mihi auxilium parturienti, salvam me præsta, te precor.* HE. *Hem! anne Pamphila,*

Bip. *Compressum* Guelf. 3.—30 Br. ordinat *nobis si diis placet psaltriam.* Τὸ *Ille* abest Both.—31 Mss. quidam *hanc deserat.* Fa. e cod. Bembino laudat *deserit.* West. Sine dubio rectius *deserit;* licet omnes nostri *deserat.* Itaque et in textum admisi, quod Fa. facere neglexit. *Bent.* *Deserit* Both. Perl. —33 Τὸ *hic* abest Perl.—34 Mss. et editi quidam vetusti legunt *servolorum.* Sed *servorum* esse in omnibus libris Prisciani, testis est F. F. *West.* *Servulorum, non malus.* Dictioni *servulorum* versus repugnat: *servorum* admittit: ut in Bem. est, itemque Donato, hos Afranii versus citante: ' Is, ut servorum captus est, facillime Domo atque nostra familia proventitur.' *Fa.* *Captus est servorum, non malus.* Sic dedit nobis e Bembino Fa. et Bembino olim Corrector aliquis. Nostri omnes *servulorum,* contra metrum: reposuit itaque *servorum.* Immo sic reponendum erat: *P. ut captus servolorum est, non malus.* Et tamen Priscianus p. 729. *est servorum:* ut vetustus quoque ibi codex. *Bent.* *Captus servulorum est* Both. Perl. *Captus est servulorum* Br. —35 *Neque iners ad illas, solus qui omnem familiam* Both. ' Ms. R. *alit illam.*' Lind. Sic distinguit Br. *alit illas solus, omnem f.* Perl. sic: *alit illas, s. o. f.* —37 Hic vs. et seq. in Ms. Lips. etiam Hegioni tribuuntur. *West.* Ita et in Br. ubi notat Bruns: ' *Immo* et quæ sequuntur verba, edit. tribuit Getæ. Sed num probabile est, Getam de se dicturum esse, se postremo non negaturum esse? Aptius hæc ab Hegione prolata dicuntur.'—38 M. cum edd. Juntarum, Aldi, R. Stephani, *coram ipso cedo.* Sed et ita Fabrini. Præstat autem lectio codicis Bem. et plusculorum Mss. quam exhibeo. *West.* Veterrimus ex nostris *ipsum:* ceteri *ipso.* Bent. Br. et Er. *ipso.*—39 *Nec* pro *neque* Br. Guelf. 2.—40 *Miseram me!* Ante hæc verba plerique codices veteres legunt INTUS. Alii PAMPHILA CLAMAT INTUS. Utrumque a Librariis est, non a Poëta. Sic And. III. 1. 15. *West.* INTUS Br. In Guelf. 2. G. INTUS CLAMAT PAMPHILA: et incipit ab hoc versu nova Scena. Pro *differor*

Numnam illa, quæso, parturit? GE. Certe, Hegio. HE.
Hem!
Illæc fidem nunc vostram implorat, Demea:
Quod vos jus cogit, id voluntate impetret.
Hæc primum ut fiant, Deos quæso, ut vobis decet:
Sin aliter animus voster est, ego, Demea,
Summa vi defendam hanc, atque illum mortuum.
Mihi cognatus erat: una a pueris parvolis
Sumus educati; una semper militiæ et domi
Fuimus; paupertatem una pertulimus gravem.
Quapropter enitar, faciam, experiar: denique
Animam relinquam potius, quam illas deseram.
Quid mihi respondes? DE. Fratrem conveniam, Hegio:

quæso, in pariendo laborat? GE. *Sic sane est, Hegio.* HE. *Hem! illa auxilium vestrum plorans invocat, Demea: quod jure exigere potest, a volentibus id exoret. Hæc primum Deos precor ut faciatis, quemadmodum vos decet: sin aliter animati estis, summo conatu eam propugnabo, atque illum patrem ejus defunctum. Is mihi cognatione conjunctus erat, una a pueris educati sumus, una semper in bello et pace socii fuimus, inopiam una perpessi sumus, onerosam valde, et acerbam: quapropter contendam, laborabo, tentabo omnia, denique vitam potius amittam, quam illas indefensas solas relinquam. Quid responsi mihi das?* DE. *Fratrem meum Mitionem*

Gnelf. 1. *deferor.*—42 Vet. cod. ap. Lind. *Certe parturit.*—44 Ex scriptura Mss. vix internoscere queas, *jus* scripserit Poëta, an *vis*, ob exiguam differentiam. Et possit Do. videri legisse *vis*, quia interpretaturus dicit, 'Vis igitur legum intelligitur.' Neque enim 'jus legum' commode dicitur. Sed et testatur Gabriel Faërnus, in Cod. Bem. ascriptum fuisse, 'Vis, necessitas legum.' Si vero *jus* scripsit Terentius, intelligitur vis justitiæ. *West. Id voluntate.* Guy. e tribus Mss. τὸ *ut* inserit; quod et mihi repertum: quando legendum: *id ut v. i.* Idem. Utrum *jus* an *vis* scriptum fuerit, in vetustissimis membranis vix possis dignoscere: *vis* tamen hic legendum; ut ex obliquis casibus, ubi magna differentia est, facile probes. *Bent. Vis* dant Br. Z. Perl. et probat Ruhnken. *Jus* defendunt Both. Bip. *Ut* post *id* Guelf. 2.—45 G. *ut nos decet.* R. *ut vos decet.*—47 Al. *hanc defendam.* Bent. legit *defendam has.*—48 *Una a pueris parvolis Sumus educati.* Defendit hanc lect. Fa. ex Bem. et Mss. aliis, addens, in nullo Ms. legi, *educti.* Sed et R. Stephanus edidit *educati*, et dudum ante eum alii. 'Educere' tamen Terentio frequentius, quam 'educare.' In Ms. Lips. est *a puero parvoli.* West. *Una a pueris parvoli.* Liber Bembinus, *parvolis:* alios quoque libros vidi, in quibus prius ita erat, sed deinde ex ea voce *s* abrasum fuit. *Fa.* Tres ex nostris præcipui *parvolis:* ceteri inepte *parvuli.* Quomodo enim a pueris parvuli educantur, cum parvuli etiam pueris natu sint minores? *Bent. Erat* abest Guelf. 1. *Parvoli* dat Delph.—49 *Sumus educati*] Vix stare hic versus potest, nisi legas, *educti:* quod tamen in nullo l. s. est. *Fa.* Nostri quoque *educati.* Sed miror Faërnum plus Librariis, quam versus legi et ipsi Auctori tribuisse, qui illud non in textum asciverit. *Bent. Educti* Both. Bip. Delph. —51 Omnes edd. penes nos *nitar.* Guelf. 3. *deinde* non *denique.*—52 Alias *illam.* Er.—53, 54 Hunc versum ex Phormione, II. 4. 21. huc insertum qui-

Is, quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar.
HE. Sed, Demea, hoc tu facito: cum animo cogites,
Quam vos facillime agitis; quam estis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles;
Tam maxume vos æquo animo æqua noscere
Oportet, si vos voltis perhiberi probos.
DE. Redito: fient, quæ fieri æquum 'st, omnia.
HE. Decet te facere. Geta, duc me intro ad Sostratam.
DE. Non me indicente hæc fiunt. Utinam hoc sit modo
Defunctum! verum nimia illæc licentia

adibo, Hegio; quod is mihi de hac re suaserit, id faciam. HE. *Sed tu, Demea, hæc apud te considera: quanto majores vobis sunt facultates, quanto potentiores, locupletiores, feliciores, nobiliores estis, tanto libentiori animo vos æquitati obsequi par est, si vos honestos æstimari vultis.* DE. *Redi; omnia ex æquitate observabuntur.* HE. *Hoc te facere convenit, Geta: duc me intro ad Sostratam.* DE. *Non hæc fiunt, quin ante denuntiaverim. Utinam, hoc facinore Æschinus finem flagitiis suis im-*

dam post Muretum crediderunt. Et sane parum commode hoc loco legi videtur, cum de Æschini rebus nihil faceret Demea ex consilio Micionis, qui corrumpi eum sinebat, invito Demea, suum jam esse factum jure adoptionis dicens Æschinum. Porro Demea in fine hujus Scenæ ita stomachatur in fratrem, ut eum minime consulturus videatur. Sed neque Donatus versum hunc hic legisse videtur, quia nihil ad eum notavit. Igiturne delendus, quamvis tot Mss. et impressi antiqui eum exhibent? ἐπέχω. Illa autem, *id sequar*, in Mss. quibusdam, editisque leguntur, *id exequar.* West. *Consilium, id exequar.* Omnes libri antiqui, et plerique alii ex recentibus, *id sequar:* sane in Bembino totus hic versus deerat, sed qui eum in margine ascripsit, scripsit *exequar.* Fa. Plerique etiam nostri *id sequar.* Bent. *Conveniam, Hegio.* Absurde vulg. assuit versum a librario quodam ex Ph. III. 3. (al. II. 3. 4.) 21. *Id quod, &c.* quem uti Mur. h. l. alienum pridem sapienter monuit, ita nec agnoscit cod. Bem. a prima manu, nec Do. legisse videtur. Ceteri Mss. habent; unde apparet, quam sit unus Bem. illis omnibus præstantior. Nos expungere omnino non dubitamus. *Bip.* Expungendum quoque monet Both. *Exequar* Hel. Guelf. 2. *Id* pro *Is* 3.—55 G. F. *facito dum animo c.* legit. In Mss. et impressis quibusdam est, *tecum animo c.* West. *Tecum animo cogites.* Lectio libri Bembini, Victoriani, Basilicani, *cum animo cogites*, sanat hunc versum. *Fa.* Veterrimus noster *cum animo;* reliqui *tecum animo.* Vel legendum est, *facito, cum animo cogites*, vel *facito dum animo cogites*, vel *facito, tecum cogites.* Pari omnia sensu et usu: sed postremum placet: sic infra v. 3. 22. 'Quæso hoc facito tecum cogites.' *Bent. Tecum* Guelf. 1. —56 Al. *estis maxumi.*—57 Guelf. 2. *divites.* 1. 3. *et nobiles.*—60 Legendum monet Bent. *fieri quæ.* Ita et dat Perl. Bothius legit *quæ æquum fieri est.* —61 *Intro* abest Br.—62 Solicitatur τὸ *indicente* quasi minus Latinum. G. F. 'Observa, 'me indicente,' hoc est, me non dicente; quod an alibi lectum sit, nescio.' Guyeto durum visum est, mutanti in *inticente*, multo durius. *West. Fient* Bem. sed alii omnes *fiunt:* et ut videtur, etiam Do. *Fa.* Nostri omnes *fiunt.* De *indicente* vide Gronov. ad Livii XXII. 39. *Bent. Utinam hoc sit modo.* Duo antiqui libri Bem. et Vi. *utinam hic* habent. *Fa.*—63 In qui-

Profecto evadet in aliquod magnum malum.
Ibo, ac requiram fratrem, ut in eum hæc evomam.

posuerit: ut nimia illa non modo libertas, sed licentia, certe progreditur eo usque, ut magnam perniciem afferat. Abeo, ut fratrem conveniam, et hæc in eum tædia exonerem.

busdam codd. est, *nimis illæc l.* West. *Hæc* pro *illæc* Guelf. 2.—65 Mss. et editi quidam *exquiram.* West. *Ibo et req.* Br. *Ibo requiram* Both. Bip. Delph.

ACTUS III. SCENA V.

HEGIO.

Bono animo fac sis, Sostrata; et istam, quod potes,
Fac consolere. Ego Micionem, si apud forum 'st,
Conveniam; atque, ut res gesta est, narrabo ordine.
Si est, facturus ut sit officium suum,
Faciat: sin aliter de hac re est ejus sententia,
Respondeat mihi; ut, quid agam, quamprimum sciam.

Sostrata, fac ut bonum animum habeas, et istam filiam tuam Pamphilam fac consolatione recrees; ego Mitionem, si apud forum est, adibo, et eum certiorem faciam, quemadmodum res acta sit, ut is officium suum faciat, si ita ejus fert voluntas: sin aliter animo affectus est, sententiam suam mihi aperiat, ut quid agere debeam, quamprimum constituam.

In Bip. Act. III. Sc. 6. Scenam hanc genuinam esse, evincunt, præter Donati auctoritatem, qui in quibusdam tantum non ferri hos sex versus asserit, non in omnibus, etiam locutiones Terentio dignissimæ. Porro autem Hegio, qui paulo ante a Geta intro ad Sostratam erat ductus, infra IV. 3. non poterat rursus prodire in Scenam, nisi ante rursus egressus esset ex ædibus Sostratæ. Nec audiendus Guyetus, spurios hos sex versus vocans, quia scilicet Hegio alloqui non possit Sostratam, quæ nec in hac Scena, nec in præcedenti compareat. Optime enim Eug. 'Senex ingressus domum, vidit parturientem puellam, ejus matrem consolatur, promittens se conventurum Micionem, Æschini patrem, et coacturum, ut vitiatam ducat uxorem ille, qui vitiavit.' Cohæret autem hæc Scena superiori in Ms. Lips. et EP. Junt. et Ald. *West.* Ita et cohæret in GM. Both.—1 J. *quoad.* al. *quam* pro *quod.* Perl. —2 *Consolare* Guelf. 1. *Fac* abest Br.—4 Male in EA. Junt. Ald. et Lindenbrogii distinguitur, *Si est facturus, ut sit officium suum.* West. *Si* hic sine synalœpha est; contra morem et artem. Lege, *Si ita est.* Vel sic etiam poteris, *Sive est*, et *Sive aliter.* Bent. Both. legit *ut suum f. officium siet.*—6 *Mi* pro *mihi* Bent. Both. Bip. Perl. Delph.

ACTUS IV. SCENA I.

CTESIPHO. SYRUS.

Ct. Ain', patrem hinc abisse rus? Sy. Jamdudum. Ct. Dic sodes. Sy. Apud
Villam est: nunc cum maxume operis aliquid facere credo. Ct. Utinam quidem,
Quod cum salute ejus fiat, ita se defatigarit, velim,
Ut triduo hoc perpetuo prorsum e lecto nequeat surgere.
Sy. Ita fiat! et istoc, si quid potis est, rectius. Ct. Ita; nam hunc diem

Ct. *Certone dicis patrem meum Demeam ad villam hinc profectum esse?* Sy. *Jampridem profectus est.* Ct. *Age, quæso, dic mihi.* Sy. *Apud villam est. Nunc eum maxime in colendo agro occupari puto.* Ct. *Utinam sane ita labore delassetur, (quod sine detrimento valetudinis ejus fiat,) ut tribus diebus perpetuo somno in cubili detineatur, neque expergefieri possit.* Sy. *Ita fiat, atque etiam longiori tempore, si hoc tibi commodius est.* Ct. *Ita nam hunc diem continuum in volup-*

1 Mss. quidam, *Ain' tu:* quod laudat Guy. ex duodecim Mss. Codicibus; quare et suæ editioni ascripsit: quo motus forte Bœcl. ita edidit. In vetustioribus agnoscunt EA. ET. EV. 1. 2. Omittunt Juntæ, Aldus, St. Fabrini, Heinsius, Dac. cum ed. Pict. ex recensione Phil. Melanchthonis, Davent. Basiliensi, anni 1548. aliis, post EP. *West. Ain patrem hinc abiisse rus? Jamdudum. Dic sodes. Apud villam est*] Versus hic est trochaicus tetram. acatalect. *Fa.* Verba 'Villam est' collocant in fine hujus versus Bent. Z. Both. Perl. *Ain tu* Guelf. 2. 3. *Abiisse* Delph. Bip.—2 *Cum maxime*] Mire variant Mss. et impressi, exhibentes, *cum maxime, hunc maxime, autem maxime, eum maxime.* Guy. probat, *Nunc eum cum maxime.* West. *Nunc eum maxume*] Legendum, *Nunc cum maxume*, ut in Bem. et V. est. Donatus, in hac parte corruptus, nec *eum*, nec *cum*, sed *autem* habet. *Fa.* Recte *cum maxume.* Nostri *eum*, vel *autem*, vel nihil omnino. *Bent.* *Aut*, non *cum* Guelf. 1. *Autem* post 'Nunc,' omisso *cum* 3. *Perl.* *Eum* pro *cum* Br. Delph.—3 Pr. Inst. Gram. lib. XV. *defatigaret.* *Velim* πλεονάζει post 'Utinam.' Quod non animadvertens Donatus, binas sententias fecit. Ita: *Utinam quidem:* sub. *apud villam sit.* Mox de integro: *Quod cum, &c.* Incommode. *West.* *Defatigari* Guelf. 2. *Nesciat* pro *nequeat* 1. *Perl.* *Utinam quidem!*] Intell. id sit. Al. vero 'Utinam' conjungunt cum 'velim,' et hoc πλεονάζειν volunt, quod absque exemplo est. Nos cum Do. facimus. *Bip.* *Defatigare*] Sic Br. Correct. in *defetigarit:* et sic est in edit. *Bruns.* Sic est in Z. Bent. Both. *E lecto prorsus* Delph. *Prorsus* et Br.—5 *Ut* ante 'hunc' Guelf. 2.—6 Mss. et impressi

NOTÆ

5 *Et istoc, si quid potis est, rectius*] Servus improbus non lassitudinem, sed mortem Demeæ precatur; duram quietem et somnum ferreum, ut Virgilius ait; 'Olli dura quies oculos et ferreus urget Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.'

Misere nimis cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitia degere:
Et illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope 'st:
Quod si abesset longius,
Prius nox oppressisset illic, quam huc revorti posset iterum.
Nunc ubi me illic non videbit, jam huc recurret, sat scio.
Rogitabit me, ubi fuerim; quem ego hodie toto non vidi die.

tate et gaudio insumere vehementer desidero: et rus illud non ob aliam causam mihi valde odiosum est, quam quod urbi propius est: quod si esset remotius, prius nox patrem in itinere invaderet, quam huc iterum remeare posset. Nunc ubi ille me in villa non reperiet, jam properabit huc reverti, probe scio. Quæret a me ubi moratus fuerim, cum a me toto hoc die visus non fuerit. Quid excusationis affe-

quidam exhibent, *Misere cupio;* omisso, *nimis.* Alii, *Mi Syre, cupio.* Sed *Misere nimis* firmatur a Donato. *West.* *Misere nimis cupio*] Nostri fere omnes *Misere cupio,* nec agnoscunt illud *nimis.* Unus tamen ex Regiis *Nimis misere cupio.* Rectissime: et inde est, quod in ceteris desit *Nimis.* Quippe inter *diem* et *misere* absorptum est *Nimis* (*Diemmisere*). Bent. In R. *nimis* deest. *Lind.* Vulg. *Misere nimis.* Ex qua lect. equid. suspicor venisse, ut illa oriretur quam Pall. habent, *Mi Syre nimis.* Perl. *Nimis* omitt. Br. *Nimis misere* Both. Perl. *Ut cœpi, cupio* Bip.—7. 8 Mss. et editi quidam, *nisi quia tam prope 'st.* West. *Tam* post 'quia' Guelf. 2. *Perl.* Alii versui 7. præter metrum addunt *prope est:* quod cum Er. sequenti præmittimus. *Bip.* Hunc versum et sequentem ita ordinatos habet Bembinus, *Et illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope'st. Quod si abesset longius.* Fa. Hos vss. sic Both. dat:

Et illud rus n. a. c. ita male odi,
Nisi quia prope est. Quodsi longius abesset,
Nox prius, &c.

—9 *Quam huc reverti posset iterum*] Finis est versus trochaici tetrametri acatalectici. Puto tamen eum corruptum, et pro *posset* legendum esse *possiet.* Dictionem vero *iterum* delendam, eo magis quod in Bem. non omnino legitur, *posset iterum,* sed *posse iterum:* in quodam vero alio libro, *posset iter:* quod non ita multum distat a *possiet:* ita versus esset octonarius Iambicus, ut ceteri. *Fa.* Πλεονάζει τὸ 'iterum.' Quanto minus ferendum illud Guyeti, *revorti posseret,* et Faërni *possiet,* deleto *iterum.* Ut tamen sit Trochaicus octonarius catalecticus, Faber legit: *Priu' nox oppressisset illic, quam huc posset revortier.* West. *Longius, prius Nox, &c.*] Vulg. *prius* versui 9. præmittitur, qui sic totus aberrat a metro: cui ut mederemur, porro fecimus *revortier* quam *revorti.* Sic non opus vi, quam alii inferunt. *Bip.*—10 *Viderit* Ms. Lips. *West.* *Illuc* Guelf. 3.—11 Quidam Mss. et editi veteres, *Rogabit.* Guyetus vero et *me* et *ego* in hoc versu duo glossemata vocat ἐν ἀνεκδότοις. *West.* *Rogabit me ubi fuerim*] Bem. *Rogitabit:* quod instantius est. *Fa.* *Rogitabit ubi fuerim*] Nostri omnes cum Edd. vett. *Rogabit me, ubi fuerim.* Recte. 'Ubi' accentum hic habet in syllaba priore. Ergo *Ubi fue* proceleusmaticus est, Dactyli tempus habens; et irato apprime convenit rapide loqui. *Bent.*

Quid dicam? Sy. Nihilne in mentem? Ct. Nunquam quicquam. Sy. Tanto nequior.
Cliens, amicus, hospes, nemo 'st vobis? Ct. Sunt: quid postea?
Sy. Hisce opera ut data sit. Ct. Quæ non data sit? non potest fieri. Sy. Potest.
Ct. Interdiu: sed, si hic pernocto, causæ quid dicam, Syræ?
Sy. Vah! quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari.
Quin tu otiosus es: ego illius sensum pulchre calleo.
Cum fervit maxume, tam placidum, quam ovem reddo. Ct. Quo modo?

ram? Sy. *Nihilne in mentem tibi venit, quo te excuses?* Ct. *Nihil quicquam.* Sy. *Tanto pejori loco es. Clientem, amicum, hospitem neminem vos habetis?* Ct. *Habemus quidem; sed quid hoc juvabit?* Sy. *Dices illis officium te præstitisse in eorum rebus.* Ct. *Quod præstatum minime fuerit? Non potest fieri, ut id factum esse pater credat.* Sy. *Potest fieri.* Ct. *Potest quidem per diem; sed si hic totam noctem transigo, quid respondere potero, Syre?* Sy. *Vah! utinam etiam per noctem consuetudo esset officium amicis suis præstare. Age securo sis animo: ego ejus mentis conceptus callide scio. Cum vehementer ira exardet, tam mansue-*

Rogabit Br. Perl. *Hodie* delet Both.—12 Codices alii, *Nihilne in mentem est?* Alii, *Nihilne in mente est?* Bœnd. *nequior es.* West. *Nihilne in mente est* G. ET. EM. *Id. in Add.* *Nihilne in mente est*] Ita aliqui libri, sed plerique, inter quos Bembinus, *Nihilne in mentem est?* Ego ex infra scriptis verbis Donati conjicio legendum sine verbo *est: Nihilne in mentem?* ut subaudiatur 'venit:' dicit enim super eo versu: '*Hisce opera ut data sit*] A superiore subauditur, veniat in mentem.' Hæc Donatus. Non posset autem subaudiri, veniat, nisi supra esset, aut in voce, aut in sensu. *Fa.* Vera est lectio *Nihilne in mentem est?* atque ita noster ille 900. annorum: ceteri *in mente est.* Porro lege *Nusquam quicquam.* Bent. Ex eo, quod Do. notavit, omittendum *est* videtur. *Nequior es* Guelf. 2. *Perl.* *Nihilne in mentem*] Sic Do. legisse videtur. Sed Bem. *in mentem est:* quod Plautinum. *Bip.* *N. in mente est* Br. *Est* addit et Z. *Nusquam* dat Both.—14 Bœnd. *Hisce opera dic ut data sit.* West. *Dic* post verba 'ut d. s.' in Guelf. 3. *Perl.* Non interrogat Br. ante 'non.'—16 *Ut etiam* M. *West.* *Ut* post 'vell.' omisso *etiam* Guelf. 3. *Vell. ut etiam* 1. *Perl.*—18 Pr. Inst. Gram. lib. IX. *quasi ovem.* Codices quidam scripti et impressi, [numerat in Addendis G. ET. EM.] *fervet.* Sed idem verbum etiam tertia conjugatione extulerunt Veteres. *West.* Pr. ita citat: *Cum maxume fervit, tam placidum quasi ovem reddo.* Est autem antiqua locutio, post 'tam' inferre 'quasi.' *Fa.* Pr. p. 866. ubi et codex vetus *quasi ovem.* Quod autem ait 'tam—quasi' antiquam locutionem esse; voluit credo illud Plauti Curc. I. 51. 'Tam a me pudicast, quasi soror mea sit.' Ubi codex tamen Regius *quam si.* Lege, *Tam a me pudicast, quam si soror mi sit.* Siquis igitur illud *quasi* a Pr. accipiat, non *tam* hic legat, sed *tum: Cum fervit maxume, tum placidum quasi ovem reddo.* Illud enim observandum, *redde*

SY. Laudarier te audit libenter: facio te apud illum Deum:
Virtutes narro. CT. Meas? SY. Tuas: homini illico lacrymæ cadunt,
Quasi puero, gaudio: hem tibi autem! CT. Quidnam est? SY. Lupus in Fabula.
CT. Pater est? SY. Ipsus est. CT. Syre, quid agimus? SY. Fuge modo intro: ego videro.
CT. Si quid rogabit, nusquam tu me: audistin'? SY. Potin' ut desinas?

tum, quam ovem facio. CT. *Quo pacto?* SY. *Te laudando; nam hoc illi valde placet: apud illum te ut Deum laudibus celebro: virtutes tuas prædico.* CT. *Measne?* SY. *Tuas: illi lacrymæ ex oculis fluunt præ gaudio, sicut puero. Hem tibi autem adest ille.* CT. *Quidnam est?* SY. *Lupus in fabula.* CT. *An pater est?* SY. *Ipse est.* CT. *Syre, quid mox nobis agendum?* SY. *Festina intro ædes ire: ego cogitabo quid facto opus sit.* CT. *Si quid a te quærat, nusquam tu me vidisse respondeas; audivistine?* SY. *Potesne desinere loqui?*

tam placidum; cum *reddo* dicis, nec *quam ovem,* nec *quasi ovem* possis dicere; subaudiretur enim, quasi ovem reddam. Atqui ovis non *redditur* placida, non ex fera cicuratur, mansuefit; sed natura et indole est placida. Repone: *Cum fervit maxume, tam placidum, quam ovis est, reddo.* Bent. Nihil mutandum: nam elliptica scribendi ratio est; ubi supplendum 'quam ovem esse constat.' *R. D.* GM. [et Br.] *fervet.* *Quasi* pro *quam* Guelf. 3. Bentleio assentio: nisi forte existimamus Poëtam paululum indulsisse aurium judicio. Attamen ingeniosi viri causam Terentius ipse infra v. 3. 63. agere videtur. *Perl.* *Oleum* pro *ovem* legit Both.—20 *Measne* Bent. et Perl. qui notat *Meas* esse in Guelf. 3.—21 *Præ gaudio* quidam Mss. *West.* Absunt *Quasi pu.* a Guelf. 1. *Præ gaudio* dant Guelf. 1. 3. *Em* Br. Bent.—22 Alii: *Paterne? Ipsu 'st.* Guyetus præfert, *Pater adest? Ipsus.* Ms. Lips. *Quid agam?* West. *Pater adest* G. EM. *Paterne* ET. *Id. in Add.* *Pater est? Ipsus. Syre.* Tres ex nostris *Paterne est? Ipsus.* Lege, *Paterne? Is ipsus.* Bent. *Paterne* Guelf. 2. 3. *Perl.* Ed. nostra vetus Arg. *Paterne.* *Ipsus.* Bene inserit Bent. *Is ipsus:* quod et metrum poscit. Al. minus bene *Pater est? Ipsu' est.* Al. pejus: *Pater adest? Ipsus.* Bip. Bentleium sequuntur Bip. Both.—23 Mss. et impressi quidam: *Potin' es, ut desinas?* West.

NOTÆ

21 *Lupus in Fabula*] Adagium, quo utimur, quoties supervenit ille, de quo loquimur, et nobis sua præsentia detrahit facultatem loquendi. Sic Plautus in Sticho, act. IV. scen. 1. 'Atque eccum tibi lupum in sermone!' 'Sermo' pro familiari colloquio illic sumitur. Eadem est vis verbi 'Fabula:' unde fabulari, quod et elegans, et Veteribus olim pervulgatum, hodie vix notum in eo significatu. Credebatur luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad præsens, ut tradit Plinius lib. VIII. cap. 22. Virgilius etiam id confirmat, Eclog. IX. 'Nunc oblita mihi tot carmina, vox quoque Mœrin Jam fugit ipsa: lupi Mœrin videre priores.'

ACTUS IV. SCENA II.

DEMEA. CTESIPHO. SYRUS.

DE. NÆ, ego homo sum infelix! primum fratrem nusquam invenio gentium:
Præterea autem, dum illum quæro, a villa mercenarium
Vidi: is filium negat esse ruri: nec, quid agam, scio.
CT. Syre. SY. Quid ais? CT. Men' quærit? SY. Verum. CT. Perii! SY. Quin tu animo bono es.
DE. Quid hoc, malum! infelicitatis? nequeo satis decernere;
Nisi me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis.
Primus sentio mala nostra; primus rescisco omnia;
Primus porro obnuntio: ægre solus, si quid fit, fero.

DE. *Profecto sum infortunatus: primum fratrem Mitionem nullo loco reperio: etiam, dum illum quærito, mercenarium, qui mercede conductus in villa operatur, vidi: is Ctesiphonem rure abesse ait; nec quid agere debeam, novi.* CT. *Syre.* SY. *Quid dicis?* CT. *Mene petit?* SY. *Petit.* CT. *Perditus sum.* SY. *Age, forti animo esto.* DE. *Quænam hæc est, o rem malam! infelicitas? cum nihil certi constituere possim, nisi quod a natura comparatus sum ad tolerandum adversitates: primus infortunia et damna nostra patior: primus, omnium subito certior fio: primus si quid adversi imminet, nuntio: solus dolorem, si quid contingit, sentio.* SY.

1 Mss. quidam et impressi veteres post EP. *egomet homo.* West. Versus est justo longior. Duo ex nostris non habent *homo.* Malim tamen *sum* ejicere. *Bent.* At formula 'homo sum' Terentii est, quæ adimi non debet. *Perl.* Versus justo longior est: eoque rejecit Bent. τὸ *sum,* quod retinendum videtur. *Homo* in Mss. et edd. priscis locum mutat: hoc aliunde ingestum potius absit. *Bip.* *Sum* delet Both. Interrogat Br. post 'infelix.'—2 Quidam Mss. et impressi codd. *a v. redeuntem merc.* West. *A. v. m.*] Par. ms. *redeuntem,* mire. *Perl.*—3 Charisius lib. I. *rure* legit. *West.* *Vidi; negat is filium esse ruri* Both. et Perl. qui monet in Guelf. 2. esse quod legimus.—4 Bona pars Mss. et impressorum Codicum, atque in illis EP. *Quid agis?* Quidam rectius, *Quid est?* West. Bembinus liber, et omnes fere alii, *Quid est?* Fa. Unus tantum ex nostris *est,* ceteri *ais, agis.* Porro lege ex tribus nostris, *bono animo es.* Bent. *Quid est* prisca ed. nostra. Vulg. *quid ais?* Nihil vero narravit. *Bip.* *Agis* Br. *Est* Z. Bip. Both. et Perl. qui dat *bono animo.*—5 *Sat* Both. —6 Abest *credo* a Guelf. 2. *Re* Both. legit.—7 *Nostra, primus rescisco, omnia* Both. *Nostra, pr. rescisco omnia* Perl.—8 *Pr. porto, enuntio* Pall. *West.* Par.

NOTÆ

5 *Quid hoc, malum! infelicitatis*] Hic 'o malum,' 'malum' pro interjectione positum,

SY. Rideo hunc: primum ait se scire: is solus nescit omnia.
DE. Nunc redeo: si forte frater redierit, viso. CT. Syre,
Obsecro, vide, ne ille huc prorsus se irruat. SY. Etiam taces?
Ego cavebo. CT. Nunquam hercle hodie ego istuc committam tibi;
Nam me jam in cellam aliquam cum illa concludam: id tutissimum 'st.
SY. Age, tamen ego hunc amovebo. DE. Sed eccum sceleratum Syrum!
SY. Non, hercle, hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest.
Scire equidem volo, quot mihi sint domini: quæ hæc est miseria?
DE. Quid ille gannit? quid volt? quid ais, bone vir? est frater domi?

Hunc hominem ridiculo habeo: affirmat se scire primum, cum solus omnia ignoret. Nunc revertor visurus si frater forte reversus fuerit. CT. *Syre, cave, precor, ne pater huc recta prorsus cum impetu se inferat.* SY. *Taceas, ego cavebo.* CT. *Per Herculem minime hodie hanc rem administrandam tibi mandabo: nam jam me in cella aliqua, cum illa puella conclusum occultabo: id tutissimum est.* SY. *Fac ut videtur, tamen hunc amoliar.* DE. *Sed ecce flagitiosum Syrum.* SY. *Per Herculem nullus quisquam hic permanere, si ita consuefit agi, diutius potest. Certe volo certior fieri, quot dominos habeo: quæ est hæc infelicitas?* DE. *Quid ille ganniens dicit? quid garrit? quid tibi est, bone vir? estne frater domi?* SY. *Quid tu, proh*

p. var. *porto.* Abest *fit* a Guelf. 2. *Perl.*—9 Distinguit Guyetus, *se scire, is solus nescit, omnia.* Scilicet quia dixerat Demea 'Primus rescisco omnia.' Idque miratur Guyetus non observasse Donatum. Mirum autem non observasse Guyetum, omnem emphasin esse in τῷ 'scire,' et 'nescire;' atque adeo τὸ 'omnia' ad prius verbum esse subaudiendum. *West.* Demea ter dixerat eodem accentu, 'Prímus sentio,' 'Prímus rescisco,' 'Prímus obnuntio.' Quid Syrus? *Primum aít se scire.* Ita depressit *Primum* in Thesi; ut, quod elate dicendum esset, vix posset exaudiri. Tu repone, *Rídeo hunc: se primum ait scire: is sólus nescit ómnia.* Sed nescio an legendum sit, *ait primus scire.* Mutarunt forte Magistri; ne Solœcismo scilicet discipulos insuescerent. *Bent.* *Se primum ait scire* dat Both. Notat glossa in Br. post 'omnia' aliter pungi per interrog.—10 *Frater forte* Both.—11 *Non taces* Guelf. 2.—13 *Jam* abest a G. [Br.] ET. EM. *West.* 'Cellam' hic in Thesi delitescit, quod maxime proferendum erat. Nullus ex codicibus nostris agnoscit illud *jam.* Lege igitur: *Nám me in céllulam aliquam.* Bent. *Jam* legitur in B. *Both.* qui dat *Nam me jam aliquo in cellam cum illa c.* Bentleium sequitur Perl.—15 Nimis laxo socco incedit hic versiculus. Repone, *Nón hercle híc quidem pérdurare.* Nonius tamen, v. Durum, *durare* hinc citat. *Bent.* Novam Scenam ab hoc versu incipit Bip.—16 *Sunt* Guelf. 2.—17 *Garrit* alii. *West.*

SY. Quid, malum! bone vir, mihi narras? equidem perii. DE. Quid tibi est?
SY. Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum, et istam psaltriam,
Usque occidit. DE. Hem! quid narras? SY. Hem! vide, ut discidit labrum.
DE. Quamobrem? SY. Me impulsore hanc emtam esse ait. DE. Non tu eum rus hinc modo
Produxe aiebas? SY. Factum: verum venit post insaniens:
Nihil pepercit: non puduisse verberare hominem senem,
Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis?
DE. Laudo, Ctesipho: patrissas: abi, virum te judico.

malum! me appellas cum his verbis, Bone vir? Equidem occidi. DE. *Quid quereris?* SY. *Rogas quid querar? Ctesipho me pugnis miserum, et istam fidicinam usque contudit et pæne conscidit.* DE. *Hem! quid ais?* SY. *Hem, aspice, ut diffidit mihi labrum.* DE. *Qua de causa?* SY. *Me suasore queritur hanc fratrem comparasse.* DE. *Nonne tu modo eum hinc ad villam comitatum deduxisse aiebas?* SY. *Ita est: at venit post furens: nullam rationem mei habuit: nonne eum pudere debuit, hominem senili ætate confectum ictibus diffregisse, quem ego modo puerulum in ulnis gerebam meis?* DE. *Laudo te, Ctesipho: similis es majorum: eja age, te in hac adolescentuli ætate jam virum esse dico.* SY. *Laudas?*

Par. ms. *agis* pro *ais.* Perl. 'Quid,' quod est in initio versus, rejicit Delph. in versum 16.—18 Demea dixerat *Bóne vir,* Syrus in repetitione accentum mutat *Bone vír.* Hoc non ab Auctore, sed a Librariis venit. Repone, *mihi, bóne vir, narras?* Bent. Pro *bone vir* dat *boni* sine *vir* Both.—20 In quibusdam Libris est, *discidit mihi labrum.* West. *Labrum ut discidit* Both. *Em* dat Bent. bis: hic non ei assentit Br. contra ac quod fere aliter facit.—21 Ms. Lips. [etiam Br.] non agnoscit τὸ *modo.* West. *Non tu eum rus hinc dixtin' abesse* G. *Id. in Add. Num tu eum rus hinc mihi Prodiisse aiebas* Guelf. 1. *Rem ceptam* pro *emtam* 3. *Perl.*—22 Mss. quidam et impressi veteres, *Prodiisse.* Sed *Produxe* tuetur etiam Donatus. *West.* *Rus hinc modo*] Hæc verba præcedenti versui [sc. versui 21.] attribuimus. *Fa.* Unus ex Regiis *aibas* habet, ut nos ubique reponimus; non *aiebas.* Bent. *Produxisse* GM. et in marg. 'Al. *produxe.*' *Est* post 'Factum' Guelf. 2. *Perl.* *Aibas* Both. Perl. *Post venit* Delph.—23 Codices quidam, *Non puduit.* Alii barbare, *Non puduit se.* West.—24 Repone *puerum modo.* Bent. Sequitur Both.—25 *Abi, virum te judico*] Guy. in glossis Mss. male: 'Dimitto te: absolvo te culpa, Ctesipho, ob hoc factum.' Ubi enim laudabant quem, 'Abi' dicebant. Perperam igitur Par. hæc Syro dicta autumat. *West.* *Laudo, Ctesipho: patris-*

NOTÆ

17 *Quid ille gannit*] Conqueritur gannitu. Gannire proprium est vulpium.

25 *Patrissas*] Patris mores refers.

Sy. Laudas? næ, ille continebit posthac, si sapiet, manus.
De. Fortiter. Sy. Perquam! quia miseram mulierem, et me servolum,
Qui referire non audebam, vicit; hui! perfortiter!
De. Non potuit melius: idem, quod ego, sentit, te esse huic rei caput.
Sed estne frater intus? Sy. Non est. De. Ubi illum quæram, cogito.
Sy. Scio ubi sit; verum hodie nunquam monstrabo. De. Hem! quid ais? Sy. Ita.
De. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum. Sy. At nomen nescio
Illius hominis; sed locum novi, ubi sit. De. Dic ergo locum.

per Pollucem comprimet posthac, si quid mentis habeat, manuum impetum. Ct. *Macte fortitudine, Ctesipho; strenue fecisti.* Sy. *Valde vero strenue, qui infirmam fœminam, et miseratione dignam; et me timidum servum, qui contra repercutere verebar, verberibus contudit.* De. *Non potuit ille melius facere. Idipsum credit quod ego, te esse auctorem harum turbarum: sed estne frater intus in ædibus?* Sy. *Non est.* De. *Dubito quonam in loco eum inveniam.* Sy. *Scio ubi eum invenias, sed nunquam hodie tibi locum ostendam.* De. *Quid ais?* Sy. *Ita, non ostendam.* De. *Conteretur certe tibi mox caput.* Sy. *Verum latet me nomen illius hominis, apud quem est, sed locus mihi notus est.* De. *Indica ergo locum.*

sas] Lege et distingue, *Laudo: o Ctesipho, patrissas.* O addunt tres ex nostris, quorum duo inter optimos. *Bent.* *Laudo te* J. *Patrizas* Br.—26 Mss. quidam: *Laudasne? ille continebit.* Ita et editorum quidam, in quibus EA. EP. et Junt. *West.* Ita et Br. *Sapit* Guelf. 3.—27 *Quia*] M. *nimis quia.* West.—28 *Hui! perfortiter*] Hæc Guy. Demeæ tribuit. *Id.* *Fortiter* pro *perfort.* dat Br.—29 *Sentit* Bem. cum plurimis Mss. aliis. Pauci, *sensit:* quomodo tamen etiam Junt. *West.* *Idem sensit quod ego*] Bem. *Idem quod ego sensit;* postea, deleto *s* medio, remansit *sentit,* quod perspicue melius est. Eadem collocatio est in V. Bas. et in aliquibus aliis libris, et apud Donatum: licet verbum non habeat, ut possit sciri, utrum legerit *sensit,* an *sentit.* Fa. *Nón potuít meliús, idem quód ego*] Sic nostri omnes, et *sensit.* Sed vides, ut incommode Accentus in finales incidant. Contra ac supra II. 2. 7. 'Qui pótui mélius.' Facile igitur inducor, ut sic olim fuisse existimem: *Non pote mélius: ídem ille quod ego sénsit té esse huic rei caput.* Qui *sentit* in Bembino interpolavit, voluit opinor *censet,* quod est, putat, existimat. *Bent.* *Sensit* Br. Delph. Both. Perl.—30 *Quæram*] Bem. *inveniam,* laudante Guy. *West.* *Quæram*] Sic dedit Faërnus, non ausus Bembino suo fidere. Nostri omnes *quæram:* rectum tamen est *inveniam.* Nec minus rectum *quæram.* Bent.—31 In fine hujus versus ascribe dictionem *Ita,* quæ est prima subsequentis. Sic hi duo versus erunt trochaici catalectici, ut ceteri. Ita quoque ordinantur in Bem. et aliquot aliis libris. *Fa.* *Ita* collocat Z. in versu seq. *Siet* pro *sit* Both. *Agis* pro *ais* Guelf. 3.—32 Pr. lib. I. Inst. Gram. *Dimminuetur,* quasi *Disminuetur:* quod laudat Gifanius, Ind. Lucret. v. Diminuo. *West.*

Sy. Nostin' porticum, apud macellum, hanc deorsum? De. Quidni noverim?
Sy. Præterito hac recta platea sursum: ubi eo veneris,
Clivos deorsum vorsus est: hac te præcipitato: postea
Est ad hanc manum sacellum; ibi angiportum propter est.
De. Quonam? Sy. Illic ubi etiam caprificus magna est: nostin'? De. Novi. Sy. Hac pergito.
De. Id quidem angiportum non est pervium. Sy. Verum hercle: vah!
Censen' hominem me esse? erravi. In porticum rursum redi:

Sy. *Novistine ubi sita est porticus ad macellum, ad imum vicum, deorsum?* De. *Novi.* Sy. *Procede hac parte, recta per plateam sursum ascendens: ubi eo perveneris, clivus est declinans ad inferiorem vici partem: per hunc descende subito: exinde structum est ad hanc manum sacellum; prope angiportus est.* De. *In qua parte?* Sy. *Illic ubi ficus sylvestris procera est: novistine?* De. *Novi.* Sy. *Hac progredere.* De. *Is quidem angiportus est impervius.* Sy. *Verum mehercule: vah! tanta est stoliditas mea, ut vix me hominem esse dicas. Errore lapsus*

Jam omittit Br.—34 In quibusdam Libris et EP. est, *hac deorsum.* Codices quidam cum Donato, *norim.* West. *Hac*] Par. ed. *hanc.* Perl. *Hac*] Al. male *hanc.* Bip. *Hac* Bent. Both. et Perl. *Ad* pro *apud* Both.—35 Repone *sursus.* Bent. *Sursus*] *Sursum* al. præter metrum. *Bip.* *Sursus* Both. Perl. *Et rursum* Guelf. 2.—36 In quibusdam Codicibus deest *te.* Alii, *hac te præcipita.* West. *Clivos deorsum vorsum est: hac te præcipitato: postea*] Bem. *hac præcipitato* absolute habet: ut Virgilius: 'Nox humida cœlo Præcipitat.' Ita quoque videtur legere Donatus, ita dicens, '*Præcipitato:* Cito descende.' Qua lectione admissa, licet versus sic quoque sustentari possit, tamen, ut melius habeat, quia in aliquibus libris pro *vorsum* est *versus,* legerim *vorsus,* Fa. *Clivos deorsum vorsus est: hac præcipitato: postea*] Sic dedit Faërnus. Nostri cum vett. Edd. *vorsum est; hac te præcipitato.* Unus tantum habet *vorsus,* idem tamen *te* habet. Utroque modo et versus et sententia constat. Pr. *versum* hic legit p. 1013. de Adverbiis in Um: 'Orientem versum, Occidentem versum: Deorsum versum, Terentius in Adelphis.' Sic codices scripti; in Putschii editione deest *Deorsum versum.* Bent. 'Præcipitare' sæpe sine casu absolute ponitur. *R. D.* *Vorsum* Br. Bent. Both. Perl. *Te* omittunt Delph. Bip. *Rursus* pro *vorsus* Guelf. 2.—37 Libri quidam Mss. et impressi, post EP. *prope est.* West. *Ibi*] J. *ubi.* Perl.—38 Versum hunc denarium catalecticum trochaicum faciunt: quos nullos scripsit Terentius. Alibi: *Quidnam? Illuc, &c.* Ego legendum putarim *Ubinam? Ubi etiam, &c.* ut sit Trochaic. octon. hypercat. *Quonam* non videtur sententia postulare: *Illic* Do. non legit. *Gov.* *Quonam*] Ms. Lips. EA. et EP. *Quodnam?* Guy. reponit, *Ubinam?* Mss. quidam, *nosti?* Deest a Bemb. aliisque nonnullis, quando versus est trochaicus catalecticus. *West.* Deleta ex auctoritate Bembini dictione *nostin,* versus remanet trochaicus catalecticus, ut ceteri. *Fa.* Vetus noster delet *nostin:* tu dele etiam *Quonam.* Bentleius. Vulg. præmitt. *Quonam?* GM. *Quodnam?* Utrumque cum Bent. omitto. *Nostin* nec edid. Par. *Perl.* *Quodnam* Br. Omittit Both. qui cum Br. Bip. et Perl. delet *Nostin.*—39 Pr. Inst. Gramm. lib. XVIII. *Id autem angiportum.* Quod

Sane hac multo propius ibis, et minor est erratio.
Scin' Cratini, hujus ditis, ædes? De. Scio. Sy. Ubi eas præterieris,
Ad sinistram hac recta platea: ubi ad Dianæ veneris,
Ito ad dextram: priusquam ad portam venias, apud ipsum lacum
Est pistrilla, et exadvorsum fabrica: ibi est. De. Quid ibi facit?
Sy. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.
De. Ubi potetis vos? Sy. Bene sane. De. Sed cesso ad eum pergere.

sum: in porticum iterum regredere. Sane hac compendiosior est via, et difficilius a via aberratur. Scisne ubi domus posita Cratini hujus locupletis? De. *Scio.* Sy. *Ubi eam transieris, ad sinistram ito per rectam hanc plateam: quando ad Dianæ ædem veneris, confer te ad dextram, priusquam ad portam urbis pervenias, apud ipsum lacum est pistrinum parvum, atque ex opposito fabri lignarii officina ibi est.* De. *Quid ibi facit Mitio?* Sy. *Lectulos discubitorios cum acernis fulcris, in quibus sub sole cœnetur, construendos locavit.* De. *Ubi scilicet potationes celebretis: egregie certe; sed nimis moror, quominus ad eum iter peragam.* Sy. *Perge*

videtur vel ἁμάρτημα μνημονικὸν scribentis, vel error Librariorum; quia lib. vii. est, *Id quidem angiportum.* West.—40 Non opus cum Guy. legere *Sentio hominem, &c.* West.—41 *Sane multo pr. hac, et minor ibi est erratio* Both.—42 *Scin' Cratini, hujus ditis, ædes*] Ita distinguo. Si enim 'hujus' ad 'Cratini' referretur, quod fit vulgo, necesse esset, digito monstrari posse, qui nunc procul habitabat. Sensus igitur est: Scin' ædes Cratini illius divitis? *West.* Br. et edd. quæ penes nos sunt non distinguunt ante vocem 'ædes.'—43 *Templum* post 'Dianæ' Guelf. 3. Supplementum interpretis. *Perl.*—44 *Portum* Guelf. 3. et ab altera manu *illum* pro *ipsum.* Id. Dat Br. *Ito ad dexteram priusquam ad portam venias. apud ipsum, &c.*—45 *Est pistrilla et exadvorsum est fabrica*] Nullus l. s. habet verbum *est* secundo loco. *Fa.* Neque nostri habent *est.* Bent. *Est* medium dant Z. Delph. Bip. *Ex adverso* Guelf. 1.—46 Multi Mss. et impressi, cum EP. *iligneis.* Ita et Pr. Inst. Gramm. lib. ii. Ms. Lips. *iligneis pedibus in sole.* Jo. Clericus, Art. Crit. iii. 1. 6. 23. legit *Lectulos illic salignis ped.* West. *Iligneis*] Bem. *ilignis.* Virgilius: 'Currentem ilignis potare canalibus undam.' *Fa.* Nostri omnes *iligneis.* Bent. *Illignis* Bem. *Illigneis* GM. *Ligneis* Guelf. 3. *Perl.* *Iligneis* Br.—47 *Ubi potetis vos*] Hæc in Mss. nonnullis Syro tribuuntur; sed et in quibusdam editionibus, in quibus est EA. et Junt. Iidem Libri sequentia, *Bene sane,* tri-

NOTÆ

43 *Ad Dianæ veneris*] Sic absolute dicebant, non addito 'templum.'

44 *Apud ipsum lacum*] Lacus etiam sunt receptacula aquæ, ad aquandum, aut lavandum deductæ, quales multi Romæ fuerunt, ut Curtius, insigni aquæductu memorabilis, ut qui a quadragesimo milliari in urbem fuerit perductus, opere arcuato tantæ altitudinis, ut in omnes urbis montes facile distribueretur. Plinius lib. xxxvi. cap. 15.

Sy. I sane. Ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium.
Æschinus odiose cessat: prandium corrumpitur.
Ctesipho autem in amore est totus. Ego jam prospiciam mihi:
Nam jam adibo, atque unumquodque, quod quidem erit bellissimum,
Carpam; et, cyathos sorbillans, paulatim hunc producam diem.

quidem: ego te tractabo, fatigabo hodie, ut meritus es capularis senex decrepite. Æschinus moleste tardat, prandium corrumpitur, Ctesipho autem amicæ operam omnem dat suam; tempus jam est, ut mihi consulam: nam jam aggrediar, et quicquid erit suavissimum decerpam, et cyathos sæpius exhauriens sensim hunc traducam diem.

buunt Demeæ. *West. Ubi potetis vos.* De. *Sane bene*] Idem liber hæc omnia Demeæ attribuit: in cujus persona optime quadrant: ut erat in Victoriano, et ita collocat Bembinus cum Basilicano, *Bene sane,* quod et venustius est. *Fa.* *Bene sane,* nostri omnes. *Bent.* Bent. [cum Z. et Bip.] totam hanc lineam Demeæ attribuit. Non placet. *Perl.* Br. Bent. Z. non interrogant post 'vos.' Nec Both. qui dat *Ubi p. vos* Syro, cetera Demeæ. Interrogant post 'pergere' Z. Bent. Bip. Both. Sed Both. in Notis, Dele, ait, virgulam extremo versu.—49 Unus ex Regiis *otiosus.* Lege *odiosus.* Bent. *Otiose* vett. edd. *Bip.* *Otiose* mutat. in *odiose* in Guelf. 1. *Perl.*—50 Non habet *est* unus Guelf. *Tam* pro *jam* expressum habet ed. Both.—51 Guy. male *abibo.* Bona Mss. pars, *unumquicquid.* Ita et edd. EP. Junt. Davent. aliæ veterum. In Codice Argentino est: *Atque unum, quod quidem ferculum erit bellissimum, carpam.* West. Et ita dant Br. Bent. Z. Both. Perl.—52 *Sórbilláns*] Sic Fa. et codices plerique: sed unus ex Meadianis *sorbilans.* Recte, secunda brevi, ut 'ventilans.' *Bent.* *Sorbilans* ergo dat Perl. *Ciatos* pro *cyathos* habet Br. *Sorbillans paul. cyathos pr. d.* abjecto *hunc,* Both.

NOTÆ

48 *Silicernium*] Terentius vocat extremæ ætatis senem, a silicernio, quod est prandium funebre, quod conficiebatur circa silicem, id est, sepulcrum mortui: sic 'capularis senex' dicitur a Plauto, et 'capuli decus,' morti contiguus, capulo mox efferendus. Capulus autem est feretrum; quod corpora capiat.

ACTUS IV. SCENA III.

MICIO. HEGIO.

MI. Ego in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere, Hegio:
Meum officium facio; quod peccatum a nobis ortum 'st, corrigo:
Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant
Sibi fieri injuriam; ultro, si quam fecere ipsi, expostulant,

MI. *Ego in hac re nihil meritum me video, cur tantis laudibus me prosequaris, Hegio: meo officio satisfacio; pravum factum a nobis emendo; nisi me his hominibus annumeres, qui ita æstimant se accepisse injuriam, si aliquam fecere ipsi; priores queruntur, et accusant, non expectata querela eorum qui injuria affecti*

1 Hic Muretus Actus v. initium statuit. Abeunte enim Demea quæsitum fratrem, Syro autem sorbillatum cyathos, Scena vacua remansit. Infra autem, ubi vulgo incipit Actus v. Æschinus in Scena remanet. *West.* Quartam Scenam hic incipit Bip. *Ego in h. re quamobrem laud. tant. nihil invenio, Hegio* dat Guelf. 3.—3, 4 Mire in hoc loco se torquent Interpretes. Nullus autem commodus sensus elici posse videtur, nisi legas et distinguas cum R. Stephano, in elegantissima editione, formæ minimæ, anni 1540. qua haud scio, an quisquam editorum Terentii deinceps usus sit: *qui ita putant, Sibi fieri injuriam, ultro si, quam fecere ipsi, expostulant, Et ultro accusant.* Construe: Si ultro expostulant injuriam, quam ipsi fecere, et ultro accusant. Quomodo fere Fabrini reddidit: 'Che pensano cosi, che sia fatto loro ingiuria, che siano ingiuriati, se ingiuria alcuna ne hanno ad altri fatta essi, perversamente si lamentano, e perversamente dicon male, e biasimano.' Quem sensum cum in totidem verbis non videret Donatus, culpatur a Faërno, præferente Bembinum illud, *expostules.* Eodem sensu, sed mutato paulum ordine, edidit EV. 4. *si, quam fecere ipsi, ultro expostulant, Et ultro accusant.* Quibus verbis nihil clarius. Idem vero Stephanus quadriennio ante ediderat, *ultro si, quam fecere, ipsi expostulant.* West. *Nisi me*] Aliqui libri, inter quos Bem. Bas. et V. *Nisi si me:* ita versus, aliter claudicans, sustentatur. *Fa.* Sic e nostris meliores quinque *Nisi si.* Bent. *Qui ita putant, Sibi fieri injuriam, ultro si quam fecere ipsi expostulant, Et ultro accusant*] Valde se torquet Donatus super hoc loco, nec tamen explicat; nimirum et ipse in mendosum librum Terentii inciderat. Legendum est ex Bem. *expostules:* et sensus est: De facta ab eis tibi injuria, etiam insuper te accusant. *Fa.* Recte hic Bem. *expostules*, quod vel ex conjectura facile erat restituisse: nostri *expostulant:* et Pr. p. 1143. *expostulent.* Sic etiam vetus ibi codex. *Bent.* Rationem Faërni recte probat Bent. *Zeun.* Hic locus e Bem. ita legendus est: *Sibi f. injuriam ultro si quam fecere ipsi expostules.* R. D. *Qui ita putant .... accusant*] Distinctionem huc usque verborum sequor, quam Stephani Westerhovius optimam laudavit. *Perl.* *Expostules*] Omnes ante Fa. legebant male *expostulant;* in qua mendosa lect. ipse se torquet Do. ut recentiores taceamus. Sed Fa. ex Bem. verum restituit, ut mirari oporteat, cur in obscura et falsa lect. hærere malint plerique editt. Heinsius, Dac. West. *Bip.* *Qui ita putant;*

Et ultro accusant: id quia non est a me factum, agis gratias?
HE. Ah! minime: nunquam te aliter, atque es, in animum induxi meum.
Sed quæso, ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio,
Atque istæc eadem, quæ mihi dixti, tute dicas mulieri;
Suspicionem hanc propter fratrem ejus esse, et illam psaltriam.
MI. Si ita æquum censes, aut si ita opus est facto, eamus.
HE. Bene facis;
Nam et illi animum jam relevabis, quæ dolore ac miseria

sunt. Id quia similiter non feci, gratias laudans agis. HE. *Ah, neutiquam: nunquam te alio ingenio, ac tu es, mihi finxi: sed rogo, ut mecum simul ad Sostratam, matrem virginis Pamphilæ venias, Mitio, atque ista eadem, quæ mihi retulisti, referas; suspicionem nempe hanc de Æschino, accidisse propter fratrem ejus Ctesiphonem, et hanc fidicinam, quam is amat.* MI. *Si ita justum esse arbitraris, aut si ita fieri oportet, eamus.* HE. *Recte agis: nam animum recreabis illi, quæ*

Sibi f. injuriam ultro, si quam fecere ipsi, expostulant; Et, &c. dat Delph. et sic Z. nisi quod levissime pungit in fine versus 4. *Q. i. putant S. f. injuriam, ultro si quam fecere ipsi expostulant Et, &c.* habet Br. *Q. i. putant; S. f. injuriam ultro, si quam fecere ipsi expostules, Et, &c.* Bent. *Q. i. putant, S. f. injuriam ultro, si, quam f. ipsi, expostules: Et, &c.* Bip. *Q. i. putant: S. f. ultro injuriam, si, quam fecere, expostules, Et, &c.* Both. Ceterum dat Delph. *Nisi si in illo me.*—5 *Agis gratias*] Primus, opinor, ita edo, monente Donato. Habet autem interrogatio admirationem; qua demta minor erit emphasis. *West.* Vulgo *agis gratias:* cui West. et Bent. signum rogandi addidere recte. Sed metrum poscebat *agisne gratias?* Bip. Non interrogant Br. Both.—6 Guy. legit, *nunquam esse aliter;* sed rationem non addit. Si credidit, minus Latine dici, *in animum inducere aliquem,* falsus fuit. *West.*—7 In J. *eas* omiss. *Perl.*—8 *Mihi narrasti* libb. quidam. *West.* *Mihi quæ* Both.—9 Sic et Donatus legit: 'Nimis,' inquit, 'breviter et succincte.' Nimis quidem succincte, et nimis obscure ac illepide. Sed vetus est erratum. Codex Meadianus pro *ejus esse* habet *esse ejus.* Repone, *Suspicionem hanc propter fratrem esse: ejus esse illam psaltriam.* Bent. Sic Bent. e cod. Mead. restituit rectius quam vulg. *Bip.* Mutatio Angli mihi placet. *Perl.* qui eam in textum recepit: et notavit Guelf. 3. habere *propt. fr. ej. esse et il. ps.* Dat Bothius *S. h. fratrem propter, ejus esse il. ps.*—10 *Si ita æquum censes*] Quatuor hos versus expungit Guyetus. Vide Donatum. *West.* Posterius *si* non est in Bem. *Fa.* *Aut ita opus est* Fa. dedit, ex solo Bembino: nostri universi *aut si ita:* et sic solet Terentius passim. Revocetur itaque in Textum, unde superstitione ejectus est. *Bent.* Id tamen delent Bip. Both.—11 *Nam et illi animúm jam relevabis, quæ dolore ac miseria*] Principio, *relevaris* legendum, ut versu sequente est 'fueris functus.' Deinde vide, ut Accentus cadat in ultimam *animúm.* Repone, *Nam et illi jam ánimum rellevaris, quæ dolore et miseria.* Præpositio Re in compositione fere duplicat consonantes apud vetustos; ut, Redduco, Repperio. Non opus est ergo febriculosis cujusquam conjecturis, *illius; illi tu, præ dolore.* Ceterum Donatus ad locum, 'A justo,' ait, 'et utili est tota sententia. Et sane hi versus desunt, quos multa exemplaria non habent.'

Tabescit; et tuo officio fueris functus: sed, si aliter putas,
Egomet narrabo quæ mihi dixti. MI. Immo ego ibo. HE.
Bene facis.
Omnes, quibus res sunt minus secundæ, magis sunt, nescio quomodo,
Suspiciosi; ad contumeliam omnia accipiunt magis;
Propter suam impotentiam se semper credunt negligi;

tristitia et solicitudine consumitur, etiam tu officium feceris: sed si aliter tibi videtur faciendum, egomet illi eadem dicam, quæ mihi dixisti. MI. *Immo, ego una tecum ad eam ibo.* HE. *Quod boni viri est, facis: omnes quibus res sunt tenues, et pauperculæ, ad suspiciones, nescio quomodo, sunt procliviores: omnia in contemtum sui fieri putant; propter suam infirmitatem semper se contemni credunt: qua-*

Quos intelligit versus, sunt 11. 12. et 13. Et casu ex exemplaribus nonnullis exciderant; eo quod decimus et tertius decimus eodem vocabulo 'Benefacis' terminentur. Hoc in nullo non codice fere evenire, norunt qui libros scriptos versaverunt. Sed vide nunc Guyeti indolem et ingenium: arrepta hac a Donato suspicione, hos omnes quatuor pro nothis, spuriis, et insititiis damnat. *Bent.* J. *revelabis.* Al. *relevab.* Sed Bent. recte, opinor, *rellevaris.* Perl. *Rellevabis* Bip. *Relevaris* Both. qui notat confirmare emendationem Gu. 1. *Jam animum* dant Both. Perl.—12 *Tuo*] *Tu* quidam codd. *West.* Sic Delph. Bip.—13 Hiat versus, nec sententia satis plena est. Ut utrique mediceris, repone, *Immo ego quoque ibo:* nempe una cum Hegione; ut sequitur hic vs. 18. 'Sequere me ergo hac intro.' *Bent. Dixisti* Both.—14 *Queis* et *mage* Both. *Sunt res* GM.—16 Cum vidissem in Bem. pro *neglegi* scriptum esse in contextu *claudier*; Donatumque affirmare, legi etiam, et *claudere*, et *claudicare*, sane hunc locum semper habui de mendo suspectum: nam *negligi* quidem, quæ recentior lectio est, negotio, quo de agitur, non convenit; *claudier* vero omnes vident ad sensum Poëtæ non quadrare. Quare in eam conjecturam venimus, ut legendum arbitremur *calvier*, qui est infinitivus modus verbi, calvor, quod aliquando passivum invenitur apud auctores, et pro, decipi, accipitur: ita exponente Prisciano: aliquando deponens, et pro, frustrari, exponitur a Pompeio Festo, item a Caio jureconsulto. *Fa. Se semper credunt calvier*] Sic in textum ipsum conjecturam suam *calvier* ascivit Faërnus. Nollem factum. *Calvi* plerumque active significat, *frustrari*: nonnunquam tamen passive, *falli, decipi*, nulla addita, quod Terentii locus postulat, contumeliæ significatione. Sic, ubi active sumitur, simpliciter notat, frustrari; sed contumeliose non omnino. Valeat itaque *Calvier*: et quæratur aliud, quod notionem contumeliæ in se habeat. Et quidem illud *neglegi*, quod in omnibus nostris insedit, non omnino incommode habet: sed unde illud *claudier* in Bembino; et illud in Donato, '*neglegi*: Legitur et *claudicare*?' (sic Edd. vett. non addunt *et claudere*.) Sine dubio altius quid hic latet; quod me e puteo extracturum existimo. *Claudere* in priscis membranis plerumque scribitur *cludere*; et opinor in Bembino fuisse *cludier*: Repone, *ludier*. Apud Donatum quoque pro *claudicare* repono *ludificari*, quæ interpretatio est τοῦ *ludier*. Jam, opinor, quadrant omnia. *Bent. Negligi*] Sic fere omnes Mss. codd. In nonnullis tamen *claudier* est. Videri posset scripsisse Terentium *calvier*. Sed vulg. lect. veriorem puto. *Lind.* Fa. *calvier*: quamvis autem ei accedant Lind. H. Junius, Pareus, Faber, et Dac. haud probamus verbum, quod hac in re non satis aptum videtur. Bent. ex *claudier* facile reperit *ludier*: quod non magnam vim habet, cum ante de contumeliis s. injuriis

Quapropter te ipsum purgare ipsis coram, placabilius est.
MI. Et recte, et verum dicis. HE. Sequere me ergo hac
intro. MI. Maxume.

propter si præsens eam alloquendo, te excusaveris, magis idoneum id erit ad eam placandam. MI. *Et rectum et verum est, quod suades.* HE. *Sequere me ergo hac via ad domum intro Sostratæ.* MI. *Eamus.*

dixerit, quibus magis *lædimur* quam *ludimur*. Et *læsi* placandi sunt purgatione. *Bip.* quæ dat *lædier.* Both. dat *se credunt intercludier.*—17 Ita expressi ex Leidd. quinque, Lipsiano, Bœnd. Tr. Bodl. sed et EA. EP. Junt. EV. 3. St. Davent. Venetis, ET. Arg. Pict. Fabrini, Antesignani, Basileensi, Lugdunensibus duabus, annorum 1511. et 1520. Plantiniana, aliis: quos Codices singillatim nomino, ne ægre ferant nuperi editores, quod secum non *ipsi* expresserim. Et in uno Leid. suprascriptum reperi, 'Sostrata et filia.' Tum Donatum legisse *ipsis*, liquet, quia 'coram præsentibus' interpretatur. Neque enim matri tantum, sed et Pamphilæ purgandus erat Æschinus. *West.* Idem liber *ipsi coram*: ut sit ordo, purgare ipsi, id est, matri; coram, id est, præsentem præsenti. Quod autem purgare se matri, nec ulli alii intelligendum sit, ex iis, quæ supra dixit, apparet: 'Sed quæso ut una mecum ad matrem virginis eas Micio. Atque istæc eadem, quæ mihi dixti, tute dicas mulieri.' *Fa. Ipsi coram*] Immo cum aliis omnibus scriptis et Edd. vett. lege *ipsis coram*; hoc est, matre et virgine. *Ipsis* etiam apud Pr. p. 1130. et sic quatuor ibi codices. *Bent. Ipsi* legunt Z. Delph. Bip. Perl.—18 J. non habet *ergo.*

ACTUS IV. SCENA IV.

ÆSCHINUS.

DISCRUCIOR animi: hoccine de improviso mali mihi objici

Curis distrahor atque animi angor: tantumne infortunium me inopinato invasit,

1 Nusquam majorem vel Librorum, vel Interpretum dissensionem in collocandis versibus reperias, quam in hac Scena. Unde Faërnus, postquam expedire quid tentasset, subjungit: 'Sed verius est, hos omnes versus, præter duos primos, esse generis ejus, quod 'confusum' vocamus.' Dac. in alia omnia abit. Ego, ut potui, ordinavi ex Antesignano, Mureto, et R. Stephano. Si vero vel ita non satis expedivi rem, certus sum, e vulg. lect. non plus boni metri elici posse. Guy. in ἀνεκδότοις ita dimensus est versus singulos, ut vel ipse solus, vel reliqui omnes ridiculi sint. Usque adeo verum est, quod dixit Cicero, Oratore cap. 55. 'At Comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic sæpe sunt abjecti, ut nonnunquam vix in his numerus et versus intelligi possit.' Quid, si Terentius data opera Æschinum metu confusum etiam confusis versibus loqui voluit? Id vero mihi proximum

Tantum, ut neque quid me faciam, neque quid agam, certum siet?
Membra metu debilia sunt; animus timore obstipuit.
Pectore consistere nihil consilii quit. Vah! quomodo
Me ex hac expediam turba? tanta nunc suspicio de me incidit;
Neque ea immerito. Sostrata credit, mihi me psaltriam hanc

ut neque quid me faciam, nec quid agam scire possim? omnes corporis mei partes timore languidæ et infirmæ factæ sunt: animus formidine attonitus est, et torpet: nihil mens consilii capere potest. Vah! qua ratione ex tantis difficultatibus me explicabo? suspectus factus sum Sostratæ: illa credit me hanc fidicinam meæ

videtur. In Mss. et impressis nonnullis est *malum*. West. *Discrucior animi: hocine de improviso mali mihi objici*] Sic primum versum constituit Faërnus: sed perperam. In veterrimo nostro, *Discrucior animi* clausula est, sive per se versum constituit. Recte. Sic enim Varro apud Rufinum De Metris Comicis p. 2707. 'Varro in VII. de Lingua Latina: Clausulas quoque primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam: ut apud Accium, 'An hæc jam obliti sunt Phryges?' Nonnunquam ab his initium fit, ut apud Cæcilium, 'Di boni, quid hoc?' apud Terentium, 'Discrucior animi.' *Bent.* Repone *ex improv. mali mi obj.* Id. *Disc. an.*] Versus novem, qui hic sequuntur deinceps, ut a Bent. distinctos habemus. *Perl.* Versus priores septem hujus Scenæ, misere turbatos ab editt. nos, partim cum Heinsio, alia ratione facilius ordinamus in Iambicos, qui tamen, quæ hodie est vulgata, non omnes assurgunt in octonarios. *Bip.* Hunc vs. redigit in duos et Bothius, qui dat *Hocc. mihi mali de imp. obj.*—2 Sic Fa. dedit. Tu repone Trochaicum tetrametrum, *Tantum; ut ne quid de me faciam, nec, quid agam, certum siet? Nec* in secundo loco pro *neque* tres nostri veterrimi cum quatuor aliis habent. *Quid de me*, tres ex nostris cum Edd. vett. *Bent.* *Me*] GM. *de me.* Perl. *De me*] Al. *me*, præter metrum. *Bip.* *Tantum ut neque, quid me, nec, quid agam, certum siet*] Vulg. *quid me faciam, nec quid, &c.* Bent. codices nonnullos secutus, quibuscum faciunt C, Hel. trochaicumque hunc redditurus, legi jussit *quid de me f.* Sed frustra talis versus obturbaret creticos. *Fac.* glossema est. Durior versus rei congruit. *Both.* *Nec quid agam* Br.—3. 4 In Codicibus quibusdam est *obstupuit*. Atque ita correxit in Libro suo Guyetus. *West.* *Membra metu debilia sunt: animus timore obstipuit. Pectore consistere nihil consilii quit. Vah*] Ita Faërnus: sed in hunc modum versus redigo, qui Choriambici sunt: *Membra metu debilia sunt: animus præ timore Obstipuit: pectore consistere nil consili quit.* Bent. *Nihil consili quicquam potest*] Vulg. *nihil consilii quit.* Sed vet. cod. ap. Lind. *consilii quid potest;* unde nostrum supra, quod et Heins. agnoscit, ad sermonem Æschini et rationes metri aptius. *Bip.* GM. script. *Obstup.* Abest *consili* a Guelf. 2. *Valet* pro *quit* J. *Perl.* qui, quamvis jam dixerit se hos vss. ut a Bent. distinctos habere, collocat tamen *Vah* in fine sui versus 5. Claudit Bip. versum 3. voce *pectore*, et dat *obstupuit.* Both. legit:

Membra debilia sunt, animus obstupidus est,
Pectori consili nil quit consistere.

—4–7 In Bodl. id deest. *West.* *Quomodo me ex hac expediam turba Tanta? nunc suspicio de me incidit: neque ea immerito*] Sic versus ordinavit Faërnus, sed aliter veterrimus noster; ut scias Magistros veteres nihil hic scivisse.

Emisse: id anus fecit indicium mihi.
Nam ut hinc forte ea ad obstetricem erat missa; ubi eam vidi, illico
Accedo, rogito, Pamphila quid agat: jam partus adsiet:
Eone obstetricem arcessat: illa exclamat: Abi, abi jam, Æschine!
Satis diu dedisti verba; sat adhuc tua nos frustrata 'st fides.

voluptatis causa pro me comparasse: anus Canthara id mihi indicavit: nam cum forte ea ad obstetricem hinc ibat, ego eam subito adivi, quæro quid rerum agat Pamphila, an tempus pariendi instet, an ea de causa ad obstetricem deducendam festinet: ad hæc verba illa vociferatur, Apage, apage, Æschine, satis diu nos verbis circumvenisti; satis promissis nobis spem falsam dedisti. Hem, quid istud rogo, inquam,

Vah ex priore versu huc retraho: et *nescio* huc assumo, cum propter versum, tum et sententiam.

Vah, Quo modo me ex hac expediam turba, nescio: tanta nunc
Suspicio de me incidit;
Neque ea immerito: Sostrata credit mihi me psaltriam hanc emisse: id
Anus mi indicium fecit.

Noti generis hi versus sunt, Tetrameter catalecticus et plenus cum clausulis suis; ut solenne est in magna animi commotione. *Vah* vel intra versum, vel extra esse potest, ut apud Græcos Tragicos φεῦ. Faërnus sic dedit: *Sostrata credit mihi me psaltriam hanc emisse: id anus Mihi indicium fecit.* Ceterum, qui ad And. III. 2. 1. pollicitus erat, 'se septem hic latentes Bacchiacos, a nemine ad hunc usque diem intellectos, expediturum;' ubi ad rem ventum est, quid promissis dignum efficit? Malim lectori, siquis legat et cum nostris conferat, integrum judicium remittere. *Bent.* GM. non habet *ex.* *Nescio* abest a Guelf. 2. 3. *Perl.* *Mihi me*] Abest *me* a Guelf. 3. *Id.* *Turba tanta? tanta*] Al. semel *tanta* legunt. Fa. signum rogandi posuit post *tanta.* Alii sqq. jungunt. Nos malumus id repetitum a Poëta credere: et sic octonarius poscit. *Bip.* *Id anus fecit indicium mihi*] Al. *id anus mihi ind. fecit.* Heins. *anus ind. id f. mihi.* Nos sequimur ordinem, quem et West. recepit, et versui aptiorem quisque sentiat. *Id.* Dat Z. *P. c. n. consilii quit: vah!* | *Quomodo me ex hac expediam turba* | *Tanta? nunc suspicio de me incidit; neque ea immerito.* | *S. credit, mihi me ps. hanc emisse: id anus* | *Mihi ind. fecit.* | Delph. *M. m. d. sunt: an. tim. obstupuit: pectore* | *Consistere nihil consilii quicquam potest. Vah! quo modo* | *Me ex h. turba expediam? t. n. s. de me incidit,* | *N. ea immerito. S. credit, mihi me emisse hanc psaltriam:* | *Anus ind. id f. mihi.* | Bip. *Me ex h. exp. turba tanta? tanta n. s.* | *De me incidit, neque ea immerito. S. credit, mihi* | *Me ps. h. emisse: id anus f. ind. mihi.* | Both. *Vah, quomodo me ex h. exp. turba nunc? tanta incidit* | *Suspicio, neque illa immerito, de me: emisse hanc psaltriam* | *Mihi me, credit Sostrata: an. id f. ind. mihi.* | Legit Perl. omnino cum Bent.—8 Do. non videtur legisse τὸ *eam*, quod contra Rivium defendit Glar. ob metrum. *West.* Abest *vidi* a Guelf. 3. *Missa erat* dat Bip. *Namque hinc ea ut erat missa forte, ubi vidi ego illanc, illico* Both.—9 Bœnd. *jamne.* Guy. corrigit, *jam partusne.* West. Duo ex nostris et Edd. vett. *jamne.* Quod et versui commodius. *Bent.* Sequitur Perl. *Et si j. part. ads.* Guelf. 3. *Rogo* Br.—10 Bœnd. *Abi, abi, Æschine, jam satis diu.* Vide Barth. Advers. XXV. 5. *West.* *Accersat* Br. Bent. *Clamat* Br.—11 Varie hæc leguntur. In Codd. aliis est, *Satis diu verba dedisti.* In aliis, *Satis diu*

Hem! quid istuc obsecro, inquam, est? valeas: habeas illam, quæ placet.
Sensi illico id illas suspicari: sed me reprehendi tamen,
Ne quid de fratre garrulæ illi dicerem, ac fieret palam.
Nunc quid faciam? dicam fratris esse hanc? quod minime 'st opus
Usquam efferri. Age, mitto: fieri potis est, ut ne qua exeat.
Ipsum id metuo, ut credant; tot concurrunt verisimilia.

est? quapropter hæc dicis, Canthara? Facesse, fruere illa fidicina, qua delectaris. Animadverti statim illas suspicari me hanc fidicinam amare; sed tamen me retinui, cohibui ne quid inconsiderate de fratre illi anui loquaci referrem, ac manifesta res fieret. Nunc quid debeo facere? dicamne hanc psaltriam fratris amicam esse? quod nullo modo oportet palam fieri. Age, omitto illud; fieri enim potest ut hoc non divulgetur; vereor autem, ut credant hanc fidicinam me mihi non rapuisse; tot

dedisti verba nobis. In Bodl. est, *Satis diu dedisti verba notis.* I. e. noscentibus te. Verum, nisi seu *nobis*, seu *notis* tollatur, versus parum constabit. *West.* *Adhuc*] In Libris quibusdam est *ad hoc:* q. d. *μέχρι τούτου. Id.* *Satis diu verba dedisti nobis: satis adhuc tua frustrata est fides*] O. l. s. ita collocant, *dedisti verba*, omnesque post *tua* habent dictionem *nos*, itemque Donatus. Dictionem vero *nobis*, nec Donatus habet, nec liber Bembinus: et, pro *satis adhuc*, uterque habet *sat adhuc.* Itaque versus, aliter impeditus, Iambicus octonarius est ut ceteri, duabus primis dictionibus anapæstum in prima sede facientibus, hoc modo, *Satis diu dedisti verba, sat adhuc tua nos frustrata est fides.* Fa. Recte hoc. Nostri omnes mendose, *verba nobis: satis.* Bent. Al. *nobis* post *verba*, quod non est in Bem. sed a glossa. *Bip.* *Verba*] GM. GC. Guelf. 3. [Br.] *nobis.* *Satis ad hæc* Guelf. 2. *Perl.* *Satis* Br.—12 *Hem* rejicit Both. in versum præced.—13 Duplex Librorum lectio. In duobus Leidd. Tr. et Lipsiano est *reprehendi.* Idem e duobus Mss. citat Bœclerus. In Leid. 3. dubia est lectio, unde tamen prius *reprehendi* conficias, quam *repressi*, quomodo est in duobus aliis, sed et M. et Bœnd. et ET. quodque e tribus Pall. laudat Pareus. Secutus sum St. EV. 3. Davent. Pict. ex recensione Ph. Melanchthonis, Heidelbergensem, Basileensem, alias. *West.* *Reprehendi*] Tres ex nostris cum Edd. vett. *reppressi.* Etiam probe. *Bent.* Vet. cod. *me pallio reprehendi.* Lind. *Ad*, non *id* Guelf. 2. *Repressi* exhib. GM. suprascriptum: et id dat Guelf. 1. Abest *tamen* a Guelf. 3. *Perl.* *Reprehendi*] Sic meliores scripti et edd. interque hos Erasmi princeps, Fa. Lind. Dac. West. Bent. Al. vero scripti et editi, interque hos Arg. c. figg. Genev. in Corp. Poët. 1611. Heinsius *reppressi* s. *repressi*, ead. sententia. *Bip.* *Repressi* Delph. —14 *Ut* pro *ac* Both.—15 Codices quidam: *dicamne.* Et, *id quod.* West. *Id quod* Guelf. 2. *Perl.* *Dicamne* Bip. Delph. Dat Z. *dicam fratris esse? id quidem m. &c.*—16 Ita plerique Libri. Quidam, *Age, omitto.* Mihi neutrum satis placet. Mallem, si per Codices liceret, *Age, mutio.* West. *Age mitto*] Vi. *amitto.* Bem. *ac mitto*, ut et in Phormione: 'Ac mitto imperium.' *Fa.* Nostri universi *Age.* Bent. *Omitte* Guelf. 2. *Age omitto* GM. *Perl.* Vulgo *Age m.* quod in his ambagibus ineptum videatur. Sed Bem. *Ac mitto*, et Vi. *efferri amitto:* unde nostrum *Jam mitto* facilius elicitur. *Bip.* *Ac* Bent. Z. Both. *Uti* pro *ut* Delph.—17 Non cepit vim et elegantiam horum verborum Guyetus, mutans in, *De me id metuo, ut credant.* West. *Ipsum id*] Malimus

Egomet rapui; ipse egomet solvi argentum; ad me abducta 'st domum.
Hæc adeo mea culpa fateor fieri: non me hanc rem patri,
Ut ut erat gesta, indicasse? exorassem, ut eam ducerem.
Cessatum usque adhuc est: nunc porro, Æschine, expergiscere!
Nunc hoc primum est: ad illas ibo, ut purgem me; accedam ad fores.
Perii! horresco semper, ubi pultare hasce occipio miser.
Heus! heus! Æschinus ego sum; aperite aliquis actutum ostium.

conveniunt indicia, quibus id conjici potest; ego ipse rapui illam lenoni, ipse egomet numeravi pretium pro ea, inde illam raptam in ædes adduxi. Fateor me in causa et culpa fuisse, cur in hanc suspicionem inciderim; quia debui patri rem dixisse, uti gesta est; ab eo impetrassem, ut eam pro uxore domum ducerem: segnis et tardus fui huc usque; nunc vero, Æschine, a socordia te excita. Nunc hoc primum faciam, illas conveniam, ut eis omnem suspicionis causam adimam, et crimen a me removeam. Fores pulsabo. Interii miser, trepidus et frigore corpus rigescit semper, quoties hoc ostium pulsaturus sum. Heus, heus, ego sum Æschinus, ocyus

ipsum illud. Sed trochaicos hos et jam priores duos esse jubent magistri, Neque eos amplius tangamus. *Bip.* *Concurr.*] Al. *occurr.* Perl. *Uti* pro *ut* Delph.—18 Bœnd. *Psaltriam egomet rapui:* ex glossa. Mss. quidam, cum Pr. Inst. Gramm. lib. XIII. legunt, *ipse ego solvi argentum.* West. *Ad me abducta 'st domum*] Ita jusserat Æschinus, supra II. I. 14. Sed in Ms. Lips. *est domum* absunt. *Id.* *Adducta est* Br.—19 *Fieri*] Posuit hic Schmieder. notam exclamandi. Sed placet punctum aliorum. *Dixi* post 'pat.' Guelf. 3. *Perl.* —20 Magna Mss. pars, *Ut erat gesta.* Sed Do. legit, ut edidi, atque ita Fa. Riv. Heinsius, alii recensuerunt. Demum trochaicus ita postulat. *West.* Duo ex nostris, Pet. et CCC. *indicasse? exorasse, ut eam ducerem?* Bent. Non geminant *ut* Pall. *Perl.* Nec Br. nec Both. qui dat *indicasse: exorassem;* et monet *Utut* parum quadrare huic loco. Admirandi signum dat Both. post 'indicasse.' *Ut ut* collocat Delph. in versu anteced. et dat *ducerem domum.*—21 *Nunc jam porro*] Do. et aliqui libri, inter quos Bem. Bas. et V. *jam* non habent; sine qua stat trochaicus; aliter non. *Fa.* *Jam* habet Guelf. 2. *Est usque adhuc* Delph. Bip.—22 *Illas*] Ed. *alias:* forte ex mendo typogr. Archetypon enim hujus ed. habet *illas.* Bruns. Cujus cod. interrogat in fine versus.—23 Mira Mss. varietas. In aliis, *ubi hasce pultare occipio fores miser.* In aliis, *ubi hasce pultare occipio fores.* Rursus in aliis, *ubi pultare hasce occipio miser fores.* Mur. defendit *fores miser*, ut sit iambicus quadratus; laudante F. F. Rivius et Fa. rejiciunt *fores.* Videntur mihi in tribus hisce versibus inesse signa Æschini perturbati; unde parum concinne loquitur, geminans, *nunc, nunc; ibo, accedam; fores, fores.* De quo Rivius et Fa. non cogitarunt. *West.* *Ubi pultare hasce occipio fores*] Sic est in Bembino: in aliis varie legitur; plerique enim ita habent, *occipio fores miser.* Aliqui, inter quos Vi. et Decurtatus, non habent vocem *fores:* itaque etiam Ubaldinus Bandinellus legebat: et sane hic dictio *fores* superfluit; utique enim ea vox subintelligitur ex proximo versu. Hoc et Riv. annotavit. *Fa.* Nostri mendose, *fores miser;* et vs. 23. deest *jam.* Bent. *Pulsare* Al. *Perl.* Ed. nostra

Prodit nescio quis: concedam huc.

mihi fores reserate. Exit nescio quis; interea huc secedam.

vetus *fores miser.* Ex inconstantia Mss. et edd. colligi potest denuo additum esse *fores* à glossa. *Bip.* *Fores miser* habet et Br.—24 *Ego s. Æschinus* Guelf. 3. Abest *aliquis* a 2.

ACTUS IV. SCENA V.

MICIO. ÆSCHINUS.

MI. ITA, uti dixi, Sostrata,
Facite: ego Æschinum conveniam, ut, quomodo acta hæc sint, sciat.
Sed quis ostium hoc pultavit? ÆS. Pater hercle est: perii! MI. Æschine.
ÆS. Quid huic hic negotî 'st? MI. Tune has pepulisti fores?
Tacet. Cur non ludo hunc aliquantisper? melius est,
Quandoquidem hoc nunquam mihi ipse voluit credere.

MI. *Sostrata, ita ut vos monui, facite: ego Æschinum adibo, ut intelligam ab eo, quomodo hæ res actæ sint; sed quis has fores pulsavit?* ÆS. *Per Herculem pater ipse est; occidi.* MI. *Æschine.* ÆS. *Quod negotium habet pater hic?* MI. *Tune hoc ostium pulsasti? silet. Quid me impedit nunc, quominus hunc per aliquod tempus ludibrio habeam? istud opportunum est, et conveniens, quoniam hoc secretum*

1. 2. *Uti dixi*] Ita Donatum secutus expressi. In Libris quibusdam est, *ut dixti.* West. *Facite*] Ita legendum esse vel e Do. apparet; quare quorundam Codicum *Facito* pro mendoso habendum. *Id.* *Facito* G. EM. *Id in Add.* Videtur elidendum *t* ex *ut.* Fa. Tantum abest, ut elidas quid ex *ut*; ut adjiciendum aliquid sit, *uti;* et sic quatuor ex nostris meliores. *Bent.* *Ita ut dixi, Sostrata, Facite*] Sic Faërnus: sed omnes nostri *Facito*, et quatuor *dixti:* duo *dixisti.* Enimvero legendum est, *Ita uti dixti, Sostrata, Facito.* Quippe hoc Micionis ingenio convenit; non imperare, sed obsequi. *Id.* *Acta hæc sint*] O. l. s. *sunt.* Faërnus. Nostri quoque *sunt.* Bent. *Dixti* Vet. Cod. *Lind.* *Facite* legit Schmieder. *Bruns.* *Ut* Z. *Dixti* Delph. *Facito* Br. *Sunt* Br. Bent. Delph. Bip. Bentleium omnino sequuntur Both. Perl.—3 *Pulsavit* G. EM. *West.* Sic Br.—4 *Huic* delet Both.—5 *Cur non l. h. aliquantisper? m. est*] Si addas *nunc*, versus constat. *Er.* Illud proximi versus *Tacet* occupat ap. Fa. et Bent. principium huj. vs. *Zeun.* Id rejiciunt in versum 4. Z. Bip. Delph. *Cur hunc al. non ludo* Bip. Delph. Dat Both. *Tacet.* *Quin ludo hunc.*

Nihil mihi respondes? ÆS. Non equidem istas, quod sciam.
MI. Ita? nam mirabar, quid hic negotii esset tibi.
Erubuit: salva res est. ÆS. Dic sodes, pater,
Tibi vero quid istic est rei? MI. Nihil mihi quidem:
Amicus quidam me a foro abduxit modo
Huc advocatum sibi. ÆS. Quid? MI. Ego dicam tibi:
Habitant hic quædam mulieres pauperculæ:
Ut opinor, has non nosse te, et certo scio:
Neque enim diu huc commigrarunt. ÆS. Quid tum postea?
MI. Virgo est cum matre. ÆS. Perge. MI. Hæc virgo orba est patre:
Hic meus amicus illi genere est proxumus:

nunquam fidei meæ committere voluit. Nihil mihi interroganti respondes? ÆS. *Non equidem istud ostium, quantum scio, pulsavi.* MI. *Non pulsasti? nam mirum quidem mihi videbatur, quid rei agendum hic haberes. Præ pudore rubore suffusus est, res bene se habebit.* ÆS. *Dic, quæso pater, tute vero quod negotium hic gerendum habes?* MI. *Nullum quidem mei causa; sed quidam ex amicis modo me huc e foro avocavit, ut ei adessem, et consilio meo auxiliarer.* ÆS. *Quapropter?* MI. *Ego dicam tibi; quædam fœminæ inopes in istis ædibus habitant, has puto tibi esse ignotas, et proculdubio ita est; neque enim multo antehac huc advenerunt.* ÆS. *Quid tum postea?* MI. *Puella ibi est cum matre.* ÆS. *Continua sermonem, quæso.* MI. *Hæc puella patre vita functo privata est: hic meus amicus est*

—6 *Ipse* omitt. Br.—7 *Istas*] Sub. Fores pepuli. Quanto magis mirum, et quosdam Mss. et non pessimæ notæ editos Codd. præferre *instas.* West. *Instas* R. *Lind.* GM. ut al. *instas:* non placet, propter 'equidem.' *Perl.* Sic dat et Br.—8 *Itan?* O. l. s. et Donatus, *Ita.* Faërnus. Nostri etiam *Ita;* sed male Faërnus per interrogationem protulit. *Bent.* qui cum Perl. dat *Ita: nam, &c.* *Jam* pro *nam* Guelf. 2. et *huic* ante 'hic.'—10 Sic Faërnus: sed nostri fere omnes *rei est.* Repono, *istic rei fuit? nil mihi quidem.* Jam enim inde exierat. *Bent.* *Re* pro *rei* Both. *Negotii* pro *rei* Guelf. 3. —11 GM. *a foro me:* bene, quo vitaretur hiatus. *Perl.*—14 Nisi legem Pediam metuerem, legerem: *Ut opinor, has non nosti; et certo scio.* Bona librorum pars, *opinor, has non nosse te,* legit. Quod Dacieria est secuta, et ante illam F. F. *West.* *Ut op. has non nosse*] Hoc ne Latine quidem dictum est. Guyetus versum ejicit. Donatus ad locum: 'Adeo obscuræ sunt et nullius pretii, ut opinor has non nosse te.' Cum dicit 'Adeo ut,' necesse est ut legerit, *Ut opiner has non nosse te: et certo scio.* Et sic legendum est; distinctione quoque, ut dedimus, adjuvandum. *Bent.* *Opinor*] Sic ed. nostra 1496. Heins. Dac. Al. *Ut opinor:* in quo emendando frustra laborant West. et Bent. *Bip.* quæ dat cum Br. *Opinor.* Delph. legit *Op. eas non nosse te, et certe scio.* Both. *pauperculæ . . .* ÆSCH. *Ut opinor.* MIC. *Has non nosse te, certo scio.* In Guelf. 3. est *quod nescis eas* post 'scio.'—15 *Migrarunt* Both. 16 *Virgo cum matre* id.—17 *Genere est illi* id.—19 Br. dat *Nihil recte. Perge.*

Huic leges cogunt nubere hanc. ÆS. Perii! MI. Quid est?
ÆS. Nihil: recte: perge. MI. Is venit, ut secum avehat;
Nam habitat Mileti. ÆS. Hem! virginem ut secum avehat!
MI. Sic est. ÆS. Miletum usque, obsecro? MI. Ita. ÆS. Animo male 'st.
Quid ipsæ? quid aiunt? MI. Quid illas censes? nihil enim.
Commenta mater est, esse ex alio viro,
Nescio quo, puerum natum; neque eum nominat:
Priorem esse illum; non oportere huic dari.
ÆS. Eho! nonne hæc justa tibi videntur postea?
MI. Non. ÆS. Obsecro, non? an illam hinc abducet, pater?

illi cognatione proximus; huic lex Solonis vult uxorem esse, aut si ille eam non duxerit, dotem ei orbæ dare. ÆS. *Actum est de me.* MI. *Quid tibi est?* ÆS. *Nihil male est: progredere.* MI. *Is vero huc profectus est, ut eam hinc secum abducat; nam habitat Mileti.* ÆS. *Hem! virginem hanc ut abducat?* MI. *Sic facturus est.* ÆS. *Itane quæso tam procul hinc Miletum eam avehet?* MI. *Sic est.* ÆS. *Animo linquor præ dolore. Quid illæ mulieres animi habent? quid dicunt?* MI. *Quid illas putas dicere? nihil. Mater hoc excogitavit, dicit filiam peperisse puerum ex alio nescio quo homine, cujus nomen celat: illum esse præferendum huic Milesio, ut eam ducat uxorem.* ÆS. *Eho! nonne hæc æquitati consentanea esse arbitraris?* MI. *Minime.* ÆS. *Quamobrem, quæso? illamne hinc avehet?*

—20 *Advehat* Guelf. 2. Legit Both. *Nam Mileti habitat. Hem, utne secum virginem . . . .?* abjecto *avehat.*—21 *Sic*, omisso *est*, Guelf. 2.—22 *Quid ipsæ*] Alias *Quid ipsæ aiunt?* Er. *Istas* EP. *West.* *Istas*] Hic quoque Donatus, et Bem. et omnes recentes, *illas.* Fa. Unus tantum ex nostris, *illas.* Bent. Abest *quid* medium a Guelf. 2. *Perl.* *Nihil enim.* *Commenta*] Edit. non interpungit. *Bruns.* *Istas* Br. Z. *Agunt* pro *aiunt* Both.—24 *Enim* pro *eum* Both.—25 *Ei* pro *huic* Guelf. 2.—26 Æsch. rogat, tanquam id, quod pater dixerat commentum, verum omnino sit. Ita se patri aperit. Do. vel hoc *postea* ad audita de puero ex alio viro nato referendum, vel abundanter dictum censet; cui posteriori sententiæ accedunt hodie omnes. Nobis in nostro, quod sæpius sumitur παρέλκειν, non placet. Sed et vetus ed. Argent. signum rogandi aliter ponit —*videntur? postea* —quasi Æsch. amplius dicturus fuisset: Postea etiam illam hinc abducet? A parte interpellatus id certe mox addit. Venerat quoque in mentem, an legi possit *poscier.* Bip. *Eho, nonne hæc juste tibi videtur poscere* Both.—27 *Hinc* omitt. Both.—28 *Quid*

NOTÆ

20 *Mileti*] Urbs Cariæ, nunc dicta, *Melaxo.*

MI. Quid illam ni abducat? ÆS. Factum a vobis duriter,
Immisericorditerque; atque etiam, si est, pater,
Dicendum magis aperte, illiberaliter.
MI. Quamobrem? ÆS. Rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi misero, qui cum illa consuevit prius,
Qui infelix haud scio an illam misere nunc amat,
Cum hanc sibi videbit præsens præsenti eripi,

MI. *Ita est.* *Quid est causæ cur non abducat?* ÆS. *Dura mente, et misericordia experte egistis, tu pater, et Milesius ille amicus cum his mulieribus, et, ut ingenue dicendum est, non ut viros liberales et honestos decet.* MI. *Quid ita?* ÆS. *Quid ita rogas? quomodo animatum et affectum fore hunc misellum censes, qui cum hac virgine nunc usque conversatus est, tanquam uxore sua? qui infelix etiam forte nunc ejus amore inflammatus est, quando intuebitur hanc crudeliter præsentem tibi præ-*

illam ni] Tmesis Comica. In pluseulis tamen libris est, *Quidni illam.* West. *Quidni illam*] Omnes antiqui libri, et plerique ex recentibus, *Quid illam ni.* Fa. Ita nostri quoque plerique omnes. *Bent.* *Quidni illam*] Sic Hel. et vett. edd. Vulg. *Quid illam ni*, dure atque insolenter. *Both.* qui illud dat cum Delph. Bip.—30 GM. *illib. aperte*, satis confuse. *Perl.*—31 *Credis* Guelf. 2. *Me* delet Both.—32 *Cum illa consuevit*] Ita Leidd. quinque, Tr. Lips. Bodl. Sed M. et Bœnd. *illi consuevit:* quod Græcis est, ὁμιλεῖν τινί. Atque ita legunt Mur. St. Pulmannus, Heinsius, et his multo vetustiores libri, in quibus EA. Guyetus κατ' ἀναστροφὴν legit, *qui illa cum suevit prior.* Ego Juntas, Aldum, EP. et alias secutus sum. Estque Phrasis magis Terentiana. *Prius* vulgo. *Prior* tamen vincit numero librorum. Sic Eun. Prol. 6. 'Quia læsit prior.' *West.* Do. et Bem. *qui illa.* Ceterum dictionem *prius* non ponit Donatus: liber vero Bembinus et plerique alii antiqui, loco ejus, habent *prior*, ut et in Eunucho, 'Quia læsit prior.' *Fa.* *Qui illa consuevit prior*] Sic ex Bem. Faërnus, sed a Correctore vetere est, metrorum perito. Nostri universi *cum illa* et *prius.* Tu, vel repone, ut codices ceteri, quod ab alio præreptum video, *Fore animi misero, quicum illa consuevit prius:* vel, quod verius existimo, *Fore animi misero, qui cum ea consuevit prior.* Servius tamen ad Æn. IV. 408. *qui cum illa consuevit.* Bent. *Cum illa*] Par omitt. cum male. *Perl.* *Qui illi cons.*] Sic plures Mss. et editi vett. (inter quos nostra Arg.) et recc. itemque Do. qui tamen et legi dicit *illam*, quod ferri nequit. Multi præter metrum legunt *cum illa cons.* Bip. quæ dat cum Delph. *qui illi.* *Qui illa* Both. *Prior* Bip. Both. Perl.—33 *An illam nunc misere amet*] O. fere l. s. et in iis Bem. et Bas. *misere nunc amat:* ut et versui convenit. *Fa.* Ita omnes nostri. *Bent.* *Et nunc amat*] *Et* vulg. abest, quod sententia requirit. *Both.*—34 In libris quibusdam est, *præsens præsentem:* quomodo et Servius legit ad Virg. Æn. IV. 83. *West.* *Præsens præsenti*] Ineptissima hæc lectio est; quæ tamen, nescio quo fuco, minus acutos et diligentes facile fallat. Inspice atque excute; et reperies eundem esse qui *præsens* est, et cui *præsenti* eripitur. Quicquamne esse potest absurdius? Donatus ad locum: 'Adjuvant significationem hæc ex abundanti addita: ut Virgil. 'Illum absens absentem auditque videtque.'' Atqui, o Magister, hic duo sunt; absens Dido, absentem Æneam. Addit ex eodem aliud, 'Fratrem ne desere, frater.' At etiam hic duo sunt; frater Liger, fratrem Lucagum. Ergo

Abduci ab oculis? facinus indignum, pater!
Mi. Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?
Cui? quando nupsit? auctor his rebus quis est?
Cur duxit alienam? Æs. An sedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus huc
Illinc veniret, expectantem? hæc, mi pater,
Te dicere æquom fuit, et id defendere.
Mi. Ridiculum: advorsumne illum causam dicerem,
Cui veneram advocatus? sed, quid ista, Æschine,
Nostra? aut quid nobis cum illis? abeamus. Quid est?
Quid lacrymas? Æs. Pater, obsecro, ausculta. Mi. Æschine, audivi omnia,

senti auferri, et abstrahi in conspectu suo? factum immite, et vituperandum, pater. Mi. *Qua de causa hæc ais? an pater illam uxorem promisit? an in manum tradidit? quando nuptiæ factæ sunt? cujusnam auctoritate celebratæ? cur duxit uxorem ad alium pertinentem?* Æs. *An otiose desidere domi virginem nubilem oportuit sine conditione, et illam expectare, quoad propinquus ille eam uxorem peteret? Hæc, mi pater, te dicere justum fuit, et in defensionem virginis proferre.* Mi. *Quam ridiculus es? an arbitraris me debuisse contra illum verba facere, qui me sibi advocatum adjunxerat? Sed quid hæc nostra interest, Æschine? aut quid nobis cum illis negotii? abeamus hinc. Quidnam est? cur lacrymaris?* Æs. *Pater, oro ut me audias.* Mi. *Æschine, accepi omnia quæ dicturus es, et probe scio; nam te*

repone, *præsens præsentem.* Præsens amator præsentem amicam. Et ita plane apud Servium citatur, ad Virg. *Bent.* Bent. idoneis rationibus demonstravit legend. esse *præsens præsentem.* R. D. *Præsentem* bene Bent. emendat vulg. *præsenti*, quod perplexum est. *Bip. Præsentem* dat et Both.—37 Solicitant hanc lect. Guyetus et Dac. Ille, *quis dedit Huic? quando nupsit?* Hæc: *Qui, quando nupsit?* legunt. Addit Dacieria, designari cærimonias nuptiarum. Nihil mutandum. EP. *Qui est?* West. *Auctor*] J. *actor.* Perl. —38 Vulg. *Cur duxit alienam?* Quis, obsecro, quam? In *Condixit* virgo intelligenda, in *alieno* Æschinus, admodum apte ad sequentia totamque orationem. *Both.* qui dat *Condixit alieno? An s. virginem Domi oportuit t. grandem, d. c. hinc, &c.*—39 *Dum cognatus huc*] Sic Faërnus, et sic codices nostri. Sed multo elegantius est, quod vett. Edd. et codex Rivii habent, *hinc.* Sic et Do. quoque legit. *Bent. Hinc* legendum, non *huc.* Ita reponit idoneus Grævius ad Flor. IV. 2. p. 748. ediditque Bent. *R. D. Huc*] Elegantius *hinc.* Perl. *Huc*] Ald. Er. cet. Sed *hinc* nobis placet. *Bip. Huc* est in Leidd. quinque, Tr. Lips. Bodl. et Bœnd. probante Glar. Sed in M. est, *hinc.* Priorem lect. tuentur Junt. Ald. St. in eleganti edit. minimæ formæ, anni 1540. Muretus; posteriorem Pulmannus, Manutius; Heinsius, cum multis edd. vetustis; quasi non de Milesio illo tantum, sed de quovis cognato *hinc Illinc* veniente sermo sit. *West.* Non ergo erat cur Grævius ad Flor. IV. 2. 44. diceret pessimas edd. legere *huc.* Id. in Add. *Hinc* dat Delph.—42 Stephanus, Manutius, Pulmannus, Heinsius, alii Donati auctoritatem secuti *Ridicule* ediderunt. Sed, si maxime ita præstaret legere, adverbium esset, non vocativus. *West. Ridiculum*] *Ridicule* habet ed. Arg. 1496. Er. adverbialiter *Ridicule.* Sed leve est. *Bip.* Lego *adversusne.* Bent. Quod dat Both. *Ridicule* Delph.—43 *Id* pro *ista* Both. Omittit Delph.—44 *Aut* delet Both.

Et scio; nam te amo; quo magis, quæ agis, curæ sunt mihi.
Æs. Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater,
Ut me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer dolet,
Et me tui pudet. Mi. Credo hercle; nam ingenium novi tuum
Liberale: sed vereor, ne indiligens nimium sies.
In qua civitate tandem te arbitrare vivere?
Virginem vitiasti, quam te jus non fuerat tangere.
Jam id peccatum primum magnum; magnum, at humanum tamen.
Fecere alii sæpe, item boni: at, postquam id evenit, cedo,

amo, eoque majorem curam eorum quæ agis gero. Æs. *Ita velim hunc erga me amorem continues, dum vitam agas, et eo me dignum præstem, mi pater, ut me hanc culpam commisisse vehementer doleo, et tui gratia pudore suffundor.* Mi. *Facile id credo; nam quam probæ sis indolis et ingenuæ scio, sed metuo ne in rebus tuis negligentior sis atque incautior. In quanam civitate demum opinaris te agere? nonne Athenis vivis, ubi leges vigent? Virgini vitium obtulisti, quam ne quidem attingere tibi licitum fuit. Jam crimen istud primum grave est: grave certe: at in hominem potest cadere: admisere illud quoque sæpissime viri alii, etiam probi: at postquam id fecisti, dic, quæso, quodnam remedium circumspiciendo huic facto*

—45 *Quod* Br.—46 *Amo te* Delph. Dat Both. *Ut sient: nam te amo; quo mage, quæ agis, sunt curæ m.*—47 *Promerentem ames*] GM. *ut.* Perl. *O mi pater* Br.—50 *Novi ingenium* Both.—51 *Tand. civ. id.*—52 *Jus non erat*] O. l. s. *fuerat.* Ita stat trochaicus. Præterea Bem. ita collocat, *non jus fuerat.* Fa. Nostri omnes *jus non fuerat.* Bent. *Non jus* Bent. Bip. Perl.—53 Ita distinguo. Plaut. Merc. II. 2. 48. 'Humanum amare est.' In quibusdam Codd. alterum *magnum* desideratur. Quod additum facit tetrametrum brachycatalecticum, vel ecthlipsi neglecta acatalecticum. Restituit Muretus velut neglectum a Librariis. *West. Jam id peccatum primum magnum, at humanum tamen*] Versus hic trimeter trochaicus est hypercatalecticus, cujusmodi nullum alium apud Terentium invenio. Ego puto geminari debere dictionem *magnum*, distinguendo utrobique hoc modo, *Jam id peccatum primum magnum: magnum, at humanum tamen.* Ita versus est trochaicus tetrameter catalecticus, ut ceteri: non tamen moveo vulgatam lect. *Fa.* Certissimum est *magnum* geminari hic debere; et nimis timide Faërnus, qui in Textum non asciverit, *Jam peccatum primum id magnum: magnum at humanum tamen.* Sic Euphoniæ causa lego, non *Jam id peccatum primum magnum.* Ceterum redonamus cuidam correctiunculam, qua *Civem* apponit versus initio. Quippe *Civem* fuisse jam ista indicaverant, 'Quam te non jus fuerat tangere.' *Bent.* Alii semel *magnum* dant: sed duplex posci a metro vidit Fa. et Mur. restituit: quem sequuntur Dac. West. Bent. *Bip. Primum magnum, et* Br. Z. *Et* pro *at* Perl. qui notat *at* pro *et* habere Guelf. 3.—54 *B. viri*, omisso *item*, Guelf. 2. et *eveniet.* Perl. *Id* omitt. Delph. Dat Both. *Jam id p. p. magnum*,

Numquid circumspexti? aut numquid tute prospexti tibi,
Quid fieret, qua fieret? si te ipsum mihi puduit dicere,
Qua resciscerem? hæc dum dubitas, menses abierunt decem.
Prodidisti et te, et illam miseram, et gnatum, quod quidem in te fuit.
Quid? credebas, dormienti hæc tibi confecturos Deos,
Et illam sine tua opera in cubiculum iri deductum domum?
Nolim ceterarum rerum te socordem eodem modo.
Bono animo es: duces uxorem hanc. Æs. Hem! Mi. Bono animo es, inquam. Æs. Pater,
Obsecro, non ludis tu nunc me? Mi. Ego te! quamobrem? Æs. Nescio;
Nisi quia tam misere hoc esse cupio verum, eo vereor magis.

attulisti? Numquid tu ipse providisti rebus tuis? quid faciendum foret? et quomodo fieret? Aut si pudore impeditus fuisti quominus id mihi tute ipse declarares, an fecisti ut per alios id inaudirem? dum dubius animi, quid agere debueris, hæres, menses elapsi sunt decem. Objecisti illam tuam amicam, et infantem ex ea susceptum, teque ipsum magnis periculis et miseriis, quantum in te positum fuit. Quid tibi persuadebas eventurum ita cessando? tibi desidenti, et stertenti, res tuas Deos peracturos? et amicæ, te otioso, et nullomodo allaborante, deductionem ad ædes tuas factum iri? Ægre tulerim si in ceteris tuis rebus ita negligens fueris: sed hilari esto animo, illam in uxorem accipies. Æs. *Hem!* Mi. *Lætus esto, inquam.* Æs. *Pater, dic mihi, quæso? an non me ludificaris?* Mi. *Ego te ludificer? quamobrem?* Æs. *Nescio, nisi quia tantopere hoc ita esse cupio, eo vehementius metuo ut succe-*

---

at h. est tamen: boni | Fecerunt item alii sæpe. At, &c.—55 *Circumspexisti* Guelf. 3. *Prospexisti* 2.—56 *Qua f.*] M. *quomodo f.* EP. *mihi ipsum.* West. Lege ex nostris fere omnibus *mihi ipsum.* Bent. *Quid fieret?*] Ms. Par. *et.* Perl. *Ipsum mihi* transponunt Bip. Both.—57 Distinct. post 'hæc' in Guelf. 2. *Perl.* —58 Glar. hunc versum legit: *Prodidisti te atque illam miseram, et gnatum, quod in te fuit.* West. Abest *et* primum a Guelf. 3. *Perl.* Et a Br. et Delph. *Et te* delet Both.—59 Abest *hæc* a Guelf. 2. *Perl. Quid credebas? dorm. &c.* Br. Bent. Lind. *Consecuturos* Br.—60 Vulg. *domum:* quasi ipsa domi suæ cubiculum virgo non habuisset. *Both.* qui dat *tuum. Sine tua opera illam* Delph.—61 *Noli te et soc. esse* Guelf. 2.—62 *Hem!*] Guy. *Hanc,* cum interrogatione. *West. Uxorem hanc*] Versus justo longior est. Tolle *hanc,* quod non agnoscit Do. Satis constabat quam uxorem intelligeret. *Bent. Uxorem*] Al. post 'ux.' intrudunt *hanc.* Bip. Vulgo impedito versu: nam *hanc,* magni momenti verbum, deleri, quæ Bentleii ratio est, cuinam placeat? Rei conversioni gravissimæ metrum gravissimum convenit. *Both.* qui dat *ux. hanc duces.* Æsch. *Hem, pater ....* Mi. *Bono animo es, inquam.* | Æsch. *Obsecro, num ludis, &c.*—63 *Num ludis* alii. *West.* Pro *non* rectius Bent. cum Fa. edidit *num.* Zeun. Interrogat edit. post 'te.' *Bruns.* Nam Br. dat *Ego te quamobrem? Num* habent Br. Delph. Bip. Perl. —64 Et dictionem *Nisi* respuit versus: nec eam habet Donatus, nec ullus

Mi. Abi domum, ac Deos comprecare, ut uxorem arcessas: abi.
Æs. Quid? jam uxorem? Mi. Jam. Æs. Jam? Mi. Jam, quantum potes. Æs. Di me, pater,
Omnes oderint, ni magis te, quam oculos nunc amo meos.
Mi. Quid! quam illam? Æs. Æque. Mi. Perbenigne. Æs. Quid! ille ubi est Milesius?
Mi. Abiit; periit; navem ascendit: sed cur cessas? Æs. Abi, pater:
Tu potius Deos comprecare; nam tibi eos, certo scio,
Quo vir melior multo es, quam ego, obtemperaturos magis.
Mi. Ego eo intro, ut, quæ opus sunt, parentur: tu fac, ut dixi, si sapis.

dat. Mi. *Ad ædes nostras proficiscere, ac Deos precibus exora, ut postea uxorem accersendam cures: proficiscere.* Æs. *Quid, tam cito uxorem? jamne?* Mi. *Jam.* Æs. *Jam?* Mi. *Quantum cito fieri potest.* Æs. *Ita velim, pater, ut Dii omnes odio me habeant, nisi te plus oculis meis amo.* Mi. *Quid, plus illa Pamphila?* Æs. *Tantum, quantum illam.* Mi. *Abunde est, et plusquam mihi satis est.* Æs. *Sed ubinam est homo ille Milesius?* Mi. *Discessit, naufragio periit, postquam mari se dedit; sed cur tamdiu moraris?* Æs. *Abi, pater; te potius Deos precari convenit: nam certus sum, quod multo magis probus et pius in eos es, quam ego sum, illos potius te exauditυros.* Mi. *Ego intro domum eo, ut curem omnia paranda, quibus nunc usus est: tu ea, quæ te monui, exequere, si sapiens es.* Æs.

---

antiquus liber. *Fa. Nisi quia*] Ita expressi, plurimos et probatissimos Codices secutus. Et est comicum, 'nisi quia,' et, 'nescio nisi.' Unde adeo immerito τὸ *Nisi* respuit Faërnus. Bona pars Mss. et impressorum, *ideo vereor.* West. Tres ex nostris cum Edd. vett. *Nisi quia.* Correctores olim ejecerunt *Nisi:* atqui ejiciendum fuerat *quia. Nescio: Nisi tam misere hoc esse cupio verum, eo vereor magis.* Bent. Habet Guelf. 1. *cupio. Verum id v. m.* Et 2. *ideo* pro *eo.* Perl. Fere codd. *Nisi quia tam m.* mendose quidem: quod vel metrum indicat. Vulgatæ *Quia tam m.* difficili τοῦ *eo* relatione. Bent. denique haud melius *Nisi tam m.* Both. qui dat *Nisi quam m. Nisi* omitt. Br. Z. Bip.—65 *Accersas* Bent. Delph.—66 *Jam uxorem*] M. *jam ducam uxorem?* Ms. Lips. Bodl. Bœnd. cum EA. et quibusdam aliis: *jamne uxorem ducam?* Gul. Canterus, *quantum potest.* Forte melius: estque elegans et plane comica locutio. *West. Jamne uxorem*] Particula *ne,* nec a Donato ponitur, nec est in libro Bembino; utroque tamen modo stat versus. *Fa.* Nostri *jamne.* Sed, pro *potes,* veterrimus noster *potest:* et sic Donatus; cum sic explicat, 'Aut deest, cito; aut, Quantum potest esse.' *Bent.* R. et vet. cod. [et Br.] *jam uxorem ducam?* Lind. *Jamne uxorem* Perl. Delph. *Potest* Br. Bip. Delph. Both. Perl. Non interrogat Br. post tertium 'Jam.'—67 Codices plerique omnes, *nunc ego amo meos.* Recte; ut in ea sede Dactylus sit, non Trochæus. *Bent. Nunc ego amo* R. *Lind.* Et sic Br. Bip. Both. Perl. *Mage* Both.—68 *Quid? Quam? Illam?* Br. *Ubi ille* Both.—69 Canterus Nov. Lect. iv. 24. *Navem ascendit, abiit, periit.* A M. abest τὸ *Abiit.* West. *Navim* Guelf. 3.—70 Lege *Deos potius.* Bent. Sequitur Both. *Certe*

Æs. Quid hoc est negotî! hoc est patrem esse? aut hoc est filium esse?
Si frater, aut sodalis esset, qui magis morem gereret?
Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu est? hem!
Itaque adeo magnam mihi injecit sua commoditate curam,
Ne forte imprudens faciam, quod nolit: sciens cavebo.
Sed cesso ire intro, ne moræ meis nuptiis egomet siem?

Quænam hæc res est? hocne est patris officium facere? aut hocne est filium se præstare? Si frater, aut sodalis meus esset, quo pacto magis obsecundaret voluntati meæ? Nonne tam bonus pater singulari amore prosequendus est? hicne an non in oculis gerendus est? hem! itaque, cum se mihi tam benigne accommodet, in magnam me conjecit curam, ut caveam ne quicquam faciam inconsiderate quod illi displiceat; nam sciens, et prudens ne id faciam, diligenter curabo. Sed differo domum introire, mihi videndum est ne ipsemet nuptias meas retardem.

Br. Delph.—71 *Ego sum* Delph.—72 Pr. Inst. Gramm. lib. XVIII. *Ego ibo intro*: quam lect. probat Erasmus, ob iambicum octonarium. Guy. nothum dicit hunc versum, scilicet, quia Donatus in quibusdam non inveniri ait. *West.* *Fac tu* Delph.—73 *Quid hoc negoti* Delph. Bip.—74 *Mage* Both.—75 Non habet *est* Guelf. 2. *Hicce non gestandus* Both.—76 *Injecit*] Lege, ut necessario postulat versus, *injicit*: quin et sententia idem flagitat. *Bent.* Sequitur Both. ut et Perl. qui monet *injecit* esse in Guelf. 2. 3. An ergo Guelf. 1. dat *injicit?* Vix credas. Sed sæpe sic frustra possis quærere de lectt. Guelf. 1. 2. 3. quæ seorsim exhibet Perl.—77 Sic Faërnus. Sed ex lege versus 'faciam' Tribrachys esse debet, non (ut est) Anapæstus. Tres ex nostris *Ne imprudens forte*: ab aliis quatuor *forte* abest. Repone, metri causa, et distingue, *Ne imprudens faciam forte.* Bent. Al. disting. post 'sciens' perperam. *Perl.* Ut Br. sic: *quod nolit sciens. Cavebo.* Bentleio emendanti accedit Both.—78 Mss. et impressi quidam, post EP. *mora.* West. *Ne mora*] Bem. *moræ.* Utroque modo stat versus; sed hoc rectius. *Fa.* Nostri plerique *mora.* Duo *in mora.* Lege autem *sim*, non *siem.* Bent. *Mora* Br. Z. Delph. *Sim* Delph. Bip. Perl. In fine non interrogant Br. Z. Bip.

ACTUS IV. SCENA VI.

DEMEA.

DEFESSUS sum ambulando: ut, Syre, te cum tua
Monstratione magnus perdat Jupiter!
Perreptavi usque omne oppidum: ad portam, ad lacum:

Ultro citroque commeando totus defatigatus sum. Dii te, Syre, male perdant, qui tam male iter mihi monstrasti. Totam urbem moleste circumivi ad finem

Quo non? neque illic fabrica ulla erat, neque fratrem homo
Vidisse se aiebat quisquam: nunc vero domi
Certum obsidere est usque, donec redierit.

usque; ad portam, ad lacum, et quo non perveni? neque illic ulla fabri taberna: neque fratrem Mitionem ullus hominum se vidisse dicebat: nunc vero constitui domi assidue permanere, donec reversus fuerit.

3 *Usque inde* EA. *West.*—4 In plusculis Codd. utrobique est *nec.* G. EM. *nec fabrica illic ulla erat.* Id. Aliqui libri, in quibus est Bem. *nec fratrem homo.* Bas. utrobique habet *nec: nec illic fabrica, nec fratrem.* Fa. *Quo non? neque illic fabrica ulla erat: neque fratrem homo*] Sic dedit Faërnus: sed eo pacto 'fabrica,' quod emphasin habet, in Thesi occultatur. Nostri omnes; *fabrica illic ulla.* Repone, *Quo non? nec fabrica illi ulla erat: nec fratrem homo.* *Illi* pro, illic, passim apud Nostrum et Plautum. *Nec nec* nostri quam plurimi. *Bent.* GM. colloc. *fabrica illic ulla.* Perl. Vulgo *illic ulla*, mala lect. Bent. *illi ulla;* B *ibi ulla.* Vides jam adverbium esse ab interprete. *Both.* qui dat *neque ulla fabr. erat nec f. h.* Adverbium omittit Delph. Sic et Br. qui dat *nec fabr. ulla erat nec.* Legit Perl. *neque ulla fabr. illic erat, nec.* Bip. *nec fabr. illic ulla erat, nec.*—5 Aut *se* delendum; et sane librum vidimus, qui eam particulam non habebat; aut 'aiebat' in duas syllabas contrahendum per synizesin, ut sæpe. *Fa.* Immo semper Disyllabon apud Nostrum est, et scribendum *aibat.* Bent. Et sic dant Bip. Both. Perl.

ACTUS IV. SCENA VII.

MICIO. DEMEA.

MI. IBO, illis dicam, nullam esse in nobis moram.
DE. Sed eccum ipsum! te jamdudum quæro, Micio.
MI. Quidnam? DE. Fero alia flagitia ad te, ingentia,
Boni illius adolescentis. MI. Ecce autem! DE. Nova;
Capitalia. MI. Ohe! jam. DE. Nescis, qui vir sit. MI. Scio.

MI. *Ibo, et Sostratæ, filiæque ejus Pamphilæ nuntiabo nos in mora non esse nuptiis celebrandis.* DE. *Sed ecce ipsum fratrem. Te jam pridem perquiro, Mitio.* MI. *Quidnam affers novi?* DE. *Fero alia flagitiosa facinora ad te boni illius adolescentis.* MI. *Ecce autem ea, quæ solet, objicit.* DE. *Recentia, capitis pœna digna.* MI. *Ohe, jam satis est.* DE. *Ignoras qualis vir sit.* MI. *Probe scio*

2 Lege ex nostris plerisque *o Micio.* Bent. Sic dat Perl.—4 *Adolescentuli* Guelf. 3.—5 Mss. et impressi quidam, *Ohe! jam desine*: quod repetitum videtur ex Heaut. v. 1. 6. *West.* Lege ex nostris plerisque *Ah nescis.* Bent. *Ah*] GM. *Ha*, idque correct. atramento alieno. *Perl.* *Ah* dant Br. Z. Bip.

DE. Ah stulte! tu de Psaltria me somnias
Agere: hoc peccatum in virginem est civem. MI. Scio.
DE. Eho! scis? et patere? MI. Quidni patiar? DE. Dic mihi,
Non clamas? non insanis? MI. Non: malim quidem.
DE. Puer natus est. MI. Di bene vortant! DE. Virgo nihil habet.
MI. Audivi. DE. Et ducenda indotata 'st? MI. Scilicet.

quæ fecit. DE. *Ah inepte: tu tibi persuades falso me de fidicina renuntiare: hoc recens flagitium factum est in virginem civem Atticam.* MI. *Sat scio.* DE. *Eho, scis, et tamen id permittis fieri?* MI. *Quamobrem non permittam?* DE. *Dic mihi, quare non clamitas, increpas, tanquam ad insaniam redactus?* MI. *Non: malim quidem, si fieri posset, aliter esse.* DE. *Ex illa virgine genuit filium.* MI. *Dii bene, feliciterque id succedere velint.* DE. *Virgo illa nullam omnino rem possidet.* MI. *Rescivi.* DE. *Et illam uxorem accipiet sine ulla dote?* MI. *Nimirum*

Delph. Perl. *At* pro *Ah* Both. *Siet* Delph.—6. 7 Variant Libri scripti et impressi. In aliis est, *Oh, stulte;* rursus in aliis, *O stulte:* quod magis corripientis esse videtur. *West.* *Ah stulte, tu de psaltria me somnias Agere. Hoc peccatum est in virginem civem. Scio*] *O stulte* habet liber Bembinus: quod magis videtur corripientis esse. Præterea apud omnes l. s. hæc verba hunc ordinem habent, *hoc peccatum in virginem est civem,* versusque ita in Bembino et aliis ordinati sunt: *O stulte, tu de psaltria me somnias Agere, hoc peccatum in virginem est civem. Scio.* Fa. Pro *O* nostri omnes, *Ah stulte.* Forte utrumque retinendum: *Scio. Ah, O stulte.* Ut Demea ex animo dolens, vix loqui possit sine interjectione dolentis. *Bent.* Pro *O* l. antiq. *Ah.* GM. *Ha.* Ubi verba abhinc quæ huj. ac sequentis versus sequuntur in marg. inveni addita: quod quidem codicis minime optimæ esse videtur notæ. *Perl.* *Sentias* Br. Superscript. *somnias,* tanquam lectio textualis. *Bruns.* Dat Br. *Ah. Stulte tu de ps. me sentias Agere, &c.* *O* pro *Ah* Z. Bent. Delph. Perl.—8 Ex Bem. corrige, *Oho.* Fa. Nostri *Eho.* Bent. *Oho* dant Bent. Z. Perl. *Ohe* Delph. *Dic mihi* dat Micioni Both.—9 *Malim quidem*] Non convenit inter Interpretes, utri hæc verba sint tribuenda, Demeæne, an Micioni; illud maxime Guyetus, hoc Mur. defendit. Donatus dubitat, ob varietatem Mss. Videntur autem omnino Micionis esse verba. Consentit maxima Mss. pars, sed et optimorum ex impressis, post EP. Rari Codices legunt, MI. *Non malum quidem:* q. d. Ne malum quidem verbum unum propterea dico. Ita Fabrini reddidit: 'Non dico pure una mala parola.' *West.* Bent. cum Fa. et Mur. rectius verba *Malim quidem* Micioni quoque tribuit. Nam mitiori Micionis ingenio magis convenire sunt existimanda. *Zeun.* *Non malim*] Equidem accipio pro, nolim quidem sc. insanire. Conf. infra vs. 30. Editiones vero omnes, post *Non* puncto posito, *Malim quidem* aliæ tribuunt Demeæ, sensu sane inepto; pleræque Micioni, plura, ni interpellaretur, locuturo. Mur. ita supplet: *Malim quidem,* si fieri posset, aliter esse; sed, quando, quod factum est, infectum fieri non potest, æquo animo fero. *Schmieder.* Hæc verba Demeæ tribuunt Z. Both. *Num cl. num ins.* Guelf. 1.—10 *Est* delet Both.—11 Mirum, id rogare Demeam, qui ipse dixerat, peccatum esse in virginem civem, et puerum natum, sciebatque Leges Atticas vel matrimonium jubere, vel necem stupratoris. Nisi potius, monente Donato, sine interrogatione pronuntiandum, et jungendam illis, 'Virgo nihil habet.' *West.*

DE. Quid nunc futurum est? MI. Id enim, quod res ipsa fert:
Illinc huc transferetur virgo. DE. O Jupiter!
Istoccine pacto oportet? MI. Quid faciam amplius?
DE. Quid facias? si non ipsa re istuc tibi dolet,
Simulare certe est hominis. MI. Quin jam virginem
Despondi; res composita 'st; fiunt nuptiæ:
Demsi metum omnem: hæc magis sunt hominis. DE. Ceterum,
Placet tibi factum, Micio? MI. Non, si queam
Mutare: nunc, cum non queo, æquo animo fero.
Ita vita 'st hominum, quasi, cum ludas tesseris:
Si illud, quod maxume opus est jactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

talem ducet. DE. *Quid nunc inde eventurum est?* MI. *Id scilicet, quod res ipsa, ut est, suadet; virgo ex ædibus matris ad nostras huc deducetur.* DE. *O Jupiter! siccine agendum est?* MI. *Quid me vis amplius agere?* DE. *Quid agas? si vere de his rebus non doles, certe, si homo ratione aliqua es præditus, dolere te simules.* MI. *Quin immo virgo jam desponsa est Æschino, res transacta est, et omnis contentio placata, pactæ sunt nuptiæ, omnem timoris causam ademi matri et virgini. Hæc magis sunt hominis ratione præditi, quam ea quæ suades.* DE. *Attamen, placet tibi factum istud Æschini?* MI. *Minime, si infectum reddere possim: nunc cum non possim, id patienter tolero. Vita hominum non absimilis est ludo tesserarum; si quod optas, jactu non ceciderit feliciter, opus est, ut quod infausta et aversa fortuna cecidit, illud arte et industria corrigas.* DE. *Egregium scilicet cor-*

Tolle notam interrogationis, ut infra vs. 33. *Bent.* Sustuli notam interrog. *Perl.* Sustulit et Both.—13 *Transfertur* Br. si id Bruns accurate exscripsit.—15 *Quid facias, rogitas? si non re ipsa tibi istuc dolet*] Duo hic mutanda: nam et verbum *rogitas,* quod nec est in Bembino, et versui repugnat, delendum est, et hæc verba hoc ordine sunt ponenda: *si non ipsa re;* idque ex o. l. s. *Fa.* Leidd. quinque, M. Bodl. G. et Lips. cum EP. Junt. Aldd. St. EM. *Quid facias, rogitas?* Tr. et Bœnd. *Quid facies, rogitas?* ita et EA. ET. Venetæ, Lugdunensis, aliæ. Præterea autem varie hic versus legitur. Ego Rivium maxime, Faërnum et G. F. secutus sum. *West.* Nostri omnes *rogitas.* Bent. *Ipsa re*] J. et Venetus cod. *re vera.* 'Istuc' ante 'dolet' Guelf. 3. *Perl.* *Rogitas* Br. *Re ipsa* Both. *Tibi istuc* Bent. Z. Delph. Bip.—16 *Certe* omittit Br.—18 *Demsi*] Par. Ms. *Depressi.* Perl. *Mage* Both. Perl.—20 *Non queo*] Mss. et editi quidam, *nequeo.* West. *Non cum nunc queo* Guelf. 1. *Animo æquo* Bent. Z. Both. Perl.—21 Jubet Donatus, 'notare genus locutionis. Rectum quippe erat, Quemadmodum tesseris ludere.' Hoc nempe vult *cum* illud supervacuum esse. Et sic profecto est. Auctor enim dedit, *quasi si ludas.* Bent. *Quasi cum*] Sic Lind. Sic it. Syr. Mim. citat. *Perl.*—22 *Quod est maxime opus*] Ex iisdem omnibus libris, et Donato, repone hunc ordinem verborum, *quod maxime opus est.* Fa. Sic et nostri. *Bent.*—23 Abest

DE. Corrector! nempe tua arte viginti minæ
Pro Psaltria periere; quæ, quantum potest,
Aliquo abjicienda est; si non pretio, at gratiis.
MI. Neque est, neque illam sane studeo vendere.
DE. Quid igitur facies? MI. Domi erit. DE. Pro Divum fidem!
Meretrix et materfamilias una in domo?
MI. Cur non? DE. Sanum te credis esse? MI. Equidem arbitror.
DE. Ita me Di ament, ut video ego tuam ineptiam,
Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
MI. Cur non? DE. Et nova nupta eadem hæc discet? MI. Scilicet.

rectorem! tua arte effectum est, ut viginti minæ pro fidicina absumtæ et perditæ sint: quæ fidicina abigenda hinc est, aut pretio vendita, aut gratis data. MI. *Neque est nobis emtor, neque vendere libet.* DE. *Quid ea igitur facies?* MI. *Domi sedebit.* DE. *Proh Deorum fidem! meretrixne et materfamilias una in ædibus tuis morabuntur, atque habitabunt!* MI. *Quidni?* DE. *Num sanæ mentis es?* MI. *Profecto me talem esse censeo.* DE. *Ita mihi Dii sint propitii, ut jam tuam amentiam perspectam habeo; te quippe conaturum credo, ut habeas psaltriam cum qua vocem cantando exerceas.* MI. *Cur non?* DE. *Et nova etiam nupta eadem cantica docebitur?* MI. *Scilicet ita fiet.* DE. *Tu vero inter eas*

forte a Guelf. 2. et *ut* a 3. *Perl.* *Ad artem ut corr.* Both.—26 *Abjicienda*] Facessat et abigatur Guyeti *abigenda.* West. *At gratiis*] Varia lectio: *gratis; gratiis; at gratis; vel gratis; at gratiis; vel gratiis.* Id. *Si non pretio, at gratis*] Particulam *at*, non sane necessariam, non habet Bem. Ceterum nos pro *gratis*, ex ratione versus, *gratiis* legendum esse contendimus. *Fa.* Nostri omnes *vel gratis.* Recte Faërnus *gratiis.* Certum est nec Nostrum nec Plautum usquam dixisse *gratis*, semper *τρισυλλάβως gratiis.* Bent. *Pretio*] L. antiq. *at.* Pall. *vel.* Perl. *Abicienda*] Sic Hel. prisco more. Vulg. *abjicienda.* Both. qui illud edidit. *Vel gratis* Guelf. 1. Br. *At* seu *vel* delent Bent. Z. Delph. Bip. Both. Perl.—28 Nostri veterrimi et ex ceteris plerique *facias?* Recte: non, velis facere; sed, possis facere? et insuper legendum, *Quid illa igitur facias?* Bent. *Illa* recepi, suadente Bent. Acute enim dicit: 'Responsum 'Domi erit' postulat *illa.*' Perl. *Quid ea igitur facies*] Vulgo abest *ea.* Sed memoratam fuisse psaltriam, ex Micionis responso intelligitur. Vidit Bent. *Both.* *Facias* Br. Perl.—29 Mss. et editi plusculi: *erit una in domo?* quod ex glossa additum videtur. *West.* *Erit una in domo?*] Sic quidem etiam stare posset hic versus; sed melius habet, ut in libro Bembino, detracta dictione *erit:* quod ne sensui quidem quicquam nocet. *Fa.* Nostri perperam *erit.* Bent. *Erit* ante 'una' Guelf. 2. *Perl.* Sic et Br.—30 Magna Librorum pars legit, *Sanumne.* West. *Sanumne*] Delenda est particula *ne* juxta o. l. s. versusque rationem. *Fa.* *Sanum te credis esse*] Mirum hoc; cum nostri universi *Sanumne* habeant: et recte, modo ordinem mutes, *Sanumne credis te esse?* Bent. *Sanumne* Guelf. 2. *Perl.* Sic Br. Delph. Z. *Sanum te credis* Perl. *Sanumne credis te* Both.—31 Meliores nostri magno numero, *tuam ego.* Recte. *Bent.* Sic Br. Both. Berl. *Ineptiam,*]

DE. Tu inter eas restim ductans saltabis. MI. Probe.
DE. Probe? MI. Et tu nobiscum una, si opus sit. DE. Hei mihi!
Non te hæc pudent? MI. Jam vero omitte, Demea,
Tuam istanc iracundiam; atque, ita uti decet,
Hilarum ac lubentem fac te in gnati nuptiis.
Ego hos conveniam: post huc redeo. DE. O Jupiter!
Hanccine vitam! hoscine mores! hanc dementiam!

funem duces, et chori præsultor eris et princeps. MI. *Egregie.* DE. *Egregie?* MI. *Etiam tu nobiscum una saltabis, si te usus fuerit.* DE. *Hei mihi! non te horum pudet?* MI. *Nunc vero istam tuam iracundiam abjice, atque ita ut convenit, hilaritati et lubentiæ indulge in tui filii nuptiis. Ego hos adibo, postea huc revertor.* DE. *O Jupiter! hancne vitam ducere oportet? hosne esse mores? hanc insa-*

Vel; Sic notat glossa *τοῦ* Br.—32 Codices quidam, *Facturum te credo.* West. *Ut* omittit Br.—33 *Et nova, &c.*] Non hoc per interrogationem effertur, sed affirmative per irrisionem. *Bent.* Sic dant Br. Perl. et Both. qui exhibet *discet; . . .* MI. *Scilicet.*—34 Mss. quidam et impressi post EP. *psaltabis.* West.—35 DE. *Probe?*] Hæc a multis Mss. et editis antiquis absunt, etiam ab EP. sed defenduntur a Rivio et Fa. Nihil autem causæ esse videtur, quare Demea *τὸ Probe* repeteret magis, quam quod præcessit, 'Cur non,' et 'Scilicet.' *West.* MI. *Probe. et tu nobiscum*] Bem. geminat dictionem *Probe*, habens eam secundo loco sub persona Demeæ: quam lectionem et Rivius ex suo libro annotavit. Ita etiam versus optime constat. *Fa.* DE. *Probe?* MI. *Et tu nobiscum una, si opus sit. Hei mihi.* Illud *Probe* a Correctore Bembino provenit, ad versum fulciendum. Ex tot nostris duo tantum *Probe* repetunt, atque illi ex mediocribus. Et sane inepta, enervis, putida repetitio est; nec reliquis hic convenit, quæ ironia et irrisione omnia dicuntur. Longe facilior et verior in promtu erat correctio: DE. *Tu inter eas restim ductans saltabis.* MI. *probe. Et tute nobiscum una, si opus sit.* DE. *Hei mihi!* Bent. DE. *Probe?*] Bent. omittit tanquam a glossatore Bembini putide iteratum. Sed errat vir magnus. Nam simili modo resonat supra IV. 5. 66. vocula 'Jam' in ore iterantis comice. Sic item centies. Abest a Guelf. 2. *Perl.* Geminatum *Probe* sub persona Demeæ ex Bem. Faërnus edidit. Alii omittunt, et sic metrum corrumpunt. Neque Bent. audiendus est, qui dedit *Et tute, &c.* Bip. Bentleium sequitur Both. Illud iteratum *Probe* collocat Delph. in versu 34. *Ei mihi* Br.—36 Duo ex nostris melioris notæ, *Jam vero mitte, o Demea.* Certe, sive *mitte* sive *omitte* legas, *o Demea* omnino retinebis, ne in ista sede Trochæus sit, quem data opera evitat Noster. *Bent.* *O* dant Both. Perl.—38 Codices quidam *Hilarem* legunt, atque in iis EP. *West.* Bem. et plerique alii habent, *gnati in nuptiis.* Fa. Nostri omnes *in nati nuptiis.* Bent. *Hylarem* GM. *Perl.* *Nati in* Bent. Z. Bip.

NOTÆ

34 *Restim ductans*] Lusus est natus, ut refert Donatus, ab eo fune, quo equus ligneus Græcorum in Trojam introductus est. In hoc ludo manibus funem tenentibus saltare solent. Choreæ princeps et præsultor funem ducit, quem alii, eodem fune apprehenso, præeuntem sequuntur.

Uxor sine dote veniet; intus Psaltria est:
Domus sumtuosa; adolescens luxu perditus;
Senex delirans. Ipsa, si cupiat, Salus
Servare prorsus non potest hanc familiam.

niam? uxor indotata domum deducetur; meretrix fidicina ædibus excepta est; domus sumtibus diffluit; adolescens libidine et luxu fervens; senex mentis inops et insanus: adeo ut ipsum Salutis numen potestatem non habeat, quantumvis conetur, hanc familiam servandi.

Delph. Both. Perl.—41 *Sine dote veniet uxor* Both.—44 Non possum non existimare, et hic et in similibus Plauti locis, ubi totus fere lepor in agnominatione situs est, reponendum esse *Salvare* pro *Servare*; neque vox vel obsoletior vel minus usitata rusticum dedecet. Atqui Hel. dilucide *Salvare*. Both. Sic dat et Guelf. 2. *Hanc familiam non potest* Delph. *Hanc f. non poterit* Br.

NOTÆ

43 *Ipsa, si cupiat, Salus*] Colebatur Salus Romæ pro Dea; cujus ædes a Caio Julio Bubulco Consule in bello Samnitico vota fuit, et ab eodem Dictatore dedicata.

ACTUS V. SCENA I.

SYRUS. DEMEA.

SY. ÆDEPOL, Syrisce, te curasti molliter,
Lauteque munus administrasti tuum.
Abi! sed, postquam intus sum omnium rerum satur,
Prodeambulare huc libitum est. DE. Illud sis vide

SY. *Per ædem Pollucis, Syrisce, corpus delicate fovisti, et magnifice officio tuo functus es. Jam abi: sed postquam in ædibus lautitiis omnibus atque epulis ad satietatem me implevi, huc prodire et expatiari visum est.* DE. *Videsis specimen*

Omnes fere edd. inde ab Erasmo, hinc, ubi nullo intervallo opus, male ordiuntur Actum v., præter Dac. quæ hanc et seq. Sc. recte addit iv. uti et ed. nostra vet. *Bip.* quæ igitur hic habet Act. iv. Sc. 9. In ed. Both. est Act. iv. Sc. 8.—1 *Curasti te* Br.—3 Both. *sic* pro *sed*.—4 Libri quidam scripti et impressi cum EP. legunt: *Porro deambulare*. West. Br. *Pro* (ex-

NOTÆ

1 *Syrisce*] Syrus Syriscum se vocat, diminutiva forma, blandiendi causa. Syriscus est vas vimineum ad reponendas ficus.

Exemplum disciplinæ! SY. Ecce autem hic adest
Senex noster: quid fit? quid tu es tristis? DE. Oh! scelus!
SY. Ohe! jam: tu verba fundis hic sapientia?
DE. Tun'? si meus esses. SY. Dis quidem esses, Demea,
Ac tuam rem constabilisses. DE. Exemplum omnibus
Curarem ut esses. SY. Quamobrem? quid feci? DE. Rogas?
In ipsa turba, atque in peccato maxumo,
Quod vix sedatum satis est, potasti, scelus!

illud egregium disciplinæ. SY. *Ecce autem conspicio senem. Quid rei agitur? Quid mæstus es, et irato similis?* DE. *Oh! scelerate.* SY. *Ohe! jam tu incipis diffluere verbis sapientibus.* DE. *Tune hæc facias? si meus esses.* SY. *Dives esses re tua familiari bene administrata et constituta, Demea.* DE. *Efficerem ut exempli loco omnibus esses propositus.* SY. *Qua de causa? quid feci?* DE. *Quid fecisti, quæris? in ipsa rerum perturbatione, atque in gravissimo crimine, recenti adhuc, vixque sopito, potationibus te totum dedisti, quasi triumphans victoria repor-*

clamatio,) *deambulare*. GM. *Proh*. Legendum et subdistinguendum monet Bent. *Illuc sis vide; Exemplum. Illuc* dant et Both. Perl. Br. legit *Illud sis: vide*.—5 Variat series verborum in hoc versu. Plurimi enim finiunt ex Bem. in *adest*, al. in *senex*. Perl. In *senex* finit Both.—6 Mallem *Ohe! scelus:* quomodo libri quidam Mss. et impressi exhibent. Atque ita venustius inferetur mox a Syro alterum *Ohe*. Sic plane Heaut. iv. 1. 9. In aliis utrobique est *Eho*. West. *Oh scelus* probat Fa. Br. habet *Ohe scelus*.—7 Insititium hunc versum vocat Guy. Distinxi autem ita, monente Faërno; ut sensus sit: Ohe jam desine. Riv. *fundes* legit, etiam apud Donatum. Atque ita est in plerisque editionibus antiquis. *West*. SY. *Eho jam tu verba fundis hic sapientia?* Aliquot libri, *Oh jam* habent; Bembinus *Ohe jam:* quam lectionem recipimus, distinguendo post 'jam,' quasi dicere velit, Ohe jam desine: deinde per interrogationem reliqua subdendo. *Fa*. Unus ex nostris *fundes:* non male. *Bent*. Br. *Eho: jam tu . . . sapientia*. Both. *Ohe, num tu v. fundes*. '*Ohe jam! tu*. Sic Bem. Ed. nostra c. figg. et Fa. distinxit post *jam;* alii ante *jam*. Er. legebat *Eho jam tu*. Al. denique Mss. habent *Oh jam, &c.* quod fere nobis placeret præ vulg. ut repetat illud *Oh* Demeæ.' *Bip*. *Ohe, jam tu* Z. Perl. Delph.—8 Plures et meliores ex nostris, *Tu si meus esses*, SY. *Dis quidem*. Recte: continuatur enim oratio, 'Exemplo,' &c. *Bent*. Ita et habet Perl. 'Vulg. *Tun'* (vel *Tu*, vel *Tum*, ut cod. A.) *si meus esses;* sed C: *Jam tun' si m. e.* Bene quadrat *Nam*, quo præsertim et servulus usus fuit; nam verba adversariorum repetere irati solent.' *Both*. qui inde legit, *Nam meus tu si esses*, . . . SY. *Dis q.* Br. *Tun', si meus*. Z. *Tun' si m.* Bip. sic habet, *Tu, si meus esses* . . . SY. *Dis quidem*. et notat, 'interjecta a Syro verba non impediant, ut hæc disjungas a consequente *exemplum, &c.* Al. proinde male *Tun'? si meus, &c.*'—9 Bem. *exempla*. Fa. Immo *exemplo*, ut credo, in Bembino fuit. Sic enim legendum esse vel puer videat. Nostri perperam *exemplum*. Bent. *Exemplo* Both. Perl. *De mea* post *const*. Guelf. 3.—10 Perl. *Rogitas?*—12 *Potasti, scelus!* Ita edidi ex Mss. quinque Leidensibus, M. cod. Lips. Tr. Bod. et Bœnd. atque ita erat in Mss. omnibus Bœcleri, aliisque. Sed et ita legunt editiones Venetæ, EA. Junt. Ald. Lug-

Quasi re bene gesta. Sy. Sane nollem huc exitum.

tata. Sy. *Certe nollem huc ex ædibus prodiisse.*

dunensis, Plantiniana, Davent. aliæ. Accedunt Augustinus Gambarellius in Observationibus in Terentium, et Jac. Tollius ad Auson. Ecl. XXI. Paucæ editionum veterum præferunt, *potastis,* quam lectionem nuperi quidam editores imitati. Et videtur sane in nonnullis Codicibus repetita per errorem prima in τῷ 'scelus' litera, atque adeo ex *potasti* factum *potastis.* Syrum certe quidem molliter sese curasse, ex ipso audiverat Demea, de conservis ceteris nihil audiverat. Neque porro, si *potastis* dixisset, non addendum fuerat, *scelus,* sed, *scelesti.* Do. tamen *potastis* legit, quod tuetur Rivius. *West. Potasti scelus.* Sic Fa. et sic nostri omnes. Donatus tamen legebat *potastis;* et explicat, 'Oratorie 'potastis' dicit, cum unum ebrium cernat.' Frustra. Hæsit in ejus exemplari *s* ex verbo sequenti. *Bent.* Br. legit, *sedatum est satis potasti. Scelus Quasi re. Z. potastis* habet.—13 *Nollem huc exitum.* Ita legit etiam Do. ad And. I. 1. 13. estque in plerisque Mss. et editis. Nonnulli legunt : *nollem nunc exitum ;* [in Addend. citat G. cum ET. et EM.] ut τὸ *exitum* nomen sit, media correpta. *West. Hunc* GM. Br. et Ms. R. ap. Lind.

NOTÆ

13 *Quasi re bene gesta*] Rem gerere proprie dicebant, cum victis hostibus insignem aliquam victoriam retulerant. Horatius: 'Rem gerere, et captos ostendere civibus hostes, Attingit solium Jovis, et cœlestia tentat. Principibus placuisse viris non ultima laus est.'

ACTUS V. SCENA II.

DROMO. SYRUS. DEMEA.

Dr. Heus! Syre; rogat te Ctesipho, ut redeas. Sy. Abi.
De. Quid Ctesiphonem hic narrat? Sy. Nihil. De. Eho! carnufex,
Est Ctesipho intus? Sy. Non est. De. Cur hic nominat?
Sy. Est alius quidam, parasitaster parvolus:

Dr. *Heu, Syre; rogat te Ctesipho ut ad se redeas.* Sy. *Abi.* De. *Quid de Ctesiphone hic loquitur?* Sy. *Nihil.* De. *Eho! carnifex, an Ctesipho hic intus est?* Sy. *Non est.* De. *Cur hic igitur illum nominat?* Sy. *Alium vocat ejus-*

In Bip. est Act. IV. Sc. 10. In Both. IV. 9.—1 In Mss. et editis quibusdam est, *Heus! heus!* West. Ita GM. *Carnifex* post *Abi* Guelf. 2.—2 *Nil* Bent. Both. Perl.—4 *Parvolus.* Petrus Victorius Var. Lect. XXXV. 18. ex Codice Bembino legit *paululus,* idque miratur, Faërnum non animadvertisse,

Nostin'? De. Jam scibo. Sy. Quid agis? quo abis?
De. Mitte me.
Sy. Noli, inquam. De. Non manum abstines, mastigia?
An tibi jam mavis cerebrum dispergi hic? Sy. Abit.
Ædepol commissatorem haud sane commodum,
Præsertim Ctesiphoni: quid ego nunc agam?
Nisi, dum hæ silescunt turbæ, interea in angulum
Aliquo abeam, atque edormiscam hoc villi: sic agam.

dem nominis parasitum parvulum: nonne tibi notus est? De. *Mox discam quis sit.* Sy. *Quid agis, Demea? quo abis?* De. *Ne me detine.* Sy. *Ne abeas, dico.* De. *Non manum a me tollis, et desinis me tenere, verbero? An vis jam tibi caput disrumpi, et cerebro viam spargi?* Sy. *En discessit. Conviva certe hic erit parum jucundus, præcipue Ctesiphoni. Quid ego nunc agam? nisi dum hæ turbæ sedatæ fuerint, interea in angulum aliquem me abdam et per somnum hoc villi, quod caput tentat, decoquam.*

confirmans porro vocis usum. Sed et magna Mss. pars legit *paululus,* quorum duodecim laudat Guyetus. *West.* Nostri plerique omnes *paululus.* Bent. Ita et Br. Perl. Both. Bip. et Ms. R. et vet. cod. ap. Lind. probatque Ruhnken.—7 *Cerebrum dispergi.* Ita est in plerisque omnibus Mss. et editis antiquis, etiam Juntarum, Aldi, Rob. Stephani; itaque legebant Gambarellus et Fabrini. Faërno tamen *dispergam,* quod est in Donato et Codice Bembino, minacius videtur; cujus rei rationem non video. De re ipsa vide supra III. 2. 19. IV. 2. 32. et Eun. IV. 7. 33. In magna autem librorum parte τὸ *jam* non comparet. *West. An tibi mavis cerebrum dispergi hic?* Sy. *abiit.* Multi l. s. post *tibi* habent dictionem *jam.* Bembinus ita totum hunc versum habet, *An tibi jam mavis cerebrum dispergam hic?* Sy. *Abit.* Sane *dispergam* minacius mihi videtur, quam *dispergi; Abit,* quam *abiit,* numerosius. *Fa.* Recte hic Bembinus. Unus tantum ex nostris *jam,* omnes *dispergi.* Bent. *Dispergam* dant Bip. Both. Z. Perl. Delph. Τὸ *jam* abest Br. Guelf. 3. *Abiit* dant iidem cum Guelf. 1.—8 Guy. defendit suum *commissator,* ne τὸ 'Ædepol' regat accusativum, scilicet. *West.*—9 *Ergo* pro *ego* Guelf. 2.—10 *Hæc* pro *hæ* Both. ex Gu. 1. Br. *in angulum aliquo.*—11 Mss. quidam et editi, *hoc vini.* West. in Addend. memorat G. et EM. *Vini* habent Mss. Pall. et Paris. GM. GC. Br. Ms. R. et vet. cod. ap. Lind.

NOTÆ

11 *Hoc villi*] Ut Syrus se Syriscum, ita vinum villum, appellat, *ὑποκοριστικῶς.*

ACTUS V. SCENA III.

MICIO. DEMEA.

Mi. Parata a nobis sunt, ut dixi, Sostrata,

Mi. *Parata a nobis sunt omnia, Sostrata, ubi vis, nuptiæ fient. Sed quisnam e*

Ubi vis. Quisnam a me pepulit tam graviter fores?
De. Hei mihi! quid faciam? quid agam? quid clamem, aut querar?
O cœlum! o terra! o maria Neptuni! Mi. Hem tibi!
Rescivit omnem rem; id nunc clamat scilicet:
Paratæ lites; succurrendum 'st. De. Eccum adest
Communis corruptela nostrum liberum!
Mi. Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.
De. Repressi, redii: mitto maledicta omnia:
Rem ipsam putemus: dictum hoc inter nos fuit;
Ex te adeo est ortum, ne tu curares meum,
Neve ego tuum? responde. Mi. Factum 'st; non nego.

domo mea exiens, tam impetuose fores impulit? De. *Hei mihi! quid faciam? quid agam? quid exclamem, aut quos questus effundam? o cœlum! o terra! o maria Neptuni!* Mi. *Me miserum! Demea audivit omnia de amore Ctesiphonis. Hoc scilicet est causa tot vociferationum: jurgia contra me excogitata sunt; sed tamen auxiliandum est Ctesiphoni.* De. *Ecce, adest corruptor liberorum nostrorum.* Mi. *Tandem cohibe iracundiæ tuæ impetum, quique a sana mente excurristi, tandem ad eam redi.* De. *Cohibui, redii, prætermitto convicia omnia; rem ipsam et causam litis veram consideremus: inter nos convenit, et tute hoc dictavisti, ne tu mei filii curam susciperes, neque ego tui: nonne hoc verum est, quod dico?* Mi.

Dac. ex Ms. R. hoc loco initium Actus v. facit: et ita Bip. Both.—1 Mss. et editi quidam: *Parata nobis.* West. In libris quibusdam Mss. et impressis, *ita ut dixi:* quomodo et Do. legit. *Idem. Ita ut* Bent. Perl. ' Nos cum aliis omittimus *ita*, quod metro repugnat.' *Bip.*—3 A Mss. atque editis nonnullis, post EP. absunt *quid agam?* poscit autem senarius, ut adsint. *West. Hei mihi quid faciam?* Post hæc verba addendum est, *quid agam?* ex libro Bembino, et aliquot aliis, ac Donato, versusque ratione. *Fa.* Duo tantum ex tot nostris, *quid agam;* atque id prave positum ante 'quid faciam.' *Bent. Quid agam* absunt Br. *Quæram* Guelf. 2.—4 Idem cum EP. *Neptunia.*—5 Magna Mss. et editorum pars *ilicet* legunt. Sed et ita Do. et Servius ad Virg. Æn. II. 424. defenduntque ex codice Bembi Rivius et Fa. *West. Ilicet* prius erat in Vi. sed deinde priore *i* abraso, remansit *licet.* Fa. Bona Bembini Serviique venia, retinemus quod nostri omnes habent *id n. c. scilicet.* Illud *ilicet* ipsa sententia repudiat. Si enim *ilicet*, ut reipsa est, desperantis est, qui fit, ut proximis verbis dicat 'succurrendum est?' quod non est desperantis, sed confidentis et securi. Atque illud insuper non est nihil; quod si *ilicet* legis, trochæum habes in sede incommoda. *Bent. Ilicet.* Sic Bem. Serv. ad Virg. Æn. II. 424. quibus se opponens magnus ille corrector vel corruptor Bentleius propugnat, quod alii mendose habent præterque sensum *scilicet.* Bip.—7 Br. *nostrorum. Liberorum* Guelf. 2.—9 J. *omitto.*—10 *Dictum hoc inter nos fuit.* Sic ex solo Bembino dedit Fa. Et ipsius et mei omnes, *dictum inter nos hoc fuit.* Recte: si ex Arseos et Theseos ratione, quæ præcipua Poëtæ virtus est, etsi parum hodie intellecta, rem dijudices. 'Inter nos' centies centiesque apud Nostrum pronomina hæc, ut apud Græcos Enclitica, accentum in præcedens verbum reflectunt: 'hoc' autem omnino in ictu hic esse oportet. *Bent. Dictum inter nos hoc fuit* dant Br. Both. Bip. Z. Perl.—11 *Ortum est* Br. *Exortum* Guelf. 1.—12 Non interrogat Br.

De. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam, Micio? nam qui minus
Mihi idem jus æquom 'st esse, quod mecum 'st tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
Mi. Non æquom dicis; non; nam vetus verbum hoc quidem est;
Communia esse amicorum inter se omnia.
De. Facete! nunc demum isthæc nata oratio est.
Mi. Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea.
Principio, si id te mordet, sumtum filii
Quem faciunt, quæso facito hæc tecum cogites:
Tu illos duos olim pro re tollebas tua,

Non diffiteor, sic est, ut ais. De. *Cur nunc filius meus Ctesipho apud te potationibus indulget? cur in ædibus tuis id ei permittis? cur ei tua pecunia amicam comparas, Mitio? nonne æquum est, ut idem jus mecum observes atque ego tecum: quando igitur tuus filius mihi curæ non est, ne meus sit tibi curæ.* Mi. *Minime justum est, quod ais: nam vetus adagium adversatur; communia esse amicorum inter se omnia.* De. *Festive quidem id dictum est. Sed cur nunc tandem hoc adagium usurpas?* Mi. *Frater, rogo ut hæc pauca audias, si non tibi incommodum est. Primum si id te pungit et dolore afficit, quod sumtus filii tui faciunt, fac ut hæc animo reputes; tu quondam illos educabas, prout facultates tuæ ferebant,*

post *tuum.*—13 *Cur meus nunc* Both.—14 Var. codd. *num qui:* al. *numquid.* Sed placet *nam*, particula probandi. *Perl. Num qui* Bent. Bip. Z. *Numquid* Br. Guelf. 3. Both.—15 Sic Fa. Variant codices: sed legendum arbitror, *Mihi jus idem sit tecum, quod mecum tibi.* Bent. Pauci libri præferunt, *quam quod mecum est tibi?* West. *Quam mecum*] Alias *quod.* Er. Bothius legit *Mi idem jus tecum ais esse, quod mecum est tibi?* Guelf. 3. *Idem mihi jus tecum est tibi?*—17 In quibusdam codicibus est: Mi. *Non æquum dicis.* De. *Non?* Mi. *Nam vetus.* West. Do. totum hoc Micioni tribuit; et sic codex notæ optimæ apud G. F. Nostri omnes Demeam interponunt. Utrumvis ita se commendat, ut nescias utrum præferas. *Bent.* Demeam interponunt omnes edd. penes nos præterquam Delph.—19 Nisi ita legas et distinguas, sensum commodum non video. *West. Facete: nunc* Bent. Z. Delph. *Facete, nunc* Br.—22 Plerique libri habent, *hoc tecum:* Bem. *quæso hoc facito.* Fa. Nostri *facito hæc.* Bent. *Quæso hoc f.* Both. Perl. Bip.—23 Servius ad Virg. Æn. XI. 285. *illos duo* legit; quod et Pierius et Cerda firmant, variis exemplis hanc declinationem Græcissantem astruentes. Idem in *ambo* accidit. Vide Parei Lex. Plautin. In quibusdam libris est, *tolerabas.* Existimatque Fa. *tollebas* de filiis adultis proprie non dici. *West.* Bem. pro *duos, duo* habet; pro *tollebas, tollerabas*, per duo *l*, licet mendose; nam debet esse per simplex. *Fa. Tu illos duo olim pro re tolerabas tua.* Sic Fa. et *duo* quidem recte; *tolerabas* perperam. Nostri omnes *duos* et *tollebas.* Charisius p. 101. 'Duo, hos duo. Terentius in Adelphis: 'Tu illos duo olim pro re tollebas tua;' Ubi Helenius Acron: duo pro duos.' Vides et libros et Grammaticos veteres *tollebas* hic exhibere. Nam quod Fa. arbitratur, *tollebas* de adultis jam filiis non proprie dici, id quidem verum est, sed nihil ad rem. 'Olim' enim tollebas, dicit; itaque non de adultis agitur, sed infantibus. *Bent.* Fa. haud

Quod satis putabas tua bona ambobus fore,
Et me tum uxorem credidisti, scilicet,
Ducturum: eandem illam rationem antiquam obtine:
Conserva, quære, parce: fac quam plurimum
Illis relinquas: gloriam tu istam obtine.
Mea, quæ præter spem evenere, utantur sine.
De summa nihil decedet: quod hinc accesserit,
Id de lucro putato esse omne. Hæc si voles
In animo vere cogitare, Demea,
Et mihi, et tibi, et illis demseris molestiam.
DE. Mitto rem: consuetudinem ipsorum. MI. Mane:

cum credebas rem tuam familiarem satis amplam fore eis ambobus, meque etiam uxorem accepturum. Eandem rationem putare perge, eadem antiqua ratio tibi constet. Rem familiarem attente serva, auge, parce ea utere: stude ut eis quam ingentes poteris divitias relinquas; gloriam tu istam propriam posside; sed bonis meis, quæ contra quam sperabas tibi et ipsis obvenere, permitte ut utantur illi et fruantur. De rationibus rei tuæ nihil detrahetur. Quod de meis bonis tibi accreverit, id omne tanquam inopinatum lucrum te invenisse existima. Hæc si lubet serio ad animum revocare, Demea, et te, et me, et illos ingentibus animi molestiis et ægritudinibus liberabis. DE. *Mitte sermonem de opibus et divitiis: de prava vitæ eorum ratione dicamus.* MI. *Expecta; prævidi quod dicturus eras; ad istud*

bene conjecit, et Dac. recepit, *tolerabas*, quod dicitur de adultis. *Bip. Duo* Both. Perl. Bip. *Tolerabas* Delph.—26 Magna Mss. pars, sed et editi quidam præcipui post EP. *tibi obtine* legunt. *West.* [Hæc West. in Nota ad vs. 26. sed suspicor pertinere ad vs. 28. maxime, cum ibi plerique codd. *tibi obtine* legunt, nullus tamen quem invenio in hoc loco.] ' Vulg. *eandem illam rationem*, penitus obscurato verbo *eandem*. Both. qui igitur τὸ *illam* omittit. ' Par. pro var. *retine*.' Perl. *Rationem an. ini.* Vulg. *r. an. obtine.* Falsum sane h. l. verbum, quod versum afficit, idem dicit ac ' Conserva,' et mox injucunde repetitum foret. Male proinde alii τὸ *Conserva* conjunxerunt seqq. *Bip.* qui igitur dat *antiquam ini, Conserva: quære.*—28 *Illis relinquas: gloriam tu istam obtine.* Sic dedit Fa. nescio unde. Quippe omnes nostri, et Edd. vett. *gloriam tu istanc tibi obtine.* Cum autem versu abhinc altero habuerimus, idque etiam in versus fine, ' rationem antiquam obtine;' nullum mihi dubium est, quin *obtine* hic addititium sit. Repono, *Fac quam plurimum Illis relinquas, gloriamque istanc tibi.* Bent. Ita et Both. *Istanc tibi o.* Br. *Istam tibi o* GM. ' *Obtine.* Male Bent. id hoc loco expunxit, quod vs. 26. corrigendum erat, et subdens *tibi* (quod est a glossa) ex suis Mss. hoc trahit ad ' relinquas.' *Bip.*—29 Br. distinguit *evenere utantur, sine De summa.*—31 *Id de lucro putato esse, omnia hæc si voles.* Nos ex libro Bembino, versusque ratione ita legimus, *Id de lucro putato esse omne, hæc si voles.* Fa. Nostri perperam *omnia hæc.* Bent. Bothius legit *In lucro id deputato esse omne. Omnia hæc* Br. Perl. *Omnia si hæc v.* Delph.—32 *Vere* mutat Both. in *vera.*—33 Vulg. *Et mi et tibi et illis*, minus fortiter, maleque deproperatis *mihi* et *tibi* pronominibus. *Idem.* qui igitur dat *Mihi, tibi, illis d. m.* ' Both. conjunctionem *et* ter positam tollit. Qui vero in demendo vel addendo sane audacior est ipso Bentleio.' *Perl.*—34 *Illorum* Br. *Vide* post *ipsor.* Guelf. 3.—35 *Scio*

Scio: istuc ibam. Multa in homine, Demea,
Signa insunt, ex quibus conjectura facile fit;
Duo cum idem faciunt, sæpe, ut possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet;
Non quod dissimilis res sit, sed quod is, qui facit:
Quæ ego illis inesse video, ut confidam fore,
Ita ut volumus: video sapere, intelligere, in loco
Vereri, inter se amare: scire est liberum

respondere parabam. Certum est, Demea, multa in hominibus indicia inesse, ex quibus conjicere possumus, cum duo eandem rem faciunt, uni nocituram eam esse, non alteri; adeo ut quis dicere possit, huic licet sine periculo damni id agere: illi non licet. Non quod res ipsa sit quandoque dissimilis, sed quod ii qui eam faciunt, dissimiliter affecti sunt natura: atqui hæc signa quæ dico, illis insita esse video; adeo ut certam spem habeam eos tales fore, quales optamus esse. Perspicio eos sapientes et prudentes esse, verecundos, et modestos esse loco, et tempore, amore mutuo conjunctissimos: unde facile intelligere licet liberale illis esse ingenium, et nobi-

abest ab eodem. *Multa Demea in homine* Br.—36 Reponit Bent. causa metri, *Signa insunt, quibus ex.* Ita et Both. *Ex quis conjectura* Bip.—37 *Duo idem cum f.* Both.—38 *Huic l. i. f. hoc* Idem.—39 Bem. pro *quod* utrobique habet *quo.* Vi. vero posteriore tantum loco, *sed quo is qui facit.* Fa. Nostri *quod, quod.* Bent. *Quo, quo* Both. Bip. Perl. Τὸ *is* abest Br.—40 Do. *esse in illis.* Mss. quidam et editi, post EP. *in illis esse.* West. *Quæ ego esse in illis video, ut confidam fore ita, ut volumus.* Donatus ita habet: *Quæ ego illis inesse:* at Bem. *Quæ ego inesse illis:* qua lectione admissa, est tribrachus in prima, non elidendo diphthongum in ' Quæ:' omnes vero quotquot sunt libri, dictionem *ita* posteriori versui ascriptam habent, cujus tamen prima syllaba in scansione ad præcedentem pertinet versum. *Fa. Quæ ego illis inesse video.* Sic a Fa. est: sed vett. edd. *Q. e. esse in illis v.* Codices nostri omnes, *Q. e. in illis esse v.* Recte. *Bent. In iilis esse* Br. Both. Perl. In Guelf. 3. *Sed ea* incipiunt. *Ita fore* Both.—41 In Mss. quibusdam et impressis cum EP. est, *video eos sapere.* Sed nec metro postulante, nec sensu. Priscianus lib. XVIII. ter citat, nec *eos* addit. *West. Video eos sapere.* Dictio *eos* non est in Bem. nec sane versui, aut sensui necessaria est. *Fa.* Atqui *eos* in omnibus fere nostris est, et apprime huc convenit. In Bembino ideo deest, quod inter ' video' et ' sapere,' *eos* absorptum sit. *Bent.* Both. legit *Ut volumus: video eos s. i. in loco et. Video eos sapere* Br. Perl.—42 *Vereri, interdum amare* Both.—43

NOTÆ

35 *Multa in homine, Demea, Signa insunt*] Hujus loci obscuri sententia est; homini intelligenti facile est, de vita et moribus hominum adolescentium æstimare animum et ingenium ipsorum; adeo etiam, ut cum rem eandem facere videntur, dicat tamen peritus rerum æstimator, hoc licet facere huic, qui scilicet liberali ingenio præditus est, nec facile corrumpi potest: illi non licet, nimirum qui per naturæ improbitatem indulgentia abutitur.

40 *Quæ ego illis inesse video*] Ordo, et sensus hic est: Multa in homine signa sunt, ex quibus conjectura facile fit: quæ ego in illis esse video, ut confidam fore ita, ut volumus.

Ingenium, atque animum; quovis illos tu die
Reducas: at enim metuas, ne ab re sint tamen
Omissiores paulo. O noster Demea,
Ad omnia alia ætate sapimus rectius:
Solum unum hoc vitium senectus affert hominibus;
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est;
Quod illos sat ætas acuet. DE. Ne nimium modo
Bonæ tuæ istæ nos rationes, Micio,
Et tuus iste animus æquus, subvortant. MI. Tace:
Non fiet: mitte jam istæc: da te hodie mihi:
Exporge frontem. DE. Scilicet, ita tempus fert;
Faciundum est: ceterum rus cras cum filio
Cum primo lucu ibo hinc. MI. Immo de nocte censeo;

lem animum: quamobrem, quandocumque libuerit, eos in rectam vitæ viam reducere poteris. Verum metuis fortasse ne rei familiari augendæ minus studeant; o noster Demea, ad omnia alia ætate peritiores fimus; verum senectus hoc vitium inducit in homines; plus multo quam satis est de divitiis accumulandis laboramus; ad quod illos hæc ætas senilis satis instigabit. DE. *Cavendum est ne speciosæ istæ duæ rationes, et tuus iste mitis et facilis animus nos perdant et filios nostros.* MI. *Ne metue, hoc non adveniet, omitte ista verba mali ominis, permitte ut sis hodie in mea potestate: explica frontem.* DE. *Nimirum tempus id requirit, faciendum est, quod vis: verum cum primum dies lucebit, cras hinc discedam.* MI. *Immo de nocte*

Die tu Br. 'GM. pro *tu die* exhib. *studio:* quam lect. miror singularem. At quæ vulgata est, ea in marg. ibi notatur.' *Perl.*—47 *Affert senectus hominibus.* Nescio unde hoc cepit Fa. vides 'affert' in ultima ictum suscipere. Nostri universi *senectus affert h.* Recte. *Bent.* Vulg. *Solum unum,* ex int. horridoque metro. *Both.* qui legit *Unum senectus vitium hoc affert hominibus. Solum hoc unum* Br. Par. Ms. *omnibus* pro *hominibus. Sed* ab initio Guelf. 3. —49 *Ne nimium modo bonæ tuæ istæ nos rationes, Micio, et tuus iste animus æquus subvortant.* Hæc varie leguntur. Mss. Leidenses tres *subvortant.* Tr. *subvertat:* sed lineola transversa τῷ A incumbente. unde et *subvertant* valere queat. Eandem lectionem ex tribus Pall. laudat Par. Robertus Stephanus, Pulmannus, Plantinus ediderunt: *Næ, nimium modo bonæ tuæ istæ nos rationes, Micio, et tuus iste animus æquus subvortit.* Sed videtur adversari huic lectioni, quod continuo sequitur, 'Non fiet.' EA. Junt. Ald. aliæ melioris notæ *subvortant* legunt. *West.* *Næ nimium* Par. ed. improbante Perl.—51 *Subvortat.* Nostri omnes *subvortant.* Utrumvis probe, et legerim etiam, *Bonæ tuæ istæc,* pro *istæ,* ut 'hæc' pro 'hæ.' *Bent.* *Subvortat* Z. Delph. Both. '*Subvortant.* Sic plur. Mss. Sed varie leg. *subvortat; subvertant; subvortit; evertant.*' Perl. —53 *Experge* Guelf. 2. *Tempus ita fert scilicet* Both. *Scilicet, ita tempus est* Bip.—54 *Cras.* Abest hæc vox a Ms. Lips. et Bodl. et EP. sed nequit abesse sine metri damno. *West.* Abest Guelf. 3.—55 *Cum primo lucu.* Ita plerique Mss. et impressi. Pauci, in quibus Ms. Lips. G. EP. et EM. *Cum prima luce.* West. *Ibo hinc.* Hæc verba in libris quibusdam per ἀποσιώπησιν omittuntur; forte ne septenarius versus poneretur inter senarios. *Idem.* Dictionem *Immo* delemus et ex ratione versus, et ex auctoritate libri Bem-

Hodie modo hilarum fac te. DE. Et istam psaltriam
Una illuc mecum hinc abstraham. MI. Pugnaveris.
Eo pacto prorsum illic alligaris filium:
Modo facito, ut illam serves. DE. Ego istuc videro:
Atque ibi, favillæ plena, fumi, ac pollinis,
Coquendo sit faxo, et molendo: præter hæc
Meridie ipso faciam, ut stipulam colligat:
Tam excoctam reddam, atque atram, quam carbo 'st. MI.
Placet:
Nunc mihi videre sapere; atque equidem filium

quoque, si libet, dummodo hunc diem hilariter transigas. DE. *Et istam quoque fidicinam mecum hinc abducam.* MI. *Præclaram rem feceris; ita illic filium adrixeris atque affixeris: sed vide ut illam studiose conserves.* DE. *Dabo operam ut istud fiat. Efficiam ut illic, in villa, favillis, fumo, ac pulvere farinæ subtilissimo impleatur coquendo, ac molendo: præterea ardenti meridiei hora ipsa eam mittam in agrum, ut stipulas colligat; tam tostam eam reddam, et nigram quam carbo est.* MI. *Id mihi jucundum est. Nunc te judico esse sapientem. Et profecto tuum*

bini. *Fa.* *Cum primo lucu ibo hinc.* M. *De nocte censeo.* Sic a Faërno est. Et vel hic facile deprehendas correctoris Bembini vestigium. Nostri codices universi sic habent, *Cum prima luce ibo hinc.* M. *Immo de nocte censeo.* Quem versum cum iste intelligeret longiorem justo esse, reduxit ad senarii mensuram, ejiciendo *Immo.* Atqui, o iste, illud *Immo* retinendum erat, quo vix carere potest sententia; ejicienda autem *ibo hinc,* quibus libenter caret. Repone, *Cum primo luci.* M. *Immo de nocte censeo.* Longe aptius et iracundius est, ut *ibo hinc* subintelligantur quam exprimantur. Et sic Donatus: *Cum primo lucu: ἀποσιώπησις. lucu* quidem nunc apud Donatum scribitur: sed rectum est *luci,* ut codex G. Fabricii hic in textu habuit. Ita Charisius ex Sisenna laudat *luci* adverbium *i* litera terminatum, ut 'mani:' et sic sæpe apud Plautum; nunquam autem *lucu.* Bent. Vulg. *Cum primo lucu* vel *luci,* ut Bent. sed cod. C. *Prima cum luce,* egregie collocato verbo *Prima.* Both. qui dat *Primo cum luci. Immo de nocte censeo. Ibo hinc* omittendum censet Bip. *Cum prima luce ibo hinc. De nocte censeo* Br. *Cum prima luce* GM. GC. Pal. 5.—56 Lege ex tribus nostris *hilarum te face;* ceteri *te fac.* Bent. *Te face* Both. Bip. Delph. Perl. *Te fac* Br. *Hylarem* Guelf. 3.—57 Abest *illuc* ab eodem.—58 Legitur et *illuc,* et *illi* adverbialiter. Videtur autem potius rus intelligere, quam Psaltriam. *West.* *Illi* Bent. Both. Bip. *Prorsus illi* Delph. —59 *Ego istuc videro.* Viderit Guyetus, qui τὸ *Ego* expunctum vult, num 'videro' et 'videris' sine pronomine præmisso dixerint veteres. And. II. 6. 25. 'Ego istæc recte, ut fiant, videro.' Plaut. Merc. II. 3. 111. 'Istanc rem ego recte videro.' *West.*—60 *Ego istuc videro, Atque illi favillæ plena, fumi, et pollinis.* Codex noster veterrimus cum altero Regio, *Atque ibi favillæ.* Cum autem ceteri omnes habeant *illi* vel *illic,* apponemus potius *Atque* priori versui, sic ut *At* priori detur, *que* posteriori. *Ego istuc videro, atque Illi favillæ.* Sic alibi ter quaterque. Atque hoc longe melius, quam ut secundam in *favillæ* corripiamus, quod quidam facit. *Bent.* Both. legit *videro; et Illi f. Atque illi* Br. Z. Perl. *Videro; atque Ibi* Delph. *Illâ* GM.—61 *Præter hac* Both.—62 Par. pro var. *stipulas.* Perl.—63 Malim *Places:* ut sæpe alibi hæc permutantur. *Bent.* Ita et Both. Par. pro var. *quam carbonem:* non recte. *Perl.*—64 Un. Ms. Pall. *Tunc* perperam. Dictionem *atque* et quæ sequuntur

Tum etiam, si nolit, cogas, ut cum illa una cubet.
De. Derides? fortunatus, qui istoc animo sies.
Ego sentio. Mi. Ah! pergisne? De. Jam jam desino.
Mi. I ergo intro, et cui rei opus est, ei hilarem hunc sumamus diem.

etiam filium adigas etsi invitum ut concumbat eum ea. De. *Hæc dicens me deludis: felix, qui ita nunc animo lætus es, et miseriarum sensum abjecisti. Ego vero miserias sentio.* Mi. *Ah! perseverasne in tristitia?* De. *Jam, jam tristitiam mitto.* Mi. *Igitur ingredere domum, et nuptiis faciendis lætum hunc insumamus diem.*

GM. et Br. Demeæ dant, sed cett. omnes melius Micioni. *Perl.* *Atque equidem, &c.* Edit. tribuit hæc verba usque ad 'cubet' Micioni et sequentia a 'Derides' Demeæ, neque video editorum cuiquam meliorem loquentium distributionem, quam codex præfert, probatam esse. *Bruns.*—65 Pauci Codices *filium Tuum* præferunt: quæ si vera est lectio, videtur omnino emphasis esse in *Tuum:* scilicet quia supra tanto impetu dixerat Demea: 'Cur recipis meum?' Et, 'Quando ego tuum non curo, ne cura meum.' Sed malim tum legere, *Illum tuum;* quomodo Demea dixerat supra I. 2. 59. 'Iste tuus, ipse sentiet posterius.' Prætulerim tamen *Tum,* cum ob Codicum numerum, tum quod sensus sit, Tum, ubi ita habita erit Psaltria, ut placere amplius non possit, cogas filium, ut una cubet cum illa. *West.* Huic versui laboranti, liber Bem. et Bas. et alii plerique antiqui, qui habent *cogam,* succurrunt: *cogam* autem exponendum pro, cogerem, si ego essem tu. *Fa.* Quinque ex nostris *cogam.* Certissima lectio *cogam,* quia 'equidem' præcessit, quod primæ tantum personæ tum jungebatur. *Bent.* *Cogam* Br. Perl. Bip. Z. Both. Guelf. 1. add. Mi. *Hoc est sapere.*—66 Hunc et duos sequentes versus expungit Guy. mutilans adeo Scenam commodo exitu, et artificio Poëtico. *West.* Lege, ut habet liber Bembinus, *isto,* et nullum scrupulum patietur hic versus: aut si *istoc* legis, constitue anapæstum in quarta, eliso *s* ex 'fortunatus,' et ex 'istoc.' *Fa.* Vel lege *qui isto animo sies,* vel *qui animo istoc sies.* Bent. *Qui isto a.* Bip. Perl. Delph. *Qui animo isto* Both. —67 *Desine* Br.—68 *Et cui rei opus est.* Fa. ex libro V. Bas. et Bem. monet legendum esse: *et cui rei est, ei rei hunc sumamus diem.* Sed et ita est in Ms. Lips. G. et EP. Codices alii præferunt: *et cui opus est rei, ei rei hilarem hunc sumamus diem.* West. *I ergo intro, et cui opus est rei, ei rei hilarem hunc sumamus diem.* Hic octonarius unicus post tot senarios non placet mihi: in libro Vaticano et Bembino senarius est, ut ceteri, hoc modo: *I ergo intro, et cui rei est, ei rei hunc sumamus diem.* In hoc versu, 'ei' monosyllabum est, et 'rei' utrobique: eaque per synalœpham syllaba eliditur: absolute autem dictum est, 'cui rei est,' et subintelligendum 'dies:' ut sit, cui rei dies hic dicatus est, vel destinatus, vel aliquid tale. *Fa.* Hoc recte: nostri omnes mendose. *Bent.* Br. habet *I, ergo intro et cui rei est ei rei hunc sumamus hilarem.* 'Vulg. *et cui rei opus est, ei hilarem h. s. d.* mala lect. codd. V. Bas. et Bem. *et cui rei est, ei rei h. s. d.* quod miror omnino emendatum videri Faërno et Bentleio. Lego: *cui res est,* quod explicarunt per 'cui opus est,' intellecto 'insumere hunc diem;' utrumque recte.' *Both.* qui dat *et, cui res, ei re hunc s. diem.* Bip. legit ut Bent. et ita quoque Perl.

ACTUS V. SCENA IV.

DEMEA.

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, usus, semper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies;
Quod nunc mihi evenit; nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc,
Prope jam excurso spatio mitto: id quamobrem? re ipsa reperi,
Facilitate nihil esse homini melius, neque clementia.

Nullus unquam sic vitæ rationem recte computavit, quin rerum occasiones, ætatis dies, experientia ei aliquid novi afferat, et aliquid doceat; adeo ut intelligat se nescivisse ante, quæ se melius scire crediderat; et quin ea quæ potiora sibi esse æstimaverat, et ante alia eligenda, inter utendum rejiciat: quod mihi nunc accidit; nam ego vitam austeram, quam ad hunc diem usque duxi, pæne jam confecto vitæ cursu, nunc relinquere constitui. Si quis me roget, unde ista mutatio nascitur tam subita? inde est, quod nihil novi melius esse homini, quam lenitatem et benignita-

In Bip. est Act. v. Sc. 2. In Both. Scena præcedens continuatur.—1 Occultissimum hic diu latuit mendum, quod, cum indicavero, auferam. 'Nunquam quisquam fuit, Quin res, ætas Apportet, moneat.' Atqui si *fuit* hic scripsit, dixisset utique *apportaret, moneret;* vel *monuerit;* ut Eun. v. 9. 82. 'Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarint plurimum.' Adel. II. 2. 13. 'Ego nunquam adeo astutus fui, Quin, quicquid possem, mallem auferre potius in præsentia.' Lege igitur hic, *Nunquam quisquam fuat;* etiam sensu commodiore; hoc est, esse possit. Nonius v. subducere *fuit* habet; etiam veteres ibi membranæ. *Bent.* *Fuat* improbat Perl. probat Bip.—3 Abest *te* post *quæ* Guelf. 2.—4 Bem. et Decurtatus ante *repudies* habet adverbium *ut,* in Vi. quoque, instar ejus dictionis abrasum est. *Fa.* A nostris abest. *Bent.* *Ut* dant Both. Bip. Delph. Perl.—5 Al. *Quod mihi nunc.*—6 *Prope jam excurso spatio.* Hæc constans fere Mss. lectio. Priscianus tamen Instit. Grammat. libb. VIII. XI. et XVIII. legit *decurso;* seu quod diverso Terentii exemplo uteretur, seu quod lectionem hanc ad Plautum restituere voluit. Is ita Merc. III. 2. 4. 'Decurso in spatio, breve quod vitæ reliquum'st.' Sed et Donatum legisse *decurso,* suspicio est. *West.* *Prope jam excurso spatio mitto.* Sic codices universi: sed Priscianus quinquies hoc citat. p. 788. 790. 922. 1133. et 1159. et ubique legit *decurso spatio.* Recte. Correctorum hoc olim facinus; qui ut versui consulerent, *excurso* interpolabant; cum potius ejiciendum esset *jam: Prope decurso spatio omitto: id quamobrem? Omitto* ex tribus nostris accipio, concinnitatis causa. *Bent.* *P. decurso spatio* Both. Bip. *P. decurso s. omitto* Perl. *P. jam decurso s.* Delph.—7 Al. colloc. *nihil homini*

Id esse verum, ex me atque ex fratre cuivis facile 'st
noscere.
Ille suam semper egit vitam in otio, in conviviis:
Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus:
Sibi vixit; sibi sumtum fecit: omnes bene dicunt, amant.
Ego ille agrestis, sævus, tristis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi! nati filii:
Alia cura. Porro autem, illis dum studeo ut quam plurimum
Facerem, contrivi in quærendo vitam atque ætatem meam.
Nunc, exacta ætate, hoc fructi pro labore ab his fero,
Odium. Ille alter sine labore patria potitur commoda:
Illum amant, me fugitant: illi credunt consilia omnia;
Illum diligunt; apud illum sunt ambo: ego desertus sum.
Illum, ut vivat, optant; meam autem mortem expectant.
Scilicet

tem. Id esse verum facile quilibet comperiet, qui instituta diversa vitæ meæ, et vitæ fratris considerabit. Is semper vitam traduxit in otio et conviviis, mitis, sedatus, nulli præsenti adversus, omnibus placens, et jucundum se præbens, sibi commodus vixit, et suis delectationibus inserviens impensis pecuniarum non pepercit. Omnes ei bene precantur, atque eum diligunt. Ego vero ille rusticus, crudelis, tetricus, ad rem attentior, atrox, avarus, uxorem etiam duxi, quæ non inde miseriæ secutæ sunt? Liberos ex ea suscepi, hæc est materia alia solicitudinum animi. Dum autem illis laboro ingenti studio divitias parando, misere vitam atque ætatem consumsi quærens opes augere. Nunc finita ætate, hunc fructum ab iis refero, nempe odium: frater vero Mitio sine ullo labore omnibus potitur commodis, quæ patres ex liberis percipere possunt. Illum amore prosequuntur: me aversantur. Illi omnia sua secreta committunt, illum solum carum habent, domi cum eo degunt ambo: ego vero solus vivo derelictus. Illi longam vitam exoptant, mihi mortem cito advenire

esse.—8 Both. *Verum id esse. Agnoscere* Br.—10 *Lædere, os arridere* Idem. *Nullum* Guelf. 1.—13 Both. pro *miseriam, misera* legit.—14 Non facile stat hic versus, nisi licentiis sustentatus, quarum necessitatem evitabit qui pro *porro, eja* legerit, ut in Bem. et Vi. est. *Fa.* Recte, *eja.* Nostri mendose *porro.* Bent. qui etiam ordinat *dum studeo illis.* Br. *tum studeo illis. Eja a. dum studeo, illis* Both. Bip. Perl. *Dum studeo illis* Z.—15 *Vitam quasi totam meam* Both.—16 *Pro labore ab iis fero.* Nostri codices *his.* Lege *eis,* ut Dactylus sit in ista sede, non Trochæus. *Bent. Ab eis* Both. Perl. *Ab iis* Delph. GM. *hiis.*—19 Mss. Pal. 5. *diligunt porro.*—20 *Scilicet.* Delevi majorem distinctionem post hanc vocem, secutus elegantem editionem Rob. Stephani, in forma minima, anni 1540. Si vulgata distinctio maneat, τὸ *scilicet* affirmandi vim habebit. *West. Scilicet: Ita* Bent. Both. Z. Perl. Bip. Delph. *Expec-*

NOTÆ

16 *Fructi*] Antiquum: olim quippe in secunda declinatione usurpabatur.

Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit suos,
Paulo sumtu: miseriam omnem ego capio: hic potitur
gaudia.
Age, age, nunc experiamur contra hæc, quid ego possiem
Blande dicere, aut benigne facere, quando eo provocat.
Ego quoque a meis me amari et magni pendi postulo:
Si id fit dando atque obsequendo, non posteriores feram.
Deerit? id mea minime refert, qui sum natu maxumus.

cupiunt: ita postquam eos magno labore alui et educavi; hic eos sibi proprios fecit facili negotio. Omne incommodum patior: hic omne gaudium percipit: eia age, tentemus vero nos vicissim, annon etiam possimus blandis verbis et comitate alios nobis conciliare, aut benignis factis et liberalitate. Ego quoque velim amorem meorum atque caritatem posse adipisci. Si id comparatur largiendo, atque aliis commodando, non in postremis ero, qui istud consequuntur. Deficiet res familiaris; id mea minime interest, qui ætate provectior sum.

tant: scilicet, Ita Br. *Expetunt* Guelf. 1.—22 Br. *Parvo sumtu.*—23 Versum hunc ex optimis editionibus, Juntarum, Aldi, Stephani, aliis expressi. Sunt tamen, qui legunt: *Age, age, nunc jam experiamur porro, et quid ego possiem.* West. Posset hic versus utcumque sustentari, melius tamen habet in Bem. *A. a. n. jam ex. porro contra, et q. e. p.* Fa. Sic ex Bem. suo dedit Fa. versu repugnante, quocumque se ille verterit. Ex nostris unus Regius, *experiar;* et sic unus ex Palatinis apud Pareum. Sic igitur legas et distinguas, *A. a. nunc jam: experiar porro contra, ecquid ego possiem.* Do. tamen magis comice dici putat *experiamur,* quam si diceret *experiar.* Qui hoc probat, legere possit *Age nunc jam, experiamur;* deleto priore *age.* Atque in isto numero ego sum. *Bent.* Distinguit commate post *possiem* Br. Both. dat ut Bent. *A. a. nunc j. experiar p. c. ecquid e. possiem* Bip. affirmans metrum melius procedere cum τῷ *experiar* quam *experiamur. Experiamur contra, ecquid* Z. *A. a. j. experiamur p. c. et quid e. p.* Delph.—24 *Quando eo provocat.* Sunt libri, in quibus *hoc,* sunt, in quibus *huc* legitur. Est autem locutio a singulari certamine translata. *West.* Do. et Vi. ac Decurtatus pro *eo,* habet *huc:* quam lectionem Riv. in multis Terentii libris asserit invenisse. Bem. vero *hoc,* antiquorum more pro *huc:* quod et placet. *Fa.* Nostri *eo.* Utrumque probe, et *eo* et *huc.* Bent. *Ac* pro *aut* Br. *Huc p.* Bip. Perl. Delph. *Hic p.* Both. *Hoc p.* Z.—26 *Posteriores*] Par. suppl. *partes.* Id. in marg. exhib. lect. *posteriorem.* Al. *posterioris.* Perl.—27 *Deerit: id* Br. Bent. Bip. Z. Perl. et Delph. Ms. G. *Si deerit.* 'Supplendum *Si,* quod sæpe omittitur.' *R. D.*

ACTUS V. SCENA V.

SYRUS. DEMEA.

Sy. Heus, Demea! rogat frater, ne abeas longius.

Sy. Heus, Demea, frater precatur ne abscedas longius. De. Qui homo me ap-

DE. Quis homo? o Syre noster, salve! quid fit? quid agitur?
SY. Recte. DE. Optime 'st. Jam nunc hæc tria primum addidi
Præter naturam: o noster! quid fit? quid agitur?
Servom haud illiberalem præbes te; et tibi
Lubens bene faxim. SY. Gratiam habeo. DE. Atqui, Syre,
Hoc verum 'st; et ipsa re experiere propediem.

pellat? o noster Syre, salve, quid agitur? quid rerum geritur? SY. *Bene.* DE. *Optime est. Hæc jam tria verba præter ingenium sermoni adjunxi nimirum; o noster, quid fit, quid agitur? servum liberalem te præstas, et tibi libenter commodabo.* SY. *Gratiam habeo.* DE. *Enimvero, Syre, ingenue et vere loquor, et re ipsa id cognosces brevi.*

Hæc Scena in Ms. G. jungitur superiori. *West.* In Bip. est Act. v. Sc. 3. In Both. v. 2.—3 Hunc et sequentem vs. contra fidem codicum et Donati auctoritatem expungit Guy. Est vero omnis Scenæ elegantia in iis quæ secum Demea loquitur. *West.* *Jam tria nunc hæc* Both.—6 Præstat ita versus distinguere *Atqui, Syre, hoc Verumst, et ipsa re experiere propediem.* Bent. Both. *Atqui, Syre, hoc Verum esse, ipsa re propediem experibere.* 'J. *esse* pro *est.*' Perl.

NOTÆ

3 *Jam nunc hæc tria*] Hæc summisse.

ACTUS V. SCENA VI.

GETA. DEMEA.

GE. HERA ego hinc ad hos provisam, quam mox virginem
Arcessant: sed eccum Demeam! salvos sies.

GE. *Hera Sostrata, conveniam Mitionem atque Æschinum, ut sciam quando virginem Pamphilam adduci velint. Sed ecce Demeum. Salvus sis.* DE. *Quod*

Bip. Act. v. Sc. 4. Both. v. 3.—1 Placet mihi lectio libri Bembini: *Hera, ego huc ad hos proviso.* Bas. *hunc.* Fa. Duo nostri veterrimi *huc:* ceteri *hinc.* Recte *huc:* sic alibi, 'Post huc continuo exeo.' Eun. III. 1. 4. 'Huc proviso.' Nostri hic *provisam:* etiam recte, ut Plautus Men. v. 1. 4. 'Provisam, quam mox vir meus redeat domum.' *Bent.* *Huc ad hos proviso* Bip. Z. Perl. Delph. —2 *Accersant* Br. Bent. Delph. 'J. omittit *sed,* male.' *Perl.*—4 *Pretii esse te.*

DE. O! qui vocare? GE. Geta. DE. Geta, hominem maxumi
Pretii te esse, hodie animo judicavi meo:
Nam is mihi profecto est servos spectatus satis,
Cui dominus curæ 'st; ita uti tibi sensi, Geta:
Et tibi, ob eam rem, si quid usus venerit,
Lubens bene faxim: meditor esse affabilis;
Et bene procedit. GE. Bonus es, cum hæc existumas.
DE. Paulatim plebem primulum facio meam.

nomen tibi est? GE. *Geta.* DE. *Geta, hodie te hominem plurimi faciendum apud me decrevi. Nam is certe mihi servus expertæ et comprobatæ satis fidei videtur, qui domini curam ita gerit, ut te gerere comperi; ideoque, si occasio se dederit, libenti animo te juvabo. Studeo in sermone et verbis jucundum et comem me præbere, nec illud male mihi cedit.* GE. *Benignus es, qui ista mei causa cogites.* DE. *Primum incipio amorem infimorum mihi conciliare, sensim progrediendo.*

Bem. *P. te esse.* Fa. Recte *Preti te esse hodie.* Nostri omnes, *P. esse te h.* et eo pacto, 'Preti' totum in Thesi occultabitur. *Bent.* Ms. G. *esse te h. judicavi animo meo.* West. GM. collocat, *te animo j. hodie meo.* *Esse te* Br. Z. Delph. Omnes edd. penes nos *judicavi animo meo.*—5 Al. *est profecto.* 'Par. pro var. *spectandus,* perperam.' *Perl.* Guelf. 2. *expectatus.*—6 Nostri perperam *ut tibi.* Bent. Bothius habet, *curæ est, ut tibi sensi,* omisso *ita.* *Ut tibi* Br. Eng. Z.—7 J. *usu.*—10 Both. *Plebem paulatim.* 'Par. Mss. *primum* pro *primulum.*' Perl.

NOTÆ

8 *Meditor esse affabilis*] Hæc quoque summisse.

ACTUS V. SCENA VII.

ÆSCHINUS. DEMEA. SYRUS. GETA.

ÆS. OCCIDUNT me quidem, dum nimis sanctas nuptias

ÆS. *Enecant me certe tædio, dum nimis solennes et religiosas curant nuptias*

In Bip. Act. v. Sc. 5. In Both. v. 4.—1 *Occidunt me quidem, dum nimis sanctas nuptias Student facere.* Constans lectio. Guy. tamen ex binis sententiis faciens unam legit, *Occidunt me, qui, dum nimis sanctas nuptias Student facere, in apparando totum consumunt diem.* Sed et ita legit Fr. Sanctius, in Minerva, III. 14. et Fr. Fabricius. Est autem ἐμφατικώτερος sententia gemina. *West.* In libro Bembino pro *quidem* est *equidem:* ita stat versus sine ulla licentia: si quis tamen retinere velit vulgatam lectionem, oporteret ex *quidem*

Student facere: in apparando consumunt diem.
DE. Quid agitur, Æschine? ÆS. Ehem! pater mi, tu hic eras?
DE. Tuus hercle vero et animo et natura pater,
Qui te amat plus quam hosce oculos: sed cur non domum
Uxorem arcessis? ÆS. Cupio: verum hoc mihi moræ'st;
Tibicina, et Hymenæum qui cantent. DE. Eho!
Vin' tu huic seni auscultare? ÆS. Quid? DE. Missa hæc face;

facere. In apparatu cærimoniarum totum transigunt diem. DE. *Quid fit, Æschine?* ÆS. *Ehem, pater mi, tune hic eras?* DE. *Tuus mehercule pater sum non minus animo quam natura, qui te plus oculis hisce amo. Verum cur non uxorem domum deducendam curas?* ÆS. *Cupio, sed expecto tibicinam, quique hymenæum cantent.* DE. *Visne mihi credere?* ÆS. *Quid?* DE. *Insuper hæc habe, neg-*

m elidere. *Fa.* Atqui id solenne est, 'quidem' postremam corripere ante consonantem. 'Equidem occidunt,' ea ætate inauditum erit. Etiam ultra Augusti sæculum perduravit mos, non nisi primæ personæ 'equidem' jungi. *Bent. Occidunt me quidem, dum nimis s. n. Student facere: in apparando totum c. d.* Ultra mensuram excurrit horum vss. posterior: cui vitio medicaturi Fa. et Bent. verbum *totum* expungebant, gravius id quidem et aptius, quam quod vel abesse quispiam cupiat, vel ab interpolatore procusum esse arbitretur. Immo verba 'in apparando totum consumunt diem' senarium iambicum constituunt omnibus suis numeris absolutum. Non igitur hæc tangenda, sed in præcedentibus ulcus quærendum erat. Nempe cum τὸ 'student' ex altero versu in alterum forte esset translatum, verba 'me quidem' nescio quis addidit ad numeros integrandos, sicut passim pronomina scribæ infersere. 'Facere' pejus etiam glossema, ut quod ne versum quidem intret: nam quod Bent. corripiendam putat verbi 'student' posteriorem syllabam, similiter lapsus est vir egregius atque Andr. II. 6. 8. Ejusdem fabulæ I. 1. 31. habes 'nil studebat,' et sic passim 'studere' usurpatur. *Totum* nostri omnes. *Both.* qui inde legit, *O. dum nimis sanctas nuptias student: In apparando totum consumunt diem.* '*Nimi.*' Subtraximus τὸ *s*, ut versui melius consuleremus, quam alii; quod jam passim fecimus in modum antiqui sermonis.' *Bip.* quæ etiam *equidem* legit.—2 Br. Z. *in apparando totum* Guelf. 1. *totum hunc.* 2. *et app. totum hunc.*—3 Vet. cod. ap. Lind. *tun' hic eras.*—4 Guelf. 3. *vere.*—5 Ms. G. cum ET. et EM. *domum Uxorem, quæso, arcessis?* Et mox, *mora.* Rursus: *Turbam, hymenæum.* West. in Addend. *Quæso* post *dom.* Guelf. 3.—6 Br. *Uxorem quæso accersis? ..... mora est. Verum hoc mihi mora est.* Liber Victorianus *moræ:* postea diphthongo superscriptum est *a:* contra in Bembino, cum prius esset *mora'st*, superadditum est *e*, ut sit vel *mora est*, vel *morae st*, quod posterius placet. *Fa.* Olim, cum nullum inter verba, ut nunc contra fit, spatium relinqueretur vacuum, *mora est*, et *morae st*, nisi a prudente lectore, distingui non poterant. *Bent.* qui etiam cum Delph. *accersis* legit. GM. R. et vet. cod. ap. Lind. *U. quæso. Mora est* Z.—7 *Tibicina: et Hymenæum q. cantent.* Hæc varie leguntur. Sunt libri præferentes, *Tibicinæ;* sunt, in quibus est *canat, et cantitet.* Illud Mss. Leidenses, hoc Tr. exhibent. *West. Qui canat* Br. R. et vet. cod. Linden-

Hymenæum, turbas, lampadas, tibicinas;
Atque hanc in horto maceriam jube dirui,
Quantum potest; hac transfer; unam fac domum;
Traduce et matrem et familiam omnem ad nos. ÆS. Placet,
Pater lepidissime. DE. Euge! jam lepidus vocor.
Fratri ædes fient perviæ: turbam domum
Adducet; sumtum admittet; multa: quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam. Jube nunc jam
Dinumeret illi Babylo viginti minas.

lige hymenæum, turbam quæ deducat, sponsam, faces nuptiales, tibicinas, atque hanc in horto maceriam jube quam celerrime everti, atque per illam fac traducatur tua uxor: ex ejus domo et nostra fiat una domus: transfer etiam ejus matrem cum familia in ædes nostras. ÆS. *Gratum est, pater lepidissime.* DE. *Euge, jam lepidus dicor. Fratris ædes omnibus patebunt, cœtum nuptialem domum introducet, sumtus multos faciet, multaque alia sustinebit: quid mea porro interest? si quidem ego, quem lepidum vocant, eorum amorem demereor. Jube, Æschine, Babylo illi numeret viginti minas pro pretio psaltriæ. Syre, cur tardas ire ac facere quæ*

brogii.—9 *Hymenæum, turbam.* Do. et Bem. *turbas.* Fa. Nostri plerique omnes, *Turbam, hymenæum.* Unus ex Regiis *Turbas, hym.* Servius ad Æn. x. 432. *Turbas.* Bent. *Turbam hymenæum* Br.—12 Br. Bip. Mur. Delph. *Transduce.* —14 G. et EM. *Fratris.* West. Ita et Br. Guelf. 1. 3.—15 Ita distinxi. M. *Adducet ad sumtum.* Alii aliter. *West. Et sumtum admittet.* Bem. *sumtum amittet*, deleta in eo conjunctione *et*, quam et respuit versus. *Fa.* Nostri male addunt *et;* sed plerique *admittet;* non ut Fa. dedit, *amittet.* Bent. *Et sumtum admittet* Br. Z. 'Vulg. *admittet: multa:* obscure quidem. Atqui Bem. et nostri codd. *amittet*, recte.' *Both.* qui igitur dat, *amittet multum.* 'Libb. antiq. *amittet.* Mira est quam Schmieder edid. præp. *ad*, ut sit, *ad sumtum admittet.*' Perl. Ed. vet. nostra, *et ad s. adm.* Bip. *Et sumtum* Gu. 3.—16 Sumus audentiores, ut vulg. diruamus, metro quoque adversariam, ac rescribamus *ubi nunc item*, quo seq. vs. conciliemus. In hoc enim hærent Do. et ab eo omnes interpr. neque quisquam Criticorum invenit, quomodo hanc crucem effugiat, aut Babylonem illum retineat. *Bip.* Distinguit Both. *Ego lepidus! ineo gratiam! Jube!*—17 Torsit hic versus viros eruditos. Guyetus nodum gladio secans, duos hosce versus expungit, nec exputare valet, cui et a quo dinumerandæ sint viginti minæ. In priore habet sibi obsequentem Bœclerum. Dac. legit: *Dinumeret illis Babylo viginti minas.* Joh. Clericus, Vir Cl. Arte Critica, III. 1. 6. 24. legit: *Numerent illis ab illo*, quorum verborum vim et acumen non satis capio. Nannius igitur Miscell. II. 12. τὸ *Babylo* supposititium vocat, et

NOTÆ

9 *Hymenæum, turbas, lampadas*] Hymen et Hymenæus, Veneris et Bacchi filius, nuptiarum Præses, ideo apud Græcos invocabatur, ut apud Romanos Thalassio.

Lampadas] Faces quinque a pueris patrimis et matrimis, (id est, qui patrem et matrem viventem habebant,) ferebantur in ducenda sponsa in domum mariti; et tibicina quoque canebat.

17 *Dinumeret illi Babylo*] Argen-

Syre, cessas ire, ac facere? SY. Quid ago? DE. Dirue.
Tu, illas, abi, et traduce. GE. Di tibi, Demea,
Bene faciant, cum te video nostræ familiæ
Tam ex animo factum velle. DE. Dignos arbitror.
Quid ais tu? ÆS. Sic opinor. DE. Multo rectiu 'st,
Quam illam puerperam nunc duci huc per viam
Ægrotam. ÆS. Nihil enim vidi melius, mi pater.
DE. Sic soleo: sed eccum, Micio egreditur foras.

dixi? SY. *Quid ergo?* DE. *Dirue maceriam in horto; post abi et traduce per illam Sostratam, et Pamphilam.* GE. *Dii res tuas prosperent, Demea, quem ex animo sic cupere nostræ familiæ video.* DE. *Dignos his officiis vos censeo. Tu quid ais, fili?* ÆS. *Sic existimo.* DE. *Multo commodius est, quam Pamphilam a partu recentem nunc traduci per viam, ægrotam, morbo languentem.* ÆS. *Nihil rectius fieri posse puto, mi pater.* DE. *Sic mea consuetudo est. Sed ecce Mitio procedit ex ædibus.*

vel legendum, *Babylo*, h. e. loquaci, vel *Batalo*, h. e. molli, vel potius *Bacelo*, h. e. stulto. Mirum, non legisse *Bebelo*, q. βεβήλῳ, impuro, profano. Immerito autem Donati frigidas glossas reprehendit. Movit Nannium, quod nusquam alibi hanc vocem *Babylo* invenisset. Suetonius tamen Ner. 36. de Babilo astrologo mentionem facit. Magis placet conjectura Barthii, Advers. XXI. 7. cui *Babylo* casus rectus est, nomenque actoris seu dispensatoris. Et sane in plerisque omnibus Mss. est *Ille Babylo* vel *Babilo:* quomodo et edd. opt. EA. Junt. EP. Ald. plures. J. C. Scaliger *Ballioni* legit in Tract. de Comœdia. *West.* Theodorus Pulmannus ex veteri libro, ubi sine ulla litura scriptum erat, legit *Denumeret ille: abi, do viginti minas.* G. *ille Babylo.* ET. et EM. *Babylo ille.* Idem in Addend. *Babylo ille v. m.* Bembino libro hic finienti plura folia deficiunt. Do. legit *D. illi Babylo;* quam lectionem aliqui etiam libri Terentii habent: quæ et numero magis servit. *Fa. Ille Babylo* R. Br. Bent. Bip. Both. Eug. et Perl. *Babillo* GM.—18 *Quid ago?* An, quod in quibusdam libris est, *Q. ego,* corruptum ex *Quid ergo?* West. SY. *Quid ago?* DE. *Dirue.* Alii libri, *Quid agam?* alii, *Quid ago?* alii et ex his aliquot antiqui, *Quid ego?* habent: quod postremum puto esse corruptum, a *Quid ergo;* quod in libro vetusto se legisse asserit Rivius. *Fa.* Immo *Quid ego* vera lectio est, quam unus tantum ex nostris habet: ceteri *ago, agam. Quid ego?* subaudi 'faciam.' *Bent. Quid ego?* Both. *Q. ergo?* Bip. Delph. Perl.—19 Expressi editionem Heinsianam. Eundem sensum dat lectio Juntarum, Aldi, et R. Stephani. Cl. Clericus loc. cit. 9. 9. *Tu illac abi:* contra fidem Codd. *West.* Bip. *illac* ex Junt. Ald. et St. *Tum* pro *Tu* Guelf. 2.—20 *Benefaxint* 1. Delph.—21 *Bene* ante *factum.* 3. *Vos* post *dignos* 2.—22 *Est rectius* Both. *Quid tu ais Æschine?* Br. *Quid tu ais?* Bent. Both. Bip. Z. *Tu quid ais?* Delph.—23 Concinnius nostri *hac nunc duci.* Bent. Ita et Br. Both. et Perl. Ms. R. et vet. cod. ap. Lind. et Bip. *nunc duci hac.*—24 *Melius vidi* Br. Both.

NOTÆ

tarius fuit. Erant argentarii, trapezitæ, seu mensarii apud quos pecuniæ fœnori collocabantur, et a quibus etiam sumebantur. Horum erat officium publicum, et tabernas in foro positas illi habebant.

ACTUS V. SCENA VIII.

MICIO. DEMEA. ÆSCHINUS.

MI. JUBET frater? ubi is est? tune jubes hoc, Demea?
DE. Ego vero jubeo, et in hac re, et aliis omnibus,
Quam maxume unam facere nos hanc familiam;
Colere, adjuvare, adjungere. ÆS. Ita quæso, pater.
MI. Haud aliter censeo. DE. Immo hercle ita nobis decet.
Primum hujus uxoris est mater. MI. Quid postea?
DE. Proba et modesta. MI. Aiunt. DE. Natu grandior.
MI. Scio. DE. Parere jam diu hæc per annos non potest;
Nec, qui eam respiciat, quisquam est: sola est. MI. Quam hic rem agit?
DE. Hanc te æquom 'st ducere; et te operam, ut fiat, dare.
MI. Me ducere autem! DE. Te. MI. Me? DE. Te, inquam. MI. Ineptis. DE. Si tu sis homo,

MI. *Jubetne frater dirui hanc maceriam? ubi is est? an jubes hoc, Demea?* DE. *Ego vero jubeo non modo in hac re, sed et in aliis omnibus his gratificari quam maxime, nos hanc familiam cum nostra unam facere, colere, adjuvare, adjungere.* ÆS. *Ita rogo, pater.* MI. *Sic opinor esse faciendum.* DE. *Quin potius aliter facere nos dedeceret. Primum Sostrata est mater Pamphilæ, uxoris Æschini.* MI. *Quid inde?* DE. *Proba est et modesta.* MI. *Sic omnes dicunt.* DE. *Ætate provecta admodum.* MI. *Novi.* DE. *Jamdudum per ætatem parere non potest: nec quemquam habet, qui eam curæ habeat, et juvet: sola est, deserta ab omnibus.* MI. *Quid rei hic meditatur?* DE. *Hanc te convenit uxorem ducere, et tui officii est, Æschine, studere omni industria ut id fiat.* MI. *Me ducere uxorem?* DE. *Te.* MI. *Me?* DE. *Te, inquam, te.* MI. *Desipis.* DE. *Si vir es, Æschine,*

In Bip. Act. v. Sc. 6. In Both. v. 5.—1 *Hoc* abest Br. '*Ubi is?* Vulg. *ubi is est?* e quo cum redundet versus, alii, ut Dac. *ubi est.* Atque dicturum fuisse credimus plenius illud, nisi ipso statim viso oratio mutanda sit. Illud *est* igitur a glossa fuerit.' *Bip.*—2 Deme præpositionem *in*, ex fide omnium fere librorum. *Fa.* Unus tantum ex nostris recentior *in* habet. *Bent. In* abest Br. Both. Bip. Perl. Delph. *In hac . . et in aliis.* Guelf. 2.—6 *Primum hujus uxoris est mater.* M. *Est: quid postea?* In responsione Micionis delemus verbum *Est:* quod in nullo legitur l. s. et versus melius procedet. *Fa.* Facilis erat et promta emendatio: *P. h. uxori est mater. Est, quid p.* Ita unus ex nostris; neque aliter Latine dicas. *Bent.* Ita et Both. Perl. *Est: quid postea* Hel. *Quid tum postea* Gu. 1. *Æschini* post *hujus* Guelf. 3. Ibid. *tum* inter *Quid* et *postea*, omisso *est* antecedente.—7 Omnes edd. penes nos, *Ita aiunt.* Guelf. 2. *Ita dicunt.*—8 Alia collocatio est *per annos hæc.*—9 *Respiciet* Br. Mss. Pall. *recipiat.*—10 Τὸ *et* abest Both.—12 Priscian. Instit.

Hic faciat. ÆS. Mi pater! MI. Quid? tu autem huic, asine, auscultas? DE. Nihil agis:
Fieri aliter non potest. MI. Deliras. ÆS. Sine te exorem, mi pater.
MI. Insanis? aufer. DE. Age, da veniam filio. MI. Satin' sanus es? ego
Novus maritus anno demum quinto et sexagesimo
Fiam! atque anum decrepitam ducam! idne estis auctores mihi?
ÆS. Fac: promisi ego illis. MI. Promisti autem? de te largitor, puer.
DE. Age; quid, si quid te majus oret? MI. Quasi non hoc sit maxumum.
DE. Da veniam. ÆS. Ne gravare. DE. Fac, promitte. MI. Non omittis?

id ei persuadeas facere. ÆS. *Mi pater.* MI. *Itane, asine, huic morem geris?* DE. *Frustra id recusas, Mitio, id te necesse est facere.* MI. *Mente captus es.* ÆS. *Permitte ut id a te impetrem, mi pater.* MI. *Insanus es animo: aufer te.* DE. *Eia, hoc age, exaudi preces filii tui.* MI. *Satisne mentis compos es? Egone novus maritus fiam, annos demum quinque et sexaginta natus, et vetulam extremæ ætatis in uxorem accipiam? idne mihi suadetis?* ÆS. *Sic facias rogo; nam id illis pollicitus sum.* DE. *Pollicitus es? de te promitte, o puer, non de aliis.* DE. *Quid igitur faceres, si quid majoris momenti a te postu aret.* MI. *Quasi istud non sit maximi momenti.* DE. *Concede illi, quod petit.* ÆS. *Præbe mihi te facilem.* DE. *Age, promitte illi.* MI. *Non desinis me obtundere, et verbis enecare?* ÆS.

Grammat. Lib. XVIII. *Hic faciet.* Riv. et Glar. defendunt τὸ *autem* quod abest a Mss. quibusdam. *West. Hic faciet.* Placet mihi *faciat*, ut et Do. legit; et omnes fere l. s. et Bas. habent. *Fa.* Tres ex nostris veterrimi *faciat:* alii plerique *faciet.* Bent. *Quid tu huic a. auscultas?* Plerique libri post *Quid tu* addunt adverbium *autem.* Nos legimus, *Quid tu autem huic a. auscultas?* Fa. Br. *Quid tu hunc asine auscultas? Nihil agis?* Both. *Quid? tu Æschine, huic auscultas? Autem* abest C. Z. *Æschine* pro *asine* Guelf. 2.—14 EM. *aufer te hinc.* G. omittit. Libri quidam Mss. et editi: *da veniam, quæso.* West. Ex Do. lege *aufer* sine pronomine *te.* Fa. Nullus ex nostris *aufer* agnoscit. Iterum hic videas duas correctorum factiones: quidam sic, quod libros nostros occupavit, *Insanis. Age da veniam quæso filio. Satin sanus es.* Alii sic, *Insanis, aufer. Age da veniam filio. Satin sanus es.* Hi *aufer* ejecerunt, ut numeris consulerent, illi *quæso.* Placet *aufer* absolute positum. *Bent.* Br. *Insanis. Da veniam quæso filio. Sat insanus es? ego. Aufer* abest GM. et Guelf. 1. 2. 3. In Ms. R. et vet. cod. ap. Lind. est, *Da veniam, quæso, filio.* Ita et Guelf. 2. *Filio tuo* 3.—15 Bent. Bip. Delph. a τῷ *Ego* incipiunt: *Ego novus.* Both. *Novus m. ego anno.*—17 *Promisisti* Br. Guelf. 2. 3. G. et EM. Abest *ego* Both.—18 *Quasi hoc non sit maximum.* O. fere l. s. *Quasi non hoc:* ita octonarius optime constat. *Fa. Quasi non hoc s. m.* Mirum profecto omnes fere Faërni libros sic habuisse; cum nostri universi habeant *Quasi hoc non sit.* Recte: modo syllabam quæ exciderat, huc revoces:

ÆS. Non, nisi te exorem. MI. Vis est hæc quidem. DE. Age; prolixe, Micio.
MI. Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum, atque alienum a vita mea
Videtur; si vos tantopere istuc voltis, fiat. ÆS. Bene facis:
Merito te amo. DE. Verum, quid ego dicam? hoc confit, quod volo.

Minime, nisi id mihi concesseris. MI. *Vis hæc quidem est.* DE. *Age benigne et large nobiscum, Mitio.* MI. *Quamvis hoc mihi perversum, stultum, ridiculum, et abhorrens a vitæ meæ instituto videtur; attamen si vos tam enixe id vultis, fiat, concedo.* ÆS. *Hoc omnium optime se habet. Ex animo te amo, tantum ob meritum in me tuum.* DE. *Verum quid ego amplius dicam? perficitur sane id quod*

Quasi si hoc non s. m. Bent. *Quasi hoc non* Br. Abest *Age* Guelf. 2. Abest *quid* prius 3.—19 *Ne gravare.* Ita Mss. plurimi, et ex editis Rob. Stephani, Aldi, Juntarum, Basileensis, plures optimæ notæ. Atque ita Plautus, Stich. I. 3. 32. 'Promitte vero! ne gravare!' Nuperi tamen editores *Ne gravere* prætulerunt. An quod ita Donatus? *West. Non omittis?* Libri quidam præferunt, *Non omittitis?* forte, quod et Demea et Æschinus instare simul videntur; et si *Non omittis?* dixisset; videtur non Æschinus, sed Demea respondere debuisse. *Idem. Age da veniam.* Æ. *Ne gravere.* DE. *Fac: promitte.* M. *Non omittis?* Verbum *Age* delendum; nec enim in ullo l. s. est, et impedit versum, qui ne sic quidem mihi satisfacit: remanet enim Iambicus tetrameter catalecticus, cum alii sint acatalectici: cujusmodi erit et hic versus, si pro *omittis* legatur *omittitis*, ut in omnibus antiquis libris est, et nonnullis recentibus: sed quia potest nonnullis videri contra hanc lectionem facere, quod in singulari sequitur 'exorem,' cogitetur, ita in comœdiis induci multos rogare, ut ad unum pertineat exorare: ut in Heautontim. pro Clitiphone rogans Menedemus ad Chremetem dicit, 'Da veniam Chreme: sine te exoret:' ita hic *Non omittitis*, quia multi rogabant; 'exorem' vero, quia hoc proprie ad Æschinum pertinebat. *Fa.* Vetustiores quoque nostri *omittitis:* recte, procul dubio. Sed neque illud omittendum, nostros omnes habere hic, *Ne gravare*, non, ut Fa. dedit *Ne gravere.* Bent. *Gravere* Br. vet. cod. ap. Lind. Z. Bip. Delph. *Omittitis* Both. Bip. Perl.—20 Vulg. *te* abest. J. pro *te*, *rem* habet.—22 Libb. antiqq. *Videatur.* Abest *istuc* Perl. *Istuc vultis* in Guelf. 3.—23 *Merito te amo.* Hæc R. Stephanus Demeæ tribuit. Et sane requirebatur, ut et vis impetrans, quod tantopere expetiverat, gratum animum testaretur Micioni. *West. Hoc confit.* Mss. Leidd. tres M. Ms. Lips. Bodl. duo Bœcleri, G. ET. et EM. *hoc cum fit.* Ms. Bœnd. *Cum fit quod volo:* omisso *hoc.* Idem. Lege, et suis singula personis redde, DE. *Merito tuo te amo. Verum.* MI. *Quid?* DE. *Ego dicam, hoc cum fit, quod volo.* MI. *Quid nunc? quid restat?* DE. *Hegio hic est his cognatus proxumus. Merito tuo te amo:* ne Trochaicus sit inter Iambicos, nulla causa. *Cum fit* ex nostris universis. *Bent.* Br. *ego dicam, hoc cum fit quod volo?* Sic legit et personis reddit Both. DE. *Bene facis:* Æ. *Merito te deamo.* DE. *Verum.* MI. *Quid?* DE. *Ego dicam, hoc cum fit, quod volo.* MI. *Quid nunc, quod restat?* DE. *Hegio cognatus his est proxumus.* Bip. ita: DE. *Merito tuo te amo: verum quid ego dicam? hoc confice, quod volo.* MI. *Quid nunc?* DE. *Quod restat: Hegio cognatus his est proxumus.* Perl. *hoc cum fit q. volo?* MI. *Q. nunc? quid restat?*

Quid nunc, quod restat? Hegio his est cognatus proxumus,
Affinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.
Mi. Quid facere? De. Agelli est hic sub urbe paulum, quod locitas foras:
Huic demus, qui fruatur. Mi. Paulum id autem? De. Si multum siet, tamen
Faciundum est: pro patre huic est: bonus est: noster est: recte datur.
Postremo non meum illud verbum facio, quod tu, Micio,
Bene et sapienter dixti dudum: Vitium commune omnium est,

cupio. Quid adhuc superest? Hegio Sostratam et Pamphilam cognatione proxime attingit, nunc affinitate nobis junctus est, in egestate et inopia positus; nos benigne adesse ei, et aliquantum sublevare ejus paupertatem convenit. Mi. *Quid illi benefacere oportet?* De. *Habes paululum agelli suburbani, quod nescio cui alieno locas: huic demus fruendum.* Mi. *Paululumne agelli id vocas?* De. *Etsi majusculum sit, tamen tradi debet. Pamphilæ patris loco est, vir honestus et probus, amicus noster, dignus est cui detur. Postremo non ego sum auctor præclaræ istius sententiæ, quam pridem recte sapienterque pridem pronuntiasti; vitium commune*

De. *Heg.* Delph. *Verum quid? quid ego dicam?*—24 'Unus ex Regiis *quid restat.* Etiam pro *Hegio his est*, nostri universi *H. est his.*' Bent. *Est his* Br. *Hegio iste* Guelf. 2. J. *agnatus.*—25 Cuperus in Obs. I. 9. existimat, illud *bene* tribuendum esse Micioni. *Zeun.* Τὸ *bene* abest Guelf. 2.—26 *Foras.* Præstat hæc lectio præ quorundam Librorum *foris.* Donatus dubitat. *West. Agelli hic sub urbe est paululum quod locitas foris.* O. l. s. hunc ordinem verborum habent: *Agelli est hic sub urbe paululum:* unus tantum habet *paulum*, ut ratio versus exposcit, licet et illo altero quoque modo utcumque versus sustentari possit: sane pro *foris*, V. et Do. habent *foras.* Fa. Idem verborum ordo in nostris: quorum alii *foris* habent, alii *foras.* Utrumque agnoscit Do. sed ut *foras* malit. Recte. *Bent. Paululum . . . foris* Br. *Paululum* Bip. Z.—27 Guy. non cepit vim τοῦ *Si*, reponens *Etsi.* Valet enim *Si* idem quod *Etsi*, passim apud Comicos, et auctores alios. *West. Si multum sit, tamen.* In aliquot antiquis libris ita legitur, *Et si multum est, tamen:* alicubi, *Si multum sit, tamen.* In aliis recentibus legitur, *Si multum sit, Faciundum est;* quod stare non potest. Ceterum admissa lectione antiqua in hunc modum, *Si multumst, tamen*, versus est tetrameter acatalecticus, ut ceteri. *Fa. Paululum id autem? si multumst, tamen.* Nostri omnes *id autem est?* Unus vetustus *Paulum;* ut versus ipse postulat. *Tamen* nullus habet, præter duos recentiores. *Si multum siet* alii duo. *Bent. Paululum id autem est? Si multum sit, Faciundum est* Br. *Si multum est, t.* Both. *Paululum . . . Si multum est, t.* Bip. *Paululum . . Si multum sit t.* Z. *Autem est? Si multum 'st, t.* Perl. *Si multum siet F.* Delph.—29 Nuperi quidam editores, credo, Guyetum secuti, *Nunc meum illud verbum facio*, expresserunt. Prima Ms. Trajectini scriptura erat: *Postremo autem meum*, sed mutata in, *Postremo non meum.* West. Quod Palmerius et Gulielmius ex conjectura olim dederant, *Postremo nunc meum;* id clare habet codex Regius Chartaceus ex veterrimo quodam transcriptus. Recte: et frustra receptam explicare conan-

Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus: hanc maculam nos decet
Effugere: dictum est vere, et re ipsa fieri oportet.
Mi. Quid istic? dabitur, quandoquidem hic volt. Æs. Mi pater!
De. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore et animo. Mi. Gaudeo.
De. Suo sibi hunc gladio jugulo.

omnium est, quod ad rem in senectute attentiores sumus: hanc culpam evitare nos oportet: hoc vere prolatum est, et reipsa hoc nobis præstandum est. Mi. *Quid hoc est? dabitur, quando Demea sic poscit.* Æs. *O mi pater!* De. *Nunc mihi germanus es pariter corpore et animo.* Mi. *Id gaudeo.* De. *Suis propriis telis hunc confodio.*

tur. *Bent. Postremo nunc* Both. Perl.—30 Guelf. 3. *dixisti.*—31 Ms. Pal. 3. *avidi* pro *attenti:* at vero gloss. sapit. Perl.—32 Guy. et Heinsius legunt: *re ipsa f. oportet, Micio:* Habet autem repetitio nominis elegantem usum in persuasionibus. *West. Fieri o. Micio* Bent. Both. Bip. Delph. *Et dictum est* Guelf. 3.—33 *Quandoquidem hic volt.* Locutio magis Terentiana, quam illa quorundam librorum, *dabitur quidem, quando hic volt.* West. *Quidem, quando*, nostri universi. Fa. ex Vi. maluit *quandoquidem.* Bent. qui sic totum versum legit et constituit, *Q. istic? d. quidem, quando h. v. Mi pater. Nunc tu mihi.* Br. *Quid istuc? dabitur quidem, quando h. v.* Both. *Mi pater. Nunc tu mihi.* Bip. dat lect. Bentleii. *Istuc* Guelf. 2. 3.—34 In Bodl. est, *et animo et corpore.* West. Binos hosce versus uni Demeæ tribuit G. *Idem in Addend.* Et ita Br. 'In hoc versu, iterum excidit *Micio*, absorptum scilicet a præcedente 'mihi.' Postremo pro *corpore et animo*, nostri omnes, unico mediocri excepto, *animo et corpore.* Lege *ac*, et sententiam claram habes.' *Bent.* qui igitur versum omnino legit *Micio, es germanus p. animo ac corpore. Gaudeo.* Ita et Bip. præterquam pro *ac* legit *et.* Br. *et animo et corpore.* Bothius legit *Frater es germanus p. animo ac corpore. Gaudeo.* '*Animo ac corpore.* Sic Bent. Vulg. *corp. et an.* Hunc vs. Romanus cod. non habet.' *Perl.* Abest *tu* Guelf. 2.—35 Br. Bent. Both. Z. Delph. *Suo sibi gladio hunc j.* 'Abest *sibi*, Par. teste, ab uno codd. Pall. At desideratur a Mur. *in proverbio.*' *Perl.*

NOTÆ

35 *Suo sibi gladio*] Id est, suo proprio gladio. Sic Plautus in Prologo Captivorum; 'quo pacto serviat suo sibi patri.' Iterum; 'Inscientes sua sibi fallacia,' et rursum; 'Ita nunc ignorans suo sibi servit patri.'

ACTUS V. SCENA IX.

SYRUS. DEMEA. MICIO. ÆSCHINUS.

SY. FACTUM est, quod justi, Demea.
DE. Frugi homo es: ego ædepol hodie mea quidem sententia
Judico Syrum fieri esse æquom liberum. MI. Istunc liberum?
Quodnam ob factum? DE. Multa. SY. O noster Demea! ædepol vir bonus es.
Ego istos vobis usque a pueris curavi ambos sedulo;
Docui, monui, bene præcepi semper, quæ potui, omnia.
DE. Res apparet; et quidem hæc porro; obsonare, cum fide

SY. *Feci quod imperavisti mihi, Demea. Maceria diruta est.* DE. *Bonæ frugis homo es: ego per ædem Pollucis sentio atque arbitror Syrum libertate donari debere.* MI. *Istum libertate donari? quamnam ob causam?* DE. *Ob multas.* SY. *O noster Demea, Ædepol vir probus es. Ego vobis istos filios inde usque a teneris annis ambos educavi diligenter, docui, monitis et præceptis omnibus, quantum potui, instruxi.* DE. *Res manifesta est, nimirum quidem tibi curæ fuit cibos et obsonia lauta et delicata*

In Bip. Act. v. Sc. 7. In Both. v. Sc. 6.—1 In libris nonnullis est, *jussisti.* West. Ita et Br. Bent. Both. Bip. Perl.—2 *Frugi homo es, ædepol hodie mea quidem sententia.* O. fere l. s. et Do. post verbum *es*, habent pronomen *ego*; Bas. *ergo:* qua dictione, id est *ego*, adjecta, expeditior redditur versus, qui est trochaicus, ut ceteri, qui sequuntur. *Fa.* In textu dedit Faërnus, *ego edepol: ergo* habent vetustiores nostri omnes. *Ergo*, propterea quia frugi est: sed rectius *ego*. Bent. GM. et GC. *ergo.*—3 Both. legit *Liberum Syrum fieri, æquom judico.*—4 *Vir bonus es. Es* abest a veteribus nostris: scribendum *bonu's;* quod sono olim differebat a simplice *bonus*. Errat, qui volebat scribere, *bon'es*. Nec *us* nec *s* eliditur ante vocalem. *Bent. Es* abest Br. Hel. Both. et R. GM. non habet *es* in textu, sed supra scriptum. *Perl. Bonu' es* Bip. *Propter* ante *multa* Guelf. 3. J. *Ob multa.*—7 *Res apparet, et quidem porro hæc.* Ita Bas. V. Vi. sed sunt aliquot libri, qui non habent pronomen *hæc:* quod et versui incommodat, nec orationem adjuvat: versus tamen sic quoque sustentari potest, elidendo ex 'quem' *m*, quamvis sequente consonante. *Fa.* Nostri omnes *hæc*. Et dolet, ideo *hæc* Faërno displicuisse, quod eo pacto 'quidem' corriperetur; et tamen id solenne est, et singulis occurrit paginis: bis mox in uno versiculo v. 17. *Bent. Obsonare, cum fide Scortum adducere.* Ita distinguere malui cum Juntis, Aldo, R. Stephano, Heinsio, pluribus; quam cum aliis *obsonare cum fide, Scortum a.* West. Br. *Res apparet.* SY. *Et q. p. h. obsonare cum fide, S.* Sed notat Bruns, 'In marg. a prima, ut videtur, manu hæc verba Syro tribuuntur, quæ secundum edit. et Bent. ad sermonem Demeæ pertinent.' Post *fide* commate distin-

Scortum adducere, apparare de die convivium:
Non mediocris hominis hæc sunt officia. SY. O lepidum caput!
DE. Postremo, hodie, in psaltria hac emunda, hic adjutor fuit,
Hic curavit: prodesse æquom 'st: alii meliores erunt:
Denique hic volt fieri. MI. Vin' tu hoc fieri? ÆS. Cupio. MI. Si quidem
Tu vis, Syre, eho! accede huc ad me: liber esto. SY. Bene facis.
Omnibus gratiam habeo; et seorsum tibi præterea, Demea.
DE. Gaudeo. ÆS. Et ego. SY. Credo: utinam hoc perpetuum fiat gaudium,
Phrygiam ut uxorem meam una mecum videam liberam.
DE. Optumam quidem mulierem. SY. Et quidem tuo nepoti, hujus filio,

emere et condire: meretricem ad illos fideliter deducere, convivium de medio die apparare. Non cujusvis hominis, aut vilis servi hæ sunt operæ. SY. *O festivum virum atque urbanum!* DE. *Denique Æschinum in emenda hac fidicina adjuvit, atque hortatus est: huic benefacere justum est: alii servi ab hoc exemplo probiores fient. Denique Æschinus cupit hoc fieri.* MI. *Æschine, visne tu hoc fieri?* ÆS. *Cupio.* MI. *Siquidem tu consentis, eho, Syre, accede propius ad me: Liber esto.* SY. *Bene facis, ut bonum herum decet. Omnibus gratiam habeo: ac præter ea singularem tibi, Demea.* DE. *Id gaudeo.* ÆS. *Et ego.* SY. *Credo, quæ est vestra benignitas. Utinam istud gaudium Dii perpetuent absque ulla ægritudine, ut possim videre Phrygiam meam uxorem simul mecum liberam.* DE. *Optimam certe fæminam.* SY. *Et quidem tuo nepoti, Æschini filio, scilicet hodie*

guunt Bent. Both. Perl. Bip. Z. Tò *hæc* abest Delph.—8 Br. *abducere.* 'Al. *de die in diem.*' Perl.—10 *In psaltria ista emunda.* Aliqui libri habent *istac*, sed impedita est ratio versus: aliqui, et hi ex antiquioribus, *hac*, quod magis placet. *Fa.* Nostri omnes *istac*. Lege *ista*, non *hac*. Bent. *Istac* Br. Guelf. 3. *Ista* Guelf. 2. Both. Bip. Delph.—11 Libri quidam legunt: *omnia prodesse.* West.—14 Guelf. 2. *hebeo* vitiose. Perl.—15 Vulg. *credo, utinam*, nimis inficete. *Both.* qui ipse dat *cedo, uti jam.*—16 Ms. Lips. et Bœnd. *una videam:* omisso *mecum*. West. Ita et Br. qui etiam *Frigiam* scribit. Bothius habet sic: *Phrygiam ut una mecum videam liberam, uxorem meam.* Tò *ut* in Delph. versui præcedenti additur: et τὸ *optumam* ex vs. sequenti ad finem

NOTÆ

8 *Apparare de die convivium*] De die epulari, aut potare, semper apud antiquos Græcos et Romanos datum vitio fuit, ut intemperantiæ et luxus argumentum; ita Curtius Alexandrum Macedonem notat, quod de die convivia iniret; et Livius Pœnos, quod de die epularentur. Et ab Hippocratis usque temporibus rarus olim fuit prandiorum usus.

Hodie primam mammam dedit hæc. Dr. Hercle vero serio,
Si quidem primam dedit, haud dubium quin emitti æquom siet.
Mi. Ob eam rem? De. Ob eam. Postremo a me argentum, quanti est, sumito.
Sy. Di tibi, Demea, oro, omnes semper omnia optata offerant.
Mi. Syre, processisti hodie pulchre. De. Si quidem porro, Micio,
Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paululum præ manu
Dederis, unde utatur; reddet tibi cito. Mi. Istoc vilius.
Æs. Frugi homo est. Sy. Reddam hercle; da modo. Æs. Age, pater. Mi. Post consulam.

primum mammam admovit, et lac præbuit. De. *Per Herculem, verumne et serio id ais? Siquidem primum nepotulum nostrum lactavit, certum est illam esse manumittendam, uti æquum est.* Mi. *Ob eam rem solum?* De. *Ob eam. Denique argentum pro ejus pretio, quanti æstimaveris eam, a me accipito.* Sy. *Dii tibi omnes, Demea, omnia, quæ optas, concedant.* Mi. *Syre, præclare hodie profecisti.* De. *Sic est, Mitio, dummodo officium tuum, facies, et ut herum liberalem decet aliquam pecuniolam ei præbeas utendam: brevi eam tibi rependet.* Mi. *Isto flocco vilius erit quod reddet.* Æs. *Probus homo est, et qui promissa servat.* Sy. *Reddam per Herculem, da modo mutuo.* Æs. *Age, pater.* Mi.

hujus apponitur. In Guelf. 3. *cum* post *ut:* iterum *ut* post *mecum:* ibid. *primo* ab altera manu. *Perl.*—17 Pro *et quidem, equidem* in multis est l. s. sed adhuc tamen aliquam difficultatem patietur hic versus, nisi legeretur *Optumam equidem;* quod non placet: ego lectionem vulgatam retineo, versumque sustento elidendo utrobique *m*, ex 'quidem,' quamvis sequente consonante: dictionem vero 'hujus,' in unam syllabam contrahendo. *Fa.* Br. *Et tuo quidem* legit, et commate distinguit post *filio.* Et ita distinguunt Both. Bip. Delph. 'GM. gl. *recens nato.*' Perl.—18 Ms. Bodl. G. *prima mammam dedit.* Et mox, *Siquidem prima dedit.* West. *Prima* Bent. Perl. Both.—19 *Siquidem primam dedit, haud dubium quin.* Sic a Faërno est: Nostri meliores et vetustiores *prima. Prima,* et *haut dubium est.* Utrumque recipio: illud prius omnibus scriptoribus usitatum. *Bent.* Br. *Siquidem primo d. haud dubium est. Prima . . dubium est* Both. *Prima* Perl. *H. dubium est* Ms. R. vet. cod. ap. Lind. Bip.—20 Post *eam* posterius, J. addit *rem*, imperite. *Perl.*—21 Verbum *oro* delemus, quod nec in ullo l. s. est, nec a Donato ponitur, et versum corrumpit. *Fa.* Reponit Bent. *Di tibi, Demea, omnia omnes semper o. af.* Ita et Both. Perl. *Oro* abest Br. qui etiam cum Delph. *afferant* legit. Abest *oro* Bip. Z. Delph.—23 *Aliquid huic præ m. p.* Br. *Paulum* Bent. Both. Perl. Z. Delph. Abest *Tu* Guelf. 2. 3.—24 EP. *Istoc levius.* West. GM, *levius;*

De. Faciet. Sy. O vir optime! Æs. O mi pater festivissime!
Mi. Quid istuc? quæ res tam repente mores mutavit tuos?
Quod prolubium? quæ isthæc subita est largitas? De. Dicam tibi;
Ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivom putant,
Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo et bono:
Sed ex assentando, indulgendo, et largiundo, Micio.

Post deliberabo. De. *Syre, ne dubita, Mitio faciet quod petis.* Sy. *O vir optime, Demea!* Æs. *O mi pater lepidissime!* Mi. *Quid istud est? undenam hæc tam subita morum tuorum immutatio? unde tibi tam promtus animus ad largiendum? quæ ista tam profusa in largiendo voluntas?* De. *Dicam tibi. Hoc feci, ut manifestum facerem quod isti filii nostri te clementem et mitem æstimant, id non effici ex vera et laudabili facilitate naturæ tuæ: immo, nec etiam ex vera æquitate; sed ex eo, quod eis nimis subblandiris, indulges, et large sumtus præbes, Mitio: si*

quam lect. nusquam alibi invenio. *Perl.* *Quid* post *Istoc* Guelf. 2.—26 Laborat hic versus, nisi legatur, *O pater mi*, ut in Vi. et Decurtato collocatur. *Fa.* Unus tantum ex nostris, Regius, *pater mi.* Bent. *Facies* Br. *Pater mi* Both. Perl. Bip. Delph.—28 Mur. Var. Lect. IV. 13. *proluvium* citat ex Cæcilio apud Nonium, unde Terentius versum hunc imitatus sit. Eandem lectionem defendit Dac. Adi P. Victor. Var. Lect. XXI. 4. Mss. varie. In Ms. Lips. Bœnd. G. Bodl. M. et Leidensium uno est *prolubium.* Idem ex libro Vaticano laudat Faërnus. In Tr. corrupte *procluiu.* In Leidensibus tribus *proluvium:* horum uni suprascriptum 'effusio,' uni, 'largitas et effusio census.' In quinto est *profluvium. Prolubium* autem magis placet: neque sane *proluvium* erat servum cum serva manumittere, neque agelli paululum et nummorum aliquid utendum et præ manu dare, sed largitas et liberalitas mera ex prolubio orta. Quanquam *proluvium* exhibent optimæ editiones, EA. Rob. Stephani, Aldi, Juntarum, Venetæ, Argentina, Tarvisiana, [In Addend. notat ET. et EM. *prolubium* legere.] aliæ. Sed et ita Gambarellus in Observ. Et Nonius Marcellus: '*Proluvium*, profusio. Terentius in Adelphis: *Quod proluvium? quæ hæc subita largitas?*' Quam lectionem Guy. multis astruit in Glossis Mss. atque ita legebat Cl. Grævius; forte e suo Ms. Dicitur autem 'proluvium' a proluo, uti 'diluvium' a diluo. EP. et paucæ aliæ *prolubium* præferunt. Gell. XVI. 19. 'Prolubium audiendi subit.' *West.* Tres ex nostris bonæ notæ *prolubium;* ceteri *proluvium.* Nonius ex hoc Terentii loco, ut et Servius ad Æn. III. 217. *proluvium* citat: sed ex Accio, Novio, Laberio, *prolubium.* Idem ex Varrone: 'Varro de Lingua Latina lib. v. Prolubium et Prolubidinem dici, ab eo quod lubeat; unde etiam Lucus Veneris Lubentinæ dicatur.' Si hoc Varro; abeat, quo dignum est, *proluvium.* Bent. *Proluvium* defendit Par. *Profluvium* Eug. *Ista* pro *istæc* Br.—29 *Quod tam* Ms. Par. *Perl.*—31 Duo ex nostris non habent *ex.* Do-

NOTÆ

28 *Quod prolubium*] Turnebus legit *proluvium*, quod per translationem dicitur profusio et prodigalitas, cum quis more aquæ opes profundit. Virgilius lib. III. Æneidos de Harpyis: 'Fœdissima ventris Proluvies,' id est, sordis effusio, sive alvi immunditia.

Nunc adeo, si ob eam rem vobis vita mea invisa est, Æschine,
Quia non justa, injusta prorsus omnia, omnino obsequor,
Missa facio: effundite, emite, facite, quod vobis lubet:
Sed si id voltis potius, quæ vos propter adolescentiam
Minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum,
Hæc reprehendere, et corrigere me, et obsecundare in loco;
Ecce me, qui id faciam vobis. ÆS. Tibi, pater, permittimus:
Plus scis, quid facto opus est. Sed de fratre quid fiet? DE. Sino;
Habeat; in istac finem faciat. ÆS. Istuc recte. Ω. Plaudite!

CALLIOPIUS RECENSUI.

igitur, Æschine, ratio vitæ meæ vobis invisa et molesta est, quia in omnibus, sive ea justa sint vel injusta, vobis non obsecundo, pro derelictis omnia habeo, et vestro arbitratu vivere sino: absumite, emite, facite, ut vobis videtur: sed si id potius vultis, ut quæ per adolescentiam minus vobis intelligere licet, et per inconsiderantiam quidem magis enixe affectatis, minus vero perpenditis, ea incusem et emendem, utque etiam obtemperem pro temporis occasione vestris voluntatibus; ecce me reperistis, qui id vobis præstem. ÆS. *Pater mi, tuæ potestati nos committimus; tu scis melius quid nobis facto opus sit: sed de fratre Ctesiphone quid fiet?* DE. *Permitto ut ista potiatur fidicina, ea sit contentus, et in ea voluptates et libidinem suam consumat, nec posthac aliam amet.* ÆS. *Recte judicasti, et constituisti.* Ω. *Plaudite.*

natus Oxoniensis Ms. *atque indulgendo:* repono, *Sed assentando, atque indulgendo, et largiendo, M.* Bent. Both. *Fieri assentando, indulgendo, largiendo, M.* Perl. *atque indul.*—32 *Mea vita invisa est, Æschine.* Negligenter hic agebat Fa. nam nostri omnes, *invisa, Æschine, est.* Bent. Ita et Br. Both. Perl. Abest *omnino* Guelf. 1. *Exequor* habet 2.—33 Br. *non ista injusta.* 'Itid. in GM. sed in loco, inquit Perl. ut mihi quidem videtur, deraso.'—34 Quidam Mss. et editi vetusti, *emittite.* West.—35 *Quos* non *quæ* Guelf. 3.—36 *Siquidem* ante *magis* Idem.—37 Sic quidem o. l. s. sed Do. legit *secundare,* quod tamen non placet. *Fa.* Do. legit *secundare,* hoc est, inquit, 'in melius convertere, vel obsequi.' Natum hoc ex Correctoribus, qui videbant syllabam versui hic superesse: legebant itaque *secundare,* quod nusquam pro 'obsequi' occurrit. Sed aliud est, animadversione dignum. 'Si vultis,' ait, 'me corrigere, &c. Ecce me.' Prius *me* inepte hic ponitur; si alterum *me* sequatur. Dixisset utique, 'Si vultis me corrigere, faciam id vobis;' vel, 'Siquem vultis corrigere, Ecce me, qui id vobis faciam.' Plautus Mil. III. 1. 69. 'Opus erit tibi advocato, tristi, iracundo? Ecce me.' Non dixit, 'Opus tibi me advocato:' putidum enim fuerit. Quare hic lego, *Et reprehendere et corrigere quem; obsecundare in loco.* Bent. Et ita Both. Perl. Τὸ *et* posterius abest Delph. *Observare* non *obsecundare* Guelf. 3.—38 Bent. in textu *quid id,* sed nihil notat: forsan est error typotheticus. Br. legit *quid faciam vobis?*—39 *Plus scis quid facto opus est.* Sic Fa. sed nostri universi paulo melius, *P. s. q. opus f. est.* Bent. Ita et Br. Perl.—40 *Istuc recte*

Micioni tribuendum est, ut Do. annotat, non Æschino. *Bent.* Sic notat West. 'Non observare me memini in quoquam codice hæc Micioni tribui: quod facit Do.' Micioni tribuunt Both. Bip. Perl. 'Plusculi Mss. *valete et plaudite.* GC. invert. *plaudite et val.* GM. *plaudite,* omisso *et valete.*' Perl. Ω abest Bent. Bip. Perl. Neque dant verba *Calliopius recensui.*

FINIS ADELPHORUM.

PUB. TERENTII

HECYRA.

ACTA LUDIS MEGALENSIB. SEX. JUL. CÆSARE, CN. CORNELIO DOLABELLA ÆDIL. CURULIB. NON EST PERACTA. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI, TIBIIS PARIB.[1] TOTA GRÆCA APOLLODORU[2] FACTA EST.[3] ACTA PRIMO SINE PROLOGO. DATA SECUNDO, CN. OCTAVIO, T. MANLIO COSS. RELATA EST. L. ÆMILIO PAULO LUDIS FUNEBRIBUS.[4] NON EST PLACITA. TERTIO RELATA EST, Q. FULVIO, L. MARCIO ÆDILIB. CURULIB. EGIT L. AMBIVIUS TURPIO. PLACUIT.

1 *Parilibus* R. et vett. codd. *Lind.*—2 *Menandru* Fa. Bent. *Apollodoru est* Z.—3 *Facta est* omittit Both.—4 *Funeralib.* Bemb. *Funeral.* Both. Aliter hic titulus exhibetur in Lind. Bip. *Publii Terentii Hecyra. Acta ludis Romanis, Sex. Julio Cæs. Cn. Cornelio Dolabella Ædil. Cur. non est peracta tota. modos fecit Flaccus Claudii tibiis paribus, Cn. Octavio, T. Manlio, Coss. relata est iterum ludis funebribus. Relata est tertio, Q. Fulvio, L. Marcio, ædilibus curulibus.* et sic Br. excepto *parilibus.* at legere vult Gov. *Terentii Hecyra. Tota Græca est Apollodorou. edita Cn. Octavio, T. Manlio Torquato Coss. Acta primo ludis Romanis Sex. Jul. Cæsare. Cn. Corn. Dolabella Ædilibus Curulibus, sine Prologo. non est placita. Relata est iterum ludis Funebribus L. Æmilii Pauli, non est placita tota. Relata est tertio. Q. Ful. L. Martio ædilibus curulibus. Egit L. Ambivius Turpio. modos fecit Claudius Flaccus, Claud. Filius, tibiis paribus. Placuit.*

EXPOSITIO TITULI.

ACTA est ista fabula Echira quæ sequitur, quam Latinus comicus Terentius composuit ludis Romanis, id est dum ludi agerentur, quos primo Romani adinvenerant. Habebant autem ludos, quos ab aliis gentibus acceperant, Sexto Julio Cæsare, Gneo Cornelio Ædilibus curulibus id est officium habentibus super curiam et senatum. Nam Julius Cæsar per omnes gradus ascendendo dignitatum pervenit ad imperii apicem. Non est peracta, id est non est recitata tota ista fabula. Bis est inchoata recitari. Sed sicut ipse in prologo declamat, non potuit ex toto recitari, quoniam supervenerunt ludi gladiatorum et bestiarum. Et cœpit plebs vulgaris et levis vociferare et illos ludos prospectare, impeditaque est fabula. Tertia

vero vice tota recitata est. Prima vero vice quando impedita est, isti erant ædiles curules quos supra posuimus. Modos autem fecit Flaccus qui solebat clauditibiis paribus id est duabus, Gneo Octavo, Tito Manlio consulibus. Repetita est iterum, sed non est peracta impedientibus ludis funebribus. Relata est tertio tota non impedientibus ludis, Quinto Fulvio, Lucio Marco ædilibus curulibus. Funebres ludi vocabantur quos exercebant in anniversariis regum aut principum quos inter heroas computabant. ÆCHIRA nomen huic fabulæ est. Dicta autem Æchyra a loco haud longe distante ab Athenis ubi hæc acta sunt.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

PROLOGUS.
BACCHIS, *meretrix, amica Pamphili. A Baccho.*
LACHES, *senex, pater Pamphili. Ab* ἔλαχον, *sortitus sum.*
MYRRHINA, *mater Philumenæ. A* μυῤῥίνη, *myrtus.*
PAMPHILUS, *filius Lachetis et Sostratæ. A* πᾶς *et* φίλος, *omnibus carus.*
PARMENO, *servus Sostratæ.* Παρὰ τῷ δεσπότῃ μένων, *apud dominum manens.*
PHIDIPPUS, *senex, pater Philumenæ. A* φειδὼ *parsimonia, et* ἵππος *equus.*
PHILOTIS, *meretrix. A* φιλότης *amicitia.*
SOSIA, *servus Pamphili. A* σώζεσθαι, *servari; quod servi servantur in bello.*
SOSTRATA, *mater Pamphili. A* σώζειν *servare, et* στράτος *exercitus.*
SYRA, *anus, lena. A natione.*

PERSONÆ MUTÆ.

PHILUMENA, *puella, nupta Pamphilo. Quasi* φιλουμένη.
SCIRTUS, *Servulus.*
NUTRIX.
ANCILLÆ *Bacchidis.*

C. SULPITII[1] APOLLINARIS PERIOCHA
IN TERENTII HECYRAM.

Uxorem duxit Pamphilus Philumenam,
Cui quondam ignorans virgini vitium obtulit:
Cujusque,[2] per vim quem detraxit, annulum,
Dederat amicæ Bacchidi meretriculæ.
Dein profectus in Imbrum est, nuptam haud attigit.
Hanc mater utero gravidam, ne id sciat socrus,
Ut ægram ad se transfert: revertit Pamphilus:
Deprehendit partum: celat: uxorem tamen
Recipere non volt: pater incusat Bacchidis
Amorem: dum se purgat Bacchis, annulum
Mater vitiatæ forte agnoscit Myrrhina:
Uxorem recipit Pamphilus cum filio

Pamphilus, Lachetis et Sostratæ filius, accepit in uxorem Philumenam, Phidippi et Myrrhinæ filiam, quam quondam ignotam compressit in via, et cujus annulum, quem eripuit ei, donaverat Bacchidi meretrici, quam amabat. Deinde in Imbrum insulam navigavit, nuptam uxorem Bacchidis amore captus non attigit. Hanc Myrrhinæ mater cum sciret prægnantem esse, ægrotam esse simulans ex ædibus Lachetis ad se ducit, ne socrus Sostrata eam esse gravidam cognoscat: redit ex Imbro insula Pamphilus; deprehendit uxorem peperisse, et rem occultat, uxorem tamen, ignorans eam ex se peperisse, recipere recusat. Pater ejus Laches culpam confert in Bacchidem: dum se excusat Bacchis, forte accidit ut Myrrhina annulum agnosceret, quem gerebat filia, cum stuprum ei illatum fuit. Uxorem cum filio recipit Pamphilus.

1 Al. script. *Sulpicii* Perl.—2 *Ejusque* Br.

ÆLII DONATI,
V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ,

PRÆFATIO IN HECYRAM TERENTII.

Hæc Fabula Apollodori esse dicitur Græca: nam et ipsa et Phormio ab eodem dicuntur esse translatæ: cum reliquæ quatuor sint Menandri Comici. Hecyra autem dicitur, ideo, quia per socrus et soceros in ea aguntur multa. Nam et ἑκυρὸς et ἑκυρὰ, soceri nomen, socrusque significant. Est autem mixta motoriis actibus ac statariis: multumque sententiarum et figurarum continet in toto stylo. Unde cum delectet plurimum, non minus utilitatis affert spectatoribus. Atque in hac primæ partes sunt Lachetis, secundæ Pamphili, tertiæ Phidippi, quartæ Parmenonis: ac deinceps aliarum personarum, quæ his adjunctæ sunt. Divisa est autem, ut ceteræ, quinque Actibus legitimis: quos in subditis distinguemus. In hac Prologus est et multiplex, et rhetoricus nimis, propterea quod sæpe exclusa hæc Comœdia diligentissima defensione indigebat. Atque in hac Protasis turbulenta est, Epitasis mollior, lenis Catastrophe. Acta sane est ludis Megalensibus, Sexto Julio, C. Rabirio Ædilibus Curulibus: egitque L. Ambivius. Modulatus est eam Flaccus Claudius tibiis paribus. Tota Græca est, factaque et edita quinto loco, Cn. Octavio, T. Manlio Coss. Cantica et diverbia summo in hac favore suscepta sunt. Προτατικὰ in hac πρόσωπα, id est, personæ extra argumentum duæ sunt, Philotidis et Syræ. In tota Comœdia hoc agitur, ut res novæ fiant, nec tamen abhorreant a consuetudine. Inducuntur enim benevolæ socrus; verecunda nurus; lenissimus in uxorem maritus, et item deditus matri suæ; meretrix bona.

M. ANT. MURETI ARGUMENTUM.

PAMPHILUS, Lachetis e Sostrata uxore filius, Bacchidem meretricem deperibat. Is cum aliquando noctu ad eam temulentus iret, in Philumenam, Phidippi et Myrrhinæ filiam, incidit, eamque in via per vim compressit: atque ita effugit, ut neque ipse eam, neque puella ipsum cognoscere potuerit. In illa autem lucta etiam annulum ei detraxit, eumque Bacchidi dono dedit. Paulo post pater eum, tum ut a meretricio amore averteret, tum ut præsidium suæ senectuti pararet, ad uxorem ducendam perpulit. Contigit, ut ea ipsa uxor ei daretur, quam ipse constupraverat; gaudente admodum puellæ matre, quæ, quia sola conscia erat filiam e stupro gravidam esse, quamprimum eam collocare properabat, ut, si forte post aliquot menses pareret, nuptiis, quemadmodum sæpe fit, obtegeretur stuprum. Cecidit res longe aliter, ac putabatur. Etenim Pamphilus, qui invitissimus adjecisset animum ad rem uxoriam, quia avellere se derepente a Bacchidis amore non posset, ita dormit cum uxore, ut eam ne attigerit quidem. Bacchis, quod, ea viva, nunquam se uxorem ducturum, sæpe ei promiserat Pamphilus, nonnullam sibi ab eo factam injuriam putans, multo ei minus, quam solebat, placida et obsequens esse cœpit. Eo factum est, ut Pamphilus ei se paulatim subduxerit, quamque prius spernebat uxorem, ejus mirificum quendam amorem animo conceperit. Interea quiddam accidit, ut iter Pamphilo in Imbrum esset. Profecto eo, Philumena, quæ intumescere sibi uterum sentiret, cum aliorum, tum socrus inprimis suæ conspectum refugiebat. Tandem cum in eo esset, ut celare vix posse amplius videretur, sumta occasione, per sacrificandi speciem, ad matrem se, unam omnium rerum consciam, confert. Post dies complusculos mittit Sostrata, qui eam arcesserent. Respondetur, ægrotam esse. It, ut eam saltem viseret: non admittitur. Laches accusare uxorem, et dicere, hæc omnia illius culpa contingere. Ille contra excusare se, et culpam deprecari: nullius se rei consciam esse, cur sua consuetudo nurui odiosa esse debeat. Interea rediit Pamphilus, atque ita sors tulit, ut quo die ipse Athenas appulit, eo ipso, Philumena partu levaretur. Cum igitur, videndi cupidus, (ægrotare enim acceperat, et ita amabat, ut qui vehementissime,) subito ad eam ingressus esset, peperisse deprehendit. Ibi eum Myrrhina exeuntem prosecuta, lacrymans, obtestari cœpit, quando ea res nihil ipsi nocitura esset, ne reciperet quidem uxorem, si ita videretur; sed tamen ne famam illius proderet. Ita se facturum recipit. Cum igitur neque vellet uxorem recipere, neque rursum veram afferret causam; suspicati sunt senes, eum Bacchidis adhuc amore impeditum, ea de causa ab uxore abhorrere. Arcessitam itaque Bacchidem objurgat Phidippus. Ea, cum se ille purgasset, jubetur ad mulieres ingredi, et eis quoque illam suspicionem adimere. Ingreditur, annulum habens in digito, quem olim Philumenæ ereptum, sibi dederat Pamphilus. Is annulus effecit, ut vitiatam esse ab ipso Pamphilo Philumenam cognosceretur. Lætus Pamphilus et uxorem et filium recipit.

PROLOGUS.†

HECYRA est huic nomen fabulæ: hæc cum data est
Nova, novum intervenit vitium, et calamitas,
Ut neque spectari neque cognosci potuerit:
Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat. Nunc hæc plane est pro nova;
Et is, qui scripsit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum possit vendere.
Alias cognostis ejus: quæso hanc nunc noscite.

Hecyra nominatur hæc fabula. Tunc cum nova exhibita est, fortuito vitio et calamitate factum est, ut neque spectari neque cognosci potuerit, vel ex scenæ apparatu, vel ex personarum actione: ita populus, stupens admiratione funambuli, in eo spectando animo defixus fuerat. Nunc hæc fabula Hecyræ tanquam nova datur, ut quæ acta non fuit, et poëta qui hanc fecit, noluit post spectaculum funambuli, denuo eam introducere in scenam, ut iterum pro nova eam histrionibus venderet. Alias Poëtæ fabulas notas habetis, hanc precor ut noscatis attente spectate.

† Hic et sequens prologus duo fiunt in Bas. CCC. V. Vict. conjunguntur in G. ET. EM. Delph. 'Utrumque prologum resecat Guyetus, ut Terentio indignum. Defendit Faërn. Agnoscunt Donat. Eugraph. Mss. editique omnes. Si quæ alia fabula, hæc indigebat Prologo.' *West.*—1 *Hechira* GM. *Fabulai* Bent. '*Hæc* pauci codd. non agnoscunt.' *West.* *Ea cum acta est* legit Laurent. Aretin. Epist. VI. 8.—2 *Novæ novum* Both. *Nova, ei novum* Bent. —4 *Obstupidus* Both.—5 *Hæc nunc* tacite Both. *Certe* post *plane* Guelf. 2.—6 *Etsi is q. s. hanc ob causam n.* Both.—7 '*Possit* plerique omnes libri, pauci *posset*.' West. *Posset* Bent. Bip. Both. Perl.—8 '*Cognovistis* unus Ms. Argentor. ut arbitror corrupte, *agnovistis*.' Bœcl. *Cognoscis* Guelf. 1. *Ejus* deest in Leid. 5. *Nunc hanc* Leidd. quatuor. *Nunc* deest in Bodl. Bent. Z. Both. Perl. *Quæso hanc cognoscite* M. et Hul.

NOTÆ

1 *Hecyra*] 'Εκυρὰ significat Socrum.

2 *Novum intervenit vitium*] Vitio creati dicuntur Consules et Magistratus, si cœptis comitiis tonitru supervenisset, si quis morbo Herculeo correptus concidisset, aut si alia legitima omissa fuissent: nam comitia his casibus dirimenda erant: aliter tota actio vitiosa et inauspicata censebatur.

ALTER PROLOGUS. ‡

ORATOR ad vos venio ornatu prologi:
Sinite exorator ut sim; eodem ut jure uti senem
Liceat, quo jure sum usus adolescentior;
Novas qui exactas feci ut inveterascerent;
Ne cum Poëta scriptura evanesceret.
In his, quas primum Cæcilii didici novas,
Partim sum earum exactus: partim vix steti.
Quia sciebam dubiam fortunam esse scenicam,
Spe incerta, certum mihi laborem sustuli.
Easdem agere cœpi, ut ab eodem alias discerem
Novas, studiose, ne illum ab studio abducerem.
Perfeci, ut spectarentur: ubi sunt cognitæ,
Placitæ sunt. Ita Poëtam restitui in locum,

Orator legatus a grege Histrionum ad vos, spectatores, venio in vestitu Prologi: per vos liceat mihi exoratorem esse impetrando ea, quæ postulo. Permittite mihi Lucio Ambivio Actori comico uti eadem facultate, nunc cum senex sum, qua uti mihi licuit, cum adolescens fui, qui feci ut Comœdiæ novæ Cæcilii Poëtæ, licet expulsæ, viverent, et ad vetustatem pervenirent sæpius deinceps actæ, et probatæ; ne cum Poëta poëma caducum fieret, et periret. In Cæcilii Comœdiis quas novas primum recitavi, partim eas agens sum rejectus; partim vix potui fabulam peragere. Quoniam vero videbam fortunam scenæ ancipitem esse, et periculosam, ideo in spe incerta certum laborem subii; easdem Cæcilii Comœdias, quæ exclusæ fuerant, agendas suscepi, ut alias ejusdem novas recitandas discerem accurate: effecique ut populus eas spectaret, probaretque; ne ille deterritus a studio scribendi fabulas abstraheretur. Ubi spectatæ sunt, et intellectæ, gratæ et acceptæ populo fuerunt: ita Poëtam Cæcilium in pristinum statum et æstimationem reduxi, qui

‡ Hic Prologus cohæret superiori in M. Lips. Bodl. et Bœnd. et in EP. Juntina, Aldina, Steph. aliis. Videtur autem editioni tertiæ Prologus hic præfixus, uti superior secundæ. De prima res incerta est. Vide Eugraph. et Faërn. Cogitabat Guyetus in glossis ineditis, potuisse fieri, ut post obitum Terentii hæc Fabula denuo acta Prologum hunc acceperit. *West.*—1 ‘*Cum ornatu* in Mss. nostris.’ *Bœcl.* E gl. *cum* Br.—2 *Ut* omittunt Fa. Bent. Bip. Both. Br. Perl. quo teste ‘*ut* omittere solet Terentius, nec minus alii.’—3 *Sim* Fa. e typographi culpa, uti putat Bent.—4 ‘*Veterascerent* Ms. unus.’ *Bœcl.* ‘Guy. in Scholiis Mss. *rejuvenascerent* vel *rejuvenescerent*.’ West.—5 *Nec cum* vult West. edidit Both.—6 ‘*Quas Cæcilii primum* Mss. duo.’ *Bœcl.* —7 Forte *partim* pro *partem*, ἀρχαϊκῶς. West. *partem* GM. bis, at in altero sup. script. lit. e, teste Perl. *parum me statui* pro *partim vix steti* Guelf. 2.—8 Antiquissimi libri *scœnicam* per *æ* diphthongum habent. *Fa.* ‘Attamen constat aliunde η Græc. a Latinis in *e* produci.’ *Perl.*—10 *Eas* EP. ‘Malim *et ab eodem alias discere*, vel, si quis tuebitur lectionem vulgatam, *neu illum ab studio abducerem*.’ West.—11 *Nec* Both.—13 *Locum suum* Guelf. 3.—14 ‘*Ad-*

Prope jam remotum injuria adversarium
Ab studio, atque ab labore, atque arte musica.
Quod si scripturam sprevissem in præsentia,
Et in deterrendo voluissem operam sumere,
Ut in otio esset potius, quam in negotio;
Deterruissem facile, ne alias scriberet.
Nunc quid petam, mea causa, æquo animo attendite.
HECYRAM ad vos refero, quam mihi per silentium
Nunquam agere licitum est; ita eam oppressit calamitas:
Eam calamitatem vostra intelligentia
Sedabit, si erit adjutrix nostræ industriæ.
Cum primum eam agere cœpi, pugilum gloria,
Funambuli eodem accessit expectatio,

pæne rejectus et repulsus fuerat, iniquitate inimicorum, abs studio, industria, atque arte poëtica. Quod si Cæcilii fabulas exclusas a scena agere iterum neglexissem, tunc cum primum editæ fuerunt, et in dehortando eum a labore, ut in quiete potius ageret, quam in tanto labore studii; facili negotio eum ab aliis Comœdiis faciendis avertissem. Nunc quid postulem, rogo vos ut mei gratia, favente, et placido animo advertatis. Hecyram Comœdium in scenam reduco, quam mihi exhibere cum favente silentio nunquam concessum est; tantum eam obruit infortunium. Istud infortunium vestra prudentia, et ad eam Comœdiam cognoscendam attentio placabit, si nostræ diligentiæ opem afferat. Simul atque eam coram populo recitare cœpi, pugiles gloriæ cupidi, populus magna expectatione et ingenti studio concitatus spec-

versariorum Mss. duo.’ *Bœcl.* et Br. e gl.—15 *Atque labore atque ab arte* Bœnd. EP. Br. sed judice Faërno ultimum *ab* versus ratio non admittit, neque Donatus legisse videtur, uti patet e verbis ejus, ‘*ab* tertio commode subaudiendum est:’ Vict. e pr. m. *atque arte*, e 2da *atque ab arte*: ‘nostri omnes *ab arte musica*. Repone *ab labore atque arte ab musica*.’ Bent. improbante Bip. Totum versum tanquam spurium delet Both.—16 *Quod si scripturam sprevissem in præsentia*] Vide quæ sequantur, ‘In deterrendo,’ ‘In otio esset,’ ‘Ne alias scriberet;’ et tecum supple, ‘In deterrendo scripturam,’ ‘In otio scriptura esset,’ ‘Ne scriptura alias scriberet;’ et tum demum senties sic ab Auctore profectum; *Quod si scriptorem sprevissem in præsentia*. Bent. Probant Both. Perl.—17 *Et id* magna pars Mss. et EP. *West. id* quoque Br. et omnes apud Bœcl.—19 *Describeret* duo Mss. *Bœcl.*— 20 *Huic poëtam* pro *nunc quid petam* Guelf. 2. *animo æquo* Both. *advertite* Argentor. apud Bœcl. —25 *Gloriæ Funambuli etiam* Both. *pugilum gratia* Guy.—26 *Funambuli eodem accessit exspectatio*] Illud *accessit* orationis seriem interrumpit et conturbat. Repone, *Pugilum gloria, Funambuli eodem accedens exspectatio, Comitum conventus, studium, clamor mulierum Fecere* . . . Porro Donatus: ‘*Comitum conventus*; utrum eos comites dicit, qui sunt pugilum assectatores? an servos qui dominos sequuntur?’ Jure dubitat, quinam sint. Equidem nescio, qua consuetudine isti vel ulli spectatores dicantur ‘Comites.’ Vide an Auctor dederit, *Comiti conventus*, casu genitivo a ‘Comitium.’ *Bent.* Non probat Perl. ‘Vett. codd. *accessit spectatio*.’ Lind. ‘Si locus capiatur cum Perizon. ad S. Minerv. IV. 11. p. 714. non opus est Bentlei emendatione.’ *R. D.*

Comitum conventus, strepitus, clamor mulierum,
Fecere, ut ante tempus exirem foras.
Vetere in nova cœpi uti consuetudine,
In experiundo ut essem: refero denuo.
Primo actu placeo; cum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores; populus convolat;
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco:
Ego interea meum non potui tutari locum.
Nunc turba nulla est: otium, et silentium est:
Agendi tempus mihi datum est: vobis datur
Potestas condecorandi ludos scenicos.
Nolite sinere per vos artem musicam
Recidere ad paucos: facite, ut vostra auctoritas
Meæ auctoritati fautrix adjutrixque sit.
Si nunquam avare pretium statui arti meæ,
Et eum esse quæstum, in animum induxi, maxumum,
Quam maxume servire vostris commodis;
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium suum, et se in vostram commisit fidem,

tandi funambuli, concursus eorum qui in nostro sunt comitatu, tumultus, vociferatio mulierum, me coëgerunt egredi, ante completam fabulæ actionem, extra Theatrum. Cœpi uti antiqua consuetudine, qua usus fui in Cæcilii fabulis, in nova Terentii Comœdia Hecyra, ut in periculo faciendo insisterem, et tentare perseverarem. Iterum Hecyram Comœdiam introduco in Theatrum. Primo actu gratus sum et acceptus: cum interea sermo spargitur exhibitum iri gladiatores. Fit subitus populi concursus, turbæ excitantur, vociferantur, certant propter locum: ego interea dum hæc fierent non potui defendere locum in quo ipse agebam. Nunc tumultuatio nulla est, tranquillitas et taciturnitas observantur, occasio opportuna recitandi ab ædilibus mihi præbetur. Vobis licet ludos Theatrales, qui in scena aguntur, cohonestare favore silentii vestri. Nolite committere, ut ars Poëtica paucos artifices peritos habeat, et ad paucos perveniat: concedite mihi subsidium vestrum et præsidium, dum enixe laboro in juvando Poëtas eorumque studia. Si nunquam avare arti meæ æstimationem et indicationem feci, et mihi persuasi lucrum istud esse amplissimum, vestris utilitatibus, et emolumentis atque oblectamentis inservire; permittite me hoc a vobis precibus obtinere, ne eum delusum improbi improbe ludibrio habeant, qui studium et operam artis suæ mihi tuendam, et se fidei et favori vestro

—27 *Hominum conventus* Both. *strepitus* Leidd. quinque, Lips. Bodl. Bœnd. M. EP. Junt. Ald. St. duo Mss. apud Bœcl. at Donatus *studium*: quæ 'lectio melior videtur Heinsio ad Ovid. Amor. III. 2. 67.' *R. D. studium* placuit et Gambarello Fabrino et Fr. Fabricio.—33 *Tumultuant* Junt. mox *clamant et* GM. perperam; est enim asyndeton. *Perl. repugnant* M.—35 *Non est* Bem. Don. et Both. tacite.—41. 42. 43 Hoc tristichon omittit Both. quia id apte positum est in Heautontim. Prologo, hic minus.—42 Mss. quidam et edd.

Ne eum circumventum inique iniqui irrideant.
Mea causa, causam hanc accipite, et date silentium,
Ut libeat scribere aliis, mihique ut discere
Novas expediat, posthac pretio emtas meo.

protegendum dedit. Mei gratia, causam Poëtæ Terentii suscipite defendendam, et linguis favete, ut alii Poëtæ quoque libenter studeant componendis Comœdiis, mihique conducat novas memoriæ mandare, et addiscere, quas pecuniæ meæ æstimatione a Poëta comparaverim.

in animum induxi meum. West. ita Mss. duo apud Bœcl.—47 *Hanc accipite*] Pronomen *hanc* nec habet Bem. et ratio versus omnino respuit: subaudiendum tamen aliquid erit, ut sit, causam ejus, vel causam poëtæ. *Fa.* quem sequitur Both. 'Male alii h. l. ex Heaut. Prolog. superaddunt *hanc*, quod neque habet Bem. et respuit versus, existimante Faërno. Scil. *mea* ut monosyllabum pronuntiatur.' *Bip. Causam hanc occipite* Mss. quidam et EP. et nonnullæ aliæ. *West.*—48 *Ut lubeat* R. Donatus agnoscit *aliis*, cum explicat, Oratorie ἀπὸ τῆς ἐσατηος; lege Ἀπὸ τῆς ἸΣΟΤΗΤΟΣ. Et nostri omnes *aliis.* Repone tamen, *Ut lubeat scribere alias, mihique ut discere Novas expediat.* 'Ut lubeat Terentio scribere alias novas.' Sic supra v. 10. 'Easdem agere cœpi, ut ab eodem alias discerem Novas.' et Adelph. Prol. v. 25. 'Poëtæ ad scribendum augeant industriam.' 'Poëtæ,' non 'aliis Poëtis.' *Bent.* Non probat Perl. 'Quidam Codd. Mss. et impressi ex vett. *alias*, quomodo etiam Hul.' *West.* super *aliis* in GM. scriptum *poëtis.* Cave *aliis* corrumpas cum Bentl. in *alias.* Sic enim deforet, quod respondeat τῷ *mihi.* Verba et *scribere* et *discere* referuntur ad *novas pretio emtas.*' Bip.

ACTUS I. SCENA I.

PHILOTIS. SYRA.

PHIL. PER pol quam paucos reperias meretricibus

PH. *Perquam raros aliquis inveniat, meretricibus amatores constantis fidei*

1 Don. ad locum: 'Quidam non *Paucos*, sed *Paucis* legunt: sic enim Apollodorus: ΑΛΠΑΙΣΗΡΑΣ ΤΗΣ rei ΙΟΝΗΝΣ ΤΗΡΑΙΣΣΙ ΡΑΓΓΙΒΑΙΩΕ.' Ita dedit Lind. ex codice scripto; quæ prima specie Sibyllæ folia videantur; ea tamen, et sententiæ judicio et versus ratione, non difficulter in pristinum statum reduxi; ΟΛΙΓΑΙΣ ΕΡΑΣΤΗΣ ΓΕΓΟΝ' ΕΤΑΙΡΑΙΣΙ, ΣΥΡΑ, ΒΕΒΑΙΟΣ. 'Paucis amator evenit meretricibus, Syra, Fidelis.' Recte itaque *Paucis*, non, quod hodie habent Codices, *Paucos*. 'Paucis meretricibus fideles evenisse;' hoc est, singulis singulos; non 'Paucos amatores,' quasi uni plures contigisse vellet. Porro ex isto ΓΕΓΟΝΕ apparet hic legendum *evenisse*, quod et versui commodius est, et sententiæ. *Bent. Paucis* pro *paucos* ab aliis legi jam observat Do. suffragante versu Apollodori Græco, qui vero in exempl. Donati adeo fracte expressus est, ut de restitutione ejus desperandum sit. *Bip.* Utrum *paucis* an *paucos* verius, ipse Do. dubitat. Sed *paucis* Græce

Fideles evenire amatores, Syra.
Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi!
Quam sancte! ut quivis facile posset credere,
Nunquam illa viva ducturum uxorem domum.
Hem! duxit. SY. Ergo propterea te sedulo
Et moneo, et hortor, ne cujusquam misereat;
Quin spolies, mutiles, laceres, quenquem nacta sis.

contingere, Pollucem testor, Syra. Etiam hic Pamphilus, quoties jurejurando fidem obligabat Bacchidi, et religiose promittebat (ut quilibet facile sibi persuaderet eum certa dicere) nunquam se ullam mulierem, dum illa viveret, in uxorem accepturum: ecce! accepit tamen. SY. *Propterea igitur te commonefacio, et adhortor, ne cujusvis amatoris miseratio te moveat, quominus eum omnibus opibus exuas, diminuas, dilanies, quicumque ad te veniet.* PH. *Mihine suades ne ullum*

dictis Apollodori, e quo transtulisse fertur Terentius Hecyram, respondet.' *Perl.*—2 *Evenisse* Bent. probat Both.—3 *Quotiens* G. EM. Bent. Both. Br. —4 *Tam sancte* vult Guy. '*ut quis* Codd. quidam.' *West.*—5. 6 *Nunquam se illa* Guelf. 3. Nostri magno consensu melius, *Numquam illa viva uxorem ducturum domum.* Bent. Sic Both. Donatus legit *en duxit*, quemadmodum testatur Rivius etiam nonnullos Terentii libros habere. In Bem. corrupte scriptum erat *ex duxit*, sed postea emendatum, ut et in Vict. legitur, *em duxit.* Fa. Veteres nostri *em*, ceteri *en*. Bent. *Hem! duxit*] Lolgius, Rivius, Faërnus, et Fr. Fabricius, *En, duxit*, legunt, frustra in partes Donatum vocantes, qui nisi *hem* legisset, non citasset illud, 'Hem alterum,' quod petitum ex Eun. III. 2. 6. Variant vero Codd. promiscue *hem* et *en* exhibentes, quod posterius mihi ex *em*, quod etiamnunc libri quidam præferunt, natum videtur. *West.* *Hem duxit* duo Mss. *Bœcl.* Alii jam pridem et hodie legunt *hem.* Variant enim Codd. et in Comm. Don. duplex est obs. diversa sentientium. Prior enim dicens: 'pronuntia, ut mirantem ostendas,' legisse videtur *hem;* alius dein: 'Adverbium demonstrantis est,' ut *hem.* Sed videtur potius legendum *en alter.* Bemb. corrupte habet *ex.* Nobis videtur *en* melius convenire in mulierem, quæ modo hæc audiverat ab ipsa Bacchide, et indignanter id meminit. Illud enim adv. demonstr. etiam vim habet indignandi. *Bip.*—7 *Ne cujusquam te misereat* Bodl. Guelf. 3. et Mss. duo apud Bœcl. EP. *ne cujusque te misereat* vett. Codd. *Lind.* Rivius e vett. libb. delet *te.* 'et ita legit Don. adnotans deesse *te;* sed durum id mihi videtur, magisque probaverim lectionem in Bem. *ne cujusquam misereas:* eo enim modo antiqui id verbum efferebant: Ennius; 'Cogebant hostes, lacrumantes ut misererent.' *Fa.* Nostri omnes, *Ne cujusquam te misereat.* Repone, *Et moneo et hortor, ne te cujusquam misereat.* Ubi 'Cujusquam,' ut passim, disyllabon. Plaut. Trin. II. 2. 62. 'Ut ita te aliorum miserescat, ne tui alios misereat.' et II. 4. 30. 'Miseret te aliorum: tui nec miseret nec pudet.' *Bent.* *Misereas.* Antiqui sic pro *te misereat*, ut Ennius in Hecuba ap. Non. VII. 58. 'Miserete anuis,' &c. et Ann. 5. 'cogebant hostes, lacrumantes ut misererent.' Lucret. III. 894. 'Ipse sui miseret.' Congruit certe in anum archaismus; quem Faërn. ex Bemb. approbat præ vulg. *misereat*, omisso *te*, quomodo Don. legerat. Alii ingerunt *te*, s. ante s. post *cuiusquam.* Bip. *te ne cujusquam misereat* Both. tacite.—8 Alii *quemque;* G. Leidd. duo et Junt. quod vult Græv. *quemquem;* Tr. *quemcunque*, et sic EA. EM. ET. *West.* *quemcunque* omnes apud Bœcl. 'Legimus *quemque*, e Bem. et aliquot aliis.' *Fa.* Duo nostri veterrimi *quemquem*, quod et versus mavult. 'quemquem,' hoc est, 'Quemcumque.' Plautus Men. V. 1. 17. 'Omnia

PHIL. Utin' eximium neminem habeam? SY. Neminem;
Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
Quin ita paret se, abs te ut blanditiis suis
Quam minimo pretio suam voluptatem expleat.
Hiscine tu, amabo, non contra insidiabere?
PHIL. Tamen pol eandem injurium est esse omnibus.
SY. Injurium autem est ulcisci adversarios,
Aut qua via te captent, eadem ipsos capi?
Eheu me miseram! cur non aut isthæc mihi
Ætas et forma est, aut tibi hæc sententia?

mihi seligam præcipuum, dilectum mihi, cui ne quidem parcam? SY. *Aio neminem: nam ita habeto; nullus ex illis te adit, quin ita se disponat, ut sermonibus blandis libidinem suam ex te quam admodum modica mercede satiet. Talibusne amatoribus tu vicissim, rogo te, insidias non tendes?* PH. *Nihilominus iniquum est eandem se gerere erga omnes.* SY. *An autem iniquum est punire inimicos? aut eadem arte, qua te decipere student, eos decipi? Eheu me infortunatam! cur non tuæ ætatis, et pulchritudinis ego sum; vel tu meæ sententiæ non es?*

mala ingerebat, quemquem adspexerat.' Pœn. II. 1. 37. 'Quemquem visco offenderant.' Cledonius p. 1908. 'Quisquis, cuicui, quemquem: ut Terentius, *Quemquem nacta sis.*' Bent. *Quemquam* Perl. in text. at GM. *quemquem* in marg. *nancta* Br. '*sis nacta* unus Ms.' *Bœcl.*—9 *Ut ne* omnes Mss. *Bœcl.* EP. —10 Nostri omnes concinnius, *Nam nemo quisquam illorum scito ad te venit.* Bent. Ita EP. Br. et omnes apud Bœcl.—11 *Præparet* M. Bœnd. EA. EM. duo Mss. apud Bœcler. et Br. pro gl. mox Bem. unum tantum *se* habet, quo etiam modo stat versus, non faciendo synalœpham. *Fa.* Apage hanc superstitionem. Ut unum codicem in cœlum efferat, nec synalœphas, nec quicquam curat. Revoca huc *sese*, ut nostri universi. *Bent.*—12 *Perpetuo* Guelf. I.—14 O. l. s. et Donatus ita collocant, *Tamen pol eandem injuriumst esse omnibus*, versu et compositione meliore. *Fa.* Sic et nostri omnes. *Tamen pol eandem;* ut 'Tamen Simo audi;' 'Tamen numquam ausus.' Frustra igitur, qui sic interpolabat: *Tamen pol eandem me injuriumst esse omnibus.* Ubi cum magna artis peritia *eandém* in fine acuit. *Bent.* *Tamen eandem pol esse omnibus, injurium est* Delph.—15 Do. et Bem. Bas. aliique fere omnes, hunc ordinem horum verborum habent: *injurium autem est.* Fa. Sic et nostri, uno excepto. *Bent.*—16 O. l. s. et Donatus, *te captent illi;* soli Bem. et Vict. non habent *illi:* quod tamen subaudiendum est. *Fa.* Immo non subaudiendum; sed repræsentandum. Nostri omnes, *te captent illi:* Bem. ejecit *illi*, ut metro inserviret: quod tamen salvum est, salvis verbis omnibus. *Aut qua via captent te illi, eadem ipsos capi.* 'Via' hic monosyllabon, quod pronuntias ut nostrum *Way.* Vide Heant. I. 1. 49. *Bent.* Br. et Mss. duo apud Bœcl. *te captent illi*, unus *te illi captent;* Perl. *captent te illi* e GM. *ipsi* pro *illi* Guelf. 3. *captent te* Both.—18 *Ætas aut* Guelf. 1. *nos* Guelf. 1.

ACTUS I. SCENA II.

PARMENO. PHILOTIS. SYRA.

PAR. SENEX si quæret me, modo isse dicito
Ad portum, percontatum adventum Pamphili.
Audin', quid dicam, Scirte? si quæret me, uti
Tum dicas; si non quæret, nullus dixeris;
Alias ut uti possim causa hac integra.
Sed videon' ego Philotium? unde hæc advenit?
Philotis, salve multum. PHIL. O salve, Parmeno.
SY. Salve mecastor, Parmeno. PAR. Et tu ædepol, Syra.
Dic mihi, Philotis, ubi te oblectasti tam diu?
PHIL. Minime equidem me oblectavi, quæ cum milite
Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo:

PA. *Si senex Laches a te quæret ubi sim, illi dicito modo me ivisse ad portum, inquisitum de reditu Pamphili ex Imbro insula. Advertisne quid dicam, Scirte? Si quæret, inquam, ut tunc istud ei dicas: si vero non quæret, nihil quicquam ei dixeris; ut alio tempore hanc causam non prius dictam possim prætexere. Sed ecquid video Philotium? unde Athenas advenit? Philotis, multum mihi salva sis.* PH. *Salve tu quoque, Parmeno.* SY. *Salve pol, mi Parmeno.* PA. *Et tu ædepol, Syra. Dic mihi, Philoti, ubi tamdiu voluptati vacasti?* PH. *Minime certe voluptati vacavi, quæ hinc Athenis Corinthum profecta sum cum milite immitissimo. Ibi*

1 *Quærat* Mss. omnes apud Bœcl.—3 West. ' Bona pars Mss. cum edd. quibusdam vett. post EP. *Syre;* defendit Guy. *Scyrthe,* quasi a σκύρθος, τοῦτ' ἔστι νέος, παῖς κίναιδος. In aliis libb. *Syre,*' uti omnes apud Bœcl. GM. *Syra.* Perl. præfert *Scirte,* ut sit σκιρτὸς a σκιρτᾶν.—3. 4 Ms. Argent. *si quæret me ut tum ita dicas, si non quæret me alias ut uti possim,* in marg. adscript. *nullus dixeris.* Bœcl. apud quem unus Ms. *si quærit uti—alias uti tum possim,* alter in vs. 4. *si non quærat, nulli: me, ut itum* Br.—5 *Ut* abest a Guelf. 3.—6 *Ego* duo Mss. omittunt. *Bœcl.* Ex *Philotis s* abjicitur, ut facta synalœpha, sit anapæstus in tertia. *Fa.* Illud *s*, sequenti vocali, non potest elidi. Quare olim Muretus *Philoti.* Atqui Noster Vocativo Græco nusquam alias utitur; sed *O Thais, Mysis, Archylis.* Quare lege, mutato ordine, *Philotis, dic mi ubi te oblectasti tam diu.* Bent. *tam* delet Both.—10 *Me* omittit Ms. unus: duo

NOTÆ

11 *Corinthum*] Achaiæ urbs in medio Isthmi Peloponnesiaci sita, (Isthmos autem Græci vocant angustias, quibus a peninsula ad continentem est aditus,) ab ortu Saronicum, ab occasu Crissæum sinum habens, qui et Corinthiacus dicitur: duobus inclyta portubus. Cenchrææ ab ortu portus imminet Ægæo mari: Lechææ Ionio ab occasu: unde bimarem Poëtæ Corinthum dixerunt.

Biennium ibi perpetuum misera illum tuli.
PAR. Ædepol te desiderium Athenarum arbitror,
Philotium, cepisse sæpe, et te tuum
Consilium contemsisse. PHIL. Non dici potest,
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite,
Vosque hic videndi, antiqua ut consuetudine
Agitarem libere inter vos convivium;
Nam illic haud licebat, nisi præfinito, loqui
Quæ illi placerent. PAR. Haud opinor, commode
Finem statuisse orationi militem.
PHIL. Sed quid hoc negotî est, modo quæ narravit mihi
Hic intus Bacchis? quod ego nunquam credidi
Fore, ut hac ille viva posset animum inducere
Uxorem habere. PAR. Habere autem? PHIL. Eho tu,
an non habet?
PAR. Habet: sed firmæ hæ vereor ut sint nuptiæ.
PHIL. Ita Di Deæque faxint, si in rem est Bacchidis.
Sed qui istuc credam ita esse? dic mihi, Parmeno.

per spatium continuum duorum annorum misera illum passa sum. PA. *Per ædem Pollucis, Philotium, opinor te sæpe desiderio Athenarum flagrasse, et consilium hinc discedendi improbasse.* PH. *Verbis exprimi non potest quanta cupiditas me tenebat in hanc urbem revertendi, discedendi a milite, atque aspectu vestro fruendi, ut ex vetusta familiaritate celebrarem vobiscum convivium, nullius voluntati subdita: nam Corinthi non erat mihi facultas loquendi, nisi quæ grata essent militi, prout determinasset, et præscripsisset.* PA. *Non arbitror bene pro tua voluntate militem terminum et modum præfiniisse sermonibus tuis, cum vos loquaces sitis.* PH. *Sed quid rei est? qualia, et quanta retulit mihi hic intus Bacchis? Illud quod nunquam putavi futurum esse, ut Pamphilus posset adduci ut uxorem duceret, dum Bacchis vitam ageret.* PA. *Quid? ais eum uxorem duxisse?* PH. *Eho tu, responde; annon duxit?* PA. *Duxit, sed dubito an sint stabiles hæ nuptiæ.* PH. *Dii Deæque faciant ne sint stabiles, si id utile est Bacchidi: sed quam ob causam, unde istud credam ita esse, scilicet has nuptias non esse firmas?* PA. *Non opus est id*

transponunt. *Bœcl.*—12 *Pertuli* duo Mss. *Bœcl.* et sic Br. pro gl. et ' Mss. quidam et editi.' *West.*—14 *Te* Codd. quidam non agnoscunt. *West.*—16 *Et abeundi* Ms. unus. *Bœcl.* Nos conjunctionem *et* demimus ex ratione versus, et fide Bem. et aliorum antiquorum. *Fa.* A nostris quoque abest *et*. Bent. —19 Do. dicit legi et *illi*, pro *illic*: nec stat aliter versus. *Fa.* Nostri *illic*. Bent.—21 *Oratione tua m.* Mss. duo. *Bœcl. orationi tuæ* Mss. et editi nonnulli. *West.*—22 *Hoc* omittit unus apud Bœcl. O. l. s. et Do. *sed quid hoc negotii est.* eliditur autem *d* in *quid*, ut sæpe. *Fa.* Nostri quoque, *quid hoc.* et *quæ narravit.* Bent. *quod* Hel.—24 Ex o. l. s. et Do. ita collocamus, *fore ut ille hac viva.* Fa. Sic et nostri. *Bent.*—25 *Tu* in Mss. quibusdam et edd. deest. *West.*—26 Duo ex nostris codices, *hæc.* Recte; ut evitetur Homœoteleuton. *Bent. hæ* delet Both. *hæc* Perl. e Berol. 2. *Ut non sint* omnes Mss.

PAR. Non est opus prolato: hoc percontarier
Desiste. PHIL. Nempe ea causa, ut ne id fiat palam.
Ita me Di amabunt, haud propterea te rogo,
Ut hoc proferam, sed ut tacita mecum gaudeam.
PAR. Nunquam dices tam commode, ut tergum meum
Tuam in fidem committam. PHIL. Ah! noli, Parmeno;
Quasi tu non multo malis narrare hoc mihi,
Quam ego, quæ percontor, scire. PAR. Vera hæc prædicat;
Et illud mihi vitium 'st maxumum. Si mihi fidem
Das, te tacituram, dicam. PHIL. Ad ingenium redis.
Fidem do: loquere. PAR. Ausculta. PHIL. Istic sum.
PAR. Hanc Bacchidem

declarare: desine id curiose inquirere. PH. *Nimirum ne id fiat manifestum, quare non sint firmæ. Ita me Dii bene ament, non propter eam causam te interrogo, ut hoc publicem, sed ut tacitam apud me voluptatem capiam, ut in sinu gaudeam.* PA. *Nunquam tam idonee et apte eloqueris ad persuadendum, ut tergum meum in tutelam tuam dedam.* PH. *Ah noli, Parmeno, dicere talia, quasi tu non potius velis hoc mihi commemorare, quam ego, quæ inquiram, inaudire.* PA. *Verum hæc mulier dicit; et istud vitium mihi proprium est, tacere non posse.* PH. *Ad naturam tuam garrulam et loquacem redis.* PA. *Si mihi promittis te celaturam, quod quæris id proferam.* PH. *Promitto me tacituram; narra.* PA. *Audi attente.* PH. *Parata sum ad audiendum.* PA. *Hanc Bacchidem Pamphilus tam vehemen-*

Bœcl.—30 Br. distinguit *palam?* (sic).—31 Hæc varie leguntur in Mss. et edd. *ita me di bene amabunt*, vel *ita me di bene amant*, vel *ita me di amabunt*. Guy. *amassint:* expressi lectionem Mur. et Riv. *West.* Tò *bene* non habet Bem. nec Do. sed non stat versus, nisi legas *amabunt*, ex eodem Do. *Fa.* Nostri *bene ament*. Bent. Sic 'Vet. Cod.' *Lind.* necnon omnes apud Bœcl. et Br.—32 *Hæc* Guelf. 1. *hoc* deest in duobus apud Bœcl. et sic Both. *Proferam hoc C. mecum ut* Both. tacite.—33 *Numquam dices tam*] Ex o. l. s. *numquam tam dices*. Fa. Sic et nostri. *Bent.*—34 *Ah noli:* sed quid tandem nolle hominem vult? nam hoc sponte intelligi nemo sibi postulet. Donatus: 'Artificiose se tingit audire nolle, ut tacitura credatur, si audierit, quia curiositas signum est loquacitatis. Sic Horat. 'Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.'' Vides grammaticum in suis libris invenisse *nolo*, quod paulo melius: sed verum, ni fallor, *novi:* vid. Eun. 229. *Both.*—36 *Perconter*] Bem. et Vict. *percontor*. Fa. Duo ex nostris *percontor:* ceteri *perconter*. Prius placet. Atque hoc differunt; si *perconter* legeris, tum ordo erit, 'Quam ego volo scire ea quæ perconter;' sin autem *Percontor;* tum hic ordo est, 'Quam ego quæ percontor volo scire hoc.' *Bent.* omnes apud Bœcl. *percuncter*.—37. 38 *Et illud vitium mihi maximum est* duo Mss. Don. Bem. Bas. et aliqui alii ita collocant, *vitiumst maximum*. Fa. Et nostri. *Bent. etsi illud* Br. e pr. m. *et* e 2da. *illuc* Both. tacite, et sic Perl. *Fidem mihi Si das, tacituram* Both. et sic Perl. præter *te tacituram*. *Ad ingenium redis*] H. e. ad naturalem garrulitatem. Festivius erit, si cum Codicibus quibusdam legas, *Ad ingenium redit:* ut itidem ad spectatores conversa Philotium hæc dicat. Sunt

Amabat, ut cum maxume, tum Pamphilus,
Cum pater, uxorem ut ducat, orare occipit:
Et hæc, communia omnium quæ sunt patrum,
Sese senem esse, dicere; illum autem unicum,
Præsidium velle se senectuti suæ.
Ille primo se negare: sed, postquam acrius
Pater instat, fecit animi ut incertus foret,
Pudorin' anne amori obsequeretur magis.
Tundendo, atque odio, denique effecit senex:
Despondit ei gnatam hujus vicini proxumi.
Usque illud visum est Pamphilo neutiquam grave,
Donec jam in ipsis nuptiis, postquam videt
Paratas, nec moram ullam, quin ducat, dari,
Ibi demum ita ægre tulit, ut ipsam Bacchidem,
Si adesset, credo, ibi ejus commiseresceret.
Ubicumque datum erat spatium solitudinis,

ter tunc amabat ut nunquam magis antea amavisset, cum pater Laches eum rogare cœpit, ut uxorem ducere velit, et eum commonefacere de his, quæ ab omnibus patribus solent proponi: sese dicit senectutis onere premi, illum unicum, sine fratribus, velle sibi in senectute esse levamen. Primo Pamphilus recusabat accipere: verum postquam pater vehementius urget, fecit ut animi dubius esset, pudorine et reverentiæ patris, an amori Bacchidis amicæ se dederet; denique crebris hortationibus impellendo, et odiose flagitando senex effecit, quod volebat, stipulatus est ei in uxorem filiam hujus vicini proximi Phidippi Philumenam. Eo usque sponsalia non nimis moleste tulit, quousque in ipso tempore nuptiarum, ubi videt eas mox celebrandas, ibi tandem ægritudine tanta animi cruciatus fuit, ut si ipsa Bacchis præsens esset, non mediocri commiseratione moveretur. In quocumque loco, seorsum ab

tamen bonæ notæ libri, in quibus *Ad ingenium redi* legitur. *West.*—40 *Ut cum* omittit Ms. unus, alter pro *ut* habet *et*. Bœcl.—42 Melior hæc lectio præ illa quorundam Codd. *hæc omnia*. West.—43 Br. *se senem esse dicere illum autem esse unicum*, et omnes Mss. apud Bœcler. Ex Bem. ita corrige hunc versum; *Sese senem esse dicere; illum autem unicum*. Itaque in aliquibus libris comperisse se asserit Rivius. *Fa.* Sic Faërnus. Sed male illud *senem* in Thesi occultatur. Unus Regius, *senem se esse*. Repone, *Senem sese esse dicere, illum autem esse unicum*. Omnes nostri *esse* ponunt ante *unicum*. Bent. quem sequitur Perl. et Both. omisso *esse* posteriore; prius *esse* omittit GM. '*Illum autem esse unicum* Mss. plusculi, EP. Junt.' *West.*—45 *Ille primo se negare*] Meliorem collocationem continet Bem. *ille se primo negare*. Fa. Quæ hæc servitus est? unico libro obsequi in mendo manifesto *primo;* cum cæteri ubique codices recte habeant, *Ille primo se negare*. Bent.—46 *Facit* Mss. et editi quidam post EP. credo, quod *instat* præcessit. *West.*—47 *Pudori anne* EP. Junt.—49 *Spondet* unus Ms. apud Bœcl. *gratam ei* Both. tacite.—50 Duo ex nostris *ne utiquam:* et ita semper scribendum: semper

Ut colloqui mecum una posset; Parmeno,
Perii! quid ego egi? in quod me conjeci malum?
Non potero hoc ferre, Parmeno: perii miser!
PHIL. At te Di Deæque perduint, cum istoc odio, Laches!
PAR. Ut ad pauca redeam, uxorem deducit domum.
Nocte illa prima virginem non attigit;
Quæ consecuta est nox eam, nihilo magis.
PHIL. Quid ais! cum virgine una adolescens cubuerit
Plus potus, illa se abstinere ut potuerit?
Non verisimile dicis; nec verum arbitror.
PAR. Credo ita videri tibi; nam nemo ad te venit,

aliis, solis nobis esse licebat, ut cogitationes suas mihi exponere verbis clam posset; Parmeno, perditus sum, dicebat; quid ego feci assentiendo his sponsalibus? in quod infortunium me præcipitem dedi? non potero tolerare istud malum, Parmeno, perditus sum infelix. PH. *At te Dii Deæque perdant, Laches, cum instanti tua, et molesta sedulitate.* PA. *Ut paucis verbis orationem absolvam, Pamphilus uxorem ducit in domum paternam. Nocte illa prima Philumenam in toro non attigit; altera sequenti, ne magis quidem attigit.* PH. *Quid ais? Adolescens solus cum una virgine plus solito potus cubuerit, et ab ejus tamen amplexibus abstinere sese ille potuerit; non vero consentaneum et probabile ais, neque id verum esse puto.* PA. *Credo te ita judicare, nemo enim te convenit, nisi cupidus amator: ille nolens*

enim primam corripit. *Bent.* quem sequitur Both. et sic GM.—58 Nostri omnes, *Non potero ferre hoc:* quod metro commodius. *Bent.* quem sequitur Both. et sic Br. Perl. unus Ms. apud Bœcl. *hoc ferre malum*, duo *hæc* pro *hoc.*—59 In Mss. et edd. aliis est *Di deæque omnes.* Elegantiam et artificium aperit Donatus, quo magis inficete h. v. expungit Guy. *West.* Ex Bem. et nonnullis aliis libris, legimus *isto;* sunt et aliqui, qui pro *perduint*, habent *perdant:* sane libri scripti Do. aut verbum non habent, aut habent *perdant;* qua lectione versus optime constat: aut *perduint* in spondeum contrahendum. *Fa.* Bene est, quod monuit Fa. plerosque Donati scriptos Codices non habere verbum *perduint.* Præstat sane, ut subaudiatur: nimis inhumane profertur ab ea, quæ non irata sit, neque animo commota. Repone, *At te di deæque cum tuo istoc odio, Laches.* Vide ad Heaut. IV. 6. 7. 'Cum tuo isto invento.' Vel sic fortasse est legendum: *At te di deæque faxint cum isto odio, Laches.* ut Plaut. Most. II. 3. 33. 'Di te deæque omnes faxint cum istoc omine.' 'Faxint' occultius id notat, quod 'Perduint' apertius. *Bent. Perdant* male Bent. omittit, et contra Bem. rescribit *istoc.* Bip. *iste* A. C. *perdant* EP. Both. *perduint* B. Br. at Bent. sequitur Perl. *Cum istoc dolo* Bodl. *hodie* post *odio* Guelf. 1.—60 *Ad pauca ut* jubetur a versu. *Bip.* sic Both. tacite.—63 Codd. quidam *concubuerit*, Bœnd. EA. *concubuerit adolescens.* West. abest *cubuerit* a Guelf. 3. *quid agis—cubuerit* legunt Mss. in Priscian. IX. p. 464. ed. Krehl.—64 Bem. geminat dictionem *se*, ut et versus requirit. *Fa.* Nostri *se.* Bent. *Sese illac* Bip. *potus et illac* Both. *potus sed illa* Hel. *sese illa* Riv. Perl. at Fabric. *se illac:* sed plerique Mss. male *potis se illa*, alii *potuisse illa*, teste editore Cantab. *potis* Br. GM. *se illa* Br.—65 *Neque verum* nostri omnes.

Nisi cupiens tui: ille invitus illam duxerat.
PHIL. Quid deinde fit? PAR. Diebus sane pauculis
Post, Pamphilus me solum seducit foras;
Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet;
Seque ante, quam eam uxorem duxisset domum,
Sperasse, eas tolerare posse nuptias:
Sed quam decrerim me non posse diutius
Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,
Quin integram itidem reddam, ut accepi ab suis,
Neque honestum mihi, neque utile ipsi virgini est.
PHIL. Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.
PAR. Hoc ego proferre, incommodum mihi esse arbitror;
Reddi patri autem, cui tu nihil dicas vitii,
Superbum est. Sed illam spero, ubi hoc cognoverit,
Non posse se mecum esse, abituram denique.
PHIL. Quid interea? ibatne ad Bacchidem? PAR. Quotidie.

eam uxorem ceperat. PH. *Quid deinde secutum fuit?* PA. *Non ita multo post Pamphilus sine testibus seorsum me ducit extra domum atque narrat ut Philumenam non attigerit, ut, quod ad se pertinet, virgo etiam tum incorrupta permaneat; se antequam eam accepisset uxorem spem habuisse, se in his nuptiis perduraturum; verum neque mihi decorum, neque virgini commodum, et conducibile est, Parmeno, eam, quam constituerim brevi a me dimittere, deludi et frustra haberi, quominus inviolatam et intactam eodem modo reddam, quomodo eam accepi a parentibus.* PH. *Religiosum et castum Pamphili ingenium refers.* PA. *Hoc ego patri meo renuntiare, amorem scilicet Thaidis, non utile mihi esse puto, ne irritem eum: remitti autem virginem ad patrem ipsius, cui nullam culpam filiæ referre possis, fastuosum est: sed spero Philumenam, ubi intellexerit se mecum versari non posse, tandem discessuram.* PH. *Quid interea faciebat? ibatne ad amicam Thaidem?* PA. *Quo-*

Bent. et sic Br. 'et editi post EP.' *West.*—68 *Inde* Mss. quidam et editi. *West.*—70 Tres antiquissimi libri et Bas. *ab se integra.* et infra Vict. *ut accepi ab suis.* Fa. Nostri hic *ab* habent; mox *a suis.* Bent.—71 *Sedque* Codd. quidam præferunt. *West. Sed antequam* Guelf. 1.—72 *Tollere* Ms. Lips.—73 *Set quam decrerim*] *Quam...eam,* ut passim Noster. Nodum igitur in scirpo quærit, qui hic mavult, *Set quum.* Codices Terentiani nusquam *Quum* exhibent, sed *Cum.* Bent. *Decreverim* omnes Mss. apud Bœcl. Br. et GM. pro gl.—74 *Eam* omittit unus apud Bœcl. *eam ludibrio nolo haberi* Junt.—75 Nostri omnes *a suis.* Sed reponendum, *Quin integram itidem reddam ut accepi, suis.* 'Reddam suis, ut accepi.' And. I. 5. 63. 'Hanc mi in manum dat, mors continuo ipsam occupat: Accepi; acceptam servabo,' et v. 4. 46. 'De uxore, ita ut possedi, nil mutat Chremes.' *Bent.* quem sequitur Both. *A suis* Br.—77 *Et* pro *ac* Guelf. 1. 3.—78 *Ergo* pro var. lect. Br. Ex o. l. s. ita collocamus, *mihi esse arbitror;* et stat versus, si *mihi* monosyllabum sit. *Fa.* Sic et nostri. *Bent. Arbitror?* (sic) Br.—79 Quidam Codd. non agnoscunt *tu.* West.—80 *Ubi cognoverit* Both. at in notis, 'Forte omissum est, versus quidem injuria, *hoc* post *ubi.* quam

Sed, ut fit, postquam hunc alienum ab sese videt,
Maligna multo, et magis procax, facta illico est.
PHIL. Non ædepol mirum. PAR. Atqui ea res multo maxume
Disjunxit illum ab illa, postquam et ipse se,
Et illam, et hanc quæ domi erat, cognovit satis,
Ad exemplum ambarum mores earum existimans.

tidie itabat: sed sicut fieri solet, postquam Thais Pamphilum ab alia possideri muliere, nec adhuc esse suum cognoscit; difficilis, superba, procax, et petulans esse cœpit. PH. *Per Pollucem non mirum, si talis facta est.* PA. *At vero talis malignitas longe maxime illum ab illa segregavit, et avertit, postquam et ipse seipsum et mores proprios, et illam Thaidem quam mala esset, et quam uxor modesta, diligen-*

notam Perl. non intelligere videtur, tacite Bothium secutus.—82 *Quid? interea* distinguit Both. probante Perl. Post h. vs. tristichon inserit Both. quod, 'inepte uti ipsa orationis indoles et ratio demonstrat,' vulgo legitur post 88. Alia Bothii argumenta prolixiora non nostrum est describere. Legit præterea Both. *atque ingenuæ decet* cum Bent.—83 *Postquam illa alienum hunc ab se* Both. quia '*illa* requirit personarum oppositio:' *se* pro *sese* duo Mss. apud Bœcl.—84. 85 Si vera lectio est, mirifica sane verborum collocatio est, cum ordo sit, *Ilico facta est multo magis maligna et procax.* Duo ex nostris codices non habent illud *multo.* Repone, *Maligna magis et magis procax facta ilico est.* Eun. II. 1. 21. 'Magis severus, nec magis continens.' et v. 4. 13. 'Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans.' Nonius tamen, v. Procacitas, *Maligna multo* habet. *Bent.* Multi libri, etiam ex antiquis, pro *atqui, atque,* et Bas. *Fa.* Unus tantum ex nostris *atqui.* Bent. *Multum et mage* Both.—86 *Sese* duo Mss. apud Bœcl. Br. *ipsus sese* Guelf. 1. —88 *Ad exemplum ambarum mores earum existumans*] Sic libri omnes; sed nec versus, nec sententia constat. Guyetus totum, ut ineptum et inutilem, ejiciendum putat. Donatus agnoscit; 'Ad exemplum, quasi ad imaginem et collationem et specimen comparationis.' Sed ad quod, quæso, exemplum? Si dixisset, *Hujus mores ad exemplum alterius;* quid illud esset, intelligerem: sed *Ambarum mores ad exemplum* mera caligo est; nisi, quod sit exemplum, indices. Nimirum hic, ut alias, boni Magistri verbum priscum et παλαιοῦ κόμματος ejecerunt: *Ad amussim ambarum mores earum existumans.* 'Existumare,' ut Heaut. II. 3. 41. 'Copia existumandi consuetudinem vitæ cotidianæ,' est considerare, judicare, expendere. 'Ad amussim' autem et 'Examussim,' idem quod diligenter, accurate, absolute. Plautus Amphit. II. 2. 213. de Muliere: 'Næ ista edepol, si hæc vera loquitur, examussim est optuma.' et Most. I. 2. 19. 'Ædes cum sunt factæ probe, examussim.' et Men. Prol. v. 50. 'Ut hanc rem vobis examussim disputem.' Apuleius Met. II. 'Ceram in modum prosectarum formatam aurium ei applicant examussim.' et IV. 'Thrasyleon examussim capto noctis latrocinali momento.' Festus Pompeius; 'Examussim, regulariter, Amussis enim regula fabrorum est: vel, ut alii volunt, ferramentum quo in poliendo utuntur.' Idem fere habet v. Amussim. Nonius: 'Examussim, dicitur Examinato, ad regulam vel coagmentum: est enim Amussis regula Fabrorum, quam Architecti, dum opus probant, rubrica illinunt.' Sisenna apud Charisium p. 178. 'Amussis est tabula rubricata, quæ demittitur examinandi operis gratia, an rectum opus surgat.' Varro apud Nonium: 'Amussis est æquamen, lævamentum;

Hæc, ita uti liberali esse ingenio decet,
Pudens, modesta; incommoda atque injurias
Viri omnes ferre, et tegere contumelias.
Hic, animus partim uxoris misericordia
Devinctus, partim victus hujus injuriis,
Paulatim elapsu' est Bacchidi, atque huc transtulit

tius consideravit, et perspexit, ambarum ingenium, comparatione facta examinans: tunc animus ejus uxoris misericordia partim conciliatus, et allectus: partim coactus hujus Thaidis contumelia, sensim se ei subduxit, et amorem suum in uxorem trans-

id est, apud fabros tabula quædam qua utuntur ad saxa coagmentanda.' De 'Examussim' hactenus diximus; quod sine dubio adverbium est ab 'Ex amussi' formatum. 'Adamussim,' sive junctim adverbium accipias, sive divisim 'Ad amussim,' utrumque hic convenit. Gellius I. 4. 'Aut virtutes pensitabat, aut vitia rimabatur, ut judicium esse factum ad amussim diceres.' Sic codices scripti, etiam veterrimus ille in Bibliotheca Regis Galliarum, non ut primus edidit Cario, 'Examussim.' Iterum XX. 1. 'Aut talionem in eo vel ad amussim æquipararent, vel in librili perpenderent.' Macrobius Sat. I. 4. 'Quam ut ad amussim verum sit festorum dierum nomina sic vocata.' Varro de Re Rustica II. 1. 'Si inquam numerus non est ad amussim; ut non est, cum dicimus mille naves isse ad Trojam.' Idem Quæstionum Plautinarum II. apud Nonium: 'Quare, si diugens est ad amussim, per me licet assumes teneo διακον.' Ubi in sententia tam curta tutius forte esset cum Mercero manum abstinere; sed tamen periculum faciam, et fortasse bene cedet. Lego igitur, *Quare si numerus est ad amussim, per me licet assumas γενεθλίακον.* Habes jam sententiam, ut opinor, claram. 'Mores ambarum ad amussim existumans:' judicans, expendens, examinans, exigens ad amussim, accurate, diligenter, scrupulose. *Bent.* 'Bona verborum constructio, similis fere illi ap. Plaut. Trin. IV. 2. 58. ita displicuit Bentl. ut præter rem et Codd. pro *ad exemplum* daret *ad amussim.*' Bip. Conjectura Bentlei an vera sit, dubitamus. *R. D.* *Ambarum ad exemplum earum mores æstimans* Both. et sane *æstimans* metrum poscit, judice West.—89 'Liberale ingenium' habes Adel. IV. 5. 49. 'Nam ingenium novi tuum Liberale.' Nisi tamen 'Liberali ingenio' pro ipsa Muliere hic accipias, quod opinor nolis, non cohæret cum reliqua oratione. Repono, *Hæc, ita uti liberali atque ingenuæ decet, Pudens, modesta.* 'Decet' cum Dativo passim: 'Ita nobis decet:' Plaut. Amph. II. 2. 187. 'Nostro generi non decet.' Phor. I. 3. 16. 'Ut ne addam; quod sine sumptu ingenuam, liberalem nactus es.' 'Ingenua' opponitur Meretrici: quales fere semper Manumissæ aut Peregrinæ. *Bent.* *Ingenio esse* omnes Mss. *Bœcl.*—93 Mss. et vett. quidam impressi post EP. et EA. *devictus,* et ita Hul. in duobus Leidensibus *devictus,* suprascripta *n.* West. Don. παρόμοιον esse dicens in verbis legisse videtur *devictus,* ut in Mss. ejus et Codd. editisque Ter. legitur, quos sequuntur Heins. Dacier, &c. *Bip.* *Hujusce* Guelf. 3. et unus e Mss. Bœcl. omnes ibi *injuria.* Omnes fere l. s. et in iis antiquissimi, *hujus,* quod in unam syllabam contrahendum est. *Fa.* Nostri quoque *Hujus;* et præterea universi cum Edd. vett. *injuria,* non *injuriis,* ut nescio unde dedit Faërnus. 'Injuria' hic non est singulare aliquod factum, sed universim id quod *Injustitia.* Lucret. v. 1151. 'Circumretit enim vis atque injuria quemque.' *Injuria* G. EM. Both. Br. Perl. 'libri quidam Mss. et impressi in quibus est EP. *injuria.* Et laudat ὁμοιόπτωτον F. Fabricius.' *West.*—94 *Elapsus est Bacchide* unus e Bœcl. alter *elapsus Bacchide*

Amorem, postquam par ingenium nactus est.
Interea in Imbro moritur cognatus senex
Horunc: ea ad hos redibat lege hæreditas.
Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.
Relinquit cum matre hic uxorem; nam senex
Rus abdidit se; huc raro in urbem commeat.
PHIL. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ?
PAR. Nunc audies. Primo dies complusculos
Bene conveniebat sane inter eas. Interim

tulit, postquam ingenium suo congruens et conforme reperit. Interea dum hæc geruntur, senex quidam ex eorum cognatione vita decessit in Imbro insula, cujus legitimi erant hæredes: eo Pamphilum uxoris amore captum, pater nolentem ad eundum compulit. Hic vero uxorem cum matre reliquit; nam senex seorsum ab hominibus secedens rus se contulit: huc raro Athenas remeat. PH. *Quid huc usque dixisti, ex quo infirmas istas esse nuptias demonstrares?* PH. *Nunc audies; primo aliquot dies concorditer certe inter se vivebant Sostrata et Philumena: repente hæc*

est. Bodl. Ms. Lips. *Bacchide,* Bœnd. EP. EA. *a Bacchide; 'elapsus est a Bacchide* V. C.' *Lind.* et Br. Bem. *huc,* perspicue melius. *Fa.* Nostri *huic.* Sed recte *huc* III. 1. 18. 'Vixque huc contuleram.' Bent. *Huic* Bip. Br. et GM. cum gl. *Pamphilæ.* '"huc" præstat præ *huic* aliorum Codd.' *West.*—97 *Horum* Mss. duo e Bœcl. *horum* Mss. quidam et impressi vett. contra leges senarii. *West. Horunce ad hos ea,* est in Bem. ita versus melius procedit; in Vict. *horunc* etiam scriptum fuisse conjicio; nam *m* in litura est; quod vero sequitur *redibat,* omnes antiqui libri, et quidam ex recentibus, itemque Donatus habent, *rediebat.* Fa. *Horum* omnes nostri: *ea* in octo deest; non incommodo, si *rediebat* legeris. Sed Bem. alio ordine *Ad hos ea;* et ex nostris duo *rediit.* Quare sic etiam legas; *Horunce: ad hos ea rediit lege hereditas.* Sic And. IV. 5. 4. 'Hujus morte ea ad me lege redierunt bona.' *Bent. Rediit* Both. Perl. *horum ad* sine *ea* Br. Bodl. at Bœnd. Ms. Terentii et Donati et EA. *horum ad hos redibat per legem. horunce* Z.—99 *Reliquit* Bodl. et 'R. et V. C.' *Lind.* Ex iisdem libris Bem. et Vict. et ex Don. lego *Relinquit.* ita et St. impressit. *Fa.* Donatus: *Relinquit:* Legitur *Reliquit.* Nostri omnes *Reliquit.* Et præterea pro *Reliquit cum matre hic uxorem,* ubi *matre* in Thesi mergitur; duo ex nostris notæ primariæ, *Reliquit hic cum matre uxorem.* Bent. et sic Both. Perl.—100 *Ruri* Guelf. 3. '*sese* nostri universi.' *Bent.* qui vult *abdit,* et *sese* Br. GM.—102 *Primom* EP. In Bem. erat *primos dies compl.* postea *s* deleto, remansit *primo,* quod habuit et Vict. *Fa.* Nostri omnes *primum.* Ex Bem. *primos* repone, *primo hos dies complusculos.* Ita passim, 'Aliquot hos dies,' 'Hosce aliquot dies,' &c. *primum* Bip. Br. *plusculos* Priscian. III. p. 126. teste Krehl. in edd. Ven. 1. 2. —103 *Convenibat* unus ex Regiis: et sic scribendum. *Bent.* Sequitur Both. *eos* Guelf. 3. *inter eas sane* duo Mss. *Bœcl. interim hæc* Both. quia abesse *hæc*

NOTÆ

96 *Interea in Imbro moritur*] Imbrus maris Ægæi insula est. Sophianus *Iambro* vocat.

103 *Interim Miris modis odisse*] Fallitur Parmeno, cum non odio socrus, sed pudore, simultatem adversus socrum Philumena simulavit.

Miris modis odisse cœpit Sostratam:
Neque lites ullæ inter eas, postulatio
Nunquam. PHIL. Quid igitur? PAR. Si quando ad eam accesserat
Confabulatum, fugere e conspectu illico;
Videre nolle: denique, ubi non quit pati,
Simulat se a matre arcessi ad rem divinam: abiit.
Ubi ibi est dies complures, arcessi jubet.
Dixere causam tunc, nescio quam: iterum jubet:
Nemo remisit. Postquam arcessunt sæpius,

cœpit illam mirum in modum odio habere; neque tamen ulla jurgia inter eas erant, nullæ querelæ, et accusationes. PH. *Quid igitur fuit?* PA. *Si quandoque Sostrata convenerat Philumenam colloquendi causa, continuo hæc se illius oculis subripiebat, nolebat eam intueri. Denique ubi non potest socrum tolerare, fingit Philumena, se a matre Myrrhina vocari ad sacrificium faciendum. Ubi multos dies illic moratur Sostrata eam advocari mandat; causantur nescio quid. Iterum advocatur: non remittitur. Postquam sæpius eam accersi vident, ægritudine et morbo fingunt*

salvo sensu non potest.—104 Cledonius p. 1915. 'Odi, temporis præteriti perfecti est: nam Terentius: *Miris modis odisse aiunt adolescentem Sostratam.*' Vide an ex hoc mendoso Cledonii loco reponendum hic sit, *Miris modis odisse adulescens Sostratam.* ut 'Cœpit,' vel simile ex more subaudiatur: 'Adulescens' autem de muliere, ut infra IV. 4. 39. de hac ipsa, et itidem de Phanio 'Adulescens mulier.' Phorm. v. 3. 11. Quin et absolute And. III. 2. 8. 'Cumque huic est veritus optumæ adulescenti facere injuriam.' 'Odisse,' ut mox v. 107. 'Fugere e conspectu ilico, Videre nolle:' ubi non commode subintelligas, 'Cœpit.' *Bent.* A. *miris modis Philomena.* Hel. *miris Philomena modis,* et post *cœpit* addit *Philumena* pro gl. Br.—105 *Lites erant ullæ* omnes e Bœcl. et Vet. Interp. pro gl. *erant.* pro *inter eas* Both. *interea.*—106 *Quid agitur* Ms. Lips.—107 *Illico e conspectu* EP.—108 *Videre nolle.* Hæc si cohærent superioribus, *Fugere e conspectu,* omnino legendum videtur, *Videri nolle.* Si vero *Videre* defendimus, sermo ita ordinandus videtur: 'Si quando Sostrata accesserat ad Philumenam confabulatum, hæc fugere e conspectu; si quando Philumena arcesseretur ad Sostratam confabulatum, videre nolle. Denique ubi non quit pati vel invisentem vel arcessentem socrum, simulat, se ad matrem arcessi.' Quo sensu 'Videre' notat invisere. *West. Nequit* duo Mss. e Bœcl. 'in quibusdam Mss. et edd. post EP. EA. est *non quivit;* dixit autem absolute *non quit*—Donat. non cepit.' *West.* '*Non quivit* Ms. R.' *Lind.*—109 Bem. pro *a matre,* habet *ad matrem:* et pro *abiit, abit:* utrumque placet. ita habebat et Vict. postea emendatum fuit in lectionem vulgatam. *Fa.* Nostri omnes, *a matre.* Bent. *Ad matrem* Bip. Both. Perl.—110 *Ubi illi est d. c. a. hæc j.* Both. '*Ubi ibi est dies:* ita versus constat; alii tamen cum Don. *ubi illic dies est.*' West. *Complusculos* Mss. duo. *Bœcl.*—111 Integer hic versus abest a Ms. Lips. *West.* deest et in Guelf. 1. Nostri omnes *tunc causam.* Ejice illud *tunc* vel *tum;* quod et versum gravat, et sedem incertam habet, et sententiæ nihil confert. *Bent. Tunc causam* duo Mss. e Bœcl. Br. *causam*

NOTÆ

107 *Fugere e conspectu*] Utpote quæ caveret gravida intelligi.

Ægram esse simulant mulierem. Nostra illico
It visere ad eam: admisit nemo. Hoc ubi senex
Rescivit, heri ea causa rure huc advenit:
Patrem continuo convenit Philumenæ.
Quid egerint inter se, nondum etiam scio;
Nisi sane curæ est, quorsum eventurum hoc siet.
Habes omnem rem: pergam, quo cœpi hoc iter.
PHIL. Et quidem ego: nam constitui cum quodam hospite
Me esse illum conventuram. PAR. Di vortant bene
Quod agas! PHIL. Vale. PAR. Et tu bene vale, Philotium.

mulierem detineri: nostra hera Sostrata statim it eam visum, nullus intro duxit ad Philumenam. Hoc postquam senex Laches inaudivit, heri ob hanc causam e prædio huc remeavit, patrem continuo Philumenæ Phidippum adit. Quid rei inter eos actum sit adhuc ignoro: præter quam quod valde solicitus sum et curo scire, quem eventum hæc res habitura sit. Nunc accepisti ex hac narratione, quod audire petisti. Persequar iter inceptum ad portum. PH. *Et sane ego quoque; nam indixi cuidam amatori advenæ tempus, quo ad illum venirem.* PA. *Dii velint bene evenire, feliciter cedere, quicquid actura sis.* PH. *Vale.* PA. *Et tu quoque Philotium.*

tum Perl.—112 *Accersivit* unus Ms. e Bœcl. *accersita est* Argentor. apud Bœcl. 'Aliquot ex nostris, *accersivit;* inde ex scripturæ similitudine natum *accersunt.* Sed recte duo ex nostris *accersit.*' Bent. quem sequitur Both. Perl.—114 *Visere eam* in textu, at *ad eam* pro var. lect. Br. Citat h. l. Macrob. (p. 744. ed. Lips.) *Lind.*—115 *De rure* EP.—118 *Curæ mihi est* duo Mss. *Bœcl.* et EP. 'alii Codd. *curæ scire mihi est.*' West. Et sane *mihi* pro gl. Br. *mihi siet* Guelf. 2. *hoc* in quibusdam Mss. et impressis non legitur. *West.* —119 *Pergam ego* Guelf. 3.—120 *Equidem* Br. *constituit* EP.—122 *Quid* GM. vitiose. *Perl. Parmeno* post *vale* Guelf. 2. '*Ph. bene vale* Ms. Lips. *et tu bene, Philotium* Bœnd. EP. in aliis *et tu bene vale Philotis.*' West.

ACTUS II. SCENA I.

LACHES. SOSTRATA.

LA. PRO Deum atque hominum fidem! quod hoc genus est? quæ hæc est conjuratio?

LA. Proh Deum, atque hominum fidem! quale est hoc genus mulierum? qualis

1 O. l. s. et Donatus geminat verbum *est, quæ hæc est conjuratio.* Est

Utin' omnes mulieres eadem æque studeant, nolintque omnia?
Neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperias?
Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus:
Viris esse advorsas, æque studium est; similis pertinacia est;
In eodemque omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam.
Ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio.

hæc est inter eas conspiratio, et confœderatio? ut hæ omnes easdem res velint, et studiose pariter affectent; neque ulla inveniatur quæ deflectat, et recedat ab aliarum natura: adeo valde simili animo, omnes quotquot sunt socrus odio nurus suas prosequuntur: viris adversari similis voluntas, et conatus; similis pervicacia, et mentis obstinatio est. In eadem schola arbitror illas eruditas esse ad malefaciendum. In hac schola, si usquam ea est, magistram hanc Sostratam uxorem meam esse minime

autem extrema pars octonarii Iambici, qui, abjecto *d* ex *quod*, bene procedit. *Fa.* Sic et nostri. *Bent. est* posterius omittit Delph. *Fidem quod genus hoc est? ecquæ hæc* Both. In B et Hel. *et quæ*, pro quo Bo. *ecquæ*, unum pro altero valere existimans. Sed non tam quæstio est de utriusque significatione æquali, quam de eo, utrum eorum scripserit Poëta. *Perl.*—2 Concitatius est, quemadmodum legitur in Bem. et Vict. *utin omnes.* Fa. Nostri *Ut.* Lege, *Utne. Utin* hic nequit consistere, quia ultimam semper producit. *Bent. Utin'* tamen West. Bip. Perl. *ut* Delph. Z. Bo. Br. in textu GM. *velint*, in marg. al. *nolint.*—4 *Itaque uno animo adeo* duo Mss. apud Bœcl., unus *ita adeo uno animo;* hunc et sequentem versus transponit Bo. transpositosque sic legit *Viris adversari æque studium est, similis pertinacia est;* | *Itidemque adeo unanimo omnes animo socrus aderunt nurus.* 'Hunc versum, qui toto pede deficit, ambiguitate laborat, et filum orationis interrumpit, spurium esse censeo. Nam cum crimen aliquod commune *omnium mulierum* proferatur, male hic repente accusantur *socrus.* Atque si omnium est idem studium; qui fit, ut *nurus* et *socrus* tantopere inter se discrepent?' Ita Zeun. abbreviat Bent. 'Perinde est, quomodo hanc amphiboliam, quæ videtur e conjunctis esse, exponas, sive *socrus omnes* iniquas esse (in nurus), ut Sost. ait sc. 3. 4. sq. sive *nurus omnes* odium capere socruum (ut iniquarum) quomodo Laches mox v. 22. et Sost. v. 38. verbo utitur. Nulla inde est in sensu ambiguitas, quam inutiliter quærunt Donatus ad hunc locum, et Hieronymus adversus Jov. XXIX. pag. 191. et in Micheam VII. pag. 1550.' *Bipont.* Ambiguitas, de qua Bent. queritur, versum reddit venustum, judice Perl.—4. 5 *Viris* | *Esse* Delph. Bip.—5 In *viris s* abjicitur, ut stet vs. *Fa.* Laborat hic versus; aut primam in *adversas* corripit, aut secundam in *Viris:* quorum neutrum ex more; et si posterius eligis, totum in Thesi latebit *Viris;* quod tamen præcipue est efferendum. Repone, *Viris adversari æque studium est.* Infra II. 2. 29. 'Non possum adversari meis.' et IV. 4. 32. 'Reduc uxorem, ac noli adversari mihi.' Plautus Cas. II. 2. 32. de uxore et viro: 'Noli sis tu illi adversari,' et II. 3. 35. *Bent. Æque* deest in Guelf. 3.—6 *Eodem mihi omnes* duo Mss. e Bœcl. unus *eodem omnes videntur mihi*, Bo. *in eodem mihi videntur omnes.* Hel. *eodem* pro *eodemque.*—7 *Et ei ludo* omnes apud Bœcl. Bembinus non habet conjunctionem *Et.* Fa. Nostri omnes perperam, *Et ei ludo.* Sed aliud hic quærendum: Quorsum, quæso, jam dubitat, *Si ullus est ludus?* cum præcedente versu ludum talem esse, ut notum et compertum sumpsisset. Hæc

So. Me miseram, quæ nunc, quamobrem accuser, nescio! La. Hem!
Tu nescis? So. Non, ita me Di bene ament, mi Laches!
Itaque una inter nos agere ætatem liceat. La. Di mala prohibeant!
So. Meque abs te immerito esse accusatam, postmodum rescisces. La. Scio.

dubito. So. *O me infelicem! quæ nunc ignoro, qua de causa nunc maritus me accuset.* La. *Hem! tu nescis?* So. *Non equidem, ita Dii mihi sint propitii, mi conjux, nobisque concedant una vitam ducere longissimam.* La. *Dii meliora velint, et mala avertant.* So. *Meque nullo meo merito posthac a te accusatum cognosces.* La. *Nullo*

non belle conveniunt. Sed aliud dederat Auctor, *Ei ludo, si ulla sit magistra, hanc esse satis certo scio.* De ludo nullus dubitat; de magistra dubitandi causa bona erat: an cuiquam Magistræ obtemperare vellent; an omnes æquales esse mallent, aut πολυκοιρανίαν instituerent. *Bent.* quem sequitur Both. *et* ad finem vers. præeuntis est in Delph.—9 *Non* unus e Bœcl. omittit; alter, *non* servato, *bene* omittit; Argentor. *non ita mi dii ament Laches:* 'in omnibus Mss. non comparet *non*, quanquam sine metri damno abesse nequit.' *West.* Non fere invenias librum, in quo sit *bene;* sed nec Don. eam habet, qua demta oportebit sustentare versum, qui est senarius, vel applicando ei ultimam particulam versus præcedentis, vel producendo posteriorem syllabam in *ita*. Fa. *Me miseram, quæ nunc, quamobrem accuser, nescio. Hem, Tu nescis? Non, ita me di ament, mi Laches.* Sic versus constituit Fa. quorum posteriori deest syllaba; quam frustra ille pensare studet, vel applicando vel producendo. Cur autem senarii hi inter septenarios veniunt, nulla de causa, cum metrum non postea immutetur? Repone, *Me miseram quæ nunc quamobrem accuser, nescio.* La. *Hem, tu nescias?* So. *Ita me di bene ament, mi Laches.* Est septenarius cum clausula; ut passim. *Nescias* lego, pro *Nescis.* Semper enim in repetitione ex Indicativo Subjunctivum faciunt. Illud autem *Non* septem e nostris omittunt: *bene* tres tantum habent. Nimirum olim inter correctores hic factio erat. Qui *Non* in textum asciverunt, jubente ipso versu ejecerunt *bene:* contra quibus *Non* displicebat, versus gratia receperunt *bene.* Inter priores Donatus erat: '*Non: ita me di ament*] Animadvertendum,' inquit, 'veteres non minus εὐφημισμὸν in verbis, quam κακόφατον neglexisse.' Hoc ideo annotat, quia junctim quis efferre possit, 'Non ita me di ament.' Sed si *Non* huc inducas; etiam aliud *neglexerit* Terentius. Qui enim ad 'Tu nescias' respondet 'Non,' idem dicit quod 'Scio.' *Bent.* quem sequitur Both. 'Be. delenti *non* assentior. Nam responsio, quæ per 'non' efferatur, interrogationi 'tu nescis,' Latine non congruet. Atque We. *non* in suis Mss. non vidit.' *Perl.* *Bene* omittit Br. '*Ita me Di bene ament! mi Laches*] Hæc absunt a Tr. Faërnus autem dicit, non fere inveniri librum, in quo sit dictio *bene;* sed nec Donatum eam habere. Est autem in M. sed et reperi in Hul. unde et ediderunt Aldus, St. aliique ætate suppares.' *West.*—10 *Atque ita* Guelf. 3. pro *una* Br. exhibet var. lect. *hanc.*—11 *Esse* deest in omnibus apud Bœcl. 'Libri quidam *postmodo* præferunt.' *West.* Bem. *post modo* habet, ut et exigit versus; in quo correpta extrema hujus dictionis syllaba, ut apud Ovidium, 'Post modo si perges:' est anapæstus in sexta. *Fa.* Nostri omnes mendose *postmodum.* Sed aliud specta: quorsum pertinet illud *Scio?* Aut quomodo irato seni convenit? quis non videat 'Te immerito' orationem inchoare? Repone, ut Sostratæ hoc detur, *Meque abs te inmerito esse accusatam postmodo rescisces, scio.* 'Scio' cum Indicativo sequente, ut passim: Adel. IV. 1. 10. 'Jam huc recurret, sat scio.' *Bent.* quem sequitur Both. improbat

Te immerito? an quicquam pro istis factis dignum te dici potest,
Quæ me, et te, et familiam dedecoras, filio luctum paras?
Tum autem, ex amicis inimici ut sint nobis affines, facis;
Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent.
Tu sola exorere, quæ perturbes hæc tua impudentia.
So. Egone? La. Tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas.
An, quia ruri crebro esse soleo, nescire arbitramini,

tuo merito? quæ me, quæ te, et familiam ignominia afficis? et filio luctum, et mœrorem quæris? quin etiam causa es, cur affinitate nobis juncti, ex amicis inimici nobis reddantur, qui filium nostrum tanti duxerunt, ut ejus fidei suos liberos tuendos darent. Tu sola reperta es, quæ has perturbationes afferas pervicacia tua. So. *Egone?* La. *Tu, inquam, mulier ipsa hæc facis, quæ me omnino saxum sensu privatum, non hominem esse arbitraris. An quia frequenter ruri sum in prædio, idcir-*

Bip. Cum Bent. aliquatenus consentit West. 'Aut secum hæc dixit Laches, aut languet vox, ne dicam, absurda est. Qui scire se diceret senex, immerito a se accusari uxorem, quam eodem tempore meritissimo jure accusari affirmat? Et sunt Codices, in quibus τὸ *Scio* non legitur. Quid vero, si Sostratæ tribuatur? ut hic sit verborum ordo: *Meque abs te immerito esse accusatam postmodum rescisces, scio.* La. *Te immerito?* Idem Guyeto placebat.' *Scio?* (sic) Br. pro v. l.—13 Bem. *et familiam omnem dedecoras:* versu etiam non repugnante. *Fa.* *omnem* ex Bem. addidit Fa. 'versu,' inquit, 'non repugnante.' Miror, qui vir, sic satis metrorum peritus, hoc dicere potuerit. Omnes nostri, non minus quam versus ipse, repudiant. Quin et ipsa sententia abnegat. Si enim 'Omnem' dicis, servos dicis et ancillas; ut Adel. V. 7. 12. 'Traduce et matrem et familiam omnem ad nos.' An igitur et famulitium dedecorat Sostrata? Immo 'Familiam,' Genus scilicet et Majores. *Bent.* 'Libri quidam præferunt, *omnem familiam.* Quod tamen plerique Mss. non agnoscunt, neque Hul. nec EP. In Bodl. a prima manu erat, *Fabulam dedecoras.*' West. *f. omnem* Bip.—14 *Tu autem* Mss. omnes apud Bœcl. *factis* Br.—15 *Decreverint* duo Mss. apud Bœcl. unus *decreverunt*, et sic GM. Br.—16 *Tu sola exorere*] 'Hul. *Exhorrore.* Aldina editio, anni 1521. *Exhorrere.* Utrumque barbare. Mss. Leidenses tres, *Exorrere.* Unde conjiciebam legendum, *Exoriere:* quod ἐμφατικώτερον videtur cum indignanti interrogatione expressum.' *West.* *exoreris* Br. e pr. m. Tres ex nostris, et pro varia lectione quartus, *inprudentia.* Recte; neque enim versus amat in ea sede Trochæum; neque Laches eo procedit, ut moratissimam uxorem 'Impudentiæ' accuset. 'Imprudentia' etiam bono marito, si iratus sit, convenit, ut Heaut. IV. 1. 20. *Scio, te inscientem atque inprudentem dicere ac facere omnia.* 'Impudentia' vero non est humani viri dictum erga uxorem. *Bent.* Non placet. *Perl.*—17 *Ah egone* omnes apud Bœcl. Guelf. 1. *tu inquam ego* M. Versum hunc ita invenias in plerisque libris scriptis: So. *Egone?* La. *tu inquam mulier, quæ me omnino lapidem non hominem putas.* Et stat optime hic octonarius, si primam ejus syllabam præcedenti attribueris: sane etiam Don. legit, *non hominem putas.* Fa. *Egone? Tu inquam mulier.* Sic dedit Faërnus: sed misere metro providet, cum *E* superiori apponit, et hunc a *gone* inchoat.

Quo quisque pacto hic vitam vestrorum exigat?
Multo melius hic quæ fiunt, quam illic, ubi sum assidue, scio:
Ideo, quia, ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris.
Jampridem equidem audivi, cepisse odium tui Philumenam;
Minimeque adeo mirum; et, ni id fecisset, magis mirum foret.
Sed non credidi adeo, ut etiam totam hanc odisset domum:
Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.
At vide, quam immerito ægritudo hæc oritur mihi abs te, Sostrata.

co ignorare putatis, quomodo singuli in urbe domi vitam traducatis? Melius absens scio, quæ hic fiunt in urbe, quam ea quæ fiunt ruri, ubi continue præsens ago. Ob eam causam, quod qualis vita vestra domi agitur, talis fama et æstimatio mea est ruri. Jamdudum auditione percepi Philumenam nurum nostram concepisse odium tui; nec valde id mirandum est: imo nisi ita fecisset, majori admiratione esset dignum: sed non in animum induxi, eam adeo commotam fuisse, ut etiam totam hanc familiam odio haberet. Quod si de hac re certior factus fuissem, illa in hac domo permaneret; tu foras dimissa fuisses. Sed considera, quam sine causa hæc animi molestia mihi ex te nascitur, Sostrata. Rus in prædium ad habitandum me

Repone, ut passim *Egon* corripitur, *Egon. Tu inquam mulier.* Bent.—18 Sentis, opinor, quam inconcinne *ruri* posteriorem acuat, *crebro* autem in Thesi lateat. Duo nostri vetustissimi cum uno ex Regiis, *An quia ruri esse crebro soleo.* Bent. *esse crebro* Br. Perl. Bo. *nescire me* GM. glossam sapit Perl. et sane *me* pro gl. Br.—19 *Quisquam pacto* Mss. duo Bœcl. Bem. *vestrarum.* Fa. Sic et duo Meadiani, *vestrarum:* ceteri omnes *vestrorum,* atque etiam Donatus. Recte; 'Vestrorum' pro 'Vestrum,' ut tam mares, quam feminas concludat. *Bent.* *vostrarum* Bip.—20 Sic Fa. dedit; et sic Codd. Sed recte Muretus *illi* pro *illic,* versu ipso exposcente. Et frustra est, qui ex Plauto patrocinari vult tam aperto errato. *Bent.* *illi* Both. et probat Fabric. Post *scio* in Guelf. 2. sequuntur, si recte legerim hæc, *de vobis curam ago, quales vos habitus superque vester erit.* Quæ verba esse pro gl. satis existimo habenda. *Perl.* Et sane Br. pro gl. 'de vobis curam habeo.'—21 *Ideoque* Guelf. 1. *adeoque ut* Both. *Ideo quia* 'Leidensium unus, M. et Hul. legunt. Ita et veteres quædam editiones. Tr. *Ideo, quod.* Si vero legas *quia,* habebit hic versus honestam excusationem curiositatis in Lachete, quare scire velit, qua ratione vitam uxor cum nuru domi exigant, quia scilicet ab earum consuetudine domestica pendeat sua fama foris.' *West.* Unus ex nostris, *mihi eritis domi.* Alter, *domi mihi eritis.* Hoc recte: quippe *Domi* in ictu esse debet; et ultimam passim corripit. *Bent.* *Fama* delet Goveanus probante Fr. Fabric. *pro Fama v. c. foris?* Lind. In Br. ad *foris?* est scriptum sic 'vel ;'—25 *Hinc maneret* M. *potis* Ms. Lips. suprascripto *potens; hic*

Rus habitatum abii, concedens vobis, et rei serviens;
Sumtus vestros otiumque ut nostra res posset pati,
Meo labori haud parcens, præter æquom atque ætatem meam.
Non te pro his curasse rebus, ne quid ægre esset mihi?
So. Non mea opera, neque pol culpa evenit. La. Immo maxume.
Sola hic fuisti: in te omnis hæret culpa sola, Sostrata.
Quæ hic erant, curares, cum ego vos solvi curis ceteris.
Cum puella anum suscepisse inimicitias, non pudet?
Illius dices culpa factum. So. Haud equidem dico, mi Laches.
La. Gaudeo, ita me Di ament! gnati causa; nam de te quidem,
Satis scio, peccando detrimenti nihil fieri potest.
So. Qui scis, an ea causa, mi vir, me odisse assimulaverit,
Ut cum matre plús una esset? La. Quid ais? non signi hoc sat est,

contuli, concedens vobis ut in urbe essetis, rei faciendæ, et augendæ dans operam, ut facultates nostræ, quæ sunt mediocres, sufficerent vestris sumtibus, et vitæ otiose ducendæ, labori assidue incumbens, cum æquius esset vos id facere, et me, qui senectute infirmus sum, quiescere. Nonne pro his meritis, ingenti cura studere debuisti, ne ulla molestia mihi exhiberetur? So. *Per Pollucem non meo studio, neque culpa accidit.* La. *Imo maxime per te id factum est. Sola domi fuisti, quæ familiam regeres: in te sola omnis culpa sita est, Sostrata. Domesticæ rei curam habere debuisti, cum ego vos liberavi aliis solicitudinibus, et alimenta paro ex cultura agri. Nonne erubescis pudore, inimicitias te vetulam cum puella exercere? illius merito respondebis id evenisse?* So. *Non sane dico culpa factum puellæ, mi Laches.* La. *Filii mei gratia gaudeo, ita mihi Dii faveant, cum talem habeat uxorem, quam nec inimici accusare possint: nam quod ad te attinet, quantumvis pecces, nihil damni inde eventurum satis certo scio.* So. *Quid si me idcirco, mi marite, odio persequi præ se tulerit, ut cum matre sua crebrius conversaretur?* La. *Quid*

omisso, legit *abisses* Guelf. 3.—27 *Re* Both.—29 *Æquum et* duo Mss. *Bœcl.* —31 'M. et EP. *venit,* quod laudat Riv.' *West.*—33 'Emphatice legit M. *Sola quæ hic,* voce 'sola' tertium repetita.' *West.* *A curis* duo Mss. e Bœcl. et sic Br. e gl. Quinque ex nostris, *a curis.* Ex Regiis unus, *ego solvi curis vos ceteris.* Dedit auctor, suo more, *Cum ego vos curis solvi ceteris.* Bent.—38 *Odisse se* omnes Mss. apud Bœcl. et sic Br. Bodl. Lips. EP. *odisse se* omisso *me* M.—39 Lib. antiq. *una plus.* Perl. *Plus una.* Ita collocatur in antiquis Bem. et Bas. et Do. *Fa.* Nostri quoque, *plus una esset.* Bent. Bem. et alii antiqui ita habent, *non signi hoc sat est.* Fa. Nostri partim habent *hoc,* partim abnegant. *Bent.* *Hoc* duo Mss. e Bœcl. Br. Bodl. EP. omittunt.—40

Quod heri nemo voluit visentem ad eam te intro admittere?
So. Enim lassam oppido tum esse aiebant: eo ad eam non admissa sum.
La. Tuos esse ego illi mores morbum magis, quam ullam aliam rem, arbitror;
Et merito adeo; nam vostrarum nulla est, quin gnatum velit
Ducere uxorem; et, quæ vobis placita est conditio, datur.
Ubi duxere impulsu vostro, vostro impulsu easdem exigunt.

dicis? nonne satis clarum indicium est, eam te vere, nec simulate odisse, quod hesterna die nullus ex familia voluit te, visendi eam gratia venientem, intro domum excipere? So. *Certe non admissa sum, quia tunc eam dicebant ægritudine animi languentem, et defatigatam esse.* La. *Magis opinor eam ægrotam esse propter morosam tuam consuetudinem, quam propter aliam causam; et merito admodum, nam vestrum nulla existit, quæ non cupiat filium suum uxorem accipere; et quæ virgo vobis probata est, ea in matrimonium filio datur: postquam ducta est hortatu vestro, vestro hortatu, divortio ejicitur.*

Te ad eam M. Ste. Ald. '*admittere* legendum non *intromittere* vel ex III. 1. 49. patet; *introducere* EP.' *West.* 'Al. *intromittere.*' Perl.—41 *Esse oppido tum* Mss. duo e Bœcl. unus *eam oppido tum* sine *esse*, et in Guelf. 3. *esse* abest. Non male videtur addi posse verbum *esse*, ut in Bem. *enim lassam oppido tum esse aiebant:* nec versus repugnat, si *oppido* sit dactylus, ut 'ilico:' sed utramvis lectionem sequare, prima hujus versus syllaba ad præcedentem pertinet versum: sunt autem trochaici; sane et in aliis antiquis legitur, *Enim lassam oppido aiebant tum esse.* Fa. Sic Fa., neque tamen opus est, ut aut *oppido* dactylus sit, aut prima versus syllaba præcedenti apponatur: modo, ut est, *aiebant* disyllabon sit. Nostri plerique, *Enim lassam eam oppido tum aiebant.* Festus Pompeius: 'Adfatim, dictum a copia fandi, sive abundanter.' Livius: 'Adfatim edi, bibi, lusi.' Terentius 'Adfatim' dixit pro eo quod est, ad 'lassitudinem.' Hodie *Adfatim* apud Terentium non exstat. Et nihil propius est, quam ut censeas *oppido* a Magistris pro *adfatim* suppositum: nam *Lassam adfatim* est quod Festus dicit, *Adfatim* apud Terentium pro 'ad lassitudinem' esse. *Bent. Lassam enim oppido* Both. *eam lassam enim oppido* Bodl. *læsam* A. *lassam eam oppido* Br. M. EP. ad *enim* notat Perl. 'Solet hac particula Plautus in initio sententiæ uti, etiam Liv. 23, 45.' simile quid West.—42 *Ego ullam* desunt in M. laudat Fa. *ego* e Bem. et videtur gravius dictum. *West.* E Bem. interponimus pronomen *ego; tuos esse ego illi mores;* nec repugnat trochaicus, si *tuos* monosyllabum sit: *illi* vero priorem corripiat, uno l abjecto, ut sæpe alibi. *Fa.* A nostris abest *ego.* Utroque modo *tuos* monosyllabon erit. *Bent. Tuos ei mores esse ad morbum* Both. Abest *ego* ab nonnullis, male. Perl. *Ad morbum* omnes apud Bœcl. et A. *magis* desideratur in R. *Lind.*—43 *Et merito adeo* desunt in Guelf. 3.—44 *Et lex* Guelf. 1. *Both.* Guelf. 3. *Perl. dari* Both.—45 *Duxere* in textu, pro v. l. *duxerit* Br. *vestro impulsu* semel Guelf. 3.

ACTUS II. SCENA II.

PHIDIPPUS. LACHES. SOSTRATA.

Phid. Etsi scio ego, Philumena, meum jus esse, ut te cogam,
Quæ ego imperem, facere; ego tamen, patrio animo victus, faciam,
Ut tibi concedam; neque tuæ libidini advorsabor.
La. Atque eccum Phidippum optume video: ex hoc jam scibo, quid siet.
Phidippe, etsi ego meis me omnibus scio esse apprime obsequentem,

Ph. *Quamvis sciam ego, Philumena, in mea potestate esse, te compellere ea facere, quæ tibi præcipiam; ego tamen, patrio affectu coactus, nunc imperabo mihi, ut tibi obsequar, neque tuæ immoderatæ cupiditati reluctabor.* La. *Ecce, hic Phidippus est. Opportune hunc reperio. Ex eo jam sciam, qui fit, cur ejus filia a nobis discesserit. Phidippe, quamvis me sentio inprimis esse facilem erga omnes*

1 *Ego* habent Mss. duo. *Bœcl.* Ex o. l. s. et Don. addimus pronomen *ego.* Fa. Et nostri omnes, *ego.* Bent. *esse jus meum* Both.—2 Iambicus est tetram. catalect. qui bene procedet, et habebit Iambum in quarta, si duos proceleusmaticos admiseris, unum in tertia sede, alterum in quinta. *Fa.* Nulla hic, quod ad versum attinet, difficultas est. *Bent. patris* Argentor. *paterno* unus e Bœcl. alter *devictus.*—4 *Ex hoc jam scibo* unus e Bœcl. Leidd. quinque, M. *jam scibo ex hoc* Bodl. Ms. Lips. St. Ald. *video jam scibo* EP. Convenientior versui est lectio Bem. quam et Don. ut varietatem lectionis, adducit, *hinc jam scibo;* propter versum tamen, qui est Iamb. tetram. catalect. ego legerim *sit*, ubi est *siet.* Fa. Nostri male *ex hoc. Sit* tam scribendum, quam pronuntiandum. *Bent. hinc jam scibo quid scit* Bent. Bip. Bo. *jam scibo ex hoc quid siet* Br. unus e Bœcl. *jam sciam ex hoc quid sit* Argentor. pro *siet* placet Bentleio *sit* tam pronuntiandum, quam scribendum. Verum Cicero Orator. 47. siet, inquit, plenum est; sit, imminutum; licet utare utroque. *Perl.*—5 Joh. Pierius ad Virg. G. II. 134. notat, in Cod. Ms. Terentii legi, *Etsi ego meis me omnibus scio esse ad prima obsequentem.* West. Versui aptior collocatio est in omnibus fere l. s. et Don. *etsi ego meis me omnibus scio esse apprime obsequentem.* Fa. Sic et nostri plerique omnes. Sed illud inspice, *Etsi scio me . . . Quod tu si idem faceres.* Quorsum illud *Etsi?* Plane enim inconsequens oratio est. Notatum hoc et Veteribus. Charisius p. 203. 'Etsi, ut ait C. Julius Romanus, ἀνακόλουθον est; quotiescumque τῷ Etsi non reddimus Tamen: ut Terentii illud ex Hecyra est, 'Etsi ego me meis omnibus . . . corrumpat animos.'' Quid ergo? an sinemus Terentium ἀνακόλουθον, hoc est Solœcismi reum peragi? Præsertim cum tam proclivis et tam certa sit ejus culpæ purgatio? Repone, *Phidippe, et ego meis me omnibus. Et ego*, id quod *Etiam ego.* Oratorie, primo se fatetur levioris culpæ reum esse, ut Phidippum gravioris arguat. *Bent.* At nullum est τὸ ἀνακόλουθον judice Perl. cum 'sed' subsequitur, quam vocem etiam Cicero usurpat pro

Sed non adeo, ut mea facilitas corrumpat illorum animos:
Quod tu si idem faceres, magis in rem et nostram et vostram id esset.
Nunc video in illarum potestate esse te. PHID. Heia vero!
LA. Adii te heri de filia: ut veni, itidem incertum amisti.
Haud ita decet, si perpetuam vis esse affinitatem hanc,
Celare te iras. Si quid est peccatum a nobis, profer:
Aut ea refellendo, aut purgando, vobis corrigemus,

e mea familia; attamen non is sum, qui nimia indulgentia praviores eos reddam: quod si tu idem, atque ego faceres, magis et mihi et tibi utile esset. Nunc perspicio te uxoris et filiæ potestati subjacere. PH. *Eia vero, perge expostulare.* LA. *Heri te conveni filiæ tuæ causa. Ut ad te incertus veni, æque me incertum dimisisti. Minime ita convenit, si cupis inter nos persistere hanc affinitatem, occultare causas tuæ iracundiæ. Si quod delictum fecimus, edissere nunc jam: aut id refu-*

Tamen ad Familiar. Epist. IX. 16.—6 Ex Vat. et Bas. ac Don. ita collocamus, *mea facilitas:* ex omnibus autem l. s. *corrumpat illorum animos:* versus est Iamb. tetram. catalect. in quo, contracta dictione *mea* in unam syllabam, est Iambus in quarta. *Fa.* Nostri, uno excepto, omnes, *mea facilitas:* nec opus est ut *Mea* in unam syllabam contrahatur. *Bent.*—7 *Quo* Guelf. 1. *quod si tu* Br. duo e Bœcl. tertius, *quod si tu hoc idem.* 'Melior est ordo verborum in Bem. *Quod tu si idem faceres.*' Fa. 'Nostri male *si tu.* *Tu* enim sub ictu esse debet, ut vs. 5. *Ego.* Ceterum pro *in rem nostram et vostram,* nostri magno consensu, *in rem vostram et nostram.* Hoc civilius et moratius est, ut illorum commodum prius spectetur. Repone igitur, *Quod tu si idem faceres, magis rem in vostram et nostram id esset.* *Rem in* ipse versus efflagitat.' *Bent.* 'Bent. ed. *magis rem in vostram et nostram id esset,* addens hoc civilius et moratius esse. Sed veteres millies suum nomen alterius nomini præponunt, neque talia exigenda sunt ad morum, qui nunc sunt, elegantiam. v. Burmann. ad Lucan. IX. 985.' *R. D.* *in rem vostram et nostram* Both. Br. *et nostram et vostram* Bip. Perl.—8 *Nam* lib. antiq. *Perl.* Non indignus quidem venia Poëta foret, si in medio verbo cæsuram hic poneret. Sed non credo eum data opera id fecisse; cum in manu esset, venia ea non indigere. Repone igitur, *Nunc video in illarum esse te potestate.* *Heja vero.* Bent. sequitur Both. *potestatem te esse* Ms. Lips.—9 *Veniat* e pr. m. Br. cum notula, 'Alii *veni:*' '*me dimisisti* omnes Mss.' *Bœcl.* et *dimisisti* Hul. '*amisisti* Leidd. quinque, Ms. Lips. M. et multæ edd. vett.' *West.* necnon Ms. R. ap. Lind. et Br.—10 *Perpetuam hanc vis* omnes Mss. *Bœcl.* Guelf. 2. et edd. post EP. '*perpetuam* versus respuit; qui in ea sede vel Creticum postulat, vel Pæonem quartum. Nostri omnes *hanc* ponunt post *perpetuam.* Repono, *Haut ita decet si perpetem hanc vis èsse adfinitatem.* 'Perpes' idem quod 'Perpetuus,' ut Plautus 'Noctem perpetem,' 'Alea perpeti:' et alii 'Diem,' 'Annum perpetem."' *Bent.* quem sequitur Both.—11 *Quod* GM. perperam. *Perl.* sic et Codd. quidam, teste West.—12 In hoc genere crebro occurrunt peccata contra metrum; ideo quod nescirent veteres Correctores, nullam hic in medio versu, sive in cæsura, licentiam permitti. *purgando,* nisi primam corripit, quod absurdissimum, stare in ea sede nequit. Sed remedium sponte succurrit, *Aut ea refellendo tibi aut purgando corrigemus.* 'Tibi,' ut patrifamilias, qui ceteros regas: sic supe-

Te judice ipso: sin ea est causa retinendi apud vos,
Quia ægra est, te mihi injuriam facere arbitror, Phidippe,
Si metuis, satis ut meæ domi curetur diligenter.
At, ita me Di ament! haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,
Ut tu illam salvam magis velis, quam ego: id adeo gnati causa,
Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum, magnificare.
Neque adeo clam me est, quam esse eum graviter laturum credam,

tando, aut excusando emendabimus, te ipso judice existente. Sin propterea retines filiam in tuis ædibus, quod ægritudine et morbo laborat, te in me injuriose agere puto, Phidippe, si vereris ne non domi meæ sedulo remedia ei, et fomenta curentur. At ita mihi Dii bene velint, in hoc tibi non cedo, quamvis illius pater sis, ut illius salutem atque incolumitatem magis diligas, quam ego. Id adeo volo filii mei gratia, quem ego perspexi, illam non minus quam se ipsum magni æstimare. Neque certe ignoro eum moleste et ægre auditurum uxorem suam a nobis recessisse. Hanc ob

riore versu, 'Celare te iras,' et 'Te judice ipso.' *Bent.*—13 *Causá* in fine acuitur, nulla necessitate aut causa. Repone, *Sin ea est retinendi causa aput vos.* Bent. quem sequitur Both. Perl. ''Εμφατικῶς dictum *ea;* quare Guyeti *eam* languet.' *West.*—15 *Ne satis* omnes Mss. *Bœcl.* *satisne* M. Guelf. 1. *ut ne,* omisso *meæ,* Guelf. 3.—17 Illud *quam ego* nimis onerat versum, etsi non suffocet et elidat. Sententiæ autem adeo non necessarium est, ut noceat et incommodet. 'Haut tibi concedo, ut tu illam salvam magis velis.' Quid opus est isto *Quam ego?* Id enim totum anticipatur in *Haut tibi concedo;* et putide rursus ingeritur. Lege igitur, *Ut tu illam salvam magis velis: id adeo gnati causa.* Bent. quem sequitur Both. *id* deest in Guelf. 3. *adeo volo* Guelf. 2.—18 M. *intellexi non amare minus, quam se ipsum, aut magnificare.* Atque ita EP. EV. 1. et paucæ aliæ. Quomodo et Donatum legisse suspicio est. In quibusdam Codd. est *Magnifacere.* Ita et Donatus legit. *West.* *magnifacere* V. C. apud Lind. duo Mss. apud Bœcl. G. Erasmus, at Ms. Argentor. *magni facere:* '*magnificare* Bem. et fere omnes alii antiqui et recentes.' *Fa.* 'Atqui tres nostri vetustissimi *magni facere.* Recte. Nusquam alias apud Nostrum venit *Magnificare;* nec versus amat in ea sede Dactylum. Noster solet dicere, *Magni, maxumi facere:* et Plautus; nisi semel atque iterum, ubi idem, quod hic, mendum insedit.' *Bent.* '*magnificare* Guelf. 1. quod ut insolentius mutarunt in *magni facere.* Quod semel h. l. vox ea legitur apud Terentium, causa non est cur excludatur; nec de versu erat, quod metueret Bent. nam similiter bis Terentius, Plautus autem sæpius.' *Both.* 'Sæpe hoc verbum occurrit apud Plaut. cujus loca Rivius ad h. l. indicavit. Idem auctori ad Herenn. IV. 21. restituit Grævius. Verum Bentl. in Terentio et Plauto legi jubet *magni facere,* nec abhorret a vero, librarios cadentis Latinitatis verbum 'magnificare,' quod ipsis erat familiarius 'e vulgata bibliorum versione, alteri passim substituisse.' *R. D.* *magnifacere* Br. in textu, pro v. l. *magnificare.*—19 Pro *me clam est* o. l. s. *clam me est:* quod vero sequitur *resciverit,* Bem. et omnes alii antiqui, *rescierit,* apposite ad rationem versus. *Fa.* Nostri quoque *clam me est* et *rescierit.* Sed et illud respice, *Gra-*

Hoc si rescierit: eo domum studeo hæc, prius quam ille,
ut redeat.
PHID. Laches, et diligentiam vostram et benignitatem
Novi; et quæ dicis, omnia esse, ut dicis, animum induco:
Et te hoc mihi cupio credere: illam ad vos redire studeo.
Si facere possim ullo modo. LA. Quæ res te facere id
prohibet?
Eho! num quidnam accusat virum? PHID. Minime; nam
postquam attendi
Magis, et vi cœpi cogere, ut rediret, sancte adjurat,
Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.

causam laboro omni studio, ut Philumena prius ad ædes nostras redeat, quam ille. PH. *Laches, et sedulitatem vestram, et benignitatem compertam habeo, et omnia quæ dicis, certa et vera esse mihi persuadeo: etiam velim, hoc mihi credas: illa ut domum tuam revertatur, me operam dare, si ulla ratione id efficere valeam.* LA. *Quæ res te hoc facere impedit? Eho, an illa alicujus culpæ virum suum arguit?* PH. *Nullius; nam ubi rem diligentius consideravi, et vi aggressus sum eam, ut in tuam domum reverteretur, ipsa religiose jurat se non posse apud vos per absentiam*

vitér laturum credam. Credasne hunc accentum ab auctore esse, cum nullo negotio aliter potuit? *Neque adeo clam me est, quam esse eum laturum graviter credam.* Sed quid sodes illud est, 'Non clam me est, quam credam?' Quomodo *Clam* ei esse possit, quid ipse *Credat?* Recta erat locutio, *Non clam me est, quam graviter laturus sit:* ut infra IV. 1. 52. 'Non edepol clam me est, ut hic laturus hoc sit.' et And. I. 5. 52. 'Non clam te est, quam utræque res utiles sint.' Repone igitur, *Neque adeo clam te est, quam esse eum laturum graviter credam.* Bent. *neque adeo clamem nisi quia eum* Both. '*me* delet Bent. At sensus patet vulgatæ.' *Perl.* 'Si quid mutandum est, equidem corrigendum censeo *credas* cum interrogatione.' *Zeun.* —20 Guyetus, ut solet, in omnia alia abiens legit, *Eo demum studeo hæc, priusquam ille huc redeat.* Ut adeo 'Studeo hæc' sit, *ταῦτα σπουδάζω*, et subandiatur, 'lites componere.' Sic Galenus *θεραπευτικῶν* lib. IX. *Δοξοσοφίαν μᾶλλον ἢ ἀλήθειαν σπουδάζειν.* Quærit porro Guyetus, 'Quid hic *τὸ Domum* faciat, non video.' Immo vero, quid *τὸ* 'Demum?' 'Domum' ducta erat Philumena, 'domo' abierat, 'domum' ergo redire eam necesse erat. Unde aut vera est lectio, quam exhibui, aut quæ est in paucis Codicibus aliis, *Eo domum studeo hanc,* (sub. redire) *priusquam ille huc redeat.* West. In antiquiss. libris, Bem. et Vict. et Decurtato, pro, *huc redeat*, legitur, *ut redeat:* et est ordo; eo studeo ut hæc redeat domum prius quam ille. *Fa.* Nostri omnes *huc*, et Donatus cum Edd. vett. *Ut* a Correctoribus venit, qui nesciebant unum mendum corrigere, nisi inducendo alterum. Lege cum Edd. vett. *Hoc si rescierit: eo domum studeo hanc, priusquam ille huc redeat. Hanc*, non *Hæc:* et 'Redire,' 'Revocare' vel simile quid, ut passim, subauditur. *Bent.* sequitur Both. improbat Bip. *huc redeat* Bip. Br.—21. 22 Mss. duo *benignitatem quam exhibetis erga filiam meam* e gl. *Bœcl.* additur in Ms. R. et vett. libb. sed alia manu *quam exhibebis erga meam familiam.* Lind.—24 *Id facere te* Mss. duo apud Bœcl. tertius *te id facere*, et sic Br. Nostri meliores magno numero, *Quæ res te id facere prohibet?* Numeris paulo melioribus. *Bent.* sequitur Both.—25 *Accusaturum* Br. at scriptum habet, 'Al. *accusat virum.*'—28

Aliud fortasse aliis vitii est: ego sum animo leni natus:
Non possum advorsari meis. LA. Hem, Sostrata! SO.
Heu me miseram!
LA. Certumne est istuc? PHID. Nunc quidem, ut videtur:
sed numquid vis?
Nam est, quod me transire ad forum jam oporteat. LA.
Eo tecum una.

Pamphili permanere. Aliis hominibus aliud vitium a natura insitum est: ego sum miti animo a natura præditus; non possum repugnare voluntati meorum. LA. *Hem, Sostrata, tu mali tanti causa es.* SO. *Eheu me infelicem!* LA. *Certumne est istud, Philumenam non ad nos redituram esse, dum Pamphilus aberit?* PH. *Nunc sane, quantum possum prospicere; sed numquid vis? nam aliquid causæ est, cur me ad forum cito ire oporteat.* LA. *Illuc usque te comitabor.*

Mss. quidam et editi post EP. *alii.* West. Septem ex nostris *alii.* Recte. Et Lachetem ipsum intelligit. Sic etiam Don. legit; 'Mollius dixit *alii*, quam si *tibi* dixisset.' Hodie in Donato *Aliis* est editum: sed res ipsa refragatur. *Bent.* sequitur Both.—30 *Ita videtur* e Guelf. 1. Both. *quidem est* Guelf. 1. '*vis aliud* omnes Mss.' *Bœcl.*—31 *Oportet* G. Bip. Z. Br. Perl. Ex Bem. lego, *Nam est quod me transire ad forum jam oporteat.* LA. *Eo tecum una.* Ita etiam collocant alii omnes libri, et maxime antiqui, in quibus tamen scriptum est, *oportet:* versus est ejusdem cujus supra generis, et ipse habens Iambum in quarta; in quo tamen versu verbum *eo* in unam syllabam contrahendum est. *Fa.* Cetera recte, et nostris consentientibus. Sed *oportet* universi. Recte: volente ipso versu. Ut 'Est qui dicit,' et 'Est qui dicat,' æque bene dixeris, ita 'Est quod oportet' tam recte, quam 'Est quod oporteat.' *Bent.* *Una* deest in Br.

ACTUS II. SCENA III.

SOSTRATA.

ÆDEPOL næ nos sumus mulieres inique æque omnes invisæ viris,

Ædepol, certe nos omnes mulieres sumus pariter odiosæ viris, propter pauculas,

1 *Mulieres* delemus ex auctoritate Bem. quam dictionem alioqui nec oratio exposcit: utique enim subintelligitur, nec ratio trochaici admittit. *Fa.* Recte hic Bem. Et perperam altera Correctorum factio, qui *mulieres* retinebant, *inique* extrudebant; ut nostri fere omnes. *Æque inique*, ut Heaut. IV. 3. 7. 'Æque commode.' *Bent.* sequitur Bip. Both. Perl. *Inique* deest in Leidd. quatuor, Bodl. Tr. Ms. Lips. GM. Guelf. 1. Br. et omnibus apud Bœcl. necnon EP. at 'Junt. *mulieres sumus:* editiones Aldinæ varie, illa EV.

Propter paucas; quæ omnes faciunt dignæ ut videamur malo.
Nam, ita me Di ament! quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam.
Sed non facile est expurgatu; ita animum induxerunt, socrus
Omnes esse iniquas: haud pol me quidem; nam nunquam secus
Habui illam, ac si ex me esset nata; nec, qui hoc mihi eveniat, scio;
Nisi pol filium multis modis jam expecto, ut redeat domum.

per quas fit, ut omnes judicemur meruisse calamitates et infortunia; nam ita valeam, in eo quod mihi vir nunc imputat, culpæ expers sum et innocua: sed difficile est id, cujus me accusat defensione repellere et diluere; adeo viri sibi persuaserunt omnes socrus nuribus esse infestas et injurias; non pol ego quidem talis sum. Nam nunquam aliter cum ea egi, ac si mea filia esset; nec unde hoc malum mihi oriatur intelligo; nisi quod mirum in modum expecto reditum filii Pamphili.

3. ut Junt. at EV. 4. *æque sumus omnes.'* West.—2 Vel *malo;* (sic) Br.—3 O. l. s. et Don. *nam ita me di ament.* Fa. Nostri omnes *me di ament.* Et præterea pro *nunc vir*, Codex C. C. *vir nunc.* Recte, ut *Vir* sit in ictu. *Bent.* sequitur Both. *Nunc vir* Br. in textu, at scriptum exhibet, 'Al. *hic;' noxam* omnes apud Bœcl. Pall. duo.—4 Vel *induxerunt;* (sic) Br. *excusatu* Pal. 5. GM. *expurgatum*, in marg. 'Al. *excuvatum.* quorum alterutrum pro gl. poterit haberi.' *Perl.*—5 *Esse* deest in omnibus apud Bœcl. 'vel *iniquas?'* (sic) Br. Ex *quidem m* elidendum, licet consonans consequatur, ut sit dactylus in quinta sede hujus trochaici, cujus hæc pars est. *Fa.* Hoc usitatum et tritum est. *Bent.* *Pro me*, i. e. pro meo ingenio, pro meis moribus. *Both.*—6 *Eveniet* Codd. quidam. *West.* ita GM.—7 Guy. mallet *mirimodis:* in paucis Codd. est *multimodis.* West. et sic Bip. Perl. 'quia ex ratione versus est contractum:' 'Ex ratione versus, qui est trochaic. catalect. legendum *multimodis;* quam dictionem et in Andria reposuimus, ex Bem. ubi in vulgata lectione pariter erat *multis modis.'* Fa. 'Recte *multimodis;* nam nostri *multis modis.* Sed aliud restat aliquanto majus. Pro *exspecto*, lege, et sententia et versu gratulantibus, *expeto ut redeat domum.* Vide ad Eun. iv. 6. 5.' *Bent.* quem sequitur Both. et probat Perl. *Jam* omittit Ms. unus e Bœcl.—6 Pro *esset* Both. *sit.*

ACTUS III. SCENA I.

PAMPHILUS. PARMENO. MYRRHINA.

PAM. NEMINI ego plura acerba esse credo ex amore homini unquam oblata,
Quam mihi: heu me infelicem! hanccine ego vitam parsi perdere?
Haccine causa ego eram tantopere cupidus redeundi domum,
Cui quanto fuerat præstabilius, ubivis gentium agere ætatem,
Quam huc redire? atque hæc ita esse, miserum me resciscere?
Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus labos,

PAM. *Nulli hominum plures calamitates et molestias credo ab amore unquam allatas esse, quam mihi. Heu me miserum! tantane cura cavi, ne hanc vitam amitterem in itinere? An propter hanc causam tanta cupiditate desiderabam redire domum; cum mihi satius fuisset in quolibet alio loco vitam traducere, quam in hanc urbem reverti; quam hæc mala videntem intelligere, quam sim infortunatus? Nam nos omnes, quibus aliquo ex loco, vel occasione infortunium advenit, tempus quod*

1 *Plura ego* Br. Perl. Bodl. alter e Mss. Bœcl. alter omittit *ego;* Bœcleriani omnes *credo esse*, et sic Br. Delph. Bip. Perl. *esse credo;* Br. *hominum;* Guy. voces *homini unquam* pro gl. habet, improb. West.—1. 2 Prioris vs. verba alii libri scripti aliter collocant; sed nos antiquam lectionem et Donatum sequemur, in quibus hoc tantum ab impressa lectione variatur, quod in iis est, *credo esse:* sane hic versus, contracto in unam syllabam pronomine *ego*, ita ut *nemini ego* sit dactylus, est trochaic. tetram. acatalect. posterior vero versus, dictione *mihi* monosyllaba effecta, eademque per synalœphen elisa, et ipse trochaicus est, catalecticus tamen, ut sequentes: quartus vero et ipse trochaic. catalect. coalescentibus in unam syllabam duabus extremis syllabis in voce *gentium.* Fa. *Nemini ego plura acerba credo esse.* Sic dedit Faërnus. Nostri *credo esse;* sed iidem *Plura ego.* Repone, *Nemini plura ego acerba credo esse.* *Nemini* pronuntiatur hic διϲυλλάβωϲ, quasi esset *Nemni.* Sic Plaut. Pœn. v. 6. 11. 'Neminem venire, qui istas adsereret manu.' *Bent.* *Nemini acerba ego plura credo esse* Both.—2 *Pendere* in textu, at pro var. lect. *perdere.* Br.—3 *Eram ego* propter accentum Bent. *tanto opere* Bodl. Br. —4 Hic versus, octonarius plenus, Trochaicus semper est, nusquam Iambicus; nisi ubi, ut hic, mendum subrepsit. Tolle illud *Cui*, et substitue *Ah: redeundi domum. ah, Quanto fuerat:* quo pacto et metro, et loquentis simul affectui vim et spiritum addes. Sic Andr. ii. 1. 7. 'Nisi Philumenam. Ah, Quanto satiust.' *Bent.* illud *ah* nec unde nec quamobrem scio. *Perl.* *fuit* Guelf. 2.—3. 4. 5 Hoc tristichon ita in notis legi jubet Both. *Hacne ego causa eram — cui | Quanto — ætatem | Quam — resciscere | :* aliter in textu.—6 *Omnibus nam* vult Guy. Ordo est, *Lucro est nos omnes.* Sic libri plerique, et

Omne quod est interea tempus, prius quam id rescitum est, lucro est.
PAR. At sic citius, qui te expedias his ærumnis, reperias.
Si non redisses, hæ iræ factæ essent multo ampliores;
Sed nunc adventum tuum ambas, Pamphile, scio reverituras.
Rem cognosces; iram expedies; rursum in gratiam restitues.
Levia sunt hæc, quæ tu pergravia esse in animum induxti tuum.
PAM. Quid consolare me? an quisquam usquam gentium est æque miser?
Prius quam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum:

intercedit, donec id cognoscamus, in lucro ponimus. PAR. *At hoc modo, quia rediisti, citius te his calamitatibus liberare potes. Si tardius reversus esses; hæ iræ, quæ sunt inter matrem et uxorem tuam, vehementius exarsissent, et factæ essent multo graviores: sed nunc scio ambas reditus tui respectum habituras, ita ut altera alteram accusare vereatur. De controversia cognosces, iracundiam earum sedabis, rursus gratiam inter eas reconciliabis. Facilia sunt hæc, quæ magni ponderis, et difficilia esse tibi persuasisti.* PA. *Quid dolorem meum solari conaris? an quisquam hominum tam infelix est, ut ego sum? Priusquam hanc Philumenam in uxorem accepi, habebam in alia muliere animum amore occupatum; nunc in eo, quem*

sic Donatus: 'Hoc, ait, genus orationis absolutum dicitur. (Legendum opinor, *Solœcum dicitur.*) Tale est apud Virgilium (x. 244.) 'Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris, Ingentes Rutulæ spectabis cædis acervos.'' Ubi apud Servium quoque Velius Longus et alii Magistri legebant *spectabis.* Atqui et Virgilius *spectabit;* ut nunc codices vetusti; et Terentius, opinor, (neque enim sciens prudens *σολοικίζειν* maluit,) *Nam omnibus nobis, quibus est alicunde.* Ita codex ex Regiis unus; Duo alii *Nam nobis omnibus.* Infra III. 3. 20. 'Omnibus nobis ut res dant sese.' *Bent.* quem sequitur Both. et Perl. *nobis omnibus* A. in C. *omnes* super *omnibus* scriptum.—9 *Multo hæ iræ factæ fuissent ampliores* unus e Bœcl. 'Versus est troch. tetram. acatalect. si pro verbo *redisses*, in scansione sit *rediisses*, et in *hæ iræ* non fiat synalœpha.' *Fa.* 'Repone, *Si non rediisses hæc iræ: hæc* unus ex nostris, alter vetustus *hæ. Hæc* femininum pro *Hæ* jam sæpe habuimus.' *Bent.* sequitur Both.—10 *Reveritas* Ms. R. *Lind.*—11 *Iram expendes* excusum volui, sententiæ aptum, quodque liberat a crimine *ταυτολογίας* scriptorem eloquentissimum. *Both. Restitues rursum in gratiam* Delph.—12 *Sunt hæc* Perl. abest *hæc* a Bent. Bip. Both. Br. 'bona Mss. pars ut et edd. post EP. non agnoscunt *hæc:* unde Rivius delet, F. Fabric. tuetur.' *West.* *induxisti* Guelf. 3.—13 Ms. Lips. M. Bœnd. Bodl. *An quisquam gentium*, omisso *Usquam.* Ita et Hul. et omnes Bœcleri, cum Leidd. quinque, nisi quod in quinto *usquam* suprascriptum. Ex editis non agnoscunt EP. EV. I. Lugd. 1520. Est autem in Bœnd. Neque videtur abesse debere, et ob venustatis numeros, et metri rationem, quum octonarius sit versus. Et forte *ἄκυρον* est, 'Quisquam gentium;' ne-

Jam in hac re, ut taceam, cuivis facile scitu est, quam fuerim miser:
Tamen nunquam ausus sum recusare eam, quam mihi obtrudit pater.
Vix me illinc abstraxi, atque impeditum in ea expedivi animum meum;
Vixque huc contuleram; hem! nova res orta 'st, porro ab hac quæ me abstrahat.
Tum matrem ex ea re me, aut uxorem, in culpa inventurum arbitror;
Quod ita cum esse invenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser?

dico amore, etsi nihil dicam, quisque facili negotio rescire potest, quanta infelicitate pressus fuerim, ob ejus Bacchidis jurgia, et fastidia; tamen nunquam negare patri ausus sum, in uxorem accipere eam, quam mihi per vim ille objecit. Vix me amore Bacchidis avulsi, atque in ea devinctum animum meum liberavi, vixque amorem meum a Bacchide in hanc meam uxorem Philumenam transverteram; hem, recens factum deinde obvenit, propter quod invitus ab hac divertam. Præterea ex hac dissensione, me comperturum puto utrum mater mea, an uxor, sit ejus causa, et origo. Quod cum cognovero, quid mihi superest, nisi ut in posterum in miseriis et ærumnis

que enim 'Gentium' fere aliter quam adverbiis jungitur. Plaut. Mil. III. 1. 91. *West.* deest *usquam* in Br. GM. Hal.—15 Addo *est*, ex Bem. Vat. et Bas. quod et in Vict. erat, sed postea abrasum fuit. *Fa.* Tres ex nostris cum Edd. vett. *facile est scitu.* Concinnius paulo. *Bent.*—16 *Obtulit* V. C. *Lind.* et sic Guelf. 3. *obtrusit* Guelf. 1.—17 Hic versus potest utcumque sustentari, ut sit trochaic. tetram. hypercat. sed hujusmodi versus inter Iambicos non placet mihi. quare legerim, ut in Bem. *vix me illi abstraxi;* ita erit octonarius Iambicus, ut ceteri: *illi* autem, vel dativus erit, pro *ab illa*, vel adverbium de loco, sicut alibi in loco. *Fa.* Nostri *illinc.* Lege: *Vix me hinc abstraxi.* 'Hinc' ut v. 15. 'In hac re.' *Bent.* *In ea.* Lege, *in eo*, scilicet 'In eo amore impeditum,' non in ea Bacchide, ut v. 14. 'Habebam alibi animum amori deditum.' sic And. v. 1. 10. 'Adulescentulo In alio occupato amore.' *Bent.* In uno Mss. Leidensium est *illic.* In EP. *hinc.* Quod vero Faërnus ex Bem. legit *illi* pro *illinc*, idem est in editis quibusdam vetustis; sed et ita e quatuor Mss. Pall. edidit Pareus. Neque aliter legit Guyetus; qui tamen duos hosce versus spurios vocat, licet sine detrimento abesse non possint: pergit enim Pamphilus in iis narrare, quare nemo quisquam usquam gentium æque miser sit, atque ipse. Porro autem nihil obstat, *τὸ illi* esse pronomen in dandi casu, neque dicatur mox, *Vixque ad hanc contuleram*, sed 'Vixque huc contuleram;' ita enim And. II. 3. 12. *West.* *Abstraxi impeditumque expedivi* Both.—18 Omnia inter *porro* hic et mox repetitum omittit A.—19 *Me* deest in Bodl. Bœnd. et omnibus apud Bœcl. Br. et in R. teste Lind. Est in GM. pro gl. 'Bem. et Vict. hæc verba sic collocant, *tum matrem ex ea re me aut uxorem.*' Fa. Lege, *Tum aut matrem.* Bent. *Tam matrem* Both. quo judice *tum* est ineptum; 'nam nihil hic novi profertur, sed exsequitur modo dicta Pamphilus demonstratque causam angoris sui.'—20 Vere affirmat Rivius, exemplar vetus Venetum et Lugdunense legere: *Quæ quum ita esse in-*

Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet.
Tum uxori obnoxius sum; ita olim suo me ingenio pertulit:
Tot meas injurias! quæ nunquam in ullo patefecit loco.
Sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno,
Unde ira inter eas intercessit, quæ tam permansit diu.
PAR. Haud quidem hercle parvom, si vis vero veram rationem exequi:

vivam: nam, Parmeno, pietatis affectus requirit, ut injurias matris tolerem: deinde uxori devinctus sum: adeo mores meos diu sua mansueta natura usque ad finem tulit; cum injurias, quibus eam affeci, semper celavit, nec usquam declaravit: sed ingentes causas oportuit natas esse, Parmeno, propter quas adeo tanta iracundia inter eas intervenit, quæ adeo diuturna ad hanc diem perseveravit. PA. *Non equidem parvas causas necesse est evenisse; verum si vis rectam rationem putare, aliquando*

venero. Addo etiam, Hul. ita exhibere, *q' cum ita ē ē invenero.* Est vero in eo Codice *q'* nota vocis *quæ*, *qd* valet *quod*. In plerisque autem Codicibus est *Quod*. In Bœnd. *Quæ*. Westerhovius. *Quod cum ita* omnes apud Bœcler. Bruns. *quod ita cum invenero* Bothius.—21 *Perculit* Bothius.—23 Ita lego et distinguo. Qui vero junctim ediderunt, *Tot meas injurias quæ numquam*, iis τὸ *Quæ* videtur esse Philumena. Sed tu cogita, lector, quantum emphasi decedat hoc pacto. Vide Donatum, oppido erudite hæc expedientem. Et in editione Argentinensi, anni 1496. voci *Quæ* diverso charactere additum, *a se tolerata omnia.* Sunt autem Mss. et editi quidam, in quibus est *Numquam ullo.* Quomodo et Donatus. *West.* Donatus: 'Non dixit *Quas* sed *Quæ*: ut ad omnia, non ad Injurias referatur extrema conclusio.' Fallit magnus Magister: *Quæ* enim non est Neutrum plurale, sed singulare Femininum, *Quæ numquam patefecit tot meas injurias.* Porro tres ex nostris *numquam ullo*, non *in ullo.* Repone, *Numquam nullo patefecit loco.* Bent. Grammatices ratio postulat *quas*, sed maluit Terentius *quæ* dicere, ut conclusio ad omnia referatur. Vid. Donat. ad h. l. et est hæc generis mutatio satis usitata: v. Broukhus. ad Propert. I. 18. 23. *R. D. Tot meas quæ nunquam injurias* Both. *nunquam in illo* A, Br. *nunquam in nullo* C, Gu. 1. Hel. quod ferri potest, judice Both. *nunquam nullo* Perl.—24 *Evenire* in textu, pro v. l. *evenisse* Br. *venisse* Gov.—25 *Inter eas* duo Mss. e Bœcl. omittunt.—26 Mss. et editi veteres varie: *Haud quidem hercle parum est.* vel *Haud quidem hercle parvom est.* vel *Haud hercle quidem parvom.* vel *At quidem hercle parvom.* Quæ posterior lectio cum magis opposita est Pamphilo, tum magis conveniens ratiocinationi Parmenonis. Fortasse tamen locus distinctione possit juvari, ita: *Haud hercle quidem. parvom est, si vis vero veram rationem exsequi.* Ut sensus sit, 'Hercle quidem haud magnum quid necesse est evenisse.' *West. Hoc hercle quidem parum est* conjecit Gov. 'Ex Bem. et aliquot aliorum auctoritate, itemque Donati, delemus verbum *est*, et pro *parum*, scribimus *parvom*, quod et alii libri habent, et idem Donatus; licet per duo *u* scriptum: sane qui expositionem Donati super hoc verbo *parvum* consideraverit, intelliget eum affirmative legere, non negative. ex quo conjecit Lolgius legendum, *At quidem hercle parvum*, ut subaudiendum sit ex sententia Donati *evenit*: nam si negative legas, pugnabit cum consequente sententia, et cum eo quod infra dicit, *Fortasse unum aliquod verbum;* quam et ego conjecturam probo, eo magis quod in meo quodam libro scriptum erat *aut.* ut facilis lapsus fuerit per adjectionem unius litteræ ex *at* in *aut.* Hujus autem

Non maxumas, quæ maxumæ sunt interdum iræ, injurias
Faciunt; nam sæpe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est;
Cumde eadem causa est iracundus factus inimicissimus.
Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt!

contingit ut ingentes iræ non sint causæ ingentium injuriarum: nam sæpe evenit, cum iracundus, qui ad iram propensus est, sit infensissimus ex eadem causa, ex qua alius, in iisdem rebus, ne minimum quidem ira commoveatur. Quam pueri inter sese pro levibus offensionibus iras exercent? PAM. *Quamobrem?* PAR. *Quia*

versus prima syllaba præcedenti attribuitur, ut versus sint octonarii Iambici quadrati.' *Fa.* 'Nostri *Haut.* Sed quid est, *Si vis vero?* Donatus: '*Vero* vel nomen est, vel Conjunctio, vel Adverbium.' Nonne hæc loco obscuro magnam lucem inferunt? Quid porro est, *Veram rationem exsequi?* quis sic locutus est? Vide an rem ipsam conjectura tetigerim: *Aut quidem hercle parvom; si vis veram verba ad rationem exigi.* Dixerat Pamphilus, *Magnum quid evenisse;* respondet servus, Aut quidem *Parvum*, si veris suis nominibus res appellari vis; si vis verba exigi ad veram rationem: ut Cicero 'Exigere columnas ad perpendiculum,' et Ovid. Met. IX. 500. 'quid ad cœlestia ritus Exigere humanos diversaque fœdera tento?'' *Bent. Aut* Bip. quo judice 'temere mutat Bent.' 'Donatus ad *vero* adhæsit. Videtur autem vel pro ἀληθινῶς dictum, vel pro, *ex veritate.* Conjunctio minime placet. Guyetus τὸ *Exsequi* interpretatur *narrare*, διηγεῖσθαι. Ita Phæd. III. 10. 59. 'Hæc exsequutus sum propterea pluribus.' Ubi vide Schefferum. Dubium autem nullum est, quin valeat, *putare rationem, cogitate meditari.* Ita Plautus, Mil. III. 3. 71. Livius sæpius.' *West. At quidem here (pravom si vis verbum veram ad rationem exigi)* Both. *Haud* et *parvum* omnes Mss. apud Bœcl. unus *equidem; parvum est* Delph.—27 *Nam maximæ,...injuriæ* vult Gov. 'Non est ferendus Guyetus, legens, *Non maxumæ sunt, maxumas quæ interdum iras injuriæ faciunt.* Manifesta ὑπαλλαγὴ est, inverso rerum et verborum ordine. Sensus est: 'Non maxumas, quæ maxumæ sunt interdum injuriæ, iras faciunt.' Quod et Donatus observavit. Unde adeo non placet, τὸ *faciunt* a Mer. Casaubono et Bœclero post Donatum verti per 'ostendunt, factas arguunt.' 'Injuriæ faciunt iras' simpliciter dictum, pro, 'efficiunt, gignunt, conciliant.' Sic mox v. 33. 'Iram hanc conciverit.' *West.* Sic hodie libri omnes: prorsus contra loci sententiam. Donatus: 'Injuriæ faciunt iras, non iræ injurias; sed hic ὑπαλλακτικῶς dixit. Alii, Faciunt, pro probant, ostendunt.' Atqui quis sanæ mentis scriptor *Faciunt* hic posuisset pro *Ostendunt?* Aut quo modo, si Hypallagen nomines, continuo ex atris alba fient? Repone, *Non maxumæ, quæ maxumæ sunt interdum iræ, injuriæ Faciunt.* Hellenismum, credo, agnoscis; *Iræ* pro *iras;* quo nomen sequitur casum pronominis. Ut And. Prol. 'Populo ut placerent, quas fecisset fabulas:' pro *Fabulæ:* sic contra hic *Iræ* pro *Iras;* quia hic *Quæ* pronomen est, ibi *Quas.* Sic mox v. 31. 'Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.' *Animus* pro *Animum* propter pronomen *Qui.* Bent. 'temere' Bip. at Bent. sequitur Both. 'Bentleii mire mutata prætereo.' *Perl.*—28 *In quibus* Guelf. 2.—29 *Factus alter inimicissimus* Mss. quidam et impressi. *West. Causa ille qui est ir. fa. est inim.* Guelf. 3.—30 *Noxiis* exigit ratio octonarii, et ita est in multis libris, et in iis Bem. Vict. Bas. et Do. *Fa.* Nostri etiam plerique *Noxiis.* Sed insuper repone, magno sententiæ incremento, *Pueri inter sese quas pro levibus noxiis iras gerunt?* Bent. probante Perl. *Pueri pro levibus*

Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Itidem illæ mulieres sunt ferme, ut pueri, levi sententia.
Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit.
PAM. Abi, Parmeno, intro, ac me venisse nuntia. PAR. Hem! quid hoc est? PAM. Tace.
Trepidari sentio, et cursari rursum prorsum. PAR. Agedum, ad fores.

certe, mens, quæ eos ducit, debilis et inconstans admodum est: similiter illæ mulieres sunt fere, ut pueri, levi voluntate, et opinione: fortasse unum nescio quod verbum hanc simultatem inter eas excitare potuit. PAM. *Abi, Parmeno, domum, in qua est Philumena, ac me ex Imbro rediisse refer.* PAR. *Hem, quid hoc est, quod audio?* PAM. *Sile, audi diligenter.* PAR. *Voce tremula timorem indicari percipio, ab iis, qui intus sunt, et hac et illac discursari ante, et retro.* PAM. *Agedum*

noxiis inter se quas Both.—31 In Codd. quibusdam Pamphilo tribuitur *quapropter*. West. sic Delph. *Eum infirmum* Guelf. 3.—32 Nisi quis *mulieres* trisyllabum faciat, eliso medio *e*, versus non constat. sed judicio meo delendum esset *τὸ illæ*, quod alioqui non modo non adjuvat sensum, sed ei etiam incommodat. *Fa.* Immo alia via servatur rythmus. *Levi* hic monosyllabon est, ut alibi *Novo:* quod facile feres, si pronuntiaveris eo quo veteres sono, *Lewi, Nowo*. Bent. *Leve* in ablativo pro *levi* Both.—33 *Verbulum* duo Mss. apud Bœcl. 'Vides in *Iram* synalœpham negligi, contra morem et legem. Guyetus, *hanc irám conciverit*. Sed ille ad digitos pedes numerabat; accentuum ignarus et securus. Edd. vett. *inter eas iras has:* sed tria homœoteleuta parum concinne veniunt; et præterea codicum quicquid ubique est *iram hanc*. Donatus ad locum: 'Legitur et *Conscivisse* (lege *Concivisse*). Sic Plautus: 'Fortasse te amare suspicavere.' Nam veteres infinitivo modo adjungebant Fortasse.' Plauti locus hodie non extat; sic tamen corrigendus, *Fortasse tete amare suspicarier*, ut Pœn. v. 2. 44. 'Fortasse medicos nos esse arbitrarier.' Noluerunt Magistri pueros suos obsolete loqui; sed vel versus dispendio Infinitivum mutarunt. Revocemus vero denuo, *Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc concivisse, ere*. Addidimus *ere*, versus quidem causa; sed, ut puto, verissime. Nam qui existimabat, *concivisse* per se adscito, fore Iamb. Tetram. Catalect. is nesciebat quid sit ejusmodi Iambicus.' *Bent.* 'Donatus legit *concivisse*, quæ verior lectio est. Nam veteres 'fortasse,' 'scilicet,' 'videlicet' cum infinitivo construebant: vid. Gron. Obs. III. 9. et notata ad Heaut. II. 3. 117.' *R. D.* *Concitaverit* e margine C. edidit Both. 'Quia Donatus ad hæc notat: 'Sic Plautus, 'Fortasse te amare suspicabere.' nam veteres infinitivo modo adjungebant, *Fortasse*,' et Terentii et Don. lectio merito sollicitatur. In illo pro *Conciverit* sunt qui legunt, *Concivisse*, vel *Conciisse*. Posterius Gronovio placet, Observ. III. 9. qui et *suspicabere*, quod tamen *suspicavere* legitur in plerisque Codd. antiquis, restituit *suspicari*. Malim, *suspicarier*, utpote propius accedens ad vulgatam lectionem, et magis Plautinum.' *West.*—34 *I, Parmeno* vult Palmer. in Spicileg. p. 123. *est* delet Both.—35 G. Fabricius *Tace* Pamphilo tribuit, ad servum, reliqua Parmenoni. donec Pamphilus rursus, *Noli*. In aliis Codd. ita: PAR. *Trepidari sentio, et cursari rursum prorsum.* PAM. *Agedum, ad fores accede propius.* PAR. *Hem. sensistin?* Rursum in aliis, uti edidi, nisi quod illa, *Sensistin'?* Parme-

Accede propius. Hem! sensistin'? PAM. Noli fabularier.
Pro Jupiter! clamorem audio. PAR. Tute loqueris: me vetas.
MY. Tace, obsecro, mea gnata. PAM. Matris vox visa 'st Philumenæ.
Nullus sum. PAR. Qui dum? PAM. Perii! PAR. Quamobrem? PAM. Nescio quod magnum malum
Profecto, Parmeno, me celas. PAR. Uxorem Philumenam

ad ostium aures propius admove. PAR. *Hem, ecquid audivisti?* PAM. *Noli garrire. Proh, Jupiter! vociferationem audio.* PAR. *Tu ipse, Pamphile, loqueris, et loqui me prohibes?* MYR. *Vocem supprime Philumena, ne hoc factum resciscatur.* PAM. *Puto me audivisse vocem Myrrhinæ matris Philumenæ. De me actum est misero.* PAR. *Cur de te actum est?* PAM. *Quia dolore confectus sum ad mortem usque.* PAR. *Quam ob causam?* PAM. *Nescio quod grave exitium mihi occultant.* PAR. *Uxorem tuam Philumenam pavidam, nescio quid horrere mali, et*

noni tribuuntur. *West.* In Mss. nostris personæ ita distinguuntur, PAM. *tace.* PAR. *trepidari sentio et cursari, &c.* PAM. *agedum, &c.* PAR. *hem sensistin?* Bœcl. qui tamen alio loco testatur unum e Mss. suis omittere *prorsum* et alterum legere *rursum*. PAM. *prorsum, &c.* Personarum varietatem notat Br. suo 'vel Pamphilus;' in textu exhibet, PAR. *hem.* PAM. *quid hoc est?* PAR. *tace; Trepidari...agedum...*PAM. *noli fab.* et sic Gifanius ad Lucret. Indic. v. Plus, excepto quod ad finem sic ordinat, PAM. *hem.* PAR. *sensistin'?* PAM. *noli fab.* '*Age dum ad fores accede propius.* PAR. *hem, sensistine*] Hæc omnia adscripta sunt in Bem. Parmenonis personæ: in eo tamen pro *accede*, legitur *accedo*, et pro *sensistine*, *sensistin*, quod posterius in omnibus libris est: est autem *age dum*, vox se ipsum hortantis ad exequendum erile mandatum.' *Fa.* 'Nostri *accede*.' Bent. '*Rursum prorsum.* Hæc varie leguntur in Codd. Mss. et impressis: *Sursum prorsum: Rursum orsum: Orsum sursum: Sursum deorsum prorsum: Sursum rursum prorsum.*' West. *Horsum sursum* B. *orsum sursum* Hel. *sursum prorsum* C. et Lind. *sursum deorsum* Gu. 1. *horsum rursum.* PAR. *prorsum agedum.* Guelf. 1. *sursum deorsum* Guelf. 3.—37 *Pro! Jupiter* Myrrhinæ tribuit Palmer. l. c. In Bem. et Vict. est *audivi:* ut et exigit versus. *Fa.* Nostri perperam *audio*. Bent. *Audivi* probabilem lectionem Be. parum sibi constans reliquit; cf. Andr. I. 4. 1. *Perl.*—38 Quidam Mss. et edd. hic novam scenam incipiunt. *West.* et sic Hel. *vox ea est* Both.—39 PAM. *nullus sum* Palmer. l. c. *quid dum* duo Mss. e Bœcl. et sic Guelf. 3. *quia perii* omnes Mss. apud Bœcl. 'Lips. Bodl. G. EP. ET. quomodo et Dacieria edidit; quanquam nec sensum juvat, et versum impedit, nec stilum Terentianum sapit.' *West.* 'Aliqui libri, inter quos Bem. non habent *quia*, quod nec sensum juvat, et impedit versum, quem nos hoc modo ordinamus, ut sit tetram. Iambic. acatalect. *Nullus sum.* PAR. *qui dum?* PAM. *perii.* PAR. *quamobrem.* PAM. *nescio quod magnum malum.* Fa. In nostris male *quia*.' Bent. *quia* Br. GM.—40 *Me celas.* Ita in Mss. Leidd. quatuor: in quinto, Bœnd. et Bodl. *Me celant.* quod defendit Palmerius l. c. Atqui neminem etiam convenerat Pamphilus, nec parentes, nec uxorem, nec soceros, postquam egressus erat e navi. Videtur autem solus Parmeno incusari. quomodo continuo post,

Pavitare, nescio quid, dixerunt: id si forte est, nescio.
PAM. Interii! cur mihi id non dixti? PAR. Quia non poteram una omnia.
PAM. Quid morbi est? PAR. Nescio. PAM. Quid? nemon' medicum adduxit? PAR. Nescio.
PAM. Cesso hinc ire intro, ut hoc quamprimum, quicquid est, certum sciam?
Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam affectam?
Nam, si periculum ullum in te inest, periisse me una haud dubium est.
PAR. Non usus facto est mihi nunc hunc intro sequi:
Nam invisos omnes nos esse illis sentio.
Heri nemo voluit Sostratam intro admittere.

prætimere mihi relatum est. Id si forte est, propter quod clamitavi, ignoro. PAM. *Perii; cur de hac re me non monuisti.* PAR. *Quia non poteram omnia simul tibi dicere.* PAM. *Quo morbo laborat?* PAR. *Istud ignoro.* PAM. *Quid ignoras? nullusne medicus ad eam curandam vocatus est, ex quo id cognoscere posses?* PAR. *Ignoro, an medicus ei affuerit.* PAM. *Nimis tardo in domum socrus ire, ut hoc quam cito, quodcumque potest esse, pro certo comperiam: quonam modo, Philumena mea, te inveniam in reditu a morbo tentari: nam si tantulum periclitaris, certum est me in eodem versari periculo.* PAR. *Non utile factis mihi nunc est hunc in domum intro comitari; nam nos exosos omnes illis, matri et filiæ scilicet, esse intelligo. Hesterna die nemo ex familia ista voluit Sostratam matrem Pamphili, socrum Phi-*

‘Cur mihi id non dixti?’ Guyetus locum intactum reliquit. Ex impressis *Celas* exhibent Juntæ, Aldus, St. alii. Sed et Fabrini, notans, *Diceva cosi Pamfilo, perche egli credeva, che Parmenone sapesse qualche cosa.* EA. *Nescio quod magnum malum profecto Parmeno me celat.* ut hæc aversus ad spectatores videatur dixisse Pamphilus. *West.* Vett. omnes et Ms. R. *me celant.* Lind. Nostri omnes *celant*, nisi quod unus *celat.* Bent. *Celant* Bip. ubi notatur, ‘alii contra fidem Mss. opt. edidere *celas.* Eligant lectores:’ *celant* Both. Br. *celas* Perl. *uxorem enim Phil.* Both.—42 *Cur id mihi non* duo Mss. e Bœcl. et sic ‘lege ex nostris fere omnibus.’ *Bent.* quem sequitur Both. Br.—43 Bem. Bas. Vat. et Vict. *nemon.* Fa. Nostri quoque *nemon.* Bent. In libb. antiq. expressius *nemone.* Perl.—44 Bem. et Vict. *certo.* Fa. Nostri *certum.* Bent. *certo* Bip. Both.—46 *In te est* Mss. quidam et editi post EP. ita quoque ‘aliqui libri habent: Bem. vero, *ullum inest;* Vat. Bas. et alii, ac Do. *ullum in te inest;* quam et veram lectionem arbitramur; et ex Vat. et Bas. legimus *periclum.*’ Fa. ‘Concinnius id, quo Bem. nos ducit, *Nam si periclum in te ullum inest.*’ Bent. *In te ullum inest* Bip. cum nota, ‘alii ordinant *ullum in te*, quod minus concinnum.’ GM. *ullum in te.* Perl. *in te ullum.* Guelf. 2. *nullum.*—47 Hic incipit Scena 2da in Bip. *hunc* abest a Guelf. 1.—48 *Nos* deest in EP. *omnes nos invisos* GM.—49 C *Sostratam ipsam.* gl. est nomen; siquidem ipse, ipsa passim audiunt domini servis, magistri discipulis, ut Græci dicunt *αὐτός.* Both. qui edidit *heri ipsam nemo voluit intro admittere.* ‘Codd. quidam *here* legunt, quod comicum est.’ *West.* ‘Pall. *here*, quod Festo placet pro *heri.*’

Si forte morbus amplior factus siet,
Quod sane nolim, maxume heri causa mei,
Servom illico introisse dicent Sostratæ;
Aliquid tulisse comminiscentur mali,
Capiti atque ætati illorum! morbus qui auctus siet.
Hera in crimen veniet, ego vero in magnum malum.

lumenæ in ædes intro admittere. Si forte morbus ejus gravior factus fuerit, quod abominor, maxime propter Pamphilum herum meum, statim dicent servum Sostratæ intro ingressum esse, aliquid confingent noxium illum attulisse vitæ illorum et annis ætatis exitiosum, quo morbus accreverit: unde hera Sostrata crimine accersetur: ego vero in quæstionem postulabor.

Perl. *Intromittere* Bodl. EP. omnes Mss. apud Bœcl. Br. GM. unde Perl. recepit.—51 *Heri* deest in Ms. Lips. Both.—52 *Introisse.* Scribe *introiisse.* Medium enim *o* eliditur; perinde ac si duobus verbis scriptum sit *Intro Isse.* Bent. *Dicerent* Mss. omnes. *Bœcl.* ‘A *dicant.*’ Both.—53 *Comminiscantur* Both.—54 *Capiti atque saluti* vult Gov. ‘Ex ratione versus legendum videtur *sit;* nisi quis velit *siet* monosyllabum facere, quod est durum, præsertim in fine versus.’ *Fa.* ‘*Auctus siet. Sit*, et pronuntiandum et scribendum.’ *Bent.* et sic Perl.—55 *In crimen.* Tr. *in crimine.* Leidenses omnes, *in crimen.* Atque ita Mss. reliqui, nisi quod Bœnd. et M. *in litem* legunt. Ita ex editionibus, Argent. Lugd. Tarv. Anon. Veneta, aliæ. Et forte ita legit Donatus. *West.* *Era in crimen veniet, ego vero in magnum m.*] Arbitror ex priore *in*, *n* elidi, ut sit in prima sede anapæstus. *Fa.* Unus *ego autem in.* Bœcl.

NOTÆ

55 *Hera in crimen veniet*] Veneficii accusabitur.

Ego vero in magnum malum] Quæstionis tormentis subjiciar scilicet. Servos torqueri olim, quibus sine quæstione nihil credebatur, usitatissimum fuit; nec solum alienos, sed etiam nostros, qui vocabantur interdum in testimonium contra nos, non temere tamen, nisi in causa fraudati tributi, et aliis quibusdam.

ACTUS III. SCENA II.

SOSTRATA. PARMENO. PAMPHILUS.

SO. NESCIO quid jamdudum audio hic tumultuari misera:

So. Nescio quid jampridem hac in domo Phidippi strepitus et tumultus fieri

1 Ordo verborum alius est in o. l. s. et Donato, in hunc modum, *jam dudum audio hic.* quod et numerosius est: facit enim Iambum in quarta sede versus, qui est Iambicus tetram. catalect. *Fa.* Eodem ordine nostri, *audio*

Male metuo, ne Philumenæ magis morbus aggravescat;
Quod te, Æsculapi, et te, Salus, ne quid sit hujus, oro!
Nunc ad eam visam. PAR. Heus, Sostrata! SO. Ehem!
PAR. Iterum istinc excludere.
SO. Ehem! Parmeno, tun' hic eras? perii! quid faciam misera?
Non visam uxorem Pamphili, cum in proxumo hic sit ægra?
PAR. Non visas? ne mittas quidem visendi causa quenquam:
Nam qui amat, cui odio ipsus est, bis facere stulte duco:
Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam affert.
Tum autem filius introiit videre, ut venit, quid agat.
SO. Quid ais! an venit Pamphilus? PAR. Venit. SO. Dis gratiam habeo.

audio. Valde timeo ne Philumenæ morbus gravior fiat: quod te, Æsculapi Medicinæ præses, teque Salus, Dea sanitatis, ut nihil tale accidat, precor. Nunc ibo ad videndam eam. PAR. *Heus, Sostrata.* SO. *Ehem!* PAR. *Secundo prohibeberis ingressu istarum ædium.* SO. *Hem, Parmeno, tune hic eras? perdita sum: quid ego faciam infelix? An non ibo ad videndum Philumenam uxorem Pamphili, cum in proximis his ædibus jaceat ægrota?* PAR. *Noli ire, nec mittas etiam ullum qui a te eam invisat: nam qui amore prosequitur eum, cui invisus et odiosus est, bis inepte se gerere arbitror: vanum laborem ipse sumit, et illi, quem amat, a quo non redamatur, tædio est, et importunus. Filius etiam tuus ingressus est ad eam, postquam huc ex itinere rediit, ut videat quomodo illa se habeat.* SO. *Quid ais? an advenit Pamphilus?* PA. *Advenit.* SO. *Diis gratias habeo pro ejus adventu.*

hic. Bent.—3 *Ejus* Ms. unus. *Bœcl.*—4 GM. *adeam*, quasi unum esset verbum, cum gl. *pergam:* sed non intellexit interpres; cf. I. 2. 114. *Perl.* Eandem gl. et Br. *excludere?* (sic) legit Bent.—6 *Num* Br. e pr. m. e 2da *nam*, in marg. *num.*—7 *Non vises* Both. quia *non visas* est 'pene solœcum;' *nec mittas* EP. 'Non fere invenias librum scriptum, in quo pro *nec*, non sit *ne*.' Fa. 'Nostri quoque *ne*. Et lege *Non visas?* Interrogative.' *Bent.* *Nec* Br. ex emend. *mittes* Both.—8 *Qui illum* Guelf. 2. *dico* Gu. 1. 'quod haud deterius.' *Both.* 'Itidem Pall. tres apud Pareum; perperam.' *Perl.*—9 *In arcem ipsus* Guelf. 3.—10 Et hic quoque numerosiorem lectionem habent o. l. s. et Donatus, *Tum filius tuus i.* Fa. Sic et nostri omnes. *Bent.* Consentit ed. Arg. cum figg. Erasmus dedit *tum autem filius introit*, quod et hodie alii male sequuntur; immo alii *tum autem filius tuus introit*, unde versus redundat. *Bip.* *Filius* sine *tuus* Junt. EV. 3. Ste. Dac. *West.* Nostri quoque omnes *tum filius tuus:* vulgo ἀμέτρως *tum autem filius, &c.* Both. qui edidit *tum filius tuus introit, quid agat, videre, ut venit:* 'abest a GM. aliisque probatis *autem*.' Perl. *tunc* Br.—11 Versus esse debet Iamb. tetram. catalect. ut ceteri; quare ex o. fere l. s. ita legimus, *Dis gratiam habeo.* Fa. Unus et alter ex nostris *gratiam habeo:* reliqui *gratias.* Bent. *gratias* Bodl. Bœnd. Gr. EM. EA. Junt. Ste. Pulmannus, alii: sed *gratiam* tuetur Muret. ne versus sit acatalect.

Hem! istoc verbo animus mihi rediit, et cura ex corde excessit.
PAR. Jam ea de causa maxume nunc huc introire nolo:
Nam si remittent quidpiam Philumenæ dolores,
Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli,
Quæ inter vos intervenit, unde ortum est initium iræ.

Hem, dicto tuo de adventu filii refecta et recreata sum, et anxietas ex animo recessit. PA. *Propterea te præcipue has ædes ingredi, non suadeo tibi: nam si morbi dolor Philumenam relinquat, et intermittatur, non dubium est mihi, quin Pamphilo totam rei seriem exponat, et recenseat confestim remotis arbitris, præsens præsenti, quæ inter te et eam iracundia intercessit, et ex qua re odii origo fluxit. Ecce hic*

Utraque lectio Plautum habet auctorem. *West.* *gratias* Br.—12 *Rediit animus, cura* Both. *recessit* Br.—13 M. et Bœnd. *Ita ea causa.* quomodo ex impressis Argent. Lugd. uterque Venet. alii. sed EA. Ald. Steph. et Junt. *Jam ea te causa.* West. et *jam ea te* Bip. Br. '*nunc intrare* duo Mss.' *Bœcl.* 'Hic quoque o. l. s. ita collocant, *nunc huc introire nolo:* ita *introire* trisyllabum erit.' *Fa.* 'Nostri quoque omnes *nunc huc*.' Bent. *jam te ea de causa* Both. *ea te ex causa* Guelf. 3.—14 Ita est in Mss. Leidd. quatuor, sed et Tr. et duobus Mss. Donati. Et ita e Diomed. lib. III. laudat Fr. Fabricius, defendit Guyetus, quanquam Mss. alii cum edd. Juntarum, Aldi, Stephani in eleganti editione, anni 1540. formæ minimæ, EA. *Philumenam* præferunt. Prior lectio Latina magis videtur, estque in edd. Argent. Lugd. Steph. anni 1536. Pict. aliis. Atque eodem sensu Celso 'dolor se remittere' dicitur. Plato Legib. VIII. Καὶ ἐὰν μέν σοι δρῶντι λωφᾷ τι τὸ νόσημα. Soph. Philoct. 760. ἕως ἀνῇ Τὸ πῆμα τοῦτο τῆς νόσου τὸ νῦν παρόν. Sic venti et imbres 'remittere' dicuntur. *West.* V. C. *Philumenam.* Lind. Etiam nostri codd. *Both.* sic et Br. Perl. Donatus legit *Philumenæ:* dicens, 'remittent, verbum activum, positum esse, quasi neutrum.' Ita etiam legit Rufinus in libro de metris comicis: itaque etiam scriptum videtur fuisse in Vict. sed deinde mutatum in lectionem vulgatam. *Fa.* *Philumenam dolores.* Sic plerique nostri; unus tantum Regius *Philumenæ.* Donatus posterius recipit; et certe, 'dolor,' 'morbus remittit,' passim occurrit. Tamen ob id quod sequitur, *Philumenam* hic adscisco. *Sola soli*, inquit, *narrabit.* Si *Philumenam* scribis, ea est ista *Sola:* sin *Philumenæ*, quæ ista *Sola* sit, nescias. *Bent.* *Philumenæ* Bip. quo judice 'plenius Latini 'se remittent,' unde abnorme est quod alii et ipse Bent. præferunt *Philumenam.*' 'Duplex hujus loci lectio est. *Si remittent quippiam Philumenæ dolores*, et *si remittent quippiam Philumenam dolores.* Si priorem lectionem sequamur, *dolores remittent* significat leniores fient, sedabuntur, pronomine *se* subintellecto, quod sæpe additur. Cic. in Orat. c. 34. Sin posteriorem lectionem, quæ pluribus auctoritatibus nititur, præferamus, *dolores remittent Philumenam* significat, dolores relinquent Philumenam.' *R. D.*—16 Ita edo ex omnibus Mss. meis, etiam utroque illo Donati; itaque legunt editiones, EA. Lugd. Argent. Juntarum, Aldi, Stephani, Pulmanni, Fabrini, aliæ. Faërnus ex Bem. *intervenerit* tuetur; quod nuperi editores sunt sequuti. In altero Mss. Donati est, *quæ inter vos venit.* West. Bem. *intervenerit.* ita sine ulla licentia procedit versus. ita etiam prius videtur fuisse in Vict. cui nimis sæpe scioli manus admoverunt. *Fa.* Nostri *intervenit.* Sed adhuc restat, quod Bembino suppetias ferat. Repone, *Quæ inter vos intervenerint; unde ortum est initium iræ.* 'Quæ' enim non refertur ad 'Rem;' sed est neutri pluralis. 'Omnem rem narrabit; Quæ inter vos intervenerint, narrabit.' Neque aliter Donatus olim legebat: '*Quæ inter vos intervenerit.* Melius sic, quam

Atque eccum video ipsum egredi: quam tristis est! So. O mi gnate!
PAM. Mea mater, salve! So. Gaudeo venisse salvom: salvan'
Philumena est? PAM. Meliuscula est. So. Utinam istuc ita Di faxint!
Quid tu igitur lacrymas? aut quid es tam tristis? PAM. Recte, mater.
So. Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repente invasit?
PAM. Ita factum 'st. So. Quid morbi est? PA. Febris. So. Quotidiana? PAM. Ita aiunt.
I, sodes, intro; consequar jam te, mea mater. So. Fiat.
PAM. Tu pueris curre, Parmeno, obviam, atque his onera adjuta.
PAR. Quid! non sciunt ipsi viam, domum qua redeant? PAM. Cessas?

cum video exire e domo socrus suæ: quam tristis vultu apparet! So. *O mi fili, gaudeo te salvum advenisse.* PA. *O mea mater, salve.* So. *An bene valet Philumena?* PAM. *Aliquanto melius se habet.* So. *Dii velint ita esse ut dicis. Quare ergo, si meliuscule valet, lacrymaris? aut quid es tristis?* PAM. *Nihil est, mater.* So. *Quid modo tumultuatum fuit in istis ædibus? dic mihi, an improvisus dolor Philumenam corripuit?* PH. *Ita accidit.* So. *Quod genus morbi est?* PAM. *Febris.* So. *An quotidiana est?* PA. *Ita vulgo dicunt. I, quæso, domum intro: consequar mox te.* PAM. *Tu, Parmeno, curre obviam servis afferentibus onera et sarcinas e navi, et eis adjumentum præbe.* PAR. *Quid opus est me his occurrere? nonne sciunt viam, per quam domum redeant?* PAM. *Quid tardus, cunctaris ire, quo dico?*

si diceret, *Quæ illi feceris.*' Satis opinor, constat, (etsi hodie hic *intervenerit* editum sit,) *Quæ* hic numero plurali accepisse Donatum, et proinde *intervenerint* legisse: quod et versus ipse postulat. *Bent.* quem sequitur Both. '*intervenerit* Bem. ediditque Fa. et sic refer ad 'rem.' Alii *intervenit,* quod melius referatur ad sequens 'iræ.' Bent. suapte libidine jubet *quæ* esse neutrum plur. et facit *intervenerint.*' Bip. 'Probat. indicativus, uti al. habent.' *Perl.*—17 *Ipsum video*, et mox *o mi gnate salve*, omnes Mss. *Bœcl.* *Est* versui incommodat; et, me judice, ejiciendum est. Sic Heaut. v. 3. 21. 'Set ipse egreditur, quam severus!' Cui hoc minus placet, legat *Quam tristis't*: vel, *Quam tristis est! mi gnate;* ut mox *Mea mater* sine O. Bent. *tristis* Both. quo teste, '*est* ab Hel. abest, recte quidem, quæ et Bentleium male habuit.' Post *tristis est* novam scenam faciunt Bip. Both.—18 *Venisse te salvum* duo Mss. *Bœcl.* *Venisse te* Guelf. 2. Bem. *salvam:* at aliqui alii, et in iis Vict. et Bas., itemque Donatus, *salvan* habent. ita versus est tetram. Iamb. acatalect. ut ceteri. *Fa.* Nostri omnes *salvan.* Bent. *te ad venisse* Guelf. 3.—22 *Quotidianan* omnes Mss. *Bœcl.* Plusculi Mss. et edd. vett. post EP. *quotidian'.* West. *cotidian* G. EM.—24 Bem. et Donatus, *atque eis.* Fa. Duo nostri veterrimi *atque iis.* Bent. sic Bip. Br. Perl.—25 *Nesciunt* B, Hel. ex interp. *quid si non*

Guelf. 3. '*veniant* Bem. utrumque stare potest.' *Fa. domum qua?* PAM. *cessas?* PAR. *minime* Both. qui e lectione varia in Bem. intelligit 'utrumque verbum a glossatore esse, potestatem τοῦ *qua* non assecuto. Neutrum istorum [verborum] Donatus invenit, qui sic; '*Qua* si locum significet, videbitur reliquum præceptum servus non audivisse. Sin audivit *qua* 'quomodo' intelligemus.' Peraptum igitur Parmenonis illud *minime*, quod præbet unicus B.'

ACTUS III. SCENA III.

PAMPHILUS.

NEQUEO mearum rerum initium ullum invenire idoneum,
Unde exordiar narrare, quæ nec opinanti accidunt;
Partim quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus;
Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
Nam modo me intro ut corripui timidus, alio suspicans
Morbo me visurum affectam, ac sensi esse, uxorem; hei mihi!
Postquam me aspexere ancillæ advenisse, illico omnes simul
Lætæ exclamant, venit! id quod me repente aspexerant.

Non possum excogitare rerum mihi molestarum ullum principium aptum et conveniens, a quo incipiam exponere ea, quæ mihi nec suspicanti, nec cogitanti advenerunt: quorum aliqua his oculis pervidi, aliqua his auribus percepi: quamobrem me perterritum, et consternatum citius extra domum extuli. Nam paulo ante, postquam raptim intro domum ingressus sum, alio opinans morbo me inventurum correptam esse uxorem, atque vidi; hei mihi! ut me ancillæ conspexere rediisse, omnes statim una hilares primo gaudio adventus clamitant, Pamphilus advenit; propter id, quod

2 *Acciderunt* Guelf. 1.—3 *Prospexi* duo Mss. *Bœcl.* Al. *hisce.* Perl.—4 Var. *ocius.* Perl.—5 *Intro ut me* lege ex nostris universis. *Bent.* sic Perl. et Both. in textu, at in notis fere prætulerit *intro me ut*, cum suis Mss. sed et vulgatum ferri posse arbitratur. *intro me ut* Br.—6 *Quam* pro *ac* Guelf. 3. *uxorem esse* omnes Mss. *Bœcl.* *esse uxorem* unus tantum Regius, reliqui *uxorem esse.* Bent. sic Br. et Perl.—7 Aut ego fallor, aut ex *omnes*, *m* eliso, prioreque ejus dictionis syllaba correpta, erit in sexta sede dactylus, et versus procedet, ut ceteri, qui sunt troch. tetram. catalect. *Fa.* *Omnes simul.* Codex Regius Chartaceus non habet *simul.* Legere igitur possis, *advenisse, omnes ilico Lætæ exclamant.* Bent. *simul* omittit Both. abest enim a Gu. 1. —8 *Venire* Codd. quidam. *West.* *propter id* Guelf. 3. '*id* unus omittit, omnes exhibent Mss. *derepente.*' Bœcl. '*me repente* dedit Faërnus; sed nostri universi *me derepente.* Si hoc mavis, *venit* est temporis præsentis; si *repente* est præteriti. Sed melius est *me* ejicere, cum egregio G. Fabricii codice: *id quod derepente asp.*' Bent. 'Pro *me repente* Bent. edidit *derepente*, quod certe Donato demum infr. IV. 1. 3. obvium est.' *Bip.* *derepente* G. EP. EM. Both. Br. Perl.—10 *Quod ita incommode* Mss. et edd. quædam vett. *West.* *illuc*

Sed continuo voltum earum sensi immutari omnium,
Quia tam incommode illis fors obtulerat adventum meum.
Una illarum interea propere præcucurrit, nuntians
Me venisse: ego, ejus videndi cupidus, recta consequor.
Postquam introii, extemplo ejus morbum cognovi miser;
Nam neque, ut celari posset, tempus spatium ullum dabat,
Neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri.
Postquam aspexi, o facinus indignum! inquam; et corripui illico
Me inde lacrymans, incredibili re atque atroci percitus.

improviso et subito me viderant: sed illico animadverti earum omnium vultus transmutatos esse, postquam consideraverunt reditum meum intempestive illis forte obtigisse. Interea ex illis una celeriter cucurrit ad prænuntiandum me advenisse: ego videndæ Philumenæ cupiditate ardens recta hanc ancillam insequor. Postquam ingressus sum cubiculum, confestim deprehendi quo morbo tentabatur: nam temporis brevitas impediebat quominus ejus partitudo occultaretur, neque ipsa poterat alia voce, ac dolores cogebant, gemitus ex partu et questus edere. Postquam visu id comperi; o probrum ingens! apud me dixi, et continuo inde me subduxi, illacrymans, re mihi non credibili et aspectu horrenda commotus ac perturbatus. Mater Philu-

duo nostri veterrimi. *Bent.* *illi* B.—11 *Illarum forte interea* omnes Mss. *Bœcl.* et sic G. ET. EM. ‘ Versum hunc in suum genus redigimus hoc modo: dictionem *forte* delemus ex auctoritate Bem. et pro *præcurrit*, reponimus *præcucurrit*, ex Bas. et aliis multis l. s. ita procedit trochaicus.’ *Fa.* ‘ *Una earum interea propere præcucurrit.* Ita citat Priscianus x. p. 901. et sic ibi codex vetus. Nostri omnes, *Una illarum forte interea propere præcurrit.* Volebant hi Correctores, *propere currit.* In Petrensi deest *propere.*’ Bent. ‘ *Præcucurrit.* Mss. Leidd. quinque, et Tr. cum edd. vetustissimis, Venetis, Argent. Tarv. EA. St., Aldi, Gryphii, aliorum, *præcurrit.* Priscian. Inst. Gram. l. x. *præcucurrit*, quod et Fa. defendit ex Bem. Bas. aliisque. Videtur autem *præcurrit* ad sensum melius, quia præcessit ‘ exclamat,’ et mox sequitur ‘ consequor.’’ *West. forte præcurrit* Br. *una forte interea...præcucurrit* Both. quia ‘ vulgatur *præcucurrit nuntians*, vetante Prisciano: nam aut *nuntiatum* scribi debuit, aut, quod omnino magis placet, *nuntiat.* *Forte*, quod vulgo desideratur, comparet in nostris omnibus et Mureti editione. Vulgatum *illarum* post *una* ex interp. infertum esse, versus est indicio.’—12 *Me vidisse* unus Ms. *Bœcl.* *hujus* Both. *visendi* Br. et pro v. l. *videndi, videndæ* Guelf. 1. *recta via consequor* Guelf. 3.—13 Ne hic quidem trochaicus stat, nisi ad lectionem Bem. et Vict. emendetur, *Postquam intro adveni, extemplo ejus morbum.* Fa. Sic Fa. ex Bem. dedit: sed correctorem sapit. Nostri enim universi et alii ubique, *Postquam introii.* Forte, *Postquam introivi, extempulo ejus morbum cognovi miser.* ut Plautus sæpe, Aul. I. 2. 15. ‘ Nam si ignis vivet, tu extinguere extempulo.’ *Bent.* *intro adveni* Bip. Both. Perl. *introii* Br. GM. ‘ *ejus* duo Mss. omittunt.’ *Bœcl.*—14 Lege ac distingue; *ut celare posset*; et *ac res monebat ipsa.* And. III. 3. 19. ‘Neque postulem abs te, ni ipsa res moneat. Quid est?’ ‘ Ut posset celare morbum;’ uxor scilicet; quam statim adiit osculaturus. Nisi *celare* legeris, *Ipsa* disjungendum erit a *Res.* Bent. Frustra mutat in *celare* Bent. *Bip.*—15 *Res sinebat* Guelf. 3. ‘ *conqueri poterat* omnes Mss. unus *ipsi.*’ Bœcl.—

Mater consequitur: jam ut limen exirem, ad genua accidit,
Lacrymans misera: miseritum est. Profecto hoc sic est, ut puto:
Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.
Hanc habere orationem mecum a principio institit:
O mi Pamphile! abs te quamobrem hæc abierit, causam vides;
Nam vitium est oblatum virgini olim, ab nescio quo improbo:
Nunc huc confugit, te atque alios partum ut celaret suum.
Sed cum orata ejus reminiscor, nequeo quin lacrymem miser.
Quæquæ fors fortuna est, inquit, nobis quæ te hodie obtulit,
Per eam te obsecramus ambæ, si jus, si fas est, uti
Advorsa ejus per te tecta tacitaque apud omnes sient.
Si unquam erga te animo esse amico sensisti eam, mi Pamphile,
Sine labore hanc gratiam, te, ut sibi des pro illa, nunc rogat:

menæ me insequitur, et lacrymas fundens infelix, in limine domus, ad genua exeunti mihi se subjicit. Ego certe ejus misertus sum. Proculdubio hoc usuvenit omnibus nobis hominibus: ut res eveniunt nobis, ita elati et demissi sumus. Hunc illa sermonem facere mecum primo incepit: O mi Pamphile, causam cognoscis, propter quam hæc filia mea a domo vestra discesserit; nam stuprum ei illatum est virgini olim a nescio quo flagitioso tenebrione: nunc illa ad me matrem suam confugit, ut tibi atque aliis se parientem occultaret. Verum cum precationes istius memoria repeto non possum me continere a lacrymis. Quæcumque subita fortuna, inquit, te nobis hodie adduxit, per eam te obtestamur ambæ mater et filia, si per jura humana divinaque licitum est, ut ejus infortunia tuo beneficio occulta, et silentio obtecta sint omnibus: si unquam eam amico animo te complexam fuisse cognovisti, mi Pamphile, eadem nunc te orat, ut hanc gratiam sibi concedas, (quod facile

16 *O indignum facinus* Both.—18 *Occidit* Mss. duo. *Bœcl.*—19 *Me misertum* omnes Mss. *Bœcl.*—20 *Magnique et* Both.—21 Placet mihi ut sine *a* legatur; *principio institit*, ut est in Bem. *Fa.* Nostri omnes *a principio.* Bent. Sic et omnes apud Bœcl. Br. *a* omittunt Bip. Both. Perl. *instituit* M. Tr. *instruit* EA.—25 *Comminiscor* Gu. 1. ‘ *nequeo abstinere* GM. gl. videtur e marg. olim immissum.’ *Perl.*—26 *Fors* abest a Guelf. 3. ‘ *quæquæ* edidi, monente Fr. Fabricio pro vulgato *quæque.*’ West.—27 *Te* duo Mss. omittunt. *Bœcl.* *Obsecramus* plerique omnes Codd. quidam cum Donato *obtestamur.* West. et sic Z. ‘ al. *obsecramus.*’ Lind. *si vis si fas* Both. et sic Guelf. 1.—29 *Te erga* le-

Ceterum de reducenda id facias, quod in rem sit tuam.
Parturire eam, neque gravidam esse ex te, solus conscius:
Nam aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus.
Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic jam septimus;
Quod te scire, ipsa indicat res. Nunc, si potis est, Pamphile,
Maxume volo, doque operam, ut clam eveniat partus patrem,
Atque adeo omnes: sed, si fieri id non potest quin sentiant,
Dicam abortum esse: scio, nemini aliter suspectum fore,

potest,) pro amico illo animo erga te. Sed de recipienda ea, aut ejicienda uxore, id facias quod tibi commodum videbitur, et expediet. Laborare eam dolore partus, neque prægnantem a te factam esse, nemo omnium cognovit præter te solum: nam dicunt eam duobus tantum mensibus post nuptias, non statim ut nupta est, tecum rem habuisse, neque te antea eam attigisse: postquam ad te deducta est, mensis jam hic est septimus, quod te scire re ipsa declarasti modo, cum eam comperiens parturire cito te tristis proripuisti foras. Nunc si fieri potest, Pamphile, vehementissime cupio et laboro, ut partus Philumenæ latenter fiat, etiam ignorante patre, atque insciis omnibus aliis: sed si fieri non potest, quin resciant, prætexam hoc scilicet eam abortum fecisse, et immaturum fœtum ejecisse. Scio

gere vult Bent.—30 *Hanc gratiam te uti sibi des*] Bem. et Donatus, non *uti*, sed *ut*, habent: nec stat aliter versus, cum *uti* posteriorem producat. et dictio *ut* etiam erat in Vict. sed deinde factum *uti*. Fa. Mss. M. et Tr. sed et duo Leidd. *uti sibi des, illa nunc rogat*. Sed in altero Leidensi *pro* erasum. Ita et post editionem anni 1469. plures e veteribus. Dixit autem, 'hanc gratiam ut sibi des pro illa,' uti Plaut. Capt. III. 5. 63. et Stich. I. 2. 23. *West.* *Pro* duo Mss. omittunt. *Bœcl.* et sic Br. A. C. Hel. 'We. ex Mss. Leidd. *pro illa*. Sed abest *pro* in plerisque et *illa* commodius accipitur casu recto.' *Perl.*—31 *Redducenda* per duo *d* scribimus: nam Iambum trochaicus non admittit. et infra, 'nam de redducenda.' Fa. *Redducendo* hic et mox in vs. 43. Both.—32 Ineptos spuriosque vocat hosce tres versus Guyetus. Sane inepte. *West.* *Neque*] Mss. quidam, et editi, *Nec*. West. *De te* Guelf. 3. '*conscius es* Mss. omnes.' *Bœcl.* et Guelf. 2. at Br. *es* pro gl.—33 Par. in marg. '*τὸ aiunt* expunctum velit Palmer. me non invito.' *Perl.* Vocem *eam* ex Bem. auctoritate sustulimus: quæ tamen subauditur ex præcedenti versu. *Fa.* *Eam* ex nostris reducimus: nam in ea sede Trochæus raro invenitur. *Bent.* *aiunt duobus post* Guelf. 1. *eam* omittunt Bip. Both.—34 Ratio trochaici exigit hanc collocationem verborum, quæ est in omnibus fere l. s. *mensis agitur hic jam septimus*. Fa. Sic et nostri. *Bent.* Fuit in libris, uti videtur, *jam hic agitur*: de qua tamen lectione silent omnes editores.—35 *Te noscere ipsa res indicat* unus Ms. *Bœcl.*—36 *Veniat* Both. 'Bem. Bas. et multi alii, ac Donatus, *ut clam eveniat partus patrem*. utraque collocatione stat trochaicus. *Fa.* Sic plerique nostri. *Bent.*—37 *Id* omittunt duo apud Bœcl. Bodl. Guelf. 3. et EP. 'Nostri vel non habent *id*, vel collocant ante *fieri*.' Bent. *Sed* omittit

Quin, quod verisimile est, ex te recte eum natum putent.
Continuo exponetur: hic tibi nihil est quicquam incommodi;
Et illi miseræ indigne factam injuriam contexeris.
Pollicitus sum; et servare in eo certum 'st, quod dixi, fidem;
Nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror;
Nec faciam; etsi amor me graviter, consuetudoque ejus tenet.
Lacrymo, quæ posthac futura 'st vita, cum in mentem venit,
Solitudoque. O fortuna, ut nunquam perpetuo es bona!

neminem aliter suspicaturum, quam, quod probabile est eum ex te genitum esse. Illico exponetur. In hac re celandi partus nullum pateris incommodum, et illi infelici, indignæ, quæ injuriam factam acciperet, honorem integrum servaveris. Promisi hæc facere, quæ mater Myrrhina pro ea postulavit. Stat fixum, atque immotum mihi in eo quod promisi, fidem inviolatam servare; nam ut eam ex patris domo ad nos reducam, eamque recipiam, non valde conveniens, et decorum esse opinor; nec faciam: quamvis ejus amore et conversatione vehementer afficiar. Non possum lacrymas tenere, cum animo reputo, quam posthac vitam ducturus sim, quam tristem et solitariam. O fortuna, quam non diu constans et prospera es! Sed

Both. '*id* deest in M. R.' *Lind.*—38 *Abortivam* Codd. quidam et edd. veteres. *West.* *esse* omittit Both. ex A. *scio enim* Br. quo teste *enim* textui superscriptum est.—40. 41 *Incommodi et* | *Illi* Bip. Both.—41 *Ut illi* M.—42 *Sum pollicitus et servare certum est, quoad* Both.—44 Videtur per ἓν διὰ δυοῖν dictum, 'Amor, consuetudoque,' pro, 'amor consuetus.' Sic And. I. 1. 108. 'ut consuetum facile amorem cerneres.' Ms. Bodl. et edit. 1469. *consuetudoque tenet*. Sed *ejus* abesse nequit, nisi *τὸ consuetudo* facias quinque syllabarum. Faërnus delet *me*. Possit et 'Amor' ad affectum maritalem referri, 'Consuetudo' ad ipsam συνουσίαν. *West.* Hunc versum ita habet Bem. *Nec faciam etsi amor consuetudoque eius graviter tenet*. Ego tamen, aliorum collocationem sequens, et Bembinum librum, in eo, quod non habet vocem *me*, ita legerim, *Nec faciam, etsi amor graviter consuetudoque ejus tenet*. Fa. Sic Fa. numeris pessimis. Nostri omnes *amor me*; et in plerisque deest *ejus*. Bent. *Etsi amor graviter consuetudoque tenet* Mss. duo. *Bœcl.* *ejus* abest a G. ET. EM. *West. in Add.* necnon a Guelf. 1.—45 Do. et o. l. s. *futura est*, ut et trochaicus postulat. *Fa.* Sic et nostri *est*. Bent. Lib. antiq. *sit*. Perl. *factura* Guelf. 3.—46 *Solitudo*, absque *que*, et *es perpetuo bona* Mss. omnes. *Bœcl.* Pro *Bona* Do. legebat *Data*. 'Hic,' inquit, '*Fortunam* pro Bona posuit.' *Bona* igitur non erat in textu. '*Bona*. Legitur et *Data*: nam et sic pro *Bona* intelligitur necessario.' Recipimus illud *Data*, quod tamen libri nostri repudiant, et insuper legimus *perpetua*. Lucilius apud Nonium v. Proprium: 'Cum sciam nihil esse in vita proprium mortali datum.' Plaut. Cist. I. 3. 46. 'Ut sunt humana, nihil est perpetuum datum.' 'Fortunam' absolute pro 'Bonam' etiam Ennius usurpavit, apud Macrobium, 'Hautquaquam quemquam semper Fortuna secu-

Sed jam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit:
Quem ego tum consilio missum feci: idem nunc huic operam dabo.

jam prior amor Bacchidis me ad hanc rem æquo ferendam animo exercitavit et assuefecit: quem amorem tunc ratione et prudentia dimisi, idem nunc huic me dedam

tast.' Quæ tria loca collegit Vir eruditus G. Fabricius. Adde illud Phorm. v. 7. 1. 'Tantam fortunam de improviso esse his datam.' Sententia igitur hæc est, O bona fortuna, O fors fortuna, ut numquam mortalibus data es propria et perpetua. *Bent.* Don. s. quisquis ille sit, testatur, etiam legi *data*, et sic necessario pro *bona* intelligi vult. Bentl. inutiliter hoc præferens fingit *perpetua es data.* Sed et ap. Plaut. Aul. I. 2. 29. 'bona Fortuna' dicitur. cf. Ph. v. 7. 1. *Bip.* Bent. sequitur Both. *es perpetuo bona* Br. *perpetua es data* Perl. quo judice '*bona* gl. sapit.' 'Si vero non *bona* scripsit Ter. sed *data*, quomodo aliis legi observat Don. possit videri imitatus Plaut. Cist. I. 3. 46.' *West.*—47 *Amor me prior* Both. tacite.—48 Mss. et editi quidam: *Quem ego tamen.* Laudat Guyetum Bœclerus, versum hunc tanquam ineptum hinc ablegantem; additque obesse argumento et τῇ οἰκονομίᾳ, si dicatur Pamphilus ad pristinum amorem Bacchidis animum referre. Tum repugnare dicit, quæ leguntur infra IV. 4. 75. et V. 1. 25. 26. quibus locis Pamphilus et Bacchis sancte adjurant, nullam post nuptias cum Philumena inter sese consuetudinem intercessisse. Mihi aliter videtur, cum quia Donatus, cum Codicibus Mss. versum hunc agnoscunt, tum quia novum non est, aliud dici, aliud fieri, seu in re uxoria, seu in re meretricia. Exemplo sit Phædria in Eunucho. Hic amore ardens, nihilominus consilium capit non redeundi ad Thaidem, si se obsecret; mox vero labascit, victus uno verbo meretricis. Sic Pamphilus fatetur quidem, amorem et consuetudinem Philumenæ graviter se tenere, statuit tamen, neutiquam reducere eam, sed operam dare, uti amorem hunc missum faciat. Quæ omnia planius etiam exponit patri, infra III. 5. 35. seqq. Quanquam vero Pamphilus Philumenæ amorem missum facere vix poterat, sine suspicione amoris meretricii, unde infra IV. 4. 67. Laches increpans Pamphilum ait: 'Nunc animum rursum ad meretricem induxti tuum: Cui tu obsequutus, facis huic adeo injuriam. Nam in eandem vitam te revolutum denuo Video esse;' quanquam hæc, inquam, ita videri potuerint, tamen de meretricio amore nihil in verbis Pamphili. Unde et Fabrini optime παραφράζει: *Il quale amore io lo lasciai andare, in prova overo consiglio, conoscendo, che non era cosa honesta, che io amassi una meretrice, medesimamente ora io attendero a questo, cioè, io me ingegnero di tormi via da questo, benche con difficultà.* Sensus enim est, 'idem nunc huic operam dabo,' etiam id operam dabo huic amori, uti nimirum eum missum faciam. Quod non cepit Donatus, notans, 'si *idem*, ego: si *eidem*, amori.' *West.* O. l. s. habent, *quem ego tum consilio:* quæ vero sequuntur, ita et illi, et Donatus collocant, *nunc huic operam dabo;* sed hoc modo est Iambicus octonarius, post tot trochaicos. quod quamvis non placet nobis, tamen consensum omnium librorum sequemur. *Fa.* Hic versus inter Trochaicos Iambicus venit: præterea sententia, vel nulla vel falsa est; ut Guyetus versum spurium pronuntiaverit. Donatus *idem* et *eidem* agnoscit: 'Si *idem*,' inquit, 'Ego: si *Eidem*, hoc est Amori.' Veterrimus noster cum altero *item.* Duo insuper pro *tum* habent *cum.* Repone, *Quo ego eum consilio missum feci, eodem huic operam dabo.* Quo consilio missum feci eum amorem, eodem consilio huic amori dabo operam, ut hunc pariter missum faciam. *Nunc* addiderunt, quia præcesserat *Tum:* nos *Eum* legimus, cui opponitur *Huic.* *Quo consilio...eodem:* sic supra I. 1. 15. 'Aut qua via captent te illi, eadem illos capi.' *Bent.* Vulgo omnes legunt *idem nunc huic operam dabo*, idque ita intelligi volunt, 'ut missum pariter faciam hunc

Adest Parmeno cum pueris: hunc minime 'st opus
In hac re adesse; nam olim soli credidi,
Ea me abstinuisse in principio, cum data est.
Vereor, si clamorem ejus hic crebro audiat,
Ne parturire intelligat: aliquo mihi est
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

et vacabo. Parmeno adest, venit cum servulis, redeuntibus ex Imbro. Non opus est omnino, in hoc Philumenæ partu eum præsentem esse: nam quondam huic uni hoc arcanum commisi, nimirum me eam non attigisse ab initio, cum data est mihi in uxorem. Timeo ne si Philumenæ querentis vocem sæpe audiat, ne eam partu laborare cognoscat. Aliquo hinc mihi amandandus est interea dum Philumena in puerperio est.

amorem.' Verum quis talia ferat, nisi Grammaticus inops consilii et amoris? 'Operam dare amori,' non missum facere amorem, sed 'amare' ipsum est; tum Faërn. jam vidit, incommode sic post tot trochaicos venire iambicum octonarium. Bentl. hinc pro suo ingenio emendans *Quo ego eum consilio missum feci, eodem huic operam dabo*, parum scite medetur. Sed audiamus Don. ambigue hæc explicantem: 'Si *idem*, ego; si *eidem*, hoc est, amori.' Nos *eidem* amplectimur, persuasi *huic* ingestum esse ab illis, qui *idem* legerant. Omisso igitur *huic* procedit et sensus aptior, et trochaicus. *Bip.* *Cum consilio ...item hunc* Both. qui intelligit 'hunc operam dabo ut missum faciam.' 'Al. *item:* concinnius est *idem* sc. ego.' *Perl.* '*Item nunc* M. R.' *Lind.* —49 *Parmeno cum pueris* Both. tacite.—50 *Esse* Br. cum gl. *adesse.*—51 *Olim sibi credidi* V. C. *Lind. Data sit* Guelf. 3.—52 Aliqui libri, inter quos Bem. *audiat;* quo quidem modo procedit Iambicus sine ulla licentia. *Fa.* Nostri universi *exaudiat:* et sic quoque procedit versus sine ulla licentia: *Ejus*, ut passim, in unam syllabam contracto. *Bent.* Ms. Lips. et edit. 1469. Anon. Junt. Steph. Ald. sed et Gambarellus, *exaudiat.* Sed *audiat* ad metrum melius est. *West. Exaudiat* omnes Mss. *Bœcl.* et G. ET. EM. Both. Br. Perl. *crebrum* Both. quo judice "'crebrum' est 'vehementem.'"—53 Nullus omnino liber scriptus habet *eam*, quod nec necessarium est: commode enim ab versu superiore repetitur. *Fa.* Neque nostri habent *eam.* Bent. GM. sup. script. *eam*, quod facile subauditur. *Perl.*

ACTUS III. SCENA IV.

PARMENO. SOSIA. PAMPHILUS.

PAR. AIN' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter?
SO. Non hercle verbis, Parmeno, dici potest

PAR. *Dicisne, Sosia, hanc viam tibi ærumnosam fuisse?* SO. *Per Herculem,*

2 Numerosior versus est in o. l. s. *Non hercle verbis, Parmeno.* Fa. Sic et

Tantum, quam re ipsa navigare incommodum 'st.
PAR. Itane est? SO. O fortunate! nescis quid mali
Præterieris, qui nunquam es ingressus mare.
Nam alias ut omittam miserias, unam hanc vide:
Dies triginta, aut plus eo, in navi fui,
Cum interea semper mortem expectabam miser:
Ita usque advorsa tempestate usi sumus.
PAR. Odiosum! SO. Haud clam me est: denique hercle aufugerim
Potius, quam redeam, si eo mihi redeundum siet.
PAR. Olim quidem te causæ impellebant leves,
Quod nunc minitare facere, ut faceres, Sosia.
Sed Pamphilum ipsum video stare ante ostium.
Ite intro: ego hunc adibo, si quid me velit.
Here, etiam tu nunc hic stas? PAM. Equidem te expecto.
PAR. Quid est?

Parmeno, verbis declarari non potest quantum re ipsa mari iter facere laboriosum est. PAR. *Itane est?* SO. *O beate, nescis quas difficultates et miserias evitaveris, qui nunquam in mare ascendisti. Nam ut alias sileam calamitates et difficultates navigationis, hanc cognosce: spatio triginta dierum, aut plus eo tempore, in navi steti, cum inter hos dies semper mortem formidabam infelix, adeo contrariis et oppositis ventis jactati continue fuimus.* PAR. *Res hæc incommoda et molesta est.* SO. *Non ignoro, et ut uno verbo dicam, potius fugiam, quam iterum in Imbrum proficiscar, si eo mihi proficiscendum esse videam. Olim certe ex levibus causis paratus eras fugere, quod nunc minaris facere magni et gravis periculi vitandi causa: ideo facile tibi credo. Sed Pamphilum video ipsum stantem ante fores. Ite vos servi domum. Ego vero hunc conveniam visurus, si quid me velit facere. Here, etiam nunc hic moraris?* PAM. *Ego te expecto.* PAR. *Quam-*

nostri omnes. *Bent.* et sic edd. omnes quas vidimus.—6 Antiqui libri, inter quos Bem. *mittam.* Fa. Sic tres ex nostris vetustissimi. *Bent.* et sic teste West. Mss. et editi quidam post EP. ita quoque Bip. Both. Br.—7 Citat Priscian. VII. per ἀμάρτημα μνημονικὸν ex Heaut. *dies triginta aut plus ego.* West.—8 *Cum interea* desunt in Guelf. 2.—11 Vice *siet* 'Mss. quidam cum editis vetustis, Anon. Venetis, Lugd. Argent. Juntarum, Aldi, Pulmanni, aliis, *sciam.* quam lectionem laudat Georg. Fabricius. *West. Sciam* Bent. Both. Br. Perl. A, B, C, Hel. *siet* Bip.—15 Omnino adloquitur Sosiam cum pueris reliquis. Vide supra III. 2. 24. et III. 3. 49. Unde adeo non opus cum Guyeto legere, *I tu intro.* vel, quod in glossis Mss. addit, *Ito intro.* West. *Adibo scire* Guelf. 3.—16 *Etiam nunc tu his stas* Mss. omnes nostri. *Bœcl.* Plurimi Codices, *Etiam nunc tu hic stas?* Interrogat autem cum admiratione. Sic Eun. II. 2. 55. Unde *Nunc* a Guyeto in scholiis ineditis male glossema vocatur. *West.* Si quis conservare velit hanc lectionem, quæ est eadem libri Bem. et multorum aliorum, necesse est, ut contracta per synizesin voce *etiam* in duas syllabas, primus pes sit anapæstus; pro *nunc* vero *num* legatur: ut sit ordo *etiamnum,* et fieri possit elisio, quod sæpe apud

PAM. In arcem transcurso opus est. PAR. Cui homini?
PAM. Tibi.
PAR. In arcem! quid eo? PA. Callidemidem hospitem
Myconium, qui mecum una advectus est, conveni.
PAR. Perii! vovisse hunc dicam, si salvos domum
Redisset unquam, ut me ambulando rumperet.
PAM. Quid cessas? PAR. Quid vis dicam? an conveniam modo?
PAM. Immo, quod constitui me hodie conventurum eum,
Non posse; ne me frustra illic expectet: vola.

obrem? PAM. *In arcem urbis transcurrendum est.* PAR. *Cui homini?* PAM. *Tibi.* PAR. *Quænam causa est, cur tam remote in arcem me currere jubes?* PAM. *Callidemidem Myconium hospitem meum, qui mecum una navi in hanc urbem advenit, alloquere.* PAR. *Interii. Voto promisisse vere dicere possum hunc Pamphilum, me ambulando rupturum, si unquam e mari sospes domum advenisset.* PAM. *Quid tardas ire quo jubeo?* PAR. *Quid vis ei a te nuntiem? an id solum vis ut eum adeam?* PAM. *Dic, me non posse eum nunc convenire, sicut denuntiaveram ei me facturum hodie. Ne me frustra illic opperiatur.* PAR. *At ignotus homo*

Statium invenitur; ex *quidem* vero *m* abjiciatur, quamvis sequente consonante. si vero aliam collocationem verborum, quæ est in aliquot antiquis, admittas in hunc modum, *etiam nunc tu,* et pro *et quidem* legas *equidem,* ut aliqui recentiores libri et Donatus habent, planius versus procedet. *Fa.* Quicquid laboret hic Faërnus et alius quidam, syllaba versui superest. Repone, *Ere etiam tu hic stas? Et quidem te exspectans. Quid est?* Dele *nunc,* quod larem incertum habet, in his codicibus ante *tu,* in illis post *tu. Etiam,* ut Eun. II. 2. 55. 'Etiamne tu hic stas, Parmeno?' Plaut. Mostel. II. 2. 89. 'Sed tu etiamne adstas, nec quæ dico obtemperas?' *Et quidem te exspectans;* subintellige 'Sto.' Eun. III. 5. 46. 'Sto exspectans siquid mi imperent.' Si *Exspecto* hic legeris, melius est *Equidem;* quod tamen vetusti omnes abnegant. Sin *Et quidem;* tum sine dubio legas *exspectans,* et responsio plenior ac apertior est. *Bent. Here, etiam tu hic stas?* PAM. *te quidem exspecto* Both.—18 *Callimedem* citat Priscian. Inst. Gramm. VI. *West.* —19 Ita post Donatum plurimosque libros Mss. etiam præstantissimæ editiones, anni 1469. Anon. Venetæ, Argent. Pulmanni, Steph. Aldi, Juntarum, Fabrini, aliæ. *West. Advectus* Mss. omnes. *Bœcl.* Repono *vectus* ex Bem. sed ex ratione versus, ex *vectus est, vectu'st* faciendum. *Fa.* Nostri omnes *advectus.* Bent. *Qui est una vectus convenito Myconium* Both.—22 *Quid vis dicam?* Quidam Mss. et editi antiqui, *Quid vis nunciem?* Quomodo et Donatum legisse suspicio est, ex iis, quæ ad versum seq. notavit. *West.*—24 *Et ne frustra* Mss. omnes. *Bœcl. Et ne me frustra* Guelf. 1. In Vict. scriptum erat *ille:* sed *illi* exigit sensus, quod pro *illic* exponitur: pro *illic, illi* exigit versus. aut si *illic* legetur, *e* in scansione non pronuntiabitur. *Fa.* Recte *illi;*

NOTÆ

19 *Myconium*] Mycone insula una ex Cycladibus, non procul a Delo. Virg. 'Quam pius Arcitenens, oras et littora circum Errantem, Gyaro celsa Myconeque revinxit.' Cyclades vocantur, *Isole de Archipelago.*

PAR. At non novi hominis faciem. PAM. At faciam, ut noveris.
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius,
Cadaverosa facie. PAR. Dii illum perduint!

mihi est de facie. PAM. *At efficiam ut cognoscas: procera statura est, rubra facie, crispis capillis, spisso et pingui corpore, glaucis oculis, vultu ad cadaveris similitudinem facto.* PAR. *Dii illum perdant. Quid si non veniet in arcem, an illum*

et in Textum recepimus: licet nostri omnes *illic*. Bent. *Illi* ... *volo* Both. quo judice, '*vola* nec Noster nec Plautus usquam in re simili: graviter pro domini persona, *volo*.' Perl. quoque *illi*.—25 *Faciam ego* Guelf. 2.—27 *Facies* Mss. omnes. *Bœcl.* et sic G. EM. Br. GM. '*Cadaverosa facies*] Bembinus et Donatus legunt *facie*; et hæc verba non Parmenoni, sed Pamphilo attribuunt. *Fa.* Nostri omnes *Facies* perperam. Sed illud animadverte, quo pacto idem et *Rubicundus, magnus, crassus* dicatur; et tamen idem *Cadaverosa* esse *facie*? An data opera, ut fingens ac mentiens; an ut festinans, oblivione sibi pugnantia dixit? Neutrum placet. Cur enim Parmeno, qui curiosus et garrulus, sed minime stultus inducitur, non hoc notavit, nec quicquam respondit? Addo amplius, nullam omnino faciem *Cadaverosam* dici posse: cum enim tot in cadaverum facie diversitates sint, quot in vivorum, quæ una species cadaverosa dici poterit? Unane sunt facie, qui sani in pugna occiduntur, qui apoplexia occidunt; quique fame, marasmo, cancro moriuntur? Quid quod, hoc loco excepto, nusquam omnino occurrat verbum *Cadaverosus*; ob eam nempe quam dixi rationem; quia varia et incerta est cadaverum forma. Qui hoc igitur in Terentio non libenter ferent, illi mecum reponant, *Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius Lentiginosa facie.* Valerius Max. I. 7. Ext. 6. De Dionysio Syracusano: 'Prævalentem virum, flavi coloris, lentiginosi oris, ferreis catenis vinctum.' Donatus ad Eun. IV. 4. 22. 'Maculoso corio, nempe ad id genus coloris facies exprimitur Eunuchorum, quia plerique lentiginosi sunt.' Ergo *Lentiginosa facie*, idem quod ibi dixit Noster, *Colore stellionino*, et Heaut. v. 5. 18. *Ore sparso.* Glossarium vetus: *Φάκοψις, Lentiginosus, sparso ore.* Certe jam habes, quod intelligi saltem potest: at de *Cadaverosa* vide quid commentetur magnus Magister: '*Cadaverosa*, inquit, sublivida, ac personata rubore et livore: potest et pulposa intelligi et crassa et carnosa.' Nonne qui hæc dicit, sibi conscius est et plane fatetur se nihil dicere? Porro quod adnotat Donatus, dignum est quod et hic legatur: 'Imperite Terentium de Myconio *Crispum* dixisse aiunt, cum Apollodorus *Calvum* dixerit, quod proprium Myconis est: ut Lucilius, 'Myconi calva omnis juventus.' inde etiam proverbium Græcum, *Μυκόνιος φαλακρός*. Sed ego Terentium puto scientem facetius Myconium *Crispum* dixisse. De *Calvo Myconio* quod dicit, verum est. Strabo lib. x. *Καὶ τοὺς φαλακροὺς δέ τινες Μυκονίους καλοῦσιν, ἀπὸ τοῦ τὸ πάθος τοῦτο ἐπιχωριάζειν τῇ νήσῳ.* Plin. Hist. XI. 47. 'In capite, cunctorum animalium homini plurimus pilus: sed Myconii carentes eo gignuntur.' Quid igitur fiet? An dicemus *Crispum* hic mendosum esse, et ab auctore fuisse *Calvum*? an studio hic Nostrum a Græco discessisse; ob œconomiam Act. v. Sc. 3. ut in arce diutius hæreret Parmeno, et plurimos compellaret, non paucos calvos? *Bent.* Pro sua sapientia vel lubidine Bentl. facit *lentiginosa*. Bip. *Cadaverosa facie*] Quatuor Mss. Leidd. cum Bodl. et Lips. hæc Parmenoni tribuunt, legentes, PAR. *Cadaverosa facies.* sed et ita editio anni 1469. et Anon. Juntina, Steph. Venetæ, Argent. Lugd. Aldi, Pulmanni, aliorum. In aliis est, *Cadaverosa facies*, sed omissa persona Parmenonis. Et videtur sane Parmeno, qui quæsiverat de facie Callidemidis, audiens esse hominem *magnum, rubicundum, crispum, crassum, cæsium*, op-

Quid, si non veniet? maneamne usque ad vesperum?
PAM. Maneto: curre. PAR. Non queo; ita defessus sum.
PAM. Ille abiit: quid agam infelix? prorsus nescio,
Quo pacto hoc celem, quod me oravit Myrrhina,
Suæ gnatæ partum; nam me miseret mulieris.
Quod potero, faciam; tamen ut pietatem colam;
Nam me parenti potius, quam amori, obsequi
Oportet. Atat! eccum Phidippum, et patrem
Video: horsum pergunt: quid dicam hisce? incertus sum.

expectem usque ad vespertinum tempus? PAM. *Expecta. Curre celeriter.* PAR. *Non possum, ita defatigatus sum.* PAM. *Parmeno abiit. Quid agam miser? Nescio qua ratione partum occultem Philumenæ, quod ut facerem enixe oravit Myrrhina: nam misereor vehementer mulieris: quod earum gratia potero, id perficiam; uxoris vitium celabo, et ejus honori consulam; ita tamen ut pietatem in matrem meam observem, quæ a Philumena offensa est: nam parentis potius, quam amoris in uxorem, me rationem habere oportet. At, at, ecce Phidippus pater Philumenæ, et Laches pater meus. Versus hanc partem veniunt. Quid hisce dicam animi dubius sum.*

time intulisse, *Cadaverosa facies.* q. d. *χαρίεις ὥσπερ νεκρὸς*, seu, non magis venustus, nec minus detestandus, quam cadaver. Ejusmodi Gr. *νεκρώδης*, Plauto *morticinus* dicitur, Pers. II. 4. 12. *West.* *Facie* deest in Guelf. 2. '*Perdant* Mss. omnes.' *Bœcl.* et sic 'Codd. quidam et impressi post EP.' *West.*—28 *Venit* Both. et sic Guelf. 2.—29 *Nequeo* Hel. '*fessus* Mss. duo.' *Bœcl.*—31 Voces *quod me* usque ad *partum* Guy. spurias censet.—36 *Orsum* Br.

ACTUS III. SCENA V.

LACHES. PHIDIPPUS. PAMPHILUS.

LA. DIXTIN' dudum, illam dixisse, sese expectare filium?
PHID. Factum. LA. Venisse aiunt: redeat. PAM. Quam causam dicam patri,

LA. *Nonne dixisti, Phidippe, Philumenam dixisse sese expectare reditum Pamphili, ut ad nos rediret; nam sine illo in domo nostra perdurare non posse?* PH. *Dixi.* LA. *Pamphilum dicunt rediisse: redeat ergo Philumena ad nos.* PA.

1 *Se* Mss. omnes. *Bœcl.* *Sese* deest in Bodl. Br. EP. 'In optimis plurimisque libris est *dixisse illam se exspectare.*' West. 'O. l. s. et Donatus, *dixtin* habent; et *illam dixisse*: ita versus trochaicus est, ut qui sequuntur. *Fa.* Sic et nostri.' *Bent.* '*Se* deest in M. R.' *Lind.*—2 Vides et accentum male incidere, *causam*; et tria verba continua in *am* exire. Quicquid nunc dicant

Quamobrem non reducam, nescio. LA. Quem ego hic audivi loqui?
PAM. Certum obfirmare est viam me, quam decrevi persequi.
LA. Ipsus est, de quo hic agebam tecum. PAM. Salve, mi pater.
LA. Gnate mi, salve. PHID. Bene factum te advenisse, Pamphile;
Atque adeo, quod maxumum 'st, salvom atque validum. PAM. Creditur.
LA. Advenis modo? PAM. Admodum. LA. Cedo, quid reliquit Phania,
Consobrinus noster? PAM. Sane hercle homo voluptati obsequens
Fuit, dum vixit; et qui sic sunt, haud multum hæredem juvant:

Nescio quam excusationem proponam patri, ob quam nolim reducere uxorem meam. LA. *Quem ego hic audivi loqui?* PA. *Stat mihi propositum meum obfirmate, et constanter persequi, ut scilicet non recipiam uxorem, et veram causam non recipiendæ celem.* LA. *Ipse Pamphilus est, Phidippe, de quo hic tecum colloquebar.* PA. *Salve, mi pater.* LA. *Fili mi, salve.* PH. *Gaudeo te advenisse, Pamphile, eoque magis gaudeo, quod incolumis et bene valens redis, quod præcipuum est.* PA. *Sic a quibusdam creditur.* LA. *An modo advenis?* PA. *Propemodum.* LA. *Dic quid reliquit in bonis Phania consobrinus noster.* PA. *Certe per Herculem homo voluptatibus deditus fuit, et deliciis incumbens, quamdiu in vivis fuit, et qui ita facti sunt non multum hæredi prosunt, et commodant: sibi hunc laudum titulum*

Librarii, ne dubita quin a Terentio sic profectum sit, *Causæ quid dicam patri.* ut And. III. 4. 21. 'Quid causæ est, quin hinc.' et Adel. IV. 2. 15. 'Sed si hic pernocto, causæ quid dicam, Syre?' Plaut. Aul. I. 2. 14. 'Ne causæ quid sit, quod te quisquam quæritet.' *Bent.* quem sequitur Both. 'Miror cur Bent. in litt. *am* ter repetitas offendat, cum tale quid sæpe obveniat apud Terent. Itaque non subtilior ille quam pronior ad mutandum reposuit *causæ quid.*' Perl.—3 *Audio* Ms. unus. *Bœcl.*—4 *Certum est offirmare* Mss. duo. *Bœcl.* —5 *Hoc* in plusculis libris est. *West.* *Hoc* Bent. Both. Br. '*Aiebam* Mss. duo, pronuntiationis, ut arbitror, vitio intercedente.' *Bœcl.* *Aiebam* et GM. ex emend. olim *agebam.*—6 *Salve mi gnate* Mss. omnes. *Bœcl.*—7 *Et adeo* EP. quod et plurimi et vetusti habent, teste Bent. et probante: sic et Bip. Both. Br. Perl. et Ms. R. teste Lind.—9 *Sobrinus* Guelf. 1. *Noster* abest a Ms. Lips.—10 *Vivunt* Br. ex emend. *sunt*; 'libri quidam scripti et editi *adjuvant.*'

NOTÆ

4 *Obfirmare viam*] Firmiter, et pertinaciter insistere viam, (id est propositum, consilium,) quam mihi persequendam proposui.

6 *Benefactum te advenisse*] Id est, prospere contigit te advenisse. Formula est peregre venientes gratulandi.

Sibi vero hanc laudem relinquunt: vixit, dum vixit, bene.
LA. Tum tu igitur nihil attulisti huc plus una sententia?
PAM. Quicquid est id, quod reliquit, profuit. LA. Immo obfuit;
Nam illum vivom et salvom vellem. PHID. Impune optare istuc licet:
Ille reviviscet jam nunquam; et tamen, utrum malis, scio.
LA. Heri Philumenam ad se arcessi hic jussit: dic jussisse te.
PHID. Noli fodere: jussi. LA. Sed eam jam remittet. PHID. Scilicet.

comparant; nimirum vixit, dum vixit, laute et opipare. LA. *Tu igitur nihil plus rei attulisti, quam unam illam sententiam.* PA. *Ut ut est, quodcumque reliquit nobis compendium et emolumentum attulit.* LA. *Immo damnum: nam illum vita frui, et incolumem superesse vellem.* PH. *Sine pœna id permissum est optare, nihilque nocet, nam non timendum est, ne unquam ad vitam redeat; tamen non ignoro utrum præoptes.* LA. *Pamphile, Phidippus heri Philumenam ad se vocari jussit ex ædibus nostris. Phidippe, dic te jussisse.* PH. *Noli me monendi causa adeo mihi latus pungere. Sic est, ad me jussi vocari.* LA. *Sed jam ad nos eam*

West. 'Bem. et alii antiqui, *juvant.*' Fa. 'Sic et nostri, *juvant.*' Bent.—11 *Vero* abest a Ms. Lips. 'Bem. et alii antiqui *relinquont.* ita et Donatus, licet per duo *u.*' Fa. 'Nostri quoque, uno excepto, *relinquunt.*' Bent. 'Lib. antiq. *relinquent.* Recte; nam ad universum genus voluptariorum hoc refertur.' *Perl.*—12 Aut legendum *una plus* aut *plus una hac.* Bent. Hoc edidit Both. illud Perl.—13 *Quicquid reliquit*, omissis *est id quod*, Guelf. 3. In *profuit* postrema producitur, quod antiquissimi in dictionibus desinentibus in *t* sæpe faciebant. *Fa.* Cum producitur *t*, et in cæsura est, et in Præteritis, quæ Neutralia sunt, ut *Rediit*, *Periit*, et similia. Potius igitur legerim: *profuit. Immo vero obfuit.* And. V. 2. 13. 'Immo vero indignum,' et infra IV. 4. 104. 'Immo vero abi.' V. 4. 37. 'Immo vero scio.' Phor. III. 2. 43. 'Siccine hunc decipis? immo enim vero hic me decipit.' *Bent.* *præfuit.* (sic) *obfuit.* Utriusque verbi syllaba *it* ob eundem sonum producenda; si quidem Fa. contendit postremas in *t* desinentes veteribus produci. *Perl.*—16 Aut in *heri* posterior syllaba corripienda, aut *here* legendum; quod tamen in nullo l. s. invenimus. *Fa.* Nostri *Heri.* Bent. *Here* Both.—17 *Fodere latus* Mss. duo. *Bœcl.* et 'bona pars Mss. et editorum.' *West.* et sane Br. pro gl. *latus*; Guelf. 2. *fo. latus meum*; mox 'unus Ms. *sed eam remittet*, alter *sed remittet*, Argent. *sed eam remittet jam.*' Bœcl. 'Trochaicum claudicantem corrigo, ordinando verba, ut in Bem. et Vict. *Sed eam jam remittet.*' Fa. 'Sic et Nostri.' *Bent.* *Sed jam*

NOTÆ

17 *Noli fodere*] Fodere, hic est latus alicujus manu vel pungere, vel tundere: quod facimus monendi gratia, et suggerendi, et impellendi. Horatius l. I. epist. 8. 'Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum Qui fodiat latus.'

PAM. Omnem rem scio, ut sit gesta: adveniens audivi omnia.
LA. At istos invidos Di perdant! qui hæc libenter nuntiant.
PAM. Ego me scio cavisse, ne ulla merito contumelia
Fieri a vobis posset: idque si nunc memorare hic velim,
Quam fideli animo et benigno in illam et clementi fui,
Vere possum; ni te ex ipsa hæc magis velim resciscere;
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,
Cum illa, quæ nunc in me iniqua est, æqua de me dixerit:
Neque mea culpa hoc discidium evenisse, id testor Deos!
Sed quando sese esse indignam deputat matri meæ,

remittet. PH. *Certe ego remittam.* PA. *Omnem rei seriem rescivi qualiter sit gesta, cum advenirem: paulo ante audivi omnia, quæ facta sunt.* LA. *At istos garrulos, qui concordiæ et amori conjugum invident, Dii perdant, qui hæc quæ audivisti tam cupide referunt.* PA. *Ego scio me sedulo curasse, ne quicquam mihi a vobis contumeliose exprobrari posset merito meo: idque si nunc hic recitare velim, quam fideli amore, et suavi Philumenam filiam tuam, Phidippe, prosecutus sum, vere id recitare possum; nisi potius velim te ex ejus ore ea discere: namque eo modo, magis credes me tali esse ingenio, quali me esse tibi dico, cum Philumena ipsa, quæ iniquam erga me se gessit, æqua de me tibi prædicaverit: neque me causam huic divortio præbuisse, Deos testes advoco. Sed quandoquidem seipsam existimat tanti,*

eam Bip.—18 *Omnia modo* Ms. R. *Lind.* et 'Mss. omnes.' *Bœcl.* et sic Br. necnon 'Mss. plusculi cum editis post EP.' *West.* 'Nostri universi in fine addunt *modo:* et in uno Regio deest *omnia;* ut in quibusdam G. Fabricii. Repone, *audivi modo.* Cur enim addat *omnia;* cum jam dixerit *Omnem rem?*' Bent. et sic Both. Perl. *Omnia.* LAC. *At* | *Istos.* Bip.—19 *Atque* Guelf. 3 *At* delet Both. tacite; *nuntiant* e pr. m. ex emend. *annuntiant* Br.—20 *Scio me* Bem. et Donatus: sed venustius videtur, quod in aliis omnibus libris est, *me scio.* Fa. Sic et unus noster vetustus, *scio me:* reliqui *me scio.* Bent.—21 *Nobis* Mss. duo, et mox *commemorare.* Bœcl. et *nobis* M. Tr.—22 *Et benigno* desunt in EP. Br.—23 Parvi quidem hoc refert, omnes tamen l. s. *possum* habent. *Fa.* Sic et nostri omnes *possum.* Bent. Omnes Mss. *possum.* Bœcl. *Possim* Both. 'Al. *possim,* male.' *Perl.* mox 'V. C. *nisi ex ipsa.*' Lind. '*Nisi ex ipsa te hec magis velis* Ms. unus, alter *nec tu ex ipsa hec magis velis,* Argentor. *ni tu ex ipsa hec magis velis.*' Bœcl. *Hoc malim* Guelf. 1. *id* in loco deraso pro *hæc* Guelf. 2.—25 Meliores et plures nostri meliore ordine *in me nunc.* Bent. et sic omnes Mss. apud Bœcl. *in me iniqua nunc est* Both.—26 Collocanda sunt verba, ut in Bem. Vat. Bas. ac Vict. et Donato, *Neque mea culpa hoc discidium evenisse, id testor deos.* Fa. Sic, uno excepto, nostri omnes. *Bent.* Olim fuit, ut videtur, *culpa hoc evenisse dissidium.*—27 Addimus ex o. l. s. verbum *esse,* hoc modo, *sese esse,* ut et postulat versus. sane in Bem. legitur, *quæ concedat;* licet et in eo quoque libro prius esset *cui;* sed *quæ* etiam Ubaldino Bandinello placebat. nos tamen antiquam lectionem non mutamus. *Fa.* Nostri plerique *sese esse.* Unus tamen Academicus non habet *sese.* Unus e Meadianis, *Set quando esse indignam se dep.* In altero versu pro *Cui* Bembinus a manu secunda *Quæ.* Lege et distingue, *Set quando esse indignam sese*

Cui concedat, cujusque mores toleret sua modestia;
Neque alio pacto componi potest inter eas gratia;
Segreganda aut mater a me est, Phidippe, aut Philumena:
Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.
LA. Pamphile, haud invito ad aures sermo mihi accessit tuus,
Cum te postputasse omnes res præ parente intelligo.
Verum vide, ne impulsus ira prave insistas, Pamphile.

ut nolit obsecundare matri meæ, et rem indignam esse putat, si ei se submittat, ejusque senectutis mores moderate ferat; neque inter eas alio modo gratia reconciliari possit, nisi matri se submittat; aut sejungenda mater est a me, Phidippe, aut Philumena. Nunc pietate moveor, ut potius quæram quod placet matri, et ei commodum est. LA. *Pamphile, libenter auribus accepi sermonem tuum, cum te video posthabuisse omnes res commodis matris tuæ. Verum diligenter perspice ne ira incitatus in tua sententia inique permaneas, Pamphile.* PA. *Quibusnam iris im-*

deputat, matri meæ Quæ concedat, quæque ejus mores toleret sua modestia. 'Indignam quæ concedat quæque toleret.' Ita Eun. v. 2. 27. 'Nam si digna hac contumelia Sum maxume; at tu indignus qui faceres tamen.' Donatus, falsa lectione implicitus, miris modis se torquet; nec tamen se extricat. Id ceteris quoque Interpretibus evenit. *Bent.* probante Perl. 'Quum in Mss. Leidensibus quinque, Bodleiano, Trajectino, Markiano, Lips. et Bœnd. diserte legatur *Cui,* nihil mutandum duxi. Et in Cod. Bem. a prima manu legi *Cui,* sed quod mutatum in *Quæ,* testatur Faërnus. Neque sane aliter quisquam Librorum editorum, quod quidem sciam. Guyetus tamen *Quæ* præfert. Idem J. Fr. Gronovio placebat, Observ. III. 8. qui et *Cur* substituit. Mihi neutrum probatur, vel ob sequens *Cujusque,* quod indicio est, præcessisse relativum ad 'Matri' referendum. Sensus igitur esto: 'Sed quando sese esse indignam deputat matre mea, cui matri meæ concedat.' Sed et in Libris quibusdam *Esse* desideratur. Quæ Mericus Casaubonus huc adfert, ἀπροσδιόνυσα sunt. Tanaq. Faber vertit: *Elle croit être trop grande dame, pour ceder a ma mere.* De usu τῶν *dignus* et *indignus* vide ad Eun. v. 2. 26.' *West.* 'Non decebat Bent. lectioni Codd. antiquiss. probatæ vim inferre.' *Bip.* *Sed quando quidem illa indignam esse deputat matrem meam* Both. *sese indignam* omnes apud Bœcl. et Br. 'pro *cui* omnino legendum est *quæ.*' R. D. *cui* G.—28 *Cujusque* Mss. omnes. *Bœcl.* Legitur et *cujus.* West. *tolleret* Guelf. 1.—29 Vides *pactó* in ultima acui, contra Latinæ Linguæ indolem; deinde *potest* utramque corripere. Neutrum ab Auctore est, qui sic dederat, *Neque alio componi pacto potis inter eas gratiust.* Sic Adel. III. 2. 46. 'Pejore res loco non potis est esse.' Plautus Pœn. IV. 2. 24. 'Qui ipsus hercle ignaviorem potis est facere ignaviam.' *Bent.* et sic Both. excepto *gratia* sine *est.*—30 Ex Bem. et aliis antiquis et ratione versus hæc verba sic ordino, *mater a me est.* Fa. Sic et nostri omnes, *a me est.* Bent. Lib. antiq. *est a me:* 'Mss. duo *est* omittunt.' *Bœcl.*—31 *Consequi* omnes Mss. *Bœcl.*—32 Vice *ad aures haud invito* 'in o. l. s. et Donato, ita hæc verba invenias collocata: *haud invito ad aures.*' Fa. 'Sic et nostri universi.' *Bent.* 'Par. *aut* prave.' *Perl.* '*Cessit* Mss. duo.' *Bœcl.* 'Recte e Mss. emendavit Palmerius *ad aures mihi sermo accidit tuus.* Hæc enim est legitima loquendi formula. Cf. Rutil. Lup. I. 58. et quæ ibi notavimus.' *R. D.*—33 Repone, quod tanto artifice dignius est, *cum res postputasse te omnes.* Bent. sequitur Both. '*Te* omissum est in Ms. R.' *Lind.*

PAM. Quibus iris impulsus nunc in illam iniquos siem?
Quæ nunquam quicquam erga me commerita 'st, pater,
Quod nollem; et sæpe, quod vellem, meritam scio.
Amoque, et laudo, et vehementer desidero;
Nam fuisse erga me miro ingenio, expertus sum;
Illique exopto, ut reliquam vitam exigat
Cum eo viro, me qui sit fortunatior;
Quandoquidem illam a me distrahit necessitas.
PHID. Tibi id in manu est, ne fiat. LA. Si sanus sies,
Jube illam redire. PAM. Non est consilium, pater.
Matris servibo commodis. LA. Quo abis? mane;
Mane, inquam: quo abis? PHID. Quæ hæc est pertinacia?
LA. Dixin', Phidippe, hanc rem ægre laturum esse eum?
Quamobrem te orabam, filiam ut remitteres.

pulsus nunc me erga eam inique agam? quæ nunquam quicquam mali erga me commeruit, neque commisit quod mihi displiceat, et sæpe de me bene meritam esse, et præstitisse, quod placeret, in memoria habeo: amoque, et laudo, et ejus retinendæ desiderio teneor: nam singulari et mirifica ingenii mansuetudine, et benignitate erga me usam esse expertus sum, illique ex animo opto, ut reliquos vitæ annos traducat cum eo marito, qui me sit felicior, siquidem illam a me divellit necessitas. PH. *In tua potestate est, ut non divellatur.* LA. *Si satis sanæ mentis es, fac ut reducatur.* PA. *Non ita mihi proposui facere, sed potius matris commoda sectari.* LA. *Quo abis? mane, mane, inquam, quo abis?* PH. *Quæ est hæc mentis obstinatio?* LA. *Nonne vere tibi dixi, Phidippe, molestum et ægrum fore Pamphilo, si resciret Philumenam ad vos ex ædibus nostris ita discessisse: quamobrem a te petebam, ut filiam ad nos remitteres, antequam ille rediisset.* PH. *Per Pollucem,*

—34 *Plane insistas* Guy. 'prave et planissimo errore.' *West.*—35 Hic versus justo longior est, ut quivis metri peritus statim videat. Inde est, quod veterrimus noster cum tribus aliis habeant, *Quibus iris pulsus.* Hoc enim quivis corrector poterat. Sed notandum, in responsione semper eadem verba repeti et accentu quoque eodem. Non credam igitur *inpulsus ira* mutari hic in *iris pulsus.* Repone, *Quid ego ira impulsus nunc in illam iniquos sim?* Bent. *Quibus iris nunc iniquis iniquus siem* Both. *pulsus* Guelf. 1. *iniquus* abest a Guelf. 3.—36 *Quam nunquam erga me quidquam commeritam, pater* Both.—37 *Et sæpe meritam quod vellem scio* Mss. omnes. *Bæcl.* et sic A, C, Br. Sentis, opinor, *vellem* in ultima male acui in sede media. Suppetias ferunt nostri et meliores et numero plures, *Quod nollem, et sæpe meritam quod vellem scio.* Bent. quem sequitur Perl. *Quod nollem, sæpe meritam, quod vellem scio et* Both. —38 *Amo vehementer laudoque et desidero* Both. *Amo* sine *que* Hel.—40. 41 *Exigat cum eo vitam viro* Guelf. 3.—41 *Eo cum* Both. tacite. *eum eo* Br. fortasse typorum errato.—43 *Tibi id* Guelf. 3. *Si sanus satis sies* omnes apud Bœcl. Bodl. A, C, et 'V. C.' *Lind.* Br. *si sanus es satis* Bœnd. Junt. B. Hel. *si sanus satis* Both. in notis, in textu *si sanus sies.*—44 *Illam* omittit Both.—45 *Consiliis* Guelf. 3.—46 *Quo vadis* Codd. quidam et impressi. *West.*—48 *Tecum orabam* in libris quibusdam est. *West.* Bem. *filiam ut remitteres.* Fa. Nostri

PHID. Non credidi ædepol adeo inhumanum fore.
Ita nunc is sibi me supplicaturum putat?
Si est, ut velit reducere uxorem, licet;
Sin alio est animo, renumeret dotem huc; eat!
LA. Ecce autem! tu quoque proterve iracundus es.
PHID. Percontumax redisti huc nobis, Pamphile.
LA. Decedet jam ira hæc, etsi merito iratus est.
PHID. Quia paululum vobis accessit pecuniæ,
Sublati animi sunt. LA. Etiam mecum litigas?
PHID. Deliberet, renuntietque hodie mihi,
Velitne, an non; ut alii, si huic non sit, siet.
LA. Phidippe, ades! audi paucis: abiit: quid mea?
Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet;
Quando nec gnatus, neque hic, mihi quicquam obtemperant;

non suspicatus sum eum adeo immitem et ferocem fore. Itane is sibi nunc me supplicaturum opinatur, ut uxorem Philumenam recipiat? Si in eo est, ut velit recipere uxorem suam, per me ei licet; sin aliter animatus est, et nolit, reddat dotem, valeat. LA. *Ecce autem, tu quoque insolenter irasceris, et ad iram propensus es.* PH. *Pervicax et pertinax, ex Imbro ad nos rediisti, Pamphile.* LA. *Abibit hæc ira, etsi non sine causa commotus est.* PH. *Quia aliquantulum pecuniæ rei vestræ accrevit, elatiores animo, et ferociores facti estis.* LA. *Etiam lites in me quoque intendis.* PH. *Decernat, mihique denuntiet hodie Pamphilus, velitne, an non, recipere in uxorem Philumenam, ut alii sit uxor, si ipsi non sit.* LA. *Phidippe, propius accede, audi quæ paucis dicam. Abiit Phidippus; quid mea refert? Tandem controversiam inter se decidant ipsi, ut videbitur; quia nec filius, neque hic Phidippus in ulla re mihi auscultare volunt: verba mea nihili æstimant. Hanc*

universi, *ut filiám.* Sed recte Bem. ut evitetur accentus in ultima. *Bent.* *Ut filiam* Br.—50 Donatus ad locum: '*Sibi et me*] 'Magno pondere legendum est utrumque pronomen.'' Bene: sed illud pondus adhuc augetur, ordine paulum immutato. Unus ex nostris, *is nunc*, pro *nunc is:* alter *Itan* pro *Ita.* Repone, *Itan is nunc sibi me supplicaturum putat.* Bent. quem sequitur Both. —54 *Huc* omittit Both.—55 *Decidet* Guelf. 1. *dedecet* Guelf. 3. *Decedet jam ira hæc*] Bem. et Donatus, *Decedat.* Fa. *Decedat jam ira hæc, etsi merito iratus est.* Sic a Fa. Sed Donatus in omnibus, quod sciam editis, *Decedet;* et sic nostri omnes; sententia quoque flagitante. Porro in melioribus et pluribus nostris deest *jam.* Recte: non enim *jam,* statim; sed die ac tempore. *Bent.* *Jam* omittunt Mss. omnes. *Bæcl.* Necnon Bod. EP. Both. Br. Perl. —56 PAM. tribuit Br., at ex emend. PH. Aliqui libri, et in iis Vat. et Bas. habent *Paulum:* quod versui magis convenit. *Fa.* Nostri meliores *paulum.* Bent. *paulum...accidit* Both. *paulum* B, C, Br. Perl.—59 *Ut aliis* Codd. quidam scripti et edd. post EP. *West.* sic Br. 'Bem. *si huic non est, siet:* quorum utrum melius sit, statuere nescio; et tamen antiquiorem lectionem semper elegerim.' *Fa.* 'Nostri omnes *sit.*' Bent. *Si non huic siet* Both.—60 *Adesdum; paucis* Both.—61 *Postremo ne inter* Mss. duo, tertius *postremo ut inter.*

Quæ dico, parvi pendunt. Porto hoc jurgium
Ad uxorem, cujus hæc fiunt consilio omnia;
Atque in eam hoc omne, quod mihi ægre 'st, evomam.

rixam ad uxorem meam jam nunc defero, quasi munus gratum; nam hujus suasu hæc omnia efficiuntur, atque in eam omnem ægritudinem et dolorem effundam.

Bœcl.—62 *Hic is* Guelf. 2. *neque is mihi* Guelf. 3.—62. 63 Hos duos Guy. spurios censet.—63 *Porro feram hoc* Mss. omnes. *Bœcl. Post hoc* Br.—64 In o. l. s. et Donato, hic est ordo verborum, *cujus hæc fiunt:* multis autem rationibus sustentari potest versus. *Fa.* Sic et nostri. *Bent. Cujus hic* EP. '*hæc fiunt cujus* GM. miro ordine.' *Perl.*

ACTUS IV. SCENA I.

MYRRHINA. PHIDIPPUS.

MYR. PERII! quid agam? quo me vortam? quid viro meo respondebo

MY. *Perdita sum: quid agam? quo me vertam? quid responsi marito meo red-*

1 *Quid dicam* GM. 'Bona Mss. pars *viro modo.*' West. Sic omnes apud Bœcl. 'O. l. s. *quid viro meo.* est autem hic versus trochaic. acatalect. ejusdem generis est et secundus hujus scenæ versus, si tamen pro *audisse*, legas *audivisse*, ex Bem. ac Vict. et Bas. ac Donato: item quartus, si pro *rescirerit*, *rescierit* legas, ex iisdem libris: item octavus, cui tamen attribuimus hæc verba, *atque eccam*, demta ex præcedenti versu: quam ordinationem versuum habet Vict. et Steph. in quo etiam versu ex eodem Vict. et Bem. lego *quid ais?* interrogat enim Phidippus Myrrhinam, quidnam sit, quod ipsa secum loquatur: item nonus, in quo ex Bem. lego *vir ego tuus sim?* item undecimus, item duodecimus, eliso ex *taces s:* item quartus decimus, et decimus septimus, ubi tamen *adeon* legendum ex o. l. s. item decimus nonus, in quo ex omnibus fere libris scriptis, versusque ratione legendum *advorsum:* quintus dimeter trochaic. catalect. Hi vero, quos infra dicam, trochaici sunt tetrametri catalectici, tertius, et sextus, eliso tamen *d* ex *sed*, ut in prima sede sit trochæus: item septimus, et decimus: item tertius decimus, contracta dictione *nisi* in unam syllabam: item quintus decimus, deleta in hoc dictione *hunc*, quæ nec est in Bem. neque ponitur a Donato, neque sane multum sensui servit, et versui incommodat: item sextus decimus, vigesimus, vigesimus secundus, cujus postrema verba in Bem. et Vict. hunc ordinem habent, numero dulciore, *posse filiam tuam te pati*, ubi *tuam* monosyllabum est: item vigesimus quartus, non facta elisione in *cum eo:* item vigesimus quintus, in quo pro *malo* lege *mavolo*, ex eisdem duobus antiquissimis libris, versusque ratione: item vigesimus sextus, et vigesimus septimus. At qui sequuntur quatuor versus, sunt octonarii Iambici acatalect.: si tamen in vigesimo octavo, post *quoque*, addas dictionem *etiam*, quæ est in omnibus libris; in vigesimo vero nono ex

Misera? nam audivisse vocem pueri visu' 'st vagientis:
Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam.
Quod si rescierit peperisse eam, id qua causa clam me habuisse
Dicam? non ædepol scio.
Sed ostium concrepuit: credo, ipsum ad me exire: nulla sum!
PHID. Uxor ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras;
Atque eccam video. Quid ais, Myrrhina? heus! tibi dico. MYR. Mihine, mi vir?
PHID. Vir ego tuus sum? tun' virum me aut hominem deputas adeo esse?
Nam si utrumvis horum, mulier, unquam tibi visus forem,
Non sic ludibrio tuis factis habitus essem. MYR. Quibus? PHID. At rogitas?
Peperit filia. Hem, taces? Ex quo? MYR. Istuc patrem rogare est æquom?

dam infelix? nam vagientis pueri clamor videtur ad aures ejus pervenisse; adeo raptim, et subito silens ad filiam se contulit. Quod si cognoverit eam partum edidisse, per Pollucem nescio qua de causa ei dicam me hoc celavisse. Sed ostium stridit: credo ipsum foras ad me prodire: perii. PH. *Ubi uxor vidit me ad filiam ire, foras abiit. Atque ecce eam conspicio. Quid ais, Myrrhina? quid siles? heus, te appello.* MY. *Mene ipsam appellas, mi vir?* PH. *An vir ego tuus sum? Tune virum, aut hominem quemlibet existimas me esse? Nam si utrumvis horum, vel virum me judicasses, non sic per ea, quæ fecisti, derisus et delusus fuissem.* MY. *Per quæ mea facta derisui fuisti?* PH. *At etiam quæris? Filia nostra peperit. Hem! siles? Ex quo homine peperit?* MYR. *Istud patrem decet inter-*

tribus antiquissimis, pro *eandem*, legas *eadem*, distinguendo post *ostendisti*, ut sit ordo, nihil cessavisti usque adhuc eadem esse, ut olim se ostendisti, pro, quam olim te ostendisti.' *Fa.*—2 *Est* delet Both. '*visu 'st* sic per apostroph. Fa. Mu. Par. al. at Erasm. explicite *visus est.*' Perl.—6 Melius nostri meliores et plures *exire ad me.* Bent. et sic omnes apud Bœcl. Br.—7 Ita quidam libri, et Donatus: '*Se duxit*] Verbis usus est intra domesticos parietes artis (lege *natis*) τῷ ἰδιωτισμῷ.' Habeat is suum sibi ἰδιωτισμόν: et repone, *Se eduxit foras:* ut supra III. 3. 4. 'Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.' Plaut. Truc. I. 1. 18. 'Pisces usque adeo donicum eduxit foras.' *Bent.* et sic Both. *seduxit* Br.—7. 8 *At-* | *que* Both. quo judice, *foras* esse iambum bene G. Vossius in Syntax. p. 132. statuit contra Taubm. ad Plaut. Aul. IV. 4. 1.—8 'Al. *Agis* pro *ais.* Commode. Neque enim locuta esse videtur Myrrhina quidquam.' *Perl.*—9 *Sim* in quibusdam Codd. legitur; in aliis etiam non *mi vir*, sed *vir*, quod laudat Guy. Est autem durum, nec stilo Comici nostri conveniens. *West.* Al. *sum*, perperam. *Perl. Reputas* Mss. omnes. *Bœcl.*—12 *Filia* deest in B. '*Peperit filia*] Sustuli interrogationis notam, sequutus optimas editiones, Anon. Lind. Bœcl. Bas. Juntarum, Steph. aliorum. Et Guy. e suo Codice eraserat, Antesignanum erroris insimulans,

Perii! ex quo censes, nisi ex illo, cui data est nuptum, obsecro?
Phid. Credo; neque adeo arbitrari patris est aliter: sed demiror,
Quid sit, quamobrem tantopere omnes nos celare volueris
Partum; præsertim cum et recte et tempore suo pepererit.
Adeon' pervicaci esse animo, ut puerum præoptares perire,
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires,

rogare de filia? perdita sum. Ex quonam opinaris illam peperisse, nisi ex eo cui uxor data est, obsecro? Ph. *Credo eam peperisse ex Pamphilo, neque licet patri aliter censere: sed mirum mihi est, quamobrem tantam curam et operam adhibuisti ad hunc partum nobis occultandum; præcipue cum recte, et tempore congruo, quo prægnantes possunt parere, peperit. Adeone pertinaci animo esse potuisti, ut puerum filiæ potius cuperes exponi ad mortem, ex quo non ignorabas stabiliorem futu-*

qui aliter edidisset. Neque enim commode interrogare poterat, 'ex quo peperisset filia, si nesciret, utrum peperisset, nec ne. Et quidni rescierit, qui ipse sese ad filiam corripuerat intro? Vide supra, vs. 3. atque ibi Donat.' *West.* Mox, 'Non placet Donati *celas.* Phidippus Myrrhinam interrogatam de filiæ partu, sed nihil respondentem, increpat. Sic Eun. IV. 4. 28. 'istam, quam habes, unde habes, vestem? taces? Monstrum hominis! non dicturus?'' *West.* *Taces*] Sic libri. Sed *taces* vix corripiat posteriorem. Repone, *tacen. Tacen, Viden,* brevia sunt. *Bent.* *Rogitare* Br. B. C. et sic 'Mss. quidam et editi post EP.' *West.* et 'Ms. R.' *Lind.* Both.—13 *Ex quo nisi illo censes* Both.—15 '*Tantopere hos omnes* Vett. et Mss. R.' *Lind.* '*Tantopere hunc omnes* A, B, C, Hel. Mss. apud Bœcl. *tantopere hoc omnes* Br. *hoc nos omnes* Guelf. 3. *Celare volueris*] Trochæus in ea sede minus gratus est. Dedit auctor: *celari volueris:* ut infra IV. 4. 23. 'Nosne id celatos tam diu.' *Bent.* et sic Both. *Quamobrem hunc* Guelf. 1. 'Sunt codd. in quibus *volueritis* legitur.' *West.*—16 *Cum præsertim* et *tempori* Both. '*peperit* Ms. R.' *Lind.*—17 *Pertinaci* Mss. duo apud Bœcl. et sic Br. pro gl. '*peroptares* Mss. duo.'

NOTÆ

17 *Ut puerum præoptares perire*] Id est, exponi. Vetustissimus hic mos antiquis fuit, Hebræis, Græcis; ut constat de Moyse, de Œdipo, et etiam Romanis, ut notum est de Romulo et Remo. Exponebantur miselli infantes in mare, in aliquem fluvium, in deserta, et avia abjiciebantur. Ovidius Fast. lib. I. 'Amne jubet mergi geminos: scelus unda refugit: In sicca pueri destituuntur humo.' Idem Ovid. Epist. II. 'Jamque dari parvum canibusque avibusque nepotem Jusserat, in solis destituique locis.' Denique ad cloacas vetus Scholiastes Juvenalis infantes exponi solitos prodidit, ad Sat. VI. vs. 602. 'Transeo suppositos, et gaudia, votaque sæpe Ad spurcos decepta lacus.' Hinc exponere idem quod necare. Paulus Jurisconsultus, L. 4. D. De agnoscendis liberis.

18 *Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam*] Scilicet, inter familiam nostram, et familiam Philumenæ.

Potius quam advorsum animi tui lubidinem esset cum illo nupta?
Ego etiam illorum esse hanc culpam credidi, quæ te est penes.
Myr. Misera sum. **Phid.** Utinam sciam ita esse istuc: sed nunc mihi in mentem venit,
Ex hac re, quod locuta es olim, cum illum generum cepimus:
Nam negabas nuptam posse filiam tuam te pati
Cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris.
Myr. Quamvis causam hunc suspicari, quam ipsam veram, mavolo.
Ph. Multo prius scivi, quam tu, illum amicam habere, Myrrhina:
Verum id vitium nunquam decrevi esse ego adolescentiæ:
Nam id omnibus innatum 'st: at pol jam aderit, se quoque etiam cum oderit.

ram esse amicitiam in posterum inter nos, quam contra immoderatam tuam cupiditatem, Philumena cum Pamphilo nuptiis jungeretur? Ego etiam adhuc culpam in illis residere credidi, quæ apud te est. My. *Infelix sum.* Ph. *Utinam cognoscam hoc ita esse, uti tu mihi narras: sed aliud mihi in memoriam redit, ex quo videris non esse innocens, propter ea, quæ olim dixisti, cum Pamphilum generum elegimus: nam tu negabas te posse consentire, ut filia tua collocaretur nuptui cum eo, qui meretricem amicam haberet, qui totam noctem duceret extra domum.* My. *Hunc maritum meum malo suspicari quamlibet aliam causam esse dissidii inter Pamphilum et Philumenam, quam illam veram, propter quam volui celare filiam peperisse.* Ph. *Multo prius scivi, quam tu, illum amare Bacchidem meretricem, Myrrhina: verum nunquam censui id vitium esse in adolescentibus, amicam habere: nam id, amare scilicet, omnibus a natura insitum est: at per Pollucem cito tempus adveniet, cum etiam seipsum, adventante senectute, et senectutis incommodis,*

Bœcl.—19 'Par. pro var. *advorsus.*' Perl.—20 *Ego quoque* Both. '*culpam hanc* tres ex nostris concinnius.' *Bent.* *Esse illorum* GM.—21 *Ita* deest in Ms. R. *Lind.* et 'in Mss. quibusdam et edd. post EP.' *West.* *Mihi* delet Both.—22 Hic versus inter Trochaicos Iambicus incedit. Lege, *De hac re quod locuta es olim cum illum generum cepimus.* Ita clare citat Donatus ad Hec. IV. 4. 89. *Bent.* et sic Both. '*Nam negas nuptam filiam tuam posse te pati* Mss. omnes.' *Bœcl.* *te tuam* Both.—23 Nostri plerique *nuptam filiam posse*; quattuor alio et inter se diverso modo verba collocant. Repone, commodissime ad versum, *Nam negabas filiam tuam posse te nuptam pati.* Bent.—24 *Amaret et qui* Mss. omnes. *Bœcl.* et sic Guelf. 3.—25 Ms. unus *veram ipsam,* al ter *veram illam malo.* Bœcl. *Mavolo* præter Faërni duos, duo nostri veterrimi; ceteri *malo.* Bent.—26 *Plus* Guelf. 1. 'Sic a Faërno. Nostri plerique omnes, numerosius, *habere amicam.* Sed et illud *scivi* incommode acuitur. Repone, *Multo prius, quam tu, illum scivi habere amicam, Myrrhina.*' Bent. *Illum illam* M. '*habere amicam* Mss. omnes.' *Bœcl.* et sic M. Tr. Br. *prius quam*

Sed, ut olim te ostendisti, eadem esse, nihil cessavisti usque adhuc,
Ut filiam ab eo abduceres; neu, quod ego egissem, esset ratum.
Id nunc res indicium hæc facit, quo pacto factum volueris.
MYR. Adeon' me esse pervicacem censes, cui mater siem,
Ut eo essem animo, si ex usu esset nostro hoc matrimonium?
PHID. Tun' prospicere, aut judicare nostram in rem quod sit, potes?
Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret

odio habebit: sed ut olim te præbuisti, nunquam destitisti eandem te præbere, adversariam nimirum huic matrimonio, ut Philumenam a Pamphilo distraheres, neve, quod egissem, esset firmum et stabile. Id nunc hæc res omnino manifestum facit, cum partum filiæ nos omnes celaveris, quo modo has nuptias, quas feci, gratas habueris. MY. *Adeone me contumacem esse censes, ut eum animum haberem adversus eam, cui mater sim, si hoc matrimonium in utilitatem nostram fieret?* PH. *Tune providere, aut arbitrari potes, quid rebus nostris conducat? accepisti forte ab*

tu illum scivi Both.—27 *Nunquam vitium* Both.—28 Vel lege, *Nam id innatumst*, ut Trochaicus sit cum præcedentibus; vel *Nam id omnibus innatum;* ut Iambicus sit cum sequentibus. Porro nostri omnes, *aderit tempus, cum.* Quid si sic legas, et distinguas, *Verum id vitium numquam decrevi esse ego: adulescentiæ Innatum est: at pol jam aderit tempus, se quoque etiam cum oderit.* Sic Plautus Bacch. III. 3. 14. 'Jam aderit tempus, cum sese etiam ipse oderit: morem geras.' Virgil. Eclog. IV. 'Aggredere o magnos, aderit jam tempus, honores.' Sed Noster And. I. 1. 125. 'Prope adest, cum alieno more vivendumst mihi.' *Bent.* *Id* deleto, Both. legit *pol jam id erit sat quoque.* 'Bodl. et Lips. *Jam aderit tempus.* Ita et EP. 1469. et paucæ aliæ. Sensus est: 'Brevi futurum, ut pœniteat eum facti morumque suorum.' Guyetus existimat in glossis Mss. *Quoque* glossema esse, *Etiam* genuinum. Plin. l. X. ep. 97. 'Alii ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt, et mox negaverunt: fuisse quidem, sed desisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo *etiam* ante viginti *quoque.*' Quam lectionem contra Rittershusium, legentem, *ante viginti quinque* recte tuetur Chr. Cellarius. Infra v. 1. 36.' *West.* '*Pol jam aderit tempus* ex glossa.' *Bœcl.* *Aderit tempus* Ms. Lips. Br. G. EM.—29 Male *eadem*, quod accentu erigi debebat, in Thesi deprimitur. Melius Edd. vett. et ex nostris unus: *Sed ut olim te ostendisti, nihil cessavisti éadem esse usque adhuc.* Bent. *Eandem nil* Both. '*sed cum olim te ostendisti nihil cessavisti eandem esse* Mss. duo.' *Bœcl.* *Eandem* Bip. Br. A, B, C. *nil cessavisti eadem esse* Perl. *eandem* Bip. quo judice 'alii ordinem alium præferendo aberrant.'—30 '*Ne* M. Bodl. EP. Ven. Arg. Lugd. Br. GM. Hal. 'idque verius videtur, cum *neu* non sequatur, nisi *ne* præcedente. nisi forte *nihil* vs. 29. locum τοῦ *ne* obtinere putetur.' *Perl.*—31 *Indicium res* Bod. EP. Br. abest *hæc* a Guelf. 3.—32 *Censes ei cui* Mss. omnes apud Bœcl. et EP.—33 *Aut* pro var. lect. Br. mox *ego* vice *eo* Guelf. 2. '*Usu* hic in thesi male occultatur. Repone *si esset nostro ex usu.*' Bent.—34 *Tun'* pro *tune* 'ex l. s. et versus ratione.' *Fa.* 'Et nostri quoque *tun'*.' Bent. *Tum* Br. In Bod. Br. GM. h. v. Myrrhina continuat, sequens tribuitur Phidippo.—

Exeuntem, aut introëuntem ad amicam. Quid tum postea,
Si modeste ac raro hoc fecit? nonne ea dissimulare nos
Magis humanum est, quam dare operam, id scire, qui nos oderit?
Nam si is posset ab ea sese derepente avellere,
Quicum tot consuesset annos, non eum hominem ducerem,
Nec virum satis firmum gnatæ. MYR. Mitte adolescentem, obsecro,
Et quæ me peccasse ais. Abi: solum solus conveni.
Roga, velitne, an non, uxorem: si est, ut dicat velle se,

aliquo, qui referret se eum vidisse ingredientem domum amicæ, aut inde egredientem. Quid tum postea? quid inde postea conjiciendum est mali, si moderate, mediocriter, nec crebro id fecit? Nonne magis humanum est, nos ad ea connivere; quam affectare nos id scire, unde ipsius adversum nos odium suscipiamus? Nam si is posset subito ab ea se abstrahere cum qua tamdiu consuetudinem habuisset, non eum esse hominem æstimarem, nec maritum satis fidelem nostræ filiæ. MY. *Omitte precor loqui de adolescente, et de iis quæ male fecisse dicis. Abi hinc, et secreto sine arbitris cum Pamphilo colloquere; quære ab eo, velitne Philumenam reciperet, an non. Si contingit, ut dicat se velle, redde eam uxorem viro. Sin autem negat*

37 *Hæc facit* G. EP. Br. et '*facit* Mss. et impressi quidam.' *West.* 'Perperam *ea* numero plurali; cum præcedat *Hoc*, et subsequatur *Id.* Quare recte ejiciunt *ea* nostri codices magno consensu.' *Bent.* *Ea* omittunt Bod. G. Guelf. 1. Br. Both. *ea* tuetur Perl. quia 'plurali Poëta utitur infr. v. 46. et supr. II. 2.'—38 *Scire magis humanum est quam dare operam id qui nos oderit.* Bip. cujus hæc est nota: 'Vulgo versus sic ordinatur: *magis hum. est, quam dare op. id scire, qui nos oderit;* in quo exponendo laborant interpp. Don. quidem nihil affert, unde versum sensumque ejus ordines, nisi hæc: Qui, unde *vel* quamobrem. *Et recte; nemo enim dolens, quod non amatur, id facit, quo magis odio sit.* Dacieria ad hanc mentem satis pulchre interpretatur: *Ne vaudroit il pas mieux dissimuler cela, que de faire tant de bruit, afin qu'il nous haisse.* Verum sic τὸ *scire* vulgo male interponitur dictioni Ter. *dare operam id, qui* (pro *quo* s. *ut;* cf. Andr. II. 1. 7. et 8.) unde delapsus est Fabrini (cui accedit Westerh.) ad aliam rationem, quasi sensus sit: quam dare operam, ut proferatur, utque inimici nostri id sciant, atque lætentur. Verum nemo unquam *dare operam* conjunxit cum alio verbo infinito, *id scire* (alios) pro *ut sciant, qui nos oderint*, et sic oportuit dici *oderunt.* Ac paulo ante dixerat poëta, *ea* (quod Bentl. temere delet, nihil ceterorum judicans) *diss. nos*, h. e. ut Don. ait, *ignorantiam fingere.* Itaque tandem τὸ *scire*, quod loco motum erat, in suos penates reducimus, ne amplius in alieno turbas det. Verum sane est *diss. nos ea scire*, et dein *op. dare, qui.* Sic sententia Don. verbis Dacieriæ commode expressa prodit, Latina ratio servatur, et versus troch. octon. cat. procedit melius. Addimus, *magis humanum est* h. l. dici pro, sapientius s. prudentius est. Eun. IV. 4. 54. sq. *Pol, si sapis, quod scis, nescis.*' Bip.—39 *Si ipse* EP. Br. GM. *repente* Guelf. 3. *evellere* duo Mss. apud Bœcl.—40 *Quicum* Bip. Both. Br. '*consuevit* Mss. duo, omnes *dicerem.*' Bœcl. et 'V. C. *dicerem.*' Lind. Br. pro v. l. *dicerem.*—42 Non belle in duos pedes distribuitur *ais.* Repone ut monosyllabon sit, *Et quæ me peccasse ais: abi, eum solum solus conveni.* *Eum solum*, ut *Te solum.* Plaut. Capt. III. 4. 70. 'Solus

Redde; sin est autem, ut nolit, recte ego consului meæ.
PHID. Si quidem ille ipse non volt, et tu sensti esse in eo, Myrrhina,
Peccatum, aderam, cujus consilio ea par fuerat prospici.
Quamobrem incendor ira, esse ausam facere hæc te injussu meo.
Interdico, ne extulisse extra ædes puerum usquam velis.
Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui postulem.
Ibo intro, atque edicam servis, ne quoquam efferri sinant.
MYR. Nullam pol credo mulierem me miseriorem vivere;
Nam ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem, ut siet, resciverit,

se velle, recte a me prospectum esse filiæ nostræ fateberis. PH. *Si quidem recusat Pamphilus uxorem recipere Philumenam, et tu cognovisti in eo culpam inhærere divortii; prope aderam ego, cujus ex sententia æquum erat omnia hæc provideri. Quamobrem ira exardesco, te hæc ausam fuisse exequi sine jussu meo. Veto ne puerum, qui modo natus est, extra domum nostram in ullum locum exportare audeas; sed ego ineptior, qui uxorem meam poscam meis jussis obedire. Ibo intro ædes, et familiæ imperabo ne patiantur infantulum exportari in ullum quemvis locum.* MY. *Per Pollucem nullam credo mulierem esse in terris magis infortunatam, quam ego sum: nam per Pollucem non mihi obscurum est, quam ægre laturus sit Phidippus,*

te solum volo.' *Bent.* Qui 'ingerit *eum* frigide.' *Perl. Solus solum* Bod. G. Br.—43 *Roga* posteriorem corripiet. Martialis: *Incideris quotiens in basia fellatoris, In solio puta te Flacce lavare caput.* Præterea Bem. et Donatus hunc ordinem verborum habent, *roga velitne uxorem annon?* sed sic versum sustentabimus, non faciendo collisionem vocalium in *si est.* Fa. *Roga velitne uxorem annon: si est, ut dicat velle se.* Nisi vel in *uxorem* vel in *si* cesset Synalœpha, quorum neutrum ex arte licet, versus hic stare nequit. Repone ex nostris fere omnibus, id quod Faërnus ejecerat, *Roga velitne annon uxorem.* Bent.—44 Nos addimus pronomen *ego* ex Bem. ac Vict. et Donato, *recte ego consului meæ.* Fa. In nostris deest *ego,* versu gratulante. *Bent. Ego* deest in Br. Both. *gnatæ* vice *meæ* Guelf. 1.—45 Legendum videtur *sensti,* per syncopam; aut certe ita in scansione pronuntiandum. *Fa.* Si pronuntietur *sensti,* quidni et scribatur? *Bent. Sensisti in eo* Both. quia '*sensti* duriusculum:' *sensti* Perl. quo judice, 'durum est quidem *sensti,* sed durius quod Cicero affert 'extinxsti' de Or. II. 46. *sensisti* est contra trochaici leges.' *Sensisti in eo esse peccatum | Myrrhina cujus* Br. omisso *aderam.*—46 *Fuerat ea par* Br. et omnes Mss. apud Bœcl. et sic Bent. e suis universis, quia 'hic sine synalœpha est *consilio.*' *parea fuerat* Both. tacite.—47 *Te* non agnoscunt Mss. et editi quidam; in aliis varie ponitur, et videtur supervacua. *West.* Ea collocatione verborum, quam habet Vict. stat trochaicus, ut pronomen *te,* post

NOTÆ

48 *Ne extulisse extra ædes puerum*] Timebat Phidippus, ne Myrrhina exponeret puerum.

Non, ædepol, clam me est, cum hoc, quod levius est, tam animo iracundo tulit:
Nec, qua via sententia ejus possit mutari, scio.
Hoc mihi unum ex plurimis miseriis reliquum fuerat malum,
Si puerum, ut tollam, cogit, cujus nos qui sit, nescimus, pater.
Nam, cum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est;
Neque detractum ei est quicquam, qui posset post nosci, qui siet.
Ipse eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens annulum.

si cognoverit ut vere ipsa res se habet; cum hoc tantum, quod multo minus est, partum scilicet celasse, tam acerbe et iracunde acceperit; nec qua ratione a sententia sua de non exponendo puero dimoveri possit. Hoc mihi unum extremum, ex omnibus calamitatibus et infortuniis, malum restiterat, si vir meus me cogit, ut educam puerum, cujus pater nobis est ignotus: nam cum filia vitiata fuit, facies ejus, qui eam compressit, cognosci noctu non potuit, neque ei Philumena quicquam detraxit, ex quo possit comperiri quis ille sit; sed ipse discedens eripuit vi annulum ei virgini

hæc, ponatur. *Fa.* Nostri omnes *te* ante *esse.* Tolle *Esse,* et veram lectionem habes, *Quamobrem incendor ira, te ausam facere hæc injussu meo.* Bent. sequitur Both. et Perl. *te esse — hæc injussu* — Br.—53 *Quod leve est* G.—54 *Mutari possit*] O. l. s. et Donatus, *possit mutari:* quod numerosius est. *Fa.* Sic et nostri omnes. *Bent.*—55 '*Fuerit* Mss. omnes.' *Bœcl. Hoc unum fuerat plurimis ex miseriis mihi reliquum* Both.—56 *Tollam ut* duo Mss. *Bœcl.* Satis bene *cujus,* sed adhuc melius *cui nos.* Bent.—58 *Neque detractum ei tum quicquam est, qui post possit noscier qui siet*] Hic versus nullo modo potest stare: quem nos ex Bem. ita corrigimus, *Neque detractum ei est quicquam, qui posset post nosci qui siet. Ei* autem hic spondeus est, ut sæpe apud Lucretium. *Fa.* Sic a Faërno est; in quo *ei* disyllabon est, et scribendum *eii;* hoc ferendum: sed ut *posset* acuat secundam, ferri non debet. Quanto melius nostri fere omnes; si *noscier* in *nosci* mutes, *Neque detractum ei tum quicquam est, qui post posset nosci qui siet.* Bent. *Est tum quidquam ei qui nosci possit* Both. *ei tum quidquam est* G. *ei quicquam est* Br. '*qui post possit noscier* Mss. et impressi quidam post EP.' *West.* et sic Br. *noscier* omnes Mss. apud Bœcl. et GM.—59 *Eripit anulum* Both. omnes ante Perl. *annulum.*—60 Ar-

NOTÆ

56 *Si puerum ut tollam cogit*] Id est, ut educem. Infantes olim, simul ac nati erant, humi deponebantur. Ab humo vero pater tollebat, et in sinum recipiebat. Statius, 'meus ille, meus; tellure cadentem Excepi.' Qui autem non tollebatur, pro abdicato, et abjectitio erat: quo respicit frequenter Terentius.

Simul vereor Pamphilum, ne orata nostra nequeat diutius
Celare, cum sciet alienum puerum tolli pro suo.

ex digito. Etiam timeo ne Pamphilus non possit ea, quæ oravimus, diutius silentio abscondere, cum noverit alienum puerum educari loco sui filii, quod moleste feret.

bitror ex *simul l* elidi, ut primus pes sit proceleusmaticus, secundus spondeus. *Fa.* Recte de *simul;* et in primo pede hæc corripi frequentissimum est. *Bent.* *Nostrum queat* Mss. duo. *Bæcl.*

ACTUS IV. SCENA II.

SOSTRATA. PAMPHILUS.

So. Non clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam, uxorem tuam
Propter meos mores hinc abisse, etsi ea dissimulas sedulo.
Verum, ita me Di ament, itaque obtingant ex te, quæ exopto, mihi,
Ut nunquam sciens commerui, merito ut caperet odium illa mei;

So. *Non me latet, fili mi, me tibi in suspicionem venisse, uxorem tuam Philumenam hinc discessisse in domum patris, propter mores meos forsitan injucundos, etsi ea diligenter celas: verum ita mihi Dii faveant, itaque a te mihi obveniant ea, quæ exopto, ut nunquam volens prudensque culpam commisi, propter quam uxor tua con-*

Dac. hic facit initium act. IV. propterea quod scena vacua sit a personis. *Perl.*—1 Aliam collocationem verborum habet Bem. et aliquot alii, versui æque aptam, qui est octonarius Iambicus quadratus; *non clam me est gnate mi.* Fa. Ferri hæc possunt; ideo nihil hic muto. Sed aperiam suspicionem meam, fortassis ab Auctore sic primum venisse, *Non clam me est, esse tibi suspectum, gnate mi, uxorem tuam Propter meos mores hinc abisse; etsi id dissimulas sedulo.* 'Esse tibi suspectum;' ut supra III. 3. 38. 'Scio nemini aliter suspectum fore.' *Bent.* *Mi* deest in Guelf. 3.—2 *Ea* omittit Both. *Assimulas* Br.—3 *Quæ exoptem* habet Bem. reliqui fere *exopto*, quod et placet. *Fa.* Unus ex nostris *exopto;* ceteri *opto*. Bent. '*Opto* Mss. omnes.' *Bæcl.* Br. *exoptem* Bip.—4 *Ut caperet odium illa mei*] Ita est in Bodl. G. et Leidd. quinque, nisi quod in uno *m* in *illam* erasum. Ita et Juntæ, Fabrini, cum Aldo, aliisque. EA. Stephanus, et plusculi alii, *Ut caperet illa odium mei.* Faërnus ex Bem. legit, *Ut caperet odium illam mei.* quomodo et Daceria edidit. Et videtur locutio magis Terentiana. *West.* Hic est trochæus in septima sede octonarii, quem pedem versus Iambicus non admittit: quare aut legendum est, ut habent o. l. s. recentiores, *ut caperet illa odium mei,* aut conservata

Teque ante quam me amare rebar, ei rei firmasti fidem.
Nam mihi intus tuus pater narravit modo, quo pacto me habueris
Præpositam amori tuo: nunc tibi me certum est contra gratiam
Referre, ut apud me præmium esse positum pietati scias.

ciperet odium in me merito meo: et antequam existimabam te me amare, id ita vere esse confirmasti. Nam mihi paulo ante pater tuus commemoravit quomodo me prætulisti amori, quo uxorem prosequebaris: et nunc mihi deliberatum et constitutum est, vicissim tibi beneficium retribuere; ut tibi manifestum fiat mercedem pietati

collocatione verborum impressa, quæ eadem est in Bem. et aliis antiquis, emendandum, licet reclamantibus omnibus libris, *illam:* ut sit, *ut caperet odium illam mei*, et sit ordo, ut odium mei caperet illam: sicut et supra dicitur: 'Jampridem equidem audivi, cepisse odium tui Philumenam.' Et in Eunucho: 'Tum sicubi eum satietas hominum, aut negoti si quando odium ceperat.' Hoc et Ubaldino Bandinello placebat. *Fa.* In duobus nostris *illam* erat; et *m* postea erasum. *Bent.* *Illam* Fa. recte. *Perl.* *illa odium* Br. *ut* | *Nunquam* Bip. Both. et mox *ut odium caperet eam* Both. tacite; '*illa* Mss. omnes.' *Bæcl.*—5 *Teque ante quam me amare rebar, ei rei firmasti fidem*] Guyetus nihil expediens versum hunc expungit. Alii varie laborant, neque sensum eruunt. Ordo autem omnino hic esse videtur: 'Et quam,' i. e. quantopere, 'ante rebar te amare me, ei rei firmasti fidem.' M. omittit *rei*. Rivius perperam omitti dicit. Qui vero ex editoribus omittunt, in quibus sunt Juntæ et Aldus, ita legunt: *Teque, antequam me valde amare rebar, ei firmasti fidem.* West. Satagit hic Donatus; agit nihil. Unus Academicus pro varia lectione *ante quem.* Sed adhuc restat ἀνακόλουθον· nisi legas *Tuque, ante quem.* Rem conficit noster veterrimus, *Teque ante quod me amare rebar, ei rei firmasti fidem.* Ordo est; 'Quodque ante rebar, te me amare, ei rei fidem firmasti.' *Bent.* Hunc locum, e quo nullus sensus elici poterat, antiquorum librorum ope restituit Bent. *R. D.* Versus hic est crux interpretum inde a Don. Duplex ejus nomine expositio legitur. Prima: deest 'tam;' ut sit ordo: *et quam te amare me rebar, tantum firmasti fidem ei rei.* Alia, forsan ab alio: ordo et sensus hic est: *et quod ante rebar, ei rei firmasti fidem meam: neque me fefellit, quod ante rebar, te me amare: nam ei rei hodie firmasti fidem, id est, probationem attulisti.* Interpp. recc. huic ultimæ sententiæ ferme accedunt omnes. Sed Bentl. sibi ante alios sapiens, gravius dicit: 'Satagit hic Don. agit nihil. Rem conficiet noster veterrimus *Teque ante quod me, &c.* Ordo est: *quodque ante rebar, te me am. ei rei f. f.*' Quemadmodum autem veterrimus ille Bentleii aperte ex altero scholio mutuum accepit illud *quod*, ita et ipse magnus criticus nihil ab eo diversi protulit. Donati quidem s. quisquis ei suum attexuerit, postrema expositio adjuvetur, si *quam* lenius emendes in *quum*, ut sit *et quum ante rebar, te am. m. &c.* nisi malis *ante quam* dici pro *præ quam s. præut.* Sic certe magis laudaret filii in se amorem, quam si ex prima Don. expositione credas, *quantum te am. me a. r. tantum ei rei f. f.* Bip. *Quom me* Both.—7 *Tuo*, ex interprete, delet Both. *certum me est* Br.—8 *Ut apud me præmium esse positum pietati scias*] Ita edo ex Mss. Leidensibus tribus et Lips. cum EP. Venet. Argent. Lugd. aliis. In uno Mss. Leidd. est: *ut me apud præmium esse positum scias pietati tuæ.* Ms. G. pro illis, *ut apud me*, legit, *mi Pamphile.* Juntæ, Gambarellus, Aldus, Ste. et bona pars aliorum editorum, *pietatis* exhibent. sed *pietati* defenditur a Fa. et Mur. Et Latinior videtur locutio, similiisque illi Prol. 41. 'pre-

Mi Pamphile, hoc et vobis, et meæ commodum famæ arbitror:
Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre,
Ne mea præsentia obstet, neu causa ulla restet reliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. PAM. Quæso, quid istuc consilii est?
Illius stultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres?
Non facies: neque sinam, ut, qui nobis, mater, maledictum velit,
Mea pertinacia esse dicat factum, haud tua modestia.
Tum tuas amicas te, et cognatas deserere, et festos dies,
Mea causa, nolo. So. Nihil pol jam res isthæc mihi voluptatis ferunt:
Dum ætas, tempus tulit, perfuncta satis sum: satias jam tenet

in me tuæ apud me servari, et recondi. Mi Pamphile, hoc et vobis, et meæ existimationi conveniens, et utile esse judico: ego constitui hinc ad villam me profecturam esse cum tuo patre, ne mea præsentia obsit, neve ulla causa relinquatur, quominus tua uxor Philumena ad te revertatur. PA. *Rogo, quod istud propositum tuum? ut tu illius imprudentia adacta ex urbe discedas ad villam incolendam? Non permittam, neque id fiet a te, ut qui nobis, mater, obtrectare cupiunt, meam pervicaciam dicant esse causam, non tuam facilitatem, et moderationem, cur habitatum rus iveris: etiam tuas amicas, et cognatione propinquas relinquere, et dierum festorum solennem celebrationem, propter me, minime consentire possum.* So. *Nihil per Pollucem ista res nunc me oblectat: dum ætas vitæ passa est, satis huic rei operam*

tium statui arti meæ.' Tum Plautus, Pœn. v. 4. 17. dixit: 'Invictæ præmium ut esse sciam pietati.' Virgil. Æn. I. 465. 'sunt hic etiam sua præmia laudi. *West.* Ex Vict. lego *pietati.* Fa. Plerique ex nostris *pietati.* Bent. Unus Ms. *pietatis scias tuæ*, alter omittit *tuæ*, Argentor. *pietati scias tuæ.* Bœcl. *pietatis* Br.—10 *Certe* omnes Mss. *Bœcl.* Mss. et editi vett. magnam partem legunt *certe.* West. *Hinc continuo—certe* Br.—13 *Ut illius* plusculi Mss. et impressi. *West.* et sic Hel. mox *ut migres* Both.—14 *Haud facies* G. Br.—15 Ex Bem. et aliis antiquis ac Donato, versusque ratione, ita ordinamus hæc verba, *esse dicat factum.* Fa. Pars melior nostrorum *esse dicat.* Bent. Olim, ut videtur, *dicat esse.*—16 *Tuas cognatas* Guelf. 3.—17 *Nihil jam mihi istæc res voluptatis ferunt*] Bem. *istæ res;* quamvis et *istæc*, genere feminino, nominativo Plurali efferret antiquitas. Ter. in Eun. *Continuo hæc adornant ut lavet.* Fa. Lege ex nostris universis, *Nil pol jam isthæc mihi res voluptatis ferunt.* Ejectum *Pol* ab eis est, qui nescirent *voluptatis* secundam corripere solere. *Istæc* omnes Codices, solo Bembino excepto, pro *Istæ.* Vide infra IV. 3. 12. *Illæc* pro *Illæ.* Bent. *Nil mihi pol jam istæc vol. fer.* Both. *Nil pol jam istæ res mi.* Bip. at in notis vult aut *pol* aut *res* omittere. *Istæc mihi res* G. Br. *Nil pol jam istæc mihi res.* Perl.—18 West. *ætas, tempus* nescio unde [certe edd. omnes aliæ *ætatis tempus*]. Sed Par. *ætas* ex-

Studiorum istorum. Hæc mihi nunc cura est maxuma, ut ne cui meæ
Longinquitas ætatis obstet, mortemve expectet meam.
Hic video me esse invisam immerito: tempus est concedere.
Sic optume, ut ego opinor, omnes causas præcidam omnibus;
Et me hac suspicione exsolvam, et illis morem gessero.
Sine me, obsecro, hoc effugere, volgus quod male audit mulierum.
PAM. Quam fortunatus ceteris sum rebus, absque una hac foret;
Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem! So. Obsecro, mi Pamphile,

dedi. Satietas nunc tenet harum omnium exercitationum: hæc nunc maxime me cura solicitat, ut ne longa vita mea alicui invisa sit et noceat, morsque mea expectetur ab aliquo. Hic animadverto me odio haberi ab omnibus. Tempus est abire hinc. Sic commodissime omnes causas amputabo omnibus et me hac opinione falsa liberabo, et illis obsequutus fuero. Permitte me oro hoc evitare, propter quod genus mulierum vituperatur. PA. *Quam beatus sum in ceteris rebus omnibus, absque hac una re esset: nam quoniam matrem tam benignam habeo, felix sum: sed infelix uxorem habens gravidam ex alio.* So. *Quæso, mi Pamphile, ne tibi tu ipse persua-*

hibet pro gl. *Perl.* mox *satietas* GM. et pro gl. Br. 'Delemus pronomen *me*, ex auctoritate Bem. et ratione versus.' *Fa.* 'In veterrimo nostro deest *me*: ceteri habent.' *Bent. Me* GM. et, pro gl. Br.—19 *Ipsorum* Guelf. 2. 'Aliqui libri, inter quos Bem. et alii antiqui, habent *mea.*' Fa. 'Plerique ex nostris *mea.*' Bent. 'At minus Latine videtur *mea longinquitas*, quam *meæ ætatis.*' Perl.—20 *Longuitas* V. C. *Lind.* Nos *exspectet* legimus ex Donato, et Bem. ita etiam scriptum fuisse in Vict. conjicere licet ex rasura, ubi reposita est dictio *exoptet.* Fa. Nostri omnes *exoptet.* Bent. Et sic Br. Mss. omnes apud Bœcl. et impressi post EP. 'præstat autem *exspectet.*' West. *exoptent* Argentor. teste Bœcl. *Mortem ut exspectet* Both.—21 *Immeritam* GM.—24 *Hoc* omnes Mss. omittunt. *Bœcl.*—25 *Absque una hæc foret*] Sic et nostri codices *Hæc*, et Donatus; ut *Absque* adverbium sit, *Absque foret*, abesset. Idem tamen agnoscit aliam lectionem, *Absque una hoc foret*, ut *Absque* sit præpositio. Male tamen explicat, *Una*, id est, *Uxore.* Immo *Ceteris rebus, absque una hac*, re scilicet. *Absque esset* cum ablativo passim obversatur. Porro pro *sum* lege *sim.* Bent. *Absque una hæc foret:* i. e. 'si hæc una res abesset.' In Phorm. I. 4. 11. 'nam absque eo esset.' Hæc loquendi forma non nisi apud comicos reperitur. Ipsa etiam præpositione *absque* comici soli utuntur, quæ non directe apud eos *sine* significat, sed tantum exceptionem quandam. v. Vorstium de Latinit. merito suspecta c. 9.' *R. D. Sim* Both. omisso *hac.* Ms. Lips. *Si absque una hac foret.* Juntæ, Aldus, Ste. Fabrini, ediderunt, *Absque una hæc foret.* Sed et ita est in G. West. et sic Br.—26 Hunc versum expungit Guyetus; sine quo non constat sensus dictorum Pamphili, fortunatum se judicantis, de matre et uxore, nisi quod huic indigne

Non tute incommodam rem, ut quæque est, in animum inducas pati?
Si cetera sunt ita, ut vis, itaque ut esse ego illam existumo,
Mi gnate, da veniam hanc mihi: reduce illam. PAM. Væ misero mihi!
SO. Et mihi quidem! nam hæc res non minus me male habet, quam te, gnate mi.

deas te rem difficilem, et molestam ullam tolerare; ut ut sit incommoda, si cetera tibi pro voto succedunt, si ita sit uxor, ut ego illam esse existimo, honestam et tibi obsequentem, concede hoc mihi: recipe illam apud te. PA. *Væ misero mihi!* SO. *Et mihi certe: nam hæc res non minori cura me solicitat, quam te, gnate mi.*

vitium autumat ab alio amatore oblatum. In editis quibusdam veteribus est: *habens, talem autem illam uxorem.* West. *Habens, uxorem autem illanc* Both. '*Illam haud uxorem* Mss. duo.' *Bœcl.*—27 *Non tute rem incommodam*] Bem. et aliqui alii, *non tute incommodam rem:* quæ collocatio versum, aliter laborantem, sustentat: et paulo post in eodem Bem. pro *inducas, induces:* et legendum est cum affectu hortantis ad patientiam, ut et tangere videtur Donatus. *Fa.* Nostri *incommodam rem*; sed iidem *inducas.* Bent. *Induces* Bent. Both. Perl.—28 *Ut tu vis* G. EP. Br. Guelf. 3. Pronomen *tu* non est in Bem. ac ne necessarium quidem est: collocationem vero verborum o. l. s. eo excepto, et cum iis Donatus, hanc habent, *si cetera ita sunt.* Fa. Nostri omnes, *ut tu vis:* sed recte Bem. *ut vis:* alioquin *Ita* et *Itaque* non eodem accentu fuerint. Nostri universi *illam*, et (quod miror) Donatus, qui intelligit *Nurum.* Quis non videat *illa* legendum, et referendum ad *cetera.* Sed hoc plus toto sæculo jam innotuit. *Bent.* quem sequitur Both. Perl. *Illam* Br. Guelf. 2. 3.—29 *Veniam* in Thesi totum latet. *reduce* nostri omnes. Lege, *Mi gnate, da mi hanc veniam, redduc illam.* Plaut. Amph. III. 2. 4. 'Da mihi hanc veniam, ignosce, irata ne sies.' *Bent.* quem sequitur Both. *Reduc* Bip. Perl.

ACTUS IV. SCENA III.

LACHES. SOSTRATA. PAMPHILUS.

LA. QUEM cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi, uxor.

LA. *Non ita hinc longe stans, audivi ea, quæ colloquuta fueris cum isto filio*

1 *Hic* tres ex nostris, et lege *astans* ut Heaut. v. 2. 7. *Bent.* Non versus solum causa malimus *Sostrata*; sed et quod in placatiorem modo virum melius convenit, quam *uxor*; quo nomine, alias dignitatem habente, non abs-

Istuc est sapere, qui, ubicumque opus sit, animum possis flectere;
Quod faciundum fortasse sit post, idem hoc nunc si feceris.
SO. Fors fuat pol! LA. Abi rus ergo hinc: ibi ego te, et tu me feres.
SO. Spero ecastor. LA. I ergo intro, et compone, quæ tecum simul
Ferantur: dixi. SO. Ita ut jubes, faciam. PAM. Pater.

nostro, Pamphilo. Istud porro est sapientis, posse, quandocumque res exigit, animum facile circumagere et adducere ad id faciendum libenter impræsentia, quod fortasse postea facere cogat necessitas. SO. *Bona fortuna eveniat.* LA. *Secede igitur in villam ab hac urbe. Ibi ego tuos mores, tuque meos invicem æquo animo feres.* SO. *Proculdubio ita confido fore.* LA. *Intra igitur domum, collige, et compara ea, quæ tecum ferenda sunt: hæc censeo facienda.* SO. *Ita ut imperas,*

que ironia viri suas appellant, certe ap. nostrum; cf. Heaut. III. 5. 9. et V. 1. 6. Et Laches supra cum sua vehementius agens, vocabat *mulier*, lenius *Sostrata.* Bip.—2 *Ubique* Palmerius legit, sed invitis Musis. *West. possis animum* Mss. omnes. *Bœcl.* Non opus cum Palmerio *posse* legere. *West.*—3 Exhibeo lectionem Juntinam, Aldinam, Ste. et EA. Alii cum Mureto, *Postidea:* quod Plautinum. *West.* Hic versus ut trochaicus non potest stare, ut Iambicus autem vix atque ægre, adeo impeditus est inversione verborum: quæ nos ex Donato et Bem. ita collocamus: *Quod faciundum sit post fortasse:* ita trochaicus erit, in quo tamen in, *idem hoc*, non fiet collisio. Vict. et aliqui alii libri ita habent, *Quod faciundum sit fortasse post idem hoc nunc si feceris.* Alii, *Quod sit faciundum fortasse*, et in his Bas. *Fa.* Sic dedit Faërnus; ut in *idem* nulla fiat collisio: quæ tamen licentia non potest concedi. Nostri veterrimi cum aliis plerisque, *Quod sit faciundum:* Unus cum Vict. *fortasse post.* Repone, *Quod sit faciundum fortasse post, idem hoc nunc si feceris.* Ubi vides et *Post* et ei oppositum *Nunc* utrumque in ictu esse. *Bent.* Br. A, *quod sit faciendum post fortasse*, et sic 'duo Mss. tertius *quod faciundum sit fortasse post — si non feceris.*' Bœcl.—4 *Fiat* Br. EP. omnes Mss. apud Bœcl. *faveat* GM. e m. 2da. *fiat* Par. absque *fors*: 'Jac. Perizonius legebat *fuit.*' West.—5 *Simul tecum afferantur* unus e Mss. *Bœcl.* *I intro ergo et compone quæ tecum | ferantur simul.* Br. Inversa verba sic colloca ex Bem. et aliis antiquis, et ratione trochaici, *quæ tecum simul.* Fa. Nostri quoque omnes *tecum simul.* Bent.—3. 4. 5. 6 Hos quatuor versus ita legit Both. *Postidea quod faciundum fors sit, nunc item hoc fuat pol. | Abi rus ergo hinc: ibi ego te et tu feres me.* So. *Spero ecastor.* | LA. *I ergo et compone, quæ simul tecum ferantur. Dixi.* | So. *Ita, ut jubes, faciam.* PA. *Pater.* | Scilicet non intellecta verba, *fors fuat pol*, omnes has dedisse turbas, quæ pro Fortunæ invocatione accipientes, cum manca videretur antecedens proxime sententia, cito addiderunt, *si feceris*,

NOTÆ

4 *Fors fuat*] Fortuna faveat. *Fuat*, significat *sit.*

6 *Dixi*] Hoc verbum in peroratione causæ adhiberi solitum, quo significatur firmum et esse ratum, quod egerit Orator.

LA. Quid vis, Pamphile? PAM. Hinc abire matrem? minume. LA. Quid ita istuc vis?
PAM. Quia de uxore incertus sum etiam, quid sim facturus. LA. Quid est?
Quid vis facere, nisi reducere? PAM. Equidem cupio; et vix contineor;
Sed non minuam meum consilium: ex usu quod est, id persequar.
Credo ea gratia concordes magis, si non reducam, fore.

exequar. PA. *Pater.* LA. *Quid vis, Pamphile?* PA. *Hincne rus matrem abire sinis? minime hoc fiat.* LA. *Quid ita istud vis? matrem scilicet rus non ire.* PA. *Quia animi pendeo dubius etiam, quid uxore mea debeam facere.* LA. *Quid est? quid aliud facere vis, nisi eam apud te recipere?* PA. *Profecto cupio eam recipere, et vix mihi tempero, quin hoc faciam, sed nihil quidquam de consilio meo mutabo; id quod expedit, et utile est, ut cœpi sequar. Credo eas inter se, matrem, et uxorem, magis consensuras esse, si Philumenam uxorem non recipiam.* LA. *Nescias utrum eventurum*

itaque et sententiam obscurarunt et metrum.—7 *Istuc ita* Ms. unus. *Bœcl.* —8 *Quid id est* Both. tacite.—9 *Vix contineor*] Tr. et M. *Vix contineo.* Quod Guyetus, Erasmum, Faërnum, et Muretum sequutus, defendit, atque interpretatur, 'Cupio,' sub. rem aperire, i. e. partum Philumenæ, 'et vix contineo,' sub. me. Existimat porro, Pamphilum, quid responderet, non habentem, ad spectatores se convertisse, et hæc submisse pronuntiasse, ita ut pater non exaudiret. Si vero cum Donato legas, *Contineor*, servabitur χαρακτὴρ Pamphili, deperientis Philumenam, sed vitium ei oblatum ita ægre ferentis, ut amor pudorque animum ejus diversum trahant. Sed et ita melius totum Pamphili responsum cohærebit; neque alias res agere videbitur in re seria. Vide supra III. 5. 38. Donatus optime explicuit. Plaut. Capt. III. 4. 60. 'Enimvero jam nequeo contineri.' Rud. IV. 4. 128. 'contineri, quin complectar, non queo.' *West.* Complures libri et in iis antiquissimi *contineor.* Fa. Nostri etiam *contineor.* Bent. *Contineo* unus Ms. alter *retineor.* Bœcl. *contineor* præferendum. *R. D.* *Contineo* EM. ET.—10 *Non comminuam* Br. mox Both. *ex usu quod mi est, persequar.*—11 *Magis* agnoscitur a Tr. et M. et Donato, et edd. vetustissimis et probatissimis. In Mss. Leidensibus duobus supra scriptum. Religio igitur fuit omittere cum nuperis quibusdam editoribus, auctoritatem Faërni et Parei sequutis. Glareanus et Muretus aliter ordinant verba. ille ita: *Ea credo gratia concordes, si non reducam, magis fore.* Hic: *Credo, si non redducam, ea gratia concordes magis fore.* sed et Faërnus *Redducam* legit, ob metrum scilicet. *West.* Quamlibet Don. aliter legat, ex Vat. et Bas. versusque ratione, delemus adverbium *magis;* quod etiam in Vict. reperimus expunctum: *reducam* vero per duo *d* scribimus ex Bem. *Fa.* *Credo ea gratia concordes, si non redducam, fore.* Sic a Faërno: sed sententia stolida est, et miror, qui Donato et aliis imponere potuerit. *Concordes fore, si non reducam.* Qualis quæso ista *Concordia?* ubi desiit familiaritas et ipsa notitia. Qualis porro Lachetis responsio, *Nescias?* Quid *nesciat* Pamphilus? nempe *Concordes fore, si non reducat.* Pergit tamen Laches, *Tua nil refert, cum hæc aberit.* Cur vero *hæc absit* vel rus concedat, si *ea non reducitur?* Nonne hæc Lachetis clare indicant, de *reducenda* uxore locutum esse Pamphilum, non de *non reducenda?* Et profecto sic res est.

LA. Nescias: verum id tua refert nihil, utrum illæ fecerint,
Quando hæc abierit. Odiosa hæc est ætas adolescentulis.
E medio æquom excedere est. Postremo jam nos fabulæ
Sumus, Pamphile, senex atque anus.
Sed video Phidippum egredi per tempus: accedamus.

sit: verum id tua nihil interest, utrum conveniat inter eas, necne, quando mater tua rus concesserit. Ætas hæc senilis tædiosa est, et invisa adolescentiæ. Ex cœtu hominum nos senes morosos discedere par est. Denique materiam præstamus sermonibus populi et dicteriis, ut ridiculi, ego et mater tua qui vetuli sumus. Sed video Phidippum domo exire tempestive et commode.

Quinque ex nostris cum Edd. vett. et Donato, *concordes magis, si non.* Correctores, cum versum longiorem justo vidissent, ejecerunt *Magis.* Atqui ejiciendum erat *Non*, et sententia per ironiam et simulationem efferenda, *Credo ea gratia concordes magis, si redducam, fore.* Hoc est, *Non credo:* et jam aptissima sunt, quæ respondet Laches. Ita Eun. I. 2. 18. 'Credo, ut fit, misera præ amore exclusti hunc foras.' et V. 2. 23. 'Quid ita? vero debeam Credo isti quicquam furcifero, si id fecerim.' Phorm. I. 2. 90. 'Ad precatorem adeam, credo.' V. 9. 42. 'At meo merito credo.' *Bent.* Varie hic versus legitur. Nos sequimur ordinem, quem post Don. edd. priscas, in iisque nostram Arg. Erasmus. neque Bemb. aliter habet, ex quo *redducam* scripsit Faërnus; sed idem omisit *mage*, quod in Vat. et Basil. absit, versumque longiorem reddat. Mur. aliter ordinans *Credo, si non redducam, ea gr. con. magis fore*, asseclas invenit. Nil certe pronuntiare audemus ob metri varietatem. Sed non ferimus Bentleium, qui contra omnes, pro lubidine ejecto *non*, facit *Credo ea gr. conc. magis, si redducam, fore;* quasi Pamph. per ironiam dixerit, *credo*, ut sit *non credo.* Quam absurda foret personæ hoc in loco antiphrasis; quam sibi ipse adversarius Pamphilus, retinere matrem cupiens! *Bip.* Cum Bent. facit Both. aliqua parte legendo *Credon' — mage si redducam* — sed nullam is ironiam hic invenit. 'Nec Bem. nec Both. eliminantibus *non* assentior. Nam mihi quidem e sermone pensato Pamphilus videtur 'non reducendam' satius putare quam 'reducendam' Philumenam: cf. infr. IV. 12.' *Perl.* —12 M. et Lips. *Nescias nequeas.* quorum posterius e margine in contextum irrepsit. quod item de quatuor Mss. regiis Guyetus testatur, ita legens versum: *Nesciant: verum tua refert nihil, utrum illæ fuerint.* West. In omnibus Mss. gl. irrepsit *nescias nequeas.* Bœcl. et sic A, B, C, Br. GM. Hal. at Both. *Nescias; nequeas: verum id refert nihil.* subintellecto 'scire' post 'nequeas.' '*Id* non habent antiquissimi libri Bem. Vat. Bas.' *Fa.* omittit Bip. necnon Philarg. ad Georg. III. 105. observante Bent. *fecerint* omittit Guelf. 3.—13 Ita cum Donato plerique Mss. et editi vetusti. Faërnus ex Bem. *Aberit* laudat. quomodo et Pareus edidit. Intelligitur autem Sostrata. *West.* *Aberit* Bem. quo quidem modo melius stat versus. *Fa.* Nostri *abierit*. Bent. *Aberit* Bip. Both. '*est hæc* Mss. omnes.' *Bœcl.* *est* delet Bip. 'quia locum mutat in Mss. et obest trochaic. catalect.'—14 Ita omnes antiqui libri. *Fa.* 'Al. collocant *est excedere.* Perl. *est æquom excedere* Both. tacite.—15 Both. versum facit *Postremo nos...anus.* 'Bem. Bas. ac Vict. et Donatus, *nos jam fabulæ.*' Fa. 'Nostri similiter, *Nos jam fabulæ.* Sed jam dudum alii viderunt *fabula* hic legendum. Neque aliter Donatus, ut ex Interpretatione colliges: *Pronuntia Senex atque Anus, quasi initium Fabulæ.*' Bent. *Nos jam* Bip. Br. Perl. —16 *Per tempus egredi* unus Ms. e Bœcl. 'Multi l. s. inter quos Bem. et alii antiqui, ita collocant, *Phidippum egredi per tempus:* qui restitutus ordo verbo-

rum, Iambum constituit in quarta hujus versus sede, qui est Iamb. tetram. catalect.' *Fa.* 'Sic nostri universi.' *Bent.*

ACTUS IV. SCENA IV.

PHIDIPPUS. LACHES. PAMPHILUS.

PHID. TIBI quoque ædepol iratus sum, Philumena,
Graviter quidem; nam hercle abs te factum 'st turpiter;
Etsi tibi causa est de hac re, mater quæ te impulit:
Huic vero nulla est. LA. Opportune te mihi,
Phidippe, in ipso tempore ostendis. PHID. Quid est?
PAM. Quid respondebo his? aut quo pacto hoc aperiam?

PH. *Tibi quoque succenseo, non solum Myrrhinæ matri tuæ, Philumena, et valde quidem per ædem Pollucis: nam per Herculem indecenter te gessisti, quod abscesseris domo mariti; etsi tibi excusatio parata est, nempe matrem te ad id faciendum instigasse: hæc vero nullam omnino causam habet, quam obtendat.* LA. *Commode et tempori mihi te obvium præbes, Phidippe.* PH. *Quamobrem?* PA. *Quid respondebo his, aut quomodo quærentibus id exponam?* LA. *Phidippe, dic*

1 *Tibique* Both. 'Concinnius vetus noster 900. annorum cum altero regio, *Tibi quoque iratus edepol sum, Philumena.*' Bent. *sum iratus* Bip. Br.—2 *Jam* Gu. 2. *est factum* B, C, Br. Perl. et 'nostri fere omnes.' *Bent.* *est factu* duo Mss. e Bœcl. *est* delet Both.—3 *Quæ te impulit*] Ita edo ex Mss. Leidensibus quinque, quamquam in quinto *Quæ* erasum, Bodl. Tr. G. Lips. M. et Bœnd. Tum edd. anni 1469. Anon. Argent. Lugdun. Venet. Junt. Ald. aliis. Donatus, Gambarellus, Ste. aliique omittunt *Quæ*. quam vocem manifesto rejicit Rivius. *West.* rejiciunt et Bent. Bip. Both. Perl. at *quæ* agnoscunt Mss. omnes apud Bœcl. Bent. Lind. necnon Br. Guelf. 2.—4 *Optime* Mss. duo. *Bœcl.* —5 Pro *ostendis* EM. *offers.*—6 Complures libri scripti, inter quos antiquissimi, habent *aperiam:* quemadmodum et Donatus legit, ita dicens, *Hoc modo ostendit nec esse quod simulet, nec id quod verum est, dicendum sibi esse.* ita etiam R. Steph. impressit. *Fa.* *Aperiam* dedit Faërnus: et verum est vetustiores et plures codices *aperiam* habere. Duo soli ex nostris *operiam:* hæc tamen vera lectio est, et sic Donatus; ut ex interpretatione ejus colliges, contra ac sensit Faërnus. *Hoc*, inquit, *modo ostendit, nec esse quod simulet*, (hoc refer ad *Quid respondebo?*) *nec id quod verum est, dicendum esse sibi. Si non est dicendum;* certe est *Operiendum*, celandum, non *Aperiendum*. Vidit hoc olim et vir doctus Jo. Rivius. Pamphilus ipse supra III. 4. 30. 'Ille abiit. quid agam infelix? prorsus nescio Quo pacto hoc celem, quod me oravit Myrrhina, Gnatæ suæ partum.' Credisne jam homini ipsi? *Quo pacto hoc celem*, id ipsum est, quod *Quo pacto hoc operiam*. Bent. Contra Donati mentem, immo contra Pamphili destinatam animo sententiam III. 5. 42. Faërn. rescripsit ex suis Codd. *aperiam*. Nostrum verbum est in aliis Codd. et probatum Rivio, Daciériæ, Bentl. aliisque, quibus accedimus. *Bip.* Mss. quidam et editi, *Hæc aperiam*. Atque ita Hulst. Laudatque Guyetus, quod Terentius amet pluralia. In uno Mss. Leidensium dubie *hᶜ aperiam?* si vero *Aperiam* legas, sen-

LA. Dic filiæ, rus concessuram hinc Sostratam:
Ne revereatur, minus jam quo redeat domum. PHID. Ah!
Nullam de his rebus culpam commeruit tua:
A Myrrhina hæc sunt mea uxore exorta omnia.
Mutatio fit: ea nos perturbat, Laches.
PAM. Dum ne reducam, turbent porro, quam velint.

filiæ Philumenæ rus profecturam hinc Sostratam, ne timeat quominus ad nos revertatur. PH. *Ah, nihil quidquam, Laches, in ea re peccavit uxor tua Sostrata: Myrrhina uxor mea est origo et causa harum omnium turbarum. Nova oritur rerum conversio. Ea est causa perturbationis nostræ, Laches.* PA. *Dummodo non reducam Philumenam, tumultuentur, et contendant Laches et*

sus erit, 'Quo pacto illud potero indicare sine magno Philumenæ detrimento?' Nisi forte legendum, *Operiam*, i. e. occultabo. quod probant Rivius et Dacieria. Confer orata Myrrhinæ, supra III. 3. 28. *West.* *Operiam* Both. Perl. *aperiam* Br. GM. 'nullo sensu legitur *aperiam*.' R. D.—8 Codd. quidam scripti et editi post an. 1469. *Ne vereatur.* Et videtur *Re* αὐξητικὸν, ut in *Reformido.* West. *Ne vereatur* omnes Mss. *Bœcl.*—9 *Uxor tua* ET. EM.—10 *Mea uxore*] Guy. delet *Mea*, in quo omnis emphasis est. Sostratam enim indigitans dixerat, 'Tua.'—11 *Mutatio fit*] Guy. vim hujus versus non capiens, expungit. Intelligitur autem *Mutatio* criminis. q. d. Culpa jam non amplius in tua domo hæret, sed in mea; a mea enim uxore exorta sunt omnia, non a tua; idque perturbat nos. Existimat Dacieria, verba hæc tribuenda Pamphilo, tacite secum mussitanti. Citat autem hunc versum Priscianus, Instit. Grammat. lib. VII. addens: 'Nec solum in his, quæ sunt primæ, sed etiam in illis, quæ tertiæ, i. e. in omnibus Græcis *Es* producta finitis similiter invenies vocativum in *E* productum proferri Chreme, Lache, Anchise.' *West.* Bem. et Priscianus, *Lache.* sic et infra ex ratione versus legendum esse contendimus: *Vosmet videte jam Lache et tu Pamphile.* licet in omnibus libris sit *Laches.* Fa. PH. *A Myrrhina hæc sunt mea uxore exorta omnia. Mutatio fit: ea nos perturbat, Lache.* Sudat hic multum Donatus, sed operam ludit. Guyetus illud *Mutatio fit*, totumque adeo versum ut ineptum et spurium damnat. Dignus sane est, ut nunc quidem habetur. Sed singula suis personis redde, et genuinum se probabit. PHI. *A Myrrhina hæc sunt mea uxore exorta omnia.* PAM. *Mutatio fit.* PHI. *ea nos perturbat, Lache.* *Mutatio fit* sunt Pamphili verba: quæ ut secreti conscius, aversus a senibus loquitur. Hoc, cum indicatum jam semel est, sat scio, sua se luce cuivis commendabit. Sed aliud dabo, quod adhuc fidem faciat. Nisi hoc Pamphilo tribuas, *Ea nos perturbat*, non erit *Ea uxor Myrrhina.* quod Donatus tamen monendum putavit; sed *Ea mutatio nos perturbat.* Tam inepte et putide, ut nihil infra. *Bent.* Rectius Bent. verba *mutatio fit* Pamphilo tribuit. *Perl.* *Mea hæc sunt exorta omnia* Both. deleto *uxore* pro gl. et mox Lacheti tribuit Both. verba eadem *mutatio fit.*—12 Donatus ad locum: '*Quam* non est generis feminini, sed est 'Quantum:' *Turbent*, errent et tumultuentur, significat; vel turbentur. *Quam velint*, 'quantum' velint, aut eam 'quam' velint mulierem; sed melius est quod supra diximus.' Si standum erit huic lectioni *turbent*, quam et codices omnes exhibent, recte sane magnus Magister. Sed cum illud inspicio, *Ea nos perturbat, Lache*, cui aversus Pamphilus hoc

NOTÆ

12 *Turbent porro*] Hæc ad spectatores dicantur.

PHID. Ego, Pamphile, esse inter nos, si fieri potest,
Affinitatem hanc sane perpetuam volo:
Sin est, ut aliter tua siet sententia,
Accipias puerum. PAM. Sensit peperisse: occidi!
LA. Puerum! quem puerum? PHID. Natus est nobis nepos:
Nam abducta a vobis prægnans fuerat filia,
Neque fuisse prægnantem unquam ante hunc scivi diem.
LA. Bene, ita me Di ament! nuntias; et gaudeo,
Natum illum, et tibi illam salvam: sed quid mulieris
Uxorem habes, aut quibus moratam moribus?

Philippus, quantum eis placeat. PH. *Ego, Pamphile, hanc affinitatis necessitudinem inter nos perpetuo intercedere opto, si fieri potest: quod si non ita fert tua voluntas, puerum, quem genuisti ex Philumena, recipias velim.* PA. *Nempe comperit Phidippus Philumenam peperisse: interii.* LA. *Puerum? quem puerum?* PH. *Natus est nobis nepos ex Pamphilo et Philumena: nam Myrrhina ex vestra domo filiam gravidam abduxit, neque unquam gravidam fuisse accepi ante hunc diem.* LA. *Jucundum mihi nuntium, ita me Dii ament, mihi nuntias, et gratulor tibi, illum natum esse, et filiam quoque Philumenam esse incolumem, et bene valentem: sed quæ mulier est uxor tua, aut quibus instructa moribus? Nobisne hoc, filiam fuisse*

responsi dat, vix possum dubitare, quin a Terentio sic fuerit: *Dum ne reducam; turbet porro quam velit. Myrrhina,* inquit Phidippus, *perturbat nos:* ad hoc Pamphilus: *Turbet porro,* perturbet vos adhuc magis Myrrhina, quantum velit; modo ne reducam. Plautus Most. III. 1. 15. *Bent.* quem sequitur Both. probat R. D.—13 *Lache* Guy. voluit, improbante West.—15 *Sin autem* Guelf. 1.—18 Antiquissimi libri Bem. et Vat. hanc vocem *prægnans* et *prægnantem* sine *n* littera habent hoc modo, *prægnas, prægnatem:* itaque semper et in Pandectis Florentinis scripta invenitur hæc dictio. Me vero non tantum usus scribendi vetustissimus movet, quantum hujus dictionis derivatio ab Donato tradita: is enim hunc locum exponens, ait, *Prægnans est ante gnatum vel ante genetricem; est enim præ ante:* ex quibus Donati verbis liquet hanc vocem non esse participium, quod necessario per *n* efferendum esset, sed nomen a præ et gnatus, vel a præ et genetrix; quæ utraque vox nullam necessitatem infert nomini ab se deducto, assumendæ litteræ *n*. Fa. Nostri *prægnans* et *prægnantem.* Bent. Faërnus et Rivius *Prægnas* defendunt ex Codd. Bemb. et Vat. Testis autem est Gregorius Holoander, in Pandectis Florentinis fere semper *prægnas* legi. Eadem vox apud Probum in Catholicis reperitur. Et videtur Donatus ita legisse. Sed et ita est in edit. Heidelb. qua usus est Guyetus et Juntina. Eadem voce Plautus est usus. *Westerhov. Prægnas* et *prægnatem* Pareus et Both.—19 *Prægnatam* G. Totum versum delet Guy.—21 *Tibi et* nostri universi et edd. vett. *Bent.* et sic unus e Bœcl. Br. *tibi* delet Bent. quem sequuntur Bip. Both. Perl. *tibi illum*

NOTÆ

16 *Sensit peperisse*] Hæc solus secum ait Pamphilus.

Nosne hoc celatos tam diu? nequeo satis,
Quam hoc mihi videtur factum prave, proloqui.
PHID. Non tibi illud factum minus placet, quam mihi, Laches.
PAM. Etiamsi dudum fuerat ambiguum hoc mihi,
Nunc non est, cum eam consequitur alienus puer.
LA. Nulla tibi, Pamphile, hic jam consultatio 'st.
PAM. Perii! LA. Hunc videre sæpe optabamus diem,
Cum ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem.
Evenit: habeo gratiam Dis. PAM. Nullus sum!
LA. Reduc uxorem, ac noli advorsari mihi.

prægnantem, tanto tempore occultare debuit? Non possum satis ampla oratione exprimere, quam indecenter, et perverse id factum mihi videtur. PH. *Non tibi illud factum magis displicet, quam mihi, Laches.* PA. *Etsi antea de reducenda, vel non, uxore dubius animi fuissem, quid statuendum mihi esset, nunc non sum; certum est non reducere, quum eam matrem habet puer ab alio, non a me genitus.* LA. *Nullus tibi nunc, Pamphile, de rejicienda uxore locus.* PA. *Perditus sum.* LA. *Hunc lucere sæpe votis diem postulavimus, quo ex te nasceretur puer aliquis, qui te patrem vocaret: eventus votis respondit, habeo gratiam Diis.* PA. *Interii.* LA. *Reduc uxorem, et noli mihi repugnare.* PA. *Pater, si Philumena vellet habere*

et EP.—23 *Hic* GM.—25 Sic Faërnus, et sic Libri. Donatus, hac prava lectione irretitus, eo venit, ut dicat, *Placet pro Displicet intelligamus.* Quid est, si hoc non est ἄνω ποταμῶν? Nimirum aliud innuit sententia, aliud tinniunt verba. Par locus est supra IV. 2. 30. 'Hæc res non minus me male habet, quam te.' Ad istam igitur faciem hic legendum erit, *Non mihi illud factum minus dolet, quam tibi, Lache:* 'Dolet mihi,' 'ægre est mihi,' 'male me habet,' eodem omnia sensu. *Bent.* Hæc temere inventa dicit Bip. ea quoque Perl. improbat; at judice R. D. 'nullus in vulgatis verbis sensus est. Bent. ex vi sententiæ emendat.' Both. interpretatur, 'æque mihi displicet ac tibi.'—26 Mss. Leidensium unus, cum Bœnd. et bona parte editionum veterum, *Etsi jam dudum.* Tr. *Etsi id fuerit ambiguum hoc mihi: nunc non est.* West. Aliqui libri scripti et in iis vetustissimi *etiam si.* Fa. Sic nostri omnes. *Bent. Ambiguum fuerat* Both. tacite, et similiter in 24. *prave factum.*—27 *Nunc non est, cum eam jam consequitur alienus puer*] Adverbium *jam* nullus habet liber scriptus, nec Donatus; nec id admittit ratio versus. *Fa. Jam* nullus ex nostris habet. Sed duo sic, *Nunc non est, cum eam sequitur alienus puer. Con* in compositione non nisi una littera est ' inversa, in libris vetustis. *Cum eam* in unam syllabam constringi, minus placet. *Bent.* et sic Perl. *eam* delet Bip. *eam cum sequitur* Both. *sequitur* C.—28 *Consolatio est* V. C. *Lind.*—29 *Semper* unus e Bœcl. et sic 'Mss. et impressi quidam vett. mox Codd. quidam

NOTÆ

26 *Etsi jamdudum ambiguum*] Hæc omnia secum Pamphilus.

27 *Hanc consequitur alienus puer*] Ex injusta conjunctione natus, conditionem matris sequitur; ex justis nuptiis creati sequuntur patrem.

29 *Perii*] Hoc sibi Pamphilus dicit.

PAM. Pater, si ex me illa liberos vellet sibi,
Aut se esse mecum nuptam, satis certo scio,
Non me clam haberet, quod celasse intelligo.
Nunc, cum ejus alienum esse a me animum sentiam,
Nec conventurum inter nos posthac esse arbitror,
Quamobrem reducam? LA. Mater quod suasit sua,
Adolescens mulier fecit: mirandumne id est?
Censen' te posse reperire ullam mulierem,
Quæ careat culpa? an quia non delinquunt viri?
PHID. Vosmet videte jam, Laches, et tu, Pamphile,
Remissan' opus sit vobis, an reducta domum.

liberos ex me, aut connubio mecum esse junctam, satis probe scio, non me latere vellet, quod mihi occultasse cognosco. Nunc cum ejus animum immutatum, et a me aversum videam, nec nos concordes fore, et consensuros putem, quam ob causam eam reducam? LA. *Quod ejus mater consilium dedit, juvenis mulier secuta est: mirandumne id est? æstimasne te posse invenire ullam mulierem culpæ expertem? An quia scilicet non peccant viri?* PH. *Vos ipsi deliberate nunc, Laches, tuque, Pamphile, an ex usu sit vobis, ut remissa sit ad suos, vel ad vos reducta Philumena.*

exoptabamus.' West.—33 Junt. Ald. *si ex illa me liberos vellet sibi.* EP. *si illa liberos ex me vellet sibi, aut esse mecum.* Alii aliter. *Westerhov.* Elegantior videtur collocatio, quæ est in libro Bembino, *Pater, si ex me illa.* Faërnus. Atqui nostri universi *illa ex me.* Placet Bembinus: ut pronuntiemus, *ex me illa;* et mox, *aut se esse.* Bentleius. *Si illa ex me* Both. Br.—34 *Aut mecum se esse* Both. *aut se esse nuptam* Br. mox *sat* Both. *certe* omnes Mss. apud Bœcl.—35 G. et M. cum uno Leidensium, et Bœnd. et edd. Venet. Argent. Ald. Pulman. Junt. Anon. *quæ.* Sed unus Mss. Leid. cum edit. anni 1469. et quibusdam aliis, *quem.* quando vel partus, vel puer intelligitur. *West.* Vat. et unus tantum liber scriptus Donati habet, *quæ;* Bem. *quod;* omnes alii, et Donati, et Terentii libri, *quem:* quod forte procederet subintelligendo, partum: magis tamen placet *quod.* |Fa. Lege ex nostris fere omnibus: *Non clam me haberet;* ut passim apud Nostrum, *Clam* in Arsi. *quæ* plures nostri; ceteri *quem.* Aut lege *quod,* aut *quæ.* Bent. *clam me...quæ* Br. *clam me...quod* Both. Perl.—36 Nostri fere omnes, *alienum a me esse animum.* Recte. *A me,* virtute enclitici *Me,* est in ictu; at totum *A me* in Thesi occultari non ex arte est. *Bent.* *Alienum a me esse* Mss. duo, tertius omittit *esse.* Bœcl. *Alienum ejus a me esse* Both.—37 *Nec conventurum inter nos posthac arbitror*] Sic Faërnus. Sed *arbitrer,* quicquid dicant Librarii, cum Mureto legendum. Ceterum omnes pro *Nec* habent *Neque;* et plerique omnes *posthac esse arbitror,* unus *post esse arbitror:* alter, *posthac arbitror.* Bent. *Arbitror* Mss. omnes. *Bœcl.* *posthac arbitrer* Bip. Both. *posthac arbitror* Perl. quo judice, indicativum pro subjunctivo Nostro et Plauto familiare est.—40 *Censesne* omnes Mss. apud Bœcl. et V. C. apud Lind.—41 *Delinquant* Br. pro var. lect.—43 Omnes Mss. vitiose; unus, *remissam sit vobis an reducta.* Bem. *redductam* habet per duo *d,* 'ita etiam versus ratione exigente: et præterea hic liber et Bas. et duo alii antiquissimi, item alii multi eam ipsam dictionem, item *remissam,* per *n* in fine habent. ita et Donatus, sic inquiens: *Remissa opus sit vobis*] 'in veris codicibus sic est, remissam, reductam, ut sit remissane, reductane;' quæ expositio Donati facit, ut pro *remissam, remissan, pro reductam, reductan,* ipsum ex veris codicibus citasse conjiciam. Sed hoc modo dictio *an,* et orationi supervacanea erit, et versui in-

Uxor quid faciat, in manu non est mea:
Neutra in re vobis difficultas a me erit.
Sed quid faciemus puero? LA. Ridicule rogas:
Quicquid futurum 'st, huic suum reddas scilicet,
Ut alamus nostrum. PAM. Quem ipse neglexit pater,

Quid uxor faciat me inscio, non est in potestate mea id infectum reddere: neutra in re, nec in remissione nec in reductione, per me vobis fiet difficultas. Sed quid faciemus de infante nato ex Philumena? LA. *Per risum id interrogas. Quicquid continget, Pamphilo redde suum filium, ut nos educemus eum.* PA. *Egone, Pater,*

commoda, quam nos ex auctoritate complurium librorum, in quibus aut expuncta est, aut non est omnino, delemus.' *Fa.* 'Sic et nostri plerique delent *an.* Omnes *Remissan,* et quinque primarii *reductan.*' Bent. 'Mss. G. et Bœnd. sed et Donatus, Nonius Marcellus, Diomedes, Gambarellus, *Remissam opus sit vobis, an reductam domum,* legunt. EP. *Remissan' opus sit, reduc tandem domum.* Edidi autem *Redducta,* ob metrum. Lucret. lib. IV. 989. 'vocesque repente Mittunt, et crebras redducunt naribus auras.'' *West.* *Remissan'...redductan'* Bip. Both. *vobis opus sit an reductan* Br. *reductan* Perl. A, C. *an* deest in A.—46 *Ridicule loqueris* EP. et *loqueris* Br. pro gl.—47. 48 *Huic reddas suum | Ut alamus scilicet* Br. 'Omnes fere libri, inter quos vetustissimi, et Donatus, ita hæc verba ordinant, *huic suum reddas s.*' Fa. 'Pauciores ex nostris, *Suum reddas.*' Bent. *Huic scilicet reddas suum* Both. *huic reddas suum* Bip. —48 Ita quinque Mss. Leidenses et G. In Tr. *Ipse* emendatum in *Ipsa.* quomodo et Bœnd. legit, et Bodl. probatque Bœcl. quando *Pater* fuerit vocativus. Exhibeo autem lectionem Faërno probatam, quam et Pareus ex quatuor Mss. edidit. consentiunt Junt. Ald. Venet. Lugd. Anon. aliæ. Et videtur sane ἐμφατικώτερον, si sensus sit, 'Ego alam, quem ipse pater neglexit?' Neque enim 'ipsa' Philumena neglexerat usque adhuc puerum, neque exponendum dederat. Et si vel maxime mater neglexisset, minus tamen idonea hæc erat causa Pamphilo non alendi pueri. Tum, si *Ipsa* fuisset scriptum, præstabat hic verborum ordo: 'Quem ipsa neglexit, ego alam, pater?' Ast dices, prodendum non erat secretum de partu Philumenæ ex alieno viro, vel Lacheti, vel Phidippo, quia fidem dederat Pamphilus Myrrhinæ, se taciturum. Sed neque hæc ratio facit, ut *Ipsa* legatur; potuit enim conversus ad spectatores hæc dicere Pamphilus, quibus jam ante rem omnem elocutus fuerat. Ubi vero Laches postrema verba, 'Ego alam?' audiret, quasi admirabundus, simulque indignatus respondet; 'Quid dixti? Eho! an non alemus, Pamphile?' EP. *Quem ipse negligit pater.* Westerhovius. Lectio libri Bem. Vat. et aliquorum aliorum est, *quem ipse;* ut hæc verba sint Pamphili secum, ne pater et socer intelligant, obmurmurantis alium esse patrem nati pueri, non se: quod autem hæc secum Pamphilus dicat, ostenditur ex Chremetis verbis statim Pamphilum interrogantis quid dixerit: sane Donatus *quem ipsa* magis probat. quod (cum reverentia ejus dixerimus) non sat bona ratione facere videtur. cui enim Pamphilus se probaturum hoc putet, quod ideo alere filium nolit, quia eundem mater neglexerit? idne sat causæ cuiquam videri potest, ut filium suum abjiciat, quod sit a matre neglectus? *Fa.* Recte hic Faërnus contra Donatum. Unus tantum ex nostris *ipsa.* Pamphilus aversus dicit, *Quem ipse neglexit pater;* deinde dum ad eos se convertit, *Ego alam?* quod ultimum Chremes audivit. Hæc, quæ in agendo fiunt, rem reddunt satis claram; et istis, qui *Ipsa* malunt, os plane obstruunt. *Bent.* Sequimur cum Dacier. et Bentl. lectionem Bemb. Vatic. Basil. et aliorum, a Faërno constitutam, quam ipse Don. præferre videtur

Ego alam? La. Quid dixti? eho! an non alemus, Pamphile?
Prodemus, quæso, potius? quæ hæc amentia est?
Enimvero prorsus jam tacere non queo;
Nam cogis ea, quæ nolo, ut præsente hoc loquar.
Ignarum censes tuarum lacrymarum esse me?
Aut quid sit id, quod solicitere ad hunc modum?
Primum hanc ubi dixti causam, te propter tuam
Matrem non posse habere hanc uxorem domi;
Pollicita est ea, se concessuram ex ædibus.
Nunc, postquam ademtam hanc quoque tibi causam vides;
Puer quia clam te est natus, nactus alteram es.
Erras, tui animi si me esse ignarum putas.
Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum,
Quam longum spatium amandi amicam tibi dedi!

educabo infantem, quem ipsa mater pro derelicto habuit? La. *Quid dixisti? Eho! an non educabimus, Pamphile? projiciemusne potius? quænam hæc insania est? equidem jam omnino silere non possum, nam me compellis ad declaranda ea, quæ nollem præsente Phidippo de te dicere. An putas me causam ignorare cur tam frequenter lacrymaris, aut cur ita perturberis, et solicitus sis? In primis postquam dixisti hanc causam non reducendæ uxoris, nimirum te non posse pati hanc uxorem domi esse, quæ matrem odisset, promisit mater se domo discessuram. Nunc cum sentis te hoc prætextu privari; quia pueri partus, te nesciente, ex occulto fuit editus, alteram causam reperisti. Fallit te opinio, si arbitraris me ignorare animi tui propositum. Aliquando tandem ut animum ad uxorem adhibeas, quam longum tempus*

illi, *quem ipsa neglexit, pater, ego alam?* Haud sane patrem decet negligere puerum, quem mater neglexerit. Alius post Don. grammaticus s. Asper s. Cornutus hanc ultimam lectionem meliorem censet. *Bip. Neglexerit* Mss. omnes. *Bœcl.* et sic Guelf. 1.—50 *Perdemus* Ms. unus, alius *dementia.* Bœcl. *quæso* omisso, *dementia* et EP.—51 *Nequeo* Guelf. 1.—54 *Sit hoc* nostri plures et meliores. *Bent.* ita Bod. Both. *hoc id* G. EP. Br. et Ms. R. apud Lind.—55 *Ubi hanc.* O. l. s. et Donatus, *hanc ubi.* Fa. Sic et nostri. *Bent. Ubi hanc* Br.—58 *Quoque hanc.* O. l. s. *hanc quoque.* Fa. Nostri quoque omnes. *Bent.*—59 *Est natus* Bem. *Fa.* Et 'nostri quoque.' *Bent. Natus clam te est* Both. olim, ut videtur, *Natus est:* in Guelf. 1. *nactus* deest. —61 Mss. quidam, et impressi post EP. *Aliquando tandem huc animum volo ut adducas tuum.* Sed *volo* abest à G. *West.* Ex iis lectionibus priorem duo Mss. apud Bœcl. tertius posteriorem exhibent. '*Adjungas* dedit Faërnus. Atqui codices nostri universi *adducas:* ut infra v. 3. 38. 'Nunquam animum quæsti gratia ad malas adducam partes.' *Adducas* Rivii quoque et Fabricii codices; et Edd. vett. cum Donato. Fallor, an audaculus quispiam *adjungas* hic supposuit, ex And. I. 1. 29. 'Ut animum ad aliquod studium adjungant.'' *Bent. Adducas* Perl. Both. et pro var. lect. Br. in textu *abducas:* 'quod pessime legitur.' *Bip.* at '*adducas* Vett. et Reg. exempl.' *Lind.* quæ

Sumtus, quos fecisti in eam, quam animo æquo tuli!
Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres.
Tempus dixi esse: impulsu duxisti meo;
Quæ tum, obsecutus mihi, fecisti ut decuerat;
Nunc animum rursum ad meretricem induxti tuum!
Cui tu obsecutus, facis huic adeo injuriam:
Nam in eandem vitam te revolutum denuo
Video esse. Pam. Mene? La. Te ipsum. Et facis injuriam,
Cum fingis falsas causas ad discordiam,
Ut cum illa vivas, testem hanc cum abs te amoveris;
Sensitque adeo uxor; nam ei causa alia quæ fuit,
Quamobrem abs te abiret? Phid. Plane hic divinat; nam id est.
Pam. Dabo jusjurandum, nihil esse istorum, tibi. La. Ah!
Reduc uxorem: aut, quamobrem non opus sit, cedo.
Pam. Non est nunc tempus. La. Puerum accipias; nam is quidem
In culpa non est: post de matre videro.

amandi Bacchidem concessi tibi? quas impensas pecuniæ, ut eam possideres, fecisti? quam patienter hæc tuli? Suasi, et rogavi ut uxorem duceres: dixi tempus advenisse; hortatu duxisti meo. Quæ cum mihi morem gerens fecisti, ut debueras; nunc amorem tuum in meretricem Bacchidem transtulisti; cui tu obediens facis uxori injuriam; nam in eandem vivendi consuetudinem te reversum esse rursus intelligo. Pa. *Mene?* La. *Te ipsum: et injuste agis, cum falsas causas invenis, cur uxorem non reducas, ad movendam dissensionem inter affines, ut cum illa Bacchide meretrice consuetudinem habeas; postquam hanc uxorem tuam, testem præsentem libidinis tuæ, a te expuleris: sensitque certe illa: nam quid aliud eam impulit, ut a te discederet?* Ph. *Omnino spiritu divino afflatus hæc vaticinatur Laches: nam ea vera sunt.* Pa. *Jurejurando affirmabo tibi, nihil esse verum eorum quæ mihi exprobras.* La. *Ah! reduc uxorem, aut, cur non ex usu sit istud, dicito.* Pa. *Non est nunc tempus dicendi.* La. *Puerum natum tibi recipias: nam is quidem immunis est a culpa: postea considerabo utrum Philumena ejus mater culpæ sit*

lectio est melior, judice Ruhnken.—68 H. v. expungit Guy. probante West. Bentleio quoque manus interpolatrix suboluit, propter vocem *obsecutus* repetitam, et repetita verba *facis...injuriam.* Qui tamen versus expungi debeat, ipse non decernit. 'Bent. repetita immerito fastidit.' *Perl.*—71 *Contingis* Mss. duo. *Bœcl.* Bip. Both. Br. et 'quatuor antiqui libri.' *Fa.* 'Vetustiores nostri *contingis,* alii *cum fingis.*' Bent.—73 *Ei alia causa* Br. *ei causa alia* o. l. s. apud Fa. et Bent. *alia quæ causa ei* Both. tacite.—75 *Ah redduc*

PAM. Omnibus modis miser sum; nec, quid agam, scio;
Tot me nunc rebus miserum concludit pater.
Abibo hinc, præsens quando promoveo parum;
Nam puerum injussu, credo, non tollent meo;
Præsertim in ea re cum sit mihi adjutrix socrus.
LA. Fugis? hem! nec quicquam certi respondes mihi?
Num tibi videtur esse apud sese? sine.
Puerum, Phidippe, mihi cedo; ego alam. PHID. Maxume.
Non mirum fecit uxor, si hoc ægre tulit.

particeps, necne. PA. *Ex omnibus partibus miser sum, nec quid agam scio: tot me nunc petitionibus urget et circumdat pater. Hinc abscedam, quandoquidem præsens parum proficio. Nam puerum, credo, sine consensu et mandato meo non tollent, ut nutriant et educent, cum præcipue socrus Myrrhina in ea re mihi faveat, ut quæ hunc exponendum censeat.* LA. *Fugis? hem! nec ullum certum responsum mihi reddis? num tibi videtur, Phidippe, Pamphilus mentis compos esse? Sine me facere. Puerum mihi trade; ego nutriam.* PH. *Libenter dabo tibi infantem. Non rem mirandam et insolitam fecit uxor Myrrhina, si a moribus Pamphili ab-*

ipsam aut e Gu. 1. Both. quo judice *uxorem* est e gl.—79 *Omnimodis* Both.—80 ‘*Me* duo Mss. omittunt.’ *Bœcl.* *Tot me nunc* O. l. s. apud Fa. et vetustiores apud Bent.—81 *Adibo* GM. sed illud probabitur, si contuleris vers. 84. *Perl.*—82 In o. l. s. et Donato hic est ordo verborum, *injussu credo:* pro *tollent* autem Donatus habet *tollit*, corrupte, ut opinor, pro *tollet*, quod est in Bem. quod ideo placet ut referatur ad Lachetem, cujus, utpote avi, in tollendo puero summa potestas erat. *Fa.* Nostri omnes *injussu credo;* et iidem *tollent.* Recte utrumque. *Tollent* Pater et Socer: hoc certum, cum *Adjutricem socrum* dixerit: ergo in consilium de illa re ituros esse existimat. *Bent.* *Credo injussu non tollent* Both. *tollent* quoque Br. Perl. *tollet* Bip. *injusso* EP.—83 *Socer* Guelf. 1.—86 *Phidippe puerum* Br. *mihi cede* unus e Mss. apud Bœcl. alter *p. Phidippe concede*, et sane *concede* est gl. in Br. at in textu *concede* Guelf. 2.—87 *Mirum est uxor mea* Br. ‘Aliqui, ut versui consulerent, impresserunt sine pronomine *mea;* contra tamen omnium librorum fidem. nos, ea dictione retenta, ita versum sustentamus, ut *mea* in unam syllabam brevem contracto, itemque *hoc* correpto, in quarta sede sit dactylus.’ *Fa.* ‘*Uxor mea* dedit Faërnus, ex omnium, ut ait, librorum fide: et verum est; nam et sic nostri universi. Sed ista fides jamdudum apud me decoxit. *Uxor mea* esset Myrrhina. Atqui res ipsa prædicat Philumenam Pamphili hic intelligi; ut supra v. 73. ‘Sensitque adeo uxor: nam ei causa alia quæ fuit, Quamobrem abs te abiret?’ Nam ibi certe *Uxor* non Myrrhina est, sed Philumena; cum verba Lachetis sint ad Pamphilum. Quid quod si *Mea* legas, nullo pacto versum inde constituas? *Mea si hoc æg.* Faërni, nonne bellus est Anapæstus?’ *Bent.* ‘Falso additur vulgo a Faërno *mea*, quasi esset Myrrhina, uxor Phidippi; cf. ad v. 89. Sed ingestum est præter rem et versum *mea;* quod cum Erasmo, ejusque asseclis, et ipso Bentl. ejicimus.’ *Bip.* ‘Ejeci *Mea*, tanquam otiosum, et versui repugnans, nisi cum Goveano, pro *Uxor*

NOTÆ

79 *Omnibus modis miser sum*] Querela Pamphili ad spectatores.

Amaræ mulieres sunt: non facile hæc ferunt.
Propterea hæc ira 'st: nam ipsa narravit mihi.
Id ego hoc præsente tibi nolebam dicere,
Neque ei credebam primo; nunc vero palam est;
Nam omnino abhorrere animum huic video a nuptiis.
LA. Quid ergo agam, Phidippe? quid das consilii?
PHID. Quid agas? meretricem hanc primum adeundam censeo.
Oremus, accusemus gravius; denique
Minitemur, si cum illo habuerit rem postea.
LA. Faciam ut mones: eho! puer, curre ad Bacchidem hanc
Vicinam nostram: huc evoca verbis meis;
Et te oro porro in hac re adjutor sis mihi. PHID. Ah!
Jamdudum dixi, idemque nunc dico, Lache;

horruit: asperæ mulieres sunt, non æquo patiuntur animo viros alias amare; propterea hæc indignatio est uxoris meæ in Pamphilum, quem generum sibi esse nolebat; nam ipsa mihi recitavit. Istud ego nolebam tibi, præsente Pamphilo, referre: neque ego uxori id narranti primo fidem habebam: nunc vero, quod dixi, manifestum est: nam omnino Pamphilum aversum esse a nuptiis animadverto. LA. *Quid ergo censes, Phidippe, mihi esse faciendum? Quid mihi suades?* PH. *Quid agere debeas? Primum hanc meretricem conveniendam esse arbitror: rogemus, probris, reprehensionibus acerbius insectemur; denique minas intentemus, si in posterum consuetudinem habeat cum Pamphilo.* LA. *Faciam quæ præcipis. Eho, puer, propera ire ad Bacchidem hanc vicinam nostram: huc accerse eam meo nomine, et te rogo deinde Phidippe, ut in hac re me adjuves.* PH. *Ah! jam multo ante tempore dixi,*

mea, legas, *Mea uxor.*’ West.—90 *Ideo* Guelf. 3. ‘O. l. s. *id ego hoc præsente:* Bem. vero, et Vict. et aliqui alii, pro *nolebam, nolueram.*’ Fa. ‘Sic et nostri. Unus tantum *nolebam.*’ Bent. *Nolueram* A, C, Bip. Both. Br. Perl. ‘*volueram* Mss. duo.’ *Bœcl.*—91 *Neque ei* Muretus ex codd. ut opinor. *Both.* et sic edidit West. ‘Potest hæc lectio teneri, sed mihi ea, quæ est in Bem. vehementer placet, *nunc verum palam est.* ut *verum* sit nomen, et sit sensus, jam veritas manifesta est.’ *Fa.* ‘Nostri *vero.*’ Bent. *Verum* Perl. et sic edidit Pareus e Mss. quatuor.—92 Præpositio *a* non est in Bem. et in Vict. quoque abrasa est. *Fa.* Nostri, *a nuptiis:* recte, ut Andr. v. 1. 10. ‘Abhorrentem ab re uxoria.’ *Bent.*—93 *Faciam* pro *agam* Guelf. 3.—95 *Accusemus, gravius* sic distinguunt Br. EP. quod voluit et Guy. et sic Both.—97 *Eho curre puer* lege ex tribus nostris. *Bent.* at *eo puer curre* citat Agrætius apud West. *puere* Both.—99 *Et tete* Guelf. 1. Bem. pro *et*, *at* habet: nos tamen *et* malumus. *Fa.* Nostri *Et.* Sed placet Bem. *At;* siquidem, nisi *At* legas, etiam hoc ad puerum loqui videatur. *Bent.* *At* Both. Perl.—100 *Idem quod nunc* unus Ms. e Bœcl. ‘*Itidemque*] Non displicet mihi hæc lectio; omnes tamen l. s. quoscunque vidi, habent *idemque.*’ Fa. ‘Unus ex nostris bonæ notæ, Codex C. C., *Itidemque;* alter *Itidem quod.* Utrumvis bene; sed prius magis placet.’ *Bent.* *Itidemque* Both. Perl. *Laches* omnes Mss. apud Bœcl.

Manere affinitatem hanc inter nos volo,
Si ullo modo est ut possit, quod spero fore.
Sed visne adesse me una, dum istam convenis?
La. Immo vero abi: aliquam puero nutricem para.

idemque nunc verbis confirmo, Laches; perpetuam esse hanc affinitatem inter nos cupio, si ullo modo id potest fieri, quod spero futurum; sed visne me simul tecum præsentem esse, dum illam alloqueris? La. *Quin potius abi. Aliquam puero nutricem quære.*

oro ut Guelf. 2.—102 *Quod quidem* Guelf. 2.—103 *Vin* Bem. et Donatus. *Fa.* Nostri *visne.* Bent. *Vin'* Both. Perl.—104 *Vero* abest ab A, C, Bod. G. EP. Br. GM. Hal. et Ms. R. et Vett. apud Lind. *Abi* delet Both.

ACTUS V. SCENA I.

BACCHIS. LACHES.

Bac. Non hoc de nihilo 'st, quod Laches me nunc conventam esse expetit;
Nec pol me multum fallit, quin, quod suspicor, sit, quod velit.
La. Videndum est, ne minus propter iram hanc impetrem, quam possiem;
Aut ne quid faciam plus, quod post me minus fecisse satius sit.

Ba. *Non abs re est, quod Laches nunc me vult alloqui; nec, per Pollucem, valde opinio me fallit, quin, quod in suspicione habeo, sit id, de quo me velit nunc compellare.* La. *Providendum mihi est, ne si iracundius agam, minus obtineam quam possim mitius agendo; aut ne quid violentius faciam, quod postea infectum esse*

Male ab hac scena ordiuntur Act. v. omnes edd. præter Dacierianam. *Bip.*—1 Bem. Bas. Vat. *me nunc c.* meliore collocatione. *Fa.* Unus modo ex nostris, *nunc me.* Bent. *nunc me Z.* 'In antiq. *nunc me*, minus numerose.' *Perl.* '*Me conventam nunc esse* Mss. duo, tertius *nunc me.*' Bœcl. *Nunc* deest in Guelf. 3.—2 *Quin suspicor quid velit* Mss. duo. *Bœcl.* at Guelf. 3. *quin quod suspicor velit.*—3 Sic codices: sed ab Auctore erat, *propter iram hinc impetrem. Hinc*, id est 'Ab hac Bacchide.' ut Adelph. iii. 3. 7. 'Set eccum Syrum ire video: hinc scibo jam ubi siet.' *Hinc*, ab hoc Syro. sic *Unde passim. Bent.* quem sequuntur Bip. Perl. *Hanc* Z. Br. *est, propter iram hinc ne* Both. *possim* Br.—4 *Plus* deest in Guelf. 3. 'In hoc et seq. versu ordinando mire variant codd. exhibeo lectionem Steph.' *West.* 'Ex libro Bem. ac Vict. et Donato hunc ordinem verborum repono, *quod post me*: eliditur autem *s* ex *satius*, ut sit Iambus in ultima: est enim octonarius Iambicus qua-

Aggrediar: Bacchis, salve! Bac. Salve, Laches! La. Credo, ædepol, te
Nonnihil mirari, Bacchis, quid sit, quapropter te huc foras puerum evocare jussi.
Bac. Ego, pol, quoque etiam timida sum, cum venit mihi in mentem quæ sim,
Ne nomen mihi quæstus obstet apud te; nam mores facile tutor.

melius sit. Accedam ad illam. Bacchis, salve. Ba. *Salvus sis, Laches.* La. *Credo per ædem Pollucis tibi aliquantulum mirum videri, Bacchis, quam ob causam te huc ex domo tua servulum accersere jusserim.* Ba. *Ego quoque meticulosa sum, cum recordor meæ conditionis, ne nomen meretricis, propter quæstum, quem exerceo, mihi apud te noceat: nam ceteros mores facile præstabo innoxios.* La. *Si*

dratus, sicut et tres primi hujus scenæ: sequentes vero ex eodem libro ita ordinamus: *Adgredior. Bacchis salve.* B. *Salve Laches.* La. *credo edepol, te nonnihil mirari Bacchis, Quid sit, quapropter te huc foras puerum evocare jussi.* ut primus horum sit dimeter Iambicus catalecticus; secundus, contracto *nihil* in unam syllabam, item tertius sint Iambici octonarii catalectici; qui vero sequuntur, ut in impressis ordinati sunt, ita eos conservamus.' *Fa.* 'Nostri plerique, *Me post.*' Bent. *Post, me* Bip. Both. Perl. *me post* Z. Br. "*Potest* ex prava emend. Guelf. 2.' *Perl.*—5 *Aggrediebar* Guelf. 1. *o Bacchis* Guelf. 3.—6 Voces, ut Fa., disponit Bent. excepto *nil* pro *nihil*, propter versum, et sic Perl. Et versus et voces, uti Fa., Bip. at Z. Br. uti West. *adgrediar. Salve, Bacchis.* Ba. *O, salve, Laches* Both. qui mox sic legit, *Credo ædepol te nonnil mirari, Bacchis, quid sit* | *Quapropter...jussi* | etsi fatetur Terentium hoc uno in loco Iamb. trim. hypercatalect. usurpasse. *evocari* GM. *miraris* omisso *te* Guelf. 2. Voces *credo ædepol te nonnihil mirari* postponuntur versui *Quid sit...jussi* in Guelf. 3.—7 *Ego quoque pol* Mss. duo. *Bœcl. Venit*, quod præsentis temporis est, pyrrichius est, eliso *t*, aut certe *mihi* addititium est: utique enim *mihi* subintelligitur, ut in Eunucho, 'Et illud de Rhodio dictum cum in mentem venit.' Virg. 'Nec venit in mentem, quorum consederis arvis.' *Fa.* Recte sensit Faërnus *mihi* addititium esse, sed non ausus est ejicere. Nos, versu gaudente, ejicimus. *Bent.* A plusculis libris *mihi* abest. *West.* id omittit Both.—8 *Quæsti* legitur in Bem. antiqua declinatione. Ceterum nec in eo libro, nec in Vat. nec in Vict. sunt duæ illæ dictiones, *apud te*, quæ multum incommodant versui, et parum sensui prosunt: sed ne sic quidem versus procedit, nisi ex magna licentia: deest enim una syllaba, quam nos unius tantum litteræ mutatione supplemus, legendo pro *obstet*, *obsiet.* ut sit, *Ne nomen mihi quæsti obsiet.* hoc modo et versus est Iamb. tetram. catalect. ut ceteri, et Iambum habet in quarta, quod huic generi versuum prope solemne est, et antiquissima lectio conservatur. Si quis tamen malet *obstet*, versus sustentatur dissolutione diphthongi. *Fa.* Nostri *quæstus obstet.* Tres e nostris non habent *apud te.* Egregie hic Faërnus: nisi quod in fine se prodit, cum a *Quaësti obstet* sustentari posse versum existimat. Ceterum unus ex Regiis *quaëstus mihi obstet.* Repone, *Ne nomen quæsti mi obsiet.* Omnino in ictu esse debet *Quæsti*, non in Thesi obmutescere. Atque hoc ordine *Quæstus* stare hic potest, æque commode ac *Quæsti.* Bent. quem comprobant Bip. Both. Perl. 'Mss. quidam et edd. post EP. non agnoscunt *apud te:* [quæ voces desunt in Ms. R. teste

LA. Si vera dicis, nihil tibi est a me pericli, mulier;
Nam ea jam ætate sum, ut non siet peccato mihi ignosci æquom:
Quo magis omnes res cautius, ne temere faciam, accuro:
Nam si id facis, facturave es, bonas quod par est facere; inscitum,
Offerre injuriam tibi me immerenti, iniquom est.
BAC. Est magna, ecastor, gratia de istac re, quam tibi habeam:
Nam qui post factam injuriam se expurget, parum mihi prosit.

vera dicis, nihil periculi a me timere debes, mulier: nam jam ejus ætatis sum, ut mihi, si quid peccaverim, veniam dare minime justum sit; quo majori cura caveo ne imprudenter et inconsiderate quicquam faciam. Nam si id facis, aut factura es, quod bonas facere convenit; inelegans et inhonestum me tibi facere injuriam: quod si innoxia sis, id etiam iniquum est. BA. *Per Castorem magnus tibi gratias hanc ob rem habere debeo; nam si quis post illatam injuriam se excuset, parvum*

Lind. et in Br.] easque rejicit G. Fabric. *obsiet* quidam.' *West.*—9 *Nihil tibi pericli est a me* Z. 'Aliam collocationem verborum, quæ versui convenientior est, habent o. l. s. *nihil tibi est a me pericli mulier.*' Fa. 'Sic et nostri omnes.' *Bent.*—10 *Peccatu* Both. quo judice 'ne Latinum quidem est *peccato.*'—11 *Res omnes* Mss. omnes. *Bœcl.* sic e suis fere omnibus legit Bent. et sic Both. Br.—12 *Nam si id facis nunc* Ms. unus apud Bœcl., at duo *si id nunc facis*, et sic 'Mss. quidam et edd. post EP. quod improbat Fa. neque agnoscit Donat.' *West.* '*Nunc* non ponit Donatus, citans hæc super eo loco, *Fac eadem, ut sis porro.* ne liber quidem Bem. eam vocem habet: ac neque particulam *id.*' Fa. '*Num si facis facturave es.* Sic dedit Faërnus, Bembino suo nimium addictus. Nostri universi, *Nam si id nunc facis facturave es.* Recte: *facis* finalem *s* abjicit, quod usitatissimum. *Nunc* suam vim hic habet, ut oppositum futuro *Facturave es.* Bent. at Br. Perl. *si id nunc facis*; at Bip. Both. sequuntur Fa.—13 Bem. non habet dictionem *me*; quam et Donatus, eam subaudiri volens, non esse in contextu ostendit: alii libri eam varie collocatam habent; aliqui enim dictioni *tibi* præponunt, alii postponunt, ut sæpe evenit dictionibus subditiciis: sane in aliquibus libris, inter quos est Bem. et Vict. hi versus ita ordinati sunt: *Nam si facis, facturave es, bonas quod par est facere, Inscitum offerre injuriam tibi: inmerenti iniquom est.* Distinguendum est autem post *tibi*, ut sit sensus, offerre injuriam tibi, quæ vel mulier sis, vel meretrix, est inscitum: immerenti vero, etiam iniquum est. *Fa.* Ab uno ex nostris abest *me*; ceteri *tibi me*. Distinctio illa apud Faërnum non placet. *Bent.* Fa. sequitur Bip. Perl. et Both. exceptis *injuriam, tibi me est immerenti*, quo judice Donatus non legerat *iniquum*, gl. scilicet pro *inscitum*, quæ vox versum inchoat in A. e Bœcl. alter *me tibi*, alter *tibi me*, et sic Br.—14 Et versus claudicat, et dictio solœcissat. Repone, *Est magnam ecastor gratiam de istac re quod tibi habeam.* Ubi ordo, 'Est quod habeam tibi magnam gratiam.' Plautus Rud. IV. 6. 32. 'Bonam est quod habeas gratiam merito mihi.' *Bent.* Hanc Mureti lectionem laudat Guy. improbat West. at confirmat Ruhnk. edidit Both.—15 Hic necesse est, vel ex *parum m* elidere, quamvis sequente consonante, ut

Sed quid istuc est? LA. Meum receptas filium ad te Pamphilum. BAC. Ah!
LA. Sine dicam. Uxorem hanc prius quam duxit, vostrum amorem pertuli.
Mane: nondum etiam dixi id, quod volui. Hic nunc uxorem habet:
Quære alium tibi amicum firmiorem, dum tempus consulendi est;
Nam neque ille hoc animo erit ætatem, neque pol tu eadem istac ætate.
BAC. Quis id ait? LA. Socrus. BAC. Mene? LA. Te ipsam: et filiam abduxit suam;

mihi commodum attulerit: sed quid istud est, quod mihi cupis dicere? LA. *Meum frequentius recipis apud te filium Pamphilum.* BA. *Ah!* LA. *Permitte me loqui: priusquam ille uxorem habuit, illum te amare perpessus sum: sine; nondum etiam dixi ea, quæ volui. Hic nunc matrimonio uxori junctus est, quære alium constantiorem amatorem, dum tempus habes prospiciendi tuæ utilitati: nam ille neque integram ætatem eodem amore te prosequetur, neque pol tu eadem ætate semper florida eris.* BA. *Quis ait me receptare filium tuum?* LA. *Socrus ejus Myrrhina.* BA. *Mene?* LA. *Te ipsam, et filiam abduxit suam ex domo mea, atque infantem*

dactylus sit in sexta, vel *injuriam* trisyllabum facere, coalescentibus in unum duabus extremis vocalibus: mihi tamen magis placeret, si, deleto pronomine *se*, quod ego arbitror ab interpretante superscriptum, deinde in contextum irrepsisse, absolute legatur, *Nam qui post factam injuriam expurget*: non tamen muto, neque detraho quicquam. *Fa.* Quod *Parum* corripit Faërnus, recte: quod *Injuriam* trisyllabum facit, et verbum et versum contrucidat. *Bent.* *Se* cum Fa. delent Bip. Both. *expurgat* Guelf. 2.—16 *Jam meum* Guelf. 3.—17 Atqui hic versus, ut prior et sequentes, Trochaicus esse debet, non Iambicus. Quare audacter repone, *Sine dum: uxorem hanc prius quam.* Ita Noster alibi, 'Mane dum,' 'Dic dum,' 'Abi dum,' 'Facito dum.' Plautus Truc. II. 7. 67. 'Sed veru Sine dum petere.' *Bent.* *Priusquam hanc* Mss. duo. *Bœcl.* et sic Br.—18 Nisi in *Dixi* aut *Volui* synalœpha, quod non licitum est, cesset; versus syllaba adhuc caret. Eam ego statim præstabo. *Mane; nondum etiam dixi id quod te volui.* 'Quod te volui;' ut And. I. 1. 'Paucis te volo, Quod me velis.' III. 3. 4. 'Quid ego te velim.' Habeat itaque suas sibi conjecturas, *Mane sodes*, et *Laches, Mane*, et *Mane mane*; qui ne id quidem sensit, se id agere ut Iambicus sit, qui ab Auctore Trochaicus exibat. *Bent.* G. Fabric. legit *mane mane* laudante Guy. at Both. sic: BA. *Men'?* LA. *Mane. nondum etiam id quod volui dixi. Hic nunc habet uxorem.*—19 Aliqui libri non habent dictionem *amicum*, et ex iis est Vict. in quo tamen postea superscripta est. Bem. eam dictionem præpositam habet dictioni *firmiorem*; alii libri et Donatus postpositam, ut jam diximus evenire subdititiis dictionibus, ut nullam certam sedem habeant. Ceterum quod sequitur, Vict. et Bem. ita habent, *Dum tibi tempus consulendi est*: ut exigit ratio versus, qui est Trochaicus tetram. acatalect. ut sequens. *Fa.* Recte hæc omnia. Nostri et *Amicum* habent, et *tibi* non habent. *Bent.* *Amicum* rejiciunt Gov. Glar. Bip. Both. Perl.—20 *Ætatem* abest a Bod. Guelf. 1. et omnibus apud Bœcl. idemque, 'quod agnoscit Donatus et explicat, in nullo nostrorum

Puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui est, extinguere.

BAC. Aliud si scirem, qui firmare meam apud vos possem fidem,
Sanctius quam jusjurandum, id pollicerer tibi, Lache,
Me segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.

LA. Lepida es: sed scin', quid volo potius, sodes, facias? BAC. Quid vis? cedo.

LA. Eas ad mulieres huc intro, atque istuc jusjurandum idem
Polliceare illis: exple animum iis, teque hoc crimine expedi.

BAC. Faciam; quod pol, si esset alia ex hoc quæstu, haud faceret, scio,
Ut de tali causa nuptæ mulieri se ostenderet.

qui recens natus est, ob eam rem, occulte voluit necare. BA. *Si scirem aliud quidpiam sanctius esse, quam jusjurandum, quo vobis meam fidem datam firmam esse persuadere possem; id tibi asseverarem, Laches, a me sejunxisse Pamphilum, ut uxorem sibi junxit.* LA. *Scita, et venusta es: sed scisne quod volo amplius, si vis, ut facias?* BA. *Quid vis? dic mihi.* LA. *Ut convenias has mulieres, quæ in hac domo sunt, atque idem jusjurandum eis te facturam promittas. Satisfacito illis, et te hujus criminis suspicione libera, quod Pamphilum receptes.* BA. *Faciam, quod, per Pollucem, alia meretrix, quæ similiter quæstum corpore facit, nollet certe facere, ut propter talem causam, propter amorem mariti in pellicem, in conspectum ejus uxoris veniret, nedum de hac re verba ei faceret: sed nolo pati, ut filius tuus in*

est,' ait Bent. abest et a Br. GM. et Ms. R. teste Lind. *erit pol nec tu eadem istæc ætatem* Both.—22 Omnes fere libri scripti, inter quos Bem. et Vict. ita collocant, ut et ratio Trochaici exposcit, *natus qui est*. Fa. Quin et nostri omnes, *natus qui est*. Bent. In nullis edd. vidimus, quod vidit Fa., *qui natus est*.—23 Lege, versu ipso jubente, *Alid si scirem:* alioqui Iambicus erit inter Trochaicos. De *Alid* jam ante diximus. *Bent.* quem sequitur Bip. *si* delet Both.—25 Eandem ob causam, ne Iambicus hic sit, tolle illud *Me*; quod abesse vel elegantiæ interest, cum sequatur *A me: Segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum*. Bent. quem sequuntur Bip. Both.—26 *Otius* Guelf. 1. 'Mss. et impressi quidam post EP. *quod volo*.' West. '*Vis* et versui superest, et sententiæ; atque ideo recte id Muretus ejecit. Heaut. IV. 4. 14. 'SY. At scin quid sodes? BA. Quid?'' *Bent.* '*Quid vis? cedo* plerique libri: qui legunt *quid cedo*, ex catalect. faciunt acatalect.' *West. vis* omittit Both.—27 *Fac eas* Gu. 1. 3. *hinc* Perl. tacite.—28 *Pollicitare* unus Ms. e Bœcl. *pollicere* Argent. 'Hæc varie leguntur: *Animum his exple. Exple animum his. Exple animum iis.* Alii post *polliceare* distinguunt, legentes, *Illis animum exple*.' West. ultimum hoc Both. at Bent. *illisce exple animum*.—29 *Pol* deest in Guelf. 1. 'vides illud *quæstu* ut supra v. 9. in thesi lati-

Sed nolo falsa fama esse gnatum suspectum tuum,
Nec leviorem vobis, quibus est minime æquom, viderier
Immerito; nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem.

LA. Facilem benevolumque lingua tua jam tibi me reddidit;
Nam non sunt solæ arbitratæ hæ: ego quoque etiam credidi.
Nunc cum ego te esse præter nostram opinionem comperi,
Fac eadem ut sis porro; nostra utere amicitia, ut voles.
Aliter si facias—— sed reprimam me, ne ægre quicquam ex me audias.
Verum te hoc moneo unum: qualis sim amicus, aut quid possiem,

suspicionem veniat culpæ, quæ falsa est, et ex qua falsus rumor differatur; nec minus eum constantem a vobis parentibus æstimari volo, quibus non justum est ut talis esse videatur, nullo suo merito; nam ita bene de me est meritus, ut debeam omnia commoda, quæ possim, ei præstare, et utilitati ejus inservire. LA. *Benignum et benecupientem tibi lepidus sermo tuus me fecit: nam non solæ hæ mulieres, Myrrhina et Philumena, te receptare Pamphilum judicaverunt: ego quoque ipse credidi. Nunc cum ego te innoxiam, et criminis puram perspexi, contra opinionem nostram, fac ut talis videaris Myrrhinæ et Philumenæ. In posterum utere tuo arbitrio, nobis amicis. Sin aliam te perhibeas; sed me cohibebo, ne moleste et acerbe quicquam tibi dicam. Verum te hoc unum hortor, ut potius experiaris qualis sim amicus, et*

tare. Repone *quæstu hoc*.' Bent. *alia esset* Guelf. 3.—31 *Sed esse falsa fama nolo* Mss. duo. *Bœcl.* et sic Guelf. 3. 'In Bem. deest *esse*, sed perperam: ceterum hunc ordinem verborum habet, quem et Donatus ponit, addito tamen verbo *esse*: *sed nolo falsa fama esse*; aliqui etiam libri sic habent, *sed nolo esse falsa fama*. utrumque melius quam quod in lectione vulgata est; quod quidem ad versum attinet.' *Fa.* 'Plurimi ex nostris, *Sed nolo esse falsa fama*. Tres *Sed esse nolo falsa fama*. Ex his Faërnus omnium deterrimam elegit.' *Bent.* qui ipse edidit *Sed nolo esse falsa fama*; quem sequuntur Both. et Perl. et sic Br.—32 *Eum viderier* Guelf. 2.—35 Ex auctoritate Bem. deleo dictionem *hoc*, sine detrimento versus et sensus. *Fa.* Faërnus ejecit *hoc*. Nostri omnes retinent, sed alio ordine. Pro *hæ* duo ex nostris *hæc*; ut sæpe ante. Lege igitur: *hæc: ego quoque etiam hoc credidi*. Bent. quem sequitur Bip. *hæc* quoque Both. sed et Tanaquill. Faber ante Bent. *hæc* ob metrum: '*hoc credidi* libri quidam cum Donato.' *West. hoc* Br. Perl. In B. *hæ* e pr. m. *hæc* e 2da. Ad vers. initium *Jam* pro *Nam* Guelf. 2.—36 *Nunc aut* Guelf. 1.—38 *Sed* delendum ex auctoritate Bem. ac Vict. et ratione Trochaici. *Fa.* Nostri omnes, *sed reprimam*. Sed versus gratia Correctores *sed* olim ejecerunt. Immo retine, et versui aliter consule, *facias* abire jubens: *Aliter si: set repprimam me.* Heaut. I. 2. 25. 'Illene? set reprimam me.' *Aliter si*, Aposiopesis rei congrua. ut Virgil. 'Quos ego: sed motos,' et 'Quamquam O; sed vincant:' sic hic, *Aliter si, sed reprimam.* Ita sæpe apud quosvis scriptores, *Sin*; reliquis per Aposiopesin omissis. *Bent.* quem sequitur

Potius quam inimicus, periculum facias. BAC. Faciam
sedulo.

quid possim, quam inimicus. BA. *Faciam diligenter quæ mones.*

Both. *Audiat* Guelf. 1.—39 Nostri, uno excepto, omnes, *Verum hoc te moneo unum;* ut *Te* in ictu sit. Recte: et *Qualis* elidit *s* ante consonantem, ut passim: non, ut quidam voluit, *Amicus* ejicit *us* ante vocalem. *Bent. Hoc te moneo* Br. *te hoc unum moneo* Both. mox idem *ac quid prosim...inimicer, ut p. f.* —40 Responsionem Bacchidis in hoc versu Bem. non habet, quam et in paucissimis aliis invenies, et putamus non necessariam: superest ut versui consulatur, quod sic facimus: ex aliquibus libris scriptis, in quibus est Vict. legimus *periclum,* et quattuor primis sequentis scenæ verbis hunc versum supplemus: ea sunt, *nihil apud me tibi:* ut *nihil* in unam syllabam contracto, et *d* ex *apud* eliso, sit in sexta sede hujus Trochaici dactylus. *Fa.* Unus tantum ex tot nostris habet, *Faciam sedulo.* Bent. Eadem 'desiderantur in Mss. Leidensibus quinque, Lips. M. G. et Bœnd. Ex editis omittunt, Anon. Tarvis. Venet. Lind. Parei, et forte plures.' *West.* eademque absunt a Bip. Z. Both. Br. Perl.

ACTUS V. SCENA II.

PHIDIPPUS. LACHES. BACCHIS.

PHID. NIHIL apud me tibi
Defieri patiar, quin, quod opus sit, benigne præbeatur:
Sed cum tu satura atque ebria eris, puer ut satur sit facito.
LA. Noster socer, video, venit: puero nutricem adduxit.

PH. *Nutrix, non sinam quicquam tibi apud me deficere, ut quod necessarium sit, non large tibi præstetur; sed cum tu cibis et vino plena eris, fac ut infans lacte sit plenus, et bene nutriatur.* LA. *Noster socer Phidippus, ut cerno, venit. Puero*

1 *Nil tibi apud me* Both.—2 Hunc versum omnes fere l. s. simul ponunt, cum illis quattuor verbis, quibus ultimum versum præcedentis scenæ supplevimus: sed illis detractis remanet ille quem ascripsimus, qui est trochaicus tetrameter, ut præcedentes: licet illi catalectici, hic acatalecticus. *Fa.* Nec *quod opus sit,* nec, quod quidam voluit, *quod opust,* in hujus versus cæsura possunt consistere. In Regio Chartaceo deest *opus.* At in Codice C. C. *quin quod est.* Egregie: *Defieri patiar: quin, quod est, benigne præbeatur. Quod est,* quod domi est, quod res nostra præbet. *Bent.* quem sequitur Both. —3 Vides, ut invenuste dispertiantur Accentus: quamvis apud Priscianum quoque p. 701. *eris* legatur, etiam in codice scripto. Repone, *Sed tu cum satura atque ebria es, et puer ut satur sit facito.* Bent. quem sequitur Perl. *ut* delet Both.—4 *Puero nutricem* Guelf. 3. 'Placet mihi *adducit,* quod in Bem.

Phidippe, Bacchis dejerat persancte. PHID. Hæccine ea
est? LA. Hæc est.
PHID. Nec, pol, istæ metuunt Deos; neque has respicere
Deos opinor.
BAC. Ancillas dedo: quo lubet cruciatu per me exquire.
Hæc res hic agitur: Pamphilo, me facere ut redeat uxor,
Oportet; quod si perficio, non pœnitet me famæ,
Solam fecisse id, quod aliæ meretrices facere fugitant.
LA. Phidippe, nostras mulieres suspectas fuisse falso
Nobis, in re ipsa invenimus: porro hanc nunc experiamur:
Nam si compererit crimini tua se falso uxor credidisse,

alendo nutricem adduxit. Phidippe, Bacchis per Deos bene jurat, et religiose. PH. *Hæcne ea est?* LA. *Hæc est.* PH. *Nec pol istæ meretrices Deorum timorem, nec Diis ullo modo curæ sunt, uti quidem existimo.* BA. *Servas meas in tuam potestatem trado: quibuslibet quæstionis tormentis, me permittente, veritatem de illis quære. Potes id facere. Hæc res agitur: oportet nimirum me efficere, ut Philumena uxor Pamphili ad eum reducatur. Quod si hoc perficio, famam et æstimationem hanc me acquisiisse non pœnitebit, scilicet, solam sine exemplo fecisse, quod aliæ meretrices facere recusant, id est, reconciliare uxores maritis.* LA. *Phidippe, mulieres nostras falso in suspicione apud nos positas fuisse, in rei veritate comperimus. Hujus autem Thaidis etiam hinc deinceps periculum faciamus: nam si tua uxor deprehenderit se falso accusationi fidem adhibuisse, iram dimittet: sin autem*

est, ut per præsens tempus omnia enuntientur, *venit, adducit:* ita conjicere licet fuisse et in Vict. nam *x* in litura est.' *Fa.* 'Duo ex nostris *adducit.* Sed insuper inversis verbis lege, *nutricem puero adducit.*' Bent. quem sequitur Perl. *adducit* Bip. Both. 'Pauci Mss. et editi, *Adducit,* quod laudat Faërnus. Et videtur præferendum, quod et *venit* præsenti tempore dicit.' *West.*—6 *Arbitror* vice *opinor* Guelf. 1.—7 *Quo jubet* G. '*quolibet* bona librorum pars.' *West.* sic Br.—7. 8 *Exquirere licet* Bœnd. Guelf. 1. Mss. omnes apud Bœcl. '*Licet* non est in Bem. nec Vict. nec ponitur a Donato, et a versu respuitur.' *Fa.* 'Recte: sed *Licet* in omnibus nostris est, uno Regio excepto.' *Bent. Exquire licet* Br. quod defendit Rivius ob metrum.—9 *Perficio* versum jugulat, qui Creticum vel ei parem pedem in cæsura postulat. Donatus in Edd. vett. *perfecero,* et sic scriptus Oxoniensis. Repone, *Oportet, quod si effecero, non pœnitet me famæ.* 'Effecero,' quo nullum hic verbum aptius. Eun. v. 8. 26. 'Hoc si effeceris.' Phorm. IV. 1. 24. 'Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.' *Bent.* quem sequuntur Both. Perl.—10 *Alias* hic et infra v. 3. 36. vice *aliæ* Both. *fugitant facere* Guelf. 3.—12 *Nobis* pro gl. omittit Bip. et dein legit *nam si* | *Compererit,* quia 'haud certe jure Bentl. huic versui consulturus delet *falso,* parum vere dicens, *crimen* omne falsum esse. Et ap. Cic. certe *crimen* (accusationem) *verum,* idemque *criminationem falsam* occurrit. v. Gesn. in Thes.' *Bip.* mox *hoc* Both.—13 *Comperit* Guelf. 1. 'Libri quidam Mss. et impressi, *Comperit.* Errore, opinor, nato ex compendio scribendi. *Falso* Georgius Fabricius auctoritate postremæ editionis P. Manutii delet. Et sane abest ab edit. Florent. apud heredes Bern. Juntæ, 1565. Sed nihil magis necessarium ad sensum. unde ejiciendum non erat. Guyetus *Se* et *Uxor* expungit, legens: *Nam si compererit crimini tua falso credidisse.* Sed contra fidem Codicum. *West.* Nostri omnes post *uxor* addunt *falso.* Sed

Missam iram faciet: sin autem est ob eam rem iratus gnatus,
Quod peperit uxor clam, id leve est; cito ab eo hæc ira abscedet.
Profecto in hac re nihil mali est, quod sit discidio dignum.
PHID. Velim quidem hercle. LA. Exquire: adest: quod satis sit, faciet ipsa.
PHID. Quid mihi istæc narras? an, quia non tute ipse dudum audisti,
De hac re animus meus ut sit, Laches? illis exple modo animum.

hac de causa succenset filius meus, quod ejus uxor secreto et occulte peperit eo nesciente; id non magni est ponderis, cito hæc ira eum deseret. Certe in hac partus celatione, nihil mali est, quod sit dignum divortio. PH. *Per Herculem id velim.* LA. *Explora sagaciter a Bacchide. Illa hic præsens est. Faciet ipsa quod sufficit ad plenam purgationem Pamphili, et suam.* PH. *Quid opus est his verbis? an quia non tu ipse pridem a me audivisti quæ sit mea mens et desiderium? illis modo mulieribus, quæ amaræ sunt et molestæ, hæc persuade.* LA. *Per Deos te obsecro,*

inepte, et versu respuente. *Crimen* per se habet notionem falsitatis. Donatus: 'Crimen proprie dicitur, id quod factum est:' immo lege, *Id quod falsum est*. Bent. quem sequuntur Both. et Perl. qui opinatur '*falso* superius ex v. 11. huc aberrasse.' Cum Bent. stat Ruhnk.—14 Profecto hujus metri in cæsura ratio Correctoribus vetustis latebat: ita nunc frequenter in his versibus peccant libri veteres. *Sin autem est* pro Cretico hic inambulat. Tu repone, *Sin item est;* etiam sententiæ commodius. *Bent.* quem sequitur Both.—15 *Clam, leve id* Both. '*discedet* Mss. duo.' *Bœcl.*—17 Voci '*ipsa* magna Mss. et veterum editorum pars, post an. 1469. additum habent, B. *Faciam.* sed metro repugnante.' *West.* 'In contextu libri Bem. non est responsum Bacchidis, sed loco ejus pronomen *ipsa;* ita et Donatus legit; ita et o. l. s. nisi quod in iis sequitur responsum Bacchidis: perperam id quidem, nam versus repugnat.' *Fa.* 'Nostri omnes addunt, ut Bacchidis responsum, *Faciam.* Non placet: nam versu infra 20. Laches eam monet, 'Quod mihi pollicita es, serves.' Id vero pollicita est v. 1. 30. 'Eas intro ad mulieres: Faciam.' Quod si hic quoque dicat 'Faciam;' non jam 'Mihi pollicita es' diceret, sed 'Nobis.' *Bent.* Additur BA. *faciam* ab omnibus Mss. apud Bœcl. et Br. Post h. v. inculcatur distichon 25. 26. in C, nec tamen loco consueto omittitur, Bothio teste.—18 Bem. et omnes fere alii, ac Don. *quid mihi istæc:* Bas. *quid mi istæc.* et infra iidem libri, *dudum audisti.* Donatus vero non, *tute ipse*, sed *tu ipse*, habet: ita est Iambus, vel Pyrrhichius in quarta. *Fa.* *Quid mihi istæc narras? an quia non tu ipse dudum audisti.* Sic dedit Faërnus, ex Donato, ut narrat, *tu ipse.* Donatus in vett. Edd. habet, *tute ipse;* ut omnes hic nostri et item Faërni. Sentio, quid illum induxerit: *an quia non*, si *tute* legas, pro Cretico male ponitur: maluit ergo Dactylum *An quia;* et idcirco *tu ipse* adscivit. Infelix labor: neutrum enim hic stare potest. Repone, *Quid mi istæc narras? quiane non tute ipse dudum audisti.* Plautus Pers. v. 2. 69. 'Quiane te voco, bene ut tibi sit.' Virgil. Æn. IV. 538. 'Quiane auxilio juvat ante levatos.' *Bent.* *Quid mi istæc* — omisso *ipse* Both. *Istæc mihi* Guelf. 3. *Tu ipse* G.—19 Bem. et Don. *explete:* est enim sermo non ad Lachetem solum, sed et ad

LA. Quæso ædepol, Bacchis, mihi quod es pollicita tute, ut serves.
BAC. Ob eam rem vis ergo intro eam? LA. I, atque exple animum iis, ut credant.
BAC. Eo; etsi scio, pol, iis fore meum conspectum invisum hodie;
Nam nupta meretrici hostis est, a viro ubi segregata est.
LA. At hæ amicæ erunt, ubi, quamobrem adveneris, resciscent.
PHID. At easdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognoverint;

Bacchis, ut quod mihi promisisti, jusjurandum apud mulieres, tu ipsa præstes. BA. *Visne ergo ut ingrediar ad mulieres, ut jurejurando confirmem Pamphilum a me non receptari.* LA. *Fac, et ita illis persuade, ut credere tibi cogantur.* BA. *Eo ad illas, quamvis certa sim his meum conspectum molestum et exosum hodie fore: nam mulier nupta, meretrici inimica est, cum a viro separata est.* LA. *At hæ amicæ erunt tibi, cum primum cognoverint, quam ob causam eas conveneris.* PH. *At easdem amicas tibi fore polliceor, quando rei veritatem resciverint: nam illas*

Bacchidem. versus quoque hanc lectionem exigit. *Fa.* Unus ex nostris vetus, *modo explete:* ceteri, *modo exple.* Bent. Faërnus et Georgius Fabricius mallent, *Explete*, quasi ad Lachetem et Bacchidem simul dictum. Et sane ita Libri quidam scripti et impressi præferunt. Guy. *Expleto* reponit, et Lacheti soli dictum ait. Addunt autem Codices quidam: *Ut credant.* quod e versu 21. videtur repetitum. *West.* *Modo explete animum* Bent. Bip. Both. *Modo exple animum* Z. Br. Perl.—20 *Quod mihi* Guelf. 3.—21 Bem. *vin ergo?* Ita prius erat et in Vict. *Fa.* Nostri omnes *vis*, non *vin*. Bent. *I, atque exple animum iis, ut credant*] *I* hic non patitur synalœpham: vetustus noster, ut alibi, *Ii* duplice *i* scribit; nam duplicis potestatem habet; idcirco, ut *O* et *Au*, non eliditur. Ceterum mutato ordine lege, *atque exple iis animum, ut credant.* Bent. *Vin* quoque Both. Perl. mox *i atque exple animum his et coge ut credant* Ms. unus apud Bœcl. quo teste 'illud *i* a 2da manu est, antea fuit vel *ita* vel *ito:* accessit glossema.' et B. Hal. exhibent verba *et coge*, quæ invenit West. in Mss. et edd. quibusdam; ipse Both. legit *i atque exple animum et coge, ut credant:* totum versum expungit Guy. *animum his* Guelf. 3.—22 Salvus est etiam in hac lectione numerus: sed ex codice Petrensi lego, *Eo: etsi scio pol his meum fore.* Et collocatio elegantior est. *Bent.* quem sequitur Both. Perl. *his* quoque Bip. *hiis* Br.—23 *Nupta et meretrici* Both. ubi *et* est pro *etiam.*—24 Bem. *hæc amicæ*, ut et exigit versus. *Fa.* Etiam chartaceus noster *hæc*, ut scias a veterrimo codice transcriptum. *Hæc* feminino plurali sæpe habuimus. *Bent.* Sunt Libri, in quibus est, *At tibi amicæ erunt.* Malim, *At hæc amicæ erunt:* quod nec insolens Terentio, et ad metrum melius. *West.* *Hæc amica erit* Both.—25 Repetit eundem sensum Lachetis Philippus, ut appareat, æque utrique studium esse. Ceterum versus hic immerito supervacuus videtur Faërno et Guyeto, jubentibus contra Librorum fidem *cognorint* legere. Goveanus, *Atqui easdem.* West. *Ad easdem* Guelf. 2. 'Hunc totum versum idem liber non habet, et sane supervacaneus videtur, quamvis a Donato ponatur prima pars ejus: sane, si hunc versum retinemus, *cognorint* legendum ex ratione versus, contra omnium librorum fidem.' *Fa.*

Nam illas errore, et te simul suspicione exsolves.
Bac. Perii! pudet Philumenæ. Sequimini me huc intro ambæ.
La. Quid est, quod mihi malim, quam quod huic intelligo evenire;
Ut gratiam ineat sine suo dispendio, et mihi prosit?
Nam si est, ut hæc nunc Pamphilum vere ab se segregarit,

falsa opinione, et te suspicione, quam de te habent, simul liberabis. Ba. *Perii. Pudet me propter Philumenam, conscientia consuetudinis, quam cum Pamphilo habui. Sequimini me in hanc domum, vos ancillæ duæ.* La. *Quid est quod magis optem mihi accidere, quam quod Bacchidi evenire video; ut una opera a me gratiam sibi comparet, sine damno, et mihi utilitatem afferat, mihique commodet, reconciliando uxorem Pamphilo, et Sostratæ ejus matri? Nam si verum est, ut Pamphi-*

'Uterque versus commodus et genuinus. Posterior, ut fit, in Bem. et in C. C. et Petrensi omissus est; quia ab *At* eodem, quo prior, verbo inchoatur. Uterque senex, ut par erat, fidem hanc Bacchidi dant; et magis Phidippus, qui ibi paterfamilias est. *Bent.* Deest versus in B. *Item has amicas fore — cognorint* Both. *cognorint* Bip. Perl.—26 Vice *nam* est *nullam* in Br. Guelf. 1. GM. Hal. *alias* e pr. m. Guelf. 3. *simul errore* Guelf. 2. *simul te* Guelf. 1. Br. '*evelles* Ms. R.' *Lind.*—27 *Pudet me* GM. et 'Mss. et editi quidam post EP.' *West.* 'Non temere est, quod nec Bem. nec Don. habent dictionem *huc*; aliique libri, qui eam habent, partim dictioni *intro* præponunt, partim postponunt; ex quo apparet, ut subdititiam, certum eam locum non habere: pronomen vero *me* non post *sequimini*, sed ante, habet Bem. alii libri, et hi complures, et ante, et post habent: quam et veram arbitror lectionem, detracto adverbio *huc*. Fa. *Perii, pudet Philumenæ me: sequimini me intro ambæ.* Sic dedit Faërnus. Sed nostri universi *huc* habent. Repone, *Perii, pudet Philumenæ: vos sequimini intro huc ambæ.* Sic 'Sequimini' absolute Eun. IV. 7. 2. et Phor. II. 3. 8. 'Vos sequimini,' ut Eun. III. 2. 53. VII. 2. 46. *Vos* potius quam *Me*; ut in cæsura ambiguum evitetur.' *Bent.* *Me sequimini* Br. *sequimini me intro huc* Both. tacite: et sane *intro huc* libri quidam teste West. —28 *Ille alias* bis Guelf. 1.—29 *Una prosit*] Donatus, Bem. Bas. et Vat. et plerique alii non habent *una*. quod et respuit versus. *Fa.* Duo tantum ex nostris addunt *una*. Sed vide ipsos versus, *Quid est quod mihi malim, quam quod huic intellego evenire, Ut gratiam ineat sine suo dispendio, et mihi prosit.* Quid hoc est? *Quid mihi malim, quam ut* sine suo dispendio *mihi prosit meretrix?* Immo, credo, vel cum maximo meretricis, quam modo angue pejus oderat, dispendio id sibi optet senex. Donatus, prava lectione irretitus, quo non se versat? Repono, re ipsa me eo ducente, *Quid est mihi quod malim quam quod huic intellego evenire? Ut gratiam ineam sine meo dispendio, et mihi prosim.* *Quid est*, inquit, *quod Mihi malim, quam ut gratiam ineam, &c. quod Huic evenire intellego.* Vides, opinor, sententiam claram; et una vides, quo pacto evenerit, ut interpolaretur. Cum enim *Huic*, quod vero ordine postremum est, in medio veniret, eo decepti Librarii personas primas *Ineam* et *Meo* in tertias mutaverunt. *Bent.* 'Nescio an opus sit Bentleii correctione.' *R. D.* 'Codices quidam: *Mihi una prosit*: quod versus respuit. Tanaq. Faber, ejusque filia Anna Dacieria, *Sibi prosit*: scilicet ne Laches bis idem dicat, quasi vero qui gratiam ab altero init, eadem opera non sibi prosit.' *West.* *Mihi* in vs. 28. delet Both.—30 *Virginem quam* omisso *nescio* Guelf. 1.

Scit sibi nobilitatem ex eo, et rem natam, et gloriam esse,
Referetque gratiam ei, unaque nos sibi opera amicos junget.

lum a consuetudine sua semoverit; certo perspicit, nomen suum ex eo insigne et nobile fore apud omnes; cum antea obscurius et minus celebre esset: tum rem familiarem auctum iri, et laudem non mediocrem se consecuturam. Pamphilo reddet beneficium acceptum, unaque opera nos sibi amicos conciliabit.

—31 Sic libri omnes. Donatus: *Ex eo, utrum ex Pamphilo; an ex eo, ex ea re: et hoc melius.* Certe melius: sed hoc etiam expediat summus Magister; cur noster inter *Nobilitatem* et *Gloriam*, quæ cognatæ sunt significationis, *Rem* in medium intruserit, prorsus diversæ. Quomodo autem *rem natam? Quia multa*, inquit idem, *in eam contulit Pamphilus.* Itane vero? Atqui de re ventura hic agitur, non de præterita: et *si vere ab se segregarit*, non res creverit, sed damnum obvenerit. Codex unus ex regiis *nactam* pro *natam*. Repone, *Scit se nobilitatem ex ea re nactam et gloriam esse.* Ubi ordo est, *Scit se ex ea re nactam esse nobilitatem et gloriam.* Bent. *ex eo paratam et* Both.—32 Ex auctoritate libri Bem. et Vict. delemus conjunctionem *que*, nec sermoni necessariam, et versui incommodam, qui est Iamb. tetram. catalect. ut ceteri, habens dactylum in secunda. *Fa.* *Referet gratiam ei, unaque nos sibi opera amicos junget.* Sic voluit Faërnus; etsi in Editione sit *Referetque.* Bene sane, quod duo primarii libri *que* ejiciant. Sed ne sic quidem versus commodus est. Codex Academicus, *Refertque.* Repone, *Refert gratiam eii, unaque nos sibi opera amicos jungit.* *Refert, Jungit*, ut supra *Scit*, elegantius quam ista Futura. *Refert* corripitur; quæ licentia in primo pede facile conceditur. *Bent.* *Referensque gratiam una nos* Both. *referet* Bip. Perl. *una quæ* pro var. lect. Br. mox 'libri quidam ope.' *West.*

ACTUS V. SCENA III.

PARMENO. BACCHIS.

Par. Ædepol næ meam herus esse operam deputat parvi pretii,
Qui ob rem nullam misit, frustra ubi totum desedi diem,
Myconium hospitem dum expecto in arce Callidemidem.
Itaque ineptus hodie dum illic sedeo, ut quisque venerat,

Pa. *Per ædem Pollucis herus Pamphilus laborem meum parvi æstimat, qui pro nihilo me illuc misit, ubi totum diem frustra otiosus sedi; dum Myconium hospitem Callidemidem frustra in arce expecto. Itaque stolidus ego, dum illic desideo, ut*

1 GM. *meus* in textu, *meam* subscript. exhib. post *herus.* Perl. Bem. *preti.* Fa. Sic et nostri meliores *Preti*, ut *Viti*, *Gaudi*, *Consili.* Semper ita oportet, ut in Andria semel docuimus. *Bent.* quem sequuntur Bip. Both. Perl.—2 *Me misit* Guelf. 2.—4 Bembus in Libello de Fabulis Terentianis

Accedebam: adolescens, dic dum, quæso, es tu Myconius?
Non sum: at Callidemides? non. Hospitem ecquem Pamphilum
Hic habes? omnes negabant: neque eum quenquam esse arbitror.
Denique hercle jam pudebat: abii. Sed quid Bacchidem
Ab nostro affine exeuntem video? quid huic hic est rei?
BAC. Parmeno, opportune te offers: propere curre ad Pamphilum.
PAR. Quid eo? BAC. Dic me orare, ut veniat. PAR. Ad te? BAC. Immo ad Philumenam.
PAR. Quid rei est? BAC. Tua quod nihil refert, percontari desinas.
PAR. Nihil aliud dicam? BAC. Etiam; cognosse annulum illum Myrrhinam
Gnatæ suæ fuisse, quem ipsus olim mihi dederat. PAR. Scio.
Tantumne est? BAC. Tantum: aderit continuo, hoc ubi ex te audierit.

primum aliquis advenerat, ad illum ibam dicens: adolescens, dicito, te rogo, es tu Myconius? respondebat, non sum. At, es Callidemides? Minime. Rogabam deinde, numquid hospitem in hac urbe habes, qui vocatur Pamphilus? omnes negabant se habere hospitem hoc nomine: neque Callidemidem aliquem usquam esse judico. Denique per Herculem pudebat illic sedere tamdiu: discessi ex eo loco; sed quamobrem Bacchidem video, e domo Phidippi soceri Pamphili egredientem? quid huic meretrici negotii est apud Phidippum? BA. *Parmeno, commode occurris mihi: propera ire ad Pamphilum.* PA. *Quapropter?* BA. *Dic ei me rogare ut veniat huc.* PA. *Ad te? non vero ad me, sed ad Philumenum.* PA. *Quænam res est?* BA. *Quæ nullo modo ad te spectat, desistas curiosius inquirere.* PH. *Nihilne aliud ei dicam?* BA. *Dic ei etiam Myrrhinam cognovisse annulum, quem olim ipse mihi dederat, fuisse illum, quem Philumena ejus filia olim in digito habuerat.* PA. *Scio. Tantine momenti hæc res est, ut statim veniat?* BA. *Tanti: sine mora hic præsens erit, postquam hunc nuntium audiverit.* *Sed, tardasne?* PA. *Minime*

e suo Codice ita citat, *Dum illi sedeo.* Quæ lectio laudatur a Rivio, et præfertur a quibusdam Libris. Neque insolens est Terentio. *West.* et sic tacite Bent. Both. et Perl. 'Duo ex nostris, *quisquam*; et ad versum commodius, et ad sententiam.' *Bent.* quem sequitur Both. Perl.—5 Nisi *quæso* sine Synalœpha sit, quod non licet, versui deerit Syllaba. Unus ex nostris, *tu es.* Lege *tun es Myconius?* vel *an es tu Myconius?* Bent. *Tun es* Bip. Both. Perl. —6 *Pamphilum* mutatur in *Pamphili* in Br.—7 Lib. antiqui *enim* pro *eum.* Perl. at *eum* o. l. s. apud Fa. et Bent.—11 Pauci libri *amare.* West.—13 *Illum* abest a Guelf. 2.—14 Codd. quidam scripti et impressi *ipse.* West.

Sed cessas? PAR. Minume equidem; nam hodie mihi potestas haud data 'st;
Ita cursando atque ambulando totum hunc contrivi diem.
BAC. Quantam obtuli adventu meo lætitiam Pamphilo hodie!
Quot commodas res attuli! quot autem ademi curas!
Gnatum ei restituo, qui pæne harum ipsiusque opera periit:
Uxorem, quam nunquam est ratus posthac se habiturum, reddo;
Qua re suspectus suo patri, et Phidippo fuit, exsolvi.
Hic adeo his rebus annulus fuit initium inveniundis:
Nam memini, abhinc menses decem fere, ad me nocte prima
Confugere anhelantem domum, sine comite, vini plenum,
Cum hoc annulo: extimui illico. Mi Pamphile, inquam, amabo,
Quid exanimatus es, obsecro? aut unde annulum istum nactus?

sane, nam mihi hodie facultas nulla data fuit cessandi; adeo frequenter currendo, et huc et illuc commeando, totum hunc consumsi diem. BA. *Quantam hodie lætitiam adventus meus Pamphilo attulit? quot utilitates? quot ei abstuli solicitudines? Filium ei restituo, qui pæne harum mulierum, ipsiusque opera expositus fuit: uxorem Philumenam, quam nunquam credidit in posterum se habiturum, reddo: suspicionibus patris et soceri, in quibus erat, eum expedivi. Hic certe annulus tot felicitatum successibus dedit initium. Nam recordor decem prope abhinc menses illum primis noctis tenebris confugisse ad me pavitantem, et anhelantem, ægre respirantem, sine comite, temulentum cum hoc annulo. Statim pavefacta sum, ut eum vidi, suspicata aliquid mali ei accidisse: mi Pamphile, dixi, oro, quid perturbatus es?*

et sic Br. mox 'lib. antiq. *mihi olim.*' Perl. *olim mihi* ex o. l. s. et ratione versus Fa. uti et omnes apud Bentl.—15 O. l. s. *hoc ubi*, et in *audierit* antepenultima producenda, aut *audiverit* legendum. *Fa.* Sic et nostri. Sed *audiverit* reposuimus, ut scriptura pronuntiationi sit congrua. *Bent.* *Hoc* abest a Guelf. 3. *audiverit* Bip. Both. Perl.—16 *Quidem: namque...non data* Both. —17 *Hunc* omittit Both. utpote 'a poëtæ more' alienum.—18 *Attuli* Gu. 1. —20 Sic omnes libri, gemente versu. Sed facilis medicina est, *Gnatum ei restituo, pæne qui harum.* Tute animadvertes, solere Nostrum pronomen *qui* in secundo loco ponere. *Bent.* quem sequitur Both.—21 *Abiturum* Guelf. 3. —23 *Ex his rebus* Guelf. 2. *indicium* EP.—26 '*O mi* Mss. duo.' *Bæcl.* et Br. pro gl.—27 '*Quid es exanimatus* Mss. omnes.' *Bæcl.* Br. Plerique nostri, *Quid es exanimatus?* Lege, *Quid exanimatu's obsecro?* et sic *nactu's.* *Es* apud Nostrum produci solet, et a versu hic respuitur. *Bent.* quem sequitur Perl.

Dic mihi. Ille alias res agere se simulare: postquam video,
Nescio quid suspicarier magis cœpi; instare, ut dicat.
Homo se fatetur vi, in via, nescio quam compressisse;
Dicitque sese illi annulum, dum luctat, detraxisse.
Eum hæc cognovit Myrrhina in digito modo me habentem.
Rogat, unde sit? narro omnia hæc: inde 'st cognitio facta,
Philumenam compressam esse ab eo, et filium inde hunc natum.
Hæc tot propter me gaudia illi contigisse lætor;

aut unde istum annulum comparasti? dic mihi, obsecro. Ille alias res agentem se fingebat. Postquam id animadverto, nescio quid suspicans, timere magis cœpi, urgeo illum flagitans, ut dicat. Homo fatetur se per vim nescio quam stuprasse, refertque se illi annulum, cum contra illam luctatur, abripuisse. Hunc annulum hæc Myrrhina modo cognovit, dum eum in digito habebam: quærit unde eum accepi: recito illi omnia hæc. Ex hoc quoque, quem dixi, annulo agnitum illud est; Philumenam vitiatam fuisse a Pamphilo, et filium ex eo compressu esse natum. Hos tot, per me, lætos successus, quæsitos illi fuisse summopere gaudeo: quamvis aliæ

et sane *nactus es* Mss. duo apud Bœcl. *es* utrumque delet Both.—28 *Res sese agere* unus Ms. e Bœcl. mox 'Pauci Codd. *postquam id video.*' West. Pronomen *id* in nullo est l. s. nisi Vict. ubi et deletum est. *Fa.* Lege, *Postquam video.* Bent. *Id postquam* Both.—29 *Suspectarier* vult Bent. *suspicari cœpi et magis instare* in textu, in notis *suspicarier magisque instare* Both.—30 *Vi* abest a Guelf. 3. *quod compressisset* Guelf. 3. 'Mire.' *Perl.* 'Mss. et editi quidam, *Nescio quam virginem.* Quia vero 'Nescio quam,' dixit, 'virginem' fuisse, dicere commode non poterat. Unde et ejecerunt hanc vocem Erasmus, Gov. Glar. Fa. Georgius Fabricius, alii. Plusculæ editiones antiquæ post an. 1469. agnoscunt.' *West.* At omnes Mss. apud Bœcl. *virginem nescio quam.* Ex ratione versus, et ex fide Bem. Vat. et Bas. et aliquot aliorum, ac Donato delemus *virginem.* Faërn. Ita nostri plerique. *Bentleius.* Deest *virginem* in GM. Br.—31 *Se* ex o. l. s. geminamus. *Fa.* Et nostri omnes *sese.* Bent. *Luctatur* Mss. omnes apud Bœcl. et Ms. R. et vett. libb. apud Lind. 'Citat h. l. Nonius Marcellus.' *West.*—32 Vice *eum* EP. *tum.* Atqui Myrrhina non cognovit Bacchidem habentem in digito anulum; sed *ipsum anulum cognovit;* ut Eun. v. 3. 6. 'Cognoscitne signa?' et Heaut. IV. 1. 44. 'Postquam aspexi anulum, ilico cognovi.' Repone, *Eum cognovit Myrrhina hæc, in digito modo me habente.* Bent. quem probant Both. et Perl. et 'suspicabar legendum *me habente.*' West. Ita distinguit Bip. *in digito; modo me habentem Rogat, unde sit.* quod et voluit Weigel; cujus ratio 'non placet.' *Perl.*—33 *Narro* Br. at pro var. lect. *narrat.*—34 Hic ordo verborum est in Bem. *compressam esse.* Fa. Nostri *esse compressam.* Recte Bembinus. *Esse* hic priorem corripit. *Bent.* *Esse compressam* Br. *esse ab eo compressam* Both. '*hunc inde* Mss. duo.' *Bœcl.*—35 *Propter tot* Guelf. 1.—36 Ne

Etsi hoc meretrices aliæ nolunt; neque enim est in rem nostram,
Ut quisquam amator nuptiis lætetur: verum, ecastor,
Nunquam animum quæsti gratia ad malas adducam partes.
Ego, dum illo licitum 'st, usa sum benigno, et lepido, et comi.
Incommode mihi nuptiis evenit: factum fateor.
At, pol, me fecisse arbitror, ne id merito mihi eveniret.
Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquom 'st ferre.

meretrices talia abominantur; neque enim nobis utile est ut ullus qui nos amat, amore nostri captus lætitiam ex nuptiis capiat uxore contentus: sed per ædem Castoris, nunquam lucro impulsa ad malum mentem applicabo. Ego, dum concessum fuit, illum habui liberalem, scitum, festivum, et suavem erga me. Incommodæ mihi hæ nuptiæ acciderunt, fateor: at per Pollucem id nulla mea culpa, qui eas impedire non potui. Multa incommoda ferenda sunt ejus, a quo multa beneficia accepta sunt.

claudicet cæsura, opitulatur Bent. legendo *non volunt aliæ.* Both. *alias nolunt;* Br. omittit *enim.*—37 *Quisquis* Guelf. 2.—38 *Adducam* citat Priscian. Instit. Gramm. VI. et Fulgent. de prisco sermon. in v. *Diobolares.* Lind. 'Libri quidam *inducam.*' West.—39 '*Comite* al.' Br.—40 *De nuptiis* G. Guelf. 1. Mss. duo apud Bœcl. et sic Br. pro gl. '*de* quod desideratur in vulgatis, comparet in nostris omnibus videturque absorptum a præcedente verbo.' Both. qui edidit *Incommode de nuptiis mi evenit.*—41 '*Id* abest a multis Codd.' *West.* abest a Br. GM.

ACTUS V. SCENA IV.

PAMPHILUS. PARMENO. BACCHIS.

PAM. VIDE, mi Parmeno, etiam sodes, ut mihi hæc certa et clara attuleris,
Ne me in breve conjicias tempus, gaudio hoc falso frui.

PAM. *Vide, mi Parmeno, etiam, quæso, ut mihi vera et manifesta nunciaveris: ne me in brevis temporis angustias impellas; dum hoc falso gaudio fruar.* PAR.

1 *Mi* deest in Guelf. 1.—2 Mss. duo *breve in hoc conjicias,* etiam tertius habet *hoc,* alio verborum positu. *Bœcl.* *hoc* et Br. '*Ne me in breve conjicias tempus, gaudio hoc falso frui*] Mirificus verborum ordo et constructio. Sensus est: *Ne me conjicias in falsum et breve gaudium.* quomodo Heaut. II. 3. 51. *Ne me in lætitiam frustra conjicias.* Simplicissimum forte fuerit, statuere, ratio-

PAR. Visum est. PAM. Certen'? PAR. Certe. PAM. Deus sum, si hoc ita est. PAR. Verum reperies.
PAM. Manedum, sodes: timeo, ne aliud credam, atque aliud nunties.
PAR. Maneo. PAM. Sic te dixisse, opinor, invenisse Myrrhinam,
Bacchidem annulum suum habere. PAR. Factum. PAM. Eum quem olim ei dedi;

Huic rei provisum est. PAM. *An satis consideratum est?* PAR. *Satis.* PAM. *Deorum felicitate fruor, si hoc verum est.* PAR. *Verum esse deprehendes.* PAM. *Mane, quæso; vereor ne aliud mihi persuadeam, ac ut mihi nuncies.* PAR. *Maneo.* PAM. *Sic te dixisse mihi videris, Myrrhinam cognovisse Bacchidem suum annulum habere.* PAR. *Sic dixi.* PAM. *Eum annulum qui olim ei a me datus*

nem ordinis et constructionis esse, *ne me in breve conjicias tempus*, pro, *ne conjicias in breve gaudium*, et mox Græca locutione, *frui hoc falso gaudio*, pro, *fruendi*, vel, *ut fruar.* Guyetus in glossis ἀνεκδότοις ita ordinat: *Ne me conjicias frui hoc falso gaudio in breve tempus.* Quod forte e Fabrini editione sumsit, ubi itidem ita construitur, vertiturque, *Accioche tu non mi facci godere questa falsa allegrezza in questo breve tempo.* Intelligit autem 'Breve tempus,' dum in ædes Phidippi intraret. Codices quidam scripti et impressi post an. 1469. *Ne me in breve hoc conjicias tempus.* Cicero Fam. VI. 12. 'Nec sum tam stultus, ut te usura falsi gaudii frui velim.' In quibus verbis manifesta imitatio Terentiana est.' *West.* 'Ex aliquibus libris, inter quos et Vict. et ratione Trochaici, deleo pronomen *hoc.*' Fa. 'Legendum existimo, *Ne me in breve pellicias tempus gaudio hoc falso frui.*' Bent. 'Insolens loquendi ratio, *conjicere aliquem in breve tempus.* Bent. legit *ne me in breve pellicias gaudio hoc falso frui*, sed ne hæc quidem conjectura difficultatem pellit. Infinitivus *frui* ponitur pro *ad fruendum*, ut supra III. 2. 10. *introiit videre.* v. Perizon. ad Sanct. Minerv. IV. 6. p. 673.' *R. D.* 'Al. *in breve hoc tempus.* Sed Faërn. ut consuleret trochaico, delevit *hoc*, quod nec habent Cod. Vict. aliique. Alia vero difficultas est in verbo *conjicias*, et constructione cum infin. *frui.* Sensus quidem fere idem est cum dicto illo Heaut. II. 2. 51. *ne me in lætitiam frustra conjicias.* Sed alia longe verba; neque facile approbari credimus *in tempus breve conjicias*, &c. Hinc Bent. pro *conjicias* absque Codd. sed pro ingenio suo edidit *in br. pellicias t. g. h. f.* Nos facilius, si conjecturæ locus sit, audemus: *ne mi in br. conficias tempus g. h. f. f.* et infinitivo assignamus vim accusativi, *gaudii* hujus falsi *fructum.* *Conficias* autem foret idem ac *effectum habeas* s. satis habeas fecisse. cf. ad Eun. v. 4. 6. An malis *conjiciam?* quomodo mox inverse v. 4. dicit *timeo, ne aliud credam, atque aliud nunties.*' Bip. 'Verbum *conjicias* Terentianum Anglo non placuit, qui *pellicias* præfert Plautinum.' *Perl.*—3 O. l. s. *certene* habent, præter Bem. et Vict. qui *certen:* quo posteriore modo versus est trochaic. catalect. ut ceteri, correpta tamen *hoc.* Fa. Hoc recte. Nostri *certene.* Bent. *Hoc* delet Both. quia id 'ad sensum est frustra, nec venuste elisa vox *si*, quæ jam icta non liquescit ex regula.' —5. 6 Versus prior, si hanc lectionem recipis, pro Trochaico Iambicus fit. Vel ergo *Dixe* legas, pro *Dixisse*, vel cum codice Meadiano, inverso ordine, *Maneo: Sic dixisse opinor te, invenisse Myrrhinam Bacchidem suum anulum habere.* *Anulum suum* ceteri codices; sed veterrimus, cum Petrensi, *Suum anulum.* Concinnius. *Bent.* *Te* omittit Both. tacite.—6 *Factum est* Guelf. 2.—

Eaque hoc te mihi nuntiare jussit: itane est factum? PAR. Ita, inquam.
PAM. Quis me est fortunatior, venustatisque adeo plenior?
Egon' te pro hoc nuntio quid donem? quid? quid? nescio.
PAR. At ego scio. PAM. Quid? PAR. Nihil enim.
Nam neque in nuntio, neque in me ipso, tibi boni quid sit, scio.
PAM. Egon', qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,
Sinam sine munere a me abire? ah! nimium me ingratum putas.
Sed Bacchidem, eccam, video stare ante ostium!
Me expectat, credo: adibo. BAC. Salve, Pamphile.

est, idque nuntium te mihi afferre mandavit. Itane est factum? PAR. *Sic, inquam.* PAM. *Quis me est beatior, et Veneri gratior? Egone, quo te præmio, pro hoc nuntio donem? quo? quo? nescio.* PAR. *At ego scio.* PAM. *Quid?* PAR. *Nihil equidem: nam ignoro quam utile sit tibi hoc nuntium, aut opera mea tibi prosit.* PAM. *Egone committam, ut te non remunerem, qui me ab Inferis mortuum ad vitam reduxisti? Ah nimium me immemorem beneficiorum putas. Sed Bacchidem video stare ante ostium. Me opperitur, credo: ibo ad eam.* BA. *Salve,*

7 *Mihi te* duo ex nostris; verius. *Bent.*—8 Hunc versum, et tres sequentes, partim ex Bem. et Vict. partim ex aliis ita ordinamus, PAM. *Quis me est fortunatior, venustatisque adeo plenior? Egon te pro hoc nuntio quid donem? quid? quid? nescio.* PAR. *At ego scio.* PAM. *quid?* PAR. *nihil enim. Nam neque in nuntio, neque in me ipso, tibi boni quid sit, scio.* ut primus horum, eliso ex *venustatis s*, item secundus sint trochaici tetram. catalect. item quartus, eliso tamen *n*, ex dictione *in*, bis posita. *Fa.* Nonius Marcellus v. *Vetustas* vel malo Codice usus, vel ἁμάρτημα μνημονικὸν committens, legit, *Vetustatisque adeo plenior.* Addens, *Vetustas et antiquitas vel felix, vel sapiens, vel mansueta est habita.* Ex quibus verbis simul apparet, revera ita ab eo scriptum, nec Librariorum errorem esse. An forte respexit versum 18. Guyetus autem in suo codice hinc una litura delet integros triginta versus, relictis solis duobus postremis, Bœclero, qui eodem, quo ego, usus est libro, non valde invito, cui videntur esse in his, quæ nemo quisquam hactenus explicaverit, aut explicaturus forte sit in posterum. *West.* 'Q. Aurel. Symmach. I. 72. 'Comici adolescentis voce clamandum est,' *Quis me hodie fortunatior venustatisque adeo plenior?*' Lind.—9 *Te* omittit Guelf. 1. 'Versus pede claudo incedit. Lege ex nostris universis *Egone pro hoc te nuntio.*' Bent. *Adeone pro hoc te nuntio* A. '*alterum quid* omittit EP.' *West.* *qui quid* Br. *quid donem, nescio* Hal.—8-11 Hos quatuor versus ita legit Both. *Quis fortunatior adeo et venustatis est | Plenior me? hoc te pronuntio quidne ego | Donem? quid? nescio.* PAR. *at ego scio.* PAM. *quid?* PAR. *nil enim. | Nam neque in nuntio nec me in ipso tibi | Quid boni sit, scio.* | 'Aptissimum' enim 'affectui loquentis lyricum hoc metrum.'—11 *Memet ipso* Ms. R. *Lind.* '*Boni* omittit unus Ms.' *Bæcl.*—12 Editio vetus et unus ex Regiis recentior, *Egon te, qui ab Orco.* Et tum

PAM. O Bacchis! o mea Bacchis, servatrix mea!
BAC. Bene factum, et volupe 'st. PAM. Factis, ut credam, facis;
Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,
Ut voluptati obitus, sermo, adventus tuus, quocumque adveneris,
Semper siet. BAC. Ac tu, ecastor, morem antiquom atque ingenium obtines,
Ut unus hominum homo te vivat nusquam quisquam blandior.
PAM. Ha! ha! he! tun' mihi istuc? BAC. Recte amasti, Pamphile, uxorem tuam;

Pamphile. PAM. *O Bacchis, o mea Bacchis, o conservatrix mea.* BA. *Bene omnia tibi facta fuisse, et evenisse gaudeo.* PAM. *Factis tuis ut credam te gaudere mei causa facis, adeoque antiquum tuum leporem, et venustatem pristinam retines, ut occursus tuus, colloquium, et adventus in quemcumque locum veneris, semper afferat voluptatem.* BA. *At tu, per ædem Castoris, morum tuorum solitam elegantiam, atque ingenii solertiam retines, ut nullus hominum, ne unus quidem, unquam sit suavior.* PAM. *Ha, ha, he. Tune mihi istud attribuis, quod non merui?* BA. *Recte, Pamphile, et prudenter collocasti amorem tuum in Philumena; nunquam*

versus Iambicus erit, ut sequens. *Bent.*—16 *O servatrix* Guelf. 1.—17 *Volupte* Guelf. 1.—19 In *voluptati* eliditur *p*, ut versus sit octonarius Iambicus, ut sequentes. *Fa.* *Ut voluptati obitus, sermo, adventus tuus, quocumque adveneris.* Vides hæc singula, *Obitus*, deinde *Sermo*, rursus *Adventus*, idem scilicet quod *Obitus*; postremo *Adventus quocumque adveneris.* Hæccine placent? aut pro cetera Terentii elegantia sunt? Donatus lectione prava circumventus quid non comminiscitur? *Inter Obitum atque Adventum hoc*, inquit, *interest, quod Obitus est, quem casus affert, Adventus, quem voluntas et destinatus locus.* Atqui hoc falsum, et solvendæ difficultatis gratia confictum esse, res certa est. Nonius, *Obitus, adventus.* Turpilius Epiclero, 'Ecquis hic est qui interrumpit sermonem meum obitu suo.' Esto tamen, ut *Obitus* differat quidem ab *Adventu*, cur non junctim saltem veniunt? cur *Sermo* diversæ notionis intervenit? Repone, *Ut voluptati obitus, sermo, adfatus tuus, quocumque adveneris.* *Sermo* ad omnes, *Adfatus* ad hunc, vel illum. Virgil. Æn. IV. 283. 'Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem Audeat adfatu?' Et vide, ut gradatim procedat sententia, *Obitus, sermo, adfatus.* Bent. *Voluptati obitus, sermo, ut, quocunque advenis* Both. '*Ut voluptati obvius sermo* unus e Mss., Argentorat. *Ut voluptati habitus* (in marg. 'al. *abitus*') *sermo.*' Bœcl.—20 *Per semper sit* Argentor. apud Bœcl. et *sit* Both.—21 *Ut ullus* Guelf. 2. 'Aliqui libri, inter quos Bem. *Ut unus omnium homo*, quod et probo; pulchre enim opponuntur, *unus omnium.*' Fa. '*Unus omnium* dedit Faërnus. Ex nostris unus tantum Regius *omnium* habet; ceteri *hominum.* Plures autem ex iis cum Edd. vett. *nusquam.* Recte. Si enim *numquam*, non dixisset *Vivat*, sed *Vixerit.*' Bent. *Omnium* Both.—22 *Tunc mihi* e Mss. unus, alter *tum mihi.* Bœcl. E Bem. et Vict. lege *tun*, et versus procedit, si *mihi* monosyllabum feceris.

Nam nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videam.
Perliberalis visa 'st. PAM. Dic verum. BAC. Ita me Di ament, Pamphile!
PAM. Dic mihi, harum rerum numquid dixti jam patri? BAC. Nihil. PAM. Neque opus est;
Adeo mutito: placet, non fieri hoc itidem, ut in comœdiis,
Omnia omnes ubi resciscunt: hic, quos par fuerat resciscere,
Sciunt; quos non autem æquom 'st scire, neque resciscent, neque scient.

eam adhuc usque meis oculis sic videram, ut notitiam ejus habere possem: pulchra et honesta mihi visa est. PAM. *Verumne dicis?* BA. *Ita me Dii ament, Pamphile, ut verum dico.* PAM. *Dic mihi, harum rerum nihilne quicquam patri nunciasti?* BA. *Nihil.* PAM. *Neque opus est: adeo ut atius sit te mussitare. Non placet hoc fieri in ea re quod fieri solet in Comœdiis, in quarum fine omnia fiunt manifesta omnibus: in hac vero re, quos æquum fuerat scire, sciunt quæ facta sunt: quos autem non convenit scire, neque cognoscent ex alio, neque scient per se.* BA. *Quin*

Fa. Sic et nostri. *Bent.*—23 *Quo nossem* Mss. duo. *Bœcl.*—24 *Dixtin' verum* EP. et sane in Br. ad *dic* est gl. 'pro *dicis?*' Vice *dic verum*, Both. *tibi vero?*—25 *Dic mihi, numquid harum rerum patri jam?* Both.—26 Si pro *tenui dicto* cum Donato accipias, legendum erit continue, *Neque opus est adeo mutito.* Ut sensus sit: *Neque sane opus est vel minimo indicio.* Vide ad And. III. 2. 25. Ms. G. *Neque opus est adeo in tuto.* quæ sequuntur, Bacchidi tribuuntur. *West.* *Mutito adeo; non placet; itidem hoc fieri ut* Both. *Haud fieri*, quod in proximo est, vult Bent. *hoc* omittunt duo Mss. apud Bœcl. quo teste, duo illi *placet, &c.* usque ad *optime est* in v. 31. Bacchidi tribuunt, unus *placet* solum Bacchidi tribuit, at Pamphilo, quæ sequuntur usque ad v. 29.—27 Hic versus trochaicus est tetram. hypercatalect.; sed tales non placent mihi: quomodo ergo possit esse catalecticus, ex antiquis lectionibus eruendum. Bem. ita habet, *hic quos fuerit par resciscere.* Donatus sic, *hic quos par fuerit.* Vat. Bas. et nonnulli alii, pro *resciscere, sciscere* habent. quod idem est, quod *scire.* Plautus in Amphitr. *Accedo ut sciscam quid velit*: sed ne sic quidem versus procedit. ego considerata lectione libri Bembini et Donati, quæ est *fuerit*, quod tamen cum de futuro sit, et in præsenti sequatur *sciunt*, non sat bene cum eo cohæret, pro *fuerit, fuit* legendum censuerim: ita et versui et orationi optime consulitur, et antiqua lectio partim conservatur, partim minima immutatione emendatur; legemus ergo, *hic quos fuit par sciscere.* Fa. *Omnia omnes ubi resciscunt, hic quos fuit par sciscere.* Nusquam tam male cessit Faërno, quam in hoc loco, dum laborat versum, qui Iambicus est, ad Trochaici formam redigere. Repone, *Omnia omnes ubi resciscunt. Hic, quos fuerat par resciscere.* Nostri codices, *Hi quos.* Sed recte *Hic*, ut Donatus, *In hac comœdia, vel in hac re.* *Par fuerat resciscere*, nostri universi: ordinem, accentus gratia, ex Bembino adscivimus. *Omnia* in primo pede rite corripitur. *Bent.* *Hi, quos* Mss. quidam et editi post EP. *West.* *Hi* et Br. at *hii* GM.—27. 28 *Hic quos par fuerat, sciunt,* | *Quos non autem scire est æquum* Both. Bem. hanc collocationem verborum habet: *quos non autem æquumst scire*: ita pro-

BAC. Immo etiam, hoc qui occultari facilius credas, dabo.
Myrrhina ita Phidippo dixit, jurijurando meo
Se fidem habuisse, et propterea te sibi purgatum. PAM. Optume 'st;
Speroque hanc rem esse eventuram nobis ex sententia.
PAR. Here, licetne scire ex te, hodie quid sit, quod feci boni;
Aut quid istuc est, quod vos agitis? PAM. Non licet. PAR. Tamen suspicor.

etiam, quomodo id celari posse facilius putes, dicam; Myrrhina Phidippo socero tuo dixit, juramento meo se credidisse, et propter id te apud se purgatum esse ab ea suspicione, quam de te habebant, te semper mecum consuescere. PAM. *Bene se res habet, speroque hanc rem pro votis prospere cessuram.* PAR. *Here, permittisne me hodie cognoscere ex te, quid illud sit, quod boni tibi feci?* PAM. *Non permitto te*

cedit trochaicus, contracto *sciunt* in unam syllabam. *Fa.* Iterum Trochaicum hic quærit Faërnus, cum Iambicum invenisset. *Bent.* *Scire* duo Mss. *Bœcl.* *Sciscere* Br. et GM. a 2da manu, quæ et *sciscunt* in eodem scripsit: *hi quos par fuerat scire sciunt* Guelf. 1.—28 *Est æquum* duo Mss. tertius *quos autem non scire æquum est.* Bœcl. *Scire æquum est* Bip. *est æquum scire* Br. 'lib. antiq. *resciscunt.*' Perl. *resciscent* omnes Mss. apud Fa. et Bent.—29 *Immo etiam hoc qui occultari posse*] In Bem. non est *posse*, sed et in Vict. expunctum est: collocationem vero præcedentium verborum nullus liber scriptus eam, quæ in impressis est, habet. Sed Bem. quidem, *qui occultari hoc:* alii omnes *qui hoc occultari.* quam et veram arbitror: ita enim optime procedit trochaicus, *Immo etiam qui hoc occultari facilius credas, dabo.* Fa. Sic a Faërno: sed plurimi Codices, etiam vetusti, *occultari posse*, cum *Posse* extra numeros currat. Unde hoc evenerit, dicam. Nimirum intelligebant, de futuro hic agi, *Occultari posse;* non in præsenti *Occultari;* quod et sciebat Pamphilus, et parvi pendebat, de futuro sollicitus. Recte illi quod ad sententiam attinet; ego verba iis præstabo, *Immo etiam qui hoc occultum iri facilius credas, dabo.* Bent. quem sequitur Bip. et, tacite, Both. M. Tr. cum Leidensium uno, *Occultari posse facilius.* in uno suprascriptum *posse.* Ex impressis ita legunt Juntæ, Aldus, Rob. Stephanus, Fabrini, Pulmannus, Dacieria, Antesignanus, plures. Sed et ita est in editionibus Venet. Argent. Anon. Basil. aliis; neque aliter Gambarellus in Indice Observationum. G. *Occultari facilius*, omisso *hoc.* West. *Posse* interponunt Mss. omnes, unus *occultari* legit. *Bœcl.* *Qui hoc* sine *posse* Br. Perl.—30 Omnes fere l. s. etiam antiquissimi, *jurejurando* per *e* habent: quod si recipimus, erit casus rectus *jurejurandum.* Fa. Nostri etiam omnes *jurejurando.* Sed Dativus esse non potest; neque ea Librariorum fides est, ut omnia omnino iis auscultemus. Repone *juri jurando meo.* Plautus Cist. II. 1. 25. *Alibi quære ubi tuo jurando juri satis sit subsidi.* Vide nos ad Andr. IV. 3. 13. *Bent.* *Jure jurando* divisim Guelf. 3. Br. junctim GM. et Mss. omnes apud Bœcl.—31 *Optime* sine *est* Br.—32 *Nobis* deest in Guelf. 1.—33 Hæc varie leguntur; in aliis, *Licet me scire.* in aliis, *Licetne me scire.* quæ posterior lectio versum impedit. *West.* Si pronomen *me* deleveris, quod nec est in Bem. nec in aliquibus libris Donati, nihil sensui deperibit, et versui consultum erit. *Fa.* Tres tantum ex nostris *me* habent. *Bent.* *Me scire* Mss. omnes. *Bœcl.* et sic Br. *quid id est* Both.—34 *Vos*

Egone hunc ab Orco mortuum? quo pacto? PAM. Nescis, Parmeno,
Quantum hodie profueris mihi, et ex quanta ærumna extraxeris.
PAR. Immo vero scio; neque hoc imprudens feci. PAM. Ego istuc satis scio.
PAR. An temere quicquam Parmenonem prætereat, quod facto usus sit?

cognoscere. PAR. *Tamen conjicio. Egone hunc ab Orco mortuum in lucem reduxero? quomodo?* PAM. *Nescis, Parmeno, quam utilis mihi hodie fueris, et ex quanta miseria me eripueris.* PAR. *Imo vero scio, neque per imprudentiam feci.* PAM. *Ego istud probe scio, te istud fecisse inconsulto ut mihi prodesses.* PAR. *An facile Parmeno ignoret quicquam, quod facere utile fuerit?* PAM. *Sequere me*

delet Both. mox idem *tam suspicor.*—35 *Ego hunc* Donatus et Bem. *Faërn.* Nostri *egon hunc.* Nihil interest. *Bent.* *Egon'* Bip. Both.—36 *Profueris et me ex* Both. In antiquis libris Bem. Vat. et Bas. non est pronomen *me*, et in Vict. deletum est. *Fa.* Nisi *mihi* sine synalœpha sit, versus pede claudo est. Repone, *Quantum hodie profueris mihi, et me ex quanta ærumna extraxeris.* Bent.—37 *Vero* delet Both. *vere* Guelf. 1. *non hoc* unus e Mss. Bœcl.—38 Varie legitur, capiturque hic versus. Donatus dubitat, modo Parmenoni, modo Bacchidi tribuens. Si Bacchidi, hic quidem sensus erit: *An quidquam Pamphilus prætereat temere, non remunerando bonum factum Parmenonis, quod sibi utile fuerit?* Qui sensus durus, neque acri Grammatico satis dignus. Sunt et qui tribuunt Pamphilo. Aliis *Parmeno* est casus rectus. Possit et esse vocativus, ut ipse se adloquatur servus. Quando 'prætereat' erit, transeat, omittat, negligat. Optimus vero sensus erit, si legas, *Parmenonem;* eritque vana jactantia, qua servus sese effert, quasi probe sciens, quid rei geratur, licet id quamlibet curiosus penitus tamen ignoret. Unde mox ad spectatores conversus ignorantiam suam fatetur, dicens, 'Equidem plus hodie boni feci imprudens, quam sciens ante hunc diem umquam.' Ita et Fabrini cepit, dum ait, *Parmenone se loda.* Sequutus porro sum lectionem Mss. Leidensium quinque, Lips. M. Tr. Bodl. G. et Bœnd. cum omnibus fere editionibus vetustissimis et probatissimis, nisi quod in EP. *quo facto usus sit.* West. In Bem. versus hic personæ Pamphili attribuitur; ubi etiam non *Parmenonem*, sed *Parmeno* legitur: ita *Parmeno* erit nominativus: *prætereat* autem pro transeat, vel omittat, exponetur; ut sit sensus, an quicquam Parmeno temere omittat, quod utile factu sit: et versus est octonarius Iambicus, ut ceteri; aliter impeditus est. *Fa.* Nostri universi *Parmenonem.* Ceterum hoc nec Parmenoni nec Pamphilo tribuendum est, sed Bacchidi. Illi quoque, lætanti et Parmenonem ridenti, pars sua est in his facetiis. Et sic olim Donatus: *Convenit*, inquit, *hoc dictum meretrici abeunti.* Bent. quem laudat et sequitur Bip. a quo legitur *an Temere:* et sic Both. qui mox delet *facto:* et cui videtur Donatus reperisse in suis libris *Pamphilus prætereat.* 'Duplex hujus loci scriptura est, unde duplex etiam sensus nascitur. Si legatur *an temere quicquam Parmenonem prætereat*, sensus est: an Parmeno aliquid ignoret, an Parmenoni aliquid occultum sit. Sin legatur *an temere quicquam Parmeno prætereat*, sensus est, an Parmeno quicquam omittat quod utile factum sit. Sed quocunque modo legatur, hic versus nec Parmenoni nec Pamphilo tribuendus est, sed Bacchidi, quæ et ipsa Parmenonem ridet. v. Bent. ad h. l.'

PAM. Sequere me intro, Parmeno. PAR. Sequor. Equidem plus hodie boni
Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam. Plaudite!

CALLIOPIUS RECENSUI.

intro, Parmeno. PAR. *Sequor. Certe plus hodie boni feci ignorans, quam sciens unquam ante hunc diem. Ω Plaudite.*

Calliopius recensui.

R. D.—39 *Sequere me intro, Parmeno*] Itane insalutata Bacchide scenam relinquit Pamphilus, vel Bacchis insalutato Parmenone? Potuit et hæc fuisse ratio Guyeto, quare in suo Codice omnia a versu 9. usque ad 39. expungeret. West. *Ego equidem* Guelf. 3.—40 *Non prudens* Guelf. 3. '*Plaudite*] Non una Librorum lectio; in aliis *Plaudite* desideratur; in aliis est, Ω. *Plaudite.*' West. ω Br. GM. *vos valete* Guelf. 2. 3. GC. et Mss. duo apud Bœcl. *valete et plaudite* Argentor. mox super *Recensui* GM. script. *recitavi.*

FINIS HECYRÆ.

PUB. TERENTII

PHORMIO.[a]

ACTA LUDIS ROMANIS.[b] L. POSTUMIO[1] ALBINO, L. CORNELIO MERULA ÆDILIB. CURULIB. EGERE L. AMBIVIUS[c] TURPIO, L. ATILIUS[2] PRÆNESTINUS. MODOS[3] FECIT FLACCUS CLAUDI. TIBIIS IMPARIB.[d] TOTA GRÆCA APOLLODORU EPIDICAZOMENOS. FACTA[4] EST[5] IV. C. FANNIO,[6] M. VALERIO COSS.

1 *Posthumio* Gov. Perl. et sic ed. Delph. quæ dat *Egerunt* infra.—2 *Attilius* Gov. Bip.—3 Vult Gov. *M. f. Clau. Flaccus Clau. Filius tibiis paribus. Tota Græca est Apollodorou,* Ἐπιδικαζομένη. *Acta quarto est. Edita C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala Coss.*—4 *Acta* Both.—5 *Est* omittit Bip.—6 Farnab. ex recens. Heins. add. *Strabone.* Perl.

NOTÆ

[a] *Phormio*] Hæc Comœdia vocatur Phormio a Phormione Parasito, qui primas in ea partes tenet.

[b] *Acta ludis Romanis*] Ludi Romani sub Regibus instituti sunt, magnique appellati, auctore Asconio Pediano in Actionem I. in Verrem, quod magnis impensis (ut erant tempora) dati sunt: tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummum, (hæc summa valet quindecies millia Francarum librarum,) ingentes pecuniæ tunc temporis. Cicero Actione II. in Verrem ait, sibi designato Ædili ludos antiquissimos esse faciendos, qui primi Romani appellati sunt, Jovi, Junoni, et Minervæ. Diversi sunt hi ludi a Megalesiis, qui Cybele magnæ matri Deorum dicati fuerunt. Porro quidam hic legendum censent, *Ludis Megalensibus.*

[c] *Egere L. Ambivius*] Hi erant magistri Histrionum.

[d] *Tibiis imparib.*] Una scilicet dextra; altera sinistra: quæ tibiæ impares vocatæ fuerunt Phrygiæ, quibus tunc canebatur, cum gravitas jocis miscebatur.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

PHORMIO, *parasitus. A φορμὸς, quod est, corbis, storea, textum quid ex sparto, et junco, aut nexus vitilium. Vitile est omne lentum, ut flecti possit.*

DEMIPHO, *senex, frater Chremetis. Quasi δήμου φῶς, id est, populi claritas.*

CHREMES, *senex, frater Demiphonis. A χρέμπτεσθαι, quod est, enixe exspuere.*

ANTIPHO, *adolescens, filius Demiphonis. Ἀπὸ τοῦ ἀντιφαίνομαι, contra appareo.*

PHÆDRIA, *adolescens, filius Chremetis. A φαιδρὸς, hilaris.*

GETA, *servus Demiphonis. Gentile nomen a Getis.*

DAVUS, *servus incerti heri. Gentile nomen.*

DORIO, *leno. A Doribus. Gentile nomen.*

SOPHRONA, *nutrix Phanii. A σώφρων, casta, proba.*

NAUSISTRATA, *matrona, uxor Chremetis. Magnificum nomen a copiis navalibus, quarum gloria aliquando Atheniensis populus floruit.*

CRATINUS, *advocatus. A κράτος, robur.*

HEGIO, *advocatus. Ab ἡγεῖσθαι, quod est, ducere.*

CRITO, *advocatus. A κριτὴς, judex.*

PERSONÆ MUTÆ.

DORCIUM, *ancilla. A δορκὰς, duma.*

PHANIUM, *adolescentula, filia Chremetis. A φαίνομαι, appareo.*

C. SULPICII APOLLINARIS PERIOCHA

IN TERENTII PHORMIONEM.

CHREMETIS frater aberat peregre Demipho,
Relicto Athenis Antiphone filio.
Chremes clam habebat Lemni uxorem, et [1] filiam;
Athenis aliam conjugem: et amantem unice
Gnatum fidicinam. Mater e Lemno advenit
Athenas: moritur. [2] Virgo sola (aberat Chremes)
Funus procurat: ibi eam visam Antipho
Cum amaret, [3] opera Parasiti uxorem accipit.
Pater et Chremes reversi fremere. Dein minas
Triginta dant Parasito, ut illam conjugem
Haberet ipse. Argento hoc emitur fidicina.
Uxorem retinet Antipho, a patruo agnitam.

Aberat Demipho, frater Chremetis, profectus in Ciliciam, cui filius erat Athenis Antipho. Chremes secreto duxerat Lemni alteram uxorem, ex qua susceperat filiam nomine Phanium, cum prius Athenis uxorem duxisset Nausistratam, haberetque ex ea filium Phædriam, Citharistriæ cujusdam amore ardentem. Mater Phanii, secunda uxor Chremetis, e Lemno Athenas transmigravit, ibique non ita multo post vita decessit. Virgo sola cum nutrice funus apparat, absente Chremete. Ibi, cum Antipho eam aspexisset, statim ejus amore captus est, et astuto Phormionis Parasiti consilio usus eam uxorem duxit. Antiphonis pater Demipho, et Chremes, reversi, questus edere cœperunt; deinde triginta minas dant Parasito, ut Phanium uxorem acciperet disjunctam ab Antiphone. Hac pecunia redimitur fidicina Phædriæ. Antipho remanet in conjugio cum Phanio, quæ a patruo Demiphone agnoscitur.

1 *Ac* Br. Both.—2 *M. e L. advenit; Athenis moritur* Br.—3 Dat Both. *cum Antipho Amaret, &c.*

ÆLII DONATI,

V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ,

PRÆFATIO IN PHORMIONEM TERENTII.

Hanc Comœdiam, manifestum est, prius ab Apollodoro sub alio nomine, hoc est, 'Επιδικαζόμενον, Græce scriptam esse, quam Latine a Terentio Phormionem. Quamobrem nulla dubitatio est, hanc solam esse cui nomen Poëta mutaverit: et errare eos, qui in hac Phormionem parasitum putant a formula litis, quam intenderit, nominatum: cum Græca lingua fiscus sparteus et stramen nauticum sic dicatur: a cujus rei vel capacitate, vel utilitate, etiam ab Apollodoro parasitus Phormionis nomine nuncupatur. Hæc igitur proprie tota motoria est, et in affectibus constituta pæne majoribus, quam comicus stylus posceret: nisi quod arte Poëtæ omnia moderata sunt. Primas in ea partes, ut ipse Poëta professus est, tenet Phormio; secundas Geta; tertias Demipho; subinde ceteri, prout cujusque actus ostendit. Prologus Phormionis nimis concitatus est, adeo ut ipse semet veluti reprehendat ob hanc ipsam pervicaciam, et simul argumentum suæ purgationis inducat. Atque in ea cum Protasis, et Epitasis, et Catastrophe magni moliminis et negotii sint; ita variis leporibus asperguntur, ut etiam rerum tristium gravitatem Poëta lepidus comica serenitate tranquillet. Hæc acta est Ludis Megalensibus, Lucio Cornelio Merula Ædili Curuli, et L. Posthumio Albino: agentibus L. Cassio Attilio, et L. Ambivio: modos faciente Flacco Claudii filio tibiis Serranis, totaque diverbiis facetissimis, et gestum desiderantibus scenicum, et suavissimis ornata canticis fuit. Editaque est quarto loco, M. Valerio, et C. Fannio Coss. Persona etiam in hujus Protasi non una est, sed duæ: quarum altera extra argumentum posita est, cui narratur Fabula: altera in argumento, quæ narrat Fabulam. Argumentum quoque non simplicis negotii habet: nec unius adolescentis, ut in Hecyra: sed duorum, ut ceteris Fabulis. Scire autem convenit, uno die transigi Phormionem: non, ut Heautontimorumenon, duobus. Prologus correpte ἀπὸ τοῦ προλέγειν

dicitur, non producte ἀπὸ τοῦ πρωτολογεῖν. Nam officium Prologi ante actionem [1] quidem rei semper est: verumtamen et post principium Fabulæ inducitur, ut apud Plautum in Milite Glorioso, et apud ceteros magnæ auctoritatis veteres Poëtas.

[1] Ms. *ante narrat.* Lind.

ÆLII DONATI ARGUMENTUM IN PHORMIONEM.

Cum Chremes, Demiphonis frater, ascito sibi ad fallaciam nomine, quo Stilphonem se dici fecerat, duas eodem tempore habuisset uxores, Athenis divitem, pauperem Lemni; ex divite sustulit filium, qui dictus est Phædria; ex paupere furtim suscepit atque educavit filiam, Phanium nomine, eamque consilio cum fratre habito destinavit filio ejus Antiphoni uxorem dare. Quibus complacitis, uno tempore profecti Athenis senes, Demipho in Ciliciam, Chremes Lemnum ad arcessendam filiam, quæ jam illinc cum matre navigaverat, occasionem dederunt amandi adolescentibus. Nam statim Phædria Citharistriam sub lenone cœpit ardere: Antipho illam filiam patrui Phanium desponsatam sibi, nesciens nescientem, mox ut Athenas venit, nec patrem reperit, falsa duplici ejus nomine, matrem mortuam dum lamentatur, adamavit: consilioque et opera parasiti, secundum leges Atheniensium, quasi sibi cognata esset, tanquam in jure victus et velut coactus, eam accepit uxorem per absentiam patris. Qui cum advenisset, et vellet eam expellere: primo confutatur per impudentiam parasiti. Post cum suo fratre sic decipitur, ut, dum eam credit ab Antiphone posse disjungi, eam parasitus ipse ducat uxorem; et det ducturo xxx. minas præsenteis dotis, puellæ nomine; quas Phormio acceptas Phædriæ dedit: ille lenoni ad Citharistriam redimendam. Quibus gestis tandem Chremes agnoscit filiam suam conjunctam esse fratris filio. Quare dum mutato consilio xxx. minas a Phormione per rixam conatur exigere, per eundem proditus uxori suæ Nausistratæ est: et, factus libidinis reus, non ante veniam meruit a matrefamilias, quam et xxx. minarum et amoris Citharistriæ veniam dedisset filio. Primus actus est in colloquio Davi et Getæ: per quos discit populus argumentum. Secundi actus tenor continet adventum Senis turbulentum, et ejusdem jurgium adversus Getam et Phædriam. Tertio actui attribuitur litigium Senis et Phormionis: tum consultatio cum advocatis: tum Antiphonis in scenam reditus, colloquiumque cum Geta: tum lenonis et Phædriæ colluctatio: tum adhortatio Getæ de inveniendo argento ad redimendam Phædriæ Citharistriam. Quartum actum ista concelebrant: adventus Chremetis, ejusdemque cum fratre deliberatio per errorem de ejicienda Phanio: Getæ verba de fallendis senibus: Antiphonis oratio apud semet ipsum de amore tractantis: Getæ rursus cum senibus callida, et mox cum Antiphone de eadem causa simplex disputatio: senum inter se colloqui-

um de expulsione mulieris: et ad extremum verba Chremetis agnoscentis nutricem, ac per eam filiam suam cum Antiphone conjunctam. In quinto actu per Demiphonis errorem Phormio accipit argentum dotis nomine: et convenitur Nausistrata, ut exire domo compellat Phanium. Nuntiatur Antiphoni et Phormioni per Getam, Phanium a patre agnitam, permissamque ut uxor habeatur. Quæ cum ita nupta sit, exposcitur argentum a Phormione per rixam senum: a quibus ille oppressus, rem omnem aperit Nausistratæ: ad quod primum irata, ut in tali re, uxor mox lenitur in fine Fabulæ, et tutissimum a patris iracundia præstat Phædriam.

PROLOGUS.

POSTQUAM poëta vetus poëtam non potest
Retrahere ab studio, et transdere hominem in otium,
Maledictis deterrere, ne scribat, parat;
Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenui esse oratione et scriptura levi;
Quia nusquam insanum scripsit adolescentulum

Postquam Lucius Lavinius senex poëta Poëtam nostrum Terentium non valet abjungere a studio Poëtices Comicæ, et transducere illum in otiosam cessationem, conviciis eum terrefacere aggreditur, ut eum avertat a scribendis Comœdiis, inanibus verbis in vulgus jactans quas antehac Terentius fecit Comœdias infimo sermone scriptas esse, et dicendi genere nimis humili: quia nusquam induxit et exhibuit

1 GM. invert. *vetus poëta:* superscript. *maledicens.* Perl.—2 Al. *Retrahere a studio.* ‘*Transdere.* Bodl. et G. cum EP. *tradere.* Idem in tribus Mss. invenit Pulmannus, et e duobus laudat Par. Sed *transdere* ex Do. tuetur Riv.’ *West.* *A studio et tradere* Br. *A studio* Z. Delph. *Tradere* Ms. R. et vet. cod. ap. Lind.—4 *Qui ita dictitat.* Solicitat hanc lect. Guy. legens in glossis ineditis, *Ita dictitans*, deleto *Qui:* sed præter fidem Codicum. Similis constructio est And. Prol. 18. *West.* *Quas ante fecit f.* O. l. s. et Do. *quas antehac.* Fa. Nostri etiam plerique *antehac:* sed legendum, *quas ante hic fecit f.* Si *antehac* legis: tunc ‘fecit’ ad poëtam veterem referetur, non ad Nostrum. *Bent.*—6 *Quia nusquam scripsit insanum adulescentulum.* Iidem hæc verba ita collocant, *insanum scripsit adulescentulum.* Fa. *Quia nusquam insanum scripsit adulescentulum Cervam videre fugere, et sectari canes.* Donatus ad locum: ‘*Scripsit:* legitur et *fecit.*’ Nostri quidem hodie Codices *scripsit.* Sed vera lectio est *fecit:* id enim verbum Poëtæ proprium. Mutarunt, quia vix crediderunt, *fecit*, Infinitivum post se posse admittere. Frustra: nam et Virgil. Æn. II. 538. ‘Qui nati coram me cernere letum

NOTÆ

5 *Tenui esse oratione*] Imperitiæ accusat Terentius Lavinium, cum simplex sermo et purus, stylusque humilis conveniat Comœdiæ.

Cervam videre fugere, sectari canes,
Et eam plorare, orare, ut subveniat sibi.
Quod si intelligeret, quom stetit olim nova,
Actoris opera magis stetisse quam sua,
Minus multo audacter, quam nunc lædit, læderet,
Et magis placerent, quas fecisset fabulas.

adolescentulum, qui insaniens visus sibi fuerit, videre cervam fugientem, et canes ipsam prosequentes, eamque illacrymari, precari ipsum, ut sibi succurrat. Quod si animadverteret suam Comœdiam, dum nova esset, non fuisse explosam, magis propter Actorum, quam propter suam ipsius industriam, minus multo confidenter alios offenderet, quam nunc offendit, et magis probarentur Comœdiæ, quas scripsisset. Nunc

Fecisti.’ Lucretius ita passim; ut VI. 66. ‘Flumina abundare ut facerent, camposque natare.’ Noster Prol. Heaut. ‘Qui nuper fecit servo currenti in via Decesse populum.’ *Bent.* Both. Q. n. *fecit insanum a.* *Insanum fecit* Perl. ‘J. et Venetus cod. *nunquam.*’ Idem. ‘Parum acute Bent. prætulit *fecit.*’ Bip.—7 Mss. et impressi quidam, *et sectari c.* sed odiosa perplexitas, de qua Do. copulam respuit. *West.* *Et sectari* dant Br. Both. Bip. Z. Perl. Quidam *videri*, improbante West.—8 Mss. quidam, et editi veteres, *et sectari canes, Et eam plorare, et orare.* Et forte Polysyndeton inservit invidiæ faciendæ veteri Poëtæ. In M. et Hulstiano Donati est *subveniant.* Tr. dubie, *subveniāt:* sed lineola transversa τῷ t adhærente: quod vel *subveniant* valet, vel *subveniatur.* West.—9 Causa metri legendum monet Bent. *olim cum stetit.* Ita et alii. Bothius legit *olim cum stetit novus.* Br. commate distinguit post *olim: olim, nova Actoris.* *Olim cum stetit* Bip. Perl. Delph.—11 *Minus multo audacter.* Ita citat hunc versum Priscianus Inst. Grammat. lib. XV. non *audaciter*, quod defendunt Mur. et Tan. Faber. Rejicit Guy. in glossis ineditis. *West.* *Minus multo audacter*] Multæ editiones habent *Minus multo audacior, &c.* Sed certior lectio hæc est *Minus multo audacter quam nunc lædit, læderet.* Duker. ad Liv. XXII. 25. Sequens versus *Et magis placerent quas fecisset fabulas* huc inculcatus est ex Andr. Prol. v. 3. quem Bentlei. merito ejecit. *R. D.*—12 Deletum hunc versum vellent Fa. Tanaq. Faber, Dac. unde et abest a quibusdam Codd. Legeritne Donatus, an minus, incertum est, quia nihil ad eum notavit. Credunt otiose repetitum ex Prologo Andriæ. *West.* Versum hunc, ut nec a Donato positum, nec in tribus antiquissimis libris Bem. V. et Vi. scriptum, nec boni quicquam sensus afferentem, delevimus. *Fa.* Recte Faërn. qui versum spurium ejecit. Quæ enim sententia est? Si intelligeret, fabulam istam non sua virtute, sed Actoris opera atque arte placuisse; ceteræ ejus fabulæ magis placerent. Quid ineptius dici potest? Si intelligeret, unam fabulam fuisse malam, ceteræ essent bonæ. Petitum est ab Andr. Prol. 3. ‘Populo ut placerent quas fecis-

NOTÆ

8 *Et eam plorare*] Lacrymæ hominis sunt propriæ; tamen ex quadam similitudine tribuuntur Crocodilo et Cervo.

9 *Quom stetit olim nova*] Sic Horatius in Epistola ad Augustum: ‘Gestit enim nummum in loculos dimittere, post hoc Securus cadat, an recto stet fabula talo.’ Stare igitur Comœdia dicitur, quæ ad finem usque placet populo, nec ejicitur, et exploditur.

Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet;
Vetus si poëta non lacessisset prior,
Nullum invenire prologum potuisset novus,
Quem diceret, nisi haberet, cui malediceret?
Is sibi responsum hoc habeat; in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.
Ille ad famem hunc ab studio studuit rejicere:
Hic respondere voluit, non lacessere.
Benedictis si certasset, audisset bene.
Quod ab ipso allatum est, id sibi esse rellatum putet.

si quis est, qui hoc dicat, aut censeat; si vetus Poëta prior novum minime provocasset; novus nullam materiam scribendo Prologo reperisset, ac nisi adversarium haberet, quem conviciis insectaretur: ille hoc responsum referat, communem omnibus palmam propositam esse iis, qui Poëticen profitentur. Ille Lavinius Terentium ab artis suæ exercitio abstrahere ingenti studio curavit, ut eum ad extremam inopiam et famem adigeret. Hic Terentius satis habuit, si illi responderet, non eum aggrederetur. Si ille humanis verbis certasset, cum honore fuisset appellatus. Nunc quod attulit, sibi relatum esse ægre ne ferat. Jam de illo queri desinam; licet,

set fabulas.' *Bent.* Delend. censent Perl. Bip. abest a plerisque codd. Lind. defendit Both.—15 Versus gratia reponend. monet Bent. *posset.* Ita dant Both. Perl.—16 Expungit hunc versum Guy. optime autem constare sensus videtur, si ita ordines: 'Nunc si quis est, qui hoc dicat: Vetus Poëta si non lacessisset prior, Nullum invenire Prologum potuisset novus; aut sic cogitet: Quem (Prologum) diceret, nisi haberet, cui malediceret?' Unde et interrogandi notam apposui; contra atque vulgo fit. *West.* Hunc vs. sic legit Br. *Quem diceret: is sibi responsum hoc habeat: in medio omnibus.* Notat tamen Bruns: 'Edit. add. *nisi haberet cui malediceret.* Verba hæc sequentibus tanquam glossa superscripta sunt.' 'Vulg. *Quem diceret, nisi h. c. malediceret.* 'Prologum, quem diceret,' Dii boni, quam hæc pinguia sunt, quam inelegantia.' Visum id Guyeto quoque, critico non minus sagaci quam audaci, qui versiculum hunc delebat, nimis id quidem calide. Lusus verborum 'diceret,' 'malediceret:' absque hoc esset ego quoque expungenda hæc existimarem; nunc minus. Ceterum quis expectaverit: nam *Quæ diceret, &c.* sed asyndetum hic amat: cf. Eun. Prol. 19.' *Both.* Non interrogant Bent. Z. Perl. Bip. Delph.—19 Bem. V. Vi. et Bas. habent *reicere* per unum i, ut exigit versus. *Fa.* Quinque etiam ex nostris meliores *reicere.* Bent. Et ita magna pars Mstorum ap. West. et GM. Br. Z. Perl. Both. Bip.—22 Bodl. Ms. Lips. et G. cum Donato, *Q. ab ipso adlatum est, sibi esse id rellatum putet.* A duobus Mss. Pulmanni *τὸ esse* abest. Vide porro ad Eun. Prol. 6. et Bœcl. ad h. l. *West.* *Quod ab ipso adlatumst, sibi esse id rellatum putet.* O. fere l. s. et Donatus, *Quod ab illo:* sequentium vero verborum ordinem hunc habent omnes fere libri, *sibi esse id relatum.* Donatus *sibi id esse:* quod et commodissimum est versui. Liber Bembinus *id sibi esse*

NOTÆ

18 *Artem tractant musicam*] Id est Poëticam, quia hæc ars propter metricam rationem musicæ affinis est: vel potius quod Musæ Poëticæ præsint.

De illo jam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi cum ipse de se finem non facit.
Nunc quid velim, animum attendite. Apporto novam,
Epidicazomenon quam vocant comœdiam
Græci, Latini Phormionem nominant;
Quia, primas qui partes aget, is erit Phormio
Parasitus, per quem res agetur maxume.

quantum ad ipsum pertinet, maledicere non desistat. Nunc quæ habeo vobis dicenda, animadvertite; novam Comœdiam vobis exhibeo, nominatam a Græcis Epidicazomenon; a Latinis Phormionem. Quoniam primæ partes erunt Phormionis Parasiti; cujus opera præcipue res agetur. Si studio et benevolentia vestra Poë-

rellatum: quem et sequemur. *Fa.* *Quod ab illo adlatumst, id sibi esse relatum putet.* Sic a Faërno: qui id multis agit, ut pejorem lectionem eligat. Fraudi ei fuit, quod nesciebat 'rellatum' primam producere, ut 'redductum.' Lege ex nostris plurimis, *Quod ab illo adlatumst, sibi esse id rellatum putet.* Bent. Ita et Perl. Br. *Quod allatum ab ipso est, ibi esse id relatum putet.* Both. *Q. ab illo adlatum est, rellatum esse id sibi p.* Bip. *Quod ab illo.* —23 Hic pro *jam, tum* reponendum putat Bent. et illud *non* in sequenti delendum, mutato *facit* in *fecerit.* Bothius legit *De illo nam.* Perl. *De illo tum.* —24 Mallet Guy. *qui ipse:* si quid solicitandum, legerim, *quem ipse*, subaudi 'finem.' Dixit autem *de se*, pro, de sua parte, quod ad se attinet; vel pro, ultro. Doctiss. Abr. Wielingius interrogationem facit, ut sensus sit, 'Non faciam finem, cum ipse finem non facit?' *West.* Hel. GM. *faciat.* Perl. *finem fecerit.*—26 *Epidicazomenon.* Ita diserte est in Mss. quinque Leidensibus, Bodl. G. Tr. Ms. Lips. et Bœnd. Donati lectionem [*Epidicazomenen*] præfert M. et EV. 1. Quidni vero Terentius, virique nobiles Terentium adjutantes sciverint verum titulum Fabulæ, quam vertebant ex Apollodoro? Est igitur hic Antipho Ἐπιδικαζόμενος, h. e. de quo in judicio contenditur inter Demiphonem patrem, et puellam, Chremetis filiam. Dicitur autem et alia Apollodori fuisse Comœdia, Ἐπιδικαζομένη dicta, subaudi *παρθένος*, ejusdem fere argumenti. Guy. in glossis ineditis ait, videri sibi hunc Prologum non esse Terentii. Quod minime suspicatus fuit Donatus, cujus admodum diligens in eo exponendo est industria. *West.* Reponendum monet Bent. *Epidicazomenen.* Probat Ruhnken. 'An recte Bent. a Do. sibi persuaderi passus, ut ederet *Epidicazomenen?* quod jam EV. 1. nostraque cum figg. habent. Nos certe malumus cum ipso Ter. quem errasse ait Do. vel cum illius melioribus codd. et edd. errare, et retinere, quod vulgatum est.' *Bip.* —27 Mendum sine dubio hic latet; quod jam et eruimus, et eluemus.' Unus ex Meadianis *Græci Latine;* at vetustissimus noster *Græce Latine.* Repone *Græce, Latine hic Phormionem n.* 'Hic' est Auctor, Terentius, de quo vide ad Andr. Prol. v. 13. *Bent.* Et ita dant Both. Bip. Perl.—28 Bem. et Vi. *partis.* Fa. *Partis:* recte. Si genitivus pluralis in *ium* exeat accusativus in *is* exit, non *es.* Ita vetusti codices Plauti, Lucretii, Virgilii, Horatii, &c. *Bent.* qui etiam ordinat *Q. p. p. qui.* *Primas partes qui* Br. Both. Eug. Perl. Bip. Delph. *Q. primas partis qui* Z.—29 Riv. *geretur* defendit, quod est in

NOTÆ

26 *Epidicazomenon*] Hic ἐπιδικαζόμενος est Antipho, quicum in judicio contendit Phormio, ut Phanium ei addicatur uxor.

Voluntas vostra si ad poëtam accesserit,
Date operam : adeste æquo animo per silentium ;
Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,
Cum per tumultum noster grex motus loco 'st;
Quem actoris virtus nobis restituit locum,
Bonitasque vostra adjutans, atque æquanimitas.

tam prosequemini, date recitationi fabulæ operam, cum silentio æqui et faventes audite; ne similis sors mala nobis contingat, qualis contigit prius cum per turbas et rixas cœtus noster Histrionum loco deturbatus est, quem Actorum virtus constans et perseverantia nobis reddidit, vestraque humanitas, æquitasque animi, subsidio quæ nobis fuit.

quibusdam codd. EP. *geritur.* Dicitur autem 'agi' potius res in Comœdia, quam 'geri.' *West.* Libri omnes antiqui ac Do. *geretur.* Fa. Et nostri plerique *geretur.* Bent. Ita et Br. GM. Ms. R. ap. Lind. Both. Bip. Perl. Delph.—31 Guy. mallet, *Date operam adesse.* Quatuor porro sequentes versus addititios vocat. *West.*—34 *Actoris*] L. Ambivii Turpionis : cujus virtute tandem recepta et commendata est. Male Codd. quidam, *auctoris.* Hunc autem versum Guy. in glossis ineditis ex Pseudoprologo Hecyræ descriptum ait; innuens Alt. Prol. vers. 13. Sequentem autem versum ex verbis ultimis Prologi Adelph. 'Facite, æquanimitas Poëtæ ad scribendum augeat industriam,' formatum ibidem dicit. *Idem.*

NOTÆ

33 *Cum per tumultum*] Id est, propter rixas populi de sedibus in spectaculis contendere soliti.

34 *Quem actoris virtus*] Nimirum, qui exclusus toties a tumultuante populo animum non abjecerit ; sed perseveraverit agere et recitare.

ACTUS I. SCENA I.

DAVUS.

Amicus summus meus et popularis Geta
Heri ad me venit : erat ei de ratiuncula
Jampridem apud me reliquom pauxillulum

Amicus mihi intimus, et ex eadem gente, Geta heri me adiit. Erat ei apud me reliquum aliquantulum pecuniæ, cujus ei debitor eram, de aliqua rationum supputa-

3 Cod. C semel, sed dilucide : *reliqüum.* Both. Et ita Bent.—7 *Ii* pro

NOTÆ

3 *Jampridem apud me reliquum*] Aliquod residuum pecuniæ ei debeo.

Nummorum ; id ut conficerem : confeci : affero :
Nam herilem filium ejus duxisse audio
Uxorem : ei, credo, munus hoc corraditur.
Quam inique comparatum est, hi qui minus habent,
Ut semper aliquid addant divitioribus!
Quod ille unciatim vix de demenso suo,
Suum defrudans genium, comparsit miser,
Id illa universum abripiet, haud existumans,
Quanto labore partum. Porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit ;
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies ;

tiuncula: id ut ei compararem, petivit : comparavi : affero. Nam ejus heri filium Antiphonem hodie uxorem duxisse audio. Ei, ut credo, hæc pecunia in munus, colligitur. Quam injuste fieri solitum est, quibus tenuior res est familiaris, eos semper oportere adaugere aliquibus donis divitias locupletiorum. Quod ille (Geta) de sua frumenti mensura per singulas uncias parcendo, et naturæ necessaria alimenta detrahendo, vix seposuit, id illa nova nupta universum intercipiet, parvi pendens quantis ærumnis sit acquisitum ; deinde vero aliud vulnus Getæ pecunia accipiet, cum aliud munus heræ comparandum erit, ubi illa enixa partum fuerit ; insuper aliud, ubi puero natalis per singulos annos revertetur, ubi eum ablactabunt, et initium

hi Bent. Both. Bip. Delph. *Hii* Br.—8 Pulmannus ex Ms. Lovaniensi *ditioribus* citat. *West.* Duo ex nostris vetusti, cum totidem mediocribus, *ditioribus.* Utcumque scribas, pronuntiatio eadem est. *Bent.*—9 Guelf. 1. *dimenso.* 2. *menso.*—10 *Suum defrudans genium.* Ita præter codd. numero plurimos etiam Non. Marcel. citat, addens illud Lucilii, lib. XXIII. 18. 'Curet ægrotum, sumtum homini præbeat, Genium suum defrudet, alii parcat.' Et antiquius videtur quam quorundam librorum *defraudans:* id est, cibum sibimet subducens. *West. Comparsit miser.* Bem. *conpersit.* Fa. *Conpersit.* Ea vetus scriptura est ; et in textum recipimus. Nonius v. Genium, habet *conpersit.* Charisius p. 197. *comparsit.* Festus : '*Comparsit* Terentius, pro 'compescuit' posuit.' Lego, pro 'compepercit.' *Bent.* Br. *defraudans . . . consparsit.* Both. Bip. *compersit.* Delph. *defraudans.* '*Defrudans.* Sic antiquo more e Mss. scribend. non *defraudans.*' R. D.—11 Codices quidam, *arripiet.*—12 EP. *labore sit partum.* West. Ita et Guelf. 2. 3.—14 *Porro alio autem ubi erit.* Aliquot libri, inter quos Bem. hanc collocationem habent, *Porro autem alio:* sed hoc modo oportet 'alio,' in duas syllabas contrahere, aut esse proceleusmaticum in secunda. *Fa.* Facile admittitur proceleusmaticus. Sed placet lectio veterum nostrorum codicum *Porro álio autem.* Sic 'alio' in ictu erit, ut versu præcedente. *Bent.* Ita et exhibent Br. Both.

NOTÆ

9 *Vix de demenso suo*] Demensum erat mensura frumenti, quam servis admetiebantur domini ad totius mensis victum.

13 *Ferietur alio munere*] Velut malo, ac damno mactabitur, aliud damnum accipiet.

14 *Natalis dies*] Munera amici solebant mittere ad eum, cujus erat natalis dies qui uxorem ducebat, cui etiam erant nati liberi.

Ubi initiabunt: omne hoc mater auferet:
Puer causa erit mittundi. Sed videon' Getam?

facient cibo, et potu eum alendi. Omnia hæc munera mater lucrabitur, infans causa erit cur mittantur hæc dona ad matrem.

Munere post *alio* Guelf. 2.—15 Eug. *Ubi initiabitur.* Bœnd. cum edd. Ven. et Tarvis. *omnia hæc.* West. Guelf. 1. *auferret.* 2. *aufert.*—16 *Sed videon' Getam.* Hæc abesse a Ms. Lovan. testis est Pulmannus. *West.* GM. *amittundi.* Ita et C; non male, judice Both.

ACTUS I. SCENA II.

GETA. DAVUS.

GE. SI quis me quæret rufus. DA. Præsto est; desine. GE. Oh!
At ego obviam conabar tibi, Dave. DA. Accipe. hem!
Lectum est: conveniet numerus, quantum debui.
GE. Amo te, et non neglexisse habeo gratiam.
DA. Præsertim ut nunc sunt mores: adeo res redit;
Si quis quid reddit, magna habenda 'st gratia.
Sed quid tu es tristis? GE. Egone? nescis, quo in metu, et
Quanto in periclo simus. DA. Quid istuc est? GE. Scies;

GE. *Si quis homo rufo capillo huc me quæsitum veniat.* DA. *Ecce eum de quo loqueris.* GE. *Oh! At ego jam paratus eram tibi obviam ire, Dave.* DA. *Accipe pecuniam, quam tibi debeo, hem: exquisiti et probati sunt nummi: summa paris numeri invenietur ei, quam reliquam adhuc debui.* GE. *Pergratum mihi facis, et laudo quod in reddendo cessator non fueris.* DA. *Præcipue si morum perversitas nunc spectatur; nam eo devenimus, ut si quis creditum solvit, ei gratiæ loco acceptum ferendum sit: sed quid est quod tristis videris?* GE. *Egone? ignoras in quo timore, et discrimine versor. Nosces, dummodo id celare valeas.* DA. *Apage,*

Juncta hæc est Scena priori in Guelf. 1.—4 Codices quidam Mss. et impressi, *neglexisse te.* West.—7. 8 Tr. *quo in metu, et in quanto periclo sim.* Ita et Bœnd. sed additum, *ego.* Leidenses varie, *sim, sumus, simus.* Mss. G. et Bodl. ut edidi. Ms. Lips. *scis, quo in metu, et quanto in periculo simus?* Quomodo et ex Ms. Lovan. citat Pulmannus. Idem ex Codd. Xanthensi et Uratislaviensi laudat, *sumus modo.* Impressi itidem varie. Juntæ: *Nescis, quo in metu, et quanto in periculo sim?* Ita et M. Donat. Rob. Stephanus, et Aldus,

Modo ut tacere possis. DA. Abi sis, insciens:
Cujus tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere verba ei credere? ubi quid mihi lucri est,
Te fallere? GE. Ergo ausculta. DA. Hanc operam tibi dico.
GE. Senis nostri, Dave, fratrem majorem Chremem
Nostin'? DA. Quidni? GE. Quid? ejus gnatum Phædriam?
DA. Tanquam te. GE. Evenit, senibus ambobus simul
Iter, illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam,
Ad hospitem antiquom: is senem per epistolas

imperite: dubitasne ei verba credere, cujus fidem in credenda ei pecunia probaveris? Quin etiam hac in re quæ utilitas te fallendo mihi obveniret? GE. *Ergo attente audi.* DA. *Hoc officium tibi præstabo.* GE. *Notusne est tibi frater Chremetis senis nostri Demipho?* DA. *Cur non?* GE. *Filiusque ejus Phædria?* DA. *Æque ac tute notus es mihi.* GE. *Forte illis ambobus eodem tempore causa fuit itineris faciendi: illi Chremeti in Lemnum: nostro Demiphoni in Ciliciam, ad quendam hospitem antiquum, qui eum invitaverat, prope aureos montes promittens.*

sed sine interrogationis nota. Alii aliter. *West.* *Et quanto in periculo sim*] Liber Bem. et Bas. *simus.* Vi. et aliqui alii *sumus*: reliqui *sim*, et Donatus: nos tamen antiquam lectionem malumus, id est *simus*: id est, ego et herilis filius, legendo ex libro Basilicano, et ratione versus *periclo.* Fa. Veterrimi duo nostri *simus.* Bent. Tò *et* abest Both. qui post *simus* interrogat. Br. *scis quo in metu, et Q. . . . . simus?* Interrogat et Perl. *Ego sum* pro *simus* Guelf. 2.—9 Non distinguit Br. post *sis.*—10 Par. pro var. *prospexeris*: male. *Perl.*—11 M. *lucrum.*—12 G. et EP. *tibi dabo.* Eandem lect. e Mss. Xanthensi et Uratislaviensi citat Pulmannus, e Lovaniensi, *tibi do.* West. *Tibi do* Guelf. 1. 'Nostri *dabo.*' Both.—13 J. *et Chremetem.*—14 Legendum monet Bent. *Nostine?* Et ita dat Both.—15 *Evenit, senibus ambobus simul Iter, illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam, Ad hospitem antiquom.* Ita distinguo cum Aldo et Dac. ut τὸ 'Evenit' absolute dicatur, et sensus sit, 'Evenit, ut ambobus senibus simul iter esset.' Reliquæ editiones varie distinxerunt, paucæ ad hunc sensum. Rationem vero itineris non addit, neque enim noverat. infra autem manifestabitur, v. 8. 15. seqq. de 'hospitalitate' autem ejusque 'tessera' vide Tomas. *West.* *Tamquam te.* Divide verbum, et lege *Tam, quam te*: ut Eun. IV. 4. 50. 'Tam scio, quam me vivere.' *Bent.* Ita et Both. Perl. Distinguunt commate post *simul* Bent. Both. Z. Bip. Perl. Delph.—16 Nullam distinctionem habent Bent. Bip. Both. Z. post *Iter* et *Ciliciam.* Perl. Delph. post *Ciliciam* tantum distinguunt. Br. pro *esset*, legit *isset.*—17 M. et Bœnd. *epistolam.* Quomodo et Priscianus lib. X. et XIX. citat, et ex uno Ms.

NOTÆ

16 *In Lemnum*] Lemnos insula est maris Ægei, Vulcano sacra, et Lemnia terra nobilis. Hodie *Stalimene* vocatur.

In Ciliciam] Cilicia Asiæ Minoris regio, hodie vocatur *Turcomania, Caramania*, cui ab ortu jungitur. In ea urbs Tarsus, Divi Pauli natalibus clara.

Pellexit, modo non montes auri pollicens.
DA. Cui tanta erat res, et supererat? GE. Desinas:
Sic est ingenium. DA. Oh! regem me esse oportuit.
GE. Abeuntes ambo hic tum senes, me filiis
Relinquunt quasi magistrum. DA. O Geta! provinciam
Cepisti duram. GE. Mihi usus venit; hoc scio.
Memini relinqui me, Deo irato meo.
Cœpi advorsari primo. Quid verbis opus est?
Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.
DA. Venere in mentem mihi istæc; nam quæ inscitia est,

DA. *Eine cui tantæ divitiæ abundabant, et superabundabant?* GE. *Tace: sic homo a natura factus est.* DA. *Oh! male factum: quam Regem me esse decuit!* GE. *Hic tum senes proficiscentes me filiis suis rectorem et magistrum præfecerunt.* DA. *O Geta, officium grave gerendum suscepisti.* GE. *Hoc ita mihi evenisse expertus sum: et a Genio irato me derelictum fuisse in memoria habeo. Cœpi horum voluntati primo obsistere: quid plura dicam? dum seni nostro Demiphoni fidelem me præsto, scapulas cædendas lorariis relinquo.* DA. *Hæc animo facile*

Pareus. *West.* Tres ex nostris *epistolam.* Bent.—18 G. *Perlexit.* West.—21 Bona librorum pars, *hinc,* pro *hic:* quod et Do. observat. *Idem.* Et *hinc* et *hic* legi testatur Do. in Bem. est *hic.* Fa. Nostri *hinc,* et placet: quia verba 'Abeuntes hinc' propinqua sunt; 'hic relinquunt,' remotiora. *Bent.* *Hinc* dant Br. Both. Bip. Perl.—23 Bodl. et M. cum EP. *usu:* quod Terentianum non est. Eug. distinguit; *Mihi usus venit hoc: scio:* quod laudat Guy. in ἀνεκδότοις. West. *Mihi usu venit hoc, scio.* Omnes antiqui libri habent *usus venit:* solus Bem. *usus evenit.* Fa. Nostri, uno excepto, *usu venit.* Utrumque more dicitur, sensu eodem. *Bent.* *Usu* Br. GM.—24 *Memini relinqui me Deo irato meo.* Sunt Libri, in quibus distinguitur post *me;* quando *Deo irato meo* fuerint ablativi. Præstat vero continue legere, ut narret servus, cui relictus sit. *West.* Et ita Br. Z. Perl. Post *Memini* distinguunt Bip. Perl.—25 Τὸ *est* abest Both.—26 Reponit Bent. *Senibus fidelis.* propter 'senes' vs. 21.—27 *Nam quæ inscitia est.* Hæc Pulmannus abesse a Ms. Lovaniensi dicit. Priscianus citat: *namque inscitia est.* Ita et Mss. G. et Bœnd. Et Faërno Donatus ita legisse videtur. Quando interrogatio nulla erit. Eun. v. 9. 41. *West.* O. l. s. et Do. *mihi istæc:* et stat versus, si τὸ 'mihi' in unam syllabam contrahatur. *Fa.* Nostri etiam plerique, *in mentem mi istæc:* nisi quod duo, *mi in m. istæc.* Ceterum vide illud Donati: 'Hoc dictum et superioris personæ esse potest, et alterius:' hoc est, et Getæ et Davi. Davo quidem hodie libri tribuunt; meo judicio non commode. Quomodo enim Davus dicat 'Venere mihi istæc in mentem?' qui, nisi Geta nunc narrante, non noverat senes peregre abesse. At Getæ, verberibus admonito, tandem ista venerunt in mentem. *Bent.* *Nam quæ inscitia est.* O. fere l. s. et in iis Do. pro duabus primis dictionibus, unam partem orationis habent *namque:* hoc et Ubaldino Bandinello placebat. *Fa.* Nostri omnes *namque.* Bent. *Mihi in m. i. namque* Br. *Namque* Both. Perl. qui etiam cum Bent. Getæ tribuunt. *Venere in m. istæc mihi: namque* Delph. Bentleius negat, commode hæc verba tribui posse Davo, qui, nisi Geta narrasset, senes abesse ignoraverit. Fallitur; nam verba 'Venere in mentem mihi' ad proxime sequentia pertinent. Sed lectio *namque* pro *nam quæ* ob consensum codd. præfertur a Bentleio recte. Cf. And. I. 1. 40. *Zeun.* *Venere .... calces.* Male vulgo hæc tribuun-

Advorsum stimulum calces? GE. Cœpi iis omnia
Facere, obsequi quæ vellent. DA. Scisti uti foro.
GE. Noster mali nihil quicquam primo. Hic Phædria
Continuo quandam nactus est puellulam
Citharistriam: hanc amare cœpit perdite.
Ea serviebat lenoni impurissimo;
Neque quod daretur quicquam, id curarant patres.
Restabat aliud nihil, nisi oculos pascere,
Sectari, in ludum ducere, et reducere.
Nos otiosi operam dabamus Phædriæ.
In quo hæc discebat ludo, ex advorsum ei loco

occurrerunt: nam quæ stoliditas est adversus stimulum calces jactare? GE. *Cœpi omnia facere eorum arbitrio, morem quem vellent gerere.* DA. *Scisti tempori inservire.* GE. *Noster Ctesipho ab initio nihil nisi recte agebat: hic Phædria illico quandam puellam fidicinam nactus est: hanc præter modum amore prosequi cœpit. Ea sub potestate erat turpissimi lenonis; neque patres adolescentum providerant ut sumtus his subministrarentur. Nihil aliud Ctesiphoni supererat, quam visu puellæ oculos suos oblectare, semper eam sequi, in scholam ducere, et domum inde reducere. Nos per otium Phædriæ obsequebamur. E regione loci in quo discebat puella, sita*

tur Davo, quasi interloquenti. Nos Getæ reddimus sua, in quibus, cum Davo tribuantur, mox hærent interpp. Alii enim *nam quæ* verterunt in *namque,* in quo Priscianum sequuntur magis, quam Do. tum desiderant infinitivum post 'inscitia est.' *Bip.*—28 *Adversus* Guelf. 1. 2. Both. *His* pro *iis* Br. Bip.—31 *Puellam* Guelf. 1.—32 *Hanc amare cœpit perdite.* Citat Charisius lib. II. *eam amare cœpit perdite:* sed legisse et scripsisse, *eam ardere cœpit perdite,* suspicatur F. F. ex subjectis Charisii verbis: 'Nam ita Aruntius Celsus. Et addit: Antiqui enim dicebant 'ardere' pro 'amare.'' Do. *perditus.* Codices quidam: *occepit.* West.—35 Br. *nihil aliud.* *Nil* Bent. Both. Bip. Perl.—36 Priscianus Instit. Grammat. legit, *atque redducere.* West. Br. distinguit, *Sectari in ludum, ducere et r.* Bent. Bip. Z. *redducere.*—37 Bothius legit *Nos otio dabamus.*—38 G. Bœnd. et Ms. Lips. cum EP. *ex advorso:* ita et Pulmannus citat ex Mss. Xanth. et Uratislav. Par. edidit, *ex advorso illico.* West. *Ex advorsum ei loco.* Bem. et multi alii ac Do. *ex adverso;* sed Bem. hoc amplius, quod pro, *ei loco, ilico* habuit: quod deinde mutatum est in lectionem vulgatam: et sane Do. etiam *ilico* legi affirmat: esseque dictionem ex abundanti additam, ut multa apud Veteres: nos hanc ipsam vocem observavimus in Adelphis, positam pro additamento loci, ita eam exponente Donato, 'Otiose nunc jam ilico hic consiste:' quam vim et hic habere arbitramur. *Fa.* *Exadverso ilico Tonstrina erat quædam.* Sic dedit Fa. Bembino suo favens. *Exadverso* tres ex nostris habent; omnes *ei loco.* Priscianus p. 977. 'Quando 'adversum' τὸ ἐναντίον significat, magis adverbium ostenditur; ut Ter. in Phorm. 'Ei loco exadversum Tonstrina erat quædam.'' Idem p. 1037. 'Exadversum ei loco' pro 'adversum.' Gellius VII. 7. 'In eo quod nos 'exadversum' dicimus, (Annianus poëta) secundam syllabam debere acui existimabat; quoniam una non duæ essent orationis partes: atque ita oportere apud Terentium legi, dicebat, in his versibus: 'In quo hæc discebat ludo exadversum loco Tonstrina erat quædam.'' Recte quidem Annia-

Tonstrina erat quædam : hic solebamus fere
Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.
Interea, dum sedemus illic, intervenit
Adolescens quidam lacrymans : nos mirarier :
Rogamus, quid sit ? nunquam æque, inquit, ac modo,
Paupertas mihi onus visum est, et miserum, et grave.
Modo quandam vidi virginem hic viciniæ
Miseram, suam matrem lamentari mortuam.
Ea sita erat ex advorsum : neque illi benevolens,
Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam,
Quisquam aderat, qui adjutaret funus : miseritum 'st.

erat officina tonsoris; hic solebamus eam expectare quousque inde rediret domum. Interea dum illic otiosi moramur, repente supervenit adolescens quidam flens. Nos mirati, quærimus quæ causa ei fletus esset. Nunquam, ait, mihi ita perspectum fuit, ac modo, quam ærumnosum et molestum esset pondus paupertas. Modo quandam vidi infelicem puellam prope in hac vicinia, deflentem matrem suam vita functam. Ea posita erat contra mortuam, neque quisquam amicus, neque vicinus, neque propinquus eam adjuvabat in curando funere, præter unam vetulam. Misereri

nus, quod ad hunc locum attinet : nam hic 'exádversum' acuit secundam : sed mox vs. 47. et Adel. IV. 2. 45. primam acuit 'éxadvérsum :' ut apud Plautum Bacch. IV. 7. 37. 'Video éxadversum Pistoclerum et Bacchidem :' Ad nihilum ergo recidit Anniani illius subtilitas. *Bent.* *Exadvérsum* Both. Bip. Perl. *Exadverso*] In aliis editionibus est *exadversum ;* Burmanno ad Sueton. in Tiber. c. 33. rectius videtur *ex adverso* divisim scriptum in quo intelligatur 'loco' vel simile quid. Sed ex *adversum* tuetur Oudendorp. ad Sueton. Cæsar. c. 39. *R. D.*—41 Præter Donatum etiam cod. Bem. *illi.* Sed et ita Gambarellus, Pulmannus, et Aldus ediderunt. Vox Plauto familiaris. *West.* *Sedemus illinc*] Alias *illic.* Er. *Illi* Z. Bent. *Sedemus, illi intervenit* Bip. Bothius legit *Interea, dum ibi sedemus olim, intervenit.*—42 *Adolescens* in GC. priori versui annexum. Cujus omnino codicis versuum distinctio a vulgata passim discedit. *Perl.*—43 Guelf. 2. *inquid* pro *inquit.*—44 Mira sane constructio, 'Paupertas visum est.' Codex CC. notæ optimæ *visa est ;* et sic apud Priscianum citatur p. 1026. etiam in scriptis codd. *Bent.* Both. *mihi visa onus est.* Perl. *visa est.* et notat 'Par. in marg. 'pro *visa est.*'' 'Bent. cum Prisciano sapere maluit, quam cum Cic. Liv. Sall. Nepote ; frustraque correxit *visa est*, quod et pauci scripti habent. Exempla, quibus vulgata approbetur, pueris nota sunt.' *Bip.*—45 *Hic viciniæ.* Mss. Leidenses tres, M. G. Tr. Bodl. cum EP. et ET. EM. et Mss. Pulmanni tribus, Prisciano, lib. XVII. et Nonio Marcello, *huic.* Mss. Leidensium quartus, *hujus viciniæ:* quintus *hic viciniæ.* Bœnd. *huic viciniæ.* Vide ad And. I. 1. 43. *West.* *Hinc* Br.—46 Ms. Lovan. teste Pulmanno, *Misere.* West. Post *Miseram* non distinguit Br. *Misere* Both.—47 G. Bœnd. et Ms. Lips. cum EP. *ex advorso.* Guy. integrum versum expungit. *Ea sita erat ex adverso.* Hic Bem. et Vi. habet, *ex advorsum*, ita habebat et V. sed deinde, abrasis posterioribus literis, *o* suppositum est. *Fa.* Nostri omnes hic habent *ex adverso.* Bent. *Ex adverso* Br. Guelf. 1. 3. Bip.—48 M. et Bœnd. *Neque notus, neque vicinus, neque cog.* West.—49 *Adjutaret funus.* Sic Hec. III. 2. 24. 'His onera adjuta.'

Virgo ipsa facie egregia : quid verbis opu' 'st ?
Commorat omnes nos : ibi continuo Antipho,
Voltisne eamus visere ? alius, censeo ;
Eamus : duc nos, sodes. Imus ; venimus ;
Videmus. Virgo pulchra ! et, quo magis diceres,
Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem.
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida ;
Lacrymæ, vestitus turpis ; ut, ni vis boni
In ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent.
Ille, qui illam amabat fidicinam, tantummodo,
Satis, inquit, scita 'st : noster vero. Da. Jam scio :
Amare cœpit. Ge. Scin' quam ? quo evadat, vide.
Postridie ad anum recta pergit : obsecrat,
Sibi ut ejus faciat copiam : illa enim se negat ;
Neque eum æquom ait facere : illam civem esse Atticam,

subiit. Virgo ipsa forma erat eximia. Quid plura dicam ? omnium animi commoti sunt hoc spectaculo : tunc statim Antipho ; libetne vobis, inquit, ut hanc virginem invisamus ? alius quidam inquit, ita mihi videtur : eamus, dux esto nobis, amabo. Imus, adivimus, spectavimus ipsam. Puella erat formosa, et quo magis crederes, nihil ei additum erat, quod formam insigniorem redderet. Crines negligenter et temere dispersi. Pedes calceamentis nudati, ipsa inculta, flens, vestis fœda et deformis. Adeo ut nisi pulchritudo ejus excellens esset, hæc pulchritudinem in ea delerent. Phædria, qui captus erat amore illius citharistriæ, solummodo dixit, non quidem invenusta et inconcinna est. Noster vero Antipho. Da. *Intelligo : continuo ejus amore exarsit.* Ge. *Scisne quantum ? quousque cupiditas ejus pervenit, inspice. Ipsa die postridiana vetulam virginis nutricem convenit, orat ut ejus potiundæ facultatem daret. Illa recusat hoc facere, cumque inique agere ait qui hoc*

Mss. Leidenses tres, cum G. M. Bodl. Lovan. teste Pulmanno, EP. *adjuvaret.* Bœnd. *qui adjuvaret curare funus.* Ita autem dixit 'funus,' uti And. I. 1. 81. *Idem.* *Adjuvaret* Br.—50 Tò *est* abest Both. Guelf. 1. *ipsa facie, facie egregia.*—52 Guelf. 2. *eam* pro *eamus.*—53 Idem *pervenimus.*—55 *Erat* pro *aderat* Br.—58 G. et Bodl. *In ipsa esset f.* West. Br. *Ipsa inesset f.* omisso *In.* *Ipsi inesset formæ* Guelf. 3.—60 Mss. Lips. et Schalbr. cum duobus Pulmanni, et EP. *Satis scita, inquit.* West. Ita et Br.—62 G. *Posteri die.*—63 Ms. Schalbr. *illa enim eam se negat.* West. *Illa enim negat.* Male ex glossa in codd. irrepsit *se* post *enim ;* quo senarius interficitur. Et frustra sunt, qui id retinendo metrum excusant. Frequentius pronomen omittitur, quam ipsum verbum. Confer Andr. act. II. scen. 2. vs. 21. &c. utrumque sæpissime omittitur. Eun. act. II. scen. 1. vs. 5. et scen. 4. vs. 25. &c. *Bip.*—64 Ms. Lips. et EP. *Neque eum æquom facere. Ait, illam civem esse Atticam.* Sed Ms. Uratislav. Pulmanni, *Neque enim æquom est facere ait illam.* West. *Neque eum æquum ait facere : illam civem esse Atticam.* Sic Fa. et unus tantum ex nostris : ceteri numeris melioribus, *Neque eum æquum facere ait.* Et *facere* quidem sic satis convenit ; sed quanto melius est, *Neque eum æquum petere ait ?* ut infra, 'Num iniquum postulo ?' And. V. 3. 30. 'Æquum postulat :

Bonam, bonis prognatam: si uxorem velit,
Lege id licere facere; sin aliter, negat.
Noster, quid ageret, nescire; et eam ducere
Cupiebat, et metuebat absentem patrem.
DA. Non, si redisset, ei pater veniam daret?
GE. Illene indotatam virginem atque ignobilem
Daret illi? nunquam faceret. DA. Quid fit denique?
GE. Quid fiat? est parasitus quidam Phormio,
Homo confidens; qui, illum Di omnes perduint!
DA. Quid is fecit? GE. Hoc consilium, quod dicam, dedit.
Lex est, ut orbæ, qui sunt genere proxumi,
Eis nubant; et illos ducere eadem hæc lex jubet.

petat, illam esse civem Atticam, honestam, honestis parentibus genitam; si uxorem eam velit ducere, legitime id ei permitti facere; sin minus, illa recusat ei obsequi. Noster Antipho quid sibi faciendum esset nesciebat. Cupide volebat eam in uxorem accipere, sed patris metu tenebatur absentis. DA. *An non pater reversus ei parceret hanc culpam?* GE. *Quid? illene pater puellam dotis expertem, et obscuris natalibus pateretur eum ducere? Nunquam ille hoc faceret.* DA. *Quid tandem factum est?* GE. *Quid factum fuerit, quæris? est Parasitus quidam, nomine Phormio, homo audax et temerarius, qui (Dii illum occidant) hoc consilium, quod exponam, dedit: nimirum lege cautum est Athenis, ut virgines parentibus orbatæ nubant proximis agnatis, atque illi eas uxores ducant: ego te virgini proximum esse*

da veniam.' et Plautus, Pseud. v. 2. 16. 'Jus petis, fateor.' Donatus tamen: 'Non quod amet, sed quod hoc petat:' ubi clare indicat, se *facere* legisse. Heaut. I. 1. 39. 'Non sinam, inquam. Ah non æquum facis.' Sed ibi Chremes rastros manu prehendit, et facit aliquid: Antipho hic nihil facit; sed orat, obsecrat, petit. *Bent.* *Facere: ait* Br. *Civem esse illanc A.* Both. *Facere ait, illam* Perl. *Hinc* post *illam* Guelf. 2.—65 De distinctione dubitat Do. Cl. V. Petr. Burmannus ad Calphurn. Flacc. Declam. XXIII. distinguit, *si uxorem velit Lege, id licere facere:* h. e. legitime. *West.* Et ita distinguit Perl. 'Perenonius Animadvers. I. 9. interpungit post vocem *Lege*, ut jungatur 'uxor lege,' quemadmodum apud Græcos γαμετὴ νόμον. Sed ad sensum nihil refert, utro modo interpungatur.' *R. D.*—67 *Faceret* pro *ageret* Guelf. 3. *Et illam* Br. Bent. Bip. Z. Perl. Delph.—68 Τὸ *et* abest Perl.—69 EP. *Num, si:* ita et Ms. Uratislav. Pulmanni. Libri quidam cum Do. *Non, si redisset pater, ei veniam daret?* West. *Pater ei veniam daret?* O. l. s. et Donatus, ita collocant, *ei pater*, quod et venustius est. *Fa.* Sic et nostri. *Bent.* Br. *N. s. r. ei pater, veniam daret?* Both. *pater ei.* Z. *pater, ei v. daret?* —70 In libri Bembini contextu non est τὸ *ne:* qua particula demta, melius versus procederet; sed sic quoque sustentari potest. *Faërnus.* Nostri omnes *Illene.* Bentleius. Abest *ne* Bent. Both. Bipont. Delphin. Post *Illene* interrogat Bruns.—72 Idem *Quid fiet?*—73 Verba *illum...perduint* Mur. parenthesi inclusit. *Perl.* Br. *perdunt.* Guelf. 1. *quem* pro *qui.* 3. *dedit* post *qui.* 2. *Phormio* post *qui.*—74 *Dedit dicam* Br.—75 *Sint* Br. Perl. Z. Bip. Delph. *Quæ sunt genere proximæ* Guelf. 2.—76 *Iis* Bent. Both. Perl.

Ego te cognatum dicam, et tibi scribam dicam:
Paternum amicum me assimulabo virginis:
Ad judices veniemus: qui fuerit pater,
Quæ mater; qui cognata tibi sit; omnia hæc
Confingam; quod erit mihi bonum atque commodum.
Cum tu horum nihil refelles, vincam scilicet.
Pater aderit: mihi paratæ lites: quid mea?
Illa quidem nostra erit. DA. Jocularem audaciam!
GE. Persuasit homini; factum est; ventum est; vincimur:
Duxit. DA. Quid narras? GE. Hoc, quod audis. DA. O Geta,
Quid te futurum est? GE. Nescio hercle: unum hoc scio:
Quod fors feret, feremus æquo animo. DA. Placet.
Hem! istuc viri officium 'st. GE. In me omnis spes mihi est.
DA. Laudo. GE. Ad precatorem adeam, credo, qui mihi

asseverabo, et in jus vocabo, patris me amicum esse fingens; nos judicio sistemus, qui fuerit illius pater, quæ mater, quomodo ei cognatione junctus sis recitabo: omnia hæc excogitabo in meum commodum adeo, ut, te nihil horum refutante, judicio vincam scilicet. Deinceps pater tuus ex itinere revertetur, mihi lites intendet; sed quid mea interest? illa virgo nostra manebit. DA. *Confidentiam risu dignam!* GE. *Antipho hoc consilium probavit, executus est, ad judices venimus, causa cecidimus: ille hanc in uxorem accepit.* DA. *Quæ mihi commemoras?* GE. *Hæc, quæ auribus tuis percipis.* DA. *O mi Geta! quid te fiet?* GE. *Nescio per Herculem quis me casus manet; sed unum hoc probe scio, quod fortuna offeret, accipiemus æquo et patiente animo.* DA. *Gratum mihi est. Hem, fortis hoc viri est officium facere.* GE. *Spes mihi in nullo alio, quam in me ipso sita est.* DA. *Laudo animum.* GE. *Ad deprecatorem perfugiam scilicet, qui pro me talibus verbis herum propitium*

Bip. Delph.—77 *Scribam: dicam.* Br.—79 Mss. Xanth. et Uratislav. Pulmanni, *qui f. pater, dicam.* West.—81 *Quod erit mihi bonum, atque commodum.* Non cepit elegantiam locutionis Guy. reponens, *et quod erit tibi bonum, atque commodum.* Ita et Ms. Schalbr. *Idem.*—83 *Quid mea? Illa quidem nostra erit*] Legit Guyetus, *Quid tua? Illa quidem tua erit.* Sed præter fidem Codicum, et Donati. *Idem.* Br. distinguit *Pater aderit mihi, paratæ lites.*—84 *Illa nostra erit quidem* Both.—85 Codd. quidam scripti et impressi, *Persuasum 'st homini.* West. *Persuasit homini.* Idem liber *Persuasum'st* habet, ut et videtur legere Do. parvi tamen refert, utrum legas. *Fa.* Immo magni refert. *Persuasumst*, cum ceteris istis passivis, longe elegantius, quam *Persuasit;* quod nostri codices habent. *Bent.* *Persuasum est* Both. Bip. Delph.—88 *Quod sors feret.* Sic a Fa. est: sed errore, credo, typographi. Omnes scripti *fors feret.* Recte. Præterea, *Places* melius hic, quam *Placet.* Bent. Br. *Q. fors fert. Places* Both. Bip.—89 *Est officium* Br. Both. Z. Bip. Bent. Delph. Perl. Al. *spes est mihi.* Abest *Hem* Guelf. 1.—90 G. et Bodl. cum EP. *abeam.* West. *Ad precatorem abeam.* Ex libro Bembino legimus *adeam*, quod magis proprium videtur: nam adire, supplicis est. *Fa.* Nostri omnes *abeam.* Bent.

Sic oret: nunc amitte, quæso, hunc: ceterum
Posthac, si quicquam, nihil precor: tantummodo
Non addat: ubi ego hinc abiero, vel occidito.
DA. Quid pædagogus ille, qui Citharistriam?
Quid rei gerit? GE. Sic, tenuiter. DA. Non multum habet
Quod det, fortasse. GE. Immo nihil, nisi spem meram.
DA. Pater ejus rediit, an non? GE. Nondum. DA. Quid? senem
Quoad expectatis vostrum? GE. Non certum scio;
Sed epistolam ab eo allatam esse audivi modo,
Et ad portitores esse delatam: hanc petam.
DA. Numquid, Geta, aliud me vis? GE. Ut bene sit tibi!
Puer, heus! nemon' huc prodit? cape, da hoc Dorcio.

mihi faciat; dimitte, rogo, hunc impunem nunc: si vero posthac quicquam deliquerit, nihil deprecor: modo id denique non adjiciat, postquam hinc profectus fuero, si libet, etiam hunc interficito. DA. *Quid vero agit ille pædagogus virginis, Phædria?* GE. *Sic exigue.* DA. *Modicum fortasse illi est quod det.* GE. *Immo nihil, nisi nuda spes, ei restat.* DA. *Paterne ejus peregre reversus est, an non?* GE. *Nondum.* DA. *Quid? senem vestrum Demiphonem ad quod tempus expectatis?* GE. *Incertus sum de hujus reditu; sed modo accepi ab eo allatam esse epistolam, et inde latam fuisse ad publicanos qui vectigalia in portu exigant. Hanc petitum eo.* DA. *Numquid in alia re tibi opus est mea opera?* GE. *Ut bene sit tibi precor. Heus, puer: nemone huc domo procedit? cape hoc argentum, et trade Dorcio.*

Ita et Br.—91 *Amitte.* Sic Do. Nostri omnes *omitte.* Bent. *Omitte* Br.—93 Multi l. s. in quibus omnes antiquissimi, *Non addit.* Fa. Nostri etiam plerique *addit*, unus et alter *addet*, vel *addat.* Bent. *Addit* Br. Both. Perl. *Addat* probat Bip. Guelf. 1. *addatur.*—94 Malim distinguere: *Quid? pædagogus ille, qui Citharistriam, Quid rei gerit?* sic mox vs. 97. 'Quid? senem Quoad expectatis vostrum?' *West.* *Quid ille pædagogus.* O. l. s. et Do. *Q. pædagogus ille* habent; numero et compositione meliore. *Fa.* Sic et nostri. *Bent.* *Ille pædagogus* Eug. Z. Distinguit Perl. *Q. p. ille? q. citharistriam.*—95 *Sic, tenuiter.* Distinxi has voculas, post paucas edd. idque monente Donato. *West.* Nullam distinctionem interponunt Br. Perl.—96 *Immo nihil, nisi*] Alias *præter.* Er. *Fortasse quod det* Both. ex cod. A. 'J. et Venetus cod. *opem veram.*' Perl.—98 *Vestrum.* GM. syllabam *no* mutatam exhib. in *vestrum.* sup. script. est, *Demiphonem.* Perl.—100 Τὸ *Et* versui superiori adjungunt Both. Bip. 'Mss. Lips. Bodl. Witt. cum EP. *esse latam*: idem e Ms. Lovan. citat Pulmannus.' *West.* Ita et Br.—101 GM. *tibi sit.*—102 Τὸ *hoc* abest Both.

ACTUS I. SCENA III.

ANTIPHO. PHÆDRIA.

AN. ADEON' rem redisse, ut qui mihi consultum optume velit esse,
Phædria, patrem ut extimescam, ubi in mentem ejus adventi venit?
Quod ni fuissem incogitans, ita eum expectarem, ut par fuit.

AN. *Eone miseriæ deveni, ut vehementer formidem patrem, qui omnia bona mihi cupit, ubi de ejus adventu cogito! Quod nisi fuissem imprudens et inconsiderans, ita eum cupide expectarem, ut æquum et conveniens fuit.* PH. *Quid istud est?*

Hic notat Bip. 'Contra omnem artificii scenici, ejusque Terentiani intelligentiam, editores inde certe ab Erasmo duas priores Scenas hujus Actus addunt Actui I. et secundum demum ordiuntur, ubi nobis Actus III. initium. Nos sequimur rem ipsam et Don. qui edicit: 'Primus Actus est in colloquio Davi et Getæ, per quos discet populus argumentum. Secundi Actus tenor continet adventum Senis turbulentum, et ejusdem jurgium adversus Getam et Phædriam.' Ac sane jam Scena est vacua utriusque discessu. Scenæ vero sqq. ita conjunctæ sunt turbulento adventu Senis, ut nullo inter illas et hunc intervallo locus sit; quod cujusque finis docebit. Nostra quoque ed. vetus cum figg. recte ab hac Scena Actum II. orditur. Bent. talia videre non solet; sed miramur, quod Dac. hoc non viderit.' In Both. quoque hic est Act. II. Sc. 1.—2 *Patrem ut extimescam.* Ita plerique Mss. et editi veteres. Alii, *patrem extimescam.* Quod revocavit Guy. et post eum recentiores quidam, scilicet, quia versu 1. τὸ 'ut' jam scriptum fuerat, nec agnoscere videtur Do. A Ms. Witt. utrumque *ut* abest. Defendit tamen J. Fr. Gronov. ad Plaut. Bacch. IV. 6. 18. Vide porro ejus Notas ad Liv. XXII. 11. et XXVIII. 9. Hoc est, quod JCti dicunt: Pater præsumitur optimum consilium capere pro liberis suis. Mss. Bodl. G. et Xanth. cum EP. *adventus.* Et citat Priscianus Instit. VI. et XVII. dicens genitivum antiquum pro nominativo usurpari. *West.* Ex multis libris, etiam antiquissimis, et Do. legendum est, *patrem ut extimescam*, licet aliud 'ut' præcedat. *Fa.* *Phædria patrem ut extimescam, ubi in mentem ejus adventi venit.* Sic codices nostri; nisi quod *adventus* habeant. At Do. *adventi*, et Priscianus bis, p. 712. et 1101. Sed apud Priscianum aliter verba collocantur, ita ut octonarium plenum faciant, *Phædria patrem ut extimescam, ubi ejus adventi venit in mentem.* Recte: sic duo pleni erunt, et tertius Catalecticus: ut mox iterum quartus et quintus pleni sunt, sextus Catalecticus. *Bent.* *Adventus* Br. Bothius ordinat *Patrem, Phædria, ut extimescam, ubi ejus adventi venit in mentem?* 'Ms. Par. *adventus.* GM. neutrum habet nec *adventi* nec *adventus.*' Perl. 'Vett. codd. et R. *adventus.* Vide Priscian. lib. VI.' *Lind.* *Patrem extimescam.* Guy. delet particulam *ut*, quando jam adest versu præced. quod ab eo factum temere et imperite: nam sæpe 'ut' post quædam interposita ex abundanti repetitur. *R. D.* *In mentem meam ejus adventus venit* Guelf. 2.—3 Alii conjungunt,

PHÆ. Quid istuc est? AN. Rogitas, qui tam audacis facinoris mihi conscius sis?
Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset,
Neu me cupidum eo impulisset, quod mihi principium est mali.
Non potitus essem: fuisset tum illos mihi ægre aliquot dies:
At non quotidiana cura hæc angeret animum. PHÆ. Audio.
AN. Dum expecto, quam mox veniat, qui adimat hanc mihi consuetudinem.
PHÆ. Aliis, quia defit quod amant, ægre 'st: tibi, quia superest, dolet.
Amore abundas, Antipho.
Nam tua quidem hercle certo vita hæc expetenda optandaque est.
Ita me Di bene ament, ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui;
Jam depecisci morte cupio: tu conjicito cetera;

AN. *Quærisne? qui scis ipse una mecum temerarium facinus quod admisi, quod utinam Phormio mihi suadere nunquam cogitasset. Non meam cupiditatem ad has nuptias incitavisset, quæ res mihi caput et fons infelicitatis; amatæ virginis compos factus non fuissem: ægre et impatienter ea me privari illos aliquot dies tulissem; esto; at solita hæc solicitudo animum non premeret.* PH. *Audio.* AN. *Dum anxius metuo, ne quam cito quis irruat, qui me abstrahat ab hujus virginis possessione.* PH. *Alii tristantur, quia id quod amant, eos deficit; tu vero, eo quod superat, doles. Amoris felicitate affluis, Antipho. Nam per Herculem tuæ vitæ conditio proculdubio desideranda est. Ita mihi Dii sint propitii, ut mihi tamdiu ejus quod amo, copia fiat, quamdiu fit tibi, morte paratus sum pacisci. Cetera conjice;*

Quodni. Eng. *nisi fuissem.* Guelf. 1. *Qui.*—4 Linacer *mihi conscius sim.* West. Non solus Bem. sed nostri magno numero *conscius sis.* Sed legendum *Quid istuc? Rogitas?* Alioqui octonarius plenus fiet Iambicus: plane contra morem atque artem. *Bent.* Br. *conscius scis. Quid istuc? Rogitas.* Both. Perl. et Bip. quæ τὸ *sis* versui sequenti addit. Guelf. 2. *sim* pro *sis.*—6 *Impulisset.* Ita plerique Mss. et editi. In aliis est *compulisset.* West.—7 Mss. Leidenses duo, cum Pulmanni tribus, *tum illud mihi.* Idem. *Tum illud* vet. cod. ap. Lind. Both. Guelf. 1. non habet *illos. Quia* post *fuisset* 3.—8 Mss. quidam, *augeret.*—9 Plerique Mss. et editi post EP. *qui hanc mihi adimat.* West. Longe concinnius codices nostri fere omnes, *qui h. m. adimat c.* Bent. Ita et Br. Perl. Bothius legit, *hanc qui mi adimat.*—10 Ms. Witt. *quia defit, quod cupiunt.* West. Guelf. 2. *quod* pro *quia*, et *ament* pro *amant.*—11 Br. *abundans.*—12 *Certe* Bip. Delph. ita et plerique codd.—13 Both. *ut, modo liceat.*—14 Mss.

Quid ego ex hac inopia nunc capiam, et quid tu ex hac copia:
Ut ne addam, quod sine sumtu ingenuam, liberalem nactus es;
Quod habes, ita ut voluisti, uxorem sine mala fama; palam
Beatus; ni unum hoc desit, animus qui modeste istæc ferat.
Et si tibi res sit cum eo lenone, quocum mihi est, tum sentias.
Ita plerique ingenio sumus omnes: nostri nosmet pœnitet.
AN. At tu mihi contra nunc videre fortunatus, Phædria,
Cui de integro est potestas etiam consulendi quid velis;
Retinere, amare, amittere. Ego in eum incidi infelix locum,

scilicet, quid ego molestiæ capiam ex amoris inopia, cum tu jucunde amica fruaris; ut ne his adjungam, quod sine ullis pecuniarum impensis ingenuam et liberalem virginem sortitus es; quod possides uxorem qualem optavisti, integræ existimationis: denique beatum te prædico, si unum hoc adsit, animus, qui hæc moderate capiat. Quod si cum lenone avarissimo rem transigendam habeas, ut ego, tum tu revera te beatum esse intelligas. Ita plerique omnes a natura facti sumus: nostra fere contemnimus. AN. *An te contra felicem esse duco, Phædria, cui adhuc integris rebus licet considerare, et deliberare quid eligas, tibi asserves, diligas, relinquas: ego in*

quidam et editi post EP. *depacisci.* Sed Priscianus lib. VIII. numerat hoc verbum in iis, quæ *a* mutant. *West.* *Tu conjicito cetera.* Do. 'Aut *cetera* abundat, aut deest *per*, ut sit *per cetera.*' Neutrum ex his verum: mendosa enim lectio est. Repone *tu c. ceterum.* Bent. *Depicisci* Br. *Conjicito ceterum* Both. *Mortem* Guelf. 2. *Cetera* defendit Perl.—15 Mss. Bodl. et G. *ex ista copia:* alii, *ex istac copia.* West. Repone *Quid ego hac ex inopia n. c. et quid tu ex istac copia:* ut opposita ista, *hac, istac*, ambo acuantur. *Bent.* Bothius legit *Q. inopia ex hac ego nunc c. et quid tu ex ista copia. Ex istac* Z. Bip. Delph. *Hac ex inopia...ex istac* Perl.—16 Br. *nanctus es.*—17 Hunc vs. expungit Guy. non attendens, etiam in his verbis esse oppositionem inter uxorem Antiphonis, et amicam Phædriæ. *West.*—18 Τὸ *hoc* non est in libris Bem. et Vi. sed sive cum eo, sive sine eo legas, non magni refert. *Fa.* Nostri plerique *unum hoc;* et placet. Amat enim Terentius finales syllabas liquefacere. *Bent.* Τὸ *hoc* abest Bip. Eng. In GM. *hoc tibi.* Guelf. 3. *Beatus es.*—19 *Et si.* Hæc Donati lectio. Plurimi Codices, *Quod si.* West. *Lenone.* Delent hanc vocem G. F. et Guy. neque tamen intercedunt, quo minus de lenone sit sermo; sed metrum obstare aiunt. Abest tamen a paucis Codicibus. *Idem.* *Quocum.* Mss. et impressi quidam, *Quicum.* Idem. *Tum sentias.* Usitatior lectio, quam quorundam librorum, *tu sentias.* Vide And. II. 1. 10. *Idem.* *Quod si* Bent. *Quod si tibi res cum eo lenone sit* Br. *Quodsi...quicum mihi, tum sentias* Both. *Quod si* Bip. Perl. Delph.—20 *Ita plerique ingenio sumus omnes.* Sic codices plerique; et sic Gellio citatur XX. 6. Placet tamen ordo, quem CCC. exhibet, *Ita plerique omnes sumus ingenio.* Bent. Ita et Both.—23 Re-

Ut neque mihi ejus sit amittendi nec retinendi copia.
Sed quid hoc est? videon' ego Getam currentem huc advenire?
Is est ipsus: hei timeo miser, quam hic nunc mihi nuntiet rem.

eum statum conjectus sum, ut neque mihi potestas sit relinquendæ nec retinendæ virginis, quam possideo. Sed quid hoc est? num conspicio Getam currentem huc properare? is ipse est. Me miserum! metuo ne mihi nunc tristem nuntium afferat.

ponit Bent. *an mittere.* 'Vulg. *Retinere, amare, amittere. Amittere* correctorem invenit Bentleium, *amare* Schmiederum, virum doctissimum, in nupera editione Nostri.' *Both.* qui inde dat *Retinere amorem an mittere.* Ita et Bip. notans 'Vulg. absurde *Retinere, amare, amittere*, et sic codd. Bentleius ultimum corrigit *an mittere.* Sed priora nemo correxit.'—24 Pro *ejus* Guy. substituit *jus.* Sed vincit *τὸ ejus* cum codicum numero, tum elegantia. Idem autem dicet Antipho infra III. 2. 22. *West.* Elegantissima et certissima lectio est, quam in duobus Regiis et uno Academico repperi, et Guyetus in codice Puteano, *Ut neque mi jus sit amittendi, nec retinendi copia.* Bent. *Jus sit* Both. Sed vulgatam lect. defendunt Bip. Perl. et Servius ad Æn. XI. 675. probatque Ruhnken. Guelf. 1. non habet *ejus sit.*—25 Al. *videone...advenire huc?*—26 Τὸ *est* abest Both. 'Ms. Wit. et EP. *et timeo:* quod forte expressum ex Mss. quorundam, *ei timeo.*' West. G. *quam mihi nuntiet rem.* Bodl. *quam mihi nunc hic nuntiet rem.* Alii libri aliter. *Idem.* Nostri codices meliore numero, *quam hic mihi nunc nuntiet rem* Bent. *Et timeo m. q. h. mihi nunc* Br. Lectionem Bent. dat Bip. J. *nuntiat.* Guelf. 2. *et* pro *hei.*

ACTUS I. SCENA IV.

GETA. ANTIPHO. PHÆDRIA.

GE. NULLUS es, Geta, nisi jam aliquod tibi consilium celere reperis:

GE. *Periisti, Geta, nisi subitum aliquod consilium inveneris: ita nunc tibi non*

In Bip. et Both. Act. II. Sc. 2.—1 Priscianus lib. V. *Nullus es, Geta, nisi consilium aliquod celere repereris.* Sed lib. VII. *Nullus es, Geta, nisi jam aliquod consilium celere repereris.* Et Mss. quidam, cum edd. Junt. Steph. Ald. et vetustioribus quibusdam, *repereris.* West. Omnes antiqui libri, et aliquot ex recentibus, ac Donatus hanc collocationem verborum habent, *nisi jam aliquod:* et pro *repereris*, antiqui omnes *repperis.* Fa. *Nullus es, Geta, nisi jam aliquod tibi consilium celere repperis.* Sic Faërn. Atqui nostri veterrimi, cum magno aliorum comitatu *repereris*, et sic Priscianus bis, p. 647. 760. *Aliquod jam* CCC. et Priscianus p. 760. ut codex ibi vetustus. *Tibi* apud Priscianum deest. Repone, *Nullus, Geta; nisi aliquod jam consilium celere repereris.* Bent.

Ita nunc imparatum subito tanta te impendent mala,
Quæ neque uti devitem scio, neque quo modo me inde extraham:
Nam non potest celari nostra diutius jam audacia;
Quæ, si non astu providentur, me aut herum pessum dabunt.
AN. Quidnam ille commotus venit?
GE. Tum, temporis mihi punctum ad hanc rem est: herus adest. AN. Quid istuc mali 'st?
GE. Quod cum audierit, quod ejus remedium inveniam iracundiæ?

providenti, nec expectanti, tanta instant pericula, quæ qua ratione declinem ignoro, neque quomodo inde me expediam: neque enim diutius nostra temeritas jam potest occultari: quæ si non astute caveantur, me aut herum opprimeat. AN. *Quidnam est quod tam perturbatus currit?* GE. *Tum, solum mihi momentum temporis restat ad deliberandum de hac re. Ecce herum.* AN. *Quodnam hoc malum est?* GE. *Quam rem cum resciverit, filium Antiphonem duxisse uxorem, quodnam remedium*

Repereris Br. Bothius legit *Nullus, Geta, nisi aliquod jam tibi celere repereris consilium. Reppereris* Z. In vet. cod. ap. Lind. *tibi* deest. *Nisi aliquod jam consilium celere repperis* Perl. *Nisi jam aliquod, &c.* Sic Fa. ex codd. suis et Do. correxit, ordinavit. Variant codd. et edd. sed nemo præter Bent. omisit *tibi.* Multa is refingit, quæ mittere malumus. *Bip.*—2 *Tanta te inpendent mala*] Donatus: '*Tanta te inpendent mala*] Accusativo casu 'impendent:' aut ἀναστροφῇ, 'in te pendent.' Cum supra, 'Nullus es Geta,' dixerit: hic transitum fecit ad primam personam.' Satis hinc constat, Donatum *me* hic legisse, non *te;* et sic codex Academicus *me* in textu, *te* pro varia lectione inter lineas. Repone, *Ita nunc inparatum subito tanta in me inpendent mala.* Sane commodius est *me;* cum mox sequatur *devitem*, non *devites. In me* huc adscisco; cum nusquam alibi 'impendere' reperias; nisi aut Dativo junctum, aut cum præpositione Accusativo. Plautus Epidico I. 1. 77. 'Tantæ in te inpendent ruinæ.' *Bent. Ita subito nunc* Bip. *Me impendent* Ruhnk. *Te* defendit Bip. *In me* Perl. *Te impediunt* Guelf. 1. *Impendant* 2.—3 G. *abstraham.* Br. *nec quomodo m. i. abstraham.*—4 Vulg. *potest*, ut hic sit iambicus, male. *Both.* qui ipse dat *pote.* Guelf. 3. collocat, *diutius jam nostra audacia celari.*—5 Idem vs. occurrit And. I. 3. 3. Parum autem refert, conjunctim legatur, *pessumdabunt*, an *pessum dabunt*, nisi quod posterius magis comicum videtur. *West.* Versus hic insititius est, ex Andr. I. 3. 3. integer huc traductus. Atqui ibi aptissime venit; 'Quæ nuptiæ si non astu providentur;' caventur, vitantur; hic vero quid facit? Nihil est, quo referatur; sententiam certe pessumdat. Abest ab uno veterrimo nostro: in uno Regio larem mutat, et ante vs. quartum venit. *Bent. Pessumdabunt* Br. Vs. omnino abest Both. et Bip. Parenthesi inclusit Z. Bip. ad vs. tertium notat, 'Versui huic vulgo subjicitur alius, quem cum ex Andr. I. 3. 3. primum margini ascriptum, dein textui male ingestum viderit quisque sapientior, tandem omittimus: *Quæ si non, &c.*'—7 *Quid illud* Br. *Punctum mi* Both. Abest *mali* Guelf. 1. *Quid illuc* 2.—8 M. *Qui cum audierit: quod.* West. J. omittit *quod*

Loquarne? incendam: taceam? instigem: purgem me? laterem lavem.
Eheu me miserum! cum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi:
Ejus me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet; nam absque eo esset,
Recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam;
Aliquid convasassem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes.
AN. Quam hic fugam, aut furtum parat?

sedandæ ejus iracundiæ reperiam? alloquarne eum? inflammabo: sileam? stimulem: excusem? operam perdam, et verba. Eheu me miserum! præterquam quod mihi metuo, tum etiam angor solicitudine propter Antiphonem: ejus misereor: pro eo metuo: is me remoratur, et retardat: nam nisi res ad eum pertineret, mihi utiliter consuluissem, et de senis iracundia ultionem sumsissem, aliquid clam surripuissem, et cum sarcinulis collegissem, atque hinc confestim fugam arripuissem. AN. *Quam*

posterius.—9 Elegantius sine *ne*. Bent. Abest *ne* quoque Both. Perl.—10 Tres ex nostris *Heu*. Bent. Ita et Both. *Animo* Guelf. 2.—11 Linacer: *nam absque eo esset recte.* Ita et Gambarellus. *West.* Scriptum in alio exemplari reperio, *nam absque eo recte ego mihi vidissem.* Quodsi *esset* legamus, aut notandum novum erit locutionis genus, aut ita oratio distinguenda, *nam absque eo, esset recte, ego mihi vidissem.* Gov. *Nam absque eo Esset, recte egomet* Bip. —12 Legit Guy. *Recta ego mihi vidissem.* Wit. *providissem.* West. *Egomet... provid.* Guelf. 3.—13 G. et Wit. *convasissem*, quod et ex Bem. et Bas. laudat Fa. qui et Donatum ita legisse autumat. Mss. quidam, *corrasissem*, quod forte inde natum. Guy. versum hunc delet. Loquitur autem Geta ex more servorum, qui aufugientes herum simul despoliabant. Vide ad Eun. IV. 3. 19. *West.* *Aliquid convasassem*] Hic et Do. et liber Bem. et Bas. habent *convasissem*, et ita emendatum est in Vi. quod si recipimus, deductum erit a 'convaso, convasis' tertiæ declinationis. *Fa.* *Aliquid convasissem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes.* Sic dedit Fa. gemino errato. Nam illud 'convasare' nihil est; utique, si a vase ducitur, legendum erit *convasare.* Donatus: 'Convasassem, figuratum est a colligendis vasis.' Sane 'vasa conclamari' jubet imperator, castra moturus. Charisius p. 188. 'Protinus futuri significationem capit. Ter. Phorm. 'Aliquid convasassem, atque h. m. c. protinus in pedes.'' Nonius: 'Convasare dicitur, furto omnia colligere: Ter. Phorm. 'Aliquid convasassem, atque hinc me ego conjicerem protinus in pedes.' Mirifice vero 'furto.' Duo tantum e nostris *convasassem:* ceteri plerique *convasissem;* tres, unus Academicus et duo Meadiani, *conrasissem.* Recte istuc, *Aliquid conrasissem, atque hinc me conjicerem protinam in pedes.* Ceterum nota illud Festi, 'Protinam conjiciam;' ut in duobus nostris, 'Protinus conjicerem;' et lege numeris melioribus, *Aliquid conrasissem: atque hinc me protinam conjicerem in pedes.* Bent. *Convasissem* Br. *Aliquid conrasissem...protinus conjicerem* Both. Bene Bentleius revocat *protinam*, quod veteres grammatici in hoc loco legerunt. *R. D.* *Protinam* quoque probat Bip. *Convasissem* Perl. *Protinam* Mur.—14 Sic Eun. IV. 4. 6. G. *Q. hic f. aut quod f. parat?* West. Post versum catalect. oportet ex Musicæ rationibus clausulam Iambic. esse, non, ut hæc est Trochaic. Lege ergo, *Quamnam hic fugam*

GE. Sed ubi Antiphonem reperiam? aut qua quærere insistam via?
PHÆ. Te nominat. AN. Nescio quod magnum hoc nuntio expecto malum.
PHÆ. Ah! sanusne es? GE. Domum ire pergam: ibi plurimum 'st. PHÆ. Revocemus
Hominem. AN. Sta illico. GE. Hem!
Satis pro imperio, quisquis es! AN. Geta. GE. Ipse est, quem volui obviam.
AN. Cedo, quid portas, obsecro? atque id, si potes, verbo expedi.
GE. Faciam. AN. Eloquere. GE. Modo apud portum. AN. Meumne? GE. Intellexti. AN. Occidi! GE. Hem!

hic fugam, aut furtum meditatur? GE. *Sed ubi Antiphonem inveniam? aut quam viam ad eum quærendum inibo?* PH. *Te nominat.* AN. *Nescio quod magnum ex hoc nuntio mihi imminet malum.* PH. *Sanusne es animo?* GE. *Ad ædes nostras ire pergam: ibi morari solet.* PH. *Revocemus eum.* AN. *Hic siste gradum.* GE. *Satis imperiose loqueris, quisquis es.* AN. *Geta.* GE. *Ipse, quem quærebam, occurrit.* AN. *Dicito, quid affers, quæso? atque si potes, uno id verbo expone.* GE. *Faciam.* AN. *Enarra.* GE. *Modo apud portum.* AN. *Meumne patrem vidisti?* GE. *Intellexisti recte.* AN. *Interii.* GE. *Hem!* AN. *Quid faciam?*

aut furtum parat? Bent. Hel. *Q. hic mihi fugam.* Ita et Both.—15 *Reperiam?* G. et EP. *quæram?* Mss. quidam: *quam quærere insistam viam?* West. Bem. *viam*, et recte: dicimus enim insistere viam. *Fa.* Noster etiam 900. annorum codex *viam:* sed ceteri *via;* quod placet. *Bent.*—16 Ms. Wit. *Te nominavit.* West.—17 Wit. *Sanus es?* Bodl. et G. *Sanusne es?* omisso *Ah.* Idem. *Plurimum.* Præstat hæc lectio præ quorundam codicum, *plerumque.* Idem. Gov. *A. San' ne es?* Br. *Sanus es:* omisso *Ah.* Both. *Vah, sanun' es?* Bip. *Ah, sanu' ne es?* Perl. *Sanusne es?* τὸ *Ah* priori versui adjungens.—18 *Ah sanusne es? Domum ire pergam, ibi plurimumst. Revocemus Hominem. Sta ilico. Hem.* Sic versus distribuit Fa. alii aliter. Perperam, opinor, omnes. *Ah*, nisi duo ex nostris recentiores, nullus habet. Quod si retines, appone tamen versui præcedenti, *exspecto malum.* *Ah.* Reliqua unum versum faciunt, Trochaicum pentametrum. *Sanun es? Domum ire pergam: ibi plurimumst. Revocemus hominem. Sta ilico. Hem.* Quinque, ut vides, ictus habet; et in hac fabula iterum recurrit. III. 2. 1. 'Dorio, audi obsecro. Non audio. Parumper. Quin omitte me.' *Bent.* Hosce versus sic dividit Both. *Vah, sanun' es? Domum ire pergam: ibi plurimum est. | Revocemus hominem. Sta illico! Hem, satis pro imperio, quisquis es. | Geta! Ipse est, quem volui obviam!* Notatque idem, 'Plane sic ut nos fecimus hi versus dividuntur in cod. A, nostrorum illo, ut videtur, antiquissimo, nisi quod *Ah* desideratur.' Bip. dividit *Ah, sanu' ne es? | Domum ire pergam: ibi plurimum est Revocemus hominem. Sta illico. Hem!* Ita et Delph. Perl. ut Bent. dividendum censet.—19 Wit. omittit τὸ *Satis.* G. legit *quisquis est.* West.—20 Ab EP. abest τὸ *id.* G. *verbo expedi uno.* Idem. *Obsecro, atque* Br. sine interrogatione. R. *expedi uno.* Guelf. 2. *Credo.*—21 GE. *Hem!* Mallem hoc tribuere Phædriæ, dicturo

AN. Quid agam? PHÆ. Quid ais? GE. Hujus patrem vidisse me, patruum tuum.
AN. Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam miser!
Quod si eo meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te ut distrahar,
Nulla 'st mihi vita expetunda. GE. Ergo istæc cum ita sint, Antipho,
Tanto magis te advigilare æquom est: fortis fortuna adjuvat.
AN. Non sum apud me. GE. Atqui opus est nunc cum maxume ut sis, Antipho;
Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur
Commeruisse culpam. PHÆ. Hoc verum est. AN. Non possum immutarier.
GE. Quid faceres, si aliud gravius tibi nunc faciundum foret?

PH. *Quid dicis, Geta?* GE. *Hujus patrem, tuum patruum Demiphonem conspexisse apud portum.* AN. *Nam quam medelam huic inopinatæ perniciei nanciscar infelix ego? Quod si eo miseriarum meæ fortunæ rediguntur, Phanium, abs te ut avellar, vitam amplius ducendam esse non puto.* GE. *Ergo ista cum ita contigerint, tanto magis allaborare te decet. Fortibus fortuna auxiliatur.* AN. *Non sum apud me.* GE. *Atqui oportet nunc præcipue, ut apud te sis, Antipho: nam si pater tuus te metuentem animadverterit, opinabitur te facinus et delictum commisisse.* PH. *Hoc verum est.* AN. *Nequeo naturam transmutare.* GE. *Quid faceres si major alia calamitas tibi incideret, et patienda foret?* AN. *Cum hoc non possum*

Hem! quid ais? sed Antiphone interloquente, non dicit continuo. Guy. Antiphoni tribuit, *Occidi! hem! Quid agam?* West. G. *Faciam.* A. *Eloquere.* G. *Modo apud portum.* A. *Meumne?* G. *Intellexti.* A. *Occidi.* G. *Hem.* Ex his verbis, quæ in duos versus in omnibus libris distincta sunt, unum facimus Trochaicum tetrametrum catalecticum, cujusmodi sunt et ceteri. *Fa.* Recte: sed illud *Hem* non Getæ tribuendum, sed Phædriæ. *Bent.* Tò *Hem* Phædriæ tribuit Both. Ita et Bip. Perl. Delph.—23 *Nunc subitum* Both.—25 *Ista hæc* Guelf. 3. *Sunt* 2.—26 Al. *Fortes.* *Oportet* pro *æquom est* Guelf. 3.—28 Al. *Nam si te senserit.*—30 Versus hic hexameter est, si demas ultimam vocem. Mss. G. et Wit. *Quid faceres, si aliud quid gravius.* Ms. Lips. *gravius quid.* West. *Quid faceres, si aliud quid gravius tibi nunc.* Ex *quid gravius*, τὸ *quid* delemus ex auctoritate omnium fere librorum, et Donati: et stat versus producendo posteriorem in *tibi.* Fa. *Quid faceres, si aliud gravius tibi nunc faciundum foret?* Sic Faërnus; sed sentis, opinor, accentus invenuste collocari. Ceterum videat de suis ille. Nostri universi *quid* habent, versu quoque jubente: *Quid faceres, si aliud quid gravius.* 'Faceres' acuitur, ob interrogationem; 'aliud' ob sequens Encliticum. *Bent.* *Quid gravius* Br. Both. In

AN. Cum hoc non possum, illud minus possem. GE. Hoc nihil est, Phædria: ilicet.
Quid hic conterimus operam frustra? quin abeo? PHÆ. Et quidem ego. AN. Obsecro:
Quid si assimulo? satin' est? GE. Garris. AN. Voltum contemplamini: hem!
Satin' sic est? GE. Non. AN. Quid si sic? GE. Propemodum. AN. Quid si sic? GE. Sat est.

facere, aliud quid difficilius multo minus facere possum. GE. *Hic Antipho, o Phædria, pusilli est animi, et ad omnia inutilis: extemplo discedamus: quid hic frustra operam consumimus? ego vero discedo.* PH. *Et ego quoque.* AN. *Manete, vos oro. An sic apte simulo me confidentem esse?* GE. *Nugaris.* AN. *Spectate faciem meam. Hem, satisne sic est?* GE. *Minime.* AN. *Quid si sic me gero?* GE. *Prope recte.* AN. *Quid si sic?* GE. *Satis nunc est. Hunc gestum observa,*

Delph. legitur *Quid si aliquid gravius tibi n. f. f.*—31 GE. *Hoc nihil est, Phædria.* Lego et distinguo: GE. *Hoc nihil est.* PH. *Ilicet. quid hic conterimus operam frustra?* GE. *Quin abeo.* PH. *Et quidem ego.* Intelligitur autem *Hoc* apud se esse; non timidum esse. Neque enim placet Interpretum et Donati expositio de ipso Antiphone. Guy. in ἀνεκδότοις, ubi versum hunc spurium vocasset, legit tamen, *Hoc? nihil est.* q. d. Hoc non potes, quod nihil est? Dixit autem 'nihil' pro levi re et nullius momenti. Sic And. II. 6. 18. *West.* *Illuc* pro *illud* Both. Absunt *Phædria ilicet* a Guelf. 3.—32 Ms. Lips. et G. cum EP. Junt. Ald. St. aliis, *Quid conterimus operam frustra?* West. Ms. Lips. G. Wit. et EP. Junt. Ald. St. aliæ, *quin abeam.* Idem. *Quid conterimus operam frustra! quin abeam?* Bem. et Vi. *Quid hic conterimus operam frustra? quin abeo?* placet autem *quin abeo*, pro cur non abeo; ita enim 'quin' exponitur a Donato: sane in Vi. et Bas. *abeo* in *abeam* mutatum est. *Fa.* *Hic* nostri omnes, *abeo* veterrimus solus. *Bent.* *Quin conterimus ... quin abeam?* Br. Tò *hic* abest Z. GM. *abeam.* Abest *Obsecro* a Guelf. 3. 'In Guelf. 1. hic vs. ab alia manu ascriptus anteit priorem.' *Perl.*—33 Bodl. Ms. Lips. M. Wit. cum EP. Junt. Ald. St. aliis *adsimulabo.* *Hem* abest a G. *West.* *Quid si adsimulabo.* Trochaicus exigit, *adsimulo;* quod et in Bem. est. *Fa.* Nostri perperam *adsimulabo.* Bent. *Adsimulabo* Br. a quo abest quoque *hem.* Bothius legit, *Quid, si sic adsimulo? satin' est? Garris. Contemplamini, hem!* Abest *hem* Guelf. 1.—34 ANT. *Quid si sic?* GE. *Sat est.* Ita plerique omnes libri veteres. Dac. tamen, Schalbruchius et Hoogstratanus, *Quid sic?* studione, an typographorum errore, incertum. Nisi forte Bembini Codicis auctoritate, quam laudat Faërnus. Pergit vero vultum mutare et ad tranquillitatem et confidentiam componere Antipho. *West.* Ut Trochaicus stare possit, legendum est ex libro Bembino, et Basilicano, pro *Satin, Satisne:* pro quo Victorianus habet *Satine;* et ubi posteriore loco dicitur, *Quid si sic*, lege *Quid sic*, deleto *si* ex fide libri Bembini. *Fa.* Nostri omnes posteriore loco *Quid si sic.* Omnino decor et venustas postulat, ut *sic* ubique acuatur. Lege igitur, *Satin est sic? Non. Quid si sic? Propemodum. Quid si sic? Sat est.* Bent. *Satine sic est?* Br. Bothius legit *Satine sic est? Non. Quid sic? est? Propemodum. Quid*

NOTÆ

33 *Quid si assimulo*] Hic Antipho actione conatur simulare se non esse timidum, sed præsenti animo.

Hem! istuc serva; et verbum verbo, par pari ut respondeas,
Ne te iratus suis sævidicis dictis protelet. An. Scio.
Ge. Vi coactum te esse invitum, lege, judicio: tenes?
Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea? An. Ipsus est:
Non possum adesse. Ge. Ah! quid agis? quo abis, Antipho? mane,
Mane, inquam. An. Egomet me novi, et peccatum meum:
Vobis commendo Phanium, et vitam meam.
Phæ. Geta, quid nunc fiet? Ge. Tu jam lites audies:
Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.
Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id nosmet ipsos facere oportet, Phædria.
Phæ. Aufer mihi; oportet: quin tu, quod faciam, impera.

et vehementiam patris in sermone, pari vehementia imitare, et similia verba similibus subjice, ne te ira incitatus atrocibus et asperis suis dictis perturbet. An. *Intelligo.* Ge. *Responde te vi compulsum a lege, judicibus, et præter voluntatem uxorem duxisse. An intelligis? Verum, quis hic senex est, quem conspicio in extrema plateæ parte?* An. *Pater ipse est, non possum hic præsens manere.* Ge. *Ah! quid agis? quo abis, Antipho? mane, mane, inquam.* An. *Egomet me novi, et culpam meam; quæ duo me timidum faciunt. Vobis commendo Phanium, et vitam meam.* Ph. *Geta, quid nunc nobis fiet?* Ge. *Tu jam verbis acerbis objurgaberis, ego pendens virgis verberabor, nisi me valde fallit opinio: sed quæ modo hic nos Antiphoni præcepimus, ea nosmetipsos exequi oportet.* Ph. *Mitte hoc verbum, oportet; potius mone quod mihi faciendum esse censes: nam sponte et libenter ea*

sic? Sat est! Satin' est sic? Perl. *Satine sic est? ... Propemodum. Quid sic?* Bip.—35 Mallet Guy. *ut verbum verbo, par pari ut respondeas.* Edd. probatissimæ quasi unum membrum exhibent, omisso κόμματος signo, contra Donati sententiam, quam secutus sum. *West.* Sine commate legit Br.—36 Mire variant libri, *sævidicis dictis, sævis dictis, sævidictis, senidicis dictis* exhibentes. *West.* *Ne te iratus suis sævis dictis.* In omnibus antiquis libris, et aliquot recentibus, item apud Do. legitur, *suis sævidicis dictis:* ut et ratio versus exposcit. *Fa.* Nostri quoque *sævidicis.* Bent. *Sævis dictis.* ex Do. et Mss. legendum est *sævidictis.* R. D. *Sævidicis protelet* Perl. *Sævidicis dictis* GM. *Ne suis te iratus sævidictis p.* Delph. 'Alias *sævidicis verbis p.* et *sævidicis* postulat carmen.' *Er.*—37 Guelf. 2. non habet *esse invitum.* In 3. *tenesne.*—39 M. *quid? quid? abis, Antipho?* Wit. *Ah, quid ais? quo abis, Antipho?* Prius *mane* abest a G. *West.* *Quo abis Antipho? mane*] Τὸ *mane* in fine hujus versus delemus ex auctoritate libri Bembini et Vaticani: ipsumque versum sustentamus, ut in *quo abis* non fiat synalœpha. *Fa.* A duobus nostris primariis abest *mane.* Bent. *Mane* abest Both. *Quid ais* Br.—42 Ms. Lips. *Tu nunc jam lites audies.* West.—44 Bodl. Br. *quo modo.* Ita et GM. perperam, censente Perl.—46 Bem. et Vi. *quid faciam.* Fa. Quatuor nostri *quid.* Bent. Ita et Both. Bip. Perl. Post *Aufer* distinguit Br. *Aufer, mihi o.* Guelf. 3. *tuum*

Ge. Meministin' olim ut fuerit vostra oratio,
In re incipiunda ad defendendam noxiam;
Justam illam causam, facilem, vincibilem, optumam?
Phæ. Memini. Ge. Hem! nunc ipsa 'st opus ea: aut, si quid potest,
Meliore et callidiore. Phæ. Fiet sedulo.
Ge. Nunc prior adito tu: ego in subsidiis hic ero
Succenturiatus, si quid deficies. Phæ. Age.

faciam. Ge. *An tenes memoria sermonem quem olim habuistis, cum hanc rem aggressi sumus? nempe defensionem illam, quam invenimus ad culpam excusandam, esse facilem, justum, ad vincendum idoneam, et speciosam.* Ph. *Memoria teneo.* Ge. *Hem, nunc ea utendum nobis est, aut si fieri potest alia solertiore et astutiore.* Ph. *Diligenter id studendum.* Ge. *Nunc tu prior patruum Demiphonem aggredere, ego in insidiis hic subsidebo suppetias laturus, si vires deficient.* Ph. *Eja, age.*

oport.—47 *Uti fuerit vestra oratio.* O. l. s. et Do. *ut fuerit.* Fa. Nostri omnes, *ut fuerit:* et quatuor *nostra.* Bent.—48 EP. *In recipiunda.* Ita et Br.—49 J. et Venetus cod. *invincibilem.* Perl. Guelf. 2. *et* ante *optumam.*—50 *Ea.* varie collocatur. A nonnullis Mss. abest. Wit. *si quid potes.* West. *Nunc ipsa'st opus.* Post τὸ *opus,* Bem. habet dictionem *ea,* ut sit, 'ipsa ea:' ita etiam melius senarius procedit. *Fa.* A nostris abest *ea.* Bent. Abest et Br. GM. Guelf. 2. *Potes* vet. cod. ap. Lind. Br.—52 Do. *insidiis:* quod est in plusculis Mss. et Prisciano, Libro de Ponderibus et Mensuris. *West.* *Insidiis* Br. Bip. Z. et Delph. GM. *hic adero.*—53 Melius videtur *deficias* quod in Bem. est. *Fa.* Codex etiam noster 900. annorum, et Priscianus de Ponderibus p. 1354. *deficias.* Bent. Et ita Both. Bip. Perl.

ACTUS II. SCENA I.

DEMIPHO. GETA. PHÆDRIA.

De. Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?
Nec meum imperium, (age, mitto imperium,) non simultatem meam

De. *Itane Antipho tandem nuptias contraxit, me non jubente? nec potestatem patriam, (sed taceo hanc potestatem,) nec saltem indignationem meam subire dubitavit?*

1 Hic Actus I. Scenam 5. faciunt Aldus, Mur. Heinsius et Dacieria; quia Scena non manet vacua, scilicet. *West.* Sic et ed. Delph. Hanc Scenam facit Bip. tertiam Actus II.—2 *Age mitto*] *Ac mitto* habet Bem. et habuit Vi. Ita etiam videtur legisse Cicero ad Att. XII. Donatus h. l. dicit, 'Legitur et *jeci*:' quod aliqui impresserunt 'Legitur et *taceo*:' nos putamus legendum

Revereri saltem? non pudere? o facinus audax! o Geta
Monitor! GE. Vix tandem. DE. Quid mihi dicent? aut quam causam reperient?
Demiror. GE. Atqui reperi jam: aliud cura. DE. Anne hoc dicent mihi,
Invitus feci: lex coëgit? audio, et fateor. GE. Places.
DE. Verum scientem, tacitum, causam tradere advorsariis;
Etiamne id lex coëgit? PHÆ. Illud durum. GE. Ego expediam: sine.

pudore non affici? o inceptum, et factum temerarium! o Geta præceptor, et auctor! GE. *Pæne mei oblitus est, sed tandem meminit. Quid mihi dicent? aut quam excusationem prætexere poterunt, si se purgare conati fuerint? dubito valde, quid acturi sint.* GE. *Atqui jam inveni; ne sis de his solicitus.* DE. *Anne hoc mihi responsuri sunt: non ultro, sed nolens feci, lex ad id me adegit? intelligo, et assentior.* GE. *Gratum est mihi, quod dicis.* DE. *Verum volentem, nec contradicentem, causæ victoriam concedere adversariis; idne quoque lex facere coëgit?* PH. *Illud difficile, et molestum.* GE. *Ego explicabo, et planum reddam, quiesce.* DE.

esse, 'Legitur et *ac*.' Faërnus. Locus Ciceronis non est in XII. sed in II. 19. ubi tacito Poëtæ nomine hæc citat: *Nec meum imperium, ac mitto imperium, non simultatem meam Revereri saltem?* Nostri omnes *age* habent. *Bent. Nec imp. m. extimuit* Guelf. 3. *Perl. Imperium*] Edit. et Bent. non interrogant. *Bruns.* Unde colligas Br. interrogare: id quod tamen non imprimendum curavit Bruns. *Ac* pro *age* Bent. Delph. Perl. et Both. qui dat *Neque* pro *Nec*.—3 Pro *Revereri* Nonius Marcellus *Vereri* legit: quomodo et Donatum in Andria legere observant Rivius cum G. F. et F. F. Locus is est And. III. 2. 16. ubi tamen *Revereri* in meis Codicibus legitur: unde et ita ibi exhibui. *West.* Pungit Br. post 'Revereri,' non post 'saltem,' et omittit *o* ante 'Geta,' ni male Bruns exscripsit. *O* ante 'facinus' omittit Delph. *Saltim* dat Bip.—4 Puto ab Auctore fuisse *aut quid causæ*. Bent. Non interrogat Bothius.—5 *Dicet* est in paucis libris. *West. Anne hoc dicent mihi?*] Τὸ *ne* non est in Bembino, quod nec orationi quicquam, nec versui prodest: et, pro *dicent*, habet is liber *dicet:* et subaudiendum, Antipho, a plurali ad singularem numerum sermone translato, ut et sequentia ostendunt, 'Invitus feci:' et 'Verum scientem, tacitum.' *Fa.* Nostri, *Anne* et *dicent*. Bent. *Dicent* GM. et Br. Non recte. *Perl. Aliquid*] Vulg. *aliud:* ex interp. Sequor Hel. *Both. An* et *dicet* Bent. Z. Bip. Both. Perl. *An* et Delph.—6 *Places.* Hæc vox in Mss. quibusdam et editis post EP. etiam Demiphoni tribuitur. In aliis est, *Placet*. West. Idem liber hoc asyndeton habet, *audio, fateor*. Fa. Nostri, *audio et fateor. Placet*. Bent. Edidit Bent. *audio, fateor:* atque cum Fa. exhibuit *feci;* quod utique opus est, si pro illo *dicent* legeris *dicet*. Sin autem *dicent* vera lect. habetur, necessario legendum est hic *fecit*. Zeun. *Et* post 'audio' Guelf. 1. 2. *Placet* GM. *Perl. Placet*] Alii, nescimus quam bene, *Places*. Getam cum Phædria loqui credimus. *Bip. Fecit* Z. Delph. *Placet* Br. Bip. Delph. *Et* delent Bent. Bip. Both. Perl.—7 *Et tacitum* Guelf. 2.—8 Codd. quidam: *Etiamne et id lex cogit?* Et quidam codd. GE. *Illud durum.* PH. *Ego expediam.* West. Donatus: 'Illud durum,' dicit, qui supra dixit, 'Atqui reperi jam.'' Apparet ergo Donatum, contra ac hodie faciunt, 'Illud durum' Getæ tribuisse, posterius Phædriæ. Recte; atque ita plane personas dividit CCC. Et sane Phæ-

DE. Incertum est quid agam, quia præter spem, atque incredibile hoc mihi obtigit:
Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere:
Quamobrem omnes, cum secundæ res sunt maxume, tum maxume
Meditari secum oportet, quo pacto advorsam ærumnam ferant;
Pericla, damna, exilia: peregre rediens semper cogitet,

Dubium est mihi, quid facere debeam: quia contra expectationem et opinionem meam hoc mihi accidit. Ita ira turbatus sum, ut nequeam mentem ad deliberandum appellere: quapropter cum prospera fortuna nobiscum versatur maxime, tum maxime unumquemque nostrum considerare oportet, quomodo adversitates et miserias ingruentes toleret. Cum ex peregrinatione redit, pericula, damna, exilia semper in

dria egregie hoc expedit, infra vs. 51. Voluit Auctor adolescentem non stultum sustinere primam aciem, Getam in subsidiis tantum esse. Ceterum, *Etiamne id lex coëgit*, quod Codices habent, minime sermoni congruit: *id* enim, cujus præcipua hic vis est, acui debeat. Codex Regius, *Etiamne idne*. Repone, *Etiam idne lex coëgit*. Bent. Ex o. libb. Geta dicit 'Ego expediam,' commode. Nam servi maxime rem expedire in se suscipiunt, quæ impedita erat. Igitur male Bent. hæc tribuit Phædriæ. *Perl. Etiam idne* Both. *Etiamne id facere lex* Delph.—9 *Obtigit*] Præstat hæc lectio, præ quorundam librorum, *contigit*, et aliorum, *accidit*. West.—11 Quod Zinzerling. legit, *cum maxime Meditari*, erudite refellit Dukerus ad Flor. II. 16. 3. *West.* Zinzerling. in Promuls. Crit. Juven. legere tentat *cum maxime:* frustra. *R. D.* Abest *maxume* prius a Guelf. 2. *Perl.*—13 Mss. Lips. Græv. et Bodl. *exilia, damna*. EP. *exilium*. Alii, *exitia*. West. Apud Ciceronem in Tuscul. III. 14. sic fertur, tam in libris editis quam scriptis, *Pericla, damna peregre rediens semper secum cogitet*. Ubi *exilia* deest, et ejus vicem additur *secum*. Quæritur, utrum verum et Terentii sit. Dico illud *exilia* spurium et ineptum esse. Primo incertam sedem habet; in magna codicum parte est *exilia, damna*. A CCC. autem prorsus abest. Quis porro *exilia* dixisset numero plurali? Quot exilia in una et modica familia? Aut quomodo sibi exilia cogitet, qui ipse tum peregre est? Hæccine ut in se admiserit Terentius? Quare certam esse apud Ciceronem scripturam, ut et mox aliam, audacter pronunties. Unde ergo natum est illud *exilia*, aut quo casu malum huc pedem intulit? Dicam quod mihi in mentem venit, tu existima. Super illa verba *peregre rediens* ascripserat olim quis inter lineas 'ex Cilicia:' quippe I. 2. 16. Demiphoni iter erat in Ciliciam. Postea inde factum est *exilia*. Bent. Respuit Bent. *exilia*, quippe quod desit ap. Cic. Tusc. Q. hæc citantem. Sed non notat ille, in qua Edit. Ciceronis vocem illam non viderit. Nam in Manh. et Bip. certe adest. Alias non inspexi. Redeo tamen ad Terent. codd. et edd. quæ, quot certe in promtu mihi sunt, præter Bip. *exilia* exhibent. Præterea huic dictioni e verbis 'peregre red.' omnis fides accedere videtur. *Perl. Pericla, d. per. red. semp. secum cog.*] Sic manifesto legend. cum Cic. Illud *exilia* male ex Eurip. versibus, ab eodem Cic. l. c. conversis, h. l. irrepsit. *Bip.* Cicero omittit *exilia*, quod verum esse, nec inducendum Tullii *semper secum cogitet*, Thesei Euripideæ fragmentum docet, quod exprimunt Terentiana. *Cogites* Gu. 1. *Both. Cogites* et Br.

Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ;
Communia esse hæc; fieri posse; ut ne quid animo sit novum.
Quicquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.
Ge. O Phædria, incredibile est, quantum herum anteeo sapientia.
Meditata mihi sunt omnia mea incommoda: herus si redierit,

mente habeat, aut filii facinus aliquod indignum, aut uxoris mortuam esse, aut filiam in morbum incidisse: hæc communia esse omnibus, posse accidere; ut ne quid horum tanquam novum ac insolitum eum occupet: quicquid præter expectationem eveniet, id apponat lucro. Ge. *O Phædria, credi non potest, quanto herum antecedo prudentia: omnia mea mala animo prævisa sunt, cum herus reversus domum fuerit,*

—14 In eodem libro, ita etiam versus ratione exigente, qui est octonarius Iambicus, legitur *fili* per unum *i* in fine. *Fa.* 'Fili,' 'gaudi,' 'ingeni' et similia, et Terentii ætate, et diu postea semper dicebantur. *Bent.* Qui ita dat cum Both. Perl. Dat Delph. sic: *filî.*—15 *Et fieri posse* Bodl. *West.* Hic versus ita a M. Tullio, libro tertio Tusculanarum Quæstionum, citatur, ut quidem legitur in libris scriptis, *Communia esse hæc; nequid horum unquam accidat animo novum;* quod quamvis nobis placeat, nos tamen lectionem vulgatam Terentii non mutamus: quia fieri potuit, ut et Cicero memoria labe-retur, et in citando Terentio sensum ejus reddiderit, melius etiam atque elegantius quam ipse Terentius. *Fa. Communia esse hæc, fieri posse, ut nequid animo sit novom*] Sic Faërnus et sic libri. Sed vide modo sententiam. *Communia esse hæc.* Si *communia* sunt, quis dubitet *posse fieri?* nempe *communiter fieri solent, et fieri possunt.* An Noster, mentis siquis unquam, bene sanæ, post illud hoc intulisset? cave credas, vel etiam suspiceris. Iterum præsto est nobis Cicero, qui veram lectionem servavit: *Communia esse hæc: nequid horum unquam accidat animo novom.* Hanc, inquam, veram esse vel Apodosis, sive redditio Getæ ostendit, vs. 20. 'Opus ruri faciundum: horum nil quicquam accidet animo novom.' Sed sagax sibi visus est Faërnus, cum Ciceronem aiat melius forte et elegantius hæc dedisse, quam ipsum Terentium. Immo de elegantia ne Ciceroni quidem ipsi concedit Noster. Verum hoc nunc non agitur, utrum Terentius minus eleganter, sed an insipienter, inepte, ac stolide locutus sit. *Bent.* Reddimus post Bent. hunc vs. cum Cic. verius et pulchrius, quam in libris Terentii legitur et vulgo editur. Abundat sane *fieri posse:* quod e glossa additum videtur: tum melius respondent in lectione Cic. verba Getæ vs. 20. *Bip. Hæc*] Al. *et.* Perl.—16 *Deputa* G. *West. Evenit*] Vulg. *eveniat*, minus recte. *Both.*—17 *Quanto* Mss. Lips. et M. cum EP. *West. Quanto*] O. l. s. præter V. et Bas. habent *quantum:* ut sit, *quantum anteeo.* Sane *anteeo* pro *anteeam*, Donatus exponit. *Fa.* Codices nostri *anteeo.* Sed Donatus: '*Anteeam.* Legitur et *anteeo:* sed pronuntiativum *anteeo*, pro conjunctivo *anteeam.*' Sane si legas *incredebile est*, consequens erit ut *anteeam* legas. Sed repone, *O Phædria, incredibile quantum herum anteeo sapientia. Incredibile quantum* absolute, ut 'Mirum quantum,' 'Nimium quantum,' 'Immane quantum.' *Bent.* Recte emendat Bent. *Bip. Est* omittunt Br. Both. *Quanto* dant Br. Delph.—18 Bent. dat *incommoda, herus si redierit: Mol. &c.* Bip. *incommoda: heru' si redierit; Mol. &c.* Perl. *incommoda, herus si redierit, Mol. &c.* Br. *incommoda. Herus si redierit Mol.*

Molendum usque in pistrino; vapulandum; habendæ compedes;
Opus ruri faciundum: horum nihil quicquam accidet animo novum.
Quicquid præter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro.
Sed quid cessas hominem adire, et blande in principio alloqui?
De. Phædriam mei fratris video filium mihi ire obviam.
Phæ. Mi patrue, salve. De. Salve: sed ubi est Antipho?
Phæ. Salvom advenire. De. Credo: hoc responde mihi.

versandæ assidue molæ in pistrino, virgæ aut fustes ad vapulandum subeundi, compedibus crura constringenda, ruris operi enixe incumbendum. Nihil quicquam horum animo improvisum continget mihi: quicquid præter expectationem eveniet, id apponam lucro. Verum, Phædria, quid cunctaris ad Demiphonem accedere, et blandis verbis in primo congressu eum compellare. De. *Video Phædriam fratris mei Chremetis filium mihi occurrentem.* Ph. *Mi patrue, salve.* De. *Salvus sis, Phædria: sed ubi est Antipho?* Ph. *Salvum te advenire gaudeo.* De. *Credo: hoc re-*

&c.—19 M. *Mol. esse in.* Ms. Lips. *Mol. mihi esse in p. p.* G. et EP. *Mol. mihi est usque in p.* Bodl. *Mol. mihi esse usque in p.* Alii aliter. Donatus et *esse* et *usque* legit, sed diversis Codicibus. Tr. *habend3:* quod valet *habendum.* Sic in eodem Codice, *molend3* et *faciund3.* Citat Lactantius, de Divino Præmio, cap. 27. 'Reponenda sunt nobis non tantum Terentiana illa, *Mol. esse usque in pistrinum, vapulandum, habendæ compedes;* sed &c.' *West.* Bem. ac Vi. et Do. pro *usque*, habent *esse.* Alii libri utramque dictionem continent, contra rationem versus. *Fa. Molendum esse in pistrino, vapulandum, habendæ compedes*] Sic Fa. Sed Donatus: 'Vitiosam locutionem servili personæ dedit Terentius: nam integra esset, si diceret, habendas compedes: unde quidam non *esse*, sed *usque* legunt.' Recte quidem hoc, si *Molendum esse* legeris, vitiose inferri *habendæ.* Sed demiror eum toties auctori id vitio vertere, quod peccaverant Librarii: *habendæ* etiam apud Pr. est p. 651. Nostri omnes *habendæ*, et plerique *Molendum mihi esse usque.* Repone, *Molendumst in pistrino, vapulandum, habendum compedes, Opus ruri faciundum.* Omnia hic Gerundia sunt; non, ut Donatus, 'Supra Gerundia, infra participia.' Interpolarunt locum Magistri. *Bent.* GM. *habendæ* exhibet: et sup. script. *sunt.* Itid. hab. Guelf. 3. in contextu. *Perl.* Ap. Lactant. male præter metrum jungitur *Mol. esse usque in p.* Sic enim versus excrescit. *Bip. Habendum* Hel. ut legi jussit Bent. *Both.* Qui sic dat cum Perl. *Esse* pro *usque* dat Both.—22 *Sed tu quid*] Inserimus *tu*, absque quo octonarius non procedit. Scribebant *Set*, unde facile fuit absorberi *tu.* Bip. *Hominem cessas* Delph.—23 Incipiunt senarii. Primum plerique turbant, qui legunt *Phædriam mei fr.* Sane ipsum nomen redundat. *Bip.* Vett. edd. in his Antesignani, nescio qua auctoritate, omittunt τὸ *Phædriam.* Versus tunc foret iambicus senarius. *Both.* Omittit id Delph. et *ire mihi* legit.—25 Leidd. tres, Lips. Tr. Bodl. cum EP. *Salvom te advenire.* Quartus cum M. *Salvom advenire te.* Quintus, *Ad simbolum venire:* plerique alii, ut edidi. *West.* Emphasis est in τῷ *Hoc:* q. d. Quod quærebam de Antiphone, id scire expeto, ne tu me adventum gratulando obtundas. Quanto magis iniquus in

PHÆ. Valet: hic est: sed satin' omnia ex sententia?
DE. Vellem quidem. PHÆ. Quid istuc? DE. Rogitas, Phædria?
Bonas, me absente, hic confecistis nuptias!
PHÆ. Eho, an id succenses nunc illi? GE. O artificem probum!
DE. Egone illi non succenseam? ipsum gestio
Dari mihi in conspectum, nunc sua culpa ut sciat
Lenem patrem illum factum me esse acerrimum.
PHÆ. Atqui nihil fecit, patrue, quod succenseas.
DE. Ecce autem similia omnia; omnes congruunt;

sponde mihi quod quæro. PH. *Bene valet: hic est. Sed satisne omnia, ut vis, tibi evenerunt?* DE. *Vellem certe.* PH. *Quid mali contigit?* DE. *Quærisne, Phædria? egregias vero hic nuptias celebravistis.* PH. *Eho, an ea de causa nunc iratus es illi?* GE. *O solertem artificem!* DE. *Egone illi non sim iratus? ipsum vehementer cupio sisti coram me, ut cognoscat me ipsi, ex illo antea clemente et miti patre, mutatum esse nunc suo merito in asperrimum.* PH. *Veruntamen nihil fecit, quod ad iram te provocare debeat.* DE. *Ecce quam similes omnes unanimiter con-*

hunc locum est Guyetus, delens τὸ *Hoc.* Neque audiendus Donatus, *Hoc* incerta distinctione pronuntiari dicens; quasi non referat, legasne, *Credo hoc: responde mihi;* an, *Credo: hoc responde mihi.* G. *Responde hoc mihi.* Id. Bem. *Salvom venire.* Fa. Nostri omnes *advenire;* sed, pro *hoc responde mihi*, nostri plerique *responde hoc mihi.* Recte, ut *hoc* acuatur. Donatus: '*Salve: sed ubi est Antipho?* Bene expressit promtum animum ad litigandum, *raptim* addita salute, et *protinus* ad jurgium prævertendo.' Ubi tamen vulgo habetur *partim* et *potius.* O bonum scriptorem a malis Librariis fœdissime passim acceptum! *Bent.* GM. *Salv. te adv. gaudeo.* Sed id. *gaudeo* in Br. pro glossa extat. *Te evenire* Guelf. 2. *Perl.* *Salv. te advenire* et *responde hoc* Br. *Venire* Bip. Both.—27 Bona librorum pars *Q. i. est?* West. *Quid istuc*] Adde verbum *est* ex o. l. s. et Donato; et in dimetiendo versu *d* elide. *Fa.* Nostri *est* addunt. *Bent.* *Q. i. est* R. et vett. codd. *Lind.* *Est* addit Bent. *Equidem* dat pro *quidem* Perl.—28 *Bonas, me absente hinc, confecistis n.*] Vulg. *hic*, minus ex usu Nostri. *Both.*—29 *An tu id* quidam codd. *West.* Pronomen *tu* nec habet Bem. nec Donatus; nec exigit versus. *Fa.* Deest *tu* in uno ex Regiis. *Bent.* *Tu* non satis blandum h. l. sit. *Bip.* *Eho an tu id succenses illi* Br. O omittit Delph.—30 In aliis libris est, *illi succenseam?* West. *Egone illi*] In eodem libro et Bas. est, *Egon;* quod parvi refert. *Fa.* Nostri *Egone.* Bent. *Egon* Br. Bent. et *suscenseam;* quo modo scribunt versu 29. et infra.—31 *Me*] Abest hæc vox a quibusdam Mss. et editis post EP. *West.* Verbum *dari* ex Bem. et aliquibus aliis libb. non huic versui, [sc. vs. 31.] sed subsequenti applicamus. *Fa.* Concinnius legas *nunc sua ut culpa sciat.* Bent. *Dari in consp.*] Vulgo h. l. inseritur *mihi:* quo metrum interficitur. Et quis glossam desideret? *Bip.* Id delet et Both.—32 Abest *me* a Guelf. 3. *Perl.* *Illi*] Vulg. *illum, κακοφώνως.* *Both.* *Me* omittit et Br.—33 *Quid ille fecit, patrue*] Vulg. *Atqui nil fecit:* sed *nil*, si genuinum esset, totius sententiæ gravissima vox ut in thesi lateret, et leviculum *Atqui* ut præcipuo gauderet accentu? *Both.*—34 *Omnia*, non *omnes*, Guelf. 3. *Perl.* *Ec. omnia autem similia*

Unum cognoris, omnes noris. PHÆ. Haud ita 'st.
DE. Hic in noxa est: ille ad defendendam causam adest.
Quom ille est, hic præsto est: tradunt operas mutuas.
GE. Probe horum facta imprudens depinxit senex.
DE. Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares, Phædria.

sentiunt: si unum cognoveris, omnes noveris. PH. *Non ita res se habet.* DE. *Hic noxius est, ille ad defendendam noxam paratus adest: operas invicem sibi commodato dant.* GE. *Expresse horum facta insciens descripsit senex.* DE. *Nam si hæc non ita se haberent, non stares a partibus Antiphonis, Phædria.*

Both.—35 Mallet Guyetus, *Hoc ita 'st*, tribuens Getæ, non Phædriæ. Tum duos, qui sequuntur, versus delet, ita sermonem ordinans: *Unum cognoris, omnes noris.* GE. *Hoc ita 'st. Probe horum facta imprudens depinxit senex.* DE. *Nam ni hæc ita essent.* Sunt autem versus elegantioris Latinitatis, et magis appositi, quam ut a Librariis credantur assuti. Tum laudat eos Asconius Pedianus ad Cic. Verr. II. 12. *West.* Varie, inquit Donatus, *Cognoris, noris.* At codices ex nostris aliquot, *Unum cum noris, omnes noris.* Et quanto gratior est hæc simplicitas, quam ista varietas? *Bent.* *Unum cognoris*] Ellipsis τοῦ 'si' usitata Nostro et aliis optimis auctt. Facessat igitur illud glossæ instar, quo Bent. textum contaminat, *Unum cum noris.* Bip. *Unum cum noris.* Bent. *Unum cum cognoris* C. Sed vix reprehendenda est vulg. *Both.*—36. 37 *Noxia* EP. et *Cum ille deest.* Bodl. *Cum ille abest.* West. *Hic in noxia est, ille ad defendendum causam adest*] O. fere l. s. præter Bem. et Bas. et V. *noxa* habent: quod et adjuvat versum. *Fa.* *Hic in noxast, ille ad defendendam causam adest. Cum ille est, hic præsto est: tradunt operas mutuas.* Sic Faërnus: sed, ut ejus tres præstantissimi, ita nostri quinque veterrimi *noxia* habent, non *noxa.* Latet aliquid altius mendum. Repone, *Cum in noxia hic est; ille ad defendendum adest. Cum ille est: præsto hic est: tradunt operas mutuas.* *Ad defendendum*, subintellige noxiam; ut supra I. 4. 47. 'Ut fuerit vostra oratio In re incipiunda ad defendendam noxiam.' Sane, cum dixerit *noxiam;* supervacue inferret *causam;* addo et inscite, cum *causa* etiam bona esse possit. *Præsto hic est;* sic unus e Regiis; et eo pacto *hic* recte acuitur. Apud Asconium p. 119. hodie editum est *noxa*, et *defendendam causam.* Bent. *Cum ille est, hic præsto est*] Nullum invenio librum qui ita habeat, præter V. Bas. et Victorianum. Alii, sed pauci admodum, post *ille*, nullum verbum habent. In ceteris omnibus, inter quos est et Bembinus, legitur *abest:* quod etiam verbum habent o. l. s. Donati, duntaxat tamen ubi verba Terentii recenset: nam in expositione apertissime legit, *Cum ille est:* quod et ego melius existimo. *Fa.* Nostri omnes, *Cum ille est.* Bent. *Noxia*, non *noxa* legendum. *R. D.* *C. i. adest, hic pr. est* Guelf. 3. *Abest* GM. Perl. *Hic est in noxia, ille ad defendendam adest*] Versum ex Asconio in Cic. Verr. Act. II. 12. corrupte sic se habentem, *Hic in noxa est, ille ad defendendam causam adest*, restituimus. *Causam* addidit sciolus. Nos Bentleio lenius corrigimus, retrahendo τὸ *est*, ut non opus sit cum illo contorquere metrum. *Bip.* *In noxia hic est? ille ad defendendum adest; Ille est? hic p. est; tr. op. mutuas*] Vulg. *in noxa:* sed plerique codd. in his B, et vett. edd. *Hic in noxia est*, unde jam Glareanus Helvetius conjecit legend. esse *In noxia est hic, ille ad defendendum adest.* Bentleius *Cum in n. &c.* minus quidem vivide. Vulgatæ ex interp. *Cum ille est*, quibus non erat quod obtemperaret optimus Bent. *Both.* *In noxia* Br. *Præsto hic est* Perl.—38 *Probo eorum*] O. l. s. et Donatus, *horum.* Fa. Duo ex nostris *eorum.* Bent. *Horum* Vet. Cod. *Lind.* *Eorum* Z. Delph. *Proba* Br. nisi sit error typoth.—39 Servius *pro illo* legit, ad Virg. Æn.

PHÆ. Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit,
Ex qua re minus rei foret aut famæ temperans;
Non causam dico, quin, quod meritus sit, ferat.
Sed si quis, forte malitia fretus sua,
Insidias nostræ fecit adolescentiæ,
Ac vicit; nostrane ea culpa est, an judicum,
Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi?
GE. Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui.
DE. An quisquam judex est, qui possit noscere
Tua justa, ubi tute verbum non respondeas,
Ita ut ille fecit? PHÆ. Functus adolescentuli est
Officium liberalis: postquam ad judices
Ventum est, non potuit cogitata proloqui:
Ita eum tum timidum ibi obstupefecit pudor.

PH. *Si verum est, patrue, Antiphonem in se peccasse, ex quo rei familiari damnum aut famæ nominis detrimentum attulerit; non deprecor, quin pœnam qua dignus sit ferat. Sed si forte aliquis calumniator versutia et fraude innixus sua, insidiatus est ætati infirmæ nostræ adolescentiæ, et secundum se judicium obtinuit, utrum culpa nobis tribuenda est, an judicibus, qui sæpe odio et invidia impulsi, jus suum detrahunt locupleti, aut misericordia moti plus æquo attribuunt inopi?* GE. *Nisi statum causæ scirem, vera esse quæ narravit mihi persuaderet.* DE. *Quotusquisque judex est qui scire jus tuum possit, ubi tu ipse ne uno quidem verbo te defendas, ita ut Antipho fecit?* PH. *Officium adolescentis ingenui fecit. Postquam in judicio stetit, quæ præmeditatus fuerat ad defensionem, recitare non potuit: ita eum tum meticulosum verecundia sensu et motu privavit.* GE. *Laude dignus orator est*

VIII. 653. Sed 'stare ab aliquo' Ciceronianum est. *West.* Codices nostri et Donatus *cum illo.* Utrumque recte et more dicitur, sensu eodem. *Bent.*—40 Codd. quidam *Si sit.* G. *ipse admiserit.* West. *Culpam, patrue* Both.—41 *Foret rei* Bodl. *West.* *Obtemp.* Guelf. 1. *Minus aut famæ foret rei temperans* Br. *Minus fuit re vel famæ* Both.—42 *Meritus est*] Bembinus, et omnes fere alii libri, ac Donatus, *sit.* Fa. Unus ex nostris *est.* Bent. Lect. antiq. *est:* male. *Perl.* *Causam non* Both.—45 *Nostran' culpa ea* G. *West.* Plerique l. s. inter quos V. Vi. et Bas. ita habent, et numerosius judicio meo *nostran culpa ea est.* Do. et Bem. in hac parte corrupti sunt. *Fa.* Meliores quique ex nostris, *nostran culpa ea est.* Bent. Sic ipse dedit cum Z. Delph. Bip. Both. Perl. *Ea* omittit Br.—46 *Semper* pro *sæpe* Guelf. 1. *Perl.* *Sæpe aut* dat Both.—48 *Vera crederem* Both.—52 Mss. et impressi quidam *Officio.* West. —53 *Meditata* pro *cogitata* Guelf. 3.—54 Mss. quidam et editi post EP. τὸ *ibi* non agnoscunt. *West.* Ex ratione versus legendum arbitror, ut in contextu est Bembini, *ibi stupefecit:* vel, *ibi obstupefecit*, ut in Victoriano: ita ut, *stupefecit* antepenultimam producat: ut ap. Catullum: 'Alta tepefaciet permixta flumina cæde.' Potest tamen et juxta vulgatam lectionem sustentari versus, non faciendo elisionem in 'timidum.' *Fa.* Ab omnibus nostris, præter unum, male abest *ibi.* Bent. *Ibi* omittunt Br. Z. Absunt *tum tim. ibi* a Guelf. 3.

GE. Laudo hunc: sed cesso adire quamprimum senem?
Here, salve: salvom te advenisse gaudeo. DE. Ho!
Bone custos, salve: columen vero familiæ,
Cui commendavi filium hinc abiens meum.
GE. Jamdudum te omnes nos accusare audio
Immerito, et horum me omnium immeritissimo.
Nam quid me in hac re facere voluisti tibi?
Servom hominem causam orare leges non sinunt;
Neque testimonii dictio est. DE. Mitto omnia.
Addo istuc: imprudens timuit adolescens: sino.
Tu servos: verum, si cognata est maxume,

Phædria: sed nimis tardo quamprimum senem Demiphonem salutare. Here salvus sis: incolumem te ad nos rediisse lætor. DE. *Ho! egregie custos, et rector adolescentum: familiæ vero sustentaculum, cujus fidei proficiscens commendavi filium meum.* GE. *Jamdiu accusationes tuas in nos omnes audio injustas in immeritos, atque in me maxime omnium immeritissimum: nam quid me in hac causa præstare voluisti tibi? servo homini causas agere leges non permittunt, neque testimonium perhibere.* DE. *Prætereo cetera; insuper imprudentia ætatis in sermone hæsit timens adolescentulus Antipho: esto, tu servus testis produci in judicium non potuisti: verum si proxima est cognata, non tamen necesse fuit eam*

Ita tim. ibi tum eum dat Both.—55 Non interrogat Br.—56 *Oh* Br. Bent. Delph. Bip. Both.—58 *Hic* Bent.—60 Quidam Codices, *et me omnium horunc.* Atque ita legisse videtur Donatus, nisi quod corrupta ejus verba leguntur. Bodl. *et me omnium horunc' nunc immeritissimum.* Leidd. omnes, G. Bodl. M. Bœnd. *immeritissimum.* Atque ita ex Ms. Uratislaviensi citat Pulmannus, Bœclerus ex suis omnibus. Est porro in EA. Sed nescio quomodo elegantius post τὸ 'Immerito' infertur *immeritissimo:* unde ex Mss. reliquis, et editionibus Junt. Ald. St. aliisque probæ notæ ita edidi. Ita et Gambarellus legit. *West.* *Et me omnium horum*] In Bem. ita hæc collocantur: *et me horum omnium.* Donatus vero, a quo bis hæc verba exponuntur, in secunda expositione ita ea citat, *horum commerito*, quod nos ita legimus, *horunc o. immerit.* id est, *horunc omnium immeritissimo:* ita optime stat versus. Postea in Bas. invenimus scriptum *horunc.* Fa. Veterrimus quoque noster, *horunc.* Bent. *Immeritissimo* elegantius est τῷ *immeritissimum.* Mur. *horum.* Perl. *Me omnium horum* Z. Delph. *Me horunc omnium* Br. Bent. Both. Perl. *Me omnium horunc'* Bip.—64 Mallet Palmerius: *Adde istucce: pudens timuit adolescens:* ut respiciatur versus 54. sed et Mss. quidam, et editi veteres legunt, *Adde istuc.* *Adde istuc*] Idem liber *Addo istue:* quod magis consequens videtur aliis, quæ in prima persona a Demiphone efferuntur, 'Mitto,' 'sino.' Hoc et Ubaldino Bandinello placebat. *Fa.* Nostri *Adde.* Bent. *Sino hoc* Guelf. 3. *Perl.* Vulg. *Addo istuc:* alii codd., in his nostri, *Adde.* Utrumque fraus et corruptio. *Istæc* contemnentis est. *Both.* qui dat *Mitto omnia Istæc; imprudens, &c.* *Adde* dat Br. *Addo* rejicit Delph. in versum 63.—65 *Tu servos*] Sub. es. Sustuli exclamandi notam, quasi hæc per ἀποσιώπησιν interminatus servo dixisset Demipho. Neque aliter Fabrini. *West.* *Tu s. es* Guelf. 3. Dat Br. *Tu servus, verum. Si, &c.* Et Bruns notat: 'Nostra distinctio bonum sensum fundit, et *verum,* (cujus simile est in Eun. II. 3. 54. 55.) apte respondet τῷ 'sino,' et explicari debet, hoc verum est: quæ plena locutio

Non fuit necesse habere: sed, id quod lex jubet,
Dotem daretis; quæreret alium virum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
GE. Non ratio, verum argentum deerat. DE. Sumeret
Alicunde. GE. Alicunde! nihil est dictu facilius.
DE. Postremo, si nullo alio pacto, fœnore.
GE. Hui! dixti pulchre, siquidem quisquam crederet
Te vivo. DE. Non, non sic futurum 'st: non potest.
Egon' illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
Nihil suave meritum 'st. Hominem commonstrarier

in uxorem accipere: sed id quod lege constitutum est, poteratis dotem ei dare, ut sibi alium virum adjungeret. Propter quam rationem potius egenam omnium rerum ducebat domum? GE. *Non ratio deficiebat, sed argentum.* DE. *Poterat ab aliquo mutuo sumere.* GE. *Ab aliquo? nihil est dictu facilius.* DE. *Tandem, si nullo alio modo sumi potuit, saltem sub fœnore acciperet.* GE. *Hui! scite locutus es, si quidem ullus, te vivo, filio pecuniam mutuam dare vellet.* DE. *Non, non sic res se habebit: istud esse non potest. Egone illam cum illo unum diem nuptam manere sinam? nulla merces adeo suavis mihi esse potest ut id patiar; homi-*

occurrit in Phorm. I. 4. 29.'—66 Duo veteres nostri *necessum.* Bent.—67 *Alium quæreret* Both.—68 *Qua potius ratione inopem* id.—70 Ex Bem. legimus *dicto:* quod perspicue melius est. Hoc enim dicere vult Geta, nihil facilius esse quam dicere: non quod hoc, quod dixit Demipho, sit facillimum omnium ad dicendum. *Fa.* Nostri *dictu:* et recte: *Nihil dictu facilius est,* quam illud 'Alicunde.' Fefellit hic sua Faërnum subtilitas. *Dicto* Delph. Bip.—71 Codd. quidam Mss. et impressi post EP. *vel fœn.* West. Τὸ *vel,* et respuitur a versu, nec est in Bembino, ac ne in Vi. quidem, nisi adjectum: nec a Pr. ponitur, citante hunc locum libro XV. ut quidem in ejus libris scriptis legitur. *Fa.* A veterrimo nostro cum duobus aliis abest *vel.* Apud Pr. p. 1009. scripti duo *vel* habent. *Bent.* *Fœnus* rectius scribitur per simplex *e* quam per *œ.* R. D. *Vel fœnore* Br.—73 A quibusdam Codicibus prius *Non* abest. *West.* *Non potest fieri* Guelf. 3.—74 *Ego* Both. Bip. Non interrogat Bip. in fine versus.—75 Ego scriptum fuisse puto. *Nil suave meritu' est.* Gov. *Nihil suave meritum' st*] Ita Mss. Leidd. omnes, Bodl. Bœnd. G. Lips. Wit. M. et Tr. cum EP. EA. ET. Venetis, Arg. Antverpiensi, Junt. Ald. St. aliis: neque aliter Gambarellus et Fabrini. Et videtur Goveanus, eumque secutus Guyetus, temere mutare in *Nihil suave meritu' 'st,* h. e. *Meritus est,* sub. Antipho. Nimium quantum a vulg. lect. abit conjectura Joh. Clerici, Art. Crit. III. 1. 4. 7. legentis: *Nihil suave, ni citum est.* West. *Nihil suave meritum est*] Donatus: 'Nihil mihi mercedis suave est, ut ego illam cum illo nuptam feram: *suave meritum* enim suavem mercedem significat.' Quid faceret? Illigatus mendosæ lectioni, pejus nihilo dixit, ne nihil diceret. Est tamen, qui hoc a Donato 'paucis verbis optime explicatum' putet. Felicem sane cerebri! Sed quousque tandem ab hac lectionis larva ludificari nos sinemus? Repone, *Nil suave meritast.* *Merita est,* illa scilicet, illa dolo et malitia imposita filio, ut genere proxima. Minus bene Gov. et Guyetus, *Nil suave meritu'st,* Antipho scilicet. Quippe jam excusatus erat Antipho: nec enim ex compacto, sed bona fide in nuptias tractum invitum credebat senex. *Bent.* *Nil suave meritum est*] I. e. nulla est tam magna merces, nullum tantum pretium, quod

Mihi istum volo, aut, ubi habitet, demonstrarier.
GE. Nempe Phormionem? DE. Istum patronum mulieris.
GE. Jam faxo hic aderit. DE. Antipho ubi nunc est? PHÆ. Foris.
DE. Abi, Phædria: eum require, atque adduce huc. PHÆ. Eo
Recta via equidem illuc. GE. Nempe ad Pamphilam.
DE. At ego Deos Penates hinc salutatum domum
Devortar; inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient,

nem præsentem istum volo mihi ostendi, quicum nobis res est, aut indicari ejus domum. GE. *Nempe Phormionem?* DE. *Istum patronum mulieris.* GE. *Jam illum accersam.* DE. *Ubi nunc est Antipho?* PH. *Foris.* DE. *Abi, Phædria, eum quære, atque huc adduce.* PH. *Equidem illuc recta proficiscor.* GE. *Nempe ad Pamphilum.* DE. *At ego de via domum divertam, ut Deos penates ob faustum reditum salutem: inde ad forum me conferam, atque aliquot amicos, advocatos mihi adjungam, qui mihi præsto sint in hac causa, ne imparatus sim ad disputandum, si*

libens capiam, si habendum sit ea conditione, ut illam patiar cum illo nuptam illo die. Ita h. l. egregie explicat magnus Gronovius Obs. in Script. Eccl. *R. D.* Equidem prætulerim vulgatam. *Perl.*—76 *Istunc* Both.—77 Lege, *Istunc patronum* pro *Istum;* et sic accentum in ultimam trahit. *Bent.* Non interrogant post 'Phormionem' Br. Bent. Z. Bip. Both. Perl. *Nam* pro *Nempe,* et *Patronum istum* dat Both.—78 *Foris*] Hanc vocem Guy. in glossis ineditis Getæ tribuit. Quæ lectio auctoritate non caret. Primum enim diserte servi meminit Donatus, qui ita responderit. Tum Bœnd. et EA. ET. EV. 1. EV. 2. exhibent, GE. *Foris.* West. Illud 'Foris,' quod libri editi Phædriæ tribuunt, dandum erat Getæ. Sic alter ex Meadianis. Donatus: 'Mitius nunc quærit, ubi sit Antipho; et, au amatæ adhæreat, subtiliter quærit: quod servus intelligens respondet, Foris.' Vides, ut servus, Geta scilicet, respondeat. Et quidem recte: quomodo enim Phædria hoc sciret, qui in alia domo vivebat? *Bent.* 'Foris' daut Getæ Br. Perl.—79 Multæ edd. leviter pungunt post 'Eo.'—80 Integrum hunc versum Guyetus addititium vocat, atque ex Andria expressum. Nihil autem in omni Andria huic simile; nisi forte respexit verba Davi, III. 4. 21. 'Quid causæ est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?' Alteram rationem addit Guyetus in ἀνεκδότοις, quod nimirum non Pamphila, sed Citharistria dicta est supra. *West.* Hunc versum laborantem sanat lectio libri Bembini et Donati, in quibus pro *equidem* legitur *quidem.* Fa. Nostri male *equidem.* Bent. *Equidem* Guelf. 3. et *ibis* post 'nempe.' *Perl.* *Quidem* Br. Z. Delph. Bip. Both. Perl.—81 Delendum illud *At,* quod versus respuit; licet libri huc adjudicent: neque vero apponendum est versui priori, ut quidam voluit, quippe Phædria et Geta aversi ista inter se loquebantur, ut senex non audiverit. Ergo nullum hic *At* locum habet. *Bent.* *At* rejicit Both. in versum 80. *At ego* rejiciunt in eund. vs. Bip. Delph.—82 *Devortor* Br. *Divortor* Delph. *Divortar*

Ut ne imparatus sim, si adveniat Phormio.

Phormio adveniat.

Bip.—84 *Cum adveniat*] Hic variant libri scripti; alii ut in impressis habent: alii *cum adveniet*, quod non displicet nobis: alii *cum advenerit*, quod stare non potest: Bembinus, *si adveniat*: quam postremam lectionem tanquam antiquissimam recipimus: forte enim dubitat, Phormionem non adventurum. *Fa.* Ex nostris plerique *cum adveniat*; tres *cum adveniet*; unus *cum advenerit*. Bembini illud, *si adveniat*, ideo placet, quod nesciret Demipho an Phormio tum domi esset, et eo die conveniri posset. Nam postea conventum iri vel leges coëgerint. *Bent.* *Si adveniat*] Ita Fa. ex Bem. quia dubitantis est, pro, si forte. Plurimi autem Codices, *cum adveniat*. Gambarellus, *cum adveniet*: quomodo et Guy. in glossis ineditis correxit; mox tamen ascribens, *si adveniet* sibi placere. *West.* *Si* Bem. recte. *Perl.* *Cum* Br. Z.

ACTUS II. SCENA II.

PHORMIO. GETA.

PHOR. ITANE patris ais conspectum veritum hinc abisse? GE. Admodum.
PHOR. Phanium relictam solam? GE. Sic. PHOR. Et iratum senem?
GE. Oppido. PHOR. Ad te summa solum, Phormio, rerum redit.
Tute hoc intristi: tibi omne est exedendum: accingere.

PH. *Verumne est quod ais, Antiphonem præ metu non ausum venire in conspectum patris hinc evasisse?* GE. *Verum est.* PH. *Phanium desertam solam remansisse?* GE. *Sic est.* PH. *Et Demiphonem ira commotum?* GE. *Admodum.* PH. *Ad te unum, Phormio, tota hæc res spectat: tute hanc intritam apparasti; tibi*

1 Hic Actus II. initium statuit Muretus: quam distinctionem tuetur Dac. suspicata ab Heinsio primum profectam. Sed fallitur. Malui autem plurimorum Codd. cum Mss. tum impressorum auctoritatem sequi. *West.* *Conspectum*] Rufinus, Libro de Metris Terentianis, *adventum*: qui procul dubio error est. *Id.* Al. *adventum*, male. *Perl.* Vulg. [cum Delph.] Actum II. hinc ordiuntur: quamvis Do. rectius doceat: Tertio actui attribuitur litigium senis et Phormionis, &c. *Bip.* quæ hic orditur Scen. I. Act. III. *Abiisse* Br. Bent. Delph. Bip. Both. Perl.—3 *Rediit* J. *Perl.*—4 Par. pro var. *intrusisti* inusitate. In GM. leg. *instruisti* perperam. Ibid. pro var. *intristi.* Perl.—

NOTÆ

4 *Tute hoc intristi*] Proverbium est aptum Phormioni Parasito. Intrita Donato est moretum, genus libi ex farina, lacte, vino, caseo, atque her-

GE. Obsecro te. PHOR. Si rogabit? GE. In te spes est. PH. Eccere!
Quid si reddet? GE. Tu impulisti. PHOR. Sic opinor. GE. Subveni.
PHOR. Cedo senem! jam instructa sunt mihi in corde consilia omnia.
GE. Quid ages? PHOR. Quid vis, nisi uti maneat Phanium, atque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram derivem senis?
GE. O vir fortis, atque amicus! verum hoc sæpe, Phormio,

ergo ea merito jam comedenda est. GE. *Oro te, Phormio, hanc rem expedi.* PH. *Si quæret, unde Phanium sit cognata Antiphoni?* GE. *Omnis rei gerendæ spes in te sita est.* PH. *Ecce responsum paratum habeo. Quid si se dicat redditurum puellam?* GE. *Tu nos ad has nuptias impulisti.* PH. *Sic arbitror persuadendum seni, ut cognatam esse credat.* GE. *Subsidium afferas.* PH. *Siste modo senem, ad disceptandum jam præcepi animo, et commentus sum omnia argumenta.* GE. *Quid efficies?* PH. *Quid vis efficiam, nisi ut Phanium maneat cum Antiphone, nec expellatur; ut Antiphonem culpa absolvam, atque in me omnem iram senis conferam.* GE. *O Phormio; quam vir fortis, atque amicus es! verum sæpe metuo ne tanta*

5 *Obsecro te*] Ineptus est Guyetus, qui, non exputans verum sensum, ineptos vocat hosce duos versus, et a stulto quodam intrusos. Mss. et editi quidam post EP. *rogitabit*: sed *rogabit* defenditur a Faërno. Variant Mss. et editi veteres post EP. in quibus est, *Ecce, Ecce rem, Ecce res.* Festus Pompeius: 'Eccere jusjurandum est, acsi dicatur, per Cererem; ut ecastor, ædepol. Alii Eccere pro Ecce positum accipiunt.' Videtur autem potius demonstrandi esse particula. *West.* *Rogitabit*] Bem. et o. fere l. s. *rogabit*. Fa. Duo tantum ex nostris, *rogitabit*. Bent. *Eccere*] R. *Ecce res.* Sed alterum rectius. *Lind.* Par. 3. *Ecce in rem*: 5. *Ecce rem.* Utrumque imperite. Mur. ed. *Æcere.* Guelf. 3. *Ecce in re.* Perl. *Rogitabit* Delph. *Ecce re* Br.—7 Codd. quidam Mss. et editi, *instructa mihi sunt corde*, omisso *in*. West. *Instructa sunt mihi corde*] Iidem libri, *in corde*. Fa. Melius libri nostri magno numero, *Cedo senem; jam instructa mihi sunt corde consilia omnia*: ut *mihi*, quod oportet, acuatur. Cicero de Nat. Deor. III. 29. *mihi sunt in corde*: sed ex ordine ipso scias *in* ibi delendum esse. *Bent.* *In* delent Br. Z. Both. Perl.—8 Bona Mss. et edd. pars, *a crimine*, et *e crimine*. Dixit autem, *ex crimine eripiam*, uti Plautus Rud. III. 4. 67. 'Hirundines ex nido volt eripere.' *West.* *Nisi ut*] Ex Bem. scribimus *uti*; ita etiam versus ratione suadente. *Fa.* Nostri imperite, *nisi ut*. Bent. *Ut* Br. Z. *Utque* pro *atque* Both. *E* Br.—9 *Senis*] Mss. Bodl. Lips. Wit. G. *patris*. West. Ex nostris duo tantum *senis*, ceteri *patris*. Utrumvis recte. *Bent.* *Patris* Br.—10 Malim, *o Phormio*: ut in ea

NOTÆ

bis confectum, ab interendo, quod hæc in mortario terantur. Dictum proverbialiter, hoc sensu: per te hoc factum est: quicquid ergo hinc evenerit, in te redundabit.

Vereor, ne isthæc fortitudo in nervom erumpat denique.
PHOR. Ah!
Non ita est: factum est periclum: jam pedum visa 'st via.
Quot me censes homines jam deverberasse usque ad necem?
Hospites, tum cives? quo magis novi, tanto sæpius.
Cedo dum, en unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam?
GE. Qui istuc? PHOR. Quia non rete accipitri tenditur, neque miluo,
Qui male faciunt nobis: illis, qui nihil faciunt, tenditur.
Quia enim in illis fructus est; in illis opera luditur.
Aliis aliunde est periclum, unde aliquid abradi potest:

audacia nobis exitium afferat, ita ut in vincula conjiciamur. PH. *Ah, non fiet. Experimentum jam feci, vestigia quibus insistam nota sunt. Quot jam me putas homines cecidisse usque ad mortem, hospites, cives? quo magis experientia edoctus sum, eo sæpius id feci. Dic mihi, quæso, an unquam audivisti injuriarum nomine me in jus vocatum esse?* GE. *Quamobrem?* PH. *Quia retia non tenduntur accipitri et milvio, qui nobis nocere solent: tenduntur vero illis avibus quæ nobis non nocent. Illæ, si capiantur, in cibum prosunt: in illis nulla posita est utilitas. Sic aliud aliis, a quibus aliquid extorqueri potest, instat periculum: at mihi sciunt nihil esse*

sede Trochæus evitetur. *Bent.* *Semper* pro *sæpe* Both.—11 *Nec* pro *ne* Both.—12 Præstat hæc distinctio, præ aliorum: *factum est periclum jam pedum: visa 'st via.* West. *Periculum*] *Periclum* exigit versus, et ita est in V. et Vi. et Bas. Item infra legendum, *Aliis aliunde est periclum:* ut et in Bas. *Faërn.* Nostri utrobique *periclum.* Bent. Distinguunt nonnulli *fact. est pericl. j. pedum: visa 'st via,* inconsulte. *Perl.* *Periculum* Z.—14 Videtur per ὑστερολογίαν dictum, pro, *Quo sæpius, tanto magis novi:* quomodo Palmerius legit. Wit. *eo sæpius.* Wiel. suspicatur legendum: *Eo magis novi, quanto sæpius.* West. *Tum cives*] Vulg. signum rogandi ponunt, et ὑστερολογίαν aliquam in sq. statuunt. Falsissimum id putamus: et, sublato signo rogandi post 'cives,' cetera ita conjungimus, ut augeatur gloriatio: Tum cives, quo magis eos novi, (quo notiores mihi fuere) tanto sæpius int. deverberasse, h. e. male tractasse. *Bip.* *Quo mage notos, tanto sævius* dat Both.—15 Br. *audisti mihi? Scriptam dicam.*—16 *Qui istuc*] Ita edidi ex Mss. et impressis optimis. Vulgo, *Quid istuc?* Est autem *miluo* in Mss. plurimis et impressis optimis, non *milvio,* quod vulgo legitur, estque vox trisyllaba. Vide Gifan. Ind. Lucret. v. Reliquus; et Interpp. ad Phæd. I. 33. 3. In Codd. quibusdam est, *tennitur: ἀρχαϊκῶς. West.* *Milvio*] In o. l. invenies scriptum *miluo.* Fa. Sic nostri *miluo:* et ita apud alios scriptores libri vetusti. *Bent.* *Quid istuc* Guelf. 3. *Perl.* *Milüo* Bent. Both. *Miluo* trisyllabum est. Al. *milvio,* contra vett. codd. *Bip.* *Milvio* Delph. *Milvo* Br. Z. Perl. *Recte* pro *rete* Br. si id recte typis expressit Bruns.—17 *Nil qui faciunt* Both.—18 *In his opera luditur*] In Bem. et Bas. legitur, *in illis,* ita et apud Do. *Fa.* Sic et nostri: sed quid est *in illis, in illis?* pro posteriore repone *in istis;* Accipitre scilicet et Miluo. *Isti* dicunt, de iis quos contemnunt aut aversantur. *Bent.* Cui Bip. se assentiri negat: sed assentiuntur Both. Perl.—19 *Abripi* Bodl. et G. *West.*—21 Sublata dic-

Mihi sciunt nihil esse. Dices, ducent damnatum domum:
Alere nolunt hominem edacem; et sapiunt, mea quidem sententia,
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.
GE. Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia.
PHOR. Immo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.
Ten' asymbolum venire! unctum atque lautum e balneis,
Otiosum ab animo; cum ille et cura et sumtu absumitur,
Dum tibi sit, quod placeat; ille ringitur, tu rideas;

rei propter quam insidientur. Atenim dices mihi, damnatum te, et addictum sibi a judicibus in domum suam trahent, ut ipsis in vinculis servias: at sciunt me edacem, idcirco alere nolunt, ut jubentur lege: et quidem sapienter faciunt, ut mihi videtur, si benefacere mihi nolunt, qui ipsis malefeci. GE. *Antipho nulla ex parte referendo gratiam tuis in eum meritis satisfacere potest.* PH. *Contra ego sentio; nemo Regis beneficia ullis officiis paribus æquare valet. Quid commodius et gratius esse potest, quam sine sumtu, sine symbolo ad cœnam venire, nihil solvere, unguentis odoratis delibutum, atque e balneis lotum, et nitidum, animo a curis libero atque hilari; cum ille solicitudine, impensis pecuniarum consumitur, dum tibi apparat deliciosa et ju-*

tione *quidem,* quæ non est in Bembino, versus constat. *Fa.* Nostri, *quidem.* Bent. Delent *quidem* Bent. Bip. Both. Perl.—23 Ex 'satis' *s* posterius eliditur: ex 'illo' unum *l,* ut in secunda et tertia sede sit dactylus, in quarta anapæstus. *Fa.* Sic metrum constituit Faërnus: *Non potest satis pro merito ab illo:* nos aliter, *Non pote satis pro merito ab illo.* Et sic versu sequente *Satis pro merito.* *Pote* pro *potest.* 'Mater pote,' 'Quisque pote,' Propertius. *Bent.* *Non pote sat* Both. *Non pote sati'* Delph. *Non potest sati'* Bip.—24 *Immo enim*] Obscuritatis arguit hos quinque versus Jul. Cæsar Scaliger, Poëtices lib. IV. cap. 1. Guyetus tres priores recidit, duos reliquos pro suspectis habet. *West.*—25 Varie exhibent Codices Mss. et impressi veteres: Wit. M. Bodl. G. Bœnd. et Leid. unus, *ad symbolum.* Ms. Lips. *ad symbolam.* Id. *Ad symbolum* GM. *Perl.* *Adsimbolum* Br. *Lautum atque unctum* Both. *A* pro *e* Delph. Bip.—26 Versus hic cum quinque seqq. mire est turbatus in EP. *West.* *Sumtis* Delph. at *sumtu* in ed. Lond. Delph. 1731.—27 An, *Dum tibi fit?* quomodo Bem. et Vi. cum membranis Werdensibus, quas laudat Janus Gulielmius in Capt. Quæst. cap. 4. Adde Schefferum ad Petron. Fragm. Tragur. init. Horatius tamen de cœna, 'Sic, ut mihi nunquam In vita fuerit melius.' Guyetus hunc et quatuor seqq. versus insititios vocat. *West.* Bem. et Vi. *Dum tibi fit;* quod forte melius est. *Fa.* Duo ex nostris, quorum alter notæ optimæ, *fit.* Donatus: 'Acuenda vox, in eo quod ait Tibi.' Atqui acui nequit, nisi legas, *Dum fit, tibi quod placeat.* Bent. Gulielmius e Msstis eleganter legit *Dum tibi fit.* R. D. Melius *fit* quam *sit.* Perl. *Dum fit, tibi*

NOTÆ

24 *Gratiam Regi refert*] Regem suum Parasiti appellabant eum, a quo alebantur.

Prior bibas, prior decumbas; cœna dubia apponitur?
GE. Quid istuc verbi est? PHOR. Ubi tu dubites, quid sumas potissimum.
Hæc, cum rationem ineas, quam sint suavia et quam cara sint,
Ea qui præbet, non tu hunc habeas plane præsentem Deum?
GE. Senex adest: vide, quid agas: prima coitio 'st acerrima.
Si eam sustinueris, postilla jam, ut lubet, ludas licet.

cunda; ille tacitus stomachatur, ut tu delicieris, prior bibas, prior mensæ accumbas; cœna dubia apponitur? GE. *Quale istud verbum est?* PH. *Quæ tot variis epulis instructa est, ut incertum tibi sit quas eligas maxime. Hæc cum serio tecum reputes, non tunc arbitreris omnino Deum faventem et propitium, qui hæc tribuit?* GE. *Ecce tibi senex, vide quid acturus sis. Primus conflictus est vehemens valde: si hunc patiaris, post illa reliquum ludicra tantum erit exercitio.*

quod Bent. *Dum fit tibi quod* Perl. *Tibi dum fit, quod* Both.—28 *Discumbas* Eug. et id verbum esse frequentius notant R. D. Vult Bent. *bibas tu.*—29 *Adduc.* Hanc lect. quodcumque voluerit, affert Perl. e Guelf. 2. *Ubi, quid sumas, dubites tu potissimum* Both.—30 Codd. quidam, *ratione ineas.* G. *cum ratione si ineas.* West. *Hæc cum ratione ineas*] Bem. et V. et Bas. *rationem ineas.* Ita habuit et Victorianus: ut ex rasura notæ literæ *m* apparet. *Faërn.* Duo nostri veterrimi *rationem;* sed ex altero *m* erasum, ut in Vi. Faërni. *Bent.* Lect. antiq. *ratione.* Haud dubie lit. *m* abrasa. *Perl.* *Ratione* Guelf. 2. lit. *m* deleta. *Id.* *Ratione* Br.—31 Mss. Lips. et Wit. *præbeat.* Ita quidam legunt Eun. v. 9. 57. *West.* *Præbeat* Br.—32 *Est coitio* Both.—33 Sunt Codices Mss. et veteres impressi, in quibus est, *post illam;* sunt, in quibus est, *post illum.* G. *post illam jam, ut jubet, ludas.* West. *Illam* pro *illa* Guelf. 2. *Eam,* non *illa* 3. *Perl.*

NOTÆ

31 *Præsentem Deum*] Quia Deus omnium bonorum auctor est. Præsens est propitius, favens, beneficus, quia qui præsens est cum invocatur nobis citius auxiliatur quam qui absens est. Virgilius Ecloga I. 'Quid facerem? neque servitio me exire licebat, Nec tam præsentes alibi cognoscere Divos.'

32 *Prima coitio est acerrima*] Translatio est a prælio. Nam et congredi et coire dicuntur. Prima coitio; *le premier choc:* cum prælium committitur.

ACTUS II. SCENA III.

DEMIPHO. GETA. PHORMIO.

DE. EN unquam cuiquam contumeliosius
Audistis factam injuriam, quam hæc est mihi?
Adeste, quæso. GE. Iratus est. PHOR. Quin tu hoc age, st!

DE. *En unquam vidistis ullum hominem majori injuria affectum fuisse, quam ego nunc sum? juvate quæso.* GE. *Ira impulsus est.* PH. *Quin taces, st. Jam*

1 *Nunq. cuiq.* absque interrog. Guelf. 1.—2 *Vidistis* id.—3 *Quin tu hoc age*] Super his verbis, ita dicit Donatus: 'Annuit ut taceat, et significat silentium.' Sed unde hoc Donato venit in mentem, quod per hæc verba quis annuat alteri ut taceat? non quidem ex eorum significatione: nullam enim talem vim habent, sed nimirum aliquid esse debuit in hujus Poëtæ libris, quos habuit ipse castigatiores, quod eum ad ita intelligendum hunc locum induxerit. Sane omnes antiqui libri, pro *age,* habent *ages:* quod nobis viam aperuit ad hanc lectionem restituendam. Nam litera *s* ex *ages* detracta, seorsumque constituta, eique addito *t,* fit nota silentii *st;* ita erit, *quin tu hoc age st:* et clarissime intelligetur, Phormionem Getæ silentium indicere. Superest, ut verba Donati, quæ et ipsa corrupta sunt, emendemus. Quis enim non videt, quam otiosa sit illa repetitio post, *annuit ut taceat,* quod per se sensui sufficit, subdendo, *et significat silentium?* Quam vero absurde dicitur, eum, qui annuit alteri ut taceat, significare silentium, cum significandi facultas non personis, sed vocabulis attributa sit? quare pro *et,* mutatione unius literæ, *st* legendum arbitramur; ut sit hæc lectio Donati, *Quin tu hoc age, st*] *Annuit ut taceat, st significat silentium.* Cum hæc scripsissemus, diligentius inspicere voluimus antiquissimos Terentii libros, et in Vi. invenimus, post *ages,* rasuram unius litteræ, instar *t:* ut facile conjici possit, scriptum prius fuisse *ag st;* id vero omnem nobis dubitationem, si qua de hac nostra emendatione restabat, exemit. *Fa.* *Quin tu hoc age*] Ita pleræque editiones veteres; Juntina tamen, Aldina, aliæ, *Quin tu hoc ages.* Atque ita Leidd. quatuor, quorum uni suprascriptum, fugies; G. Wit. et Bœnd. Ex qua lect. conjiciebat Faërnus, scriptum a Terentio fuisse: *Quin tu hoc age: st.* Firmat porro suam sententiam ex Donato, putatque, scripsisse Donatum: *Annuit ut taceat. St significat silentium.* Sed præterquam quod nemo Commentatorum ita se reperisse in ullo Ms. testatur, vix junctim reperias, *Quin tu hoc age: st.* Quod vero existimat idem Faërnus, absurde dici, eum qui annuit alteri, ut taceat, significare silentium, cum significandi facultas non personis, sed vocabulis attributa sit, in eo ipse fallitur. 'Significare' enim vel maxime est nutu vel gestibus indicare. *West.* *Quin tu hoc age, st*] Sic dedit Faërnus; et multis verbis vir optimus nihil profecit. Donati verba sat bene explicari possunt, sine isto *St.* *Quin tu age,* vel *agis* (nam plerique codices *ages*) silentium hic significant; et Phormio hic vel innuit Getæ, vel cubito eum fodit. Docui ad And. IV. 1. 59. *st* per se syllabam facere; non potest itaque cum *age* in Iambum coalescere. Idque ipse experiendo scies. Nam in *st* pronuntiando, non attrahitur spiritus, sed propellitur. Est tamen, qui affirmet *st* fere semper apud Plautum cum priore syllaba coalescere. Sane ita, ubi *st* pro, est, venit, ut, Mirum'st, Miserum'st; sed ne semel quidem, ubi silentii nota est. *Bent.* *Age*] GM. *ages.* Perl. *'St*] Abest nota hæc silentii a GM. et Br. *Id.* *Agis* Bent. recte. C. et Hel. *ages,* ut antiquiores omnes. Vulgo

Jam ego hunc agitabo. Pro Deum immortalium!
Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?
Hanc Demipho negat esse cognatam? GE. Negat.
PHOR. Neque ejus patrem se scire, qui fuerit? GE. Negat.
DE. Ipsum esse opinor, de quo agebam: sequimini.
PHOR. Nec Stilphonem ipsum scire, qui fuerit? GE. Negat.

ego hunc acerrime commovebo. Proh Deum immortalium fidem! negat Phanium esse hunc sibi cognatam Demipho? hanc Demipho negat esse cognatam? GE. *Negat.* PH. *Seque nescire ait qui fuerit ejus pater?* GE. *Negat se scire.* DE. *Hunc hominem esse arbitror, de quo sermo mihi erat: sequimini.* PH. *Negat quoque se Stilphonem ipsum cognovisse?* GE. *Negat.* PH. *Quia virgo misera,*

mendose *age: st.* Sensit Bent. *Both.* *Ages* sine *st* Br.—4 *Jam ego*] EA. *Jam enim.* Bodl. G. Wit. et EP. *Pro Deum immortalium fidem.* Bœnd. *Pro Deum immortalium atque hominum fidem.* EA. *Pro Deum immortalium atque hominum.* In aliis Codicibus aliter. Rivius τὸ *fidem* auctoritate Donati recidit: nec requirit metrum. *West.* *D. imm.*] GM. *fidem.* Sup. scr. 'testor.' Plusculi Mss. add. *atque hominum. Pro D. atque hominum fidem* Guelf. 2. *Fidem* 3. *Perl. Fidem* addit et Br.—5 Abest *Demipho* a Guelf. 2. *Perl.* A Gu. 1. abest versus 6. Horum vss. pinguis oratio fraudem prodit. Scilicet, nominibus Phanium et Stilphonem accrevisse paulatim versus 6. et 9. Et hic quidem Bentleio quoque suspectus fuit. Recte autem versu 5. A addit GE. *Negat.* In Hel. hi versus ita ordinantur: *Neque ejus patrem, &c. Nec Stilph. &c. Ipsum esse, &c.* Both. Qui *Phanium* delet, et versus 6. 9.—6 *Hanc Demipho negat esse cognatam*] Hæc absunt a Wit. [et Guelf. 2.] et EA. Sequitur vero post versum 5. continuo octavus, tum septimus. Guyetus, hunc versum agnoscens, superiorem delet. *West.*—7 Hunc et sequentem vs. invicem trajiciunt Bent. Bip. et Perl. cum codd. vetustioribus. *Neque patrem se ejus* Both.—8 *Aiebam* EP. EA. *West.*—9 *Nec Stilphonem*] Omnes fere codices paulo vetustiores hoc ordine versus exhibent: *Hanc Demipho negat esse cognatam? Negat. Ipsum esse opinor de quo agebam: sequimini. Neque ejus patrem se scire qui fuerit? Negat. Neque Stilphonem ipsum scire qui fuerit? Negat.* Ex his versibus tertium codex 900. annorum non agnoscit; codex item Petrensis in margine tantum. At quartum hic omittit codex ex Regiis; et ponit demum post vs. 25. Scio, facile ex his alterum a Librariis omitti potuisse; quia uterque eodem verbo 'Negat' terminatur. Scio item, sat congrue bis idem repeti in persona audacis sycophantæ; quasi clamando et vociferando strepitu ipso se rem gesturum speraret. Sed vide an Parasito minime stulto aut somnolento id conveniat, ut vs. mox 40. tam cito immemor sit nominis, quod hic, id est, modo jam nunc ante memoraverat, Stilphonis. Me itaque lubente, versum ex his nonum expunxeris. *Bent.* Bentleio videtur hic versus esse spurius propterea, quod Phormio hic nomen Stilphonis teneat, quod infra vs. 40. repente oblitus sit. Male. Nam mendax perturbatusque non semper memor est dictorum. Fere etiam, ubi quis de rebus laborat, solent nomina fugere. *Zeun.* Hunc vs. nonnullæ Edd. haud sine injuria eliminarunt. Facile autem τὰ ὁμοιοτέλευτα, *Negat, Negat,* in causa poterant esse, cur a librariis omitteretur. *Perl.* Vulgo huic vs. [nobis 10.] subjungitur alius ad imitationem prioris flagitationis et explendum nomen inepte ingestus. Sed eum hoc certius spurium habemus et expungimus, quod et Dem. infra enixe nomen id rogat, velut non-

PHOR. Quia egens relicta est misera, ignoratur parens;
Negligitur ipsa: vide, avaritia quid facit!
GE. Si herum insimulabis avaritiæ, male audies.
DE. O audaciam! etiam me ultro accusatum advenit?
PHOR. Nam jam adolescenti nihil est quod succenseam,
Si illum minus norat: quippe homo jam grandior,
Pauper, cui opera vita erat, ruri fere
Se continebat: ibi agrum de nostro patre
Colendum habebat. Sæpe interea mihi senex

inops relicta est, pater ejus ignorari fingitur, contemnitur ipsa: vide, quid non cogit homines avaritia facere! GE. *Si herum falso incusabis avaritiæ, calumniator et falsiloquus æstimaberis.* DE. *O confidentiam ingentem! etiam consulto me accusaturus huc venit?* PH. *Nam jam nullam causam habeo cur irascar adolescenti Antiphoni, si Stilphonem Phanii patrem parum cognoverit, quoniam jam ille ætate grandior erat, quam ut Antiphoni sat notus esse posset; pauper, qui labore rustico atque opera victum quærebat, ruri pæne semper habitabat, ibi agrum a nostro patre conductum arabat: sæpe interea mihi senex ille referebat, hunc Demipho-*

dum sibi auditum, nec credibile est parasito mendaci tam cito excidisse infra vs. 38. [nobis 39.] quod 'olim,' cum res ad judices delata esset, dictum erat nomen patris. Quis tandem repetitam illam negationem ejusdem rei ferat? In priori certe flagitatione semel tantum Geta respondet. *Bip.*—11 *Negl. ipsa* absunt a Guelf. 3.—12 Variant Mss. et impressi, vel *avaritiæ* legentes, vel *malitiæ.* Riv. et G. F. *avaritiæ* defendunt, quasi acutius dictum. *West.* O. l. s. quotquot vidi, et Do. *malitiæ.* Fa. Ex tot nostris unus tantum *avaritiæ.* Bent. *Avaritiæ* Vet. Cod. *Lind.* *Malitiæ* Br. Bent. Bip. Both. Perl. —13 *Etiam me*] Codices quidam non male, *etiamne.* West. *Advenit*] Mss. et editi quidam, *venit.* Id. Lege cum cod. Regio *O audaciam? etiamne ultro accusatum advenit?* Bent. Abest *ultro* a Guelf. 2. *Perl.* *Etiamne* Bip. Delph. Both.—15 Tr. M. et EA. *jam natu grandior.* Utrumque Terentianum est. *West.* *Novit* Guelf. 2. et *natu* in loco τοῦ *jam* 1. 2. *Illunc* Both.—16 Sic dedit Faërnus, ex Donato, ut arbitror; codices enim nostri universi, *cui in opere.* *Opera* sexto casu, seu ablativo, accipit Donatus; recentiores interpretes casu recto. Utrique frustra, cum lectio mendosa sit, et a versu ipso repudietur; 'cui' enim, cum in ictu non sit, necessario elidetur, et metrum claudicabit. Repone ex libris omnibus, *Pauper, cui in opere vita erat:* hoc est, qui opere rustico faciendo victum sibi quærebat. 'Opus' absolute pro opere rustico sæpe. Pr. tamen p. 1006. *cui opera;* ut et ibi Msti. *Bent.* *Cui opera vita*] Ita meliores libb. ne aliter Pr. lib. XV. Estque Atticum loquendi genus, ut illud veteris poëtæ apud Athenæum, Dipnos. lib. I. cap. 7. Οὐδὲν ὁ μάγειρος τοῦ ποιητοῦ διαφέρει, Ὁ νοῦς γάρ ἐστιν ἑκατέρῳ τούτων τέχνη. Simili enim modo dictum ὁ νοῦς, τέχνη, ut a Terentio *vita, opera.* Aliud ergo Donatus egisse videtur, cum hæc aliter explicat. *Lind.* Donati explicatio a Bent. et Cupero Obs. I. 17. recte repudiatur. Sed Bent. legi vult *cui in opere.* Cuperus vero tuetur *opera* in casu recto, et explicat: Cui opera victus erat, qui ex opera se alebat. Bentleii rationem, ut Latiniorem, præferendam esse censeo. *Zeun.* *Cui opera vita erat*] H. e. qui ex opera quotidiana sibi victum comparabat. *R. D.* Bent. temere facit *in opere.* Bip. Sic dant Br. Both. Perl.—17 *Se* omittit Br. *Ubi* pro *ibi* dat Guelf. 2.—21 *Abi in*] Si legas *I* pro *Abi,*

Narrabat, se hunc negligere cognatum suum:
At quem virum! quem ego viderim in vita optimum.
GE. Videas te, atque illum, ut narras. PHOR. In malam crucem!

nem cognatum suum ipsum despicere ac spernere: at quem virum! omnium quos viderim, vita et moribus optimum. GE. *Hæc quæ de te et illo narras, tibi sint curæ; quid ad nos?* PH. *Abi in malam crucem: nam nisi talem eum sensissem*

constat versus. *Er.* Si per Codd. liceret, legerim, *ut narrat!* ut ad spectatores conversus Geta cum irrisione hoc dixerit: q. d. ut lepide nugatur! Mss. Lips. Bodl. Wit. G. Leidd. duo, cum edd. quibusdam post EP. *Abi hinc in malam crucem.* Neque aliter Bœnd. nisi quod *τὸ hinc* suprascriptum. EA. *Abi in malam crucem.* Riv. mallet, *Abi hinc malam crucem.* Sed G. F. *τὸ Abi* recidit, ob metrum. Si tamen quarto loco statuatur creticus, *Abi* illud non offendit. *West.* *Abi in malam crucem*] In Bem. legitur, *I in malam crucem.* Do. dicit, dictum hoc esse adverbialiter; quod erit, si, demto verbo *I*, legas, ut Donatus, *In malam crucem: In* autem pro *Isne:* ut sæpe antea. *Fa.* *Videas te atque illum, ut narras. In malam crucem*] Nostri *Abi hinc in m. c.* Unus, *Abi in m. c.* Sed quid sodes illud est, *Videas te atque illum, ut narras?* Donatus, ut solet implicatus falsæ lectioni, quo se vertat nescit: quatuor diversas interpretationes affert, omnes exsibilandas. Nec recentiores se expediunt: Palmerius emendationem tentat, sed infeliciter; *Videas ted, illum ut narras:* Videas te; cogita, vide quid dicas. Si de Stilphone male locutus esset, non incommode hic diceret, *Videas te:* ut Plautus Pseud. II. 2. 18. 'Non soles respicere te, cum dicas injuste alteri?' Nunc autem, cum laudaverit Stilphonem, nescio quo id pertineat. Liceat mihi in re deplorata novam medicinam experiri. Ac primo id animadverto, Ut narras, Ut prædicas, Ut video, Quantum audio, Quantum intelligo, omnia sensu eodem, verbum modi Indicativi secum trahere. Exemplis quid velim intelliges. Eun. IV. 1. 1. 'Quantum ego illum vidi, nonnihil timeo.' Heaut. II. 4. 22. 'Ut patrem tuum vidi esse, diu etiam dabit.' IV. 3. 4. 'Cognita est, quantum audio ejus verba.' And. I. 3. 2. 'Nihil loci est segnitiæ, quantum intellexi.' Vides in hujusmodi sententiis Indicativos semper adhiberi; et, si rationem tecum ineas, non posse aliter esse intelliges. Ergo ad hanc faciem, *ut narras*, Indicativum hic secum postulat, non Subjunctivum *Videas.* Hoc posito fundamento, divinationem occepi; et vide quid in mentem venerit. Dixerat Phormio: 'At quem virum? quem ego viderim in vita optimum:' ubi 'in vita' idem est quod, unquam, in vita mea: non, ut Donatus, in actu, in moribus, ut ad Stilphonem spectet. Quid ergo ad hoc, 'Stilphonem virum optimum fuisse, quem unquam viderit,' respondet Geta? Hoc, opinor; *Vidisti nullum, ut narras. I in malam crucem.* Si is vir optimus, quem unquam videris; pro verbis tuis, videris nullum omnino vidisse. Simile est Gnathonis responsum, Eunuch. act. III. scen. 1. vs. 19. Et Gripi apud Plautum Rudent. act. IV. scen. 4. vs. 70. Ceterum *I in* scribendum, ex libro Bembino: Nostri *Abi in.* Interrogatio *Isne* non convenit cum sequente 'Nam.' *Bentleius.* *In malam crucem*] Vet. lib. et R. *Hinc in malam crucem.* Lind. Corrigit Bent. *Vidisti nullum, ut narras. I in malam crucem:* sed temere et contra fidem omnium codd. Nam recepta lectio commodum efficit sensum, dummodo 'narrare' interpreteris, mentiri, fingere, falsa dicere, ea de aliqua re dicere, quæ facile falsitatis argui possunt. Sensus est: Vide, cogita, quam falsa et repugnantia fabuleris de te, qui istum virum optimum non vidisti, et de illo, qui vir optimus non fuit. Sequentia nostram interpretationem comprobare videntur. Ceterum illud *I in m. c.* quod Bent. præfert, facile ferre possumus, quia in Bem. extat. *Zeun.* *Videas te atque illum*] Locus fœdissime

Nam ni ita eum existumassem, nunquam tam graves
Ob hanc inimicitias caperem in nostram familiam,
Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter.
GE. Pergin' hero absenti male loqui, impurissime?
PHOR. Dignum autem hoc illo est. GE. Ain' tandem? Carcer! DE. Geta.
GE. Bonorum extortor, legum contortor. DE. Geta.
PHOR. Responde. GE. Quis homo est? ehem! DE. Tace. GE. Absenti tibi
Te indignas, seque dignas, contumelias

esse, nunquam tam molestas inimicitias contra familiam vestram, quam is Demipho nunc tam vili facit, suscepissem. GE. *Perseverasne hero Demiphoni absenti male dicere, scelestissime?* PH. *His maledictis ille dignus est.* DE. *Aisne illum his dignum esse maledictis, o homo, carcere perpetuo dignissime? bonorum raptor, legum perturbator, et corruptor.* DE. *Geta.* PH. *Responde.* GE. *Qui me vocat? ehem.* DE. *Sile.* GE. *Hic homo non desivit hodie absenti tibi convitia te indigna,*

corruptus, de quo vid. Bent. conjecturas. *R. D.* *Videas te, &c.*] Hunc l. non ita corruptum Bent. et al. intactum, opinor, melius reliquisset. *Perl.* *Videas, te &c.*] H. e. vide, ut de te atque illo mentiris. Vulgo inde a Do. corrupte conjunguntur *Videas te atque illum*, divisa a verbis, *ut narras.* Hinc a Donato, mentis incerto, mire variant intpp. in sensu eruendo, nugarumque, ut ait Bœcl. plena sunt omnia. *Bip.* *I in m. c.*] Ita Bem. quem cum Er. et Bent. sequimur potius quam Do. qui, omisso *I*, adverbialiter dictum putat *in mal. cr.* Alii legendo *Abi in, &c.* versum contaminant. *Eadem Ed.* *Abi in* Delph. *I in* Perl. *Abi hinc in* Br. *In malam crucem* delet Both. et dat *ut narras! abi!* PH. *Nam ni ita eum | Existumassem, n. t. g. ob hanc | Ego inim. &c.*—22 Bem. in contextu habet, *Nam ni eum esse existimassem;* exponemus autem 'eum,' pro, ejusmodi; eaque dictio, in unam syllabam contracta, in scansione tota elidetur. Sane Donatus legit, *existimarem*, quod magis videtur convenire cum *caperem.* Fa.—23 Grassatur hic Guy. legens, *Ob hunc*, et mox, *Quem is aspernatur*, intelligens Stilphonem; sed præter Codd. fidem. Præterea non Stilphonem aspernabatur Demipho, sed Phanium, nolens eam cum filio nuptam unum diem. Porro delet Guy. versum 22. quo ipso omnis vis indignantis Phormionis perit. Sed et versu 50. legit, *Cognatus is esset*, pro, *Cognata ea esset.* Codices quidam præferunt, *in vostram familiam.* West. Aut ex 'gravis,' elidendo *s*, 'Ob,' quæ prima hujus versus est syllaba, præcedenti versui adjungitur: aut scandat hunc versum, qui melius sciat: ego me nescire confiteor. Aliqui libri sunt, qui habent *in vestram.* Ita et Bembinus, licet per *o*. Quod vero sequitur, *Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter, τὸ Quam* ad puellam referri Donatus affirmat. Erit ergo ordo: Ob hanc quam is aspernatur. *Fa.* Nostri plerique *nostram*, non *vostram.* 'Hanc' autem corripitur, concessa in pede primo licentia: et sic Faërno satis fiet. *Bent.* *Vostram* defendit Bip. et dat cum Bent. et Both.—24 *Is Demipho aspernatur* Wit. *West.* *Quam:* subaud. Do. puellam: recte. At Guy. *Quem*, falso. *Perl.* *Tam* nescit Br.—25 *Absente* Bœnd. EP. EA. *West.* Sic GM.—26 *Carcere* Bodl. G. Wit. EP. *West.* *Tandem* et versui officit, et sententiæ. Repone, *Ain tamen, carcer?* Bent. Sic dat Bip. *Hoc* delet Br. et dat *carcere.*—27 Pr. Inst. Gram. lib. IX. *Bonorum contortor, legum distortor.* West.—28 *Ehem* Bip. Both.—29 *Indignas* pro *dignas* Br.—30

Nunquam cessavit dicere hodie. DE. Ohe! desine.
Adolescens, primum abs te hoc bona venia peto,
Si tibi placere potis est, mihi ut respondeas:
Quem amicum tuum ais fuisse istum? explana mihi:
Et qui cognatum me sibi esse diceret.
PHOR. Proinde expiscare, quasi non nosses. DE. Nossem? PHOR. Ita.
DE. Ego me nego: tu, qui ais, redige in memoriam.
PHOR. Eho! tu sobrinum tuum non noras? DE. Enicas:
Dic nomen. PHOR. Nomen? maxume. DE. Quid nunc taces?
PHOR. Perii hercle! nomen perdidi. DE. Hem! quid ais? PHOR. Geta,
Si meministi id quod olim dictum est, subjice: hem!

ipso vero nebulone digna contumeliose facere. DE. *Ohe, jam satis est, loqui desine, Geta. Adolescens, primum hoc abs te, pace tua postulo, si tibi gratum esse potest, mihi ut respondeas: indica mihi, quis fuit homo ille, quem ais amicum tibi fuisse: manifesta hoc mihi, et qui me sibi cognatione junctum esse diceret.* PH. *Perinde percontaris de cognato illo tuo, quasi cum non novisses.* DE. *Ego novissem?* PH. *Etiam.* DE. *Ego me nego illum cognorisse: tu qui dicis, et asseris, in memoriam revoca.* PH. *Eho, sobrinum tuum non cognoscebas?* DE. *Quam gravis et molestus es! dic nomen.* PH. *Nomen? ita.* DE. *Quid nunc taces?* PH. *Occidi: nomen excidit e memoria.* DE. *Hem! quid dicis?* PH. *Geta, si nomen quod modo referebam memoria tenes, suggere. Hem! non dicam nomen quod quæris.*

Hodie. Ohe] Hæc absunt a Bodl. G. et EA. *West.* *Ohe* agnoscit Donatus: *hodie* nullus ex nostris habet, uno excepto. Vel lege, *Nunquam cessavit dicere: ohe desine;* vel, cum tribus nostris, *Nunquam cessavit dicere: ohe jam desine.* Bent. Abest *hodie* a Guelf. 3. et *Ohe.* Perl. Hæc verba absunt et a Br. *Hodie* a Bip. et Both. qui dat *jam* ante 'desine.'—31 Ms. Lips. *expeto.* Bodl. G. Wit. *expecto.* West. *Expeto*] Liber Bem. et Vi. et multi alii, *peto.* Fa. Nostri omnes *expeto;* recte. Et amat Noster liquefacere postremas syllabas; et aversatur homœoteleuta. *Bent.* *Expeto* Br. et Perl. qui monet *peto* esse in Guelf. 1.—33 Abest *tuum* a Guelf. 2. *Ais fuisse tuum istunc* dat Both.—35 *Noris* Guelf. 2.—36 *Ego? men? ego? tu, &c.* Br. *Redige ad memoriam* GC. Mur. et Delph.—37 *Consobrinum* Guelf. 2. *Enecas* GM. Delph.—38 Sic divide personas: *Dic nomen.* PH. *Nomen?* DE. *Maxume, quid nunc taces?* Bent. 'Maxume' Demiphoni aptius quam Phormioni. *Perl.* 'Maxume' est annuentis, ut statim dicturi. Plenius Hec. III. 5. 36. 'Maxume volo.' Sed hæret ille, qui nimium sui securus fuerat; qua difficultate quomodo expediatur anxius ipse suspensos reddit spectatores. *Bip.* —40 Ad Cic. Verr. I. 39. Asconius Pedianus citat hunc Terentii locum, *En, Non dico:* quod forte natum ex *Em* pro *Hem.* West. *Em* dat Br. *Su-*

NOTÆ

37 *Sobrinum tuum*] Sobrini sunt consobrinorum filii, *les fils des cousins.*

Non dico: quasi non noris, tentatum advenis.
DE. Egone autem tento? GE. Stilpho. PHOR. Atque adeo quid mea?
Stilpho est. DE. Quem dixti? PHOR. Stilphonem, inquam, noveras?
DE. Neque ego illum noram; neque mihi cognatus fuit
Quisquam istoc nomine. PHOR. Itane? non te horum pudet?
At si talentum rem reliquisset decem.
DE. Di tibi male faciant! PHOR. Primus esses, memoriter
Progeniem vostram usque ab avo atque atavo proferens.
DE. Ita ut dicis: ego tum si advenissem, qui mihi
Cognata ea esset, dicerem: itidem tu face.
Cedo, qui est cognata? GE. Eu, noster! recte. Heus tu! cave.

Huc venisti me circumventum, simulans te ignorare. DE. *Egone autem te circumvenio?* GE. *Stilpho nomen est, quod quæritur.* PH. *At quid mea interest? Stilpho est.* DE. *Quomodo dixisti?* PH. *Stilpho, inquam, nonne eum cognoscebas?* DE. *Neque mihi notus erat, neque ullus fuit ex meis cognatis sic nominatus.* PH. *Itane? non te hæc negare pudet? at si moriens reliquisset bona, decem talentis æstimata?* DE. *Dii te perdant.* PH. *Primus omnium memoriter omne genus vestrum, omnem familiam vestram, usque ab avo, atque atavo recitares.* DE. *Verum dicis. Ego tum si venissem, quomodo mihi cognatione juncta esset puella illa exponerem; tu nunc similiter facito; dic quo gradu sit cognata.* GE. *Euge, here noster, recte dixisti. Heus tu cave tibi, Phormio.* PH. *Clare explicavi ju-*

bice GM. Br.—42 *Meæ* Br.—43 *Dixti*] Ms. Par. *disti.* Guelf. 2. *dixit.* *Non noveras* Guelf. 1. 2. *Perl.* *Noveras*] Edit. interrogat, uti olim Ms. *Bruns.* At nec Bent. interrogat post 'noveras.'—45 *Hoc,* non *istoc* Guelf. 2. *Isto* GM. *Perl.*—46 Abest *rem* a Guelf. 3.—48 *Abavo* pro *avo* Br. *Referens* Guelf. 3.—49 *Ita ut dicis*] Constans quidem lectio, sed non eodem modo explicita a Viris doctis. Guy. *Ut dicis* legit. An scripsit Terentius, *Ita tu dicis?* quæ responsio æquipollet affirmanti. *West.* *Ego tum si advenissem*] Idem liber *cum advenissem;* ita et Donatus in expositione hujus loci, quamvis recitando verba Terentii aliter dicat. Sane in Vi. est *si,* sed in litura, ut appareat, aliud ibi prius fuisse. *Fa.* Nostri omnes *si.* Bent. Aberrant omnes edd. legendo *Ego tum si, &c.* s. *tum cum:* in quo et versus laborat. Sed Bem. congruit cum Do. et aperte illud *si* est a glossa, unde *cum si* dein corruptum in *tum si,* tandem contaminate *tum cum.* Bip. *Enim* pro *Ego* Both. *Cum* pro *si* Bent. Perl. *Cum* pro *tum si* Bip.—50 *Itidem tu face: cedo*] Bem. et aliquot alii, τὸ *cedo,* sequenti versui attribuunt: qua ratione uterque versus sanatur. *Fa.* Dat Both. *diceres: id jam face.*—51 *Cedo, qui est cognata*] Versum hunc ab interpolatore esse additum ait Guy. *West.* *Heus noster, recte*] Alii libri sunt, qui *Euge* habent, quod stare non potest: alii qui *Heu,* ut Bas. habebat, et Victorianus; Bem. et V. *Eu,* sine aspiratione: quod et tenendum est; ut et infra, *Eu Phormio,* ex Bem. et Vi. *Fa.* Nostri quoque meliores *Eu.* Bent. *Quid* pro *qui* Guelf. 1. *Heus* pro *Eu* 2. *Perl.* *Est* omittit

PHOR. Dilucide expedivi, quibus me oportuit
Judicibus: tum, si id falsum fuerat, filius
Cur non refellit? DE. Filium narras mihi,
Cujus de stultitia dici, ut dignum est, non potest?
PHOR. At tu, qui sapiens es, magistratus adi,
Judicium de eadem causa iterum ut reddant tibi;
Quandoquidem solus regnas, et soli licet
Hic de eadem causa bis judicium adipiscier.
DE. Etsi mihi facta injuria 'st, verumtamen
Potius, quam lites secter, aut quam te audiam,
Itidem ut cognata si sit, id quod lex jubet
Dotem dare, abduce hanc; minas quinque accipe.
PHOR. Ha, ha, he! homo suavis. DE. Quid est? num iniquum postulo?
Anne hoc quidem adipiscar ego, quod jus publicum est?

dicibus, qui de hac causa cognoscebant: tum si falsa dixi, cur filius tuus non refutavit? DE. *Filium meum commemoras, qui stultior est, quam dici possit.* PH. *At tu, qui tibi plus aliis sapere videris, magistratus conveni, ut iterum de eadem causa agas, quandoquidem hic Athenis regnum solus vis possidere, et soli concessum est, lite semel terminata, bis jure experiri.* DE. *Quamvis ab iniqua judicum sententia injuriam acceperim, tamen potius quam litibus vacem, aut tecum contendam, cum lege constitutum sit cognata orba proximo ut nubat, vel si ille noluerit eam ducere uxorem, dotem præbeat, hanc abduce, et quinque minas accipe.* PH. *Ha, ha, he, homo jucundus es, et festivus.* DE. *Quid tibi est? anne hoc quidem obtinebo, ut jure, quod publicum est, mihi uti liceat?* PH. *Quid? cedo, lexne imperat, ubi*

Both. *Heu* pro *Eu* dat Br. *Heus* Delph.—53 *Tum si id*] *Tum id si* ex Bem. Bas. Vi. *Fa.* Et nostri plerique, *id si.* Bent. *Id si* Bent. Bip. Perl. *Fuerit* Guelf. 2.—55 Ms. Par. *ut justum 'st.* Perl.—57 Versu abhinc altero redeunt fere eadem verba: crediderim hunc nothum esse; vel si retineatur, legerim *Judicium de eadem re iterum ut reddatur tibi.* Tres nostri *reddatur.* *Re* pro *ca*, hoc est *causa.* In recepta lectione '*iterum*,' cujus emphasis præcipua est, in Thesi obmutescit. *Bent.* Versus excidit Both.—58 *Soli tibi* Guelf. 2.—59 Repone, versu obsecrante et implorante, *apiscier.* Bent. Sed est 'apisci' verbum Plautinum. *Perl.* *Apiscier* dat Both.—60 *Facta mihi* Delph.—62 *Id quod*] Vide num legendum *ei quod.* Gov. Delendum est κόμματος signum post 'lex jubet.' *West.* Id exhibent Both. et Bip. quamvis notet Bip. conjungenda esse 'jubet dotem dare.'—63 Guelf. 2. omittit *Dotem*, et dat *abduc.*—64 Lege, versus gratia, *Quid? num.* Bent. *Hæ* pro *he* Bent. Delph. Bip. *Est* delet et Both.—65 *Ego adipiscar* Bent. Delph. Bip. Both. Perl. *Quidem*

NOTÆ

58 *Solus regnas*] Id est, regnare vis, stare judicum sententiis recusas.

PHOR. Itane tandem, quæso? item, ut meretricem, ubi abusus sis,
Mercedem dare lex jubet ei, atque amittere? an,
Ut ne quid turpe civis in se admitteret,
Propter egestatem, proximo jussa 'st dari,
Ut cum uno ætatem degeret? quod tu vetas.
DE. Ita, proxumo quidem: at nos unde? aut quamobrem? PHOR. Ohe!
Actum, aiunt, ne agas. DE. Non agam? immo haud desinam,
Donec perfecero hoc. PHOR. Ineptis. DE. Sine modo.
PHOR. Postremo tecum nihil rei nobis, Demipho, est.
Tuus est damnatus gnatus, non tu; nam tua

virginem ingenuam violaveris, et cum ea consuetudinem habueris quasi cum meretrice, ei pecuniam pro meritorio quæstu dare, atque eam sic dimittere? an non potius jubet, proximo eam in uxorem dari, ut ne civis Attica probrum aliquod in se oommitteret inopia coacta, utque cum unico viro vitam transigeret? quod tu prohibes. DE. *Ita lex jubet quidem, eam proximo dari in uxorem: at nos unde proximi ei sumus, aut qua ratione?* PH. *Ohe, ne quod semel actum est, ut vulgo dici solet, iterum agas.* DE. *Non agam? immo, non desistam, donec felicem finem huic rei imposuero.* PH. *Deliras.* DE. *Sine modo me facere.* PH. *Postremo nihil rei nobis est tecum, Demipho: tuus filius, non tu, condemnatus est: nam senior jam*

omittit Br.—66 Duo illa verba *ut meretricem* esse Interpretis indicat aperte senarius. *Gov.* Mire variant Codd. Mss. et impressi. In aliis est: *itidem, ut meretricem;* in aliis, *civem item ut meretricem;* rursus in aliis, *civem itidem ut meretricem.* In G. inter *quæso* et *meretricem* lacuna est. Bœnd. *itidem ubi meretricem abusus sis.* Er. et Riv. *itidem ut meretricem, ubi abusus sis,* defendunt. Sed, si τὸ *civem* tollas, nescio quid elegantiæ perit. *West.* In antiquis libris non est τὸ *civem;* nec a Donato ponitur: qua dictione sublata, adhuc tamen in dimetiendo senario remanet aliqua difficultas. Existimem ego, vel τὸ *Ita* hic monosyllabum esse, vel, ex *ut*, *t* abjiciendum. *Fa.* Lege *Itan tandem;* et nulla restat difficultas. *Civem* a nostris quoque abest. *Bent.* Mur. omitt. *item ut mer.* pro quibus verbis ingerit *civem.* *Itidem* dat Guelf. 2. *Perl.* *It. ut mer.* non habet Delph. Legit Both. *Itan' tandem, quasi meretricem, ubi abusus sies.*—67 *Atque amittere? an*] Τὸ *an* in o. l. s. principium est insequentis versus: quæ tamen particula in scansione ad hunc ipsum pertinet. *Fa.* Immo ad sequentem pertinet *an;* et *ut* corripitur. *Bent.* Bothius legit *M. lex dare jubet atque amittere, an.* 'Particulam *an*, cum Lind. ac Mur. huic appono versui. Vulgo infit ab illa sequens.' *Perl.*—68 *Civis.* Abest hæc vox a quibusdam codd. *West.* Nostri, uno excepto, omnes, *civis turpe.* Lege igitur et numero et ordine meliore, *An ut nequid civis turpe in sese admitteret.* Bent. *Civis turpe* Br. 'Comma post *admitt.* Parenm secutus ego delevi, quo arctius jungerem quod sensus desideraret, 'admitt. Propt. egestat.'' *Perl.* Comma quoque non habent Br. Bent. Both. Bip. Z. Delph. *Ejus* pro *civis* Guelf. 1. *et* post *admitt.* 2.—71 Cum *Ohe* Br. vs. sequentem incipit. *Hoc* pro *Ohe* GM. in textu, et pro var. *Ohe.*—74 A Br. *nobis* abest.—75 GM. *natus.*—76 Mur. ex Mss. *ducendi ætas;* quomodo et Bœ-

Præterierat jam ad ducendum ætas. De. Omnia hæc
Illum putato, quæ ego nunc dico, dicere;
Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo.
Ge. Iratus est. Phor. Tute idem melius feceris.
De. Itane es paratus facere me advorsum omnia,
Infelix? Phor. Metuit hic nos, tametsi sedulo
Dissimulat. Ge. Bene habent tibi principia. Phor. Quin, quod est
Ferendum, feras: tuis dignum factis feceris,
Ut amici inter nos simus. De. Egon' tuam expetam
Amicitiam? aut te visum, aut auditum velim?

eras, quam ut uxorem duceres. De. *Omnia hæc quæ dico, puta tibi ab Antiphone filio dici, aut si dissentiet, hac quidem cum uxore ipsum ædibus meis submovebo.* Ge. *Ira commotus hæc dixit.* Ph. *Tu ipse meliora facies quam quæ minaris.* De. *Itane ex industria te comparasti, ut mihi molestias omnes exhiberes, improbe?* Ph. *Hic Demipho timet nos, licet aliud præ se ferat.* Ge. *Hæc initia feliciter succedunt tibi.* Ph. *Quin potius istud æquo animo feras, quod necessario tibi ferendum est: sic rem prudentia tua dignam feceris, ut ab hac lite amici discedamus.* De. *Egone tuam amicitiam affectem, aut te aspicere, aut audire digner?*

clerus in Ms. uno legit. *West.* Ita et Both.—78 *Ipsum prohibeo domo.* Numerosius est, quod in duobus antiquissimis libris, et Bas. legitur, *prohibebo*: hoc et Ubaldino Bandinello placebat; ita emendatum est et in Vi. *Fa.* Complures nostri, *prohibebo.* Bent.—79 *Tantundem...Melius feceris!* Both.—80 *Paratus.* Palmerius e Mss. *pactus* tuetur. *West.*—81 Bodl. et G. *Metuit hic me.* Br. *tamen etsi.* 'Palmerius pro *Infelix, Julix* Plautina vox.' *Perl.*—82 *Quin, quod est Ferendum, feras.* Sustuli interrogandi notam: neque enim interrogatio est, nisi legas, *Quin, quod est Ferendum, fers?* Quod est in quibusdam Codd. Aliter tamen Donatus. Horat. Carm. I. 24. 19. 'Durum; sed levius fit patientia, Quidquid corrigere est nefas.' Vide And. v. 4. 18. *West.* *Quin quod est ferundum, feras: tuis factis dignum feceris.* Bembinus habet *feres*: Ubaldinus Bandinellus legebat *fer*; nos *fers*: ut sit, quin fers quod est ferundum? nam et Donatus hæc per præsens tempus exponit, sic dicens, 'Cur non, inquit, accommodas necessitati voluntatem?' hæc ille. Ita procedit versus, aliter impeditus: quæ vero sequuntur, et ille ipse antiquissimus liber, et Vaticanus, et Basilicanus, et aliqui alii, ita collocant, *tuis dignum factis feceris.* Fa. Recte *fers*: nostri *dignum factis*: sed perperam *feras.* Bent. *Bene principia tibi habent* Both. *Dissimulet* Guelf. 2. *Hoc* post 'bene,' et *ut* post 'habent' ibid.—83 *Fers* Z. Both. Perl. Delph. Interrogative legit Bip. quæ etiam notat, 'hæret versus in *tuis*; hinc mallemus *his factis*, quod si feceris, *dignum feceris*, sive dignus eris, ut,' &c.—84 Al. *Egone.* A Guelf. 2. absunt *inter nos.*—85 *Atque auditum* Both. 'GM. sup. scr. *videre, audire*, imperite: nam glossatorem fugit Latine dict. esse in textu utrobique *velim* cum participio præteriti.' *Perl.*—86 Hos tres versus supposititios vocat Guy. *West.*—87 *Senectam oblectet* Both.—88 Heg. *Hoc age* Br. et notat Bruns, 'edit. et Bent. tribuunt Demiphoni, cui certe minus conveniunt.' J. *minime* pro *minue*, depravate. *Perl.* Guelf. 3. *iracundiam.*—89 Mss. Bodl. et Bœnd. cum EP. et EA. *properes.* West. Bem. et Vi. *properas.* Codd. Bent. *properes.* Ita et Br. qui Demiphoni tribuit *Nisi tu...Phormio.*—92 Al. *impingam tibi.* Both. *tibi grandem impingam.*—93 *Si opus quid fuerit* Idem.

NOTÆ

81 *Metuit hic nos*] Tacite hæc Phormio Getæ dicit.

Phor. Si concordabis cum illa, habebis quæ tuam
Senectutem oblectet; respice ætatem tuam.
De. Te oblectet; tibi habe. Phor. Minue vero iram. De. Hoc age:
Satis jam verborum est: nisi tu properas mulierem
Abducere, ego illam ejiciam. Dixi, Phormio.
Phor. Si tu illam attigeris secus, quam dignum est, liberam,
Dicam tibi impingam grandem: dixi, Demipho.
Si quid opus fuerit, heus! domo me. Ge. Intelligo.

Ph. *Si cum ea concorditer agas, multa delectamenta senili tuæ ætati afferet. Considera, quæso, annos tuos.* De. *Te ipsam potius delectet: tibi eam posside.* Ph. *Moderare, quæso, iracundiam.* De. *Tandem nihil opus est pluribus verbis. Nisi illico hanc Phanium abducas, ego illam expellam: dixi, Phormio.* Ph. *Si tu illam aliter, quam ingenuam, et civem attigeris tantummodo, actionem contra te gravem intendam: dixi, Demipho. Si quod opus me habueris, domo me continebo.* Ge. *Intelligo.*

NOTÆ

90 *Dixi*] Hoc verbo utebantur perorata causa; sed hic minantis est: hanc comminationem et ferocitatem Demiphonis imitatus est eodem verbo Phormio.

ACTUS II. SCENA IV.

DEMIPHO. GETA. HEGIO. CRATINUS. CRITO.

De. Quanta me cura et solicitudine afficit
Gnatus, qui me et se hisce impedivit nuptiis!

De. *Quanta me inquietudine animi, et anxietate filius meus me agitat, qui me et*

In Bip. Act. III. Sc. 3. In Both. Scena præced. continuatur.—1 G. et Wit. cum EP. *adfecit.* West. Ita et GM.—2 *Qui me suis i. n.* Both.—3 *Neque mi*

Neque mihi in conspectum prodit; ut saltem sciam,
Quid de hac re dicat, quidve sit sententiæ.
Abi tu; vise, redieritne jam, an nondum, domum.
GE. Eo. DE. Videtis, quo in loco res hæc siet.
Quid ago? dic, Hegio. HE. Ego Cratinum censeo,
Si tibi videtur. DE. Dic, Cratine. CRA. Mene vis?
DE. Te. CRA. Ego, quæ in rem tuam sint, ea velim facias: mihi
Sic hoc videtur: quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum, æquom est, et bonum,

se his implicuit nuptiis, neque in conspectum meum venit, ut saltem ab eo discam, quid de hac re dicat, quidve sentiat. Abi tu, Geta: vise redieritne, an nondum, domum. GE. *Eo visum.* DE. *Videtis, in quo statu hæc res sita sit. Quid mihi agendum est? Hegio, quid censes?* HE. *Ego censeo Cratinum prius sententiam dicere debere, si tibi videtur.* DE. *Dic, Cratine.* CRA. *Mene vis loqui?* DE. *Te volo.* CRA. *Ego quæ tuis rationibus conducant, ea cupio, ut agas. Sic ego censeo, ea quæ absentiæ tuæ tempore filius tuus fecit, in integrum restitui posse et*

Bent. Bip. Both. *Saltim* Bip.—4 Guy. in Scholiis ineditis legit, *cujusve sit sententiæ.* West.—5 Lege ex cod. Pet. *Abi vise. Tu* versum strangulat. *Bent. Abi vise* Both. Perl. *Tu Geta* GM.—7 *Ego Cratinum censeo.* Ita distinguo. Subanditur autem, 'consulendum prius.' Sunt, qui Donatum secuti distinguant post τὸ *Ego,* quasi Hegio interrogans dixerit, *Ego? Cratinum censeo.* Sed nescio quomodo Terentianum non videtur, post *dic, Hegio,* inferre, *Ego?* Tum gravior est sententia, si unica sit. Porro, qui minus Critonis sententia ita distinguatur, versu 17. 'Ego? amplius deliberandum censeo:' quod tamen nemo facile probet. Denique singulorum sententiæ ut satis graves videantur, τὸ *Ego* initiale habent. Vide Donatum ad Eunuch. v. 9. 42. *West. Ego? Cratinum censeo.* Repone *Quid ago, dic Hegio. Ego? Cratinus, censeo:* id est, Cratinus dicat. *Bent. Ego? Cratinum censeo* Both. Z. Bip. Delph. Perl. qui ad 'Cratinum' notat 'GM. sup. scr. *judicare.* Ibid. in marg. *advocatos alloquitur.*' 'In Guelf. 3. pronomini *Ego* non præfix. est persona H. sed oratio hæc Getæ ascripta sequitur ita: GE. *Ego Cratin. si tibi videtur, censeo.* Incommode satis.' *Idem.*—8. 9 *Te,* quod responsum hic facit, exaudiri saltem debet, non liquefieri et absorberi. Repone igitur, *Mene vis? Ego quæ.* Moraliter. Non expectat responsum in re levi. Sic Heaut. IV. 1. 11. 'Vin me istuc tibi credere? credo.' Est tamen, qui non *Te* sed *Vis* hinc abjicit, et sic versum constituit: *Dic, Cratine. Mene? Te.* Pudeat incuriæ, qui non viderit, si *vis* auferatur, dicendum esse non *Mene? Te:* sed *Egone? Tu.* Bent. *Mene? Te* Both. 'Bent. male extrudit D. *Te* contra morem Poëtæ; cf. Hec. IV. 4. 70.' *Perl. Ita* pro *Te* Guelf. 2.—11 *Æquom est, et bonum.* Hæc varie leguntur: *Æquom ac bonum est. Æquom ac bonum esse. Æquom esse et bonum.* Posterius tuetur Guyetus. *West.* Nostri *æquum ac bonum est.* Repone *restitui in integrum æquom esse ac bonum.* Bent. *Æquum ac bonum est* Br. Perl. *Æquom esse ac bonum* Both.—14 Codices quidam: *suus cuique mos est:* citra necessitatem sententiæ et metri: et omisit Pr. Instit. Gramm. lib. XVII. *West.* Br. *mons* pro *mos.* 'Guelf. 3. *mors* vitiose script. *r* lit. superante; id quod puncto etiam indicatur subscripto.' *Perl.*—16 *Inceptu.* Mss. M. Tr. Wit. Leidd. tres cum EA. et EP. *inceptum.* q. d. Gall. *un attentat.* Idem ex Codd. Bemb. et Vi. laudat Faërnus, et ex Ms. Lovaniensi Pulmannus; placetque Guyeto in Scholiis ineditis. *West.* Plures ex nostris *inceptum.* Utrumvis probe. Sed placet *inceptu.* Vide ad And. I. 5. 1. *Bent. Inceptu.* Sic l. antiq. Nam elidi lit. *m* facile poterat; ut ap. Ennium 'fortis equus...Vicit Olympia nunc senio confectu' quiescit;' ubi metri causa in voce 'confectus' lit. *s* eliditur. *Perl. Inceptum* Bip. Delph.—20 *Rediisse* edd. eædem.—21 Τὸ *Is* vs. priori adjungit Delph. et Bip. Ms. Bodl. *Si quod mihi dederit de hac re consilium, id exsequar.* Et τὸ *Exsequar* est in Mss. G. Lips. Wit. cum EP. et EA. atque ita legit Gambarellus. Exhibeo lectionem Faërni, Guyeto probatam. *West. Quod mihi dederit de hac re consilium, id exequar.* Juxta librum Bembinum dictionem *is,* quæ præcedentem versum finit, hujus principio attribuo,

NOTÆ

11 *Restitui in integrum*] Prætor hominibus lapsis, vel circumscriptis subveniebat; si quis metu, vel fraude sive ætate, sive absentia, in captionem et damnum incideret: nam quæ facta erant, rescindebantur. Restituere in integrum, Gallice *relever.*

Et id impetrabis: dixi. DE. Dic nunc, Hegio.
HE. Ego sedulo hunc dixisse credo: verum ita est,
Quot homines, tot sententiæ; suus cuique mos.
Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse; et turpe inceptu est. DE. Dic, Crito.
CRI. Ego amplius deliberandum censeo:
Res magna est. HE. Numquid nos vis? DE. Fecistis probe:
Incertior sum multo, quam dudum. GE. Negant
Redisse. DE. Frater est expectandus mihi:
Is quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar.

debere, et id a magistratu obtinebis. Dixi. DE. *Dic nunc, Hegio.* HE. *Ego Cratinum ex animi sententia dixisse puto: verum ita est, quod vulgo aiunt, Quot homines, tot sententiæ. Sua cuique opinio singularis est. Ego non opinor quæ legibus decreta sunt, tolli posse, nec honestum esse id tentare.* DE. *Dic, Crito.* CRI. *Mihi videtur de ea re diutius consultandum esse. Res magna est. Numquid est aliud, quod nos velis, priusquam abimus?* DE. *Fecistis probe officium: multo magis in incerto sum positus, quam paulo ante fui.* GE. *Domestici negant Antiphonem rediisse.* DE. *Fratrem Chremetem opperiri me oportet: quod mihi consilium ab*

17 *Amplius deliberandum censeo*] Ampliare, est protrahere, differre, hæc vox etiam ad judicia pertinebat: ut cum reus ampliari dicitur; quod tum fiebat, cum causa judicibus non satis erat probata: nam apud Romanos, si causa obscurior esset, amplius pronuntiabatur a judicibus, qui duabus his literis N. L. (id est, Non liquet) significabant sibi non liquere, quid statuendum esset, causamque denuo esse dicendam. Ad ampliationem hæc verba textus alludunt.

18 *Numquid nos vis*] Abiturientium est formula quasi dicat, Numquid aliud est, quod nos velis, priusquam abimus?

Percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat.
GE. At ego Antiphonem quæram, ut, quæ acta hic sint, sciat.
Sed eccum ipsum video in tempore huc se recipere.

eo dabitur, id sequar. Perquisitum eo apud portum, quo tempore rediturus sit. GE. *At ego Antiphonem investigabo, ut quæ acta sint a me audiat. Sed ecce, eum ipsum video opportune huc se conferre.*

et pro *exequar*, lego *sequar*. Fa. Unus ex nostris *sequar;* atque idem hoc ordine verba ponit, *Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar:* ut exstat Adel. III. 5. 54. *Bent.* *Is quod dederit de hac re consilium id exequar* Br.—22 *Percontatum.* Certatim de vera lectione contendunt hic Guy. et Dac. Ille hunc versum expungit, quasi effictum ex ultimo hujus Scenæ; hæc ultimum recidit, quasi ex hoc formatum. Legitur autem uterque in Codd. quos vidi, omnibus. *West.*—23 Bona codd. pars legit *sunt.* Idem.—24 Dac. male hunc vs. quo Scena seq. priori conjungitur, contra codd. expungit, rem scil. existimans ex vulgata, quæ a Sc. seq. Act. III. orditur. Nos supra cum Do. Act. III. a II. rectius divisimus, ac per tres Scenas continuamus cum ed. nostra vet. *Bip.*

NOTÆ

22 *Quoad se recipiat*] Id est, quando rediturus sit. Sic supra: 'Finem quoad expectatis vestrum?'

ACTUS III. SCENA I.

ANTIPHO. GETA.

AN. ENIMVERO, Antipho, multimodis cum istoc animo es vituperandus.
Itane hinc abisse et vitam tuam tutandam aliis dedisse?
Alios tuam rem credidisti magis, quam tete, animadversuros?

AN. *Certe Antipho multis rationibus cum isto animo timido culpandus es. Itane hinc discessisti, et salutem tuam aliis defendendam tradidisti? aliosne tuam rem de qua nunc agitur, putavisti melius perspecturos? nam cetera qualiacumque essent, Phanio,*

In Bip. est Act. III. Sc. 4. In Both. III. 3.—1 Codd. Bent. *multis modis.* Ita et Br. Delph. *Tum* pro *cum* Guelf. 2.—2 Fa. *Itane te hinc abisse* laudat. Atque ita Mss. et editi quidam exhibent. Codd. quidam *vitam tutandam:* omisso *tuam.* West. In Vi. scriptum erat, *Itane te hinc abisse:* quemadmodum et Ubaldinus Bandinellus legebat, quod et orationi et versui commodissimum videtur. *Fa.* A nostris *te* abest. *Bent.* *Te* dant Both. Bip. Delph.—3 *Adversuros* laudat Riv. Bona pars Mss. et editorum quidam, *quam te.* Guy.

Nam, ut ut erant alia, illi certe, quæ nunc tibi domi est, consuleres,
Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali;
Cujus nunc miseræ spes opesque sunt in te uno omnes sitæ.
GE. Equidem, here, nos jamdudum hic te absentem incusamus, qui abieris.
AN. Te ipsum quærebam. GE. Sed ea causa nihilo magis defecimus.
AN. Loquere, obsecro; quonam in loco sunt res et fortunæ meæ?
Numquid patri subolet? GE. Nihil etiam. AN. Et quid spei porro 'st? GE. Nescio. AN. Ah!
GE. Nisi Phædria haud cessavit pro te eniti. AN. Nihil fecit novi.

ei quæ nunc in tuis est ædibus, prospicere sane debuisti, ne quid, ideo quod fidei tuæ se credidit, mali acciperet, cujus nunc infelicis bona spesque a te uno pendent. GE. *Profecto, here, nos jampridem te, quod hinc aberas vituperavimus.* AN. *Te ipsum quærebam.* GE. *Sed propter absentiam tuam nihilo magis animum remisimus.* AN. *Dic mihi, quæso, in quem locum devenerunt res, et sortes meæ? Numquid pater suspicatur me collusisse cum Phormione, et ex compacto ei cessisse victoriam causæ?* GE. *Nihil etiam.* AN. *Ecquid spei ulterius est?* GE. *Nescio: nisi quod Phædria non desiit enixe res tuas curare.* AN. *Nihil fecit, nisi quod solet.* GE. *Tum*

ob metrum legit: *mage, quam ted animadversuros.* West. Nostri *te.* Bent. Ita et Br. *Mage* Both. *Animadversuros magis?* Delph. *Credidisse* Guelf. 2.—4 *Quæ nunc tibi domi est.* Elegantior lectio, quam quorundam Mss. et impressorum, *quæ nunc tuæ domi est.* West. *Nam ut ut erant alia, illi certe quæ nunc domi tuæ est consuleres.* Liber Bembinus, *quæ nunc tibi domi'st:* quomodo et infra dicitur, 'Cui quod amas domi'st:' item, 'mihin domi'st.' (III. 2. 19.) ita versus quoque expeditissimus est. *Fa.* Nostri *tuæ domi.* Bent. Ita et GM. Br. In Delph. est *illi certe consuleres, quæ nunc tibi domi est.*—5 *Pateretur.* Ita Mss. plerique omnes, cum editis vetustis. Gulielmius alteram Donati lectionem secutus, *potiretur mali* legit. Guy. *Ne qui...potiretur mali.* West. *Potiretur* Bent. Both. Vulgatam lect. probat Bip.—7 *Equidem ere nos jamdudum.* Aliqui libri, inter quos tres antiquissimi, et Bas. *Et quidem:* quod inceptivum est, ut et in Hecyra, 'et quidem te expecto.' *Fa.* Nostri quoque *Et quidem.* *Equidem* ea ætate, non nisi cum persona prima singulari, jungebatur. *Bent.* *Et quidem* Br. GM. Bip. Both. *Nos jamdudum abs re te hinc incusamus qui abieris* Both. *Hinc* Hel. Guelf. 1.—8 GM. *nihilo minus.*—9 Mss. Leidd. tres, Bodl. G. Wit. Bœnd. *sint:* atque ita editi quidam veteres. *West.* Ita et Br.—10 G. et EP. *subdolet*, h. e. aliquantum dolet. Idem in plusculis Donati codd. impressis legitur. In Arg. additum: 'I. e. Dolet patri meo, quod abierim, neque subierim ejus conspectum.' *West.* Ne *patri* in Thesi totum delitescat, lege *Num patri quid subolet;* et *speii* δισυλλάβως pro *spei.* Bent. *Subdolet* Br. *Num patri subolet quid? Nil etiam. Spe quid porro est?*

NOTÆ

11 *Nisi Phædria*] Linacer Græcismum esse ait, *nisi* pro *sed.*

GE. Tum Phormio itidem in hac re, ut in aliis, strenuum hominem præbuit.
AN. Quid is fecit? GE. Confutavit verbis admodum iratum patrem.
AN. Eu! Phormio. GE. Ego quod potui, porro. AN. Mi Geta, omnes vos amo.
GE. Sic habent principia sese, ut dico: adhuc tranquilla res est;
Mansurusque patruum pater est, dum huc adveniat. AN. Quid eum? GE. Ut aiebat,
De ejus consilio sese velle facere, quod ad hanc rem attinet.
AN. Quantus metus est mihi, venire huc salvom nunc patruum, Geta!

etiam Phormio pariter in hac re ad nuptias pertinente, fortem virum, et diligentem, ut in aliis rebus, se gessit. AN. *Quid is fecit?* GE. *Convicit verbis Demiphonem tuum patrem vehementer ira impulsum.* AN. *Euge, Phormio, perge facere ut cœpisti.* GE. *Ego porro autem, feci quod potui.* AN. *Mi Geta, omnes vos amo de tot officiis.* GE. *Hoc modo principium rei successit: res adhuc integra est, et tuta. Pater expectaturus est patruum tuum, dum huc veniat.* AN. *Quare pater Chremetem patruum expectaturus est?* GE. *Quia, ut aiebat, vult se gerere in re ad matrimonium tuum pertinente, prout ille suadebit.* AN. *Quantopere metuo re-*

Both. *Ecquid* Br. Bent. Bip. Z. Perl. Delph.—12 *Tum Phormio itidem.* Guy. in ἀνεκδότοις, *Tum Phormio se itidem.* In impressis autem *τὸ se* subaudit. Et videtur vix dici absolute, 'præbere virum.' Dubius Ciceronis locus est, Fam. v. 18. 'Rogo atque oro, te colligas, virumque præbeas.' *West.* *Ut in aliis.* Quod Faërnus *τὸ in* abesse ait a libro Bembino, in eo a Guyeto reprehenditur. Utri credas? Abest tamen Adelph. v. 8. 2. 'Ego vero jubeo, et in hac re, et aliis omnibus.' Mss. Bodl. G. M. et Bœcleri duo, cum EP. *Itidem hac re, uti in aliis.* Idem. *Itidem in hac re, ut in aliis.* Liber Bembinus secundo loco *in* præpositionem non habet, quam et respuit versus; tamen subaudienda est. *Fa.* *Ut aliis* Bip. Both. Perl. *Itidem hac re ut in aliis* Br. —13 *Iratum senem* habet Bem. quod consuetudini sermonis videtur accommodatius. *Fa.* Nostri omnes *patrem*, et sic Nonius v. 'confutare,' et Eutyches p. 2185. *Bent.* Senem dant Both. Bip. Perl. Delph.—14 G. *Heu, Phormio:* sed notat Agrætius, '*Heu* interjectio dolentis est, *Eu* laudantis. Terentius, 'Eu, Phormio.'' *West.* *Heu* Br. GM. *O mi Geta.*—16 *Ut aiebat.* Guy. Antiphoni etiam tribuit, legens, *Quid eum? quid ait?* West. *Ut aiebat, De ejus consilio velle sese facere.* 'Ανακόλουθον hoc est, et solœcissat. Repone, *Id aibat De ejus consilio velle sese facere, quod ad hanc rem attinet.* 'Id quod;' ut singulis fere paginis. *Bent.* *Ita aibat* Perl. Notat tamen: 'Sic a Bent. recepi. In l. antiq. *Ut aiebat.*' Sine dubio igitur errore typographi *Ita* pro *Id.* Τὸ *Ut* omittit Delph. *At aibat* Both. *Veniat* pro *adveniat* Guelf. 3.—17 Wit. *quod hanc rem attinet.* Lege ex uno Regio et edd. vett. *De ejus c. velle sese:* numeris melioribus. *Bent.* *Quod ad rem attinet* Br. *Velle sese* Perl.—18 Fa. et Guy. *Quantum metus:* ut *τὸ* 'metus' sit gignendi casus. *West.* *Quantum*

Nam per ejus unam, ut audio, aut vivam, aut moriar, sententiam.
GE. Phædria tibi adest. AN. Ubinam? GE. Eccum! ab sua palæstra exit foras.

ditum patrui, ne salvus ad suos redeat: nam ex ejus sententia, ut audio, mihi mors aut vita veniet. GE. *Phædria ad te accedit.* AN. *Ubinam est?* GE. *Ecce eum, a sua palæstra prodit.*

metus est. Sic e Bembino dedit Fa. sed correctorem hoc sapit, qui Iambicum hunc reddere voluit, ut cum sequente congrueret. *Quantus metus*, nostri universi, ut supra I. 2. 7. 'Nescis quo in metu et Quanto in periclo simus.' *Quantum metus*, quasi divideretur metus, et in trutina poneretur, meo judicio putidum est. *Bent.* *Huc nunc salvum* Br. *Quantum metus* Perl.—19 Guy. *τὸ ejus* expungit. *West.* *Nam per ejus unam, ut audio, aut vivam aut moriar, sententiam.* Sic libri, et Iambicus est; cum ex serie Trochaicus esse debeat. Lego, *Nam de ejus una, ut audio, aut vivam aut moriar sententia.* Bent. Bothius legit *Nam pro ejus una aut v. aut m. ut audio, sententia.* Delph. *Nam, ut audio, per unam ejus aut v. a. m. sententiam.* Guelf. 2. ordinat *ut audio per ejus unam.* In 3. est *Nam ut.*—20 Reponendum ex duobus Regiis monet Bent. *Ubinam'st?* Ita et Perl. Al. *a sua palæstra.*

NOTÆ

20 *Eccum ab sua palæstra*] Quod Phædria in domo amicæ assidue versetur, quemadmodum pugil, aut athleta in palæstra, quæ est locus ubi luctatores nudi, et oleo quondam perfusi, luctabantur.

ACTUS III. SCENA II.

PHÆDRIA. DORIO. ANTIPHO. GETA.

PHÆ. DORIO, audi, obsecro. DO. Non audio. PHÆ. Parumper. DO. Quin omitte me.
PHÆ. Audi, quod dicam. DO. At enim tædet jam audire eadem millies.

PH. *Dorio, audi, obtestor te.* DO. *Non audio.* PH. *Audi paulisper.* DO. *Quin, sine me ire.* PH. *Audi quod dicam.* DO. *At piget me eadem millies repe-*

In Bip. act. III. sc. 5. In Both. III. 4.—1 *Quin omitte me.* Videtur legendum *mitte*, ex ratione versus, ut sit trochaicus tetrameter catalecticus, ut sequentes, in quo sit anapæstus in tertia. *Fa.* Both. legit, *Dorio, obsecro, audi. Non. Parumper! Quin omitte me!* Abest *me* Guelf. 2. Nostri pleri-

PHÆ. At nunc dicam, quod lubenter audias. Do. Loquere, audio.
PHÆ. Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc? quo nunc abis?
Do. Mirabar, si tu mihi quicquam afferres novi.
AN. Hei! metuo lenonem, ne quid suo suat capiti! GE. Idem ego metuo.
PHÆ. Non mihi credis? Do. Hariolare. PHÆ. Sin fidem do. Do. Fabulæ!
PHÆ. Fœneratum istuc beneficium tibi pulchre dices. Do. Logi!
PHÆ. Crede mihi, gaudebis facto: verum hercle hoc est. Do. Somnia!

tita audire. PH. *At nunc dicam, quod tibi audienti jucundum sit.* Do. *Loquere, audio.* PH. *An non possum precibus a te impetrare, ut expectes hos tres dies?* DE. *Mirum erat, si tu mihi quicquam novi sermonis proponeres.* AN. *Hei, vereor ne leno aliquid mali in caput suum arcessat.* GE. *Idem ego timeo.* PH. *Dorio, an non mihi fidem habes?* Do. *Recte conjectas me scilicet tibi eadem centies promittenti nequicquam credere.* PH. *Sin fidem obligo?* Do. *Mendacia.* PH. *Duplo fœnore compensatum istud tibi beneficium tute fateberis.* Do. *Mera verba sine re.* PH. *Crede mihi, lætaberis te fecisse: per herculem, verum tibi dico.*

que cum edd. vett. *Audi quid dicam.* Bent. Ita et Perl.—6 *Metuo lenonem, ne quid suo suat capiti.* Constans fere Librorum lectio, sed unde vix quicquam boni sensus eruas. Mss. Bodl. G. Wit. *ne aliquid suo suat capiti.* M. et EA. *ne quid suo assuat capiti.* Guyetus, quia nihil expediebat, versum hunc non versum, sed monstrum vocat, ab indocto et impudente interpolatore intrusum. Est autem elegantissima lectio, quam e suo Ms. exhibet Mur. *metuo lenonem, ne quid suat: suo capiti!* Quod autem Mur. in suo Ms. legit, *ne quid suat: suo capiti!* idem ita edidit Gryphius, Venet. 1580. *West.* *Idem ego metuo.* Wit. *Inde metuo ego.* Fa. e cod. Bem. *Idem ego vereor* laudat. Unde ita in plusculis editis. *Idem.* *Ei, metuo lenonem, nequid suo suat capiti.* GE. *Idem ego vereor.* Sic a Faërno est: sed pæne recte Guyetus, 'Hoc non versum esse, sed monstrum.' Mureti codex variabat ordinem, *nequid suat suo capiti.* Hoc arripuit vir disertissimus; et subdistinguit, *nequid suat:* deinde infert, *suo capiti,* hoc est, quod in lenonis ipsius caput vertat. Atque hæc interpretatio regnavit hactenus, multis tamen exceptionibus obnoxia. Aliud itaque tentandum est. A codice nostro 900. annorum absunt ista *ego vereor,* vel, ut ceteri habent, *ego metuo.* Repone, *Mirabar, si tu mihi quicquam adferres novi.* AN. *Ei Metuo lenonem, nequid.* GE. *Suo capiti fuat.* 'hei,' 'hui,' 'hem' frequentius in fine versus ponuntur. *Bent.* *Ei, metuo lenonem ne aliquid suo suat c.* Br. *Suat suo capiti* Perl. *Fuat* Palmerius. *Hei, lenonem vereor, ne quid ....* GE. *Suo capiti fuat! Idem ego vereor* Both. *Ne aliquid* Guelf. 1. 3. —7 M. *Si fidem do.* 'GM. sine aspirationis nota, *ariolare,* et subscript. syllab. *ris,* ut sit *hariolaris.*' Perl.—8 Bona Mss. pars, *pulchre tibi.* West. Sic et omnes codd. Bent. cum Br. Bip. Both. Perl.—9 Do. *Somnium.* Magis ex more sermonis est *Somnia;* quod in libro Bembino est: præsertim cum et alia in plurali præcesserint, 'fabulæ,' 'logi:' idem et in Vi. fuisse conjicio

PHÆ. Experire; non est longum. Do. Cantilenam eandem canis.
PHÆ. Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu— Do. Garri modo.
PHÆ. Adeon' ingenio esse duro te atque inexorabili,
Ut neque misericordia neque precibus molliri queas?
Do. Adeon' te esse incogitantem, atque impudentem, Phædria,
Ut phaleratis dictis ducas me, et meam ductes gratiis?
AN. Miseritum 'st. PHÆ. Hei! veris vincor. GE. Quam uterque est similis sui!

Do. *Inania et falsa.* PH. *Fac experimentum: id brevis est temporis.* Do. *Idem semper mihi repetis.* PH. *Tu mihi cognatus, tu pater, tu amicus.* Do. *Perge inepta garriendo nos enecare.* PH. *Adeone tu ingenio aspero et implacabili sis, ut neque misericordia, neque precibus leniri, et flecti possis?* Do. *Adeone, Phædria, sis inconsideratus, et inverecundus, ut ornatis et comtis verbis me decipere, et virginem, quæ mea est, mihi capere gratis coneris.* AN. *Phædriæ miseret me.* PH. *Hei, vera sunt, quæ dicit, et his cedere cogor.* GE. *Quam uterque, Phædria, et*

ex rasura postremæ literæ hujus dictionis. *Fa.* Nostri omnes *Somnium.* Bent. Ita et Br. Z. *Quod dico* post *verum hercle* Guelf. 2.—11 Guyetus ultimum *tu* expungens expedire se versum dicit, legendo, *Tu mihi cognatus, parens tu, amicus tu.* Sed vel ideo melior lectio vulgata, quod leno plura etiam dicere parantem Phædriam obturbat. Sic Adelph. III. 4. 55. A Mss. M. et Wit. abest tamen postremum *tu.* EP. legit, *Tu mihi parens.* Mss. Leidd. unus, *Tu amicus, tu loco fratris eris.* Bodl. *Tu amicus mihi, tu loco fratris eris.* Laudat Par. ex Ms. Pal. *Tu mihi parens, tu mihi loco fratris.* E Ms. Lovaniensi citat Pulmannus: *Tu mihi amicus, tu mihi.* In duobus Mss. Bœcleri erat: *Tu mihi cognatus, tu mihi parens, tu amicus.* West. Codd. quidam, *Garris modo.* Idem. *Garris modo.* Quanto venustius, quod est in o. l. s. *Garri modo.* Fa. *Garri,* ex nostris et plures et meliores. Sed aliud restat; jam enim ex Trochaicis nulla rerum mutatione Iambicus hic fit, *tu mihi cognatus.* Tolle, *mihi,* et rescribe, *Tu cognatus, tu parens, tu amicus, tu.* *Garri modo.* Bent. GM. *tu amicus, tu loco fratris eris.* Perl. *Tu mihi parens* Br. Lectionem Bent. dat Both. Abest *tu* ultim. a Guelf. 2.—12 Bodl. et G. *te esse duro.* West. *Adeon ingenio te esse duro atque inexorabili.* Hunc trochaicum claudicantem sic corrigo, ex libris Bem. et Vi. *Adeon ingenio esse duro te a. i.* Fa. Recte. Nostri, *te esse duro,* uno Regio excepto. *Bent.* *Te esse duro* Br. Z. *Adeone esse duro ingenio te a. i.* Both.—14 Legendum monet Bent. ex Pet. et Meadiano, *atque imprudentem.* Ita et Perl. Both. et vet. ed. penes edit. Bip. —15 Mss. G. Lips. Wit. et EP. *gratis.* Cod. Bem. *ducis gratis:* sed *gratiis* trochaici carminis ratio exigit. *West.* Recte *gratiis;* quanquam nostri omnes *gratis.* Vide nos ad Adelph. IV. 7. 26. Porro vetustissimi quique nostri, Latino more *faleratis,* non *phaleratis.* Bent. *Duces gratis* Br. *Seducas* Guelf. 1.—16 Tres hosce vss. expungit Guy. in quibus explicandis mire sudant interpretes. *West.* *Veris vincor.* Minus proba est quorundam codd. lectio, *verbis vincor.* Idem. *Miseritum est.* *Hei veris vincor.* *Quam est uterque simili' sui?* In hac Scena versus non est alius difficilior intellectu. 'Miseritum est,' dicere per ironiam Antiphonem vult Interpres: quod ego illi assentior. At

PHÆ. Neque, Antipho alia cum occupatus esset solicitudine,
Tum hoc esse mihi objectum malum! AN. Ah! quid istuc autem est, Phædria?
PHÆ. O fortunatissime Antipho! AN. Egone? PHÆ. Cui, quod amas, domi 'st;
Nec cum hujusmodi unquam usus venit, ut conflictares malo.
AN. Mihin' domi 'st? immo, id quod aiunt, auribus teneo lupum.
Nam neque quomodo a me amittam, invenio; neque, uti retineam, scio.
DO. Ipsum istuc mihi in hoc est. AN. Eia! ne parum leno sies.

Dorio, sunt similes sui! nam ut ille amator perditus est, ita hic avarus sordidus! PH. *Atque illud quoque mihi gravissimum est, hoc malum mihi tum potissimum advenisse, cum Antipho, non dissimili cura, et molestia premeretur.* AN. *At quid istud autem est, Phædria?* PH. *O fortunatissime Antipho!* AN. *Egone?* PH. *Qui amicam duxisti, et uxorem domi possides; nec opus unquam fuit cum hujusmodi malo pugnare.* AN. *Mihi domi amicam possideo? quin immo, quod vulgo dicitur, auribus teneo lupum: nam neque quomodo eam a me dimittam reperio, neque ut mihi servare possim scio.* DO. *Similis res mihi contigit cum Phædria.* AN. *Cave*

quid sit 'veris vincor:' quid 'Quam est uterque similis sui,' neque ille dicit, neque ego assequor. Scriptum fuisse credo *Hei verbis vincor.* Gov.—18 Malim si per codices liceret, τὸ *Ah,* tribuere Phædriæ, ita: *Tum hoc esse mihi objectum malum? ah!* AN. *Quid i. a. e. P.* West. *Sciunt* inter *objectum* et *malum* Guelf. 3. Libri antiqui, *est autem.*—20 Mss. Lips. Bodl. Bœnd. et EP. *unquam tibi usus.* West. Ita et Br. Guelf. 3. Bothius omittit τὸ *unquam.*—21 Bodl. *quod aiunt,* omisso *id.* West. *Mihine domi est? immo, quod aiunt.* Legendum est ex o. fere l. s. *Mihin domi'st? immo id quod aiunt:* in dimetiendo autem versu *Mihin,* monosyllabum faciendum, ut sit trochaicus; ut proxime præcedentes, et sequentes. *Fa.* Sic et nostri, *Mihin.* Bent. *Immo quod aiunt* Br. Z. *Min' domi est* Bip.—22 Codices quidam, *quo amittam a me:* quam lectionem tuentur Riv. Gov. et G. F. Alii, *quo pacto.* West. *Nam neque quomodo amittam a me invenio, neque uti retineam, scio.* Versus hic est trochaicus hypercatalecticus, qui mihi non placet; in Bembino est catalecticus, ut ceteri, magis pressa locutione, magisque Terentiana: *Nam neque quo pacto a me amittam, neque uti retineam scio:* idem est et in Vi. nisi quod pro *pacto,* habet *quomodo.* Fa. *Nam neque quo pacto a me amittam, neque uti retineam scio.* Sic a Faërno est: sed nostri omnes, *Nam neque quomodo a me amittam invenio; neque uti retineam scio.* Nimirum huc traductum est a I. 3. 14. 'Ut neque mi jus sit amittendi, nec retinendi copia:' et cum in margine libri a quodam annotatum sit, postea in versus formam redegit corrector ille Bembinus. Parum credibile est, eandem sententiam in eadem fabula ab eadem persona ad eandem bis dici, neque pro cetera Terentii cura et elegantia est. 'Auribus teneo lupum,' tam notæ significationis, et vulgo tritum proverbium erat, ut explicatione ista non indigeret. *Bent.* *Nam neque, qui amittam a me* Both. *Quo amittam a me* Bip. Delph.—23 Guy. versum hunc ineptum et insititium

Numquid hic confecit? PHÆ. Hiccine? quod homo inhumanissimus:
Pamphilam meam vendidit. GE. Quid? vendidit? AN. Ain'? vendidit?
PHÆ. Vendidit. DO. Quam indignum facinus! ancillam ære emtam suo.
PHÆ. Nequeo exorare, ut me maneat, et cum illo ut mutet fidem,
Triduum hoc, dum id, quod est promissum, ab amicis argentum aufero.
Si tum non dedero, unam præterea horam ne oppertus sies.
DO. Obtundis. AN. Haud longum est id, quod orat, Dorio: exoret, sine:

ne parum te lenonem præstes. Quod vero negotium hic Dorio perfecit? PH. *Hiccine quid gesserit, quæris? quod homo crudelissimus possit facere: amicam meam Pamphilam vendidit.* GE. *Quid? vendidit?* AN. *Itane? vendidit?* PH. *Vendidit.* DO. *Quam istud grande scelus est scilicet, Dorionem vendidisse servam, quam pecunia sua acquisierit?* PH. *Non possum ab eo impetrare, ut hos tres dies expectet me, et fidem fallat discedens a venditione, dum pecunia mihi ab amicis numeretur. Si tum non dedero ne unius quidem horæ spatium opperiatur præterea.* DO. *Dicendo toties eadem cerebrum excutis mihi.* AN. *Modicum tempus*

vocat. *West.*—24 *Numquid hic confecit?* Libri quidam verba hæc Getæ tribuunt. Malim autem: *Nam quid hic confecit?* uti ediderunt Aldus, Mur. Heinsius. *Idem.*—25 EP. *Quid, Phædria? vendidit?*—26 M. *emtam meo.* Bœnd. et EA. *ancillam meam emtam ære meo.* West. *Meo* Guelf. 1. 2.—27 *Ut me maneat.* Mss. Bodl. G. Bœnd. et EP. *ut maneat.* West. *Cum illo ut mutet fidem.* Hæc Guyeto nec Œdipus intelligit, legenti: *Nequeo exorare ut me maneat; eo cum ut ne mutet fidem Triduum hoc.* Quando 'eo cum, ut ne mutet fidem' notant, 'ea conditione, ut stet promissis.' Addit autem in glossis ineditis: 'Primum τὸ *eo* in *illo* mutatum, metri sustentandi causa. Τὸ M enim in *cum* elidi putarunt, quod hic, ut et alibi servatum est. Postea τὸ *et* additum, et τὸ *ne* exemtum. Ex vulgata lectione nulla sententia bona erui potest; immo sententia auctoris sententiæ contraria. Phrasis autem illa, *cum eo,* quæ significat, ea conditione, vulgo ignota, mutationis causa fuit.' *Idem.* F. F. *illo cum ut mutet fidem:* ut sit ἀναστροφὴ, ne versus claudicet. *Idem.* *Nequeo exorare ut maneat.* In Bem. est, *ut me maneat:* ita etiam trochaico postulante: conjicio et in Vi. fuisse *me,* sed post *maneat:* tantum enim loci in rasura vacat. *Fa.* A nostris abest *me;* nisi quod unus *maneat me,* pro *me maneat.* Bent. A GM. et Br. τὸ *me* abest. *Cum illo mutet fidem* Both. Bip. *Illo cum ut m. f.* Delph.—28 Ms. Lips. Wit. Bœnd. *affero.* West. Ita et Guelf. 1. 2.—29 Reponendum monet Bent. *oppertus siet;* ut ante 'maneat,' 'mutet.'—30 EP. et quædam aliæ vetustæ, *Obtunde.* Idem ex codd. Vi. et Bas. laudat Faërnus. *West.* *Obtunde.* AN. *Haut longumst id quod orat, Dorio, exoret sine.* Sic a Faërno: sed fallitur vir optimus, cum existimat hoc pacto Trochaicum fieri. 'Quod' elidi nequit, et 'Obtunde' si primam acuat, ingrato modulo aurem vulnerat. Repono, *Optume.* AN. *Haut longumst quod*

Idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.

Do. Verba istæc sunt. An. Pamphilamne hac urbe privari sines?

Tum præterea horunc' amorem distrahi poterin' pati?

Do. Neque ego, neque tu. Ge. Di tibi omnes id, quod es dignus, duint!

Do. Ego te complures advorsum ingenium meum menses tuli,

Pollicitantem, nihil ferentem, flentem: nunc contra omnia hæc,

postulat, exaudi eum, Dorio. Ipse hujus gratiæ te duplo remunerabit. Do. *Hæc inania sunt promissa.* An. *Num Pamphilam hac urbe exportari tam dure consenties? tum quoque horum amorem mutuum divelli pati poteris?* Do. *Neque ego, neque tu patiemur.* Ge. *Dii te perdant, ut meritus es.* Do. *Phædria, ego te jam plurimos menses tolero, et expecto promittentem solum, et nihil pecuniæ afferentem, sed solas lacrymas effundentem: nunc alium contra inveni multo dissimilem*

orat. Bent. Idem conjicit, An. *Triduum? haud longumst. Obtunde* Br. *Est* omittit Z. Both. Perl. Delph. omittunt *id. Exoratus* pro *exoret* Guelf. 2.—31 Hic vs. Guyeto spurius et insititius vocatur. Mss. et editi quidam *hic.* West. In Vi. et Bas. non *hoc*, sed *hic* legitur: quod placet: ut tamen sit adverbium, id est, in hoc negotio. *Fa.* Nostri *hoc.* Recte *hic*, sed pronomen est. *Bent. Idem hic t.* Bip. Delph. *I. tibi hic* Both.—32 Bœnd. *ab hac urbe.* Mallet Guy. *Pamphilane hanc urbem privari sines?* West. *Ab hac urbe* Guelf. 2.—33 *Horunc amorem.* Si ita legas, pro *horum*, stat versus; qui et sustentatur lectione quorundam codicum, *Tum tu p. horum a.* West. M. *potero* pro *poterin.* Idem. *Tum p. horum a.* Convenientius versui erit, si legas *horunc*, ut in libro Bas. *Fa.* Nostri *horum.* Bent. Ita et Br. *Tum tu p. horunc* Delph. —34 *Di tibi.* M. Ph. *Di tibi.* Tr. Ge. *Di tibi omnes, quod est dignum, duint.* Wit. *Di tibi omnes id, quod est dignum, duint.* Ita et Ms. G. sed *quod es dignus* magis figuratum vocat Faërnus. *West.* Ex nostris tres primarii, *es dignus* Bent. *Neque ego necto* Bothius. GM. *te* pro *tibi. Est dignum* Perl. Bip. —36 *Nunc contra omnia hæc, Repperi, qui det.* Cl. Wielingius distinguit, *nunc, contra, omnia hæc Repperi.* Mss. varie, *nunc omnia contra Repperi. Nunc contra omnia Repperi. Nunc contra, omnia Repperi.* EP. *Nunc contra omnia Repperi.* Videtur autem præstare lectio vulgata; nam et ita Adelph. I. 1. 19. itidem absolute: 'ille contra, hæc omnia.' Valet igitur, Ἀντὶ τούτων πάντων. West. *Nunc contra omnia.* Bembinus addit in fine, pronomen *hæc;* aliqui alii quoque *id* habent, sed alia collocatione versui repugnante. *Fa.* Recte *hæc:* unus ex nostris *hæc omnia:* a ceteris *hæc* abest. Sed distingue, *Nunc, contra omnia hæc, Repperi, qui det.* Bent. *Omnia hæc Repperi* Both. *Nunc contra omnia Repperi* Br. *Pollicitantem, flentem, et nihil ferentem: nunc,*

NOTÆ

34 *Neque ego, neque tu*] Irridens id ait Dorio. Hoc autem sibi vult: magnopere scilicet ego et tu afficiemur hac amoris distractione, neque eam poterimus pati.

Reperi qui det, neque lacrymet: da locum melioribus.

An. Certe hercle, ego si satis commemini, tibi quidem est olim dies,

Quam ad dares huic, præstituta. Phæ. Factum. Do. Num ego istuc nego?

An. Jam ea præteriit? Do. Non; verum hæc ei antecessit. An. Non pudet

Vanitatis? Do. Minime, dum ob rem. Ge. Sterquilinium. Phæ. Dorio,

Itane tandem facere oportet? Do. Sic sum: si placeo, utere.

Am. Siccine hunc decipis? Do. Immo enimvero, Antipho, hic me decipit:

tui, qui scit dare, non vero promittere frustra, et flere. Cede illis qui plus possunt, quam tu. An. *Equidem, si ego satis recordor, diem certe definivisti antehac, ad quam Pamphilam Phædriæ traderes.* Ph. *Ita est.* Do. *Num ego infitior?* An. *Præterlapsa est?* Do. *Non, sed hæc dies, qua emtorem inveni, eam, quæ præfixa fuit, anticipavit repræsentatione pecuniæ.* An. *Non pudore suffunderis de vanitate fidei et perfidia.* Do. *Minime: dummodo lucrum faciam.* Ge. *Stercorum receptaculum.* Ph. *Itane tandem agi decet?* Do. *Sic a natura comparatus sum, si gratus sum, me utere.* An. *Siccine hunc fallis?* Do. *Quin potius certe hic,*

contra omnia hæc, Repperi Z. *Nunc contra, omnia hæc Repperi* Bip. 'Abest *hæc* a GM. Necesse est hæc verba serie una continuari. Falso igitur Par. *nunc contra, omnia hæc* virgula interposita distinxit.' *Perl. Et nihil* Br. Guelf. 2. Ibid. *et* ante *nunc. Et nil f.* Bent.—38 *Certe hercle si satis commemini, tibi quidem olim est dies.* Aliqui libri post *certe* habent pronomen *ego.* Bem. et Bas. et Vi. post *hercle;* quos et sequimur: quæ vero sequuntur verba, omnes quotquot sunt, et Donatus, ita ordinant, *tibi quidem est olim dies.* Hæc laborantem trochaicum sanant. *Fa.* Utrumque confirmant libri nostri. *Bent. Olim est dies* Br.—39 Guy. *Quoad dares.* Bœnd. *præconstituta.* Codd. quidam *Non ego istuc nego.* West. Lege ex Petrensi nostro: *Quoad dares.* Bent. Et ita exhibent Both. Bip. Perl. 'Nostra vet. cum figg. habet *Qua dares, hinc præconstituta.*' Bip. *Quam adderes* Br. Guelf. 2. Idem Guelf. *Non* pro *Num.*—40 M. *Jamne ea:* quomodo et impressi quidam veteres. Sed aliter legisse Donatum apparet. *West.* Al. *verum ei hæc.*—41 *Stercilinium, Dorio.* Sic dedit Fa. versu ipso melius admonente. Noster quoque 900. annorum, *Stercilinium;* sed veterrimus *Sterculinum.* Vel hoc retine vel *Stercilinum:* semper enim, quantum ex metro scimus, quadrisyllabum est. Plaut. Pers. III. 3. 3. 'Conmictum cœnum, stercilinum publicum.' Sic habet et veterrimus Varronis codex, teste Victorio. Casin. I. 1. 26. 'Ex sterculino effosse, tua illæc præda sit?' Sic Pandectæ Florentinæ: sic in veterrimo Palladii codice repperi. Glossarium vetus, *Sterculinum,* κοπροδοχεῖον, κοπρία. Phædrus III. 12. 'In sterculino pullus gallinaceus, Dum quærit escam, margaritam repperit.' *Bent. Stercilinium* Br. 'Scribendum *Sterculinum* vel *stercilinum* ut sit quadrisyllabum.' *R. D. Sterculinum* Both. *Stercilinium* GM.—43 Bodl. et G. *decepit.* West. *Immo enimvero, Antipho, hic me decipit.* Lege versus gratia, *Immo enimvero hic, Antipho, me*

Nam hic me hujusmodi esse sciebat; ego hunc e se aliter credidi.
Iste me fefellit; ego isti nihilo sum aliter, ac fui.
Sed utut hæc sunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi
Miles dare se dixit: si mihi prior tu attuleris, Phædria,
Mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad dandum 'st. Vale.

Antipho, Phædria me fallit: nam ille hujusmodi ingenii me esse non ignorabat, hunc ego aliter factum esse putavi: itaque, iste me fefellit: ego vero eodem modo, ac antea erga eum me gero; sed utcumque hæc se habeant, hoc facere constitui: miles, cui Pamphilam vendidi, argentum se mihi cras daturum promisit: si tu, Phædria, priusquam ille, mihi dederis, jure meo utar; scilicet, potior ille mihi solet esse, qui prior ad dandum venit. Vale.

decepit. Bent. *Decepit* Br. *Hic, Antipho, me decipit* Perl. Abest *Antipho* a Guelf. 2.—44 *Scibat esse* Bent. Both. *Sciebat esse* Z.—45 Bodl. et Wit. cum EP. *Is me fefellit.* Guy. versum hunc spurium vocat. *West.* *Is me fefellit.* Bem. et multi alii *Iste me fefellit*, ut et exigit versus. *Fa.* Unus tantum ex Regiis *Iste*, ceteri *Is.* Bent. *Is* Br.—47 Al. *se dare.* Both. *tu si prior attuleris P.*—48 Wit. *ad dandum qui prior est*, omisso τῷ *Vale.* West. Unus Regius cum edd. vett. *sit potior.* Repone, *ut sit potior, prior ad dandum qui est.* *Vale.* Bent. Ita et Perl. *Potior ut sit, prior ad d. qui est. V.* Both.

ACTUS III. SCENA III.

PHÆDRIA. ANTIPHO. GETA.

PHÆ. QUID faciam? unde ego nunc tam subito huic argentum inveniam miser,
Cui minus nihilo est? quod, si hic potuisset nunc exorarier

PH. *Quid faciam? unde ego tam cito huic Dorioni summam triginta minarum sumam infelix, qui nihil habeo, et minus quam nihil? quod si hic potuisset nunc oratione*

In Bip. act. III. sc. 6. In Both. Scena præcedens continuatur.—1 Mss. quidam *nunc ego. Huic argentum inveniam.* Sane, quod conjiciebat Guyetus, elegantius erat, *hoc argentum.* Neque sane adeo difficile erat 'invenire argentum,' quam quidem *hoc argentum*, triginta nimirum minas. Tum oppositio major est, si illa tanta summa memorata, mox addit, 'Cui minus nihilo est.' Porro nescio, quomodo offendit *huic* et mox 'hic.' Est vero Comicum, 'invenire argentum,' pro conficere, Terentio et Plauto familiare. *West.* Interrogat Perl. post *inveniam.* *Hoc* post *unde* Guelf. 3.—2 Mss. Leidenses

Triduum hoc, promissum fuerat. AN. Itane hunc patiemur, Geta,
Fieri miserum, qui me dudum, ut dixti, adjuverit comiter?
Quin, cum opus est, beneficium rursum ei experimur reddere?
GE. Scio quidem hoc esse æquom. AN. Age ergo, solus servare hunc potes.
GE. Quid faciam? AN. Invenias argentum. GE. Cupio; sed, id unde, edoce.

flecti, et suaderi, triduum hoc, quod postulabam, ut expectaret; hæc pecunia mihi promissa erat ab amicis. AN. *Siccine, Geta, hunc sinemus eo miseriæ redigi, qui me pridem, ut dixisti, tam humane, et benigne juverit, præsto mihi fuerit? Quin, cum opus is habet, potius ipsi gratiam acceptam referimus?* GE. *Sat scio æquitati id esse consentaneum.* AN. *Eja age ergo istud aggredere; salus ejus in te solo posita est.* GE. *Quid agam?* AN. *Argentum inveni.* GE. *Istud velim facere: sed id, a quo*

quatuor, Lips. Wit. G. quod *hic si potuisset.* Quando τὸ *quod* fuerit relativum, hoc sensu et ordine, 'quod (argentum) promissum fuerat, si hic potuisset nunc exorarier triduum hoc.' Eundem sensum dat lectio Faërni *quod, hic si pote fuisset exorarier.* A Ms. Bodl. abest τὸ *hic*: præstat autem legere, ut edidi. Parum enim Latine dicitur: 'unde argentum inveniam miser, cui (misero) minus nihilo est, quod (argentum) promissum fuerat.' Est porro antecedens pro consequente, valetque, 'dinumerari potuerat,' quia nimirum fuerat promissum. *West.* *Quod si hic potuisset nunc exorarier.* Aliqui libri, et in iis tres antiquissimi et Bas. ita hæc verba ordinant, *quod hic si*; quod vero sequitur, ita est in Bembino, *pote fuisset exorarier*; ita etiam fuisse in Vi. apparet ex litura, rasuraque literarum, in qua emendatum est *potuisset.* Ceterum τὸ *nunc* extra contextum additum est: sane exponendum, *pote fuisset*, pro *potuisset*: sicut et absolute dixit in Andria: 'Si tibi placere potis est,' pro *potest.* Fa. Tres ex nostris *quod si hic*: et Meadianus *quod si hoc pote fuisset.* Repone, *Cui minus nihilo est? quod si hinc pote fuisset exorarier, Triduum hoc, promissum fuerat.* Bent. Ita et dant Both. Perl. præterquam quod Perl. commate distinguit inter *quod* et *si.* *Quod hic si potuisset nunc exorarier, Triduum hoc p. f.* Br. *Quod, hic si pote fuisset exorarier Triduum hoc, p. f.* Bip. *Quod si hic pote fuisset n. exorarier, Triduum hoc p. f.* Delph. *Nunc* ante *exor.* Guelf. 3.—4 *Adjuverit comiter?* Nos *adjuerit* scribimus per subtractionem unius *u*, antepenultima hujus verbi correpta; ita et exigente versu, et legente Donato, qui super hoc verbo ita dicit, 'secundum *u* pronuntiari debet:' ex iis Donati verbis liquet, secundum *u* scriptum non fuisse, alioqui supervacuum fuisset de ejus pronuntiatione præcipere. *Fa.* Immo scribendum *adjurit*; ut Ennius apud Cic. de Senectute; 'O Tite, siquid ego adjuro curamve levasso:' ut et Muretus vidit. *Bent.* *Comitem* Br. *Miserum fieri . . . adjurit* Both. *Adjurit* Perl. *Adjuerit* Guelf. 2.—5 Mss. Bodl. G. M. et EP. *experiamur.* West. *Experiamur reddere.* Bem. *experiemur*: nos *experimur* legendum esse conjicimus. *Fa.* Nostri omnes *experiamur.* Bent. *Rursus ei experiamur* Br. *Q. cum opus, b. e. rursus experimur r.* Both. *Experiamur* Z.—6 *Æquom.* Codices quidam, *verum.* West. *Equidem* omnes edd. penes nos. *Rectum* pro *æquom* Guelf. 3. ibid. *ego* pro *vero.* 2. *ergo.*—7 Wit. Mur. *Inveniamus.* Guelf. 3. *Ut invenias.*

AN. Pater adest hic. GE. Scio; sed quid tum? AN. Ah! dictum sapienti sat est.
GE. Itane? AN. Ita. GE. Sane hercle pulchre suades: etiam tu hinc abis?
Non triumpho, ex nuptiis tuis si nihil nanciscor mali;
Ni etiam nunc me hujus causa quærere in malo jubeas crucem?
AN. Verum hic dicit. PHÆ. Quid? ego vobis, Geta, alienus sum? GE. Haud puto.
Sed parumne est, quod omnibus nunc nobis succenset senex,
Ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci?
PHÆ. Alius ab oculis meis illam in ignotum hinc abducet locum? hem!
Tum igitur dum licet, dumque adsum, loquimini mecum, Antipho;

accipiam, indica. AN. *Pater jam hic adest.* GE. *Scio, sed quid hoc juvat?* AN. *Ah, ex uno verbo vir sapiens facile rem totam intelligit.* GE. *Itane?* AN. *Ita.* GE. *Certe per Herculem egregie mones scilicet, annon etiam tu hinc a me abscedes? an sufficiens mihi materia triumphi non est, quod propter matrimonium tuum nullum patior malum, nisi etiam nunc, operam dando Phædriæ, in magno periculo certam crucem invenire me jubeas?* AN. *Verum est, quod ait Geta.* PH. *Quid, Geta? an alienum vos esse me censetis? et sic me negligitis?* GE. *Non sic æstimo; sed an minimi faciendum istud est, quod in nos omnes ira commotus est, et stomachatus senex, nisi eum acrius stimulemus, adeo ut nulla prece postea flecti, et exorari possit?* PH. *An alius a conspectu meo illam exportabit hinc in remotam, et longinquam terram! Dum igitur fieri potest, dumque nondum discessi, loquimini mecum tanquam nunc*

—8 Abest *hic* a 2.—9 *Itane. Ita.* *Itane* non potest pedem hic sustentare. Codex Regius: *Itane dicis? Ita.* Lege: *Itan ais? Ita.* Bent.—10 Al. *ex tuis nuptiis.* Both. *ex nuptiis si nil tuis.* Guelf. 3. *si de nuptiis.*—11 Do. ad locum: 'in malo aliud malum.' Legebat certe, *quærere in malo jubeas malum.* Bent. *Ne hujus me etiam causa* Both. *Ni etiam hunc me hujus* Br. qui etiam non interrogat post *crucem.* *Jubeas malum* Perl. *Tu* pro *Ni* Guelf. 3. —12 *A vobis* 2.—13 *Sed parum est* Both.—14 Bodl. et EP. *Ne instigemus.* Ita et GM. Br.—15 Τὸ *hinc* non est in Bem. nec Vi. qua demta dictione, stat trochaicus, aliter impeditus. *Fa.* Abest a duobus nostris. *Bent.* Bothius legit, *Alius meis ab oculis illam hinc ignotum a. l. h.* 'Alii haud bene omittunt *hem.*' Bip. quæ etiam τὸ *hinc* non habet. A Guelf. 2. abest *in.* *Abducit* dat 1.—16 Servius ad Virg. Æn. IX. 484. ita citat integrum versum: *Quin igitur, dum licet, loquimini mecum, Antipho.* EP. *Dum igitur licet.* West. *Dum igitur diem licet, dumque adsum.* Hanc lectionem in nullo repperi libro scripto; omnes enim ita habent, *Dum igitur licet dumque adsum,* exceptis Bembino, Victoriano, qui ita, *Tum igitur dum licet,* quam nos lectionem, ut et antiquissimam, et versui commodam, ita recipimus, ut tamen *dumque adsum* legamus ex Victoriano, et ceteris, præter Bembinum, qui copulam non

Contemplamini me. AN. Quamobrem? aut quidnam facturus, cedo?
PHÆ. Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi,
Aut perire. GE. Di bene vortant, quod agas! pedetentim tamen.
AN. Vide, si quid opis potes afferre huic. GE. Si quid! quid? AN. Quære, obsecro,
Ne quid plus minusve faxit, quod nos post pigeat, Geta.
GE. Quæro. Salvos est, ut opinor; verum enim metuo malum.
AN. Noli metuere: una tecum bona, mala, tolerabimus.
GE. Quantum tibi opus est argenti? loquere. PHÆ. Solæ triginta minæ.

ultimum, Antipho, et me spectate. AN. *Quare? aut quidnam facturus es, dicas mihi velim.* PH. *Quocumque terrarum adducetur, constitutum est mihi eo usque ipsam sectari, aut mori.* GE. *Dii velint, ut quod acturus sis prospere succedat: sed sensim, et considerate agas, nec præcipitanter.* AN. *Vide Geta, si quid eum juvare potes.* GE. *Si quid! quid?* AN. *Excogita, precor, ne quid male faciat, quod postea nobis ægre sit, et dolorem afferat.* GE. *Excogito: salvus est, ut puto: verum sane ne malum inde veniat valde timeo.* AN. *Mitte timorem: omnia bona, mala tecum participabimus.* GE. *Quanta pecunia opus habes? dic, Phædria.* PH.

habet. *Fa.* Unus noster 900. annorum *Tum igitur,* ceteri *Dum igitur licet.* Veram lectionem servavit Servius ad Æn. IX. 484. *Quin igitur dum licet dumque adsum.* In principio versus, ut in Membranis solet, initiali litera omissa, ut minio postea scribatur, restat *um;* quod nescias, utrum ad *Dum, Tum, Cum,* an ad *Quin* pertineat. Inde errato initium. *Bent.* *Dum igitur licet* Br. Both. *Quin igitur, dum licet* Bip. Abest *Tum* a Guelf. 2. 3. GM. et Br. scribunt *assum* pro *adsum.*—17 Bodl. Br. et GM. *quidnam es facturus.* Both. *facturus? cedo!* Br. Bent. post *cedo* non interrogant. Bip. et Perl. interrogant post *facturus.*—18 M. *Prosequi.* τὸ *hinc* abest a Br. *Eam* post *persequi* Guelf. 3.—19 ANT. *Dii bene.* Pro ANT. edit. GE. usque ad 'tamen.' Sed præferenda videtur lectio MS. qui sermonem a 'Dii' usque ad 'huic' Antiphoni tribuit. *Bruns.* Quo minus hæc Antiphoni tribuantur, et Getæ dicta, quod Donati ætate quidam putabant, et Mss. nonnulli exhibent, facit, quod Geta nondum receperat, se operam daturum Phædriæ. *West.* *Pedetemptim.* Sic codices Faërni veteres et nostri. Apud Nonium scribitur *pedetemtim.* Hoc in omne genus Mss. animadverti, tam veterrimis mille et ducentorum annorum, quam recentioribus, vel 'temptare' scribi, vel rarius 'temtare;' nunquam, quod hodie obtinet, 'tentare.' *Bent.* *Pedetemptim* Br. *Quod agis* Guelf. 1.—20 Reponit Bent. *Vide opis siquid p. a. h.* Both. *Vide, si quid pote opis afferri huic.* *Vides* Guelf. 1.—22 EP. *verum enimvero metuo.*—23 Alii *malaque.* Guelf. 3. *bona malaque tecum una tolerabimus.*—24 *Quantum opus est tibi argenti.* Ratio trochaici exigit, ut *tibi* monosyllabum sit. *Fa.* *Quantum opus est tibi argenti, loquere.* *Tibi* in unam syllabam redigi negat. A codice Petrensi abest *tibi.* Pro *loquere* CCC. *eloquere.*

GE. Triginta! hui, percara est, Phædria. PHÆ. Isthæc vero vilis est.

GE. Age, age; inventas reddam. PHÆ. O lepidum caput!

GE. Aufer te hinc. PHÆ. Jam opus est. GE. Jam feres.

Sed opus est, mihi Phormionem ad hanc rem adjutorem dari.

AN. Præsto est: audacissime oneris quidvis impone, et feret.

Solus est homo amico amicus. GE. Eamus ergo ad eum ocyus.

Tantummodo triginta minis. GE. *Triginta? hui! percara est hæc virgo, Phædria.* PH. *Immo viliori pretio æstimatur.* GE. *Bono sis animo: hanc summam tibi conficiam.* PH. *O virum egregium!* GE. *Recede hinc.* PH. *Verum, hoc argento præsente opus est.* GE. *Jam accipies, sed opus est, ut mihi Phormio ad hanc rem auxiliator adjungatur.* AN. *Paratus tibi est: confidenter quidvis difficile, et grave ei manda, et suscipiet faciendum; solus est homo amico amicus; nullus est inter homines qui libentius amicis inserviat, qui amicus amico plus cupiat.* GE.

Ex Meadianis alter, *Quantum est opus tibi argenti, eloquere.* Repone, ut 'opus' in ictu sit, *Quantum est opus argenti, eloquere. Solæ triginta minæ.* Bent. *Quantum opus est tibi* Br. Z. *Quantum est opus argenti? eloquere* Both. *Q. opus est tibi argenti? eloquere* Perl. Bip. *Quantum est arg.* omissis *opus tibi* Guelf. 3.—25 Bodl. et EP. *Ista.* Malim *Istoc*, subaudi, pretio. *West.* Nostri plerique, *Ista vero.* Bent. Ita et Br.—26 G. *Age, age inventas reddam.* PH. *O lepidum caput.* In libro Bembino non est ea dictio, *caput*, quam nos proinde delentes, ita versum ordinamus, ut sit trochaicus tetrameter catalecticus, ut ceteri hoc modo: G. *Age, age, inventas reddam.* PH. *O lepidum.* G. *Aufer te hinc.* PH. *Jam opus est.* G. *Jam feres.* Fa. *O lepidum. Aufer te hinc. Jam opus est. Jam feres.* Nostri omnes *caput.* Tres bonæ notæ *Auferte.* A veterrimo abest *hinc.* Repone, *Age age, inventas reddam. O lepidum. Auferte. Jam opust: jam feres.* Bent. Τὸ *hinc* abest a Br. Bothius legit *O lepidum! Auferte! At jam opus. Jam feres.* Abest *caput* a Perl. idem dat *opu'st.* Ita ordinat Bip. *Age, Age, inventas reddam. O lepidum caput. Aufer te hinc. Jam opus est.* | *Jam feres: sed, &c.* notatque eadem, 'Bent. nil videt, dum edit *Auferte.*' '*Auferte:* sic conjunctim Guelf. 3. Sed altera manus divisit, linea facta per medium, *Aufer te.*' Perl.—28 Ad hunc vs. sic notat Bruns, 'Qui hunc sequitur versus in edit. 'PHE. Abi, dic præsto ut sit domi,' in Ms. nostro transpositus est.' Sequitur in Z. et intra parenthesin includitur. Bothius legit *adjutorem dari. Ac* | *Præsto est. AN. Audacissime o. q. impone ei: feret.* et notat, 'Vulg. vel post hunc vs. vel post 30. in vett. edd. et Mss. præter Bem. Vi. et nostrum B, hæc leguntur: 'Abi, dic, præsto ut sit domi,' quod merum glossema est monentis nescio cujus, Phormionem supra II. 3. 93. dixisse, 'domi se fore,' indeque esse, quod Geta sic pro certo affirmet.'—29 EP. *quid vis oneres, impone, ferat.* West. Br. τὰ *et feret* versui seq. adjungit, legitque *quidvis oneris impone,* | *Et feret.*—30 GE. *Eamus ergo ad eum ocius.* Mss. M. Lips. Wit. Bœnd. cum. EP. addunt: PH. *Abi, dic, præsto ut sit domi.* Atque ita, sed diverso charactere, edidit Par. Sed in G. est, GE. *Abi, dic, præsto ut sit domi:* omissis illis, *Eamus ergo ad eum ocius.* West. PH. *abi, dic præsto ut sit domi.* Hæc verba neque in libro Bembino sunt, neque in contextu Victoriani: proinde subdititia suspicamur.

AN. Numquid est, quod opera mea vobis opus sit? GE. Nihil: verum abi domum;

Et illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu,

Consolare: cessas? AN. Nihil est, æque quod faciam lubens.

PHÆ. Qua via istuc facies? GE. Dicam in itinere: modo te hinc amove.

Properemus igitur ad eum ire. AN. *Numquid est, in quo vobis opera mea usui esse possit?* GE. *Nihil: verum abi domum, et infelicem Phanium, quam ego, nunc domi perturbatam, metu atque exanimatam esse certo scio, verbis amicis consolare. Quid cunctaris?* AN. *Nihil est, quod jucundius mihi sit, quam hoc facere.* PH. *Quo pacto argentum hoc invenies?* GE. *Dicam tibi inter eundum: modo hinc proficiscere.*

Fa. Duplex clausula jam olim huic versui apposita est: GE. *Eamus ergo ad eum ocius.* AN. *Solus est homo amico amicus:* PH. *Abi dic, præsto ut sit domi.* Et fieri quidem potest, ut utraque vera sit: scilicet ut eodem tempore uterque, Geta et Phædria, loqueretur: ut Hec. v. 2. 24. et 25. videntur eodem tempore Laches et Phidippus suos versus pronuntiasse. Libri nostri utramque habent, nisi quod veterrimus priorem omittit: Bem. contra et Vi. posteriorem. Si ex eventu judicare licet, (etsi Phædria, tum ignarus quid Geta moliretur, 'abire' eum fortasse jusserit, ipse secuturus,) posterior repudianda erit; Geta enim non præcurrit ad Phormionem, sed una cum Phædria ad eum visit. *Bent.* Addunt al. Mss. PH. *Abi, dic, præsto ut sit domi.* Quæ vero Fa. ut subdititia delevit. Adsunt quidem in GM. et GC. ubi integrum constituunt versum. Par. huic versui apponit. Inserit additamentum Lind. post vs. nostrum. 27. [ap. nos. 28.] GM. cum Br. [Delph.] post *ocius.* Perl. Alii subjungunt huic versui versum prorsus inutilem, al. præponunt versui 28. PH. *Abi, &c.* Bip.—31 Ms. Wit. *Nihil vero. abi domum.* West. Post *domum* Both. addit *et* ex vs. sequenti.—32 Abest *metu* a Guelf. 2. *Exanimam* dat Both.—34 Legendum monet Bent. *Dicam in itere.* Ita et dat Both.

ACTUS IV. SCENA I.

DEMIPHO. CHREMES.

DE. QUID? qua profectus causa hinc es Lemnum, Chremes?

DE. *Quid? cujus rei causa Lemnum navigasti, Chremes? Adduxistine tecum*

1 *Chreme, Adduxtin* Bent. Both. Z. Bip. *Es Lemnum? Chreme, Add.* Perl.

Adduxtin' tecum filiam? CHRE. Non. DE. Quid ita non?
CHRE. Postquam videt me ejus mater esse hic diutius,
Simul autem non manebat ætas virginis
Meam negligentiam, ipsam cum omni familia
Ad me profectam esse aiebant. DE. Quid illic tam diu,
Quæso, igitur commorabare, ubi id audiveras?
CHRE. Pol me detinuit morbus. DE. Unde? aut qui?
CHRE. Rogas?
Senectus ipsa est morbus; sed venisse eas
Salvas, audivi ex nauta, qui illas vexerat.
DE. Quid gnato obtigerit, me absente, audistin', Chreme?
CHRE. Quod quidem me factum consilii incertum facit;
Nam hanc conditionem si cui tulero extrario,
Quo pacto, aut unde mihi sit, dicendum ordine est.

filiam Phanium? CH. *Non.* DE. *Quid ita non?* CH. *Quia cum mater ejus videret me hic diutius morari, quam solerem, nec adventum meum expectare posset, tum etiam ætas jam nubilis virginis moram longiorem non concederet; mater illa navi conscensa (ut aiebant Lemni) in hanc urbem Athenas cum omni familia ad me profecta est.* DE. *Quid igitur Lemni quæso, tantum tempus desidebas, ubi acceperas ad te ita illas itineri se dedisse?* CH. *Per Deos morbus me tardavit.* DE. *Unde ille morbus ortus est, et qui fuit?* CH. *Rogas? senectus ipsa fuit, quæ gravis morbus est: sed advenisse illas salvas Athenas, nauta qui illas vexerat mihi nuntiavit.* DE. *Quid filio meo acciderit, dum abessem, rescivistine, Chreme?* CH. *Rescivi, et hoc facinus adeo me perturbat, ut dubius sim animi, et anceps, quid consilii capiam. Nam conditionem filiæ meæ si cui obtulero, id est, si filiam meam alicui extraneo nuptui collocavero, me oportebit illi declarare, quæ sit mater, ex qua eam suscepero, quomodo, et ex qua muliere illa sit mihi filia: te quidem non minus*

Chremes, Adduxtin Br.—2 Codd. quidam, *Abduxtin'*. West. *Addustin'* Guelf. 2. *Est* in fine 3.—5 J. *Meam ob negligentiam.*—6 Rivius τὸ *esse* recidit. G. *aiebat.* West. *Ad me profectam esse aiebant.* *Aiebant* dissyllabum est, ut stet versus: sunt tamen complures libri, qui versum hunc ea verborum collocatione habent, ut in dimetiendo nihil sit difficultatis, *Ad me esse profectam aiebant*: nos tamen vulgatam sequimur, ut antiquissimam. *Fa.* Nostri omnes *profectam esse.* Recte. *Aibant* disyllabon semper apud Nostrum. *Bent.* *Aibant* Bip. Perl. Both. *Esse profectam* Delph.—7 Guelf. 3. *commoraberis.* 'Multi libb. *audieras.* Ita etiam GM. cum sup. scripta syllaba, *ve*, ut sit *audiveras.*' Perl. *Id ubi* Both. 'Antiquissimi libri, et multi alii *audieras*: sed et hoc modo penultima producenda.' *Fa.* Quatuor nostri primarii, præter alios, *audiveras*: sic pronuntiandum, sic et scribendum. *Bent.*—9 *Ipsast* Bent. Z. *Ipsa morbus est* Br. qui ordo, inquit Perl. Terentii esse videtur, vocula 'est' plerumque finientis. *Illas* pro *eas* Guelf. 3.—10 Mss. et editi quidam post EP. *advexerat.* West.—11 Ratio nulla est, quare citra interrogationem hic versus legatur: quod vult Guy. *Idem.*—12 *Consili* Bip. Perl. Bent. Bothius ex Hel. legit *Audî: quod quidem me consili incertum facit.*—13 Pauci Mss. *extraneo.* Atque ita Mur. ET. cum Venetis, EA. et Gambarello. *West.* Omnes nostri præter Hel. qui omisit vocem, *extraneo.* Both.—14 Al. *dicundum.*—15 Τὸ *æque* abest

Te mihi fidelem esse æque, atque egomet sum mihi,
Scibam: ille, si me alienus affinem volet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas;
Sin spreverit me, plus, quam opus est scito, sciet:
Vereorque, ne uxor aliqua hoc resciscat mea:
Quod si fit, ut me excutiam, atque egrediar domo,
Id restat; nam ego meorum solus sum meus.
DE. Scio ita esse; et isthæc mihi res solicitudini est:
Neque adeo defetiscar unquam experirier,

fidem mihi servaturum esse, quam egomet mihi, noveram. Ille vero extraneus, si meam affinitatem acceptam habuerit, silentium observabit de nuptiis meis cum Lemnia uxore, de qua nata est filia Phanium, dum perseverabit stare benevolentia: sin me despexerit, et filiam meam repudians affinitati renuntiaverit, hoc scito, plus sciet de rebus, quam expediet mihi eum scire, ac metuo ne tandem uxor mea certior fiat, de consuetudine quam habui cum alia uxore. Quod si accidit, nihil aliud superest, quam ut ipsemet me extrudam foras, et domo exeam: nam ut verum dicam ex meis domesticis solus fidelis mihi sum, a quo consilium petam. DE. *Id sat scio hæc se ita habere ut dicis; et istud mihi non levem curam et molestiam affert, neque ullo*

a cod. Br.—16 Nostri *Sciebam;* et ex Bembino hic colligas, recte nos fecisse, qui in ceteris locis, ubi ipse Bembinus fallit, ex metri lege syllabas contraximus. *Bent.* *Sciebam* Br. GM. GC. *Alius* pro *alienus* Guelf. 2.—18 Both. non habet τὸ *est.* *Plus, quam me* Guelf. 2.—20 Mss. et editi quidam post EP. *Quod si scit.* West. *Uti me excutiam.* O. l. s. *ut.* Fa. Et nostri omnes *ut.* Bent. *Quod si siet* Br. 'Ms. Par. tert. *sciet* perperam. At ego mallem si per codd. liceret, *siet* vel *sit;* quippe quæ periphrasis esset Nostro valde familiaris. Do. notat, 'legitur et *excutiat*:' quam variam lect. Donati Schmiederus fovet. Ego non. Nam conjunctio 'atque' constructionem continuat. Et inde sequitur, ut, si *excutiat* vera esset lectio, Terentius sane scripsisset, pronomine addito, *ego egrediar.* Par. pro var. *excrucias* depravate.' *Perl.* *Scit* Guelf. 3.—21 *Namque* Idem.—22 EP. *et ideo istæc res mihi sollicitudinem.* West. *Scito ita esse, et ideo istæc* Br.—23 *Neque adeo defetiscar unquam experirier.* Hæc Libri Bembini lectio est; quæ varie exhibetur in Mss. aliis. Leidenses quinque, Tr. G. *Neque defetiscar unquam ego experirier.* Eandem lectionem laudat Guy. ex Cod. Regio, et Quadrato. estque in edd. Junt. Ald. Antverpiensi, anni 1546. Pictaviensi, et St. nisi quod priores binæ *defeciscar* legunt. Ms. Bœnd. *Neque defetiscar ego unquam adeo experirier.* Atque ita EA. sed legens, *deficiscar*: neque aliter Venetæ, cum Arg. et aliis. Bodl. *Neque defetiscar ideo inquam ego experirier.* Wit. *Nec defetiscar nunquam adeo experirier.* Eug. et Gambarellus: *Neque defetiscar unquam adeo experirier.* Rivius, *Neque defetiscar usque adeo experirier.* Quomodo citat Priscianus lib. x. et XVIII. exponens, οὔτε ἐξατονήσοιμι ἄν. Lectio autem Mss. Leidensium genuina videtur, in qua τὸ *ego* post *unquam* collocatur. τὸ *adeo* autem vel ob inconstantem sedem suspectum videtur. In quibusdam Codd. *defatiscar* legitur. *West.* *Neque defetiscar usque ego experirier.* Maxima quidem pars librorum ita habet, ut in lectione vulgata; sed Bembinus ita, *Neque adeo defitiscar unquam experirier*, quod stare non potest, nisi τὸ *adeo* penultima sit dictio hujus versus: quemadmodum et in libro Terentii scripto inveni eam collocatam, et apud Priscianum libro decimo hunc locum citantem: ita etiam Paulus Manutius impressit: nos tamen lectionem libri Bembini, ut antiquis-

Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.

labore defatigabor omnia usque tentando, donec id quod tibi promisi perfecero; scilicet nuptias filii mei cum tua filia.

simam malumus, sustentantes versum, vel elisione *r*, ex *defetiscar*, vel *e*, ex *experirier*. Fa. *Neque adeo defetiscar umquam experirier.* Sic dedit Fa. sed elisiones istæ, quas suggerit, indignæ sunt Terentio. Nostri, ad versum saltem, commodius, *Neque defetiscar unquam ego experirier.* Sed bis hunc citat locum Priscianus p. 889. et 1147. atque ibi, tam in editis quam scriptis, sic exhibetur, *Neque defetiscar usque adeo experirier.* Recte. *Usque adeo donec:* ut And. IV. 1. 38. 'Suadere, orare; usque adeo donec perpulit.' *Bent.* *Neque defeciscar unquam ego experirier* Br. *Neque defetiscar usque adeo ex.* Both. Delph. Perl. et Bip. Vet. cod. ap. Lind. *experier.* GM. *defeciscar.* Idem *ego* pro *adeo.* Abest *adeo* a Guelf. 3.—24 *Pollicitus quod sum* Both. Abest *tibi* a Guelf. 3.

ACTUS IV. SCENA II.

GETA.

Ego hominem callidiorem vidi neminem
Quam Phormionem: venio ad hominem, ut dicerem,
Argento opus esse, et id quo pacto fieret:
Vixdum dimidium dixeram, intellexerat:
Gaudebat; me laudabat; quærebat senem;
Dis gratias agebat, tempus sibi dari,
Ubi Phædriæ se ostenderet nihilominus
Amicum esse, quam Antiphoni: hominem ad forum

Ego neminem omnium novi, ad inveniendum consilia callidiorem, et ad expediendum difficilia peritiorem, quam Phormio est. Adivi hominem, ut ei dicerem argento nobis opus esse, et qua ratione id inveniri posset: vixdum dimidium declaraveram, cum rem totam jam perspexerat. Lætabatur meis verbis, me laudabat, quærebat, ubinam esset Demipho: Diis gratias agebat eo quod occasionem sibi offerrent, ubi ostenderet se non minus Phædriæ causa velle, quam Antiphonis. Hominem

2 Br. Schmied. et Both. *veni.* Guelf. 3. *ut dicam.*—3 Codices quidam Mss. et impressi, *Argentum.* West. In Bem. legitur *Argentum,* quod non displicet: antiqui enim 'opus esse' etiam cum accusativo jungebant. *Fa.* Nostri *Argento.* Bent. Ad vocem *fieret* Br. gloss. 'dicerem,' et notat Bruns, 'edit. distinguunt post *fieret* ad quam distinctionem, quanquam codici abest, refertur glossa præcedens.' *Argentum esse opus* Both. *Argentum* Bip. Perl. Delph. Z.—4 Bœnd. et EA. *Vix dimidium dixeram dum, intellexerat.* West.—6 *Sibi tempus* Both. *Diis* Br. Delph. *Gratias habebat* Guelf. 3.—7. 8 *Ubi Phædriæ se ostenderet nihilo minus Amicum esse, quam Antiphoni: hominem ad*

Jussi opperiri; eo me esse adducturum senem.
Sed eccum ipsum: quis est ulterior? atat! Phædriæ
Pater venit: sed quid pertimui autem, bellua?
An quia, quos fallam, pro uno duo sunt mihi dati?
Commodius esse opinor duplici spe utier.
Petam hinc, unde a primo institui: is si dat, sat est:
Si ab eo nihil fiet, tum hunc adoriar hospitem.

in foro expectare jussi Demiphonem, dicens me illuc eum esse adducturum: sed ecce ipsum. Quis est ulterior qui pone eum sequitur? At at at Phædriæ pater Chremes venit: verum demens quid formidavi? an propterea quod duo sunt mihi traditi quibus dem verba, atque imponam? utilius esse arbitror duplici spe potiri. Experiar obtinere primum ab eo pecuniam a quo constitui. Id si obveniat nihil ulterius quæro. Si ab hoc nihil impetrem, tum hunc aggrediar hospitem.

forum. Alter ex his versus vitio quodam laborat, quod per te ipse deprehendes. Codex Regius habet, *Amicum se esse;* etsi in priore colo *se* habuerit. Repone, *Ubi Phædriai ostenderet nihilo minus Amicum se esse, quam Antiphoni: hominem ad forum.* 'Phædriai,' ut supra 'Cliniai,' 'Hospitai.' *Bent.* *Amicum se esse* Br. Bothius hosce versus sic legit: *Ubi esse amicum Phædriæ nihilo minus | Ostenderet se quam Antiphoni: hominem ad forum.* Bip. Perl. *se* collocant ut Bent. Pro *se esse* Guelf. 2. *sese est.*—9 *Senem esse add.* Br. *Jussi opperirier: eo me add. senem* Both. ex Hel. *Jussu* J. *Ego me esse* Perl. —10 *Quis est ulterior?* Nimis argutatur Guyetus, legens, *quis est interior?* h. e. dignior; et inde conficiens, Chremetem Demiphone majorem natu fuisse. Quasi vero hic de honore agatur, et non de numero advenientium. *West.* Corrige *qui est ulterior?* vel fortasse, *qui iste ulterior?* Bent. Bip. *at, at, Phæd.* Delph. *at at at P.* Bent. *attat.*—11 GM. GC. Br. Bent. Both. Fa. Par. *belua* per unum *l.* 'Nos cum Heinsio metri causa spernimus *sed,* quod redundat. Sic Eun. v. 8. 5. 'Perii quid hoc autem est mali?'' *Bip.* *Sed* quoque abest Delph.—12 *Duo mihi sunt pro uno dati?* Both. Abest *mihi* a Guelf. 3.—13 Hunc vs. expungit Guy. Est vero appositissimus et Latinissimus. Unde et Priscianus Instit. Grammat. lib. VII. eum laudat. G. *Commodius est.* West. *Spe uti* Bip.—14 G. *si is dat.* EP. *si dat.* Wit. et Bœnd. *si is dat, satis est.* West. *Si is dat* Br.—15 M. et EP. *ab hoc.* Neque aliter Mss. Bœcleri. EA. *tamen* pro *tum.* West. *Si ab hoc nihil fiat.* Bem. *Si abeo:* et præterea, et hic liber et omnes alii, *nihil fiet* habent. *Fa.* *Fiet* nostri omnes; iidem tamen *hoc.* Bent. *Ab hoc* Br. Guelf. 2. 3. Z. Delph.

ACTUS IV. SCENA III.

ANTIPHO. GETA. CHREMES. DEMIPHO.

AN. Expecto, quam mox recipiat huc sese Geta:

AN. *Expecto, quam mox domum sese recipiat Geta. Sed patruum Chremetem*

1 Mss. Bodl. G. Wit. cum EP. *recipiat sese,* omisso *huc:* quod nec Dona-

Sed patruum video cum patre astantem: hei mihi!
Quam timeo, adventus hujus quo impellat patrem!
GE. Adibo hosce: o noster Chremes! CHRE. Salve, Geta.
GE. Venire salvom volup' est. CHRE. Credo. GE. Quid agitur?
CHRE. Multa advenienti, ut fit, nova hic compluria.
GE. Ita: de Antiphone audistin' quæ facta? CHRE. Omnia.
GE. Tun' dixeras huic? facinus indignum, Chreme,
Sic circumiri! DE. Id hoc cum agebam commodum.

video cum patre stantem: hei mihi, quam metuo quo ille peregre reversus patrem incitet. GE. *Ad hos ibo. O noster Chremes!* CH. *Salve, Geta.* GE. *Te rediisse salvum et bene valentem mihi sane jucundissimum est.* CH. *Credo.* GE. *Quomodo agitur tecum?* CH. *Multæ, ut in hac vita usu venire solet, redeunti novæ res hic occurrunt.* GE. *Ita, audivistine quæ de Antiphone facta sunt?* CH. *Omnia.* GE. *An tu, Demipho, rem uti gesta est, jam narrasti? facinus crudele, et miserabile sic circumveniri.* DE. *Hoc temporis momento de hac re cum fratre Demiphone*

tum agnoscere scribit Fa. *West.* Tres antiquissimi libri et Bas. non habent τὸ *huc*, nec Do. *Fa.* Etiam nostri nesciunt illud *huc*. Bent. Abest quoque Br. Both. Bip. Z. *Se* pro *sese* GM.—2 Al. collocatio est, *cum patre video.* Bothius ordinat, *video astantem cum patre.*—3 Τὸ *hujus* abest a Ms. Wit. *Impellat meum* Hel. Both.—4 Codd. quidam *O salve, noster Chreme.* West. *Adibo hosce: o noster Chremes.* CH. *Salve Geta*] Liber Bembinus ita habet, *O salve noster Chreme:* quod si recipimus, oportebit primam hujus versus syllabam præcedenti applicare, et vel ex 'noster' *r* elidere, vel in 'Chreme' posteriorem corripere; ita etiam numerus erit melior: nam in vulgata lectione duo medii pedes singuli ex integris constant partibus orationis; quod in senariis et heroicis versibus vitiosum esse, auctor est Gellius lib. XVIII. cap. ultimo. *Fa. Adibo hosce. o salve noster Chreme. Salve Geta.* Sic a Faërno est ex Bembino. Sed tolle illud *hosce*, et repone, *Adibo: o salve noster Chreme: salve Geta.* 'Adibo' absolute, ut Eun. III. 2. 8. 'Adibo: atque adsimulabo, quasi nunc exeam.' Adelph. III. 4. 14. 'Adibo, salvere Hegionem plurimum Jubeo:' et ita sæpe alibi. Nostri omnes sic habent, *Adibo hosce: o noster Chremes. Salve Geta:* in quo hoc primum peccatur, quod Geta Chremetem salvere non jubet; deinde, id quod ex Gellio notat Faërnus, medios duos pedes 'Noster Chremes' ex integris verbis constare, id vitiose fieri metrici olim animadverterunt; nempe quia tum necesse est, ut syllabæ ultimæ acuantur, contra Latinæ linguæ indolem. *Bent. O noster Chreme* Perl. *O salve noster Chreme* Bip. 'Vulg. *noster Chreme.* CH. *Salve Geta*, non recte collocato verbo 'Chreme,' si genuinum esset; sed sane est glossema.' *Both.* qui inde dat, *Adibo: o salve, noster ....* CH. *Salveto, Geta.*—5 Wit. *Venire salvom te.* Bodl. et G. cum EP. *voluptas est.* West. CH. *Credo.* Ita Mss. Leidenses omnes, Tr. G. Bœnd. et Wit. cum plerisque omnibus impressis veteribus. Adveniens enim Chremes Getæ adventum gratulanti respondet. Demipho vero jam dudum advenerat. Quod Dacieria notat, *Credo et creditur sont des termes de civilité, dont on se servoit pour remercier ceux, qui faisoient quelques honnêtetez*, hic locum non habet. *Idem.* DE. *Credo* Bent. Bip. *Volupe est* Br. Bip. Both. Delph. *Volupe 'st* Perl. Z. *Voluptas* GM. *Venisse* Both.—6 *Nova hic, compluria.* Ita distinguendum monet West. *Nova hic compluria* Br. Bent. Perl. Z. Delph. *Nova, hic compluria.* Bip. Bothius legit *Multa advenienti hic nova, uti fit compluries.* GM. Guelf. 2. *complura.*—7 *Itu est* Idem.—9 *Id*

GE. Nam hercle ego quoque, id quidem agitans mecum sedulo,
Inveni, opinor, remedium huic rei. DE. Quid, Geta?
Quod remedium? GE. Ut abii abs te, fit forte obviam
Mihi Phormio. CHRE. Qui Phormio? GE. Is, qui istam.
CHRE. Scio.
GE. Visum est mihi, ut ejus tentarem sententiam.
Prendo hominem solum: cur non, inquam, Phormio,
Vides, inter vos sic hæc potius cum bona
Ut componantur gratia, quam cum mala?
Herus liberalis est, et fugitans litium:

agebam. GE. *Equidem per Herculem ego quoque id animo apud me sæpe versavi, adeo, ni fallor opinione, ut huic rei medicinam invenerim.* DE. *Quid Geta? quæ medicina?* GE. *Ut a te discessi, forte mihi Phormio obvius factus est.* CH. *Qui, Phormio?* GE. *Is, qui istam virginem defendit.* CH. *Novi hominem.* GE. *In mentem mihi venit, ejus voluntatem indagare. Seduco seorsum hominem solum; cur non, inquam, Phormio, curas, ut hæc res inter vos transigatur potius cum benevolentia, quam cum male volentia diutius agitetur? herus Demipho liberalis est ingenii, ingenuus est, et*

hoc cum agebam commodum. Hæc Chremeti tribuit Guy. *West.* Alii ordinant *Cum hoc id.* Br. legit *Id cum hoc agebam incommodum.* Bent. Perl. Both. Bip. Z. Delph. *Id cum hoc.* Notat etiam Bip. 'Ms. Reg. teste Dac. Chremeti aptius tribuit, quæ vulgo Demiphonis faciunt verba. Scil. Chremes, qui filiæ causa id magis curæ habet, etiam promtior est ad loquendum.'—10 *Nam hercle ego quoque id quidem mecum agitans sedulo.* Soli libri V. et Vi. et Bas. ita habent, ut in lectione vulgata: at vero omnes alii, et in iis Bembinus, sine τὸ *quidem*, hoc modo, *Nam hercle ego quoque id agitans mecum sedulo;* qua lectione admissa, non fiet collisio in 'nam hercle.' *Fa. Nam hercle ego quoque id agitans mecum sedulo.* Sic dedit Faërnus; sed in 'nam hercle' necessario fit collisio; ergo recte, quod et nostri omnes, recentiore uno excepto, *Nam hercle ego quoque id quidem agitans mecum sedulo.* Bent. Τὸ *quidem* abest Z. Delph. 'Metri causa *quidem* post *id* ex codd. V. Bas. et Vi. restituimus cum Bent. Bem. non habet; hinc Fa. et asseclæ omisere.' *Bip.*—11 Mss. Bodl. G. Wit. Bœnd. et EP. *Inveni, ut opinor.* West. DE. *Quid, Geta?* Hæc Chremeti tribuuntur in quibusdam codd. illa vero *Quod remedium?* Demiphoni. *Idem.* Recte hoc Bembinus; et idcirco, quod omisit Faërnus, in textum recepimus. *Bent.* Ita et Both. Perl. Bip. *Quid est* Guelf. 3.—13 *Istanc* Hel. Bip. Delph. Both. *Istum* Guelf. 3.—14 Codex noster veterrimus pro *ejus* habet *prius;* alter 900 annorum *prius ejus:* tertius *ejus pertentarem.* Certe illud *tentarem*, pes molossus cum duplice accentu, dehonestat hunc versum. Repono *Visum est mi, ut ejus tentarem prius sententiam.* Bent. Ita et Both. Perl. *Pertentarem* EP.—15 *Quærendo hominem* Br. sed notat Bruns, 'edit. et Bent. *Prendo*, et sic mutat. in cod.'—16 Bona Mss. pars, *inter nos*, quomodo et Eug. legit. *Sic* abest a Mss. Bodl. et Wit. sed G. et Bœnd. *si.* West. Non placet illud *sic:* ab aliquot libris abest; in aliis *si.* Præterea in multis est *nos*, non *vos.* Repono, *Videmus, inter nos hæc potius cum bona.* Certe cum *inter nos*, vel *inter vos* dicit, utriusque partis officium notat, non unius tantum. Quare aut *Videmus inter nos* lege, aut *Videtis inter vos.* Apud Pr. tamen p. 1103. *Vides inter vos.* Bent. *Si* pro *sic*, omisso *Ut*, Guelf. 3. Ibid. *in bona.* '*Sit hæc p. c. b.*'

Nam ceteri quidem hercle amici omnes modo
Uno ore auctores fuere, ut præcipitem hanc daret.
AN. Quid hic cœptat? aut quo evadet hodie? GE. An legibus
Daturum pœnas dices, si illam ejecerit?
Jam id exploratum est: heja! sudabis satis,
Si cum illo inceptas homine; ea eloquentia est.
Verum, pone esse victum eum: at tandem tamen
Non capitis ejus res agitur, sed pecuniæ.
Postquam hominem his verbis sentio mollirier,
Soli sumus nunc hic, inquam; eho! dic, quid velis dari
Tibi in manum, ut herus his desistat litibus:
Hæc hinc facessat, tu molestus ne sies.

contentionum forensium osor: nam ceteri profecto ejus amici omnes uno consensu modo ei consilium dederunt, ut hanc fœminam domo expelleret. AN. *Quid conatur? aut quo perveniet hodie?* GE. *Dicesne legibus illum punitum iri, si illam foras extruserit? jam id certum est, te gravi labore nimio plus defatigatum iri, si cum illo viro legibus disceptas, adeo est eloquens. Verum ita sit, do ita esse ut causa cadat, et condemnetur aliqua pœna: attamen non capite, sed pecunia tantum mulctabitur. Postquam hominem animadverti hoc sermone leniri, adjeci hæc verba; soli sumus hic, inquam; eho, dic, quid velis tibi dari in manum, ut herus his evadat litibus, hæc fœmina hinc abeat, tu importunus, et gravis non ei sis posthac amplius.*

Herus lib. est, &c. Guelf. 1. Absunt intermedia verba, *Ut comp. g. q. mala.'* Perl.—18 Τὸ *et* abest Br.—20 *In uno* Guelf. 3.—21 *Incœptat* Br. Guelf. 3.—22 *Laturum* M. Guelf. 1. 2. *Pœnas daturum* Both.—25 Bem. *pono;* quasi diceret, concedo. *Fa.* Nostri omnes *pone.* Bent. *Pono* Both. Perl. *Tandem tandem* Br.—26 *Non capitis ejus res agitur, sed pecuniæ.* In scandendo versu, *ejus* monosyllabum est; quæ licentia vitaretur, si legeretur, ut in contextu libri Victoriani, *Non capitis ejus agitur, sed pecuniæ.* aut ut in Bembino, *Non capis:* quod forte procedit pro *capitis,* sicut antiqui 'lapis' dixerunt in genitivo. *Fa.* Nihil opus est istis: *ejus* monosyllabon est, sæpius fere quam disyllabon. Potius tamen legendum est, ut in veteri codice apud Guyetum, *Non capitis ei res agitur, sed pecuniæ.* Bent. *Ei res* Both. Perl. Τὸ *res* abest Delph.—27 Wit. *emollirier.*—28 Bodl. G. Wit. *inquam, hic.* West. *Soli sumus nunc inquam: eho dic quid velis dari.* In o. l. s. *nunc hic inquam* legitur; in aliquibus non est verbum *dic,* inter quos est Bembinus, qui etiam pro *velis, vis* habet, ut versus exposcit: ita legendum, *Soli sumus nunc hic, inquam; eho, quid vis dari.* Fa. *Soli sumus nunc hic, inquam: eho quid vis dari.* Miror in omnibus Faërni libris *hic inquam* fuisse, cum in nostris sit universis *inquam hic:* atque id recte, ut 'inquam' sit in ictu. Nostri tamen mox mendose, *Dic quid velis dari tibi in manum.* Bent. *Inquam hic: eo dic quid velis | Dari* Br. *S. s. hic nunc, inquam; eho dic, quid vis dari* Both. *Quid vis dari* Eug. Delph. Lectionem Bent. dat Perl. *Eho, quid vis dari* Bip.—29 Ne *erus* extra ictum penitus abscondatur, repone, *Tibi in manum, erus ut h. d. l.* Bent. *Herus ut* Both. Perl.—30 *Discedat* pro *facessat* Guelf. 3.—32 *Boni æquive* Idem.—33

AN. Satin' illi Di sunt propitii? GE. Nam sat scio,
Si tu aliquam partem æqui bonique dixeris,
Ut est ille bonus vir, tria non commutabitis
Verba hodie inter vos. DE. Quis te istæc jussit loqui?
CHRE. Immo non potuit melius pervenirier
Eo, quo nos volumus. AN. Occidi! CHRE. Perge eloqui.
GE. A primo homo insanibat. CHRE. Cedo, quid postulat?

AN. *Satisne illi Phormioni Dii sunt faventes?* GE. *Nam probe scio, si æquitati consentanea, si æqua tantula ex parte poposceris, ne minima quidem, ut homo est æquitatis amans, intercedet altercatio inter vos hodie.* DE. *Quis tibi hoc negotium dedit, ut talia diceres?* CH. *Geta recte fecit; non potuit commodius loqui, ad consequendum id quod cupimus.* AN. *Perii.* CH. *Perge, continua sermonem.* GE. *At primo homo stulte mihi loquebatur.* CH. *Dic mihi, quid petit?* GE. *Quid?*

Ms. Lips. et Bœnd. *vir bonus.* West. *Ut ille est bonus vir.* O. l. s. habent, *Ut est ille.* Fa. CCC. et alter e Meadianis, *Ut ille est.* Bent. Bothius legit *Ut bonus ille est vir.*—35 Abest *Immo* a Guelf. 3.—36 CH. *Perge eloqui.* Hæc in codd. quibusdam Demiphoni tribuuntur, ut et illa, 'Cedo, quid postulat,' et 'Dic,' et 'Immo malum hercle: ut nihil pudet!' *West.* *Perge eloqui* Demiphoni tribuit Br. *Loqui,* pro *eloqui* Guelf. 2.—37 *A primo.* Proba lectio. Mss. M. Tr. G. Wit. Bœnd. *At primo.* Atque ita fuerat in uno Mss. Leidensium, sed litera *t* in *at* postea est erasa. Sed et ita ediderunt Pulmannus, Fabrinus, alii, post EA. Venetas, et Argent. Ita et Gambarellus legebat. *West.* Bœnd. et EP. *insaniebat.* Wit. *Credo.* Idem. *Cedo, quid postulat?* Hæc Demiphoni tribuunt Bent. Both. Perl. et Bip. quæ etiam cum Delph. *At primo.*—38 *Quid? nimium: quantum libuit.* Ita distinguo, ut ἐμφατικώτερον. Etiam aliter olim lectum videas e Donato, qui tamen ipse nostram lectionem tuetur. Ludovicus Carrio, quod 'quosdam' fecisse Donatus dicit, ipsi Donato tribuens, legit: C. *Quid?* G. *Nimium quantum.* C. *Quantum? dic.* G. *Si quis daret.* Vide ejus Antiq. Lect. Commentar. II. cap. 13. quomodo et Lipsio placuisse dicit. Ms. Wit. GE. *Quid? nimium.* DE. *Quantum libuit:* quomodo e Charisio citat Muretus. Si junctim, *nimium quantum* legas, valebit simpliciter, *nimium,* vel, *pernimium.* West. Codex 900 annorum *quantum voluit;* et *libuit* pro varia lectione inter lineas. Hinc colliges utrumque addititium esse: Lege, quod jam ab aliis occupatum est, G. *Quid? nimium quantum.* C. *Quantum? dic.* G. *Siquis daret.* Sic olim legebat Celsus Grammaticus apud Charisium p. 185. '*Nimium quantum:* Terentius in Phormione. Ubi Celsus pronuntiat; uti Immane quantum, Incredibile quantum. Licet quidam sic legant, inquit, ut 'nimium' servus dicat, 'quantum' vero senes: sed sententiam non intelligunt.' *Bent.* *Quid? nimium quantum?* DE. *Quantum? dic.* Both. *Nimium quantum libuit* Z. Perl. qui notat, 'Far. ed. more suo junctim *nimium-quantum,* hoc est, immane quantum. Probe. Varie tamen dividuntur

NOTÆ

31 *Satin' illi Dii sunt propitii?*] Hoc est, Satisne mente sanus est: nam quibus veteres bonam mentem optabant, his Deos propitios esse precabantur: contra quibus malam mentem, Deos iratos.

33 *Tria non commutabitis Verba*] Verba commutare est colloqui et inter se disserere. Noster Terentius in Andria: 'Nunquam hodie tecum commutaturum patrem unum esse verbum.'

Ge. Quid? nimium; quantum libuit. Ch. Dic. Ge. Si quis daret
Talentum magnum. Chre. Immo malum, hercle: ut nihil pudet!
Ge. Quod dixi adeo ei: quæso, quid si filiam
Suam unicam locaret? parvi retulit
Non suscepisse: inventa est, quæ dotem petat.
Ad pauca ut redeam, ac mittam illius ineptias,
Hæc denique ejus fuit postrema oratio:
Ego, inquit, jam a principio amici filiam,
Ita ut æquom fuerat, volui uxorem ducere:
Nam mihi veniebat in mentem ejus incommodum,

nimium: quantum ex libidine sua voluit. Ch. *Dic.* Ge. *Velim (aiebat) talentum magnum mihi detur.* Ch. *Quin potius magnum malum detur ei. Quam impudens homo ille!* Ge. *Hæc quoque ei respondi; rogo, si unicam suam filiam alicui in matrimonium collocaret, an plus ei daret, quam petis? non multi interfuit sua, nullam genuisse, ut video; siquidem inventa nunc est aliqua ipsi, quæ æque ac propria non minorem dotem petat. Ut ad pauca verba redigatur oratio mea, et silentio prætercam ejus ineptas nugas; hunc habuit ultimum sermonem; ego, inquit, hanc puellam primo in uxorem volui accipere, quod esset amici mei filia, et hoc æquitatem velle arbitrabar; nam animo meo occurrebat, quanta infelici incommo-*

hæc verba inter personas. Mihi rectius videtur tribui *quant. lib.* Chremeti, quippe qui nullum abhorret pretium, modo ne rescindantur nuptiæ. Quod ita esse ex infer. vss. 59. 65. et 72. probabitur.' Bip. lectionem Bent. omnino dat. De. *Quantum.* Ge. *Libuit* Guelf. 2. *Quid* pro *quis* 3.—39 *Immo malum, hercle*] Demiphoni hæc tribuenda; Chremes enim hac ipsa Scena facilem se præbet, et ut absolvatur Phormio, de suo daturus est Demiphoni. EP. et Mss. G. Bœnd. Wit. et M. recte Demiphoni tribuunt. *West.* *Immo malum hercle.* Hoc cum libris nostris Demiphoni tribue, ut et illud superius, 'Cedo quid postulat?' Convenit illum exclamare, quippe qui de suo solvendum fore credebat. *Bent.* Demiphoni tribuunt Br. Both. Perl. Bip.—40 *Ei quæso, quid* Br. *Ei adeo: quæso* Both.—41 A Guelf. 2. abest *Suam*, cujus in loco est *Quam.* Tunc mutatur periodus. *Perl.*—42 Wit. *quia inventa est.* 'Illud *quia* ante *inventa*, quod in quibusdam libris reperitur, est glossema, quod a versu damnatur, nec a sensu magnopere requiritur. Nam ellipsis personæ narrantis magis convenit. *Zeun.* *Inventa est, quæ dotem petat.* Hæc Bip. cum Eug. Demiphoni tribuit.—43 Wit. *Ut ad pauca redeam.* EP. *omittam.* West. *Ut ad p. r.*] Si legas *Ad p. ut r.* constat versus. Forte in 'ad' eliditur *d.* Er. *Ut ad pauca r.* Br. Bent. Z. Bip. Delph. *Ejus* pro *illius* Guelf. 3.—44 Tò *ejus* abest Br. *Nec denique*, omisso *Hæc*, Guelf. 2.—47 Reponendum

NOTÆ

39 *Talentum magnum*] Talentum Atticum minus erat sexaginta minarum, valebatque sexcentis Coronatis Gallicis, sive 1800. libris Turonensibus, decies octies centum libris Turonum: majus vero talentum erat octoginta minarum, id est, 2400. libris Turon.

In servitutem pauperem ad ditem dari:
Sed mihi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler,
Aliquantulum quæ afferret, qui dissolverem
Quæ debeo; et etiam nunc, si volt Demipho
Dare, quantum ab hac accipio, quæ sponsa 'st mihi,
Nullam mihi malim, quam istanc, uxorem dari.
An. Utrum stultitia facere ego hunc, an malitia,
Dicam, scientem an imprudentem, incertus sum.
De. Quid, si animam debet? Ge. Ager oppositus est pignori,
Ob decem minas, inquit. De. Age, age; jam ducat: dabo.
Ge. Ædiculæ item sunt ob decem alias. De. Oi! hui!
Nimium est. Chre. Ne clama: petito hasce a me decem.

da ferenda essent, si inops diviti, in servitutem potius, quam in matrimonium illa daretur; sed, ut nihil te celem, opus mihi erat uxore, quæ mihi argentum afferret, quo me ære alieno liberare et quodcumque debeo, creditoribus meis solvere possem: et adhuc quoque, si Demipho id gratum habet, et tantam mihi vult dare pecuniam, quantam dat illa, quæ mihi uxor promissa est; illam amici filiam præ aliis uxorem eligam mihi. An. *Dubius animi sum, utrum hic homo stultitia adductus, an malitia; scienterne et data opera, an inconsiderate nec cogitato hæc agat.* De. *Quid si animam suam debet, si seipsum debet?* Ge. *Dicit ille agrum suum pignori obligatum esse pro decem minis.* De. *Age, age, jam mulierem illam uxorem accipiat, hanc pecuniam dabo.* Ge. *Etiam dicit se domunculam habere item obligatam creditoribus suis, propter talem summum pecuniæ.* De. *Oi, hui! non dabo.* Ch.

monet Bent. *Nam mihi venibat in mentem ejus incommodi.* Bothius legit, *Nam in mentem mihi venibat ejus incommodi. Venibat in m. eju' incommodi* Bip.—48 A Ms. G. illa *ad ditem* absunt. Bœnd. *ad divitem.* West.—49 A Guelf. 3. abest *tibi.*—50 Guelf. 2. *affert.* Ibid. *dissoverem*, neglecto *l* medio.—51 Bodl. et Wit. *etiam*, omisso *et.* West. Abest quoque a Br. GM. *Et nunc etiam* Both.—54 *Utrum facere ego stultitia* Both.—56 *Oppositu'st* Bent. Z. Perl. Bip. *Oppositus* Both. sine τῷ *est.*—57 Repone *Ob decem mnas, inquit;* ut Græci μνᾶς. Ita sæpe apud Plautum pronuntiatur. *Bent.* Tò *Ob* versui priori adjungunt Both. Bip. *Decem mnas* Both. Abest *inquit* a Guelf. 2.—58 *Oi* abest a Mss. Bodl. Bœnd. G. Wit. aliis. *West.* *Hoi, hui.* Bent. *Ei, oi:* quam lectionem sequimur. *Fa.* Nostri perperam *hui.* Bent. *Oieï* Both. *Hui* Br. GM. *Hoi hui* Z. Delph. *Oi, ei* Perl. *Hoi, hei* Bip.—59 EP. *a me hasce.* Reponendum monet Bent. versus gratia, *p. illasce a me decem.* Ita et dat Both. *Peti* Guelf.

NOTÆ

56 *Quid si animam debet*] Lege xii. Tabularum constitutum fuit Romæ ut qui solvendo non esset, is nexus et vinctus addiceretur creditori, sententia judicis, ut in compedibus vincti essent, quousque apud creditores serviendo nomina, id est, debita liberassent. Hoc est, quasi seipsum debere.

GE. Uxori emunda ancillula 'st: tum pluscula
Supellectile opus est: opus est sumtu ad nuptias:
His rebus sane pone, inquit, decem minas.
DE. Sexcentas proinde scribito jam mihi dicas.
Nihil do: impuratus me ille ut etiam irrideat?
CH. Quæso, ego dabo, quiesce: tu modo, filius
Fac ut illam ducat, nos quam volumus. AN. Hei mihi!
Geta, occidisti me tuis fallaciis.
CHRE. Mea causa ejicitur: me hoc est æquom amittere.
GE. Quantum potes, me certiorem, inquit, face;

Ne clama: si a me petantur, dabo. GE. *Uxori servulam me comparare oportet; tum plusculum supellectilis: opus mihi præterea est aliqua pecunia, ad faciendas nuptias. His sumtibus nuptiarum impendantur sane decem minæ.* DE. *Propterea sexcentas intendat jam mihi lites: nihil contribuo. Itane sceleratus ille mihi illudet?* CH. *Amabo, ego do: tranquillus esto: tu tantum cura, ut filius uxorem eam habeat, quam cupimus.* AN. *Hei mihi! Geta, interemisti me tuis technis et inventis.* CH. *Mei gratia hæc mulier extra ædes eliminatur: me has minas justum est perdere.* GE. *Quam cito potes mihi nuntia an illam puellam daturi sunt,*

1. pro *petito* vitiose. *Perl.*—60 Mss. Lips. Bodl. G. Bœnd. et Wit. cum EP. *tum autem pluscula:* quomodo Faërnus in nullo esse libro scripto ait. *West.* *Tum autem pluscula Supellectile opus est.* Tò *autem* nullus habet liber scriptus, nec Priscianus hunc locum citans, sed nec versus admittit. *Fa.* *Uxori emenda ancillulast: tum pluscula.* Quid hoc est, quod nullus apud Faërnum liber *autem* habuerit, nostri habeant universi? Et quidem melius, si cum codice Pet. *ancilla* hic legatur, *Uxori emenda ancillast: tum autem pluscula.* And. I. 5. 34. 'Tum autem hoc timet, Ne deseras se.' Eun. II. 3. 11. 'Tum autem qui illum flocci fecerim.' Omittit tamen Pr. p. 611. *Bent.* *Ancilla est: tum autem p.* Both. *Tum autem* Br. Perl.—61 *Supellex opus est* Both. 'Vulgo repetitur *opus est.* Sic versus claudicat; neque Do. bis legit. Ad verba enim 'sumtu ad n.' ait 'opus est' subauditur. Itaque ut et cum Do. consentiamus, et versus non deficiat, repetimus *tum* ante *sumtu.*' Bip. Guelf. 2. non habet *opus est* posterius.—62 Bodl. *decem, inquit, minas.* EP. *pone sane decem, inquit, minas.* Et in plusculis Mss. est, *pone sane.* West. Hic versus enervis et elumbis incedit. Nostri omnes *pone sane.* A duobus abest *minas.* Repone, *His rebus alias pone sane, inquit, decem.* Bent. Ita et Both. *Pone sane decem inquit minas* Br. *Pone sane, inquit, decem,* omisso *minas,* Perl.—63 Bodl. Bœnd. et G. *perinde.* EP. *potius.* West. *Sexcentas proinde potius scribito jam mihi dicas.* Nec in libro Bembino, nec in Victoriano, nec etiam in quibusdam libris scriptis Donati est τὸ *potius,* quod et versui incommodum est: et præterea in omnibus antiquissimis scriptum est *sescentas* per *s.* Fa. Nostri *perinde,* vel *proinde potius;* nisi quod ab uno absit *potius.* Bent. *S. perinde potius scribito mihi: jam dicas* Br. *Proinde scribito mihi dicas* Eug.—64 *Impunitus* pro *impuratus* Guelf. 2.—67 Abest hic vs. a vett. codd. *Lind.* *Occidisti me tuis fallaciis.* Hæc verba in marg. Guelf. 3. sunt ascripta ab altera manu. *Perl.*—68 Al. *æquom est.*—69 Libri quidam scripti et impressi, *Quantum potest:* subaudi 'fieri.' *West.* Bem. *potest:* quæ duæ sunt partes orationis, *pote* et *est,* ut sit sensus, tam celeriter, quantum pote est, me certiorem fac. *Fa.* Nos-

Si illam dant, hanc ut mittam; ne incertus siem;
Nam illi mihi dotem jam constituerunt dare.
CHRE. Jam accipiat; illis repudium renuntiet;
Hanc ducat. DE. Quæ quidem illi res vortat male!
CHRE. Opportune adeo nunc argentum mecum attuli,
Fructum, quem Lemni uxoris reddunt prædia:
Id sumam: uxori, tibi opus esse, dixero.

hanc, quæ mihi sponsa est, ut a me dimittam, inquit, ne animi dubius pendeam. Nam hujus parentes jam deliberaverunt argentum in dotem mihi numerare. CH. *Jam dotem accipiat, illis repudium mittat, hanc uxorem ducat.* DE. *Quæ quidem res exitium ei afferat, et male succedat.* CH. *In tempore, et commode etiam pecuniam mecum attuli. Ex reditibus fructuum, quos præbent Lemni fundi meæ uxoris, quod opus est sumam: referam uxori te hoc argento indigere.*

tri *potes.* Sed recte *potest.* Bent. *Potest* Both.—70 Bodl. G. Wit. et EP. *amittam.* Bœnd. *omittam.* Sed ratio senarii τὸ *mittam* exigit. *West.* *Hanc ut omittam.* Bem. et aliqui alii libri *mittam.* Fa. Nostri omnes *mittam.* Bent. *Illanc* Both. *Amittam...siam* Br. *Dimittam* Guelf. 3.—71 *Constituerant* Guelf. 2.—72 Codd. quidam *accipiet.* West. *Jam accipiet.* Omnes fere libri *J. accipiat:* ita et Bem. Vi. et Bas. *Fa.* Meliores nostri *accipiat.* Bent. *Accipiet* Bip. *Illi* Guelf. 3.—73 *Illis* Br.—74 *Nunc argentum mecum attuli.* Numero meliore collocantur hæc verba in aliquot libris scriptis, et Donato: *nunc mecum argentum a.* At in Bembino, *argentum nunc mecum a.* licet deinde annotata sit inversio. *Fa.* *Opportune adeo nunc mecum argentum attuli.* Nostri fere omnes *argentum mecum:* quare placet qui in Bembino est ordo, *Opportune adeo argentum nunc mecum attuli.* Bent. *Argentum nunc mecum* Perl. *Nunc mecum argentum* Both. Bip. Delph.—75 Palmerius *Lemno.* Both. *uxoris Lemni.*—76 *Id sumam.* Sic et Donatus; sed liber Bembinus *Inde sumam:* prima autem hujus versus syllaba præcedentis fini applicabitur. *Fa.* Nostri omnes *Id,* sed perperam. Si *Id* legis, totum id quod a Lemno attulit triginta minæ

NOTÆ

72 *Illis repudium renuntiet*] Divortium est separatio, quæ fit inter maritatos, eo animo, ut nunquam reintegretur matrimonium. Divortium tantum fit inter conjuges: repudium fit inter maritos et sponsos. Formula divortii, hæc est, notata a Titinnio: Aliquis vestrum nuntiet Geminæ, ut res suas procuret, ædibus facessat. Repudiandæ uxoris impudicæ formula placet apud Petronium: Quia fidem scelere violasti, et communem amicitiam, res tuas ocyus tolle, et alium locum, quem polluas, quære. Repudii formula fuit: Conditione tua non utor. Cum uxorem autem quis repudiare vellet, vel præsens eam expellebat ædibus, vel per nuntium absenti libellum mittebat, quo legitimæ causæ continebantur. Juvenalis Satyra VI. 'Collige sarcinulas, dixit libertus, et exi.' Divertenti uxori claves adimebantur, ut intranti domum mariti ei tradebantur, tanquam dominii in familiam, et fidei erga maritum argumentum: quod exprimitur his verbis XII. Tabularum; Res suas sibi habeto, claves adimito, feras exigito. Dicitur, Repudium mittere, scribere, renuntiare, dicere.

erant: si *Inde*, e multo majore summa sumit minas triginta. Quin et Donatus, si animum attendas, legebat *Inde*. 'Id sumam: non fructum, sed argentum.' Sic hodie editum: sed, nisi *Inde* scripseris, putidissima annotatio est. Quis enim dubitaverit, non conjungi 'Id fructum?' Ceterum prima hic syllaba non priori versui applicanda est, sed primi pedis licentia 'Inde' corripitur. *Bent.* *Sumam inde* Both. *Inde sumam* Perl. *Id* Guelf. 2. 3.

ACTUS IV. SCENA IV.

ANTIPHO. GETA.

AN. Geta! GE. Hem! AN. Quid egisti? GE. Emunxi argento senes.
AN. Satin' id est? GE. Nescio hercle: tantum jussus sum.
AN. Eho! verbero, aliud mihi respondes, ac rogo.
GE. Quid ergo narras? AN. Quid ego narrem! opera tua
Ad restim mihi quidem res rediit planissume.
Ut te quidem omnes Di, Deæque, Superi, Inferi,

AN. *Geta.* GE. *Hem!* AN. *Quid fecisti?* GE. *Nempe, uti intenderam, Demiphonem et Chremetem delusos argento spoliavi.* AN. *Satisne id est?* GE. *Per Herculem non sat scio an satis pecuniæ Phædriæ elicui; sed solum hanc summam mihi mandatum est ut conficerem, quam lenoni daret.* AN. *Eho, flagrio! aliud mihi respondes, atque a te quæro?* GE. *De qua re ergo loqueris?* AN. *De qua re ego loquor? per te id factum est, ut ad laqueum spes mea jam omnis sine ulla dubitatione penitus redacta sit. Utinam equidem te Dii, Deæque omnes, Superi,*

In Both. prior Scena continuatur.—1 Nonius in v. 'emungi,' et rursus v. 'emungere,' *senem* habet. *Bent.*—2 Meliores nostri magno numero, *Satin est id?* Recte. *Idem.* Ita et Br. Both.—4 *Quid ego narrem opera tua?* Br.—5 Bip. τὸ *Ad* vs. priori adjungit. 'Lege *redit* pro *rediit*, et sic Pr. p. 757.' *Bent.* Sequitur Both.—6 Dele illud *que*, quod, cum versui tum elegantiæ inimicum est. Si ultima, certe et priora, per asyndeton dici debent. Et sic codex ve-

NOTÆ

1 *Emunxi argento senes*] Sic Plautus in Epidico, actu III. sc. 4. 'Homo es, Qui me emunxisti mucidum, minimi preti.'

2 *Satin' id est? . . . . tantum jussus sum*] Ludit Terentius in ambiguitate orationis. Dixerat Antipho; satisne putas te fecisse, quod a senibus argentum hauseris; nullam vero mei curam habueris? respondet autem Geta, quasi Antipho quæreret, an tanto argento senes emunxisset, quantum Phædriæ satis esset: ideo dicit; an satis sit nescio; sed quantum jussus sum providere, tantum me providisse scio.

Malis exemplis perdant! hem! si quid velis,
Huic mandes, quod quidem recte curatum velis;
Qui te ad scopulum e tranquillo inferat.

Inferi eradicent. Hem! huic da negotium, ut tibi procuret, quod recte tibi apparatum, et effectum velis: ut ex portu tranquillo et tuto ad scopulum abripiat, et alli-

tus apud Guyetum, qui tamen hunc cum sequentibus duobus pro spuriis ablegat. Quæ hæc vesania est? Apud Priscianum p. 1141. et Charisium p. 197. *Dii deæque.* Bent. Τὸ *que* delent quoque Both. Bip.—8 Repetitus versus ex Adelph. III. 3. 18. Bœnd. *Si quid huic mandes, quod recte curatum velis.* Guyetus hunc et duos superiores versus, ob lectionum varietatem, tanquam insititios et spurios ablegat. In G. tantum illa sunt, *Huic mandes.* West. Scriptum sic erat in Phormionis Act. IV. Scen. 4. *Ut te quidem...Huic mandes quod quidem recte curatum velit.* Quid versus postremus cum mensuram excederet, neque tamen posse detrahi quicquam viderem, neque absoluta etiam plane esse videretur, perfectaque sententia, incido in codicem, non illum quidem, qui sua auctoritate fidem facere debuerit, sed qui monere tamen dubitantem potuerit. In eo sic scriptum erat *Ut te quidem...Huic mandes, quod recte curatum quidem | Velis, ad scopulum qui te e tranquillo inferat.* Quem versum Terentianum esse negare nemo possit. *Gov.* *Qui te ad scopulum e tranquillo inferat.* Hic versus nec est in Bem. nec in Vi. nec Bas. nec exponitur a Donato, nec sane multum momenti ad sensum affert; et præterea inusitati, aut certe admodum rari generis est, quippe trochaicus dimeter hypercatalecticus: quibus omnibus adducti sumus, ut eum ex libro nostro deleremus, ut et Robertus Stephanus ante nos fecit: eum tamen versum omnes alii habent libri scripti, sed ita ut verba præcedentia, id est, *quod quidem recte curatum velis*, aut non habeant, aut fere addita extra contextum habeant: in omnibus contextus hic fere sit, *Huic mandes, qui te ad scopulum e tranquillo inferat:* hoc item modo versus esset senarius; sed nos antiquissimam lectionem sequimur. *Faërn.* Versus hic jam olim duplici colo claudebatur: [*qui te ad scopulum e tranquillo auferat* | *Huic mandes,...*[*quod quidem recte curatum velis.* In nostris plerisque utrumque est; sed in his hoc prius venit, in aliis illud: unus ex Regiis posterius hoc non habet: contra tres primarii apud Faërnum prius ignorant. Quæritur jam, utrum ab Auctore sit, utrum interpolatum. Faërnus, et post eum plerique alii, prius hinc exulatum mittunt, posterius adsciscunt: in quo judicium eorum et acumen desidero. Vix enim dubito, quin olim huc traductus sit in marginem ex Adel. III. 3. duodevicesimus versus, 'Em, huic mandes, siquid recte curatum velis,' ut huic geminus et germanus, 'Em siquid velis, huic mandes.' Postea is, ut sæpe evenit, in textum se insinuavit. Atque in Adelphis quidem nihil illo melius aptiusve dici potest; hic nihil putidius aut inanius. Quid enim in se habet, quod non prius dictum sit; 'Si quid velis,' id ipsum est quod 'Siquid recte curatum velis.' Ergo hic habemus δὶς ταὐτόν. Contra in altero verba egregia, sententia illustris, 'Qui in scopulum e tranquillo auferat.' Dixerat Geta III. 1. 15. 'Sic se habent principia: adhuc tranquilla res est.' Jure ergo, hic Getæ irascitur, qui ex tranquillissima re in novas, ut putabat, turbas et in perniciem eum conjecerit. *Auferat*, ut plerique omnes libri habent, de tempestate et fluctu proprie dictum. Ovidius, Amor. II. 4. 'Auferor ut rapida concita puppis aqua.' Vel lege *ferat*: Plautus Merc. I. 2. 84. 'Equidem jam censebam me esse in terra atque in tuto loco; Verum video me ad saxa ferri sævis fluctibus.' Most. III. 1. 147. 'Iterum jam ad unum saxum me fluctus ferunt.' *Bent.* *Huic mandes, qui te ad scopulum e tranquillo auferat* Both. Bipont. Perl. *Huic mandes, qui...inferat* Delph.—9 Codd. quidam, *auferat*. Hunc versum, qui in plusculis Mss. et impressis legitur, mirum est, suspectum haberi a vi-

Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere,
Aut nominare uxorem? injecta est spes patri,
Posse illam extrudi. Cedo nunc porro, Phormio
Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum:
Quid fiet? GE. Non enim ducet. AN. Novi: ceterum,
Cum argentum repetent, nostra causa scilicet
In nervom potius ibit. GE. Nihil est, Antipho,
Quin male narrando possit depravarier.
Tu id, quod boni est, excerpis; dicis, quod mali est.
Audi nunc contra jam: si argentum acceperit,
Ducenda est uxor, ut ais: concedo tibi.
Spatium quidem tandem apparandis nuptiis,
Vocandi, sacruficandi, dabitur paululum.
Interea amici, quod polliciti sunt, dabunt:

dat. Nam, amabo, quid minus in rem meam, mihique minus commodum fuit, quam in hanc vomicam unguem immittere, ejus rei mentione facta, quæ nobis sit odiosa, et dolorem afferat; aut nomen solum uxoris coram patre pronuntiare? spem patri fecisti posse illam domo ejici: dic vero nunc, si pecuniam in dotem Phormio a patre, et a patruo accipiet, si in ejus domum deductio sponsæ facienda est, quid eveniet? quid me fiet? GE. *Phormio quidem non ducet.* AN. *Scio: verum cum senes nostri argentum repetere cupient, ille Phormio nostri causa in vincula se conjici et necti scilicet patietur potius, quam reddat quod abstulit.* GE. *Nulla res est, Antipho, quæ male verbis exprimendo, vitiari, et corrumpi, et in deteriorem partem verti non possit. Tu id quod boni est supprimis, et excipis seorsum: quod vero mali est, illud commemoras. Audi nunc contra jam: si Phormio pecuniam dotalem acceperit, eum, ut dicis, uxorem ducere oportebit; per me licet; sed sane spatium paululum tandem ei concedetur ad apparatum nuptiarum faciendum; ad invitandum propinquos, ad sacra facienda: dum hæc curabuntur, amici quod promi-*

ris eruditis. G. Fabricius 'sententiam bonam et eruditam' vocat, versum tamen improbat. Non videtur autem fieri potuisse, ut tam elegans sententia tam commodo loco ab interpolatore adderetur. Tum ex Donati silentio nihil contra hujus versus fidem conficitur; quod ille plura loca elegantissima non attingit; nec integer superest. In aliis legitur: *Huic mandes, qui te ad scopulum e tranquillo inferat.* Quam lectionem tuentur Mur. et Gambarellus. *West.* Hic vs. abest a Br. Z. Al. *afferat.*—10 Mss. quidam et editi post EP. *utile.* Videtur autem *utibile* ut antiquius, ita magis genuinum; diciturque, uti vincibilis, conducibilis, vendibilis. *West.*—14 F. F. *Enim non ducet.* Idem. A Guelf. 3. abest *ceterum.*—19 *Jam si accep. Phormio* Guelf. 1.—21 G. F. *apparandi nuptias.* West. Improbat Bipont.—23 *Dabunt.* Mss. Lips. Bodl. G. Bœnd. Wit. cum EP. Junt. aliis quibusdam, *argentum dabunt.* Rivius tuetur *argentum,* expuncto *amici.* Contra faciunt Faërnus, Mur. G. et F. F. *West. Interea amici quod polliciti sunt argentum dabunt.* Ex auctoritate libri Bembini et Victoriani, versusque ratione delentes dictionem *argentum,* legimus, *quod polliciti sunt, dabunt.* Fa. Nostri plerique nesciunt illud *argentum.* Bent. *Ar-*

Id ille istis reddet. AN. Quamobrem? aut quid dicet?
GE. Rogas?
Quot res? postilla, monstra evenerunt mihi!
Introiit in ædes ater alienus canis;
Anguis per impluvium decidit de tegulis;
Gallina cecinit; interdixit hariolus;
Haruspex vetuit ante brumam aliquid novi

serunt, dabunt argentum. Id argentum Phormio recusans conficere nuptias, reddet tuo patri, et patruo. AN. *Quamobrem reddet? aut quam causam, cur reddat, poterit dicere?* GE. *Quæris quid causæ poterit prætendere, cur rem nolit perficere? sic dicet; post conventionem nuptiarum, quot prodigia, quot portenta apparuerunt mihi! Niger canis alienus introiit in ædes nostras: vel serpens per impluvium delapsus est deorsum de tegulis: vel gallina cecinit: vel hariolus vetuit ne uxorem ducat; vel haruspex interdixit ne quid negotii aggrederer ante tempestatem brumæ,*

gentum dabunt Br. GM.—24 *Id ille istis reddet.* Ita edidi; quod alii, *Inde iste reddet. Id istis reddet. Inde istis reddet. Id de istis reddet.* West. *Id istis reddet.* Bem. *Inde iste.* V. Vi. et Bas. *Id ille istis:* nobis placet antiquior lect. *Fa.* Nostri fere omnes *Id ille istis.* Bent. *Dicit* Br. *Inde iste reddet* Both. Bip. Delph. *Id istis reddet* Z.—25 Distinguit Bent. *Quot res post illa monstra evenerunt mihi?* Ita et Br. Delph. Both. Perl. præterquam quod duo posteriores notam exclamationis dant. *Illam* Br.—26 Tò *in* non habet Perl.—27 Recte hic Guyetus rem gessit, reponens *in impluvium.* Bent. *In* Both. Perl. —29 *Aruspex* Bent. Perl. Z. *Haruspex* tamen defendunt Do. Gov. '*Aliquid.* Wit. *quid.* Bodl. *autem:* quod et in impressis quibusdam est; defenditque Fa. ex antiquissimis libris: quando τὸ 'incipere' erit nominis loco, pro, inceptio novi negotii.' *West. Aruspex vetuit ante brumam aliquid novi Negoti incipere.* Antiquissimi libri non habent τὸ *aliquid:* sed loco ejus *autem:* quod si admiserimus, 'incipere' nomen erit; ut, 'Scire tuum:' quasi diceret, aruspex vetuit inceptionem novi negotii. *Fa. Aruspex vetuit ante brumam autem novi Negoti incipere, quæ causast justissima.* Quicquid dicant illi antiquissimi, in hac constructione, illud *autem* extra locum et ordinem ponitur. Nostri tamen meliores summo consensu *autem:* ex recentioribus duo *aliquid,* unus *autem aliquid,* alter *autem quid.* Nempe huc adductum est *aliquid* vel *quid,* quia sententia alioqui manca et mutila esset. Aut valde fallor aut magnum hic Magistrorum flagitium latet. Donatus ad locum: '*Ante brumam autem*] Irrisit homines Terentius, quibus religio sit aggredi negotium aliquod diebus decrescentibus.' Atqui non opus erat aruspice, ut sciret aliquis dies decrescere. Ante brumam nihil magni negotii incipere, non ex aruspicina fluxit, sed alterius prorsus fuit superstitionis. Hoc posito, videor mihi meo jure post *vetuit* distinguere, *Gallina cecinit: interdixit hariolus: Aruspex vetuit:* hæc certe concinna sunt, atque adeo non possunt non esse vera. Jam

NOTÆ

26 *Anguis per impluvium*] Impluvium, inquit Varro, est locus sub cœlo, in medio ædium relictus: unde lumen deorsum caperent: ita dictus, quod eo implueret. Festus vero causam notationis sic refert; impluvium quo aqua impluit collecta de tecto. Ex superstitione Veterum hæc dicit Phormio: nam his de causis nuptiæ, ne fieri possent, prohibebantur.

Negotî incipere; quæ causa est justissima.
Hæc fient. AN. Ut modo fiant. GE. Fient: me vide.
Pater exit: abi, dic, esse argentum, Phædriæ.

hyemis. Quæ causa, et excusatio justissima, et admodum speciosa. Hæc evenient impedimenta, me vide, hæc assevero tibi. AN. *Dummodo ita sit.* GE. *Ita erit. Sed pater exit. Abi, nuntia Phædriæ argentum, quod illi opus est, paratum esse.*

autem rite et suo ordine venit *autem*, si hinc nova sententia inchoetur, *Ante brumam autem:* modo ut ista quæ sequuntur huc coaptari possint. Quidni et ego hariolus hic fiam? non a vero, ut opinor, longe abero. Repone, *Aruspex vetuit: ante brumam autem novi Negoti nihil incipere, causa est sontica.* Bent. *Haruspex vetuit. Ante brumam autem novi* Br. *Autem* Perl. In GM. textu est *autem*, sed sup. script. *aliquid. Haruspex vetuit: ante brumam autem novi* Bip. quæ notat, 'Bent. bonus ille medicus medendo ipsum morbum intulit, quo palleat Ter. Cum enim hæc divisisset a prioribus, et reddidisset *autem*, seq. versum deturpat sic: *Negoti nihil incipere, causa est sontica.* Nil certe hariolatus est, sed deliravit. cf. Tibull. I. 9. 51. Nos lenissime emendamus ad mentem Donati, et ut quam minime absimus a libris, legendo *N. inciperem quid? causa est justissima.*' Vulg. *ante br. aliquid novi Negoti incipere.* codd. meliores, in his Berolinenses, vel *autem* præbent pro *aliquid*, vel certe illud addunt. Bent. *Negoti nihil incipere, c. est sontica:* quæ docte astruit; sed tam violenta medicina vix opus: 'Negoti' interpretamentum est. *Both.*—30 Wit. addit, *Tunc bonæ fient nuptiæ.* West. Nullam distinctionem ponit Br. neque post *incipere*, neque *justissima.* Bothius legit *Aliquid incipere*, omisso *Negoti.* —31 M. *Hæc fiet*, quasi respiciatur 'causa justissima.' *West.*—32 Bodl. et Wit. *abi et dic.* Idem. Ita et Br. Guelf. 3.

ACTUS IV. SCENA V.

DEMIPHO. GETA. CHREMES.

DE. QUIETUS esto, inquam: ego curabo, ne quid verborum duint.
Hoc temere nunquam amittam ego a me, quin mihi testes adhibeam:

DE. *Tranquillo esto animo, inquam; ego cavebo sedulo, ne me ullo modo fallat. Hoc argentum nunquam dimittam alteri facile, aut inconsiderate, ut non testes ad-*

Codd. quidam *duit:* quasi de solo Phormione dictum. Quidni autem sermo sit de Geta et Phormione simul? EA. et EV. 1. *ne quid isti verborum duint:* h. e. ne quid fallant me, et argento accepto, Phanium apud Antiphonem maneat. *West. Duit* legit Fa. sic et plerique codd. Bent. Br. Both. Perl. Bip. Z. Delph.—2 Nullam distinctionem ponit Br. post *adhibeam.*

Cui dem, et quamobrem dem, commemorabo. GE. Ut cautus est, ubi nihil opus 'st!
CHRE. Atque ita opus facto est: at matura, dum libido eadem hæc manet;
Nam, si altera illa magis instabit, forsitan nos rejiciat.
GE. Rem ipsam putasti. DE. Duc me ad eum ergo. GE. Non moror. CHRE. Ubi hoc egeris,
Transito ad uxorem meam, ut conveniat hanc priusquam hinc abeat:
Dicat, nos dare eam Phormioni nuptum, ne succenseat;
Et magis esse illum idoneum, qui ipsi sit familiarior;

vocem ad fidem faciendam: his cui dem, et quapropter dem, aperiam, et referam. GE. *Quam circumspectus est, ubi nulla circumspectione opus est!* CH. *Atqui, ita facere convenit. Verum properandum est, dum voluntas et cupiditas hominis eadem hæc adhuc fervet: nam si hæc Phormionis sponsa magis eum solicitet ad ipsam ducendam uxorem, forsitan nos dimittat, et conditionem nostram repudiet.* GE. *Rem vera conjectura assecutus es, recte considerasti, et perpendisti.* DE. *Duc me ergo ad eum.* GE. *Nulla in me mora est, paratus sum, eamus.* CH. *Ubi hoc negotii peregeris, Demipho, transi ad uxorem meam, ut conveniat quamprimum hanc Antiphonis uxorem, Phormionis novam sponsam; priusquam domo vestra exeat: dicat eam nos dare uxorem Phormioni, ne illa id ægre ferat, et illum magis*

Guelf. 3. *dimittam* pro *amittam.*—3 Mss. G. Wit. Bœnd. cum EA. et quibusdam aliis vetustis, *Cum dem.* Alterum autem *dem* abest a M. Guyetus in impressis, '*Quid dem* i. e. cujus causa, ad quem finem.' Sed in ἀνεκδότοις, expuncto in suo exemplari τῷ *Cum* scribit, 'Legendum videtur *Cui dem.* Vide codd. veteres, et edd. τὸ *Cui* habet Do. Lind. editio Bergii etiam.' *West.* Wit. *Ut cautus, ubi nihil est opus!* G. *Ut catus est.* Idem. *Quin mihi testes adhibeam, Cum dem.* Nimis hoc vapidum et senile est. 'Nunquam hoc a me amittam,' hoc est, 'Nunquam cuiquam hoc dabo; quin cum dem, testes adhibeam.' Duo ex nostris *Cur dem.* Lege et distingue, *Hoc temere numquam amittam ego a me, quin mihi testis adhibeam: Cui dem, quamobrem dem, commemorabo.* 'Cui dem,' ut tam de homine, quam de negotio jusjurandum dare possint. *Bent. Cum dem* Br. Notat Bruns, 'Edit. *Cui* prob. Bent. In nota Bentleii ad h. v. pro 'duo ex nostris: *Cur dem,*' lege *Cui dem.* Istud enim *Cur* est error typographicus, quem non olfecit Zeun.' *Cui dem, quamobrem .... ubi nil opus!* Both. *Cum dem* Bip.—4 Omnes fere, et in iis antiqui libri, *et matura.* Fa. Nostri plerique *at*, unus et alter *et.* Lego *et mature.* 'Matura' et 'propera' pro 'mature' et 'propere,' sæpe hic se ingesserunt. *Bent.* Bothius legit *Atqui ita facto opus est, et matura, dum lubido eadem hæc manet.* Ita et Bip. præterquam quod ordinat, *opus facto.* *Et mature* Par. Perl. *Atqui* et *lubido* Delph. *Hic* pro *hæc* Guelf. 1.—5 *Illæc* Bent. Both. Z. Bip. *Reiciat* Br. Bent. Both. Perl. Bip.—6 G. et EP. *Num moror.* West. *Num moror?* Br.—7 Gov. et Guy. *abit.* West. *Transito ad uxorem.* Addo pronomen *meam*, ex o. l. s. ita etiam octonarii exigente ratione: in fine vero hujus versus lego, *abit*, ex eadem versus ratione, et tribus antiquissimis libris. *Fa.* Nostri omnes et *meam* et *abit.* Bent. *Abit* Br. Both. Bip. Delph.—8 *Dicat eam dare nos* Bent. Perl. Z. Bip. Delph. *Dicat eam nos dare* Br. *Dicat, dare eam nos* Both.—9 Optimum hunc versum, qui inservit

Nos nostro officio nihil digressos esse; quantum is voluerit,
Datum esse dotis. De. Quid tua, malum! id refert? Chre. Magni, Demipho.
De. Non satis est, tuum te officium fecisse, si non id fama approbat?
Chre. Volo ipsius quoque voluntate hoc fieri, ne se ejectam prædicet.

ei convenire, ut qui sit ei usu familiaritatis notior: nos a nostro officio ne tantulum quidem discessisse, et quantum argenti is petierit, dedisse in dotem. De. *Quid tua, malum! id interest?* Ch. *Magni, Demipho.* De. *Nonne satis tibi esse debet, te officio functum esse, quamvis id famæ hominum probatum non fuerit?* Ch. *Cupio etiam id fieri ea non invita, ne se a nobis expulsam possit commemorare, et*

persuadendæ Phanio, ut, Antiphone relicto, nubat Phormioni, expungit tamen Guyetus. *West.* Legendum monet Bent. ex cod. Acad. *ipsi qui sit.* Ita et dat Perl.—10 A Ms. Bodl. abest τὸ *esse.* G. Wit. Bœnd. cum EP. et EA. *egressos;* itidem omisso *esse.* West. *Nos nostro officio nihil egressos.* Aliqui libri pro *egressos* habent *digressos*, et in iis est Vi. et Bem. qui etiam pro *nihil* vel *nil*, quod in aliquibus est, habet *non:* ita legimus, *Nos nostro officio non digressos;* utroque tamen modo stat versus. *Fa.* *Nos nostro officio non digressos esse; quantum is voluerit, Datum esse dotis.* Nostri omnes *nihil egressos: quantum.* Nullus agnoscit illud *esse.* Repono, *Nos nostro officio nil degressos: quantum is voluerit dari, Datum esse dotis.* 'Degressos officio,' ut passim, 'Decedere officio.' Plaut. Cas. III. 5. 40. 'Sciens de via in semitam degredere.' 'Dari' autem absorptum est a verbo sequenti. *Bent.* *Egressos* Br. omisso *esse.* *Nil degressos, quantum i. v. dari* Both. *Non digressos esse* Bip. *Nil degressos; quantum i. v.* Perl. *Nihil egressos esse* Delph. τὸ *esse* abest Z.—11 *Datum dotis* Br. *Quid tua autem id refert?* Both.—12 Melius erit, versum hunc tribuere Chremeti, observante Palmerio. Atque ita Guy. *West.* *Non sat tuum officium fecisse, si non id fama approbat?* In libro Bembino et Victoriano legitur hoc modo, *Non satis est tuum te officium fecisse:* sed hoc modo versus impeditus esset, nisi forte elidas ex *fecisse* unum *s*, aut collocationem hanc sequare, quæ in aliquibus libris scriptis est: *id si non fama approbat.* Fa. De. *Non satis est tuum te officium fecisse, si non id fama approbat?* Si hæc recte habent, vel legendum hic *faxe* pro *fecisse;* ut 'faxem' pro 'fecissem:' Plautus Psend. I. 5. 84. 'Pistrinum in mundo scibam, si id faxem, mihi:' vel, ut et duo ex nostris habent, *id si non.* Sed corrigendum est *facere;* præterea tollendæ sunt illæ notæ Personarum et Interrogationis. Omnia hæc Chremetis sunt, qui, ut par erat, rationem reddit, cur 'magni sua referret.' Lege igitur et distingue, Ch. *Magni, Demipho. Non satis est tuum te officium facere, fama si id non approbat: Volo ipsius quoque voluntate hæc fieri, ne se ejectam prædicet.* 'Non satis est te facere:' sententia generalis; et proinde præsente tempore *facere* proferenda; non *fecisse*, quo ad rem hanc solam coarctetur. *Bent.* Τὸ *te* abest Br. *Non sat, te officium tuum fecisse, f. s. i. n. a.* Both. qui etiam Chremeti tribuit, et cum Br. non interrogat. Chremeti quoque reddit Bip. notamque rogandi tollit, et legit *id si non.* Interrogat Perl. post *fecisse: fecisse? s. n. i. f. approbat. Non sat tuum te* Z. Delph. A Guelf. 3. absunt *est, te.*—13 G. Wit. Bœnd. cum edd. quibusdam post EP. *hæc fieri.* West. *Prædicet.* Non solicitanda hæc vox, nec mutanda in *putet*, quod faciunt Gov. et F. F. ob metrum sci-

De. Idem ego istuc facere possum. Chre. Mulier mulieri magis congruit.
De. Rogabo. Chre. Ubi illas ego nunc reperire possim, cogito.

queri. De. *Ego idem istud officium vice uxoris tuæ facere possum.* Ch. *Mulier mulieri magis convenit.* De. *Rogabo uxorem tuam, ut id agat.* Ch. *Valde solicitus sum, ubi illas, filiam nempe et uxorem meam Lemniam, invenire possim.*

licet. *Idem.* *Hæc* nostri universi, non *hoc.* Bent. *Hæc* Br. Perl. *Volo, ipsa quoque volente hæc f.* Both. *Putet* Delph. *Nolo* pro *Volo* Guelf. 1.—14 Wit. et EP. *congruet.* West. *Magis congruet.* In Bem. est *convenit*, in Bas. *congruet*, in ceteris omnibus *congruit.* Fa. Tres tantum ex nostris *congruit;* ceteri omnes *congruet:* quod placet. *Bent.* *Congruet* Br. Perl. Ch. *Mulieri magis congruet* Delph. *Convenit* Bip. *Congrua est* Guelf. 3.—15 *Ubi nunc illas ergo.* In nullo libro invenias hanc lectionem, sed fere in omnibus, *Ubi ego illas nunc:* in Bem. tantum, *Ubi illas nunc ego:* ut et versus exposcit. *Fa.* Rogabo. *Ubi illas nunc ego reperire possim, cogito.* Nostri omnes *Ubi ego illas nunc.* Repone: *Ubi ego illas nunc jam reperire possim, cogito.* Bent. *Ubi ego illas nunc* Br. Perl. *Ubi illas nunc ego* Both. Bip. Z. *Experire* pro *reperire* Guelf. 1.

ACTUS V. SCENA I.

SOPHRONA. CHREMES.

So. Quid agam? quem mihi amicum inveniam misera? aut quo consilia hæc referam?

So. *Quid faciam? quem mihi infelix amicum fidelem in his difficultatibus reperiam? aut cum quo de nuptiis Antiphonis et Phanii consilia communicabo? aut unde*

Donatus hanc Scenam refert ad Actum IV. observante G. Fabricio.—1 *Inveniam misera*] Mss. quidam et impressi post EP. *Misera inveniam.* West. An *Quo* formatum ex *Quoi*, quod post mutatum in *Cui?* quomodo plerique omnes Mss. et editi veteres post EP. In Ms. Witt. tamen est *Quoi.* Faërnus *Quo* laudat. *West.* Bem. *aut quo consilia.* versus autem hos ita ordinamus, ut sint trochaici, primus quidem tetram. acatalect. quemadmodum et tertius et quartus hujus scenæ: secundus vero, demtis duabus dictionibus *nunc* et *mihi*, quæ non sunt in Bem. nec in multis aliis, dimeter catalecticus, hoc modo, *Quid agam? quem mihi amicum inveniam misera? aut quo consilia hæc referam?* | *Aut unde auxilium petam?* Bas. et Vict. *aut unde mihi auxilium petam?* Fa. Sic a Faërno. Sed nostri universi *misera inveniam:* et tres nostri primarii cum aliis duobus, *Unde mihi.* Repone, *Quid agam? quem mi amicum misera inveniam, quo consilia hæc referam, atque* | *Unde mi auxilium petam?* Dele prius *Aut*, et pro altero substitue *Atque.* Bent. non probante Perl. *cui* Delph.

Aut unde mihi auxilium petam ?
Nam vereor, hera ne ob meum suasum indigne injuria afficiatur :
Ita patrem adolescentis facta hæc tolerare audio violenter.
CHRE. Nam quæ hæc anus est exanimata, a fratre quæ
egressa 'st meo ?
SO. Quod ut facerem, egestas me impulit ; cum scirem infirmas nuptias
Hasce esse ; ut id consulerem ; interea vita ut in tuto foret.
CHRE. Certe ædepol, nisi me animus fallit, aut parum prospiciunt oculi,
Meæ nutricem gnatæ video. SO. Neque ille investigatur.
CHRE. Quid agam ?
SO. Qui est ejus pater. CHRE. Adeo, an maneo, dum ea,
quæ loquitur, magis cognosco ?

nunc opem mihi comparabo? Timeo enim ne Phanium hera contumeliose tractetur eo quod meis suasionibus crediderit : ideo graviter ferre patrem Demiphonem adolescentis Antiphonis facta intelligo. CH. *Quænam est hæc vetula exterrita, et exanimata metu, quæ exit a domo fratris Demiphonis?* SO. *Quod ut facerem, ut ei suaderem, obsequi scilicet Antiphoni, inopia me coëgit, quamvis satis præviderem nuptias hasce valde instabiles esse, et facili negotio dirimi posse : suasi ei, ut interea vita ab omni injuria tuta esset.* CH. *Sane nisi mens errat, aut visus caligat, filiæ meæ nutricem video Sophronam.* SO. *Neque etiam sedulo inquirendo Stilphonem eum invenire possumus.* CH. *Quid agam?* SO. *Qui sit ejus pater deprehendere non valemus.* CH. *An eam conveniam, an hic consistam, dum sermonem ejus*

Z. Br. *misera inveniam cui — at | que* Both.—2 Versus hic varie legitur. Sunt Codices, in quibus τὸ *Mihi* non legitur ; sunt, in quibus, *Nunc mihi* ; sunt etiam, ubi *Hæc referam* faciunt initium versus. *West.*—3 *Heram* G. *meum ne ob* Both. Bem. et aliqui alii *indigna* habent, ut ad injuriam referatur. *Fa. Indigna.* Sic e suo Bem. Faërnus, semper ei libro addictior, quam par erat. nostri omnes *indigne ;* et recte. Sic Heaut. III. 3. 4. 'Facis adeo indigne injuriam illi, qui non abstineas manum.' *Bent.* Et Par. ed. *indignâ*, ut haberetur pro ablativo. Præstat autem nominativ. sc. hera. *Perl.*—1. 2. 3 Hoc tristichon ita disponitur in Delph. *Quid agam — consilia | Hæc referam — vereor | Hera — afficiatur.*—5 Aliqui libri, inter quos Bem. et Bas. item Do. *Nam quæ hæc anus est?* Fa. Prava distinctio est, quam sic corrigas, *Nam quæ hæc anus est, exanimata a fratre quæ egressast meo.* Nostri quoque omnes *hæc anus est :* recte : ut *Anus* in ictu sit. Apud Servium ad Georg. IV. 445. *Nam quæ est hæc anus.* Bent. *Quænam* M. EA. *Namque* Br. mox *modo* M. *meo* abest a Witt. *Quænam* Guelf. 3.—6. 7 Ita legit Both. *Quod ut consulerem egestas impulit me, cum hasce nuptias | Infirmas esse scirem, &c.*—7 Dum versum hunc expungit Guyetus, simul sensum commodum præcedentis tollit. *West.* Clarius patebit, si distinguas, *ut id consulerem interea, vita ut — foret.* West. —8 O. l. s. *aut parum prospiciunt oculi.* quæ collocatio verborum versum efficit trochaicum acatalecticum, cujusmodi sunt tres sequentes. *Fa.* Ita et nostri universi. *Bent.*—9 *Neque is* Both. 'Legimus e Bem. *quid ago.*' Fa.

SO. Quod si eum nunc reperire possim, nihil est quod ve-
rear. CHRE. Ea 'st ipsa :
Colloquar. SO. Quis hic loquitur ? CHRE. Sophrona.
SO. Et meum nomen nominat ?
CHRE. Respice ad me. SO. Di, obsecro vos ! estne hic
Stilpho ? CHRE. Non. SO. Negas ?
CHRE. Concede hinc a foribus paululum istorsum, sodes,
Sophrona.
Ne me istoc posthac nomine appellassis. SO. Quid ? non,
obsecro, es,
Quem semper te esse dictitasti ? CHRE. St ! SO. Quid
has metuis fores ?

magis intelligam? SO. *Quod si eam nunc invenire possim, nihil erit causæ, cur quidquam posthac timeam.* CH. *Ea est ipsa nutrix Sophrona : conveniam illam.* SO. *Quem hic loquentem audio?* CH. *Sophrona.* SO. *Et me etiam meo nomine appellat?* CH. *Specta qui sim.* SO. *Dii, vestram fidem! estne hic Stilpho?* CH. *Minime.* SO. *Negasne te hunc esse?* CH. *Secede pauxillum hinc a foribus domus, ad istam partem, Sophrona, ne me isto nomine Stilphonis posthac voces.* SO. *Quid? nonne adhuc is, quæso, es, quem semper te esse dictitasti?* CH. *St.* SO.

'Nostri omnes *agam.* Placet *ago*, ut mox *Adeo, maneo.* Bent. *ago* Mss. Leidd.' Both.—10 *Qui est pater ejus* Br. '*Quid* pro *Qui* Par. nescio unde.' *Perl.* 'Ex Bem. et ratione trochaici, *adeo, maneo, dum hæc quæ loquitur*, et est ordo, dum magis cognosco, quæ hæc loquitur.' *Fa.* '*Qui est ejus pater. Adeo? maneo? dum ea quæ loquitur, magis cognosco.* Sic in Faërni editione est : sed apparet eum voluisse, *hæc quæ loquitur*, ex Bembino ; ut *hæc* sit casu recto singulari. Nostri omnes *ea ;* sed alterum rectius, ut infra v. 6. 6. 'Num tu intellegis, hic quid narret?' Eun. v. 9. 7. 'Audin tu, hic quid ait?' Porro omnes nostri, *Adeon an maneo.* Lege, *Adeo an maneo ;* neque hic Bembino ausculta. Plautus Aul. IV. 9. 20. 'Quid agam? abeam an maneam? adeam an fugiam?' Curcul. IV. 4. 33. 'Quid ego faciam? maneam an abeam?' Deinde pro *Qui est ejus pater*, nostri omnes *Qui est pater ejus :* neutrum placet ; quia *Pater* extra ictum ponitur. Repone, *Qui ejus pater est. Adeo? an maneo, dum hæc quæ loquitur magis cognosco?*' Bent. et sic Both. '*Adeon* vel *adeone* edd. præstantissimæ cum G. et Witt.' *West.* *adeo maneo* Par. *adeam* Guelf. 3. mox *cognoscam* Bod. G. Witt. EP. Br. et 'Ms. R. et vett. edd.' *Lind.*—11 *Nihil sit quod* Br. G. Wit. *nihil quod* Bod.—12 *Hem meum* Hel. Both.—13 *In* pro *ad* Guelf. 3.—14 Plerique l. s. sed recentes habent *paulum*, ut et exigit versus, qui est trochaicus catalecticus, ut duo præcedentes. Donatus videtur legisse, *paululum istoc.* Fa. *Paululum istorsum.* Sic et nostri : sed *paulum* reponendum, versu ipso jubente. Ceterum quod Faërnus ait, Donatum legisse *paululum istoc ;* ex his ejus verbis collegisse sibi visus est : *Nunc Istorsum adverbium est loci : alias nomen.* Quia *Istorsum* nusquam nomen est, corrigebat illic *Istoc.* Sed fefellit virum acutissimum prava lectio : quippe veteres ibi editiones, *Nunc Paululum adverbium est loci, alias nomen.* Atque hoc vere dicitur. *Bent.* *Concede a foribus paululum hinc* Both. *istrorsum*, cum gl. *in hanc partem*, GM. eandem gl. cum *istorsum* Br.—15 *Nec me* Bod. G. *appellaris* G. mox Lib. antiq. *non is obsecro es :* at *is* abest a Bem. aliisque, Faërno teste. 'A nostris quoque abest *is ;* sed iidem habent, *non es, obsecro.* Per-

CHRE. Conclusam hic habeo uxorem sævam: verum, istoc de nomine,
Eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris
Effutiretis, atque id porro aliqua uxor mea rescisceret.
So. Hem! Istoc pol nos te hic invenire miseræ nunquam potuimus.
CHRE. Eho! dic mihi, quid rei tibi est cum familia hac, unde exis?
Ubi illæ sunt? So. Miseram me! CHRE. Hem! quid est? vivuntne? So. Vivit gnata:

Quid has metuis fores? CH. *Hic intus continetur mihi uxor fera, et immanis; ideo me olim hoc nomine ficto Stilphonis vocari volui, ne vos nescientes per incogitantiam temere diceretis quis essem, et quod a me factum est, ad aures uxoris meæ perveniret.* So. *Hem Pollucem, idcirco nos infortunatæ sub hoc nomine nunquam te invenire potuimus in hac urbe.* CH. *Eho, dic mihi, quid tibi rei est cum familia harum ædium, ex quibus egrederis? aut ubi illæ sunt?* So. *O me infelicem!* CH. *Hem, quid est? num bene valent?* So. *Valet et vivit filia tua. Matrem*

peram, nisi tollas *Quid:* tum bene habebit, *non is obsecro es;* ut et apud Velium Longum est, p. 2213.' *Bent.*—16 In plusculis Codd. *est* legitur, quod defendit Rivius. *West.* et sic Br. *dixti* pro *dictitasti* Guelf. 2. 'Ex extrema syllaba dictionis *dictitasti*, et particula *st*, cui sonum vocalis aspiro, facio spondeum, ut octonarius constet.' *Fa.* 'Pro *St* Nostri omnes *Est*. Sed Velius citat *St:* et ex *S* et *T* syllabam fieri notat; quare salvus est spondeus.' *Bent.*—17 Bem. primo habuit *istuc*, quod postea mutatum est in *istoc*, quemadmodum omnes alii libri habent: sed lectio Vict. mihi vehementissime placet, *istoc me nomine*, ut sit ordo, verum dixi me istoc nomine. *Fa.* *Istoc de nomine* nostri omnes; sed vera est Vict. lectio, *Istoc me nomine*, et in textum recipienda. Sic paulo ante, *Ne me istoc nomine appellassis:* et supra II. 3. 45. 'Neque mi cognatus fuit quisquam istoc nomine.' *Bent.* et sic Both. Perl. 'Non assentior Faërno, Heinsio, Guyeto, Dacieriæ, Hoogstratano, unius Victoriani libri auctoritate legentibus: *Verum istoc me nomine eo perperam olim dixi.* Scilicet, duo rogaverat Sophrona Chremetem, primum, Essetne is quem semper se dictitasset, nimirum Stilpho? dein, Quid metueret has fores? Ad postremum prius respondet, 'Conclusam hic habeo uxorem sævam.' quod quum dixisset, pergit, 'Verum istoc de nomine.' Si aliter legas, vocula 'Verum' omnem vim perdit: dicendum enim fuerat, 'Tum, porro autem,' vel simile. Elegans autem usus est particulæ *De*, pro, 'quod attinet ad.' Plaut. Rud. IV. 7. 2. 'de illo vidulo, Si sapias, sapias.' Cicero passim. Firmant lectionem meam Mss. Leidenses quinque, cum Tr. Lips. Bœnd. G. Witt. sed et editionibus vetustissimis et optimis, Anon. Junt. Ste. Ald. Tarvis. Venet. Argent. aliis: neque aliter Gambarellus et Fabrini.' *West.*—18 *Fortes* Guelf. 2. Auctoribus Bem. et Vat. *hem* Faërnus delet; quem sequuntur Delph. Bip. Z. Perl. Both. *nusquam;* quo judice *nunquam* est minus commodum.—21 Tres antiquissimi libri, et Bas. ita collocant, *quid rei tibi est:* versus est tetram. Iamb. catalect. ut sequentes. *Fa.* Sic et nostri plerique. *Bent.*—22 Muretus et Heinsius, *Aut ubi illæ sunt?* quomodo et Mss. plerique cum impressis veteribus. Witt. *Aut ubi illæ?* omisso *sunt.* West. Ex ratione versus, et fide omnium fere librorum, et in his Bembini, deleto *aut*, et in dimetiendo versu corripito priorem syllabam in *illæ*. Fa. Duo ex

Matrem ipsam ex ægritudine miseram mors consecuta est.
CHRE. Male factum! So. Ego autem, quæ essem anus deserta, egens, ignota,
Ut potui, nuptum virginem locavi huic adolescenti,
Harum qui est dominus ædium. CHRE. Antiphonine? So. Hem! illi ipsi.
CHRE. Quid! duasne is uxores habet? So. Au! obsecro: unam ille quidem hanc solam.
CHRE. Quid illa altera, quæ dicitur cognata? So. Hæc ergo est. CHRE. Quid ais?
So. Composito factum 'st, quomodo hanc amans habere posset
Sine dote. CHRE. Di vostram fidem! quam sæpe forte temere

ejus tristitia et animi anxietate oppressam nuper mors rapuit. CH. *O casum gravem, et infaustum mihi!* So. *Ego autem vetula, omni auxilio destituta, inops, ignota, filiam tuam, ut potui, uxorem dedi huic adolescenti, qui dominus est hujus domus.* CH. *Antiphonine?* So. *Hem, isti ipsi.* CH. *Quid? duasne uxores habet Antipho?* So. *Au, obsecro, ut Dii non sinant. Habet quidem ille unam hanc solam.* CH. *Quid? illam alteram, quam nobis dicunt esse cognatam, nonne ille habet uxorem?* So. *Hæc, inquam, eadem est.* CH. *Quid ais?* So. *Ex industria id inter nos eo pacto convenit, ut Antipho ejus amore captus illam posset habere uxorem, etsi dotem nullam afferret.* CH. *Dii vestram fidem! quam crebro multa casu*

nostris *ubi illæ?* nec *Aut*, neque *sunt* agnoscunt. Recte. Si cui tamen *sunt* arrideat, is legat *Ubi illæc sunt?* quo accentus in posteriore syllaba rite fiat. *Bent.*—23 O. fere l. s. et in iis Bem. ita habent, *ex ægritudine hac.* Fa. Ne unus quidem ex tot nostris, nec Edd. vett. habent *hac.* Corrector, credo, Bembinus, versus gratia addidit *hac*, quo tamen versus æque commode carere potest, sententia commodius caret. *Bent.* *Hac mors miseram* Both. quo teste '*hac* exstat in Hel. quod perbene convenit.' *o miseram* abest a Guelf. 3.—24 Abest *egens* a Guelf. 1.—25 Omnes fere libri, præter Bem. *nuptum virginem:* ita est Iambus in quarta. *Fa.* Nostri omnes *nuptum virginem*, quod et versus postulat. *Bent.* *Collocari* Guelf. 2.—26. 27 *Harum qui est dominus ædium. Antiphonin? Em, isti ipsi*] Versus hic claudicat; *em* enim sine synalœpha stare nequit. Duo ex nostris post *Antiphonine* addunt *inquam:* tertius, qui ex Academicis est, sic recte, *Antiphonine? Isti inquam ipsi.* Bent. et sic Both. Perl. 'Plusculi Codd. *Antiphonine, inquam?* So. *isti inquam ipsi.*' West. *Em isti ipsi* G. Br. *Hem isti ipsi.* CH. *quid?* | *Duasne* Delph. Bip. '*Duas uxoresne is habet* Mss. quidam et impressi.' *West.* Mox Bent. delet *habet* ex interpretatione inter lineas natum. Both. *is habet uxores?* So. *obsecro, illic hanc quidem unam:* dein '*unam quidem ille* Mss. quidam et impressi.' *West.* *at unam ille quidem* o. l. s. apud Fa. et Bent. *haud obsecro* Guelf. 1. 3.—28 Bem. *quid illam alteram*, et subaudiendum est, nonne habet uxorem? vel aliquid tale. *Fa.* Etiam noster veterrimus, *Quid illam alteram.* Recte: non tamen subaudiendum, 'Habet uxorem:' sed ut supra III. 1. 15. *Quid eum?* et Heaut. v. 1. 77. *Bent.* et sic Both. Perl.—29 Delph. *est factum.*—30 *Temere*

Eveniunt, quæ non audeas optare! offendi adveniens,
Quicum volebam, atque ut volebam, collocatam filiam.
Quod nos ambo opere maxumo dabamus operam, ut fieret,
Sine nostra cura, maxuma sua cura, hæc sola fecit.
So. Nunc quid opus facto sit, vide. Pater adolescentis venit;
Eumque animo iniquo hoc oppido ferre aiunt. CHRE. Nihil pericli 'st.
Sed per Deos atque homines! meam esse hanc, cave resciscat quisquam.
So. Nemo ex me scibit. CHRE. Sequere me: intus cetera audies.

insperata eveniunt, quæ ne votis quidem petere audeamus! peregre reversus, fortuito inveni cum eo, cum quo cupiebam, et quomodo volebam filiam meam matrimonio conjunctam. Quod nos ambo, ego, et frater Demipho, summopere, et enixe conabamur facere, hæc anus sola sine labore nostro, at illa summa labore suo perfecit. So. *Nunc prospice quid fieri oportet; nam pater Antiphonis advenit, eumque, hoc propter matrimonium, vehementer iratum esse dicunt.* CH. *Nihil hinc ab illo periculi metuendum est: sed per Deos atque homines te obtestor, cave ne quisquam cognoscat a te puellam hanc esse meam filiam.* So. *Nemo ex me id accipiet.* CH. *Sequere me, intus in ædibus cetera tibi declarabo.*

abest ab EP.—32 *Atque ut volebam* absunt a Witt. mox Bem. in hac parte mendosus, habet *conlocatam amari:* nos legendum putamus, *conlocatam gnatam*, ut versus sit Iamb. tetram. catalect. ut ceteri, non tamen mutamus: ceterum pro *quicum*, idem liber, et Vict. et multi alii habent *quocum*. Fa. *Quocum volebum, atque ut volebam, collocatam filiam.* Sic dedit Faërnus, et versu indignante, et ipso, qui *gnatam* ex conjectura maluit. *Quicum* nostri, et Pr. p. 934. Hoc recte. Ceterum illud in Bembino notandum, pro *filiam* poni *amari*, nulla literarum similitudine. Id mihi videtur a correctore metrico ortum, ut versus suppleretur: cui rei fidem facit unus ex nostris, a quo *filiam* abest, nec ejus vice quicquam substituitur. Ex his indiciis sic repono, *Quicum volebam atque ut volebam filiam locatam.* Apud Priscianum tamen, *Collocatam filiam.* Bent. et sic Perl. At *conciliatam amore* Bip. quo judice 'poscit illud *ut volebam*, ne frustra dictum sit, *amore*. Dixerat scil. Sophrona, *ut amans habere posset sine dote. Conlocatam* vero *cum aliquo* quis ferat? Rectius *conciliari*, ut *reconciliari, cum quo*. Et eo verbo usus est Plaut. in honestis nuptiis Trin. II. 104. et ap. Nep. XXV. 12. 2. dicitur *conciliator nuptiarum.*' *Collatam* superscript. *collocatam* Guelf. 3.—33 Ita o. l. s. apud Fa. et Bent. 'Al. ord. *dab. ut fier. oper.*' Perl.—34 Duo ex nostris *maxume*. Nimirum hic versus a mala manu est. Corrector aliquis illud 'Quod nos,' quod ad priora refertur, post se aliquid quo referatur requirere putabat, et hunc benigne versiculum de suo donabat. Ceterum distinctione mutata nihil hoc emblemate erit opus. *Bent.* A quo dissentiunt Bip. Zeun. 'distinguo post *maxuma* cum Par. Be. Mu. non cum We. post *cura*.' Perl. 'Ms. R. *maxime sua cura*.' Lind.—35 *Opus quid sit facto* Both. *est* M. G. EP. at Bem. et Vict. *sit* apposite ad rationem versus. *Fa.* Ex Meadianis alter *sit*; ceteri perperam *est*. Bent.—37 *Cave* abest a Witt. *cave esse hanc meam resciscat*. Both. tacite.—38 Ita Bas. versus impeditus, et ut puto in omnibus libris mendosus: Bem. et multi alii ita collocant, *intus cetera audies:* ita esset Iamb. tetram. brachycat. vel forte trochaicus, non faciendo synalœpham, in *nemo ex*. sane Bem. habet *nemo ex me s.* Fa. Plerique nostri cum Bas. faciunt, *cetera intus audies:* tres cum Bem. *intus cetera audies*. Repone, So. *Nemo ex me scibit.* CH. *sequere me: intus cetera audiemus. Audiemus;* tam quæ tu ex me, quam quæ ex te ego audire cupimus. *Bent. Scibit* delet Both. quo judice *scibit* est glossatoris, intelligendumque ex antecedentibus *resciscet:* 'Hic lacuna est in Bod. usque ad finem Sc. 3. tegit autem *cætera intus*.' West.

ACTUS V. SCENA II.

DEMIPHO. GETA.

DE. NOSTRAPTE culpa facimus, ut malos expediat esse,
Dum nimium dici nos bonos studemus et benignos.
Ita fugias, ne præter casam, quod aiunt. Nonne id sat erat,
Accipere ab illo injuriam? etiam argentum 'st ultro objectum,

DE. *Per nostram culpam efficitur, ut dum largi, et munifici prædicari vehementius cupimus, nobis satius fuerit malignos esse, et difficiliores in dando: sic fugiamus ne longius domicilium nostrum præterferamur; ut dici vulgo solet. Nonne id satis erat, ab hoc homine Phormione contumelia affectos fuisse? ecquid etiam oportuit nos*

Hinc cum Don. ordimur Act. v. quod jam Dacieria auctoritate Ms. Reg. fecerat. Ita certe jubet ratio scenica. Scena enim deserta erat, quum abiisset Chr. cum nutrice ad filiam in ædibus Demiphonis visendam. *Bip.* quocum consentit Zeun.—1 Bona Mss. et impressorum vett. pars *malis*. West. Tres nostri veterrimi *malis*. Recte. Vide ad Heaut. II. 4. 8. Notum illud Martialis: 'Nobis non licet esse tam disertis.' *Bent.*—3 *Nec* pro *ne* Guelf. 2. *Causam* Br. EP. Heidelb. G. Lips. duo e Bœclerianis, uti conjecit Tanaquill. Faber, improbante Westerhovio, quo teste Bœnd. *casam*, sed a 2da m. additur *u*; at *cum* Witt. verum in Ms. Lips. suprascriptum *ne excedas mtē tuam:* et sic gl. in Br. *ne excedes mentem tuam.* 'Hujus proverbii rationem et sensum unus vidit Gronov. Observ. III. 9. p .511. Servi fugitivi vitabant domini casam aut villam, ubi facile comprehendi et in servitutem retrahi potuissent. Proverbio ita dictum est *itane fugias præter casam* pro: cave ne dum levius malum vitas, in gravius præcipites. J. Clericus ad Liv. VI. 29. corrigi volebat *ne præter castra*, quod jure explosit Drakenb. ad illum locum.' *R. D.* Vice *nonne id sat* Bœnd. ET. *de nomine id satis.*—4 *Abs illo* Guelf. 3. *argentum* sine *est* Br. mox Erasm. *objectum ei:* at *ei* o. l. s. apud

NOTÆ

3 *Ne præter casam*] Id est; sic vitium aliquod, aut culpam evitare studeas ne in gravius incidas: a mediocritate ne discedas; excessus enim a medio remoti tuti non sunt: quemadmodum cum fugimus longius a domicilio evagari non expedit, ut commodus illuc sit receptus.

Ut sit, qui vivat, dum aliud aliquid flagitii conficiat.
GE. Planissume. DE. His nunc præmium est, qui recta prava faciunt.
GE. Verissume. DE. Ut stultissime quidem illi rem gesserimus.
GE. Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat.
DE. Etiamne id dubium 'st? GE. Haud scio hercle, ut homo 'st, an mutet animum.
DE. Hem! mutet autem? GE. Nescio: verum, si forte, dico.
DE. Ita faciam, ut frater censuit: uxorem ejus huc adducam,
Cum ista ut loquatur: tu, Geta, abi præ; nuntia hanc venturam.

sponte argentum ei suppeditare, ut habeat unde vivat, et alatur ad alia flagitia committenda? GE. *Omnino sic est.* DE. *Hi nunc præmia accipiunt, qui recta in prava detorquent.* GE. *Verissime hæc dicta sunt.* DE. *Quam imprudenter, et inepte huic lucrum paraverimus.* GE. *Bene cesserit nobis consilium huic dandi argenti, dummodo istam accipiat uxorem.* DE. *Etiamne hoc incertum est?* GE. *Per Herculem dubito, ut homo levi, et perfido est ingenio, an verbis stet, et maneat in fide data.* DE. *Hem! an mutet voluntatem?* GE. *Nescio, verum dico, si forte mutaverit consilium de accipienda uxore.* DE. *Ita mihi faciendum puto, ut frater suasit, ut uxorem ejus adducam Nausistratam, quæ cum ista Phanio colloquatur. Tu, Geta, abi, et certiorem fac virginem, Nausistratam fratris uxorem*

Fa. et Bent. nesciunt.—5. 7 Hos tres versus expungit Guy. *West.*—5 Et Donatus, et libri Bembinus et Victorianus, *aliud aliquid.* Fa. Nostri omnes uno excepto *aliquid aliud.* Nec versus, nec sententiæ interest. *Bent.* et Br. *aliquid aliud.* Witt. *confingat.*—7 Dubitat Guyetus, an Latine satis dicatur, *gerere alicui rem.* Quid si igitur *Illi* adverbialiter dicatur, pro, *Illic,* seu, in ea re? quod usitatum Comicis. Sane Horatio Epist. I. 8. 1. 'Celso gaudere, et bene rem gerere Albinovano.' *West.*—8 *Modo hoc* omisso *ut* G. Guelf. 1. *possiet* e Bem. edidit Fa. *possit* omnes l. s. apud Bent. et sic Br.—9 Ex uno Regio *idne* legit Bent. quem sequitur Both.—10 Bœnd. *mutet animum,* quod edidit Perl. 'ex more Terent. repetendi prius; et. Eun. II. 3. 57. Heaut. I. 2. 18. et sic al.'—11 Mss. et impressi plusculi *ut uxorem:* mox Witt. G. *huc ejus.* West. Recentiores fere libri non habent particulam *ut;* qua demta, itaque collocatis verbis, ut in Bem. et nonnullis aliis est, *uxorem ejus huc adducam,* numerosior versus est, qui est Iamb. tetram. catalect. ut ceteri. *Fa.* Omnes nostri, duobus exceptis, *ut uxorem.* Quod autem Faërnus putat, *Ut* dempto, numerosiorem fore versum, tota via erravit. Nec ineptum hic, nec inutile *Ut* est, quod quidam putat. Hec. II. 2. 2. 'Patrio animo victus faciam, ut tibi concedam.' Porro duo ex nostris *ejus huc;* ceteri *huc ejus:* quod placet. *Bent.* et sic Both. Br. Perl. *ut uxorem ejus huc.* Bip. Zeun. *ducam* Guelf. 3.—12 *Tu* deest in G. Bœnd. EP. Br. O. fere l. s. et in iis Bem. et Vict. *tu Geta abi.* Fa. Sic et nostri plerique *tu:* sed distinctio mutanda est; non *Abi, prænuntia,* sed *Abi præ, nuntia.* Bent. et sic distinguere vult West. et sequitur Perl. quibus præivit Gulielmus in

GE. Argentum inventum 'st Phædriæ: de jurgio siletur.
Provisum est, ne in præsentia hæc hinc abeat: quid nunc porro?
Quid fiet? in eodem luto hæsitas: vorsuram solves,
Geta. Præsens quod fuerat malum, in diem abiit: plagæ crescunt,
Nisi prospicis. Nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo,
Ne quid vereatur Phormionem, aut ejus orationem.

illam conventuram esse. GE. *Factum est ut pecuniam haberes, Phædria: e lite cum Phormione transactum est: præcavimus ne Phanium in præsentia domo nostra dimittatur: quid nunc vero? quid fiet rebus meis? in eodem cœno, Geta, immersus es; versuram solves; debitas tandem dabis pœnas tanto graviores quanto præsens, quod erat malum, diutius fuerit dilatum; video plagas, ictus verberum, qui te manent in dies augeri, nisi tibi consulis. Nunc domum me conferam, et Phanium præmonebo, ne ullo modo credat Phormionem ipsam uxorem ducturum, nec terreatur sermone Demiphonis, et Sostratæ.*

Quæstion. Plaut. p. 83. probatus a Ruhnk. *o Geta* Witt. *ibi* Guelf. 3. *prænuncia* Guelf. 1.—15 Mss. varie, *Vorsuram* et *Vorsura.* Hoc ad sensum aptius videtur hominibus etiam eruditis. Est autem 'Vorsura solvere,' debitori dissolvere pecunia aliunde fœnori accepta, ita ut creditor quidem mutetur, sed debitum maneat. Cic. Att. v. 15. 'Ut verear, ne illud, quod tecum permutavi, versura mihi solvendum sit.' Sed 'versuram facere' est pecuniam fœnori accipere, mutuum accipere sub usuris. Cic. Att. v. 21. 'Salaminii cum Romæ versuram facere vellent, non poterant.' *West.* *Vorsura* potius legendum septimo casu, quam *vorsuram,* etsi Budæo aliter videtur. *Gov.* Aliqui maluerunt *vorsura solvis:* quod nescio qua ratione fecerint, cum o. l. s. et Donatus habeant, *vorsuram solves.* Fa. Immo certa ratione faciunt, qui malunt *Vorsura solvis.* Res jam nota est, Salmasii industria et Frederici Gronovii. Ceterum duo ex codicibus nostris non habent *Geta.* Repono, *Quid fiet? in eodem hæsitas luto: versura solves: Præsens quod fuerat, in diem malum abiit: plagæ crescunt.* Bent. quem sequitur Both. *Vorsura solvis* Bip. '*Vorsuram solvis* citat Lactant. II. 9.' *Lind.* 'In quibusdam edd. male legitur *versuram.*' R. D.—16 Br. *abit* cum gl. *crescit.*—18 Guyetus hunc versum expungens, Scenam commodo exitu mutilat. Palmerius, quod Phormio non sit metuendus Phanio, legit, *Ne quid vereatur Phormionem, aut senis orationem;* per *senem* intelligens *Demiphonem.* Videtur autem *Ejus* referendum ad Nausistratam. *West.* Hic versus jam a sæculo crucem interpretibus fixit. Quid enim Phanium vereretur *Phormionem,* qui ei et marito amicissimus erat, et nuptiarum inventor, inceptor, perfector? Quid *ejus*

NOTÆ

16 *Vorsuram solves*] Id est, in simili conditione es, atque ii, qui ut unam syngrapham dissolvant, pecuniam mutuam majori fœnore iterum accipiunt: in dies enim deteriorem conditionem suam faciunt. Vorsuram facere dicitur, qui æs alienum ex ære alieno solvit, quod nihil aliud est, quam vertere creditorem, et mutare.

orationem; qui postea ad eam non aditurus erat, sed domi cum Phædria potaturus? Sola Nausistrata erat, quæ id nuntium de repudio ad Phanium portatura erat; idque Geta præsente constitutum est. His ergo rebus offensus Guyetus, versum, ut solet, in morboniam mittit. Tu repone, *Nequid vereatur Naustratam neque ejus orationem.* *Naustrata* eadem est, quæ postea *Nausistrata* dicitur. Brevius dicebant, qui familiarius. Id enim animadvertes, cum de absente hic loquitur Geta, *Naustratam* vocat; postea qui præsentem alloquuntur, *Nausistratam;* hoc enim majoris dignitatis, et magis ad primariæ fœminæ fastum ac supercilium. Sic in Hecyra I. 2. eadem mulier et *Philotis* et *Philotium* appellatur: in Cistell. II. 3. idem servus *Lampadiscus* et *Lampadio.* Ceterum qui hoc nesciebant Librarii, etiam hic, ut postea, *Nausistratam* scripserunt. quod cum metri ratio non admitteret, correctores *Phormionem* ejus loco substituerunt. *Bent.* Suspecta lectio est *Phormionem.* Si quid audendum sit, rectius substituas *Demiphonem,* a quo omnino timere potuit Phanium. *Bip.* *Hujus,* scil. Nausistratæ, edidit Both.

ACTUS V. SCENA III.

DEMIPHO. NAUSISTRATA. CHREMES.

DE. AGEDUM, ut soles, Nausistrata, fac illa ut placetur nobis;
Ut sua voluntate id quod est faciundum faciat. NAU. Faciam.
DE. Pariter nunc opera me adjuves, ac re dudum opitulata es.
NAU. Factum volo; at pol minus queo viri culpa, quam me dignum 'st.

DE. *Agedum, Nausistrata, cum solita tua industria, effice nobis placabilem illam fœminam, ut sponte volens faciat, quod illam facere necesse est.* NAU. *Id curabo.* DE. *Nunc æque me opera tua subleves, ac pridem re ipsa, pecunia mutua juvisti.* NAU. *Id libenter facere volo; et per Pollucem minus officiosam me præbere possum, ma-*

Guyetus Scenam hanc integram expungit; sed et Scenas sequentes quatuor, quas is quintam, septimam, octavam, et nonam vocat; sed quæ nobis sunt quinta, sextæ versus posteriores undecim, septima et octava. Finit autem Fabulam cum Sc. 6. vs. 43. delens *Gaudeo,* et substituens, *Plaudite.* Hæc vero vis est, et inclementia mera. Ne de reliquis dicam, tolle Scenam ultimam, facetam illam et oppido elegantem, et cum Phormione omnes Gratias exstinxeris. Merito igitur refutarunt nimis morosum Criticum Tanaq. Faber, Dacieria filia, et Bœclerus. *West.*—1 Ita o. l. s. apud Fa. et Bent. '*ut illa* lib. antiq.' *Perl.* *Placeat* Guelf. 2.—3 In aliis Mss. est *adjuvas,* aliis *adjuvas.* West. *Adjuvas* Bent. Both. Br. mox Nostri, excepto uno, *dudum re.* Et, duobus exceptis, omnes cum Edd. vett. *adjuvas,* non, ut Faërnus dedit, *adjuves.* Recte: Dixerat enim illa, *Faciam.* Non igitur ultra rogat Demipho, sed gratias agit, agnoscendo beneficium. *Bent.* *Dudum re* Zeun. Br. Perl.—4 Præstat lectio *at* præ Codicum quorundam *ac.* West. Pro *at*

DE. Quid autem? NAU. Quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur; nam ex his prædiis talenta argenti bina
Statim capiebat: hem, vir viro quid præstat! DE. Binan'? quæso!
NAU. Ac rebus vilioribus multo, tamen talenta bina. DE. Hui!
NAU. Quid hæc videntur? DE. Scilicet! NAU. Virum me natam vellem:
Ego ostenderem. DE. Certo scio. NAU. Quo pacto? DE. Parce, sodes,

riti culpa, quam me decet. DE. *Quid causæ est?* NAU. *Quia per Pollucem bona mihi bene parta et relicta a patre negligenter curat, et administrat: nam ex his fundis pater quotannis talenta argenti bina æqualiter capiebat: hem! quam vir alius alii præcellit!* DE. *Binane quæso?* NAU. *Ac etiam tunc temporis, cum res viliores erant, quam nunc sunt, tamen talenta bina capiebat ex reditibus horum prædiorum.* DE. *Hui, id mirum est.* NAU. *Quid de his tibi videtur? an non hæc magna videntur?* DE. *Mihi videntur ita esse.* NAU. *Utinam vir nata essem; ego certe mea industria, et arte omnibus notum facerem.* DE. *Minime dubito.* NAU.

Faërnus *ac,* quod minus elegans esse videtur. *Z.*—6 Quæ prædia dicat mulier, id probe scimus; utrum patrem an virum dicat, id nescimus: quare reponendum erat *nam iste ex prædiis.* Both. *His* deest in Br. '*Ex suis prædiis* Ms. R. et vett. codd.' *Lind.*—7 *Hem* non habebat Bem. congruenter ad rationem versus: postea superadditum est, pro *bina* autem, habet *binam.* Fa. *Hem* nostri omnes habent: quod cum versum strangularet, corrector ille metricus e textu ejecit. Atqui tantum sententiæ confert, quantum versui officit. Reponendum erat, *Capiebat statim. hem vir viro quid præstat? Bina quæso?* Invertebat aliquis verba, qui *Statim* putabat prima correpta esse. Atqui cum constanter, perpetuo, singulis annis, ut hic, significat, primam producit. Nonius Marcellus: '*Statim* producta prima syllaba, a stando, perseveranter et æqualiter significat;' Terentius; *Bina talenta capiebat statim.* Idem tamen v. *Capere* habet, *Statim capiebat.* Ceterum *bina* nostri omnes, non *binan.* Bent. quem sequitur Both. *Bina* Bip. Br. Perl.—8 Potest hic versus sustentari, ut sit Iamb. tetram. catalect. ut ceteri, hoc modo; ut eliso ex *vilioribus s,* ex *tamen n,* in quarta sede sit anapæstus, in quinta dactylus. *Fa.* Quicquid agat Faërnus, vitiosus manet versus; nam ex metri lege *oribu'* tribrachus esse debuit, non dactylus. Nostri universi cum Edd. vett. *duo talenta,* non *talenta bina.* Repone, *Ac rebus vilioribus tamen duo talenta. Hui.* Satis est ad sententiam, si res viliores erant: ut *multo* essent viliores, nihil opus. *Bent.* Elegantius multo repetuntur *talenta bina,* quam, quod Mss. quidam et edd. post EP. *tamen duo talenta.* West. *Tamen duo bina* Both. cui 'satius videtur expungi *talenta:* sponte id intelligendum, quasi dixeris par talentorum:' *duo talenta* A, B, Hel. Br. 'minus Latine.' *Perl.*—9 *Hæc tibi videntur* Guelf. 1. Bem. *natum,* quod non displicet. *Fa.* Recte habet Bem. *natum;* et sic a prima manu noster ille 900. annorum. *Virum natam* solœcon est, et sibi ipsum repugnat. In textum ergo, quod veritus est Fa. *natum* recipio. *Bent.* quem sequitur Both. quo judice a *natam* sententia abhorret, et teste quo, *natum* exhibet B. *natum* quoque Bipont. at *natam*

Ut possis cum illa; ne te adolescens mulier defatiget.
NAU. Faciam, ut jubes: sed meum virum abs te exire video. CHRE. Hem! Demipho,
Jam illi datum est argentum? DE. Curavi illico. CHRE. Nollem datum.
Hei! video uxorem: pæne plus quam sat erat. DE. Cur nolles, Chreme?
CHRE. Jam recte. DE. Quid tu? ecquid locutus cum ista es, quamobrem hanc ducimus?
CHRE. Transegi. DE. Quid ait tandem? CHRE. Abduci non potest. DE. Qui, non potest?

Quanam ratione? DE. *Parce tibi, quæso, et consule viribus tuis, ut cum hac Phanio valeas loqui, ne vincaris defessa a juvene muliere.* NAU. *Faciam ut mones: sed meum virum Chremetem video egredi ædibus tuis.* CH. *Hem, Demipho, jam argentum numeratum est Phormioni?* DE. *Curavi confestim illi numerandum.* CH. *Nollem hoc factum. Hei, conspicio uxorem. Pene plura, quam quæ opus erant locutus sum.* DE. *Cur nolles datum argentum, Chreme?* CH. *Minime: jam recte factum.* DE. *Quid tu egisti apud istam fæminam? ecquid dixisti causam, propter quam, hanc domo nostra ejectam ad Phormionem ducimus?* CH. *Hoc perfeci.* DE. *Quid dicit tandem?* CH. *Abduci ab Antiphone non potest.* DE. *Quare non po-*

Perl. cum Ruhnk. ad Rutil. Lup. II. p. 94.—10 *Ostenderem ego* Both. *Parce, sodes*] Nescio quid nuperos quosdam editores moverit, ut hæc verba Chremeti tribuerent; quæ in Mss. Leidd. quinque, M. Lips. Tr. G. Wit. Bœnd. sed et in editionibus Juntarum, Aldi, Rob. Stephani, Frobenii, et his multo antiquioribus, Anon. Venet. Tarv. aliis Demiphoni recte tribuuntur; et quæ nec Interpretum quisquam, quod sciam, aliter se reperisse dicit. *West.*—11 Et hic versus vitio laborat; nisi *adulescens* tertiam corripere possit. Repone, *Ut possis cum illa; ne adulescens mulier te fatiget.* Bent. quem sequitur Bip. 'Bona pars Mss. et edd. post EP. *defetiget*, pauci *adfatiget*.' West. *Defetiget* Zeun. Both. 'vett. libb. *adfetiget*.' Lind.—12 '*Faciam*] Hic novæ Scenæ initium est in Wit.' *West.* at Bip. ad *Hem*, 'Hinc novæ scenæ initium facimus:' et sic Both. *Ex te* Guelf. 3.—13 *Num* pro *jam* Guelf. 1. *Ilico curavi* Guelf. 3.—13. 14 Br. *datum ei* | *Video.*—15 *Quin tu*] Alias *Quid.* Er.—16 *Abduci*] Ita edidi ex Mss. Leidd. quinque, Tr. M. Wit. Bœnd. G. Lips. sed et editis præstantissimis. In aliis est, *Adduci.* Quomodo scripsisse Terentium probabile erat, si Antipho cordi tantum fuisset Phanio. Nunc quia uterque utrique cordi erat, Phanium *Abduci* non potuit, sub. marito, vel, ex ædibus. *West.* *Qui, non potest*] Ita Mss. Leidd. quatuor, Wit. G. M. Lips. Bœnd. Sed et editi præstantissimi. In aliis est, *Quid? non potest?* prius laudat Rivius, utpote responso melius cohærens. *West.* *Qui non* Bem. Vict. Bas. et plerique apud Bent. '*Quid? non* V. C.' *Lind.* *Quid non potest* Guelf. 1.—

NOTÆ

10 *Ego ostenderem*] Connectendum istud est cum eo quod sequitur, *quo pacto*; tum supplendum, *res meas administrare sciam.*

CHRE. Quia uterque utrique est cordi. DE. Quid istuc nostra? CHRE. Magni: præter hæc,
Cognatam comperi esse nobis. DE. Quid! deliras? CHRE. Sic erit.
Non temere dico: redi mecum in memoriam. DE. Satin' sanus es?
NAU. Au! obsecro, cave, ne in cognatam pecces. DE. Non est. CHRE. Ne nega.
Patris nomen aliud dictum est: hoc tu errasti. DE. Non norat patrem?
CHRE. Norat. DE. Cur aliud dixit? CHRE. Nunquamne hodie concedes mihi,
Neque intelliges? DE. Si tu nihil narras. CHRE. Pergis? NAU. Miror, quid hoc siet.

test? CH. *Quia uterque utrumque amat ex animo.* DE. *Quid istud nostra interest?* CH. *Magni sane, Demipho. Præterea rescivi eam cognatione nobis esse junctam.* DE. *Quid? desipisne?* CH. *Sic verum esse reperietur. Non inconsiderate, nec frustra loquor. Revoca in memoriam.* DE. *Satisne mentis sanæ es?* NAU. *Au, Demipho, noli injuriam facere cognatæ tuæ.* DE. *Non est cognata.* CH. *Ne contradicas. Aliud patris nomen tibi relatum fuit: hoc caussæ fuit cur in hunc errorem induceris.* DE. *Nonne sciebat quis pater erat?* CH. *Sciebat.* DE. *Quare igitur alium nominavit?* CH. *Nunquamne hodie consenties mihi, neque mente capies?* DE. *Non equidem, si nihil quidquam mihi dicas.* CH. *Perseveras adhuc mihi adversari?* NAU. *Mirum mihi videtur, quid illud sit, de quo tantopere*

17 Codd. quidam *præterea.* West. *Præterhac* Both.—19 Bem. *satine:* ita octonarius impeditus procedit. *Fa.* Nostri omnes *Satin.* *Satine* a Bem. correctore est, quo laboranti, ut putabat, versui succurreret. Atque *redi*, ut alias non semel, positum erat pro *Redii.* Repone, *Non temere dico: redii mecum in memoriam. Satin sanus es?* Si *Redi* voluisset, dixisset utique, *Redi tecum in memoriam*, non *Mecum.* Plautus Capt. v. 4. 25. 'Nunc demum in memoriam redeo, cum mecum cogito.' *Bent.* quem sequitur Both.—20 *Au obsecro, vide ne in cognatam pecces*] Unde Faërnus illud *vide?* nihil enim annotavit. Nostri universi, *cave ne:* quod in textum revocamus. Unus ex Regiis et Ed. vet. *cave in cognatam pecces.* Utroque modo loqui solet Noster; illud versui acceptius est. *Bent.* In Codd. quibusdam est, *Obsecro, vide.* Pareus e Ms. Pal. laudat, *Demipho, vide.* quod mirum est mire placere Guyeto in scholiis Mss. integram Scenam expungenti. *West.* Bip. *vide.*—22. 23 *Concedes, neque* | *Intelliges? si tu nil narras.* CH. *perdis.* Bip. quo judice '*mihi* est gl. et redundantem facit versum.'—23 Pro *narres*, *narras* est in o. fere l. s. et Bem. pro *pergis* vero, is tantum liber, et Vict. habet *perdis.* Fa. Repone, *Neque intelleges? Si tu nil narras. Pergis? Miror, qui hoc siet.* *Narras* unus tantum ex nostris: omnes autem *Pergis?* quod alteri equidem præfero. *Bent.* *Si nil tu...hoc quid est.* Both. *Intelligis* G. Fabric. Br. *intelliges* Non. Marcellus in v. 'Concedere:' *si tu nil* Perl. *narres* Mss. et editi quidam post EP. *West.* et sic Guelf. 1. *si ita nihil narres* Guelf. 3. Codd. quidam *perdis:* A, B, C, G.

De. Equidem hercle nescio. Chre. Vin' scire? at ita me servet Jupiter,
Ut propior illi, quam ego sum, ac tu, nemo 'st. De. Di vostram fidem!
Eamus ad ipsam: una omnes nos aut scire, aut nescire hoc volo. Chre. Ha!
De. Quid est? Chre. Itan' parvam mihi fidem esse apud te? De. Vin' me hoc credere?
Vin' satis quæsitum mihi istuc esse? age, fiat: quid? illa filia
Amici nostri, quid futurum 'st? Chre. Recte. De. Hanc igitur mittimus?
Chre. Quidni? De. Illa maneat? Chre. Sic. De. Ire igitur tibi licet, Nausistrata.
Nau. Sic pol commodius esse in omnes arbitror, quam ut cœperas,
Manere hanc; nam perliberalis visa 'st, cum vidi, mihi.

ambigunt? De. *Equidem per Herculem non intelligo quæ mihi significas.* Ch. *Visne intelligere? Ita me Jupiter sospitem conservet, ut nullus illi propior est cognatus, quam tu atque ego sumus.* De. *Dii vestram fidem! nos omnes una ad ipsam eamus: aut scire, aut nescire hoc volo.* Ch. *Ha!* De. *Quid est?* Ch. *Itane mihi parvam fidem habes?* De. *Visne me tibi dubitantem credere? Visne me nihil quicquam amplius inquirere? Age, fiat ut vis. Verum quid fiet de illa filia amici nostri, quam Antiphoni uxorem dare constitutum nobis fuerat?* Ch. *Recte res se habebit.* De. *Hanc igitur dimittimus?* Ch. *Quidni hanc mittamus?* De. *Illam vero domi retineamus.* Ch. *Ita censeo.* De. *Redire igitur domum hinc, si libet, potes, Nausistrata.* Na. *Sic per Pollucem nobis utilius est omnibus hanc retinere, quam, ut cœperas dicere, eandem remittere; nam ingenui, et liberalis*

Hel. Vet. Cod. et R. apud Lind. cum Br. EP. *quid hoc est.*—25 *Homo est* Wit. *homo nemo est* G. probante Rivio. Augere asseverationem videtur dictio *homo*, quæ in o. fere l. s. est, etiam antiquis, præter Bem. hoc modo, *homo nemo est*. Fa. Tres ex nostris ignorant illud *homo:* ceteri habent, versu etiam gaudente. *Bent.* et sic Bip. Both. Br. Perl.—26 *Adeamus* Guelf. 3. Absunt *aut scire aut nescire hoc volo* a Guelf. 3.—27 *Itan' parvam mihi fidem esse apud te*] Plaut. Pseud. I. 5. 52. 'Parvam esse apud te mihi fidem ipse intelligo.' Nisi forte legendum, *Parum fidem.* Quomodo Mss. Leidd. quinque, G. Lips. cum EP. paucisque aliis. In reliquis fere, *Parvam.* Sed et *esse* abest a plurimis libris. quod laudat Rivius. Vide Eun. I. 2. 117. *West.* 'Ms. R. *itane parum.*' Lind. et sic Bip. Br. *Vin me credere*] Hic quoque omnes libri scripti, præter Bem. habent, *vin me hoc credere.* Bas. *vis.* Fa. Omnes nostri *hoc;* quod ideo minus placet, quod sequatur *Istuc.* Bent. *Hoc* omittunt Zeun. Both. Perl. et Ms. R. apud Lind. *Vin mihi* Both.—28 'Mallem, si per Codd. liceret, Ch. *age, fiat.* De. *quid?*' Perl. '*Quid? de illa* V. C.' *Lind.*—30 Absunt omnia post *sic* in Guelf. 1.—31 Ms. Par. *dicere* pro *cœperas*, Glossam sapit. *Perl.*—32 *Liberalis* Perl. tacite.—33 *Aperuit* EP.—

De. Quid istuc negoti 'st? Chre. Jamne operuit ostium?
De. Jam. Chre. O Jupiter!
Di nos respiciunt! gnatam inveni nuptam cum tuo filio. De. Hem!
Quo pacto id potuit? Chre. Non satis tutus est ad narrandum hic locus.
De. At tu abi intro. Chre. Heus! ne filii quidem nostri hoc resciscant, volo.

animi mihi visa est, ut illam vidi. De. *Quid ista res sibi vult?* Ch. *Jamne ostium occlusit Nausistrata?* De. *Jam occlusit.* Ch. *O Jupiter! Jam Dii nobis propitii sunt. Filiam reperi cum tuo filio nuptiis junctam uxorem esse.* De. *Hem! quo modo id potuit fieri?* Ch. *Non satis tuto istud in hoc loco recensere possum.* De. *At tu intra domum.* Ch. *Hem, nolo ut ipsi quidem filii nostri id inaudiant.*

35 Cod. Regius *tutus hic est:* a tribus abest *hic:* malim *id pote? non satis est tutus hic ad narrandum locus.* Bent. *Non sat* Both. *Hic* abest a Mss. et editis quibusdam post EP. *West.* Abest a Br. Perl.—36 *Intro abi* Bent. Bip. Both. Br. Perl. *Heus* Demiphoni tribuit Both. 'Hæc verba ita ordinata sunt in Bem. et Vict. *ne filii quidem hoc nostri:* in omnibus aliis, *ne filii quidem nostri hoc;* quam collocationem probo; et in dimetiendo versu, ex *quidem m* elido, quamvis sequente consonante; immo magis placet Bembina, utcumque versus procedat.' *Fa.* 'Unus ex nostris *hoc nostri;* ceteri *nostri hoc.* Parum, aut nihil interest.' *Bent.* EP. *hæc.*

ACTUS V. SCENA IV.

ANTIPHO.

Lætus sum, ut meæ res sese habent, fratri obtigisse quod volt.

Utcumque se habeant res meæ, ingenti lætitia perfundor, quod Phædriæ fratri

1 *Ut meæ res sese habent*] EP. *Habeant.* Τὸ *Ut* defendit Grævius ad Cic. Fam. XVI. 18. Atque ita est in Mss. G. Wit. laudatque Faërnus ex Cod. Bem. Seneca, Epist. XIX. 'Ut se res habet, ab Epicuro versura facienda est.' Adde Gronov. Observ. III. 6. etiam ex metro *Ut* tuentem. Sed Guyetus emendat, *Utut meæ res se habent*, laudante Bœclero: *Utut* autem vincit numero librorum. Sic Heaut. I. 2. 26. *West.* Ex ratione versus, et fide Bem. lego, *Lætus sum ut meæ*, detracto uno *ut;* immo lectio vulgata magis placet. *Fa.* Sic a Faërno editum, ipso tamen, ut ex nota videtur, nolente. Nostri omnes *sese*, quattuor *ut*, non *ut ut*. Bent. *Ut meæ res sese habent*] Sic recte legitur in codice Bembino quod defendit Gronov. Observ. III. 6. *Ut* ponitur pro *ut ut, quomodocunque.* Cic. ad Div. XVI. 18. 'sed ut est, indulge valetudini tuæ,'

Quam scitum 'st, ejusmodi parare in animo cupiditates,
Quas, cum res advorsæ sient, paulo mederi possis!
Hic simul argentum reperit, cura sese expedivit.
Ego nullo possum remedio me evolvere ex his turbis,
Quin, si hoc celetur, in metu; sin patefit, in probro siem.
Neque me domum nunc reciperem, ni mihi esset spes ostensa
Hujusce habendæ. Sed ubinam Getam invenire possum,

patrueli successerit ut optabat. Quam pulchrum et venustum est ejusmodi animo concipere cupiditates, quibus, si aliquid adversi interveniat, facile remedium afferre possis? Hic Phædria, ut primum argentum reperit quod daret pro amica, omni solicitudine se liberavit: ego nulla ratione ex his anxietatibus animi me eripere possum, ut non, si secretum hujus rei occultetur, in timore; sin manifestetur in dedecore et infamia verser: neque domum redire nunc auderem, nisi mihi spes præluceret, me posse Phanium illam possidere: verum ubinam Getam repe-

ubi v. Græv. Liv. XXII. 25. 'ut vera omnia essent.' ubi plura exempla congessit Drakenb. *R. D.* *Utut...se* Both. tacite. *utut* Br.—2 *Semper hujusmodi* Bœnd. *West.* at 'Pal. quint. *hujusmodi parere.*' Perl.—3 Mss. Wit. et Bœnd. *Quibus.* Ita et EP. Cic. Fam. XII. 10. 'Sunt enim permulta, quibus erit medendum.' Priscianus Instit. Grammat. VIII. *Quas, cum res advorsæ sint, minus mederi possis.* Sed lib. XVIII. *Paullo.* West. *Quas* et Bent. licet quatuor ex suis *quibus*: et sic quoque Pal. quint.—4 *Hic simul*] Quod in Commentariis Guyeti legitur, tres hosce versus spurios videri et ejiciendos, per errorem impressum est, non ex mente Guyeti, qui tres postremos hujus Scenæ versus delevit in suo Codice. Et mirum, Bœclerum ipsum, qui Guyetiana edidit, aliter censuisse. Et sane Terentius versu hoc quarto explicat id, quod in superioribus dixerat. *West.* Bœnd. *Argentum ut repperit.* Bœnd. et Wit. *Se expedivit.* Idem. *Me evolvere*] H. e. me expedire, me liberare. Guilielmus in Quæst. Plaut. p. 83. ex veteris codicis vestigiis legendum conjicit *eruere*, sed recepta lectio confirmatur ex Eun. IV. 4. 56. 'te omni turba evolves.' *R. D.*—5 *Me evolvere ex his turbis*] Ita legendum, non *Exsolvere*, quod est in quibusdam Codicibus, evincit locus, Eun. IV. 4. 56. Græv. et EP. *Ex istis turbis.* West. *Exsolvere* GM. 'O. l. s. *me evolvere*: pro expedire, tracta metaphora a fili glomere.' *Fa.* '*Ex istis turbis* Ms. R. et Vett. Codd.' *Lind.* et sic Br. GM. *His ex turbis* Both.—6 Bœnd. *celetur patri.* G. *patefacit.* Fa. *sim* metri causa, 'reclamantibus omnibus libris:' *sim* Both. Perl. *probo siem* Br. *patri in metu siem* Guelf. 1.—7 Complures libri *ostentata.* Bem. Vict. et Bas. *ostenta* habent: ut in Eunucho, 'An ego occasionem mihi ostentam.' *Fa.* Ex melioribus nostris quattuor *Ostenta.* Apud Priscianum p. 1004. et Servium ad Georg. I. 248. *Ostentata.* Sed apud hunc, *Ostenta* legi oportere, ipsius verba indicant. 'Veteres,' inquit, 'Ostentus participium, non Ostensus dicebant.' *Bent.* Dicitur *spes ostendi.* Cic. Verr. I. 51. 'Iste Rabonium quiescere jubet: et simul ei nonnullam spem societatis ostendit.' Sed et 'ostentari spes' dicitur. Cicero pro A. Cluent. 7. 'Mulier, amissis liberis, cum unius filii recuperandi spes esset ostentata.' Codd. quidam, *Ostentu*; quod laudant Rivius, Faërnus, et Georg. Fabricius. Guyetus tres hosce versus delet, scribens in ἀνεκδότοις, 'Quæ spes illa esse potest, cum dixerit, *Ego nullo possum remedio me evolvere ex his turbis.* Scilicet non videtur cogitasse, *Habendæ* positum, pro, 'Retinendæ,' et 'porro habendæ.' *West.* *Nunc domum me...ostenta.* Both. *Ostenta* Bip. Br. Perl. *Mihi etiam esset* Guelf. 1.—8 Bent. *habendi*, citato v.

Ut rogem, quod tempus conveniundi patris me capere jubeat?

riam, ut petam ab eo, quod tempus commodum adeundi patris capere mihi suadeat?

6. 41. et sic Both. 'mire.' *Perl.* Mox *possim* o. fere l. s. apud Fa. et plerique Mss. et edd. vett. quædam apud West. et sic Both.—9 *Me capere jubeat*] Ita et Bas.: in aliis vero antiquissimis libris, item in multis aliis, legitur, *me capere suadeat*: quod si recipimus, versus erit Iamb. tetram. acatalect. qui in sequenti scæna; cum ii, qui in hac sunt, catalectici sint. *Fa.* *Jubeas* nostri fere omnes. Sed versus misere habitus est. Repone, *Rogem, quod conveniundi patris me tempus capere jubeat.* *Rogem* in pede primo concessa venia corripitur. *Bent.* *Quod tempus capere suadeat me patris conveniundi.* Both. *Persuadeat* A, Bœnd. Guelf. 1.

ACTUS V. SCENA V.

PHORMIO. ANTIPHO.

PHOR. ARGENTUM accepi; tradidi lenoni; abduxi mulierem;
Curavi, propria ea Phædria ut potiretur; nam emissa est manu.
Nunc una mihi res etiam restat, quæ est conficiunda, otium

PH. *Argentum accepi, numeravi Dorioni lenoni, abduxi puellam, ut eam propriam traderem Phædriæ possidendam: nam manumissa est, et libera facta: nunc mihi etiam una res superest peragenda, scilicet ut mihi otium ab his senibus, Demi-*

1 *Abduxi*] Ita edidi ex Mss. Leidd. quatuor, Bodl. G. et Bœnd. EP. Junt. Froben. Ald. Steph. Anon. aliis veteribus. In aliis quibusdam est, *Adduxi.* West.—2 *Curavi ea propria Phædria ut potiretur*] Aliqui libri, et in iis Vict. non habent *ea*: Bem. ita, *curavi propria ut Phædria poteretur.* Fa. Nostri *propria ea*; et duo primarii *poteretur.* Bent. *Ea* abest in B, Hel. Guelf. 2. 'G. et Fr. Fabricii *Poteretur* laudant. Quando erit in conjug. tert. promiscue enim usi Poëtæ. Ovid. Met. IX. 313. 'Potiturque puerpera voto.'' *West.* '*Poteretur* Bem. apposite ad rationem versus, ut et Catull. 'Liber ut innuptæ poteretur flore novercæ.'' *Fa.* Bip. Both. *poteretur.* '*Nam emissa est manu*] Proprie de servis et ancillis libertate donatis, atque e potestate herili dimissis. Plaut. Capt. II. 3. 48. 'Numquam erit tam avarus, quin te gratus emittat manu.' Cic. Fam. XIII. 77. 'Cum se a me manumissum esse diceret, crediderunt.' H. l. rationem reddit Phormio, quare Phædria possit propria potiri citharistria, nempe, quod ab lenone impurissimo emta, atque adeo emancipata sit. Quod non cepit Guyetus, scribens in glossis ineditis: 'Qui emissa est manu, si emta est a lenone? An Phædriæ emancipata est? Horat. 'Romanus (eheu posteri negabitis) Emancipatus feminæ,' &c. Nota phrasin. An legendum, *Nam ei emissa est manu*, vel, *Ei missa est manu.*'' West.—3 *Una* abest a Guelf. 2. 'Versus hic

Ab senibus ad potandum ut habeam; nam aliquot hos summam dies.
AN. Sed Phormio 'st: quid ais? PHOR. Quid? AN. Quidnam nunc facturus Phædria?
Quo pacto satietatem amoris ait se velle sumere?
PHOR. Vicissim partes tuas acturus est. AN. Quas? PHOR. Ut fugitet patrem.
Te suam rogavit rursum ut ageres, causam ut pro se diceres;
Nam potaturus est apud me: ego me ire senibus Sunium
Dicam ad mercatum, ancillulam emtum, quam dudum dixit Geta;

phone et Chremete, concedatur, quo possim poculis operam dare: nam aliquot hos dies sumam ad indulgendum voluptatibus. AN. *Sed Phormio adest. Quid ais?* PH. *Quid aio?* AN. *Quidnam in præsentia facturus est Phædria? quomodo ait se velle amori suo satisfacere.* PH. *In vicem suscepturus est partes tuas agendas.* AN. *Quas?* PH. *Ut patris conspectum fugiat. Te rogavit ut rursum suam ageres causam apud patrem, et pro se orares. Nam apud me compotaturus est. Ego dicam senibus nostris, Demiphoni et Chremeti, me proficisci Sunium ad mercatum, ancillulam ut emam de qua Geta locutus est illis jampridem, ne hic me non videntes*

varie collocatur in Mss. et editis antiquis. Exhibeo lectionem, quam laudat Faërnus.' *West. Etiam* abest a Guelf. 1.—4 *Portandum* Guelf. 2. abest *hos* a Guelf. 1.—5 Mss. et edd. quædam *adest.* West. *Facturus est* optimi aliquot nostri; lege *facturust.* Bent. et sic Bip. Perl. *facturus est* Br. Bod. GM. '*Quidnam facturus est* Mss. quidam et impressi post EP.' *West.*—6 *Quonam* Codd. quidam. *West.* Mox *absumere* Bod. G. Ms. Lips. antiquissimi apud Fa. et plerique apud Bent. 'quod emphaticum magis est.' *West.* et sic Bip. Both. Br. Perl.—7 *Quas* omnino acui debet. Repone *uti.* Bent. quem sequitur Both.—8 Hæc plurimorum Codicum lectio est, cum Mss. tum impressorum. Faërnus tamen ex Bem. laudat, *Te suas rogavit rursum ut ageres.* quam lectionem veram dicit Tanaq. Faber, alteram vitiosam. Et possit videri *Suas* referendum ad *Partes.* Neque fieri propemodum potest, ut aliter legerit Donatus, quamquam nunc vulgo editur *Partem:* quod nec præcessit, nec Latinum satis videtur. Vide porro Rivium. *West. Suam* quidem legit Donatus, subaudiens, *partem*, mihi tamen magis placet *suas*, quod est in Bem. et subaudio *partes.* Fa. Nostri omnes perperam *suam.* Bent. *Suas* Bip. Perl. *suas ...gereres* Both. quia in Hel. est *geres:* at Br. *suam... ageres causam, et,* omisso *te.*—9 *Sunium* abest a Guelf. 3.—10 *Quam dudum dixit Geta*] Unde hoc absonum, tacente Faërno? Nostri universi cum Edd. vett. *Dudum quam dixit Geta.* Bent. Mss. plurimi *dudum quam.* West. et sic Guelf. 3. Bip. Both. Br. at Guelf. 1. ita voces ordinat *Dicam e. ad m. ancillam illam du. q. di.*

NOTÆ

7 *Partes tuas acturus*] Translatum a scenicis Actoribus. Id est, te imitaturus est.

9 *Sunium*] Extremum est Atticæ Promontorium ortum spectans, vicum habens ejusdem nominis, nunc vocatum *Cabo delle colonne.*

Ne, cum hic non videant me, conficere credant argentum suum.
Sed ostium concrepuit abs te. AN. Vide, quis egrediatur. PHOR. Geta 'st.

credant me consumere argentum suum: sed ostium domus tuæ constrepuit. AN. *Vide quis exeat.* PH. *Geta est.*

Ge.—11 Wit. *expendere*, suprascripto *conficere:* at *conficere* Br. GM. suprascripto *expendere.* Citat Non. Marcell. explicans 'consumere.' *West.*—12 *Qui* e Bem. et ex ratione versus legimus. *Fa.* Nostri male *quis.* Bent. *Qui* Bip. *quis egreditur.* PH. *Geta* Both. *egreditur* Hel.

NOTÆ

12 *Ostium concrepuit abs te*] Id est, ostium domus tuæ: ut in And. act. III. sc. 1. 'crepuit a Glycerio ostium.' Sic 'fulgor ab auro,' pro, auri fulgor, Lucret. 'Cicero reus a Milone,' id est, accusatore Milone.

ACTUS V. SCENA VI.

GETA. ANTIPHO. PHORMIO.

GE. O FORTUNA! o Fors fortuna! quantis commoditatibus,
Quam subito, hero meo Antiphoni ope vestra hunc onerastis diem!
AN. Quidnam hic sibi volt? GE. Nosque amicos ejus exonerastis metu?

GE. *O Fortuna! o fors fortuna! quantis utilitatibus et bonis successibus, quam repente nec opinanti hero meo Antiphoni vestro auxilio hunc cumulastis diem!* AN. *Quidnam hic sibi vult?* GE. *Nosque ejus amantissimos exsolvistis metu? sed*

1 *Quamvis* Bœnd.—2 In Bem. est, *meo ero:* ita etiam exigente trochaico. *Fa.* Nostri, uno excepto, omnes *ero meo.* Illud *meo* insititium est. Repono, *Quam desubito ero Antiphoni.* Bent. quem sequitur Both. Mox *Antiphoni oppressum hunc* idem Both. quo judice 'si onerarunt, sua non aliena opera oneraverint Deæ. Hoc balbutire foret, non loqui.' Bœnd. *fortuna vestra.* Bœnd. *honorastis.* Guelf. 3. *oneratis.*—3 Bœnd. *nos quoque:* Guelf. 3. *exoneratis.*—4

NOTÆ

1 *O Fors fortuna*] Fortuna est incertus rei exitus: fors fortuna est bona fortuna. Hujus ædes trans Tyberim est.

Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio,
Atque hominem propero invenire, ut hæc, quæ contigerint, sciat?
AN. Num tu intelligis, hic quid narret? PHOR. Num tu? AN. Nihil. PHOR. Tantumdem ego.
GE. Ad lenonem hinc ire pergam: ibi nunc sunt. AN. Heus Geta! GE. Hem tibi!
Num mirum, aut novum est, revocari, cursum cum institueris? AN. Geta.
PHOR. Pergit hercle. GE. Nunquam tu odio tuo me vinces. AN. Non manes?
GE. Vapulabis. AN. Id quidem tibi jam fiet, nisi resistis, verbero!

quid ego cunctor et cesso in officio meo, qui non pallium colligo, et in humeros rejicio, (Antiphonem) festinanter quæro, ut hæc quæ acciderint resciat, noscat. AN. *Ecquid mente percipis, quæ Geta iste commemorat?* PH. *Ecquid tu?* AN. *Nihil.* PH. *Tantundem ego.* GE. *Ad lenonem hinc pergere volo. Ibi in ejus ædibus nunc sunt: scilicet Antipho, et Phædria.* AN. *Heus Geta, audi.* GE. *Hem tibi: non mirum, aut insolitum est, nos sisti et retineri, cum festinare instituimus.* AN. *Geta.* PH. *Per Herculem cursum continuat.* GE. *Pergit sane, nunquam tamen tua importunitate consequeris, ut cursum intermittam.* AN. *Non hic manes, Geta?* GE. *Quæris verbera. Proculdubio unus est ex curialibus istis servulis qui me vocat.* AN. *Idipsum quidem nisi sistis gradum, tute consequeris, flagrio.*

Wit. *quin nunc humerum onero.* 'Gu. 1. et Hel. *exonero* dilucide, ut dudum legit etiam Glar.' *Both.*—5 *Hic* Both.—6 *Narrat* Guelf. 3. Bœnd. EP. *non* in utroque loco pro *num:* mox *hic quid hic* Bem.—7 *Ire* delet Both.—8 Lege ordine inverso *novum aut mirum*, numero meliore. Recte etiam Guy. ex cod. scriptis *Institeris:* versu abnegante. *Bent.* 'Mss. et impressi quidam *Non mirum.*' West. Mox *institeris* Bod. Bip. *restiteris* Gu. 1.—9 Hic versus omnis in Codd. quibusdam tribuitur Antiphoni. In aliis aliter. *Numquam tu odio tuo me vinces*] Gifanius in Ind. Lucret. v. *Odiosa* verba hæc etiam Phormioni tribuit: quod et Mss. et impressi quidam faciunt. *West.* *Pergit hercle: numquam tu tuo odio vinces me*] Alii l. s. *pergin*, Bem. *pergit* habet: lego autem, *pergis hercle*, conjuncte: ut et in Heautontim. 'Quin mihi molestum est. Pergis hercle.' quæ vero sequuntur, omnes libri ita collocant, *nunquam tu odio tuo me vinces.* Fa. Nostri plerique *Pergit.* Unus *Pergin? hercle.* Recte: atque ita legendum, Heaut. III. 3. 21. non *Pergis hercle.* Porro pro *tu odio* codex Academicus *hodie* habet. Utrumque retine et sic repone, *Pergin? hercle numquam hodie odio tu me vinces. Non manes?* Bent. 'cujus rationes minime contemnendæ videntur.' *R. D.* *Tuo* delet Both.—10 *Vapulabis*] Ita diserte est in Mss. Leidd. quinque, Bodl. Tr. M. Bœnd. et Lips. sed *Vapulabo* habet G. *Vapulaberis* Wit. quod forte legendum, *Vapulaveris.* Faërnus *Vapula* tuetur ex Bem. et Vat. Et videtur sane hic locus exscriptus ex Plauti Asinaria, II. 4. 72. 'LE. Vapula. ME. Id quidem tibi hercle fiet, Ut vapules, Demænetum simul ac conspexero hodie.' Muretus ex Codice Veneto continuo post hanc vocem legit, *Curialis vernula est, qui me vocat.* Diserte etiam leguntur in Ms. Bœnd. et EA. ET. EV. 1. Arg. EV. 2. aliis Mureto antiquioribus; sed et Gambarello, quæ verba dein nuperi quidam editores revocarunt. Franciscus Fabricius ita: 'Carminis trochaici ratione hanc lectionem probari, equidem omnes videre confido.' Sed et Goveanus et Bergius retinent. Mihi in nullo alio Mss. inventa, sed nec in EP. *West.* In Bem. et Vat. est *vapula*, nec aliter versus potest stare: quod vero sequitur, ita in omnibus libris ordinatur, *id quidem tibi:* versus autem hoc modo sustentabitur, ut vel eliso *d* ex *id*, in secunda sede sit anapæstus; vel, *fiet* in unam syllabam contracto, sit in quarta spondeus. *Fa.* Nostri omnes *Vapulabis;* perperam. Festus olim legebat hic *Vapula.* Ceterum postquam in textum se intulerat *Vapulabis*, nebulo aliquis ad versum supplendum, hoc bellum emblema addidit, *Curialis vernula est, qui me vocat;* quod et in compluribus editionibus hodie visitur. Nos in duobus nostris, sed recentioribus invenimus: spurium tamen esse vel illud evincit, quod stare hic non potest, nisi legas *Vapulabis:* cum tamen compertum jam sit, legendum esse *Vapula.* Ut ne addam, nisi statim post *Vapula* inseras, *Id tibi jam fiet*, hoc est *Vapulare*, sententiam in responso nullam fore. *Bent.* Restitutos plane tres verss. damus, qui in omnibus edd. lacerati, et vulgo hodie sic leguntur: G. *Pergis hercle. nunquam tu odio tuo me vinces.* A. *Non manes?* G. *Vapulabis. curialis vernula est, qui me vocat.* A. *Id quidem jam tibi fiet, nisi resistis, verbero.* Sed v. 1. excedit pede trochaicum octon. catal. et Bem. habet *pergit;* et sic plerique ap. Bentl. et tamen Faërn. male edidit juncte *Pergis hercle?* Tum v. 2. Bem. et Vat. cum Festo, in nott. jam laudato, legunt *vapula*, quod verius est. Hinc Bentl. novissime adhibito remedio verss. instruxit: G. *Pergin? hercle nunquam hodie odio tu me vinces.* A. *Non manes?* G. *Vapula.* A. *Id quidem tibi jam fiet, nisi resistis verbero.* In primo suo versu id boni habet, ut vocem *hodie* absumptam *odio* restituerit, alterum ad optimos Codd. in quibus est Bem. et Vat. multasque edd. vet. exegerit; sed verba *curialis . . . vocat*, ut a nebulone aliquo illata, expungit, (quæ eadem verba jam olim omisit Erasm. in ed. sua princ.) Tantum vero abest, ut insititia sint verba, ut potius loco mota suo haberi debeant. Atque ea invenit Mur. in Cod. Ven. post versum *Vapula . . . verbero;* quomodo et aliæ priscæ edd. in iisque Tarv. 1481. Ven. 1492. et nostra Arg. 1499. habent. Neque iis omnino sublatis est, quo referas *familiariorem* v. 12. Itaque ea in locum suum revocamus; unde male exciderant. Scil. in primo versu librarius a voce secunda *hercle*, desciscens ad alterum *hercle*, quod decimo versu redibat, verba *curialis . . . vocat* omisit; quæ visa cum corrector in margine adscripsisset, dein alieno loco in textum ingesta sunt. Repetimus vero vocem *hercle*, jungimusque sqq. *nunquam hodie*, quæ et alias conjuncta leguntur, ut ap. nostrum Ad. IV. 2. 12. 'Nunquam hercle hodie ego istuc committam tibi.' Alias præterea rationes ordinis versuum nostri facile colligent periti. *Bip.* ubi legitur sic: G. *Pergit: hercle curialis vernula est, qui me vocat: | Hercle nunquam hodie odio tuo me vinces. |* A. *Non manes?* G. *Vapula.* Both. *odio me vinces hodie.* Perl. *vapula.* Br. GM. *vapulabis.* Guelf. 3. *ni restiteris.*—11 Mss. et editi nonnulli *Familiarem.* West. Mox *qui* non est in ullo ex antiquis libris: neque id versus admittit. *Fa.* Etiam nostri plerique nesciunt illud *qui.* Bent. Wit. *Minatur.* A G. et impressis qui-

NOTÆ

10 * *Curialis vernula*] Servi curiales ii erant qui in cœnis post curiata comitia celebratis ministrabant.

GE. Familiariorem oportet esse hunc, qui minitatur malum.

GE. *Ex familia nostra hunc esse oportet, qui verbera minis intentat tam familiari-*

Sed isne est, quem quæro, an non? ipsus est. PHOR. Congredere actutum. AN. Quid est?
GE. O omnium, quantum est, qui vivant, homo hominum ornatissime!
Nam sine controversia ab Dis solus diligere, Antipho.
AN. Ita velim: sed, qui istuc credam ita esse, mihi dici velim.
GE. Satin' est, si te delibutum gaudio reddo? AN. Enicas.
PHOR. Quin tu hinc pollicitationes aufer, et, quod fers, cedo. GE. Oh!
Tu quoque hic aderas, Phormio? PHOR. Aderam: sed cessas? GE. Accipe, hem!
Ut modo argentum tibi dedimus apud forum, recta domum

ter. Sed isne est Antipho, quem quæro, an non? ipse est. PH. *Antipho, confestim hunc conveni.* AN. *Quid est?* GE. *O homo omnium quotquot in terra degunt hominum omnibus bonis et fortunis ornatissime: nam procul omni dubio Dii te elegerunt quem solum amarent, Antipho.* AN. *Utinam ita sit, sed cupio mihi referri causam qua possim adduci ad hoc credendum.* GE. *Ecquid tibi sufficit, si te gaudio totum perfundo?* PH. *Quin tu cessas polliceri, et quod nuntiaturus es dicis?* GE. *Nonne hic præsens quoque fuisti?* PH. *Fui, sed nos nimis moraris.* GE. *Audi igitur, hem; ut modo argentum tibi solvimus apud forum recta via domum*

busdam abest *qui*, quod et Faërnus et G. Fabricius rejiciunt. Fr. Fabricius, *Qui minitat malum.* Et sane 'minitas' et 'minitabis' Nævium et Plautum dixisse Nonius VII. 51. observat. Minitatur autem plagas et verbera. Plaut. Pers. V. 2. 35. *West.* Delent *qui* Bip. Both. Br. Perl.—12 *Ipse est* Guelf. 3. Dele nomen Phormionis, et cum Codd. aliquot nostris Getæ totum attribue. *Ipsust: congredere actutum.* Bent. Male. Nam primum Phormio non ad Getam illa verba dicit, sed ad Antiphonem. Deinde leges scenicæ postulant, ut quoque Phormionis oratio interseratur. Denique durum est, Getæ talem orationem tribuere. *Zeun.* Bentleianum improbat Perl. *Quid est* Antiphoni continuat Both.—13 Mss. Lips. G. Wit. Bœnd. cum edd. Junt. Ald. Rob. Stephani, aliis, *Omnium, quantum est, qui vivant, hominum homo honoratissime.* Sed *Homo hominum* Faërnus laudat ob metrum. Dixit autem, *Ornatissime*, pro, beatissime. Plaut. Aul. IV. 9. 10. 'Heu me miserum, miserum! perii male perditus! pessume ornatus eo.' *West.* Accipimus a Bem. *ornatissume:* retinemus tamen, quod ceteri omnes habent, *Hominum homo.* Eun. II. 2. 1. 'Homini homo quid præstat?' Adel. II. 2. 10. 'Hominum homo stultissume.' *Bent.* *O* delet Zeun. *vivont* Bem.—14 *Nam tu sine* Both. tacite.—15 *Vellem* Gu. 3. *Quid istuc* Gu. 3.—16 *Enecas* Br. GM.—18 O. fere l. inter quos Bem. neque habent *hic*, et post *sed*, habent *tu*, numero meliore trochaici. *Fa.* Nostri hic mendose *hic* sine *tu*. Bent. *Hic* omittunt Zeun. Both. Perl. *O tu quoque hic* Br. '*Sed tu quid cessas* Bœnd. quæ Antiphonis potius verba videntur, quam Phormionis.' *West.* Guelf. 2. *quid cessas.*—19 *Ut* abest a Guelf. 1. 3.—19 Repone emendatione certissima, *Recta ad Chremem Sumus profecti.* *Ad Chremem*, hoc est, *ad domum Chremetis;* ubi uxor ejus Nausistrata convenienda erat. Sic And. II. 2. 24. 'Ego me continuo ad Chremem.' *Bent.* Pessime Bent. mutavit. *Bip.* at Both. *Ibi me intro mittit:* quia 'fieri non po-

Sumus profecti: interea mittit herus me ad uxorem tuam.
AN. Quamobrem? GE. Omitto proloqui; nam nihil ad hanc rem est, Antipho.
Ubi in gynæceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida;
Pone apprehendit pallio; resupinat: respicio; rogo,
Quamobrem retineat me: ait, esse vetitum intro ad heram accedere.
Sophrona modo fratrem huc, inquit, senis introduxit Chremem,
Eumque nunc esse intus cum illis. Hoc ubi ego audivi, ad fores
Suspenso gradu placide ire perrexi; accessi; astiti;
Animam compressi; aurem admovi: ita animum cœpi attendere,
Hoc modo sermonem captans. AN. Eu Geta! GE. Hic pulcherrimum
Facinus audivi: itaque pæne hercle exclamavi gaudio.
AN. Quod? GE. Quodnam arbitrare? AN. Nescio. GE Atqui mirificissimum:

nos recepimus. Interea herus Demipho me misit ad tuam uxorem, Antipho. AN. *Quapropter?* GE. *Mitto causam dicere, nihil enim ad rem pertinet, de qua agitur, Antipho. Postquam in gynæceum ire cœpi, servulus Mida nomine properans ad me venit, a tergo pallium apprehendit, et me retro trahit, ab incœpta via revocans: hunc intueor, interrogo quam ob causam me retrahat, dicit prohibitum esse intro ire ad heram. Sophrona nutrix Phanii modo, inquit, fratrem Demiphonis Chremem in gynæceum intro admisit, eumque nunc intus versari cum illis. Hoc postquam audivi, ad ostium placido ac silenti gradu ire perseveravi, accessi, propius steti, spiritum continui, aurem adhibui: ita attente audire cœpi, explorans eorum collocutiones.* AN. *Euge, Geta.* GE. *Hic loci auribus percepi rem insignem; itaque propius fuit, ut lætitia gestiens exclamarem.* AN. *Quid audivisti?* GE. *Quodnam opinaris?* AN. *Nescio quid esse possit.* GE. *At certe istud supra omnia ad-*

terant, ut domum rediret servus, intereaque ad uxorem Antiphonis mitteretur.'—21 *Omitte proloqui* Both. et sic Br. pro var. lect. ut videtur; 'reliqui rectius *omitte.*'—22 *Occurrit* Guelf. 1.—23 *Pone me adprehendit* EP. Br. GM. mox Christoph. Colerus, Epist. VI. *Respicor* laudat ex Ms. Sebast. Miegii. nec minus Latine dictum existimat, quam *Conspicor.* West.—24 Ms. Witt. *Ad eam.* quod forte natum ex *Ad eram.* quomodo est in Mss. plusculis. *West.*—26 GM. *intro...hæc.* Guelf. 2. *ego* omittit.—29 PH. *Hoc modo sermones captas?* Both. quo judice frigidiusculum est vulgatum; mox *heu* Bas. teste Fa.—31 *Quid?* GE. *Quidnam* EP. at Br. sic PH. *Quod?* GE. *Quod-*

NOTÆ

22 *Gynæceum*] Est secretum conclave, quo non datur viris ingressus.

Patruus tuus pater est inventus Phanio uxori tuæ. AN. Hem!
Quid ais? GE. Cum ejus consuevit olim matre in Lemno clanculum.
PHOR. Somnium! utin' hæc ignoraret suum patrem? GE. Aliquid credito,
Phormio, esse causæ: sed me censen' potuisse omnia
Intelligere extra ostium, intus quæ inter sese ipsi egerint?
PHOR. Atque hercle ego quoque illam inaudivi fabulam. GE. Immo etiam dabo,
Quo magis credas: patruus interea inde huc egreditur foras:
Haud multo post cum patre idem recipit se intro denuo:
Ait uterque tibi potestatem ejus habendæ se dare.

miratione dignissimum: patruus tuus Chremes compertus est pater Phanio uxori tuæ. AN. *Hem! quid ais?* GE. *Ille (Chremes) consuetudinem secretam habuit aliquam in Lemno cum Phanii matre.* PH. *Hoc somnii figmentum est. Illane Phanium potuit non cognoscere patrem suum?* GE. *Crede, Phormio, aliquam esse causam cur non cognoverit: sed an arbitraris me potuisse omnia percipere, quæ inter se ipsi intus egerint, cum extra ostium starem?* PH. *Et per Herculem hæc quoque fabula mihi narrata fuit.* GE. *Quin etiam, quo magis id verum esse credas hoc insuper dicam; patruus interea e gynæceo egressus, et paulo post illuc cum patre intro rursus reversus est, et uterque dixit tibi se permittere eam habere uxorem: denique*

nam, et sic GM. improbante Perl. *mirificum* Guelf. 3.—32 Priscian. Instit. Gr. III. citat *pater tuus.* Aliqui libri, in quibus Bem. ita habent, *est pater inventus*: ita et Donatus; quæ collocatio verborum adjuvat versum. *Fa.* Nostri plerique, *Patruus tuus pater est*: male, quia *Pater* in Thesi delitescit. *Bent.* quem sequitur Bip.—34 Duo ex nostris veteres, *Ut hæc.* Lege, *Utn' hæc.* Horat. 'Utne tegam spurco Damæ latus?' *Bent.*—36 *Agebant* Guelf. 3.—37 *Inaudivi*] Ita plerique omnes Mss. Et videtur *In* ob præcedens *m* in voce *Illam*, quasi abundans, neglectum a nonnullis Librariis. Tum 'inaudire' maxime de rebus occultis dicitur, qualis erat consuetudo inter Chremetem et uxorem Lemniam. *West.* P. *Atque hercle ego quoque illam audivi fabulam*] Ita libri nostri; sed Donatus legebat; *Illam inaudivi; Plautus*, inquit, *in Milite glorioso: Nam hoc cognomentum poëtæ esse inaudivi.* Sic editiones nuperæ: sed vetus, *Nam hoc columnatim.* Repone, *Nam os columnatum poëtæ esse inaudivi Barbaro.* Extat in Mil. Glor. II. 2. 56. Ceterum hoc noli Phormioni attribuere, sed cum codice Academico Antiphoni. Id ex responso constabit, ubi *Patruus, Tibi potestatem, Te requirerem* ad Antiphonem referuntur. Præterea, jam modo dixerat Phormio, *Somnium, utne illa ignoraret patrem?* non convenit ergo, ut continuo addat, *se rem prius inaudivisse.* Repone igitur, AN. *Atque hercle ego quoque illam inaudivi fabulam.* Recte: Antipho inaudivit, qui cognatus et familiaris; non Phormio, qui alienus et ignotus. Sine dubio igitur vera hæc lectio est. *Bent.* quem sequuntur Bip. Both. Perl. et probat Zeun. *Audivi* Br.—38 *Mage quo* Both. tacite. Codd. quidam, *Intus.* quod tuetur G. Fabricius: quando *Intus* valebit, ἔνδοθεν: nihil familiarius Plauto. Sic Pseud. II. 2. 10. 'Ostium pultabo, atque intus evocabo aliquem foras.' *West.*—39 *Post haud multo* Both. tacite.—40 In nullo omnino libro invenio

Denique ego missus sum, te ut requirerem, atque adducerem.
AN. Quin ergo rape me: quid cessas? GE. Fecero. AN. O mi Phormio,
Vale. PHOR. Vale, Antipho: bene, ita me Di ament! factum: gaudeo,
Tantam fortunam de improviso esse his datam.
Summa eludendi occasio 'st mihi nunc senes,
Et Phædriæ curam adimere argentariam,

hi me miserunt te ut inventum ad se adducerem. AN. *Immo aufer me tecum: quid moraris?* GE. *Festinemus.* AN. *O mi Phormio, vale.* PH. *Vale, Antipho: bene factum, ita me Dii ament, gaudeo tantam felicitatem repente eis fortunam immisisse. Præclara nunc se mihi dat occasio per lusum decipiendi senes, et ne Phædria*

pronomen *se*; omnes vero habent *dari*, pro *dare*: sed versus non constat, nisi legas pro *habendæ, adhibendæ*, quod in Bem. est: qua lectione admissa, licebit, opinor, exponere *adhibendæ*, pro *habendæ*: sicut dicimus 'adamare' pro 'amare;' 'adhærere,' pro 'hærere,' et similia: aut *adhibendæ*, asciscendæ, adjungendæ in matrimonium: ad has non sane vulgatas hujus verbi expositiones cogit me auctoritas tam vetusti libri, cum versus necessitate conjuncta. *Fa.* Illud *adhibendæ*, quod Bem. exhibet, commentum est correctoris, qui versum ruentem sic fulcire voluit. Rectius, qui *se* addiderunt; nam nostri, tribus recentioribus exceptis, omnes *dare* habent. Repone, *Ait uterque tibi potestatem ejus habendi se dare.* Ex *habendise*, natum est *habendæ.* Bent. quem sequitur Both. at Faërnum Bip. *se* abest a G. Witt. EP. Br. *dari* omisso *se* Bœnd. et editi quidam.—41 Vides, ut prave acuatur in ultima *Missús.* Deinde nostri universi addunt *Em.* Repone, *Denique ego sum missus, te ut requirerem atque adducerem.* AN. *Em.* Bent.—42 *Hem quin ergo rape me* G. Bœnd. Witt. EP. quod nec versus nec sensus desiderat. *West.* *Rape me rape* omisso *fecero* Both. *Hem* Bem. non habet; quod nec versui nec sensui est necessarium. *Fa.* Non hujus initio convenit *Em*; sed, ut fere semper, prioris fini est apponendum. Ceterum versu sequente, pro *Gaudeo* Guy. *Plaudite*: et scenas sequentes spurias esse pronuntiat; neminemque, *Siquidem sanus fuerit*, a se dissensurum putat. Credasne hunc hominem sanæ tum mentis fuisse, cum hæc effutiret? certe ad Anticyras relegandus tum erat; non nunc argumentis refutandus. Nihil in toto Terentio sequentibus scenis pulchrius, venustius, urbanius, moratius: sine quibus reliqua fabula, quæ nulli cedit, ex fulgore in fumum exiret. *Bent.*—43 *Factum gaudeo*] Hic quidam faciunt finem hujus Scenæ; sed parum accurate, observante Rivio. Varie autem hæc leguntur et distinguuntur: *Bene, ita me Di ament, factum. gaudeo, tantam fortunam de improviso esse his datam.* Et, *Bene, ita me Di ament. factum gaudeo, tantam.* Et, *Vale, Antipho, bene. ita me Di ament, factum gaudeo, tantam.* Quomodo et Christoph. Colerus, Epist. VI. Denique, *Bene, ita me Di ament! factum gaudeo. tantam fortunam de improviso esse his datam!* Ms. Bœnd. *Bene, ita me Di ament, factum. et gaudeo.* West. Ad vocem *Antipho* scenam claudit Bip. ad *gaudeo* Bent. Perl. at scenam continuant Zeun. Both. Br.—45 Codd. quidam *ludendi.* West. *Nunc* delet Br. at voces ita ordinat Guelf. 3. *Su. occ. est m. n. el. sen.*—48 *Nam item h. a. mi ut* Both. et sane *mihi* pro gl. exhibent Br. GM. *Argentum* deest in Br. O. l. s. *ita ut datum est ingratis:*

Ne cuiquam suorum æqualium supplex siet:
Nam idem hoc argentum, ita ut datum 'st, ingratiis
Ei datum erit: hoc qui cogam, re ipsa reperi.
Nunc gestus mihi, voltusque est capiundus novus.
Sed hinc concedam in angiportum hoc proximum:
Inde hisce ostendam me, ubi erunt egressi foras.
Quo me assimularam ire ad mercatum, non eo.

laboret de mutuanda pecunia ab amicis, et æqualibus, cum multis precibus: nam ut hoc argentum ab invitis senibus datum est, ita Phædriæ datum erit. Hoc argentum ut colligam, modum inveni. Nunc gestus corporis, et vultus de novo componendus est mihi, atque immutandus. Sed hinc me conferam in angiportum hunc proximum, postea inde hisce prodibo obvius, ubi exibunt domo, ut eis dicam me non profecturum esse Sunium, quo me simulaveram velle proficisci.

solus Bem. *datum'st ingratiis*, ut postulat versus. *Fa.*—49 *His datum erit*] Quomodo *his*, cum de Phædria solo sit sermo, cui adimenda erat cura argentaria? itaque vera lectio mihi videtur, quam idem antiquissimus liber continet, *ei datum erit*: in Vict. est *his*, sed in litura: ut conjiciam ibi quoque scriptum prius fuisse *ei*. Fa. Nostri *ingratis*: et aliquot addunt *His* vel *Iis*, aliquot nihil. *Bent.* Ms. Lips. *Iis datum erit.* sed suprascriptum, *senibus.* Plerique Codd. *His datum erit.* Eodem sensu. Videtur autem sermo de solo esse Phædria. Malim, si per Codices liceret, *Sic datum erit.* ut sensus sit, 'Uti semel ingratiis datum est argentum, sic porro erit, neque reddetur umquam.' Nam *Ei* tantum est in Bem. Nisi forte *His* legas, h. e. *senibus*, vel *a senibus.* Fabrini *His ingratis* legit. *West.* *his* Zeun. Br. *eis* Bip. *ego ipsa* Gnelf. 3. *ego repperi* ex Gu. 1. Both.—50 *Vultus* Br.—51 Mss. M. et Bœnd. *Hic.* Priscianus Instit. Grammat. lib. VI. *Sed hinc concedam. transite vos in angiportum hunc proximum.* West. *hunc* duo Mss. apud Bent. et sic Bip. Both.

ACTUS V. SCENA VII.

DEMIPHO. PHORMIO. CHREMES.

DE. Dis magnas merito gratias habeo, atque ago,
Quando evenere hæc nobis, frater, prospere.
Quantum potest, nunc conveniundus Phormio est,
Priusquam dilapidet nostras triginta minas,
Ut auferamus. PHOR. Demiphonem, si domi est,
Visam: ut, quod—— DE. At nos ad te ibamus, Phormio.
PHOR. De eadem hac fortasse causa. DE. Ita hercle. PHOR. Credidi.
Quid ad me ibatis? ridiculum! verebamini,
Ne non id facerem, quod recepissem semel?
Heus! quanta quanta hæc mea paupertas est, tamen
Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mihi esset fides.
CHRE. Estne ita, ut dixi, liberalis? DE. Oppido.

DE. *Diis meritas verbis gratias ago, atque animo habeo, frater, pro rerum nostrarum prospero eventu. Nunc quam cito possumus, ad Phormionem nobis properandum est, priusquam disperdat nostras triginta minas, ut eas ab ipso recipiamus.* PH. *Visam, si domi est, Demiphonem, ut dicam.* DE. *At nos ad te ibamus, Phormio.* PH. *Ob eandem fortasse causam.* DE. *Ita per Herculem.* PH. *Risu digna res est. Num dubitabatis an id facerem, necne, quod promisissem semel? Heus, quantumvis pauperculus sim, et in tenui re; tamen huc usque unum hoc quidem præcipue studui, ut servarem fidem.* CH. *Numquid tibi virgo visa fuit ingenii liberalis, et verecundi vultus, et honesti?* DE. *Admodum.* PH. *Itaque*

1 Versum revocamus hunc primi in locum suum; quem alii omnes et scripti et editi versibus 12. et 13. vel orationi Phormionis male, certe ita ut frustra adhuc in eo exponendo desudaverint interpp. collocatum habent. At h. l. ita aptus est, ut nulla amplius interpretatione opus sit. *Bip.* mox *magnas* Bod. Bœnd. Witt.—4 *Dilapidet*] Ita Mss. Leidd. quinque, Tr. M. Lips. Bodl. G. Witt. Bœnd. præter Cod. Bem. et Mss. aliis laudatos, etiam Donati utrumque, editionesque præstantissimas. Neque aliter etiam Gambarellus. Unde mirum, esse qui paucorum Codd. *Dilapidat* tueantur. *West.* Nostri *dilapidet.* Utrumque probe. *Bent.*—7 Abest *hac* a Gnelf. 3. Tolle nomen Demiphonis; et totum da Phormioni, hoc modo: PH. *De eadem hac fortasse causa. ita hercle credidi.* Bent. At vero nobis hæc ratio non idonea esse videtur. Nam primum si *de eadem hac causa* interpreteris *de Phanio*; verissime senex dicit *ita hercle.* Deinde non video, cur non possimus recte *simulationem* quandam admittere, præsertim cum paulo post talis sit concedenda necessario. *Zeun.* Vulgat. præfero. *Perl.*—8 *Quid ad me ibatis*] Guyeto in ἀνεκδότοις versus hic *subdititius, inutilis, et ἀδιόρθωτος* dicitur. Mox *Verebamini*] Mss. Lips. et G. cum EP. *An veremini.* Mss. Bœnd. Witt. *An verebamini.* Impressi itidem varie. *West.* Τὸ *an* non habet Bem. arbitror autem in scansione hujus versus primum *e* elidi, sicut in *senex*; posset tamen elidi *u*, sicut in *invidia*. Fa. *Quid ad me ibatis? ridiculum: verebamini Ne non id facerem.* Sic a Faërno est: sed versu abhorrente. Lege cum plurimis nostris, vetustioribus certe universis: *Quid ad me ibatis? ridiculum: an veremini.* Bent. quem sequitur Both. Perl. Br.—9 *Faciam quod receperim semel.* Both.—10 Hæc varie leguntur in Mss. In Leidensibus quinque, G. Tr. Lips. Witt. Bodl. *Heus heus quanta hæc paupertas mea 'st.* Mss. M. et Bœnd. *Heus heus quantacunque:* quam lectionem Glareanus defendit. Impressi itidem in omnia alia abeunt. Expressi autem quod usitatum magis et metro magis conveniens. *West.* *Heus heus quanta hæc* Br. *Heus heus quantacunque* GM. Huic versui, una syllaba deficienti, succurrit lectio, *heus quanta quanta hæc.* Fa. Nostri *quanta hæc*; nisi quod unus *quantacumque hæc.* Bentleius.—12 Codd. quidam Mss. et editi, *Estne ea, ita ut dixi, liberalis?* de hoc autem versu laborant Interpretes. Sunt, qui de Phormione intelligunt, omisso *Ea*:

NOTÆ

4 *Dilapidet*] Dilapidare est 'bona et substantiam dissipare.'

PHOR. Itaque ad vos venio nuntiatum, Demipho,
Paratum me esse: ubi voltis, uxorem date;
Nam omnes posthabui mihi res, ita uti par fuit,
Postquam, tantopere id vos velle, animadverteram.
DE. At hic dehortatus est me, ne illam tibi darem;
Nam qui erit rumor populi, inquit, si id feceris?
Olim cum honeste potuit, tum non est data:
Nunc viduam extrudi, turpe 'st: ferme eadem omnia,
Quæ tute dudum coram me incusaveras.
PHOR. Satis superbe illuditis me. DE. Qui? PHOR.
Rogas?

ad vos venio nuntiatum, Demipho, me paratum esse ad illam accipiendam. Si vobis videtur, eam mihi uxorem tradite: nam huic rei omnes res meas postposui, et neglexi, uti conveniens fuit, postquam tam vehementer id vos cupere perspexi. DE. *At exinde hic Chremes frater meus dissuasit mihi, ne illam tibi darem: nam qui sermones vulgi ferentur per urbem, inquit, si id feceris? olim cum honeste virgo potuit dari in uxorem, non data fuit: nunc postquam nupsit filio tuo Antiphoni, eam privatam suo viro, ut viduam ejici invitam turpe est. Denique pene omnia me monuit, quæ tute jampridem coram me præsente redargueras.* PH. *Satisne arroganter vos me ludificatis?* DE. *Quo modo?* PH. *Quæritisne istud? quia ne alteram quidem*

sunt, qui de Phanio. Posterius magis placet. *West.* Sine *ea*, et præterea mutatis personis, hunc versum continet Bem. in hunc modum: D. *Estne ita ut dixi liberalis?* CH. *oppido.* Forte est ironia senum in Phormionem. cum pronomine vero *ea*, fateor me hunc locum non intelligere. *Fa.* DE. *Estne ita ut dixi liberalis?* CH. *oppido.* Sic dedit Faërnus; qui, si *ea* hic legatur, fatetur se hunc locum non intelligere. Nimirum Bembino serviliter addictus personas prave distinxit; quæ sic ex omnibus aliis libris sunt disponendæ; et leviter emendandum est: CH. *Estne ita uti dixi liberalis?* DE. *oppido.* Bent. Mire se torquent hic interpretes, pervertuntque loci sensum et pulchritudinem. Alii enim omisso illo *ea*, intelligunt *liberalis* de Phormione. Mihi ob ipsum Phormionem illa verba dicta esse videntur, ut homini probabile efficeretur, quod mox Demipho dicturus est, *at hic dehortatus est me, &c.* Igitur sensus est, nonne tu puellam liberalem, uti tibi expertus ipse dixi, reperisti, adeoque dignam filio tuo? Sin vero cum Bembino, personis mutatis, quæstionem Demiphonis, et responsionem Chremetis esse statuas; sensus quidem idem efficitur, sed pro *dixi* legi debet *dixti*. Zeun. Phormioni voces *Estne... liberalis* tribuit Both.—13 Multi libri scripti, et in his Vi. pro *itaque, idque* habent: Bembinus, *idque adeo.* quo etiam modo staret versus, attributa prima ejus syllaba versui præcedenti. *Fa.* Duo ex nostris, *Idque:* omnes *ad vos.* Repone, *Idque adeo advenio.* Bent. quem sequuntur Bip. Both. Perl. *Ha ad vos* Br.—14 Bona Mss. pars omittunt *me.* West. et sic Br. Guelf. 3.—16 Mss. plusculi *tanto opere.* West. *Vos id...advorteram* Both. *adverteram* Br. Hel. *animum adverteram* Guelf. 2.—19 *Poterat* Guelf. 2.—20 Quomodo *viduam*, quæ sine viro remansura non erat? an forte *viduam* exponendum est, a priore viro separatam? in eo libro antiquissimo sine ea dictione *viduam*, in hunc modum legitur, *Eam nunc extrudi turpe'st.* Fa. Et hinc scies indolem correctoris Bembini. Nostri omnes *Nunc viduam.* *Viduus* hoc sensu non semel apud Plautum est. *Bent.*—22 Aliqui libri, et in iis Bem. affirmative habent *satis.*

Quia ne alteram quidem illam potero ducere:
Nam quo redibo ore ad eam, quam contemserim?
CHRE. Tum autem, Antiphonem video ab sese amittere
Invitum eam; inque. DE. Tum autem video filium
Invitum sane mulierem ab se amittere.
Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi
Argentum rursum jube rescribi, Phormio.
PHOR. Quodne ego perscripsi porro illis, quibus debui?

illam virginem, quæ mihi sponsa erat, potero uxorem habere: nam quomodo potero, nisi sim insigniter impudens, eam iterum petere, quam respuerim. CH. *Tu etiam dic; video præterea Antiphonem impatienter ferre, et non nisi coactum pati, eam a se abstrahi.* DE. *Tum autem filium video impatienter et non nisi coactum ferre, mulierem a se abstrahi: sed transeamus, quæso, ad forum, Phormio, et triginta illas minas, quas tibi dedi, jube mihi ab argentariis renumerari.* PH. *An illud petis argentum tibi reddi quod creditoribus meis per scripturam argentariorum reddidi.*

FA. Alter ex Meadianis *Satis:* reliqui *Satin.* Lego: *Satis pol superbe:* ut Heaut. IV. 4. 1. 'Satis pol proterve.' *Bent.* quem sequitur Both. *Satis superbe illuditis me*] Ita lego, quod in plerisque Codd. est. Alii cum Donato, *Satin' superbe illuditis me?* nullus autem interrogationi locus est. *West.*—24 *Quo ore ad eam redibo* Both.—25 Abest *video* a Guelf. 2.—28 Hic in Wit. incipit lacuna, usque ad v. 63. *West.*—30 Donatum aliter legisse censent viri eruditi; quod Virgilii Æn. VII. 422. *diditur* nihil faciat ad intelligendum Terentii *Perscripsi.* Faërnus testatur, in o. fere l. s. esse *Descripsi;* sed Bembinum legere *Discripsi*, quod probat, et Pareus edidit, et citat Bentl. ad Horat. S. II. 3. 76. et Epist. II. 1. 105. Palmerius existimabat, Terentium scripsisse, *Quodne ego perscripsi porro aliis, ac dididi?* Idem ex Ms. laudat Christoph. Colerus ad h. l. Janus Gulielmius in Mercat. Quæst. cap. 1. *Quodne ego perscripsi porro iis, quibus dididi?* In Hulst. diserte bis legitur, *Quodne ego*

NOTÆ

29 *Rursum jube rescribi*] Scribere nummos dicuntur creditores pecuniarum, quibus moris erat, ut in argentariorum, apud quos pecunias suas collocarant, tabulis expensum alicui ferrent, et argentario id nomen dictarent. Horatius: 'Scribe decem a Nerio: non est satis: adde cicutæ Nodosi tabulas centum.' Rescribere, dicebatur debitor; qui mutuam pecuniam reddebat vel per se, vel per argentarii scripturam, qui in codicem suum referebat æs alienum a debitore creditori esse dissolutum. Rescribi, ait Donatus est reddi, seu per mensæ scripturam dari. Horatius; 'Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.' Rescribere est mutuum per scripturam mensæ reddere, cum mandato debitoris, qui pecuniam suam apud mensam deposuerat, mensarius, sive argentarius ferebat acceptum creditori. Sciendum est, veteres apud mensam, magnam pecuniæ partem deposuisse. Cum per argentarium debitor solvebat, dicebatur ex mensæ scriptura id fieri. Sin ipse debitor satisfaciebat, dicebatur de domo, vel ex arca numerari.

DE. Quid igitur fiet? PHOR. Si vis mihi uxorem dare,
Quam despondisti, ducam: sin est, ut velis
Manere illam apud te, dos hic maneat, Demipho.
Nam non est æquom, me propter vos decipi,
Cum ego vostri honoris causa repudium alteræ
Remiserim, quæ dotis tantundem dabat.
DE. I in malam rem hinc cum istac magnificentia,
Fugitive! etiam nunc credis, te ignorarier,
Aut tua facta adeo? PHOR. Irritor. DE. Tun' hanc duceres,
Si tibi data esset? PHOR. Fac periculum. DE. Ut filius
Cum illa habitet apud te; hoc vostrum consilium fuit.
PHOR. Quæso, quid narras? DE. Quin tu mihi argentum cedo.
PHOR. Immo vero uxorem tu cedo. DE. In jus ambula.

DE. *Quid igitur hac re fiet?* PH. *Si vis uxorem mihi dare, quam spopondisti, eam ducam, sed si statuis ut sponsa illa apud te maneat, dos illa triginta minarum, quam pro illa mihi dedistis, apud me manebit, Demipho. Nam iniquum est propter vos me damnum pati; et vestri honoris causa mihi fraudem esse, si alteram repudiaverim, quæ tantidem dotem mihi afferebat.* DE. *Abi in malam crucem cum ista magnificentia verborum qua vis nostro honori consuluisse, fugitive: etiamne credis nos latere qui sis, et quæ facere consueveris?* PH. *Ringor indignatione.* DE. *Auderesne eam uxorem ducere, si tibi traderetur?* PH. *Experire.* DE. *Hoc solum convenerat inter vos, ut in tuis ædibus filius meus habitet cum illa, non ut ipsum pro uxore haberes.* PH. *Quæso, vide quam stulta memoras.* DE. *Quin tu argentum mihi redde.* PH. *Immo vero tu redde uxorem.* DE. *In jus te voco.* PH.

rescripsi. Quomodo fere crediderim fuisse scriptum a Terentio. Et sane ἐμφατικώτερον erit, si Demiphonem dixisse statuas, *Argentum rursum jube rescribi;* Phormionem vero, *Quodne ego rescripsi?* Omnis igitur vis est in iteratione τοῦ *Rescripsi.* J. Fr. Gronovius legit *Descripsi,* ad Cic. Fam. XII. 1. 'Pecuniæ maximæ describuntur.' Bœnd. *Quod ego ne perscripsi.* Fr. Fabricius minus apposite citat And. IV. 4. 29. 'Quemne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?' *West.* qui *discripsi* edidit, et sic Bip. Both. Perl. O. fere l. s. *descripsi:* Bem. *discripsi:* et ita etiam videtur legisse Donatus. *Fa.* Nostri omnes *perscripsi.* Bent.—33 Ms. Lips. Bod. G. Bœnd. EP. V. C. apud Lind. Zeun. Br. *hic omnis maneat.*—35 M. Bœnd. Guelf. 2. *Præsertim cum ego.* Multis in libris, et inter hos Bem. et Vict. scriptum est *alteræ:* ut et in Heaut. 'Id ipsa alteræ dum narrat.' *Fa.* Nostri *alteri.* Bent. et sic 'in pluribus libris.' *West.*—37 Meliorem compositionem continet Bem. hoc modo *I in malam rem hinc:* et sic quoque stat versus. *Fa.* Nostri omnes *I hinc in malam rem.* Puto legendum, *In hinc malam rem:* adverbialiter vel absolute. *Bent.* quem sequitur Both. *I hinc in* Zeun. Br. GM. *In malam* Perl.—39 Bem. *si tibi daretur?* quod magis convenit, et cum *duceres,* et cum eo quod sequitur, *fac periculum:* ubi ex ratione versus *periclum* legimus. *Fa.* Nostri universi *data esset.* Quod recipio. *Bent.*—40 Omittit Guelf. 1. *ut filius.*—41 Guelf. 3. *erat.*—42 GM. *cede* superscripto *da.* At Br. pro gl. *redde,* in textu *cedo.*—43

PHOR. In jus! enimvero si porro esse odiosi pergitis.
DE. Quid facies? PHOR. Egone? vos me indotatis modo
Patrocinari fortasse arbitramini:
Etiam dotatis soleo. CHRE. Quid id nostra? PHOR. Nihil.
Hic quandam noram, cujus vir uxorem—— CHRE. Hem! DE. Quid est?
PHOR. Lemni habuit aliam. CHRE. Nullus sum. PHOR. Ex qua filiam
Suscepit; et eam clam educat. CHRE. Sepultus sum.
PHOR. Hæc adeo ego illi jam denarrabo. CHRE. Obsecro,
Ne facias. PHOR. Ho! tune is eras? DE. Ut ludos facit!
CHRE. Missum te facimus. PHOR. Fabulæ! CHRE. Quid vis tibi?

In jus? Si equidem ulterius mihi molesti estis. DE. *Quid facies?* PH. *Egone? vos me patrocinium et defensionem solum fortasse virginum quæ sine dote sunt, qualis Phanium est, suscipere opinamini; etiam soleo mulieribus dotatis opem præbere.* CH. *Quid hoc nostra refert?* PH. *Nihil? hic noveram olim quandam, cujus vir uxorem—* CH. *Hem!* DE. *Quid est?* PH. *Lemni habuit aliam.* CH. *Perii.* PH. *Ex qua filium genuit, et eam secreto educat.* CH. *Interii.* PH. *Hæc prolixe illi renuntiabo.* CH. *Per Deos te obtestor ne facias.* PH. *Ho! an tute is eras?* DE. *Quam nos ludibrio habes!* CH. *Missum te facimus.* PH. *Fabulæ et mendacia sunt vestræ pollicitationes.* CH. *Quid petis amplius? argentum quod*

Bem. numerosiore ordine hæc verba habet, *uxorem tu cedo:* sane utroque modo hujus versus prima syllaba ad præcedentem pertinet versum. *Faern.* Unus tantum ex nostris, *tu cedo.* Ceterum prima versus syllaba non pertinet ad præcedentem. *Immo vero* numquam non primam corripit. *Bent.* *Imo tu vero uxorem* omisso *cedo* Both.—44 Hic versus septem pedum est; nec ex l. s. ullum remedium. Donatus dicit *enimvero* principium esse aliquid per iracundiam dicturi: sicut apud M. Tullium, 'Enimvero hoc ferendum non est;' quod si hoc Terentianum principium tale sit, quale illud Tullianum, ubi nihil omnino præcedat, potest dici, ea duo verba *in jus* esse delenda et absolute incipiendum, *Enimvero si porro;* nos tamen ea verba retinebimus, versum sustentantes applicando primam hujus versus syllabam versui præcedenti, et ex *jus* s elidendo. *Fa.* In prima sententia perstitisse debuit, defendum illud *In jus?* quod huc ex v. 88. traductum est; *In jus eamus. In jus? huc si quid lubet.* Et ibi quidem recte venit: hic vero et versus repudiat, neque sententia desiderat. *Bent.* quem sequitur Bip. Both. 'Non sufficiunt, cur omiserit Bent., causæ adlatæ.' *Perl.* '*In jus*] Muretus, Var. Lect. III. 3. existumat, Histrionis esse verba, non Poëtæ; quod nimirum versus per has voces pede abundet. Et Guyetus in ἀνεκδότοις glossema vocat.' *West.* *Odiosi esse* Both.—47 *Dotatis etiam* Both.—48 *Hic* abest a Guelf. 3. *viri* GM. *Quid id hem* Guelf. 3.—50 Abest *clam* a Guelf. 2. *educavit* M. *educit* Mur. quia 'veteres *educere* dixerunt, quos nos *educare.*' Guelf. 1. *educabat.*—53 *Fabula*

Argentum, quod habes, condonamus te. PHOR. Audio.
Quid vos, malum! ergo me sic ludificamini,
Inepti, vostra puerili sententia?
Nolo, volo: volo, nolo rursum: cedo, cape.
Quod dictum, indictum 'st; quod modo erat ratum, irritum est.
CHRE. Quo pacto, aut unde hæc hic rescivit? DE. Nescio;
Nisi, me dixisse nemini, id certo scio.
CHRE. Monstri, ita me Di ament! simile. PHOR. Injeci scrupulum. DE. Hem!
Hiccine ut a nobis hoc tantum argenti auferat,
Tam aperte irridens? emori hercle satius est.
Animo virili præsentique ut sis para:
Vides tuum peccatum esse elatum foras;

a nobis habes, tibi remittimus, et concedimus liberationem jus obligationis. PH. *Audio: acquiesco vestræ sententiæ: quid ergo, malum! me sic per lasciviam ludi- tis, stulti, levibus, instar puerorum, promissis? nolo, volo: volo, nolo rursum: cedo, cape: quod modo probatum et fixum erat, statim improbatum est.* CH. *Quo modo, aut a quibus istud inaudivit, et scire potuit?* DE. *Ignoro: unum scio, nulli homi- num me hoc secreti detexisse.* CH. *Istud, ita Dii mihi faveant, prodigii instar est.* PH. *Injeci scrupulum hominibus.* DE. *Hoccine fiet, ut a nobis hanc ingentem summam pecuniæ extorqueat? mori, per Herculem, omnino, potius est: ostende ergo te animosum, et fortem, sicut virum decet. Cernis culpam tuam in vulgus de-*

Guelf. 2.—54 *Argento* Guelf. 1. *tibi* Guelf. 2. 3.—55 *Sic me* Both. tacite.—56 *Ut pueruli* Both.—57 O. fere l. et in iis Bem. *cape, cedo.* Fa. Duo tantum ex nostris *Cape, cedo.* Placet tamen, quia rei gestæ ordinem servat. Quippe prius dederant minas triginta, nunc repetunt. *Bent.* quem sequitur Bipont. Both. *Cede, cape* GM.—58 *Ratum* omnino acui debebat. Repone igitur, *Quod dictum, indictumst; quod modo ratum erat, inritumst.* Bent. *Modo quod erat ratum* Both. tacite; *id irritum* Bod. EP. Br.—59 *Hic hæc* Both. tacite, et sic Br. GM. 'invenuste.' *Perl.* Guelf. *hic hoc.*—60 Alii libri scripti habent, *id nemini:* solus Bem. non habet *id*, quod et placet, ut ex superioribus subaudiatur *hæc.* Fa. Duo ex nostris cum Bem. consentiunt, placet tamen, *id certo scio;* ut in *Nemini* ultima liquescat; neque eo minus subaudietur *Hæc.* Bent. *Id nemini* GM. Br.—61 *Simile est* Br.—62 Videsne *Tantum* quod in primis acuere auctor debuit, in Thesi conticescere. Lege ex nostris fere omnibus: *Hicine ut a nobis tantum hoc argenti auferat.* Bent. quem sequitur Both. Br. Perl. *argentum* omisso *hoc* Guelf. 3. *hoc* omittit Guelf. 1.—65 Alii, *Esse delatum.* M. *Jam esse latum.* Guyetus in Scholiis Mss. *Essed elatum:* uti *Me- derga*, aliaque. *West.* Omnes l. s. hoc ordine collocant, *peccatum tuum:* ita non oporteret ex *tuum*, quicquam elidere: aliqui libri recentiores habent, *jam esse elatum:* Bem. *esse delatum;* quod ita recipiendum est, ut *d* sit medium duarum vocalium, ut in *med erga.* Fa. *Vides peccatum tuum esse delatum foras: D* addi ad hiatum supplendum, præsertim post vocalem brevem, et Terentio et Faërno indignum est. Nostri universi *esse elatum;* ut Adel. IV. 4. 15. 'Quod minume est opus usquam efferri;' hoc est, *Divulgari.* Lucilius

Neque jam id celare posse te uxorem tuam.
Nunc quod ipsa ex aliis auditura sit, Chreme,
Id nosmet ipsos indicare, placabilius est.
Tum hunc impuratum poterimus nostro modo
Ulcisci. PHOR. Atat! nisi mihi prospicio, hæreo.
Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.
CHRE. At vereor, ut placari possit. DE. Bono animo es.
Ego redigam vos in gratiam, hoc fretus, Chreme,
Cum e medio excessit, unde hæc suscepta 'st tibi.
PHOR. Itane agitis mecum? satis astute aggredimini.
Non hercle ex re istius me instigasti, Demipho.
Ain' tu? ubi peregre, tibi quod libitum fuit, feceris,
Neque hujus sis veritus, fœminæ primariæ,

latam esse, et manifestatam; neque te eam uxori tuæ occultare jam posse: nunc illud commodius et validius erit ad placandam Nausistratam, si illi referamus nos- met ipsi, quod alii ei nuntiaturi sunt: hoc pacto etiam de hoc flagitioso, et omni sce- lere contaminato, nostro arbitrio ultionem sumere poterimus. PH. *At, at, nisi saluti meæ caveo, in ea difficultate involvendus et implicandus sum, ut inde ægre me expediam. Hi tanquam Gladiatores adversi in me tendunt, audaci et pertinaci ad exitium meum animo.* CH. *At metuo ut Nausistrata mitigari et sedari possit.* DE. *Securus esto; ego vos in concordiam reducam, et in gratiam reconciliabo, hoc confisus quod hæc mulier e vivis abiit, ex qua hanc virginem suscepisti.* PH. *Itane vos igitur erga me geritis? Satis me callide adorimini scilicet. Per Herculem, Demipho, non est utile isti Chremeti nec commodum, quod me irritasti. An tu vero, Chreme, postquam peregre in Lemno agens libidini tuæ satisfeceris, nec te*

apud Nonium v. Committere; *Nec mysteria ecferres foras.* Sic alii passim. At Bem. corrector, de versu magis quam de sententia sollicitus, *delatum* de suo dedit. Quantilla opera utrique melius consulitur? *Vides peccatum tuum hoc esse elatum foras.* Bent. *Esse latum* Br.—66 'Nostri plerique *Neque id jam:* lege *Neque jam celare id.*' Bent. et sic Both. Perl.—67 Bem. *auditurast;* sed versus laborat, nisi vel duæ primæ dictiones, facta dialysi in *quod*, constituant dactylum, vel ejus dictionis postrema littera elisa, deinde vocali per synalœphen abjecta, in prima sede sit spondeus, in secunda vero, non facta vicissim synalœpha in sequentium dictionum vocalium concursu, Iambus. *Fa.* Nostri *auditura sit*, versu ipso jubente. *Bent.* *Quod ea* Both. *auditurast* Zeun. —68 Tacite *ipsos* Bent. Zeun. Both. omittunt.—70 Hiat versus contra artem et Nostri morem. Repone *atattat nisi.* Bent. *Ulciscier* Both.—74 Witt. Guelf. 2. *excesserit:* mox distinguit Bent. sic, *satis astute: adgredimini:* 'ubi *satis astute* Ironia est.' *adgredimini me* M.—77 Palmerius cum Bod. Witt. M. EP. *Ain tu tandem:* et sic Br. et Ms. R. et V. C. apud Lind. 'In Bem. ita legitur: *Ain tu? ubi quæ libitum fuerit peregre feceris.* quod et numerosius, et sermoni cotidiano accommodatius est. *Fa.* Bem. hic recte: nostri mendose: *Ain tu tandem, ubi peregre tibi quod lubitum fuerit feceris.* Cave vero pro *Ain tu*, cum quodam substituas *An tu.* Cur hoc? Quia nihil præcessit, inquit, ad quod referatur.' *Bent.* 'Lectionem Bem. quidam editi exhibent.' *West.* et sic Bip. Zeun. *ubi, quæ fuerit lubitum, peregre feceris* Both.—78 Novum tamen videtur, *Veritus* jungi genitivo. Guyeto in Scholiis Mss. *Hujus* glosse-

Quin novo modo ei faceres contumeliam;
Venias nunc precibus lautum peccatum tuum?
Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo,
Ut ne restinguas lacrymis si exstillaveris.
DE. Malum, quod isti Di Deæque omnes duint!
Tantane affectum quenquam esse hominem audacia?
Non hoc publicitus scelus hinc deportarier
In solas terras? CHRE. In id redactus sum loci,
Ut quid agam cum illo, nesciam prorsum. DE. Ego scio:
In jus eamus. PHOR. In jus! huc, si quid lubet.

quicquam puduerit fœminæ uni ex primariis novo modo facere injuriam, nunc venias purgatum precibus flagitia tua? Talibus ego illam dictis ita inflammatam ira in te reddam, ut ne restinguas, etiam si totus lacrymis liquefactus stillatim fluas. DE. *Malum, quod Dii Deæque omnes a nobis avertant, et in istum vertant! An quisquam tanta audacia præditus inveniri potest? Nonne hæc pestis, hic scelestus dignus est, qui publico decreto in extremas et desertas terras amandetur?* CH. *In eo statu situs sum, ut ignorem omnino quomodo mihi agendum sit cum illo.* DE. *At ego non ignoro. In jus, ad Prætorem eamus.* PH. *In jus? in hanc Chremetis*

ma videtur, putanti, Nonio Marcello posterius esse, quod is, si apud Teren-
tium legisset, omissurus non fuisset. *West.* *Huic* Both. *sit* Guelf. 2.—79
Bem. habet *contumeliam:* quod et usitatius est cum verbo *facere*. omnes vero
quotquot sunt libri scripti verba sic ordinant, *quin novo modo ei:* qua lectione
admissa, versum ita sustentamus, ut in *novo* subtracta littera *u*, quemadmo-
dum in *invidia*, duo *o* in unam syllabam coëant: *ei* vero sit spondeus, ut sæpe
apud antiquos poëtas. *Fa.* Nostri *contumelias:* cetera recte. *Bent.* *Novo
modo quin faceres* Both. *Contumeliam*] Ita præstat legere, quam quod est in
quibusdam Codicibus, *Contumelias.* Eun. v. 2. 27. Plaut. Asin. II. 4. 82. 'Tu
contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?' *West.* Guelf. *hujus* pro gl.—80
Veneas pro var. lect. cum gl. *vendas* GM. et sane Br. *Veneas* cum gl. *vendas:*
mox 'nostri plerique, *nunc mihi precibus:* unus, *mihi nunc precibus:* alter,
mihi precibus nunc: tolle illud *nunc*, quod et sedis incertæ est; et nihil sen-
tentiæ confert; et lege, quod Comicum et ex medio sumptum est, *Venias mihi
precibus lautum peccatum tuum.*' Bent. Sequitur Perl. *nunc mihi precibus* V. C.
apud Lind. Guelf. 2. Br. *nunc lautum precibus* Both. tacite.—81 *Hic ego* Guelf.
1. 'Palmerio et Pareo *Hisce* verbum est, ab *Hisco.* Ut sensus sit, *Hisce*, h. e.
mutire incipe, si quid audes. Mihi hæc acutiora videntur, quam par est.' *West.*
—82 *Distillaveris* V. C. apud Lind.—83 H. v. e Plauto interpolatum delet
Both.—85 *Nonne hoc publicitus*] Τὸ *ne* non est in Bem. ita restat nuda negatio,
quæ per interrogationem prolata expressionem habet indignitatis, ut, 'Non
hæc o Palla dederas promissa parenti.' *Fa.* Nostri omnes *Nonne.* Nihil
interest. *Bent.* *Nonne* Br.—86 Guyeto in glossis Mss. *In id* glossema viden-
tur, substituenti, *Eo redactus sum loci.* West.—87 Quinque nostri *ex illo*, non
cum illo. Deinde illud nota, quod Faërnus ex Bem. dedit, *Nesciam prorsum.
Ego scio.* ubi *Prorsum*, quod semper apud Nostrum alias, et suo jure debet
acui, in Thesi deprimitur. Unus ex nostris, *Prorsus nesciam.* Repone, *Ut
quid agam ex illo prorsus nesciam. Ego scio.* Bent. quem sequitur Both. *ex illo*
GM. *prorsus* Br.—88 *In jus eas.* PH. *In jus?* Both.—89 *At sequere* Guelf. 3.

DE. Assequere, ac retine, dum ego huc servos evoco.
CHRE. Etenim solus nequeo: accurre huc. PHOR. Una injuria'st
Tecum. CHRE. Lege agito ergo. PHOR. Altera est tecum, Chreme.
DE. Rape hunc. PHOR. Itane agitis? enimvero voce 'st opus.
Nausistrata! exi. CHRE. Os opprime. DE. Impurum vide,
Quantum valet. PHOR. Nausistrata! inquam. CHRE. Non taces?
PHOR. Taceam? DE. Nisi sequitur, pugnos in ventrem ingere.
PHOR. Vel oculum exclude: est, ubi vos ulciscar probe.

domum, si libet istud. DE. *Chreme, hunc assequere, et contendentem ad domum tuam retrahe, atque inhibe, dum ego huc servos accieo.* CH. *Huc accurre, nam solus ego hunc retinere non possum.* PH. *Una mihi tecum injuriæ actio est, pro contumelia quam mihi facis, Demipho.* CH. *Lege age igitur.* PH. *Altera est tecum, Chreme.* DE. *Rape hunc in jus renitentem.* PH. *Itane male mecum agitis? certe opus est ut clamitem: Nausistrata, foras egredere.* CH. *Occlude os illi.* DE. *Vide quantum roboris et virium flagitiosus habet.* PH. *Nausistrata, inquam, te voco.* CH. *Non taces?* PH. *Cur taceam?* DE. *Nisi sequitur, pugnis huic ventrem tunde, vel oculum exsculpe.* *Est mihi occasio et facultas vos ulciscendi probe.*

'Bem. asyndeton profert: et pro *hinc*, et is liber, et Vict. habet *huc:* hoc mo-
do: *Adsequere ac retine dum ego huc servos evoco.*' Fa. 'Nostri omnes, *ac retine:*
duo *huc*, non *hinc.*' Bent. '*Hinc servos* Ms. R. et vett. Codd.' *Lind.* *Asse-
quere, retine dum huc ego* Bip. *Ads. ret. d. ego huc* Both. 'Magna pars Mss.
et impress. post EP. *voco.* Bod. *invoco.*' West. *Voco* Br. *advoco* Guelf. 1.—
90 *Hem solus* Guelf. 3. 'Bem. Bas. et Vict. et aliqui alii, ac Donatus, pro *et-
enim, enim* habent: soli vero ii duo antiquissimi libri, id est Bem. et Vict.
huc non habent: ita stat versus, transeunte tamen hujus prima syllaba in ul-
timam præcedentis.' *Fa.* 'Nostri omnes cum Edd. vett. *Enim solus nequeo:
accurre huc. Una injuriast.* Utrumque versui satisfacit: placet tamen poste-
rius.' *Bent.* et sic 'Popma ad Plaut. Epid. v. 2. 36. quod 'enim' ve-
teribus etiam initio sententiæ adhibitum. estque in Mss. plusculis, et editis
nonnullis veteribus. Sic Hec. II. 1. 41.' *West.* et sic Bip. Both. Br. mox *huc*
omittit Bip. *est mihi* Guelf. 3.—91 Recte vidit Daceria, verba, *lege agito
ergo*, esse Demiphoni tribuenda. Etenim Phormio verba *una injuriast tecum*
dixerat ad Demiphonem accurrentem et retinentem. Ergo probabile est,
eundem Demiphonem respondere *lege agito.* Z. sic quoque cum Codd. qui-
busdam voluit West. 'DE. *Agito lege ergo*' Both. tacite.—92 Bem. *sic agi-
tis*, ut et versus exposcit. *Faërn.* Nostri omnes *Itane*, versu patiente. *Bent.
Sic agitis* Bip. *voce enimvero est* Both.—95 'Guy. in *ἀνεκδότοις ni sequitur.*'
West.—96 GM. *oculos*, mox Rivius laudat Codd. qui Demiphoni hæc verba
tribuunt. Magna Codicum pars, *Vel oculum exsculpe.* West. Omnes l. s.
præter Bem. *exclude* habent; quam et veram arbitror lectionem; est enim
antiqua locutio, *excludere oculum.* Plautus in Pœnulo: 'Excludito mihi het-

cle oculum, si dedero.' *Fa.* *Exsculpe* Par. Bip. quo teste ed. Arg. *excute*: mox 'plusculi Codices, *Est, ubi vos ulciscar, locus.* Et ita citat Priscianus lib. XVI. Ms. Witt. *Est, ubi vos ulciscar, mihi modo locus.*' West. 'In Bem. legitur *ulciscar probe.* non enim de loco, quem non erat mutaturus, est sermo; sed de facultate, quam habebat ulciscendi senes.' *Fa.* 'Nostri *exclude;* et pro *probe, locus,* et sic Priscianus p. 1029. Placet Bem.' *Bent.* *Locus* Br. Perl.

ACTUS V. SCENA VIII.

NAUSISTRATA. CHREMES. PHORMIO. DEMIPHO.

NAU. QUIS nominat me? CHRE. Hem! NAU. Quid istuc turbæ 'st, obsecro,
Mi vir? PHOR. Hem! quid nunc obticuisti? NAU. Quis hic homo 'st?
Non mihi respondes? PHOR. Hiccine ut tibi respondeat,
Qui hercle, ubi sit, nescit? CHRE. Cave isti quicquam creduas.
PHOR. Abi: tange: si non totus friget, me enica.
CHRE. Nihil est. NAU. Quid ergo est? quid istic narrat? PHOR. Jam scies:

NA. Quis me vocat? CH. *Hem!* NA. *Quis iste tumultus? quæ rixa? quæso, mi vir, dicito.* PH. *Hem, quid nunc obmutuisti?* NA. *Quis hic homo est? nihil respondes?* PH. *Quomodo tibi respondeat iste, qui per Herculem ita attonitus est, ut in quo loco stat, non cognoscat?* CH. *Vide ne isti quicquam credas.* PH. *Accede ad illum, tange: si non totus frigore riget, nihil causæ dico, quin me occidas.* CH. *Nihil est.* NA. *Quid ergo est? quid iste recitat?* PH. *Jam disces,*

Qui Bent. tacite.—2 Plures l. s. *obstupuisti,* ita et Vict. et Bem. sed hic per *i* in secunda syllaba hoc modo *obstipuisti.* sane hoc non 'Admiratus es' exponemus, sed 'Stupidus, et quasi saxeus effectus es præ timore.' ceterum in versu dimetiendo, vel ex vir *r* elidendum, vel ex *hem m:* quamvis consonans consequatur: vel legendum, ut in Vict. et Bas. *ehem.* Fa. Nostri *Ehem,* et ex illis duo *obstupuisti.* Porro lege *Qui hic,* non *Quis hic.* Bent. *Qui* Both. Perl. *obstipuisti* Bip. Both. Perl. *hic nunc* Guelf. 2.—3 *Hiccine queris* Guelf. 1. 'Guy. in Scholiis ineditis delet *tibi.*' West.—4 Legendum *creduas,* nisi quis Iamb. trimetr. catalect. facere velit: quod non placet: in isti autem haud dubie *s* elidendum. *Fa.* Libri quidam *credas;* sed versus ipse jubet *creduas.* Bent. *Credas* Zeun. Br.—6 *Quid ergo est*] Bem. non habet *est,* quod nec necessarium videtur: a superiore enim repetitur. *Fa.* *Quid ergo? quid istic narras?* Nostri omnes *est;* et nonnulli *quod istic.* Lege et distingue: *Nihil est. Quid ergo est quod istic narrat?* Bent. *Quod istic* Both. *quod narret* Bruns, probante Perl. quo judice *quod narrat* est 'minus

Ausculta. CHRE. Pergin' credere? NAU. Quid ego, obsecro,
Huic credam, qui nihil dixit? PHOR. Delirat miser
Timore. NAU. Non pol temere 'st, quod tu tam times.
CHRE. Ego timeo? PHOR. Recte sane: quando nihil times,
Et hoc nihil est, quod ego dico, tu narra. DE. Scelus!
Tibi narret? PHOR. Eho tu! factum 'st abs te sedulo
Pro fratre. NAU. Mi vir, non mihi narras? CHRE. At—— NAU. Quid, at?
CHRE. Non opus est dicto. PHOR. Tibi quidem: at scito huic opus est.
In Lemno. CHRE. Hem! quid ais? DE. Non taces? PHOR. Clam te. CHRE. Hei mihi!
PHOR. Uxorem duxit. NAU. Mi homo, Di melius duint!
PHOR. Sic factum est. NAU. Perii misera! PHOR. Et inde filiam
Suscepit jam unam, dum tu dormis. CHRE. Quid agimus?

attente me audi. CH. *Persistisne, uxor, isti credere?* NA. *Quid ego, cedo, huic credam, qui nondum ullum verbum loquutus est?* PH. *Mente errat et insanit præ metu.* NA. *Per Pollucem non sine causa est quod tantum metuis.* CH. *Egone metuo?* PH. *Recte sane: quando ergo nihil metuis, nihilque esse dicis, quod metuere debeas, quæ ego illi mox dicturus sum, tu ipsemet illi recense.* DE. *Sceleste, ex tua voluntate ille recenseat?* PH. *Eho tu, egregie et strenue te gessisti in defendendo fratre, dum me offendis.* NA. *Mi vir, ecquid mihi recitas, quod hic ait?* CH. *At.* NA. *Quid, at?* CH. *Non opus est hoc referre.* PH. *Tibi quidem non opus est ut referatur; sed opus est ut illa resciat. In Lemno cum esset.* CH. *Hem, quid ais?* DE. *An non taces?* PH. *Te ignara et inscia.* CH. *Hei mihi!* PH. *Uxorem duxit.* NA. *Mi homo, non ita est, ut ait: Dii melius esse velint.* PH. *Sic factum est.* NA. *Perii misera.* PH. *Et ex ea genuit jam unam filiam, dum tu secura es, et sola dormis.* CH. *Heu quid agam?* NA. *Proh*

Latine.'—7 In textu *Pergin'? Credes ei,* at in notis sic Both. 'V. satis inepte *Pergin' credere?* 'Pergin' Phormioni dicitur, 'Crederes' Mulieri.'—9 Perl. *Tu jam.*—11 Bent. *Ego quod,* et sic Both. *narro* pro *dico* Guelf. 2.—12 Bem. *Ohe tu.* Fa. Nostri omnes *Eho;* quod placet. Sic enim passim, *Eho, Ehodum.* Bent.—13 Bem. *non mihi dicis.* Fa. Nostri omnes *narras.* Placet *dicis,* quia sequitur *Dicto.* Bent. et sic Bip. Both. Perl.—15 Codd. quidam Mss. et impressi, *Quid agis?* Quæ sæpius inter se permutantur in Codd. veteribus. *West.* *Quid agis* Bent. ex tribus suis: *agis* Both. Perl. Br.—18 *Suscepit etiam hanc* Both. quo judice '*jam* nullam vim habet.' 'CH. *Quid agi-*

NOTÆ

11 *Scelus*] Id est, scelestus. 16 *Duint*] Id est, dent.

NAU. Pro Di immortales! facinus indignum, et malum!
PHOR. Hoc actum 'st. NAU. An quicquam hodie est factum indignius?
Qui mihi, ubi ad uxores ventum 'st, tum fiunt senes.
Demipho, te appello; nam me cum hoc ipso distædet loqui.
Hæccine erant itiones crebræ, et mansiones diutinæ
Lemni? hæccine erat ea, quæ nostros fructus minuebat, vilitas?

Dii immortales, facinus flagitiosum et perniciosum! PH. *Tamen hoc factum est.* NA. *An quicquam hoc tempore factum est turpius, magis ignominiosum ac probrosum, ab homine ullo? Nempe cum ad uxores accedunt, tum mihi fiunt debiles et infirmi senes. Demipho, te alloquor: nam me cum isto sermonem conferre nimium tædet, et fastidiosum est. Hæne erant ideo frequentes profectiones, et diuturnæ Lemni commorationes? hæcne erat vilitas annonæ, quam dictitabat minuere pretia*

mus] Malim hæc [illegible]buere Demiphoni; neque enim quidquam ad ea respondetur. Sed non tam Demipho, quam Chremes tacebat. Est autem formula hominis, qui incertus est consilii. Eun. IV. 7. 41. et V. 9. 51.' *West.*—19 Vict. Vat. et Bas. *miserandum,* at ceteri apud Fa. et Bent. *indignum.* sed et 'B, Hel. *facinus miserandum,* quod minime malum, dummodo secundum id reponas *miserum facinus.*' Both.—20 Sic a Faërno est, qui quod in vett. Edd. invenerat, vel non ausus est mutare, vel non curavit. Atqui omnes nostri codices alias his personas assignant; hoc modo: DE. *Hoc actumst.* PH. *an quicquam hodie est factum indignius? Qui mi ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.* NA. *Demipho, te appello.* Bent. PH. *Hoc actum 'st*] Hæc a Chremete dicta videntur; sunt enim verba animum despondentis. Mss. Leidd. tres cum Tr. tribuunt diserte Chremeti, sed sine interrogandi nota. *West.* quem sequitur Both. Alii id male tribuunt Demiphoni, quos sequitur Bentl. putans esse formulam alias sollennem, *perii, actum est;* cui quis credat præponi *hoc:* et sic melius ea conveniret in ipsum Chremetem: dein *an quidq. . . . senes* Bentl. suos quosdam Codd. secutus perturbate adscribit Phormioni, honestius putans v. 12. dici ab homine, quam a femina. Neque nos id honestius ab illo coram femina dici censemus, quam ab ipsa irata. *Bip.* Demiphoni *Hoc actum est* tribuit A: mox Phormioni Both. tribuit *An quidquam . . . senes,* scripto *Quine* pro *Qui mi.*—22 Guy. in Not. in edit. *med hoc cum.* O. l. s. *nam me cum hoc ipso distædet loqui.* Hoc modo versus, qui ut senarius stare non potest, cujusmodi sunt præcedentes, stat ut trochaic. tetram. catalect. cujusmodi sunt sequentes. *Fa.* Sic et plerique Nostri *cum hoc ipso;* versu tamen respuente. Codex Petrensis *cum hoc isto:* Regius *cum isto.* Repone, *Demipho, te appello: nam me cum isto distædet loqui.* Charisius p. 178. *Dis, valde: Ter. Phorm. Cum hac pol distædet loqui.* Unde hic reponere possis, *Cum hoc pol.* Sed *Isto* potius est: nam, ut Donatus alicubi, *Iste* de eo dicimus, quem contemnimus aut aversamur. *Bent.* quem sequitur Both. *hoc pol* Bip. *nam cum isto* Perl.—23 *Hiccine* Guelf. 2. Donatus Eun. III. 5. 34. *Hæc pro Hæ, ut in Phormione: Hæc illæ erant itiones crebræ.* Ita certe hic legendum: *Illæ itiones;* ut versu sequente *Ea vilitas.* Sic And. I. 1. 100. 'Hæc illæ lacrimæ, hæc illa est misericordia.' *Illæ* sine sententiæ damno abesse hinc non potest. *Bent.* Plusculi Codd. Mss. et editi, *Hæcine.* Sed Donatus ad Eun. III. 5. 34. *Hæccine* etiam legit. *West.*—24 Aliqui libri, inter quos Bem. Vict. et Bas. post *erat,* habent pronomen *ea;* ceterum Bem. Vict. pro *minuebat,* quod respuit versus, habent *minuit:* quod si reci-

DE. Ego, Nausistrata, esse in hac re culpam meritam non nego;
Sed eam, quæ sit ignoscenda. PHOR. Verba fiunt mortuo.
DE. Nam neque negligentia tua, neque odio id fecit tuo.
Vinolentus, fere abhinc annos quindecim, mulierculam
Eam compressit, unde hæc nata 'st: neque postilla unquam attigit.
Ea mortem obiit; e medio abiit, qui fuit in re hac scrupulus.
Quamobrem te oro, ut alia facta tua sunt, æquo animo hoc feras.

fructuum nostrorum? DE. *Ego Nausistrata non inficior culpam in hac re a Chremete merito ejus admissam esse, sed talem, quæ sit condonanda ex omnium sententia.* PH. *Hæc verba in gratiam Chremetis, ad placandam Nausistratam facere, est mortuo verba facere.* DE. *Nam neque id fecit, quod te negligeret et odio haberet, sed vino captus fere sunt anni quindecim, cum mulierculam grav[illegible]fecit; unde hæc virgo genita est, neque postea unquam cum illa rem habuit; [illegible] e vita decessit, morte sublata est, quæ si viveret, difficultates et dissidia afferre posset. Quapropter te obsecro, quæ tua est solita benignitas et facilitas, ut hoc etiam patienter feras.*

pimus, præteriti temporis erit: sane in Bem. ita collocantur verba, *Ea quæ nostros minuit fructus vilitas.* Fa. *Ea* Nostri fere omnes, et *minuebat.* Unus tantum *fructus minuit:* alius *minuebat fructus.* Repone cum Bem. *Ea quæ nostros minuit fructus vilitas.* Ea suavior collocatio est, et magis de more Terentiano. *Bent. Minuit* Ms. R. apud Lind. Bod. Br. *Hæc erat ea, quæ minuebat nostros fructus vilitas* Both. quo judice *Lemni* est glossema. Mox 'Al. *utilitas* mire. Nisi forte ironice.' *Perl.*—25 *Meritum* habent aliqui libri, inter quos Bem. *Fa.* Nostri omnes *meritam;* et sic in textu reliquerat Fa. Nos *meritum,* ut par est, reponimus. Plautus Aul. IV. 10. 8. 'Fateor peccavisse me, et me culpam commeritum scio.' *Bent.* quem sequuntur Bip. Both. '*Meritam* Mss. plerorumque et in editis præstantissimorum est lectio. Alii, in quibus Mss. Leidd. duo, *Meritum,* ut ad Chremetem referatur. Et tuetur Guyetus in ἀνεκδότοις ex Bem. Sic Plaut. Merc. IV. 6. 12. 'Ut illæ exiguntur, quæ in se culpam commerent.'' *West.*—26 Bem. et omnes fere alii *Sed ea:* quod vero sequitur, Bem. ita habet, *quin sit ignoscenda:* et subaudiendum est, negare non poteris: vel, nemo negaverit. atque hanc esse germanam Terentii lectionem, etiam Donatus ostendit, exponens eum locum, *Verba fiunt mortuo:* ubi dicit non esse passum parasitum, ut totam sententiam senex explicaret. *Fa.* Nostri mendose *quæ.* Bent. qui edidit *ea quin,* probante Bip. Both. Perl. *eam quin* Zeun. *ea quæ* EP.—27 *Negligentia neque odio is id* Both. Bem. et Vict. et Donatus, *neque odio id fecit tuo.* numero et compositione meliore. *Fa.* Sic et Nostri *id fecit.* Bent.—28 'V. C. *virolenter.* Lind.—29 *Post illam* EP. Br. GM. *posthac* Guelf. 2.—30 O. l. s. *qui fuit,* et pronuntiative legendum, ut sit sensus, ea sublata est, cujus vita huic rei scrupulum afferret: jure enim posses viro irasci, a quo superducta tibi uxor adhuc viveret. *Fa. Fit* Bip.—31 Bem. Bas. et Vict. *facta tua sunt.* quæ collocatio etiam trochaicum sanat, aliter laborantem. *Fa.* Nostri *Facta tua sunt: Tua facta sunt: Facta sunt tua:* Petrensis *Tua sunt facta.* Repono, *ut alia tua sunt facta, æquo animo et hoc feras. Tua sunt facta,* ut supra v. 8. 39.

NAU. Quid ego, æquo animo? cupio misera in hac re jam
defungier.
Sed quid sperem? ætate porro minus peccaturum putem?
Jam tum erat senex, senectus si verecundos facit.
An mea forma atque ætas nunc magis expetenda 'st, Demipho?
Quid mihi nunc affers, quamobrem expectem, aut sperem,
porro non fore?
PHOR. Exequias Chremeti, quibus est commodum, ire,
hem! tempus est.
Sic dabo! age, age nunc, Phormionem, qui volet, lacessito.
Faxo tali eum mactatum, atque hic est, infortunio.

NA. Quid? me patienter id ferre? utinam in hac tam atroci injuria, omnibus defuncta essem, et libera in posterum; ut desineret, et finem faceret Chremes mihi molestias exhibere; sed quid melius expectem ab illo? An propter ætatem minus eum libidini deditum iri opiner? At jam tum erat senex; si quidem senectus homines a peccando absterrere per verecundiam debet. An mea pulchritudo atque ætas præsens magis quam antea eum alliciet in amorem, Demipho? quid mihi proponis, quamobrem expectem eum ulterius ad libidinem non rediturum? PH. *Exequias funeris Chremetis prosequi si quibus vacat, jam tempus est celebrare. Sic dabo exercitum, et opprobriis expositum. Age, age nunc, si cui libeat, Phormionem irritato; faciam ut tali, atque hic, augeatur ærumna, et calamitate: reconciliemur sane*

' Aut tua facta adeo.' Porro illud nota, in Faërni lectione *æquo animo* pronuntiari; in nostra, alio accentu, *æquo ánimo*: atque hunc verum esse repetitio ipsa probat, *Quid ego æquo ánimo?* Nam, ut sæpe ante dixi, verba repetita eodem semper accentu iterantur. *Bent.* et sic Perl. *Animo hoc æquo* Both. tacite; *animo feras* Br. *animo hæc* GM.—33 Ms. R. apud Lind. *qui sperem*; probant Bent. Bip. Both. Perl. Mox *ætate hac* Bodl.—34 Bent. legit *Non jam tum . . . senex?*—35 Bent. legit *ætas magis nunc*; quem sequitur Both.—36 Iidem duo antiquissimi Bem. et Vict. et Donatus, *quid mihi hic affers*, nec sane aliter stat versus; *mihi* autem una syllaba est. *Fa.* quocum consentit Riv. *adfert* EP. *nunc mi* Both. *nunc id* C. Mox *porro id non* Both. —37 Sunt, qui *Chremetis* legunt, sed præter phrasin Latinam, qua dicebant, *Exsequias ire alicui.* Erat autem hæc formula funerum indictivorum: L. TITIUS. VIXIT. L. TITIO. EXSEQUIAS. IRE. QUOI. COMODUM. EST. JAM. TEMPUS. EST. OLLUS. ECFERTOR. *West.* Multi l. s. inter quos Bem. et Bas. pro *jam* habent *hem*, ita etiam metrica ratione exigente; sed Bem. sine aspiratione. *Fa.*—38 Multi plures libri scripti, et in iis Bem. et Vict. item Donatus non habent posterius *age*, quod et respuit versus, qui debet esse trochaicus, ut ceteri. *Fa.* Et *age* posterius delent Bip. Zeun. Both. Br.—39 In Bem. ita sunt hæc verba, *Faxo tali sit mactatus*: quæ locutio ut usitatior est; Virg. ' Haud sibi

NOTÆ

37 *Exequias ire*] Quemadmodum dicimus Ire inficias, pro Inficiari, sic Ire exequias Antiqui dicebant.

39 *Mactatum infortunio*] Macto,

Redeat sane in gratiam: jam supplicii satis est mihi:
Habet hæc, ei quod, dum vivat, usque ad aurem obganniat.
NAU. An meo merito, credo: quid ego nunc commemorem,
Demipho,
Singillatim, qualis ego in hunc fuerim? DE. Novi æque
omnia
Tecum. NAU. Meriton' hoc meo videtur factum? DE.
Minime gentium;
Verum, quando jam accusando fieri infectum non potest,
Ignosce: orat; confitetur; purgat: quid vis amplius?
PHOR. Enimvero prius quam hæc dat veniam, mihi prospiciam et Phædriæ.

nunc in gratiam: jam satis hæc ultio mihi sufficit. Habet a me hæc Nausistrata quod ei, dum stabit in vita, ad aurem occinat et obmurmuret. NA. *An ita fortasse de eo merueram, ut sic mecum ageret! credo vero. Quid nunc ego minutatim tibi narrem, qualem ego erga eum me gesserim?* DE. *Probe id scio tecum pariter.* NA. *An tibi videor digna fuisse hac contumelia?* DE. *Minime omnium: verum cum hæc illius culpa, criminationibus et increpationibus infecta, reddi non potest, condona illi. Obsecrat, confitetur se deliquisse, postulat ut suam purgationem, et satisfactionem accipias. Quid exigis amplius?* PH. *Equidem, priusquam hæc se ignoscere marito culpam pronuntiet, mihi præcavendum et Phædriæ. Heus,*

---

cum Danais rem faxo, et pube Pelasga, Esse putet;' ita rationi versus incommoda: nam nisi ex *mactatus s* elidatur, stare non potest: nos ergo vulgatam sequemur, ut Donatus. *Fa.* Unus quoque ex Nostris cum Ed. vet. *Faxo tali sit mactatus.* Ceteri fere, *Faxo tali eum mactatum.* Lege ex codice Regio, *Faxo eum tali mactatum atque hic est infortunio.* Heaut. II. 3. 100. ' Ademptum tibi jam faxo omnem metum.' *Bent.* *Sit mactatus* Bip. ' Fortasse rectius *hic infortunio est.*' West. *Hic Chremes est* EP. et sane Br. *Chremes* e gl.—41 *Hæc habet* Both. tacite: *ejus* Guelf. 2.—42 *At meo* Bent. Bip. Z. Both. Perl. Bem. et Bas. *nunc ea*: ita emendatum est et in Vict. *Fa.* Dele *ea* cum tribus Nostris, et versu volente et sententia. *Bent.* At *ea* retinet Bip. Br. *commemorem tibi* omisso *Demipho* Guelf. 2.—43 *Singillatim* Bas. et Vict. at Bem. et aliqui alii *singulatim*: omnes vero illi; *qualis ego in hunc fuerim*: et *singulatim* quidem versus admittit, sicut et *singillatim*, pronomen vero *ego* etiam exigit. *Fa.* *Singulatim* duo Nostri; *ego in hunc omnes.* *Bent.* At *in istunc* Both. tacite. *qualis in istum hunc* Guelf.—44 Ita Bas. et Vict. at aliqui libri, et in iis Bem. *merito hoc meo*, nec aliter stat versus: in quo etiam *meo* monosyllabon est. *Fa.* Etiam Nostri aliquot *merito*. Bent. *Merito* Bip. Both.—46 *Ignosce oranti* Witt. Mox *vis* omittit EP.—47

NOTÆ

verbum est sumtum a sacris. Dictum putant, quasi, magis aucto, id est, augeo; nam priusquam victimam immolarent, thus aut vinum super eam fundebant; unde mactam illam dicebant, quasi magis auctam. Mactare morte, supplicio, damno, infortunio, dicitur per metaphoram.

Heus? Nausistrata, prius quam huic respondes temere, audi. NAU. Quid est?
PHOR. Ego minas triginta per fallaciam ab illo abstuli;
Eas dedi tuo gnato; is pro sua amica lenoni dedit.
CHRE. Hem! quid ais? NAU. Adeon' hoc indignum tibi videtur, filius
Homo adolescens si habet unam amicam, tu uxores duas?
Nihil pudere? quo ore illum objurgabis? responde mihi.
DE. Faciet, ut voles. NAU. Immo, ut meam jam scias sententiam,
Neque ego ignosco, neque promitto quicquam, neque respondeo,
Prius quam gnatum video: ejus judicio permitto omnia;
Quod is jubebit, faciam. PHOR. Mulier sapiens es, Nausistrata.
NAU. Satin' id est? PHOR. Immo vero pulchre discedo, et probe,

Nausistrata, priusquam huic subito incogitans respondeas, audi me. NA. *Quid est?* PH. *Ego minas triginta per dolum a marito tuo per dolum expiscatus sum: eas dedi tuo filio; is pro sua amica lenoni dedit.* CH. *Hem, quid ais?* NA. *Adeone hoc malefactum, et grave delictum putas, si filius adolescens habet unam amicam, cum tu uxores duas habeas? nihil te pudet? qua fronte, nisi ferrea, illum culpæ argues? Responde mihi.* DE. *Faciet ut tibi libuerit.* NA. *Immo jam ut non ignores quid constituerim facere; neque ego veniam do, neque ullo promisso me obligo, neque responso quicquam assevero, priusquam filium meum videro; cum arbitrum omnium controversiarum facio: quod judicabit ratum habebo et confirmabo.* PH. *Sapis, Nausistrata, et recte censes.* NA. *Satisne id tibi hoc est, atque ex æquitate constitutum?* PH. *Immo vero egregie et abunde, supraque omnem spem*

GM. *det.*—48 GM. *respondeas.*—49 Unus ex Nostris *fallacias*, tres *ab isto.* Repone, versu exigente: *fallacias ab isto abstuli.* Sic supra IV. 3. 67. 'Occidisti me tuis fallaciis.' De una techna et fabrica dictum pluraliter. Plautus Mil. III. 3. 2. *Bent.* At *ab illo* delent Bip. Both.—51 Nostri plerique *adeo hoc.* Repone *adeon indignum hoc.* Bent. quem sequitur Both. *adeon indignum tibi* Bip. Br. GM. et Ms. R. apud Lind.—52 *Nam* pro *Homo* GC. —53 Ita optimi Codd. alii *pudet te.* West.—54 *Faciat* Guelf. 1. 2. et Br. *volet.* Mox 'Varie, *Ut jam meam scias* vel *Ut jam meam sciat.*' West. Alii aliter, sed Bem. ita, *immo ut meam jam scias sententiam.* Fa. Nostri *jam meam.* Bent. *Jam meam* Both. Br.—56 O. l. s. *videro*; in dimetiendo autem versu, *ejus* monosyllabum est. *Fa.* Sic Nostri fere omnes *videro.* Bent. *Videro* Bip. Both. Br. GM.—57 Guelf. 2. delet *is.* EP. omittit *es.*—58 *Satis tibi est*] Bem. et omnes alii fere l. s. *satin*, ego puto sic stare versum, ut eliso *n* ex *satin*, et in *tibi est* non facta synalœpha, in prima sede sit tribrachus, in secunda Iambus. *Fa.* Frustra laborat Faërnus de versu constituendo: *Satin ti—bi est*, ut secundus sit Iambus, stare non potest: ne addam, in secunda sede non Iambum, ut ille aliud agens dicit, sed trochæum aut spondeum requiri. Tu repone, personis quoque mutatis; *Quod is jubebit, faciam.* DE.

Et præter spem. NAU. Tu tuum nomen dic quod est.
PHOR. Mihin'?
Phormio; vestræ familiæ hercle amicus, et tuo summus Phædriæ.
NAU. Phormio, at ego ecastor posthac tibi, quod potero, et quæ voles,
Faciamque, et dicam. PHOR. Benigne dicis. NAU. Pol meritum 'st tuum.
PHOR. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata,
Et quod tuo viro oculi doleant? NAU. Cupio. PHOR. Me ad cœnam voca.
NAU. Pol vero voco. DE. Eamus intro hinc. CHRE. Fiat: sed ubi est Phædria,
Judex noster? PHOR. Jam hic, faxo, aderit. Ω Vos valete et plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.


satis factum est; itaque lætus et contentus hinc abeo. NA. *Tu vero dic mihi, quod tibi nomen est?* PH. *Mihine? Phormio nomen est: familiæ vestræ quidem amicus, et tuo filio Phædriæ amicissimus.* NA. *At ego, Phormio, per Castorem posthac, tui causa, quoad ejus potero, et quæ petes, faciamque et dicam.* PH. *Prolixe et liberaliter loqueris.* NA. *Per Pollucem ad hoc meritum tuum me adducit.* PH. *Visne primum hodie facere, quod mihi pergratum erit, et oculis mariti tui molestum atque ægrum?* NA. Cupio. PH. *Ad cœnam me invita.* NA. *Per Pollucem sane te invito.* DE. *Hinc intro eamus.* CH. *Ita fiat: sed ubi est Phædria arbiter, et judex noster?* PH. *Mox efficiam ut præsto sit. Vos valete, et plaudite.*

Calliopius recensui.

Mulier sapiens es, Nausistrata. | NA. *Satin tibi est, Chreme?* CH. *Immo vero pulchre discedo et probe,* | *Et præter spem.* Bent. quem sequitur Both. Bip. Plusculi Codd. *Satis id est?* Alii, *Satin' tibi est?* Malim cum edit. Bergii: *Satin' id est tibi?* West. *Satis tibi est?* Z. Br. *Satin tibi est?* Perl. *Satis* Guelf. 1. 3.—59 Si *Tuum nomen*; tum intulisset *Meumne*, non *Mihin.* Lege ergo cum codice Regio, *Et præter spem.* NA. *Tu tibi nomen dic quod est?* PH. *Min? Phormio.* Bent. quem sequuntur Bip. Both. Perl. *Tu* abest a Guelf. 2. *mihi nomen* Guelf. 2. 3.—60 Abest *hercle* a quibusdam Mss. et impress. post EP. *West.* et sic Guelf. 3.—62 GM. *Faciam et*, GC. *Faciam atque.*—63 *Audiam* Guelf. 2.—64 Guelf. 3. *tui viri.*—65 CH. *Fiat: set ubi est Phædria Judex noster*] Donatus, Ed. vet. et unus ex Regiis Nausistratæ hoc tribuunt: ceteri libri Chremeti. Utrumvis satis commode: malim tamen Chremetis hoc esse; et senem cura ac miseria liberum non sine joco ex Scena exire. *Bent.*

FINIS PHORMIONIS.

VOLUME 3



PUB. TERENTII AFRI

COMŒDIÆ SEX

EX EDITIONE WESTERHOVIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITÆ.

VOLUMEN TERTIUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1824.

NOTÆ VARIORUM

IN

P. TERENTII AFRI COMŒDIAS.

EX EDITIONE AMSTELOD.

1686. 8vo.

NOTÆ VARIORUM

IN

P. TERENTII AFRI COMŒDIAS.

ANDRIA.

ÆLII DONATI V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ, COMMENTARIUS] *Commentarium hunc, qui* Ælio Donato *Oratori urbis* Romæ *adscribitur, sic quidem illius esse censeo, ut integriorem multo eum olim extitisse mea quidem opinio sit ; qualem autem nunc habemus,* Collectanea *potius sive* Excerpta *dicenda esse, quam ipsissimum* Donati *opus. Id quod arguere videntur frequentes asterisci, et quod totiens eadem repetantur, nonnulla etiam parum dilucide explicentur. Quin etiam* Hieronymus *Comment. in Eccles. cap.* 1. *attestatur,* Donatum *præceptorem suum, cum versiculum illum,* Nihil est dictum, quod non sit dictum prius, *interpretaretur ;* Pereant, *dixisse,* qui ante nos nostra dixerunt. *Quæ sane verba in hisce Commentariis nunc minime leguntur. Dein, quæ ex* Probo *et aliis hic adferuntur, quis negaret ea collectoris potius studio, quam* Donati *judicio inserta esse? Præter hunc enim et alios plures certum est in* Terentium *Commentaria edidisse :* Euanthium, *puta,* Aruntium Celsum, Flavium Caprum, Helenium Acronem, Asprum, Probum, Nigidium, *et, si vera lectio,* Adesionem. *De* Euanthio, Rufinus *Grammaticus de Metris Terentianis:* Euanthius in commentario Terentii de fabula, hoc est, de comœdia, sic dicit. *Reliquos* Charisius Sosipater *et* Donatus *ipse in hisce Commentariis laudant. At quidquid sit, contenti simus hoc Catone, qui ex tantorum naufragio solus periculum qualiter qualiter evasit.* Lindenbrogius.

P. Terentii Andria] Aiunt non ita olim scriptum fuisse, sed, *Andria Terentii,* ita ut nomen Fabulæ præponeretur nomini Poëtæ, quia, scilicet, nondum inclaruisset Terentius. Quod et falsum est et nugatorium, ac istis capitibus dignum. Deinde ante hanc Fabulam alias dederat Terentius, quod nemo ante me animadvertit, et uno verbo mox ostendam. Deinde, quid isthuc? Andria Terentii, et Terentii Andria, qui differunt? Ride igitur. Tamen Georgius Fabricius id a librariis neglectum fuisse queritur. Causam, credo, illi præbuerunt excerpta illa Pseudo-Donati, queis ego interdum nihil video insulsum magis. Id quod verum esse ostendam cum in Urbem venero, et locupletem aliquem Typographum mihi nancisci datum fuerit. Neque enim nunc Commentarios scribimus. Grandi ære opus

est, et otio opimo; quæ genera haud facile hic crescunt. *Faber.*

Titulus, seu Didascalia] Pseudo-Donatus *Titulum* vocat, Interpretes Græcorum Poëtarum Didascaliam aut Didascalias appellitant. Olim autem, ut ex scholiis doctorum hominum discimus, ideo Tituli Comœdiis aut Tragœdiis præfigebantur, ut inde lectores scirent quæ dicam modo. Erat ea longe maximæ utilitatis; nam ex eo apparebat quo tempore, qua occasione actæ essent Fabulæ. Ibi Magistratuum nomina, si Archontes illi, sive Ædiles, seu Consules essent, notari mos erat. Earum Didascaliarum plurima, eaque satis expressa, vestigia exstant in priscis illis Græciæ Doctoribus. Sed hoc in primis dolendum, quod ex omnibus illis Didascaliis nulla hodie superest, quæ pro vera et germana haberi possit: nam ne hæ quidem Terentianæ ad nos integræ pervenerunt, id quod facile probare possimus. At quod de Fabulis dico, et earum Didascaliis, id ego de iis tantum Fabulis intelligi velim, quæ ad celebritates dierum festorum, ad Cerealia, ad Megalesia, ad Dionysia, ad Floralia, &c. pertinerent; aliter, nullæ Didascaliæ. Ratio est quod cum approbatione Magistratuum non edebantur omnes Fabulæ. At quæ ad dies festos concelebrandos edebantur, illæ vero in ædibus summorum Magistratuum prius agebantur, quam vilis plebeculæ aures earum recitatione pascerentur. In eam rem Terentius satis idoneus testis esse possit, in Eunuchi prologo, ubi de nescio quo malevolo veteri Poëta, (Lusc. Lanuvino,) sic scribit: 'Nunc quam acturi sumus, Menandri Eunuchum postquam Ædiles emerunt, Perfecit sibi ut inspiciundi esset copia. Magistratus cum ibi adesset, occepta est agi,' &c. Hoc addo etiam: In illis Didascaliis notatum fuisse pretium, quod Poëta ex ærario accepisset, ut ex illis hodiernis excerptis discere est. Interdum in iis quoque honorum mentio fiebat, tæniarum, florum, unguentorum, &c. in Græcia, scilicet, ubi theatricum illud genus honestum; non Romæ. Dein quis Musicæ Modus, seu Nomus, in agenda Fabula adhibitus fuisset. Nomina etiam Actorum, qui Principes Gregis fuissent, in iis signari solebant. Sed cur in his Didascaliis, seu Titulis Latinis, Ædiles Consulibus præponuntur? Quia ludorum publicorum cura ad Ædiles Majores, seu Curules, pertinebat. Consulum tamen iis etiam nomina addita, idque necessario; neque enim anni Romani per Ædiles, sed per Consules numerabantur. Verum de his satis esto: 'Quod dixi minus, id omnes facile viderint.' *Idem.*

Modos fecit] Gall. dicas, *fit la musique de cette Comedie.* Alibi pro, *modos fecit*, scriptum est, *modularit.* Idem.

Flaccus Claudii] Ante Muretum legebatur, *Claudii filius;* pessime. Nam iste Flaccus debuit esse libertus, non ingenuus. Histrionica enim apud Græcos quidem, in honore erat, ita ut et Actores Comœdiarum interdum legationes ad Reges obirent; (in vita Philippi;) Romæ infamis erat, nisi in Togatis, et, ut videor notasse, in Atellanis; quæ probrosæ non erant, aut valde fallor. *Idem.*

Tibiis paribus] De tibiis paribus, imparibus, dextris, sinistris, Serranis, Lydiis, &c. olim egit Donatus, J. Scaliger, P. Victorius, Paulus Manutius, et nuper Salmasius. Isaacus quoque Casaubonus aliquid de isto argumento attigit in illo optimo libello de Satyra et Satyrica. Sed adeo inter se diversa apud eos reperias, ut quamvis ea diu multumque legeris, aliquid tamen semper desideres. Scilicet vidisse et audisse oportuit tibiarum illarum formas, genera, et harmonias; absque eo sit, nihil certi constituas. Contentus itaque magnos viros indicasse per quos aliquatenus in eo negotio proficiatur, hinc abeo, ubi et te et me etiam musico cantu oblectavero.

Ad Palladem Minervam.

Cerebri liquor paterni, Pallas Attica,
Mollis medulla, sanguen et succus Jovis,
Quæ nec deam, nec feminam, matrem cies,
Te, Diva, merito vates sapientem vocant:
Quæ olim tumentes cum videres buccula,
Nitidosque ocellos nimio tendi spiritu,
Irata in undas tibiam projeceris.
O bene, quod illam nigris merseras aquis!
Bene, quod volueras esse nullam tibiam,
At, qui profundo sustulit mersam vado,
Debebat ille consuta gula emori,
Debebat ille Marsyæ fatum oppetens,
Siccasque arenas tabo irrorans viscerum,
Pellem boanti præbuisse tympano,
Tantum illa Doctis tibia concinnat mali.
Salve itaque, o Pallas, unici germen Jovis,
At vos perite, vos perite, tibiæ. *Faber.*

Tota Græca] Nil attinuit dicere, *tota*, et delendum est, ut alibi. Omnes enim Terentii Comœdiæ sunt totæ Græcæ, imo totæ Atticæ, id est, nihil in iis ex consuetudine et moribus Romanorum admistum videas: (nam olim erravit Donatus, qui alicubi tale aliquid sibi animadvertisse visus est:) at pleræque Plauti Fabulæ, etiamsi Græcæ illæ sunt, tamen totæ Græcæ non sunt. *Idem.*

M. Marcello, C. Sulpicio Coss.] Hic dicebatur C. Sulpicius Gallus, ille ipse de quo in vita Terentii apud Suetonium. Ille et ipse est, de quo Cicero in Bruto. Alter dicebatur M. Cl. Marcellus. Utriusque consulatus incidit in annum Urbis DLXXXVII. Ceterum qui hanc Fabulam primam esse inter Terentianas putant, (et sic credi ab omnibus video,) illi falluntur. Annon ita scriptum in Prologo Andriæ est? *In prologis scribundis operam abutitur.* Id ita est. *Abutitur* autem, ut ex Plauto et Jurisconsultis constat, nihil aliud est, quam, *consumit.* Qui autem potest fieri, ut *in prologis scribundis operam suam abuti* dicatur, qui nullam ante Comœdiam scripserit? Falsum itaque est Andriam inter Terentianas Fabulas primam esse. Nil ego istis Didascaliis facile credo, nil Suetonio, nil Pseudo-Donato; at Terentio, alia res. Illi fides debetur, certe ubi de se agit; neque enim decipi potuit; alii potuerunt. An, putas, ipse diceret se plures scripsisse Prologos qui nullam prius Comœdiam edidisset? *Faber.*

In Prologum. Constat senariis Iambicis sive trimetris: ubi in 11. vs. Faërnus et alii τὸ *argumento* τρισυλλάβως legunt, eliso *u* per syncopen, Guyetus transpositione sanat *versum* sicut et in 15. metrum emendat: quando alii primum pedem Bacchium tolerant: *id isti* ◡ – –. Prologis Terentianis non est propositum, ut argumentum fabulæ narretur, sed ut partim studia Poëtæ commendentur, partim criminationibus adversariorum, id est, Luscii Lanuvini sive Lavinii respondeatur. Utraque res singulari Poëtæ ingenio artificioque peragitur. Sed de priore paucis agendum puto. Multum erat commendationis eo tempore in nomine et studiis Poëtæ: itaque Scipiones etiam et Lælii ducebant sibi laudi, si, hanc artem eos coluisse, publice constaret. Hinc et statim magnifice ab initio auditur illud: 'Poëta, cum primum animum ad scribendum appulit;' itemque alterum; 'In his Poëta nomen profitetur suum,' ac ejus generis plura: et

studium quoque tam nobile sæculo commendatur, ac ad ornandos populi mores refertur: 'Nolite sinere per vos artem musicam Recidere ad paucos:' nec dignationis parum inserta opportune sententia habet: 'in medio omnibus Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.' Ingenium et doctrinam suam ne commendare, quamquam actoris voce, ipse videretur, industriæ et studii nomine potissimum censeri voluit: spectatoribus autem et auditoribus omne de successu laboris sui judicium transcripsit. Quæ res inprimis honorifica populo, de modestia insuper Poëtæ et civili animo abunde testabatur: cum præsertim ad æquitatem judicantium, tanquam ad tutissimum adversus maledicos præsidium, se confugere non perfunctorie ubique demonstret: sed et illud non parum ad favorem promerendum potuit: quod non alias se scribendi caussas habere, quam ut delectaret pariter ac prodesset, magna asseveratione profitetur. Nam quod de fame in prologo Phormionis inseritur, ad propositum adversarii pertinet, qui criminando fabulas Terentii hoc efficere studebat, 'ut a studio ad famem rejiceretur:' quod, remota orationis invidia, tale est, sicut de Poëta actor testatur: futurum scilicet fuisse, si crimina adversarii valuissent, 'Ut in otio esset potius quam in negotio.' Actoris etiam laudes, Poëtæ prosunt: præsertim senis, diu ad populum clari, quem, ut auctoritatem sibi in scena tribueret (prol. Hec.) non dedecuit: cum Poëtam ipsum vix quicquam magis, quam dissimulatio auctoritatis, decere videretur. Cæterum, quæ crimini dabantur Poëtæ ab adversariis, hæc fere sunt: primo, quod Græcis suffuraretur, quicquid scriberet; deinde, quod amicorum potius ingenio, quam suo adjutaretur; denique quod tenui oratione et scriptura levi uteretur. Hæc dispersa per prologos, aptius fuerit simul nosci. In primo crimine multa egregia occurrunt: de imitatione, quam furti minime accusari posse, erudite Poëta ostendit. Exempla ponemus ante rationes: quibus, si et multa et antiqua sunt, facile populus acquiescit. Nævium ergo, Plautum, Ennium, veteres denique Terentius ait hoc factitasse, quod vitio Lavinius ipsi dederat. Ita Cicero se defendit: (lib. I. de fin. cap. 3.) 'Quamquam si plane sic verterem Platonem et Aristotelem, ut verterunt nostri Poëtæ fabulas; non male, credo, mererer de meis civibus, sed ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem: sed id neque feci adhuc, nec mihi tamen, ne faciam interdictum puto: locos quidem quosdam, si videbitur, transferam, et maxime ab iis, quos modo nominavi, cum inciderit, ut id apte fieri possit: ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet.' Et quidni liceret, ex aliena lingua in suam transferre quædam, (cum præsertim non exiguæ artis hoc sit,) cum Isocratem ferant, teste Plutarcho, panegyricum suum e Gorgiæ et Lysiæ scriptis, eadem lingua compositis, transtulisse? Proximum est, ut animus imitatoris spectetur: agnosci velit an latere cum imitatur: si dissimulat, furtum videri possit, non imitatio: se autem nunquam hoc non confiteri, ostendit Terentius. Apposite Cicero in Bruto (c. 19.) 'Nec vero tibi aliter videri debet: qui a Nævio vel sumsisti multa, si fateris; vel, si negas, surripuisti. Et M. Seneca suasoria 3. 'hoc' (Nicetis ingenium) 'dicebat Gallio, Nasoni suo valde placuisse; itaque fecisse, quod in multis aliis versibus Virgilius fecerat, non surripiendi caussa, sed palam imitandi: hoc animo ut vellet agnosci.' Adscribam et Plinii verba ex præfatione admirandi operis: 'Scito,' inquit, 'conferentem auctores me de-

prehendisse a juratissimis et proximis veteres transcriptos ad verbum, neque nominatos: non illa Virgiliana virtute ut certarent, non Ciceroniana simplicitate, qui in libris de Republica Platonis se comitem profitetur, in consolatione filiæ, Crantorem, inquit, sequor: item Panætium de officiis: obnoxii profecto animi, et infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, cum præsertim sors fiat ex usura.' Ex his non tantum intelligitur, quid furti nomine suspectandum sit, quid non: sed etiam alia ratio subministratur, quæ non minus ad Terentii defensionem pertinet: qui non audet equidem dicere, se certasse cum Græcis, quos imitatur, (quamquam de successu hujus rei nemo erudite cogitans dubitare velit;) sed *personas quasdam* ait *transtulisse* ex Græcis in Latinas fabulas, et quidem *antequam alius eam materiem præoccupasset*; aut *locum ab alio omissum sibi desumsisse*; aut etiam, *ex duabus Comœdiis, quæ convenere, in unam conduxisse*; aut denique, *argumentum, quod in Græca simplex erat, duplicasse*: hæc omnia scilicet ingenii et artis haud parum luculenta sunt testimonia apud peritos censores: quibus ne approbandam quidem verbosius hanc caussam esse, oratorii vere consilii est, quod censuit. De altero crimine in Vita Poëtæ agitur. De oratione autem sive stilo, in quo sublimius aliquid desiderant, qui nodum in scirpo quærunt, ante diximus, cum judicia veterum adferrentur; et sæpius in posterum dicemus. Nunc illa verba considerari volumus, cum dicit: 'Nam in prologis scribendis operam abutitur, Non qui argumentum narret, sed qui malevoli Veteris poëtæ maledictis respondeat.' Decreverat Terentius, nunquam argumentum in prologo narrare; sed in parte fabulæ, id est, in protasi: quos autem daret prologos, extra fabulam eos constituere. Id enim aptius, et ad venustatem novæ Comœdiæ accommodatius videbatur. Verum quod artis caussa fecit, quæ jubet πάντα ἐν τοῖς πράγμασιν ἐμποιεῖν, id oratorie ad necessitatem retulit: tum ut excusatius suam a maledictis adversariorum famam tueretur, tum ut citra jactantiam, non sine dissimulatione, quæ sæpe pars modestiæ est, a consuetudine τῶν πάλαι προλογιζόντων discederet. Res digna ingenio nostri Poëtæ, nec prætereunda. *Bœclerus.*

1 *Poëta quum primum animum ad scribendum appulit*] Principium factum est a commendatione personæ, quod prudens, quod honestus Terentius. Et honore majore *Poëtam* potius, quam Terentium dixit: ut illum hoc ipso, de quo laborat, nomine ornaret. *Donatus.*

Poëta quum primum] Omnis hujus prologi intentio hoc agit, ut novo Poëtæ veniam paret, et veteri odium: et ut, quam maxime modestum minimeque errantem Terentium probet. *Idem.*

Poëta quum primum animum ad scribendum appulit] Sensus hic est: Proposuerat quidem Poëta noster, ut in Prologis argumenta narraret: sed hoc imputat *Lucio Lavinio* adversario, qui eum facere non permisit, quod proposuerat, maledictis suis ad respondendum eundem provocans. *Idem.*

Appulit] *Appellere* proprie dicitur, cum ex pelago aut freto quis ad litus accesserit. Virgilius: 'Hinc me digressum vestris Deus appulit oris.' *Idem.*

Appulit] In secunda lectione *attulit* fuit: sed *appulit* magis: nam postea sic, *Animum ad uxorem appulit*. Idem.

2 *Id negotî*] Modo pro molestia et cura; non labore. *Donatus.*

3 *Populo ut placerent*] *Ut*, ne non significat; nec est modo conjunctio. *Idem.*

Populo ut placerent] Ut quas fecisset fabulas, eæ populo placerent. *Farnabius.*

Fabulas] Ad *fecisset* retulit *fabulas*, non ad *placerent*. Et est figura syllepsis. *Donatus.*

Fecisset] Bene *fecisset*, non *scripsisset*. Unde et Poëtæ *ἀπὸ τοῦ ποιεῖν*, id est, a faciendo dicti sunt. Sic Virgilius: 'Pollio et ipse facit nova carmina.' *Idem.*

4 *Verum aliter multo intelligit*] Sic Virgilius: 'Major rerum mihi nascitur ordo.' Et: 'Majus opus moveo.' Non enim hoc se elegisse dicit, sed quasi ex ordine ipso natum sibi esse. *Idem.*

Intelligit] Quod credimus plerumque falsum: quod intelligimus, certum est. *Aliter* autem, contra significat. Virgilius: 'Diis aliter visum.' *Idem.*

Verum aliter multo intelligit] Adeo nec præparaverat, nec intenderat quemquam lædere, ut spe falsus, lacessitusque hoc faciat. *Idem.*

5 *Nam in prologis scribundis*] Opera enim, quam in Prologo locatam oportuit ut argumentum narraret, necesse habet abuti, id est, aliter quam instituerat impendere in calumniæ depulsione, ut diluat maledicta malevoli Poëtæ Luscii Lavinii, quem tamen non nominat. Cautum quippe erat, ne quis in theatro proscinderetur. *Farnabius.*

Operam abutitur] De hoc loco actum modo est ad Titulum. *Faber.*

Operam abutitur] *Utimur* fructibus rei, quæ ab amantibus salvo usu nobis subministratur. *Abutimur*, quando deperdimus et rem et fructum. Nam usui est ager, domus: abusui vinum, oleum, et cætera hujusmodi. Cicero: 'Non debet' (inquit) 'ea mulier, cui vir bonorum suorum usum fructum legavit, cellis vinariis et oleariis plenis relictis, putare id ad se pertinere: usus enim, non abusus, legatus est: ea inter se sunt contraria.' Hæc in Top. *Donatus.*

Operam abutitur] Archaice. Plaut. 'Nosque aurum abusos.' Bacchid. Act. II. Scen. 3. 'Hoc argentum alibi abutar.' Persa Act. II. Scen. 2. hoc est, utendo consumam, inquit Turnebus l. I. c. 8. et ab illo Pareus. *Farnabius.*

6 *Qui*] *Qui* valet *ut: ut* narret, *ut* respondeat. *Idem.*

Argumentum narret] Quod vere prologi est officium. *Donatus.*

Qui] Pro *ut:* ergo non est modo pronomen. *Idem.*

Sed qui malevoli veteris Poëtæ] Primum a natura, *malevoli:* deinde a tempore, vel ab invidia, *veteris:* a signo æmulationis, *Poëtæ.* Idem.

7 *Veteris*] *Vetus* plerumque ad laudem; interdum ad vituperationem, ut hic et alibi, *Vetus, veternosus senex.* Idem.

Veteris] Pro cariosi et quasi rancidi posuit, atque ideo malevoli, non criminibus, sed maledictis. Quid autem inter *maledictum* et *crimen* intersit, docet Cicero in Tusculanis. *Idem.*

Veteris] Ratio invidiæ. *Idem.*

Poëtæ] Causa insectationis. *Idem.*

Maledictis] Criminatio adversarii. *Idem.*

Veteris Poëtæ] Quia senex Lucius edebat fabulas, adolescentulo tunc Terentio. Et eleganter, 'Malevoli veteris maledictis:' commendatio Poëtæ a persona adversarii. *Idem.*

Respondeat] Excusatio respondentis, quod non obsistat, sed respondeat. *Idem.*

8 *Nunc quam rem vitio dent*] Utrum, nunc animadvertite: an, nunc vitio dent. Et oratorie quasi multos facit, cum unum supra dixerit. Ut Virgilius: 'Desiste manum committere Teucris.' *Idem.*

Nunc quam rem vitio] Propositio est. *Idem.*

Quam] Qualem. *Idem.*

Vitio dent] Vituperent, culpent. *Vituperare*, est mala vitio dare, et etiam bona. *Donatus.*

Advortite] Legitur et *attendite*. Unde manifestum est, et *advortite*, et *attendite*, non esse plenum, nisi addideris *animum*. Idem.

9 *Menander fecit Andriam*] Narratio est. Et proprie *fecit:* scribit enim Terentius, qui verba adhibet tantum: facit Menander, qui etiam argumentum componit. Sed sæpe ad laudem Terentii: *fecit*, pro eo, quod est, transtulit. *Idem.*

Andriam et Perinthiam] Comœdias Græcas; ab Andro insula Maris Ægæi una Cycladum, et Perintho Metropoli amplissima in ora Propontidis inter Byzantium et Callipolim, Leunclavio Heraclea, hoc est, *Pantiro.* Farnabius.

10 *Utramvis*] Prima scena Perinthiæ pene iisdem verbis quibus Andria scripta est; cætera dissimilia sunt, exceptis duobus locis, altero ad versus XI. altero ad versus XX. qui in utraque fabula positi sunt. *Donatus.*

Qui norit unam, ambas noverit] Omnem rem uno versu noverit. *Id.*

Utramvis] Deest *harum.* Idem.

11 *Non ita dissimili sunt*] Ordo, Ita non sunt. Ergo *ita* subdistinguendum. *Idem.*

Non ita dissimili sunt argumento] *Ita*, pro valde et caute. Potuit enim dici, Quomodo ergo sunt duæ dissimili oratione? *Idem.*

Ita] Ne *Menandrum* culpare videatur, *Ita* adjunxit, quod laudis est. *Idem.*

Sed tamen] Discretio est a superioribus, et est *ἀνακόλουθον*: non enim supra posuit *quidem.* Idem.

Non ita sunt dissimili argumento, sed tamen, &c.] Sic ordinanda verba sunt: (*Ita sunt non dissimili, &c.*) Gallice dixeris: *tant l'intrigue en est semblable, quoy que d'ailleurs le stile et la composition ne se ressemblent pas.* Apud Veteres, *tamen* interdum erat superfluum, aliquando idem valebat ac *modo*, aut *tantum;* id quod observari poterit. *Faber.*

Non ita dissimili sunt argumento, sed tamen] Ex *argumento* eliditur u, per syncopam, ut sit argmento, sicut ex tegumen fit tegmen, ex tegumentum tegmentum, ex salsamentum salmentum. *Faërnus.*

12 *Oratione ac stylo*] *Oratio* in sensu est, *stylus* in verbis. *Oratio* ad res refertur, *stylus* ad verba. *Stylus* non est in tempore, sed prolata oratione. *Oratio* autem est in cogitatione et in prolatu. Orationem in sententiis dicunt esse, stylum in verbis, argumentum in rebus. Ergo in poëmate oratio est. *Donatus.*

13 *Quæ convenere in Andriam*] Apparet non de industria, sed casu esse translata ea, quæ de Perinthia in Andriam eodem sensu iisdemque verbis perscripta fuerunt. *Idem.*

Quæ convenere in Andriam] Unam ergo non duas transtulit. *Idem.*

Quæ convenere in Andriam] Quæ apta et commoda fuerunt in Andriam Latinam, non Græcam, fatetur transtulisse. Sed quare se onerat Terentius, cum possit videri de una transtulisse? Sic solvitur, Quia conscius sibi est, primam scenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto: at in Andria Menandri solus senex est. *Idem.*

15 *Id isti vituperant factum*] *Isti*, ad reprehensionem sumitur personæ: interdum rei reprehensionem significat: ut Virgilius:' 'Quid petis istis?' *Idem.*

Vituperant] Vitium rei parant. *Id.*

In eo disputant] Istud, *in eo*, Gallice vertas: *Et là dessus;* vel, *Et quand ces Docteurs sont sur cette matiere, ils pretendent prouver qu'on ne doit jamais de deux Comedies Greques en faire une Latine.* Faber.

Disputant] Immorantur, calumniantur, argumentantur. *Donatus.*

Id isti vituperant factum, atque in eo disputant] Vel abjecto d ex *id*, ea syllaba per synalœphen eliditur, vel ex *isti* s eliso, prior ejus dictionis syllaba brevis fit: ut primus pes sit anapæstus: vel *vituperant* fit trisyllabum, eliso e, per syncopen: quod aliqui malunt. *Faërnus.*

Disputant] Dissentiunt, ex *dis* et *putant*. Farnabius.

16 *Contaminari*] Proprie *contaminare* est, manibus luto plenis aliquid attingere: et *contaminare* attingere est et polluere. Virgilius: 'Linquere pollutum hospitium,' id est, contaminatum. *Donatus.*

Contaminari] Tangi et relinqui polluta manu, ac per hoc velut fœdari aut maculari, ut ipse ait: 'Ne hoc gaudium contaminet vitam ægritudine aliqua.' *Idem.*

Contaminari non decere] Id est ex multis unam non decere facere. *Id.*

Contaminari non decere Fabulas] T. Livius *contaminare et confundere* una simul junxit, neque id semel, ubi de conjugiis plebeiorum cum familiis nobilioribus egit. Contagitum, contagimen, contamen, contamino. Attago, attagi, attagitum, attagimen, attamen, attamino. Justinus lib. XXXI. 'Nequis illas attaminaret:' id est, *attigeret*, vel, ut hodie dicimus, *attingeret*. Faber.

Contaminari] Commisceri mistas et inter se confusas fœdari. 'Multas contaminasse Græcas, dum facit paucas Latinas:' Prolog. Heautont. 'Ne hoc gaudium contaminetur vitæ ægritudine aliqua.' *Farnab.*

17 *Faciunt næ*] *Ne* quidam corripiunt, et cum interrogatione pronuntiant: quidam producunt. Quorum alii *ne* pro *nec* accipiunt, id est, non. Alii *ne* pro valde, ut: *Ne ego homo sum infelix.* Et Cicero: 'Ne illi vehementer errant.' Et hoc melius: nam statim infert: *Qui cum hunc, &c.* Donatus.

Faciunt ne] Ita scribendum, non *faciunt næ*. Livius, ut opinor, ex Latinis primus, hac particula *næ*, male usus est. Eam quidem millies usurpat Plautus, sed nunquam sine aliquo ex pronominibus adjuncto. Ita et ea usum esse Ciceronem, comperior, *næ tu, næ nos, næ iste, næ vos, næ illi*, &c. Nempe sub Tiberio sua edidit Livius, ut ex eo apparet, quod alicubi dicat, se audivisse de Divo Augusto, &c. At Latinitas, germana illa, inquam, et pura Latinitas, jam tunc retro sublapsa ruebat; quod patrum nostrorum memoria pulcre sensit Victorius, hodie pauci sentiunt. *Faber.*

Faciunt ut nihil intellegant] Est isthuc ex optima illa veteri Latinitate, pro, nihil intelligunt. Cicero et Plautus locis infinitis; et Terent. alibi. *Idem.*

Faciunt næ intelligendo ut nihil intelligant] Hæc particula, *næ*, ubicunque apud auctores invenitur, pro valde, vel pro o quam, non fere in ullo libro nec antiquo nec recenti, per diphthongum scripta invenietur, sed per e purum: itaque etiam legisse et scripsisse videtur Donatus, dicens, 'Hanc particulam ne, hic et correpte cum interrogatione pronuntiari, et producte accipi posse, pro valde:' ubi nulla de diphthongo mentio est, sed tantummodo de correptione et productione syllabæ: quod si quis contendat, hanc particulam Græcam esse; et idcirco Græco more scribendam, negaverim ego mihi liquere an Græca sit: cum præsertim in Latino sermone diversam a Græca significationem obtineat: postremo et Donati auctoritatem et omnium librorum fidem opponam. Cæterum quod Donato melius videtur, *ne*, pro valde accipi, considerent observatores linguæ Latinæ, an ea particula in hac ipsa significatione usurpari possit sine alicujus adjunctione pronominis. Nam et in exemplis ab Donato adductis, et in iis, quæ nos observavimus, hæc particula post se aliquod habet pronomen: ut, 'Ne isti vehementer errant.' Et, 'Ne iste haud mecum sentit:' nec quenquam fallat exemplum Lucilii infra ab Donato adductum, 'Ne in arce bovem discerpsi magnifice, inquit:' nam *ne quem in arce* ex libris scriptis legendum est. *Faërnus.*

Ne] Nimis, multum, plurimum. *Idem.*

18 *Qui cum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium Accusant*] In singulis magna emphasis auctoritatis: sed ordo non est servatus. Ennius namque ante Plautum fuit: sed quod est summæ auctoritatis, Ennium ultimum dixit. *Donatus.*

Qui cum hunc] Terentium, inquit, specialiter accusantes, nesciunt se bonis omnibus maledicere, quos ille imitatur: et argumentum est ab exemplo et auctoritate. *Idem.*

20 *Quorum, &c.*] Cum quibus errare negligenter mavult, quam malevolorum ignobilem sectari curiositatem. *Farnab.*

Negligentiam] Hoc loco, *negligentia* sumitur pro ea scribendi aut disponendi argumenti ratione, quæ sit liberior paulo, et præceptiuncularum secura, ita ut ex duabus interdum Comœdiis id sumas, quod uni conveniat, et tibi ad eam esse aptum videatur. Id enim est de quo agitur in hoc Prologo. *Faber.*

22 *Dehinc ut quiescant*] Recte: nam *quiescere* ille dicitur, qui est insolens et inquietus. *Donatus.*

Porro] In futurum, dixit. *Idem.*

Moneo] Terribiliter dixit. Cicero: *Moneo: prædico, ante denuntio.* Liberatus culpa, etiam terret, alibi etiam criminaturus adversarios. *Idem.*

24 *Favete*] Jam ad auditores convertitur, a quibus favorem captat. *Idem.*

Favete] Quasi dicat, Hoc adversarii faciunt. Vos autem, quod in vobis est, favete. Vos ergo favorem facite. Et *adeste*, non ut absentibus dicit, quippe qui corporibus præsto erant: sed, intenti estote, favete, silete. Sic et pontifices dicunt, *Favete linguis.* Favete verbis. Unde Virgilius: 'Ore favete omnes.' *Donatus.*

Favete] Ritnale. 'Favere linguis. Hoc verbum, non ut plerique existimant, a favore trahitur: sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla mala voce obstrepente.' Seneca de Beata Vita cap. XXVI. 'Quod multo magis,' &c. *Farnabius.*

Adeste] Animis, scilicet, auxilium, præbete: ut advocatus reo dicitur adesse. *Donatus.*

Æquo animo] Ab honesto. *Et rem cognoscite.* A justo. *Cognoscite.* Pernoscite. Sic dixit, *Cognoscite ut pernoscatis*, quemadmodum in Hecyra: 'Orator ad vos venio ornatu prologi, Sinite exorator sim.' *Idem.*

Rem cognoscite] Interpretes non notant, hoc verbum esse proprium fori et judiciorum; neque id hic tantum, sed et in Prologo Eunuchi, et alibi; sic, *cognitio*, et *cognitor*; Horatius, Cicero, Plinius Secundus; 'aderam in cognitione,' &c. *Faber.*

25 *Ut pernoscatis*] Ab utili. *Donatus.*

Ut pernoscatis] Alii ex Ms. *Ut pernoscat is*, id est, Poëta. *Farnabius.*

Spei] *Spes*, et *sperare*, verba sunt mediæ significationis, id est, quæ nec bonum significant nec malum. *Sperare* enim, est proponere sibi aliquid eventurum, qualecunque illud sit. Et errant graviter omnes omnino Grammatici, et quotquot viderim figurarum Rhetoricarum tractatores, qui dicant esse catachresin (seu abusionem) in hoc Virgilii versu: 'Hunc ego si potui tantum sperare dolorem;' et apud impurissimum Satyrographum: 'Quartanam sperantibus ægris.' Nulla ibi catachresis est: ἔλπις enim, et ἐλπίζω, sic apud Græcos sumuntur; quod latissime ad ma-

jorem Terentium ostendam. Hæc res tamen minus observata effecit ut permulti antehac erraverint, hodieque errent, in explicatione versus illius, qui hunc Prologum claudit; de quo jam. *Faber.*

Relliquum] Sunt qui pro *relliquorum* accipiunt: ut sit sensus, De hac fabula sumite specimen, ut sciatis an cæteræ vobis spectandæ sint. Nam postmodum dictum alio prologo, 'Alias cognostis ejus, quæso hanc noscite.' *Donatus.*

Relliquum] Quasi diceret, Postremum: ergo adverbium est, id est, τὸ λοιπόν. Sed sive hoc *relliquum* dicit, sive *relliquum* pro *relliquorum*, geminato *u* scribitur. *Idem.*

26 *De integro*] Utrum denuo, an ex integris Græcis? *Idem.*

Quas faciet comœdias] Syllepsis, ut supra, ad verbum enim *faciet* declinavit, non ad *spectandæ sint*. Idem.

27 *Spectandæ*] Proprie, ut fabulæ, id est, probandæ. *Idem.*

Spectandæ an exigendæ sint vobis prius] Τὸ *exigere*, est explodere, exsibilare, ut in Prologo Hecyræ, 'Novas qui exactas,' et alibi: at, τὸ *prius*, significat potius. Itaque Paræi explicatio, ea vero nullius est pretii. In nota superiori fontem ipsum erroris aperui. Quod autem quidam dicunt de Judicibus Fabularum, id sane verum est; et tres, quatuor locos ex Aristophane in eam rem aliquando producam. Sed hoc quidem loco, de illis Judicibus non agitur. Addit enim Poëta (*vobis*). Ergo non illis quinque Judicibus queis usus in Græcia fuit, non Romæ. Illud etiam (*prius*,) de quo supra, possit et in sensu recepto sumi; ut prius explosa fuerit Fabula quam spectata; quod ipsum et Terentius ipse sibi interdum evenisse testatus alicubi est. *Faber.*

Exigendæ] Excludendæ. *Donatus.*

Exigendæ sint vobis prius] Excludendæ, quia displicent, ex mente ipsius Terentii, qui suæ ipsius sententiæ promus condus opt. v. Hecyræ Prolog. 'Novas qui exactas feci ut inveterascerent,' et mox, 'Partim sum earum exactus: partim vix steti:' ut ut Pareo placet *examinandæ*, a Censoribus scilicet, qui Athenis constituti de Comicis et Comœdiis judicandis. *Farnabius.*

ACTUS I.

Scena i. Versus sunt trimetri iambici. Undecimus, ut sustentetur cretico, nihil opus est: nam vel trisyllabum contractione fit τὸ *serviebas*, vel, antique, *servibas* legitur. Quintusdecimus levari potest, si τὸ *et* in finem præcedentis rejiciatur, et τὸ *fuisse* δισσυλλάβως legatur. Decimus nonus incipit a proceleusmatico: præcipuus labor in 25. quem duris remediis plerique (vide Faërnum) Guyetus emendatione sustentant. In 38. τὸ *ut*, etiam nostri Mss. tres constanter retinent: *ita ut facillime:* ut creticus sit loco quarto. De 39. ita Priscianus lib. i. 'Apud Latinos hoc idem u invenitur pro nihilo in metris, et maxime apud vetustissimos Comicorum, ut Terent. in Andria: 'sine invidia laudem invenias et amicos pares.' Est enim iambicum trimetrum, quod nisi, *sine invi*, pro tribracho accipiatur, stare versus non potest:' sed melior est emendatio, quam post alios Guyetus secutus est: juxta Prisciani observationem potuisset, et a proceleusmatico incipere: *sine invidi-a lau- &c.* In 52. pro *dein*, Ms. Academiæ Argentoratensis et uterque meus habent *dehinc.* In vs. 66. pro *ejusmodi*, Ms. Acad. Arg. et meorum alter, habent *hujusmodi:* in iisdem vs. 67. abest τὸ *tamen:* ita enim legitur: *nam qui cum ingeniis conflictatur hujusmodi neque commovetur animus in ea re tum scias, &c.* In priori inquam codice prima manu erat *tum:* quod postea aliquis in *tamen* mutavit: ita tamen ut pristinæ lectionis vestigia cernantur. In 76. tres nostri Mss. habent: *Quid igitur obstat cur n. v. f.* testaturque Faërnus in omnibus libris post *quid* τὸ *igitur* reperiri, præterquam in Vaticano et Basilicano, quorum auctoritatem metri causa ipse secutus est. Vs. 93. *vultu adeo modesto, adeo venusto, &c.* consensu codicum merito retinetur, quamquam Priscianus l. xiv. legat: *adeo modesta, adeo venusta, &c.*

Hanc scenam, illustris et bonæ narrationis exemplum habere, omnes vident, et Cicero indicavit, i. de Invent. 19. et ii. de Orat. 80. Non parum autem ornatur narrantis moribus, quos Poëta valde conspici voluit. Τὸ ἐγκατάσκευον καὶ ἐνδιάσκευον τῆς διηγήσεως admirabile est: conseruntur omnia causis, et probabili rerum consecutione; ornantur figuris, invalescunt sententiis, asseverantur moribus, illustrantur evidentia, prout partes negotii apposcunt: ut cæcus, certe ineruditus sit, qui in ipso limine ῥητορικὴν δύναμιν nostri Poëtæ non animadvertit. Etiam ubi ἁπλῶς narrare videtur, figura simplicitatem attollit, aut tractatu ornatuque vicino permutat. Ut in illis: *placuit: despondi: hic nuptiis dictus est dies:* τὸ σύντομον τῆς λέξεως, et expedita absolutio, cui dissoluta oratio servit, vires et gratiam addunt. Ita, cum sequitur, 'Fere in diebus pauculis, quibus hæc acta sunt, Chrysis vicina hæc moritur,' simplicitas narrationis, Sosiæ ἐπικρίσει ἐπιφωνηματικῇ excipitur: in qua eo plus figuræ est, quo minus sequitur quod conjecerat, expectatam rem fecit, dum errorem suum spectatoribus tradit; non statim, nec simul, sed dispensato senilis narrationis artificio postea opportune dissolvendum. Legi omnino hic debent verba Ciceronis ex ii. de Orat. ubi ostendit non omnem narrationem debere brevem esse. 'Ut illa,' inquit, 'nam is postquam excessit ex ephebis, quam longa est narratio? mores adolescentis ipsius, et servilis percunctatio, mors Chrysidis, vultus et forma, et lamentatio sororis, reliqua, pervarie jucundeque narrantur. Quod si hanc brevitatem quæsisset, 'effertur, imus: ad sepulcrum venimus: In ignem posita est;' in his decem versiculis totum conficere potuisset: quamquam hoc ipsum, 'effertur, imus,' concisum est ita, ut non brevitati servitum sit, sed magis venustati. Quod si nihil fuisset, nisi, 'in ignem posita est,' tamen res tota cognosci facile potuisset, sed et festivitatem habet narratio distincta personis, et interpuncta sermonibus: et est probabilius, quod gestum esse dicas, cum, quemadmodum actum sit, exponas: et multo apertius ad intelligendum est, si sic consistitur aliquando ac non ista brevitate percurritur.' Sed faciendus est annotandi modus. *Bœclerus.*

1 *Vos isthæc*] Cavendum tibi est ab explicatione Thomæ Farnabii, qui nuper Terentium in Britannia edidit. *Isthæc* enim haud dubie sunt opsonia, olera, pisciculi, &c. *Curare* autem sæpe verbum est ad culinam pertinens, et in illo genere proprium. Terent. Plaut. *Faber.*

Vos isthæc intro auferte] *In hac scena hæc virtus est, ut argumenti narratione actio scenica videatur, ut sine fastidio longus sermo sit, ac senilis oratio.* Donatus.

Vos isthæc] *Hæc scena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabulæ jaciuntur: ut virtute Poëtæ, sine officio prologi, vel θεῶν ἀπὸ μηχανῆς, et periocham comœdiæ populus teneat, et res agi magis, quam narrari videatur.* Idem.

Vos isthæc intro auferte: abite] Molliter retenturus et experturus Sosiam, imperat ut remaneat: addit etiam causam aliis abeundi, dicendo *Isthæc intro auferte:* ne suspicionem injiciat, Sosiam communicandi secreti causa remansisse. Et bene *Auferte: Auferimus* enim ea, quæ cum fastidio cernimus: *Ferimus* ea, quæ cum honore tractamus. Deinde quasi respicientes increpat, dicendo *Abite. Abite,* concitatius legendum est: quia et respectantes properant, et discernit a Sosia. Sosiæ persona protatica est: non enim usque ad finem perseverat, ut est Davi in Phormione, in Hecyra Philotidis et Syræ. *Idem.*

Vos isthæc intro auf.] Quæritur colloquio Simonis cum Sosia principium: ut cæteri servi edulia ferentes abire jubeantur, Sosia autem retineatur: cujus errore in conjiciendo, et desiderio in pernoscendo, prima in theatro expectatio movetur, ipsaque productione augetur. *Bœclerus.*

Vos] Servi. *Farnabius.*

Istæc intro auferte] Scil. Onera, merces credo, aulæa, tigna, aliumve apparatum ad simulandas nuptias. Neque enim placet quod uno ore omnes adferunt interpretes, de obsoniis et re culinaria: cum Davo infra Act. II. Scen. 2. suboluerit, Nuptias non cohærere, quia paululum obsonii. *Idem.*

2 *Adesdum*] *Ades,* imperativum est, *dum* παρέλκον: est enim productio, et adjectio syllabæ: ut *Ehodum ad me, Paucis te volo.* Deest *colloqui verbis:* et est figura ellipsis. *Donatus.*

Dictum puta] Ad hoc respondet, ut agi res videatur, quemadmodum supra diximus. *Idem.*

3 *Nempe ut curentur*] Diligenter coquantur. *Curatio,* proprie medicorum est: *cura* reliquorum: sed coquina, medicinæ famulatrix est. *Id.*

Hæc] Δεικτικῶς. *Idem.*

Nempe ut curentur] Deest *vis:* ut sit, *nempe vis.* Idem.

Imo aliud] Bene ἀντέθηκεν τὸ *Imo:* et deest *volo.* Idem.

4 *Mea ars*] *Ars* ἀπὸ τῆς ἀρετῆς dicta est per syncopam: ἀρετὴ autem virtus est. Virtutis vero quatuor generales sunt partes; Prudentia, Justitia, Fortitudo, et Temperantia: sed Prudentia, in multis rebus descendit. *Idem.*

Efficere] Facere, est in opere esse: sed *efficere,* perfectionem designat. *Idem.*

5 *Nihil istac opus est arte*] Mire ait: *arte opus* non est, sed *opus est artibus.* Idem.

6 *Sed iis quas semper in te intellexi sitas*] Ipse hic signatissime ostendit, multas variasque artes esse, id est, ἀρετὰς, quæ virtutes intelliguntur. *Idem.*

Sed iis] Zeugma, a superiore, quod subauditur, artibus. *Sitas,* constitutas, positas. *Idem.*

7 *Fide et taciturnitate*] *Fides,* est commendatorum fida executio vel observantia: *Taciturnitas* vero, observantiæ genus, in silentio constituta, et in celando secreta. Quærit autem taciturnitatem, ne prodat Pamphilo secretum, quod ei commendaturus est. Fidem, ad complenda: taciturnitatem, ad celanda mandata. *Idem.*

Expecto] *Expecto,* desidero: ut Virgilius: 'Expectate venis.' *Idem.*

Quid velis] Deest, *scire:* nam si dixisset, *quod velis,* nihil desiderasset. *Idem.*

8 *Ego postquam*] Commendatio personæ potius, quam servi: ne contra filium levi servo aliquid committi indecore videatur. *Idem.*

Te emi a parvulo] Tale est, 'Parvulum ego te, Jugurtha:' apud Sallust. *Idem.*

A parvulo] Non enim a parvo, sed a parvulo. *Scis*] Hoc est, a parvulo scis. *Semper*] Continuationem significat *semper.* Idem.

9 *Justa et clemens*] Ita dixit *justa:* ut alibi, 'Non necesse habeo omnia pro meo jure agere.' Quid enim non justum domino in servum? *Justa,* in qua nihil iniquum jubetur: *Clemens,* in qua etiam de justo multum remittitur. *Idem.*

Apud me justa] Id est, moderata, æqualis: cui contrarium ait Virgilius, 'Et iniquo pondere rastri.' Et: 'Injusto sub fasce viam dum carpit.' Nam qui *justam,* debitam nunc dici putant, nihil afferunt ad juvandam sententiam. *Idem.*

Clemens fuerit servitus] Libertatem imputaturus, clementem intulit servitutem. *Idem.*

Justa servitus] Hoc explicavi ad Rhetorem Longinum scribens abhinc aliquot annis; neque vero servitus hoc loco dicitur *Justa,* eo modo quo ab Jurisconsultis dicitur; nil minus: *Justa,* est lenis, moderata, sine omni asperitate dominorum. Vide ibi plura quæ ad rem faciunt. *Faber.*

Servitus] Mire *servitutem* pro dominatu posuit. Sic Sallustius, 'Dein servili imperio P. C.' *Donatus.*

10 *Feci e servo ut esses libertus mihi*] Dulcem libertatem fecit operatione et tractatione verborum, dicendo, ex servo libertum: non enim tantam haberet gratiam, si dixisset, *feci libertus ut esses:* quam si dicat, *feci e servo ut esses libertus:* ac si quis dicat, *feci ut esses sanus:* non tantam haberet gratiam, quam si dicat, *feci ut ex ægro sanus esses.* Et *mihi,* emphasim habet: quod mihi libertus factus sis, non filio. Aut ideo *mihi* additum est: quia libertus ad aliquid dicitur. Et bene *mihi,* non *filio,* id est, ne pertimesceret filium, cui nec liberti munus debeat. *Idem.*

E servo] Mire addit *e servo:* ut vim beneficii exprimeret. *Scis, feci e servo ut esses libertus mihi.* Hinc Virgilius: 'Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro, Scis, ut te cunctis unam, quæcumque Latinæ Magnanimi Jovis ingratum ascendere cubile, Prætulerim, cœlique libens in parte locarim.' *Idem.*

Feci, e servo ut esses] Ἐγώ σ' ἔθηκα δοῦλον ὄντ' ἐλεύθερον. Menander. *Farnab.*

Libertus mihi] Libertus est, quem quis e servitute ad civitatem Rom. perduxit. Ulp. *Idem.*

11 *Liberaliter*] Bene: quia omne bonum libero aptum est, malum servo. Idem alibi, 'Factum a vobis duriter immisericorditerque: atque etiam si est, pater, dicendum magis aperte, illiberaliter.' Et bene admonuit, cur dederit beneficium, eadem et nunc officia quæsiturus. Nunc enim dicit artificiose, quia supra ait, 'Nihil isthac opus est arte.' *Donatus.*

Serviebas] Bene imperfecto tempore, non perfecto usus est: ut ostendat, eum potuisse sibi etiam atque etiam servire: quale est illud Virg. 'Atque omnes pelagique minas, cœlique ferebat Invalidus.' Ut ostendat eum, quamvis invalidus esset, tamen adhuc potuisse laborem exercitiumque ferre. *Idem.*

12 *Summum pretium*] Libertatem dicit. *Idem.*

Persolvi tibi] Quia *pretium* dixerat, *persolvi* dixit proprie. *Idem.*

Persolvi tibi] Modeste pretium redditum dixit, non beneficium erogatum. *Idem.*

Summum primum] Ἀγαθῶν σοι δοκεῖ ἡ ἐλευθερία τὸ μέγιστον, Arrian. Epist. 3. 26. *Farnabius.*

13 *In memoria habeo*] Hoc est, non sum ingratus. Plus dixit, *in memoria habeo,* quam si dixisset, *scio.* Nam quæ scimus, possumus oblivisci: quæ vero memoriæ commendamus, nunquam amittimus. *Donatus.*

In memoria habeo] Gratus agnosco. *Farnabius.*

Haud muto factum] Venuste: non me pœnitet: nam si quid pœniteret, *infectum velle* dicebant: an secundum jus, quod adversus libertos ingratos est, ut in servitutem revocentur? sed

hoc non convenit senem dicere. Legitur et *multo*, hoc est, damno, reprehendo, quod si est, intelligeretur, non nollem factum. Nemo enim potest factum, infectum reddere. Sed adverbialiter dixit: ut dicimus,' nollem factum,' 'nollem hunc exitum.' Ergo *haud muto factum:* non pœnitet me facti. *Donatus.*

Haud muto factum] Non itaque facti me pœnitet: neque enim per gratitudinem tuam habeo, cur infectum velim. Liberti ingrati in servitutem revocabantur. Sueton. Claud. Valer. Max. l. II. c. 6. Alex. ab Alex. l. III. c. 20. *Farnabius.*

14 *Si tibi quid feci, aut facio*] Et fecisse se, et adhuc facere ostendit, quamvis eum manu misisset. *Donatus.*

Gaudeo Si tibi quid feci, aut facio quod placeat] Felicitatis est, ut ea quæ facta et facienda sunt, grata sint. *Quid*, pro aliquid. *Idem.*

15 *Adversum te*] Apud te, et penes te. *Idem.*

Adversum] Sine dubio præpositio est. *Adversus* participium potest esse, ab eo quod est *adverto*, sicut alibi. Ergo *adversum te* dixit, pro apud te. *Idem.*

16 *Nam isthæc commemoratio Quasi exprobratio est, immemoris beneficii*] Donatus, 'sunt,' inquit, 'qui ad beneficium referunt immemor: ut memorem Junonis ob iram: ut sit sensus: Isthæc commemoratio, quasi est exprobratio immemoris beneficii, id est, cujus nemo meminerit.' Hoc magno applausu hactenus a Lexicographis et interpretibus acceptum defensumque est: ut esset scilicet *immemor beneficium*, ἀμνηστος εὐεργεσία: ostendit tamen ipsum loquendi genus, quo Donatus utitur, fuisse, qui et aliter acciperent; imo apud plerosque aliter acceptum esse vocabulum. Non ausit sane aliquis dicere, *exprobratio immemoris b.* id est, *hominis ingrati, qui non meminerit beneficii:* de hoc enim dubitandum erat, an ita Latine diceretur. Nam quibus *exprobratio* est *vituperatio*, eodem tendunt in persona; quamvis syntaxin emendare cupiant. Non igitur exigua ratione usus est Fr. Guyetus, ut legeret, *immemori b.* v. l. Eugraphius tamen non videtur dubitasse de phrasi vulgatæ lectionis, quando annotat: 'Beneficiorum commemoratio cum ostenditur, ingrati exprobratio dicitur.' 'Exprobratio ingrati,' et 'exprobratio immemoris,' una phrasis. Demosthenis sententiam παράλληλον, cum similibus Fr. Fabricius, Lindenbrogius, et alii annotaverunt. Cæterum Sosiæ huic sententias dictat (nam et postea γνωμολογεῖ) primo quidem liberale ingenium, quo libertatem meruit; deinde præsens affectio, cum ingrati exprobrationem animi de principio orationis senis tam alte repetito pertimesceret; denique patroni ingenium, cui oratione sua suffragatur: nam qui approbat alterius dicta, quid aliud, quam sententiam ab illo acceptam absolvit aut repetit? Ita cum pater laudaret filium, quod ex studiis juvenilibus modum teneret, opportunum Sosiæ erat sententiam succinere, 'ut ne quid nimis:' cum ingenium filii ad promerendam hominum voluntatem et amicitiam factum describeret, jam dicta erat, quæ subjicitur sententia, 'obsequium amicos parit:' cum honestam orationem filii fateretur, si servatam a se diceret, quæ perire volebat, non ex ingenio Sosiæ sententia, sed ex instituto colloquii sententiæ forma nascitur: 'si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit,' &c. Suntque hæ sententiæ fere δεδημοσιευμέναι: quales et facilius dicuntur, et libentius in theatro audiuntur. *Bœclerus.*

Nam istæc commemoratio, &c.] Τὸ δὲ τὰς ἰδίας εὐεργεσίας ἀναμιμνήσκειν μικροῦ δεῖν ὅμοιόν ἐστι τῷ ὀνειδίζειν. Demosth. Ctesiph. *Farnabius.*

17 *Exprobratio*] *Exprobratio* est commemoratio beneficii cum enumeratione factorum. *Donatus.*

Quasi exprobratio] Recte ostendit, se in memoria habere. Sunt qui ad beneficium referunt, *Immemor:* ut, *Memorem Junonis ob iram:* ut sit sensus, Isthæc commemoratio, quasi est exprobratio immemoris beneficii: id est, cujus nemo meminerit. *Idem.*

18 *Quin tu uno verbo*] Uno verbo, uno ἀξιώματι, una sententia. Nam ἀξίωμα sententia est, vel enuntiatio, uno verbo nexam continens et perfectam intelligentiam: ἀξίωμα enim constat ex nomine et verbo. Sed hic, quod est ἀξίωμα: hoc est, 'Has bene ut adsimules nuptias:' ergo omnis virtus, adsimulatio est. *Idem.*

Quin tu uno verbo] Una sententia: ut in Adelphis: 'Non meum illud verbum facio, quod tu Mitio Bene ac sapienter dixti dudum: vitium commune omnium est, Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus.' Nam male intelligit qui putat, *adsimules*, *verbum* significare. *Idem.*

19 *Ita faciam*] Hoc est, uno verbo dicam: et quod verbum promittit, ibi dicit, 'Nunc tuum officium est, has bene ut adsimules nuptias.' *Idem.*

20 *Quas credis esse has*] Syllepsis. *Idem.*

21 *Cur simulas igitur*] Virgilius: 'Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?' *Idem.*

22 *Eo pacto*] *Pacto*, modo, quoniam antecedit pactum, modus sequitur. Ergo ab eo quod præcedit, id quod sequitur, dicit: 'Et gnati vitam, et consilium meum cognosces: et quid facere in hac re.' Nam istæ divisiones sunt. 'Gnati vitam:' quoniam dicturus est, 'Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia.' 'Consilium meum:' quia dicturus est, 'Et nunc id operam do.' 'Et quid facere in hac re te velim:' quia dicturus est, 'Nunc tuum est officium.' 'Et gnati vitam, et consilium meum Cognosces, et quid facere in hac re te velim.' Tripartita distributio. *Donatus.*

Eo pacto] Partitur apud Terentium breviter et commode senex in Andria, quæ cognoscere libertum vult: *Eo pacto et* 1. *gnati vitam, et* 2. *consilium meum cognosces, et* 3. *quid facere in hac re te velim.* Vide Cic. II. de Oratore. *Farnabius.*

Et gnati vitam] Vitam filii in duas partes dividit in narratione: in ante actam bonam, et præsentem malam. Et incipit mala ibi, 'Interea mulier quædam.' Et bene actæ vitæ narratio ad eam rem valet, ut ostendat, quam justus dolor patri sit spe decepto. *Donatus.*

24 *Nam is*] Necessario *is* positum pro nomine: ἀναφορὰ ad illud *gnati vitam:* nam si non posuisset hoc pronomen, Sosia erat intelligendus. *Idem.*

Nam is] Pamphilus. *Idem.*

Postquam excessit ex ephebis] *Ephebia* prima ætas adolescentiæ est, adolescentia est extrema pueritiæ. *Excessit ex.* Cum sufficeret unum. *Idem.*

Excessit ex ephebis] Ἐξελθὼν ἐξ ἐφήβων Xenoph. l. α'. Ephebus autem est qui ad pubertatis annos pervenit: quasi ἐπὶ ἥβης, quæ prima est pars adolescentiæ, extrema pueritiæ. *Farnabius.*

25 *Liberius*] *Liberius*, non est comparativus gradus: non enim potuit libere ante vivere, dum ætas, metus, magister prohibebant. Ergo deest *aliquanto:* ut sit, aliquanto liberius. *Donatus.*

Liberius vivendi] Deest *ei*. Idem.

Liberius vivendi fuit potestas: nam antea] Sunt qui dictionem *vivendi*, eliso ex ea, v, medio, in duas syllabas contrahant: quod per synizesin fieri posse supra diximus: nos etiam ita sustentari versum putamus, si vel ex *potestas*, s medium abjiciatur; vel ex *liberius* eliso e, per syncopam fiat *librius:* sicut ex asperius, faceremus asprius: ex dexterius, dextrius: ita *librius*, erit dactylus abjecta e, more veterum: dictio autem *fuit*, una

fit syllaba per synizesin, ut sæpe. *Faërnus.*

26 *Qui scire*] *Scimus* quod certum est: *Nescimus* quæ adhuc incerta desideramus. Idem alibi, ' Forma in tenebris nesci non quita est.' *Donatus.*

27 *Metus, magister*] *Magister* pædagogus. *Idem.*

Dum ætas, metus, magister prohibebant] Ætas sub pædagogo seu custode, ἡλικία παιδαγωγουμένη, hoc verborum tractu notatur: quasi metuens pædagogum. Plaut. Bacchid. I. 2. 40. ' Jam excessit mihi ætas ex magisterio tuo.' In qua fabula Plauti, tota illa disciplinæ severitas describitur. Vide præsertim Act. III. Sc. 3. vs. 17. &c. *Bœclerus.*

Magister prohibebant] Pædagogus custos. ' Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,' &c. Pers. Sat. v. *Farnabius.*

Ita est] Intercidit Poëta, ne solus Simo loqueretur: cæterum non erat respondendi locus necessarius. *Donatus.*

28 *Quod plerique omnes*] Hæc adjectio dicitur, in primo posita loco: adjectiones vero, aut in prima parte orationis, aut in ultima adjiciuntur. Hic ergo *plerique*, ex abundantia positum est: *omnes* vero, necessario additum est. Et alibi, ' Calesces plus satis.' In ultimo; sicut, ' Interea loci, interibi.' Attendenda est sane locutio, *Quod plerique omnes.* Aut enim *quod* in *quæ* vertendum est, ut sit, *Quæ plerique omnes.* Aut *quod* ad singula eorum studiorum adjungendum erit, ' Equos alere, canes ad venandum.' Aut certe erit figurata locutio, ut est illud: ' Si quisquam est, qui placere se studeat bonis Quam plurimis, et minime multos lædere: In his poëta hic nomen profitetur suum.' Et alibi, ' Aperite actutum ostium.' *Idem.*

Plerique omnes faciunt] Ἀρχαϊσμὸς est. Nam errant, qui *plerique* παρέλκον intelligunt: aut qui subdistinguunt *plerique*, et sic inferunt *omnes*: hoc enim pro una parte orationis dixere veteres. Eodem modo Græci πάμπολλα, et Latini ' plus satis.' Nævius in bello Punico, *Plerique omnes subiguntur sub suum judicium.* Figurate Terentius: παρέλκον τῷ ἀρχαϊσμῷ. ' Quod plerique omnes faciunt,' pro, quæ faciunt plerique adolescentuli. *Idem.*

Plerique omnes faciunt] Πάμπολλοι, πλείονες, οἱ πάντες. Locutio Attica. *Farnabius.*

Adolescentuli] Bene diminutive, ut propter ætatem facile ignoscatur. *Donatus.*

Adolescentuli] ' Imberbis juvenis, tandem custode remoto, Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi.' Horat. ad Pisones. *Farnabius.*

30 *Aut equos alere, aut canes ad venandum*] Si et equos ad venandum alunt, quomodo et canes? quod multi docti improbant: et dicunt separata esse: et *ad venandum* extra orationem, pro ad venatum: ut ' Venatum Æneas, unaque miserrima Dido.' *Donatus.*

Equos alere aut canes ad ven.] De studiis adolescentum Atticorum, Isocratis præsertim ex Areopagitica locum, cum aliis testimoniis, annotarunt Fr. Fabricius et Lindenbrogius. Hodie, isti ætati canes, equi, palæstra adhuc in pretio sunt: at philosophia vel spernitur, vel perfunctorie tractatur. *Bœclerus.*

Canes ad venandem] Canes venaticos, ut *Leones ad fræna*, id est, frænatos: *servum ad limina*, id est, atriensem: *ad manum, ad pedes, &c.* venatus autem τῆς πολεμικῆς μόριόν ἐστι, μᾶλλον δὲ εἰκών. Austid. *Farnabius.*

Ad philosophos] Ellipsis pulchra et familiaris Terentio. Nam possumus subaudire, audiendos sive sectandos. *Donatus.*

Ad philosophos] Vitium est: quia dixit, *ad aliquod studium.* Aut si ad Philosophos: separanda locutio est, sic ut animum adjungant ad Philosophos. *Idem.*

31 *Horum ille nihil egregie*] Est ergo figurativum: quod esset rectum, Quæ plerique omnes faciunt adolescentuli, horum ille nihil egregie præter cætera studebat. *Idem.*

Egregie] *Egregium* dicitur, quod ex grege eligitur: sed hic *egregie*, valde, nimis: non est ergo ad laudem positum. Hæc, inquit, ut cætera, similiter studebat. *Idem.*

Præter cætera] Mediocriter: ergo non extenuavit rem, sed ad laudem retulit. *Idem.*

33 *Gaudebam*] Non dixit *laudabam*, sed *gaudebam. Laudat* enim etiam alienus. *Gaudet* qui pater est. *Idem.*

Non injuria] Intempestive Sosia respondet: sed prudentia tantæ sententiæ compensavit importunitatem. *Idem.*

Non injuria, &c.] Observa auctoritatem sententiæ, ex nexu et figura: ad approbationem (*non injuria*) ut caussa infertur, non sine apparatu asseverantis: *nam id arbitror apprime in vita esse utile*, UT NE QUID NIMIS. Ita vs. 40. ' Namque hoc tempore' (hic accessus est ad sententiam) ' obsequium amicos, veritas odium parit:' ubi producitur contrarii adjectione, quod uno membro significari poterat: vs. autem 115. argumenti forma per ratiocinationem a contrario insurgit sententia: ' Nam si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit; quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?' ubi interrogatio non minimum virium habet ad asseverandum. Quod attinet ad τὸ μηδὲν ἄγαν, præter laudatos ante, plerique abunde de hac sententia scripserunt. *Bœclerus.*

34 *Apprime*] Adjectio est confirmationis. *Donatus.*

Ut] Admirabiliter dixit. *Idem.*

Ut ne quid nimis] Sententia non incongrua servo, quia est pervulgata, et non refertur ad personam domini dicentis: et de quo dicitur: an magis quia Sosiæ convenit ejusmodi character in verbis? *Idem.*

Ne quid nimis] Deest *agas*: ut sit, Ne quid nimis agas. *Idem.*

Ne quid nimis] Τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει. Antholog. *Farnabius.*

35 *Facile omnes perferre*] Latens argumentatio est, qua filium ad meretricem commeasse errans pater, non ad corruptelam, sed ad obsequium amicorum crediderit. *Donatus.*

Perferre ac pati] *Ferre*, est cum certo tempore: *Perferre* finem expectat effectus. Feruntur onera, et sustinentur supplicia. *Idem.*

Perferre] Mediocriter stultos odiososque. *Idem.*

36 *Cum quibus erat cumque*] Figura τμῆσις. *Idem.*

Dedere] Plus est *dedere*, quam *consentire*: quemadmodum in hostium potestatem hostes se dedunt. *Dedere* ergo, pertinacibus. *Idem.*

His sese dedere] *Dedere* se et obsequi superioribus: non adversari paribus, non se præponere inferioribus. *Idem.*

37 *Eorum obsequi studiis*] Commodiorum, scilicet. *Idem.*

Eorum obsequi studiis] Talem esse Pamphilum, adjuvat argumentum fabulæ, simul et Charinum. *Idem.*

38 *Ita*] Deest faciens, volens, agens. *Idem.*

Ita facillime sine invidia] Sallustius: ' Et cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus esse.' *Idem.*

39 *Invenias*] Secunda persona pro tertia: ut, *Migrantes cernas.* Idem.

40 *Nam hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit*] Improbatur a Sapientibus hæc sententia. Nam obsequium assentator debet, veritatem amicus: sed in theatro dicitur, non in schola. *Idem.*

Hoc tempore] Ut nunc sunt mores, scilicet corrupti. Excusatque proverbium, ' Obsequium amicos, veritas odium parit,' examinat Cicero: ' Sed nescio quomodo verum est quod in Andria familiaris meus Terentius dixit; Obsequium amicos, &c.' Læ-

lius Ciceronis. *Farnabius.*

41 *Obsequium amicos*] Hic versus per improperium est. *Donatus.*

Veritas odium parit] Falsum est autem quod Cicero dixit *obsequium* primum dixisse Terentium: cum et Plautus et Nævius ante dixerint: et est sententia παράδοξος, et magis theatro apta, quam officio, de qua Tullius multa dixit. *Idem.*

Obsequium amicos] Sententia probabilis magis, quam necessaria et honesta. *Idem.*

Obsequium amicos, veritas odium parit] Qui aliquam hic Poëtæ culpam agnoscunt, et sententiam minime probam esse arbitrantur, certe alias res agunt: neque enim sententia est ex iis, quæ decernunt, quid fieri oporteat; sed enuntiat, quid fiat, ex moribus temporum: quid clarius illa προσθήκη: *hoc tempore?* quid clarius, quam de populari illa et inter adolescentes usitata, non de perfecta amicitia, sermonem esse? quomodo facile liceat inter homines agitare, id est, συνδιαγάγειν καὶ συνδιημερεῦσαι, non quousque virtus perfici queat, sermo est. Itaque nec Cicero negat hoc fieri, cum hoc dictum explicat in Lælio (c. XXIV. et XXV.) sed ad id vocat nos, quod in vera amicitia fieri debet: quæ veritatem non excludit, obsequium autem comitate non assentatione metitur. Non opus fuisset igitur, ut Donatus, tanto conatu ostenderet, 'sententiam hanc probabilem magis, quam necessariam esse et honestam.' *Bœclerus.*

42 *Interea*] *Interea* est, cum habet instantiam superiorum actorum. *Donatus.*

Mulier quædam] Sic dixit, non quasi ignoraret nomen ejus, paulo post Chrysidem nominaturus: sed ideo, ut gratam expectationem faciat, simulque lectorem avidum nominis reddat. Ut Virgil. paulo post nominaturus ait, 'Ecce manus juvenem interea post terga revinctum.' *Idem.*

Interea mulier] Hic digressio est: nam proposuit Gnati vitam dicere. *Idem.*

Abhinc triennium] Artificiose dixit *triennium*, cum posset plus minusve temporis ponere: ut sit verisimile, unum annum fuisse pudicæ parcæque vitæ: sequentem, conditionis acceptæ: tertium, mortis. Primo ergo anno ignorata est domus Chrysidis Pamphilo: secundo Glycerio cognitus: tertio, nupsit Glycerium Pamphilo, et pariter invenit parentes. *Idem.*

43 *Huc viciniæ*] *Viciniæ* παρέλκον: huc loci, vel huc locorum. Legitur et *huic viciniæ.* Idem.

44 *Inopia, et cognatorum negligentia*] Laudatis Pamphili moribus qui mox ducet uxorem, superest ut futuræ quoque matronæ, id est, Glycerio, probitatem debitam pro persona reddat: quæ quia honesta nunquam esse poterit, si sic eam constet ante nuptias impudicam ductam esse, partim defendenda, partim laudanda est Chrysis, cum qua commorata est: quam quoniam necesse est meretricem fateri, in conditione turpissimi nominis multum sumitur excusatio voluntatis. *Idem.*

Et cognatorum] Hic nos jam parat ad Critonis adventum. *Idem.*

Inopia et cognatorum negligentia] In gratiam Glycerii, Poëtam in diminuenda quæstus meretricii invidia operosum, cum de Chryside loquitur, recte notat Donatus. *Bœclerus.*

Cognatorum negligentia] Leges jubebant Atticæ, ex cognatis proximum et ditissimum inopem cognatam aut ducere, aut ipsi dotem dare. *Farnabius.*

45 *Egregia*] Id est, eminenti præstantique. *Donatus.*

Atque ætate integra] Integra est ætas, quæ in flore consistit, cui neque addendum jam sit, neque quidquam adhuc sit imminutum: ut Virgilius: 'Integer ævi Ascanius.' Et contulit duo ad quæstum meretricium congrua. *Idem.*

Ætate integra] In ipso ætatis flore. *Farnabius.*

46 *Hei vereor, ne quid Andria adportet mali*] *Andria:* mire: audivit enim excessisse ex ephebis Pamphilum, illatamque mentionem mulieris peregrinæ, adolescentulæ pulchræ. *Donatus.*

Ne quid Andria] Eleganter, ex Andro. *Andria*, nomen ostendit et mulieris et fabulæ. Et bene, *Adportet:* quia *portare* ignotis est. *Idem.*

47 *Primum hæc*] Defendit, ut diximus, vitam Chrysidis, ut potuerit apud eam recte morata esse Glycerium, quæ ex argumento matrona erit. *Idem.*

Primum hæc pudice] Bene *hæc* quidem, id est, illa quæ coacta est. *Idem.*

Duriter] Contra rationem regulæ: debuit enim dicere *dure*, ab eo quod est *durus.* Et tamen est differentia. Est enim *duriter*, sine sensu laboris: *dure* autem, crudeliter: illud, ad laborem: hoc, ad sævitiam relatum est. Sed *dure* in alterum: *duriter* in nos aliquid facimus. *Idem.*

48 *Lana ac tela*] Subdistingue *tela:* finis enim est laboris. *Idem.*

Victum quæritans] Ut Virgilius, 'Cum fœmina primum, Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva, Impositum cinerem et sopitos suscitat ignes.' Deinde finem laboris intulit, non cibum, sed victum. *Cibus* enim est, qui etiam delicatis præbetur. *Victus*, in parvis aridisque alimoniis est constitutus. Unde Virgilius, 'Victum infelicem, baccas lapidosaque corna, Dant rami.' Et post tantum laborem, *victum*, non cibum dixit: ut Virgilius, 'At patiens operum, parvoque assueta juventus.' Et non *quærens*, sed *quæritans*, dixit. *Quærit* enim, qui ad plenum et perpetuum reponit: *Quæritat*, qui vix quotidie inquirendo victum invenit. *Idem.*

Lana ac tela victum] Artificiose, ut videatur pudice apud eam futura materfamilias educari posse, quam meretricem necessitas fecit. *Idem.*

49 *Sed postquam amans*] Amator fingere potest. Amans vere amat. *Id.*

50 *Unus et item alter*] Post unum duo, ex quibus, alter, ut sint tres; inquit enim post, 'Nam hi tres tum simul amabant:' ut, 'Alter ab undecimo.' Ergo *alter*, non est secundus, sed tertius. *Idem.*

Unus et item alter] Id est, plures: quæstus jam meretricius factus est. *Idem.*

Ut ingenium est omnium hominum] Alia defensio Chrysidis: ut quæ ante fecerat ipsius sint: quæ postea peccaverit, naturæ hominum adscribantur. *Idem.*

51 *Proclive*] *Proclive* est porro inclinatum, vel pronum inclinatumque. *Idem.*

52 *Accepit conditionem*] Cum uno quæstus non est: cum altero non est: cum multis fit. *Idem.*

Conditionem] *Conditio* est pactio, certam legem in se continens. *Idem.*

Quæstum occipit] 'Quæstum indignum facit corpore.' Plaut. in Pœnulo act. II. sc. 3. *Farnabius.*

54 *Perduxere*] Invitum isse Pamphilum his verbis significat. *Perducuntur* enim necessitate coacti. Hoc etiam verbum judices pronunciare solent. Et hoc est quod supra ait, 'His sese dedere, eorum obsequi studiis.' *Donat.*

Perduxerunt illuc secum] Secum duxere, ut secum esset. *Idem.*

Ut una esset, meum] Et producte legitur *esset*, ut cibum caperet: et correpte, ut alibi: 'Essem una qua cum cupiebam, Antipho.' *Idem.*

Una esset] Simul, id est, una cibum caperet. *Idem.*

55 *Egomet continuo mecum*] Bene *mecum:* ut appareat nihil temere constitutum, vel prolatum foras; hoc ipsum satis quæsitum esse, quod statuit de falsis nuptiis, et infensus esset filio. *Idem.*

Egomet continuo mecum] Deest vol-

vebam, cogitabam, versabam. *Idem.*

Certe] Sine dubio: pro certo captus est: *ἰδιωτισμός. Idem.*

Captus est] Tenetur et irretitur: ex translatione ferarum, atque venatus. *Idem.*

Captus est] Sallustius: 'Sin captus pravis cupidinibus.' *Idem.*

Captus est] Tenetur, irretitur, translatum a ferarum venatu, aut etiam arena, ubi Retiarius cum Mirmillone componitur. *Farnab.*

56 *Habet*] Id est, vulneratus est. *Habet* enim qui percussus est: et proprie de gladiatoribus dicitur; quia prius alii vident, quam ipsi sentiant, se percussos. *Donatus.*

Habet] Sic dicitur de eo qui lethaliter vulneratus est. Virgilius: 'Hoc habet, hæc melior magnis data victima divis.' Ergo quid sequitur captum, nisi occidi? *Idem.*

Habet] An utique et hoc sumtum est ab arena? ubi gladiatori lethaliter vulnerato insultat adversarius, aut acclamat populus, *Hoc habet:* ita et hic lethali amoris vulnere percussus est. An sensu quo senex mox puerum rogat, 'Quis heri Chrysidem habuit?' 'Habeo,' inquit Aristippus, 'Laïda, non habeor a Laïde.' *Farnab.*

Observabam mane] *Mane* adverbialiter. *Donatus.*

Observabam] Deest *tamen*, hoc est, quamvis captus erat, et hæc tamen observabam. *Idem.*

57 *Rogitabam*] Non *rogabam*, sed *rogitabam:* quia sedulo faciebat. *Idem.*

58 *Dic, sodes*] *Dic*, imperativum est: ideo temperavit injuriam blandimento, *sodes:* est autem, si audes; ut *sis*, si vis: nam delirat qui *σῶος ζῇς*, interpretatur *sodes.* Idem.

Dic sodes] Exhortantis est vox, *Amabo, Rogo.* Idem.

Quis heri Chrysidem habuit? Nam Andriæ illi id erat nomen] Opportune nomen intulit Chrysidis. Et bene *illi:* quasi dicat, quam tu Andriam nominasti. *Idem.*

Nam Andriæ illi id erat nomen] Attico more, peregrinæ mulieri a patria nomen imposuit. Et simul celebrat nomen Comœdiæ, dicendo, *Ex Andro commigravit:* et nunc, *Nam Andriæ illi id erat nomen.* Idem.

61 *Eho, quid Pamphilus*] Primo sic egit, ut de Pamphilo quærere videretur: ad ultimum adjecit nomen ne quid reliqui faceret. *Idem.*

Quid? symbolam dedit] Subdistingue, *Quid?* ut sit vox quærentis, quid dicat de Pamphilo. *Idem.*

Symbolam dedit] Mire: nulla pro Pamphilo negatio facti est posita, sed per puerilem simplicitatem omnia gesta narrata sunt: et quidem tacitum est, non celatum: sed ut non factum esse ita videatur. *Idem.*

Symbolam dedit] *Symbolam* lego ex lib. Vaticano et Basilicano et aliquibus aliis: ita et Plautus in Curculione: 'Symbolarum collatores apud forum piscarium:' item in Epidico: 'Sine meo sumptu paratæ jam sunt scapulis symbolæ:' et in Sticho: 'Eadem symbolam dabo: et jubebo ad Sangarinum cœnam coqui.' *Faërn.*

Symbolam dedit] Symbolæ erant pecuniæ quas erogabant singuli ad cœnam collatitiam *ἔρανοι*, unde et cœna *collatio* dicebatur: 'Ego vero, inquit ille, quoniam collectam a conviva, Crasse, exigis.' Cic. de Oratore lib. II. a *συμβάλλω. Farnab.*

62 *Cœnavit*] Cetera in gestu sunt quærentis, quid dicat de Pamphilo, nec invenientis. *Donatus.*

Item alio die] *Item*, similiter: et vide, diligenter tempus adjectum, quasi non sufficeret unus dies. *Idem.*

63 *Comperiebam*] Vide si non verba patris sunt, et de rebus venereis circa filii mentionem agentis. *Idem.*

Nihil ad Pamphilum quidquam] Παρέλκον: nam abundat *quidquam:* nam, *nemo quisquam*, non dicitur. *Idem.*

64 *Spectatum*] Ad Pamphilum, non ad exemplum refertur: et *spectatum*, probatum. *Idem.*

65 *Et magnum exemplum continentiæ*] Ὑπερβολὴ laudis. Pamphilus exemplum continentiæ. *Idem.*

66 *Nam qui cum*] *Qui*, animus scil. aut certe *homo* subaudiendum. *Idem.*

Cum ingeniis] *Ingenia* pro hominibus posuit. *Idem.*

Conflictatur] Id est, atteritur. *Conflictatio* est tactus corporum invicem, et collisio. *Idem.*

Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi] Negat Muretus videre se quonam modo versus stare possit. Ratio est, ut opinor, quod Baccheus in quinta regione fit (*tur ejus*) *modi.* Sed duplici via rem impeditam expedio. Nam et, ut infra observatum fuit, R finale olim elidebatur; atque ita fuerit spondeus per synizesin: exemplum pereuntis R, habes paginæ 68. 'Nuper, ejus frater aliquantum ad rem est avidior.' Dein et hoc quoque fieri potuit, ut scripserit Terentius, non *ejusmodi*, sed *eimodi;* quod me apud Veteres memini legere; atque ita vel anapæstus fuerit, vel iambus per synizesin. *Faber.*

Nam qui cum ingeniis conflict.] Hujus sententiæ vis et opportunitas, ex affectu theatri æstimari debet. Athenis, id est, loco tam corrupto, quotquot confluxissent patres, illis *τὸ καθόλου λεγόμενον* suæ cuique fortunæ experimento in animum descendere debuit: quotidiana educationis vitia, rara incorruptæ disciplinæ exempla in oculis, et quotiens sermone perstringeretur, ita in animis erant, ut vel doleret quisque sequiora, vel meliora optaret. *Bæcler.*

Conflictatur ejusmodi] Atteritur, sollicitatur, conversatur cum ejusmodi hominibus, neque corrumpitur interea. Usitatius adhibetur vox ista circa valetudinem. 'Conflictari iniqua valetudine.' Plin. Epist. 'Conflictatas morbis.' Sueton. Claud. c. II. legitur et *conflictat*, versus gratia ut in Phormione, act. V. scen. 2. *Farnab.*

67 *Neque commovetur*] Utrum animus, an homo? *Donat.*

Neque commovetur animus] Utrum deest *ejus?* An ordo est, qui animus cum ingeniis conflictatur ejusmodi, neque commovetur in ea re tamen: *ἀνακόλουθον*: eo quod non præmisso *licet*, vel *quamquam*, subjecit *tamen.* Sallustius: 'Atque edita undique, tribus tamen cum muris et magnis turribus:' *Idem.*

68 *Suæ vitæ modum*] Moderationem, regimen. *Idem.*

69 *Cum id mihi*] *Cum*, id est, præterquam quod. *Idem.*

Tum unâ ore omnes] *Omnes*, ne pater amore falli videretur: et ideo mox ait, 'Bene dissimulatum amorem, et celatum indicat.' *Idem.*

Tum uno ore omnes omnia bona dicere] Qui *omina* substituunt, nulla codicum auctoritate juvantur: nec animadvertunt aliquid detrahi sic de *ἐνεργείᾳ*, quam habet frequentatio verborum. Explicatio porro duplex affertur: prima, quod omnes omnia bona de Pamphilo dixerint: altera, quod omnes omnia bona dixerint *εὐφημοῦντες* et Simoni gratulantes, felicemque eum, quod mox sequitur, prædicantes, ob ingenium filii et mores: hæc enim laus Pamphili est vs. 71. placet posterior interpretatio: nimis autem et ineruditum et a scopo alienum fuerit, *fortunas* de divitiis hic accipere, cum Scoppa. vs. Christomath. *Bæcler.*

70 *Bona dicere &c.*] Εὐφημεῖν, læta et fausta prædicare; unde Scoppa legit *omina*, id est, læta precabantur, gratulati mihi talem filium. *Farnab.*

Laudare fortunas meas] Ἐμφατικώτερον *fortunas*, quam *fortunam:* et de more, ut, 'Qui te tanti talem genuere parentes?' Et, 'Vade, ait, o felix nati pietate.' Et Plautus: 'Fortunatus qui illum eduxit sibi.' *Donat.*

72 *Hac fama*] An vere laudatus sit, singula hæc pro argumentis sunt: et excusatio est, non esse stultitia falsum, sed impulsum. *Idem.*

Impulsus] Bene *impulsus:* ultro

enim venire impulsus est, qui daret contra officium soceri. *Idem.*

73 *Unicam gnatam suam*] Abundat quidem *suam*, sed tamen asseverantius est. *Idem.*

Unicam gnatam] Quid si tædio multorum filiorum? at unicam. *Idem.*

74 *Cum dote summa*] Quid si pauper est? at cum dote summa. *Idem.*

75 *Placuit*] Cum pronuntiatione, *placuit.* Idem.

Placuit] Συντομία: adeo bona conditio fuit, ut quamvis ultrò objiceretur, tamen statim placeret. *Idem.*

Despondi] Ex veteri more, quo spondebat etiam petitoris pater: unde *sponsus* et *sponsa* dicitur. *Idem.*

Despondi] Proprie. Nam de sponso dicitur, quia *spondet* puellæ pater: *despondet*, adolescentis. *Idem.*

Hic dictus est dies] Utrum constitutus? an dicatus? ut, 'Junoni infernæ dictus sacer.' *Idem.*

76 *Quid obstat cur non veræ fiant*] In omnibus libris post *quid* est dictio *igitur*, præterquam in Vaticano et Basilicano, qui eam in contextu non habent, quorum auctoritatem sequor, maxime propter versum. *Faërn.*

78 *Chrysis*] Commemorat nunc quæ esset Chrysis. *Donat.*

Vicina hæc] Supra enim ait, 'Ex Andro commigravit huc viciniæ.' *Idem.*

Vicina hæc] Ἀνάμνησις. *Idem.*

O factum bene] Animadverte, ubique a Poëta sic induci comicas mortes, ut cum ad necessitatem argumenti referantur, non sint tamen tragicæ. Nam aut meretrix sumitur, aut senex, aut de duabus simul uxoribus una uxor. Itaque hujusmodi obitus, aut mediocri tristitia excipitur, aut etiam gaudio. *Idem.*

O factum bene] Quasi qui dixerit, 'Vereor ne quid Andria apportet mali.' *Idem.*

79 *Beasti*] Artificiose quidem *gaudium* subjecit, ne mors in comœdia, luctus in tragœdia personaret. *Idem.*

Metui a Chryside] *Metuo illum* dico, qui mihi ipsi aliquid facturus est. *Timeo ab illo*, cujus causa possum aliquid mali pati, etiam si ipse nihil in me mali consulat. *Idem.*

Metui a Chryside] Ἀρχαϊσμός. *Idem.*

80 *Una aderat frequens*] Ut supra, 'Cum quibus erat cumque una, his sese dedere.' *Idem.*

Aderat frequens] Possumus enim adesse, et frequentes non esse, si præsentes non adhæremus his, quibus adsumus. Et *frequens*, ut miles apud signa. *Idem.*

81 *Curabat una funus*] *Funus*, est pompa exequiarum: dictum a funalibus. Etenim noctu efferebantur, propter sacrorum celebrationem diurnam. *Idem.*

Curabat una funus] Ut non potuerit in exequiis videre patrem. *Idem.*

Funus] Funebrem pompam, apparatum, ritus: vide tit. *Funus*, in Indice nostro Poëtico. *Farnab.*

Interim] Descriptio est hujus rei, quæ ad narrationem pertinet superiorem. *Donatus.*

82 *Nonnumquam conlacrumabat*] Illis enim magis causa flendi fuerat, qui, quam amabant, amiserant: hic amore propter suam Glycerium conlacrumabat, qui alienis lachrymis suas commodabat. *Idem.*

Placuit tum id mihi. Sic cogitabam] Ita supra: 'Gaudebam' vs. 33. et 'cum id mihi placuit' vs. 69. Judicium patris de filio convenienter signavit, quod ne temerarium aut cæcum videretur, antea consensu famæ, nunc ratione et officio fulcitur, addit gratiam figura sermocinantis, familiaris huic generi moratarum et evidentium narrationum. Adducit Cicero locum hunc (II. de Orat. 40.) ubi ostendit, quomodo *ex minore* comparatio petatur. Epistola autem 7. lib. IX. τὸ, 'quid hic mihi faciet patri?' ἀποφθεγματικῶς ad spem accommodat, quam de invalescente unius e dominantibus potentia conceperat more eruditorum, qui ex Græcis Latinisque poëtis subinde aliquid in ore habebant, et ad præsentia negotia eleganter aptabant. *Bæcler.*

83 *Sic cogitabam*] Ac si diceret, hoc cogitabam: sensum tantum cogitationis dicere debuit: sed quia *sic cogitabam* dixit, ipsum gestum cogitantis exponit, et dicitur μίμησις. *Donat.*

Hic parvæ consuetudinis causa] Hoc est, convivii tantum: et quia dixerat puer, hoc solum egisse Pamphilum, nihil aliud, 'Symbolam dedit, cœnavit.' *Idem.*

Hic parvæ consuetudinis] Citantur hi versus a Ciceronis Antonio lib. II. de Oratore, exemplum argumentationis a Minori. *Farnab.*

84 *Tam fert familiariter*] Id est, graviter: nam quæ nobis sunt familiaria, gravia sunt animo nostro. *Familiariter*, quasi familiaris: an potius familiariter. *Donat.*

85 *Quid hic mihi faciet patri*] *Mihi*, circa me. Et postquam *mihi* dixit, pondus intulit nominis, dicendo *patri.* Idem.

Quid hic mihi] Vide quam venuste repetierit *hic.* Idem.

Quid mihi hic faciet patri] Citatur et hoc hemistichium, 'quid mihi hic faciet patri?' Epist. Famil. IX. l. 7. Epist. *Farnab.*

86 *Hæc ego putabam*] *Putare* est ejus, qui simplicitate pectoris aberravit. Cicero: 'Non putavit, lapsus est.' *Donat.*

Hæc ego putabam] Cum adhuc nihil peccationis ostenderit, tamen dolor in futura prorumpit: ut, 'Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat.' *Idem.*

Humani ingenii] Circa Chrysidem. *Idem.*

87 *Mansueti*] Circa amicos. *Idem.*

Mansuetique animi officia] Gallice, *l'effet d'un bon naturel.* Tribus quatuor locis *officium* a Terentio in hoc significatu sumtum esse scio. Apud Ciceronem non memini me tale quid observare. *Faber.*

88 *Egomet quoque*] Ut et ipse Pamphilus, aut etiam ego, quem minus crederes. *Donatus.*

Ejus causa] Ejusdem mansuetudinis et humanitatis, et ejus Pamphili. *Idem.*

In funus prodeo] *In funus* (in pompam exequiarum) quod a funalibus dictum est, et uncis vel cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes, et [in genu] cerei fomites infiguntur. *Idem.*

89 *Nihil suspicans etiam mali*] Bene suspendit auditorem. *Idem.*

Etiam] Alia est suspensio audientis, et excusatio alia. *Idem.*

Etiam] Adhuc. *Idem.*

Hem] Perculsi ac metuentis. *Idem.*

90 *Effertur*] Ἐκφέρεται. Græcum est: quod vitans Virgilius, ne diceret *effertur:* inquit, 'Tum corpora luce carentum Exportant tectis, et tristia funera ducunt.' *Efferri* proprie dicuntur cadavera mortuorum: et *ire* proprie ad exequias. Virgil. 'Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis Hanc patriam peperere.' *Idem.*

Effertur: imus: interea inter mulieres] Continuatur hæc pars narrationis vs. 100. 'funus interim procedit,' &c. inserta interim opportune descriptione Glycerii luculenta, non a pulcritudine tantum formæ, sed a modestia etiam morum: quod futuro socero maxime spectandum fuit. Poëta hic una eademque opera, Glycerio existimationem bonam, Pamphilo veniam, Simoni consilium (si agnitio scilicet accederet) præparat. *Bæclerus.*

Effertur] Narrationem hanc bene moratam et ad persuadendum accommodatam laudat Cicero: 'Nam is postquam excessit ex ephebis, quam longa est narratio? mores adolescentis, et servilis percontatio, mors Chrysidis, vultus et forma et

lamentatio sororis, reliqua pervarie et jucunde narrantur. Quod si hanc brevitatem quæsisset, 'Effertur, imus, ad sepulcrum venimus, In ignem posita est,' in his fere decem versiculis totum conficere potuisset. Quanquam hoc ipsum, 'Effertur, imus,' concisum est ita, ut non brevitati servitum sit, sed venustati. Quod si nihil fuisset, nisi 'In ignem posita est,' tamen res tota cognosci facile potuisset:' lib. de Oratore. *Farnab.*

91 *Unam aspicio*] Ex consuetudine dicit, *unam*, ut dicimus, 'Unus est adolescens:' tolle *unam*, et ita fiet ut sensui nihil desit: sed consuetudo mirantis non erit expressa. *Unam* ergo τῷ ἰδιωτισμῷ dixit: vel *unam*, pro quadam. *Donatus.*

92 *Forma et vultu*] Et hic duo sunt, et ætas et forma, quibus additur pudor: quia meretrix non est. *Idem.*

Forma et vultu] Forma immobilis est et naturalis: vultus movetur et fingitur. *Idem.*

Et vultu, Sosia, adeo modesto] Quia formæ laudatio cum meretrice commissa est, progreditur artifex Poëta ad laudanda ea, quæ honestiora sunt, quam forma. *Idem.*

Et vultu, Sosia] Quid hic deest, ut eam nurum dignetur Simo, nisi sola cognitio? et formam probat in puella Pamphili pater, et matronalem modestiam miratur in vultu, et venustatem stupet. Nonne ergo jam cernimus hoc præstruxisse Terentium, ut cum Chremetis filiam esse cognoverit Simo, hanc potius eligat, quam Philumenam, nurum? quanquam ex sororis pulchritudine, et amore Charini, et Davi laudatione; id ipsum quoque probe monstraverit nobis. *Idem.*

Vultu] Hæc laus adjuvat, post cognitionem, futuram nurum. *Idem.*

93 *Adeo modesto, adeo venusto*] *Modestus*, ad probitatem vultus et morum pertinet: *venustus*, ad naturam corporis. Atque adeo sibi vultum fingere multi possunt: formam nemo. *Idem.*

Ut nihil supra] Ἔλλειψις Terentiana: nam non necesse est subjungere duos versus. *Idem.*

94 *Quia tum mihi*] Excusatio necessaria. *Idem.*

Præter ceteras] Id est, plus quam ceteræ. *Idem.*

96 *Honesta ac liberali*] *Honesta*, ad formam, *liberali*, ad vultum retulit. *Idem.*

98 *Percussit*] Hoc est, suspicio, vel aliquid tale. *Idem.*

At at] Interjectio admirantis. *Idem.*

Atat] Ita scribi debet, *at at*, sic enim Græci; qui per duplex T scribunt tamen. Sed, aut valde fallor, aut hoc loco, propter metrum, scribi oportet, *at at at;* ut alibi apud nostrum hunc, et apud Plautum sæpius. *Faber.*

Atat! hoc illud est] Hæc vox *atat*, priore syllaba et producta et correpta invenitur: quod ex eo factum reor, quia cum antiqui hanc dictionem per duo t, in medio scriberent, ea syllaba positione longa erat: subtracto vero altero t, per parellipsin, brevis fiebat. Sed hoc loco quanta sit prior syllaba nihil refert: ex posteriore videtur versus laborare, cum t in fine corripiat syllabam: sed sustentatur ex veterum licentia, quibus etiam producebat. Livius Andronicus in Odyssea: 'Cum socios nostros mandisset impius Cyclops.' Ennius: 'It eques, et plausu cava concutit ungula terram.' Idem: 'Omnis cura viris uter esset induperator.' Item: 'Infit, O cives, quæ me fortuna fero sic Contudit indigno bello, confecit acerbo.' *Faërnus.*

Attat! hoc illud est] Sub. sic cogitabam: aut: egomet continuo mecum, ut supra: ceterum illa: 'Hoc illud est: hinc illæ lacrimæ: hæc illa est misericordia:' animum senis sollicitudine perturbatum ostendunt: multum enim hic repetitio, et interpretatio potest: in qua ipsi gradus ad animos spectatorum movendos valent: *hoc illud est*, scilicet *illa misericordia*, ejusque indices 'lacrimæ: quas communi humanitati datas credidi:' subest enim tacita *intellectionis figura*, amorem Pamphili hinc colligendum esse. Horatius ad proverbiale schema transtulit Epist. lib. I. 19. 'Hinc illæ lacrimæ.' *Bæclerus.*

Hoc illud] Δεικτικὸν ejus rei est, quam in animo conceperamus. Virgil. 'Hoc illud germana fuit.' *Donatus.*

99 *Hinc illæ lachrymæ*] *Hinc*, ex hac causa. *Idem.*

100 *Quam timeo*] Non videtur adhuc Sosiæ plenum amoris argumentum: adeo pendet ad ea quæ dicturus est Simo. *Idem.*

Evadas] Id est, exeas, vel pervenias. *Idem.*

Funus procedit] *Funus* a funalibus dictum est, ut supra notavimus: et est funus, pompa exequiarum. Et bene, *funus procedit, nos sequimur*, dixit, quasi post ipsam morituri: unde *exequiæ* dicuntur. *Funus interim procedit*] Ἀσύνδετον. *Idem.*

101 *Ad sepulchrum*] *Sepulchrum* κατ' ἀντίφρασιν dicimus, quod sine re pulchra sit: an quod ibi sine pulsu sint, id est, mortui? an quod illic animæ a vivis sepeliantur, id est, separentur? Et sepulchrum dixit futurum, non quod jam esset. *Sepulchrum* enim a sepeliendo dictum. Virgilius proprie, 'At pius Æneas ingenti mole sepulchrum Imposuit.' *Idem.*

102 *In ignem posita est*] Ἔλλειψις: non enim est *quæ*. Et mire: cum funus supra dixerit. *Idem.*

In ignem posita est] Varios gentium mores in condendis humandisque corporibus defunctorum vide apud Cic. I. Tusc. Quæst. Alex. ab Alexandro, lib. II. cap. 3. de Exequiis, funebri apparatu, pompa et ritu, adi Indicem nostrum poëticum tit. *Funus.* Farnabius.

Fletur] Hic bene impersonaliter, fletur ab omnibus: extrema enim quæque mortuorum omnes commovent ad lachrymas. *Donatus.*

Hæc soror] Id est, quam dixi esse sororem Chrysidis. *Idem.*

103 *Ad flammam*] Innuit affectum sororis, unde omnes vinceret: cæteri enim flent, hæc flammæ se ingerit. Virgil. 'Extinctum nymphæ crudeli funere Daphnim,... Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater.' *Donatus.*

104 *Ibi tum exanimatus*] A voluntate, a facultate, a summo ad imum, ubi sunt dicta et facta, ibi est πάθος, et mire *ibi*. Idem.

Ibi tum exanimatus, &c.] Quo minus antea suspicatus erat Simo de amore Pamphili, eo magis tum rerum argumentis victus perdoluit, itaque crescit orationis evidentia: cujus τὸ ἐνδιάσκευον καὶ διατυπωτικὸν Donatus hic egregia annotatione prosequitur: 'A voluntate,' &c. 'Omnia significanter,' &c. In quibus ipsis verbis magnam significationem esse, recte Idem observat. *Bæcler.*

105 *Bene dissimulatum*] *Bene*, multum: an quasi dolens, quod etiam negaturus sit Chremeti, dixit *bene?* Donatus.

Indicat] Omnia significanter: non ostendit, inquit, sed *indicat:* non accedit, sed *accurrit*, non vestem aut manus, sed *mediam mulierem*, non tenet, sed *complectitur:* et quia his tribus rebus inducitur in alicujus rei gestionem persona: affectu, facto, dicto. Affectus est, quod ait, *Ibi tum exanimatus Pamphilus.* Factum, quod ait,' *Accurrit, mediam mulierem complectitur.* Dictum, quod ait, *Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?* Idem.

Indicat] *Indicium* proprie est oris et linguæ: factis ergo indicat: non enim dixit, *amo.* Idem.

106 *Accurrit*] Virgilius: 'Interiora domus irrumpit limina, et altos Con-

scendit furibunda rogos.' *Idem.*

107 *Mea Glycerium*] *Mea*, quasi amator. *Idem.*

Glycerium] Quasi familiaris dixit. *Idem.*

Quid agis] Quasi perturbatus. *Id.*

Cur te is perditum] Quasi consolaturus. *Idem.*

108 *Ut consuetum facile amorem cerneres*] Mire, non suspicareris dixit, sed *cerneres:* et est ordo, ut facile cerneres: sed *cerneres*, sicut supra, 'Laudem invenias et amicos pares.' *Donatus.*

109 *Rejecit se in eum*] Objicitur ei quod a Glycerio factum est: ut, Quis enim unquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit, quam ille atque illius amici, ut ne hæc mihi delatio detur? *Idem.*

Rejecit se in eum flens; quam familiariter] Neque amplius errent in hujus loci interpretatione, sic illum distingui et interpungi curavi; nam istud, *familiariter*, non debet jungi cum, *flens*, sed cum, *rejecit de;* et verba sic ordinanda, *Tum illa flens rejecit se in eum familiariter.* Gallice dicas: *Elle se renversa sur luy fort familierement.* Neque enim consuetum illum amorem ex eo cognovit senex, quod Glycerium lamentaretur in funere Chrysidis (quid enim aliud? una cum illa usque a tenella ætate semper vixerat,) non ex eo, inquam, sed quod se in Pamphilum tam familiariter rejecisset. Emenda igitur versiones Gallicas. *Faber.*

110 *Quid ais*] Non interrogantis, sed mirantis est. *Donatus.*

Quid ais!] Ita scribi jussi in locis pœne infinitis, in queis antehac punctum interrogativum positum fuerat, cum notula admirationis ibi necessaria sit. Hoc moneo, nequis operarum Typographicarum negligentia toties peccatum fuisse arbitretur. In excerptis e Donato huic loco adscriptum fuit: QUID AIS: *non interrogantis, sed mirantis est.* In genere Comico nisi bene descripti libri fuerint, pereat sensus necesse est. *Faber.*

Iratus atque ægre ferens] *Iratus*, culpa *ægre ferens*, quia præter spem. *Donatus.*

Redeo inde iratus, atque ægre ferens: nec satis ad objurgandum caussæ] Observa gradus, quos servavit Poëta, in Patre, et viro humano æquoque: ex conjectura solicitudo oritur: 'Percussit ilico animum:' sequitur ex rerum indiciis mista dolori iracundia: *redeo inde iratus atque ægre ferens:* proximum erat, ut objurgatio filii expectaretur: sed in viro et patre tam moderato, hanc ratio distulit: 'Nec satis ad objurgandum caussæ: diceret quid feci, quid commerui, aut peccavi, pater?' (Ms. Biblioth. Argent. *quid merui aut quid peccavi*), &c. quam ergo *honesta oratione* filius declinare objurgationem potuisset, ne Chremetis quidem criminatio promovit: invenit æquitas patris aliam rationem, unde *ne hæc quidem satis vehemens causa ad objurgandum* videretur: id quod spectatoribus suavi *μιμήσει* ostenditur: donec denique manifesta injuria (detrectati scilicet, si forte, imperii patrii) *veram objurgandi causam* suppeditaret. *Bœclerus.*

111 *Nec satis*] Mire expressit indulgentiam patris erga filium. Erat, inquit, causa: sed pro amaritudine objurgationis non erat satis, hoc est, non idonea videbatur. *Donatus.*

Nec satis ad objurgandum] Deest *habui*, vel *erat.* Virgilius: 'Nec sat rationis in armis:' et hic, *erat*, vel *habui*, deest ad sententiam. *Idem.*

Diceret] Deest *enim.* Idem.

112 *Quid feci*] Mire fiduciam prætulit argumento, quod est in sequenti versu. *Idem.*

Quid feci, quid commerui, aut peccavi] Αὔξησις a majoribus ad minora. Et *feci* quasi facinus dixit. *Facere* enim quis et homicidium dicitur. *Commerui*, minoris culpæ est: *Peccavi*, multo minoris et levioris. *Id.*

113 *Quæ sese*] Illic, mea Glycerium: hic pronomen dixit. Mira dissimulatio, tanquam illam præter periculum nesciat. *Idem.*

Quæ sese voluit in ignem injicere prohibui] Et Donatus et omnes libri scripti Terentii ita collocant: *quæ sese in ignem injicere voluit, prohibui.* Faërnus.

Quæ sese in ignem inicere voluit prohibui] Meorum alter, et Biblioth. Argent. codices, *proicere*, habent. *Bœclerus.*

115 *Nam si illum*] Argumentum per ratiocinationem a contrario: ut si dicas: 'Viro forti præmium debetur, si desertori pœna constituta est.' *Donatus.*

Tulit] Pro attulit. Sed multa significat. Et alias *pertulit:* Virgilius: 'Non tulit hanc speciem furiata mente Chorœbus.' Alias *sustulit*, ut idem: 'Omnia fert ætas, animum quoque:' pro *aufert.* Idem.

116 *Illi*] Pro illo. *Idem.*

Dederit damnum aut malum] *Damnum*, rei est: *malum*, ipsius hominis. *Idem.*

Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum] Priscianus lib. XVIII. Græce vertit: τί ἂν ποιήσοις ἐκείνῳ, ὃς ἄρα δεδωκὼς ᾖ ζημίαν ἢ κακόν, ut supra vs. 97. 'quæ sit rogo,' τίς ἄρα εἴη: et vs. 100. 'quam timeo, quorsum evadat,' (ita enim legit) ὡς δέδοικα ποῖ ἄρα ἀποβαίη. *Bœclerus.*

117 *Venit Chremes*] Argumentum ex conjectura, de testibus. Et mire supra, 'Ultro venit ad me.' Ergo hic causa justi doloris ostenditur, quia dolet etiam Chremes: nam potuit, non daturus filiam, non venire. *Donatus.*

Postridie ad me, clamitans] Ut sine dilatione sciri posset: et *clamitans*, indignantis est: ut 'Clamant omnes.' *Idem.*

118 *Indignum facinus*] Distinguendum, ut per se intelligatur indignum facinus; et ipse doleat Pamphilum corrumpi. *Idem.*

Comperisse] Ergo ab aliis: ut appareat verum quod ait, *Tum uno ore omnes:* et, *Hac fama impulsus Chremes.* Idem.

Indignum facinus comperisse] Deest *se:* incertaque distinctio. *Idem.*

Pamphilum] Cum emphasi dixit, id est, pudentem et bene moratum. Et nec amicam, sed *pro uxore.* Mire ergo, quasi non hoc doleat quod amet, sed quod pro uxore habeat. Et simul excusatur filiam denegaturus socer. *Donatus.*

119 *Hanc peregrinam*] *Hanc* cum contemptu dictum est, et *peregrinam*, ut alibi: 'Adeone est demens ex peregrina?' nam hoc nomine meretrices etiam nominabantur. *Idem.*

Peregrinam] Male audiebant peregrinæ, tanquam meretrices. *Farnabius.*

Ego illud sedulo] Quanto affectu pater factum, quod viderat, negabat! *Donatus.*

Sedulò] Quomodo *sedulo*, si negabat? an *sedulo*, ut Sosiæ? id est, simpliciter. *Idem.*

Sedulo] Quia non semel negavit, vel ille institit.

120 *Factum*] Impersonaliter. *Id.*

Negare factum] Officium patris, et simul per hoc expressio probationis. *Idem.*

Ille instat factum] Plautus, 'Instare factum:' similis est ἀρχαϊσμός. *Idem.*

Instare factum] Vetuste, id est, instat dicere factum esse. *Idem.*

Denique] Quid denique? ad summam properat, et ad finem dictorum. *Idem.*

Denique] Id est, postremo. *Idem.*

121 *Discedo*] Proprie: non enim abeo. Unde *discessio.* Idem.

Ut qui se neget] Probavit, quod non volebat senex, Sosiæ: adhuc superest ut ostendat, quod non sit irascendum, quin juste irascatur. *Idem.*

122 *Non tu ibi gnatum*] Ἀποσιώπη-

σις, vel ellipsis : deest, invasisti, objurgasti, adortus es. *Idem.*

123 *Ad objurgandum*] Incusandum, inclamandum. *Idem.*

124 *Tute his rebus*] Modo non addidit, *diceret*. Idem.

125 *Prope adest*] Prope adsunt nuptiæ : in proximo sunt metæ libertatis : et ideo avidius voluptaria sub finem carpenda sunt. *Idem.*

Prope adest] Dictus est dies nuptiis : prope est cum amore et fide conjugali vivendum : liceat interea meo arbitratu, libero ac amatorio, vivere, atque hoc ex licentia morum Atticorum, scena sequenti, 'Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum,' &c. *Farnabius.*

Quum alieno] *Quum*, pro *quo*; hoc enim significat *quum*. Donatus.

126 *Meo me vivere interea modo*] *Meo modo*, mea voluntate, meo arbitrio. *Idem.*

Quis igitur relictus est objurgandi locus] In prima sede diceres esse Pæanem quartum : (id est, tres breves et unam longam :) at non est ; nam vel S eliditur in prima syllaba, vel R in quarta. Itaque aut erit Anapæstus, aut, si mavis, Proceleusmaticus ; qui et in Iambo locum habet. Sed istius nil opus est : nam in Ms. Rivii optime legebatur, *Qui igitur*; veteres autem sæpissime illud QUI, pro QUIS, usurpabant : octo et plura exempla sunt apud Terentium. *Faber.*

Relictus est objurgandi locus] Mire *objurgandi :* tanquam incensus pater in filium videretur : nam supra commotus, plus per ἀποσιώπησιν significaverat. *Donatus.*

128 *Si propter*] Hoc erat secundum in divisione, 'Et consilium meum cognosces.' *Idem.*

Si propter amorem] Initium consilii sui demonstrandi. *Idem.*

Nolit] Legitur et *nollet*. Idem. [In nostris Var. Lectt. pro *Notet* lege *Nolet.*]

129 *Ab illo animadvertenda injuria*] Nota participium a passivo : *animadvertenda*, castiganda, vindicanda est. *Donatus.*

Ab illo injuria] Quam facit, non quam patitur. *Idem.*

Ea primum animadvertenda] Ut jam hoc sit peccatum, quod recusat nuptias, non quod peccat adolescens. Ideo ergo primum dixit, animadvertenda injuria est, vindicanda, exequenda est. Et bene *ea ab illo* dixit *injuria :* certissimam enim notat personam, quæ debeat pro injuriis pœnas solvere : quod si dixisset, *Injuriam ejus*, ἀμφιβολίαν fecisset, utrum quam passus est ab alio, an quam ipse aliis intulit. *Idem.*

130 *Et nunc id*] Hic reddit quod dixerat, *Consilium meum cognosces.* Idem.

Id] Id est, *propter id.* Idem.

Et nunc id operam do] Don. hic reddit quod dixerat, Consilium meum cognosces : postquam scil. gnati vita erat exposita : sicut vs. 141. 'nunc tuum est officium,' &c. ad illam tertiam partem de propositis pertinet : 'et quid facere in hac re te velim.' vss. 22. et 23. *Bœclerus.*

131 *Vera*] Ἀντίθετον : quia *falsa* dixit, intulit *vera*. Donatus.

133 *Nunc cum nihil obsint doli*] Videtur legendum, *obsunt*, non tamen muto : omnes enim libri habent, *obsint*. Faërnus.

Consumat nunc, cum nihil obsint doli] Incassum perdat, absque damno meo. *Farnabius.*

134 *Quem ego credo manibus ped. &c.*] Observa *frequentationem verborum* in describenda pravitate Davi, quæ statim ab initio noscenda erat. Hunc enim sensum ; 'adversum me studebit omnia facere Davus,' quam operose extulit : *quem ego credo facturum omnia*, (ubi τὸ *ego* non est otiosum,) quo studio, quo conatu? *manibus pedibusque :* nondum sufficit proverbialis amplificatio; additur *obnixe*, quod 'instanter contra conantem,' Donato interprete, velut ob oculos ponit : quo consilio fructuque? non tam *ut obsequatur gnato meo*, (nam id probabile de servo erga herilem filium occurrebat,) quam offendendi heri causa, quod extremæ improbitatis est : sed asseverata gravitas est in his : *magis id adeo, mihi ut incommodet, quam ut obsequatur gnato :* ubi ipsa voce *incommodandi*, nocendi lubidinem signari Donatus vidit : quæ ut efficacius ostenderetur, admiratione Sosiæ, elicitur sententiæ gravissimæ ἐπισφράγισμα : *mala mens, malus animus*, de quo vide Chrestomath. in Anim. *Bœclerus.*

Manibus pedibusque] Proverbiale, id est, omnibus membris. *Donatus.*

Manibus pedibusque obnixe omnia] Ὅσσον δύναται χερσίν τε ποσίν τε, Καὶ σθένει. Hom. Il. v. πανσυδίῃ Il. ιι. *Farnabius.*

Obnixe] Cum conatu, instanter contra conantem. *Donatus.*

135 *Magis id*] *Id*, propter id. *Idem.*

Incommodet] Noceat, incommodum afferat. *Idem.*

Mihi ut incommodet] Non enim, inquit, prodest filio amare meretricem. *Idem.*

Mihi ut incommodet] Naturale est servis odisse dominos : quos metuunt oderunt : quot servos, tot habemus hostes, genus gratuito malum, τοῖς δεσπόταις ἀεὶ ἐχθρὸν καὶ πολέμιον, κἂν χρηστοῖς δεσπόταις δουλεύωσιν. Marcellin. in Hermogenem. vid. 47. Epist. Senecæ. *Farnabius.*

136 *Quapropter*] Mire Sosia interrogat, quasi nulla causa sit fallendi dominum. *Donatus.*

137 *Mala mens*] Voluntas, est mens, etiam ratio. *Donatus.*

Mala mens] Argumentum a natura, et an aliquis sine causa malus, an ab impulsione. *Idem.*

Mala mens] Quia dixit, Magis ut lædat, quam ut prosit. *Idem.*

Mala mens] Ex malæ mentis fonte profluunt malæ imaginationes, mala voluntas, consilia prava, operationes malæ. *Farnabius.*

Quem quidem ego si sensero] Ἀποσιώπησις est, gravissimam pœnam ostendentis. *Donatus.*

140 *Exorandus*] Legitur et *expurgandus*. Si *expurgandus*, lege *cui*, non *qui :* quia *cui* per *q* veteres scripsere. *Idem.*

Confore] Ab eo quod est *confit*, id est, perficitur, futurum tempus infinitivi modi *confore*, id est, perfectum iri. Sic in Adelphis, 'Verum quid ego dicam? hoc confit quod volo.' *Confieri*, id est, perfici : unde *confectum negotium* dicitur, vel *confecta res :* quæ ad plenum perficitur. Virgilius: 'Nunc qua ratione quod instat, Confieri possit, paucis, adverte, docebo.' *Idem.*

141 *Nunc tuum est officium*] Hoc ad illud tertium respicit, quod dixit, 'Et quid facere in hac re te velim.' 'Has bene ut adsimules nuptias : perterrefacias Davum :' hoc erat tertium de his, quæ dicturum se promiserat. *Idem.*

Adsimules] Hoc est unum verbum. *Adsimules :* quod dixit, 'Quin tu uno verbo dic, quod est quod me velis.' *Idem.*

142 *Perterrefacias*] Venuste et Poëtice. *Idem.*

Observes filium] Observatio in duabus rebus est, in obsequio et speculando. *Idem.*

144 *Curabo*] Ut coquus : et supra sic, 'Nempe ut curentur recte hæc.' *Idem.*

I præ] Figura ἀναστροφή, quod nos *præi* dicimus. *Idem.*

I præ, sequar] Victorianus liber, *sequor :* quod magis videtur consuetudini sermonis accommodatum. *Faërnus.*

SCENA II. Constat hæc scena Iambicis senariis et octonariis, (quibus interjicitur dimeter horizon,) cum tro-

σις, vel ellipsis : deest, invasisti, objurgasti, adortus es. *Idem.*

123 *Ad objurgandum*] Incusandum, inclamandum. *Idem.*

124 *Tute his rebus*] Modo non addidit, *diceret.* Idem.

125 *Prope adest*] Prope adsunt nuptiæ : in proximo sunt metæ libertatis: et ideo avidius voluptaria sub finem carpenda sunt. *Idem.*

Prope adest] Dictus est dies nuptiis : prope est cum amore et fide conjugali vivendum : liceat interea meo arbitratu, libero ac amatorio, vivere, atque hoc ex licentia morum Atticorum, scena sequenti, 'Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum,' &c. *Farnabius.*

Quum alieno] *Quum*, pro *quo;* hoc enim significat *quum.* Donatus.

126 *Meo me vivere interea modo*] *Meo modo*, mea voluntate, meo arbitrio. *Idem.*

Quis igitur relictus est objurgandi locus] In prima sede diceres esse Pæanem quartum : (id est, tres breves et unam longam :) at non est ; nam vel S eliditur in prima syllaba, vel R in quarta. Itaque aut erit Anapæstus, aut, si mavis, Proceleusmaticus ; qui et in Iambo locum habet. Sed istius nil opus est : nam in Ms. Rivii optime legebatur, *Qui igitur ;* veteres autem sæpissime illud QUI, pro QUIS, usurpabant : octo et plura exempla sunt apud Terentium. *Faber.*

Relictus est objurgandi locus] Mire *objurgandi :* tanquam incensus pater in filium videretur : nam supra commotus, plus per ἀποσιώπησιν significaverat. *Donatus.*

128 *Si propter*] Hoc erat secundum in divisione, 'Et consilium meum cognosces.' *Idem.*

Si propter amorem] Initium consilii sui demonstrandi. *Idem.*

Nolit] Legitur et *nollet.* Idem. [In nostris Var. Lectt. pro *Notet* lege *Nolet.*]

129 *Ab illo animadvertenda injuria*] Nota participium a passivo : *animadvertenda*, castiganda, vindicanda est. *Donatus.*

Ab illo injuria] Quam facit, non quam patitur. *Idem.*

Ea primum animadvertenda] Ut jam hoc sit peccatum, quod recusat nuptias, non quod peccat adolescens. Ideo ergo primum dixit, animadvertenda injuria est, vindicanda, exequenda est. Et bene *ea ab illo* dixit *injuria :* certissimam enim notat personam, quæ debeat pro injuriis pœnas solvere: quod si dixisset, *Injuriam ejus*, ἀμφιβολίαν fecisset, utrum quam passus est ab alio, an quam ipse aliis intulit. *Idem.*

130 *Et nunc id*] Hic reddit quod dixerat, *Consilium meum cognosces.* Idem.

Id] Id est, *propter id.* Idem.

Et nunc id operam do] Don. hic reddit quod dixerat, Consilium meum cognosces : postquam scil. gnati vita erat exposita : sicut vs. 141. 'nunc tuum est officium,' &c. ad illam tertiam partem de propositis pertinet : 'et quid facere in hac re te velim.' vss. 22. et 23. *Bœclerus.*

131 *Vera*] Ἀντίθετον : quia *falsa* dixit, intulit *vera.* Donatus.

133 *Nunc cum nihil obsint doli*] Videtur legendum, *obsunt*, non tamen muto : omnes enim libri habent, *obsint.* Faërnus.

Consumat nunc, cum nihil obsint doli] Incassum perdat, absque damno meo. *Farnabius.*

134 *Quem ego credo manibus ped. &c.*] Observa *frequentationem verborum* in describenda pravitate Davi, quæ statim ab initio noscenda erat. Hunc enim sensum ; 'adversum me studebit omnia facere Davus,' quam operose extulit : *quem ego credo facturum omnia*, (ubi τὸ *ego* non est otiosum,) quo studio, quo conatu? *manibus pedibusque :* nondum sufficit proverbialis amplificatio; additur *obnixe*, quod 'instanter contra conantem,' Donato interprete, velut ob oculos ponit: quo consilio fructuque? non tam *ut obsequatur gnato meo*, (nam id probabile de servo erga herilem filium occurrebat,) quam offendendi heri causa, quod extremæ improbitatis est : sed asseverata gravitas est in his : *magis id adeo, mihi ut incommodet, quam ut obsequatur gnato :* ubi ipsa voce *incommodandi*, nocendi lubidinem signari Donatus vidit : quæ ut efficacius ostenderetur, admiratione Sosiæ, elicitur sententiæ gravissimæ ἐπισφράγισμα : *mala mens, malus animus*, de quo vide Chrestomath. in Anim. *Bœclerus.*

Manibus pedibusque] Proverbiale, id est, omnibus membris. *Donatus.*

Manibus pedibusque obnixe omnia] Ὅσσον δύναται χερσίν τε ποσίν τε, Καὶ σθένει. Hom. Il. v. πανσυδίῃ Il. II. *Farnabius.*

Obnixe] Cum conatu, instanter contra conantem. *Donatus.*

135 *Magis id*] *Id*, propter id. *Idem.*

Incommodet] Noceat, incommodum afferat. *Idem.*

Mihi ut incommodet] Non enim, inquit, prodest filio amare meretricem. *Idem.*

Mihi ut incommodet] Naturale est servis odisse dominos : quos metuunt oderunt : quot servos, tot habemus hostes, genus gratuito malum, τοῖς δεσπόταις ἀεὶ ἐχθρὸν καὶ πολέμιον, κἂν χρηστοῖς δεσπόταις δουλεύωσιν. Marcellin. in Hermogenem. vid. 47. Epist. Senecæ. *Farnabius.*

136 *Quapropter*] Mire Sosia interrogat, quasi nulla causa sit fallendi dominum. *Donatus.*

137 *Mala mens*] Voluntas, est mens, etiam ratio. *Donatus.*

Mala mens] Argumentum a natura, et an aliquis sine causa malus, an ab impulsione. *Idem.*

Mala mens] Quia dixit, Magis ut lædat, quam ut prosit. *Idem.*

Mala mens] Ex malæ mentis fonte profluunt malæ imaginationes, mala voluntas, consilia prava, operationes malæ. *Farnabius.*

Quem quidem ego si sensero] Ἀποσιώπησις est, gravissimam pœnam ostendentis. *Donatus.*

140 *Exorandus*] Legitur et *expurgandus.* Si *expurgandus*, lege *cui*, non *qui :* quia *cui* per *q* veteres scripsere. *Idem.*

Confore] Ab eo quod est *confit*, id est, perficitur, futurum tempus infinitivi modi *confore*, id est, perfectum iri. Sic in Adelphis, 'Verum quid ego dicam? hoc confit quod volo.' *Confieri*, id est, perfici : unde *confectum negotium* dicitur, vel *confecta res :* quæ ad plenum perficitur. Virgilius: 'Nunc qua ratione quod instat, Confieri possit, paucis, adverte, docebo.' *Idem.*

141 *Nunc tuum est officium*] Hoc ad illud tertium respicit, quod dixit, 'Et quid facere in hac re te velim.' 'Has bene ut adsimules nuptias : perterrefacias Davum :' hoc erat tertium de his, quæ dicturum se promiserat. *Idem.*

Adsimules] Hoc est unum verbum. *Adsimules :* quod dixit, 'Quin tu uno verbo dic, quod est quod me velis.' *Idem.*

142 *Perterrefacias*] Venuste et Poëtice. *Idem.*

Observes filium] Observatio in duabus rebus est, in obsequio et speculando. *Idem.*

144 *Curabo*] Ut coquus : et supra sic, 'Nempe ut curentur recte hæc.' *Idem.*

I præ] Figura ἀναστροφὴ, quod nos *præi* dicimus. *Idem.*

I præ, sequar] Victorianus liber, *sequor :* quod magis videtur consuetudini sermonis accommodatum. *Faërnus.*

SCENA II. Constat hæc scena Iambicis senariis et octonariis, (quibus interjicitur dimeter horizon,) cum tro-

chaicis, 10. et 11. vs. alter ex Ms. meis ita habet: *Sperantes jam amoto metu interea oscitantes opprimi Posse, nec esse spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.* Alter pro *interea*, *inter* præfert: sicut et Argentoratensis; in quo secunda manu deleto τὸ *inter* factum est *interea.* Idem Codex Argent. vs. 11. *ne esset nobis spacium cogitandi ad dist. nupt.* Meorum alter: *ne nobis esset sp.* male. v. Guyet. vs. 19. tres Mss. nostri habent: *dehinc postulo, sive æquum est, Dave, te oro, ut redeat jam in viam:* placet collocatio verborum. Iidem vs. 21. pro *cepit* habent *ceperit:* unus, *accepit*, vs. 33. et 34. ut edidimus. Donatus pro *hoc*, *haud:* quem sequitur Faërnus. vs. 20. *hoc quid sit;* in Ms. Argentor. glossema in textum irrepsit: *Hoc quid sit nescio. S. si quæras dicam omnes, &c.* Bœclerus.

1 *Non dubium*] *Narratione jam habita, persona Sosiæ non erat necessaria: ergo subsistit senex, per quem agenda sunt reliqua.* Donatus.

Non dubium] Ad hoc certus inducitur Simo, ut magis perturbetur inopinata consensione Pamphili ad ducendam uxorem, et præterea nihil agat cum Chremete de tradenda filia, confirmandisque nuptiis. *Idem.*

Non dubium est, quin, &c.] Hinc enim verius est, scenam ordiri. Certus autem inducitur senex, ut magis confundatur postea, ubi aliter evenire sentiet: προοικονομοῦνται γὰρ ταῦτα τῇ ἐπιτάσει. Vide Don. *Bœclerus.*

2 *Ita modo Davum timere sensi*] Non recessit de loco senex: *Sensit* ergo ante, quam cum Sosia loqui cœpisset. *Donat.*

Ita modo] Argumentum quod supra, ab eo quod nostri faciunt. *Modo:* ante quam cum Sosia loqui cœpisset Simo. Et *Davus* non recte scribitur, *Davos* scribendum: quod nulla litera vocalis geminata unam syllabam facit. Sed quia ambiguitas vitanda est nominativi singularis et accusativi pluralis, necessario pro hac regula digamma utimur, et scribimus, *DaFus, serFus, corFus.* Donatus.

4 *Mirabar hoc*] Hic locus est, in quo Davus insinuatur, spectatoribus multa gesturus. *Idem.*

Si sic] *Sic*, pro leviter et negligenter, quod Græci οὕτως dicunt: significat autem οὕτως, id est, *sic:* et est de his, quæ adjuvanda gestu sunt: ut *tantillum puerum:* et, *Hujus non faciam.* Idem.

Semper-lenitas] Sic scribendum per subunionem, (Græci ὑφὲν vocant). Ita Plautus in Persa dixit *nunc-homines*, id est, qui nunc vivunt: Tibullus, *antecomas*, pro capillis qui non sint amplius. Catullus, *olim-furores:* Virgilius *ante-malorum*, quæ prius tolerata fuerunt. Multa alia id genus alibi congessi; ad Lucretium, opinor. *Faber.*

Lenitas] Clementia, facilitas: cui contraria, asperitas et difficultas. *Et heri semper lenitas.* An *semper-lenitas?* ut sit ὑφέν. Lucretius, 'Semper florentis Homeri.' *Donatus.*

Semper lenitas] Ac per hoc simulata usque nunc lenitas: nam nemo in diversis actibus semper lenis est: nisi forte fictus assimulator et callidus. *Idem.*

Semper lenitas] Sine differentia est importuna lenitas. *Idem.*

Heri semper lenitas, &c.] Falluntur omnino cum Donato qui τὸ *semper lenitas* per ὑφ' ἓν copulant: trajectio verborum est, ut recte Guyetus notat. *Bœclerus.*

Semper lenitas] Per ὑφ' ἓν jungi volunt, ut sit continuata et usque nunc simulata lenitas, in subsidio latens, opportunitatem erumpendi captans. *Farnabius.*

5 *Quorsum evaderet*] Ad quam partem erumperet. Et *evadere* est per quamcumque difficultatem ad aliquid pervenire. *Donatus.*

7 *Verbum fecit*] Non dixit litigium aut rixam, sed *verbum.* Istæ exiguitates asseverationes dicuntur: et cum pronuntiatione, ut intelligatur,

ne verbum quidem. *Idem.*

Neque id ægre tulit] Hoc est *semper lenitas.* Idem.

8 *Faciet*] Subaudiendum *verbum:* et est *faciet* persona tertia, pro prima. *Idem.*

Faciet] Id est, irascetur, denunciabit, loquetur. *Idem.*

Sine tuo magno malo] Id est, comminabitur tibi, et minas contemnes, ut ad pœnas pervenias. *Idem.*

9 *Id voluit*] Aut absolute accipiendum *id:* aut *id*, quomodo *sic*, demonstratio est, ut magis gestu quam sensu intelligatur, ut supra diximus. *Idem.*

Nec opinantes] Ὑφέν. *Idem.*

Duci] *Ducere* est expectatione longi temporis malum proletare: vel *induci*, ut feræ in retia. *Idem.*

Falso gaudio] Velut ex ira, et vitæ senis iracundia. *Idem.*

Falso gaudio] Adi Senecam Epist. LIX. ubi *mala gaudia* et *falsa gaudia* excutiuntur. *Farnabius.*

10 *Amoto metu*] Ista singula sunt: et *amoto metu* sic dixit, quasi metus sit corpus brutum, quod cum molimine movetur. *Donatus.*

Oscitantes] *Oscitatio* est animi otium et securitas, dictum ab *ore ciendo*, id est, commovendo. *Oscitantes*, securi, id est, nihil providentes. *Idem.*

Oscitantes opprimi] Al. *inter oscitantes:* hoc est, securos ac negligentes. 'Deliberatum est,' inquit Agellius, 'de nota ejus, qui ad censores ab amico advocatus est, et in jure stans clare nimis ac sonore oscitavit. Atque mihi, prope ut plecteretur fuit; tanquam illud indicium vagi animi foret et hallucinantis, atque fluxæ et apertæ securitatis,' &c. IV. l. 20. c. *Farnabius.*

11 *Cogitandi ad disturbandas*] Miranda locutio: ut si dicas, *Cogitat ad dicendum.* Donatus.

12 *Astute*] Hoc et gestu, et vultu servili, et cum agitatione capitis dixit. *Idem.*

Carnifex] Aut excarnificans dominum, aut ipse dignus carnifice, ut caro fiat, id est, lanietur. Lucilius: 'Carcer vix carcere dignus.' *Idem.*

Neque provideram] Providentia duplex est; aut enim animo, aut oculis providemus. *Idem.*

Herus est, neque provideram] Omnes fere libri *provideram:* licet aliter Donatus: provideram autem pro porro videram. Plautus in Asinaria: 'Non hercle te provideram.' *Faërnus.*

13 *Hem*] Quasi correptio totius corporis. *Donatus.*

Ehodum] Nutus est, intentionem animadversionemque deposcens ejus, cum quo vult loqui. *Idem.*

Ehodum] *Dum* παρέλκον est hoc loco. *Idem.*

Quid hic volt] More servili, et vernili gestu, sic enim vocati a dominis servi vultuose agunt. *Idem.*

Qua de re] Negantis vim habet hæc interrogatio: plus est enim *qua de re*, quam *nihil.* Idem.

Rogas] Hoc cum interrogatione indignantis. *Idem.*

Hem quid est? &c. quid hic vult? qua de re] Digna sunt hæc, quæ explicentur: cum Davus conspecto hero perturbatus ad spectatores dixisset, *herus est neque provideram*, adhuc dissimulat, visum sibi esse herum, donec ad vocem vocantis circumspectat et quasi nescius, a quo vocaretur, *hem, quid est?* inquit: unde herus denuo; *ehodum ad me:* quasi dicat huc specta, ego te vocavi: tum Davus, demurmurat secum: *quid hic vult?* itaque herus iterum: *quid ais?* id est, quid tu murmuras? respondet ille: *qua de re?* id est, nihil equidem: ut accipit Donatus: ita vis verborum negat, forma interrogat, ut possit locus esse Simonis instantiæ: *rogas?* sub. qua de re te loqui putem: et jam velut ex abrupto, quid ipse cum Davo velit agere, infert: *meum gnatum rumor est amare:* qui *rumor* quia in populo

esse intelligitur, Davus eludendi occasionem captans, *id populus curat scilicet*, inquit, id est, quasi populus de amore unius adolescentuli sollicitus esset. Sed instat iterum senex: *hoccine agis, an non?* præcidere volens omnem elabendi occasionem, attendere animum jubet, et ad rem respondere, unde constrictus Davus, *ego vero istuc ago*, inquit: et simulans attentionem singularem, cum Simo rem ipsam cœptaret disserere, in ignorantiam et admirationem compositus, ait: *hoc quod sit*, sub. non intelligo: in qua simulatione perstat, donec senis interminatione excutitur. Confer omnino ad principium hujus astus, id est, ad illam Davi tergiversationem, act. II. sc. 6. pr. Gallus interpres ita accipit illa: *quid ais*, id est, quid videtur tibi? *qua de re?* id est, de qua re loqueris, here, aut interrogas, quid mihi videatur? *rogas? meum gnatum rumor est amare:* id est, an tu hoc nescias? rumor incedit per urbem, filium meum seductum amori operam dare: *τὸ id populus curat scilicet*, Cicero proverbiali schemate usurpavit ad Attic. lib XIII. ep. 34. *Bœclerus.*

14 *Meum gnatum rumor est amare*] Mire apud servum dissimulat id, quod jam probavit. *Donat.*

Meum gnatum rumor est amare] Graviter constanterque senex nondum se fatetur credere, nec verum scire: ne amittat vim vindicaturi, si resciverit. *Idem.*

Id populus curat scilicet] Quia rumigeratio populi est: sed hoc aversus ab illo contumaciter: sic Virgilius: 'Scilicet is Superis labor est.' *Scilicet* semper cum *εἰρωνείᾳ* ponitur. *Idem.*

Id populus curat scilicet] Quasi vero id populo curæ sit, de filii tui amore rumigerare vel rumiferare, ut loquitur Plautus Amphitr. II. act. 2. sc. *Farnabius.*

15 *Hoccine agis*] *Agis*, id est, audis. Alibi sic, 'Hoc age ambo.' Plautus: 'Hoc agite sultis Spectatores nunc jam.' Pronuntians simul demonstrative, veluti aurem suam tangens. *Donatus.*

Isthuc] Deest *ago*, vel *audio*. Idem.

S. *Hoccine agis an non?* D. *ego vero isthuc*] Non abs re fuerit hoc loco dicere, quod jam dicturus sum; nempe HIC apud meliores Latinitatis scriptores sumi pro MEUS, at ISTE pro TUUS. Primæ personæ est HIC, secundæ autem ISTE, vel ISTHIC. Ejus rei tam multa apud Terentium et Plautum exempla sunt, ea ut colligere pigeat. Itaque si locus hic Terentii mihi Gallice convertendus esset, non dicerem ut nuperi interpretes; *Pense-tu bien à ce que* TU *dis?* imo autem sic verterem: *Pense-tu bien à ce que* JE *dis?* atque ita, si Davus sic responderet; *Ego vero isthuc;* id ego ita converterem: *Ouy vrayement, je pense à ce que vous dites.* Herus interrogat per HOC, at servulus per ISTHUC respondet. *Faber.*

Sed nunc ea me exquirere, iniqui patris est, &c.] In hanc orationem Simonis, omnemque ejus in tolerandis amoribus indulgentiam, Rivius non perfunctorie invehitur: merito: sed meminisse tamen debemus, hanc temporis non hominis labem fuisse. Quo fit ut hæc oratio, vera æstimatione, negligentis et nimium blandi; pro moribus temporum, lenis et mansueti patris habeatur: itaque non aliter Laches loquitur in Hecyra IV. 4. 62. &c. adde Chremetis orationem Heaut. I. 2. 32. &c. et III. 1. 34. &c. At si quis ex Poëta sciscitatus esset, an hic 'inepta lenitas patris et facilitas prava,' qualem in Adelphis Micioni dedit, notaretur, non dubium est, quin negasset. Muretus ad *εἰρωνείαν* confugit: hæc hic locum sane habere nequit. Ad moris Attici infamiam referenda sunt omnia: adversus quem talis querela locum habet, qualem

Isocrates in Areopagitica, meliorem antiquioris ævi disciplinam comparans, instituit. Prætexuntur interim, ut fieri solet corruptis civitatis moribus, honestiora vocabula. Simo enim, hic speciem quandam juris effingit; cui postea utilitatem superinducit: agnovit utrumque Donatus: nam ad illa verba, 'iniqui patris est,' annotat: 'Iniqui est, si nunc velim quærere actus liberos adolescentis:' quasi scilicet, postquam excessissent ex ephebis filii, liberius vivendi potestas, ut superiore scena dixit, patris imperio et auctoritati ipso jure limites poneret. Quando autem Simo addit, 'sivi animum ut expleret suum,' Donatus, 'mira ratio,' inquit, 'cur siverit, ut et hoc quod permisit, ad bonam frugem permiserit, non ad luxuriam.' Subest in his tertium schema, *temporis* usque ad matrimonium definiti *brevitas:* quæ cum patribus obtentui sumpta esset, filiis in titulum juris placuit, ut ex illis videre licet: 'Tute ipse his rebus finem præscripsisti pater, Prope adest, quum alieno more vivendum est mihi, Sine nunc meo me vivere interea modo.' *Bœclerus.*

Ea me exquirere] Scena præcedente 'Prope adest, cum alieno,' &c. et scena I. act. 2. et scen. VI. act. 2. *Farnab.*

16 *Iniqui patris est*] Iniqui est, si nunc velim quærere actus liberos adolescentis. *Donatus.*

Nam quod antehac fecit] Pro *ante hæc*, consuetudine magis, quam ratione dicitur. *Idem.*

Nihil ad me] Id agit, ut superius consilium se servare ostendat. *Idem.*

17 *Dum tempus ad eam rem tulit*] Absolute: et deest *se:* ut sit, Dum tempus se præbuit: quia supra dixit, 'Tute his rebus finem præscripsti pater.' *Idem.*

Sivi, animum ut expleret suum] Mira ratio cur siverit, ut et hoc quod permisit, ad bonam frugem permiserit, non ad luxuriam. *Sivi* autem distingue: est autem *sivi*, modo, permisi, cessavi. *Sivi*, antique. Aliter in Adelphis: 'Non sivit egestas facere hoc nos.' *Idem.*

18 *Nunc hic dies aliam vitam adfert*] Hoc est, recte, et severe, et inexorabiliter denuntiat. *Aliam vitam*, pro diversam et contrariam. Sic et Virgilius: *Diis aliter visum est.* Idem.

Nunc hic dies] *Hic dies* habent omnes libri scripti, et Donatus. *Faërnus.*

Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat] Cicero, more suo, ad consilia de Rep. accommodat Epist. Famil. XII. 25. ad Cornificium: 'Accipio excusationem tuam de Sempronio: neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti: nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat, ut ait Terentius.' *Bœclerus.*

Nunc hic dies aliam vitam adfert] Citat hunc versum Cicero l. XII. 25. Epist. Famil. Ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα. Prov. apud Zenobium. *Farnabius.*

19 *Postulo, sive æquum est, te oro Dave*] Correctio addita, non tam *εἰρωνείαν* spectat, quam vim jubendi intendit. 'Major enim ad impetrandum vis est, eum rogare, qui possit jubere;' ut hoc Servii verbis dicam ad 6. Æn. v. 'Idem orans mandata dabat.' *Bœclerus.*

Sive æquum est] Epanorthosis amara. *Farnabius.*

Te oro Dave] Gravius illud fecit, nomen appellando. *Donatus.*

Ut redeat jam in viam] *Jam* modo tarditatis est signum: et *in viam* dixit, quasi qui devius sit, et errarit a recta via. *Idem.*

Ut redeat jam in viam] Proverbiale. *Idem.*

Sive æquum est] Ἐπανόρθωσις. *Idem.*

20 *Hoc quid sit*] Ἔλλειψις: deest enim *quæris*. Idem.

21 *Ita aiunt*] Hæc credunt et loquuntur universi: et est trepida confessio, et quasi inviti responsio: ut

in Heantont. *Ita credo:* monente patre filium. *Idem.*

Tum si quis magistrum] Μεταφορικῶς, an quia et pædagogus est magister? ut Geta in Phormione, 'Me filiis relinquunt quasi magistrum.' *Idem.*

Ad eam rem] Id est, supra eam rem; hoc est, super amorem. *Idem.*

Improbum] Cujus opera et consilio improbo seducatur, ut Pamphilus tuo. *Farnabius.*

22 *Animum ægrotum*] Pro *ægrum*, nam animus æger, corpus ægrotum. *Donatus.*

Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumque applicat] Scilicet, ut μιμήσει Horatiana, Epist. I. 8. se indicet homo talis, mente minus validus, quam corpore toto: 'Nil audire volo, nil discere, quod levet ægrum; Fidis offendor medicis, irascor amicis; Cur me funesto properent arcere veterno? Quæ nocuere, sequor: fugio quæ profore credam.' *Bœclerus.*

Ægrotum, &c.] Stoici cupiditates et affectus animi morbos esse sentiunt. Cic. Tusc. Quæst. *Farnabius.*

23 *Hem*] Interjectio est irascentis. *Donatus.*

Davus sum, non Œdipus] Multiplex contumelia: potest enim senem quasi sphingem dixisse, id est, deformem monstrique similem: potest etiam inhumanum et ferum, ut sphinx. Potest etiam per Œdipum se ultorem promittere futurum, atque oppressorem sapientiæ senis. *Idem.*

Davus sum, non Œdipus] Facete se negavit Œdipum, ut senem sphinga esse confirmet, non Œdipum. Imitationum duo sunt genera: quandam necessitas, quandam introducit voluntas. *Idem.*

Non Œdipus] Si Latine pronunties, genitivus *Œdipi* faciet, si Græcè, *Œdipodis.* Idem.

Davus sum, non Œdipus] Servus sum barbarus et simplex; non Œdipus, qui ænigmata et perplexa problemata possim solvere: vide quid nos ad Thebaida Senecæ 119. vers. Οὐ μάντις εἰμὶ τ'ἀφανῆ γνῶναι σαφῶς. Euripid. *Œdipo conjectore est opus.* Farnabius.

24 *Sane quidem*] *Sane*, valide: quia qui sanus, et validus est. *Donatus.*

25 *Si sensero*] Comminatio, et fit pronuntiatio, ut in singulis verbis ardeant minæ. *Idem.*

Hodie] Non ad tempus non plenum, sed ad comminationem refertur: ut Virgilius: 'Nunquam omnes hodie moriemur inulti.' Et *dies* pro nocte accipitur: ut hoc ipsum, 'Nunquam omnes hodie moriemur inulti.' *Idem.*

Si sensero hodie quicquam, &c.] Hæc κατάπληξις supra (sc. I. vs. 37.) cœpta, et correctione repressa, nunc absolvitur. *Bœclerus.*

Si sensero] 'Precibusque minas regaliter addit.' Ovid. II. Metam. 'Imperium, promissa, minas confundit in unum.' *Farnab.*

26 *Quo fiant minus*] *Quo minus*, hoc est, quo impeditius. *Donatus.*

27 *Aut velle in ea re ostendi quam sis callidus*] Plerique libri, et in iis omnes antiqui, *ostendi quam sis callidus.* Faërnus.

28 *Verberibus cæsum te Dave in pistrinum*] Vult in pronomine et nomine exagitare comminatione servum, ne quid relinquat iracundiæ. *Donatus.*

In pistrinum] Ad molam trusatilem: vide act. III. sc. 4. *Farnabius.*

Dedam] *Dare*, est quod repetas; *Dedere*, est ad perpetuum. *Damus*, et amicis: *Dedimus*, tantum hostibus. *Donat.*

29 *Ea lege atque omine*] *Lege*, ad homines: *omine*, ad rem divinam refertur: id est firmamentum, per humana et divina. *Omen* autem est, quicquid ore dicitur. *Idem.*

Ea lege atque omine] Bene *lege* atque *omine*, quia leges auspiciis servatis ferebantur. Ergo sic intellige, quasi dixerit, ea lege et conditione. Et antiqui auspicato omnia faciebant, quæ rata esse vellent. *Idem.*

Ea lege atque omine, ut si te inde exem. ego pro te molam] Obscure, nec non aliena quædam, hic annotat Donatus: ea lege atque omine, &c. i. e. ea conditione, ut si te inde exemerim, ea exemtio sit mihi pistrini omen, et ego sc. pro te molam: quæ Guyeti expositio placet. *Bœclerus.*

Ea lege atque omine] Leges ipsæ auspiciis ferebantur. Neque Deorum solum voces observaverunt, sed etiam hominum, quæ vocant omina, &c. Cicer. I. de Divinatione. *Farn.*

30 *An nondum etiam*] Quartum παρέλκον, quia abundat *etiam.* Donatus.

Quid? hoc intellextin? an nondum etiam ne hoc quidem] Plaut. Amphitr. II. 1. 30. 'Satin' hoc plane, satin' diserte nunc videor tibi locutus esse?' Ceterum in h. l. Terentiano, frequentibus verbis ἐνέργεια inest: cui quadrat responsio Davi simili frequentatione verborum: 'Imo callide: ita aperte ipsam rem modo locutus es:' insuper; 'Nihil circuit. usus es.' *Bœclerus.*

31 *Ipsam rem*] Ipsam rem, id est, voluntatem suam, aut interminationem suam: hoc est, pistrinum et pœnas serviles. *Donatus.*

Nihil circuitione] *Nihil*, pro non. *Circuitione*, periphrasi. *Idem.*

Nihil circuitione] Nulla ambage verborum. *Farnabius.*

Usus es] Legitur et *usor es.* Donat.

32 *Ubivis facilius*] Admonitio. *Id.*

Ubivis facilius] Cicero: 'Non est in hac causa peccandi locus ullus.' *Idem.*

33 *Bona verba quæso*] Hic in εἰρωνείᾳ est εὐφημισμός. Quasi dicat, meliora loquere, rogo te: ergo cum admonitione, Bona verba, inquit, rogo. *Donat.*

Bona verba quæso] Εὐφήμει, εὐφήμισον· id est, noli quæso male ominari, i. e. noli ea putare aut loqui de servo tuo, quasi is te delusum cupiat: 'Prorsus a me opinionem hanc tuam esse amotam volo,' ut infra loquitur, act. II. sc. 1. vs. 30. Quod autem Simo excipit, *irrides?* Nannius in Miscellan. accipit, pro *adularis, palpum obtrudis*, et comparat huc vs. 20. act. III. sc. 2. *irrideor.* Potest et ita intelligi, ut illa ipsa simulatio innocentiæ, εὐφημισμῷ Davi significata, seni occasionem dederit, per indignationem de irrisu hoc interpretandi, quasi dicere voluerit: derides me, si putas, me nequitiæ tuæ ignarum, teque pernegando (εὐφημισμὸς enim ille non simpliciter, sed cum affectu negat) innoxium videri posse: unde sequitur statim: *nihil me fallis*, οὐδέν με λανθάνοις ἂν, ex Menandri versu νῦν δὲ οὐδὲν λέληθάς με ἂν, ut Donatus monet. *Irrides?* interrogatio affectum addit: de sensu dictum est. *Bœclerus.*

Bona verba quæso] Εὐφημισμὸς σκωπτικός. *Farnabius.*

Nihil me fallis] Non te ignoro, non me decipis. Sic Menander: νῦν δὲ οὐδὲν λέληθάς με ἄν, *Donatus.*

Nihil me fallis] Figura est ἑλληνισμός· a loco οὐδέν με λανθάνοις ἄν. *Idem.*

Fallis] Lates, ut sit οὐδέν με λέληθας. *Idem.*

Nihil me fallis] *Nihil*, pro *etiam nunc.* Idem.

34 *Neque tu haud dicas, tibi non prædictum*] Duæ negativæ faciunt unam affirmativam; tres negativæ pro una negativa accipiuntur: ut hic, *Neque haud non.* Sallustius, 'Haud impigre, neque inultus occiditur:' vera ergo lectio est, *Neque tu haud dicas.* Quod plurimi non intelligentes, *hoc dicas* legunt. *Idem.*

Neque tu hoc dicas] Vera lectio, *Neque haut dicas;* est enim quintum παρέλκον. Plautus in Bacchid. 'Neque haut subditiva gloria oppidum arbitror.' *Idem.*

Neque tu haud dicas, tibi non prædictum] Est isthæc lectio, si quid in hoc genere mihi credi æquum est, plane falsa. In Cod. Ms. quo olim Muretus usus est, sic legebatur: *Neque tu hoc dicas tibi non prædictum.* Quam

ego lectionem eo veriorem esse arbitror, quod in hac ipsa Fabula ita plane locutus est Terentius, act. III. sc. 2. 'Ne tu hoc mihi posterius dicas, Davi factum consilio ac dolis.' Scio quid ad hæc scribat Vetus Interpres cum tribus suis negationibus; sed, profecto, Vetus ille Interpres non est Donatus, quem olim Romæ docentem audiit D. Hieronymus. *Faber.*

Neque tu hoc dicas] O. l. s. *neque tu hoc dicas.* Vaticanus, *hoc dices*, quod idem est: nam antiqui *dices* pro *dicas* efferebant: solus Donatus legit, *haut dicas*, quem et sequimur. *Faërnus.*

Neque] *Νῦν δὲ οὐδὲν λέληθάς με ἄν. Menander.* Farnabius.

SCENA III. Constat hæc scena iambicis octonariis et senariis: vs. 3. in Argent. et uno ex meis Mss. sic legitur: *quæ si non astu providentur, aut me aut herum pessum dabunt.* Iidem in vs. 7. omittunt *τὸ in:* vs. 9. omnes tres Mss. retinent *τὸ me*, ut bacchius sit quarto loco: in 10. pro *accedit*, duo habent *accidit.* vs. 20. ita in nostris omnibus scribitur, ut et plerisque aliis libris scriptis, teste Faërno: ut sit tetrameter trochaicus hypercatalecticus. Emendant autem alii, et in trimetrum ac dimetrum iambicos dividunt, ita: *Mihi quidem non hercle fit verisimile: Atque ipsis commentum placet.* Aliter eodem metro Guyetus, quem vide vs. 21. duo ex Mss. nostris addunt *transfero: at ego hinc me ad forum transfero:* glossam scilicet in textum: v. Don. *Bæclerus.*

1 *Enimvero, Dave*] *Hic brevis et comica deliberatio est, magna exspectatione populum rerum imminentium commotura, metu et cura æstuantis Davi consideratione proposita.* Donatus.

Enimvero, Dave] Omnis persona aut ab altero commendatur, aut se ipsam populo commendat, aut et ab altero et a se ipsa: ut hic Davi, et per Simonem supra descripta est, ubi dicit, 'Mala mens, malus animus:' et hic per se, dum hoc gestu ac sermone agit ac disputat secum. *Idem.*

Enimvero, Dave] *Enimvero* significationem habet nimium permoti atque irritati animi. Cicero, 'Hic tum alius ex alia parte. Enimvero ferendum hoc non est: vocetur mulier.' *Idem.*

Enimvero, Dave, nihil loci est segnitiæ neque socordiæ] Ex Plauti sumsit Asinaria II. 1. 6. 'Quin tu abs te socordiam omnem reice et segnitiem amove, Atque ad ingenium vetus versutum te recipis tuum: Serva herum.' Hæc scena deliberationem habet, totius summam negotii complexam: de consilio Simonis, et amoribus Pamphili: quin etiam vs. 15. &c. ea pars argumenti, quia absolvenda erat fabula, affertur: sed, ne quid in protasi alienum fieret, pro commento spernitur. Protasis enim ita argumentum fabulæ tractat, ut reserventur in catastrophen eæ partes, quibus errores, in Epitasin conjiciendi, absolvi possunt. Nihil autem aliud, quam negotii magnitudinem Davus hic demonstrat, nec dum, quid consilii velit capere, expedit: sed ad Pamphilum festinat, cujus res agebatur. *Bæclerus.*

Segnitiæ] Ad agendum. *Donatus.*

Socordiæ] Ad considerandum. *Id.*

Segnitiæ, neque socordiæ] Segnitiæ, inquiunt, ad agendum: socordiæ ad considerandum. *Farnabius.*

2 *Quantum modo*] *Quantum*, pro in quantum. *Donatus.*

3 *Quæ si non astu*] Exhortatio a periculo. *Idem.*

Providentur] Provisio rerum duas significationes habet. *Providemus* enim nobis tam bonum, quam malum. Malum, sicut si quis eminus veniens, telum providerit atque sic caverit. Ergo hic *Providentur*, caventur, vitantur. Et nuptias velut undam navigio imminentem fecit: quod si quis

undam ex adverso venientem prora non exceperit, demersus undis in pessum abit: est ergo metaphora. *Idem.*

Me aut herum] *Herum* hic, herilem filium. *Idem.*

Herum] Herilem filium, Pamphilum. *Farnabius.*

Pessum dabunt] Perdent *pessum*, i. e. ad pedes, ad imum præcipitabunt, *καταβυθίσουσι.* Mergent funditus. 'Servum ego ratem esse amanti hero, æquum censeo ut toleret, ne pessum abeat.' Plaut. Aul. IV. 1. 'Quasi in piscinam rete qui jaculum parat: Quando abiit rete pessum, tum adducit sinum.' Plaut. Trucul. act. I. sc. 1. *Idem.*

4 *Pamphilumne adjutem, an auscultem seni*] Semper deliberativa verba habent quendam sonum, per quem exitus rei demonstratur: ut hic ostendit, se Pamphilum magis adjuturum, quam verbis senis obtemperaturum. *Donatus.*

5 *Si illum relinquo*] Partium tractatus, quæ supra sunt, Pamphilumne adjutem, an auscultem seni. *Idem.*

Vitæ ejus timeo] Ut alibi, *Syre, tibi timui male.* Idem.

Ejus vitæ timeo] Vita, apud Terentium dico, novem aut decem locis, significat, non id quod Gallice sonat, sed quietem, tranquillitatem, bonam existimationem, et quæ sunt eadem, aut his similia. At in ea re sunt qui interdum errant, ut valde periculosum est antiquos scriptores interpretari, et eos sermone nostro loquentes facere. 'Id satis est monuisse semel; tu cetera per te Ipse memor facili poteris cognoscere cura.' *Faber.*

Sin opitulor] Opem ferre dicitur in malis rebus, et iis qui de salute dubii sunt: ut, 'Fer opem, serva me obsecro.' Opitulor et opitulatio dicta ab opem tollendo, hoc est, ferendo. *Donatus.*

Hujus minas] Subauditur, *timeo.* Idem.

Sin opitulor, hujus minas] Servus hic non sinit venire in partem deliberationis obsequium hero debitum, sed periculum et formidinem pœnæ: honestius deliberat Pamphilus I. 5. 26. et 27. *Bæclerus.*

Cui verba dare] *Verba dare*, fallacia est: et illud spectat, *Nihil me fallis.* Donatus.

Difficile 'st] Non dicit, impossibile est. Ergo ostendit, partem se sequi, quæ pro Pamphilo est. *Idem.*

Primum jam] Primo, inquit, jam infensus est senex: deinde a Pamphilo gravida est Glycerium. *Idem.*

Primum jam] Ὑφέν: est enim ἀναστροφὴ, pro jam primum. *Idem.*

De amore hoc] *Hoc amore*, sic, quasi cum tædio et reprehensione ejus amoris loquatur. *Idem.*

7 *Me infensus*] Scilicet de amore filii, senex me servat, et re vera timendus est. *Idem.*

Servat] Φυλάττει. *Idem.*

Ne quam faciam] Hoc ad illud spectat, 'Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum.' *Idem.*

9 *Quo jure, quaque injuria*] Proverbiale hoc est: qualia sunt, fas et nefas, nolis velis. *Idem.*

Qua jure, quaque injuria, præcipitem in pistrinum dabit] Melius in editione Gabrielis Faërni, sic: *Qua jure, quaque injuria, præcipitem* ME *in pistrinum dabit.* Neque versus suos numeros eo minus habuerit. Nam synizesis fuerit in postrema syllaba hujus vocis *injuria.* Scio quidem in editione Mureti abesse istud ME; sed et hoc non ignoro, Muretum multa sibi in illa sua editione permisisse ut versus molliores faceret. Hic illi mos fuit. *Faber.*

Quo jure quaque injuria] Καὶ δικαίως κἀδίκως, Aristophanes in Pluto: ubi Scholiastes: ἀντὶ τοῦ, παντὶ τρόπῳ· οὕτως Ἀττικοί. Donatus: 'Proverbiale est: qualia sunt, fas et nefas, nolis velis.' Adde eundem ad illud Adelph. v. 9. 'justa injusta prorsus

omnia,' &c. *Bœclerus.*

Quo jure, quaque injuria] Plaut. Rudent. IV. 4. 'Quomodo habeas; jure, an injuria :' noster in Adelph. scen. ult. 'justa, injusta.' Sic 'fas, nefas ;' 'fanda, nefanda ;' 'scis, nescis ;' 'velis, nolis.' *Farnabius.*

Pistrinum dabit] Infra, Act. III. scena 4. *Idem.*

10 *Ad hæc*] In ipsa re major est difficultas, quia gravida est Glycerium. *Donatus.*

Sive ista uxor] Et hoc cum quodam tædio et indignatione stomachi interrumpit. *Idem.*

Sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est] Janus Guillelmius ante me conjecit scribendum esse: *Si ista uxor, sive amica est, &c.* Ita fiet ut in metro nihil sit impedimenti. Sic autem veteres loqui solebant. Ennius: 'Si vivimu', sive morimur.' Plautus: 'Si media nox est, sive est prima vesperæ.' Sed et Terentius ipse, ut nequid Plauto aut Ennio egeas, sic infra locutus est, And. I. 5. 57. 'Si te in germani fratris dilexi loco, Sive hæc te solum semper fecit maximi.' *Si* in prima orationis parte ponebatur, *Sive* in secunda, ut, *ni, nive, &c.* Faber.

12 *Operæ pretium audaciam*] Dicitur de mirificis et laudabilibus: nam et ea quæ magna sunt, etiamsi mala, tamen miramur: quia libenter audiamus: et hoc pretium est operæ, id est, audiendi. *Et audaciam* proprie dixit, ut in Eunucho, 'Audaciam meretricum specta.' *Idem.*

13 *Nam inceptio est amentium, haud amantium*] Amabant veteres de proximo similia dicere: ut Cicero, 'Minus charum putavit fore de armario, quam quod de sacrario fuisset ablatum.' Et quidem si in verbis sunt, παρόμοιον dicitur: in nominibus, παρονομασία. *Idem.*

Amentium, haud amantium] Paronomasia. *Farnabius.*

14 *Quidquid peperisset*] Majorem reprehensionem sonat, quidquid peperisset: paritur enim aut masculus, aut fœmina: et solet justior esse causa tollendi, si marem uxor pepererit; sed nimii amoris est, non expectare quid tollas. *Donatus.*

Decreverunt] *Decernere* est de magnis rebus certam proferre sententiam: unde etiam *Senatus decretum.* Idem.

Tollere] Mas utique foret aut fœmina, pro legitimo partu decreverunt suscipere; non exponent pro illegitimo. Neque n. hic locum habet mos ille tollendi infantem de terra, aut ope Dearum *Opis* atque *Levanæ*: vide act. IV. scen. 5. infra, et Eunuch. act. V. sc. 5. *Farnabius.*

15 *Et fingunt*] Argumenti partem narrat: et non credit futura esse quæ dicit, ut supersit locus errori. Et *fallaciam*, et *quandam*; ne verisimilis sit ipsa fallacia totius contemptionis et vilitatis. *Donatus.*

16 *Fuit olim*] Modo totius summæ argumentum populo narratur: sed ut restet aliquid ad errorem, abrogatur fides. A διηγηματικῷ ad μιμητικὸν transit. *Idem.*

18 *Is obiit mortem*] Plene dixit, quod nos *obiit* tantum. Virgilius, 'Morte obita quales fama est volitare figuras.' *Idem.*

19 *Recepisse orbam, parvam*] *Parvam* propterea adjecit, ut fiat verisimile, non posse eam facile suos agnoscere. *Idem.*

Fabulæ] Redit ad narrationem. *Idem.*

20 *Mihi quidem hercle non fit verisimile: atque ipsis commentum placet*] Ita in omnibus fere libris invenitur ordinatus hic versus, itaque impressit Robertus Stephanus: est autem versus tetrameter trochaicus hypercatalecticus. *Faërnus.*

Atque ipsis] *Atque* pro tamen: ut sit, tamen ipsis commentum placet; quod comminiscuntur probant. *Donatus.*

31 *Sed Mysis*] Παρασκευὴ alterius scenæ. *Idem.*

Mysis] Semper autem nomina comicorum servorum, aut a nationibus sunt indita, ut Mysis, Syrus: aut ex accidentibus, ut Lesbia, velut ebriosa, a Lesbo insula, quæ est ferax suavissimi candidissimique vini: aut a moribus et vernilitate, ut Pseudolus: aut ex negotio, ut Chrysalus: aut ex qualitate corporis, ut Thylacus (an Chylacus) aut ex specie formæ, ut Pinacium. *Idem.*

Ego hinc me ad forum] Vultuose hoc pronuntiatur: ut desit, pergam, aut ducam me. *Idem.*

22 [In nostris VV. LL. attribue illam lect. *Ne pat. de hac imprudenter opp.* secundo Guelf.]

Scena IV. Hæc scena constat Trochaicis quadratis catalecticis, et duobus postremis octonariis Iambicis, e Mss. unus, 3. quoque facit Iambicum octonarium, ita: 'Nec est satis digna, cui committas primo partu mulierem :' v. ultimo habent *nunc*, pro *num.* Bœclerus.

1 *Audivi, Archilis*] *Hæc sunt inventionis Poëticæ, ut ad οἰκονομίαν facetiæ aliquid addant: nam οἰκονομία est ut accersatur obstetrix, et conveniatur Pamphilus: facetia scribentis in his verbis est, quod Archilis compotricem potissimum adduci jubet.* Donatus.

Archillis] In omnibus libris Mss. Faërni hoc nomen scriptum fuit per unicum l; idque, meo judicio, optime; et ita apud Plautum in Truculento act. II. sc. 5. in fine Iambici septenarii. *Faber.*

Audivi, Archilis] Frequenter hoc modo Terentius compendium facit, ut egrediens loquatur persona de eo, quod est gestura: et simul doceat, quid ab altera gestum sit. *Donatus.*

Audivi, Archilis, jamdudum, Lesbiam adduci jubes] Utrum *jamdudum audivi*, an *jamdudum jubes*, incerta distinctio est, et sunt qui *jamdudum*, jam primum intelligant: ut, *Jamdudum sumite pœnas.* Idem.

Archilis] Per unum *l* in omnibus l. s. est: et, per *i* in penultima. *Faërnus.*

Audivi, Archilis] Videtur hæc Archilis obstetrix fuisse, quam nos *nutricem siccam* vocamus, cujus officium erat, ut ex Hieronymi Epistola Select. 9. lib. II. discimus 'assidere lectulo, obstetrices adhibere languenti,' &c. *Farnabius.*

2 *Sane pol*] *Sane*, multum; alias, pro valide: namque validus est, qui multum rerum necessariarum habet ad salutem. *Donatus.*

Sane pol illa temulenta est mulier, et temeraria] Versus est Trochaicus, in quo *pol illa*, tribrachus est, eliso uno l, ex 'illa,' *pol* autem corripitur exemplo Ennii: 'Nec pol homo quisquam faciet impune animatus.' *Faërnus.*

Temulenta] Producit primam syllabam *te.* Donat.

Temulenta] Vinolenta, hoc est, ebriosa: quia *temetum* vinum dicitur: unde *abstemius* sobrius. Dictum autem *temetum* ab eo, quia tentet mentem. *Temulenta*, vino: *Temeraria*, natura. *Idem.*

3 *Nec satis digna cui committas*] Bene in conclusione illa specialiter probavit, dicendo non idoneam, cui committatur primus partus mulieris. Sed mire signateque dixit *committas*: etenim committimus magna, et quæ salutem in dubio habent. *Idem.*

Nec satis digna] Duas res, nec parientem, nec primo partu. Figura δύο δι' ἑνός· ut Virgilius: 'Non me tibi Troja Externum tulit.' Et, 'Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum Accolet.' *Idem.*

4 *Tamen eam adducam*] Redit ad illud, quod vi coacta. *Donatus.*

Tamen eam adducam, &c.] Fr. Guyetus vult *Archilin* hæc loqui, ut esset: tamen eam adduci volo: unde Mysis exciperet: *importunitatem spectate aniculæ, &c.* Sed egredientibus, et intro loquentibus personis ad non

egredientes, non responderi solet fere. Archilis hæc ut anicula comica, vinosa describitur. Est autem γραΐδιον οἰκουρὸν, ἢ οἰκετικὸν ἢ ὀξὺ, 'Anicula domestica et acris,' Pollucis, lib. IV. onom. cap. 19. De obstetrice infra dicetur. *Bœclerus.*

Importunitatem] Importunitas neque loci neque temporis habet commoditatem. *Donatus.*

Aniculæ] Archilis scilicet. *Idem.*

5 *Quia compotrix*] In vultu remansit oratio: deest enim per figuram ἔλλειψιν, 'ideo illam vult arcessiri.' *Idem.*

Dii date facultatem, obsecro] Dii Geniales, Nuptiales quinque, Jupiter adultus, Hymenæus, Juno adulta. Venus suadela, Diana Lucina: vide quæ nos ad Senecæ Medeam v. 1. *Bœclerus.*

6 *In aliis*] Utrum in aliis mulieribus, an in aliis rebus? *Donatus.*

In aliis potius peccandi locum] *Utrum in aliis mulieribus, an in aliis rebus?* ita dubitat Donatus. Tu non dubita, *res* intelligi; hoc sensu: si ebrietas ejus et temeritas omnino innoxia semper esse nequit, in alia potius re offendat, quam in negotio, cujus causa nunc accersitur: in oratione enim personæ, cui, ut est captus ancillarum, honestos mores et probos Poëta dedit, sensus humanior sumendus est. *Bœclerus.*

7 *Exanimatum*] *Exanimatus*, est perturbatus. Virgilius: 'Exanimata sequens impingeret agmina muris.' *Exanimus*, mortuus. *Idem.* 'Corpus ubi exanimum positum Pallantis Acestes.' *Donatus.*

Vereor quid siet] *Quid*, ob quid, propter quid sit exanimatus. Aut aliter: *quid siet*, id est, quid sit negotii. Sed quidam putant *quid* pro quare: ut *Quid veniant.* Aut deest, *potest*: ut sit: *quid esse potest.* Idem.

8 *Num quidnam*] Comicum est et Terentianum. *Idem.*

Num quidnam] Quum, exemptis *num* et *nam*, sufficere ad interrogationem potuisset *quid*. Idem.

Scena v. Hæc scena satura est, ex trochaicis et iambicis non unius generis. Quæ autem Gabriel Faërnus annotavit de variis lectionibus, in nostris quoque Mss. comparent: itaque nihil attinet repetere: vs. 14. omnes nostri habent: *repetor repudiatus:* sed lenior est numerus editæ lectionis: in vs. 15. qui est septenarius trochaicus, omnes interponunt τὸ *et: aliquid monstri alunt: et ea quoniam nemini obtrudi potest.* Fr. Fabricius Mureti judicium in distinguendis hujus scenæ versibus præfert: qui tamen non pauca sibi permisit, præter Mss. auctoritatem.

Deliberatio Pamphili iracundia et dolore recenti tumultuosius incipit: mox a patre in Chremetis affinitatem flectit; ita tamen, ut recurrat ad priorem querelam, non iniquitatem jam sed negligentiam patris incusans: donec hic quoque impetus velut ad obversantem animo paterni nominis reverentiam frangitur; et post hanc Comicam παρασκευὴν, fidem Glycerio servandam esse argumentis declaratur. Eugraphius satis perspicue designavit: 'Hæc scena deliberationem habet, quæ talis est. Adolescens amans, qui promisit se eam [quam amabat] ducturum uxorem, a patre cogitur ut alteram ducat: deliberat quid faciat. Hic omnes deliberativæ partes sunt, et ab ipso qui deliberat percurruntur: verum quoniam optima deliberatio est cui alius persuasor accedit, idcirco Mysis ancilla præsens invenitur, ut ejus aspectu facile in unam partem, memoria dominæ ejus et sui amoris, possit incumbere; quippe cum hic ex una parte pater sit, cujus imperium filius debet implere; ex alia parte amor, qui vinculo sui animum adolescentis astringit.' Sed, qui hic occurrunt loci, de jure parentum et liberorum, in contrahendo matrimonio, in Chrestomathia attingentur. *Bœclerus.*

1 *Hoccine est*] *Hic inducitur adolescentis animus circa nuptias: ut ex magnitudine ejus ingens gaudium comparetur in fine fabulæ, cognita Glycerio: et simul id agitur, ut magis magisque per Mysidem Pamphilus excitetur ad resistendum patri nuptias indicenti.* Donatus.

Hoccine est] Ab iracundia et dolore cœpit. *Iracundia* descendit ex injuria: *Dolor* ex miseria. *Idem.*

Hoccine est humanum factum] Quasi deliberatio est: in qua duæ partes sunt: una patris, altera amicæ: pro suasore Mysis est. Principium ab invectione: in qua primo ut hominem accusat, deinde ut patrem. *Idem.*

Hoccine est] Hoc est dilatare orationem, ne diceret quod fecit: et est perversa αὔξησις, a majoribus descendens ad minora, per amplificationem accusationis. *Idem.*

Factum aut inceptum] In aliis, *factu aut incœptu*, fuit. *Idem.*

Hoccine est officium] *Officium* ab efficiendo, ab eo quod quæritur quid efficere in eo unumquemque conveniat, pro conditione personæ. *Idem.*

Hoccine est humanum factum, aut inceptum? hoccine officium patris] O. l. s. et Donatus geminat verbum *est*, hoc modo, *hoccine est officium patris?* Vetustiora vero exemplaria et hic, et ubique, *hocine* per unum *c*, habent: ita nulla dubitatio est quin *hocine* in casu recto et accusativo primam corripiat, sicut pronomen hoc, unde hocine compositum est, teste Probo, corripit: quemadmodum usurpavit et Virgilius, sive ille Ovidius sit, in lusibus Priapeis: 'Et vos hoc ipsum quod minamur, invitat:' et Plautus in Aulularia: 'Nunc hoc ubi abstrudam cogito solum locum:' erit ergo hic versus Terentii, octonarius. *Faërnus.*

Officium patris] Ad superiora referendum p. 374. Gallice: *Est ce là le procédé d'un père?* Et mox, (officium liberi hominis:) *Le procédé d'un honnête homme.* Faber.

Hoccine est humanum factum, &c.] Non bene Eugraphius: 'Indignationem divisit, ut accusaret primo homines, deinde patrem.' Melius Donatus: 'Principium ab invectione: in qua primo, ut hominem accusat, deinde, ut patrem:' id est, conqueritur, Simonem neque ex hominis neque ex patris officio secum egisse. *Bœclerus.*

2 *Quid illud est*] Potest hic esse monometer, aut præcedenti applicatus facere eum pentametrum iambicum. Sed, quia hæc genera inusitata Terentio sunt, potest esse octonarii iambici initium elisione i; et d, ex *illud*, item d, ex *quid est*, quod mox sequitur. *Faërnus.*

Quid est, si non hoc] Sic dicimus de his, quæ necessario hoc sunt, quod dicimus. *Donatus.*

Si non hoc] *Hoc* cum stomacho dictum, quasi aliquo contradicente non esse contumeliam. Cicero, 'Quid est, quæso, Metelle, judicium corrumpere, si hoc non est?' *Idem.*

Pro Deum atque hominum, &c.] Si octonarium acatalectum esse velis, ut qui sequuntur, necessario scribendum tibi est: *Pro Deum fidem atque hominum, &c.* Et τὸ *Deum* in unam syllabam contractum fuerit, ut mos est. *Faber.*

Pro Deum atque hominum fidem, quid est si non hæc contumelia est] Omnes fere libri etiam antiqui, cum Donato, ita collocant, *si hæc non contumelia est.* Faërnus.

3 *Uxorem decrerat*] *Decernere*, est de magnis certam proferre sententiam. *Donatus.*

Uxorem decrerat] Propositio injuriæ. *Idem.*

Decrerat] Testatur Muretus repperisse se in uno et altero Ms. *Decrevit*, quod et de se affirmat Faërnus. Ea autem scriptura jure placuit Mureto. Non enim de primo illo faci-

undarum nuptiarum consilio agitur; sed de secundo, quod pater tam repente, tam desubito cepit. *Faber.*

Uxorem decrerat sese mihi hodie] Ita liber Victorianus; alii fere omnes, et Donatus, *decreverat;* paucissimi *decrevit*, atque hi recentissimi. *Faërnus.*

Nonne oportuit præscisse me ante] *Oportuit*, scilicet ad patrem refert. Nam nec sic consentirem ad nuptias; sed fac me velle, *Nonne oportuit præscisse me ante?* Dolet autem se spacium non habuisse consilio. Et *ante* abundat, aut certe *præ*, cum sufficiat *scisse.* Donatus.

4 *Nonne prius communicatum oportuit*] Quam de stomacho repetitum est *oportuit!* Et de more, *præscisse me ante. Præscisse* proprie ad eum refertur, hoc est, Pamphilum. *Idem.*

Communicatum] Quod neque hujus proprium est, neque illius. *Idem.*

Communicatum] Quia nuptiarum non omnis potestas in patre est. *Idem.*

Nonne prius communicatum oportuit] Nuptiarum quippe potestas non omnis in patre est, quarum sponsiones fiebant, vel inter ipsos qui nuptias contracturi erant; vel inter patrem puellæ et adolescentem, vel inter utriusque parentes. Quo sanctum foret matrimonium, consponsiones parentum sine liberorum adstipulatione nullius habebantur momenti. Quanquam non tam eorum consensus requireretur, quam ne justa de causa possent contradicere. Hotom. *Farnabius.*

5 *Quod verbum*] *Verbum* pro ἀξίωμα more suo posuit: id est, uxorem dare, quod ait. *Donatus.*

6 *Quid Chremes*] Transit a patre nunc, et ad socerum redit: τὸ *quid* non ad Chremetem dicitur; sed ad illum transeuntis est, et non considerantis quid dicat. *Idem.*

Quid Chremes] Irascitur patri, quod cogat: Chremeti, quod non neget uxorem. Nove dolet, non odio haberi, non repudiari. *Idem.*

Qui denegarat se, &c.] Non latuerat Pamphilum, repudiasse Chremetem. Unde et Davus ait, 'Qui postea quam audierat non datum iri filio uxorem suo.' *Idem.*

Commissurum] Putaverat nuptias, et Chremetem mutare sententiam. *Idem.*

Se commissurum mihi gnatam suam uxorem] Nondum mutarat consilium Chremes: quod facit infra act. III. sc. 3. sed ex oratione patris Pamphilus colligit mutasse. *Farnabius.*

Quid Chremes? qui deneg. &c.] Donatus: 'Irascitur patri quod cogat Chremetem, quod non neget uxorem.' Mirum tam diu tolerari vitium manifestum. Tu lege: *irascitur patri, quod cogat: Chremeti, quod non neget uxorem:* nihil verius: et sic quadrabunt, quæ sequuntur, 'nove dolet, non odio haberi, non repudiari:' sc. a Chremete. *Bœclerus.*

7 *Id mutavit*] Nove dixit *id:* τὸ *id* enim ad *denegarat*. Donatus.

Id mutavit, quoniam me immutatum] Παρόμοιον. Nam quoties verba sunt, παρόμοιον dicitur: quoties nomina, παρονομασία. *Idem.*

Gnatam suam uxorem: id mutavit, quoniam me immutatum videt] Multi libri, inter quos Victorianus, pro *quoniam quia* habent: quod malim; ut versus sit trochaicus ut præcedens. *Faërnus.*

Quoniam me immutatum videt] Atqui falsum est immutatum fuisse Pamphilum; quod nuper elegantissimus Interpres notavit; ille enim perpetuo et constanter Glycerium suam amavit. Qui igitur *immutatus* dici potest? Nam ex usu Latinitatis τὸ *immutatus* haud unquam significet, *non mutatus;* quod et ipsum agnoscit vir politissimus, (loquor de Interprete trium Comœdiarum, ne quis de verbis meis erret:) idque adeo cum me olim torsisset, hoc cogitavi denique, (et nunc verissimum puto ac certissimum,) τὸ

immutatum, hoc quidem in loco, significare *immutabilem*, firmum, et constantem. Nam, quod in primis animadvertendum, sæpe ita fit, ut hujusmodi nomina, quæ a participiis passivis fiant per compositionem, ea non rem ipsam factam significent, sed, si ausim dicere, *possibilitatem*, aut *potentialitatem;* ignosce, et Grammatici interdum, et Dialectici tam belle loqui coguntur. Exempla ad eam rem otiose possunt colligi. En tibi unum et alterum: *Immotus* pro *immobilis: infectum* pro eo quod fieri nequit: *invictus*, pro *invincibilis; invisus*, pro *invisibilis; indomitus*, pro *indomabilis.* Ita et *immutatus*, pro *immutabilis.* Hæc, spero, non improbabit vir elegantissimus. *Faber.*

Quia me immutatum videt] Eugraphius: Id est, *mutatum:* res autem ipsa postulat, ut accipiamus *non mutatum;* i. e. in amore Glycerii constantem. *Bœclerus.*

8 *Itane obstinate*] *Obstinate facere* est aliquid in alterius malum cum conatu facere perseveranter, et in alterius perniciem nimis niti. *Donatus.*

Abstrahat] Magna vi verbi et proprietate usus est: unde illud est, 'Iphitus et Pelias mecum divellimur inde.' *Idem.*

Abstrahat] Magna indignatione usus est; tanquam Chremes non tam filiæ consultum velit, quam læsum Pamphilum. *Idem.*

Ut me a Glycerio miserum abstrahat] Epitheto designavit sententiam, quam extulit Aristoteles II. Rhetor. τὸ διασπᾶσθαι ἀπὸ τῶν φίλων καὶ συνήθων, ἐλεεινόν. *Bœclerus.*

10 *Adeon' hominem*] Alia exclamatio est adversum socerum. Neminem putat esse in genere humano ita infelicem ut se: quod est commune omnium, qui in aliquo mœrore consistunt. Itaque non se, sed conditionem humanam dolet: et queritur natum esse quenquam qui possit esse tam miser ut ipse est, ac per hoc se. *Donatus.*

Adeon' hominem] Amatorie: amore nominato exiluit in gemitus. Sic Virgil. 'Aut si lux alma recessit, Hector ubi est?' *Idem.*

Invenustum aut infelicem] *Invenustus* est sine venere, id est, sine gratia, quem omnes respuant repudientque pulchræ, et quem deformes appetant. *Idem.*

Invenustum aut infelicem] *Invenustus*, cui displicens objicitur: *Infelix*, cui placens negatur. *Idem.*

Invenustum esse] *Venustus* dicitur, cui Venus formæ lætos afflavit honores, cui dictionis aut gestus conciliavit gratiam; *invenustus* contra. Hic autem significat infortunatum. Venus n. in talorum jactu felicissima est. Quod fit ubi canis, ternarius, quaternarius, et senio simul apparent, victoremque pronunciant. Cui frequens favet Venus ἐπαφρόδιτος, id est, *venustus*, cui non favet, *invenustus* dicitur, uti hic in amoribus, unde addit *infelicem*, ἀναφρόδιτος. Apollo apud Lucianum. *Farnabius.*

Aut infelicem quenquam ut ego sum] Adeo se miserum dicit, quod sibi repudiare non licet: ut propter se doleat humanum genus, in quo sit aliquis tam miser. Virgilius: 'Heu cadit in quenquam tantum scelus!' *Donatus.*

Ut ego sum?] Ἀνακόλουθον est *ut: quam* enim inferre debuit, non *ut.* Idem.

11 *Pro Deum*] Quam ferveat indignatione, hinc aspice, quod frequenter exclamat. *Idem.*

Pro Deum] Alia exclamatio est adversus socerum. *Idem.*

Pro deum atque hominum fidem! nullon' ego] Hæc verba, *proh deum atque hominum fidem*, in multis l. s. recentibus inveniuntur superius sita, et hi versus ordinati ut infra: *Itane obstinate operam dat, ut me a Glycerio miserum abstrahat? | Pro deum atque hominum fidem: quod si fit, pereo fun-*

ditus. | *Adeon hominem esse invenustum, aut infelicem quemquam ut ego sum?* | *Nullon ego Chremetis pacto adfinitatem effugere potero?* | *Quot modis contemptus, spretus, facta, transacta omnia: hem.* qua ordinatione versuum primi duo et ultimus essent trochaici catalectici, tertius et quartus acatalectici: nobis tamen probatur collocatio verborum vulgata, quæ eadem invenitur in omnibus antiquis libris: ita ut, *Quod si fit, pereo funditus,* sit trimeter iambicus: *Pro Deum atque hominum fidem,* dimeter trochaicus. *Faërnus.*

12 *Effugere*] In totum fugere. *Donatus.*

13 *Quot modis contemptus, spretus*] Si Chremes spretus, intelligemus Pamphilum dicere, quod operam dederit, ut se repudiaret Chremes: ut supra dixit, 'Mutavit quia me immutatum vidit.' *Idem.*

Quot modis contemptus] Chremes an Pamphilus? *Idem.*

Facta, transacta omnia] Proverbiale est in id negotii, de quo nihil supersit ad agendum. *Facta* autem a Pamphilo: *transacta* etiam a Chremete. *Idem.*

Facta transacta omnia] Donatus: 'Proverbiale est,' &c. Erasmus in Proverbiis inter sollennes JCtorum formulas refert: adducto loco Ciceronis e Catil. III. cap. 6. *Bœclerus.*

Transacta omnia] Formula a foro ducta, in pactis et contractibus. *Farnabius.*

14 *Repudiatus repetor*] Quasi et hæc injuria sit, repudiare et repetere. Et tale est in Eunucho, *exclusit, revocat.* Donatus.

Nisi si id est] Conjecturale argumentum. *Idem.*

15 *Aliquid monstri alunt: ea*] Duplex contumelia, et *monstri* et *aliquid:* minus enim esset, *aliquod monstrum.* Sic, 'Quid hominis uxorem habes?' Et mutavit genus, dicendo *ea:* quoniam fœmina est. Sic in Eunucho, 'Taces, monstrum hominis? non dicturus es?' *Idem.*

Aliquid monstri alunt: ea] Dum *monstrum* dixerat, *ea* subjunxit, tanquam non verbis, sed sententiæ serviens. *Idem.*

Monstri alunt] Monstrum alitur, ubi quid occulti vitii latere significamus, haud scio an inde sumpta Metaph. Quod monstra ob pudorem clanculum alantur. Erasm. *Farnab.*

Nemini obtrudi] Mire *obtrudi,* quasi invito et totum cum iracundia. *Obtrudi,* infringi, impingi. *Donatus.*

16 *Itur ad me*] Dotem amator non cogitat: et ad vilitatem trahit, quod ultro venit, et quod se repetit Chremes. *Idem.*

Itur ad me] Quasi ad hostem. Plautus in Pseudolo: 'Itur ad me.' Et Virgilius: 'Simul ense relicto Ibat in Euryalum propere.' *Idem.*

Oratio hæc] Etiam pauca verba veteres *orationem* dicebant. *Idem.*

17 *Nam quid ego*] Quasi dicat, Quid ego de patre dicam, qui alienum accusaverim Chremetem. *Idem.*

Nam quid ego] Redit ad patrem, in quo nove hoc accusat, negligenter eum agere, quod nolit fieri. *Idem.*

Nam quid ego nunc dicam de patre? ah] Versus est dimeter iambicus, si ex *quid,* d elidatur. *Faërnus.*

18 *Tantamne rem*] Summam voti ac nuptias. *Donatus.*

Præteriens modo] Hic ostendit specialiter quid peccaverit. *Idem.*

Præteriens modo mihi apud forum, &c.] *Donatus:* 'Undique conflatur excusatio' [lege *accusatio:* ita enim volunt præcedentia, *redit ad patrem, in quo hoc accusat, &c.*] 'Ex facto, quod *præteriens;* ex tempore, quod *modo;* ex loco, quia *in foro;* ex modo et ex verbis, *uxor tibi ducenda est:*' scilicet per partes ostendit, quid esset, negligenter agere tantam rem. Est sane in his mira ἐνέργεια: mox παρῳδίᾳ μιμητικῇ veluti interpretando accendit Pamphilus magnitudinem doloris, per inopinatam exaggerationem inferens: *id mihi visus est dicere, abi cito et suspende te:* ubi celeritas admirabilis, tanquam in præceps mœrentem rapere animum videtur: quam elementa literarum, numeri vocum, sententiæ absolutio, nimium quantum perficiunt: hæc consternatio stuporem animo induxit; *obstupui:* stupor inclusit vocem; *obmutui.* Pudeat illos, qui languorem in Terentio suspicari potuerunt. *Bœclerus.*

19 *Ducenda*] Mire *ducenda:* semper hoc genus declinationis necessitatem ostendit: ut Virgilius: 'Et pacem Trojano ab rege petendum.' Sallustius: 'Agendum, atque obviam eundum est.' *Donatus.*

20 *Abi cito, et suspende te*] Ad *Hodie, Cito* retulit: ad *Uxor tibi ducenda est, Suspende te.* Idem.

Abi cito, et suspende te] Ex Plauti Pænulo: 'Abi domum, et suspende te:' act. I. sc. 2. *Farnabius.*

21 *Obstupui: censen' ullum me verbum potuisse proloqui*] O. l. s. ita collocant, *obstupui: censen' me verbum potuisse ullum proloqui?* qua ratione versus est trochaicus, ut ceteri: atque is quoque qui proxime sequitur, si ejus prima syllaba præcedenti applicetur. Vaticanus et Decurtatus *obstipui* habent, quemadmodum et alibi Bembinus; et apud Virgilium antiquissimus liber Romanus. *Faërnus.*

22 *Ineptam saltem, falsam*] Duo comparantur in defensionem, aut vera aut ad tempus accommodata. *Ineptum* est, quod a quovis reprehendi potest. *Falsum* quod etiam prudentem possit fallere. *Donatus.*

23 *Quod si ego rescissem*] Si mecum communicasset prius. *Idem.*

Quid facerem] Ipse se reprehendit. *Idem.*

Quid facerem] Ὑποφορά. *Idem.*

24 *Ut hoc ne facerem*] Tacerem: et nota, *facerem,* pro tacerem. *Idem.*

Aliquid facerem, ut hoc ne facerem] In hac traductione sensus est obscurior. Donatus ita accipit, ut putet hoc dici: aliquid facerem, ne tacere mihi ad hæc necesse foret; *ut ne hoc facerem,* id est, ut ne tacerem. Alii hoc volunt significari: aliquid fecissem, ut ne hoc facerem, id est, ut minime ducerem, quam pater mihi obtrudit: aliquid fecissem quo hanc necessitatem ducendæ uxoris effugissem. Per ambages conquerentibus familiares scilicet indicat, se fuga sibi consulturum fuisse: nam eo progreditur amantium πάθος in Comœdia. Non placet illud Donati de *tacendo.* Bœclerus.

Ut hoc ne facerem] Ne ducerem aliam uxorem quam Philumenam. *Farnabius.*

Sed nunc] Deliberatio, et partes ejus. *Donatus.*

Sed nunc, quid primum exequar] Hactenus querela desæviit: nunc status ad consultandum capitur, proposito negotio ex utraque parte. Ab una parte stat: 'Amor et misericordia hujus,' Glycerii sc. statim enim pondus contribuit in hanc lancem, cum *misericordia* (in qua et justitiæ et humanitatis nomina insunt) se moveri ostendit, quo minus amatam destituat; sed hoc postea oratoria copia et efficacia tractabit, nunc in alteram partem animum trahit, 'nuptiarum sollicitudo, tum' (hoc momento enim illa prægravatur) 'patris pudor;' nec qualiscunque patris, sed indulgentissimi: quod ex ore filii ingens testimonium attollitur descriptione, *qui me tam len., &c.* cui honestissimi generis πάθος adjungitur: *eine ego ut adverser? heu mihi!* donec conficiatur illud pœne incredibile, in amante, et adolescente, et obstricto: *incertum est, quid agam.* Hic opportunum erat, Mysidem intervenire: quæ et hactenus fidam pro Glycerio sollicitudinem, theatro; et nunc, non sine successu consilii, Pamphilo approbat: in cujus oratione, penetrabilis illa instantia, quid non efficeret? cum, post

renovata fidei pignora, pergit metuere: *haud verear, si in te solo* (quidam cod. habent *solum*) *sit situm: sed vim ut queas ferre:* et, asseveratius iterum religionem firmante Pamphilo, cum diffidere non auderet, metuere non desistit, id est, denuo exhortari amantem: *unum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui:* denique adacto, ut arcana quoque faciendæ fidei communicaret, Pamphilo, ita discedit, ut quæ non ultra quam speraret: *ita spero quidem* quid est effodere animum, et versare, et possidere, si hoc non est? Quam sit porro accurate facundus Pamphilus, in locis honestatis tractandis, ut denique conficiat, scelus esse, si nunc patri pareret, longum fuerit enarrare: et fuit diligentior hoc loco Donatus; quem vide. *Bœclerus.*

25 *Tot me impediunt curæ, &c.*] Cum versus sit octonarius iambeus credo scribendum esse: *Tot me me impediunt curæ, &c.* Quod et elegantius est. Sin minus, scribe, *med,* more apud veteres recepto. *Faber.*

Divorse trahunt] Pro, in diversa trahunt. *Donatus.*

26 *Amor, misericordia*] Hæc oratoria sunt, cum unum negotium in multas distrahimus partes. *Idem.*

Amor] A necessario. *Idem.*

Misericordia] Ἀπὸ τοῦ αἰσίου. *Idem.*

Misericordia hujus] Ἀμφιβολία. *Id.*

Nuptiarum sollicitudo] A perturbatione. Quibus colligit, consulere se non posse. *Sollicitudo* est, quæ inhæret mentibus. *Sollicitatio* quæ ab alio fit. *Idem.*

27 *Tum patris pudor*] Ἀμφιβολία. *Id.*

Qui me tam] Explanatio, in quo pudendum sit sibi apud patrem. Et ad illud spectat, *Tute his rebus finem præscripsti, pater.* Idem.

Qui me tam leni passus est animo] Atqui accusabat eum. Sed amator est. *Idem.*

Qui me tam leni passus est animo usque adhuc] Scen. 1. Indultam filio ad tempus licentiam excusat pater: et sc. 2. idem: 'Dum tempus ad eam rem tulit, sivi animum ut expleret suum,' et act. II. sc. 6. 'Dum licitum est, dumque ætas tulit.' *Farnabius.*

28 *Ei ne ego*] Pronomen hoc vim qualitatis habet: et est, An tali, tam bono. *Donatus.*

Egone ut advorser] Videtur inclinasse, ut secundum patris animum consistat: sed amore ad incerta iterum devolvitur. *Idem.*

29 *Quorsum accidat*] Ad quam rem, quo versus. *Idem.*

Hoc incertum quorsum accidat] O. fere libri hunc ordinem verborum habent, *incertum hoc:* quæ melior compositio est: versus est trochaicus, aut etiam octonarius iambicus, ut proximi, si in *quorsum accidat* non fiat Synalœpha. *Faërnus.*

30 *Sed nunc peropus est*] Calliditati fœmineæ et astutiæ sententia hæc congruit. *Donatus.*

Cum ipsa] *Ipsa,* nunc domina mea. *Idem.*

Adversum hunc] Apud hunc: ut alibi, 'Et id gratum fuisse adversum te, habeo gratiam.' *Idem.*

Adversum hunc loqui] Apud hunc: ut act. I. sc. 1. 'Et id gratum fuisse adversum te, habeo gratiam.' *Farnab.*

31 *Dum in dubio est animus*] Translatio hæc est a mole alicujus ponderis, quæ antequam in loco sederit, cum incerta pendet, facillime commovetur. *Donatus.*

Huc illuc impellitur] Omnes libri antiquiores, et Donatus, *huc vel illuc.* Faërnus.

Paulo momento huc vel illuc impellitur] Translatum a statera, cujus examinatio per linguam bilancis, parvi ponderis momento huc vel illuc inclinat. Achilles Tatius l. sc. τὴν ψυχὴν εἶχοις ἐπὶ τρυτάνης ἐλπίδος καὶ φόβου. *Farnabius.*

32 *Quis hic loquitur*] Hoc secum deinde conversus, ut vidit, *Mysis, salve.*

Donatus.

Salve] Difficile est aliud invenire verbum, quod sic declinetur, *Salve* et *salvete:* quippe hujus verbi per modos est rara declinatio. *Idem.*

Quis hic loquitur] Principium Terentianum in jungendis personis. *Idem.*

O salve] *O,* interjectio optantis adventum, aut repente perculsi. *Idem.*

Quid agit] Amatorie et familiariter non addidit quæ. Virgilius: 'Quæ mihi reddat eam, vel eo me solvat amantem.' *Idem.*

Rogas] Lenta quædam et tristis est responsio, et dolore plena. *Idem.*

33 *Laborat e dolore*] Duplicem laborem Glycerii esse dicit, unum partitudinis, alterum curæ et sollicitudinis nuptiarum Pamphili. *Idem.*

Laborat e dolore] Callide aggreditur juvenem; nam utrumque propter illum perpetitur et dolorem et solicitudinem. *Idem.*

Atque ex hoc] Mysis, quæ contra patrem suasura est, incertum inveniens Pamphilum, facile ad se convertit mentione dominæ suæ, et maxime quod addidit, cur illam ægram esse dicat: quare statim perfectum est quod volebat, ut dicat Pamphilus, *Egone istuc conari quam?* Idem.

34 *Constitutæ*] Nec addit, a patre: sed invidiose, quasi et a Pamphilo sint constitutæ. An timet in negotio? *Idem.*

Constitutæ nuptiæ] A patre tuo. *Farnabius.*

In hunc diem] Idem enim dies est quo placuerant destinatæ nuptiæ, quamvis Chremes renuntiaverat et supra, 'Hic nuptiis dictus est dies.' *Donatus.*

Tum autem] *Tum,* præterea. Tertiam sollicitudinem habere Glycerium ne deseratur a Pamphilo. *Idem.*

Sollicita est] *Sollicitudo* rerum incertarum magis est. *Idem.*

Quod in hunc diem, &c.] Hic certior metus est, et gravior. *Idem.*

35 *Egone istuc conari*] Ideo sic Pamphilus, quia illa invidiose non *deserere cogaris,* dixit: sed, *deseras.* Idem.

Ego ne istuc conari] Non perficere, sed conari velle aliquid ad scelus, effectio est, etiam si non potest fieri: hic enim voluntas, non factum damnatur: ut Virgilius, 'Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.' *Idem.*

Conari] Levius est conari, quam facere. *Idem.*

Egone isthuc conari queam] Hoc loco *conari* est cogitare: Cicero. Terentius in Phormione, act. I. sc. 2. 'At ego obviam conabar tibi.' Gallice: *Et moi je songeois à vous aller trouver.* Faber.

36 *Egone propter me*] Magna vis est in pronominibus: et diversa sunt, et singula, et non præcipitantur, nec dicuntur uno spiritu: sicut in Eunucho, 'Egone illam, quæ me, quæ illum?' *Quæ illum,* deest, amat: *quæ me,* deest, non amat. *Donatus.*

Egone] Suadenter: subauditur *ut fieri sinam.* Idem.

37 *Quæ mihi suum animum*] Ab ejus beneficiis. *Idem.*

Suum animum] Quantum ad amorem pertinet. *Idem.*

Atque omnem vitam] Hoc est, ut maritum speraret. *Idem.*

Vitam] Id quod dicebam modo, *son honneur, &c.* Faber.

Quæ mihi suum animum, atque omnem vitam credidit] Argumenta a consequenti. Si eam deserit, hæc subjiciuntur. *Donatus.*

38 *Quam ego animo egregie caram*] *Egregie,* præter ceteras, id est, nimis. *Idem.*

39 *Bene et pudice*] Hic illud solvitur, *Lana et tela victum quæritans:* ut hoc præstruat, bene et pudice Glycerium esse educatam, *Lana et tela victum quæritans.* Et non pertinet ad argumentum, nisi post vitam Glycerii intelligas. *Idem.*

Bene et pudice] Ab honesto. *Idem.*

Bene et pudice ejus doctum] Hanc sententiam quasi de exemplo probat: nam bene educata est a Chryside, quæ primo pudice vitam, parce et duriter agebat. *Idem.*

40 *Coactum egestate*] Propterea quod Chrysis, inopia et cognatorum negligentia coacta. *Idem.*

Coactum egestate] Non paupertate, sed egestate: cui contrarium, *Inopia, et cognatorum negligentia.* Idem.

Coactum egestate] *Inopia et cognatorum negligentia* coactum, ut de Chryside dictum scen. 1. *Farnabius.*

41 *Haud vereor*] Acuit animum adolescentis contra patrem, cujus etiam nomen grave est. *Donatus.*

Haud vereor, si in te solo sit situm] Lego, *verear*, id est, *vererer;* sequitur enim SIT, pro *esset.* Ita semper Terentius. *Faber.*

42 *Sed vim ut queas*] Hic, *vereor* subauditur. *Ut*, pro *ne non* posuit: ut sit, Sed vereor ne non queas vim patris ferre. Et ne non possis, non damnatio est, verum adolescentis provocatio in contemptum patris. *Donatus.*

Adeon' me ignavum] A verisimili. *Idem.*

Ignavum] Quod adversum necessitatem proferendum fuit, id primum dixit, adesse sibi virtutem: quæ sequuntur, ad fidem pertinent. Ita pro tempore contemptum patris pro fortitudine habet. *Idem.*

Ignavum] *Ignavus* est, qui vim non potest ferre, qui non est perseverans. *Idem.*

43 *Adeon' porro ingratum*] *Porro* conjunctio est expletiva, alias adverbium temporis. *Idem.*

Ignavum et ingratum] Αὔξησις est: inhumanum aut ferum post subjecta dixit. *Idem.*

Adeon' porro ingratum, aut inhumanum] Mira omnis conversio. Non enim dixit, Adeon' me obsequentem patri existimas, adeo gratum, adeo pium, adeo mansuetum? Ita amatoris per omnia servat conditiones, ut oratorie hoc cogatur, scelus esse si pareret nunc patri. *Idem.*

44 *Ut neque me consuetudo*] Non ordinem reddit; ferum enim reddit ad *mansuetum*, quod etiam feræ mansuescunt. *Idem.*

Consuetudo, neque amor, neque pudor] Antithetorum ἀπόδοσις. *Consuetudo* ad ferum, *Amor* ad inhumanum, *Pudor* ad ingratum. *Farnabius.*

Neque amor] Ad illud, *inhumanum.* Amor namque vehementio est in homines. Virgilius: 'Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem Durus amor?' *Donat.*

Pudor] Ad *ingratum* retulit. *Idem.*

Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor] Puto Donatum hanc ἀπόδοσιν, 'ad superiora' ut vocat, bene notasse: ut *consuetudo*, adversus feritatem; *amor*, adversus humanitatem; *pudor*, adversus ingratum animum, ponatur: χιασμὸς Hermogeni dicitur. *Bœclerus.*

45 *Commoveat, neque commoneat*] Αὔξησις est ad majora. *Donatus.*

Commoveat, neque, &c.] Antonomasia. *Farnabius.*

Ut servem fidem] Exquisite: non dixit, ut contemnam patrem. *Donat.*

46 *Unum hoc scio*] In eodem hæret, ut excitet juvenem: neque audire se fingit quod dicit. *Idem.*

Unum hoc scio] Vide quam callida sint, quæ a Myside subjiciuntur, ad irritandam promissionem Pamphili: quæ ardentem incendant magis: nam dixit ille omnia, quibus cogitur servare fidem: sed de merito ejus aut nihil dixit, aut parum. *Idem.*

Unum hoc scio] Quasi hoc dicat, Quid tu facturus sis equidem nescio, sed unum scio. *Idem.*

Ut memor esses sui] Invidiose, quasi oblito: adeo commovetur hoc dicto Pamphilus. *Idem.*

Ut memor esses sui] Bene præterito: quoniam quæ præterita sunt in recordatione magis lachrymabilia sunt: ut Virgilius: 'Cui parvus Iulus, Cui pater, et conjux, quondam tua dicta, relinquor?' Idem alibi, 'Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.' *Idem.*

47 *O Mysis, Mysis*] Primum vocandi, alterum increpandi est. *Idem.*

Etiam nunc scripta] Id argumentum est, quam vivæ memor sit, qui etiam mortuæ verborum meminerit Chrysidis de Glycerio. *Idem.*

48 *Scripta illa dicta, &c.*] Ἐγγέγραπται ταῖς φρεσί. Pindar. 10. Olymp. *Farnabius.*

49 *Jam ferme*] *Ferme*, adverbium est festinantis. *Donatus.*

Moriens me vocat] Ex tempore probavit locutam vera esse, non ficta et simulata: nam qui sani sunt, spe longioris vitæ adulantur. Virgilius, 'Et dulceis moriens reminiscitur Argos.' *Idem.*

Jam ferme moriens] Affectus a tempore, quod postrema vox erat. *Idem.*

50 *Accessi; vos semotæ; nos soli*] Figuræ propriæ Terentianæ, ἀσύνδετον καὶ ἔλλειψις. *Vos semotæ*, deest *estis: nos soli*, deest *remansimus:* ut est illud, *Egone illam, quæ illum, quæ me?* Idem.

Vos semotæ: nos soli] Habuit fidem, quod soli fuimus, quod nemo testis: an timuit, ne hoc pater ante firmatum amorem cognosceret? *Idem.*

Incipit] Deest *dicere.* Præparatio, et quasi vestibulum orationis est. *Inceptio* dicitur orationis, quæ longa taciturnitate, meditate graviterque profertur: ut Virgilius, 'Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas, Infit.' *Idem.*

Accessi; vos semotæ; nos soli; incipit] Est hæc talis partium brevitas, quæ longam tamen efficit summam, sed sine vitio: ut enim expectatam magis faceret προσωποποιΐαν μιμητικὴν, quæ sequitur, producit cum affectu principium. *Bœclerus.*

51 *Mi Pamphile*] Μίμησις per προσωποποιΐαν· et principium a blandimento. *Donatus.*

Mi Pamphile] Imitatus est etiam blandimentum Chrysidis. *Idem.*

Mi Pamphile] Vide redditam voci morientis densis intervallis interruptam orationem, utpote lasso anhelitu interveniente. *Idem.*

Hujus formam atque ætatem] Amat compendium lassitudo. *Formam* enim dicendo, pulchritudinem significat; *ætatem*, quod parva. *Idem.*

Hujus formam atque ætatem] Duplex causa commendationis, *forma* et *ætas:* ut supra, 'Forte unam aspicio adolescentulam, forma,' &c. *Idem.*

52 *Utræque inutiles*] Legitur et *utiles.* Idem.

Nec clam te est, quam illi utræque res inutiles] Omnes fere l. s. *quam illi nunc utræque res inutiles.* Duo tantum, scilicet Vaticanus et Basilicanus, itemque Donatus et Eugraphius hæc habent sine dictione, *res:* quod et placet: *utræque* enim refertur et ad formam et ad ætatem: itaque legendum, *quam illi nunc utræque inutiles:* ita stat versus, qui aliter admissa dictione *nunc*, impeditus est. *Faërnus.*

Quam illi utræque res inutiles] Al. *quam illi nunc utræque inutiles et ad pudic.* 'Lis est cum forma magna pudicitiæ:' et Juvenal. 'Rara est adeo concordia formæ atque pudicitiæ,' Sat. x. *Farnabius.*

53 *Et ad pudicitiam*] Propter formam dixit. *Donatus.*

Et ad rem tutandam] Propter ætatem. Ἀπόδοσις. *Idem.*

Et ad tutandam rem] O. l. s. et Donatus ita collocant, *et ad rem tutandam.* Faërnus.

54 *Quod te per*] *Quod*, propter quod; ut, *Quod te per superos.* Et est ordo, propter quod te oro. *Donatus.*

Per hanc dextram] Tenet eum, ut

apparet. *Idem.*

Per hanc dextram] Fidei et fœderis membrum. Ad manum fit conventio. *Idem.*

Et ingenium] Legitur et *genium.* Idem.

Ingenium tuum] Quod quidam legendum contendunt, *Genium*, id haud necesse est. Nam prius illud et versus et sensus admittunt. *Faber.*

Quod ego per hanc te dextram oro, et genium tuum] O. l. s. et Donatus ita collocant, *quod ego te per hanc:* quod vero sequitur, *et genium*, in omnibus libris, itemque Donato et Eugraphio est, *et ingenium:* quod et versui magis convenit: exponemus autem ingenium, id est, naturam; quam cum laude intelligendo, tanto magis quadrabit, ut sit per tuam stabilem constantemque naturam, per tuum probum et amabile ingenium: ut et infra de Pamphilo, 'Quandoquidem ipse est ingenio bono:' elidetur autem in scansione, d, ex *quod:* ut *quod ego te* sit anapæstus. *Faërnus.*

Per hanc dextram, et ingenium tuum] *Ingenium* habent plerique libri: nec mutari debet. Horatius in simili obtestatione, genium adhibet: 'Quod te per genium, dextramque, Deosque penates Obsecro et obtestor.' *Bœclerus.*

Dextram oro, et ingenium tuum] Fœderis et fidei pignus. 'Per ego has lacrymas, dextramque tuam te.' Dido Virgiliana IV. Æn. *Farnabius.*

55 *Per hujus solitudinem*] Legitur et *solicitudinem.* Donatus.

56 *Obtestor*] *Obtestatio* dicitur, quando eum adjuramus, quem rogamus. *Oramus* per eas res, propter quas rogamus. Virgilius, 'per eversæ, genitor, fumantia Trojæ Excidia obtestor.' *Idem.*

Te obtestor] Sextum παρέλκον· dixit enim jam, 'Quod ego te per hanc dextram oro.' *Idem.*

Ne abs te hanc segreges, neu deseras] Ad fidem, *ne segreges*, retulit: *ad solitudinem*, ne deseras: hoc est, ne aliam ducas, aut amare desinas, etiamsi aliam ducas. *Idem.*

Ne abs te hanc segreges] Quasi ipsam manu tenens. *Hanc*, propter formam et ætatem. *Idem.*

Segreges] Hoc verbum simplex fieri non potest. *Neu deseras*, postremo. *Idem.*

57 *Si te in germani*] Sic tunc dicimus, quando præstitimus aliquid, et tamen nolumus exprobrare: ut Virgil. 'Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris Dona tulit.' Et alibi: 'Si bene quid de te merui.' *Idem.*

In germani fratris] Non fratris solum, sed etiam germani. *Idem.*

Germani fratris] 'Sororem esse aiunt Chrysidis.' Simo, scen. 1. *Farnabius.*

Si te in germani fr. &c.] Παρίσωσις suavissima: ut mox vs. 61. παρομοίωσις· cum sententia loci confer. Hec. III. 3. 29. &c. *Bœclerus.*

58 *Sive te hæc solum*] Si aut te mihi prætulit, aut nullum alium noverit amatorem in domo meretricis. *Donatus.*

Sive hæc te solum] Aliqui libri, inter quos Vaticanus et Basilicanus, item Donatus et Priscianus sic collocant, *sive te hæc solum:* et stat versus, si in *te hæc* non fiat synalœpha: erit enim *sive te*, dactylus. Quod vero sequitur, *semper fecit maximi*, omnes recentes libri habent, *fecit maximum*, et ita etiam Priscianus citat: infra quoque in eisdem recentibus legitur, *maximum feci Chreme:* sed utrobique in antiquis, *maximi.* Faërnus.

59 *Morigera*] Hoc quasi amanti utile fuit. Virgilius: 'Fuit aut tibi quidquam Dulce meum.' *Donatus.*

Morigera] 'Ætas et corpus tenerum, et morigeratio. Hæc sunt venena formosarum mulierum.' Afranius in Vopisco. *Farnabius.*

60 *Te isti virum do*] Hæc, ut diximus, et singula sunt, et non præcipitantur, nec dicuntur uno spiritu. *Donatus.*

Te isti virum do] Apparet quod junctis dextris hæc dicebat: ideo et, *Per hanc dextram te oro.* Idem.

Amicum] Potest enim et maritus esse, et non amicus, sed affectu mariti retulit amicum. *Idem.*

Virum] Ne segreges. *Idem.*

Amicum] Ne deseras. *Idem.*

Tutorem] Quasi orbæ. *Idem.*

Patrem] Quasi parvæ. *Idem.*

Patrem] Ad illud quod ait, *Et ad pudicitiam.* Idem.

Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem] Donatus erudite: 'Hæc et singula,' &c. oratorie autem unum hic per multa dicitur: maritum enim voluit signare. Similis locus act. IV. sc. 3. vs. 2. 3. et 4. quæ ex Homero sumpta Donatus ibi annotat. *Bœclerus.*

61 *Bona nostra tibi hæc permitto, et tuæ mando fidei*] Conclusio per mandatum et obtestationem efficax satis. *Donatus.*

Bona nostra] Hæc verba quasi supellectilem suam ostendentis sunt. *Idem.*

Bona nostra] Hoc est, *Ad rem tutandam.* Idem.

Bona nostra hæc] Peculium, supellectilem. *Farnabius.*

Tibi permitto, &c.] Tanquam justo atque legitimo heredi, fiduciario. *Idem.*

62 *Hanc mihi in manum dat*] Confirmatæ sunt legitime nuptiæ per in manum conventionem. Et mire *hanc:* non, *hujus manum.* Donatus.

Mors continuo ipsam occupat] Quo magis memorem esse oportet eorum, post quæ illa nihil locuta est. *Idem.*

63 *Accepi*] Proprie, quasi uxorem. *Idem.*

Acceptam servabo] Conclusit partem deliberationis suæ per electionem. *Idem.*

64 *Sed cur tu*] Corripit, quod abeat ab illa. *Cur*, non interrogantis, sed corripientis est et increpantis quod Glycerium deserat. *Idem.*

Obstetricem] Quæ opem tulerit parienti, *obstetrix* dicitur: unde et parturientes, *Fer opem*, clamant. *Idem.*

Sed cur tu abis ab illa? M. obstetricem accerso. P. propera] Versus est trimeter iambicus: sed ex *abis* elidendum est s, et in quinta sede dactylus collocandus. *Faërnus.*

65 *Propera, atque audin'?*] Et interrogatio quo eat, et revocatio, ad argumentum magni amoris accedit. *Donatus.*

Verbum unum cave de nuptiis] Deest *dicas:* figura ἔλλειψις. *Idem.*

De nuptiis] Non quod hodie futuras nescierit Glycerium: sed quod illas hodie indixerit pater filio, cum supra et Pamphilo et Glycerio disturbatæ viderentur, quia sunt constitutæ in hunc diem. *Idem.*

Cave] Annotant quidam *cave* hic corripiendum esse. *Idem.*

66 *Ne ad morbum hoc etiam*] Iterum ἔλλειψις: deest enim, *accedat.* Idem.

Ne ad morbum hoc etiam. M. tenco] Versus est iambicus dimeter catalecticus: nam quod alii hunc supplent ex insequenti scena, ut, *quid ais Byrria*, perficiat senarium, primum hæc ordinatio versuum in nullo libro invenitur: deinde versus qui sequuntur, impediti remanent, ut non facile certum eis genus possit assignari. *Faërnus.*

ACTUS II.

SCENA I. Hæc quoque scena satura est ex Iambicis et trochaicis, catalecticis et acatalecticis: metro varie ordinato: in qua re, Mureto iterum palmam defert Fr. Fabricius: eo quod optimis libris ille usus sit. At-

que hoc quidem an ita se habeat, non immerito disquirendum sibi Franc. Guyetus existimavit. Certe tam multa in metris Terentianis, contra omnium aliquando Codicum auctoritatem, immutavit Muretus, ut fortasse magis probandi sint, qui vel vitiosum metrum, ubi codices consentiunt, retinere, quam tantum sibi licentiæ sumere instituerunt. vs. 2. duo Mss. nostri habent, *e Davo;* tertius *ex Davo.* vs. 4. unus: *lassus cura et confectus.* vss. 5. et 6. duo Mss. *quoniam non potest fieri, quod vis, id velis quod possit:* tertius: *quoniam non potest fieri id quod vis, id velis quod possit!* circa 7. plurimus labor; vide Faërnum, qui nihil mutare audet; et Guyetum, qui duos facit et emendat: unus ex nostris codicibus habet, ut reliqui: sicut edidimus: duo autem: *qui istum amorem ab animo moveas tuo:* vide etiam Antesignani editionem. vs. 11. pro *agit,* duo præferunt, *ait.* vs. 13. pro *prodat,* omnes nostri *protrahat.* vs. 17. pro *rem,* omnes, *crucem;* quod rectum arbitror. vs. 21. unus: *ita aiunt.* vs. 26. duo *nunc te per amicitiam et amorem obsecro.* vs. 30. duo: *liberi esse puto hominis.* vs. 31. omnes: *promereatur.* et vs. 36. *cujus.* vs. 37. *scire,* non *sciri.* Bœclerus.

1 *Quid ais Byrria*] *In hoc colloquio altera pars ostenditur fabulæ. Siquidem Andria ex duorum adolescentum pavoribus gaudiisque componitur, cum fere solam Hecyram Terentius ex unius comœdia adolescentis effecerit.* Donatus.

C. *Quid, &c.*] Has personas Terentius addidit fabulæ, nam non sunt apud Menandrum, ne τραγικωτερον fieret, Philumenam spretam relinquere sine sponso, Pamphilo aliam ducente. *Idem.*

Quid ais Byrrhia] Mihi imposuit judicium Erasmi, qui hæc verba (*Quid ais Byrrhia?*) putavit esse finem versus præcedentis; id quod verisimile non est. Nam, si rem consideres, unde Charinus audire potuit postrema Mysidis verba? Quamobrem extremus versus scenæ superioris fuerit dimeter Iambeus catalecticus, et Actus inceptus erit a monometro; cui subjicitur octonarius Iambeus acatalectus, cujus generis et ii sunt qui post illum leguntur. *Faber.*

Quid ais, &c.] Ex verbis Charini apparet Byrriam nuntiasse nuptias futuras cum Pamphilo: nec adducitur tamen, ut statim credat, et accommodet animum. Sæpius ergo repetit interrogando. Et bene *illa,* velut amatorie de certa loqueretur persona. Sic Virgilius: 'solam nam perfidus ille Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus.' Ergo non Æneas, sed ille. Et item hic, non *Philumena,* sed *illa* dixit. *Donatus.*

Quid ais, Byrria] Miratur magis, quam interrogat, vel potius indignatur. *Idem.*

Quid ais, Byrria? daturne illa hodie Pamphilo nuptum] O. l. s. hanc collocationem habent, *daturne illa Pamphilo hodie:* et infra, *modo e Davo,* ut etiam Donatus legit, non *de Davo:* quæ vero paulo infra sequuntur, ita et apud Priscianum citantem hunc locum libro XVIII. et in omnibus Terentii l. s. collocata sunt, *Quoniam non potest id fieri quod vis, id velis quod possit.* Qua collocatione constituta, versus ita ordinamus: CH. *Quid ais Byrria? daturne illa Pamphilo hodie nuptum?* B. *sic est.* CH. *Qui scis?* B. *apud forum modo e Davo audivi.* CH. *væ misero mihi, Ut animus in spe, atque in timore, usque antehac attentus fuit, Ita postquam adempta spes est, lassus, cura confectus stupet.* B. *Quæso edepol Charine; quoniam non potest id fieri quod vis, Id velis quod possit.* CH. *nihil volo aliud nisi Philumenam.* Ut primus et quintus hujus scenæ versus, sint trochaici tetrametri acatalectici, sextus catalecticus, secundus octonarius iambicus, contracto *audivi* in duas syllabas: item tertius et quartus. B. *Ah: quanto satius est te id dare operam, Qui istum amorem ex animo amoveas tuo.* Hos duos versus unum tantum trochaicum acatalecticum putamus esse, rejecta prima ejus syllaba in finem præcedentis versus, detractoque in scansione pronomine *tuo:* quod subditicium putamus, et tamen ob reverentiam omnium librorum, in impressione retinemus: aliter hi duo versus adeo impediti sunt, ut non facile cujus sint generis, agnoscatur. *Faërnus.*

Quid ais, Byrrhia] Consilium senis de Pamphilo ad uxorem ducendam adigendo, etiam Charino mature innotescere, argumenti causa, debebat: is ergo, ut primum ex servo cognovisset, quid pararetur, anxius animi ad Pamphilum properat; quo familiariter utebatur. Quærunt ergo aliqui cur Charinus nusquam se conscium amoris Pamphili erga Glycerium ostendat, homo sodalis et amicus: et propterea existimant factum, ut nihil ex anxietate Charini relaxaretur: quod futurum erat, si ei constaret, Pamphilum alio amore occupatum esse: possitque ad hunc sensum trahi, quod act. II. sc. 6. vs. 13. *clam* dicitur amasse, et *ne infamiæ sibi esset, cavisse.* Ex diverso; non potuit latere Charinum, quam assidue in domum Chrysidis ventitarit Pamphilus, eaque defuncta, amorem Glycerii in funere ipse prodiderit: adeo ut Chremes mox, velut ex communi fama, *comperisse* se dicat, *Pamphilum pro uxore habere hanc peregrinam:* vide omnino Donatum ad illa verba. Jam, quando Charinus in Davum increpat act. IV. sc. 1. vs. 42. 'Eho, dic mihi, si omnes hunc conjectum in nuptias inimici vellent, quod nisi hoc consilium darent?' multum decedet de vi objurgationis, si ab ignaro amorum Pamphili hæc verba proficiscantur: et scena insequente, Charinus audit Pamphili querelam et cum Myside, de Glycerio, sermones, non tanquam rem novam, sed probe sibi notam. Videatur itaque id timuisse Charinus, vim ut posset ferre Pamphilus, et patris imperium detrectare: tum nec illud ad fidem difficile erat Pamphilum fecisse, aut facturum esse, quod sæpe adolescentes solebant; ut ab ejusmodi amore, ad nuptias tum auctoritate patria, tum suo quodam consilio, revocari se pateretur: hæc ad anxietatem Charini excitandam et alendam satis momenti habere potuerunt. Quod enim nullam hujus rei mentionem facit, neque in primo colloquio, neque in jurgio, duabus de caussis factum videri potest: quarum altera ad τὸ πάθος Charini, cui nihil aliud nisi Philumena in ore erat, altera ad rationem pertinet: nullum enim hinc argumentum peti poterat, quo Pamphilus a nuptiis avelleretur: nec decebat Charinum, ingenuum et honestum adolescentem, aperte suadere Pamphilo, ut amori potius quam pudori patris obsequeretur. Fiebat enim sæpe, ut diximus, et fieri debere videbatur, ut ab amoribus ad nuptias, adolescentes traducerentur. Sed hæc utcunque animadversa et existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine. *Bæclerus.*

C. *Quid ais, Byrrhia*] Ne Philumena, a Pamphilo repudiata, omnino spreta et deserta videretur, ad plenam Comœdiæ Catastrophen introducitur alter amator. *Farnabius.*

Sic est] Hoc cum indignatione stomachi dicit. *Donatus.*

2 *Qui scis*] Non vult enim verum esse. *Qui?* quatenus? unde hoc scis? *Idem.*

Apud forum] De loco. De tempore, *modo.* De persona, *de Davo.* Idem.

Apud forum e Davo audivi] Plurima dixit ad confirmandum Byrria, quando interrogatus est, a loco, a tempore, a persona. *Idem.*

Apud forum modo e Davo audivi] Donatus bene jubet observari Poëtæ

nostri accuratam diligentiam in omnibus brevitate nonnunquam admirabili absolutam, quando notat: 'Plurima dixit,' &c. *Bœclerus.*

Væ misero] Tandem aliquando pervictus est ut crederet. *Donatus.*

Væ] Interjectio in his rebus quas execramur. *Idem.*

3 *Ut animus in spe atque in timore, &c.*] Huc usque animus sustinebatur æquius inter spem et timorem; jam vero spei nervo inciso labascit, consilii auxiliique inops torpet, tanquam arcus antehac intentus, nunc spe deplorata, laxus flaccessit. *Farnabius.*

Usque antehac] Id est, antequam tua verba audirem. Et duas præpositiones posuit, ut dicitur: sed una est tantum, velut adverbium, non jam præpositio. Nulla præpositio præpositioni adjungi separatim potest. *Usque* ejusmodi est, ut sine aliqua præpositione raro inveniatur. *Donatus.*

Attentus fuit] Ut *attentus audire* dicitur. *Idem.*

4 *Lassus cura, confectus, stupet*] *Lassus cura*, ex præterita spe: nunc *confectus*, id est, sic vulneratus, aut percussus, ut sanari non possit. *Id.*

Lassus, cura confectus stupet] *Lassus*, adempta attentione. *Cura confectus*; confirmato timore. *Stupet*, abjecta spe. *Idem.*

5 *Quæso ædepol*] Objurgantis est *Quæso*, vel etiam rogantis. *Idem.*

Quoniam non potest] Consolatio ad id, quod fieri non potest, suadens. *Idem.*

Quoniam id fieri, quod vis, non potest] Citat hunc Terentii locum Augustinus l. xiv. de Civitate Dei, c. 15. et i. de vita beata. Crito infra act. iv. sc. 5. *Ut quimus, quando ut volumus non licet: οὐ δυνάμενος ὃ θέλεις, θέλῃς ὃ δύνασαι. Farnabius.*

6 *Id velis, quod possit*] Proverbiale. *Donatus.*

Nihil aliud] Hoc magis gemitu amatorio, quam ut responderet Byrriæ, dicit: quasi magis Philumenam velit, quam vitam et lucem. Idem alibi, 'In eo me oblecto, solum id est charum mihi.' Non enim dixit, Nullam volo aliam, quam Philumenam: sed nihil volo aliud: quod infinitum est. *Idem.*

Nihil aliud] Apud Terentium flagitiosus adolescens insana flagrans cupidine, Nihil volo aliud, et Augustin. l. xiv. c. 8. *Farnabius.*

7 *Qui istum*] *Qui*, pro ut. *Donatus.*

Ex animo amoveas] Legitur, *ex corde ejicias.* Idem.

9 *Facile omnes, cum valemus, &c.*] Pertinet huc illa apud Ciceronem disputatio (iii. Tuscul. cap. 29.) quando Crantor dolori cedendum putat: 'premit enim,' inquit 'atque instat, nec resisti potest. Itaque Oileus ille apud Sophoclem, qui Telamonem antea de Ajacis morte consolatus esset, is cum audisset de fato suo, fractus est: de cujus commutata mente sic dicitur: 'Ne vero tanta præditus sapientia Quisquam est, qui aliorum ærumnam dictis allevans Non idem, cum fortuna mutata impetum Convertat, clade ut subita frangatur sua, Ut illa ad alios dicta et præcepta excidant.'' Græcorum Poëtarum in hanc rem sententias collegit Muretus V. L. i. 7. *Bœclerus.*

Facile omnes, cum valemus, &c.] Thales interrogatus, quid esset difficillimum? respondit: ἑαυτὸν γνῶναι: quid facillimum? ἄλλῳ ὑποτίθεσθαι. Laërtius. Ἅπαντές ἐσμεν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοὶ, Αὐτοὶ θ' ἁμαρτάνοντες οὐ γινώσκομεν. Menander. Ῥᾷον παραινεῖν ἢ παθόντα καρτερεῖν. Idem. Ὑγιὴς νοσοῦντα ῥᾷστα πᾶς τις νουθετεῖ. Idem. *Farnab.*

10 *Tu si hic sis*] Hoc gestu scenico melius commendatur. Nam hæc magis spectatoribus, quam lectoribus scripta sunt. *Hic* ergo, se ipsum ostendens, dicit: et est *hic* pronomen. *Donatus.*

Hic sis, aliter sentias] Δεικτικῶς se ipsum indigitans, vel *hic*, meo loco.

Farnab.

Age age ut lubet] Adversus hæc non habuit quod loqueretur: et est permissio reprobantis ea quæ consentit. *Donat.*

Sed Pamphilum] *Sed*, inceptivum, pro atque eccum Pamphilum: ut Sallustius, 'Sed Metellus in vulnere.' Hoc non discretivum: ut si dicas, sapiens, sed miser: hic enim discretivum erit. *Idem.*

Sed Pamphilum video] Hæc per ἀποστροφὴν finguntur. *Idem.*

11 *Omnia experiri*] Idem alibi: 'Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.' Virgilius hanc posuit sententiam: 'Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.' *Id.*

12 *Ipsum hunc*] Bene *ipsum*, quasi auctorem et principem: refertur etiam ad dignitatem. *Idem.*

Orabo: huic supplicabo] *Oramus* quæ bona sunt; *Supplicamus* in adversis magis, vel cum lachrymis. *Idem.*

Hunc orabo, huic supplicabo] Prooemia sunt petitionis, quibus ostendit Poëta rationem, qua nova et improba res tamen petitur. *Idem.*

Amorem huic narrabo meum] Non studium aut voluntatem, sed amorem. Nec petam, sed *narrabo* dixit: totum magnifice. *Idem.*

13 *Ut aliquot saltem prodat dies*] *Saltem*, desperatis rebus solam petentes salutem, hoc verbo utimur. *Prodat* vero, proferat, prolatet, differat. Lucilius in quinto, 'An porro prodenda dies sit?' *Idem.*

Prodat dies] Protrahat, proferat. *Farnabius.*

14 *Interea fiet aliquid*] Tale est hoc, quale illud, 'Interea aliquid accidet boni.' Sed nihil illum dixisse poëta per servum ostendit, dicendo; *Id aliquid nihil est.* Donatus.

Fiet aliquid] Ut supra, *Impetrabo.* Idem.

Interea fiet aliquid] Infra plenius act. ii. sc. 3. vs. 24. 'Interea aliquid acciderit boni:' qui locus de sensu et usu hujus formulæ non sinit dubitare. Vehementer cupientes etiam ubi sperandi causa ademta videtur, in spem revolvuntur, utut incertam et obscuram. Apud Plautum in Mercatore ii. 4. 24. 'In venietur, exquiretur, aliquid fiet.' *Bœclerus.*

15 *Adeon' ad eum*] Consuetudine magis, quam ratione dicitur: unum enim *ad* abundat. *Donatus.*

Quidni? si nihil impetres] Aut, *Quid, nisi nihil impetres, ut te, &c.* In utroque idem sensus est; sed superior per εἰρωνείαν, inferior per simplicem explanationem, solvitur. Et si *quidni* legitur, subaudiendum, adeas: ut sit, Quidni adeas? ut si nihil impetres, te arbitretur paratum mœchum, si illam duxerit. *Idem.*

Si nihil impetres] *Impetres*, per ὑστερολογίαν dictum videtur, pro *petas*: quoniam petitionem sæpe impetratio sequitur. *Idem.*

17 *Abin' hinc in malam crucem cum suspicione istac, scelus*] Libri Vaticanus et Victorianus, *Abin hinc*, licet deinde ex *abin*, abrasum utrobique sit n: præterea hi duo, et alii omnes fere l. s. *in malam rem* habent: qua lectione admissa versus, qui aliter stare non potest, est trochaicus catalecticus. *Faërnus.*

Malam rem, &c.] Exitium, in crucem, supplicium te dignum, ad corvos. *Farnabius.*

18 *P. Charinum, &c.*] Non imperite Pamphilum priorem loqui fecit, sed ut fiduciam det Charino loquendi: quod et Virgil. eleganter, 'Heus, inquit, juvenes, monstrate, mearum Vidistis si quam hic errantem forte sororum.' Ad hoc prior incipit Pamphilus, ut ad confessionem Charino minus clausa præ pudore sit via. *Donatus.*

19 *Ad te venio*] Aliqui libri scripti, et in iis antiqui et Priscianus, *Ad te advenio.* Faërnus.

Ad te venio, spem, salutem, auxil. cons. expet.] Rhetorice et copiose hic

agit. Principium enim vim præpadi habet: *ad te venio*, sc. *advenio*. *Spem* primo loco nominat, jam scilicet desperatam, nisi a Pamphilo redderetur; et cum ea *Salus*: perire enim destinaverat, nisi omnia experto, nova spes affulgeret: *auxilium* inde, aut si minus id fieri possit, *consilium*, nec petit sed *expetit*. Responsio Pamphili vs. 20. *neque pol consilii locum habeo, neque auxilii copiam*, ex mente Donati, conditionem ejus describit, qui et amans et miser esset, suisque ipse rebus nec consilio, in perturbatione animi, nec auxilio, in tanta fortunæ turba superesse posset. *Bœclerus.*

Salutem, auxilium, consilium expetens] Ut in petitionibus fieri solet, beneficium petens, utitur partibus deliberativæ. *Donatus.*

Consilium expetens] Eleganter: quoniam demens et improbum est quod petit, novissimum posuit consilium: ut si non possit concedi, vel consilium expetat ad sanandam dementiam. Cicero, 'Tu da salutem, qui spem dedisti.' *Idem.*

20 *Neque pol consilii locum habeo, neque auxilii copiam*] Apud amantem neque consilii facultas: apud inopem neque copia auxilii. His duobus ostendit etiam sese amatorem. Neque pol consilii locum habeo, quia amo: neque auxilii, quia sum miser. *Idem.*

Neque pol consiliis locum habeo] O. l. s. Donatus et Eugraphius *consilii*: et ita Robertus Stephanus impressit. *Faërnus.*

Neque pol consilii locum habeo] Ab amante nullam consilii facultatem, a misero et inope nullam auxilii copiam exspectes, 'Magisque ei adeo consiliarius hic amicus est, quam auxiliarius.' Plautus in Truculento act. II. sc. 1. *Farnab.*

21 *Sed istuc quidnam est*] Hoc si non adderet, locus confitendi amoris Charino nullus fuisset. *Donatus.*

Hodie uxorem ducis] Vide miram interrogationem ante confessionem. *Idem.*

Aiunt] De ea re dicimus quam volumus esse falsam. *Idem.*

22 *Si id facis*] Nihil prius, quam se moriturum dixit, pudenda dicturus. Inde datum est, ut ille instantius quæreret causam. *Idem.*

Hodie postremum] Plus dixit, quam si dixisset, *Morior hodie.* Idem.

Hodie postremum] A necessario: quia, vivere non potest. Et *postremum* adverbium est. *Idem.*

Si id facis hodie postrem. me vides] Servantur gradus semel instituti: *spem expetebat*; hoc illo responso Pamphili, *aiunt*, iterum imminuta, ad consilium pereundi aut profugiendi revolvitur, quod hac verborum ambage notatur, cui conferri meretur locus in Phormione act. III. sc. 3. vs. 16. &c. Subinde cum Pamphili de nuptiis animum perspexisset, cum spe, *salus* redit: vs. 33. *reddidisti animum*: ubi Donatus: 'Plus dici non potuit:' de 'auxilio' et 'consilio' deinceps agitur, sociata opera, etiam in scena sequente. *Bœclerus.*

23 *Vereor dicere*] Eloqui me vetat verecundia. *Farnabius.*

24 *Sponsam hic tuam*] Nulla cunctatione Byrrhia, sed facete, παῤῥησίᾳ servili paratissime narrat. *Donatus.*

Sponsam hic tuam amat] Callide et *sponsam*, et *amat*: hoc est, nec adhuc uxor tua est, neque aliquid admisit, quia amat tantum. *Idem.*

Næ iste haud] *Næ*, valde: ut et Cicero, *Næ illi vehementer errant.* Sensus hic est, Non id amat quod amo, nec id odio habet quod odi: hoc est, Valde iste, inquit, non mecum sentit: id amat quod ego odi. *Idem.*

Næ iste haud mecum sentit] *Næ*, valde: aut, ut quidam volunt, *o quam.* Lucilius in X. 'Næ in arce bovem discerpsi magnifice,' inquit. *Idem.*

25 *Num quidnam amplius tibi cum illa fuit*] Artificiose personam expressit Terentius, nuptias recusantem: et simul τὸ πρέπον virgini servavit. *Idem.*

Num quidnam amplius tibi cum illa fuit, &c.] Pudori serviit, consuetudinem veneream notando: sequitur: *quam vellem*: sub. tibi aliquid amplius fuisset cum illa: *ut* scilicet *esset causa recusandæ*, quod Donatus annotat. *Bœclerus.*

26 *Quam vellem*] Utique ut esset causa recusandæ. *Donatus.*

Quam vellem] Utinam esset! quo mihi illius recusandæ daretur causa. *Farnab.*

Per amicitiam] Suam et Pamphili. *Donatus.*

Et per amorem] Suum tantum circa virginem. *Idem.*

Nunc te per amicitiam et per amorem obsecro] Per amicitiam, 'suam et Pamphili:' per amorem, 'suum tantum circa virginem.' Donatus. Interpres Gallus synonymiam agnoscit, per amicitiam et amorem nostrum, id est, quo inter nos amamus. Donati expositio, *oro te per amorem Philumenæ*, nihil hic efficaciæ videtur habere. Cæterum hæc petitio Charini affectum et artem servat: obtĕstatione præmissa, gradus facit, ut si id, quod unice cupiebat, impetrari nequiret, κατ' ἐπιτροπὴν, aliud tanquam ultimum et qualecunque levamentum desperationis rogaret. *Bœclerus.*

27 *Ut ne ducas*] Sufficeret dixisse, *ne ducas.* Donatus.

Dabo equidem operam] Plus illi promisit, quam ille poposcit. *Idem.*

Dabo equidem operam] Pronuntiatione levandum est. Plus enim dixit, *dabo operam*: quam si diceret, *non ducam.* Idem.

Non potes] Deest, *fieri*, et hoc ad patrem retulit. *Idem.*

28 *Aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi*] Hoc ad Pamphilum pertinet, non enim unum et idem est: nam si idem esset: *nuptiæ hæ sunt tibi cordi*, supervacuum esset additum. *Idem.*

Cordi] Animo, acute. *Idem.*

Cordi] Repetitio interrogatoria cum indignatione. *Farnabius.*

Saltem aliquot dies profer] Primo quæ majora sunt petit: postremo quæ ex his videntur minima: et hoc arte: ut 'Incute vim ventis, submersasque obrue puppes.' Et ad postremum, 'Aut age diversas, et disjice corpora ponto.' *Donatus.*

29 *Profer*] Prolata, produc, differ. *Idem.*

Profer] Prolata, differ, protrahe: supra hac eadem scena; 'Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies; Interea fiet aliquid, spero.' *Farnabius.*

Aliquo] *Aliquo* dixit, ut exilium esset incertum. *Donatus.*

Audi nunc jam] Correptio impatientis, qui non sustineat audire de exilio. *Idem.*

Audi nunc jam] In hoc versu *jam* est dissyllabum, ut alibi; itaque scribe, *ïam.* Sed hæc vox in versione Gallica omitti non debet; idem enim est ac si diceret Pamphilus: Nunc, postquam tamdiu locutus es, tandem audi. *Faber.*

Audi nunc jam, &c.] Donatus correptionem hic agnoscit, tanquam impatientis, qui non sustineret audire de exilio, id est, tanquam a Pamphilo, non sustinente audire de exilio, factam. Serviunt et hæc verba asseverationi, qua mox eminentem sententiam infert, ut Charinum de suo animo certum reddat. Adde sententiam παράλληλον Adelph. IV. 3.1. de eadem honestate circa officiorum communicationem. *Bœclerus.*

30 *Ego, Charine*] Sententiæ, quæ ex pronominibus incipiunt, seria semper, sed vera promittunt. Virgilius: 'Me natam nulli veterum sociare procorum Fas erat.' *Donatus.*

Ego, Charine, neutiquam officium] Sensus hic est, Non puto, inquit, hominem liberum, qui, cum nihil præstet, haberi gratiam sibi poscat: ergo cum tibi nihil præstem, nolo mihi

gratias agas: non enim tui causa fugio, quod, priusquam me peteres, magis nolebam ducere, quam tu cupis. *Idem.*

Neutiquam] Una pars est orationis, pro nequaquam. Aut alio modo dicitur.

Cum is nihil promereat] Id est, præstet: ut Virgilius: 'Quique sui memores alios fecere merendo.' Et, 'Nunquam regina negabo Promeritam.' E contrario lædit: 'Quid commerui, aut peccavi, pater?' *Idem.*

Officium esse liberi puto] Deest dictio *hominis*, quæ in omnibus est l. s. et in plerisque ita collocata, *officium liberi esse hominis puto:* quo modo etiam melius procedit trochaicus; 'liberi' autem 'hominis' intelligendum, non ejus modo qui non est servus, sed et qui nobilitate et bona existimatione inter suos cives censetur. Juvenalis: 'Tu tibi liber homo, et regis conviva videris, Captum te nidore suæ putat ille culinæ.' Cicero libro primo Officiorum: 'Nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.' *Faërnus.*

Officium liberi esse hominis puto] Hic sumitur *officium* pro actione, ut in scholis loquuntur. Gall. *Ce n'est pas une action d'honneste homme.* At *liberi* est dissyllabum. *Faber.*

Neutiquam officium liberi] Neque ingenui hominis esse arbitror officii gratiam admittere, ubi nihil præstiterit, promeritus fuerit. Ego nihil præsto; non enim tui causa Philumenæ nuptias fugio, sed Glycerii, quam intime et constanter amo. *Farnabius.*

31 *Cum is nihil promereat*] *Mereri*, est aliquid mercedis pro labore sumere: cum dicimus, *Nihil meretur*, hoc intelligitur, nihil mercedis dignus est accipere. *Donatus.*

Cum is nihil promereat] Laboret, vel mereatur, vel mercedis petere debeat: ut, 'Quid meret machæra?' Plautus in Pseudolo. *Idem.*

Id gratiæ apponi sibi] Addi in gratiam suam, id est, sibi gratiam merere. *Idem.*

32 *Nuptias effugere*] Interposita distinctione, vultuose hoc dicitur, hoc est cum gestu. *Idem.*

33 *Reddidisti animum*] Plus dici non potuit. *Idem.*

Aut tu, aut hic Byrrhia] *Hic* δεικτικῶς quasi efficaciorem ostendit: ergo ad comparationem alterius refertur. *Idem.*

34 *Facite, fingite, invenite, efficite*] *Fit*, quod verum est. *Fingitur*, quod falsum est. *Invenitur*, ne temere fiat. *Invenite* ergo, agite dicit post cogitationem. *Idem.*

Efficite] Id est, in effectum perducite. Sallustius, 'Nam et priusquam incipias, consulto; et ubi consulueris, mature facto opus est.' *Idem.*

Facite, fingite, invenite] Mire expressit Pamphili animum nuptias metuentis, cui quicquid dixerit, parum est. *Idem.*

Facite, fingite, invenite, efficite] Rhetorice contorquet verba: ad animum Pamphili asseveratius demonstrandum: in quibus tamen non oportet λεπτολογεῖν. *Bœclerus.*

35 *Ego id agam, mihi qui ne detur*] Non dixit, *ego non instabo ut ducam:* sed quod est amplius. Et recte: utriusque opera opus. Non enim continuo ducet Charinus, si non duxerit Pamphilus. *Donatus.*

Qui detur] *Qui* pro quemadmodum. *Idem.*

Ne mihi] Veteres frequenter *ne* pro *non* dicebant. *Idem.*

Mihi qui ne detur] Qua ratione mihi non detur. *Farnabius.*

Sat habeo] Sic antiqui pro sufficit, *sat habeo* dicebant: an vel abundat? *Donatus.*

36 *Cujus consilio fretus sum*] Οἰκονομικῶς hic Davi in hac fabula partes designantur: quo etiam Byrriæ contentio spectat; tanquam et inutilis,

et tristia tantum nuntiantis: recte enim Donatus ea, quæ nihil opus sunt scire, ad Scenæ principium refert; ubi Byrria tristi nuntio Charinum exterruerat: qui affectus in hæc verba duravit. *Bœclerus.*

At tu hercle] Deest, adfers, dicis, nuntias. *Donatus.*

37 *Nisi ea quæ*] Hoc est, 'Daturne illa hodie Pamphilo nuptum? By. sic est. Ch. qui scis? By. apud forum modo de Davo audivi.' Quod memor est Charinus se non libenter audisse. *Idem.*

Fugin' hinc] Comminantis est, et abigentis a se. *Idem.*

Ego vero, ac lubens] Nemo lubenter fugit, nisi coactus necessitate. Hic etiam *lubens* dixit, quod est lubenter. *Idem.*

Scena ii. Hæc scena constat trochaicis septenariis, sive tetrametris catalecticis. Quicquid variæ lectionis Faërnus annotavit, in nostris quoque Mss. reperitur: præterea alia sunt quædam diversa, quæ non operæ pretium est annotare: vs. ult. pro *etsi* habent nostri *tametsi;* pro *me, mea:* vs. 22. frustra substitui vocem *suspectio* eruditi pridem monuerunt: vs. 28. *intro aspexi*, unus e meis habet: v. Fr. Fabric. vs. 7. *abeo* retinent omnes nostri: vide autem Donatum et Fr. Fabric.

Narrationis Davi τὸ ἐγκατάσκευον per argumenta et rationes ac conjecturas; itemque τὸ ἐνδιάσκευον per figuras et mores, non indiligenter Donatus signavit, opportunis locis. *Bœclerus.*

1 *Di boni*] *Hæc scena consilium continet personarum, ad quas maxime pertinet argumentum. Et hic est locus in quo, ut fieri solet, fortuna, mixta rebus dispositis, magnas turbas dat.* Donatus.

Di boni, boni quid porto] Non mirum quod insolentius Davus exultat, qui, ut Simo dicebat, timidus fuit, ut ipse Davus, etiam desperavit ex nuptiarum terrore, quas nunc falsas comperit. *Idem.*

Di boni, boni quid porto] Ex proximo repetivit bis: sed tamen alterum nominativo plurali, alterum genitivo singulari dictum est. *Idem.*

Di boni, boni quid porto] Accurate observata ἤθη. Davi subtile: cui ex tenui aut nullo apparatu suboluerat simulari nuptias. Pamphili sibi constantis honestum. Charini socordis leve et humile. *Farnabius.*

Quid porto] Non solum corpore, sed etiam animo portamus tam bona quam mala. Sic alibi, 'Ne quid Andria apportet mali.' *Donatus.*

2 *Ut metum in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio*] Ordine locutus est: prius enim metum adimere, sic demum gaudio perfundere. Hic ordo etiam in laude servatur. *Idem.*

3 *Nescio quid*] Deest *propter:* ut sit propter nescio quid. *Idem.*

Quid] Adverbiale. *Idem.*

5 C. *Audin' tu illum*] Interruptus sermo, alio interloquente. *Farnabius.*

Exanimatum] Perterritum, perturbatum. *Donatus.*

6 *Sed ubi quæram*] Nunc in omnes se partes versat, quærens quo dirigat cursum. *Idem.*

7 *Abeo*] Videtur quasi constitisse, deinde quasi elegisse quo pergat. *Habeo* per *h* inveni: legitur et *abeo:* uti merito illi dicatur, *Resiste.* Idem.

Quis homo est qui me? o Pamphile] Ante videt, quam compleat orationem. *Idem.*

8 *Te ipsum quæro, euge o Charine, ambo opportune, vos volo*] Nec Donatus, nec l. s. habent *o* interjectionem, et stat versus omittendo facere synalœpham, in *teipsum*, vel dissolvendo diphthongum in *quæro.* Faërnus.

Euge, Charine] *Euge*, modo pro interjectione positum est. *Donatus.*

Opportune] Deest, *adestis:* non, opportune vos volo. *Idem.*

9 *Dave, perii*] Proprium est dolen-

tibus, præfestinare ad indicanda quæ dolent. Ἀπολούμεθα. Habet nonnullum affectum quod addidit, *Dave.* Idem.

Dave, perii, interii] Hæc verba Charino Donatus adscribit: et bene. *Faërnus.*

Quin tu] *Quin*, modo pro imo, alias, cur non? *Donatus.*

10 *Mea quidem hercle*] Videtur Charinus plus dixisse, *Perii*, quam Pamphilus, *Mea quidem hercle certe in dubio est vita.* Sed non est hoc: plus enim Pamphilus dixit: nam qui vivit non potest interiisse: is autem qui vivit, vitam potest in dubio habere. Ideo et juravit *hercle:* et affirmans jusjurandum, *certe* addidit. Bene *certe:* quasi illud *interii*, falsum sit. Ita Pamphilus plus fecit, periturum se esse dicendo, quam Charinus interiisse. *Idem.*

Mea quidem hercle] Donatus his addit adverbium, *certe*, et tres libri vetustiores. *Faërnus.*

Hercle certe] Geminatio asseverationi serviens. Ita πάνυ σφόδρα apud Aristophanem, in Pluto: ubi Scholiastes antiquus: ὅτι σύνηθες Ἀττικοῖς παράλληλα τιθέναι τὰ ἰσοδυναμοῦντα, δηλοῦται δὲ ἕν τι ἐξ ἀμφοτέρων. οὕτως ἔχει καὶ τὸ, τυχὸν ἴσως. *Bœclerus.*

In dubio vita est] Id quod dictum antea, *mon repos, ma joie, &c.* nisi sit hyperbole amatoria. *Faber.*

Et tu quid, scio] Mira compendia, quæ contrahit Poëta longitudine fabulæ: nec tamen perdit affectus personarum. *Donatus.*

Et tu quid] Deest *timeas.* Idem.

Et tu quid scio] Iidem libri, *et quid tu.* Faërnus.

11 *Et id scio*] Ἐν ὑποκρίσει: tanquam dicat, nihil est. *Donatus.*

Et id scio] Legitur *etsi scio.* Idem.

Et id scio] Affirmat Donatus etiam legi *et si scio;* et ita habent omnes vetustiores libri. *Faërnus.*

Hodie] Tempus addidit, tanquam rem sciens. *Donatus.*

Obtundis] Sæpe repetendo dicere, *obtundere* est: translatio a fabris, qui sæpe repetunt tundendo aliquid malleo, et idem obtundunt et hebetant. *Idem.*

Obtundis, tametsi] Potest esse ἀναστροφή: sed sincerius est et melius subdistinguere. *Idem.*

Obtundis, tametsi intelligo] Eadem sæpius repetendo mihi aures obtundis; metaphora a pugilibus qui crebris cestuum ictibus Antagonistarum aures obtundunt, vel etiam a fabris qui ferrum malleis tundunt hebetantque. *Farnabius.*

12 *Id paves*] Deest *ob*, ut sit, *ob id:* hoc autem Pamphilo dicit. *Donatus.*

Tu autem, ut ducas] Pro, ne non, *ut* posuit. Hoc Charino. *Idem.*

13 *Atque istuc ipsum*] Ἐν ὑποκρίσει. Ille enim hoc idem dixerat cum exclamatione: quod quasi vanum contemnit. *Idem.*

Me vide] Utrum, lætus sum? an, me specta fidei datorem? ut dici solet, *me habe, me respice.* Idem.

Me vide] Me respice, a me salutem exspecta. *Farnabius.*

11 *Obsecro te, quamprimum me libera miserum metu*] Cum precibus et tempus admiscuit. Et bene *libera*, perfecta enim securitas *liberatio* nominatur. *Donatus.*

Hem] Ecce: demonstratio est facti. *Idem.*

15 *Uxorem tibi non dat jam Chremes*] Oratorie a summa cœpit: cujus partes, multis dicentur. *Idem.*

Jam non dat] Bene *jam:* quod si non dixisset, intelligeret Pamphilus, vel postea Chremetem filiam esse daturum. Sed addito *jam*, plena securitas est: *jam* enim renuntiatio est perpetuitatis. *Idem.*

Uxorem tibi jam non dat] Iidem libri vetustiores et aliqui alii, et Donatus, ita collocant, *tibi non dat jam.* Faërnus.

Scio] Præparatio est auditoris ad

eam narrationem, quæ ostendit argumenta falsarum nuptiarum. *Donatus.*

16 *Me prehendit*] Pro *prendit.* Addita aspiratione geminavit syllabam. Et *prehendit* dixit, quasi vitantem ac fugientem. *Idem.*

Ait tibi] *Ait* proprie: quia contemnenda dicuntur. *Idem.*

Ait tibi uxorem dare se] Conjecturam facit ex malis, quæ præcesserunt. *Idem.*

Ait tibi uxorem dare se] Dicit cur primo crediderit veras, dicturus subinde cur falsas. *Idem.*

Uxorem dare se] O. l. s. *dare sese;* ita erit trochaicus acatalecticus. *Faërnus.*

17 *Item alia multa*] Bene distulit narrationem, ne si audirent Charinus et Byrria, desinant dolos struere adversum vigilantissimum senem. *Donatus.*

Item alia multa] Commoda narratio a necessariis tantum. Minas autem senis prætermisit, ne corrumperet bona quæ nuntiabat. *Idem.*

Quæ nunc non est narrandi locus] Non vult dicere, quam minaciter secum egerit senex, quamque instet nuptiis, ne Charinum Byrriamque de spe dejiciat, quos vult secum adniti, ne uxorem Pamphilus ducat. *Idem.*

Quæ nunc] Argumentum est, quærere potuisse eum qui sit tertius: nam timor curam parit. *Idem.*

Narrandi locus] Modo tempus, spatium. *Idem.*

Locus] Tempus, spatium. *Farnabius.*

18 *Properans percurro*] Vide quantum dixerit, *Properans* et *percurro*, ut continuationem cursus ostenderet. *Donatus.*

19 *Ubi te non invenio*] *Ubi*, modo non est adverbium loci, sed temporis, pro *postquam.* Idem.

Ubi te non invenio, ibi] A summo ad imum divisiones, quibus dicta et facta continentur: sub quorum genere sunt species nunc dictorum, nunc factorum, cum consideratione rerum personarumque. *Idem.*

20 *Nusquam*] Deest, *vidi.* Idem.

Video Byrriam] Deest *servum:* et recte: dixerat enim, 'Apud forum modo de Davo audivi.' *Idem.*

Hujus video Byrriam] Charini video servum. *Farnabius.*

21 *Rogo: negat vidisse*] Mira brevitas, et imitanda. *Donatus.*

23 *Paululum obsoni*] Hinc est quod ait, 'Nimium parce facere sumptum.' *Idem.*

Obsoni] Obsonium est pulmentum, aut quicquid ultra panem et vinum adjicitur in cibum. Persæ ad panem nihil addebant, præter nasturtium, Xen. Socrates cum ad vesperum contentius ambularet, rogatus, quid ita faceret, respondit, se obsonare ambulando famem. Cic. Tusc. Quæst. v. vide infra. *Farnabius.*

Ipsus tristis: de improviso nuptiæ] Mire: et moraliter: ex his enim, quæ facta non sunt, docet quid fecisse deberet: et, *de improviso nuptiæ*, pronunciandum. *Donatus.*

24 *Ego me continuo*] Et bene, *continuo* ad Chremem: ut si ab utroque hoc fieret, esset vera suspicio Davi. *Idem.*

Ego me continuo] Deest, *duco.* Consuetudine dictum est. ἐλλειπτικῶς. *Idem.*

Egomet] Una pars orationis est. *Idem.*

Chremem] *Chremem* et *Chremetem*, ut *Darem* et *Daretem.* Idem.

25 *Cum illo advenio*] O. l. s. Donatus, *cum illoc.* Faërnus.

Solitudo ante ostium] Signa ab his quæ sunt, quæ non esse deceret. *Donat.*

Jam id gaudeo] Quasi adversum et non consentientem Pamphilum excitat ad gaudium lætitia sua. *Idem.*

Jam id gaudeo] Sic Virgilius, 'Cum venit, aulæis jam se regina super-

tibus, præfestinare ad indicanda quæ dolent. Ἀπολούμεθα. Habet nonnullum affectum quod addidit, *Dave.* Idem.

Dave, perii, interii] Hæc verba Charino Donatus adscribit: et bene. *Faërnus.*

Quin tu] *Quin*, modo pro imo, alias, cur non? *Donatus.*

10 *Mea quidem hercle*] Videtur Charinus plus dixisse, *Perii*, quam Pamphilus, *Mea quidem hercle certe in dubio est vita.* Sed non est hoc: plus enim Pamphilus dixit: nam qui vivit non potest interiisse: is autem qui vivit, vitam potest in dubio habere. Ideo et juravit *hercle:* et affirmans jusjurandum, *certe* addidit. Bene *certe:* quasi illud *interii*, falsum sit. Ita Pamphilus plus fecit, periturum se esse dicendo, quam Charinus interiisse. *Idem.*

Mea quidem hercle] Donatus his addit adverbium, *certe*, et tres libri vetustiores. *Faërnus.*

Hercle certe] Geminatio asseverationi serviens. Ita *πάνυ σφόδρα* apud Aristophanem, in Pluto: ubi Scholiastes antiquus: *ὅτι σύνηθες Ἀττικοῖς παράλληλα τιθέναι τὰ ἰσοδυναμοῦντα, δηλοῦται δὲ ἕν τι ἐξ ἀμφοτέρων. οὕτως ἔχει καὶ τὸ, τυχὸν ἴσως.* *Bœclerus.*

In dubio vita est] Id quod dictum antea, *mon repos, ma joie, &c.* nisi sit hyperbole amatoria. *Faber.*

Et tu quid, scio] Mira compendia, quæ contrahit Poëta longitudine fabulæ: nec tamen perdit affectus personarum. *Donatus.*

Et tu quid] Deest *timeas.* Idem.

Et tu quid scio] Iidem libri, *et quid tu.* Faërnus.

11 *Et id scio*] Ἐν ὑποκρίσει: tanquam dicat, nihil est. *Donatus.*

Et id scio] Legitur *etsi scio.* Idem.

Et id scio] Affirmat Donatus etiam legi *et si scio;* et ita habent omnes vetustiores libri. *Faërnus.*

Hodie] Tempus addidit, tanquam rem sciens. *Donatus.*

Obtundis] Sæpe repetendo dicere, *obtundere* est: translatio a fabris, qui sæpe repetunt tundendo aliquid malleo, et idem obtundunt et hebetant. *Idem.*

Obtundis, tametsi] Potest esse ἀναστροφή: sed sincerius est et melius subdistinguere. *Idem.*

Obtundis, tametsi intelligo] Eadem sæpius repetendo mihi aures obtundis; metaphora a pugilibus qui crebris cestuum ictibus Antagonistarum aures obtundunt, vel etiam a fabris qui ferrum malleis tundunt hebetantque. *Farnabius.*

12 *Id paves*] Deest *ob*, ut sit, *ob id:* hoc autem Pamphilo dicit. *Donatus.*

Tu autem, ut ducas] Pro, ne non, *ut* posuit. Hoc Charino. *Idem.*

13 *Atque istuc ipsum*] Ἐν ὑποκρίσει. Ille enim hoc idem dixerat cum exclamatione: quod quasi vanum contemnit. *Idem.*

Me vide] Utrum, lætus sum? an, me specta fidei datorem? ut dici solet, *me habe, me respice.* Idem.

Me vide] Me respice, a me salutem exspecta. *Farnabius.*

11 *Obsecro te, quamprimum me libera miserum metu*] Cum precibus et tempus admiscuit. Et bene *libera*, perfecta enim securitas *liberatio* nominatur. *Donatus.*

Hem] Ecce: demonstratio est facti. *Idem.*

15 *Uxorem tibi non dat jam Chremes*] Oratorie a summa cœpit: cujus partes, multis dicentur. *Idem.*

Jam non dat] Bene *jam:* quod si non dixisset, intelligeret Pamphilus, vel postea Chremetem filiam esse daturum. Sed addito *jam*, plena securitas est: *jam* enim renuntiatio est perpetuitatis. *Idem.*

Uxorem tibi jam non dat] Iidem libri vetustiores et aliqui alii, et Donatus, ita collocant, *tibi non dat jam.* Faërnus.

Scio] Præparatio est auditoris ad

eam narrationem, quæ ostendit argumenta falsarum nuptiarum. *Donatus.*

16 *Me prehendit*] Pro *prendit.* Addita aspiratione geminavit syllabam. Et *prehendit* dixit, quasi vitantem ac fugientem. *Idem.*

Ait tibi] *Ait* proprie: quia contemnenda dicuntur. *Idem.*

Ait tibi uxorem dare se] Conjecturam facit ex malis, quæ præcesserunt. *Idem.*

Ait tibi uxorem dare se] Dicit cur primo crediderit veras, dicturus subinde cur falsas. *Idem.*

Uxorem dare se] O. l. s. *dare sese;* ita erit trochaicus acatalecticus. *Faërnus.*

17 *Item alia multa*] Bene distulit narrationem, ne si audirent Charinus et Byrria, desinant dolos struere adversum vigilantissimum senem. *Donatus.*

Item alia multa] Commoda narratio a necessariis tantum. Minas autem senis prætermisit, ne corrumperet bona quæ nuntiabat. *Idem.*

Quæ nunc non est narrandi locus] Non vult dicere, quam minaciter secum egerit senex, quamque instet nuptiis, ne Charinum Byrriamque de spe dejiciat, quos vult secum adniti, ne uxorem Pamphilus ducat. *Idem.*

Quæ nunc] Argumentum est, quærere potuisse eum qui sit tertius: nam timor curam parit. *Idem.*

Narrandi locus] Modo tempus, spatium. *Idem.*

Locus] Tempus, spatium. *Farnabius.*

18 *Properans percurro*] Vide quantum dixerit, *Properans* et *percurro*, ut continuationem cursus ostenderet. *Donatus.*

19 *Ubi te non invenio*] *Ubi*, modo non est adverbium loci, sed temporis, pro *postquam.* Idem.

Ubi te non invenio, ibi] A summo ad imum divisiones, quibus dicta et facta continentur: sub quorum genere sunt species nunc dictorum, nunc factorum, cum consideratione rerum personarumque. *Idem.*

20 *Nusquam*] Deest, *vidi.* Idem.

Video Byrriam] Deest *servum:* et recte: dixerat enim, 'Apud forum modo de Davo audivi.' *Idem.*

Hujus video Byrriam] Charini video servum. *Farnabius.*

21 *Rogo: negat vidisse*] Mira brevitas, et imitanda. *Donatus.*

23 *Paululum obsoni*] Hinc est quod ait, 'Nimium parce facere sumptum.' *Idem.*

Obsoni] Obsonium est pulmentum, aut quicquid ultra panem et vinum adjicitur in cibum. Persæ ad panem nihil addebant, præter nasturtium, Xen. Socrates cum ad vesperum contentius ambularet, rogatus, quid ita faceret, respondit, se obsonare ambulando famem. Cic. Tusc. Quæst. v. vide infra. *Farnabius.*

Ipsus tristis: de improviso nuptiæ] Mire: et moraliter: ex his enim, quæ facta non sunt, docet quid fecisse deberet: et, *de improviso nuptiæ*, pronunciandum. *Donatus.*

24 *Ego me continuo*] Et bene, *continuo* ad Chremem: ut si ab utroque hoc fieret, esset vera suspicio Davi. *Idem.*

Ego me continuo] Deest, *duco.* Consuetudine dictum est. ἐλλειπτικῶς. *Idem.*

Egomet] Una pars orationis est. *Idem.*

Chremem] *Chremem* et *Chremetem*, ut *Darem* et *Daretem.* Idem.

25 *Cum illo advenio*] O. l. s. Donatus, *cum illoc.* Faërnus.

Solitudo ante ostium] Signa ab his quæ sunt, quæ non esse deceret. *Donat.*

Jam id gaudeo] Quasi adversum et non consentientem Pamphilum excitat ad gaudium lætitia sua. *Idem.*

Jam id gaudeo] Sic Virgilius, 'Cum venit, aulæis jam se regina super-

bis.' *Idem.*

26 *Recte dicis: perge*] Vultu enunciandum. Hoc dicit Pamphilus. *Id.*

Maneo] At parum temporis fuisti. *Idem.*

Interea] Temporis longi significatio. *Idem.*

Introire neminem] A non factis. *Id.*

27 *Exire neminem*] Quid si intus erant? ideo ait, *exire neminem.* Idem.

28 *Nihil ornati*] Ἀρχαϊσμός. Sic Sallustius, 'Ergo Senati decreto serviendumne sit.' *Idem.*

Nihil ornati] Nullum apparatum, qui nuptiis conveniat: adi act. II sc. 6. *Farnabius.*

Tumulti] Archaismus, pro *ornatus tumultus:* quartæ inflexionis. *Idem.*

29 *Signum*] Proprie pro argumento. *Donatus.*

Num videntur] A consequentibus argumentum. *Idem.*

30 *Non opinor*] Ille opinionem accommodat tantum, hic multum tribuit conjecturis. *Idem.*

Non opinor] Quoniam argumenta sunt et conjecturæ, *opinor* dixit. Nam contra opinionem, certa res est, quæ autem opinamur, putamus: quæ putamus, incerta sunt. *Idem.*

Opinor, narras] Bene a prima ad secundam personam. *Idem.*

31 *Etiam puerum*] *Etiam* pro præterea. *Idem.*

Chremi] Sic *Chremi*, ut *Ulyssi* et *Achilli.* Idem.

Inde abiens puerum conveni Chremi] Nota *convenire*, pro, *incidere in aliquem:* et ita Gallice verti debuit: *En revenant de-la, j'ay rencontray le valet de Chremes, qui portoit, &c.* Ejus significationis exemplum in Eunucho reperies. *Faber.*

32 *Olera et pisciculos minutos*] Sufficeret diminutive *pisciculos* dixisse, quod sic, *minutos* dixit: et pretium, obolo esse emptos: quæ est ultima nummorum significatio. Sunt enim genera minutorum piscium, quæ magno veneant. Hic ergo etiam ex pretio vilissimos pisces significavit. Et, quid si minutos, sed omnibus? *Seni* dixit, ut obsonationis ostenderet causam. *Donatus.*

Olera et pisciculos] Quod supra generaliter, 'paululum obsoni:' hic specialiter dixit. *Idem.*

Et pisciculos, &c.] Ἀγοράσας εἰς τοὺς γάμους· Λιβανωτὸν ὀβολοῦ τοῖς θεοῖς, &c. Ἡμῖν δὲ τοῖς θνητοῖς ἐπριάμην κωβίους. Athen. l. VII. c. 17. Omnia opsonia ὄψα appellantur: solus tamen piscis obtinuit tandem, ut ὄψον simpliciter cum dicitur, piscis intelligatur. Casaubon. in Athenæum l. VII. c. 17. *Farnabius.*

In cœnam seni] Mire *seni*, cujus est major cura domi. *Donatus.*

Nullus] Pro, *non*, ut alibi, 'Nullus dixeris.' *Idem.*

33 *Dave hodie tua opera*] O. l. s. *hodie Dave.* Faërnus.

Ac nullus quidem] O. l. s. *ac nullus q.* Idem.

34 *Quid ita*] Una pars orationis. *Donatus.*

Ridiculum caput] Pro toto homine: nemo enim ore contempto ex aliis membris hominem velit significare: et est συνεκδοχὴ τρόπος. *Idem.*

35 *Quasi necesse sit, si huic non det, te illam uxorem ducere*] Ostendit ἐνθύμημα vitiosum hoc esse, in quo, altero sublato, non necessario alterum relinquatur. *Idem.*

36 *Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis*] Hoc laborat Davus, quemadmodum Philumenam Charinus propriis laboribus promereatur uxorem. *Idem.*

Nisi vides, nisi senis amicos oras] Artificiose Davus Charinum excitat, ut, si fieri possit, adjuvetur negotium Pamphili, dum ille sibi providet. *Id.*

Nisi vides] Provides. *Idem.*

Nisi vides, &c.] Non tantum diligentiam Charini incitat Davus, ipsumque in hanc partem argumenti conficiendam trahit; sed etiam amoliri hinc cupit, ut cum Pamphilo novi rationem consilii inire sine arbitris posset. *Bœclerus.*

Ambis] Magnarum rerum desiderium et appetitus, *ambitio* dicitur: Confirmata re a factis et a personis deliberativa nascitur. *Donatus.*

Scena III. Constat scena, quam aliqui codices cum superiore conjungunt, trochaicis, ut ante; et deinde Iambicis sen. et octon. In vs. 5. tres nostri Mss. post 'transferet' ponunt *omnem:* ex glossa, ut arbitror. vs. 10. omnes, *egone.* vs. 11. *suadere noli hoc:* unus, *hæc.* vs. 17. pro *hocce*, omnes, *hoc.* vs. 22. omnes, *inveniet inopem.* vs. 28. omnes, *alia.*

Persuadet Davus Pamphilo, ut patri dicat, se ducturum esse Chremetis filiam: ita enim fore, ut honestati satisfecisse videatur, ut se periculo, turbis, difficultatibus simul et semel explicet; ut patris consilia confundat, sibique securitatem paret: quod magnæ instar utilitatis habendum. Arte autem tractat, difficultate et turbis ostensis, antequam promat consilium; mixtis etiam, ut penetrabilius moveant, argumentis. *Bœclerus.*

Quid igitur, &c.] In Mss. quibusdam continuatur hæc scena cum præcedente. *Farnabius.*

Quid igitur sibi volt pater] *Hæc scena deliberationem continet Davi et Pamphili.* Donatus.

1 *Igitur*] Bene *igitur:* si enim falsæ sunt nuptiæ, quid cogitat? stomachose etiam hoc dixit *sibi volt:* Virgilius, 'Quid vult concursus ad amnem?' *Idem.*

Ego dicam tibi] Præter figuram, consilium nota in his: dum sollertiam suam et quandam quasi εὐσυνεσίαν Davus hoc loquendi genere commendat. *Bœcler.*

2 *Si id*] *Id*, ob id, propter id. *Donatus.*

Quia non det tibi uxorem Chremes] Complures libri, *dat.* Faërnus.

3 *Neque id injuria*] Id est, usque adeo injustus sibi videbitur ut se injustitiæ ipse condemnet. *Donatus.*

4 *Perspexerit*] *Perspicere* est ad plenum et perfectum videre. *Idem.*

Priusquam tuum ut sese habeat animum] Trajectio verborum minime insolens πρὸς τὸ σχηματίζειν τὸν λόγον. Minus familiariter ὑπερβατὸν καθ' ὑπέρθεσιν adhibetur in vss. 27. et 28. 'Hanc fidem sibi, me obsecravit, qui se sciret non deserturum, ut darem.' Ordo enim est, quod Donatus jam notavit: 'Ut hanc fidem sibi darem, me obsecravit, qui se sciret non deserturum:' vel: 'Obsecravit me, ut sibi darem hanc fidem, qui sciret, me non deserturum se:' quo genere noster tamen parcius utitur, et vix sine ratione: quæ neque hic deesse videtur. *Bœclerus.*

6 *Tum illæ turbæ*] Τὸ *illæ* ad terrorem retulit. *Donatus.*

Quid? vis patiar] Hoc est, patiarne uxorem ducere? *Idem.*

Quid vis patiar] Sunt qui *quidvis*, pro, quicquid evenerit, intelligant: quia dixerat, 'Adeon' me ignavum putas?' Alii pronuntiant, ut sit sensus, Quid me vis facere? an ut hoc patiar, uxorem mihi dari? *Idem.*

Quid? vis patiar?] Al. *quid vis? patiar?* Farnabius.

Pater est, Pamphile] Hoc vultuose pronuntiandum est, et mire *pater* dixit: ut ipso nomine videatur habere auctoritatem: et veluti dormitantem et oblitum potestatis paternæ his tribus excitat; *Pater est, Pamphile, difficile est, hæc sola est mulier.* Donatus.

Pater est] A necessario argumentum. *Idem.*

Pater est, Pamphile: difficil'est, tum hæc sola est mulier] Suasionem hanc ita tractari, jam cœpimus dicere, ut animus Pamphili, periculi metu territus, admittat consilium: itaque hic quo brevius, eo validius, necessitati juris periculum facti conjungit: veluti per summam, undique et ab omni

parte conspiciendam: non minus autem hic pronuntiatio ac vultus gestusque suadentis τὸ πιθανὸν absolvit, quam ipsa oratio: vide et Donatum. Illis autem, quæ brevius nunc signantur, statim ἐξηγητικῶς subjicitur demonstratio periculi, de *ejectione* ex oppido: quo tanquam ictu Pamphili animus effossus, μετὰ πάθους μιμητικοῦ, *ejiciat?* inquit: quod cum iterum affirmaret Davus, jam consilium de periculo vitando, in quo demonstrato tantus terror inerat, ultro expetit: *Cedo igitur, quid faciam, Dave?* Hæc cum revera vim suasionis ingrediantur, actionis tamen Comicæ gratia veluti ad παρασκευὴν struuntur: sicut et, proposito mox consilio, *dic te ducturum*, interturbat Pamphilus, ut argumenta potentius inferantur, quod contentius resistit ille. *Bœclerus.*

Pater est, Pamphile] Patri adversari importunum est: vim neque parenti neque patriæ afferre oportet: ex Platone Cicero I. l. 9. Epist. Famil. *Farnabius.*

7 *Difficil'est*] Hoc est, resistere, contradicere, Pamphilo difficile, perniciosum Glycerio. *Donatus.*

Difficile est] Ἀποσιώπησις cum vultu. Deest *resistere*. Idem.

Sola] Sine auxilio, ac per hoc deserta. *Sola* autem, sine defensoribus propriis: et *sola* et *mulier* dixit. *Idem.*

Dictum ac factum] Proverbium celeritatis: id est, cito. *Idem.*

Invenerit] Pro inveniet. Conjunctivo modo pro indicativo usus est: et est honesta locutio. *Idem.*

Dictum factum] Ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον: actutum. *Farnabius.*

8 *Quamobrem ejiciat oppido*] Callide ad ejus periculum se convertit, cui plus amator timet, quam sibi: ideo vincitur statim. Apparet autem Davum male suadere: qui tum caveat Pamphilo: cum maxime formidat senem. *Donatus.*

Oppido] Ex civitate. *Idem.*

Ejiciat] Miratur et stupet. *Idm.*

Cito] Illo admirante, hic etiam confirmavit: addidit et tempus celeritatis. *Idem.*

9 *Cedo*] Singularis tantum numeri est: cætera pluralis, ut *Salve salvete.* Idem.

Dic te ducturum] Pronuntia *dic*: quasi rem facilem et nullius præjudicii. *Id.*

Dic te ducturum] Hoc est, quod ab initio nitebatur. *Idem.*

Dic te ducturum] Consilium quidem callidum; sed quod Pamphilum inscientem in discrimen conjiciat. *Farnabius.*

10 *Egone dicam*] Τὸ *Ego* ἔμφασιν habet: hoc est, vel quem non oporteat dicere, vel quem non conveniat fallere, atque mentiri. *Donatus.*

Cur non] Non interrogat, sed facilitatem rei ostendit. *Idem.*

Nunquam] Plus habet negationis, quam *non*. Idem.

11 *Ex ea re quid fiat vide*] Ἀπὸ τῆς ἐμβάσεως. *Idem.*

12 *Ut ab illa excludar, huc concludar*] Mire hanc cum pronomine significat, dicens *ab illa*. Illi nec sexum servavit, ne uxor esse videatur. Et ex ferarum translatione *concludar* dixit: ut alibi, 'Conclusam hic habeo uxorem sævam.' *Idem.*

Ut ab illa excludar] Ἐν ὑποκρίσει: nam aliud infert atque intelligit Davum dicere. *Idem.*

Ut ab illa excludar, huc concludar] Ἐνέργεια est in his verbis suavissima: quam auget μίμησις: pertinet huc illud Aristotelicum, πρὸ ὀμμάτων ταῦτα ποιεῖν, ὅσα ἐνεργοῦντα σημαίνει. *Excludi* enim et *concludi* non tantum translationem, sed evidentiam habent. *Bœclerus.*

Huc concludar] In Philumenæ nuptias. *Farnabius.*

13 *Nempe hoc sic esse*] Conjectura atque divinatio, an hoc, an illud venturum sit. *Donatus.*

Nempe hoc sic esse opinor] Ab imitatione (μίμησις enim dicitur) deducitur. *Idem.*

Nempe hoc] A possibili. *Idem.*

Nempe hoc opin. dict. patr. &c.] Ἐν ὑποκρίσει sæpe et multa dicuntur apud Nostrum: nam id est poësi dramaticæ aptissimum et pæne perpetuum σχῆμα. *Bœclerus.*

15 *Cedo*] *Cedo* singulariter tantum: cætera pluraliter. *Donatus.*

Cedo, quid jurgabit] Ab utili. *Idem.*

Hic reddes omnia] *Hic* adverbium loci non est, sed adverbium temporis: ut Virgilius: 'Hic annis gravis atque animi maturus Alethes.' *Idem.*

Reddes] Facies, restitues. *Idem.*

16 *Incerta ut sient*] Hic est eventus. *Idem.*

17 *Sine omni periclo*] Hoc est, sine ducenda Philumena. *Idem.*

Sine omni periculo] Nisi legas *periclo*, et ex *omni* m elidas, impeditus est versus. *Faërnus.*

18 *Nec tu ea causa minueris*] Hoc est, quod supra, *Id mutavit, quoniam me immutatum videt.* Donatus.

Nec tu ea causa] Quia promiseris te esse ducturum. *Idem.*

Nec tu ea causa minueris] Omnino retinenda est vox, auctoritate et consensu Mss. codicum. Accedit locus παράλληλος nostri Poëtæ in Hecyra IV. 3. 10. ubi vox *minuendi* ita usurpatur. Sensus hic est: *nec tu ea causa*; id est, quia promiseris te esse ducturum; *minueris hæc quæ facis*; id est, Glycerium habere desinas; *ne is* (id est, Chremes) *mutet suam sententiam*; id est, rursus tibi filiam suam dare velit. Nannius in Miscellaneis mallet: *timueris hæc quæ facis*: id est, ob hæc: sed bene se tuetur sententia quam dixi: etiam Donato et Eugraphio probata, quamvis minus explicate proposita. *Bœclerus.*

Nec tu ea, &c.] Tu interea, ne sententiam suam mutet Chremes, hæc quæ facis mutare noli, vive tuis moribus, amicam frequenta. Nannius legit *timueris* hoc sensu. *Farnabius.*

19 *Ne is*] Chremes scilicet. *Donatus.*

Ne is mutet] Ad consilium redit, et conjungit eventum. *Idem.*

20 *Patri dic velle: ut, cum velit*] Scilicet ne securus, quod non sit Chremes daturus filiam suam, parvi faciat iram patris, et neget uxorem ducere, utpote fretus, neminem alium sibi commissurum conjugem. *Idem.*

21 *Nam quod tu speres*] Sunt qui pro *speres*, *timeas* habeant: ut sit, Nam quod tu timeas, scilicet aliam daturum. *Idem.*

Nam quod tu speras] Liber Vaticanus et Donatus, *speres*. Faërnus.

Propulsabo] Hoc est, causam inanem esse monstrabo: id est, ostendam nihilominus te esse ducturum aliam uxorem, etiam si hanc non duxeris. *Idem.*

Propulsabo] Eleganter, pro eo quod est *repellam*. Idem.

Propulsabo] Quod enim tu speras tibique persuades non futurum, ut quisquam tibi ita morato filiam committat suam, facile refutabo. Indotatam potius tibi pater dabit, quam te apud Glycerium corrumpi sinat; Plaut. 'Neque illum, me vivo, corrumpi sinam.' *Farnabius.*

Uxorem his moribus dabit nemo] Ne alteram quærat. *Donatus.*

His moribus] Deest aliquid: ut sit, his moribus agenti, aut his moribus prædito. *Idem.*

Nam quod tu speres, Propulsabo facile: uxorem, his moribus, dabit nemo] Difficultas posita est in illa voce (*Propulsabo*) quam ideo per literam majorem scribi curavi, ut intelligeretur, referri eam ad Pamphilum, qui apud se cogitans hoc diceret (*Propulsabo*;) id est, omnia patris consilia eludam facile; nam ita licenter, ita dissolute vivam, ut nemo mihi filiam suam velit committere. Ad ea respondet Davus, *Inopem inveniet potius, &c.* quasi diceret, Si id cogitas,

Pamphile, in eo multum falleris; ea via periculum non propulsabis; nam pater pauperculam potius puellam tibi parabit, quam te corrumpi sinat. *Faber.*

Nam quod tu speras propulsabo facile, &c.] Torsit hic locus eruditos. Donatus, pro *speres*, *timeas* habere quosdam; Eugraphius, *τὸ sperare* pro *timere* per ἀκυρολογίαν accipi, ait. Nihil est mutandum; nisi quod *τὸ speras τῷ speres* prætulimus, Mss. nostris suffragantibus. Sensum operose Fr. Fabricius exposuit. Nos paucis notamus, quodam quasi χιασμῷ hæc ita dici: *nam quod tu speras*, qua una spe niteris, *propulsabo facile*; id est, repellam, refutabo, ostendam nihil esse, quo niti possis. Nunc resumitur prius, et expletur μιμητικῶς; scilicet hoc speras, hoc tecum animo agitas: *uxorem his moribus* agenti mihi, id est, alibi animum amoribus deditum habenti, *dabit nemo:* sequitur refutatio hujus argumenti sive spei, de qua dixerat, *propulsabo facile:* nam pater tuus *inveniet inopem potius* indotatam, eamque tibi collocabit, *quam te* amore meretricio apud Glycerium porro *corrumpi sinat*. Superest, ut ostendatur connexio cum superioribus: *nam quod tu speras*, scilicet recusando nuptias, hocque indicio, vel etiam adjuncta confessione amoris erga Glycerium, ostendendo, tuum animum avelli non posse, satis tutum te futurum, eo quod nemo filiam suam velit in matrimonium dare homini aliis amoribus irretito: id nihil esse ostendam; accendetur enim potius animus patris, ut te ab amore meretricio quamprimum abstrahat, quæsita quacunque conditione, &c. *Bæclerus.*

22 *Inveniet inopem*] Ὑποφορὰ, ἐφεκτικῶς. Sed nec inopem quærat. *Donatus.*

Inveniet] Sunt qui κατ' ἀνθυποφορὰν dici putant, *Inveniet inopem.* Idem.

Dabit nemo: inveniet inopem potius quam te corrumpi sinat] Ex *dabit* t elidetur, ut sit anapæstus in prima: si quis tamen contrahere velit *τὸ potius* in pyrrichium, non repugno. *Faërnus.*

23 *Negligentem feceris*] Hoc est, etiam in paratis nuptiis. *Donatus.*

24 *Otiosus*] Ex otio, hoc est, securus. *Idem.*

Aliam otiosus quæret] O. l. s. Donatus *alia*. Faërnus.

Interea aliquid boni acciderit] Scilicet ne quærendo inveniat. *Donatus.*

Interea aliquid] Mortem patris adolescenti in delicto pro bono servus ostentat. *Idem.*

Acciderit] Et ad causam refertur: et certe quia mortem patris bonum denuntiat. *Idem.*

Acciderit] Nota *acciderit* etiam pro bono et ab hoc et apud veteres frequentatum. *Idem.*

Interea aliquid acciderit boni] Mortem patris subindicari Donatus putat. *Bæclerus.*

25 *Haud dubium*] Plus intulit, quam est interrogatus. *Donatus.*

Inducas] In eadem translatione permansit, quia supra dixit, *Huc concludar*. Bona οἰκονομία, ut mox juste Davo succenseat Pamphilus. *Idem.*

Quin taces? P. dicam] Cur non securus es? significat jam nunc *tacere*, securum esse, ut in Adelph. 'Tace, egomet conveniam Pamphilum.' Et ideo ille, ut consentire dicenti *Quin taces* videretur, ait, *dicam*, ut scias illum, non silentium, sed securitatem imperasse. *Idem.*

Quin taces] Correptio est silentium præcipientis, de eo duntaxat, ne timeat de nuptiis: id est, esto securus: nam tacere, securi est. *Idem.*

26 *Puerum autem*] Videtur hoc illi contrarium esse, quod dixit, 'Quicquid peperisset decreverunt tollere.' Sic ergo solvitur; Quod ibi servus cum stomacho dixit, hic tantum, Pamphilum verecunde locutum accipimus. *Id.*

Puerum autem ne resciscat] Aut divinat: aut *puerum* pro quolibet sexu: sobolem, hoc est, fœtum: ut, 'Quicquid peperisset, decreverunt tollere:' ut Græci pueros παῖδας: Homerus, Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες: et Horatius: 'Dicam et Alciden, puerosque Ledæ.' *Idem.*

Cautio est] Cautione opus est, hoc est, cavendum est. *Idem.*

Puerum autem ne resciscat mihi esse ab illa cautio est] Mihi magis placet *ex illa*, quod in multis libris, præsertim antiquioribus, legitur. *Faërnus.*

Cautio est] Cato opus est: cavendum est. *Farnabius.*

27 *Nam pollicitus sum*] *Promissio* et *pollicitatio* eandem vim habent: sed *pollicitatio* majoris asseverationis est. *Donatus.*

Susceptŭrum] Act. I. sc. 3. supra. Et Eunuch. act. IV. sc. 6. *Farnabius.*

Hanc fidem] Ordo est: ut hanc fidem sibi darem, me obsecravit, qui se sciret non deserturum. *Donatus.*

29 *Curabitur*] Non *curabo*, sed impersonaliter, cum difficultate: quod quasi arduum esset, et grave, ostendit. *Idem.*

SCENA IV. Senariis Iambicis constat: vs. 4. Mss. meorum unus habet *rationem:* ut et Argentoratensis; sed secunda manu; ante enim fuit, *orationem:* vs. 5. omnes: *qua diff. te.*

Quæ ad fabulæ rationem hic pertinent, in dissertatione Andriæ præmissa tetigimus. *Bæclerus.*

Reviso] *Hæc scena nodum injicit erroris fabulæ, et periculum comicum. Facit etiam executionem consiliorum.* Donatus.

1 *Reviso quid agant, aut quid captent consilii*] *Quid agant*, auribus opus est: πρὸς τὸ *quid captent consilii*, prudentia et sagacitate: et quod supra dixit, non pœnituit idem repetere, 'observes filium, quid agat, quid consilii cum illo captet.' Quod enim prudenter dictum fuerit, non piget repetere. Actio tamen ex his tribus consistit, cogitatione, dicendo, gerendo. *Idem.*

Reviso] Redeo ut videam. *Idem.*

Quid agant] Quid respondeant, quid dicant. *Idem.*

Quid agant, aut quid captent consilii] Retulit ad id quod supra act. I. sc. 1. dictum est: 'observes filium, quid agat, quid cum illo consilii captet.' *Bæclerus.*

2 *Hic nunc non dubitat*] Non dixit, senex, aut pater: sed *Hic*, cum odio, quoniam animo adverso loquitur. *Donatus.*

3 *Venit meditatus alicunde*] Terror objurgaturi patris, hortatio est ad promittendum Pamphilo, quod jubetur. *Idem.*

Ex solo loco] *Solo*, deserto, ubi meditari facilius possit. *Idem.*

Venit meditatus alicunde ex solo loco] Ex Menandro sententiam explicat Donatus; εὑρετικὴν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες· i. e. philosophi. *Bæclerus.*

Meditatus alicunde, &c.] Ἐσκεμμένος. Εὑρετικὴν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν. In secessu et silentio consilium. *Farnab.*

4 *Orationem*] *Orationem* dixit, quod quasi ad plenum cogitari potuisset, quippe meditatus ex solo loco. Menander, εὑρετικὴν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες. *Donatus.*

5 *Differat*] Disturbet, et in diversum ferat. Virg. 'Atque arida differt Nubila:' hoc est: in diversum rapit, dissipat. Et in Adelphis, 'Miseram me! differor doloribus.' *Idem.*

Qua differat te] Libri Basilicanus et Decurtatus, *qui differat:* et ita etiam in Victoriano et Vaticano emendatum. *Faërnus.*

Qua differat te] Qua consilia disturbet tua, teque in diversum rapiat. Adelph. 'differor doloribus:' act. III. sc. 4. *Farnabius.*

Apud te ut sies] Non, ne timeat, cavet Davus, sed ne amore a consilio suo alienetur Pamphilus. *Donatus.*

Apud te sies] Præparatus sis: cui contrarium est, *Non sum apud me.* Idem.

6 *Modo ut possim*] *Ut*, pro ne non. *Idem.*

Modo ut possim] A possibili, Possim apud me esse. *Idem.*

Modo ut possim] Hic versus ita legi debet addita dictione *Dave*, ex o. l. s. et Donato, *Modo ut possim Dave. D. Crede inquam hoc mihi Pamphile:* eliditur t ex *ut*. Faërnus.

7 *Nunquam hodie*] Ab utili eventu. *Nunquam*, plus asseverationis habet, quam *non*: ut Virgilius, ‘ Nunquam omnes hodie moriemur inulti.’ *Donatus.*

Commutaturum] Jurgium habiturum; hoc est enim *verba commutare*. Idem.

Commutaturum verbum] Altercaturum. Sic in Phormione, ‘ Tria non commutabitis verba inter vos hodie:’ hoc est, dabitis atque accipietis, id est, jurgabitis. Ego puto *commutare verba* hoc esse, pro bonis dictis mala ingerere: hoc est, iracundia in maledicta compelli. *Idem.*

Tecum commutaturum] Altercaturum, pro bonis dictis mala ingesturum: in Phormione act. IV. sc. 3. ‘ ut est ille bonus vir, tria non commutabitis verba hodie inter vos.’ *Farnabius.*

SCENA V. Senarii sunt: vs. 8. nostri Mss. *nunc nostræ timeo parti:* vs. 12. omnes: *ab uxore excidit:* vs. 14. unus: *nulla ne in re decet esse cuiquam homini fidem:* alter omittit, *cuiq.*

Byrriæ quarta persona in hac scena, non admiscetur tamen: notat Donatus: ut custodiatur sc. illud ‘ ne quarta loqui persona laboret.’ *Bœclerus.*

Herus me relictis rebus] *Vide quam mire, quum omnes consulto consilio sibi agere videantur, tamen omnes rerum exitu inopinato ludificantur, et Simo, et Davus, et Pamphilus, et Charinus, et ipse Byrria.* Donatus.

1 *Herus me relictis*] Ad hoc venit Byrria, ut in errorem conciliet Charinum: et in hac scena quatuor personæ sine implicatione intellectus loquuntur. *Idem.*

Herus me relictis rebus] Imponitur manus rebus, cum perficitur id quod cœperit: ut Virgilius: ‘ Imponit regina manum.’ Relinquuntur vero res, cum imperfectæ relinquuntur. Item Virgilius; ‘ Atque opere in medio defixa reliquit aratra.’ *Idem.*

Relictis rebus] Adeo præposuit hoc negotii rebus omnibus. *Idem.*

Herus me relictis] Adverte mirum poëtæ artificium, quum omnes consulto consilio sibi agere videantur, omnes tamen rerum exitu inopinato ludificantur, et Simo et Davus, et Charinus et Pamphilus, et ipse Byrria. *Farnabius.*

2 *Hodie observare*] Observatio duplex est, vel captionis, vel obsequii. *Donat.*

3 *Id propterea*] Necesse est aut alterum esse supervacuum, aut *propterea* post accipiendum. *Idem.*

Id propterea nunc hunc venientem sequor; Ipsum adeo præsto video, &c.] *Hunc*, id est Simonem. *Ipsum*, id est Pamphilum. Scio qui in interpretatione Gallica hic erraverint, ut et in Notis Latinis: sed nominibus parco. Faërnus quoque hic et lapsus est, qui *ipsum* esse Chremetem dicat. Unde autem omnium error ortus est? ex eo scilicet quod *hunc* et *ipsum* extra omnem proprietatem, aut certe differentiam, legerint. *Fab.*

4 *Hoc agam*] In gestu est: nam est figura corporis, observantis quid agatur. *Donatus.*

Hoc agam] Rituale a sacrif. et auguriis sumptum, in quibus sacerdos aut præco alta voce exclamabat: *Hoc age:* quæ vox eos qui interessent monebat, ut ad rem, quæ ageretur, tota mente vacarent. *Farnabius.*

5 *Utrumque*] Et Davum et Pamphilum. *Donatus.*

Serva] Observa. *Farnabius.*

6 *Quasi de improviso respice*] Interest ejus qui repente aspexerit: nam videbitur nihil dolose locuturus: ut, ‘ magnam respexit ad urbem.’ *Donat.*

De improviso] Scilicet, ne meditata intelligat eum habuisse consilia. *Id.*

7 *Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo*] *Nolo* et *volo*, nimis imperiosa et superba dictio est: ut alibi, ‘ Pisces cæteros purga, Dromo. Congrum istum maximum in aqua sinito ludere Paulisper: ubi ego venero, exossabitur: Prius nolo.’ *Idem.*

8 *Nunc nostræ parti timeo*] O. fere l. s. ita collocant, *nunc nostræ timeo parti*. Faërnus.

9 *Usquam erit in me mora*] Recusantis est magis, quam non volentis: consensio ea segnis ac tepida, si penitus consideres. *Donatus.*

Hem] Perculsus hoc dicto Byrria, interjectione magis, quam verbo exclamavit. *Idem.*

Neque isthic neque alibi usquam tibi erit in me mora] Donatus: ‘ Recusantis est magis, quam non volentis,’ &c. Non debuit tam manifestum mendum adhuc tolerari. Lege omnino: ‘ Non recusantis est magis quam volentis,’ &c. Puto autem de cetero, Grammaticum hic λεπτολογεῖν· nam de mente quidem Pamphili non est quod dicatur: res enim dubitatione caret: forma autem orationis plenam et promtam asseverationem habet; idque et *οἰκονομία* poscebat: qua constitutum erat, ut diceret se ducturum uxorem. Sed et alibi hoc genus locutionis indubiam promti animi significationem habet. *Bœclerus.*

10 *Obmutuit*] Simo. *Farnabius.*

Quid dixit] Nota hic Byrriæ personam quartam, sed non admixtam. *Donatus.*

11 *Quum istuc, quod postulo, impetro*] Nimis obsequenter locutus est pater. Et *postulo*, pro jubeo: et *Impetro*, pro extorqueo. *Postulo*, juste volo. Petimus enim precario: Poscimus imperiose: Postulamus jure. *Impetro*, pro cum impetrem. *Idem.*

12 *Sum verus*] Id est, veridicus: ut *falsus*, pro falsidicus. *Idem.*

Sum verus] Hoc Davus submissa voce, conversus ad Pamphilum. *Farnabius.*

Uxore excidit] *Cadere spe* dicuntur, qui levati animo, a summo ad inferiora labuntur. *Uxore*, hoc est, matrimonio ac nuptiis. *Donatus.*

Uxore excidit] Quod Græci dicunt, *ἐξέπεσεν καὶ ἀπέτυχεν*. *Idem.*

Excidit] Ἐξέπεσε, ἀπέτυχε· ut *caussa cadere* dicimus. *Farnabius.*

14 *Nullane in re esse homini cuiquam fidem*] Non in nullis terris, sed neque in terris, neque in persona: ut Virgil. ‘ Nusquam tuta fides:’ cum in amore fracta esset ab eo, ‘ Quem subiisse humeris confectum ætate parentem!’ Alibi Terentius, ‘ Cujus tu fidem in pecunia perspexeris, Verere ei verba credere? ubi quid mihi lucri est Te fallere?’ *Donatus.*

Nullane in re esse homini cuiquam fidem] Donatus: ‘ Non, in nullis terris,’ &c. Τὸ *αὐξητικὸν τῆς φράσεως* notare voluit: quod et verbis frequentatur: *nullane in re;* et mox *homini* additur *τὸ cuiquam*. Bœclerus.

15 *Illud verbum*] Id est, proverbium et sententia: et sic veteres *verbum* pro sententia. *Donatus.*

16 *Omnes sibi melius*] Sic alibi, *Proximus sum egomet mihi.* Idem.

Omnes sibi melius malle esse quam alteri] Nullum fere librum invenias hac collocatione verborum, sed plerosque ea quæ infra scripta est, *Omnes sibi esse melius malle, quam alteri.* Vaticanus et Basilicanus, *omnes sibi malle melius esse quam alteri*, numero etiam meliore. *Faërnus.*

Omnes sibi malle melius esse quam alteri] Ex Euripide repetit sententiam Petrus Victorius in V. L. adde Erasm. in Chil. Nam in Medea Pædagogi versus ille: *ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ*, qui a Scholiaste Græco *στίχος παροιμιώδης* dicitur. *Bœclerus.*

Melius esse, quam alteri] Πᾶς τις ἑαυτὸν μᾶλλον τοῦ πέλας φιλεῖ. Eurip. Medea. Φιλεῖ δ' ἑαυτοῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα. Menander. *Farnabius.*

17 *Ego illam vidi*] Hic corrigitur a Poëta, quod per iracundiam dixit Pamphilus, ‘ Aliquid monstri alunt.’

Donatus.

Forma, bona] Distinguitur. *Idem.*

Ego illam vidi virginem: forma bona memini videre] Distinguatur post vidi, ut *virginem* ad insequentia referatur, hoc modo, *ego illam vidi:* deinde subdatur, *virginem forma bona memini videre.* Faërnus.

Ego illam vidi, &c.] Faërnus ita vult distingui: *Ego illam vidi: Virginem forma bona memini videre.* Alii ita: *Ego illam vidi Virginem: forma bona memini videre.* Donatum apparet distinxisse, ut posuimus in editione nostra. *Bœclerus.*

18 *Memini videre*] Aut memor sum me vidisse: aut *memini videre*, hoc est, intelligo, scio: aut memini quod viderim. *Memini videre*, pro vidisse. Ennius: 'Memini me tum fieri pavidum.' Alibi sic, *Memini videre*, non probare. *Donatus.*

Quo æquior] Hoc est, quare æquior Pamphilo, benevolentior, non iratus, vel minus iniquus. *Idem.*

19 *In somnis*] Per noctem: ait Virg. 'Libra dies somnique pares ubi fecerit horas.' Plautus, 'Miris modis ludos faciunt hominibus, mirisque exemplis omnia in somnis.' Alii *insomnis*, vigilans; sed melius per noctem. *Idem.*

Quam illum amplecti] Dicit nunc quod vulgo dicitur, 'cum illa manere, cum illa dormire.' *Idem.*

Scena vi. Senariis constat hæc scena: vs. 8. tres Mss. nostri *propter hujusce hospitæ consuetudinem:* v. Faërn. vs. 10. unus: *etenim ipsus secum eam rem recta putavit via.* Faërnus delet τὸ *recta;* quasi *via* hic sine epitheto stare posset et valere. Sed exempla parum conveniunt huic loco: vs. 14. unus: *ea sibi res esset:* vs. 16. unus: *subtristis aliquantulum visus est mihi:* vs. 17. unus: *nihil est propter hanc rem sed est, quod succenseat tibi:* τὸ *succenseat*, etiam alius habet et Donatus, qui ita legit: *sed est quod tibi succenseat:* vs. 19. unus: *ait te nimium perparce f. s.* &c. ubi τὸ *perparce* ex vs. 24. huc illatum est: alius: *te nimium ait parce facere sumptum:* vs. 20. duo: *vix, inquit, drachmis est obsonatus decem:* tertius: *vix, inquit, est obson. drachmis decem:* vs. 21. duo: *nonfilio vid.* &c.: vs. 26. omnes: *quid hic vult vet. s.* Bœclerus.

Hic nunc me credit] *Hæc scena dolos continet utriusque personæ, quibus utraque capit, et capitur miro modo.* Donatus.

1 *Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam*] Davus ita videtur loqui, ut nullus spectator audiat: sed hoc ait, ut velit audiri a sene. *Idem.*

2 *Gratia*] *Gratia* veteres pro causa ponebant. *Idem.*

3 *Quid Davus narrat*] Videtur illi blandius locutus esse. *Idem.*

Æque quicquam nunc quidem] Bene *nunc quidem:* similiter *nunc nihil*, ut paulo ante, cum dixit, 'Id populus curat scilicet.' *Idem.*

Æque quicquam nunc quidem] Hoc est, nihil. *Idem.*

4 *Nihil ne? hem*] *Hem* interjectio est irati, adversum eum, qui neget se aliquid locutum esse: simul quid sit 'Æque quicquam nunc quidem,' senex explicat, cum ait, *Nihil?* Et est εὐφημισμὸς antiquorum, pro nihil. *Idem.*

Nihil prorsus] Id est, neque prorsus. *Nihil prorsus* dicitur, in quo nulla est ambiguitas: et est confirmatio negantis. *Idem.*

Atqui expectabam quidem] *Expectamus* tam bona quam mala. *Speramus* bona. *Idem.*

5 *Præter spem evenit*] *Præter*, pro contra, ut, *Præter ætatem tuam.* Idem.

Hoc male habet virum] Εἰρωνικῶς *virum* dixit defessum senem. Modo enim *virum* jlocalariter dixit. *Idem.*

Virum] Ad vituperationem cum ironia: ad laudem vero sine ironia. *Idem.*

Præter spem, &c.] Hoc Davus aversus a sene. *Farnabius.*

6 *Potin' es verum*] Integrum, *potisne*, id est, potes: ut Virgilius, 'Nec potis Ionios fluctus æquare sequendo:' et deest illi *es.* Est enim nomen *potis:* et facit, *potis, potior, potissimus.* Donatus.

Nihil facilius] 'Αεὶ κράτιστόν ἐστι τἀληθῆ λέγειν. Menander. *Farnabius.*

7 *Num illi molestæ quippiam*] *Quippiam*, significationem minimæ rei habet. *Donatus.*

8 *Propter hospitæ hujusce consuetudinem*] Hæc omnia pronominibus bene mollita sunt, etenim atrocia sunt, si cum suis nominibus nuda ponantur. Et *hujusce hospitæ*, non meretricis: et *consuetudinem*, non amorem dixit: ita omnia extenuat, ut Davus audeat confiteri. *Idem.*

Propter hospitæ hujusce consuetudinem] O. l. s. quos vidimus, et Donatus, habent hanc collocationem, *propter hujusce hospitæ consuetudinem:* utroque modo scanditur versus elisione r, ex *propter*, et dissolutione diphthongi in voce *hospitæ.* Faërnus.

9 *Aut si adeo, bidui est aut tridui*] Bene, *aut si adeo:* ne si omnino negaret, *cur igitur tristis est ille?* diceret. *Donatus.*

Bidui aut tridui est] O. l. s. et Donatus, *bidui est aut tridui:* ita et melius versus procedit. *Faërnus.*

Bidui est, aut tridui] Ovid. de Remedio Amoris 503. 'Intrat amor mentes usu, dediscitur usu.' *Farnabius.*

10 *Sollicitudo*] Propter turbationem. *Donatus.*

Nosti] In significationem multorum, quæ compendio facimus, *Nostin'* dicimus. *Idem.*

11 *Recta reputavit via*] *Reputavit*, retractavit: quia *putare*, purgare est: unde et *arbores*, et *vites putare* dicimus. *Idem.*

Via] Consilio, ratione. *Idem.*

Etenim eam secum rem recta reputavit via] Non ita habent l. s. sed hoc modo, *Etenim ipsus secum eam rem recta reputavit via:* sed senarius impeditus est, quem nos expedimus delendo dictionem, *recta:* quæ nec est in libro Vaticano, nec ponitur a Donato, qui *via*, exponit consilio, ratione: nec ab Eugraphio, cujus hæc verba sunt: *Via*, id est, ratione: ut Virg. 'Inveni germana viam:' hæc ille: ita et M. Tullius libro De claris Oratoribus, 'Via,' inquit, 'et arte dicere:' et ad Atticum: 'Utor via:' item lib. ii. de Natura Deorum: 'Vim participem rationis atque ordinis, tanquam via progredientem.' *Faërnus.*

12 *Laudo*] Senex inducitur, et credit. *Donatus.*

Dum licitum est] Deest, *per te:* hoc est, dum tu permisisti. Et mire utitur verbis senis: ipse enim supra dixit, 'Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum.' *Idem.*

Dum licitum est] Sic veteres et *placitum*, et *puditum* dicebant: quæ nos, *placuit, puduit.* Idem.

Dumque ætas tulit] Dum esset ætas immatura nuptiis. *Tulit*, duo significat: attulit, et abstulit, passus est, et pertulit. *Idem.*

Dum licitum est illi, &c.] Ex mente et verbis ipsius senis, supra ii. scen. *Farnabius.*

13 *Tum id clam*] Bene clam, quia nunc liquido apparet, Pamphilum voluntatem propositumque mutasse. *Donatus.*

Cavit, ne unquam infamiæ ea res sibi esset] Mire utitur senis verbis: ipse enim supra dixerat, 'Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum.' *Idem.*

Tum id clam, &c.] Caute, si non caste. *Farnabius.*

15 *Nunc uxore opus est*] Quasi denuntiatio est quædam necessitatis seni impositæ. *Donatus.*

Animum ad uxorem appulit] Et bene *appulit*, quasi ab jactatione fluctuum, et marini æstus: has enim tempestates habet amor. Et sic dicit, *Ad uxorem animum appulit;* ut supra, 'Animum ad scribendum appulit.'

Idem.

16 *Subtristis visus est*] *Sub*, temperamentum est plenæ pronuntiationis: ut *subtristis, subridet*, non ad plenum tristis aut ridet: ut confessionem eliceret. *Idem.*

Subtristis visus est aliquantulum mihi] Mire servatum est in adolescente libero *τὸ πρέπον*, et in amatore *τὸ πιθανόν*. Nam et honesto juveni non congruebat versipellis vultus: et in amatore absurdum fuerat, ingenuam celare tristitiam. Itaque nec ad plenum tristis fuit, quia dixit 'Celanda res erat:' nec gaudium fuerat, quia ingenium et amoris necessitas in tristitiam retrahebat. *Id.*

Subtristis visus est esse aliquantulum mihi] Aliqui libri et Donatus, *visus est aliquantulum mihi*. Faërnus.

17 *Sed est quod tibi succenset*] Quod ille a summo ad imum opposuit, hic causæ derivationem opposuit. *Donatus.*

Quod succenset tibi] *Succensere*, potioris est. *Succensere*, in re gravi et justa irasci. *Idem.*

Sed est quod succenset tibi] Antiquissimi libri hoc verbum succenseo, non per duo *c*, sed per *s*, &c. habent. *Faërnus.*

Quod succenset tibi] Al. *quod succenseat tibi*: sed vetat lex Pedia. *Farnabius.*

18 *Quidnam est? puerile est: quid est? nihil: quin dic quid est*] Pro *quid est?* scribendum *quid id est?* nam versus trimeter est, ut qui illum comitantur. *Faber.*

Pueril' est] Apparet Davum nunc quærere quid respondeat: et ad quam causam derivet aversa suspicione tristitiam Pamphili, quam animadvertit senex. *Donatus.*

Pueril' est] Utrum magis ideo suspendit, ut senex audire desideret: an quia necdum commentus est causam, contra rependendam propositioni senis? *Idem.*

Nihil] Videtur invenire non posse. *Idem.*

19 *Ait nimium parce facere sumptum*] Mire ipsum dicere veluti *fecit*, et *nimium*, et *parce*. Idem.

Nimium parce facere] Pepercit, ne diceret sordide. *Idem.*

Me ne] Perturbati indicium est, quia se ipsum pronomine ostendit. *Idem.*

Ait nimium parce f. s. &c.] Tentantur arcana senis servili calliditate: quæ obtentum videtur habere ex consuetudine Comica, qua et alias servi, cum res seria agitur, de victu cogitant, et ventri opportuna loquuntur. *Bœclerus.*

20 *Obsonatus est decem*] Vaticanus et nonnulli alii, *est obsonatus*. Faërnus.

21 *Num filio, &c.*] Leges Sumptuariæ nuptiis aliquid de rigore remiserunt, convivia et saltationes indulserunt: vide in Plutarchi Symposiacis caput, in quo tractatur, διὰ τί πλείστους ἐν γάμοις ἐπὶ τὸ δεῖπνον καλοῦσιν. *Farnabius.*

22 *Meorum æqualium potissimum*] *Æqualium* ætate, *potissimum* dignitate: etenim *potis, potior, potissimus* facit. *Donatus.*

23 *Et quod dicendum hic siet*] Bene *hic*, ubi non sit adolescens. *Idem.*

Et, quod dicendum hic siet] Gall. *soit dit entre nous, &c.* Faber.

24 *Tu quoque perparce*] Bene *quoque*: quasi dicat, Cum ille peccet, quod pueriliter succenseat: tu quoque peccas, perparce nimium faciendo sumptum. *Donatus.*

Tu quoque perparce nimium] Et *perparce*, et *nimium*, cum sufficeret unum. Et *nimium*, vituperatio est: ut, *Ne quid nimis*. Idem.

Non laudo] Et quia *perparce*, et quia *nimium*. Nam parce agere, laudis: nimium, peccati. Et magna moderatione, *non laudo*, dixit potius, quam *vitupero*. Idem.

25 *Commovi*] Ideo *commovi*, quia argumenta dixit seni, quibus proditur non esse veras nuptias. *Idem.*

Commovi] Supra *solicitavi* dixit,

modo *commovi*: et *commovi* dicit apud se, ut spectator audiat, non senex. *Idem.*

Commovi] Hoc tacite et apud se. *Farnabius.*

26 *Quidnam est hoc rei*] Verba sunt secum cogitantis senis, aut de his quæ nunc locutus est Davus, aut de adventu mulierum, quæ in scenam veniunt. *Donatus.*

Quidnam hoc est rei] Pulsatus est senex argumento falsarum nuptiarum, *paululum obsonii*: tanquam se illuderet Davus. *Idem.*

Quidnam hic vult veterator sibi] *Veterator* est vetus in astutia, et qui in omni re callidus est. Et hi duo versus ostendunt, pulsatum esse senem argumento falsarum nuptiarum: illo argumento quod ait, *paululum obsonii*: tanquam se illuderet Davus. Sunt ergo verba, ut diximus, secum cogitantis senis, aut de his quæ nunc Davus locutus est, aut de adventu mulierum, quæ in scenam veniunt modo. *Idem.*

Quidnam hic volt veterator sibi] O. l. s. et Donatus, *quid hic volt*. Faërnus.

Quidnam, &c.] Atque hæc senex mussat, a Davo aversus. *Farnabius.*

Veterator sibi] Vetus in astutia, qui omni in re callidus est. Mancipium veteranum et vafrum, technis et dolis diu ac probe exercitatum. *Idem.*

27 *Nam si hic est mali quicquam*] Si promissa non compleverit Pamphilus. *Donatus.*

Illic est huic rei caput] *Caput*, est origo et summa uniuscujusque rei: ut Virgil. 'O Latio caput horum et causa malorum.' *Idem.*

Illic est huic rei caput] Priscianus lib. XII. citat hunc locum, ut ostendat, *illic* ab *illice* per ἀποκοπὴν factum servare accentum. *Bœclerus.*

ACTUS III.

SCENA I. Senarii sunt. vs. 9. in nostris ita legitur: *sed sequere me intro, ne in mora illi sies cum opus sit. sequor*: τὰ *cum opus sit*, tres habent; nisi quod unus *siet*: de cetero unus: *sed sequere intus, ne, &c.* vs. 12. omnes: *quid hic sensisse se ait?* vs. 13. duo: *hæc pr. aff. jam ab hoc mihi fall.* vs. 18. duo: *divisa temporibus Dave hæc tibi.* vs. 19. omnes: *non immemor es disc.*

Quinque hic sunt personæ: sed Mysis et Lesbia inter se, non cum ceteris loquuntur; Glycerii intus clamantis vox auditur. *Bœclerus.*

Ita pol quidem res est] *In hac scena novo modo cessante Davo, fallitur Simo per nimiam sagacitatem suam. Simul in hac scena id agit poëta, ut ad nuptias faciendas magis accendatur Simo: et quædam industria, quædam velut casu eveniunt: ut nunc suspicio senis. In multis enim οἰκονομία comicorum poëtarum ita se habet, ut casu putet spectator venisse, quod consilio scriptorum factum sit.* Donatus.

1 *Ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia*] Ex hoc sermone, quem habent ingredientes, scenæ apparet principium: quod enim auditur, non quod incipitur, initium dicunt. *Idem.*

Ita pol quidem] Productio est narrativa, ad explendum modo potius jusjurandum. *Idem.*

Ut dixti] Et *dixti*, et *dixisti* legitur. *Idem.*

2 *Fidelem haud ferme*] *Fidelem* maluit, quam *fidum* dicere: *fidum* enim honestius dixisset. *Ferme* pro facile posuit: et *ferme*, facilitatem significat, quia sunt adverbia extenuationis. *Idem.*

Invenias] Secundam pro tertia persona posuit; pro *inveniat quis*, vel invenire possit: ut Virgilius: 'Migrantes cernas, totaque ex urbe ru-

entes.' *Idem.*

Fidelem haud ferme mulieri inven. vir.] Nota varietatem in Nostro poëta: qui eandem querelam, de inconstantia et perfidia amatorum tractat, etiam act. IV. sc. 3. item in Adelphis III. 2. 32. &c. Hec. I. 1. 1. et omnino adde Catullum, qui potenter hunc affectum movit Carm. Argon. 65. *Bœclerus.*

3 *Ab Andria est ancilla hæc*] Simpliciter dixit *ab Andria est*, pro Audriæ est: nam et usu sic dicere solemus. Ergo *ab Andria est*, hoc est, Andriæ favet, Andriæ est: ut cum dicimus, *Ab illo est*, hoc significamus, illi favet, illi accommodat suffragium. *Donatus.*

4 *Sed hic*] Semper *Sed* contrariæ sententiæ significatio est. Et bene *hic*, ut ostendat de illo fuisse sermonem. *Idem.*

Hem] Interjectio est accipientis verba, et admirantis. *Idem.*

5 *Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit*] Comice et facete. *Aut hic surdus*, qui audire non possit: *aut hæc muta facta sit*, ne possit dicere. *Idem.*

Aut hic surdus, aut hæc muta facta sit] Σύλληψις per genera. *Idem.*

6 *Jussit tolli*] Hæc est fides: suscipi filios legitimos faciunt parentes. Et sublatio matris est: patris tollere. *Donat.*

Nam quod peperisset, jussit tolli] Ad honestatem futuri matrimonii pertinebat, hoc non semel inculcari. *Bœclerus.*

Tolli] Educari a patre agnitum pro legitimo; non tanquam spurium exponi: supra act. I. sc. 3. *Farnabius.*

Juppiter quid ego audio] Bene rursum adducitur ad desperationem senex Mysidis verbis. *Donatus.*

7 *Actum est*] In summa rerum desperatione ponitur, *Actum est*, *Ilicet*, *Periisti*. Hæc res secundum jus civile dicitur: in quo cavetur, ne quis rem actam apud judices repetat. Sic ipse in Phormione, 'Actum, aiunt, ne agas.' *Idem.*

8 *Bonum ingenium*] *Ingenium*, naturam. *Idem.*

10 *Quid hoc*] Secum senex ἐλλειπτικῶς· deest enim, *rei est.* Idem.

11 *Adeon' est? demens ex peregrina*] Ἔλλειψις per ἀποσιώπησιν, apta cogitanti: reliquum autem sic pronuntiat, quasi reperto consilio. Et bene *adeo:* quia tam demens est, quod amat ex peregrina, id est, ex meretrice. Mulieres enim peregrinæ, inhonestæ ac meretrices habebantur. Sic ipse alibi, 'Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi.' Et servus, 'Potest taceri hoc quidem:' hoc est, meretricem habuisse te matrem verisimile est. *Idem.*

Demens] Mentis sanitate deturbatus, emota mente: παράφρων. *Farnab.*

Ex peregrina] Ἀποσιώπησις· deest enim, *ut filium suscipiat?* aut aliquid tale. *Donatus.*

Ex peregrina] Male audiebant peregrinæ, tanquam meretrices: act. I. sc. 1. *Farnabius.*

12 *Vix tandem sensi stolidus*] Pulchro colore inducto, poëta ostendit non minus falli suspiciosum, quam qui stultus est: huic enim veritas fallacia videtur, dum nimis est acutus ac perspicax: et hoc est, quod ab eventu fingit poëta: non enim in Davo est, sic errare nunc senem. *Donatus.*

Vix tandem sensi stolidus] Quinque sunt sensus, quorum duos, visum et auditum, magis sensibiles habemus, quam pecora. Unde Cicero, 'Non solum videam, sed etiam audiam, planeque sentiam:' quasi ad tactum retulit, quo etiam pecora impelluntur ad sensum. Duabus ergo rebus scimus: aut ratiocinatione, aut sensu: quibus maxime præstamus cæteris animalibus. Ergo senex se non sensu, non ratiocinatione sensisse, sed veluti calcaribus et stimulis punctum. *Idem.*

Vix tandem sensi stolidus] Donatus

hic ostendit artem Poëtæ, qui sua sibi sagacitate imposuisse senem, nemine dolum struente, fecit: unde et τῶν εὐσυνέτων καὶ δεινῶν ἔργον signatur, quando principia ipsa inceptionesque comprehendere videtur senex in istis: 'hæc primum mihi ab hoc adfertur fallacia,' &c. Sed quæ de sensibus affert, περίεργα sunt. *Bœclerus.*

13 *Hæc primum*] Satis se sagacem senex ostendit, quando principia ipsa inceptionesque comprehendit. *Donat.*

Hæc primum] Bene *primum:* quasi ex multis, quas paraverat Davus contra Chremetem. *Idem.*

Hoc] Davo. *Farnabius.*

14 *Quo*] Qua re. *Donatus.*

15 *Juno Lucina fer opem: serva me*] Juno Lucina, Junonis filia, Græce Εἰλίθυια, Latini *Nixos* dicunt: Juno a juvando dicta, Lucina ab eo quod in lucem producat. Et gemina vota sunt, ut et partus et pariens servetur: nam *fer opem*, propter partum, *serva me*, propter parientem dicitur. *Donatus.*

Juno Lucina fer opem: serva me obsecro] Nota, hoc versu totidem verbis uti omnes puerperas in Comœdiis, nec alias induci loqui in proscenio, nam hæc vox post scenam tollitur. *Idem.*

Fer opem] Propter quod Lucina est: inde *obstetrix*, quod opem tulerit. *Idem.*

Serva me obsecro] Hoc extra etiam hanc potestatem Junoni attribuitur: quamquam illam Menander Dianam appellet, et hoc sentiat in Bucolicis Virg. *Idem.*

Juno Lucina fer opem! serva me obsecro] Totidem verbis habetur infra Ad. III. 4. 41. Apud Plaut. Aulul. IV. 7. 11. 'Juno Lucina tuam fidem!' Reprehensus est autem Poëta Noster, quod in Comœdia palliata Romano Lucinæ nomine usus sit: quem defendit Scaliger Poët. lib. VI. cap. 3. sed melius Turnebus, laudatus Taubmanno ad Plaut. l. et Fr. Guyetus ad l. Adelph. Risum autem non responsionem meretur, qui hic interrogat: 'Quare Terentius Glycerium facit semel tantum Junonis Lucinæ opem implorare, cum Lucinam ter a parientibus vocari solitam, dicat Horatius?' *Bœclerus.*

Juno Lucina] Præses puerperii, Diana, Ilithyia. Juno Lucina, dea Nixia, quam invocabant puerperæ ad opem ferendam: 'Rite maturos aperire partus, Lenis Ilithyia, tuere matres:' Horat. in Carm. seculari. Per prolepsin poëticam, Lucinæ nomen invocatum a Græca, fieri excusat Jul. Scal. l. VI. Poët. c. 3. *Farnabius.*

16 *Hui, tam cito*] *Tam cito*, ut facilitatem partus ostendat incredibilem. *Tam cito*, ad reprehensionem. *Donatus.*

Ridiculum] Ad irrisionem: et inspice, *ridiculum*, adverbium sit, an nomen; ut sit, *vide hominem ridiculum:* sed adverbium est magis. *Idem.*

Ridiculum: postq.] In Donati commentario, cui multæ sunt assutæ ineptiæ, hic dubitatur, utrum nomen sit τὸ *ridiculum*, an adverbium: et, si nomen sit, exponi debere ait, *ridiculum hominem*, sc. vide: omnino autem dubio caret, nomen esse, non tamen suppresso *hominis* vocabulo supplendum; sed, *ridiculum* sc. est negotium: res ridicula est. *Bœclerus.*

17 *Non sat commode divisa sunt*] Confusa sunt tibi omnia, inquit: nec unumquodque suo tempore geritur: qua re proderis. *Donatus.*

Non sat] Non satis. *Idem.*

18 *Divisa sunt*] Digesta et composita, et distributa. *Idem.*

Temporibus] Id est, per tempora. *Idem.*

Mihin'] Adhuc Davus non percipit: et bene: quasi dicat, cum ille loquatur, illæ agant. *Idem.*

19 *Num immemores discipuli*] Discipuli Mysis, Lesbia, et Pamphilus, omnes per quos agitur fallacia. Bene

ergo discipulos imperitos ostendit, et magistrum Davum: quia supra dixit, 'Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum.' *Idem.*

Num immemores discipuli?] Ita scribendum omnino est, non autem, *immemor es discipuli?* et sic Gallice vertendum: *Vos Acteurs n'ont guere de memoire; Est-ce qu'on oublie si tôt son rolle? Cela ne s'appelle pas être homme de Theatre.* Discipuli Actores sunt, Doctor est poëta. Sed alias hæc a nobis otiosius. Interpretes nostri hic dormitarunt. Actores vero, quod ipse pœne omisi, sunt Lesbia et Glycerium. Doctor autem est Davus. Nequis vero adversari velit, hæc ex exceptis Donati audire potest: DISCIPULI, &c. 'Alii nominativi,' &c. Mox ibi scriptum est: 'Et bene,' &c. Respicit autem locum qui est act. I. sc. 2. vs. 21. 'Tum si quis magistrum,' &c. Ex quo apparet eum locum a multis male intelligi. *Faber.*

Num immemor es discipuli] Alii hic Pamphilum significari putant discipulum: quia Davus magister. Nam nomina ad aliquid sunt, discipulus et magister: et tunc *discipuli*, genitivus est singularis casus. Alii nominativi pluralis putant: ut discipulos dixerit, omnes per quos agitur fallacia, secundum illud: 'Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum.' *Donatus.*

Num immemor es discipuli?] Deest, *nunc.* Et bene *discipuli:* quia ipsum magistrum supra fecit. *Idem.*

Num immemor es discipuli?] Engraphius sine interrogatione accipit: *non immemor es discipuli*, Pamphili sc. cujus *magistrum* Davum etiam supra appellitaverat senex. Donatus interrogationem retinet, sed duas lectiones proponit: 1. *num immemores discipuli?* sc. tui; Mysis, Lesbia, Glycerium, Pamphilus: num tuis præceptis non obsequuntur recte et ordine? num, per imperitiam aut oblivionem offendunt in iis, quæ mandasti? dum nimirum tempora non recte observant: 2. *num immemor es discipuli?* id est: num discipuli tui Pamphili oblivisci potes? an non semper de eo cogitas, atque, ut tuis obsequatur præceptis, operam das? *Bœclerus.*

Ego quid narres, nescio] Quasi fabulam. *Donatus.*

Ego quid narres, nescio] Semper ita respondet Davus seni, tanquam non intelligat quid loquatur. *Idem.*

20 *Hiccine me si imparatum*] Redit ad illam sententiam, 'Simul sceleratus Davus, si quid consilii habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli.' *Idem.*

21 *Adortus esset*] *Adortus* dicitur, qui ex insidiis repente invadit: dictum ab eo, quod corpora aggredientium exurgant subito atque increscant. *Idem.*

Adortus] Aggressus. Omnia hæc ex translatione maris dicta sunt *μεταφορικῶς.* *Idem.*

22 *Nunc hujus periclo fit*] Sub. Davi, qui tergo pœnas pendet. *Bœcler.*

Nunc hujus] Virg. Æn. VII. 'Nunc mihi parta quies, omnisque in limine portus.' *Farnabius.*

In portu navigo] *In tranquillo, in vado, in tuto:* ut alibi noster. *Idem.*

SCENA II. Metra varia sunt. Trochaici et iambici misti: senarii et octonarii, acatalectici et catalectici: de quibus vide Glareanum, Antesignanum, Fr. Fabricium. vs. 2. tres nostri Mss. *signa esse ad salutem.* vs. 4. unus: *quod jussi dare ei bibere.* alius: *quod jussi ei dare bibere:* tertius: *quod jussi ei date bibere.* vs. 6. unus: *peredecastor scitus puer est e Pamphilo natus:* alter: *per ecastor scitus puer natus est e Pamphilo:* tertius: *per ecastor scitus puer est natus e Pamphilo.* vs. 9. omnes: *vel quis hoc non credat, qui te norit.* unus etiam postea omittit τὸ *esse.* vs. 15. unus meorum: *certe hic hercle nunc ipsus se fallit, haud ego; edixin id tibi?*

Argentoratensis: *certe ercle nunc ipsus* (τὸ *ipsus* est a secunda manu; videtur fuisse *ipsum*) *se fallit, haud ego: dixin tibi.* vs. 18. duo omittunt *ego;* interposita copula: *et quid agam habeo.* vs. 20. omnes: *assimularier.* vs. 32. duo: *jam prius.* vs. 38. duo pro *abstraxit*, habent *extraxit.* vs. 41. omnes: *et id spero adjutores deos*, unus interponit, ex glossa scilicet, *habebis:* v. Fr. Guyet. vs. 51. unus: *atque adeo Chremetem in ipso tempore eccum ipsum obviam:* alter: *atque adeo ipso tempore eccum ipsum obviam:* tertius: *atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam Chremetem:* Jan. Gulielmius legit: *atque adeo tempori ipsum eccum obviam Chremem.* Fr. Fabricius et Goveanus: *atque adeo in tempore eccum ipsum obviam Chremem:* quod minori mutatione conficitur. *Bœclerus.*

Adhuc, Archillis] *In hac scena spectα, quam scite expressa sit consuetudo medici, vel medicæ egredientis ex ægri domo. Nam veniens, de negotiis ejus loquitur: abiens, de morbo: et hæc sunt præter οἰκονομίαν, quæ dicuntur εὑρήματα. Donatus.*

1 *Adhuc, Archillis*] Sic veteres scribebant *adhuc*, quando incerti futurarum rerum, ex præsentibus firme nuntiabant: quod est genus certissimæ promissionis et cautæ. *Idem.*

Adhuc, Archillis, quæ adsolent, quæque oportet] Medicina aut in ratione, aut in consuetudine, aut in exemplis. *Adsolent* ergo consuetudinis est: *oportet* rationis. *Idem.*

Adhuc Archil. &c.] Possis et hic dicere, *hui tam cito!* vix ingressa ad parturientem Lesbia obstetrix mox egreditur: sed hæc condonari scriptoribus fabularum puto ad absolvendam fabulam: valeatque hic illud Plautinum: 'Sic quoque satis longæ fabulæ.'

Notat Donatus, scite a Poëta exprimi consuetudinem medici aut medicæ in oratione Lesbiæ, obstetricibus enim et Ulpianus artem attribuit l. I. Pr. de Ventre Inspic. tanquam 'quæ medicinam exhibere videntur,' l. I. §. sed et obstetr. de extraord. cogn. Athenis permissum iis hoc erat, pudoris et necessitatis causa. Pertinet huc locus Pollucis extremo libro quarto; διδοῦσι φαρμάκια αἱ μαῖαι ταῖς δυστοκούσαις, ὃ Πλάτων λέγει: ita hic potionem medicatam offerri puerperæ jubet. *Bœclerus.*

Oportent] Arch. sic Heautontim. act. III. sc. 2. 'Hæc facta ab illo oportebant, Syre.' *Adsolent* consuetudinis est: *oportent* rationis. Al. leg. *oportet.* Farnabius.

2 *Signa ad salutem esse*] Deest hærentia aut pertinentia: sic in Heautontimor. 'Atque hæc sunt ad virtutem omnia.' Ergo absolute dixit, ut desit aliquid tale; unde et nos dicimus, *Quid ad rem?* vel, *Quid ad me?* Donatus.

Signa ad salutem] O. l. s. et Donatus, *signa esse ad salutem.* Faërnus.

3 *Nunc primum fac, istæc ut lavet*] Imperitiæ notantes Menandrum, aut Terentium, ipsi ultro imperiti inveniuntur: nam λούσατε αὐτὴν dicens, a consuetudine non recessit: cum lavisse, aut non lavisse dicimus, a parte totum significantes. Et Terentius propius ad significationem accessit, *istæc* dicendo, ne pudenda nominaret. Et sunt qui adhuc Archillis correptionem esse nimium sollicitæ nutricis putent, quod ego non probo. *Donatus.*

Fac istæc ut lavet] *Istæc* quæ ex puerperio sordebant. Quidam *istæc*, ipsam puerperam dicunt: sic enim et Menander, λούσατε αὐτὴν τάχιστα: sed imperitiæ accusantur, quod non continuo solent post puerperium lavare, sed diebus omissis. *Idem.*

Istæc ut lavet] Tum quæ ex puerperio sordebant; tum ipsam puerperam: sic enim Menander, λούσατε αὐτὴν τάχιστα. 'Postquam peperit pueros, lavare jussit nos.' Plaut. Amph. act. I. sc. 5. et Trucul. act. I. sc. 2. vide Meursium de puerperio. *Farnabius.*

4 *Quod jussi ei dare bibere, et quantum imperavi, date*] Consuetudine magis, quam ratione dixit, pro, *Date ei potionem.* Lucilius in sexto: 'Date bibere summo.' Nam duo verba activa nullam habent significationem sine nomine, aut pronomine: ut si dicas, *Dic facere.* Donatus.

Quod jussi ei dare bibere, et quantum imperavi date] Et qualitatem et modum rei dixit. *Idem.*

Quod jussi ei dare bibere] Invenio emendatum, *date bibere,* quemadmodum et Donatus legit: alii habent *dari bibere;* ut Vaticanus et Decurtatus: in aliis quoque antiquis ita emendatum est. *Faërnus.*

Quod jussi, ei date bibere] *Quod jussi ei dare bibere* legunt alii, citantque ex Lucilio, 'date bibere summo:' et Charisius, 'Jubebat bibere dari.' *Farnabius.*

5 *Mox ego huc*] Vide ut auctoritatem et jactantiam medicorum imitetur, dicendo, quod jussi: et non sufficiebat; sed etiam, *imperavi* dixit: simul, hæc quæ solent medici promittere frequenter, *Mox ego huc revertar.* Donatus.

Mox ego huc revertar] Aliqui libri, et Donatus, *revertor.* Faërnus.

6 *Per ecastor scitus puer natus est Pamphilo*] Per Castorem et Pollucem ornativa sunt jurandi, apta fœminis. *Donatus.*

Per ecastor scitus puer natus est Pamphilo] Priscianus lib. XIV. ita citat: *Percastor scitus puer est natus Pamphilo:* et in hunc modum omnes fere Terentii l. s. habent, et aliqui Donati. Vaticanus tamen et alii antiqui habent *Per ecastor,* sine diphthongo, ut et Edepol. quam lectionem sequimur constituendo anapæstum in prima hujus versus: correpta antepænultima in *peraecastor.* Faërnus.

Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo] M. *Perecastor,* id est, per ædem Castoris, jusjurandum fœmineum; *ædepol* viro et fœminæ commune Agell. l. II. c. 6. *Farnabius.*

Scitus] Elegans, pulcher; quem Græci κόσμιον dicunt. Quod enim quis scit, hoc scitum et pulchrum. Et est διαίρεσις: nam ordo est, *Perscitus ecastor.* ut in Hecyra: 'Per pol quam paucos reperias meretricibus fideles evenire amatores:' ut sit, perquam paucos. Et 'natus est Pamphilo:' ut Virgilius: 'Quem Dardanio Anchisæ Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam.' *Donatus.*

Scitus puer] Satis obstetrici est, adhuc incertum ævi, et, ut ita dicam, a matre sanguinolentum, non pulchrum (quod ipsum nimium videretur cito) dicere, sed scitum pronuntiat. Ideo subblanditur, ut operæ pretium majus accipiat. *Idem.*

7 *Deos quæso ut sit superstes*] *Superstes* nunc salvus: alias *superstites* sunt senes et anus: quia ætate multis superstites jam delirant. Unde et *superstitiosi,* qui deos timent nimis: quod signum est deliramenti. *Idem.*

Deos quæso, ut sit superstes] Recens natis bene precandi formula. *Farnabius.*

Quandoquidem ipse est] *Quando* et *Cum* interdum sunt conjunctiones causales: et *quando* pro quoniam, et pro quia intelligimus. *Donatus.*

Quandoquidem ipse] Transit a puero ad ipsum Pamphilum. *Idem.*

9 *Vel hoc quis non credat*] Εἰρωνεία est: *Vel,* modo est disjunctiva conjunctio, sed pro *etiam* posita: ut apud Virgilium: 'Vel Priamo miseranda manus.' Et, 'Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.' Et bene, *vel hoc:* subaudias, exceptis illis quæ reprehendit supra. *Idem.*

Abs te esse natum] Et *ortum* legitur, ut sit instructum, commentum, et compositum. *Idem.*

10 *Non imperabat coram*] *Coram,* ad certas personas refertur. *Palam* ad omnes. *Idem.*

Non imperabat coram, &c.] Mire sua placet sibi sagacitate Simo, quando suspectans vera, falsis ultro decipitur. *Bæclerus.*

Quid opus facto esset, puerperæ] *Esset* impersonative dicitur. *Donatus.*

Opus facto esset, puerperæ] Dativus casus est, ut sit, ipsi puerperæ coram non imperabat, quid facto opus esset. Sic enim dicimus, 'Quis vis tibi faciam?' *Idem.*

Puerperæ] Omnis quæ peperit, *puerpera,* πρωτοτόκος, quæ primum. Et non quod puerum, sed quod filium peperit, *puerpera* dicta est. Et apud veteres *puer puellus, puera puella.* Id.

11 *Illis quæ sunt intus*] Argumentum ex eo quod non factum est, cum fieri potuerit: et ex eo quod factum est, cum fieri non oportuerit. *Idem.*

Intus, clamat de via] Ut ex Horatii præcepto, Epist. ad Pisones: 'Nec tamen intus Digna geri, promes in scenam:' ad Glycerii invocationem, scena præcedenti, 'Juno Lucina fer opem:' apponitur vox *intus* in M. plurimis: apud Plautum 'intus conficiunt negotium' sæpe, et noster in ult. hujus comœdiæ, 'intus despondebitur, intus transigetur:' Ita et egredientibus moris erat, illos qui erant intus alloqui, si quid opus dicto aut facto esset. *Farnabius.*

Clamat de via] Mire *clamat,* quasi dicat, maluit clamare, quam sine labore intus imperare. *Donatus.*

12 *O Dave, itan' contemnor abs te, &c.*] Describit cum affectu et figura contumeliam, a sua et servi persona, factoque: quod sine pudore flagitii aperte herum contemnere ac ludibrio habere nihil vereatur: προσήκει δὲ τοῖς ἥττοσι μὴ ὀλιγωρεῖν: 'nihil minus enim inferioribus convenit, quam superiores contemnere,' ut Aristoteles inquit, cum irascendi causas exequitur. (Rhetor. II.) *Bæclerus.*

Itane contemnor abs te] Hoc est usque adeone contemnor? valde contemnor? *Temnor* autem Græcum est, id est, *cædor* et *rejicior,* παρὰ τὸ τέμνομαι: nam veteres *temno* dicebant sine præpositione. *Donatus.*

Itane tandem idoneus] Indignatio est ad æstimationem revocantis ejus dicta vel facta, a quo contemnitur quis. *Idem.*

Idoneus] Aptus et ei rei natus. *Idem.*

13 *Tibi videor quem tam aperte*] Ex omnibus fere l. s. legendum est, *tibi videor esse:* aliter non staret octonarius. *Faërnus.*

Aperte fallere] Δύο δι' ἕνος, et *fallere, et aperte.* Donatus.

14 *Saltem accurate*] Mire *saltem:* quod ponitur in desperatione rerum. Primo enim fuerat hortatus Davum, ut non conaretur fallere. *Idem.*

Saltem accurate] Ζεῦγμα a superiore, *fallere incipias:* aut certe σύλληψις *fallere incipias.* Idem.

Saltem accurate] Saltem accurate fallacias te intendisse oportuit. *Farnabius.*

Certe si resciverim] Et utrum pro cum resciverim: an quia stultum me putas? *Donatus.*

15 *Certe hercle nunc hic se*] Hoc ita dicitur, ut audiat spectator, non ut Simo. *Idem.*

Certe hercle, &c.] Aversus a sene ad spectatores, hæc, et voce submissa, unde tacuisse videtur seni quærenti *quid taces?* Farnabius.

Edixin' tibi] Hic illud reddit, 'Edico tibi ne temere facias.' *Donatus.*

Edixin tibi] Supra act. I. sc. 1. vs. 33. 'Sed dico tibi ne temere facias.' *Bæclerus.*

15 *Interminatus sum*] Pro minatus sum. Plautus in Aulul. 'Præterea tibicinam, quæ mihi interbibere sola, si vino scateat, Corinthiensem fontem et Pyrenæum potest.' *Donatus.*

Num veritus] *Veretur* liber, *metuit* servus: et deest *es:* apta ellipsis irascenti. Alibi, 'Non simultatem meam revereri?' *Idem.*

Quid retulit] *Retulit,* profuit, vel interfuit: et producit *re* syllabam; et est sensus: Sic contempsisti, quasi

tibi non comminatus sim. *Idem.*

18 *Teneo, quid erret*] Hoc dixit, non ut Simo, sed ut spectator audiat: hoc denique senex probat, dicens Davo, *Quid taces?* Idem.

Et quid ego agam habeo] Et quid respondeam scio. *Idem.*

Teneo, quid erret quid ego agam habeo: quid taces?] Melius apud Donatum: *Teneo quid erret:* ET *quid agam habeo, &c.* Possit etiam legi, id quod certum puto: *Et quid ego agam habeo.* Tum esset Proceleusmaticus in quarta sede, *quid eg. ag. ha.;* id enim in hoc metri genere licet. In quinta autem Anapæstus erit; in quo nil novi est. *Faber.*

Teneo quid erret, quid ego agam habeo: S. quid taces] O. l. s. et Donatus, *et quid agam habeo.* Faërnus.

Teneo quid erret et quid agam habeo] Eugraphius: 'Intellexit Davus, mulierum consilium hoc senem suspicari; quod illæ ad terrendas nuptias videantur ista simulare: idcirco vult commodare consensum, quo domino suo error augeatur.' Clare: *Teneo quid erret*, id est, jam intelligo quid suspicetur, scilicet, meo et mulierum consilio partum simulari, ad disturbandas nuptias: itaque hunc ejus errorem non minuam aut tollam, sed consensum commodando augebo, sive responsionibus meis efficiam, ut magis confirmetur in animo ejus hæc suspicio, hic error: huic extemporali astutiæ suæ applaudit, *quid agam habeo.* Hæc dum secum Davus constituit, Simo, *quid taces*, inquit? cur mihi non respondes? tum Davus: *quid credas?* repetens verbum Simonis, et pronuntiatione adjuvans; dixerat enim Simo: *Credon' tibi hoc?* Bœclerus.

19 *Quid credas*] Propter quid, aut propter quam rem, aut quo modo, aut propter quid. *Donatus.*

Quid credas] Repetit verbum ejus quod ait, *Credon':* quare adjuvandum pronuntiatione est. *Idem.*

Quasi non tibi renuntiata] Nuntiata. Compositum pro simplici. *Idem.*

Renunciata sint] Nunciata. Ter, inquit Scal. in hac scena ponit Terentius, *renunciare*, pro aperte significare vel nunciare. Proprie enim *renunciare* est referre, quid actum sit, aut velit aliquis. *Farnabius.*

20 *Mihin' quisquam*] Favet sibi senex in eo, quod se vult perspicaciorem videri. *Donatus.*

S. *Mihin quisquam?* DA. *eho, an tute intellexti hoc assimulari. S. inrideor*] Plerique libri scripti, inter quos antiqui, habent *assimularier:* et stabit octonarius, si *mihin* in unam syllabam contrahatur: item *eho*, quod per synalœphen elidatur. *Faërnus.*

Eho! an tute] *Eho* modo interjectio est admirantis, alias ad se vocantis, 'Ehodum ad me.' *Donatus.*

Eho an tute intellexti, &c.] Fr. Guyetus legit: *eho non tute*, id est, annon. v. not. ejus. Sensus certe eo tendit, etiamsi τὸ *an* retineatur. *Bœclerus.*

Irrideor] Hoc eam vim habet, ut velit significare, sibi prorsus nihil de hac renuntiatum esse. *Idem.*

21 *Renuntiatum'st. nam qui, &c.*] Possis hæc ita accipere: cum Simo interrogasset, *credon' tibi hoc; nunc peperisse hanc e Pamphilo?* minime scilicet sibi credibile hoc fieri significans, Davus arrepta occasione augendi erroris, *quid credas*, inquit, *aut ex me requiras*, cui hoc dudum nuntiatum haud dubie est, fore, ut partus simuletur: cumque senex negaret factum, id est, nihil sibi quicquam hac de re ex quoquam cognitum pertenderet, Davus astute in admirationem compositus, qui posset fieri, ait, ut tibi hæc incideret suspicio, si nemo aliquid renuntiasset? unde senex: nihil debes mirari: qui enim incidisset hæc suspicio? quia te noram, et ad nuptias disturbandas omnia facturum, satis sciebam: tuus ergo hic dolus est; tua techna, quicquid hic simulatur. Hoc vultu gestuque Davus pernegat: et ad illud κωμικὸν delabitur: *non satis me pernosti etiam, qualis sim Simo:* quod cum Simonem de fide et probitate vellet intelligere, spectatores non poterant non de calliditate et versutia hominis, hoc ipso tempore herum decipientis accipere: unde facetiis Comicis origo. Hæc paulo operosius: quia vidi, pleraque confundi hoc loco. *Bœclerus.*

Nam qui] *Qui* unde. *Donatus.*

Tibi incidit suspectio] O. l. s. etiam vetustissimi *suspicio* scriptum habent per *c* tantum: nec timendum versui, antepenultima enim hujus vocis longa est. Martialis: 'Oblinitur minimæ si qua est suspicio rimæ.' *Faërnus.*

22 *Quasi tu dicas*] *Dicas*, pro credas: non enim dicimus, nisi quod credimus: ab eo quod sequitur, id quod præcedit: figura μετάληψις, a posterioribus ad priora. Idem alibi, 'Audacter dicito.' Et alibi, 'Fœneratum istud beneficium pulchre tibi dices.' Id est, credes, scies, senties. *Donatus.*

23 *Etiam qualis*] *Etiam* pro adhuc: ut Virgilius, 'Idæumque etiam currus, etiam arma tenentem.' *Idem.*

24 *Egone te*] Duobus istis pronominibus ostendit se senex scire omnia. *Idem.*

Sed si quid narrare occæpi] *Occæpi* melius, quam *incepi* dicitur ab occipio: est enim *occepi*, quasi caput rei institui. *Idem.*

25 *Falso*] Potest et εἰρωνικῶς *falso* pronuntiari: potest et *falso loqueris* dici: ut Sallustius, 'Falso queritur de natura sua humanum genus.' Et vocalitatis causa sic dixit, ut *sedulo, optato, certo:* quasi sedule, optate, certe. *Idem.*

Falso] Pronuntiatio hic εἰρωνείαν indicare debet. Mirum vero, si fallar ita de te opinando, fallacias tuas suspectando! scilicet mihi non satis causæ est, cur censeam te mihi verba dare, quotiens narrationem occipis! Guyetus adscripsit: *j'ay grand tort! ah que cela est faux!* Bœclerus.

Falso] Ironice. *Farnabius.*

Nihil jam mutire audeo] Ennius, *Nec dico, nec facio.* Unde et *mutos* dicimus. Quod Græci φθέγγεσθαι. *Donatus.*

26 *Neminem peperisse hic*] *Neminem* dicendo, majorem confirmationem fecit non solum Glycerium non peperisse, sed etiam neminem. Et *hic* dicendo, ostendit domum. Et est *neminem*, nullum hominem. Et nota in fœminino genere etiam *neminem* positum. *Idem.*

Neminem peperisse hic] *Neminem* in fœminino hic usurpari vides. *Farnabius.*

27 *Mox deferent puerum*] Quasi dicat, *nobis.* Donatus.

28 *Id ego jam nunc tibi renuntio*] Fingit se prodere, quod ipse facturus est: ut non credat senex ab eo fieri, quod prædixerit fore. *Idem.*

Id ego jam nunc tibi renuntio here futurum] *Re* syllaba, apud veteres interdum abundat: ut modo *renuntio*, pro nuntio, et Cicero, 'Renuntiatur mihi.' *Idem.*

Renuntio] Quasi secretum consilium: ut supra *Renuntiatum est. Idem.*

29 *Ne tu hoc posterius dicas*] O. l. s. quotquot sunt, habent *ne tu hoc mihi posterius dicas: mihi* autem non utique Davo intelligendum est, sed ea vox ex consuetudine sermonis est addita: ut in Phormione, 'Qui mihi ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes:' versus est trochaicus ut ceteri, sed hypercatalecticus. *Faërnus.*

Davi factum consilio aut dolis] Commodius, et magis cum invidia dixit, *Davi*, quam si *meo* dixisset: ut Virgilius: cum Turnus incusaretur, dixit, 'Nulla mora in Turno.' *Donatus.*

Ne tu hoc mihi posterius dicas, Davi factum consilio ac dolis] Hunc versum, qui est octonarius Iambicus perfectus, et qui tamen satis impeditus est,

sic metiri debemus: *Ne t' hoc | mihi po | striu' di | cas Da | vi fa | ctum con | sili' ac | dolis.* Hoc ad ea referendum quæ inferius posita sunt in tractatiuncula de metris. *Faber.*

30 *Prorsus a me*] *Prorsus,* quasi porro versus: quod Græci μακρὰν dicunt. *Donatus.*

Prorsus a me] Quidam *prorsus,* pro quare positum putant. Ego pro eo quod est omnino. Sunt qui conjunctionem velint esse. *Idem.*

Prorsus a me opinionem hanc tuam ego esse amotam volo] In l. s. etiam antiquis melior collocatio et elegantior compositio est; *esse ego amotam volo,* stabit autem trochaicus, si *tuam* una sit syllaba, quæ per synalœpham abjiciatur. *Faërnus.*

Opinionem hanc tuam] *Hanc tuam,* cum tædio dixit, hoc est, nimis molestam, nimis suspicacem, nimis accusatricem. Sic dixit *hunc tuam,* ut *ille* de apibus, *Vere suo.* Et, 'Solemque suum, sua sydera norunt.' Et in Adelphis, 'Jam vero omitte Demea tuam istam iracundiam.' *Donatus.*

31 *Audivi, et credo*] Locus communis, an famæ credendum sit. Et bene subjunxit, *credo,* non enim audisse, statim credere est. *Idem.*

Multa concurrunt simul] Restat enim, ut multis concurrentibus signis, una conjectura conficietur. *Idem.*

Multa concurrunt simul, &c.] 'Ex multis concurrentibus signis conjecturam constat: et a summo ad imum, et ex factis et dictis, et ex rebus atque personis sumit argumenta:' ita Donatus τὸ ἐγκατάσκευον hujus loci notat: opus enim erat argumentis ad instruendum dolum, et decipiendum senem: *qui conjecturam hanc nunc facio,* id est, quare, quibus rebus:, vs. 33. *inventum est falsum* sc. ut tu, Simo, credis, ejus enim errore utitur Davus vs. 35. *et puerum ut adferret simul.* Gallus interpres ad obstetricem retulit: simplicius videtur, ad ancillam referre: 'ut puerum simul afferri curaret Mysis, quæ obstetricem accersitum missa erat:' hæc Davus ad Simonem: infra act. IV. sc. 4. ad Chremetem alia techna suppositionem partus vult arguere, quasi vidisset ipse pridie aliquid deferri in domum Glycerii. *Bœclerus.*

Multa concurrunt simul] Adverte quam serio et sobrie laboret Davus a se suspicionem omnem amovere, quam doctis dolis, technisque artificiose consutis seni os oblinat. Ex rebus ante Simoni notis aut suspectis: (habuisse Pamph. pro uxore hanc peregrinam, gravidam ex eo dictam, Mysidem missam accersitum obstetricem, Glycerium peperisse:) quæ omnia cum simulata et falsa esse insimulet, conjecturam etiam facit habere eos in animo puerum suppositium deferre ante senis ostium ad disturbandas nuptias, quas apparari audierant. *Farnabius.*

32 *Jam primum hæc se e Pamphilo gravidam dixit esse: inventum est falsum*] Secundum quod credit senex. Et a summo ad imum, et ex factis, et ex dictis, et ex rebus atque personis sumit argumenta. *Donatus.*

33 *Postquam videt nuptias domi apparari*] Eleganter omisit, in cujus domo. *Donatus.*

34 *Missa'st ancilla illico*] Quod Græci dicunt αὐτόθεν ἐπέμφθη. Nam loci significatio est, etiam brevitatem temporis notans. *Idem.*

35 *Puerum ut adferret*] Infra act. IV. sc. 5. 'Quemne ego heri vidi adferri vesperi?' *Farnabius.*

36 *Hoc nisi fit, nihil moventur nuptiæ*] Inepte explicant, qui dicunt, id est, *non promoventur.* Sensus est: Nisi hoc fit, quod dixi futurum, sc. ut puerum suppositum videas ostentari, nihil erit, quod movebit, id est, perturbabit, differet, irritas reddet has nuptias. Bene Gallus Scholiastes in tertio exempl. edit. Antesignani: *Tenez pour assuré, que si les noces ne sont troublées par ce moyen, qu' elles ne*

le seront point par aucun autre. Bœcl.

Nihil moventur nuptiæ] Non perturbantur nuptiæ. *Moventur,* differuntur. *Donatus.*

Nil moventur nuptiæ] Non perturbari posse nuptias credunt. *Farnabius.*

Quid ais cum intellexeras id consilii capere] Quaqua se verteret Davus, obvium infestumque invenit senem; et tamen ita versute it obviam, ut etiam comprehensus elabatur. *Donatus.*

Quid ais? cum intellexeras] Dimeter trochaicus catalecticus. *Faërnus.*

37 *Cur non dixti extemplo Pamphilo*] Culpæ convincit eum, quod revelanda reticuisset. Donatus: 'Quaqua se,' &c. *Bœclerus.*

38 *Quis igitur eum ab illa abstraxit*] Non frigide intulit, dixisse se: sed cum magna asseveratione: et *abstraxit* proprie, ut supra, 'Me a Glycerio miserum abstrahat?' et, 'Divellimur inde Iphitus et Pelias mecum.' *Donat.*

Quis igitur eum] Hoc sic audiendum est, quasi dicat, *Dixi.* Idem.

39 *Misere hanc*] *Misere,* valde, nimis. *Idem.*

Nunc sibi uxorem expetit] Oratorie, pro eo quod est, non recusat, *expetit.* Idem.

40 *Id mihi da negotii*] De projectione pueri pro foribus. *Idem.*

Id mihi da negotii] Ut caveatur ab appositione pueri ante ostium. *Idem.*

Id mihi da negotii] Ut filium tuum in officio et honesto nuptiarum proposito retineam; atque omnia harum consilia et machinas intervortam. *Farnabius.*

Tu tamen idem] *Idem* abundat. Apud veteres, *Tamenidem,* integrum fuit: unde apud nos, *tandem,* et *tamen* natum est: sic et *idem* et *eorundem* dictum. *Donatus.*

Tu tamen idem] *Tamen idem,* aut pro tamen positum est, aut pro tandem: ut sit, *Tu tandem has nuptias perge facere ita ut facis.* Idem.

41 *Et id spero adjuturos deos*] In antiquis libris est, *adjuturos:* in recentibus habent *adjutores.* Faërnus.

Et id spero adjuturos deos] Quam ex Mss. quibusdam adducit lectionem Rivius *et id spero adjutores deos,* neque placet. *Farnabius.*

42 *Quod parato opus est*] Diserte et Latine dixit, *Quod parato opus est.* Donatus.

43 *Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem*] *Non impulit,* non persuasit, non perfecit, ut crederem Glycerium peperisse. Et cum dixit *omnino,* ostendit quædam se credidisse, in quibusdam jam esse circumventum. Mire autem cautum capi inducit senem, ut crederet, quod Glycerium non peperisset. *Idem.*

44 *Quæ dixit sint vera omnia*] Quæ postea dixit Davus. Et bene *omnia:* ut appareat senem multa credere vera esse, quæ Davus dixit. *Idem.*

45 *Multo maximum*] *Multo* etiam comparativis antiqui adjunxerunt. *Idem.*

46 *Quod mihi pollicitus est*] *Pollicitatio,* multarum rerum promissio. *Idem.*

47 *Gnato uxorem*] Subauditur, *ut det.* Idem.

48 *Quid alias*] Pro cur alias, alio tempore. *Idem.*

Quid alias malim, &c.] V. Chrestomath. in *alias.* Bœclerus.

51 *Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam*] Numerus et sensus pulchre constat hoc modo: utique enim, per hoc pronomen, *ipsum,* intelligimus Chremetem: quem jam Simo convenire velle se dixit: nec ab eo qui secum loquitur, exigi debet, ut omnia voce exprimat; sed aliquid tacito sensui suo relinquat. Donatus tamen videtur addere Chremem, in fine hujus versus: quæ dictio et in aliquibus libris Terentii est: mihi tamen magis probantur exemplaria, quæ eam non habent. *Faërnus.*

In ipso tempore] In ipsa opportuni-

tate, in ipso articulo. *Donatus.*

Eccum ipsum obviam Chremetem] Continuo mutavit declinationem: ut, *Jubeo Chremetem.* Idem.

Chremem] Optime constat numerus et sensus absque foret ultimus hic pes *Chremem*, qui a Donato videtur additus: quam tamen vocem non agnoscunt plurimi Mss. et exemplaria. *Farnabius.*

Scena III. Iambici sunt senarii et octonarii acatalectici, cum dimetro: vs. 1. ex Mss. nostris unus: *Jubeo Chrem. C. o te ips. quærebam Simo.* Sy. *Et ego te, &c.* vs. 2. idem: *aliquot me adierunt, ex te auditum qui aiebant filiam meam hodie nubere tuo gn.* vs. 3. *duo: tun'*: unus, *tu.* vs. 4. omnes: *ausculta paucis: τὸ ego* et *quod* unus omittit. Vide Guyeti not. vs. 6. omnes: *per ego te deos oro.* vs. 7. unus: *quæ incepta a parvulis.* vs. 10. omnes: *ut* pro *uti.* vs. 12. unus: *quasi te hoc orando impetrare a me oporteat.* vs. 14. duo: *si in re est utr. v. f. accersiri jube.* vs. 23. unus: *reintegratio.* vs. 27. omnes: *reducant.* vs. 30. duo: *deinde fac.* vs. 31. unus: *tibi hoc ita videtur:* alter *ita tibi videtur.* vs. 36. unus: *dissensio.* vs. 48. omnes: *atque eccum.* Bœclerus.

Jubeo Chremetem] *Hæc congressio duorum senum ad tale periculum adigit fabulam, ut id non videatur consilio, sed eventu posse vitari, eventus est Critonis præsentia; nam nunc ex falsis fient veræ nuptiæ.* Donatus.

1 *Jubeo Chremetem*] Firme aliquid jubere, velle est. *Jubeo* ergo, volo, et deest, *salvere:* quod exprimitur ab alterius personæ interventu, ut Virgilius, 'Reddique viro promissa jubebat.' Et μεταληπτικῶς: quia qui dicit salve, jubet. Volumus enim animo: jubemus verbis. *Idem.*

Jubeo Chremetem] Duorum senum congressu et consensu in id discrimen adigitur fabula, ut non videatur consilio aut arte vitari posse. Importunitate Simonis exoratur mitis Chremes, versutia Davi vacillat pene interitura. *Farnabius.*

Jubeo Chremetem] Sc. Salvere. *Idem.*

O! te ipsum quærebam] Placabilis et lenis amicus per totam fabulam inducitur Chremes, ut cognitioni ad ultimum interesse possit. *Donatus.*

Optato advenis] *Optato*, adverbium est: ut Virgilius, 'Ac velut optato ventis.' *Idem.*

2 *Aliquot me adiere*] *Aliquot*, hoc est nec multi, nec pauci. *Adiere*, non accesserunt: quia aditus arduus difficilisque est. Ergo *adiere*, quasi importune, et interpellantes adierunt. Sic alibi, 'Byrria quid tibi videtur? adeon' ad eum?' *Idem.*

Ex te auditum] Ut est, *De Davo modo audivi.* Idem.

Ex te auditum] Ergo non rumor, sed veritas. *Idem.*

3 *Id viso*] Ob id viso: deest *te:* ut *viso*, ad videndum venio. *Idem.*

Tune, an illi insaniant] Tu insanis, si dixisti: illi insaniunt, si non audita referunt. *Idem.*

Tune, an illi insaniant] In antiquis libris est, *tun an illi in.* Faërnus.

Tune, an illi insaniant] Tu, si dixisti, illi, si non audita referunt. *Farnabius.*

4 *Ausculta pauca*] Alii leg. 'Ausculta paucis.' *Idem.*

Paucis] Et *paucis*, et *pauca* legitur. *Donatus.*

Et quid ego te velim] A docilitate. *Idem.*

6 *Per te deos oro*] Ordo est, te per deos oro, ut Virgil. 'Per ego te has lachrymas.' *Idem.*

Per ego te deos oro] Pronomen *ego*, non fere est in antiquis libris: nec ponitur a Donato: qua dictione sublata bene procedit senarius, alias impeditus, nisi quis ex *per* r elidat. *Faërnus.*

Per te deos oro et nostr. amic.] Imitatur Horat. Satyr. II. 4. 'Docte Cati per amicitiam divosque rogatus, Ducere me auditum perges quocunque memento.' *Bœclerus.*

Per te deos oro, &c.] Obtestatio valida, per divina atque humana, per ea quæ sunt charissima, amicitiam antiquam, liberos, eorumque salutem ex deplorata sartam tectam. *Farnabius.*

Et nostram amicitiam Chremes] Legitur et *Chreme.* Donatus.

7 *Quæ incepta a parvis, cum ætate adcrevit simul*] Mire autem, *incepta a parvis cum ætate*, ut ostendat, non nuper coitam amicitiam, sed antiquam, ut, 'Veterem Anchisen agnovit amicum.' Idem alibi, 'Neque enim novus iste Dianæ Venit amor.' *Donatus.*

Adcrevit] Ut supra, *Adcurate. Ad* præpositione utitur familiariter. *Id.*

Adcrevit] Hinc Virgilius, 'Crescent illæ, crescetis amores.' *Idem.*

8 *Et gnatum meum*] Ineptum est sic adjurare aliquem, 'Per salutem filii mei, ut facias id quod te rogo.' Sed huic etiam subjungit: *cujus tibi, &c.* Idem.

Et gnatum meum] Vidit Donatus, ineptum fore si quis ita obtestetur alterum, *per salutem filii mei, ut facias id quod te rogo:* itaque subjungi ait, *cujus tibi potest. &c.* Sed nimirum oratorie, cum *gnatam* Chremetis *unicam* appellasset, filium suum conjungit, non tantum ut sponsum olim propter virtutes ultro ei destinatum, sed nunc ut servandum hoc matrimonio per benignitatem Chremetis, quæ hic omnino attendenda est: ad eum enim loquitur Simo, qui non passurus esset, amici filium corrumpi. *Bœclerus.*

9 *Cujus tibi potestas summa servandi datur*] In tua est inquit potestate, et tuus est: hæc ergo *obtestatio* dicitur, cum per eas res adjuramus aliquem, de quibus agitur causa. Ut, 'Iliaci cineres, et flamma extrema meorum.' Idem alibi, 'Per eversæ genitor fumantia Trojæ Excidia, obtestor.' *Donatus.*

10 *Ut nuptiæ fuerant futuræ, fiant*] Breviter et Latine. Et hoc genus compositionis veteres non mutabant. *Idem.*

Ne me obsecra] Pro, ne obsecres. * τω ελημιCμON MhλιNANEK EMNMACOR. (*Fortasse a vero non abest, si legatur,* τῷ ἑλληνισμῷ· Μὴ λιτάνευε, μὴ μάχου.) *Idem.*

11 *Ne me obsecra*] Vox plena charitatis et officii, verum sub hac conditione, si quod petitur justum sit et ex æquo utile utrique. *Farnabius.*

12 *Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat*] Hæc plena vox est et charitatis et officii: quod enim amicus ab amico petit, justum esse debet, nec pro eo quod non est justum supplicare oportet. *Donatus.*

13 *Alium esse censes nunc me atque olim, cum dabam*] Non personæ, sed rei conditio est commutata. *Idem.*

Olim, cum dabam] Non dicimus, *cum darem.* Virgilius, 'Tum decuit, cum sceptra dabas. En dextra fidesque.' Et nota *olim* pro nuper. *Idem.*

14 *Si in rem est utrique*] Τῷ δευτέρῳ συλλογισμῷ prave proposuit, ut recte replicaret. Hic syllogismus negativus dicitur: nam in secundo λήμματι negat quod prius dixit. *Idem.*

Si in rem est utrique] Ab utili argumentum. Uterque duobus constat. Bene *utrique*, mihi et tibi: non, alteri utile, alteri inutile. *Idem.*

Si in rem est utrique] Ita antiqui libri ut in vulgata: nonnulli vero, et cum iis Donatus, *in re:* sane et apud auctores, ubi in impressis est *in rem*, fere reperias in scriptis, *in re.* Faërnus.

15 *Sed si ex ea re*] Id est, nuptiarum: mutavit numerum, ex plurali singularem, *Fiant*, et *Ex ea re.* Donatus.

16 *Utrique, id oro te in commune ut consulas*] O. l. s. *id te oro* habent: *id te oro* autem non fiet synalœpha: quod vero sequitur, Donatus legit, *in commune consule:* quod parvi refert utro modo dicatur. *Faërnus.*

In commune consule] Id est, ex æquali provide. *Donatus.*

17 *Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater*] Nota suavissimam varietatem: non dicit, quasi tua sit, et ille meus. *Idem.*

18 *Imo ita volo*] Quia utile est, quia in rem est. *Idem.*

Itaque postulo] *Itaque,* modo duæ partes orationis sunt: ut in Hecyra, 'Itaque nos una inter nos ætatem agere liceat.' *Idem.*

19 *Neque postulem*] Quia 'postulo' prætulit. *Idem.*

20 *Iræ sunt inter Glycerium et gnatum*] Hoc læto vultu pronuntiat Simo: et hoc a possibili est: loquitur enim apud eum, ex quo audiverat, Pamphilum pro uxore habere hanc peregrinam. *Idem.*

Audio] Εἰρωνεία. *Idem.*

Audio, &c.] Chremes de voluntate officiosa satis testatus erat: sed humanitatem suam fraudi sibi esse non vult: itaque, cum Simo instaret, admirabundus, *quid est,* inquit? sc. quod tu mihi ad suadendam rem tam periculosam afferre novum possis? et mox: *audio;* ironice: *fabulæ:* adhuc clarius: et cum sententia eodem tendente: quid *amantium iras* mihi memoras, quæ *amoris integratio est?* Iterum: 'tibi ita hoc videtur, at ego,' &c. denique 'istuc periculum in filia fieri grave est:' quam sententiam usque ad proverbii auctoritatem Donatus evehit: quæ omnia induxit Poëta, ne Chremes imprudentia potius, quam bonitate et obsequio, Simonis petitioni veniam dedisse ad extremum videretur. *Bæclerus.*

Audio] Negligenter dictum. *Farnabius.*

21 *Fabulæ*] Et hic paulo sapientior inducitur, et minus obnoxius dolis. *Donatus.*

22 *Profecto sic est*] *Profecto,* confirmatio est. *Idem.*

23 *Amantium iræ amoris integratio est*] Sententia γνωμικὴ, in qua a specie receditur, et in omnes aliquid dicitur: παροιμία est autem, sine auctore sententia. *Idem.*

Amantium iræ amoris] Expressit Terentius illud Menandri. 'Ὀργὴ φιλούνων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον. Atque hujusmodi dissidiola, quæ nonnunquam incidunt inter amicos, modo absit amaritudo, quasi renovant amicitiam, excusso diuturnæ consuetudinis tædio. Quod eleganter indicat mimus ille, ni fallor, Publianus. 'Discordia fit charior concordia.' Erasmus. Plautus item in Amphitryone, act. III. sc. 2. 'Iræ interveniunt, redeunt rursum in gratiam: verum iræ si quæ eveniunt hujusmodi, inter eos rursum si reventum in gratiam est, bis tanto amici sunt inter se, quam prius.' Agathonis resp. de suis cum Pausania dissidiis lege apud Ælian. II. Var. Hist. *Farnabius.*

Integratio] Instauratio. *Donatus.*

Amoris reintegratio est] Antiqui libri, et aliquot alii, et Donatus habent *integratio.* Faërnus.

24 *Id te oro*] Deest *ob id:* ut Virgilius: 'Quod te per superos oro.' *Donatus.*

Ante eamus, &c. Uxorem demus] ἠθικῶς, inquit Donatus: ad amicum scilicet virum tam humanum, familiaritatis et fiduciæ erat, ita loqui tanquam de communi negotio. *Bæclerus.*

26 *Priusquam harum*] Invidiosius, *harum,* quum una sit: sic Eunucho, 'Non perpeti meretricum contumelias.' *Donatus.*

27 *Reducant animum*] Iidem antiqui libri *reducunt.* Faërnus.

Animum ægrotum ad misericordiam] Hoc ut supra, *Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem applicat.* Donatus.

28 *Uxorem demus*] 'Ηθικῶς: ut in Heautontim. 'Quo modo minimo periculo id demus adolescentulo.' *Idem.*

29 *Et conjugio liberali devictum*] Antiqua lectio *devinctum.* Faërnus.

30 *Dehinc facile*] Aliquot libri, inter quos Vaticanus, *Dein.* Idem.

31 *Tibi ita videtur*] *Tibi ita hoc videtur* est in o. l. s. *Idem.*

32 *Neque illum hanc perpetuo*] 'Αμφιβολίαν de industria posuit, aut utrumque significat. *Donatus.*

33 *Nisi periculum feceris*] *Periculum,* tentamentum. Cicero, 'Tute melius periculum feceris.' Idem Terentius, 'Fac periculum in literis.' *Idem.*

34 *At istuc periculum in filia fieri, grave est*] Memorabile dictum, et id quod merito in proverbium cesserit. *Idem.*

At istuc periculum in filia fieri grave est] Ita ut posuimus ordinandus est hic versus ex l. s. eliditur autem s, ex *istuc:* ut *at istuc,* sit anapæstus. *Faërnus.*

36 *Quod Di prohibeant*] Παρένθεσις per εὐφημισμόν. *Donatus.*

Discessio] Divortium quod vel adulterii vel veneficii causa primum permittebatur apud Rom. mox etiam sterilitatis, A. U. DXXIII. Sp. Carvilius primus divortium cum uxore fecit. Repudii formula erat, *Conditione tua non utor:* Divortii: *Res tuas tibi habeto,* vel *Res tuas tibi agito,* tandem levioribus de causis factum est, unde a Simone *incommoditas tantum* et *discessio* dicitur. *Farnabius.*

37 *At si corrigitur*] Alter est syllogismus per contraria λήμματα, et ipse negativus. *Donatus.*

38 *Principio, amico filium*] *Principio,* nec intulit, *secundo.* Donatus.

Amico filium] Ab honesto, *Amico filium.* Idem.

Restitueris, et filiæ invenies virum] Ergo ἀνακόλουθον duplex. *Idem.*

40 *Quid istic*] Concedentis, et veluti victi verbum: tanquam si diceret, *quid?* et abundat *istuc.* Vel potius, *quid istuc,* significat hominem de loco ac de sententia decedere: ut e contrario, *perstare ac resistere* dicitur, qui aliquid negat. *Idem.*

Quid istuc? si istuc animum induxti esse utile] Ex libris antiquis, et Donato, lego *quid istic?* deinde in iisdem libris et omnibus aliis sequitur, *si ita istuc.* Faërnus.

Si istuc animum induxti] Legitur et *animum induxisti:* sed illud plenum est: hoc per μεταπλασμοῦ συγκοπὴν diminuitur. *Donatus.*

41 *Nolo tibi ullum, &c.*] Per me non stabit, quin commodo fruaris omni ex animi tui sententia: habes me ad omnia officia promptum et paratum. *Farnabius.*

44 *Ipsus mihi Davus dixit*] Commendatio testis: ut, 'In foro modo de Davo audivi.' Ergo *ipsus,* quasi qui maxime sciat. *Donatus.*

47 *Tute adeo*] Παρέλκεται *adeo* modo, et abundat: ut Virgilius, 'Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum Concilia, incertum.' *Idem.*

Tute adeo jam ejus audies verba] In libro scripto inveni ita ut sequitur collocatum, qua collocatione et Robertus Stephanus impressit, *Tute adeo jam ejus verba audies:* ita versus aliter impeditus procedet, et quidem cum iambo in quarta sede, si tamen vox *ejus* monosyllaba fiat. *Faërnus.*

48 *Atque eccum*] *Eccum,* quasi ecce eum. Veteres dixerunt, *eccum, eccujus, ellum;* quod apertius significat *ecce illum,* et obscurius *ellum.* Donatus.

Sed eccum video ipsum foras] O. l. s. et Donatus, *atque eccum.* Faërnus.

SCENA IV. Iambici sunt tetrametri acatalectici: an et catalect. et hypercatal. misceantur, v. Faër. Antesignan. Fabric. Glarean. dimeter unus. vs. 2. τὸ *uxor* tres nostri Mss. habent. vs. 5. duo: *egone istuc facerem?* vs. 6. pro, *quid?* omnes: *quid est?* vs. 7. duo: *cognosti:* et ante, unus: *jam tibi fid.* vs. 10. unus: *Ego nunquam istuc quivi intelligere:* duo: *nunquam istuc quivi intelligere.* vs. 13. omnes: *gnatam*

gnato ut det oro. vs. 14. duo: *optume inquam factum est.* vs. 22. unus pro *jam, ita perturb. omnia.* vs. 25. omnes: *hem astutia.* vs. 27. unus: *utinam esset aliquid mihi, quo me præcip. darem.* Personæ huic scenæ præscribuntur: *Davus, Simo, Chremes*; ex quo Typographi errore factus est *Charinus.*

Falsum est autem omnino, quod in Donati commentario ad initium hujus sc. inseritur: 'Locus est,' &c. Nulla adhuc παρακμὴ τῆς ἐπιτάσεως cogitari potest hoc loco: res ipsa loquitur. *Bœclerus.*

Davus] *Davus ut recte scribatur, Davos scribendum est: quia nulla litera vocalis geminata unam facit syllabam. Sed quia ambiguitas vitanda est nominativi singularis et accusativi pluralis, necessario pro hac regula digamma utimur, DaFus, serFus, Fulgus, corFus.* Donatus.

1 *Ad te ibam*] *Locus est, in quo jam ad discrimen mali perducta comœdia, in meliorem partem jam incipit inclinare.* Idem.

Ad te ibam] Resciscit Davus consilia sua omnia in contrarium esse versa: unde apud senes licet bene dissimulet, sese tamen perditus atque desperabundus damnat. *Farnabius.*

Advesperascit] Noctu uxor ducebatur domum. *Idem.*

3 *Ego dudum nonnihil veritus sum Dave abs te*] Semper gravis inceptio orationis, quæ exordium sumit a pronomine *ego*: ut, 'Ego te quæ plurima fando' et, 'Ego postquam te emi a parvulo.' *Donatus.*

Ego dudum] Adverbia temporis aut certa sunt, ut hodie, cras; aut incerta, ut dudum, nuper. Itaque incertis certum additur tempus: ut jam dudum, nunc nuper. *Idem.*

Nonnihil veritus sum Dave abs te] Breviter, pro veritus ne quid abs te fieret: sic ut supra, 'Heu metui a Chryside.' Et Cicero, 'Quod precatus sum a diis immortalibus:' pro eo quod est, quæ a diis petii, precatus eos. *Idem.*

D. *Ad te ibam.* S. *quidnam est?* D. *Cur uxor non accersitur? jam advesperascit.* S. *audin tu illum? Ego dudum nonnihil veritus sum Dave abs te, ne faceres idem*] Donatum super hoc loco consideranti apertissime liquet legisse eum sine illis verbis, *ne faceres idem*: sic enim ait, *Nonnihil veritus sum Dave abs te.* Breviter, pro veritus ne quid abs te fieret: sicut supra, 'Ei metui a Chryside:' hæc Donatus: sed verbis illis demptis quomodo versus ordinari possint, nescio: quare quemadmodum in impressis est, relinquemus; ita ut hemistichium compleat imperfectum versum præcedentis scenæ: ut sit tetrameter catalecticus: qui vero sequitur hypercatalecticus, et qui post hunc est acatalecticus, omnes iambici. *Faërnus.*

4 *Quod volgus servorum solet*] Totum cum extenuatione protulit, tanquam qui satisfactum voluerit Davo, ob comprobatam fidem ejus. *Donatus.*

Volgus servorum] Servi plerique omnes, astuti, versuti, ad fraudandum herum callidi, ad comminiscendas fraudes et fallacias ingeniosi: oderunt enim quos metuunt, neque enim amori bene convenit cum timore; unde proverbium illud citat Seneca Epist. 47. 'Totidem esse hostes, quot servos. Non habemus illos hostes, sed facimus,' &c. *Farnabius.*

5 *Ego istuc facerem*] Omnes fere l. s. habent *egon'*: ita etiam melius procedit octonarius. *Faërnus.*

7 *Nam propemodum habeo jam tibi fidem*] Ridicula dilatio ejus rei, quæ jam dudum nota est auditori. *Donatus.*

Nam propemodum habeo jam] Hoc est, *prope modum*: cujus accusativus est a *modus.* Idem.

Nam propemodum habeo tibi jam fidem. Tandem agnosti qui siem] Duas has voculas transpone, sic: *jam tibi*, idque propter metrum. Si minus facies, in fine pro, *agnosti*, legendum; *cognosti*, ut et in nonnullis editionibus legitur. Sed aliud est, *agnoscere*, aliud, *cognoscere.* Id usus et ratio ostendunt, persuadent. *Faber.*

Habeo jam fidem] Dictionem *tibi*, quæ interciderat, ex fide o. l. s. restitue hoc modo, *habeo tibi jam fidem.* Faërnus.

8 *Sed ea gratia*] *Gratia*, pro causa posuit, nove. *Donatus.*

9 *Sic est res*] Quod Græci dicunt, οὕτως ἔχει. *Idem.*

Sic est res] Antiqui libri et aliqui alii, et Donatus, *sic res est.* Faërnus.

10 *Vide! nunquam istuc quivi ego int.*] Arte poëtæ factum est, ut lætetur nunc Davus, et velut in sinu gaudeat, quo magis ex commutatione rerum inopinata mox doleat: 'Hem numnam perimus?' &c. ad spectatores sc. sicut et vs. 13. *quidnam audio*: et *occidi*: quod tamen obscure exaudiit Simo: et postea: 'Ego vero solus!' nam et hoc secum ad spectatores conversus dolenter dicit. *Bœclerus.*

Nunquam quivi ego istuc intelligere] O. l. s. ita collocant hæc verba: *Numquam istuc quivi ego intelligere*: numero et compositione meliore. *Faërnus.*

Callidum] 'Versutos appello, quorum celeriter mens versatur: callidos autem, quorum tanquam manus opere, sic animus usu calluit.' Cic. III. de Natura Deorum. *Farnabius.*

11 *Ut hinc te jussi introire*] O. l. s. *introire jussi.* Faërnus.

12 *Hem, numnam periimus*] Antiqui libri, et Donatus, *perimus*: more Terentii: qui hoc verbum in præterito per unum i scribebat, teste Probo. *Idem.*

Hem, &c.] Hæc aversus, et apud se. *Farnabius.*

Numnam] Nam παρέλκεται, ut in *quisnam.* Donatus.

Narro quæ tu dudum narrasti mihi] Post *narro*, adde pronomen *huic*, quod in omnibus est l. s. *Faërnus.*

13 *Quidnam audio*] Legitur et *audiam.* Menander enim sic ait, τί δή ποτ' ἀκούσω; *Donatus.*

Occidi: optime] Bene usus est παρομοίῳ, *occidi* et *optime*, ut similitudine falleret audientem. *Idem.*

Occidi optime] Hæc ita conjunguntur in commentario Donati, cum ἐπικρίσει: 'Bene usus est,' &c. Nec παρόμοιον est *occidi* et *optime*; et manifestum errorem miror qui tam diu toleraverint editores. Annotavit hæc verba, quisquis est, non ad *occidi* et *optime*, sed ad, *oro vixque id exoro*: non opus est verbis in re manifesta: nisi quod de animadversionibus Donati passim vitiatis, suppletis, infectisque sæpe moneri possumus. *Bœclerus.*

Optume] Παρόμοιον, *occidi, optime*, ut similitudine soni falleret audientes. *Farnabius.*

14 *Per hunc*] Chremetem scilicet. *Donatus.*

Nunc per hunc nulla est mora] Id est, Chremetem, δεικτικῶς, ut vs. 11. *opportune hic fit mihi obviam*: de eodem. *Bœclerus.*

15 *Ibo: atque huc renuntio*] Varie, *ibo* et *renuntio.* Donatus.

16 *Nunc te oro, Dave*] *Te*, id est, per quem stat summa negotii. Et modo magis vere rogat, quam tunc cum ait, 'Dehinc postulo, sive æquum est, te oro, Dave:' ibi enim iracundia latet, cum dixit, 'Sive æquum est.' *Idem.*

Effecisti has nuptias] Non *fecisti*: est enim *efficere*, perficere faciendo. Et bene *has*: quarum causa laboro. *Idem.*

17 *Ego vero solus*] Διάνοια. Et hoc ad increpationem dicit, non ad confirmationem. *Idem.*

Solus] Id est, cui non assentiebat Pamphilus. *Idem.*

Porro] In futurum, deinceps: futuri temporis adverbium: vel adhor-

tantis: ut, *Porro, Quirites.* Idem.

Enitere] Labora: quasi difficile sit, et conatu sit opus. *Idem.*

18 *Hercle sedulo*] Productiones sunt Comici styli, ad fucum orationis positæ. *Idem.*

Potes nunc] A possibili argumentum. *Idem.*

Dum animus irritatus est] Quia dixerat, 'Iræ sunt inter Glycerium et gnatum.' Irritatus est, commotus, ira provocatus, ut in Phormione. Ducitur autem verbum a canibus, qui restrictis dentibus hanc literam *r* imitantur. *Idem.*

19 *Quiescas*] Id est, conquiesce: imperativi modi, ne injuriosum videretur. *Idem.*

Quiescas] Pro quiesce: aut deest volo, aut facito. *Idem.*

Age igitur] *Age*, dic: ut est, *Egi, atque orari tecum:* aut adverbium est hortandi. *Idem.*

Mirum ni domi est] Existimationem intulit, incertum fugiens. *Idem.*

Mirum ni domi est] Compositum est, quasi, hoc est mirum, ni domi est. Caute servus callidam interrogationem senis paratus excepit. Memor simulatæ discordiæ cum amica, fingit, non se alibi eum esse suspicari, quam domi. *Idem.*

20 *Dicam eadem illi*] In aliis *itidem* scriptum est: quod si est, pro *item* accipiamus. An ergo *idem* pro item? *Idem.*

Ibo ad eum, atque eadem hæc, quæ tibi dixi, dicam itidem illi] Hoc vult Simo: quæ tibi dixi de Chremete iterum orato atque exorato, ut suam gnatam filio meo det uxorem, eadem dicam illi, ut sciat nuptias hodie futuras. *Bœclerus.*

Nullus sum] Plus est *nullum esse*, quam *periisse:* nam qui perit, vel corpus habet reliquum: qui vero nullus est, ita non est, ac si natus non sit. *Donatus.*

Nullus sum] De me actum est, perii, penitus interii: Δειλοὶ δ' εἰσὶν οὐδὲν οὐδαμοῦ. Eurip. ex Iphigenia in Tauris. Τὸν οὐκ ὄντα μᾶλλον ἢ μηδένα. Sophocles in Antigone. *Farnabius.*

21 *Hinc*] Id est, ex hoc loco. *Donatus.*

Pistrinum] Ubi, molis jumentorum servorumque opera circumactis fruges comminuebantur: in pistrina servi, ad pœnas detrusi, molebant. *Farnabius.*

Recta proficiscar via] Bene *recta*, ut corporis impulsionem lucrifaciam: aut *recta*, ut non eam ad precatorem, aut ad Pamphilum. Et bene *Proficiscar: Proficisci* enim in rem ægram ac difficilem dicimus. Et *recta via;* plana dixit, non tantum recta. *Donatus.*

22 *Nihil est preci loci relictum*] Subjungit ergo causas cur proficiscatur in pistrinum. *Idem.*

Nihil est preci] Quod prædixit senex. *Idem.*

Nihil est preci loci relict.] Propter minas senis, supra act. I. sc. 2. vss. 28. et 29. unde etiam pistrini mentionem hic facit. *Bœclerus.*

Preci loci relictum] Dativo hoc utitur etiam, in Phormione, act. III. sc. 3. *Farnabius.*

Jam perturbavi omnia] Allocutio, in qua quid metuat, quid velit, manifestum est. *Donatus.*

23 *Herum fefelli*] Hæc enumeratio causarum est, qua magnifice exaggeravit errores suos. *Idem.*

Conjeci] Nec immisi, sed *conjeci:* quod impetum et injuriam significat. *Idem.*

Herilem filium] Τὸν τρόφιμον. *Idem.*

24 *Feci hodie*] Nec solum *feci*, verum etiam addidit tempus, *hodie:* ut ne diecula quidem ejus sit, quod fecerat, mali. *Idem.*

Insperante hoc, atque invito] *Insperante* et *invito*, duplex offensio. *Idem.*

Insperante hoc, atque invito Pamphilo] Donatus: 'Insperante et invito, duplex offensio:' videtur ad Pamphilum retulisse utramque vocem. Alii τὸ *insperante hoc* ad Simonem referunt. *Bœclerus.*

Hoc] Simone. *Farnabius.*

25 *Hem astutias*] Bona εἰρωνεία. Pluraliter dixit *astutias*, quasi is qui abundet astutiis, ut ei una non sufficeret. *Donatus.*

Hem astutia] De consensu librorum nostrorum diximus. Apparet et Eugraphium ita legisse. At Donatus: *astutias* legit, et αὐξητικῶς interpretatur. *Bœclerus.*

Hem astutia] Hem, quonam mea evasit astutia! Al. *astutias.* Farnabius.

Hem, astutia! &c.] Ita quædam editiones. Malim, *Hem, astutias!* ut in aliis. Erit autem synizesis in secundo pede. Elegantior ad sensum hæc scriptura est. *Faber.*

27 *Utinam mihi esset aliquid*] Non dixit gladium, aut laqueum: ne esset tragicum. Ergo expressit bene, dicens, 'Quo me nunc præcipitem darem.' *Donatus.*

Scena v. Iambici octonarii acatal. 14. reliqui 4. trochaici tetram. catalect. vs. 1. Ms. unus: *ubi illic est scelus:* alter: *ubi est illic scelus?* omnes: *qui me hodie perdidit.* vs. 2. duo: *jure mihi obtigisse:* unus: *mihi jure obtig.* vs. 4. varie scribitur. vs. 5. duo: *hoc nunc si devito malum.* vs. 6. duo: *sed quid ego nunc dicam p.* vs. 7. duo: *qui sim pollicitus.* vs. 9. omnes: *dicam aliquid me jam invent.* vs. 10. omnes: *ohe*, et: *tuis consiliis.* vs. 12. unus: *hoc tibi ut credam ego f.* alter: *hoc tibi vis ego ut cred. f.* tertius: *ho tibi ego ut cr.* vs. 13. duo: *tu rem impeditam et perditam restituas? hem quo fretus siem.* vss. 15. et 16. unus: *quid meritus es? crucem: sed sine paul.* alter: *quid est meritus? crucem: sed sine Pamphile ad me ut redeam.* vs. 17. omnes: *cur non hab. sp.* vs. 18. unus: *namque hoc tempus præcavere mihi me monet, haud te ulcisci sinit:* alter: *namque hoc tempus monet præcavere mihi me, haud te ulc. s.* Bœclerus.

Ubi illic est scelus] *Hæc scena, cujus perturbationis esse debeat, etiam supra poëta præstruxit, quum ad consentiendum Davi consilio tardum Pamphilum faceret.* Donatus.

1 *Ubi illic est scelus*] Accusatio. *Id.*

Ubi illic est scelus] Nimium terribile est, sævire antequam videas eum, contra quem irasceris. *Idem.*

Ubi illic est scelus, qui me perdidit] Ad intellectum, non ad verba redegit: et est figura σύλληψις per genera. Virgilius, 'Pars in frusta secant.' Sed hic figura est per numeros: nam quia scelus scelestus intelligitur, modo *qui* subjunxit, non *quod.* Idem.

Ubi illic scelus est qui me perdidit? D. perii. P. atque hoc confiteor] Multi l. s. et Donatus, *ubi illic est scelus:* est autem versus trochaicus catalecticus, contracto per synizesin, *confiteor*, in dactylum. *Faërnus.*

Scelus est] Scelestus: abstractum pro concreto: cum respectu ad sensum, qui sanus, genere licet videatur peccatum: vide syllepsin in Grammatica nostra. *Farnabius.*

2 *Jure obtigisse*] Interpone pronomen *mihi*, ex omnibus l. s. ut sit, *jure mihi obtigisse*, quod et sensus exigit et ratio versus, qui est trochaicus hypercatalecticus, vel forte acatalecticus, si ex *quidem* m elidatur, ut in quinta sede sit anapæstus. *Faërnus.*

Tam iners] Sine arte, id est, sine ἀρετῇ. *Donatus.*

Tam nulli consilii] Una pars orationis est, *nulli consilii:* nos, *nullius* et *solius:* recte autem veteres, *nullo nulli, solo soli*, declinabant. *Idem.*

Tam nulli consilii] Ἀρχαϊκῶς, pro *nullius*, bis Priscianus explicat lib. VI. et XIII. *Bœclerus.*

Nulli consilii] Archaice, pro *nullius:* qua super voce, ut et aliis ejusdem generis, consule eandem Grammat. *Farnabius.*

3 *Me commisisse*] Non commendasse: sed, *Commisisse. Committimus* enim quæ cum magno periculo volu-

mus esse servata. *Donatus.*

Futili] Levi: nam a vase, quod *futile* dicitur, quod non deponunt ministri sacrorum, quod est acuto fundo, et patulo ore, eoque instabile est. Virgil. 'Consiliis habitus non futilis author.' *Idem.*

Futili] Levi et vano, qui quicquid in buccam venerit, effutit, plenus rimarum. Metaphora ducta a vase futili, quo utebantur in sacrificiis Vestæ, ore patulo, fundo acuminato, quod stare non posset, quin aqua statim effunderetur: piaculum autem erat, si aqua ad sacra hausta, in terra poneretur. *Farnabius.*

4 *Ergo pretium ob stultitiam fero*] Ergo pretium et præmium generaliter pro bene aut male facto redditur: sed discernitur ita: nam pretium pro stultitia, est pœna; pretium pro virtute, honor est et lucrum. *Donatus.*

Pretium ob stultitiam] Sic Plautus locutus est, 'Pretium ob asinos:' pro: asinorum pretium. Virgil. 'Rem magnam, pretiumque moræ fore.' Et alibi, 'Illum Tydides alio pro talibus ausis Affecit pretio:' et est figura ἔκλειψις· ut apud Virgil. 'Invidisse deos patriis ut redditus oris.' *Idem.*

5 *Posthac incolumem sat scio fore me*] Sic dicere solemus in magno periculo positi: nunquam nos periclitaturos, si illud periculum potuerimus evadere. *Idem.*

Posthac] Audacter se incolumem in futurum promittit fore, cum vita hominis tam variis multisque sit periculis conferta: sed hoc dicit: Sic, inquit, periclitor; si hoc evasero, scio me non postea periclitaturum. Menander sic: ἂν Θεὸς ΦΕΤΓΕΙ ΟΤΚ ΑΝ ΑΠΟΛΤΜΠΠΕ * (Fortasse sic legendum: Ἔνθεν ἀποφεύγων, οὐκ ἂν ἀπολοίμην ποτέ·) et est sensus, Tam difficile est hinc evadere, ut qui hinc evaserit, videatur immortalis futurus. *Id.*

6 *Sed quid ego*] Donatus et aliqui libri, inter quos antiqui, *nam quid ego.* Faërn.

Dicam patri] Bene *patri*, non Simoni: ut de auctoritate hujus nominis summus terror exsurgat. *Donatus.*

Modo qui sum pollicitus] *Modo*, mire: etenim majorem vim habent recentiora promissa. *Idem.*

7 *Qui sum pollicitus*] Oratorie: melius *pollicitus sum* dixit, quam si *promisi* diceret. *Idem.*

Qua fiducia] *Qua fiducia*, ad personam suam retulit: et *fiducia* modo impudentiam significat. *Idem.*

8 *Nec quid me nunc faciam, scio*] Nos, *quid faciam*, veteres autem *me* addebant. Et nota *faciam*, cum ablativo casu. Ablativus casus, *me.* Id.

Me] De me. *Farnabius.*

Atque id ago sedulo] Id quæro, hoc est, ut inveniam quid faciam. *Donatus.*

9 *Dicam aliquid jam inventurum*] In aliquibus libris est, *jam me:* in aliquibus, et inter hos, Vaticano, et Basilicano, solummodo est, *me.* Faërnus.

Aliquam producam moram] *Productem* legitur et *producam.* Significat autem differam, protendam, prolatem. *Donatus.*

10 P. *Oh.* D. *visus sum.* P. *ehodum bone vir, quid ais? viden me tuis consiliis*] Et Vaticanus et omnes alii libri quos vidi, non *oh* sed *ohe*, habent: pro quo tamen libenter legerim, *oho:* quæ interjectio est exclamantis irati: ut et in Adelphis, 'Oho, scis et pateris?' Sed sive *ohe* sive *oho* legas, est hæc dictio necessaria sustentando octonario: ita ut *ohe* sit spondeus: ex *quid* vero d abjiciatur, ut in quinta sede sit tribrachus; *tuis* una syllaba sit; *consiliis* creticus; utrumque per synizesin. *Faërnus.*

Ehodum bone vir] Gravis interrogatio, et minantis cum iracundia. Et hoc εἰρωνείᾳ prosequitur, cum omne genus contumeliæ leve in eum dicimus, in quem ferimur iracundia. *Donatus.*

Viden' me] Hoc est, nunquid negare potes? *Idem.*

11 *Impeditum esse*] *Impeditus* est proprie, qui ita pedes habet illigatos, ut progredi non possit. Sed hic ad negotium retulit. *Idem.*

Impeditum esse] Implicitum, intricatum, pedibus quasi illigatum, ut progredi non valeam. *Farnabius.*

At jam expediam] Non se defendit, sed emendaturum promittit: et bene ad impeditum, *expediam* retulit: duo promisit simul: et tempus cum celeritate, et effectum. *Donatus.*

12 *Imo melius spero*] Bene *melius* comparativo est usus, quasi hoc bonum sit, illud melius. *Idem.*

Furcifer] *Furciferi* dicebantur, qui ob leve delictum cogebantur a dominis, ignominiæ magis, quam supplicii causa, circa vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus, et prædicare peccatum suum, simulque summonere cæteros, ne quid simile admittant. Itaque et Cicero de servo, 'Quid inde furcifer? quo progreditur?' *Idem.*

Furcifer] Adi Eunuch. act. v. sc. 2. *Farnabius.*

13 *Tu rem impeditam et perditam restituas*] Multum progressus est, *impeditam* dicere: modo *perditam* dixit. Sensus hic est, Integram perdidisti, et perditam restituas? *Donatus.*

Tu] Hoc est, qui integram expeditamque turbasti. *Idem.*

Quo fretus siem] Est memor se ante dixisse, Davum video, cujus consilio fretus sum. *Idem.*

Hem quo fretus siem] Versus, et sermo exigit *sum*, ut et alicubi scriptum invenimus. *Faërnus.*

14 *Qui me hodie ex tranquill. re conjec.*] Plautus Captiv. III. 4. 6. 'Qui ex parata re imparatam omnem facis.' *Bœclerus.*

15 *Hoc esse futurum*] Ut ab illa excludar, huc concludar: et vide quo me inducas. *Donatus.*

An non dixi hoc esse, &c.] Hi quatuor postremi versus sunt Trochaici; quare aliter scribendi. Secundus sic: *Sed paulum sine ad me ut redeam, &c.* Quartus autem: *Namque hoc tempus, &c.* Et sic in Edit. Faërni. In fine tertii versus scribe: *ut volo*, non, *uti.* Nescio autem quid visum Mureto fuerit, ut bonos Trochaicos transformarit in Iambeos, per syllabicas adjectiones; nisi quod hoc illi solenne erat. *Faber.*

Quid meritus] Scenæ Atticæ accommodatum. Athenis enim convicti capitalis facinoris et condemnati nullo expresso supplicio, interrogabantur quid se meritos putarent: illi, ad misericordiam movendam in majus suam pœnam æstimabant. Quod quia non fecit Socrates, sed pœnæ loco, ut ex publico in Prytaneo aleretur, respondit, ad cicutam damnatus periit, sed a gloria propter scientiam et virtutem non perivit. 'Carcerem,' inquit Seneca, 'intravit, ignominiam ipso loco detracturus, neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat. consol.' ad Helviam. 'Quem intrando purgavit, omnique honestiorem curia reddidit.' Sen. l. II. de Benefic. 27. *Farnabius.*

Quid meritus es] Aliqui libri et in his antiquiores non habent verbum *es*, quod nec a Donato quidem ponitur. *Faërnus.*

Crucem] Plena satisfactio est, confessio peccati sine recusatione pœnarum: nam mitiores eos reddimus, quibus vultu operæ pretium pro delictis nostris offerimus. Virgilius, 'Equidem merui, nec deprecor, inquit.' *Donatus.*

16 *Sed paululum sine ad me ut redeam*] O. l. s. et Donatus, *sed sine paululum:* quod vero sequitur in libris antiquioribus et plerisque aliis est sine particula *ut;* est autem versus trochaicus, ut qui sequuntur. *Faërnus.*

Ad me ut redeam] *Redire ad se* dicitur, qui animum recipit, et sedem

mentis. Virgilius, 'Victus redit ad se:' et hic de corpore dixit. Ad se autem redit, qui amens esse desistit. *Donatus.*

Dispiciam] *Dispicere*, est disquirere consilium; *Despicere*, deorsum aspicere. *Idem.*

Hei mihi quum non habeo sp.] Plaut. Menæchm. II. 2. 29. 'Heu mihi cum nihil est, illi qui homini diminuam caput.' *Bœclerus.*

Ei mihi, cur non habeo tempus] Omnes antiqui libri habent, *cum non habeo: cum* enim etiam indicativo temporis præsentis jungitur, ut et in Phormione: 'Peccandi cum ipse de se finem non facit.' *Faërnus.*

17 *Cur non habeo spatium*] Οἰκονομία. *Donatus.*

18 *Namque hoc tempus, præcavere*] Sic Virgilius, 'Sed motos præstat componere fluctus.' Et est σύλληψις· illud enim cogit, hoc sinit. *Idem.*

Namque hoc tempus] Et hic quoque o. l. s. et Donatus *hoc tempus* habent; ut et exigit ratio trochaici. *Faërnus.*

Præcavere mihi me, haud te ulcisc.] Sententiam hanc Tacitus ita extulit XI. A. 31. 'Securitati antequam vindictæ consulendum:' vide infra Eu. IV. 6. 24. *Bœclerus.*

ACTUS IV.

SCENA I. Versus sunt varii: misti ex Iambis et Trochaicis: de quibus vide interpretes supra laudatos, et Guyetum.

Hujus Scenæ versus, qui et perturbati et valde impediti sunt, examinavere Goveanus, Julius Scaliger, et Erasmus. Nihil ipse mutavi; et facile erat tamen ex ista materia octonarios facere vel senarios; sed illi versus non essent Terentii. *Faber.*

Vss. 3. et 4. nostri omnes: *gaudeat* et *comparet:* duo omittunt τὸ *alienis.* vs. 5. duo: *imo id est pessimum genus hominum.* vs. 6. omnes, ut edidimus. vs. 7. omnes: *post ubi tempus est promissa iam perfici.* vs. 9. unus: *res premit eos.* vs. 10. duo, ut edidimus. vs. 14. unus: *ubi opus non est:* alter: *ubi non locus est.* vs. 16. omnes: *ingeram multa mala:* unus addit *illi:* et mox: *atque si aliquid d.* a glossa. vs. 20. omnes: *seducere;* duo: *his dictis.* vs. 23. omnes: *nonne:* duo: *esse satis hoc solidum visum est g.* vs. 26. duo: *quantasque is.* vs. 35. omnes: *nondum scis. C. scio equidem illam ducturum esse te.* vs. 37. omnes, ut edidimus. vs. 39. omnes habent: *interturbat omnia:* unus bis tantum nomen *Davi.* vs. 41. τὸ *scio* duo omittunt: omnes: *qui auscultaverim ei,* ut edidimus. Senarius erit si τὸ *ei* contrahas in unam syllabam. vs. 42. duo: *factum est hoc Dave? D. factum:* ubi τὸ *est* etiam tertius omittit. vs. 47. omnes: *aggrediamur.* vs. 48. unus: *quia successit primo parum:* alter: *quia primo successit parum.* Argent. *processit.* vs. 49. omnes; *non posse i. a. s. hoc converti malum.* vs. 56. duo: *si parum succed. q. a.* vs. 57. omnes: *tute,* sed diverso positu. vs. 58. omnes, ut edidimus. vs. 59. omnes: *hem. sed mane: concrepuit a Gl. o.*

Charini querelam, illustre philosophiæ et eloquentiæ Terentianæ specimen, egregia annotatione et paraphrasi prosecutus est Guyetus. *Bœclerus.*

Hoccine credibile est] *Elegans perturbatio, in qua inter se Simo, Pamphilus, Davus, Charinus, Byrria, Chremes, omnes omnibus redduntur offensi.* Donatus.

1 *Hoccine credibile est*] Et incredibile est, inquit, et nefandum: e contrario enim ab interrogatione quadam incipiunt, qui nimis irascuntur: ut et illud, 'Hoccine humanum factum?' Et totum hoc in pronuntiatione est: hoc enim genus interrogationis vim negandi exprimit. *Idem.*

Hoccine credibile est] A generalitate incipit, ut Cicero, 'Quam facile serpat injuria et peccandi consuetudo, quam non facile reprimatur, videte, judices.' *Idem.*

Hoccine credibile'st] O. l. s. et Donatus, *hocine est credibile.* Faërnus.

2 *Cuiquam ut siet*] Singulari et plurali numero respondet. *Donatus.*

Cuiquam ut siet, ut malis gaudeant] Cum dixisset *cuiquam,* intulit numerum pluralem: ut alibi, 'Si quisquam est, qui placere se studeat bonis Quam plurimis, et minime multos lædere: In his poëta hic nomen profitetur suum.' *Idem.*

3 *Ut malis gaudeant*] Legitur et *gaudeat.* Idem.

Ut malis gaudeat] Vaticanus liber et Basilicanus, et Donatus, *gaudeant.* Faërnus.

Atque ex incommodis alterius, sua comparent ut commoda] Hoc est, non intelligunt commoda sua, nisi ex alterius incommodis ea æstimaverint. *Donatus.*

Ex incommodis alterius] Et hic gau-

deant subauditur. *Idem.*

Ex incommodis alterius sua ut comparent commoda] Livius, simili sententia dixit: 'ex incommodo alieno suam occasionem petere.' IV. 58. *Bœclerus.*

4 *Sua comparent*] Hoc est, acquirant, vel æstiment, metiantur. *Donatus.*

Alterius, sua comparet ut commoda] Particulam, *ut*, post *sua*, ex o. l. s. collocamus: *comparent* autem scribimus ex Donato et duobus antiquis libris paulo ante adductis. *Faërnus.*

5 *Id ne est verum? imo id genus*] Alii sic, Verum est; hoc genus hominum hominem se probavit esse, cum malus sit: et sic contra hoc, Imo non hominem, sed pessimum hominem se probavit. *Donatus.*

Id ne est verum? imo id genus] Parum accusaverat, dicens, Id ne est verum hominum genus? et ideo addidit, Imo id genus hominum est pessimum: ut hoc facere, non hominis modo sit, sed pessimi hominis. *Idem.*

Id ne est verum] Inanes nugæ quædam in commentario Donati ad h. l. leguntur. Alii Servium auctorem secuti sine causa, *verum* hic interpretantur *æquum*. Melius Guyetus: quem vide. *Bœclerus.*

Verum? &c.] Ἀληθινὸν non verum tantum, sed justum et probum significat, Priscian. l. XVII. *Farnabius.*

Immo id genus hominum est pessimum, in] Ita legendum, *immo, id est, genus hominum pessimum:* ita Donatus et o. l. s. in quibus tamen extremorum verborum alia collocatio est, quam in Donato: particulam autem *in*, non huic versui sed sequenti attribuunt. *Faërnus.*

6 *In denegando modo*] *Modo*, pro tantummodo. *Donatus.*

Quis pudor paululum adest] Adest pudor, ne denegent, non adest, ut et præstent. *Idem.*

In denegando modo quis pudor est paululum] Scripsimus ex Donato, et o. l. s. *pudor paululum adest.* Faërnus.

In denegando modo, &c.] Modo, cum peteretur quid ab iis, promittebant: puduit quippe negare: jam ubi beneficium verbis initum re comprobandi tempus adest, produnt animi sui malignitatem et vecordiam: 'hominem alterius incommodo suum commodum augere, magis est contra naturam quam mors.' Cic. Offic. Sed adi Plutarchum lib. περὶ δυσωπίας. *Farnabius.*

7 *Post ubi tempus*] Deest *est*: ut sit, *tempus est.* Donatus.

Promissa est jam perfici] Antiqui libri, et aliqui alii non habent verbum *est;* cum quibus et Donatus concordat. *Faërnus.*

8 *Necessario se aperiunt*] Mire ait *necessario*, quia natura sunt tales: necessitas autem in natura est constituta. *Donatus.*

Aperiunt] Mire, *aperiunt:* quoniam tunc cum promittebant, mali erant: sed latebat malitia intra pectoris altitudinem. *Idem.*

Tum necessario] Interponimus verbum *coacti* ex o. l. s. et Donato. *Faërnus.*

9 *Et timent, et tamen res cogit denegare*] Bis numero subauditur *denegare.* Et melius *timent*, quam si diceret, *pudet eos:* nam timor est etiam malorum: pudor, tantum bonorum. *Donatus.*

Res] Malitia scilicet, tanquam mali sint ad rem, quam præstare non possunt. *Idem.*

Et tamen res cogit denegare] In nullo l. s. præterquam in Victoriano, hanc lectionem invenio, sed ita, *et tamen res eos premit denegare:* sic et apud Donatum, licet alia collocatione: antiqui sane libri non habent pronomen, *eos.* Faërnus.

10 *Ibi tum impudentissima eorum oratio'st*] O. l. s. ita collocant: *eorum impudentissima.* Idem.

11 *Quis tu es? quis mihi es?*] *Quis tu es*, ad dignitatem refertur: *quis mihi es*, ad necessitudinem: id est, frater, aut cognatus. Et hæc verba mollia sunt dictu, sed animo aspera. *Donatus.*

Cur meam tibi] Ἔκλειψις. *Idem.*

12 *Heus proximus sum*] *Heus* significatio est modo nominis, ad intentionem considerationemque revocandi. *Idem.*

Proximus sum egomet mihi] Id est, charior mihimet ipsi sum, quam quisquam alienus. *Idem.*

Proximus] Charus, benevolus: et hoc est quod ait supra, 'Quo æquior sum Pamphilo, si se illam in somnis, quam illum amplecti maluit.' Inde *proximi* et *propinqui* dicuntur, qui nobis chari esse debent. *Idem.*

Proximus] Supra act. II. sc. 5. 'Omnes sibi malle melius esse quam alteri:' φίλος αὐτῷ πᾶς ἄνθρωπος φύσει ἐστί. Plato de Legib. Tunica pallio propior est, et γόνυ κνήμης ἔγγυον. Arist. Moral. IX. Amicitia et charitas a seipso incipiunt. *Farnabius.*

Attamen ubi fides est] In plerisque l. s. etiam antiquis non habetur verbum *est*, itaque id delevimus. *Faërnus.*

Ubi fides] O Jupiter! ubi est fides? Phorm. 'Sero. hæc est fides?' Nero cum sibi manus intulisset, irrumpente quasi in auxilium Tribuno. Suetonius. *Farnabius.*

13 *Si roges*] Abundat, *si roges:* sed ἠθικῶς additum est. *Donatus.*

Nihil pudet] *Pudor* est mali facti: *verecundia* recti et honesti. Ergo mire posuit. *Idem.*

Hic ubi opus est] Salvo pudore. *Id.*

14 *Non verentur, &c.*] Non verecundantur: antea, ubi opus non erat, nempe in promittendo, vitioso quodam pudore, non audebant polliceri quod postea non erant præstituri. 'Plerique sunt, quos cum nihil refert, pudet; ubi pudendum est, ibi deserit pudor.' Plaut. Epidic. act. II. sc. 1. *Farnabius.*

Illic] Ubi promiserant. *Donatus.*

Illic, ubi nihil opus est, ibi] *Illic* et *ibi*, aptum irascenti repetitionis genus. *Idem.*

Illic] Legitur et *illi.* Idem.

Ubi nihil opus est] Ubi nondum promiserunt, ibi verentur; quod ait supra, 'In denegando modo quis pudor est paulum.' *Idem.*

15 *Adeamne ad eum*] Hic locus deliberationis est, an adeat ad Pamphilum: et unum *ad* abundat, et moraliter verba Charini sunt posita. *Idem.*

Injuriam] Pro, de injuria. *Idem.*

Expostulem] *Expostulatio* est adversus eum, quem incusamus: nam *expostulare*, est querelam apud eum ipsum deponere, de eo ipso qui fecit injuriam. *Postulare* autem, querelam dicere de altero apud alterum. *Idem.*

16 *Ingeram mala multa*] Quasi tela, ita se dicit ingesturum mala. *Idem.*

Atque aliquis dicat, Nihil promoveris] Hoc dicit, Etsi existat aliquis qui mihi dicat, Quid profeceris? respondebo, Multum. *Idem.*

Atque aliquis dicat] Irati mores expressit, quibus dulcis vindicta est: quique instar solatii habent λυπεῖν τοὺς λυποῦντας· itaque *multum* Charino videtur, si molestus fuerit Pamphilo, atque in eum suum dolorem per convitia evomuerit. Sed ad hunc impetum irati, opportune Poëta objecit confessionem et excusationem Pamphili, dolenter et actuose factam vs. 18. cui quamquam Charinus ironiam acerbam reponeret, custodivit tamen Pamphilus specimen innocentis animi, quando cum fiducia, *quid tandem?* inquit. quid me putas ac dicis *tandem* voluisse invenire ut liberasse fidem, quam tibi dedi, videri possem? item: *Quid istuc est?* et, *falsus es.* omnia, quantum ad me, bona fide gesta sunt. aliunde turba intervenit nostro negotio. quod mox scies, si imperare tuo affectui et auscultare velis, quæ dicam. *Bœclerus.*

17 *Multum*] Non subjunxit, quo modo multum? sed, illud faciam.

Donatus.

Multum] Subanditur, *promovero.* Idem.

Molestus certe ei fuero] Transitum fecit dicendo, *Molestus certe ei fuero.* hoc est, si nihil aliud promovero, certe ei molestus fuero. *Idem.*

Atque animo morem gessero] Erit fructus iracundiæ ex vindicta. Et per iracundiam atque turbationem non invenit quod sit multum: aliud ergo invenit; molestus certe ei fuero. *Idem.*

18 *Charine, et me, et te*] Mire et artificiose fecit, Pamphilum priorem alloqui, ad perfringendam iracundiam Charini: alioquin si prior vociferari potuisset, tragica exclamatione usus fuisset. *Donatus.*

Imprudens] Defensio ab imprudentia: etenim nisi bonæ esset conscientiæ, nunquam diceret, *te perdidi*, purgaturus. *Idem.*

19 *Itane imprudens*] *Imprudens*, distingue: et attende, hoc illum repetere, quod indignatur magis, quasi audierit *imprudens*, et non audierit reliqua. *Idem.*

Itane imprudens] Quia articulus omnis defensionis per concessivam qualitatem hoc dicto est constitutus: idcirco hoc ipsum Charinus per infirmationem repetit, hoc cupiens eripere Pamphilo, quo ille maxime nititur. *Idem.*

Inventa est causa] Orator negare factum non potuit, neque defendere, recte factum esse: confugit itaque ad purgationem, quæ excusat factum esse non voluntate, sed imprudentia. *Farnabius.*

Solvisti fidem] Ironice. *Idem.*

20 *Quid tandem? etiam nunc me subducere istis dictis postulas*] L. s. recentes *seducere* habent: antiqui vero, *ducere*, quod et placet: ita versus est trochaicus ut præcedens, et sequentes: ducere autem, falsa spe subaudiendum, ut in Phormione: 'Ut phaleratis dictis ducas me.' *Faërnus.*

Ducere istis] Blandis dictis delinitum ὑπάγειν: ἄγει σε καὶ φέρει τῆς ῥινὸς, φασὶν, ἕλκων. Lucian. dial. Jovis et Junonis. *Farnabius.*

21 *Postquam me amare dixi, complacita est tibi*] Vide ingenium æmulæ suspicionis, quæ hic compendio promit, quicquid in pectore Charini turbarum conciverat. *Bœclerus.*

22 *Qui tuum animum*] Legitur et *cum.* Donatus.

23 *Falsus es*] Modo participium est, id est, falleris: si Pamphilus id dicit. Si vero conjungitur, pro *fallax* accipitur. *Idem.*

Falsus es] Falleris, qui sic de ingenio meo judices. *Farnabius.*

Hoc solidum] *Solidum*, plenum, idoneum, integrum. *Donatus.*

24 *Nisi me lactasses*] Produxisses, oblectasses, induxisses, quæ significatio frustrationem ostendit. *Lactare*, est inducere in aliquam voluptatem, a *lactando*, unde et *oblectare* dicitur. *Idem.*

Lactasses amantem] Metaph. a matribus. infra act. v. sc. 4. 'sollicitando et pollicitando eorum animos lactas.' *Farnabius.*

25 *Habeas*] Permissio animi irati. *Donatus.*

Habeas] Permissio cum indignatione. *Farnabius.*

Habeam] Ut supra, 'Aut si tibi hæ nuptiæ sunt cordi. P. cordi?' *Donatus.*

Quantis in malis verser miser. Quantasque hic suis consiliis mihi confecit solicitudines] Εἰρωνεία, ut supra, 'Cujus consilio fretus sum.' Et cum *verser* protulerit, *conficiat* debuit inferre: est ergo ἀνακόλουθον. aut ut illud, 'Principio, amico filium restitues, tibi generum firmum, et filiæ invenies virum.' *Idem.*

26 *Confecit*] Legitur et *conflavit*, Donatus.

Sollicitudines] Perturbationes. *Id.*

27 *Meus carnifex*] Id est, in me carnifex, qui me torserit. ut alibi,

Deo irato meo: hoc est, in me irato Deo. *Idem.*

Si de te exemplum capit] Utrum, si te imitatur: an si de te exigit pœnas? ut ipse alibi, 'Uterque exempla in te edent.' sed melius, te imitatur, accipimus. *Idem.*

De te si exemplum capit] Credamne, Donatum hanc dubitationem proposuisse: 'Utrum, si te imitatur; an, si de te pœnas exigit?' Quam diversum est enim quod subjicitur: 'Uterque exempla in te edent?' Apage nugas. quas et Eugraphius recoxit. Hoc dixit Charinus: quid tam mirum fuerit, si servus tuus tuo exemplo adversum te utatur; id est, tibi eam fidem præstet, quam tu præstas aliis; sive tali te mactet ægritudine, quali tu alios, id est, me? vim accipit sententia ex eo quod dominorum mores servi facile imitantur. *Bœclerus.*

28 *Haut istuc dicas, si cognoris*] Nosti enim? sed si cognoris, non ita dicas. *Donatus.*

29 *Cum patre altercasti*] Ab iis quæ acta sunt, ad ea quæ facta non sunt. *Idem.*

Cum patre altercasti] Legitur et *altercatus es.* non enim *alterco* dicimus. *Idem.*

30 *Nec te quivit hodie cogere*] Hoc argumentum attulit ex iis, quæ non sunt facta, cum fieri debuerint. *Idem.*

31 *Imo etiam*] Propterea et amplius. *Idem.*

Imo etiam] Deest, *audi.* Idem.

Quo tu minus scis ærumnas meas: hæ nuptiæ non apparabantur mihi] *Quo*, id est, quod: et deest, *audi*, vel *accipe:* ut sit, quod, vel quoniam minus scis. Vel *quo*, id est, ex quo, aut quare. Aut certe erit sensus, cum hujusmodi tamen subauditione, Imo etiam quo tu minus scis ærumnas meas, eo magis audi. Aut, Imo etiam hæ nuptiæ non parabantur mihi, quo ipso minus tu scis ærumnas meas. id est, falsæ nuptiæ erant: quæ res te fallit magis, irascique mihi cogit merito. *Idem.*

Imo etiam, quo tu minis scis ær. meas, &c.] Donatus non satis expedivit sententiam. Facit tamen consensus omnium Mss. codicum, ut, eruditam sane, Fr. Guyeti emendationem amplecti vix audeam. Puto illa verba, *quo tu minus scis ær. meas*, in trajectione hac, veluti παρενθετικῶς accipi debere, ad hunc modum: *immo etiam hæ nuptiæ non apparabantur mihi; quo minus tu scis ærumnas meas*, id est, immo longe gravius est infortunium meum quam tu putas. tu enim existimas, patrem voluisse mihi serio uxorem dare, cum me de ea re appellavit. is vero minime id constituerat. quod quia tu ignoras, necesse est, eo minus tibi notas esse ærumnas meas. qui scilicet, ut mox dicam, fraude servi ex re tranquilla prorsus in periculum ingens præcipitatus sum. *Bœclerus.*

32 *Hæ nuptiæ*] Legitur et *hæc nuptiæ:* sic enim veteres dixerunt. *Donatus.*

Non apparabantur] *Apparari* cum dativo casu semper cladem et perniciem significat. ut Virgilius, 'Mihi sacra parari.' *Donatus.*

34 *Scio, coactus tua voluntate es*] Post *scio* interponimus pronomen *tu*, ex o. l. s. et Donato. *Faërnus.*

Coactus tua voluntate] Hæc est accusatio: ille enim excusat per imprudentiam: hic arguit voluntatem: hoc ergo dixit: eo gravius, quod nullo cogente peccasti. *Donatus.*

Coactus tua voluntate es] Ἑκὼν ἀέκοντί δὲ θυμῷ. Hom. Il. *Farnabius.*

36 *Cur me enecas*] Excrucias. *Donatus.*

Nunquam destitit instare, suadere, orare, &c.] Recte notat Donatus, dicta esse hic quæcunque dici potuerunt; suasioni adjunctæ preces magnam vim habent; sed mirifice auxit utrumque instantia describenda; *nunquam destitit instare* suadendo sc. orandoque; et, *usque adeo donec p.* Bœclerus.

37 *Instare, suadere, orare*] Quia dixit, *instare, suadere, orare*, non plus dicere posset, quando nihil potest esse. *Donatus.*

Instare ut dicerem esse ducturum patri] Omnes quidem libri habent *me esse ducturum*, sed impedita est ratio scandendi, nisi aut ex *dicerem* m abjicias: aut legas sine verbo, *esse*, ut Donatus. *Faërnus.*

39 *Quis homo istuc*] Sc. fecit: mox τὸ *interturbat* non tantum retinet, sed explicat Donatus. Vox Plautina est in Bacchid. IV. 4. 51. 'Ne interturba:' sed fateor, mihi non idem videri quod Donato de vi vocis hoc loco. Judicet peritus lector. *Bœclerus.*

Davus] *Davus*, cum admiratione pronuntiandum. *Donatus.*

Interturbat] Deerat et hic, ut Davus diceret; sed plus intulit, *interturbat*. Et *inter*, modo non mediocriter significat: est enim adauctiva particula, ut *interfectus, interemptus*. Modo *post*: ut; 'Hunc inter fluvio Tyberinus amœno, Vorticibus rapidis, et multa flavus arena, In mare prorumpit.' *Idem.*

Omnia] Aposiopesis. Illud *interturbat* irrepserat ex annotationibus. *Farnabius.*

40 *Nescio*] Quia irascitur Davo, dixit *Nescio*, alioquin scit. *Donatus.*

Nisi mihi deos satis scio fuisse iratos] Deest, *quia*: ut sit *nisi quia*. Idem.

Nisi mihi deos satis] Diis invitis aut iratis nihil prospere evenire, nihil feliciter geri, semper fuit hominum opinio. 'Memini relinqui me, Deo irato meo.' In Phorm. act. I. sc. 1. 'Iratis natus paries Diis.' Horat. Sat. 3. l. II. 'Diis iratis, genioque sinistro.' Pers. Sat. 4. 'Diis iratissimis.' Plaut. Pœn. act. II. *Farnabius.*

42 *Factum est hoc*] Non quod non credat, interrogat: sed quod increpet. *Donatus.*

Factum est hoc Dave] Omnes libri antiquiores, *Factum hoc est Dave?* Faërnus.

43 *At tibi Di*] *At*, principium increpationi aptum: ut Virgilius, 'At tibi pro scelere.' Et Horatius, 'At o deorum quisquis in cælo regis Terras et humanum genus.' *Donatus.*

44 *Eho, dic mihi*] *Eho*, interjectio est intentionem audientis exposcens. *Idem.*

Dic mihi] Semper τὸ *dic mihi*, injuriosum est: ut Virgilius, 'Dic mihi Damœta, cujum pecus?' *Idem.*

45 *Quod nisi hoc consilium darent*] Cum odio *hoc* pronuntiandum est: ideo *conjectum* dixit. *Idem.*

46 *Deceptus sum*] Concessio. *Idem.*

Deceptus sum at non defat.] Δεινότητι Davi Poëta res maxime necessarias in tractatu negotiorum conjunxit, constantiam in pertendendo, et fortunam in promovendo. *Deceptus sum, at non defatigatus*: sequitur quod proprium est τοῦ δεινοῦ: 'Hac non successit, alia aggrediemur via:' atque hinc forma sententiæ convincentis, et ad exempla communis vitæ provocantis: 'Nisi id putas,' (q. d. absurde id et contra experientiam putaretur,) 'Quia primo successit parum, non posse jam ad salutem converti hoc malum:' fortuna enim, præsertim fidentibus et constantibus æqua, sæpe res in contrarium commutare solet, &c. Illud, *scio*, quod Charinus, et *immo etiam*, quod Pamphilus interponit, εἰρωνικὰ sunt. Bœclerus.

Deceptus sum] Πάλιν οὖν ἀμεινόνων ἐξ ἀρχῆς δευτέρων ἐπαναπόδισαμεν. ea quæ prima experientia parum successerant, secunda nonnunquam commodius eveniunt. δευτέρων ἀμεινόνων. Æl. Arist. A sacris videtur ortum; in quibus, si prima victima non esset litatum, iterabant sacrum, succidaneam immolantes. *Farnabius.*

Scio] Τὸ *Scio*, non ad deceptionem, sed ad defatigationem reddit. ergo cum εἰρωνείᾳ sonandum. *Donatus.*

47 *Hac non successit*] Deest, *quod conabamur*: et proprie de bono sic

dicitur. *Idem.*

Alia aggrediemur via] Vel *adoriemur*, id est, enitemur. *Adoriri* proprie dicitur repente ex insidiis aliquem invadere. *Idem.*

52 *Hoc tibi pro servitio debeo*] Μεταληπτικῶς vel μετωνυμικῶς, *Servitium* pro servitute posuit: ut, 'Servitio enixe tulimus.' *Idem.*

53 *Conari manibus, pedibus, noctesque et dies*] Ad id intulit, quod ait supra, 'Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia facturum.' Et accusativo casu sine intermissione significat, *Noctes et dies*. Idem.

Manibus, pedibus] Ὑπερβολικῶς. *Id.*

Manibus, pedibus] Extremo conatu atque discrimine, assidua et indefatigata diligentia. *Farnabius.*

55 *Tuum est si quid præter spem evenit ignoscere*] Ex l. s. interpone post *evenit*, pronomen *mihi*. et stat senarius si *tuum* et *mihi* monosyllaba fiant. *Faërnus.*

Præter spem evenit] *Evenit*, productum magis: quia hoc perpetuo non vult Pamphilo accidere. Ergo *evênit*, non autem *evenit* media correpta. *Donatus.*

Si quid præter spem evenit, mihi ignosc.] Hic enim proprius æquitatis in ignoscendo locus. unde Eustratio (ad VI. Eth. Aristot.) dicitur ἡ τῆς ἐπιεικείας ἕξις, συγγνωμονικῶς διατιθεμένη πρὸς τὰ δοκοῦντα συμπίπτειν ἀβούλητα ἐν ταῖς πράξεσιν. expressit Nero apud Suetonium ad judices certaminum, eleganter: (c. 23.) 'Omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu esse fortunæ: illos, ut sapientes et doctos viros, fortuita debere excludere.' *Bœclerus.*

56 *Parum succedit quod ago*] Si nostrum est, officia præbere: at nostrum non est, fortunam posse præstare. Et bene, *succedit*, ut quod agimus, ostendat successus esse fortunæ. *Donatus.*

Parum succedit quod ago] Utilis sententia pro sapiente contra fortunam. *Idem.*

Parum successit quod ago] Victorianus, et aliqui alii libri etiam antiqui et Donatus, *parum succedit*. Faërnus.

Sedulo] Id est, ex animo, et sine dolo. *Donatus.*

57 *Vel melius tu aliud reperi*] Non fere invenias librum scriptum in quo non legatur *vel tute*: vox vero *aliud* non est in aliquibus libris, inter quos Victoriano. ut et versus exposcit. *Faërnus.*

Me missum face] Id est, noli uti opera mea. *Donatus.*

58 *Cupio: restitue in quem me accep. loc.*] Plaut. Mil. Glor. III. 1. 107. 'Haud facile te in eundem rursum restitues locum.' *Cupio* sc. te missum facere: sed prius me restitue in locum in quo me accepisti. *Bœclerus.*

Restitue, in quem me accepisti locum] Sensus hic est, Omnia mihi integra et salva redde, qualia tibi tradidi consulturo, vel quum nihil promisissem patri. *Donatus.*

Restitue in quem me accepisti locum] Omnes antiqui libri, *restitue quem a me accepisti locum.* ita legit et Eugraphius. ita videtur legisse et Donatus. nam quamvis aliter verba Terentii citet, tamen in expositione sic dicit: 'Omnia mihi integra et salva redde, qualia tibi tradidi consulturo:' quæ verba Donati optime quadrant cum *restitue mihi locum.* Faërnus.

Restitue in quem me accepisti locum] Omnia mihi integra et salva redde, restitue me in statum quo prius, ut loquuntur vulgo. *Farnabius.*

59 D. *Faciam.* P. *at jam hoc opus est.* D. *hem sed mane. concrepuit a Glycerio ostium*] Post *Hem* nullam videtur habere significationem dictio *sed.* quare licet reclamantibus omnibus libris accedimus sententiæ Mureti legentis, *st*, quæ nota silentii est. ita etiam optime procedente octonario iambico. *Faërnus.*

Hem! 'st, mane] Hoc quasi inci-

pientis, demonstrantisque, aliquid novi se invenisse. *Donatus.*

Hem. sed mane, concrep.] Davus, urgente Pamphilo, ut expediret, si quid haberet consilii, alio vertere animum adolescentis conatur. sed ille instat: *nihil ad te*, sc. ille forium sonitus. tum ergo demum Davus, ad id, quod Pamphilus dixerat, *at jam opus est*, respondet; sed cum dilatione: *quæro*, id est, id jam ago, in eo sum ut excogitem, inveniam remedium. Pamphilus dilationem castigat, et illud prius *jam* suum pertendit: *hem nunccine demum?* donec citra ambages et tergiversationem Davus: 'At jam hoc tibi inventum dabo.' Ita Poëta circumduxit affectum Pamphili remedium cupientis, cui nihil satis festinabatur. ita sc. seq. vs. 21. 'jam hoc opus est. D. quin jam habeo.' *Bœclerus.*

Crepunt a Glycerio] Vide Adelph. act. II. sc. 3. *Farnabius.*

60 *Nihil ad te*] Hæc enim ad cogitantem nihil pertinere oportuit. *Donatus.*

Nunccine demum] Pro denique. *Id.*

At jam hoc tibi inventum dabo] Consilium scilicet, quo in pristinum locum restituaris. *Idem.*

Scena II. Iambici sunt octonarii catalectici. vs. 8. e Mss. Argent. *potuerat.* vs. 18. omnes: *in proclive quod est.* vs. 19. duo: *fortis es.* vs. 24. omnes: *hinc vos amolimini.* ubi τὸ *vos* nimis præfracte Palmerius amolitur. vs. 30. duo: *age ego veniam.* vs. 31. duo τὸ *me* habent, sed diverso positu. *Bœclerus.*

Jam, ubi ubi erit] *In scena hac, instauratio est adhortationis Pamphili per Mysidem. Opus est enim exhortari rursus adolescentem, ne sub patris oppressione frangatur.* Donatus.

1 *Jam ubi ubi erit*] Opportune rursus æstuante Pamphilo, amicæ mentio objicitur per Mysidem, ne succumbat ad nuptias patri, quamvis promiserit patri se ducturum conjugem. adversus quam difficultatem, quia ipsius persona non sufficit, id agit, ut ad Glycerium modo adducat Pamphilum: cujus affectum excitat, non ex eo solum, quod eum puella vocat: sed etiam quod desiderat eum videre. *Idem.*

Ubi ubi erit] *Ubi ubi*, in prima parte vim suam tenet, in posteriore productionem: et est quemadmodum *ut ut, qua qua, unde unde:* pro ubicunque, utcunque, quacunque, undecunque. *Idem.*

Jam, ubi ubi erit, inventum tibi curabo] Non solum se adducturam promisit, sed et tempus addidit. Et bene *tibi*, quasi amanti. *Idem.*

Jam] Mysis ad Pamphilum adducendum missa, accensas in animo adolescentis flammas amoris oratione sua ventilat. Davus novum init consilium. ἦθος Pamphili facile, mansuetum, simplex: Davi audacissimum et promptum: Charini amore cœcum. *Farnabius.*

Ubi ubi erit] In egressu conversa alloquitur Glycerium intus. *Idem.*

2 *Anime mi*] Mollis oratio et fœminea, multis implicata blandimentis. Ait enim, 'Tu modo, anime mi.' *Mi*, pro *meus.* Donatus.

3 P. *Mysis.* M. *quid est*] Hæc verba omnia in Vaticano et aliquibus aliis personæ Pamphili ascribuntur: quod vero sequitur, *mihi te offers*, ita collocatum legitur, *te mihi offers:* est autem utroque modo iambicus tetrameter catalecticus, si *quid* per dialysin dissyllabum fiat. *Faërnus.*

4 *Orare, &c.*] Priscianus lib. XII. ita citat: 'Orare jussit hera si se ames, ut ad se venias.' *Bœclerus.*

5 *Hoc malum*] Amor meus, aut Glycerii solicitudo, quam nescire oportuit nuptias. *Donatus.*

Hoc malum integr.] Sollicitudo sc. de nuptiis: declarant vss. 6. 7. 10. *Bœclerus.*

Integrascit] *Integratur*, quod ad integrum redit, quod repetitur, quod instauratur. Virgilius, 'Ramoque sedens miserabile carmen Integrat.' *Donatus.*

6 *Sollicitarier*] Perturbari. *Idem.*

7 *Quod mihi apparari*] *Apparari*, ad horrorem et timorem refertur: et dativo casui subjunctum, cladem et perniciem significat: ut Virgilius, 'Mihi sacra parari.' *Idem.*

8 *Quibus quidem quam facile poterat*] Antiqui libri *potuerat.* Faërnus.

9 *Age, si hic non insanit satis*] Hic excitus, comprimit Charinum, ne fomenta iracundiæ Pamphilo præberet. Aut, si pœnitet te, quantum hic sua sponte insanit. *Donatus.*

Si hic non insanit satis] Εἰρωνεία est, aut laus ad mitigandum Pamphilum. *Idem.*

Age si hic non insanit sua sp.] Heri objurgationem et reprehensiones fert Davus, Charini castigat: εἰρωνείᾳ quadam exprobrans, quod irritatum per se satis Pamphili animum suis quoque querelis incenderet. *Bœclerus.*

Instiga] Igni fomenta, flammæ oleum, 'oleum adde camino.' Hor. l. II. Sat. 3. commotum irrita. *Farnab.*

10 *Ea res est*] Id est, nuptias apparari sensit. *Donatus.*

Mysis] Asseveratio est, si a nomine ejus incipias, cum quo loqueris. *Idem.*

11 *Per omnes tibi adjuro deos*] *Ad*, auctiva particula est: ut *admirabiliter*, valde mirabiliter. *Idem.*

Adjuro] Et hoc superest, amissa fide ut adjurandum sit. *Idem.*

12 *Inim. omnes hom.*] Recte Donatus honestatem τοῦ ἤθους hic agnoscit, quod patrem in hac oratione non nominare, sed significare voluerit Pamphilus. In sequentibus, conjugis affectum sententiose et graviter, ad rationem argumenti retulit: *hanc mihi expet. &c.* Bœclerus.

Omnes homines] Mira verecundia: *omnes homines* maluit dicere, ut in his quoque parentes significaret, quam aperte dicere patrem, cujus metu promisit nuptias. et est contra illud, *Sed vim ut queas ferre.* Donatus.

Omnes homines] Ita dixit de uno, hoc est, patre, *Omnes homines:* ut idem alibi, 'O cœlum, o terra, o maria Neptuni.' Nuncquid et cœlum Neptuni est? non utique: sed omnia hæc maria voluit esse. ut Virgilius: 'Omnia vel medium fiant mare.' *Id.*

13 *Contigit*] Quod vix evenit, *contigisse* dicitur. *Idem.*

Conveniunt mores] Recte: et id quod matrimonium firmat. *Idem.*

Valeant] Hoc est, abeant, recedant, quia et discedentibus et mortuis, *vale* dicitur. ut Virgilius: 'Salve æternum mihi maxime Palla, Æternumque vale.' Vel potius τῷ εὐφημισμῷ, cum male optaturus esset, considerato patre, παραδόξως locutus est: et non dixit, quod intenderat, 'pereant.' Et attende quam moderate pluraliter dixerit, cum significaret patrem. *Idem.*

Valeant] Renuntiationis et imprecationis est verbum. *Idem.*

Valeant] Abeant, facessant. Renunciationis est, non execrationis, ne male optet etiam patri. *Farnabius.*

14 *Qui inter nos dissidium volunt*] Antiquissimi libri *discidium* per s, et c, scriptum habent; unde conjicimus a discindo venire discidium, sicut ab excindo excidium. quod ita esse ipsa vocabuli hujus significatio ostendit. usurpatur enim et hic et alibi apud auctores non pro discordia, in quem sensum necesse esset hoc nomen accipi, si a dissideo veniret, sed pro separatione violenta, et abruptione duorum inter se conjunctorum. quod et hic ipse locus probat, et ille in Hecyra: 'Neque mea culpa hoc evenisse discidium, id testor deos.' Et Ciceronis ad Atticum libro quarto: 'Acerbissime discidium nostrum tulisse.' *Faërnus.*

Hanc nisi mors, mihi adimet nemo] Etsi valeant, hanc, nisi mors, nemo adimet. Concessio hic est, hoc enim

per concessionem dicitur. *Donatus.*

Hanc, nisi mors, mihi adimet nemo] Perseverat, ne dicat pater: pro, Non adimet pater. *Idem.*

15 *Resipisco*] Spiritum revocat sensus. *Idem.*

Resipisco] Ut supra act. I. sc. 5. 'Reddidisti animum.' *Farnabius.*

Non Apollinis] 'Hæc ex Oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta, nihil potest esse verius.' Cic. ad Brutum Epistol. 2. *Idem.*

Magis verum] Aut *magis verum*, aut *verius* dicimus. *Donatus.*

16 *Ut ne pater*] *Ut ne*, pro ne non. *Idem.*

Per me stetisse] *Stetisse*, hoc est, esse, ut Virgil. 'Desertaque montis Stat domus.' Aliter plenum est. ut idem, 'Stant et juniperi, et castaneæ hirsutæ.' Aliter horret. ut, 'Stant lumina flamma.' Et Lucilius, 'Stat sentibus fundus.' *Idem.*

Per me stetisse] Hoc est, per me factum esse, ne fierent nuptiæ. *Id.*

18 *In proclivi quod est*] Quod factu facile est, pronum, declive, præceps. *Farnabius.*

19 *Quis videor? miser, &c.*] Donatus hic orationem interruptam Davi verbis continuat illo, *fortis es:* quasi Pamphilus constantiam suam probari concupiverit, cum interrogaret Charinum: *quis videor?* Charinus autem comparationem suæ fortunæ interposuerit, antequam τῷ *miser* τὸ *fortis* conjungeret. Fr. Guyetus, erudite sane, eandem Poëtæ artem fortius expedit. vide notas ejus. *Bœcler.*

Miser æque, atque ego] Bene, *atque ego:* quia hic amore vexatur. Et intulit παράδοξον. Nam volebat Pamphilus sibi dici, et fortis: quod illi tamen mox dicetur. Hic igitur aliter respondet, atque interrogat Pamphilus, ideo quod videat impossibile esse, palam resistere parenti. *Donat.*

Fortis es] Primus moneo hic esse errorem. Legendum, AT *fortis es.* Id et sensus postulat, et probat Veterum auctoritas; quod a nemine animadversum usque adhuc fuisse demiror. En tibi illam auctoritatem: In veteribus Excerptis hæc verba leguntur: MISER ÆQUE ATQUE EGO. *Bene, atque ego, quia hic amore vexatur; et intulit paradoxon. Nam volebat Pamphilus sibi dici,* ET FORTIS ES: *quod illi tamen mox dicetur.* Hæc in Excerptis e Donato. Ergo apud majores nostros hic locus non ita legebatur ut hodie; nam scriptum saltem fuerat ET FORTIS; sed profecto in Excerptis error est; qui enim illa nobis consarcinavit, scripserat, non ET FORTIS ES, sed, AT FORTIS ES; hoc sensu, scilicet: *Fateor*, inquit Charinus, *esse te miserum itidem ut ego sum;* AT TU FORTIS ES, *ego autem infirmior paulo.* Faber.

20 *Scio quid conere*] Sensus est, Scio quidem quid coneris: sed an efficere possis, nescio. *Donatus.*

Scio quid conere] Si Pamphili est persona, cum εἰρωνείᾳ dicitur: si Charini, simplex laudatio est. sed si Pamphili est, hoc significat quod supra, 'Ex unis geminas mihi conficies nuptias.' Sed non esse personam Pamphili, ex subjectis ostenditur. *Idem.*

Scio quid conere] Frustra Donatus putat, hæc alii quam Pamphilo tribuenda esse. cetera explicatio placet. *Bœclerus.*

21 *Huic, non tibi habeo, ne erres*] Deterret etiam nunc Charinum, ut et ipse adjuvet Davum, ne Pamphilo nubat Philumena. Et eodem sensu utitur Davus adversus Charinum, quo supra, 'Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere.' *Donatus.*

Huic, non tibi habeo, ne erres] Vel ut etiam pro se Charinus sentiat, hoc dicit. Vel ut solent servi contumaciores adversum amicum domini, quia nuper a Charino accusatus est: vel quia, et quid dicat non habet, et videt tacendum non esse. *Id.*

22 *Sat habeo*] Quia dilatio facta est. *Idem.*

C. *Sat habeo.* P. *quid facies cedo.* D. *dies mihi ut sit satis vereor*] Ita hæc colloca ex l. s. *dies mihi hic ut satis sit vereor.* et versus procedit, qui est ejusdem generis cum superiore, aliter impeditus est. *Faërnus.*

Ut sit satis] *Ut*, pro ne non. *Donatus.*

23 *Ne vacuum esse me*] *Ne*, pro nedum. aut adverbium est prohibentis: ut sit, *ne non.* Sallustius secundo libro, 'Ne illa tauro paria sint,' pro nedum. *Idem.*

24 *Proinde hinc vos amolimini*] *Amoliri* dicuntur ea, quæ cum magna difficultate et molimine summoventur et tolluntur e medio. sic dixit quasi odioso et molesto. *Discedere* dicitur, qui facile abit e medio: *Amolitur*, qui vix recedit. *Idem.*

Proinde hinc vos amolimini] Molestum impedimentum ex rei magnitudine jacentis in medio, et ideo impedientibus se dixit, *Amolimini hinc*, non, abite. *Idem.*

Proinde hinc vos amolimini] Spe injecta etiam domino imperat servus callidus. *Idem.*

Proinde hinc vos amolimini] Consiliis meis et expeditioni gravis ac molesta est hæc vestra apud me mora, quin amovete vos, si fieri potest. *Farnabius.*

Nam mihi, &c.] Utrum hoc vere dicit, an fingit, qui adhuc consilium non invenit quod narrare possit. *Donatus.*

25 *Hanc*] Glycerium scilicet. et cum miseratione puellæ, *hanc.* Idem.

Quo hinc te agis] Ut tarditatem discedentis ostendat. *Agere se* enim et tardi et tristes dicuntur. Sic Virgilius, 'Amissis remis atque ordine debilis uno, Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat.' Idem alibi: 'Ecce gubernator sese Palinurus agebat.' *Idem.*

Quo hinc te agis?] Admonitio discedentis, ut solet. nam a quo discedere desideramus, admonemus eum quo vadat, vel quo eat. Id facere per interrogationem admonet Davus Charinum, ut ipse abscedat Charinus, qui nunc ultimus remanet. *Idem.*

Quo hinc te agis] Admonitio obliqua ad hærentem non sine tædio Charinum, ut discedat stupidus: aguntur enim bruta. *Farnabius.*

Verum vis dicam] Pro initio sedulæ narrationis hoc sumimus. Ac sic respondet Charinus, tanquam qui intelligat, non dicere velle Davum quo eat: sed id agere ut abscedat. *Donatus.*

Verum vis dicam? immo etiam narrationis incipit mihi initium] Sensum Donatus et Eugraphius tam obscure aggressi sunt demonstrare, ut vix interpretis partes satis h. l. tutentur. Hoc autem videntur voluisse dicere: cum Davus amoliendi Charini causa, interrogasset, 'Quid tu, quo hinc te agis?' atque is, non animadverso Davi proposito, nescio quam narrationem vellet incipere, (id enim notat procemium; 'Verum vis dicam?') Davus, *immo etiam*, respondet, *narrationis incipit mihi initium.* rejiciendo ejus narrationem scilicet, ut intempestivam et importunam. sicut Eugraphius quidem putat. sed Donatus videtur existimasse, hæc postrema submisse et lente a Davo dici, in Charinum. Ego prius illud Charini, *verum vis dicam?* gestu et pronuntiatione adjuvandum arbitror, non tam ut dicere vellet, quo se ageret, sive quo iturus esset, quam ut suam causam denuo commendare Davo tali exordio ἐλλειπτικῷ studeret. Davus, qua erat sollertia, *immo etiam*, inquit, jam scio quo tendas: jam *narrationis tuæ* (hac enim voce sollenne illud exordium perstringit) *incipit mihi initium.* unde Charinum, quod cum apparatu voluerat dicere, confessione τοῦ πάθους in compendium mittit, et *quid me fiet?* interrogat. q. d. ante-

quam hinc discedam, ex te volo discere, quid spei sit mihi reliquum tibique causam meam commendare. tu potes efficere, ut ducam Philumenam. *Bæclerus.*

26 *Narrationis incipit mihi initium*] Narrationis, scilicet, quo eat. quia, *Verum vis dicam*, velut procemium narraturi est. *Donatus.*

Quid me fiet ?] Quid igitur ? inquit. quid de me fiet ? Ab eo hoc, quasi a jocante, pronuntiandum est. nam sic illi imprudens respondet. *Idem.*

Quid me fiet] De Philumena ducenda. *Idem.*

27 *Eho tu impudens*] Proprie Charino dixit *impudens*, quasi insolita et multa poscenti. quippe qui et sponsam alienam petere ausus sit, et non satis habeat, per Davum sibi moram præstitam Pamphili nuptiarum. *Id.*

Quod tibi dieculam addo] *Dieculam*, horam. et est ὑποκόρισμα. *Dieculam*, hoc est, tempusculum : et sumitur ab eo, quod est *hæc dies*. *Diecula*, mora, et quasi parva dies. et *dieculam*, in qua scilicet ambias, quantum poteris, ad ducendam Philumenam. Vult enim se Davus adjuvari per Charinum et Byrriam. *Idem.*

28 *Promoveo*] Differo. *Idem.*

Promoveo nuptias] Memoriter Davus : scit enim illum his verbis petisse, ‘ Saltem aliquot dies profer, dum proficiscar aliquo, ne videam.’ Cujus rei oblitus Charinus, etiam ut ducat uxorem, petit. *Idem.*

Promoveo nuptias] Protraho, differo. *Farnabius.*

29 *Ut ducam*] Scil. fac quæso, effice: sequitur : *ridiculum*. Donatus subaudit hominem: al. caput : actio autem et gestus facit, ut idem sensus emergat qui ante, *eho tu impudens*, &c. negare vult quod rogatur Davus, ut intendat Charini industriam. *Bæcl.*

Ut ducam] Sc. Philumenam. *Farnabius.*

Ridiculum] Deest, *hominem*. Donatus.

Si quid poteris ?] An sub. sc. meam causam juvare ? an περιφραστικῶς si quid poteris venire, id est, si quo modo poteris venire ? *Bæclerus.*

30 *Attamen si quid*] Sc. habueris : hoc enim præcessit : repetit mox : ‘si quid, domi ero,’ id est, si quid habueris, et ad me renuntiare volueris. *Idem.*

Age, veniam] Vix concedentis, vix consentientis est, *Age, veniam*. Donatus.

31 *Dum exeo*] A Glycerio scilicet. *Idem.*

Dum exeo] Sc. ex domo Glycerii, in quam nunc ingrediebatur. *Bæclerus.*

Ita facto opus est] Lege ex ratione versus et libro scripto, *ita facto est opus*. Faërnus.

Scena iii. Senarii sunt Iambici. vs. 5. Mss. omnes : *dolorem*. vs. 8. unus : *malitia atque astutia*. alter : *memoria atque industria*. Argentoratensis, *memoria atque astutia*. vs. 9. omnes : *quidnam incepturus es?* vs. 13. unus : *quia si opus sit ad herum jurejurando mihi*. alter : *quia forte si opus sit ad herum jurejurando mihi.* Argent. *quia si forte opus siet ad herum jusjurandum mihi*. sed τὸ *jusjurandum*, prima sui parte est a secunda manu. vs. 17. omnes : *quid est?* vs. 18. unus : *repudio quod consilium primum intend.* Bæcler.

Nihilne esse proprium cuiquam] *Hæc scena administrationem doli habet, quo fit ut deterreatur Chremes filiam suam Pamphilo dare. Et vide non minimas partes in hac comœdia Mysidi attribui, hoc est, personæ fœmineæ: sive hæc personatis viris agitur, ut apud veteres ; sive per mulierem, ut nunc videmus.* Donat.

1 *Nihilne*] *Ne*, adverbium percunctantis. *Idem.*

Nihilne esse proprium cuiquam] Omne quod habemus, aut mutuum est, aut proprium. Ergo *proprium*, perpetuum : ut Virgilius, ‘ Propria hæc si dona fuissent.’ Ergo nihil nobis proprium esse potest. quod enim non

fuit, nec esse quidem potest. aut quod eripi potest, non est nostrum : nisi illa quæ eripi non possunt, ut sapientia, justitia, prudentia : quæ fortuna neque dare, neque eripere cuiquam potest. Et simul hoc ipsum et a re, et a persona hic ostendit. A re, *Nihilne esse proprium ?* A persona, *Cuiquam*, *proprium*, perpetuum, non temporale ac mutuum. *Idem.*

Proprium cuiquam] Peculiare, perpetuum, sincerum. ut infra act. v. sc. 5. ‘ Cum sciam, nihil esse in vita proprium mortali datum.’ Lucil. apud Non. lib. xxvii. Βέβαιον οὐδὲν ἐν βίῳ δοκεῖ πέλειν. Menander. *Farnabius.*

DI vestram fidem] Admirantis adverbium cum exclamatione. *Fidem* dixit opem et auxilium : ut, ‘ Tyrrhenamque fidem.’ *Donatus.*

2 *Summum bonum esse*] Mire, pro pleno. Et neutro extulit, *summum bonum*. Idem.

3 *Amicum, amatorem, virum*] *Amicus*, animi est : *Amator* vero, corporis. non enim continuo amator est, qui bene vult. ut, Dido amavit quidem Æneam : sed non et amica fuit, quæ ait, ‘ Non potui avulsum divellere corpus, et undis Spargere.’ Et item Catullus, ‘ Cogit amare magis, sed bene velle minus.’ Et est hic officium et blandimentum. Amatorem et virum dixit ad discretionem : ut per ea quæ enumerat, maritum ostenderet. *Idem.*

4 *Paratum*] *Paratum* dixit ad omnes affectus, quicunque de proximo esse possunt, et maxime ad Homericam sententiam respexit : Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοι ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ, Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης. *Idem.*

Verum ex eo] Id est, Pamphilo. *Id.*

Nunc misera quem capit laborem] Cum admiratione pronuntiat *quem*, et cum exclamatione quadam. *Idem.*

Quem capit dolorem] Multi libri scripti, etiam antiqui, habent, *quem capit laborem?* ita legit et Donatus, licet variare videatur, ita Eugraphius, qui hic *laborem* accipit pro dolore, sic ut periculum pro temptamento. *Faërnus.*

5 *Dolorem*] *Dolorem* distinxit probe : et post intulit separatim quod sequitur, ‘ Facile hic plus mali est,’ in dolore et metu scilicet amittendi, ‘quam illic boni,’ in voluntate retinendi. *Donatus.*

Facile hic plus mali est, quam illic boni] *Facile*, adverbium confirmantis est, id est, liquido et manifesto. Veteres dicebant, *facile*, pro certo. Ut Cicero, ‘ Illius civitatis facile princeps.’ *Idem.*

Facile hic plus mali est] *Plus mali*, in dolore et metu, ut diximus. *Idem.*

Facile hic plus mali est] Certe plus doloris exoritur a metu amittendi, quam fuit gaudium in voluptate et spe potiundi. *Farnabius.*

Quam illic boni] In summo bono. Dicit enim, ex bonis quæ bona existimamus, plus nos mali capere, cum aut amissuros nos credimus, aut amittimus : quam boni, cum habemus. *Donatus.*

Quam illic boni] Id est, in amico, amatore, et viro. *Idem.*

6 *Mi homo, quid istuc obsecro est*] Ex Mysidis verbis, quid Davus faciat, demonstratur. *Idem.*

Quid istuc obsecro est] Involutum puerum portabat Davus : et ideo dicit mulier : ‘ Quid istuc obsecro est ?’ Tum ille evolvit puerum, et profert : quem postquam expedivit, tum illa dixit, ‘ Quo portas puerum ?’ *Id.*

7 *Quo portas puerum*] Glycerii infantem involutum profert in scena Davus, traditque ancillæ, quasi puerum mater ante Simonis fores exponi curasset. *Farnabius.*

Mysis, nunc opus est] Hæc scena actuosa est. magis enim in gestu, quam in oratione est constituta. *Donatus.*

Mysis, nunc opus est] Properantis et impense agentis Davi verba mon-

strantur. *Idem.*

Mysis nunc opus est, &c.] Sc. ad id quod sequetur, ut orationi meæ subservias verbis : id enim inter apparatum doli distulit in sequentia. *Bæclerus.*

8 *Exprompta*] In medium prolata. *Donatus.*

Exprompta memoria] Ut videantur non ex composito et studio præmeditati dolum hunc dolare, sed ex tempore omnia facere ac dicere. ut mox sc. 6. ‘Paulum interesse censes,’ &c. *Farnabius.*

Expromta memoria atque astutia] Pro *memoria* legendum omnino *malitia*, qua voce nulla est ad hanc rem aptior. Sic in libro Vaticano scriptum, sic in Basilicano; sic et Eugraphius legerat in suis exemplaribus: id et Faërnus monuit, et Faërnum nemo audiit. Ipse autem audio, et sequor libens. *Faber.*

Memoria atque astutia] *Memoria*, ut præcepta Davi retineat. *Astutia*, ad agendum strenue quæ imperet. *Donatus.*

Memoria] Simpliciter magis, ut memor sit Davi præceptorum. Et *memoria*, modo pro intelligentia. ut Virgilius, ‘Instamus tamen immemores.’ *Idem.*

Memoria atque astutia] Liber Vaticanus et Basilicanus, pro *memoria* habent *malitia*. et aliqui alii. ita legit et Eugraphius. in aliquibus corrupte legitur *militia*. Faërnus.

11 *Ex ara hinc sume verbenas tibi*] *Ex ara*, scilicet Apollinis, quem δήλιον Menander vocat, aut quod Apollini comœdia dicata est : in cujus honorem aram constituebant, comœdiam celebrantes. Apollini ergo comœdia, Libero patri tragœdia. *Donatus.*

Sume verbenas tibi] *Verbenæ*, quasi *herbenæ*, redimicula sunt ararum. *Idem.*

Tibi] Τὸ *tibi*, quasi gestum quendam et motum stomachantis habet : ut alibi, *Quid vis tibi?* Et *tibi sume*, dixit : non *tibi substerne*. Idem.

Ex ara sume verbenas] *Verbenæ*, sunt omnes herbæ frondesque festæ ad aras coronandas. vel omnes herbæ frondesque ex aliquo loco puro decerptæ. *Verbenæ* autem dictæ, quasi *herbenæ*, sic Menander * ΚΟΔΕξΙΑC-CΤΜΥΡΡΤΝΑCΧΧΗCΔΙeΤeΙΝe.* *Id.*

Ex ara hinc sume] In scena, inquit Jul. Scalig. I. Poët. c. 21. duæ fuerunt aræ ; Dextra Baccho in tragœdia: Apollini in Comœdia. Sinistra, ei cui fiebant ludi. in iis aris verbenæ imponebantur Apollini, ut est in Andria Terentiana, Baccho hederæ. *Farnabius.*

Verbenas tibi] Verbena est ἱεροβοτάνη : *sagmina* prisci vocabant. Hac de loco sacro Capitolii sumpta coronabantur feciales, et Pater patratus, fœdera facturi aut bellum indicturi : hoc nomine et omnes sacræ frondes appellantur. *Idem.*

12 *Quamobrem id tute non facis*] *Tute* tunc dicitur, cum pronomen ad eam revocatur personam, a qua sumitur. ut verbi gratia, cum dicimus, ‘Tu lege ;’ ille nobis respondeat, ‘Cur tute non legis.’ *Donatus.*

13 *Quia, si forte opus sit ad herum jurandum mihi*] Sic locutus est ut explicari atque intelligi non possit. aut enim deest *jus*, ut sit *jurandum* pro *jusjurandum* : aut (ut vulgo dicitur) *juramentum*. Et *opus est illam rem:* non *opus est illa re.* Idem.

Quia si forte opus ad erum jurandum mihi] Post *opus* deest verbum *sit*, quod in omnibus scriptis est, et videtur necessarium. *Faërnus.*

Quia si opus sit ad her. &c.] Duo agit poëta : primo, ut specimen servilis calliditatis ostendat ; deinde, ut διασυρτικῶς traducat. Cavillationes istæ in jurejurando non dissolvunt, sed distringunt perjurium. quod proposito pejerandi constat. itaque ancilla, *novæ religionis* exprobratione, veterem malitiam nunc quoque se

agnoscere haud obscure indicat. *Bæclerus.*

14 *Ut liquido possim*] *Liquido*, pure et manifeste. Nam quæ sunt pura et defæcata, liquida sunt. *Donatus.*

Liquido possim] Sincere, pure, sine exceptione, aut conscientiæ scrupulo. *Farnabius.*

15 *Nova nunc religio*] Bene. jusjurandum metuere servum, monstri simile est. *Donatus.*

Nova nunc religio] Servum nolle mentiri, nova religio est. *Idem.*

Nova religio] In servo et *subita*. *Idem.*

Nova nunc religio] Hunc versum citat Augustin. I. l. c. de ordine. *Farnabius.*

Cedo] Porrigentis est manum. *Donatus.*

16 *Porro intelligas*] *Porro*, modo adverbium est ordinis : alias temporis. *Idem.*

17 *Pro Juppiter. M. quid*] Addatur verbum *est*, ex o. l. s. ita ex *quid* d eliso, factaque synalœpha, versus procedet. *Faërnus.*

Sponsæ pater intervenit] Mire non dixit, *Chremes :* ne quum dixisset, quis Chremes? rursus hic responderet, sponsæ pater. et non temere hoc facit poëta ; nam promiserat se rediturum domum Chremes, ‘Domum modo ibo : ut apparentur dicam : atque huc renuntio.’ *Donatus.*

18 *Repudio consilium quod primum intenderam*] Antiqui libri ita collocant, *repudio quod consilium p. i.* Faërnus.

Quod primum intenderam] Verbum a venatoribus translatum, qui retia intendunt ad feras captandas. Quia ergo parat Chremem et Simonem fallere, *intenderam* dixit. Vel a sagittis atque arcu. *Donatus.*

19 *Nescio quid narres*] Bene *narres*. *Narrare* enim aliena, et quæ nobis non sunt necessaria, dicimus. *Idem.*

Ego quoque] Bene ait *quoque :* quia et Chremes veniebat. *Idem.*

20 *Tu ut subservias*] Recte, *ut subservias*, dixit. non enim tantum loquitur Mysis, quantum Davus. *Idem.*

21 *Orationi, utcumque opus sit verbis*] Tuis verbis orationi meæ. plura enim loquetur Davus, inde *orationi* dixit. illa subsequetur, ideo *verbis*. *Idem.*

Vide] Cauta esto, intellige, specta. *Idem.*

23 *Quod mea opera op. sit v.*] Videtur recto casu accipiendum : ob quod mea opera opus sit vobis. alii sexto casu malunt. *Bæclerus.*

Aut tu plus vides] Si sapis, intelligis. *Donatus.*

24 *Manebo*] Nam dum ejus *astutia* opus esse dixit, itemque *orationi verbis subservire* jussit, manere etiam voluit. hinc respondet illa : *manebo*. Bœclerus.

Remorer commodum] *Remorer*, retardem, retineam. *Remorari* a remora pisce minutissimo, qui naves retinet. nam Græce ἐχενηΐς vocatur. *Donatus.*

Scena iv. Senarii sunt Iambici, nisi quod in uno et altero varietas codicum dubitationem affert. vs. 11. duo Mss. nostri : *qui hic n. al. videam.* vs. 12. omnes : *dicturane es quod rogo ?* vs. 16. omnes : *mulier si faciat meretrix.* v. Faërn. vs. 26. omnes : *cujus nostri?* vs. 34. duo non habent τὸ *Chremes.* vs. 37. unus : *jamnunc ego in mediam viam.* vs. 42. omnes : *eho obs.* vs. 45. unus : *an hic tu omnia ?* alter : *hæc tu omnia.* tertius : *ha nondum omnia.* vs. 50. ut edidimus. vs. 51. unus : *attigas :* duo, *attingas.* vs. 54. omnes, omisso τῷ *hem*, tantum; *prædiceres.* vs. 55. omnes : *paululum.* Bœclerus.

Revertor] *Adest nunc ipse Chremes, cujus causa scena fraudibus instructa est, ne promissas compleat nuptias.* Donatus.

1 *Revertor*] Summo artificio Chremetem circumvenit Davus, quo illum a nuptiis deterreat. *Farnabius.*

2 *Ut jubeam accersi*] Recte *jubeam*: quia summa potestas nuptiarum in patre puellæ est. *Donatus.*

Ut jubeam accersi] Sc. sponsam et cognatos in domum Simonis. *Bæclerus.*

Sed quid hoc] Non interrogantis, sed mirantis et non intelligentis est. et apparet eum non oculis prius, quam corporis offensu puerum sensisse latentem. *Donatus.*

3 *Puer hercle est*] Ornativa particula est *Hercle.* Idem.

Mulier] Magis quam Mysis. *Idem.*

Mulier. tun' apposuisti] Annotatur apud Donatum: 'Mulier magis quam Mysis.' Sed quomodo potest hoc dici, cum Chremes ignoraverit, cujus esset hæc ancilla, nedum quo vocaretur nomine? itaque postea demum agnoscit Glycerii ancillam esse. vs. 17. 'Ab Andria est ancilla hæc, quantum intelligo.' *Bæclerus.*

Ubi illic est] Davum quærit, qui nunc abscessit, ut et ipse de foro venire videatur. *Donatus.*

4 *Non mihi respondes*] Bene, *non respondes.* Se enim memor est vetitam quidquam dicere, nisi subserviat orationi Davi. *Idem.*

5 *Reliquit homo me*] Mire *hominem*, non *Davum* dixit: ut etiam si audiat Chremes, incertam personam hominis audiat, non Davum. *Idem.*

Homo] Davus, qui recesserat, ut de foro venisse videatur; namque hoc agit, ut ipse videatur simplex et ignarus, atque ut Pamphili amor prodatur Chremeti. *Farnabius.*

Di vostram fidem!] Adverbium admirantis cum exclamatione. *Donatus.*

6 *Quid turbæ est apud forum*] Hæc verba sunt venientis de foro. *Idem.*

Quid illic hominum litigant] Legitur et *litigat.* Idem.

7 *Tum annona cara est*] Comminiscentis est potius, quam alicui referentis. *Idem.*

Quid dicam aliud] Hoc post spectatores. *Idem.*

Quid dicam aliud nescio] Hæc ad spectatores conversus dicit. suamque ipse technam indicat. in theatro enim omnes omnia resciscunt: ita ut, quæ personæ colloquentes se invicem celant, spectatoribus patere debeant. *Bæclerus.*

8 *Cur tu obsecro hic me solum*] 'Αποσιώπησις tertia. *Donatus.*

Cur te obsecro, &c.] Aposiopesis, obstruente illi os Davo et multa simul interrogante. *Farnabius.*

Fabula] Fabulam se dicit audire, qui rei principium rationemque ignorat. *Donatus.*

9 *Eho*] *Eho* interjectio est vel principium animadversionem in se poscentis, aut repente cernentis. *Id.*

10 *Quem igitur rogem*] Post *quem*, o. l. s. habent pronomen *ego*: quod in scansione in unam syllabam contrahendum, et per synalœpham abjiciendum est. *Faërnus.*

11 *Qui hic neminem alium video*] Callide affirmat non sibi visum Chremem, cum et præviderit venientem, et præsentem videat. *Donatus.*

Qui hic neminem alium video] Ita et Donatus; sed o. l. s. Terentii *videam.* Faërnus.

Qui hic neminem alium video] Dissimulat sibi visum Chremetem. *Farnab.*

Miror unde sit] *Miror* veteres cum *unde*, pro nescio ponebant. nam admiratio ab ignorantia descendit. Plautus, 'Ne quis miretur qui sim, paucis eloquar.' *Donatus.*

Miror unde sit] Dilutum nimis esse videtur Donati τὸ *nescio*, quo *miror unde* explicat. Davus enim admirabundus vultum cogitantis præfert, et inquirere se ostendit, unde sit hic puer. *Bæclerus.*

12 *Dicturan quod rogo*] Liber Victorianus, *dicturan es*: alii omnes, *dictura ne es*, itaque Priscianus citat ibro xv. versus autem sustentatur vel abjectione s ex *es*, vel d ex *quod.* primo modo, secundus pes erit anapæstus, tertius iambus; altero secundus erit iambus, tertius anapæstus. *Faërnus.*

Au] Interjectio consternatæ mulieris. *Donatus.*

Concede ad dexteram] Et bene *dexteram.* sinistra enim venit Chremes: et non vult proximum ei Chremetem, sed juxta. supra enim dixit, 'Ego quoque hinc dextera venire me adsimulabo.' *Donatus.*

Dexteram] A sinistra enim stabat Chremes, quem omnia audire nondum vult. alia quippe clare, alia dici jubet suppresse. *Farnabius.*

13 *Deliras: non tute ipse*] Deest, eum mihi dedisti. Sed et supra, et nunc interturbat Davus, ne mulier totum dicat. *Donatus.*

Non tute ipse] Submissa voce. *Id.*

Verbum si mihi unum] Accommodate comminatur Davus: pene enim Mysis universa narrabat. *Idem.*

Verbum si mihi] Hoc ipse voce submissa. *Farnabius.*

14 *Præterquam quod te rogo*] Hoc est, sensim, et ut senex sentiat, pronuntiari potest. *Donatus.*

Faxis, cave] Gestu comminantis est, et vultu: ut suspenderet comminationem, deinde inferret gestum. Ordo, *Cave faxis.* Idem.

15 *Male dicis*] Cum contemptu loqueris, convitium facis. Apparet ergo, *Maledicis* lentius esse dictum, quum subjungit, *Dic clare.* Idem.

Male dicis] Nove *Male dicis* pro comminatione posuit, quum pro convitio soleat poni. Nisi forte, quia contumeliæ genus est comminatio. Quidam putant esse unam personam, Davi scilicet, dictum superius Mysidis, non satis manifestum Chremi, in maledicti similitudinem derivantis. *Idem.*

Unde est? dic clare] Hic expressius dixit. *Idem.*

Unde est? dic clare. M. a vobis] Non fere invenias librum ullum scriptum, qui non habeat, *a nobis*: quemadmodum etiam Donatus legit, ita dicens, 'Quia,' &c. Ceterum qui *a vobis* legunt, ex eo falsi sunt, quod *unde est*, acceperunt pro, *cujus est.* quod si ita intelligeretur, jam illud quod infra dicitur, 'Cedo, Cujum puerum hic adposuisti?' ut geminatum, supervacaneum esset. Duo ergo Davum interrogare dicendum est, unum unde sit puer, id est, ex cujus domo exportatus, ad quod Mysis respondet, *a nobis*, id est, ex domo nostra: ut revera erat: alterum, Cujum puerum adposuerit ante ædes Simonis: ad quod illa respondet, Pamphili: quod vero Davus Mysidem, cum respondisset, *a nobis*, impudentiæ insimulat, ad id respicit, quod infra dicturus erat, 'Quem ne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?' in eo enim videri vult eam accusare, quod puerum, ut ipse vult credi suppositum Glycerio, adposuerit ante ædes Simonis, tanquam filium Pamphili. *Faërnus.*

A vobis] Quia *a vobis* parum intelligebatur, hic addidit morem meretricis, ut vel sic intelligat senex. *Donat.*

13. 14. 15 Lentius quædam a Myside et Davo dicuntur: quibus raptim ad occultandam fraudem ingestis, Davus instat interrogando: *unde est, dic clare?* τὸ *male dicis*, quod præcedit, aliqui Davo tribuunt, teste Donato, sed cum aliter, quam ille facit, explicandum fuerit. quasi scilicet illud, *deliras, non tute ipse?* Mysis clare dixerit; dictique veritatem Davus in suspicionem maledicti a deprehensa et irata muliere verterit. Tota hæc scena est actuosa: et plurima ostendit vultu, gestu, pronuntiatione. *Bæclerus.*

16 *Mirum vero*] Sæpe ad εἰρωνείαν refertur. *Donatus.*

Impudenter mulier si facit] Bono ordine locutus est. primo enim, causa impudentiæ natura est, deinde conditio. *Idem.*

Mirum vero, impud.] Εἰρωνεία est, sed cum indignatione conjuncta, quæ

erumpit vs. 18. *Bœclerus.*

17 *Ab Andria est ancilla hæc*] Effecit quod volebat Davus. nam intellexit Chremes, ex qua sit Pamphilo natus puer. *Donatus.*

18 *Adeone videmur vobis esse idonei*] *Idoneus* est aptus ad omnia, et bona, et mala. *Idem.*

Adeon'] Adeone, an adeone ad eum? *Idem.*

19 *In quibus sic illudatis*] Et *illudo in te*, septimo casu: et *illudo te*, accusativo dicimus. sed in primo supervacuum est: ut sit, quibus illudatis. *Idem.*

Veni in tempore] Cum provisus sit, intervenisse putat. *Idem.*

Veni in tempore] Opportune. nos sine præpositione dicimus, *tempore* et *tempori.* Idem.

20 *Propera adeo puerum tollere*] Hic versus clare dicitur: sequens, ne senex audiat, presse. *Idem.*

21 *Cave quoquam ex istoc excessis loco*] Necessario Davus retinet Mysidem. nondum enim omnia audivit Chremes, nondum comperit unde sit mulier, et puer de quo susceptus sit. *Excessis*, pro excedas: ut *faxis*, pro facias. *Idem.*

20. 21] Clare jubet puerum tolli Davus: cui cum parere Mysis vellet, non audiente sene, *mane*, inquit, *cave quoque, &c.* Bœclerus.

Cave, &c.] Hoc ipse voce submissa. *Farnabius.*

Excessis loco] Excesseris, excedas. *Idem.*

23 *At etiam rogas*] Rursum jurgium repetit, et turbulentam orationem. *Donatus.*

24 *Cedo*] *Cedo* idem significat quod dic, et da mihi. Ergo repetitionem significat, non supervacuam orationem, et est dictum cum quadam fiducia, et contemptu ejus, cum quo sermo est, interrogantis aliquid. *Idem.*

25 *Mitto id quod scio*] Hoc lentius et submisse. *Idem.*

26 *Vestri. cujus? nostri? Pamphili, &c.*] Τὸ *nostri* etiam Donatus et Eugraphius agnoscunt. interrogat autem crebrius, ut nomen Pamphili Chremeti inculcetur. qui etiam statim hoc audito, veluti in plenam rei notitiam deductus, *recte ego semper*, inquit, *fugi has nuptias.* Bœclerus.

Hem! quid? Pamphili] Apparet mulierem *vestri* et *Pamphili* lentius pronuntiasse, quam Davus vellet: et ideo nunc repetisse nomen *nostri* et *Pamphili.* Donatus.

Hem! quid? Pamphili] Duas res operatur Davus simul, et ut ignarissimum se ostendat, et ut Pamphilus nominetur. Et argute repetit nomen Pamphili; quasi per indignationem, ut soceri auribus, adolescentis nomen inculcet. metuit enim, ne non audiat velut senex. *Idem.*

Pamphili] Repetit nomen Pamphili quasi cum indignatione: verum ut id diserte audiat Chremes. *Farnabius.*

27 *Recte ego semper fugi has nuptias*] Et hic efficit quod voluit Davus, ut Pamphili Chremes puerum esse cognoscat, et recuset generum. *Donatus.*

Has] Id est, hujusmodi. *Idem.*

28 *O facinus animadvertendum*] Ἀποσιώπησις quarta. *Donatus.*

Quid clamitas!] Clamavit enim Davus, ut puerum audiret Chremes. *Idem.*

29 *Quemne ego heri vidi ad vos adferri vesperi!*] Vult negando irritare mulierem ad confirmanda quæ vult. *Idem.*

Quemne ego heri vidi ad vos afferri vesperi] Id est, eum ne quem, &c. audaci mendacio urget Mysidem ad veritatem proferendam. quod cum illa cœpisset facere, impudentem ejus audaciam accusando, respondet: *verum.* id est, verum est quod dixi. expectabatur repetitio oculati testimonii, *ego vidi.* a quo dilapsus de industria Davus, *vidi*, inquit, *Cantharam suffarcinatam.* unde nondum conficitur, quod dictum erat. neque sane hoc confici volebat. sicut ex toto

mimo apparet. Dicendum tamen aliquid erat, quod a corruptis Atticorum moribus non abhorreret. in quibus crimen suppositi partus non adeo insolitum fuisse, festive Aristophanes κωμῳδεῖ in Θεσμοφοριαζούσαις. *Bœclerus.*

Quemne ego, &c.] Supposititium innuit infantem adlatum. *Farnabius.*

30 *O hominem audacem*] Exclamatio Mysidis, testimonium veritatis est. *Donatus.*

Verum vidi Cantharam suffarcinatam] Vide infirmum argumentum: prius, *vidi puerum afferri*, dixit, post, non puerum, sed *Cantharam suffarcinatam: Canthara*, nomen est anus. Et hoc dicit, ut leviter redarguat Mysidem, non ut vincatur. hoc enim vidisse se innuit, *Cantharam suffarcinatam*, non puerum portantem. *Idem.*

Cantharam suffarcinatam] Anum crassam et suffarcinatam, ut quæ puerum una attulerit, quem Pamphili filium esse prætenderent. vid. Adelph. act. II. sc. 1. Pet. vero Nannius, ut et F. Lindenbrog. *cantharam* legi volunt, ex recepto Athenis more exponendi quicquid natum nollent in fictilibus vasis, corbibus, aut sportulis. χύτραις, vel λείκνοις. Aristot. VII. l. Polit. c. 16. Aristoph. in Ranis de Œdipode exposito. Callimachus Hymn. in Jovem. *Farnabius.*

Suffarcinatam] Proprium est anibus suffarcinatas esse. ut Persius, 'Pannucia Baucis.' Et Plautus, 'Doliarem, claudam, crassam.' *Donatus.*

32 *Cum in pariundo aliquot adfuerunt liberæ*] Indicium secuta confirmatio est, quam expressit Davi refutatio. Superest etiam ut et concludatur effectus doli, negante Chremete se daturum filiam: quod subinde efficit Davus dolo. *Idem.*

Aliquot liberæ] Nec paucæ, nec multæ. *Idem.*

Liberæ] Testimonia libera contra servum. Et hoc proprium Terentii est. nam de Romano more hoc dixit. *Idem.*

Liberæ] Quæ testimonium super vero partu perhiberent, natum sc. ex Glycerio, non allatum. *Farnabius.*

33 *Ne illa illum*] *Ne*, valde. Cicero, 'Ne illi vehementer errant.' *Donatus.*

Ne illa illum] Chremetem scilicet. *Idem.*

34 *Chremes si positum puerum*] Ἐν ὑποκρίσει. Et est μίμησις. transit enim a mixto ad imitativum characterem. *Idem.*

Chremes, si positum puerum] Μίμησις, quando aliqua verba sic pronunciamus, ut vana videantur. *Idem.*

Chremes si positum p. &c.] Scil. ita ratiocinatur, quæ hoc incepit. μιμητικῶς. nam hæc figura in dramatico genere, præsertim ut quidque actuosius exhibetur, perpetua est. ita mox vs. 41. 'Coactus legibus eam uxor ducet.' *Bœclerus.*

36 *Non hercle faciet*] Bene enim de se tertiam personam fecit, ut supra, 'At nunc faciet.' *Donatus.*

Ut tu sis sciens] Eloquenter, sic enim veteres pro *scias* dixere. *Idem.*

37 *Ni puerum tollis*] O. l. s. *nisi.* Faërnus.

In mediam viam provolvam] Bene *in mediam viam*: quia ante fores positus jacebat. *Donatus.*

38 *Teque ibidem pervolvam in luto*] De proximo παρόμοιον repetit. Et quando nomina sunt, παρονομασία: quando verba, παρόμοιον dicitur. *Id.*

Pervolvam] Id est, porro volvam: et dolo quidem minatur, quod facturus non est: verum sedulo id agit, ut jam puer tollatur e medio, simul cum servat Chremeti, ut ipse recuset generum, non ut a quoquam passus videatur injuriam. *Idem.*

Provolvam] Nannius legit *proluam.* tanquam scropham in volutabro. *Farnabius.*

39 *Tu pol homo non es sobrius*] *Sobrius*, est sanæ mentis, quasi *sebrius*, hoc est, ab ebrio separatus, secretus, separatus ab iis qui discernuntur. *Donatus.*

Fallacia alia aliam trudit] Proverbium. cui subjacet, *memorem mendacem esse oportere.* Idem.

41 *Civem Atticam esse hanc*] Transit ad imitationem. *Idem.*

Legibus] Lex erat: 'Η βιασθεῖσα, ἢ γάμον, ἢ θάνατον αἱρείσθω τοῦ βιασαμένου. *Farnabius.*

42 *Eho*] Interjectio est conturbatæ mulieris. *Donatus.*

Eho obsecro] Donatus legit *au*, dicens esse interjectionem perturbatæ mulieris. *Faërnus.*

43 *Jocularium in malum*] E contrario pro gravi, et molesto, ac nimio. *Jocularium* igitur κατ' ἀντίφρασιν. *Donatus.*

44 *Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus advenis*] Principium loquendi Davus Chremeti dat, perfecturus quæ ipse conatus est. *Idem.*

Per tempus advenis] Idem est *per tempus*, quod in tempore: aut certe *per tempus*, tempestive. *Idem.*

O Chreme, per tempus advenis] Astute, quasi eum nunc primum viderit. *Idem.*

45 *Audivi omnia*] Omnes fere libri, et in his plerique antiquiorum, *audivi jam omnia.* versu etiam id postulante. *Faërnus.*

Ah, ne tu omnia] Aut *ne* pro non legitur. aut *ne tu omnia*, ut *ne* producatur, et accipiatur pro non. *Donatus.*

Tu omnia] Audisti, subauditur. *Idem.*

46 *Audistin' obsecro? hem*] Exultans Davus infert, et inculcat, frequenter repetendo. *Idem.*

Audistin' obsecro? hem] Difficile credendo, affirmat se non scivisse præsentem Chremetem, ut hac confirmatione nihil illum de se faciat suspicari. *Idem.*

47 *In cruciatum*] Non in crucem, sed cruciatum. *Idem.*

48 *Hic ille est*] Cum ἐμφάσει, quasi vir magnus: sed hoc, Chremetem ostendens, dicit cum εἰρωνείᾳ. *Idem.*

Hic ille est] Libri omnes et Donatus, *hic est ille*, et τὸ *hic* præcedenti versui in scansione attribuitur. *Faërnus.*

Hic ille est] Chremes κατ' ἐξοχήν. *Farnabius.*

Non te credas Davum ludere] Virgilius: 'Non Diomedis equos, non currus cernis Achillis?' *Donatus.*

49 *Mi senex*] Bene *senex*, quia quasi alienior est, et ignotus Mysidi. *Idem.*

Mi] Suppalpatio muliebris. *Idem.*

50 *Novi rem omnem. sed est Simo intus? D. est*] L. s. o. *novi omnem rem:* particula vero *sed* non est in antiquis libris: versus autem est dimeter iambicus. *Faërnus.*

51 *Ne me attingas*] Quædam ostenduntur aperte in comœdiis: quædam ex aliis personis intelliguntur. *Donatus.*

Attigas] Ab *attigo* pro attingo. post Chremetis egressum Davus gestiens præ lætitia ludos facit Mysidi et blanditias. *Farnabius.*

Si pol Glycerio non omnia hæc] 'Αποσιώπησις tertia, quod alienæ personæ interventu reticeatur. Fiunt autem ἀποσιωπήσεις, id est, reticentiæ, tribus modis. Aut enim tacet per se ipsum, et ad alium transit: et est prima. aut tacet, nec ultra aliquid dicit: et est secunda. aut alterius interventu personæ silet: et est tertia. *Donatus.*

52 *Nescis quid sit actum*] *Nescis* plerumque dicitur ei, non quem volumus redarguere imperitiæ aut ignorantiæ, sed quem facere volumus ut velit libenter audire. *Idem.*

Quid sciam] O. l. s. *qui sciam.* Faërnus.

53 *Alio pacto haud pot. f. ut sciret h. q. v.*] His verbis omne fraudis mysterium revelavit Poëta: quod εἰς τὸ δηλοῦν τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων studiose facit. *Bœclerus.*

54 *Ut sciret hæc quæ volumus. prædiceres*] Hunc versum sustentamus dissolutione ex diphthongis, alterius quæ

in hoc versu sunt. *Faërnus.*

Hem prædiceres] Τὸ *hem* non reperitur fere in Mss. itaque Gabr. Faërnus dissolutione diphthongi sustentandum existimat versum. ceteri, metri causa, τὸ *hem* libenter admiserunt. quorum exemplum an debuerim sequi, nescio: sed secutus sum. ita tamen ut nihil pertendendum ac ne contendendum quidem, existimem. *Bœclerus.*

55 *Paulum interesse*] Nove, pro multum. Et est ταπείνωσις σχῆμα. *Donatus.*

Ex animo omnia, ut fert natura, facias] Figura ἐπεξήγησις. Nam quid est *ex animo*, nisi, *ut fert natura?* Et hæc sententia a Terentio ἐρωτηματικῶς prolata est, quam Menander ἐπιδεικτικῶς posuit. *Idem.*

56 *Ut fert natura*] Hoc est, naturalis et ingenita actio. *Idem.*

An de industria] Id est, scientia et providentia. ea enim quæ discimus et scimus, operatione genita et industria quadam scimus. ut Virg. 'Et cui putre solum (namque hoc imitamur arando.)' *Idem.*

SCENA V. Senarii sunt Iambici. vs. 2. omnes Mss. nostri: *quæ sese inhoneste optavit parare hic divitias potius, &c.* vs. 6. omnes: *consobrinus.* vs. 8. unus geminat τὸ *hem.* vs. 9. omnes: *Satin recte? nosne ut q. ai.* vs. 12. unus prima manu *attuli.* v. Fr. Guyet. vs. 14. omnes: *semper ejus dicta est hæc (hæc est) atque habita est soror.* vs. 18. omnes: *amicum et defens. ejus.* vs. 22. unus: *optime hospes pol morem antiquum Crito obt.* duo: *opt. h. pol Cr. antiquum morem obtines.* Bœclerus.

1 *In hac habitasse platea*] *In hoc loco persona ad catastrophen machinata, nunc loquitur. Nam hic Crito nihil argumento debet, nisi absolutionem erroris ejus: simul ex verbis suis, quam gravis, quam modestus, quamque justus sit, ostendit.* Donatus.

In hac habitasse] Non *habitare:* sed quia mortua est, *habitasse* dicit. *Idem.*

In hac, &c.] Παρασκευὴ ad Catastrophen fabulæ, ex interventu Critonis. *Farnabius.*

Platea] Græci πλατεῖαν dixerunt, quam nos *plateam* dicimus. Secundum formam ejusmodi, Μηδεῖαν et *Medeam*, σπονδεῖον et *spondeum* scribimus. *Donatus.*

2 *Quæ sese inhoneste optavit*] *Optare*, est unum de duobus eligere. Virgilius, 'Pars optare locum tecto.' *Idem.*

Quæ se inhoneste optavit parare hic divitias] Ex o. l. s. et Donato geminamus pronomen *se;* pro *parare* autem, *parere* habent omnes libri antiquiores et aliqui alii, tam Terentii, quam Prisciani hunc locum citantis. atque ita ratio versus requirit. *divitias* autem per synizesin, coëuntibus vel duabus primis syllabis vel duabus extremis, contrahitur in creticum. ita remanet iambus in fine. atque hoc modo sæpe ab Terentio et Plauto usurpatur hæc dictio. *Faërnus.*

Quæ se inhoneste optavit parere hic divitias] Male. Legendum, ut in aliorum editionibus, et Faërni maxime, *Quæ se se inhoneste optavit parere hic divitias.* In editione Mureti est: *Quæ se inhoneste optavit parere hic ditias.* Vitiosus est in primo pede, nisi si nulla est synalœpha. Ceterum *divitias* in fine versus est trisyllabum, per synizesin. Nam illud *ditias* Goveani, quod probat Muretus, haud equidem probem, etiamsi dicatur *dites* pro *divites*, et *ditior* pro *divitior*, et *ditare*, et *Dis* Pater pro Plutone Græcorum: hæc nihil sunt. Detur modo unicum exemplum, ipse manus dedero. Dein nihil necesse est, ut jam dixi; figura enim versum expedit. *Faber.*

Quæ se inhoneste, &c.] Quæ patriam, paupertatem, pudicitiam fugit. *Farnabius.*

Parare hic divitias potius] Animo heredis dixit *parare divitias.* Donatus.

3 *Quam in patria*] Primum dolet Crito, quod meretrix fuit Chrysis. secundo progressus, queritur quod mortua est. Et nota quod tria dixit Crito contempsisse Chrysidem: patriam, honestatem et paupertatem. Τὸ πρέπον etiam servatum est gravi viro, quum illum sobrinæ pudet. simul hic ostenditur ejus generis fuisse Chrysidem, ut quæ probe vivere potuerit, nisi, ut ait, necessitas cogeret. *Idem.*

Quam in patria honeste] Ἀντίθετον primum. *Idem.*

In patria honeste pauper vivere] His verbis a poëta jam honestus inducitur Crito, et dignus cui credi oporteat. *Idem.*

Pauper vivere] Ad illud reddidit, 'Sed inopia et cognatorum negligentia coacta.' *Idem.*

Potius quam in patria paupera vivere] Hanc lectionem planissime improbo. Scribendum *pauper:* sic olim Donatus, sic Probus, sic et Servius, sic et Priscianus legerunt; sic denique et Faërnus in Mss. invenit. *Faber.*

Potius quam in patria honeste] Ita et Donatus, et antiquiores libri Terentii, sed omnes alii, *potius quam honeste in patria.* Faërnus.

4 *Ea ad me lege redierunt bona*] Hic jus tractavit dicendo *redierunt:* quia in familiam redeunt, si non est heres de proximo, aut ex testamento. *Donatus.*

Bona] Redire dicitur hæreditas, quæ tum primum defertur. in familiam redeunt, si non est hæres de proximo, aut ex testamento. *Farnab.*

5 *Perconter*] Interrogatio est, cui necessario respondetur, aut *etiam*, aut *non.* Percontatio, cui nihil horum. Ut si quis dicat, Ubi habitabat Chrysis, dicatur, Ecce hic. Percontatio, ut si quis dicat, Cur adulterium commisisti? Simul etiam modeste et mature, et de se nihil interrogaturus, cœpit a blandimentis. *Donatus.*

6 *Est ne hic Crito sobrinus Chrysidis*] *Sobrini* sunt consobrinorum filii: nam sic dicit Menander: verum ut alii putant, de sororibus nati, ut sint *sobrini*, quasi sororini. *Idem.*

7 *Salvus sis, Crito*] *Salvus*, asseveratio salutantis est, non quasi responsio. *Idem.*

8 *Itane Chrysis? hem*] Non nunc interrogat, sed commiseratur: et ita sequebatur ut diceret, periit. sed magis gemitus significat, quod minus dixerat. *Idem.*

Nos quidem pol miseras perdidit] Hic intelligitur, supra subaudiendum *periit.* Nam pro *periit*, hæc reposuit, *perdidit.* Idem.

Itan Chrysis? &c.] In verbis Critonis sub. *periit.* ad quod Mysis, cum affectu, ejus morte afflictam domum ostendit. *Bæclerus.*

9 *Quid vos? quo pacto hic*] Progressio loquentis ad interrogandum. Id est, puto, inquit, quod illa periit: vos autem quo modo? *Donatus.*

Quo pacto hic] Significatio est peregrinantis. *Idem.*

Quid vos, quo pacto hic? satin recte? nos ne? sic] Ratio versus exigit ut *satine* legatur. quæ vox non minus quam *satin* Terentio est familiaris; aut in *pacto* non fiet synalœpha. ex *satin* vero n elidetur. quæ omnes licentiæ cessarent, si legeretur, *satine.* Faërnus.

Quo pacto, &c.] Agitis. *Farnabius.*

10 *Nosne? sic, ut quimus, aiunt, quando, ut volumus, non licet*] Et ad præsentis, et ad præteritæ vitæ excusationem pertinet ista responsio, qua purgatur voluntas Chrysidis in quæstu meretricio. Cæcilius in Plocio: 'Vivas ut possis, quando nequis ut velis.' *Donatus.*

Ut quimus aiunt, &c.] V. Fr. Guyetum. vult dicere: non satis ex voto. Sed ferenda nobis est sors nostra. quæ oratio ad præsentes turbas spectat, quæ nondum patiebantur animum muliercularum consistere. Donatus putat excusationem et præsentis et præteritæ vitæ, quantum ad quæstum Chrysidis meretricium, hic strui. *Bæclerus.*

Ut quimus] Ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν ἀλλ' ὡς δυνάμεθα. 'Vivas ut possis, quando nonquis ut velis.' Cæcilius in Plotio. *Farnabius.*

11 *Quid Glycerium? jam hic suos*] Convenit hereditatem petenti, convenit judici futuro, de pluribus indagare. Ergo recte et ordine quæsivit, Quid Chrysis? quid vos? quid Glycerium? *Donatus.*

12 *Utinam*] Novo genere exoptationem pro negatione intulit. *Donatus.*

Haud auspicato huc me appuli] Id est, inauspicatus, quod non esset auspicatus. et usitatum veteribus sic dicere, si quid aliquando aliter evenisset, quam vellent. *Idem.*

13 *Nunquam huc tetulissem pedem*] Virgilius: 'Mene efferre pedem genitor te posse relicto Sperasti?' Et, 'Ferte simul Faunique pedem, Dryadesque puellæ.' Sed Critici adnotant, alienius esse a charactere comico, *tetulissem pedem.* Idem.

Tetulissem pedem] 'Qui huc in hanc urbem pedem nunquam intro tetuli.' Menæch. act. II. sc. 3. *Farnabius.*

14 *Semper enim ejus dicta est hæc atque habita est soror*] Aut veris credendum est, aut etiam falsis, quæ tamen inveteraverint. Hinc Cicero, 'Ita habeantur, itaque dicantur.' *Habita* ergo plus est, quam *credita.* Donatus.

Semper ejus] A possibili et utili. *Idem.*

Semper enim ejus dicta est hæc atque habita est soror] Hic versus varie legitur. Vaticanus et Basilicanus sic: *Semper enim dicta est esse hæc, atque habita est soror.* Alii omnes: *Semper ejus, &c.* Donatus vero, quem et sequimur: *Semper enim dicta est ejus hæc atque habita est soror.* versus autem stat, contracto *ejus* in unam syllabam longam. *Faërnus.*

Semper enim dict. &c.] Animo heredis, ut sobrinus, venerat, ut ab initio scenæ ostendit. nunc expendit *facultatem* totius negotii, sive difficultates objectas, judicio viri prudentis considerat: primo, quod communi errore Glycerium habita Chrysidis soror, in possessione bonorum esset: *quæ illius fuerunt, possidet.* itaque communis illa et fama et opinio pro ipsa stabat, tanquam proxima herede. deinde expendit, quam sit peregrino arduum, Athenis litigare, quod ad corruptum judiciorum morem spectat, quem etiam alibi Poëta noster κωμῳδεῖ. tertio conjicit (non sine οἰκονομίᾳ, quæ omnia in dramate ad σύστασιν refert) jam aliquem esse Glycerio amatorem, quem ipse *amicum* honestius, et *defensorem*, si judicio experiendum sit, designat. Ex his difficultatibus, etiam famæ suæ, cujus præcipua tali viro cura est, metuit, atque sic ad *honestatem* transit. Posse enim fieri ait, ut *Sycophanta* et *mendicus* dicatur: qui cum excidisset suis, aliena appeteret bona. honesta oratio: sed adhuc honestior, qua se ipsum judicem metuit, neque ab animo suo impetrare potest, ut jus suum persequatur cum incommodo mulieris orbæ et desertæ, quæ parentes suos nondum reperisset. summam rei, inquit, complectar: *ipsam despoliare non licet.* Ita animum heredis, quem jure attulerat, æquitate singulari ductus omittit. ut in eum conveniat illud Poëtæ, 'Non illo melior quisquam, nec amantior æqui Vir fuit.' *Bæclerus.*

15 *Nunc me hospitem lites sequi*] Mire dicit *me*, cum ἐμφάσει, id est, senem et remotum a litibus. *Hospitem*, id est, peregrinum. *Lites sequi*, id est, pauperem. totum per ἔμφασιν. *Donatus.*

16 *Quam hic mihi sit facile atque utile*] Id est, difficile et inutile: et est comicum. *Idem.*

Lites sequi, &c.] Super Chrysidis bonis, quæ possidet Glycerium, repetendis. *Farnabius.*

19 *Grandiuscula jam*] Ad partem ætatis refertur grandis, id est, grandis natu est. Major autem, generaliter, et ad summam ætatis refertur, et ad comparationem ætatis pariter positum est. *Donatus.*

20 *Sycophantam*] Hoc est, quum in me conveniunt lites. *Idem.*

Sycophantam] Bene, *sycophantam:* quia bonam causam habet, nihil aliud timet quam convitia. Et *sycophantam* subdistingue: et sic infer sequentia. *Idem.*

Me sycophantam hereditatem persequi] Invidiosius est *hereditates;* ut apud Donatum legitur scena quarta actus quinti. *Faërnus.*

Sycophantam] Calumniator; vitilitigator. Καὶ συκοφάντης εὐθὺς ὁ τὸ τριβώνιον Ἔχων καλεῖται, κἂν ἀδικούμενος τύχῃ. Menander γεωργῷ. sed vide act. v. sc. 4. infra. *Farnabius.*

21 *Tum ipsam despoliare non licet*] Ab honesto. et bene, quia nihil suum habet, nisi Chrysidis. *Donatus.*

22 *Antiquum obtines*] *Antiquum* absolute dixit: ut *æquum* aut *bonum*, quod antiqui solebant: aut certe per ἔλλειψιν, id est, morem et ingenium. *Idem.*

23 *Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam*] Vel hoc inquit, *ut videam.* cur autem *ut videam?* quia timet. et est ordo, *Duc me ad eam, ut videam, quando huc veni.* Idem.

24 *Videat senex*] Bene *senex.* Simo enim cum Chremete est. propter hoc videri non vult, ne ejus utatur apud socerum testimonio, rem esse Pamphilo adversus Glycerium: et rursus nuptiæ confirmentur. *Idem.*

ACTUS V.

Scena i. Trochaici sunt tetrametri catalectici. vs. 2. nostri Mss. omnes: *incepi adire.* vs. 4. omnes: *imo enim nunc quam max. &c.* vs. 6. omnes: *vides quam iniq. s. p. st. dum id efficias, q. c.* vs. 9. duo: *at rogitas?* vs. 11. omnes: *filiam ut darem.* v. Faërn. vs. 20. omnes: *neuter tum præsenserat.* Bœclerus.

1 *Satis jam, satis, Simo*] *Hæc scena officiorum disceptationem continet, patrum inter se de officio amicorum, et paterna pietate tractantium.* Donatus.

Satis jam, satis] Hæc veluti quædam controversia est: namque injuriarum reus fit Simo. contradicitur per conjecturam, falsum esse quod intendit: cum Pamphilus neque amet, neque ex eo natus sit filius: et adhibetur derivatio causæ, qua dicitur meretricem ista omnia esse molitam, ad disturbandas nuptias. *Donatus.*

Satis jam, satis] Bene, negaturus filiam, purgat prius officium suum de fide promissi: et ultro accusat ipsum. *Idem.*

Spectata] Probata. ut Virgilius ait, 'Rebus spectata juventus.' *Idem.*

Satis jam Simo satis, &c.] Quia mitem ubique et placidum Chremetem fecit poëta, igitur hic quoque de suo prius periculo conqueritur, quod adiverit studio obsequendi Simoni, ejusque petitioni gratificandi: donec nova et importuna Simonis instantia permotus, aperte eum accusat ob injuriam: præmissa prius demonstratione pathetica immodesti et officia vitæ ac amicitiæ male ratiocinantis animi: 'Vide quam iniquus sis præ studio, dum efficias id quod cupis; Neque modum benignitatis, neque quid me ores, cogitas.' et graviter et modeste hæc dicuntur: nec sine figura, qua majorem iniquitatis culpam, non ad propositum, sed ad incogitantiam refert: 'Nam si cogites, remittas jam me onerare injuriis.' Inde sequitur versibus sex accusatio, brevi ambitu, copiosa vi, conclusa, non sine affectibus: 'Ut rogitas? perpulisti me' (quod importuni erat) 'ut homini adolescentulo' (cum quodam contemtu) 'in alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria' (in quo jam iniquitas versatur, si matrimonium ejus offeratur honestæ virgini, qui meretricios amores, ut putabat, sed mitius eloquebatur Chremes, conjugio præfert) 'filiam darem in seditionem atque incertas nuptias.' hoc enim citra vehementiam, signate tamen, ostendi poterat atque debebat. unde et causa prægravatur hæc injuria: 'Ejus labore atque dolore gnato ut medicarer tuo.' Novus iniquitatis titulus, ipso naturali jure infamatus, si ex amici, imo alterius cujusvis hominis infortunio tua comparare commoda studeas. Sed (ita pergit Chremes) vide quo mea me bonitas, et nimium amicis obsequendi studium, induxerit! quod a nemine te oportebat impetrare, a me 'impetrasti.' rem magnam et mihi non immerito semper suspectam 'incepi' tamen, et ad exitum promovere connisus sum, 'dum res tetulit. nunc non fert.' consumtis consiliis et remediis nihil aliud restat, quam ut tuum infortunium tute 'feras.' non enim ita amat filius tuus, ut avelli per matrimonium ullo modo queat. 'Illam hinc civem esse aiunt: puer natus est: nos missos face.' cumulavit denique et festinavit, quæ Pamphilum alibi attinerent, hinc expedirent, adeoque, quod nunc agebatur, affinitatem hanc dissolverent. *Bœcler.*

Satis jam, &c.] Acris expostulatio Chremetis cum Simone. Et plana nuptiarum renunciatio. 'Spectatum satis et donatum rude.' Hor. 1. Epist. i. l. *Farnabius.*

3 *Obsequi tibi*] Consequimur, inquiunt, studio; obsequimur officio, persequimur injuria; prosequimur ordine; assequimur voto. *Idem.*

4 *Imo enim nunc quam maxime abs te postulo*] Renuntiare affinitati Chremetem, aut parum adhuc intelligit Simo, aut subtiliter dissimulat, ut ad fidem promissi hominem compellat. *Donatus.*

Imo enim] *Enim* παρέλκον est figura. *Idem.*

Immo enim quam maxime abs te postulo, atque oro, Chreme] O. l. s. *immo enim nunc quam maxime.* Donatus vero, *nunc cum maxime.* ita et Eugraphius. et ita legendum est. superest ut versui consulatur: quod ita fiet, si vel in *immo*, priore correpta per parellipsin, primus pes sit anapæstus: vel ex *enim* abjecto m, dactylus. *Faërnus.*

5 *Initum*] Cœptum, ab *ineundo:* unde et *initia* quoque dicta. *Donatus.*

6 *Quod cupis*] Quod velis. Legitur et, *quod jubes.* Idem.

Studio] 'Ah! ne me obsecra. Quasi vero hoc te a me impetrare oporteat.' supra act. iii. sc. 3. *Farnabius.*

7 *Neque modum benignitatis, neque quid me ores, cogitas*] Id est, non cogitas, aut quantum de benignitate amoris exigendum, ut præsumendum sit: aut quam sit impossibile, quod petis. *Donatus.*

8 *Remittas*] *Remittas,* pro mittas. *Idem.*

9 *Perpulisti me, ut homini adolescentulo*] Hæc est tota accusatio. *Idem.*

Homini adolescentulo] Sic Sallustius, 'Occultans se tugurio mulieris ancillæ.' *Idem.*

Perpulisti me, &c.] Ut ut periculum in filia fieri grave sit, tuo tamen ut obsequerer studio, precibus tuis exoratus, pene illusi vitam filiæ; quam prope conjeceram in nuptias incertas et divortium. supra act. iii. sc. 3. *Farnabius.*

11 *Filiam darem*] Invidiose; non, promitterem, inquit, sed darem, quantum in te est. *Donatus.*

Filiam darem in seditionem atque incertas nuptias] O. l. s. et Donatus, *filiam ut darem.* quod si recipimus, particula *ut*, vel hic, vel supra, superfluit. et tantum ad majorem expressionem posita est; præterea omnes fere l. s. et maxime antiqui ha-

bent, *atque in incertus.* qua lectione admissa, *in* abjiciendum in scansione est. ut in Eunucho: ‘In hanc nostram plateam.’ *Faërnus.*

13 *Dum res tetulit*] Compositum pro simplici est *tetulit.* et altius quam decet comicum characterem, dictum videtur. *Donatus.*

Feras] Εἰ τὸ φέρον σε φέρει, φέρε καὶ φέρου, &c. Pallada Anthologia, lib. I. *Farnabius.*

15 *Per ego te deos oro*] Defensio per conjecturam. et est ordo, *Per deos te oro ego.* Donatus.

Per ego te deos oro, &c.] Negationem suam Simo prece munit, et adhuc de fallacia conficta, Chremeti persuadere vult: ipsam personarum vilitatem pro argumento habens, ‘ut ne illis animum inducas credere, quibus id maxime utile est, illum esse quam deterrimum.’ id est, meretricibus, servis, ancillis. nam ab his *nuptiarum gratia*, id est, ad disturbandas, de quibus agimus, nuptias, ‘hæc sunt ficta atque incepta omnia. ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt, erit adempta his, desinent:’ id est, ubi nuptiis Pamphili cum Philumena confectis, non erit, quod sperent se confictis istis dolis posse proficere, evanescent omnia: ementiri hæc talia et in vulgus edere desinent, cum sibi nil prodesse amplius mendacium videbunt. *Bœclerus.*

16 *Quibus id maxime utile est*] Argumentum a persona, *Quibus id maxime utile est.* A causa ratiocinativa. *Donatus.*

17 *Nuptiarum gratia*] Cum tua filia cavendarum et cum Glycerio conficiendarum. *Farnabius.*

18 *Ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt*] Ἀνακόλουθον. nam non intulit ob quam causam, cum supra dixerit *ea causa.* sed quasi dixerit, Ubi ea res: intulit, quamobrem hæc faciunt. *Donatus.*

Ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt] Aut *rem* abundat, aut *causa.* Idem.

19 *Erras, &c.*] Pertendit, quod dixerat, Chremes, urgetque Simonem, ut expedire se ex tempore nequeat; itaque Poëta Davum, et mox Pamphilum adducit, ut Simoni minuatur paulatim de fallacia suspicio, ne Chremeti molestus esse pergat. retinebitur tamen in scena Chremes, partim ad temperandam Simonis iracundiam; partim et præcipue ob agnitionem Glycerii filiæ. *Bœclerus.*

C. *Erras, cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam.* S. *Scio.* C. *at Vero voltu*] Istud *scio*, vulgo male accipitur; nam cum illi veteres *scio* dicebant, plerumque idem erat ac si dixissent (logi, somnia, nugæ, fabulæ) Gallice, *Bagatelles. Cela s'appelle rien. Ce sont des chansons.* Id verum esse et alia satis ostendunt, lege modo. Id etiam Chremetis responsio satis probat: *At vero voltu.* Gall. *Il ne faut point dire, bagatelles, c'estoit tout de bon. Ny la servante, ny le valet, ne sçavoient point encore que je fusse-là.* Faber.

Cum Davo, &c.] Modo sc. IV. præcedentis actus. *Farnabius.*

20 *Vero vultu*] Quasi dixerit Simo, *simulabat ancilla.* Donatus.

Cum ibi me adesse neuter tum præsenserat] Credit. aut etsi visus a Myside erat, tamen ignorabatur esse Chremes; donec diceret Davus, ‘Hic ille est, non te credas Davum ludere.’ *Idem.*

Cum ibi me adesse] *Tum* deest, ut sit integrum, *Tum, cum.* Idem.

21 *Davus dudum prædixit mihi*] Hic ostenditur quod vidit callidus Davus, ut prædiceret futurum seni id, quod ipse erat facturus. *Idem.*

Davus dudum, &c.] Supra act. III. sc. 2. *Farnabius.*

22 *Nescio quid*] Deest *Propter*: ut sit, Propter nescio quid, aut nescio pro qua re: ut sit adverbiale. *Donat.*

Ac volui] *Ac*, pro contra quam. *Idem.*

Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui dicere] Donatus: *nescio quid* id est, *propter quid. ac volui* id est, *contra quam volui.* ita esset duplex ellipsis: *nescio quid*, id est, nescio ob quid: et *ac volui*, id est, secus ac volui, quod porro explicatur, contra quam volui. Melius hoc sane quam altero illo modo, qui nonnullis placuit; *nescio quid tibi sum oblitus hodie dicere: ac volui*, id est, et quidem volui dicere, destinaveram dicere. quasi ita in domum suum invitaret et attractum vellet, ut nunc audiret, quod antea non prædictum erat. Videndum tamen, an non sit, *ac volui*, ut volui, sicut volui. Noster Heaut. II. 3. 24. *animus te erga idem ac fuit*, id est, ut fuit, sicut fuit. nam cum explicant, *qui fuit*, non ad significationem τοῦ *ac* respiciunt, sed ad sensum, qui illo quoque modo procedit. Hoc loco igitur sensus esset: *nescio quamobrem aut quomodo oblitus hodie sum tibi dicere id, sicut volui, sicut destinaveram.* Bœclerus.

Scena II. Trochaicis tetrametris catalecticis et Senariis Iambicis scena constat. vs. 3. duo Mss. mei: *adventum ad tempus.* quod nonnemo pro participio accipit. male. melior est omnino lectio, *hominem, adventum, tempus*, ut figurate distribuatur, *tempestivus hominis adventus*, s. opportunus. v. Donat. vs. 5. duo: *o Simo.* vs. 6. unus: *omnia jam sunt apparata.* vs. 7. omnes: *is enimvero hinc nunc abest.* vs. 8. unus: *etiam hoc tu responde, quid tibi isthic neg.* alter meorum: *etiam tu hoc responde mihi, quid ist. t. n.* Argentoratensis etiam habet, *responde.* vs. 9. duo: *tibi ego.* tertius: *tibi ergo.* vs. 10. omnes τὸ *crucior miser* Davo tribuunt; nisi quod Argentoratensem secunda manus correxit. vs. 14. omnes: *nescio quis senex.* item, pro *catus*, *cautus.* vs. 18. Argentor. *Glycerium civem esse Atticam.* mei duo, ut edidimus. vs. 20. diversa trajectio verborum. vs. 22. duo: *si quicquam invenies me mentitum.* unus: *me inven. ment.* vs. 24. omnes: *tu cura adserv.* vs. sicut in Mss. Palatinis invenit Pareus. vs. 25. duo: *jam ego pol hodie, si vivo, tibi Dave ostendam.* unus insuper ante τὸ *hodie* interponit *furcifer.* Bœclerus.

Animo jam nunc otioso esse impero] *Hæc scena principium indicii et iracundiam senis continet: atque in ea vehementer exprimitur consuetudo patris ac domini offensi et indignantis.* Donatus.

1 *Animo jam nunc otioso*] Exultans egreditur Davus, nuntians prona esse omnia ad securitatem. Et *otioso*, securo: quia negotium, sollicitudo est. *Idem.*

Impero] Pro volo. An ut statim fiat, tanquam illud quod imperatur? Et *impero*, superbe dixit. summum enim indicium securitatis est superbia. *Idem.*

Animo nunc jam otioso] Ut major videatur turba, quæ excipit Davum, securus inducitur, et tanquam re confecta exultans. ita enim solet Poëta. Itaque oratio gestientis statim interstinguitur indignantis Simonis suspicione: *unde egreditur?* nam e domo Glycerii egrediebatur. id quod merito suspectum Simoni fuit. unde mox perturbatio Davi: ‘Herus est, quid agam?’ *Bœclerus.*

Animo jam nunc] Insolentem et triumphantem gaudio Davum jubet Simo iratus vinciri atque in pistrinum abripi. *Farnabius.*

Otioso] Securo et tranquillo, ut Eun. v. act. 3. scen. *Idem.*

2 *Unde egreditur*] Hic non interrogat; sed cum admiratione, vel magis cum indignatione dicit. *Donatus.*

Meo præsidio atque hospitis] Id est, Animo jam nunc otioso esse impero. *Idem.*

Atque hospitis] Scilicet Critonis. *Idem.*

Meo præsidio, &c.] Mea hoc factum

opera, atque Critonis adventu. *Farnabius.*

3 *Ego commodiorem hominem*] Hic Davus admiratur, quod in ipso articulo periculi supervenerit Crito. *Donatus.*

Ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi] Potest enim et commodus esse quis, et alieno tempore supervenire potest: et commodum in homine est. sed et opportunus malum etiam adventum habere potest. Nam *commodum*, in homine est: *adventus*, in facto ejus: *tempus* in opportunitate facti. *Commodiorem hominem, adventum, tempus, σύλληψις. Idem.*

4 *Scelus, quemnam hic laudat*] Non est *hic* solœcismus: ad sensum enim, non ad verba respexit: etenim propter sensus verba sunt: non propter verba sensus. *Idem.*

Scelus] Scelestus, supra act. III. scen. 5. *Farnabius.*

Omnis res est jam in vado] *In vado*, in securitate. nam ut in profundo periculum est: ita in vado securitas est. Proverbiale, *In vado*, in tuto. *Donatus.*

In vado] In tuto, citra discrimen. a natantibus vel navigantibus sumptum. *Farnabius.*

5 *Quid agam*] Plus est dicere, *quid agam*, quam cogitare de fuga. *Donat.*

Salve bone vir] Εἰρωνεία major est quam increpatio. quum enim omne genus criminis aliquis superaverit: tunc exclusi, εἰρωνείᾳ laudamus. *Idem.*

Bone vir] Ironia. *Farnabius.*

Hem] Interjectio perturbati est. *Donatus.*

O noster Chreme] *Noster* dicendo, latenter significat Glycerium filiam Chremetis esse inventam. *Idem.*

O noster Chremes] Argutius hic quam verius Donatus annotat: '*Noster* dicendo,' &c. *Noster* blandimentum est, ut sæpe alias. nec Davus tum scire potuit, filiam Chremetis esse. Mox: 'Omnia apparata jam sunt intus,' sc. in domo nostra, quantum ad Pamphilum attinet. nam supra (act. III. sc. 4.) dixerat senex: 'Domum modo ibo, ut apparentur dicam.' Davus ergo, dissimulandi causa, omnia jam apparata esse ait; *ubi voles accerse*, sc. sponsam Philumenam. sed interfatur senex ringens: *curasti probe.* sicut et illud quod sequitur, iracunda ironia est: *bene sane.* de quo intolerabiles nugæ in Donati commentario leguntur: *bene sane; valide, quia qui sanus est, idem et validus.* quis credat Donatum hæc scripsisse? *Bœclerus.*

6 *Omnia apparata jam sunt intus*] Quia infecta sunt de paratis. *Donatus.*

Curasti probe] *Probe*, memoriter, ut solet. supra enim dixerat senex, 'Imo abi intro; ibi me opperire: et quod parato opus est, para.' *Idem.*

7 *Ubi voles, accerse*] *Ubi*, pro quando; non est enim loci, sed temporis adverbium. *Idem.*

Bene sane] Valide, quia qui sanus est, idem et validus. *Idem.*

Abest] Pro *deest.* Idem.

Bene sane, id enimvero hic nunc abest] Omnes fere l. s. et Donatus habent *hinc nunc abest:* item Eugraphius, qui hoc ita exponit, *Id enimvero.* s. solum. *hinc nunc abest*, id est, puella. *Faërnus.*

Id enimvero hic nunc abest] Bene, *id.* vide Guyet. Eugraphius etiam ita legit, et explicat: *hoc enim solum jam deest, ut ipsa puella debeat evocari.* Bœclerus.

Is enim vero] Pamphilus. *Farnabius.*

8 *Etiam tu hoc respondes*] Deest, *an non.* Donatus.

Etiam tu hoc respondes] *Etiam*, aut hortatio est, aut conjunctio. Et vide quanta dixerit, et *quid*, et *istic*, et *tibi.* Donatus.

Istic] Apud Glycerium. *Farnabius.*

Mihine] Quando non sumus parati ad respondendum, ducendo tempus eludimus. *Donatus.*

Mihine] Apparet ita turbari Davum modo, consilio poëtæ, ut omnes amittat fallacias: et oppressus prodat Pamphilum, dum malum cominus perhorrescit: totumque hoc ex argumento est. Vult enim jam poëta catastrophen fieri. *Idem.*

Mihin? mihine? modo introii. Cum tuo gnato una] Quam evidenter et ἐν ἤθει tergiversationem servi perturbati expressit? qua tamen proditur Pamphilus, omnisque jam fallaciis fides abrogatur. Sed mire Poëta Chremetis urbanam εἰρωνείαν huic turbæ inserit, ut Davus, cum hero jam loqui non audens, occasionem arripiat alio vertendi sermonem, et quæ ex Critone audiverat commemorandi. quod, recollecto animo, astute facit: ut elevare videretur, quæ certa esse credebat. *Bœclerus.*

9 *Modo introii*] Hoc signum, perturbatum induci ob conscientiam Davum. *Donatus.*

Modo introii] Consternatus Davus, et non in promptu habens quid respondeat, eadem repetendo, aliud quam interrogabatur respondendo, vacillat; denique ut se excuset, Pamphilum accusat. *Farnabius.*

10 *Cum tuo gnato una*] Servi excusatio, filii accusatio est. et hoc quasi a perturbato dicitur servo: sed consilio poëtæ ad exitum festinantis et resolutionem fabulæ. *Donatus.*

Anne est intus Pamphilus] Causa iræ vehementior inventa est. *Idem.*

11 *Non tu dixti, &c.*] Supra act. III. scen. 2. *Farnabius.*

12 *Sunt*] Nulla ratione dicit, *sunt:* sed ne nihil respondeat. nam turbatus est, utpote oppressus. *Donatus.*

Quid illum censes] Deest, *propter:* ut sit, propter quid illum esse censes? *Idem.*

Cum illa litigat] Chremeti convenit hic sermo: hoc enim irridet: qui et supra dixit, 'Amantium iræ, amoris integratio est,' et sic hoc dicit, ut alibi, 'Credo, ut fit, misera præ amore exclusit hunc foras.' *Idem.*

Cum illa litigat] Irridet Simonem Chremes, quia dixerat: *Iræ sunt inter Glycerium et gnatum.* Idem.

Cum illa litigat] Amara Ironia. *Farnabius.*

13 *Imo vero indignum, Chreme*] Bene ad eum loquitur, qui est a nuptiis deterrendus: vel qui non interturbet orationem suam, vel quem etiam sibi precatorem destinet. Ita loquitur quasi hæc sit causa, cur sit Pamphilus ingressus: quod quasi ei lis intendatur a Critone hospite ducendæ uxoris, quam civem Atticam vitiaverit. *Donatus.*

Imo vero, &c.] Causam reddit, cur Pamphilus intus sit. *Farnabius.*

14 *Nescio quis senex modo venit*] Bene, *nescio quis;* etenim si notus esset, videretur gratificari, id est, gratiosus esse testis et minus verus. *Donatus.*

Ellum] Veteres, quod nos *illum* dicimus, vel *ellum*, vel *ollum* dicebant. quamvis *ellum* quidam *ecce illum* velint intelligi: tanquam pro ipso domum Glycerii ostendat Davus, dicens, *Ellum*, quasi *en illum.* est enim, ut alii volunt, pronomen: ut alii adverbium demonstrantis: nam pronomen hujusmodi veteres sic proferebant, *ille, ellus, ollus*, sed (ut diximus) adverbium compositum ex pronomine videri potest: ut sit, *en*, vel *ecce illum.* Idem.

Confidens] *Confidentem* hic pro constanti non mala significatione posuit. *Idem.*

Catus] Callidus, doctus, ardens, παρὰ τὸ καίειν. unde Cato dictus, ingeniorum etenim igneus vigor esse videtur. *Idem.*

Catus] Prudens, cordatus. *Farnab.*

15 *Quantivis pretii*] Ad magnitudinem refertur *quantivis*, non ad parvitatem pretii. Et totum oratorie. scite enim locutus est. Sed interest inter *quamvis* et *quantivis.* nam alterum contemptionis, alterum laudis. *Donatus.*

Cum faciem videas] Horatius habuit in animo Satyr. II. 3. 'Atqui vultus erat multa et præclara minantis.' *Bæclerus.*

16 *Tristis*] Ad laudem interdum sumitur, non ad amaritudinem, *tristis.* Cicero ; 'Judex tristis et integer.' *Donatus.*

18 *Glycerium se scire civem esse Atticam*] Bene: constanter et ea quæ locutus est *scire* se dixit. *Idem.*

Atticam] Viros, Ἀθηναίους, mulieres, Ἀττικὰς appellari auctor est Eustathius. *Farnabius.*

19 *Dromo, Dromo*] Commotus ira et dolore nihil dixit: nisi quod lorarium repetendo sæpius vocat. *Donatus.*

Verbum si addideris] Bene, qui omnia præsente socero contra nuptias loquitur. *Idem.*

20 *Audi obsecro*] Plerumque a verberandis, vel indulgentia loquitur, vel mora. *Idem.*

Sublimem] Id est, in sublime, per altum. *Idem.*

Sublimem hunc intro rape q. potes] Plaut. Asinar. v. 2. 18. 'Quin tu illum jubes ancillas rapere sublimem domum.' *Bæclerus.*

Sublimem hunc] Sublatum, ut terram non tangat. *Farnabius.*

Quantum potes] Hoc est, celerrime: quia segniores se ostendunt servi ad puniendos collibertos, scilic. mora veniam captantes indignantium dominorum. *Donatus.*

21 *Quia lubet*] Hoc sensu et supra dictum est, 'Aut si libitum fuerit, causam ceperit, quo jure, quaque injuria.' *Idem.*

Quia lubet] Davo dicit. *Idem.*

Quia lubet] 'Stat pro ratione voluntas,' Juven. 6. Sat. ubi servum cruci affigendum jubet mulier imperiosa. *Farnabius.*

Rape inquam] Hoc Dromoni. *Donatus.*

22 *Si quicquam mentitum invenies, occidito*] Hic plus dixit. ubi enim *verbera* supra dixit, nunc *occidito.* Idem.

23 *Commotum*] Citum, celerem. *Idem.*

Ego te commotum reddam] *Don. citum, celerem:* quæ res nonnullis suspicandi causam dedit, quasi ad Dromonem hæc, veluti cunctantem, dicerentur. sed non dubito ad Davum dici: qui cum supra *otiosus* incessisset, aliosque animo otioso esse jussisset, senex, *ego jam te commotum reddam,* inquit. sicut Heaut. IV. 4. 8. dicitur: *dormiunt ; ego pol istos commovebo:* an alludit ad labores pistrini, in quod post vincula et verbera dedendus erat? Fr. Guyetus tamen emendat *comtum*, et erudite explicat. *Bæclerus.*

Tu tamen] Delenda est vox *tu*, et distinguendum est post *tamen*, ut ad eam interrogationem Davi, *tamen et si hoc verum est?* respondeat Simo, *tamen.* Deinde subdat ad Dromonem, *cura adservandum vinctum.* Faërnus.

24 *Quadrupedem*] Utrum ligaturæ genus sic dicitur, *quadrupes?* an quadrupedem, ut feram? an quadrupedem, id est, cum pedibus et manibus? an quadrupedem, pro servo ac fugitivo posuit? Sic Virgilius, 'Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit.' *Donatus.*

Constringito] Mire: ne quid fiat tragicum in comœdia, usque ad vincula ira progreditur: nec quicquam tentat ulterius. *Idem.*

Quadrupedem] Manibus ac pedibus colligatis: erat etiam Κυφωνισμὸς apud Athenienses supplicii genus, quo colla cippis incurvarentur pessum, ne possent caput erigere, quadrupedum instar inclinati. *Farnabius.*

25 *Si vivo*] Qui certa minari volunt; incertam faciunt vitam suam. *Donatus.*

26 *Herum quid sit pericli fallere*] Herum et patrem cum ingenti pronuntiatione dixit. Et alibi, 'Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem, aut Audebit, tanto magis audebit ceteros.' *Idem.*

27 *Et illi patrem*] Sc. Pamphilo ostendam, *quid sit pericli*, s. quantum sit periculum, *patrem* fallere. *Bæclerus.*

Ne sævi tantopere] *Ne* imperativo magis quam conjunctivo adjungitur. ut Virgilius, 'Ne sævi, magna sacerdos.' *Donatus.*

28 *Pietatem gnati*] Ἔλλειψις. deest enim *vides*, aut quid tale. Et est εἰρωνεία, pro impietate. Et vide invidiam, quasi parricidam accusantis. non enim pudorem dixit, sed pietatem. *Idem.*

Pietatem gnati] *Ellipsis.* videsne, quænam sit pietas gnati? Iron. quantum distet a pietate. *Farnabius.*

29 *Tantum laborem capere*] Σύλληψις. assumendum est enim extrinsecus *me. Labor*, pro molestia. *Donatus.*

28 et 29 Magni affectus amant ellipses, et abruptas orationes. *pietatem gnati*, sc. vide. contrarium autem intelligit, impium filium suum esse indignans. *tantum laborem capere ob tal. fil.* id est; tantumne laborem me capere, tantam ærumnam, ob talem filium? sc. annon indignum est? &c. *Bæclerus.*

Scena III. Constat Senariis Iambicis et Trochaicis tetrametris catalecticis. vs. 5. omnes Mss. nostri: *o ingentem confid.* vs. 6. omnes: *pudet.* vs. 7. omnes: *vide num ejus color si pud. sign.* vs. 10. duo: *studeat.* vs. 11. omnes: *hem modo ne, &c.* vs. 15. omnes: *sed quid ago.* vs. 16. omnes: *meam senectutem.* vs. 16. et 17. omnes, ut edidimus. vs. 23. et 24. unus: *at tamen Simo audi.* S. *ego audiam? quid audiam Chreme?* C. *attamen dicat.* S. *age dicat, &c.* alter: *tandem Simo audi.* S. *audiam? quid ego audiam, o Chremes? &c.* tertius: *attam Simo audi.* S. *audiam? quidnam audiam Chreme?* C. *attamen dicat sine.* vs. 27. omnes, ut edidimus. vs. 29. omnes: *sine me ut expurgem.* vs. 31. omnes: *quidvis cupio.* duo: *comperiam.* vs. 32. duo: *paululum.* Bæclerus.

Quis me vult? perii] *Hic accusatio est: quæ solvitur defensione, in eo quod ad amorem pertinet, per concessionem; in eo quod ad Critonis personam, per conjecturam.* Donatus.

1 *Quid ais omnium*] Ἀποσιώπησις tertia, et est ad deformationem personæ. Et est irati familiaris ἀποσιώπησις, quum pro dignitate peccati non inveniat convitium. *Idem.*

Quid ais] Non interrogantis, sed invehentis; et est ἔλλειψις, multa significans, in eo quod ait, *omnium.* Idem.

Quis me vult, &c.] Flagrante inprimis iracundia parentis adversus filium, opportunus adhibetur moderator Chremes. de qua re Donatus: 'Artificiose interponit loquentem Chremetem, quem volens usque ad cognitionem filiæ suæ retinere, non facit irasci Pamphilo ob contemtum filiæ suæ (alterius sc. Philumenæ) et posthoc abire de medio.' Et Chremes quidem iracundiam patris in filium temperat, revocando ad rationem et æquitatem; quasi dicat; cuicunque etiam nocenti defensionem dandam; in quo ipso subest pudor quidam, ut intelligeret Simo, se præter decorum incautius efferbuisse: deinde, veluti expleta vindicta, satis jam pœnarum esse, scilicet in tam gravi objurgatione, aurea illa, meritoque laudata sententia ostendit: 'Pro peccato magno, paulum supplicii satis est patri.' quod jam Plautus patri placato dederat in Mostellar. v. 2. 43. 'Si hoc pudet, fecisse sumtum, supplicii habeo satis.' Pamphilus ipse, demissius se gerendo, confitendo, pœnitudinem et animi cruciatum præ se ferendo, iracundiam patris expugnare contendit. Vide omnino, quæ Aristoteles habet II. Rhet. quando τὰ πραϋντικὰ et τὴν πράϋνσιν tractat: atque confer exemplum Nostri in

Phormione v. 9. *Bœclerus.*

Quid ais omnium] Sub. pessime. *Id.*

Omnium] Pessime, sceleratissime: Aposiopesis, ex ira. *Farnabius.*

2 *Male loqui*] Convitiari. *Idem.*

3 *Quasi quicquam in hunc jam gravius dici possiet*] Quam quod fecit, quam quod peccavit. *Donatus.*

Gravius dici possit] Donatus supplet: 'quam quod fecit, quam quod peccavit.' Videtur autem hoc dicere: cum Chremes submonuisset, non esse *maledictis* agendum cum filio, sed demonstratione peccati utendum; Simo, *quasi quicquam in hunc jam gravius dici possit*, inquit, id est, quasi in hominem tamen nocentem peccari posset male dicendo: quasi non eo usque flagitiis suis processerit, ut nihil jam in eum nimis grave aut nimis durum dici queat: *gravius dicere*, τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἐπιτιμήσεως fere apud bonos scriptores notat. *Bœclerus.*

4 *Ain' tandem*] Quærit Probus, *ain'* quæ pars orationis sit: et an una sit. est autem *ain'* quasi *aisne.* Et mire, quasi ipse dicat, quod Davus dixerat. Ergo *ain'*, percontativum verbum est. *Donatus.*

Tandem] Pro *tamen.* Idem.

Ain' tandem, &c.] Irascenti et jurganti convenit abrupta interrogatio: qua significare vult, Davum pridem allegatum, ut ementiretur, Glycerium civem esse Atticam: unde nunc, audes ne, inquit, hoc dicere scilicet, quod tuo allegatu modo sceleratus Davus apportavit? ita scena seq. Critonem statim adoritur: 'Eho tu, Glycerium hinc civem esse ais?' *Bœclerus.*

Prædicant] Artificiose pro *dicunt* posuit: adeo in hac re vehementer commotus senex hoc ipsum repetit, *Ita prædicant*, per iracundiam. Et *ita* est ἐν ἤθει, ut repetantur verba, in quibus arguitur impudentia. *Donatus.*

5 *Ita prædicant*] Potest et sine interrogatione legi, et pronuntiatione adjuvari. et hoc vult Donatus, cum annotat: 'Artificiose pro,' &c. *Bœclerus.*

O ingentem confidentiam] Et *confidentiam* modo pro audacia est cum improbitate. ut in Phormione, *Homo confidens.* Aliter hic supra *confidens*, pro constanti et gravi. Ergo confidentia interdum in bona significatione, interdum in mala ponitur, sed fiducia semper in bona. *Donatus.*

6 *Num cogitat quid dicat? num facti piget*] Amens est qui nesciat quid dicat, amentior, quem non pœniteat facti sui. *Idem.*

Num cogitat quid dicat] Quia injuriarum se alligat. *Idem.*

Num facti piget] Quia dicit 'prædicant:' non 'dicunt.' et ut solent irascentes, avertit orationem a secunda ad tertiam personam: ab ea cum qua loquebatur, ad aliam. *Idem.*

Num cogitat, quid dicat, &c.] Accusatio Simonis huc tendit, quod Pamphilus offirmaverit animum, sive obstinate operam det, ut Glycerium uxorem ducat. id exaggeratur, tamquam contra mores et leges civitatis, itemque contra voluntarem patris, cujus in hoc negotio præcipua auctoritas esse deberet, susceptum. amplificantur ista, dum tribuit Pamphilo impudentiam in verbis (quia falsa asseverare nihil vereatur) et vultu (quia non erubescat) et animo, qui nec probri metu a tali consilio queat retineri. agit hoc, brevi sed efficaci comprehensione rerum verborumque: figuris ad excitandum, cumulandum, augendum pertinentibus. nam de ratiocinatione jam dictum est. *Bœclerus.*

7 *Num ejus color pudoris signum usquam indicat*] *Signum*, est parva quædam significatio, indicans totius rei qualitatem. *Donatus.*

Num ejus color pudoris signum usquam indicat] Paterno animo dicit. Namque patribus velle erubescere

filios, pudentesque esse, familiare est: cui contrarium est, 'Erubuit, salva res est.' Hoc ergo dicit: Nec timet, inquit, nec enim pœnitet, nec pudet. *Idem.*

Num ejus color, &c.] Numnam erubuit? ecquis illi pudoris color, atque virtutis tinctura in facie apparet? *Farnabius.*

8 *Impotenti*] Nimis potenti. vel certe debili et devicto. *Donatus.*

Impotenti] Sui moderamen non habenti. *Farnabius.*

9 *Civium morem atque legem, et sui voluntatem patris*] Tria contempta sunt, mos, lex, imperium patris. *Donatus.*

Præter civium morem] *Præter* contra nunc significat. *Idem.*

Legem] A Pericle latam, qua cautum, nothos eos esse qui non ex duobus Atheniensibus nati essent, prolemque illam, honorum, magistratuum, et civilium commoditatum, adeoque conjugii minime capacem videri. Plutarch. in Pericle. *Farnabius.*

10 *Tamen*] Quum non dixerit *quamvis*, subjecit, *tamen*: et figura est ἀνακόλουθον. *Donatus.*

11 *Me miserum*] Initium defensionis, deploratio calamitatis et miseriæ: quia in amorem culpam removet a voluntate sua, quum pater, quod amat filius, vitium mentis dicat esse, non impulsum Dei. *Idem.*

Modone id demum sensti, Pamphile] Comprobatione ostendit eum esse miserum. *Demum* autem, signum est tarditatis. Et *sentire* dicitur, qui vix colligit se, vixque animadvertit: ut alibi, 'Vix tandem sensi stolidus.' *Idem.*

12 *Olim istuc, olim*] Objurgatio est, quod dictum est *olim.* confirmationem autem per repetitionem ostendit. Ut Virgilius: 'Divum inclementia, divum, Has evertit opes.' *Idem.*

Olim istuc, olim, cum ita an. ind. &c.] Facunde describit pervicax animi propositum, s. lubidinem animi. Confer supra II. 1. 6. &c. et Eun. II. 3. 28. et 29. *Bœclerus.*

13 *Aliquo pacto*] Quoquo modo. *Donatus.*

14 *Accidit*] Evenit, fuit. *Idem.*

15 *Sed quid ego*] Proprium est parentibus, indignatione velut abjicere curam filiorum, quum destomachati fuerint. *Idem.*

Sed quid ego] Ἔλλειψις per ἀποσιώπησιν, scilicet promoveo. *Idem.*

16 *Cur meam senectutem*] Non me, sed meam senectutem: quod plus est et miserabilius, dicit. *Donatus.*

Sollicito] Sollicitam reddo, id est, contristo et perturbo. *Idem.*

18 *Imo habeat, valeat*] Non irascitur ut pater, sed dissimulat ut alienus: quia vehementer dolet. Et *habeat*, subauditur *illam.* Idem.

Imo habeat, &c.] Tales indignantium mores etiam alibi signat Noster. v. Hec. III. 5. 61. sed παθητικώτερον Ad. I. 2. 54. et 55. *Bœclerus.*

Imo habeat, &c.] Epitrope, quasi renunciantis. *Farnabius.*

Mi pater] *Mi*, meus. et principium factum a conciliatione personæ. *Donatus.*

19 *Quasi tu hujus indigeas patris*] *Hujus* ostendens se dixit. ut Virgilius, 'Est hic, est animus lucis contemptor.' *Idem.*

20 *Domus, uxor, liberi inventi*] Mira gravitate sensus elatus est. nec de Menandro, sed proprium Terentii. Et *liberi inventi* dicit, quum unus esset: sed invidiosius *liberi.* Et *inventi*, non *geniti*; secundum illud, 'Hoc ego scio, neminem peperisse hic.' *Domus* addidit, non lupanar. Et oratorie de uno pluraliter loquimur. *Idem.*

21 *Viceris*] Verbum est ejus, qui vix sibi extorquet, ut abjiciat curam. Et proprium patribus, ac familiare iratis. *Idem.*

Viceris] Te penes sit victoria: sed Cadmea. *Farnabius.*

22 *Pater, licetne pauca*] Titubans et

balbutiens oratio pudore et conscientia. *Donatus.*

Pater, licetne pauca] Τὸ *pater* non sine emphasi pronuntiandum est, ut Hec. IV. 3. 6. hoc est magistris Græcis, πρὸς πλείονα οἶκτον καὶ ἔμφασιν τοῖς φυσικοῖς ὀνόμασι χρῆσθαι. Itaque aliquoties in satisfactione Pamphili repetitur vox. *Bœclerus.*

24 *Age dicat : sino*] Hoc totum non ex animo permittentis, sed cum stomacho patientis est. *Donatus.*

25 *Ego me amare hanc, fateor*] Ἀμφιβολία τῆς ἐρωμένης. *Idem.*

Hanc fateor] Et bene *hanc* dicit, non 'Glycerium,' cujus nomine offenditur senex: nec 'peregrinam,' ignominiam scilicet vitans. *Idem.*

Si id peccare est, fateor id quoque] Noli, inquit, me accusare quia amo. amantem enim nemo accusat, ut febricitantem nemo accusare potest cur febricitet. Sed amare, inquit, si putas esse peccatum, fateor etiam me hoc peccasse. Mire igitur, et subdefendit culpam : et assensus irato est. *Donatus.*

Si id peccare est] *Peccare* dicit : quia amor Deus est, non voluntas. *Idem.*

Fateor quoque] Peccare me scil. *Idem.*

Fateor id quoque] 'Vitia sua confiteri, sanitatis indicium est.' Seneca 53. Epist. 'Numen confessis aliquod patet.' Ovid. XI. Metam. *Farnabius.*

26 *Tibi, pater, me dedo*] Bene *dedo*, quasi hostilia et contraria volenti. nam deditio in hoste fieri solet. *Donatus.*

Quidvis oneris impone : impera] Executus est translationem oneris, dicendo, *impone, ut potero feram.* Idem.

27 *Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere*] Et quod unum est, duo fecit : ut ostendat se non posse ferre. *Idem.*

Hanc vis amittere] Ex *vis* elidendum est, *s*, ut sit trochaicus. expeditius tamen mihi videretur si legeretur, *mittere.* Faërnus.

Ut potero, feram] Obsequium sine voluntate ostendit : et multum valet sub Chremetis præsentia hæc confessio, ad recusandas nuptias. *Donatus.*

28 *Ut ne*] Pro ut non. *Idem.*

Allegatum] Adhibitum. *Idem.*

Hunc senem] Critonem scilicet. Et non Critonem, sed senem dicit : ut de hac appellatione pondus adjiceret testimonio. *Idem.*

Allegatum] Subornatum. *Farnabius.*

30 *Æquum postulat : da veniam*] Artificiose interponit loquentem Chremetem : quem volens usque ad cognitionem filiæ suæ retinere, non facit irasci Pamphilo ob contemptum filiæ suæ, et post hoc abire de medio. *Donatus.*

Da veniam] Concede, indulge. *Id.*

Sine te hoc exorem] Id est, ut me purgem, non adducam. *Idem.*

31 *Ab hoc me falli comperiar*] O paterna pietas! ipse accusator est, et redargui se cupit. *Idem.*

32 C. *Pro peccato magno paululum supplicii satis est patri*] Peccat versus, nam debet esse Trochaicus. Scribe, *paulum.* Faber.

Paululum supplicii] *Supplicium* dicit ipsam accusationem. *Donatus.*

Paululum supplicii] *Paululum* item Eugraphius, qui super hoc loco ita dicit ; 'Adverbia frequenter fiunt nomina cum pro casu accipiuntur ; ut *paululum*, et *satis.*' Horatius, 'Jam satis nivis misit pater.' *Faërnus.*

SCENA IV. Constat scena Trochaicis tetrametris catalecticis ; et Iambicis tetrametris acatal. vs. 3. duo Mss. nostri τὸ *et* omittunt ; omnes autem ita distinguunt : CR. *salvus sis Chremes.* CH. *Quid tu Ath. &c.* vs. duo : *et tu negas.* omnes : *qua de re?* vs. 7. omnes : *hoc fac.* vs. 12. duo : *bonus est hic vir.* vs. 17. omnes : *si mihi perget q.* vs. 19. unus : *n. ego quæ dico.* duo : *dixi.* vs. 20. omnes : *Atticus quidam olim nave fracta apud Andrum ej. est.* vs. 25. et seq. ut edidimus, omnes habent, præter paucula diversæ scripturæ, quæ non est operæ pretium annotare. vs. 30. omnes ut edidimus. vs. 34. omnes : *q. de illo s.f.* vs. 36. omnes : *sane istam multis modis tuam inv. g.* vs. 39. ut edidimus. vs. 45. Argentoratensis : *jamdudum res reduxit ipsa* (prima manu erat *ipsam*) *in gratiam tuam.* Mei duo : *jamdudum res reduxit me ipsa jam in gratiam tuam.* Iidem 47. *nisi quid pater ait aliud.* P. *nempe ut tu.* S. *id scilicet.* Argentor. non habet, *ut tu.* vs. 51. unus : P. *qui non potest?* S. *quia aliud habet ex sese et magis.* alter : *quia habet aliud ex sese et majus.* vs. ult. unus non habet τὸ *hunc.* Bœclerus.

Mitte orare] *Hic in scenam progreditur Crito: in cujus verbis non modo ipse promittit ; sed etium quod et Pamphilus dixerit, demonstratur. Et hic omnis error aperietur fabulæ.* Donatus.

1 *Mitte orare. una harum quævis causa*] Pamphilo dicit. et dicendo *una harum*, ostendit multas esse causas : etiam pares magnitudine esse, dicendo *quævis.* Idem.

Mitte orare] Exoraverat Pamphilus patrem, ut liceret adducere Critonem. ad illum curriculo contendit, atque ut edissereret apud patrem, quæ ad agnitionem Glycerii pertinerent, rogavit. is ergo inter accedendum officiose pollicetur, sibi hanc rem non unas ob causas commendatam esse debere. *Bœclerus.*

Mitte orare] Post errores, iras, altercationes Catastrophe prospera. *Farnabius.*

Mitte orare] Pamphilum in via alloquitur. *Idem.*

3 *Andrium ego Critonem video*] Bonum initium agnituri filiam. Itaque compendii causa, non laborat de agnitione personæ Critonis, ut ab eo facile doceri possit. *Donatus.*

Andrium ego, &c.] Agnoscit Chremes veterem amicum et hospitem Critonem. *Farnabius.*

Salvus sis, Chreme] Ne laboret ad persuadendum, miro compendio poëtæ, jam Crito notus est Chremi. *Donatus.*

4 *Quid tu Athenas, insolens*] *Insolens*, insolitus, insuetus. Cicero, 'Moveor etiam loci insolentia.' Sallustius, 'Insolens vera accipiendi.' *Insolens* et arrogans intelligitur. Qui præter legem agit humanam et naturalem, *insolens* dicitur. Cicero, 'In victoria, quæ natura insolens et superba est.' *Idem.*

Insolens] Insolitus, insuetus. *Farnabius.*

Evenit] Pudet fateri propter hereditatem venisse. Et vide ipsum esse, qui dixerit supra, 'Clamitent me sycophantam, hereditates persequi.' *Donatus.*

Evenit] *Ut huc venirem.* v. Guyet. *j'y suis venu par rencontre. c'est cas d'avanture.* Gall. *Bœclerus.*

5 CH. *Hic?* S. *men quæris? eho tu Glycerium hinc civem esse ais*] Ita in omnibus vetustioribus libris et aliquot recentibus. sed huic trochaico dimetiendo necesse est diphthongum dissolvere in *quæris.* in *Glycerium* vero non facere ultimæ syllabæ collisionem. *Faërnus.*

6 *Paratus advenis*] Hoc est, subornatus, et compositus dolo. *Donatus.*

7 *Tune impune hoc facias*] Mire acriter Critonem aggressus, dilatavit incusationem, et generale fecit virtute oratoria, quæ δεινότης dicitur. *Idem.*

Tune hic] Id est, Athenis, ubi delicta vindicantur. *Idem.*

Tune hic homin. adolesc. &c.] Διὰ πάντων τὸ δεινὸν τοῦ λόγου ἐπαίρει, ut Græci dicerent. tanquam in convictum et compertum flagitii, *tune impune hæc facias?* increpat. et jam facinus partitione quodammodo multiplicat, lenocinii cujusdam Critonem insimulans: quod exaggerat et a loco, (*hic*, ubi leges bono in usu,) et ab ætate, et ab honestate filii sui quasi seducti arte lenonia, et ab illecebris persua-

sionum ac pollicitationum; et ab hyperbolica descriptione facti, quasi plus quam lenocinium vellet objicere. accedit interrogatio tam instanter et iracunde facta: tum, ut majus videretur crimen, *homines adolescentulos*, &c. nominat, cum de uno sermo esset. *Bœclerus.*

8 *In fraudem illicis*] Illigas. unde Virgilius, 'Terna tibi hæc primum triplici circumdata filo Licia circumdo.' *Licia* enim dicta sunt, quasi ligia. *Donatus.*

9 *Eorum animos lactas*] Hinc etiam *oblectatio* dicitur. *Idem.*

Lactas] Quasi teneros animos. *Lactare*, est dulcedine aliqua tenere, ad persuasionem inducere: unde et *delectare* et *oblectare* dicimus. *Idem.*

Lactas] Demulces. supra act. IV. scen. 1. 'Lactasses amantem, et falsa spe produceres. *Farnabius.*

10 *Ac meretricios amores nuptiis conglutinas*] Vide oratorie agi. ut gravius Critonem accuset Simo, nunc defendit filium, quem dudum increpaverat. *Donatus.*

Ac meretricios amores] Pejus lenocinio crimen ingessit: non amicam facere de meretrice, sed conjugem. *Idem.*

Nuptiis conglutinas] Hoc gravius est lenocinio. *Idem.*

11 *Metuo ut substet hospes*] *Ut*, ne non. Lucil. 'Tuam ut memoriam retineas.' Et bene *hospes* ait, non *homo*, vel *Crito*. est enim ipso nomine causa diffidentiæ. *Idem.*

Ut substet hospes] Ne non subsistat hospes. *Farnabius.*

12 *Non ita arbitrere*] Id est, non arbitreris. *Donatus.*

Bonus hic vir est] Cum pondere et distinctione inferendum. *Idem.*

Hic vir sit bonus] *Hic*, per εἰρωνείαν, nec virum, nec bonum esse dixit. *Idem.*

Hic vir sit bonus] Mire poëta, cum oportuerit Critonem inimiciorem Chremi esse quam Simoni, sic rem inducit, ut notior ei sit contra quem maxime venerat, atque ab eo defendatur, magis ut res progredi ad catastrophen possit. *Idem.*

13 *In ipsis nuptiis*] In ipso articulo nuptiarum. *Idem.*

14 *Ut veniret antehac nunquam*] Plerumque casus imitatur industriam: et hoc sæpe fit, ut etiam sedulo facta, sint suspecta. *Idem.*

15 *Ni metuam patrem, habeo pro illa re eum quod moneam probe*] Vide omnino Guyeti expositionem, quæ proba est. τὸ *monere* est hic submonere. *pro illa re*, id est, de illa re. quid respondendum sit scilicet. *Bœclerus.*

16 *Sycophanta*] Hoc est, quod minime voluit sibi dici Crito. nam ita locutus est supra, 'Clamitent me sycophantam, hereditates persequi.' *Donatus.*

Sycophanta] Vetitum caricas in Attica nascentes exportare. Cum vero multi furtim avehere deprehenderentur, delatores qui illos apud judices accusarent, vocatos principio Sycophantas. Athenæus Deipnosoph. c. 2. Cum e ficuum mercatura, vini, olei, tributa colligerentur ac portoria, et mulctarentur, qui ea non solvissent, coactores appellatos fuisse Sycophantas. Ibidem. Alia originis nomina habes apud Plutarch. in Solone et interpret. Aristophanis in Philo. *Farnabius.*

Hem] Principium iracundiæ. audivit enim quod maxime vitabat: nam ut supra, 'Clamitent me sycophantam.' *Donatus.*

Sic Crito est hic: mitte] Hic Chremes traducit illum ab iracundia, dicendo sic esse eum. Menander: *οὕτως αὐτός ἐστιν.** Et recte: quia naturæ ignoscitur, voluntati non item. *Idem.*

Sic Crito est, &c.] Sic homo est. Eunuch. III. act. 1. sc. iracundus, sc. *οὕτως αὐτός ἐστιν*. Menander. *Farnabius.*

17 *Si mihi pergit, quæ vult dicere*] Graviter, mature. *Donatus.*

Si mihi pergit, &c.] Plaut. Asinar. II. 4. 82. 'Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?' *Bœclerus.*

Si mihi pergit, &c.] *Ὁπποῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.* Hom. Il. υ. plura super hoc adagio, vide apud Erasm. Chiliad. *Farnabius.*

18 *Ego istæc moveo, aut curo*] Est enim sycophantæ perturbare rem bonam, et curare malam. Hoc igitur dicit cum ὑποκρίσει. Ego hæc turbo, aut cogito, quemadmodum tu dicis, Simo. *Donatus.*

Non tu tuum malum æquo animo feres] Non filium, sed amorem in filium significat. An quia iratus est? Et quæritur, an conveniant hæc verba Pamphilo veniente. Imo enim conveniunt: nam quanto magis dissimulat favorem, tanto plus acquirit fidei ad ea quæ loquitur. *Idem.*

Non tuum malum æquo animo feres] Explicatius eadem sententia Hec. IV. 4. 27. 'Non tute incommodam rem, ut quæque est, in animum induces pati?' Aristophanes *θέσμοφορ. ἀλλ' αὐτὸς ὅγε σόν ἐστιν οἰκείως φέρε.* Duo vult sententia hæc: non tantum, quæ accidunt incommoda, ferenda, (quod Euripidi est *τἀναγκαῖα τοῦ βίου φέρειν*,) sed etiam per se ferenda, id est, aliis nullam inde molestiam exhibendam. *Bœclerus.*

19 *Nam ego quæ dixi vera an falsa audieris jam sciri potest*] Liber Bembinus habet, *nam ego quæ dico*, quod etiam magis quadrat: nam si utique jam dixisset, quid opus erat iterum dicere, ea quæ jam dixisset? idcirco in præsens tempus ait, *nam ego quæ dico*; in futurum autem *vera an falsa audieris*. sane in libro Bembino erat *audierim*. quod forte malum sensum non habet. *Faërnus.*

Jam sciri potest] Addidit et temporis celeritatem, et magna maturitate dixit. *Donatus.*

20 *Atticus quidam olim*] Hæc pars argumenti est: quæ et supra jam dicta. *Idem.*

Apud Andrum ejectus est] Liber Bembinus, *ad Andrum*. Faërnus.

21 *Forte applicat*] *Applicat*, proprie de naufrago in litus ejecto atque egenti. *Donatus.*

22 *Primum ad Chrysidis patrem*] Quid est *primum?* an quia postea mortuus est? *Idem.*

Fabulam inceptat] Aut ad comœdiam retulit *fabulam*: quia *fabula* comœdia: et quia argumentum quasi fabulæ narratur. aut certe ad irrisionem narrationis dicit. etenim *olim* fabulæ proprium; ut Horatius: 'Olim Rusticus urbanum murem mus paupere fertur Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum.' *Idem.*

23 *Itane vero? obturbat*] Si subdistinguit, *interstrepit* accipe: si non distinguit, *evertit* intelligas. *Idem.*

Itane vero obturbat] Potest, *itane vero*, subdistingui: et sic cum comminatione inferri, *obturbat*. Idem.

Tum is mihi cognatus fuit] Sc. Chrysidis pater. *Bœclerus.*

24 *Ibi ego audivi ex illo*] Magna confirmatio veritatis est. *Donatus.*

Ibi ego] Id est, apud Chrysidis patrem. *Bœclerus.*

26 *Is ibi mortuus est*] Idem liber, cum quo omnes alii fere concordant, ita ordinatos habet hos versus: *Is ibi mortuus est.* CH. *ejus nomen?* CR. *nomen tam cito tibi? Phania.* CH. *Hem perii.* CR. *verum hercle opinor fuisse Phaniam. hoc certo scio, Rhamnusium se ajebat esse.* CH. *o Juppiter.* CR. *eadem hæc Chreme Multi alii in Andro tum audivere.* CH. *utinam id sit, quod spero: eho dic mihi Quid eam tum? suam ne esse ajebat?* CR. *non.* CH. *cujam igitur?* CR. *fratris filiam.* Iambici octonarii sunt, quorum in primo *ejus* monosyllabum est. secundi prima syllaba fini præcedentis adjungitur. in quarto *audivere* trisyllabum est. in quinto, ex *quid* d abjicitur. *eam* vero monosyllabum est. *Faërnus.*

Nomen tam cito tibi] Non negantis est, sed difficile se dicturum ostendit. *Donatus.*

Phania] Hoc ita dicit Crito, ut nemo audiret: scilicet adhuc dubitans, an ipse sit. *Idem.*

26 *Hem*] Sunt qui putant, Simonem dicere, irascentem filio, Critonem submonenti. *Idem.*

Perii] Hoc Pamphilus post iracundiam patris. An Chremis est dolentis, vel ad ejus mentionem, vel quod in filiam pene peccarat. *Idem.*

Verum hercle opinor] Hoc adhuc cunctanter est dictum: et ideo indiget confirmatione. *Idem.*

Verum hercle opinor f.] Potest sub. nomen. v. Donat. de Distinct. Pers. et Guyet. *Bœclerus.*

27 *Rhamnusium se*] Piræus et Rhamnus, et cætera hujuscemodi, maritima Atticæ oppida intelligenda sunt. *Rhamnus* pagus Atticæ est. *Donatus.*

Rhamnusium] Rhamnus erat pagus in agro Attico. Strabo l. IX. *Farnabius.*

28 *Multi alii in Andro*] Hoc *testimonium cæcum* dicitur. Testimoniorum enim modus duplex est: et *manifestus* et *cæcus*. *Manifestus* est, qui certos testes, et præsentes habet. *Cæcus*, in quo multitudinem aut civitatem dicimus scire. ut Cicero: 'Testis est tota Sicilia.' quod tamen audientem consternat. Est etiam in *cæco* jusjurandum, tabulæ, absentesque personæ. *Donatus.*

Cujam igitur] Vetuste, *cujam*. quod omnibus generibus et casibus servit. *Idem.*

29 *Quid eam tum? suamne ajebat esse*] Id est, quam eam tum ajebat esse, suamne? *Bœclerus.*

30 *Arrige aureis, Pamphile*] Translatio a pecudibus. quibus verbis intendit, accipiendam esse vocem. *Donatus.*

Arrige aureis, Pamphile] Hoc Simo videtur dicere. Ut alii putant, ipse sibi Pamphilus. *Idem.*

Arrige aures Pamphile] V. Donat. et Guyet. *Bœclerus.*

31 *Noram, et scio*] Noram Phaniam. scio fratrem fuisse. Ergo et ad personam et ad rem retulit. *Donatus.*

32 *Meque in Asiam persequens, proficiscitur*] Bene *in Asiam*, ubi bellum non erat, sed in Græcia. Et *persequens* dicit, perseverationem sequentis ostendens. *Persequitur* enim qui non desinit sequi. Virgilius, 'Quæ te sola, puer, multis e matribus, ausa Persequitur.' *Idem.*

34 *Vix sum apud me*] Hoc est argumentum, sapientibus lætitiam vehementem in bonis moderandam: cum unusquisque gaudens ita perturbetur, ut apud se ipsum jam non sit. *Idem.*

Vix sum apud me] *Non sum apud me*, magis consuetudine quam ratione dicitur. Aut forte sic dicit, quasi abierit animus, et rursus redierit. *Idem.*

Ita animus commotus est me tu] Duo carnifices futurarum rerum sunt, spes et metus. Dolor enim et gaudium præsentium rerum sunt. Virgil. 'Hinc metuunt cupiuntque: dolent gaudentque: nec auras Respiciunt.' Sed dolorem hic in lætitia non posuit. et mire ordinem servavit, sic enim se hæc invicem sequuntur. Et ἀσυνδέτως distinguendum est, spe, gaudio, ut separatim inferantur. *Idem.*

35 *Mirando*] *Mirando*, dum miror. et est participium. *Idem.*

36 *Ne istam multis modis tuam*] Non multis modis inveniri gaudeo, sed tuam inveniri. Alii, *multis modis tuam inveniri gaudeo*: non, *inveniri gaudeo*. Hic jam redit in gratiam Simo cum filio: nisi forte patrem socerum appellat. ut Turnus apud Virgilium, 'Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra Spargimus.' Sed quomodo infra dicit, 'Quid restat, pater?' an *restat* ideo, quia hæc jam major pars reconciliationis est? *Idem.*

Ne istam] Ne nimis. Cicero, 'Ne isti vehementer errant.' Sallustius, 'Ne ista nobis mansuetudo et misericordia.' *Idem.*

Multimod.] Multis modis. *Farnabius.*

Gaudeo] *Gaudemus* nostris: *gratulamur* alienis. Ut Sallustius, 'Et ei voce magna vehementer gratulabantur.' *Donatus.*

Credo pater] Incertum, utrum, cui gratulatur, Simo sit, quamvis Pamphilus respondeat. potest enim Chremes et pater videri. *Idem.*

Credo, pater] Sic responderi solet dicenti, gaudeo. *Idem.*

37 *At mihi unus scrupulus etiam restat*] *At*, discretivum est superiorum dictorum. *Scrupulus* a scrupo lapide dictus, lapillus minimus. nam nimis molestæ sunt pedibus scrupulosæ viæ. ut Virgilius, 'Scrupea tuta lacu nigro, nemorumque tenebris.' *Idem.*

Etiam] Pro adhuc. *Idem.*

Scrupulus etiam restat] Dubium quoddam non ita magnum superest. Scrupulus dim. a scrupo, lapillus qui offendit pedes. hinc pro re molesta, difficili, anxia capitur Donat. sed Nannius a scriptulo seu scrupulo, vigesima quarta unciæ parte, sumptam vult Metaphoram, Chremeti in filia examinanda satisfieri pleno pondere, nisi quod unus scrupulus desit, nomen sc. non convenire. *Farnabius.*

38 *Dignus es cum tua religione odium*] Aut accusativus pro ablativo casu est positus, pro odio. aut separatim *odium* legendum est, ut sit, dignus qui male habearis. *Donatus.*

Dignus es cum tua religione odium] Ita Donatus, et apud Faërnum liber Bembinus, ac Vaticanus. Recte dici, exemplis Plautinis ostendit Pascasius Grosippus, sc. Caspar Scioppius in Grammatica Philosophica (p. 30.) ut sit, dignus aliquid, id est, ad aliquid. *Bœclerus.*

Religione] Tam solicita disquisitione, superstitione. *Farnabius.*

Nodum in scirpo quæris] *Scirpus*, palustris res, et levissima. Lucilius in primo, 'Nodum in scirpo insane facere vulgus.' Est autem *scirpus*, sine nodo, et levis junci species. Alibi ipse, 'Reddunt curatura junceas.' Plautus, 'Scirpea inducitur ratis.' *Donatus.*

Scirpo quæris] Scirpi sunt junci leves et enodes, ut scribit Alciatus: nodum in scirpo quærit, qui in re minime dubia dubitandi occasionem quærit. Plautus in Menæchm. act. II. sc. 1. idem habet proverbium: 'Nodum in scirpo insane facere vulgus.' Lucilius. *Farnabius.*

40 *Id quæro*] Rursus Crito obliviosus est, utpote alienarum rerum. *Donatus.*

41 *Voluptati obstare*] Nunc lætitiæ et gaudio. *Idem.*

42 *Heus Chreme*] *Heus* dicendum erat, quia Chremes Critonem intuebatur. *Idem.*

43 *Ex ipsa audiri millies*] Duas res ostendit Pamphilus, et quod verum sit quod ex ipsa sæpe audierit, et quod sit Glycerium. *Idem.*

Omnes nos gaudere hoc, Chreme] Aut *hoc* correpte, aut *hoc* producte: ut sit, hac re gaudere. Et *gaudere* nostris est, ut supra adnotavimus: alienis vero, *gratulari*. Sallustius, 'Et ei voce magna vehementer gratulabantur.' Plus est ergo gaudere, quam lætari. *Idem.*

44 *Quid restat, pater*] Hoc est, ne irascaris. *Idem.*

45 *O lepidum patrem*] In quo leporis est plurimum, *lepidus* dicitur. Nam *lepos* est venustas. *Donatus.*

47 *Nempe, scilicet*] *Nempe* et *Scilicet* dicentes, manu vel vultu dotem significant. quod mox intelligit Chremes. Alii ἀπὸ τοῦ *scilicet*, Chremetis personam faciunt. *Idem.*

Dos Pamphile est] Id est, Pamphilo pro uxore dabuntur decem talenta. *Idem.*

48 *Accipio*] Ille nisi dixisset, *accipio*, dos non esset. datio enim ab ac-

ceptione confirmatur: nec potest videri datum id, quod non sit acceptum. *Idem.*

Eho] *Eho* hic admiratio est intentionis, ad id quod dicturi sumus. *Idem.*

50 *Recte admones, Davo ego isthuc dedam jam negoti. Non potest*] Istud *dedere negotium alicui* mihi exemplum videtur plane singulare. Longe enim aliud est, *dare:* aliud *dedere.* Scriberem: *Recte admones, Davo isthuc jam dabo negoti; non potest.* Sed, ut dixi, hæc dubitatio mihi est, aut conjectura, si voles. *Faber.*

Dedam jam] Addidit et temporis celeritatem. *Donatus.*

51 *Qui*] Quamobrem. *Idem.*

52 *Non recte vinctus est*] Id est, non juste. Sed hic ad causam retulit, *non recte:* senex vero, ad rem retulit. *Idem.*

Vinctus est] Festivum est, quod ἀπροσδοκήτως infertur ad majus negotium sc. Respondet Pamphilus *pater non recte vinctus est*, q. d. pater non crediderim serio te loqui, id est, non putem recte, id est, serio et vere vinctum esse. itaque Simo, *haud ita jussi* inquit, sc. ut parum serio vinciretur, ut non recte vinciretur. quod cum dicit, κωμικῶς alludit ad imperia sua: *quadrupedem* enim *constringi*, adeoque accuratissime vinciri jusserat. hæc simplicissima expositio, cui cur aliquis ceteras præferat, nihil causæ est. *Bæclerus.*

Non recte vinctus est] Jusserat enim quadrupedem vinciri modo scen. 2. hujus act. ludit in ambiguitate τοῦ *recte.* Farnabius.

Haud ita jussi] Quia quadrupedem stringi jusserat, quasi recte ac diligenter. Et hoc ipsum non vacat. nam jam joculariter loqui, et minus irascentis est, et placabilis animi. *Donatus.*

Haud ita jussi] Eleganter lusit ad ἀμφιβολίαν, et simul ostendit, quam propitius sit Pamphilo pater, et quam facile veniam Davo impetrare possit ab eo, quippe qui jam etiam jocetur. Pamphilus autem dixerat, non juste: ille sic respondit, quasi dixerit, non diligenter vinctus est. Et *haud ita jussi:* sic enim præceperat, 'Quadrupedem constringito.' *Idem.*

53 S. *Age fiat.* P. *at matura*] Error est. Scribendum omnino, *At* (*mature*). En tibi exemplum in Eunucho act. II. sc. 1. P. *Fiet.* PH. *at mature.* Et hoc certe ita esse debet: *Fiet mature*, non autem, &c. *Faber.*

SCENA V. Sunt Trochaici tetrametri catalectici. Muretus Iambicos miscet: vs. 1. unus Ms. *reviso.* duo: *forsitan.* vs. 2. omnes: *non putare hoc.* vs. 5. omnes: *si nulla ægritudo.* vs. 6. unus: *sed quem ego mihi potissimum optem nunc hoc cui narrem dari.* alter meorum: *sed q. e. m. p. exoptem nunc cui hæc narrem dari.* Argentor. *sed q. e. m. p. exopt. cui nunc hoc narrem dari.* vs. ultim. τὸ *esse* abest ab omnibus. *Bæclerus.*

Proviso quid agat Pamphilus] *Hæc scena alterum generum Chremeti comparat: ne aut Charinus tristis recedat, aut non provisum videretur Philumenæ.* Donatus.

1 *Proviso quid agat*] Hoc colloquium post compendium fabulæ inducitur: ut una narratione etiam negotium Charini transigi possit. *Idem.*

Proviso quid agat] Dupliciter res ab oculis spectatorum moventur: aut enim futura promittuntur, aut facta narrantur. *Proviso*, duo significat, et provideo et procedo. *Idem.*

2 *At mihi nunc sic esse hoc verum lubet*] *Sic* delicate pronuntiandum est, et separatim distinguendum. *Id.*

At mihi nunc sic esse hoc verum lubet] Sensus hic est: alii putent, ut volunt: ego autem verum esse confirmo, quod mihi lubet verum credere. *Idem.*

At mihi nunc sic esse hoc verum l.] Ἔμφασις est in τῷ *nunc.* Lætitiæ enim præsentis exultationem exprimit. ita in Eunucho III. 5. 3. 'Nunc est profecto,' &c. ubi idem πάθος signatur. *Bæclerus.*

3 *Ego Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror*] Omne quod habemus autem mutuum est, aut proprium. Mutuum est quicquid ad tempus habemus, nec postmodum nostrum futurum est, ut uxor, domus, villa, servi, et cetera in hunc modum: Proprium, ut virtus animi, et bonum sempiternum. quod proprie de Diis dicitur. non enim aliunde venerunt, sed apud se ipsos sunt semper. Et Epicurum secutus hoc dixit. Proprie ergo de Diis sempiternum dicitur. Nam inter *sempiternum* et *perpetuum* hoc interest: quod *sempiternum* ad deos, *perpetuum* proprie ad homines pertinet. *Donatus.*

Ego Deorum vitam propterea] Hanc sententiam totam Menandri de Eunucho transtulit. et hoc est quod dicitur, 'Contaminari non decere fabulas.' *Idem.*

Ego deorum vitam] Non dixit, quod scit: sed quod verum putet. Et est δόγμα Ἐπικούρειον, quod a ceteris philosophis repudiatur, de otio Deorum ac perenni voluptate. *Donatus.*

Ego vitam deorum] Τοῦτο τὸ ζῆν τὸ καλούμενον Θεῶν ἀληθῶς βίον. Apollodorus. 'Deorum vitam adepti sumus.' Heautont. act. IV. sc. 3. 'Immortalis ero, si altera talis erit. Namque Deos didici securum agere ævum,' &c. ex schola Epicuri. Horat. 6. S. I. l. *Farnabius.*

4 *Propriæ sunt*] Perpetuæ, sempiternæ, quæ non sunt accommodatæ ad tempus, ac mutuæ. sic et supra, 'Nihilne esse proprium cuiquam?' *Donatus.*

Propriæ sunt] Peculiares et perpetuæ: 'Propria hæc si dona fuissent.' Virg. Æn. VI. de Marcello, cui diuturna vitæ usura negata. *Sempiternum* ad Deos, *perpetuum* proprie ad homines. *Farnabius.*

5 *Si nulla ægritudo huic gaudio*] Scilicet secundum supradictam sententiam, Si propria, inquit, hæc fuerit voluptas, Deus sum. *Donatus.*

6 *Sed quem ego potissimum*] Bembinus liber et multi alii hæc verba sic collocata habent, *Sed quem ego mihi potissimum exoptem nunc, cui hæc narrem dari?* ita trochaicus, aliter impeditus, procedit. Ceterum liber Bembinus pro *exoptem*, habet *optem.* Faërnus.

7 *Quid illud gaudii est*] In aliis, Davi persona infertur. *Donatus.*

8 *Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia*] Ἀρχαϊσμός. *Idem.*

Solide solum] Figura παρόμοιον. *Id.*

SCENA VI. Trochaici sunt tetrametri catalectici. vs. 1. duo Mss. *quisnam homo est.* Argentor. *quisnam hic est.* Idem vs. 2. glossam inseruit: *certe nescio.* id enim subauditur in aliis. vs. 3. et 4. omnes, ut edidimus. vs. 6. unus: *pater am. summus est nobis.* alter: *p. a. est sum. n.* vs. 10. unus: *adibo et colloquar.* alter: *adibo ut coll.* Argent. *adibo colloquar.* omnes: *o Charine.* vs. 11. unus: *hem audistin.* ceteri omittunt τὸ *hem.* omnes τῷ *secundis* addunt *rebus*, sed diverso positu. vs. 14. omnes: *apud Glyc.* unus omittit, *hac.* vs. 17. omnes: *quod restat.* duo ante τὸ *plaudite* habent hoc signum GG. Argentor. *valete et plaudite*, absque hoc signo prævio. Subjiciunt omnes: *Caliopius recensui.* Bœclerus.

Pamphilus ubinam hic est] *In hoc actu mira arte ea quæ restant de Comœdia breviter explicantur, et designantur duorum sociorum binæ nuptiæ.* Donatus.

1 *Pamphilus ubinam hic est?* P. *Dave.* D. *quisnam homo est*] In affectu gaudentis Pamphili, et Davi gratulatione, cognitionem rerum Charino præbuit: cujus persona parce utitur post compendium. *Idem.*

Pamphilus ubinam hic est] Davus, e quadrupede redditus bipes, id est, vinculis exutus gratulatur Pamphilo prosperas nuptias. Charino ne quis læto destituatur exitu, spes bona ducendi Philumenam facta *feliciter.*

Farnabius.

Dave. D. quisnam homo est? &c.] Donatus: 'In affectu, &c. cujus persona parce utitur post (leg. *propter*) compendium.' Talis compendii specimen mox est etiam vs. 8. 11. 13. *Bæclerus.*

2 *Sed quid mihi contigerit scio*] *Scio*, id est, persensi. *Donatus.*

3 *Et quidem ego*] Retulerat Simo. supra sc. 4. 'vinctus est.' *Farnabius.*

More hominum] *Hominum* abundat. *Donatus.*

More hominum evenit, ut id quod sim nactus mali] Quia fama mali celerior, quam boni, id est, ut facilius mala, quam bona nuntientur. Ad hoc ergo dixit, quod ille prior scierit quod esset vinctus, quam ipse cognitam Glycerium cognosceret. *Idem.*

Ut quod, &c.] Velocior ficti pravique est fama, quam nuncia veri ac boni. *Farnabius.*

5 *Mea Glycerium suos parentes reppetit*] Hæc ita narrantur Davo, ut eadem opera etiam Charinus audiat. *Donatus.*

6 *Pater amicus summus*] Hæc omnia, ut diximus, propter Charinum dicuntur, ut audiat. *Idem.*

Amicus summus] Deest *ejus*. Idem.

7 *Num ille somniat ea, quæ vigilans voluit*] Hinc Virgilius, Ecl. VIII. 'Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?' *Idem.*

8 *Desine*] Compendium attulit. *Donatus.*

9 *Solus est quem diligunt dii*] Dictum erat proverbiale, quo et alibi usus est Terentius plus semel, ter, quater. *Faber.*

10 *Conloquar. P. quis homo est? Charine in tempore*] Stat versus, si vel ex *consequar* r, vel ex *quis* s, elidatur. *Idem.*

11 *Bene factum*] A gratulatione cœpit. *Idem.*

Omnia] Compendium. *Idem.*

Age, me in tuis secundis rebus respice] Hæc sunt quæ absolute dicuntur, et est commonitio. Sunt enim qui felicitate elati, ne respicere quidem velint amicos. Et *respicere*, est proprie retro aspicere. Id est, quem præcedis felicitate, non obliviscaris. *Idem.*

12 *Tuus est nunc Chremes*] Lucilius in secundo, 'Nunc prætor tuus est, meus si discesserit horno Gentilis.' *Idem.*

13 *Atque adeo longum est nos illum expectare*] Quia et audacter et artificiose binos amores duorum adolescentium, et binas nuptias in una fabula machinatus est: et id extra præscriptum Menandri, cujus Comœdiam transferebat: idcirco aliud in proscenio, aliud post scenam retulit: ne vel justo longior fieret, vel in eandem propter rerum similitudinem cogerentur. *Idem.*

14 *Sequere hac me intus ad Glycerium*] Jam post scenam itur: quia ulterius in proscenio nihil agitur. *Id.*

Tu Dave abi domum] Hi versus, usque ad illum, 'Gnatam tibi meam Philumenam uxorem,' negantur Terentii esse: adeo ut in pluribus exemplaribus bonis non inferantur. *Idem.*

Tu Dave abi Domum] Donatus: 'Hi versus,' &c. Habes eos apud Guyetum, quem vide. *Bæclerus.*

15 *Qui auferant eam*] Rite namque virgo nuptui data simulabatur ex gremio matris, aut ea si deesset, ex proxima necessitudine rapi, cum ad virum transferebatur; quod ea res feliciter Romulo suisque cessit, Sabinas rapientibus. *Farnabius.*

16 *Ne expectetis*] Mire dicit, latenter se laudans: quo verbo avidum adhuc audiendi populum, adeoque cupidum et intentum ostendit, ut finem Comœdiæ evenisse non senserit. *Donatus.*

Ne expectetis dum exeant huc, intus despondebitur, Intus transigetur, si quid est quod restet. PLAUDITE] Isthæc verba *Si quid est quod restet*, non debent divelli a proximis: imo etiam, cum illis unice juncta sunt et copulata. Absque eo sit, isthuc *transigetur* solitarium fuerit; et non est tamen. Hunc enim ordinem verba habent, *Si quid est quod restet, id transigetur intus.* Dices, Quid tandem restare possit? annon absoluta Fabula est? an habes quod arguas? Absoluta est, inquam, et suos numeros habet Fabula; nihil arguo; sed tamen et aliquid restat. Primum, petitio Critonis, ad quem lege veniebat hereditas Chrysidis postquam Phanium agnita erat non esse illius soror. Deinde et aliud etiam; id nempe quod attinebat ad Charinum, qui Philumenæ nuptias tam ardenter ambibat. Supererat ergo aliquid, et recte additum a Poëta, *Si quid est quod restet.* Quamobrem miratus sum nuper quod mihi in Gallica Interpretatione ostensum est; idque eo etiam magis, quod antiquos Terentii Interpretes eam rem planissime explicasse sciebam. Sic autem eum locum verterem: *Apres cela, Messieurs, n'attendez plus. Ils ne viendront point icy. On va faire le mariage dans le logis; Et s'il reste encore quelque autre chose, cela se vuidera dans le logis aussi.* Illa autem verba ideo a me bis posita fuere, *dans le logis*, quia et Terentius ipse bis posuit, *Intus;* quod, ut opinor, in scriptore prudentissimo potuerat observari. Ceterum sic Lectores credere velim; hæc me non maligno aliquo obtrectationis studio scribere, sed ideo tantum, nequis tam elegantem Doctissimi viri Interpretationem legens, interdum, quod fieri facile potest propter famam ipsius, et amplissimam existimationem, labatur. *Faber.*

17 *Intus transigetur, si quid est quod restet*] Artificiose poëta hereditatis justam petitionem ex Critonis persona prætermisit, quæ ei Glycerio cognita jure tribuebatur: ne vel parvo rei Critonis tractatu, aut defraudatione Glycerii infuscaretur finis fabulæ ad lætum exitum spectans. *Idem.*

Si quid est quod restet] Quia narratione dignum non est, quod Charinus rogat. *Idem.*

Ω. *plaudite*] Faërnus in antiquis libris hanc notam reperit. quam Petitus existimat coaluisse ex duplici *oo* Græco, quasi notare voluissent ὁ ὄχλος. non uno modo infirmari potest hæc conjectura. nihil certius puto, quam literam *G* fuisse, quæ *gregem* notaret. habetur illa geminata in duobus nostris codicibus Mss. ea forma, qua Longobardicus character utitur. *Grex* vocabulum scenicum. Plautus Asinariæ Prologo: 'Hoc agite...Gregique huic et dominis atque conductoribus Face jam nunc tu præco omnem auritum populum.' V. Chrestom. v. Grex. *Bæclerus.*

EUNUCHUS.

Prologus. Senarii sunt. vs. 5. Mss. nostri omnes: *existimavit esse, sic existimet, sciat, præsumat*; nisi quod Argent. *extimavit*, et *extimet.* duo illa verba *sciat præsum.* etiam in aliis codicibus glossemate intrusa, Faërnus jam monuit. vs. 7. omnes, ut edidimus. vs. 10. duo: *atque a thesauris scr.* Argentor. *atque de thesauris sumsit.* vs. 12. unus: *quam dicat ille.* alter: *quam illi qui pet.* τὸ *illi* etiam Argentoratensis, sed secunda manu præfert. vs. 14. omnes: *fraudetur.* vs. 17. omnes: *condonabuntur.* sed in Argentor. secunda manu vs. 19. ut edidimus. vs. 24. Argent. *et nihil dixisse verb.* vs. 41. omnes, ut ed. *Bœclerus.*

Didascalia] Monui superius, omissum fuisse in hac Didascalia pretium, quod Terentio ab Ædilibus numeratum est. Vide excerpta ex Donato. *Faber.*

Personæ mutæ] In recentioribus libris Strato ponitur inter personas mutas; male. An quia Miles Gloriosus sua narrans facinora, de Stratone Elephantarcho, (Livius diceret Magistrum Elephantorum,) quem et ipsa etiam Heinsiana Editio militis servum facit, aliquid de Stratone dixit, (qui tamen Athenis non erat,) ideo inter personas theatri collocari debuit Strato? Quin et Sannio hinc quoque excludendus fuit; nam, ut in Comœdia est, 'Solus servabat domi,' dum alii in theatro sine sanguine belligerabant. Sed cur et Pyrrhum regem non fecere personam mutam? Nam in hac ipsa Fabula aliquid de Pyrrho scriptum reperias. In Andria, ubi inter personas mutas scribuntur Chrysis ac Niceratus, illum et illam sustuli; nam et bona illa Chrysis nulla tunc erat, et Niceratus in actione Fabulæ nullum omnino locum habuit. Nonnullæ editiones in eadem Comœdia et Cliniam ponunt et Phædrum, quia scilicet illorum mentio fit in narratione Simonis. Sed quam illi in actione Fabulæ partem habuerunt? Nullam. *Idem.*

Si quisquam est, qui placere, &c.] Attendenda poëtæ copia, quod in tot prologis de eadem causa iisdem fere sententiis, variis verbis utitur. *Donat.*

Bonis quam plurimis] Commendat personam. *Idem.*

Quam plurimis] Una voce et conjunctim scribi debet, *quamplurimis*, non divisim. Erravit Æmilius, Ferrettus, et post ipsum Muretus, qui illius sententiam probat. Et post Muretum nonnulli; ante illos autem Eugraphius, ante Eugraphium Nonius Marcellus. *Multi*, inquiunt, id est, *mali* (scilicet ita Græci). Sed dormitavere omnes. *Quamplurimi* opponuntur *minime multis*. Satis in præsens isthuc esto. *Faber.*

Bonis quam plurimis] Super his verbis ita Eugraphius: 'Bonis quam plurimis quidam intelligunt, quam plurimis bonis. nos intelligamus extrinsecus plurimos, nihil aliud posuisse nisi malos. boni enim admodum pauci sunt. ita quod dixit in numero plurimis, qualitatem potius declaravit.' *Faërnus.*

Qui placere se, &c.] Qui placere studeat bonis potius quam malis; et subanditur *potius*. sic Plautus: 'Certum est mori, quam hunc pati lenonem in me grassari.' Rudens, act. III. sc. 3. Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι. Hom. II. Iliad. Θέλω προνοίας σταλαγμὸν ἢ τύχης πίθον. *Farnabius.*

2 *Plurimis, &c.*] 'In dissensione civili, cum boni plus quam multi valent.' Cic. de Rep. l. VI. *Idem.*

Et minime multos lædere] Ἀντίθετον πρῶτον. *Donatus.*

3 *In his Poëta hic nomen profitetur suum*] Cum dixisset, *quisquam*, intulit *in his*, et alibi, 'Cujus mox maxime est consimilis vestrum, hi se ad vos applicant.' *Idem.*

Nomen, &c.] Translatio a militibus, qui nomina in militiam dant. *Farnab.*

4 *Tum si quis*] Bene, *si quis*: cum L. Lavinium significet, ne vel ipsum a se læsum esse fateretur. Et *Tum*, præterea: ut 'Tum canit Hesperidum.' *Donatus.*

Si quis] Lavinium innuit. cujus calumniis respondit in prologo Andriæ. *Farnabius.*

Inclementius] Pro *inclementer*: ut, 'Jam senior, sed cruda Deo, viridisque senectus.' *Donatus.*

5 *Existimet*] Pro existimavit. *Id.*

6 *Responsum, non dictum esse*] Deest *ei*, ut in Phormione, 'Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.' *Idem.*

Non dictum esse] Superius *dictum* participium est: inferius, nomen. A quo etiam *dicaces* dicuntur, qui jocosis salibus maledicunt. *Idem.*

Responsum, non dictum esse] Figura πλοκή. nam *dictum* modo bis numero positum, supra nomen significat, infra participium. ut in Heautont. 'In quem quidvis harum rerum convenit, quæ sunt dicta in stultum.' *Idem.*

Quia læsit prius] *Prior*, quod est in Bembino et Vaticano, mihi magis probatur. *Faërnus.*

7 *Qui bene vertendo*] *Bene*, pro valde. Et *Vertendo*, in linguam Latinam transferendo. Plautus, 'Vertit barbare.' Aut *vertendo*, corrumpendo. *Donatus.*

Qui bene vertendo et eas describendo male] Lego ex libro Bembino, *et easdem scribendo male*; ut sit sensus: elegit ille quidem bonas quas verteret, sed easdem male scripsit. quem sensum confirmat insequens versus: *Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas*: est et hæc lectio in libro Victoriano, licet is pro *scribendo* habeat *conscribendo.* ita legit et Eugraphius sic dicens: *bene vertit, de Græco in Latinum: male scribit, male verba componit.* Faërnus.

Qui bene vertendo, et eas describendo male] Varie laborant eruditi in hoc versu explicando. nec Donatus quicquam expedit. Nannius autem bene prolixa oratione de vitio et laude interpretum ita disserit, ut sensum hujus loci tamen reliquerit ambiguum. Fr. Fabricius τὸ describere ad dispositionem refert. Faërnus: *elegit ille quidam bonas quas verteret, sed easdem male scripsit*: sed Latinitas vix patitur, ut *bene vertere*, sit, *bene eligere vertenda.* Fr. Guyetus ab emendatione præsidium repetivit. Nihil autem forte horum est, in quo aliquis possit satis tuto acquiescere: quin amplius sibi cogitandum putet. in eo tamen Guyetum sequi placet, quod vix persuadeor, Luscio *bene vertendi* laudem a Nostro tribui. *Bœclerus.*

Qui bene, &c.] Bene ad verbum transferendo, sed disponendo male. 'Se mirari non modo diligentiam, sed etiam solertiam ejus a quo essent illa dimensa atque descripta.' Lysander de Cyro, apud Cic. de Senect. *Farnabius.*

9 *Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit*] Τὸ αὐτὸ apparet pronuntiatum, quasi hoc ipso admonuerit spectatorem, quam turpiter et imperite hæc fabula scripta sit. Et bene, *nunc nuper*: ut ex vicinitate facti ostendat, nihil esse dicendum, quam displicuerit hæc comœdia L. Lavinii: propterea quod res recens sit, et omnes meminerint. *Phasma* autem, nomen est fabulæ Menandri: in qua noverca superducta adolescenti, virginem, quam ex vicino quodam conceperat, furtim eductam, cum habe-

ret in latebris apud vicinum proximum, hoc modo secum habebat assidue nullo conscio. Parietem, qui medius inter domum mariti ac vicini fuerat, ita perfodit, ut in ipso transitu sacrum locum esse simularet. Cumque transitum intenderet sertis ac fronde felici, rem divinam sæpe faciens, evocabat ad se virginem. Quod cum animadvertisset adolescens, primum aspectu pulchræ virginis, velut numinis visu perculsus exhorruit: unde *Phasma* est nomen fabulæ. deinde paulatim re cognita, exarsit in amorem puellæ: ita ut remedium tantæ cupiditatis, nisi ex nuptiis, non reperiretur. Ita ex commodo matris ac virginis, et ex voto amatoris, consensuque patris, nuptiarum celebratione finem accipit fabula. Utrum ergo hoc dicat, quod totam fabulam transferendo, læserit L. Lavinius: an hoc tantum, de quo reprehendat, sed his signis velit ostendere, quem dicat vitiose *Thesaurum* composuisse; ut in *Thesauro* sit culpa, non in *Phasmate?* Donatus.

Nunc nuper dedit] *Nuper*, ex illis verbis est, quæ veteres propter ambiguitatem cum adjectione proferebant. nam nisi adderet: *nunc:* hoc *nuper*, olim, pridem, et jam significasset. *Donatus.*

Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit] Hanc fabulam totam damnat, ut apparet, silentio: *Thesaurum* vero, non totum, sed ex uno loco. *Idem.*

Phasma nunc, &c.] Comœdiam, cujus argumentum satis longum refert Donat. *Farnabius.*

10 *Atque in Thesauro scripsit, causam dicere*] *Thensaurum* Latini veteres, secundum Græcos, sine *n* litera proferebant. *Donatus.*

Atque in Thesauro scripsit, causam dicere, &c.] Prius de verbis aliqua notabimus. *Thesaurum* (θησαυρὸν) potius quam *thensaurum*, quod posterioris sæculi est, scribi oportere, et Donatus monuit, et Guyetus merito inculcavit. Interpunctio sive ita fiat, *causam dicere prius unde petitur, aurum quare sit suum;* sive, *causam dicere prius unde petitur aurum, quare sit suum:* sensus tamen mutandus non est. qui talis est: prius eum unde petitur, id est, reum causam dicere, quare thesaurum suum esse contendat, quam ille qui petit (actor) demonstrasset, unde sibi vindicaret thesaurum, sc. cur thesaurus ipsi deberetur. *unde petitur*, id est, is unde petitur, reus est: *qui petit*, petitor, actor.

Objicit ergo Terentius Luscio Lavinio adversario suo, quod in Comœdia cui Thesauro titulum dedit, ordinem juris et consuetudinem judiciorum perverterit: in eo, quod reum primo loco causam dicere fecerit, antequam actor intentionem suam probasset. Sicut autem Luscius ille Lavinius *Phasma* suum ex Menandro transtulerat; ita idem in *Thesauro* fecisse colligitur, cum sciamus Menandri drama hoc vocabulo extitisse. Quod autem hic præpostere in Thesauro factum arguitur, illud nequaquam ad Menandri Thesaurum pertinet, sed ad Luscii Lavinii. qui ex bona Græca fabula, non bonam fecit Latinam. Nec frustra hoc monemus.

Sed apponemus huc totam causam ex Donato et Eugraphio. *Donati* hæc est annotatio: 'Arguit Terentius, quod Luscius contra consuetudinem litigantium, defensionem ante accusationem induxerit. Hujusmodi enim est Luscii' (nota, non Menandri, qui aliter ordinaverat) 'argumentum. Adolescens, qui rem familiarem ad nequitiam prodegerat, servum mittit ad patris monumentum, quod senex sibi vivus magnis opibus apparaverat, ut id aperiret, illaturus epulas, quas pater post annum decimum caverat sibi inferri.' (hoc ipso haud dubie consilio ut reperiretur thesaurus.) 'Sed eum agrum, in quo monumentum erat, senex quidam avarus ab adolescente emerat. Servus ad aperiendum mo-

numentum auxilio usus senis, thesaurum cum epistola ibidem reperit. Senex thesaurum, tanquam a se per tumultum hostilem illic defossum retinet, et sibi vindicat. Adolescens judicem capit: apud quem, prior senex, qui aurum retinet, causam suam sic agit: Athenienses, bellum cum Rhodiensibus quod fuerit, quid ego hic prædicem? et cætera: quæ contra naturam jurisque consuetudinem posita argumenta notat Terentius, quod ille ordo potior erat, ut adolescens prior proponeret causam, qui petitor inducitur.' Addit mox de eodem errore Luscii: 'nam possessorem fecit priorem agere, quam petitorem: quod abhorret a consuetudine juris et litium.' Hæc *Donatus.* Eugraphius ita exhibet argumentum comœdiæ Luscii: 'Quidam agrum vendidit. illic habebat patrium monumentum, in quo thesauros emptor invenit, comperit venditor:' (nam ita legendum est:) 'in judicium venitur. utique ex ratione et ex consuetudine prior loqui debet ille, qui petit. Petitor autem hic venditor est: ut secundo loco respondeat, a quo petitur, hoc est emptor. At contra Luscius Lavinius fecit; ut prior loqueretur, unde petitur, quam ille qui petit.' Ad hanc causam, ex jure civili Romano, cujus peritissimus est, hæc annotavit Clarissimus vir Jo. Henr. Schroterus: 'Emtor, a quo, tanquam reo, thesaurus petebatur, causam dicebat, ob quam suus esset; quia scilicet a se ipso, et in suo repertus esset, l. un. C. de thesaur. atque id quidem, prius quam venditor, qui petebat et actor erat, proposuerat, cui probatio incumbebat, unde in patrium monumentum is thesaurus pervenisset. quod nisi aliunde potuisset constare, debebat venditor ad exhibendum agere, ut vel ex signatura nummorum, liceret aliquid colligere. Perez. num. 11. in l. I. C. de thesaur. quamquam sc. in hoc casu etiam præsumtio, quod ipse pater monumentum id extruxerat, pro eo pugnasse videatur, thesaurum verum non esse, ut qui ignotum dominum jam minime haberet, l. XXXI. §. 1. de A. R. D. et mansisse ejus, cujus antea fuerat, licet perditus hactenus, et ab eo, ad quem pertinebat, non ablatus. l. LXVII. R. V. nam jus possessionis ei, qui eum condidit, non videtur peremtum. et quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest, l. XI. de R. I. Quapropter non immerito reprehenditur Poëta, qui contra naturam ordinis et negotii, ante petitorem, in scena fecit causam dicere reum, cui tamen sufficere debuisset, quod possidebat, l. I. §. 6. uti possid. cui etiam velut possessori actio ultro, id est, ut prior ageret, nunquam dari poterat. d. §. 6. nam in controversiis rerum corporalium actio negatoria, per quam negetur res actoris esse, prodita non est, §. 2. in f. Inst. de Action.' Epistolam, quam adolescentis venditoris pater una cum thesauro deposuerat, haud dubie cum ipso thesauro retinuisse senem emtorem, intelligendum est. alioquin futurum erat, ut res controversia careret. Vidit sane servus adolescentis epistolam thesauro additam, sed antequam inspecta esset et exhibita, senex ementiri potuit, se pecuniæ custodiæ causa depositæ illam addidisse, ut constaret, quis et quo fine deposuisset. Potuit postea, spatio dato, et supponere aliam epistolam. Deposuerat autem pater adolescentis illic thesaurum, ne filius statim ut hereditatem paternam adisset, prodigeret omnia. fore enim sperabat, ut absumendi libidinem mitigaret ratio et ætas. itaque decem annos interponi voluit, antequam filius resciceret, sicut in argumento apud Donatum amplius exponitur. Vide etiam, quæ magnum quondam nostræ Academiæ ornamentum Caspar Bitschius, Jureconsultus, de Thesauris parte priore et

posteriore, annotavit. *Bœclerus.*

Thesauro, &c.] Alia Menandri fabula, in qua præpostere inducit reum agentem ante petitorem, qui possidebat thesaurum patris sui in monimento conditum, et a reo ablatum. *Farnabius.*

11 *Prius, unde petitur aurum*] *Unde*, a quo. Virgilius, 'Genus unde Latinum.' Nam possessorem fecit priorem agere, quam petitorem: quod abhorret a consuetudine et juris et litium. *Donatus.*

12 *Quam ille qui petit*] Deest *dicat*. Idem.

Qui petit] Id est, petitor. *Idem.*

Quam ille qui petit] Esset recta locutio si diceret, *quam petitorem:* aut *quam illum qui petit.* Sed *quam ille*, maluit: ut subaudiamus *causam dicat*, per ζεῦγμα a superiore figuratum. *Idem.*

Quam illum qui petit] Liber Bembinus ac Vaticanus, et Donatus, *quam ille qui* habent. qua lectione stante illæ tres dictiones anapæstum faciunt, correpta priore syllaba in *ille; petit* vero iambus est, posteriore item correpta more veterum. *Faërnus.*

14 *Dehinc*] Si loquatur. *Donatus.*

Ne frustretur ipse se] Παρὰ προσδοκίαν dicitur: sed post addit. *Idem.*

Aut sic cogitet] Si taceat. *Idem.*

15 *Defunctus jam sum*] Σχῆμα διανοίας, ἠθοποιΐα. id est, omni labore liberatus sum, auctoritate jam confirmata et inviolabili. *Idem.*

Defunctus jam sum] Id est, jam egi fabulas meas: aut jam destiti periclitari in edendis comœdiis: aut certe, jam édidi quam tu reprehendis fabulam. *Idem.*

Defunctus jam sum, nihil est quod dicat mihi] Non sit, inquit, de suis vitiis securus propter vetustatem, nihilominus enim a me reprehendetur. *Idem.*

Defunctus jam, &c.] Μίμησις defendentis se Lavinii. Jamdudum emeritus sum, defunctus labore et discrimine tum scenæ, tum populi: nihil est quod mihi objiciat Terentius. *Farnabius.*

16 *Is ne erret, moneo*] Σχῆμα, ἐπιείκεια. *Donatus.*

Is ne erret] Respondet Poëta noster. *Farnabius.*

17 *Quæ nunc condonabitur*] Sic in Phormione, 'Argentum quod habes, condonamus te.' Nam et *dono* ablativo casui jungebant veteres, *condono* vero accusativo. *Donatus.*

Condonabitur] Quæ in præsenti condono illi. Phorm. act. v. sc. 8. 'Argentum quod habes, condonamus te.' Plaut. frequens. Sed phrasin hanc explodit Jul. Scal. Poëtices lib. VII. c. 2. partis 2. imputatque Erasmo. acriter interim tuetur lectionem, *condonabuntur.* Scazontas sc. interseri quandoque, probat multis adductis exemplis Plauti. idque fieri varietatis gratia et excitandi spectatores. *Farnabius.*

19 *Nunc quam acturi sumus*] Obliqua narratio facti est, secundum casum accusativum. *Donatus.*

Nunc quam acturi sumus] O. l. s. *quam nunc*, qua collocatione admissa, primam hujus versus syllabam præcedenti versui in scansione applicabimus. *Faërnus.*

20 *Postquam ædiles emerunt*] Mire, cum ordo melior videretur, si sic diceret: Postquam ædiles emerunt, quam nunc acturi sumus, perfecit sibi ut inspiciundi esset copia. *Emerunt* autem, mediam corripe. ut, 'Matri longa decem tulerunt fastidia menses.' *Donatus.*

Postquam Ædiles emerunt] Ergo vitium est in Iambico? Nil minus; nam illi veteres penultimam pluralem tertiæ personæ fecere communem; id quod olim ad Phædrum et P. Syrum probavi satis. *Faber.*

Ædiles] Ædilibus curæ erant urbis ædes, annona, ludi solennes et stati. publico, interdum suo sumptu ludos edebant. *Farnabius.*

Emerunt] Penultimam defendit Turnebus l. XVIII. c. 2. *Idem.*

21 *Perfecit*] Mire, quasi difficile et illicitum. *Donatus.*

23 *Exclamat, furem, non Poëtam*] Mire reprehendit ante vitium, quam de causa maledicti dicat. *Idem.*

Exclamat, furem, non Poëtam] Adhuc nulla reprehensio est: si quidem licet transferre de Græco in Latinum. *Idem.*

24 *Et nihil dedisse verborum tamen*] Aut, neminem fefellisse: aut, nihil apposuisse de suo. *Idem.*

Et nihil dedisse verborum tamen] Aut neminem fefellisse: *dare* enim *verba*, decipere est. Quia qui rem expectat, et nihil præter verba invenit, deceptus est. unde alibi, 'Verba istæc sunt:' et e contrario, 'Rem cum videas, censeas.' Aut aliter: nihil addidisse de stylo suo Terentium. *Id.*

23. et 24. *Fabulam dedisse, et nihil dedisse verborum tamen*] Donatus: 'Aut, neminem fefellisse, aut nihil apposuisse de suo.' placet prius. *Bœclerus.*

Et nil dedisse] Et nihil de suo stylo dedisse tamen. *Farnabius.*

25 *Colacem esse*] A κόλον *cibus* dictum refert Athenæus lib. VI. Deipnosoph. 18. cap. *parasitus* itidem a σῖτος. *Idem.*

26 *Parasiti personam inde ablatam*] Et hoc mire: non versus objicit, sed personam esse translatam. quid stultius, aut calumniosius dici potest? *Donatus.*

27 *Peccatum imprudentia est*] Id est, ignorantia: ut imprudens harum rerum. non enim stultitia. *Idem.*

Si id est peccatum, peccatum imprudentia est Poëtæ] Primo negat peccatum, deinde concedit et purgat. *Idem.*

Imprudentia] Ignorantia, non imperitia. *Idem.*

Si id peccatum] Πλοκή. Nam *peccatum* superius, nomen est: et sequens, participium. Et primo negat, peccatum, deinde si peccatum est, purgat id ipsum veniali qualitate ab imprudentiæ partibus. *Idem.*

Imprudentia est] Ut sexto ab hoc verbo. *Farnabius.*

28 *Non qui furtum facere studuerit*] Antiquissimi libri *quo* habent, non *qui. quo* autem pro quod exponendum. *Faërnus.*

32 *In Eunuchum suam*] Ad fabulam, non ad hominem retulit. ut Virgilius, 'Centauro invehitur magna.' *Donatus.*

Eunuchum suam] *Fabulam* respexit, aut comœdiam. Synthesis. *Farnabius.*

34 *Latinas scisse sese*] Hæc lectio placet mihi propter versum. quamvis o. l. s. non habeant nisi unum, *se;* et in Bembino, ubi geminatum erat, posterius sit deletum. *Faërnus.*

Id vero pernegat] Annis tamen prope XL. ante hanc fab. editam obierant Nævius et Plautus. *Farnabius.*

35 *Quod si personis iisdem uti aliis non licet*] In Bembino est, *iisdem huic uti non licet.* quarum lectionum utra melior sit, statuere nescio. interim vulgatam tenebimus. *Faërnus.*

36 *Qui magis licet currentes servos scribere*] Ego potiorem arbitror lectionem, quam continet liber Bembinus, *currentem servum;* ut et in Heautontim. 'Ne semper servos currens.' *Idem.*

Currentes, &c.] Subjecta hæc, personæ et ἤθη Comœdiarum. 'Terentius meretrices malas, avaros lenones, tristes senes, edaces parasitos commemoravit.' Victorinus in Cic. Rhet. I. 1. 'Dum servus fallax, durus pater, improba lena, Et meretrix fuerit blanda, Menander erit.' Ovid. I. Amor. 15. eleg. *Farnabius.*

37 *Bonas matronas*] Ut Nausistratam. *Donatus.*

Bonas matronas f.] Egregius locus, quo ὑπόθεσις κωμική summatim exhibetur. Adde Horat. Epist. II. 1. 'Aspice Plautus, Quo pacto partes tutetur amantis ephebi, Ut patris attenti,

lenonis ut insidiosi: Quantus sit Dorsennus edacibus in parasitis.' *Bœclerus.*

Meretrices malas] Ut Thaidem atque Bacchidem. Sic est in Heautont. 'Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier.' Et artificiose ostendit omnem materiam comicorum. *Donatus.*

38 *Parasitum*] Ut Gnatonem. *Id.*

Gloriosum militem] Ut Thrasonem. *Idem.*

Gloriosum militem] *Facere* subauditur. *Idem.*

36 *Falli per servum senem*] Ut Demeam et Simonem. *Idem.*

40 *Amare, odisse, suspicari*] Mire a personis ad gesta cum varietate transitum fecit. Omne enim quod in orationem venit, vel persona, vel factum est. *Idem.*

Odisse] Quia *odere* non est Latinum. *Idem.*

41 *Nullum est jam dictum, quod non dictum sit*] Σχῆμα λόγου, πλοκή. Nam *Dictum*, bis positum: ut superius *peccatum* diversa significat. *Idem.*

Nullum est jam dictum quod non dictum sit prius] Locus est in Ecclesiaste Salomonis cap. I. 'Quid est quod fuit? ipsum quod erit. Et quod factum est, ipsum quod fiet; et non est omne recens sub sole.' Ad ea postquam D. Hieronymus dixit quod nihil attinet huc transferre, sic scribit; ex editione Frobenjana: Huic quid simile sententiæ et Comicus ait: *Nihil est (jam) dictum, quod non sit dictum prius*; unde præceptor meus Donatus, cum ipsum versiculum exponeret, Pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt. Quod si in sermonibus nihil novi dici potest, quanto magis in administratione mundi, quæ ab initio sic perfecta est, ut requiesceret Deus ab operibus suis in die septima? Hæc D. Hieronymus. Sed antequam quidquam dico, emenda hunc locum, et lege: QUI *ab initio sic* PERFECTUS *est, &c.* agitur enim non de administratione, sed de perfectione mundi. Nunc ad rem. Vellem equidem aliud D. Hieronymus scripsisset; nam profecto et Magister et Discipulus errarunt. Ingeniose dictum a Donato fuit, fateor, et ut Donatum decebat facere, rhetorem præclarum, et primarium in suo illo genere, sed erravit tamen Donatus, aut errare voluit, ut locus tam eleganti dicto dari posset. Nam totum hoc Terentii nihil est aliud quam reductio ad absurdum, ut vulgo in Logicis loquuntur; sic: non licet uti persona militis, nec senis, inquit Vetus malevolus Poëta, &c. Non licet characteras personarum sequi, servi, videlicet, matronæ, meretriculæ, parasiti, &c. Non licet denique affectus ipsos in Fabula ponere, ut odisse, amare, suspicari, quæ omnia sunt omnibus seculis communia. Id vero si admittendum fuerit, inquit Terentius, hoc quoque concludatur necesse est, et perridiculum ac perquam absurdum; *Nihil hodie dici posse quod non dictum sit prius.* Addo ad hoc: Naturam et habitum argumentationis satis demonstrat illud *denique;* quod animadverti debuerat, neque temere transiliri. Nam ex pauculis elementis quot linguæ? Quot appellationes, quot verba, &c. Quot particulæ, exclamationes? Et ea tamen omnia finiri possunt et concludi? At vero cogitationes et formæ ac figuræ cogitationum, illæ vero apud unum Deum finiri, apud homines non possunt; non magis quam effecte omnia corpusculorum; aut, ut quidam loquuntur, materiæ primæ, aut mixtiones omnium numerorum, si quisque numerus proprietatem suam habeat, &c. Verum hæc missa faciamus. Interim, hoc notari possit; Hunc Donati locum apud hodiernum Donatum non reperiri. Dices, id fortasse Donatus in continua oratione e suggestu recitaverat. Fieri potuit; sed an putas tam elegans dictum in

Commentarios non fuisse translaturum? Non ego quidem. *Faber.*

Nullum est, &c.] 'Præceptor meus Donatus,' inquit Hieronymus in c. I. Ecclesiastici, 'cum ipsum hunc versiculum exponeret: Pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt.' *Farnabius.*

42 *Vos cognoscere, atque ignoscere*] Σχῆμα λόγου, παρόμοιον. *Donatus.*

43 *Quæ veteres factitarunt, si faciunt novi*] Et varie dixit, *factitarunt* et *faciunt*, et cum magna defensione Terentii, semel facientis id quod sæpe veteres. *Idem.*

44 *Animadvertite*] Nos ἐλλειπτικῶς dicimus *advertite*, quod veteres plene, *animum advertite.* Idem.

45 *Quid sibi Eunuchus velit*] Ἀρχαϊσμὸς, *velit sibi.* ut alibi, 'Nam proh Deum atque hominum fidem, quid vis tibi, aut quid quæris?' *Idem.*

ACTUS I.

SCENA I. Senariis constat hæc scena. vs. 1. duo Mss. nostri: *num adeam?* tertius: *non adeam? ne nunc eum quidem?* vs. 6. omnes: *perficies.* vs. 10. unus: *illudet.* vs. 16. τὸ *tu* duo omittunt; quorum unus, *postulas.* vs. 22. omnes, ut ed. vs. 24. unus: *accusabit.* duo, *accusabis.* omnes, *et dabis ei.* vs. 25. duo: *o in indign. f.* vs. 29. omnes, *quam queas.* Bœclerus.

Hæc vero Comœdia est quæ docto Interprete, nec docto tantum, sed et valde ingenioso, opus habet. Caroli Noni temporibus prodiit Versio Jani Antonii Baifii, astricto sermone, Carmine dimetro acatalecto, et hypercatalecto (Gall. *des Vers de huict à neuf*). Sed hodie vel ignoratur, vel negligitur, alioqui et exemplaria rara sunt. In decem aut duodecim locis erravit Interpres; in ceteris omnia bene et commode, et sane ingeniose. Itali quoque (non loquor de versione illa quæ Venetiis prodiit) Eunuchum in vulgarem sermonem converterunt. Sed illi Fabulæ alium fecere titulum; nam apud eos dicitur *la Mora*, in illa interpretatione multum est boni, fateor; sed ita res interpolata fuit, ut sæpe Terentium in Terentio non invenias. Ut ut sit, homo fuit ingeniosus, qui hanc nobis Comœdiam Neapolitano habitu dedit. Vellem ne tot dicta proverbialia haberet. Sed is Italorum sæpe mos est. *Faber.*

Quid igitur faciam] *In hac προτάσει exemplum proponitur, quam non suæ potestatis sit, qui amat: quam sapiat, qui non amat, neque aliter affectus est.* Donatus.

1 *Quid igitur faciam*] Διαλογισμὸς, σχῆμα διανοίας. Apparet et multa tacitum cogitasse adolescentem, et tandem in hæc verba prorupisse. *Igitur*, pro deinde. Ut Plautus in Amphitryone: 'Sin aliter sient animati, neque dent quæ petat, sese igitur summa vi, virisque, eorum oppidum expugnassere.' *Idem.*

Quid igitur faciam] Menander, εἶτα τί ποιήσω; Sic Virgilius, 'Heu quid agam?' Et est διαλογισμὸς perditæ mentis post multam frustra cogitationem. *Idem.*

Non eam, ne nunc quidem] Hoc videtur non esse contrarium: sed est. Nam dubitat utrum meretricis satisfactionem expectet: an illam omnino non quærat. *Idem.*

Non eam, ne nunc quidem] *Non eam*, Probus distinguit. Jungunt qui secundum Menandri exemplum legunt. *Idem.*

Quid igitur faciam? &c.] Ex medio amoris argumento initium repetitur, in quo mira arte affectum ægroti amore animi exprimit Poëta. exclusus erat; inde revocatus amator, per solitas amantium iras. hinc opportunum erat, deliberare; an injuria exclusio-

nis, an blandimentum revocantis potius attendi, par esset. Expressit et interpretatus est nobili imitatione summam hujus scenæ Horatius Sat. II. 3. 'Amator Exclusus qui distat agit ubi secum, eat an non, Quo rediturus erat non accersitus, et hæret Invisis foribus? nec nunc, cum me vocet ultro, Accedam? an potius mediter finire dolores? Exclusit; revocat: redeam? non si obsecret. ecce Servus, non paulo sapientior, O here, quæ res Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque Tractari non vult. in amore hæc sunt mala: bellum, Pax rursum. hæc si quis tempestatis prope ritu Mobilia, et cæca fluitantia sorte, laboret Reddere certa; sibi nihilo plus explicet, ac si Insanire paret certa ratione modoque.' Addendus est Persius Sat. 5. Cicero de Nat. Deor. III. 29. ad levitates Comicas refert: ut et Lucretius libro IV. quæ ab aliis jam producta sunt loca. *Bœclerus.*

Quid igitur, &c.] Adi Horatium, qui hunc locum transtulit. 'Amator Exclusus,' &c. 3. Sat. II. lib. Adi et Persii Sat. 5. *Farnabius.*

2 *Comparem*] Constituam: ut, *Quam inique comparatum est.* Donatus.

3 *Non perpeti meretricum contumelias*] Sic in Andria, 'Priusquam harum scelera et lacrimæ confictæ dolis.' Cum uni sit iratus, de omnibus queritur. *Idem.*

4 *Exclusit: revocat*] Utrumque injuriam fecit ex verbo, dicendo, *Exclusit* potius, quam, *non admisit.* et, *revocat* potius, quam, *petit ut redeam,* quod erat moderatius. *Idem.*

Redeam? non, si me obsecret] Vides ergo superiorem partem dubitationis in eo fuisse, ut rogatus rediret: inferiorem, ut ne rogatus quidem. *Id.*

Non, si me obsecret] Bene de ea, quæ totum proterve agens, exclusit et revocat: non petat, nec roget, nec oret, sed obsecret, inquit: quod horum omnium in majorem partem est ultimum. *Idem.*

5 *Si quidem hercle possis*] Διαλογισμὸς quasi ad alterum: ut, 'Nescis heu perdita, necdum Laomedonteæ sentis perjuria gentis.' *Idem.*

Nihil prius, neque fortius] Deest, *est.* ut, 'Multum ille et terris jactatus et alto.' Et *prius* modo ad laudem, non ad ordinem pertinet. ut Sallustius, 'quæ prima mortales ducunt.' Et ipse in Heautont. 'Et suavia quæ essent, prima habere.' *Idem.*

Prius, neque fortius] Melius, præstantius. Τὸ βέλτιον, καὶ τὸ τιμιώτερον, πρότερον τῇ φύσει δοκεῖ. Aristot. in Categor. *Farnabius.*

6 *Naviter*] A navi ductum, a qua in alto nullum diversorium est. *Donatus.*

Neque perficies gnaviter] Plautina illa huc pertinent Trucul. II. 5. 12. 'Male quod mulier facere incepit, nisi id efficere perpetrat,' &c. et vs. 16. 'Nimis quam paucæ efficiunt, si quod occeperint bene facere.' *Bœclerus.*

7 *Atque, ubi pati non poteris, &c.*] Palmerius homo fuit ingeniosus; at hoc loco, dum se doctum haberi vult, se deridendum propinavit. De illo alias, in Commentariis. Hoc unum dicam: non intellexit quid sit producta periodus. *Faber.*

8 *Infecta pace*] Ἔμφασις per μεταφορὰν. *Donatus.*

9 *Indicans te amare*] Non verbis indicans ut alibi, 'Ibi tum exanimatus Pamphilus Bene dissimulatum amorem, et celatum indicat.' *Idem.*

Actum est! ilicet! peristi!] De jure translatum. *Actum est,* ad *Ultro ad eam venies,* relatum est: *Ilicet,* ad *Indicans te amare: Peristi,* ad *Ferre non posse.* Idem.

Ilicet] Semper in fine transactæ rei ponitur. *Idem.*

Ilicet] De judicio. *Idem.*

Peristi] Ὑπερβολή. *Idem.*

Peristi] De supplicio. *Idem.*

10 *Eludet*] *Eludere* proprie gladiatorum est, cum vicerint. Cicero, 'Quam diu etiam furor iste tuus eludet?' *Eludere,* est finem ludo imponere. *Idem.*

11 *Proin tu*] Ut *exin* et *exinde,* sic *proin* et *proinde* dicitur. *Idem.*

12 *Here, quæ res, &c.*] Concessum est in Palliata poëtis comicis, servos dominis sapientiores fingere: quod idem in Togata non ferre licet. *Donatus.*

Eam consilio regere non potes] Nunc domino servus est sapientior: quia nec amator, nec amans. Ut idem in Andria, 'Facile omnes cum valemus, recta consilia ægrotis damus.' *Idem.*

Here quæ res, &c.] Donatus hic: 'Concessum est,' &c. quæ res forte huc parum facit. Servus ab Horatio etiam *non paulo sapientior* hic nominatur hero, propter πάθος heri, quod facit, ut ratio omnis succumbat ægritudini animi, quæ res infra apud Nostrum Poëtam satis declaratur. De cetero servi vetuli adolescentibus in Comœdia suasores fere inducuntur. Ubi iterum nulla annotatione opus est, servos esse sapientiores dominis. cum præsertim de calliditate servorum, nunquam de prudentia Noster agat; quantum autem ad heros majores, id est, ad patresfamilias attinet, permittit sane Terentius, ut interdum a servis illi fallantur, (nunquam prudentiæ sed fallaciarum ope et versutia,) plerumque tamen illos aut succumbere, aut metuere facit. iterum ergo non est opus dicere: servos in Comœdiis palliatis dominis sapientiores esse. Hæc ad Donati annotationem.

Quantum attinet ad rem ipsam, Cicero iterum hoc loco utitur ad demonstrandum animi levitatem Tuscul. IV. 35. Plautus autem amoris incommoda exequitur omnium copiosissime, in Mercat. I. 1. 18. 'Nam amorem hæc cuncta vitia sectari solent, Cura, ægritudo, nimiaque elegantia, &c. Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minus, Insomnia, ærumna, error, terror, et fuga. Ineptia, stultitiaque adeo, et temeritas, Incogitantia, excors immodestia, Petulantia, cupiditas, malevolentia; Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria, Inopia, contumelia, et dispendium, Multiloquium, pauciloquium.' *Bœclerus.*

Here quæ res, &c.] Servus non paulo sapientior. 'O here quæ res,' Horat. Sat. dicta. *Farnabius.*

Consilium neque modum] Amor ex iis affectibus est, quorum virtus regula esse non potest: mediocritas autem et modus affectionum a virtute dependet, &c. Aristot. II. 1. Ethic. Nicom. 6. c. *Idem.*

14 *In amore hæc omnia insunt vitia*] Duæ præpositiones, *in amore insunt.* Donatus.

In amore, &c.] 'Amorem hæc cuncta vitia sectari solent, Cura, ægritudo,' &c. vide prologum Mercatoris Plautin. 'In amore et ira, jurgia, preces, exprobratio, satisfactio,' &c. Tacit. An. 13. *Farnabius.*

15 *Induciæ*] *Induciæ,* sunt pax in paucos dies, vel quod in diem dentur, vel quod in dies otium præbeant. *Donatus.*

Bellum, pax rursum] Ut supra in Andria, 'Amantium iræ, amoris integratio,' erat. quod de communi vita dictum, apud Plautum, ad amantes præcipue pertinet, Amphitr. III. 2. 57. &c. 'Nam in hominum ætate multa eveniunt hujusmodi; Capiunt voluptates, capiunt rursum miserias. Iræ interveniunt, redeunt rursum in gratiam. Verum iræ si quæ forte eveniunt hujusmodi Inter eos, rursum si re ventum in gratiam est, Bis tanto amici sunt inter se, quam prius.' *Bœclerus.*

16 *Pax rursum*] Bene, ut consolaretur, ultimam partem posuit. *Donatus.*

Hæc si tu postules] Id est, si velis,

vel coneris. *Idem.*

17 *Nihilo plus agas*] Id est, nihil agas. *Idem.*

19 *Et quod nunc*] Pro, *quæ*, ut sit consequens, 'hæc verba.' sic in Andria, 'Quod plerique omnes faciunt adolescentuli, Horum ille nihil egregie.' *Idem.*

20 *Egone illam? quæ illum? quæ me*] Familiaris ἔλλειψις irascentibus, nam singula sic complentur, *Egone illam non ulciscar?* quæ illum recepit? quæ exclusit me? quæ non admisit? Etenim necesse habet, nec potest complere orationem, qui et secum loquitur, et dolore vexatur. Nam amat ἀποσιώπησιν nimia indignatio. ut Virgilius, 'Quos ego—sed motos præstat componere fluctus.' *Idem.*

Egone illam? &c.] Supplet hanc orationem Donatus. et juxta suam emendationem Guyetus. *Bœclerus.*

Egone illam, &c.] Egone illam adeam? quæ illum mihi prætulit? quæ me sprevit? quæ me heri non admisit? *Farnabius.*

21 *Sentiet qui vir sim*] Possis interpretari illo Horatii Epod. 15. 'O dolitura mea multum virtute Neæra; Nam, si quid in Flacco viri est, Non feret assiduas potiori te dare noctes.' *Bœclerus.*

22 *Hæc verba*] *Verba* ἐμφατικῶς. Dixit, quæ scilicet nihil effectura sint. *Donatus.*

Me hercle una falsa lacrymula, quam oculos terendo misere vix vi expresserit] Expressio ad αὔξησιν ducens. et non *vera*, sed falsa: et non *lacrima* sed lacrymula: et non *ultro flens*, sed oculos terendo: et non *facile*, sed vi: et non, *exstillaverit*, sed expresserit. sic Virgilius, 'Captique dolis lachrymisque coactis.' *Idem.*

Una falsa, &c.] Juvenal. Satyr. 13. 'Docta oculos vexare humore coacto.' *Farnabius.*

23 *Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit*] Totum sensum verbis significantibus protulit: ut, 'Stridenti miserum stipula disperdere carmen.' Et: 'Una dolo divum si fœmina victa duorum est.' *Donatus.*

24 *Et te ultro accusabis*] Si hoc dicere voluisset, rectum erat ut diceret, *et te ipse accusabis:* quare melior mihi videtur ea lectio, quæ est in Bembino et tribus aliis antiquis libris, et omnibus fere aliis: *et te ultro accusabit:* ut sit *ultro* pro, insuper: ut non modo Thais minas Phædriæ una lacrimula restinctura, sed insuper eum accusatura dicatur. *Faërnus.*

Et dabis ei ultro suppl.] Ut in illo summi Poëtæ: 'Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando Cogitur, et supplex animum submittere amori.' *Bœclerus.*

Ei dabis, &c.] Vide act. v. scen. 8. *Farnabius.*

[Per 'Sic,' quod invenias ad h. l. in nostris VV. LL. intellige id quod legitur in textu Westerhovii.]

25 *Nunc ego et illam*] *Nunc*, id est, sero. ut Virgil. 'Nunc scio quid sit amor.' Et, 'Nunc augur Apollo, Nunc Lyciæ sortes.' *Donatus.*

27 *Et prudens, sciens*] *Prudens* est, qui intelligentia sua aliquid sentit *Sciens.* qui alicujus indicio rem cognoscit. Ergo prudens, per sese: sciens, per alios. *Idem.*

28 *Vivus, vidensque pereo*] Mire et nove, *vivus pereo:* et propterea sic dixit, ut intelligamus, *occidor:* et *vivus*, quasi sapiens et sentiens. *Idem.*

Vivus, vidensque pereo] Bene addidit *videns*, nam vivus perit, qui etiam dormiens opprimitur: videns autem, qui vigilans vim patitur et perit. Nam *videre*, pro vigilare posuit, ut etiam Virgilius, quum de silentio dicit, 'Jamque videnti Sanguineis frontem moris et tempora pingit.' Ergo vivus, non mortuus: videns, non dormiens. *Idem.*

Prudens, sciens, viv. vid., &c.] δεινοποιεῖ impotentia πάθους ἐρωτικοῦ, quando succumbit ratio, id quod Propertio, sine amplificatione, est *nullo vivere consilio.* Sed et τὸ δίμετρον Ἀνακρεόντειον apud Scholiastem Aristophanis huc potest accommodari: καὶ μαίνομαι κοὐ μαίνομαι. cum ratione enim insaniunt quodammodo, et pugnantia loquuntur hi tales. ut apud Ovidium (Metamorph. VII. 1.) 'Sed trahit invitam nova vis; aliudque cupido, Mens aliud suadet; video meliora proboque, Deteriora sequor.' Eustratius non omisit notare, in VI. Ethic. Aristot. cap. 2. ubi ὄρεξιν ὀρθὴν explicat: ἵνα μὴ διάστροφος οὖσα αὕτη, οὐκ ὀρέγηται ἐκείνου ὃ ἡ διάνοια διωκτὸν εἶναι συνεκεράνατο, ἀλλὰ πρὸς τοὐναντίον ὁρμᾷ. πολλάκις γὰρ ἐπὶ τῶν ἐμπαθῶν τοῦτο γίνεται. οἷον δὴ καὶ ἡ Μήδεια, εἰδυῖα μὲν ἐκ τοῦ λόγου ὅτι φαῦλα ἦν ἅπερ ἔμελλε δρᾶν, ὑπὸ δὲ τῆς κατὰ θυμὸν νικωμένης ὀρέξεως, ἔδρασκεν ἐκεῖνα ἃ ὁ λόγος εἶναι φαῦλα ἀπέδειξε. *Bœclerus.*

Vivus, &c.] Lucret. III. 'Mortua cui vita est prope jam vivo atque videnti.' *Farnabius.*

Pereo] Interpretetur, quid hoc sit perire, Plautus Truculento I. 1. et 2. *Bœclerus.*

29 *Captum*] Sallustius, 'Sin captus pravis cupidinibus.' *Donatus.*

Quam queas minimo] Perseveravit in translatione, quam jamdudum sumpsit a bello. *Idem.*

31 *Si sapis*] Id est, si sapias. ad inferiora jungendum est: nam aliter non intelligitur. *Idem.*

34 *Sed ipsa egreditur*] Nullum librum vidi, in quo non ita legatur, *Set ecca ipsa egreditur.* ratio carminis constat, si ex *set*, elidas t. *Faërnus.*

Sed ecca ipsa egreditur nostri fundi calamitas] Optime, et rotunde, et Comice Baifius: *Ho, voicy l'orage, Qui grelle tout nostre heritage.* Faber.

Nostri fundi calamitas] Proprie *calamitatem* rustici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, hoc est, culmum ac segetem. *Donatus.*

Calamitas] Grandinis tempestas quæ calamos, id est, culmos, frangit, et segetem sternit, a rusticis vocatur *calamitas.* Illa vero non intercipit, sed plane disperdit. Meretrici propius convenit καλαμαία, id est, locusta, quod nomen indidit Theocritus puellæ quæ depascebatur, messemque agricolis destinatam intercepit. Idyll. 10. *Farnabius.*

35 *Intercipit*] Proprie, quasi totum capit. Plautus in Aulularia, 'Quæ mihi interbibere sola, si vino scateat, Corinthiensem fontem et Pyrenæum potest.' *Donatus.*

SCENA II.] Iterum Senarii sunt. vs. 6. nostri Mss. *tune hic eras mi Phædr.* vs. 9. unus: *sane, quia vero hæ mihi semper patent fores.* alter: *sane vero quia hæc mihi p. s. f.* Argent. *sane quia hæ mihi semper pat. f.* vs. 15. omnes non geminant τὸ *mi.* vs. 22. omnes, ut ed. ut et vs. 26. vs. 28. omnes: *tum ibi.* vs. 30. omnes: *arreptam.* vs. 35. duo: *unde eam emerat:* vs. 37. omnes: *educare ita ut si.* vs. 41. omnes: *rogas? quia.* vs. 46. duo: *interea loci te cogn.* vs. 49. duo: *nec hoc quidem t.* vs. 51. duo: *aliquantulum.* vs. 52. omnes, ut ed. vs. 54. duo: *producit ac vendit.* vs. 60. lectio est codicis Argentoratensis, quæ metro convenientior visa est. τὸ *eam* ceteri quoque nostri omittunt. vs. 72. omnes: *nihil mihi respondes.* PH. *pessima es.* vs. 75. duo: *at ego nesc.* unus: *aut e. n.* vs. 81. duo: *quo adducta est.* unus: *advecta.* vs. 82. τὸ *aliud* omnes habent. vs. 99. unus: *ego ex animo dico.* alter: *ego ex an. misera dico.* tertius: *ego non ex an. mis. dico.* vs. 108. omnes: *morigerandum est Thaidi.* vs. 117. omnes: *parvam.* vs. 119. omnes: *certe.* vs. 126. duo: *veniat.* Bœclerus.

1 *Miseram me, &c. neve aliorsum*] *Aliorsum*, in aliam partem: ut *seorsum*, dicitur. *Donatus.*

3 *Quod heri intromissus non est*] Hæc levius, ut de facto suo loquens. At Phædria, 'Exclusit, revocat,' inquit, 'redeam? non, si me obsecret.' *Idem.*

4 *Tremo horreoque*] Ex amore nimio. Nimius ignis effectum frigoris

reddit: et ex frigore nimio effectus ignis existit: secundum illud quod physici aiunt. hinc et Virgilius, 'Aut Boreæ penetrabile frigus adurat.' *Idem.*

Tremo horreoque, postquam aspexi hanc] Natura magni caloris etiam horrorem incutit, ut nimiæ febres. *Idem.*

Tremo horreoque] Sanguine ad cor refugiente, *extremos tremor occupat artus.* Farnabius.

5 *Accede ad ignem hunc*] Potius *ignem* meretricem accipimus, quam aram Apollinis: vel quia amator uritur. Ut Virgilius, 'At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.' Vel quia avida et avara est, ut ignis alimentorum. *Donatus.*

Jam calesces plus satis] Nove, sed intelligitur *quam*, id est, plus æquo. ut alibi, 'Quam ne quid in illum iratus plus satis faxit pater.' Hoc quidam putant. at mihi de his videtur esse, quæ a veteribus geminabantur: ut, *plerique omnes*, hoc est, omnes: et, *pleraque omnia*, id est, omnia. sic et, *plus satis*, pro satis. *Idem.*

Ignem hunc] Aram, inquiunt, Apollinis in scena, (vide Andriæ act. IV. sc. 4.) vel aram Veneris in atrio meretricis. imo ipsam Thaïdem. 'Nam si te vel modice meus igniculus afflaverit, ureris intime.' Photis II. l. Apul. Asin. *Farnabius.*

6 *Quis hic loquitur*] Non imperite intelligunt, qui existimant meretricem etiam hoc simulare, quod non providerit Phædriam. Nam et personæ, et dictis ejus ceteris hoc convenit: et tunc erunt gratiora omnia, quæ supra dixit. *Donatus.*

Tun' eras hic mi Phædria] O. l. s. hanc collocationem habent, *tun' hic eras mi Phædria?* qui ordo verborum versum reddit expeditiorem. *Faërn.*

7 *Cur non recta introibas*] Quasi parum fuerit *introibas*: satis mire additum *recta*. Donatus.

Quid hic stabas? cur non recta introibas] Exquisitioribus blanditiis meretrix apud Plautum: 'Animule mi, mihi mira videntur, Hic te stare foris, fores cui pateant Magis, quam domus tua, domus cum hæc tua sit.' Terentius apte divisit, ut ὑπόθεσις postulabat. *Bœclerus.*

8 *De exclusione verbum nullum*] Plus admirationis est, nec accusationi, nec satisfactioni locum reliquisse meretricem, callide dissimulata injuria. *Donatus.*

Quid taces] Et hoc callide: quasi innocens ne suspicetur quidem, quid succenseat adolescens. *Idem.*

9 *Sane, quia vero semper, &c.*] Tolle, *sane* et *vero*, et pronuntiandi adjumenta vultumque dicentis: et in verbis non negatio, sed confessio esse credatur. Nam *vero* ironiæ convenit. ut Virgilius, 'Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis.' *Id.*

Sane quia, &c.] Ironice. *Farnabius.*

10 *Aut quia sum apud te primus*] Duo dixit quæ doleat: et quia clausæ fores, et quia posterior habetur, prælato milite. *Idem.*

Aut quia sum apud te primus] Subauditur, 'Non recta introivi.' *Idem.*

Missa istæc face] Alia dissimulatio, et durior post admonitionem. sed bene intelligit, qui hoc a meretrice ridente molliter, et osculum porrigente dici accipit. *Idem.*

11 *Quid missa*] Magna virtus poëtæ est, non sententias solum de consuetudine ac de medio tollere, et ponere in comœdia, verum etiam verba quædam ex communi sermone, quale est quod ait nunc, *Quid missa?* Idem.

Utinam esset mihi pars æqua amoris tecum] Vel amandi, vel non amandi scilicet. *Idem.*

Quid? missa? o Thais, utinam, &c.] Expressit Poëta animum amatoris mobilem; et in ipso conatu conquerendi de exclusionis injuria, remollitum in confessionem desiderii ac amoris sui. *Bœclerus.*

Utinam esset, &c.] Εἴθ' ὁμαλοὶ πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἔρωτες Νῶϊν. Theocrit. Idyl. 12. *Farnabius.*

12 *Ac pariter fieret*] *Pariter*, similiter, Sallustius, 'Cui nisi pariter obviam iretur.' *Donatus.*

13 *Ut aut hoc tibi doleret, itidem ut mihi dolet*] Si ambo amaremus. *Idem.*

14 *Aut ego isthuc factum nihili penderem*] Id si esset, non amaret. *Fab.*

15 *Ne crucia te; obsecro! anime mi*] *Mi*, vocativus est, ab eo quod est *meus.* Vide quam familiariter hoc idem repetit blandimentum. Vult enim Terentius velut peculiare verbum hoc esse Thaidis. ideo totiens dictum est, 'Tune hic eras, mi Phædria? Ne crucia te, obsecro, anime mi, mi Phædria.' *Donatus.*

Ne crucia te] Hæc nisi amplectens adolescentem mulier dixerit, videbitur *ne crucia* sine affectu dicere. Sed sic dicet, *ne crucia te*, eo gestu quasi in eo etiam ipsa crucietur: nam ideo subjecit, *anime mi*, hoc est animus meus. *Idem.*

Ne crucia te obs. anime mi, mi Phædria] Merito secuti sumus Donatum, cujus testimonio geminatur τὸ *mi.* v. Fr. Fabric. et Guyet. *Bœclerus.*

Anime mi, &c.] 'Vox blanda et nequam, digitos habet,' ait Juvenalis 6. Sat. Ζωὴ καὶ ψυχή. *mon ame, mon petit ceur*, Gall. *mi vida, mi alma, mis entranas*, Hisp. *Farnabius.*

16 *Non pol quo quemquam plus amem*] Hoc totum nimis blande, et cum contrectatione adolescentis, dicit meretrix. *Donatus.*

17 *Faciundum fuit*] Legendum, faciendum, scribendum, totum hoc semper necessitati adjungitur. Virgilius, 'Aut pacem Trojano ab rege petendum.' Et alibi, 'Arma acri facienda viro.' *Idem.*

Ita res erat, faciendum fuit] Σχῆμα κωμικόν. ita expediunt, et absolvunt, compendio simul ac dissimulatione, quibus non est facile defendere quod factum est. *Bœclerus.*

18 *Credo, ut fit, misera præ amore exclusit hunc foras*] Oratorie ac facete additum, *misera.* Et cum illa a derivatione causæ argumentetur, mire a Parmenone correpta est, verisimile non esse, ut quis, quem amet, eundem possit excludere. *Donatus.*

Exclusit hunc foras] Παρὰ προσδοκίαν intulit, intuens puellam, et ei ostendens Phædriam: ut ostendat quam falsa et repugnantia loquatur meretrix. *Idem.*

Misera præ amore exclusit h. f.] Opportune poëta, ad narrationis et contentionis levandum tædium, servum vernili dicacitate inducit meretricem ludere. Priscianus lib. XIV. hunc versum ita scribit: 'Credo, ut fit, misera præ amore hunc exclusit foras.' *Bœclerus.*

Exclusisti, &c.] Menander in prologo fabulæ *Thais* inscriptæ ἦθος ejus expressit: Ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε τοιαύτην, θεὰ, Θρασεῖαν, ὡραίαν δὲ, καὶ πιθανὴν ἅμα, Ἀδικοῦσαν, ἀποκλείουσαν, αἰτοῦσαν πυκνὰ, Μηδενὸς ἐρῶσαν, προσποιουμένην δ' ἀεί. citat Plutarchus de audiend. Poëtis. *Farnabius.*

19 *Siccine ais*] Quinque antiqui libri, *sicine agis?* ut sit sensus: hocine modo me tractas? *Faërnus.*

Age] Corripientis est modo *age*, non hortantis adverbium. *Donatus.*

20 *Te accersi jussi*] Hoc est, quod supra ait, 'Non eam, ne nunc quidem, cum accersor ultro?' *Idem.*

Dic mihi] Meretricia calliditate commendat, quæ dictura est. *Idem.*

21 *Egone? optume*] Bene. non expectavit servus, ut pro se dominus responderet Thaidi. *Idem.*

Potin' est hic tacere] Præstructum, ut inferri possit: 'Quam intimum Habeam te; et mea consilia ut tibi credam omnia.' *Bœclerus.*

22 *Verum heus tu*] Astute servus reponit Thaidi vicem. Nam illa ut

magnum voluit expectari, quod dictura est, iste ut falsum contemnit. *Donatus.*

Meam astringo fidem] Fidem promitto: quia *vincula fidei* dicuntur. *Id.*

23 *Quæ vera audivi, taceo*] Mire vicem Parmeno reddidit meretrici. Nam ut servum difficile est tacere commissa, ita meretricem rarum est vera dicere. *Idem.*

Quæ vera audivi] Figura παρασκευή. *Idem.*

Contineo optume] Proprie a metaphora vasorum transtulit verba. *Id.*

24 *Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palam est*] *Falsum* est, quo tegitur id quod factum est. *Vanum,* quod fieri non potest. *Fictum,* quod non est factum, et fieri potuit. Vel *falsum,* est fictum mendacium simile veritati. *Vanum,* nec possibile nec verisimile. *Fictum* totum sine vero, sed verisimile. Falsum loqui, mendacis est: fictum, callidi: vanum, stulti. Falsum loqui, culpæ est. Fictum, virtutis. Vanum, vecordiæ. Falsis decipimur: fictis delectamur: vana contemnimus. *Idem.*

Sin falsum aut van. aut fict.] Priscianus lib. XIV. concise affert, 'Si falsum, aut fictum, continuo palam est.' v. Guyet. *Bœclerus.*

25 *Plenus rimarum sum*] Vilis atque abjecta translatio, et apta apud meretricem loquenti: translata autem est ab aquario vase fictili. *Donatus.*

Hac atque illac perfluo] Contra, *Contineo optume.* Idem.

Plenus rimarum sum, hac atque illuc perfluo] Donatus: 'vilis atque abjecta translatio,' &c. ubi, quod de meretricis persona addidit, argutius est quam verius, et servus jam huic translationi, ut apte succederet, viam paraverat, cum diceret: 'contineo optime.' sicut vas integrum, continet infusa, rimosum effundit. Alterum illud, de vase aquario fictili, Scaliger putat referendum ad Futile, quod ad Persii, Satyr. Lutatius, ad Andriam (III. 5. 3.) Donatus describunt. sed rimarum ibi nulla mentio. instabile tantum, sive quod stare ac deponi non posset, describitur. *Bœclerus.*

Plenus rimarum, &c.] Κλειθριώδης. 'Sum cui rimosa male deponuntur in aure Arcana.' Sumptum a vasis fractis et futilibus. *Farnabius.*

26 *Proin tu, taceri si vis, vera dicito*] Utrum te taceri, aut tuum dictum? an impersonaliter, et infinito modo? *Donatus.*

27 *Samia mihi mater fuit*] Puduit dicere Thaidem, *Meretrix mihi mater fuit.* quod tamen significavit, dicendo aliunde civem alibi habitasse. Nam ideo meretrices, *peregrinæ* dictæ sunt in comœdiis. ut in Andria, 'Adeone est demens ex peregrina.' *Idem.*

Samia mihi mater fuit] Valde sunt bonæ narrationes Terentianæ. Hic Thais ab initio, fidei causa faciendæ, lente et cum mora quadam narrat. subinde contrahit in summam nonnulla, quæ seriem negotii contexebant quidem, consilio autem, cui narratio tota destinatur, haud perinde permixta erant. *Bœclerus.*

Samia mihi, &c.] Ex Samo insula Icarii maris, Ionio adjacenti. *Farn.*

Rhodi] Ins. maris Carpathii. *Idem.*

28 *Potest taceri hoc*] Id est, verisimile est. Nec *hoc* ad laudem proficit, sed ad dedecus meretricis. *Donatus.*

Potest taceri hoc] *Hoc,* peregrinam nasci meretricem. Et ideo potest verum videri. *Idem.*

Potest taceri hoc] Id est, istud vero credo, matrem tuam id fuisse quod es, meretricem scilicet; nam si illa Samia erat, et apud Rhodum habitabat, ibi erat peregrina, id est, quod satis sit dixisse semel, mulier, quæ corpore corpus alebat. Salomo novem, decem locis peregrinam vocat turpem illam mercem. Sic et peregrina in Andria positum est in probri loco: 'Habeo hic neminem, neque amicum.' Isthuc vero qui tandem Thais possit dicere! Illam Phædria deperibat; ipsa autem Phædriæ in amore paria faciebat; quin et ipsam modo dicentem audies: 'Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certo scio, ... Neque meo cordi esse quenquam cariorem hoc Phædria.' Quid igitur? quia adolescentes, metu probri, infamiæ, et interdum exheredationis, palam et publice ejusmodi mulieres adjutare non audebant. *Faber.*

29 *Puellam dono quidam*] Ætas et sexus amoris causa sunt, cur eam Thais puellam diligat. *Donatus.*

Puellam dono quidam mercator dedit] Propter hoc ostendit meretricem fuisse matrem: et dono ideo accipere puellam potuisse. *Idem.*

30 *Ex Attica hinc abreptam*] Quia Athenis est constituta scena. *Idem.*

Attica hinc abreptam] Regione litorali ἀκτὴ olim vocata, h. *Ducato de Sethines,* in qua urbs Athenæ. *Farnabius.*

Arbitror] Bene *arbitror,* et nihil certi. quando enim ausurus esset Parmeno adornare Chæream ad vitiandum hanc virginem, si præscisset civem esse? *Donatus.*

31 *Matris nomen et patris dicebat ipsa*] Quæ infantis memoriæ proxima sunt. Nam quid prius ætas illa, quam patrem matremque cognoscit? *Idem.*

32 *Et signa cetera neque sciebat*] Id est: domum patris, regionemque ejus. *Idem.*

33 *Neque per ætatem etiam potuerat*] Hoc ideo addidit, ne esset minus elegans, quæ nesciret. *Idem.*

34 *Hoc addebat*] Ad matris scilicet nomen et patris, quod puella dicebat. *Idem.*

35 *Unde*] Id est, a quibus. ut Virgilius, 'Genus unde Latinum.' Et, 'Causam dicere prius, unde petitur aurum.' *Idem.*

E Sunio] *Sunium,* promontorium est Atheniensium: et in eo forum rerum venalium, ἐμπόριον. *Idem.*

Abreptam e Sunio] Cicero ad Attic. Ep. 7. 3. legit: *captam e Sunio.* an μνημονικῷ ἁμαρτήματι? *Bœclerus.*

Sunio] Promontorio Atticæ. h. *Capo delle Colonne.* inter Piræum portum Athenarum et Leonum promont. Eubœæ. citat hunc locum Plinius: 'Mercator hoc addebat, captam e Sunio: quod si δήμους oppida volumus esse, tam est oppidum Sunium, quem Piræus.' l. VII. Epist. 3. *Farnabius.*

36 *Mater ubi accepit*] Hæc figura in narrationibus βάσις dicitur, cum omnia pedetentim dicuntur insinuandi gratia. ut nunc, *Matri mercator dono dedit. Mater ubi accepit.* Et simul convenit mulieri loquenti hujuscemodi mora. *Donatus.*

Mater ubi accepit] *Accepit,* simpliciter, aut audivit ingenuam: ut, *Capiendi et c. a. t.* Sed melius prius. *Idem.*

Cæpit studiose omnia docere] Mire: nam non docuit, sed *cæpit docere.* τῷ μελλησμῷ. Et vide quam satis muliebriter. *Idem.*

37 *Ita ut si esset filia*] Ergo velut soror habenda est Thaidi: et ideo sequitur, 'Sororem plerique esse credebant meam.' Et oratorie cumulat dignitatem et amorem puellæ: ut ejus comparatione leniatur injuria facta Phædriæ. *Idem.*

Docere, educere ita ut si esset filia] [In Faërni nota, inter VV. LL. in h. l. supra inserta, propter homœoteleuton quatuor voces a typotheta male sunt omissæ. Error sic corrigendus: 'Sed nullus liber est in quo sit *educere.* Sed in omnibus *educare:* quam,' &c.]

39 *Ego cum illo, quo cum uno tunc rem habebam hospite*] Totum dixit, et quod hospitem, et quod rem habebat. Et bene *tunc,* et non *nunc.* Nam nunc, cum duobus. *Donatus.*

Quo cum uno tunc rem habebam] Id est, consuetudinem, amorem. *Idem.*

Hospite] Id est, Attico. *Idem.*

Quo cum uno rem habebam tum hospite] Reposuimus ex o. l. s. et Donato hanc collocationem verborum, *quo cum tum uno rem habebam hospite.* et stat versus, si in *rem* collisionem non facias. *Faërnus.*

40 *Abii huc*] Rhodo Athenas scilicet. *Donatus.*

Qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia] Hoc ideo, ne tantundem obsequii exigat Phædria. Ideo contra Parmeno. *Idem.*

41 *Utrumque hoc falsum est: effluet*] Ipse exponit *hoc utrumque* quid dicat. et contradicendum est, quia præsens amator gravatur hoc dicto. *Idem.*

42 *Neque tu uno eras contenta*] Quippe qui admiseris militem. *Idem.*

Neque solus dedit] Quippe quia non omnia tua illius fuere mortui. *Idem.*

Neque tu, &c.] Admisisti namque militem, dein herum meum. Juven. 6. Sat. 'Ocyus illud Extorquebis, ut hæc oculo contenta sit uno.' *Farnabius.*

43 *Nam hic quoque*] Δεικτικῶς. non Phædria, sed *hic* dixit, tangens illum, et quasi invito illo hoc exprobrat. *Donatus.*

Bonam magnamque partem ad te attulit] Hæc dicuntur ἰσοδυναμοῦντα: ut *Abs te petere et poscere.* An potius bonam specie, magnam quantitate? et nunc discretive dictum est: nam alias bonam pro magna et multa accipimus. *Idem.*

44 *Ita est*] Non erat negandum, quod dixit Parmeno meretrici satisfacere cupienti, et non tacenti culpam in conscientia esse. *Idem.*

46 *Te interea loci cognovi*] Oratorie priorem amatorem facit militem, quam Phædriam. Nam posterius dicit hunc cognitum per absentiam militis. Ergo cum militi Phædria rivalis superductus sit, consequens est ut miles queri debuerit, non Phædria: et propterea nihil peccatum, si ordine servato miles antepositus fuerit amatori postmodum cognito. et hoc sine puella, et munerum causa, multum pro milite contra Phædriam valet. Sed vide meretricem, quia rem dixit perurentem, quot et qualia blandimenta subjicit, dicendo, 'Tute scis post illa, quam intimum habeam te,' &c. *Idem.*

Cariam est, &c.] Provinciam minoris Asiæ, inter Ioniam ad Bor. et Lyciam ad Ort. mare Carpathium ad Occid. Rhodium ad Austrum. h. *Aidmelli* et *Mentesselli.* Farnabius.

47 *Cognovi*] Proprie *cognovi.* Donatus.

Tute scis post illa, &c.] Ἐπιπλοκὴ figura: nam hoc ad narrationem non pertinet. *Idem.*

48 *Et mea consilia ut tibi credam omnia*] Ex præsenti actu sumpsit argumentum, quod eum nunc tanquam consultorem adhibuerit. Et bene *Credam.* secundum illud, *Potin' est hic tacere?* Donatus.

49 *Ne hoc quidem*] Id est, hoc quoque falsum est. *Idem.*

Ne hoc quidem tacebit Parmeno] Aut ex *quidem* m elidendum, quamvis sequente consonante: aut legendum ut in Vaticano: *Neque hoc tacebit Parmeno.* quod minus placet. *Faërnus.*

Ne hoc] Utpote falsum. *Farnabius.*

Dubiumne id est] Me non taciturum scilicet. *Donatus.*

50 *Hoc agite*] Pro adverbio corripientis est positum: aut certe pro adhortatione audientiæ præbendæ. Sic Plautus, 'Hoc agite sultis spectatores.' Et convenit velut nutu audientiam significantis, et gestu hoc ipsum adjuvari. *Hoc agite*, id est, illud desinite, et hoc attendite. *Idem.*

Hoc agite] Imperatæ attentionis formula, in Sacris usitata. *Farnabius.*

51 *Nuper*] Ut adhuc amor flagrare videatur, addidit *nuper.* Donatus.

Aliquantulum ad rem est avidior] Vultu accomodato ad reprehensionem pronuntiandum est. *Idem.*

Ad rem avidior] Proprie *avidior.* Et *rem* pecuniam modo dicit. *Idem.*

52 *Is ubi hanc forma*] Ex aliena persona vult ostendere præter affectum, quanti sibi æstimanda sit: et quanto munere miles Phædriæ meruerat anteponi. *Idem.*

53 *Et fidibus scire*] Vetusta ἔλλειψις. *Idem.*

Pretium sperans] Deest *magnum.* ut, 'Et stabulo frenos audire sonantes.' *Idem.*

54 *Producit, vendit*] Proprie. Nam *produci* res venales dicuntur. *Idem.*

Producit: vendit] Hæc celeritas vendibilem indicat mercem. *Idem.*

Forte fortuna] Id est, bona fortuna. *Idem.*

Producit, &c.] Venalem exponit venditque. *Farnabius.*

55 *Hic meus amicus*] Quia locus est meritorum, non jam miles, sed meus amicus. Vide enim quid sequatur: 'Emit,' inquit, 'Eam dono mihi, imprudens harum rerum.' Hic ostenditur quam avidus id faceret, si rem penitus nosset. simul etiam ostenditur quanta secreta dicat Phædriæ: utpote quæ rivalis nesciat. *Donatus.*

Hic meus amicus] Miles, Thraso. *Farnabius.*

56 *Imprudens harum rerum, ignarusque omnium*] *Prudentia*, naturalis est: *gnaritas*, extrinsecus venit. *Imprudens*, per se: *Ignarus*, per alios. Hoc est, qui nec suspicatus sit, neque ex aliquo audierit. *Donatus.*

57 *Venit*] Ex Rhodo Athenas. *Farnabius.*

Postquam sensit me tecum quoque rem habere] Non dictum, sed quasi cœlatum. *Donatus.*

Sensit me tecum quoque rem habere] Magno pondere dixit, *tecum quoque:* tanquam irascendi justa magis sit causa militi, quam Phædriæ. Nam *sensit*, et *tecum*, et *quoque*, hoc significat. *Donatus.*

Rem habere] Sic dixit, ut honeste res impura dicatur. *Idem.*

58 *Ne det, sedulo*] *Sedulo*, sine dolo, hoc est, impense. *Idem.*

59 *Ait*] Semper *ait* dicimus, quum vel invisa nobis et audientibus, vel vana dicta narramus alicujus. *Idem.*

Si fidem habeat] Hoc est si faciam aliqua, unde credat se tibi præponi. *Idem.*

Si fidem habeat] Si credere cogatur, id est, si credat: unde *fidejussor* dicitur, hoc est, auctor credendi. *Idem.*

Se iri præpositum tibi apud me] Ἀναστροφὴ in verbo, *præpositum iri*, ac necessaria implicatio in his, quæ dura dictu sunt. *Idem.*

62 *Sed ego quantum suspicor*] Alta et acuta inventio. Scit meretrix hoc solo amatores inimicos esse, quod idem diligunt. Magnifice igitur, ut rivalis odium deliniret, vult persuadere Phædriæ non se amari, sed virginem. *Idem.*

63 *Ad virginem animum adjecit*] Cur hoc inferat? ut vel lædendi militis causa, Phædria patiatur, eum, quam amet, et nolit, virginem dono dare.

Ad virginem, &c.] 'Sed præcanto est opus: Ne ad illam me animum adjecisse aliqua sentiat.' Plaut. Mercat. act. II. sc. 2. *Farnabius.*

Etiamne amplius] Mundat Terentius, ut solet, res hujusmodi per ἔλλειψιν suam. *Donatus.*

Etiamne amplius? nihil. nam quæsivi] *Etiamne amplius*, sc. militi cum illa virgine aliquid fuit? ut supra plenius in Andriæ II. 1. 25. interrogabatur, respondet Thais: 'Nihil: nam quæsivi:' in hac re studiose inprimis curavi ut resciscerem omnia. Et Phædriæ interrogatio, et Thaidis responsio mire serviunt τῇ οἰκονομίᾳ. Interrogatio enim illa, ut bene Donatus notat, honestati virginis et matrimonii Chæreæ consultura erat, ut intacta a milite intelligeretur cujus nuptiæ adolescenti nobili debe-

bantur. simul avebat Phædria cognoscere, si forte animus rivalis sui a Thaide ad aliam translatus nosceretur. Responsio autem Thaidis auctura erat suspicionem Phædriæ, quasi ea amore militis potissimum teneretur, et æmulatione stimulata metueret, ne is alio amorem suum conferret. id quod ante pernegaverat. unde postea Phædriæ occasio fuit, eam arguendi, et ex omni oratione ejus hoc conficiendi, 'plus amari militem quam se.' vs. 78. &c. *Bœcler.*

64 *Nihil: nam quæsivi nunc ego eam, mi Phædria*] Optime purgavit Terentius, quod mox liberalibus nuptiis fuerat obfuturum, si vitiatam virginem duceret Chærea. Necessario ergo defenditur, tanquam quæ honeste nuptura est. *Donatus.*

Nam quæsivi, &c.] Optime cavit poëta ut virgo integra et casta servaretur, quam liberalibus nuptiis destinarat. *Farnabius.*

65 *Multæ sunt causæ*] Non indiligenter consideraverunt hanc meretricis orationem, qui illam instar controversiæ retulerunt. Nam et principium est, 'Me miseram, vereor ne illud gravius Phædria tulerit.' Et narratio, 'Samia mihi mater fuit.' Et partitio cum confirmatione. ut, 'Nunc ego eam, mi Phædria, multæ sunt causæ quamobrem cupio abducere: primum quod soror est dicta,' et cetera. Reprehensio quoque, 'Egone id timeo?' et, 'Egone non ex animo misera dico?' Et conclusio per conquestionem: ut, 'Quam joco rem voluisti a me tandem, quin perfeceris? Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum saltem ut concedas solum.' *Donatus.*

Quamobrem cupio abducere] Etiam hoc verbo gratificatur Phædriæ: non enim *accipere*, ut ab amico remunerante: sed *abducere*, ut ab stulto, et experte. *Idem.*

Abducere] A milite. *Farnabius.*

67 *Ut suis restituam, ac reddam*] *Restituimur* iis, quibus nos volumus: *Reddimur* iis, qui nos volunt. Ergo restituimus volentem, reddimus volentibus. Sed in hac utrumque est. *Donatus.*

Sola sum: habeo hic neminem] *Sola sum*, ad familiarium refertur absentiam. *Habeo hic neminem*, ad alienorum amicitiam. Potest enim sola domi esse, habere tamen aliquem foris. Et *habeo hic neminem*, plus sonat, quam, *Neminem hic habeo.* Et, *Sola sum*, ab iis quos natura conciliat per se. *Habeo neminem*, eorum qui voluntate junguntur. *Idem.*

68 *Neque amicum*] Bene hoc apud amatorem: quia est aliud *amator*, aliud *amicus*. *Amator*, qui ad tempus: *Amicus*, qui perpetuo amat. An quia in patris potestate est Phædria? *Idem.*

Quamobrem, Phædria] In necessariis interponi nomen licet audientis. *Idem.*

69 *Cupio aliquos parare amicos beneficio meo*] Hic ostendit specialiter, cujusmodi amicos quærat, ne Phædriam contemnere videatur. *Idem.*

Parare amicos beneficio meo] Quia parantur, et suo, sed minus diligunt. *Idem.*

70 *Id, amabo! adjuta me, quò id fiat facilius*] Παρέλκον. bis *id* posuit. *Donatus.*

Adjuta me] Mira coactio. pro patere excludi, *adjuta me*, dixit. *Idem.*

71 *Sine illum*] Blande *sine illum*, tanquam in manu ejus sit injuriam non pati, et excludi militem. Non enim dixit *fer*, aut *patere*, sed *sine*. Idem.

Priores partes hosce aliquot dies] Honeste circumloquitur: et oratorie, ne dicat, Abi foras, atque excludi te patere. *Idem.*

Priores partes, &c.] Quos in honore, gratia aut amore habent homines, hos *προτέρους παρ' αὐτοῖς εἶναι* dixerunt. Arist. Categ. *Farnabius.*

72 *Nihil respondes*] Jam silentium

accusat: quia scit nihil responsurum contrarium. Et satis blande, *Nihil respondes* dixit: tanquam qui debeas amoris vicem. *Donatus.*

Pessima] Læsa patientia excitavit dolorem, dolor iram. *Farnabius.*

73 *Ego quidquam*] Facete exprimitur illud, 'Amantium iræ amoris integratio est.' *Donatus.*

74 *Tandem perdoluit*] Nimis doluit, id est, persensit dolorem. Et *tandem*, quasi qui nimis patiens fuit. *Donatus.*

Tandem perdoluit: vir es] Eleganter variavit personam secundam, et tertiam. *Idem.*

Vir es] Non puer, sed jam vir, qui meretricem contemnis. *Idem.*

Heu noster, laudo] Bembinus et nonnulli alii antiqui libri *Eu* sine aspiratione habent. *Faërnus.*

75 *At ego nesciebam quorsum tu ires*] Tres antiquissimi libri habent, *aut ego.* alii omnes *haud ego*, quod et placet; id est, non eram nescius. *Idem.*

At ego nesciebam, &c.] Τὸ *at*, longe significantius est hoc loco, quam *haud.* an autem cum Guyeto *κατ' ἀντίφρασιν* accipi debeat, id est, haud nesciebam, possis dubitare; videtur enim Phædria apte assimulare, se non satis animadvertisse antea, quo tenderent illæ ambages: donec tam importuna petitio rem ultro proderet. considera, an magis opportunum hoc sit moribus hactenus cum silentio et benevole audientis, nunc autem, ad mentionem præferendi rivalis, subito impetu ad indignationem concitati. Ceterum *μίμησις* hæc, excerpit odiose summam dictorum, ac interpretatione quasi violenter illata in accusationem mendacii et perfidiæ cujusdam desinit. *Bœclerus.*

Parvula hinc est abrepta: eduxit mater pro sua] Vide *μίμησιν* cum odio inductam, et depravatam pronuntiatione: ita ut et *ὁμοιοτέλευτα* non vitarentur industria, *Parvula hinc est abrepta, eduxit mater pro sua, soror est dicta.* Donatus.

Parvula, &c.] Mimesis cum odiosa repetitione et gestu deformi. *Farnabius.*

77 *Soror dicta est*] Liber Bembinus, cum quo hic consentiunt omnes fere libri recentes, habet *soror dicta est.* nec versus repugnat, si abjicias r, ex *soror*, ut primus pes sit anapæstus, sicut et supra in, *nuper ejus frater.* at alii antiqui libri *soror est dicta.* Faërn.

78 *Hæc nunc verba*] Id est, falsa dicta. *Donatus.*

Huc redeunt] Ut excludar. *Idem.*

80 *Nisi illum plus amas, quam me*] Repudiatis causis, quas illa attulerat, per derivationem causæ, hic aliud dicit esse cur repellatur. *Idem.*

Et istam nunc times quæ advecta est] Adeo, inquit, amas militem, ut etiam invideas si quam amaverit. *Idem.*

81 *Talem præripiat tibi*] Εἰρωνείᾳ stomachantis amatoris. *Idem.*

Ne illum talem prærip. tibi] Hæc vel ita accipi possunt, ut habet Guyetus, *illum talem*, nescio quem, cum contemtu: vel *illum talem*, *μιμητικῶς*, quasi judicio Thaidis talem ac tantum, id est, quem tu tanti facis, quem tibi præ omnibus tenendum putas, &c. quo possit pertinere Donati annotatio, qui *εἰρωνείαν stomachantis amatoris* hic agnoscit. *Bœclerus.*

82 *Quid te ergo aliud solicitat*] Quid est, inquit, si hoc non est? *Donatus.*

83 *Num solus ille dona dat*] Jam quasi quæstiones tractantur: sed ille munus advexit. *Idem.*

Num solus ille dona dat] Post locum amoris, apte mercedis et donorum tractatu utitur apud meretricem, cui omnia pretio metiri, disciplina est. itaque nec exprobratio aliena fuit. in qua hoc custodivit Poëta, ut animus Phædriæ in dando valde honestus, Thaidis in accipiendo vilis ostenderetur. et animo promtus, nec operæ aut pecuniæ parcus signatur ille; adeoque vere benignus. at Thais nec de muneribus recte judicat, et auctori ultro pro gratia injuriam reddit.

Debuerunt hæc gravia esse, ut mobilis amatoris inconstantia paulo post veluti exadversum spectaretur, quando tanta ratione, tanto affectu huc provectus, unico verbo labascit, expugnatur, succumbit. *Bœclerus.*

Nuncubi meam benignitatem] Possunt enim dona dari, sed exigua, aut minus liberaliter: et ideo mentionem benignitatis adjecit. *Donatus.*

Nuncubi meam benignitatem] Sed ille benignus est. *Nunc ubi*, numquid alicubi. Aut si, *nuncubi*, legimus, erit adverbium temporis: ut sit ubi, quo in loco, qua in re. *Idem.*

Nuncubi meam benignitatem] Intelligit se et dona obtulisse, et id benigne sæpe fecisse. nam plerumque ingrata dona sunt, in quibus benignitas non apparet: quæ aut in quantitate rerum est, aut in facilitate præstantis. *Idem.*

84 *Claudier*] *Claudi*, aut claudicare. Sallustius, 'Neque enim ignorantia claudit res.' et, 'Nihil socordia claudebat.' *Donatus.*

In te claudier] Ita Bembinus, et omnes recentes libri ac Donatus. at ex antiquis alii *intercludier*, alii *interclaudier*. Faërnus.

Claudier] Qui lectionem *calvier*, verbo obsoleto significante *frustror*, *frustratui habeo*, frustra sunt, ut et qui *claudier* pro *claudicare*. nec minus qui *interclaudier*. Namque Ciceronis auctoritate nitendum, cui eadem est Metaphora, l. II. de Officiis. 'Nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit: nec ita reseranda, ut pateat omnibus:' libri vulgati habent *referenda*, sed perperam. *Farnabius.*

85 *Nonne ubi mihi dixti cupere te*] Plus dixit, *ubi dixti cupere te:* quam si diceret, fecisti ut emerem. Plus est enim id præstitisse, quod qui acceperit, non ausus fuerit postulare. *Donatus.*

Cupere te] Vult rem parvi pretii ex illius cupiditate et suo labore perpendi. *Idem.*

Ex Æthiopia] Non Æthiopissam, sed honestius *ex Æthiopia*. Idem.

Ex Æthiopia] Æthiopissarum ministerio utebantur matronæ nobiles et divites. ut et Eunuchorum, ad lectorum custodiam: unde iis nomen ex εὐνὴ et ἔχω. *Farnabius.*

86 *Relictis rebus omnibus, quæsivi*] Hæc jam omnia in beneficiis considerari solent. *Donatus.*

87 *Quæsivi*] Vide quemadmodum exhibeat, atque ærumnas sibi difficilium munerum dicat imposuisse meretricem. Ex Æthiopia ancillulam, inquit, dixti te cupere. Quid ego feci in re cœli, et solis, ac pene orbis alterius? quæsivi. non enim in promptu erat. Deinde, non petisti, sed dixisti: nec velle te, sed cupere: non nigram, sed ex Æthiopia: nec dedi, sed relictis rebus omnibus quæsivi. Quid hic non exquisitum? quid non ita expressum, ut nihil addi possit? *Idem.*

Eunuchum porro velle] Eunuchos a Persis institutos putant ex captivis. A Babyloniis enim Hellanicus auctor est id habuisse. *Idem.*

Eunuchum porro dixti velle te] Vide quemadmodum, ut majus faciat quod præstitit, non semel imputat duo mancipia: sed primo puellam, deinde eunuchum. *Idem.*

Eunuchum] Εὐνοῦχος εἴρηται, ὡς εὐνὴν ἔχων, τοῦτ' ἔστι, φυλάττων OCOC eINryNeN KeCANΔPOC.* *Idem.*

Porro] Deinde, vel postea, vel multo post. *Idem.*

Eunuchum porro] O. l. s. et Donatus, *porro eunuchum*. Faërnus.

88 *Quia solæ utuntur his reginæ*] Illam, quia ex Æthiopia: hunc, quia solæ his reginæ utuntur. 'Quid tale Thaidi rivalis dedit?' *Donatus.*

Quia solæ utuntur his reginæ] Varie Eunuchum dixit, et intulit *His*. ut: 'Si quisquam est, qui placere se studeat bonis Quam plurimis, et minime multos lædere; In his poëta hic nomen profitetur suum.' *Idem.*

Reginæ] Id est, divites. sed ἐμφατικώτερον est. *Idem.*

Quia solæ utuntur his reginæ] Nota, quum Eunuchum in singulari numero præposuerit, *his* subjunxisse. sed *his* non ad Eunuchum retulit, sed ad delicias, aut quid tale: quia solæ utuntur hujusmodi deliciis servitiisque reginæ. Et oratorie hic subdidit, quod in ancillula prætermisit. quia nulla Æthiopissa honesta dici potuit. Et *reginas* modo divites dicit. ut in Phormione, 'Regem me esse oportuit.' *Idem.*

Quia solæ utuntur his reginæ] Donatus *reginas* hic pro *divitibus* accipit. non placet. vide Chrestomath. τὸ *his* Donatus non ad Eunuchos refert, sed ad delicias; curiosius quam par est. *Bœclerus.*

Repperi] Plus est quam *emi*. Et vide quam propriis et amplissimis verbis usus est. quia et ancillam ex Æthiopia, et Eunuchum: quo solæ utuntur reginæ. illam quæsivi, et hunc repperi: neutrum enim horum facile positum erat. *Donatus.*

89 *Heri minas viginti pro ambobus dedi*] Recentiora beneficia graviora adversum ingratos sunt. Ergo a tempore inducitur exprobratio. *Idem.*

Pro ambobus dedi] Melius amborum pretium dixit, quam ut separatim diceret, quanto emerit ancillulam nigram: de qua mox dicetur, 'Hic sunt tres minæ.' Nam constat Eunuchum solum emptum esse minis viginti, ut ipse Parmeno confitebitur seni. *Idem.*

90 *Tamen contemptus abs te*] Et hoc servatur in beneficiis. Nam majora sunt cessantibus meritis eorum, quibus præstantur. *Idem.*

Tamen contemtus abs te, hæc habui in memoria] I. e. *quamvis* excluseris me adeoque contemseris, non tamen desii curare munera tibi destinata. *hæc habui in memoria*, i. e. non abjeci curam de muneribus tibi destinatis, sed ut emerentur ac adducerentur ad te ancilla cum Eunucho accurandum mihi duxi. Benignitatem voluntas commendat, ne injuriis quidem absterrita. *Bœclerus.*

91 *Ob hæc facta abs te spernor*] Sic Virgilius, 'Nos munera templis Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.' Et *Vel quas tulit* cum interrogatione aut cum increpatione proferri potest. *Donatus.*

Ob hæc facta abs te spernor] Hic duplex est pronuntiatio: vel per invidiosam prolationem, vel per interrogationem. Et melius hoc modo, quam interrogative profertur: hic enim est multo gravior illo. *Idem.*

Quid istic] Hoc adverbium consentire incipientis est. et est ἔλλειψις: deest enim *remoramur*, aut quid tale. *Idem.*

92 *Cupio abducere*] *Abducere* dixit, tanquam ab stulto: nec per verum meritum, sed per fraudem. Cicero, 'Per vim atque dolum abducta ab Rhodio tibicine.' *Idem.*

Atque hac re arbitror] Non dicit qua, hoc est, ex te. Veruntamen scit meretrix, contentione quædam negari. Ergo fingit se vinci, ut adolescentem molliat: et ipsa cedit, ut et ille remittat pertinaciam. *Donatus.*

94 *Potius quam te inimicum habeam, faciam ut jusseris*] Hoc totum loquitur, tanquam magis ipsa amet Phædriam, quam ab illo ametur. *Idem.*

Te inimicum habeam] Huic contrarium est, *Ut te amicum habeam.* Idem.

Faciam ut jusseris] Nec voluntate, nec vultu consentientis hoc meretrix agit: sed callide tentat omnia. Nam quia persistendo non perficit quod expectabat, docet Phædriam etiam ipsum negligentius negare quod poscitur. et adeo hoc subtile est, ut statim impetraverit. Pervulgatum est enim, Quod summa vi defenderis, quum extorqueretur, hoc idem postmodum remitte remittenti. *Idem.*

Faciam, &c.] Cedendo vincit, remittendo impetrat. *Farnabius.*

95 *Utinam istuc verbum*] Et *istuc*

verbum, pro tota sententia. *Verbum* pro dicto. Sed proprie ἀξίωμα, id est, sententia vel enuntiatio, quæ uno ligatur et astringitur verbo, *verbum* a veteribus dicebatur. *Donatus.*

Ex animo, ac vere diceres] Certe, quia est qui ex animo dicat, fallat tamen. *Idem.*

Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres] Imitatur et interpretatur Catullus Carm. 100. 'Dii magni facite, ut vere promittere possit, Atque id sincere dicat et ex animo.' *Bœclerus.*

96 *Potius quam te inimicum habeam*] Tantum in animum Phædriæ hoc descendit, ut etiam repetat quod amica dixerat adulando. *Donatus.*

97 *Sincere dici, quidvis possem perpeti*] *Sincerum*, purum, sine fuco, et simplex: ut mel sine cera. Bene ergo, ut mel, blandimentum meretricis dulce fatetur, sed negat esse sincerum. *Idem.*

98 *Labascit*] Omnia inchoativa trisyllaba, fere media producta enuntiantur. *Idem.*

Victus uno verbo quam cito] *Quam cito* ait, qui illum falsa lacrymula vinci crediderat posse. Plus factum est; uno victus est verbo, et cito. *Idem.*

Victus uno verbo] *Utinam istuc verbum.* Et *uno verbo*, ut diximus, sic accipe: ut verbum dictum intelligas, quod verbo complectitur, et completæ sententiæ pronuntiationem, quod ἀξίωμα nominabatur. *Idem.*

Labascit, &c.] Metaph. sumpta ab ædificio tenui tibicine fulto, aut ab arbore multis ferri ictibus succisa, adeoque ruinam minitante. 'Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ, Nec dubio nubes vertitur atra Noto, Quam facile irati verbo mutantur amantes.' Propert. *Farnabius.*

99 *Ego non ex animo misera dico*] Quod sensit multum valuisse, hoc Thais inculcat animo amici sui. Et *ego*, vide quanta significet. Convenit hoc pronomen blande multa exprobranti: ut Virgilius, 'Mene fugis?' *Donatus.*

Quam joco rem voluisti] Contra illud refertur, quod ait Phædria, 'Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia ancillulam, relictis rebus omnibus quæsivi?' Sed hoc vehementius et disertius, *Quam joco rem voluisti.* Non munus, inquit, sed quod plus est, rem. et non serio, sed joco. A facilitate præstantis. Et *voluisti*, non etiam *dixisti*. Mirandum obsequium, ex voto animi pendens. Non expectat imperium: ne voluptati mora sit, dum jubetur. Tum illud quod ait, *perfeceris*, nonne pondus hoc verbi et potentiam Phædriæ circa amicam, et illius obsequium vehemens, et rerum difficultatem quæ extortæ sint, monstrat, atque omnem obterit querelam Phædriæ? *Idem.*

Quam joco rem voluisti a me tandem, quin perfeceris] Illud, *joco*, sensum optimum habet; sic: In re joculari nihil est quod a me non impetres; at ego in re seria, et quæ ad meam cedit utilitatem, nihil a te impetrare possum. Nolim itaque illud, *joco*, mutari in, *rogo*, quod nuper cum elogio prodiit. *Faber.*

101 *Ego impetrare nequeo hoc abs te*] Tu et joco, et non petisti, cum perfeceris tamen. at ego hoc impetrare non possum. *Donatus.*

102 *Saltem ut concedas solum*] Argute additum *saltem* et *solum*. Et bene, *concedas*, ut voluntatis sit: sic enim dixit supra, 'Sine illum priores partes hosce aliquot dies apud me obtinere.' *Idem.*

103 *Verum ne fiant isti viginti dies*] Facete biduum decuplavit: et simul quia ex eadem ratione sunt viginti, ex qua duo; et ex qua viginti, ducenti, duo millia, et sic deinceps. *Idem.*

104 *Profecto non plus biduum, aut*] 'Αποσιώπησις secunda. *Idem.*

105 *Hoc modo sine te exorem*] Nove nunc, non *De te exorem*: sed *te exorem.* *Hoc* absolute. *Idem.*

106 *Faciundum est quod vis*] Non *quod oportet*, sed *quod vis* dicendo, multum addidit obsequio suo. *Idem.*

Merito amo te] Bene amoris mentionem ad auferendam suspicionem contemptus Phædriæ fecit. *Idem.*

Bene facis] In consuetudinem venit, *Bene facis*, et *bene fecisti*, non judicantis esse, sed gratias agentis. *Idem.*

Bene facis] Non judicantis aut approbantis, sed gratias agentis pro oblato officio formula. sic *Benigne.* Epist. 7. l. I. Horat. 'Pyris vesci Calaber jubet hospes...vescere sodes. *Resp.* Jam satis est. *Hospes:* At tu quantum vis tolle. *Resp.* Benigne.' *Farnabius.*

107 *Rus ibo*] Et hoc amatorium est, odisse urbem sine amica. Nec dixit, 'Ibi ero:' sed, 'Ibi hoc me macerabo biduum.' Pronuntiandum est *biduum*, ac si dixisset biennio. *Donatus.*

108 *Ita facere certum est*] Ex his apparet verbis, quam sibi amator hoc ægre imperet. *Idem.*

Mos gerendus est Thaidi] Cum pronuntiatione et gestu: ut ostendat, quæ vis amoris sit, ut Thaidi mos geratur. *Idem.*

109 *Huc fac illi adducantur*] Eunuchus et ancilla, figurate *Illi:* sed prævalet genus masculinum. *Adducantur*, pro, adducito eos. Et bene adjectum est, ne dilatis ob retentionem muneribus, non procederet actus fabulæ, et simul quia absentia Phædriæ opus est, dum per Chæream ludificatur meretrix. *Idem.*

Illi adducantur] Eunuchus et Æthiopissa. *Farnabius.*

110 *In hoc biduum Thais vale*] Nunc *vale* abscessum significat, non salutationem: nam si mera salutatio est, biduo solum amicam valere optat. Sed præscribere conatur, quanto tempore abfuturus sit, et simul ostendit, quam invitus abscedat. *Donatus.*

In hoc biduum Thais vale] Accusativo utens casu expressit amatoris impatientiam: *Biduum* dicens, præscripsit de tempore. Et *vale* majorem vim habet ex dolore discedentis, quam obsequio salutantis. *Idem.*

111 *Numquid vis aliud egone, &c.*] Apud Plautum Amphitruone I. 3. 44. 'Numquid vis? AL. ut cum absim me ames, me tuam absentem tamen.' *Bœclerus.*

Et tu: numquid vis aliud] *Vale* subaudiendum salutatorium. Et subintelligendum est post osculum dici, 'Numquid vis aliud?' quasi recte factum. *Donatus.*

112 *Cum milite isto*] *Isto* bene additum, quasi odioso; ut alibi, 'Jam vero mitte, Demea, tuam istam iracundiam.' Et Virgil. 'Aut quid petis istis?' Hæc enim pronomina spernentis sunt, odiumque monstrantis. *Idem.*

Præsens, absens] Κακόζηλον. *Idem.*

Præsens, absens] Dido Virg. Æn. IV. 'Illum absens absentem auditque videtque.' *Farnabius.*

113 *Me desideres*] Αὔξησις: quia plus est amore desiderium. *Donatus.*

114 *Me somnies, me expectes*] 'Επαναφορὰ prima. Cum amare et desiderare sit voluntatis, atque etiamnum obsequii: somniare, satis amatorie dictum est. *Idem.*

115 *Me speres*] Cum *me expectes* jam dixerit, quid sibi vult iterum *me speres?* Inter spem et expectationem hoc interest: quia *expectatio* certorum est: *spes* vero incertorum. Et *expectatio* propinquarum rerum: *Spes* longinquarum. Et *Expectatio* destinat tempus: *Spes* non destinat. An? *me speres idem facere:* id est, de te cogitare: ut sit *speres*, credas: ut statim in subditis invenies: 'Nam ejus fratrem spero jam propemodum reperisse.' *Idem.*

Me te oblectes] Septimus casus *me.* Idem.

Mecum tota sis] Toto animo. Nam illam nunc animum vult esse, non corpus. et simul quod ipse ab ejus corpore patitur: id vult militi ejus mente contingere, tanquam penitus excluso ab amica. *Idem.*

116 *Quando ego sum tuus*] Animus scilicet. *Idem.*

Animus, &c.] 'Anima est amica amanti: si abest, nullus est: si adest, res nulla est: ipsus est nequam et miser.' Plaut. Bacchid. II. act. 2. sc. *Farnabius.*

117 *Me miseram! forsitan hic mihi*] Recte Thais nunc partem argumenti exequitur tacitam apud Phædriam, propter præsentiam servi: quem poëta vult ita nescire, ut audeat ad vitiandam virginem subornare Chæream. *Donatus.*

118 *Atque ex aliarum ingeniis nunc me judicet*] Hic Terentius ostendit virtutis suæ hoc esse, ut pervulgatas personas nove inducat: et tamen a consuetudine non recedat: ut puta meretricem bonam cum facit, capiat tamen et delectet animum spectatoris. *Idem.*

120 *Neque me finxisse falsi quidquam*] Aut *dixisse* debuit dicere, aut abundat *falsi*. aut ideo, quia et vanum aliquid fingi potuit. ut supra, 'Si vanum, aut falsum, aut fictum est.' *Idem.*

121 *Esse quemquam chariorem*] Melius *quemquam*, quam si dixisset, *militem quemquam chariorem*. Idem.

Quemquam chariorem] Quasi meretrix non charum alterum, sed chariorem negat. *Donatus.*

122 *Et quidquid hujus feci*] *Hujus* absolute; aut per ἔλλειψιν, ut desit *rei*. In Hecyra, 'Ne quid sit hujus oro.' In Heautontimorumeno, 'Nihil me istius facturum patri.' Virgilius, 'Aut quid petis istis?' *Idem.*

Quidquid hujus] *Rei* subaudiendum est, quod eum exclusi foras. *Idem.*

Et quicquid hujus feci, causa virg.] Exprimendum hoc erat iterum, propter οἰκονομίαν argumenti, quod ab una parte huc præcipue tendebat: ut intelligeretur, quid ac quomodo in epitasi huic primario consilio intercederet. Quæ ad meretricis artes et eloquentiam spectant, diligenter executus est Donatus. *Bœclerus.*

Quicquid hujus, &c.] Quod heri non intromisi Phædriam. *Farnabius.*

123 *Spero propemodum*] Nove *spero*, pro credo vel confido. *Propemodum* ideo, quia hominem quidem novit, sed fratrem esse virginis nondum probavit. *Donatus.*

124 *Adeo nobilem*] *Adeo*, pro nimis positum est, aut pro expletiva particula. *Idem.*

126 *Atque expectabo dum venit*] Futurum actum promittere voluit: non quo aliquis gestus sit expectantis. *Idem.*

ACTUS II.

SCENA I. Scena hæc satura est, ex Trochaicis, Iambicis, mixtisque metris. de quibus v. Guyet. vs. 3. omnes Mss. nostri, *sit.* vs. 4. ut edid. vs. 5. duo: *carius est.* vs. 8. omnes: *quoad poteris:* duo: *etiam.* vs. 9. vs. 10. unus: *hau memini:* alter: *ahu mem.* vs. 16. *τὸ est*, in duobus legitur, sed situ non eodem: mox omnes: *mihi indulg.* vs. 21. omnes: *nec magis sev.* vs. 24. omnes: *hic dabo:* nisi quod Argent. manu correctoris, *hinc d.* Bœclerus.

1 *Fac ita ut jussi*] Jam amatorium multiloquium et vaniloquium continet ista actio: nam et repetit quod jam dictum est: et id facit magis et odiose nimis. *Donatus.*

Deducantur] Eunuchus et Æthiopissa deducantur ad Thaidem. *Farnabius.*

2 *Ah, rogitare? quasi difficile sit*] Deest *vis*, vel *pergis:* ut sit, rogitare pergis? Vel *te*, si ipsum respicit: vel *hunc*, si adversus hoc dicit: ut sit, Ah, rogitare te? aut, rogitare hunc? Et distinctione interposita, inferendum vultuose, quasi difficile sit id quod mandat. Ita et ineptiam nimiam circa hoc solliciti amatoris expressit: et ostendit, nihil esse facilius, quam deducere ad meretricem munera: cum contra illud sit difficillimum, poscenti aliquid non dare. *Donatus.*

Rogitare] Subauditur *te*. Ut sit, mirum est te rogitare; quasi sit difficile complere quod jubes. *Idem.*

Ah rogitare] Pergin' id rogitare? *Farnabius.*

4 *Aliquid invenire facile possis*] *Invenire*, acquirere. Sic Heautontim. 'Non quæris patri quo modo obsequare: et ut serves quod labore invenerit.' Nam ideo a præcedenti etiam *quæstus* dicitur. *Donatus.*

Utinam tam invenire aliq. fac. possis] Nullam occasionem urbanitatis et joci opportune captandi prætermisit in hac Comœdia Poëta. adeo quidem, ut inter ipsam tristitiam Phædria πάθος ἐρωτικὸν, 'Ego quoque una pereo; quod mihi est carius: Ne istuc tam iniquo patiare animo.' ubi erudite Donatus: Pro, qui mihi, &c. αὔξησις magno judicio usurpata. *Bœclerus.*

5 *Quam hoc peribit*] Deest *facile:* ut sit, Facile hoc peribit. *Donatus.*

Hoc quam peribit] Damnum in proclivi et præcipiti est. Nec ingrato tantum, sed quod meretrici datur, perit. 'Meretricem ego idem esse reor, mare ut est: quod des devorat, nec unquam abundat, &c. huic des quantumvis, nusquam apparet, neque datori neque acceptrici.' Plaut. Truculent. II. act. 7. scen. *Farnabius.*

Quod mihi est carius] Pro, qui mihi sum carior. Sed *ego* dixit absolute, occurrens huic pronomini *quod*. Donatus.

Quod, &c.] Quod damnum mihi gravius est, et carius. alii, qui mihi sum charior. *Farnabius.*

6 *Quin effectum dabo*] *Quin* pro imo. ut in Heautontim. 'Quin nolo mentiare.' *Donatus.*

Ne istuc tami niquo patiare animo. P. *minime, quin*] Hunc versum ita ordinamus: *Ne istuc tam iniquo patiare animo.* P. *minime, quin effectum dabo. Sed nunquid aliud imperas?* Quorum prior non faciendo collisionem in *tam iniquo*, est trochaicus tetrameter hypercatalecticus: posterior dimeter iambicus. duos vero versus, qui hos sequuntur, ita ordinamus: *Munus nostrum ornato verbis quod poteris, et istum æmulum, Quod poteris, ab ea pellito.* Faërnus.

7 *Sed numquid aliud imperas*] In his servus nihil vult, nisi coactus facere, propter majorem dominum: sic et alibi, *Jubesne inquit?* responderet ei Chærea, *Cogo atque impero.* Donatus.

8 *Munus nostrum ornato verbis*] Ἠθικῶς non dixit *meum*, quasi et Parmenonis sit. *Idem.*

Et istum] Id est, molestum et odiosum: nam hoc significat *istum*. Idem.

Munus nostrum ornato verbis, &c.] Sententia valde proba et elegans, certatim ad imitationem placuit eruditis. *Bœclerus.*

9 *Ab ea pellito*] *Ab ea*, ab ejus animo: et non, *pelli facito:* sed, *pellito:* Donatus.

10 *Tametsi nullus moneas*] Properat servus carpere vaniloquium domini. Et *nullus*, pro non: sic in Hecyra, 'Nullus dixeris.' Plautus in Trinummo, 'Nullus credas.' *Idem.*

Ego rus ibo] Et hoc jam dictum est: sed ostendit, quam moleste id incipiat Phædria. *Idem.*

11 *Censen' posse me obfirmare, et perpeti*] Arbitraris: ut Censores, qui morum alienorum habent summum arbitrium. Et ideo hunc putant non censere, quia ipsa desiderat fieri. *Idem.*

Posse obfirmare, et perpeti] Verba sunt desperantis: non firmare sed

obfirmare: non pati, sed perpeti. *Idem.*

12 *Te ne*] *Te* quod ait, hanc vim habet, ut significet perditum amore Phædriam esse. *Idem.*

13 *Nam aut jam revertere*] Modo *jam*, pro statim. *Idem.*

Aut mox noctu te adiget horsum insomnia] Mirum est dubitasse de hac lectione Faërnum: nam, profecto, insomnia est numeri singularis, et ita Gallice dicunt medici. Unde et mox addit Terentius, ipse sui interpres: *Vigilabis lassus.* Male igitur qui aliter vertunt in sermonem Gallicum. *Faber.*

Te adigent horsum] Hoc est, ad urbem agent. *Donatus.*

Insomnia] Vigiliæ. Legitur et *adiget*, ut sit *insomnia* numeri singularis. *Idem.*

Te adigent horsum insomnia] Donatus affirmat legi etiam, *adiget*, in singulari; quam lectionem in uno tantum libro Terentii inveni. *Faërnus.*

Noctu te, &c.] Quum in solicitudine cogitatio versatur, fit ingens animi perturbatio, nec tamen adeo valida, ut etiam somnum convellat, unde et dormientibus quandoque contingit ut per somnum ambulent. *Farnabius.*

14 *Ut defatiger usque*] Ordo est, usque ut defatiger. *Donatus.*

Ut defatiger usque] Labor diffundit in nobis quædam quæ vicem incocti alimenti præbent: atque eadem ratione qua cibus, vapores in sublime efferunt, qui a cerebro refrigerati distillant, sensoria ad tempus obstipant, somnumque conciliant. *Farnab.*

Ingratiis ut dormiam] Id est, etiam invitus et coactus. Nam *ingratiis*, non ultro significat: quia ultronea grata sunt: ingrata, quæ ab inimicis fiunt, ac recusantibus. *Donatus.*

Ingratiis, &c.] Ἀκουσίως, ἀέκητι, Gal. *malgré.* Plaut. Casin. II. act. 5. sc. 'Vobis invitis atque amborum ingratiis.' *Farnabius.*

Opus faciam ut defatiger usque ingratus ut dormiam] *Ingratiis* mihi probatur: nam et versus stat et usitata est ea dictio Terentio et Plauto. *Faërnus.*

15 *Vigilabis lassus. hoc plus facies*] Explicat Guyetus optime. ut et Fr. Fabricius. *Bœclerus.*

16 *Nimis me indulgeo*] *Me* sic veteres, quod nos *mihi* dicimus. Alibi, 'Te indulgebant, tibi dabant.' *Donatus.*

Nimis me indulgeo] Donatus quoque sic legit. recte opinor. τὸ *mihi* ab iis substitutum videtur, qui omnia sui sæculi voluerunt esse. *Bœclerus.*

Me indulgeo] Archaice, pro *mihi.* Farnabius.

17 *Tandem non ego illa caream, si sit opus, vel totum triduum*] Sic cœpit tanquam aliquid foret dicturus magnificum: non autem est παρὰ προσδοκίαν; sed vere amator magnum hoc putat. *Donatus.*

Vel totum triduum] Magna professio virtutis, cum biduo sit opus triduo posse durare. Et *totum triduum*, dicit universum triduum, εἰρωνικῶς: quasi sit triduum in multo numero. *Idem.*

18 *Vide quid agas*] Sic dicitur magna aggredientibus. *Donatus.*

Stat sententia] Et vultu et gestu magis spectabile quod dixit, *stat sententia:* vel maxime eo, quod tanto sonitu hæc de se promittat Phædria continuo rediturus: vel potius non accessurus ad villam: tantum autem aberit, quantum temporis opus est ad vitiandam virginem. *Idem.*

19 *Quid hoc morbi est*] Excusatio amoris, quando non culpa, sed morbus est. *Idem.*

Morbi est] Hoc ex Stoicorum schola; quibus animi perturbationes appellantur morbi, νοσήματα, et ἀῤῥωστήματα. *Farnabius.*

Adeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse] More suo a plurali numero ad singularem se convertit. *Donatus.*

20 *Ut non cognoscas eundem esse*] Non solent stulti induci adolescentes: et ideo ad amorem retulit stultitiam Phædriæ. *Idem.*

Hoc nemo fuit minus ineptus, &c.] Compara ingenium nostri Poëtæ, quam absolverit et impleverit locum, quem ex Plauto imitatus est Mostellar. I. 1. 29., &c. 'Quo nemo adæque juventute ex omni Attica Antehac est habitus parcus, nec magis continens: Is nunc in aliam partem palmam possidet.' vs. 80. ἐπικρίσει summatim notatur: *corruptus ex adolescente optimo*, id quod et efficacius et civilius extulit Terentius: *ut non cognoscas eundem esse.* Bœclerus.

21 *Minus ineptus, magis severus*] Nisi enim hoc esset, quid esset quod illum mulier præferret militi? aut quid relinqueretur proprium personæ militis, si et hic stolidus est? *Donatus.*

Magis severus quisquam, nec magis continens] Animadverte ut amet Terentius *magis* addere positivo, potius quam comparativum facere. Nam neque *severior* neque *continentior*, tam valuit dicere, quam *magis severus*, et *magis continens.* Idem.

22 *Hic quidem est parasitus Gnatho*] Hæc apud Menandrum in Eunucho non sunt, ut ipse professus est, parasiti persona et militis; sed de Colace translatæ sunt. *Donatus.*

Virginem huic dono] O. l. s. *dono huic.* ita et in Bembino emendatum. *Idem.*

24 *Facie honesta*] Οἰκονομία, qua ostenditur amaturus Chærea: siquidem hanc Parmeno ipse miratur. *Donatus.*

Facie honesta] Sic Virgilius: 'Et lætos oculis afflarat honores.' Et mox idem: 'Ita me Dii ament, honestus.

Ni ego me turpiter hodie hic dabo] *Ni dabo*, pro dedero. Virgilius, 'Quamvis solus avem cœlo dejecit ab alto.' *Idem.*

Me turpiter, &c.] 'Shall shame and disgrace myself.' *Farnabius.*

25 *Cum meo decrepito hoc Eunucho*] Facete *meo* ad parasitum retulit, cum pulchro munere venientem. Et præparatio est ad ducendum Chæream potius, quam deformem Eunuchum. *Donatus.*

Decrepito hoc Eunucho] *Decrepiti* sunt dicti, quorum crepitu et plangore familiæ fuerant jam conclamata funera. *Idem.*

Decrepito hoc Eunucho] In senium vergente; stante quasi in crepera, ancipiti, et extrema ætatis regula, atque ipso vitæ crepusculo. *Farnab.*

Hæc superat ipsam Thaidem] Hoc sic accipias, non vituperari Thaidem, sed tanquam ὑπερβολικῶς dici. Ideo addidit *ipsam*, quasi nimiæ pulchritudinis. Et bene *ipsam*, propter quam datur. *Donatus.*

Scena II. Trochaici et Iambici acatalectici sunt. vs. 10. Mss. nostri omnes: *amisisti.* vs. 15. duo: *istic.* vs. 19. omnes, ut ed. vs. 22. unus: *uberior:* alter in margine adscriptum habet: *al. uberior.* vs. 23. omnes: *prorsus.* vs. 24. omnes: *adventamus.* vs. 25. duo: *omnes;* ex quibus alter tamen in margine, *al. homines:* tertius: *homines* eo loco præfert. vs. 26. omnes, ut ed. vs. 29. duo ut edidimus: tertius, *esse tanto honore.* vs. 32. omnes: *ex ipsis philosophis:* a glossa. vs. 34. omnes: *faciat.* vs. 35. omnes: *rogare.* vs. 38. omnes: *eludere:* et mox unus: *hisce.* vs. 42. duo: *quid dum.* omnes: *nihil quidem.* vs. 43. omnes: *ut falsus animo es.* vs. 48. unus: *sed quid beo te.* alter: *heo quid b. t.* in margine, *al. eho. al. et.* vs. 49. omnes: *profecturus.* vs. 50. unus: *tum tute ig.* Argentoratensis quoque τὸ *tute* superscriptum habet. alter *tum igitur:* et in marg. *al. tum tu. al. tu tu.* vs. 55. Argent. *etiam tu nunc hic st.* duo: *etiam nunc tu hic st.* et mox unus: *eho numquid nam hic relictus custos.* alter: *eho numnam relictus custos.* Argentor. ut ed. vs. 56. omnes: *cursitet.* vs. 57. in Argent. et meorum altero *fa-*

cete quidem legitur, sed manu correctoris. ibi in marg. appon. *al. facere.*

Observa, quam accurate Poëta, parasiticum morem descripserit: cujus duplicem vult esse disciplinam, veterem et novam, ut in præfatione demonstravimus. Commune parasitis de utroque genere hoc erat, ut suis rebus per prodigentiam absumtis, alieno cibo sustentari, summam voti et instituti haberent. Gnatho igitur veterem illum (ut nunc ita vocemus) parasitum 'sui loci et ordinis hominem, patria itidem qui abligurrierat bona,' agnoscit. ubi Donatus, 'locum' ad ingenium et natales; 'ordinem' ad paupertatem et fortunam, non satis accurate refert. melius Eugraphius: *mei loci*, pauperem dicit; *ordinis*, parasitum. Quidam *ἐκ παραλλήλου* accipiunt: *mei loci atque ordinis*, id est, meæ sortis et conditionis. Disciplinæ et artis discrimen *ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τοῦ τέλους*, a summo ad imum, exhibuit Gnatho. In tempore, primum ad differentiam momentum. non idem ætatum genius est: mutanturque cum tempore ingenia hominum, ut quæ apud patres nostros in honore fuerunt, a nobis spernantur. Prima ergo lex disciplinæ parasiticæ, ad genium sæculi apposite apteque parasitari, ut Plautina voce utar. Itaque quod olim apud *seclum prius* obtinuit, novo invento, nova via, nunc mutandum est. Cujus vicissitudinis, nec rationem obscure signatam voluit: simpliciora fuisse, quam hoc tempore, sæculi prioris ingenia: nunc novo astu, novo aucupio opus esse, ne esuriat Parasitus. Producuntur subinde veteris disciplinæ genera duo: *Ridiculi* et *Plagipatidæ*, ut Plautus nobis hoc vocabulum de suo penu mutuetur. nam 'Olim isti fuit generi quondam quæstus apud sæclum prius.' Alterutro aut utroque genere delectari, hominum est nec intelligentiæ multum, nec elegantiæ quicquam habentium. unde in veteri scena vulgo et vulgaribus animis hæc oblectamento fuerunt.

Gnathonica ars, sive nova disciplina Parasitorum, assentatione constat; cujus prima lex, nosse, quibus assentandum sit; arrogantibus scilicet iisdemque stolidis ac aures Midæ habentibus. nam qui prudens est, 'Huic male si palpere, recalcitrat, undique tutus.' Proxima ratio est: ingenio, propositis, consiliis auriti illius, cui assentationes placent, ablandiri. idque (ut porro perstringamus parasitica mysteria) ementiendo vana, amplificando inania. ut non erraturus sit, qui *ὑπερβολὰς* proprium parasitorum schema et habuerit et crediderit. *ὅτι οἱ κόλακες, ἐφ' ὅσον οἷόν τε αὐτοῖς χρῶνται ταῖς ὑπερβολαῖς*, Luciano demonstrante. atque ita gratiam sui Midæ, et ex gratia lucrum quærunt. dum is et amari se ab his plurimum et coli reputat. Hæc summa. *Bœclerus.*

1 *Di immortales! homini homo quid præstat*] *In hac scena non stans, sed quasi ambulans persona inducitur. Constitit tamen aliquantulum intuens spectatores, dum secum loquitur. Exprimit autem parasitum, et sub ejus verbis corruptos mores in assentationem ostendit: prorsus ut honestæ quoque personæ in hujusmodi culpa inventæ sint: ut alibi, 'Obsequium amicos, veritas odium parit.'* Donatus.

DI immortales] Hoc jam mire, et pro seculi ac temporum reprehensione satyrice Terentius, quod apud eum *stultum* vocat simplicem parasitus, et *intelligentem* malum. *Idem.*

DI immortales] Admirantis exclamatio est, cum parasiti gesticulatione. *Idem.*

DI immortales! homini homo quid præstat] Morata narratio a sententia incipi solet: quæ dicitur *προμύθιον*. *Idem.*

Homini homo quid præstat] Alii distinguunt, *Quid præstat stulto intelligens.* Alii *stulto intelligens quid interest?* quia sic veteres loquebantur. *Idem.*

2 *Quid interest*] Hoc admirantis est, et ideo sic pronuntiandum. *Idem.*

3 *Conveni hominem*] *Convenisse*, non vidisse tantum, sed etiam collocutum fuisse significat. *Idem.*

Conveni, &c.] Parasitus, qui luxum pro summo bono posuit, collaudat hominem suorum natalium et fortunarum, qui in cupediis liguriendo absumpserat patrimonium. *Farnabius.*

4 *Mei loci atque ordinis*] *Loci*, ingenuum: *ordinis*, pauperem. Illud natalium, hoc fortunæ est. *Donatus.*

Hominem haud impurum] Non dixit prodigum, quia hoc ipsum probat: sed non avarum, non improbum. Et sic laudamus eos, in quibus nihil est quod magnopere efferamus. *Idem.*

Itidem patria qui abligurierat bona] Hoc joculari vultu dicitur. Et eleganter ex persona parasiti non culpatur quod comederit bona. *Idem.*

Abligurierat] Suavibus escis consumpserat. Nam ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ, est *ligurire*. et λιγυρὸν Græci suave appellant. *Idem.*

Itidem, &c.] Eodem quo ego ipse modo. *Farnabius.*

5 *Video sentum*] Quam bene *video*, postquam dixit *conveni*. et tempus mutavit et verbum. *Donatus.*

Sentum] Horridum. *Idem.*

Sentum] Ad horrorem retulit. *Id.*

Sentum] Asperum, quasi sentibus horrentem. *Farnabius.*

Squalidum] Ad sordes. *Donatus.*

Squalidum] Sordidum, incultum. *Farnabius.*

Ægrum] Ad maciem. *Donatus.*

Pannis annisque obsitum] Ad vestitum et ad tristitiam. Sed *pannis* et *annis*, *μωρολογίαι* parasitorum sunt. *Idem.*

Pannis annisque obsitum] Vel parasitica vernilitate *καθ' ὁμοιοτέλευτον* dictum: vel quia Homerus dixit, *αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι*, et est miseriæ senium deditum. Unde huic magis tristitia gravitasque displicuit, aliena semper ab omnibus parasitis. *Idem.*

Annisque obsitum] Bene addidit *annis*, quia ut quisque miserior est ita senior videtur. *Idem.*

Annis obsitum] Qui dicunt esse morologiam ex vernulitate parasitica, ipsi vero plane morologi sunt. An et Virgilius parasitice locutus est, cum in re grandi et heroica, de maximo principe agens scripsit: 'Ibat rex obsitus ævo.' *Faber.*

Obsitum] Ut sentum, dixit *obsitum*. *μεταφορὰ* ab agro. *Donatus.*

Pannis, &c.] Lacero vestitu, pannosum, 'senectute,' ut habet Plautus Menæchm. 5. act. 2. sc. 'consitum.' Metaph. ab agris. *Farnabius.*

6 *Quid istuc ornati, inquam?*] Scire nos convenit, cum recto casu profertur interrogatio, non esse contumeliosum. Ut si dicas, 'Quis hic homo est?' Si autem in obliquo, contemptum significari: ut, 'Quid hoc est hominis? quid mulieris? quid ornatus?' *Donatus.*

Quid istuc ornati, inquam] *Ornatus* *τῶν μέσων* est, ad dedecus et ad turpitudinem. Vel simpliciter hoc accipe, vel *εἰρωνικῶς*. Et *ornati*, ut *senati*, antiquus genitivus. *Idem.*

Ornati est] Genitivus antiquus, originem testatus, tanquam secundæ formæ declinandi. *Farnabius.*

Quod habui, perdidi] Non dixit, id quod erat comedi, aut consumpsi. *Donatus.*

Quid istuc inquam ornati'st? quoniam miser quod habui, perdidi] Ex *quid*, eliso d, item ex *miser* r, stat trochaicus. *Faërnus.*

7 *Hem, quo redactus sum*] Vel habitum suum, vel corpus ostendens, hoc dicit. Nec quicquam hic, nisi ex media consuetudine collocatum est. *Donatus.*

Hem, quo redactus sum, &c.] Istud, *Hem,* quia exclamatio est, haberi extra versum debet. *Faber.*

Omnes noti me, atque amici deserunt] Sententiose atque mordaciter in mores. *Donatus.*

8 *Hic ego illum contempsi præ me*] Hoc est illud, 'Homo homini quid præstat? stulto intelligens?' *Idem.*

9 *Ita ne te parasti*] Quam objurganter! tanquam in illo sit, quod miser est. Et alibi, 'Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit, Quin ita paret se, abs te ut blanditiis suis, Quam minimo precio, suam voluptatem expleat.' Et hoc proprie verbum ad exprimendam inhumanitatem et ignaviam factum est. *Idem.*

Ut spes nulla reliqua in te siet tibi] Sententiose, ad illud quod et Virgilius ait, 'Ponite spes sibi quisque.' *Idem.*

Ut spes nulla reliqua in te siet tibi] Bene quasi qui rem a fortuna acceperit. *Idem.*

Ut spes, &c.] Ut nulla tibi tui supersit fiducia. An utique effugit spes, 'Ima quæ sola in pixide mansit:' Ἔνδον ἔμιμνε πίθου ὑπὸ χείλεσιν. Hesiod. l. I. Ἔργ. *Farnabius.*

10 *Simul consilium cum re amisti?*] Virgilius, 'Nec si miserum fortuna Sinonem Finxit, vanum etiam, mendacemque improba finget.' Et Sallustius, 'Neque fortuna eget: quippe quæ probitatem, industriam, aliasque bonas artes neque dare, neque eripere cuiquam potest.' Ergo hæc interrogatio, increpantis est: nec desiderat responsionem. Nam consilium in bonis animi: res in potestate fortunæ. *Donatus.*

Simul, &c.] Ovid. IV. de Ponto, Eleg. 12. 'An sensus cum re consiliumque fugit?' *Farnabius.*

Ex eodem ortum loco] Ex eadem fortuna. *Donatus.*

11 *Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis*] Hoc contra illud, 'Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum.' *Color* ergo ad *sentum*: *Nitor* ad *squalidum*: *Vestitus* ad *pannis annisque obsitum*: *Habitudo* corporis, ad *ægrum* refertur. *Donatus.*

Quæ habitudo est corporis] Plautus in Epidico, 'Corpulentior hercle, atque habitior.' *Idem.*

12 *Omnia habeo*] Ad *quod habui, perdidi.* Idem.

Neque quidquam habeo] Ad *mei loci atque ordinis hominem. Omnia habeo,* ad industriam retulit. *Neque quidquam habeo,* ad fortunæ culpam. Et item denuo, fortunæ crimen, *Cum nihil est,* ad suam laudem, *Nihil defit tamen.* Idem.

Omnia habeo, neque quidquam habeo] Alterum horum, neutrumve potest cuivis accidere: utrumque nulli. *Donatus.*

Nihil cum est, nihil defit tamen] Figura ὀξύμωρον. Ut apud Virgilium, 'Sequiturque sequentem.' Et Cicero, 'Cum tacent, clamant.' *Idem.*

13 *At ego infelix*] Jam transit ἀπὸ τοῦ μιμητικοῦ πρὸς τὸ πρακτικόν. *Idem.*

At ego infelix neque ridiculus] Vehementer invectus est in tempora et mores poëta, sub hac persona: in qua hominem ita inducit pœnitere probitatis suæ, ut se infelicem, non honestum dicat. Et, non *nolo*: sed, *non possum.* Idem.

At ego infelix, &c.] Neque sum ego ex numero parasitorum qui ridiculis dicteriis cibum alienum captant, γελωτοποιός: neque ex iis, qui 'colaphos perpeti possunt, frangique ollas in caput.' Plaut. Captivi: πληγὰς ὑπόμενοι κονδύλων καὶ τρυβλίων. Athenæus quem vide lib. VI. c. 6. 8. 9. &c. quos Plauti Ergasilus in Captivis appellat Plagipatidas et Lacones. *Farnabius.*

14 *Quid tu his rebus credis fieri*] Dum quis ridetur, aut vapulat. *Donatus.*

Tota erras via] Παρόμοιον per μεταφοράν. *Idem.*

15 *Apud seclum prius*] Scilicet cum essent tempora meliora. *Idem.*

16 *Hoc novum est aucupium*] Vide quid intersit, cum illud *quæstum* dicat, hoc *aucupium*: illud de sapientibus, hoc de stultis. *Idem.*

Hoc novum, &c.] Tertium adulatorum genus est, novum et inventum meum, συγκατανευσιφάγων, qui manducones ad nutum, laudicœnæ σοφοκλῆς, Oti, umbræ. *Farnabius.*

17 *Est genus hominum*] Quia multi sunt hujusmodi, non dixit, *homines sunt*, sed, *est genus hominum.* Donatus.

Qui esse, &c.] Gloriosi, φίλαυτοι, φιλοπρωτεύοντες. *Farnabius.*

18 *Hisce ego non paro me ut rideant*] Quia ille dixerat, 'Ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.' *Donatus.*

19 *Sed his ultro arrideo*] Quid est, *his arrideo?* aut veluti pareo, id est, obsequor: aut veluti dictis delector. Atque *arrideo*, non sicut in parasitis fieri solet, ut his arrideatur a regibus, quum potius ipsi dictis factisque rideant alienis, hic esse intelligendum, etiam res ipsa indicat ex contrario. Nam quod ait supra, 'His ego non paro me ut rideant:' hoc e contrario ostendit, quod subjiciatur ex dictis. *Idem.*

Sed his ultro arrideo] *Ultro*, versa vice. an prior? an etiam insuper? hoc est, ultra. *Idem.*

Admiror] Plus intulit, quam si *laudo* dixisset. *Idem.*

20 *Quicquid dicunt*] Non, *quod dicunt*: sed, *quidquid dicunt*, id est, bene vel male. ne vel si interclusa fuisset assentatio, se impediat, quod contrarium laudaverit. *Idem.*

Quicquid dicunt] Citat hæc Cic. in Lælio, vide Juvenal. 3. Sat. 'Rides? majore cachinno Concutitur. flet, si,' &c. *Farnabius.*

Id rursum si negant, laudo id quoque] Præclare Terentius, quod a Satyrico de aliis diceretur, id hic de se dicentem inducit, facetius multo, quam si aliter fecisset: scilicet καθαπτόμενος mores temporum jam tum vitiatos per assentationem, quod fere in plerisque fabulis, monstrat. Ut etiam in Andria: 'Nam hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit.' Et in Adelphis: 'Quod te isti facilem et festivum putant, Id non fieri ex vera vita: neque adeo ex æquo et bono: Sed ex assentando, indulgendo, et largiendo.' *Donatus.*

21 *Negat quis, nego*] Bene sic dixit: *negat* et *ait* contraria sunt. Ut Plautus in Rudente, 'Vel tu ais, vel tu negas.' *Idem.*

Negat quis, nego: ait, aio, &c.] Quanto concinnius Poëta noster Parasitum facit hoc ad alios dicentem, quam Plautus ad eum, cui assentatur? In Menæchmis enim (I. 2. 52.) cum Menæchmus interrogasset, 'Sed quid ais?' respondet parasitus: 'Egone? id enim quod tu vis, id aio atque id nego.' Explicavit autem hoc ἦθος parasiticum Cicero in Lælio (cap. 25.) ubi ceteris subjiciuntur ista: 'Quid potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius, non modo sensum et voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur? 'Negat quis? nego. ait? aio. postremo imperavi egomet mihi Omnia assentari;' ut ait Terentius. Sed ille sub Gnathonis persona, quod amici genus adhibere omnino levitatis est. multi autem Gnathonum similes cum sint, loco, fortuna, fama superiores, horum est assentatio molesta, cum ad vanitatem accessit auctoritas.' *Bœclerus.*

22 *Is quæstus nunc est multo uberrimus*] Quam ille apud seculum prius fuerat. Et vide quemadmodum illiberalem vitam honestiore nomine primo *aucupium*, post etiam *quæstum* nominaverit. ΡΟΠΟΚΑΡbC * hic inducens. *Donatus.*

23 *Scitum hercle hominem*] Mire Terentius longæ orationi interloquia

quædam adhibet, ut fastidium prolixitatis evitet; velut nunc Parmeno procul audiens Gnathonem, hæc loquitur. *Idem.*

Scitum hercle hominem! hic homines prorsum ex stultis insanos facit] Lego fidenter, *faxit*, id est, *fecerit*, seu, facere possit. Id et sensus postulat, et versus est tetrameter catalecticus, ut multi alii qui post ipsum leguntur. Quin et in proxime sequenti pronuntiandum est *advenimus*, in præsenti; pro quo in quibusdam exemplaribus legitur, *adventamus*, quod glossema est. *Faber.*

24 *Interea loci*] Duæ partes orationis, cum conjunctæ unam fecerint, mutant accentum. *Donatus.*

25 *Concurrunt læti mi obviam*] Et multos, et properos uno verbo ostendit, et ex adverso ad se festinantes. *Idem.*

Cupedinarii] Varro humanarum rerum: 'Numerius Equitius Cupes,' inquit, 'et A. Omanius Macellus, singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. His in exilium actis publicata sunt bona, et ædes ubi habitabant dirutæ: eque ea pecunia scalæ Deum Penatium ædificatæ sunt. ubi habitabant, locus, ubi venirent, ea quæ vescendi causa in urbem erant allata. Itaque ab altero Macellum, ab altero Forum Cupedinis appellatum est.' *Idem.*

Cupedinarii] Omnes qui esculenta et poculenta vendunt, a rebus Cupedinis ob alimentum *cupedinarii* appellantur. Et ipse subjecit, qui accipiendi sunt cupedinarii. *Idem.*

Cupedinarii omnes] Lautiorum epularum caupones. 'Ægrotationi subjecta sunt avaritia, ambitio, mulierositas, pervicacia, liguritio, vinolentia, cupedia.' Cic. IV. Tusc. Quæst. id est, deliciarum cupiditas: λιχνεία. *Farnabius.*

26 *Cetarii, Lanii, Coqui, Fartores*] 'Αμάρτημα comicum: in Palliata Romanas res loquitur. *Donatus.*

Cetarii] Qui cete, id est, magnos pisces venditant, et bolonas exercent. *Idem.*

Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes] Istud *aucupes*, extra versum est, et quidam hoc viderunt; sed hoc non viderunt, unde tandem huc intrusum sit; id quod in nota sequenti dicam. At hic satius fuerit dicere, *aucupes* est glossema illius vocis *fartores*, quod miror ego neminem olfecisse. Sed ad fartores eamus. *Faber.*

Lanii] Qui laniant pecora: unde et *lanistæ* dicti, qui laniandis præsunt gladiatoribus. Sic et Macellum a mactandis pecoribus dictum. *Donatus.*

Fartores] Qui insitia et farcimina faciunt. *Idem.*

Fartores] Non sunt quos Galli vocant *Charcutiers, vendeurs de saucisses et de Cervelas*; non sunt: Græci id genus allantopolas dicunt, ut Aristophanes. Hic erravit Marsus interpres Terentii, et, qui illum hodie in vertendo Terentio sequuntur, illi errant quoque. Fartores sunt saginatores altilium avium. Gall. *qui tienent des volailles en muë, pour les engraisser.* Res certa est ex Catone Censorio in libris de Re Rustica, pag. 31. Editionis Commelinianæ, et ex Varrone pag. 114. et sæpe alibi. Sed scin' tu quo nomine isti fartores dici Latine possent? Aviarii, Græce Ornithopolæ; hoc voluit dicere qui *aucupes* posuit, ut hanc vocem *fartores* explicaret. improprie, fateor; (nam auceps et aviarius non sunt idem;) sed qui hoc adscripserat, nasum habebat tamen. Hæc igitur origo erroris, qui in hoc versu est, haud dubie, vetustissimus. *Faber.*

Piscatores] Qui recentem piscem præbent. *Donatus.*

Cetarii, lanii, &c.] In sordidis hæc ponit Cicero, Offic. I. 42. 'Minimeque artes hæ probandæ, quæ ministræ sunt voluptatum, cetarii, lanii,

coqui, fartores, piscatores, ut ait Terentius: adde huc, si placet, unguentarios, saltatores, totumque ludum talarium.' Quia hic Cicero *aucupes* omittit, quos nec Donatus ponit, visum est nonnullis, non esse a Terentio illam vocem. nos secuti sumus consensum Codicum Mss. Quod Donatus hic Terentium vult postulare ἁμαρτήματος κωμικοῦ, quasi in palliata fabula res Romanas loqueretur; ad id partim Muretus respondit, partim tolli dubitatio potest per ea, quæ Casaubonus annotat ad Theophrasti Charact. περὶ ἀπονοίας. *Bœclerus.*

Cetarii, &c.] Citat hæc Cic. I. de Officiis. 'Artes ministræ voluptatum, cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores.' Hor. Sat. 3. lib. II. 'piscator uti, pomarius, auceps,...Cum scurris fartor, cum velabro omne macellum.' *Farnabius.*

Fartores] Donatus, de iis qui farcimina et insitia faciunt, exponit. Plaut. Truculent. 'de nostro sæpe edunt, quod fartores faciunt.' Sanius, qui de iis qui alunt saginantque aves, ex vet. inscriptione 'Antigonus Drusi Cæs. avium fartor.' *Idem.*

27 *Quibus et re salva*] Cum de meo impenderem. *Donatus.*

Et perdita profueram] Cum de alieno nanciscor et expendo. *Idem.*

Re salva, &c.] Re salva, de meo; re perdita, de alieno. *Farnabius.*

Sæpe] Expletivæ significationis est. *Donatus.*

28 *Ad cœnam vocant*] Utrum ad emendam cœnam? an ad convivium? *Idem.*

Adventum gratulantur] Accusativum casum pro dativo, pro *adventui gratulantur.* Et *adventus* proprie expectatorum, necessariorumque dicitur. *Idem.*

29 *Ille ubi miser famelicus videt me*] Hic ostendit, quæ res coëgerit ad discendum: et simul vide secundum vulgi opinionem loqui parasitum, miserum et famelicum, hominem honestis moribus præditum. *Idem.*

Ille ubi miser famelicus videt me] Vide ut sententiose demonstret malos ex bonis contagione fieri, exemplis in pravum prævalentibus. Videt mihi hoc prodesse, et discere optat, quod negabat se posse. *Idem.*

Famelicus] A fame et edendo dictus est, quasi famedicus. *Idem.*

Tanto honore] Quia concurrunt, salutant. *Idem.*

Ille ubi miser famelicus videt me esse in tantum honorem] Scio quidem me apud Sallustium legisse, 'in incertum habuere;' apud Plautum autem, 'ubi in lustra jacuisti?' et alia ad eum modum, de quibus, fortasse, Popma de veteri Latinitate: sed tamen hanc scripturam non probo; nam credibile non est Donatum illam præteriturum fuisse. Imo plane apud eum legitur, *tanto honore.* Dein testatur Faërnus se ita constanter in omnibus Mss. suis scriptum invenisse. *Faber.*

In tantum honorem] Archaice, sed adi Agell. l. I. c. 7. *Farnabius.*

30 *Tam facile victum quærere*] Quia ad cœnam vocant. *Donatus.*

Ibi] Pro tunc. *Idem.*

Homo] Mire addidit *homo.* aut additum supervacue *homo.* Ut, 'Donat habere viro decus, et tutamen in armis.' *Idem.*

31 *Ut sibi liceret discere*] Quasi disciplinam, aut artem: tantum auctoritatis criminum felicitas sumpsit. *Id.*

Discere id de me] Magis, *de illo, et de me*, veteres dicebant, quam ut nos dicimus *a me*, aut *ab illo.* Idem.

Sectari jussi] Proprie. nam et *sectæ* philosophorum ab eo dictæ sunt. *Id.*

32 *Ex ipsis*] Philosophis scilicet. *Idem.*

Ex ipsis vocabula] Ut Pythagorica, Platonica. Hoc igitur non est consequens ad illud, quod vult dicere: nisi forte *disciplinam* pro discipulis

posuerit. *Idem.*

Disciplinæ] Et in Excerptis ex Donato et apud Faërnum legas, *disciplinam*, male; nam Faërnus non intellexit quid sit hoc loco *disciplinæ*. Dein nego ita legisse Donatum; nam ibi hæc glossa legitur; (ut Pythagorica, Platonica;) ergo quæ sequuntur, ex Donato non sunt, sed ab imperito aliquo magistello. Disciplina autem non est quod vulgus putat; Cicero sex septem locis pro secta sumsit. Ex illis locis en tibi quosdam. In Academ. 'Restat unum genus reprehensorum, quibus Academiæ ratio non probatur, quod gravius ferremus, si quisquam ullam disciplinam Philosophiæ probaret, præter eam quam ipse sequeretur.' Id est, sectam. Ita in De Natura Deorum: 'Trium enim disciplinarum principes convenistis.' Id est, sectarum. Alibi, in I. de Finib. 'Non modo quid nobis probaretur, sed etiam quid a singulis Philosophiæ disciplinis diceretur, persecuti sumus.' Id est, sectis. In Bruto quoque, ubi de Rutilio, qui sectam Stoicam sequebatur: 'Itaque illa, quæ propria est hujus disciplinæ,' &c. (pag. 517. Ed. Lamb. Lutetiæ.) Sic et apud Lactantium, lib. II. pag. 141. Edit. Lugdunensis. Sed hæc sunt satis. Græci διάδοχας vocant, id est successiones. Laërtius locis pæne infinitis. Et libri erant olim hoc titulo. *Faber.*

33 *Vocabula*] Ut vocentur Pythagoræi, Platonici, Epicurei. *Farnab.*

Parasiti item ut Gnathonici vocentur] Non hoc intulit, quod cœperat dicere: nisi forte *disciplinam* pro discipulis accipimus. *Donatus.*

Parasiti itidem ut Gnathonici vocentur] Hæc autem lectio [*item*] quam nos probamus et perinde ad versum quadrat, ut *ita*: facit enim iambum in quarta; et sensui servit, *ut itidem*: consuevere enim antiqui *item ut*, pro *similiter ut*, ponere. ut in Adelphis, 'Ille ut item contra me habeat facio sedulo:' et in Heautontim. 'Item ut filium meum amico atque æquali suo.' Faërnus.

Gnathonici vocentur] Ipsi Gnatoni nomen a Gnatone parasito Siculo. Turneb. l. XXVIII. c. 5. *Farnabius.*

34 *Viden', otium et cibus quid faciat alienus*] Rursus Parmeno et facetias dicit, et distinguit longiloquium parasiti. *Donatus.*

Quid faciat] Legitur et, *quid facit*: ut sit figura per modos, pro, *quid faciat*. Idem.

Otium, &c.] Al. *ossuum*. sunt enim *ossua* eadem quæ *ossa*. Farnabius.

35 *Hanc deducere*] Proprie. Nam *ducitur* quis ad supplicium: *deducitur* ad lætitiam. *Donatus.*

Et rogitare ad cœnam] Vide parasitum magis optare ad cœnam Thaidem vocari, quam munus capere. *Idem.*

36 *Thaidis*] Legitur et *Thais*. Idem.

Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video] Vitium in versu est; sensit Muretus, sed male emendavit, *meretricis*, pro Thaidis; nil erat facilius, si alias editiones habuisset, in quibus legitur, *Ego tristem video.* Est autem versus octonarius catalecticus. *Faber.*

37 *Salva res est*] Quia et ante ostium, et tristem video, *salva res est*. Nec hoc valet ad lætitiam, quod Parmeno est, sed quod rivalis servus. *Idem.*

Salva res est] Proverbialiter. *Idem.*

38 *Nebulonem*] Vel furem, quia nebulas objiciat: vel mollem, ut nebulam: vel inanem et vanum, ut nebula est. *Idem.*

Hice] Pro *hi*. vetuste. Virgilius, 'His certe neque amor causa est, vix ossibus hærent.' quia *hisce* debebat dicere. *Idem.*

Hice hoc munere arbitrantur] Non immerito Gnathonem deridet Parmeno, qui penitus noverit meretricis consilium. *Idem.*

Hice hoc munere arbitrantur, &c.] Veteres citant, *hisce*, pro, *hice*. Plautus sæpe. Virgil. in Bucolicis. *Faber.*

40 *Summum suum*] Ἔλλειψις. *Donatus.*

Summum suum impertit Gnatho] Hæc tota locutio parasiticæ elegantiæ, et simul εἰρωνείας plena est. Nam et plurimam dicit ei salutem, quem ne exiguam quidem velit continere: et summum dicit eum, qui nec levis amicus sit sibi: et Parmenonem Gnatho, non *ego te*. Idem.

Summum suum] Quam venuste, quod summum amicum non resalutet Parmeno. *Idem.*

Suum impertit Gnato] Scoppa l. II. collectan. c. 7. interpretatur *porcorum*, nimis, ut credo, scoptice, et longe petitum. *Farnabius.*

Quid agitur] Pro blandimento, non pro interrogatione nunc ponitur. ut *O noster, quid fit?* Donatus.

Quid agitur? statur] Pro, *quid agis? sto*. Et facete: nam stat, cui ingredi non licet. *Idem.*

Quid agitur? statur] Plaut. Pseudolo I. 5. 42. 'Salve quid agitur? Ps. statur hic ad hunc modum.' *Bœclerus.*

At numquid aliud] Cum jurgio hic de illo respondit. et ideo repetit dictum Gnatho. *Donatus.*

42 *Qui dum*] Interrogat interrogantem, ne ipse respondeat. *Idem.*

Nihil equidem] Dicens *nihil*, mutavit vultum Parmeno in lætitiam. Ideo illi facete Gnatho agenti hoc ipsum, *ne sis*, dixit: ut probaret tristem fuisse. *Idem.*

Nihil equidem] Pro *non*. et infra, 'Nihil dixit ut sequerer se.' *Idem.*

43 *Hoc tibi mancipium*] Ταπείνωσις. *mancipium* dicit puellam, aut virginem. *Idem.*

Non malum hercle] Inimica laudatio. *Idem.*

Uro hominem] Sibi hoc gestu et vultu parasitico dicit. et pro eo quod est, dolere cogo. *Idem.*

Ut falsus animi est] Similiter et Parmeno secum gestu servili. et *animi* pro animo, ἀντίπτωσις veterum; qui, 'Ingens es virium, et, dives es opum,' amabant dicere. *Idem.*

Ut falsus animi est] Ex hoc falsus animi est, quod putat hujusmodi munere capi posse Thaidem. *Idem.*

Uro hominem. PA. *Ut falsus animi est*] Τὸ *uro hominem* ad spectatores versus dicit, ut Parmeno non debeat audire. et Parmeno itidem secum: *ut falsus animi est!* sc. putat, Thaidem hoc munere capi posse. ut recte Donat. *Bœclerus.*

Uro hominem] *I gall the fellow*, ut *calceus urit*. Horat. Epist. 10. l. I. hoc aversus loquitur, ut, quod sequitur, Parmeno. *Farnabius.*

44 *Quam hoc munus gratum Thaidi*] Mire insultat Gnatho. Quanto enim magis munus gratum fuerit, tanto erit rivalis exclusior. *Donatus.*

Hoc nunc dices ejectos hinc nos] *Dicis*, est sensus, ita dicendo, hoc dicis, ejectos hinc nos. id est, hoc significare, hoc innuere vis. *Faërnus.*

45 *Omnium rerum heus vicissitudo est*] Vide locum in quo erumpere dolor Parmenonis potuit, nisi commissa servaret, et cœlaret Thaidis consilium. *Donatus.*

46 *Sex ego te totos, &c.*] Quid est *totos?* an diebus et noctibus? utpote amatoris servum: ac per hoc sine ulla cessatione et intermissione. *Id.*

Hos menses] *Hos*, qui nunc aguntur, id est, hoc tempore. *Idem.*

Quietum reddam] Facete: quasi hoc ipse fecerit. et hoc est quod ait, 'Plurima salute Parmenonem summum suum impertit Gnatho:' tanquam amico consulat. *Idem.*

47 *Ne sursum, deorsum cursites*] Quod est laboris. *Idem.*

Ne sursum, &c.] Οὐδὲ στρεφομένους ἄνω κάτω. Menander, citante Plutarcho in lib. περὶ εὐθυμίας. *Farnabius.*

Neve usque ad lucem vigiles] Quod est exitii. *Donatus.*

48 *Sic soleo amicos*] Hoc εἰρωνικῶς. *Idem.*

49 *Detineo te*] Valde teneo. *Idem.*

Fortasse tu profecturus alio fueras] Vult exprimere confessionem, quod ad Thaidem venerit, sed intrare non possit. *Idem.*

50 *Paululum da mihi operæ*] Hoc quasi supplicantis vultu ad irrisionem dicitur. *Idem.*

Paulum da mihi operæ] Proprie sic dicitur, adjuva me. Sic in Adelphis, *Hæc opera ut data sit.* Idem.

51 *Nunc tibi patent fores hæ*] Ex eo quantum licere oportuit ostendit,* quam misere nihil liceat Parmenoni. *Idem.*

Quia istam ducis] Hoc quasi ad Gnathonem: sed lente, ac sub lingua murmurat. *Idem.*

52 *Nam quem evocari hinc vis foras*] Quia ipse intrare non potest. *Idem.*

Sine, biduum hoc prætereat] Et hoc lentius. nam si aliter pronuntiaveris, secreta produntur. *Idem.*

Sine biduum hoc prætereat, &c.] Secum hæc Parmeno, et ad spectatores versus, Gnathone non exaudiente. vide Eugraphium. phrasin illustrant illa Trabeæ apud Ciceronem Tuscul. IV. 31. 'Lena delinita argento nutum observabit meum, Quid velim, quid studeam: adveniens digito impellam januam; Fores patebunt,' &c. sententiæ Horatius magnitudinem circumdedit Epod. 15. 'At tu quicunque es felicior, atque meo nunc Superbus incedis malo; Eheu translatos alios mœrebis amores; Ast ego vicissim risero.' *Bœclerus.*

53 *Qui mihi*] *Mihi*, τῷ ἀττικισμῷ dictum est. *Donatus.*

Fortunatus] Ut ipse videris tibi. *Idem.*

54 *Næ tu*] *Næ*, valde. *Idem.*

Næ tu istas faxo calcibus] Mira eloquentia, in qua utraque ὑπερβολὴ expressissima est. Nam neque *uno digitulo* minus aliquid dici potest, neque *calcibus sæpe insultabis* aut amplius, aut ingentius. *Idem.*

Insultabis fores] Sallustius, 'Multos tamen ab adolescentia bonos insultavit.' *Idem.*

55 *Numnam*] Hic *nam* abundat: ut *quidnam.* Idem.

Relictus custos] Bene *relictus*: quasi ab excluso. *Idem.*

Etiam nunc hic stas, Parmeno? Eho, numnam tu hic relictus custos] Corruptus est versus. lego: *Etiam nunc hic stas, Parmeno? numnam hic tu relictus custos?* Alioqui, *Eho*, ut exclamatio, extra versum erit. Certe in Juntina editione non apparet. *Faber.*

56 *Nequis forte internuntius*] Proprie, *internuntius.* Donatus.

Ne quis forte internuntius] Ex his verbis datur intelligi, parasitum e domo meretricia egredi. *Idem.*

Ne quis forte internuntius clam a milite ad istam cursitet] Et hoc facete: quasi ipse sibi Thaidem totam vindicaverit, quod miles facit. *Idem.*

Ne quis forte internuntius clam a milite ad istam cursitet] Faërnus e libris suis, *curset*, ut apud Virgilium, *recurset*, in IV. Æneid. sed nil necesse est. Nam priorem in *iste* corripiebant. *Faber.*

Clam a milite ad istam cursitet] Corrige *curset*, ex eodem libro, ut versus sit iambicus tetrameter catalecticus, quemadmodum ceteri. *Faërnus.*

57 *Facete dictum*] Εἰρωνικῶς, quia inficete. *Donatus.*

Mira vero militi quæ placeant] *Mira*, pro mirum. Virgilius, 'Nota tibi:' et est εἰρωνεία. Quid mirum est, inquit, facete loqui eum, qui militi placeat? Potest tamen et pluraliter intelligi. *Idem.*

Mira vero militi quæ placeant] Donatum vide et Guyetum; cui, non est mirum, quod non satisfecerit Donati explicatio. *Bœclerus.*

Mira vero, &c.] Ironice. *Farnabius.*

58 *Sed video herilem filium*] Non potest Terentius τρόφιμον proprie dicere: et ideo *herilem filium* dicit. *Donatus.*

59 *Miror quid ex Piræo abierit*] Hic causa ostenditur, cur potest ignotus esse vicinis, et pro Eunucho fingi. *Id.*

Miror] Pro nescio. *Idem.*

Miror quid ex Piræo abierit] Ut ex Piræo discederet, symbola amicorum; ut hic perveniret omisso negotio, aspectus virginis fecit. *Idem.*

Nam ibi custos publice] Adversus prædonum incursus illic excubabat juventus Attica. Piræum, ut Sunium, est maritima et accessu littoris pars clementior. *Idem.*

Publice est nunc] *Nunc* ambigua distinctione positum est. *Idem.*

Ibi custos, &c.] Athenienses postquam ex ephebis excesserant, qui decimus octavus iis ætatis annus, militiæ daturi nomina, publice custodes erant in urbe, per biennium, deinde in suburbana mittebantur castella, e quibus unum erat Piræum, portus 40. ab urbe stadiis, excubituri adversus prædonum incursus. *Farnabius.*

60 *Non temere est*] Ut Virg. 'Haud temere est visum.' *Donatus.*

Et properans venit] Mire locuturum ante formavit, ut gestus verba præcedant, verba habitum consequantur. *Idem.*

SCENA III.] Satura est hæc scena; Iambicis octonariis et senariis, Trochaicis item septenariis constans. vs. 4. Mss. meorum unus: *latere* pro *celari.* vs. 7. omnes: *o fortunatum senem.* et vs. 8. *si occeperit amare.* et vs. 10. *ut illum dii deæque omnes senem perdant.* vs. 11. unus: *qui non illum flocci fec.* duo: *qui illum non flocci fec.* vs. 14. omnes: *ita prorsus sum oblitus mei.* et vs. 16. *scis tu te s.* et vs. 18. *penu omne.* vs. 19. unus: *promissa ipsa appar.* alter: *promiss. app. ipsa.* vs. 20. omnes: *si adeo d.* unus verba hujus versus Parmenoni tribuit. vs. 22. omnes: *graciles.* v. 27. duo: *anni quot?* vs. 30. omnes: *nec id quidem.* vs. 40. unus: *sex* (in margine *al. septem*) *prorsus non vid. pr.* vs. 49. duo: *dum hæc loquitur.* vs. 55. omnes: *ipsa est scilicet.* et vs. 60. *et ei dono d. e.* et vs. 62. *duras partes fratris pr.* vs. 68. τὸ *me*, ab omnibus abest; *memini* autem in omnibus diverso positu verborum additur. vs. 71. unus: *nunquid vis aliud?* Cher. *quid nunc is domum?* Par. *ut manc.* alter: *nuncquid me aliud vis.* Cher. *quid nunc is domum?* Par. *ut manc. h.* ita etiam Argentoratensis. vs. 76. duo: *prope dorm.* ut et vs. 81. vs. 79. omnes: *te illum esse dicam.* vs. 80. duo, *tum* pro *tu.* vs. 85. omnes: *abduc quantum potes.* vs. 93. omnes: *ut ab hiis fallimur.* et vs. 94. *an potius hæc pati æquum est fieri, ut a me ludantur dolis.* vs. 97. omnes: *jubeo immo cogo atque imp.* vs. 98. omnes addunt *tuam*, sed duplici positu. ex inepto glossemate. corrumperetur enim sensus et locutio. Chærea hic inducitur, tanquam adolescens 'Indomitus, plenus amoris et lasciviæ,' ut verbis Plauti dicam ex Trinum. III. 3. 22. *Bœclerus.*

Occidi] *In hac scena novus amor adhuc ephebi, et consilium potiundæ virginis demonstratur: tanta virtute poëtæ comici, ut hoc commentum non quæsitum esse, sed occurrisse sua sponte videatur.* Donatus.

1 *Occidi: neque virgo est usquam*] Non habuit quid dicere debeat aliud, properans, et circumspiciens, nisi *occidi.* Idem.

Occidi] Produc mediam syllabam verbi hujus, et contrarium significat. *Idem.*

Occidi] Cum sit exclamatio, extra versum poni debet. *Faber.*

Occidi] Licet o. l. s. aliter habeant, necesse est hanc dictionem et a præcedentis scenæ ultimo et ab hujus primo versu separare, et monometrum trochaicum catalecticum per se constituere. sunt autem iambici te-

trametri, præcedens quidem catalecticus, sequens vero acatalecticus. *Faërnus.*

2 *Neque ego, qui illam e conspectu amisi meo*] Amatorie, dum illam non invenit, et se perdidit. *Donatus.*

3 *Ubi quæram*] Hoc circumspectantis est. *Idem.*

Ubi investigem] Plus intulit. *Idem.*

Quem perconter] Hoc tertium plus intulit: nam ubi nec vestigia reperiuntur, superest interrogatio. *Idem.*

Quam insistam viam] Si nec, qui interrogetur, apparet. *Idem.*

Quam insistam viam] Et *qua via* legitur. *Idem.*

4 *Ubi ubi est, diu cælari non potest*] Ob nimiam scilicet formæ gratiam. *Donatus.*

5 *O faciem pulchram*] Faciem modo, non partem corporis dicit, sed totam speciem quæ apparet et cernitur. Virgilius, 'Quibus aspera quondam Visa maris facies.' *Idem.*

Deleo omnes dehinc ex animo mulieres] Πρὸς τὸ πιθανὸν argumentatus est, ut ostenderet nunc grandem jam ephebum etiam amoris expertem non fuisse. Sic et alibi, 'Cum me ipsum noris, quam elegans formarum spectator siem, In hac commotus sum.' *Idem.*

6 *Cotidianarum*] Hoc est, levium et usitatarum: est quippe huic contrarium, 'Nova figura oris. papæ!' *Idem.*

Ecce autem alterum] Sic dicimus, cum propter alterum de altero venit in mentem. *Idem.*

7 *Nescio quid de amore loquitur*] Ut jamdudum Phædria loquebatur. *Id.*

O infortunatum senem] Donatus annotat: 'O infortunatum senem. Hoc dictum præstruxit ad exitum fabulæ ac Catastrophen. nam perturbatus ad Thaidem ingredietur hic senex per fallaciam Pythiæ et indicium Parmenonis: atque ita firmabuntur nuptiæ virginis, quam ducet Chærea.' Ex his verbis colligere debemus, Donatum legisse, *o fortunatum senem*, ex Catastropha enim illa, infortunatum dicere senem, parum convenit consuetudini Comicæ. Sed nimis Grammaticalis fuerit illa cogitatio, si quis opinetur, Parmenonem præsagiisse hic Catastrophen fabulæ. Hoc vult Parmeno dicere: *o infortunatum senem*, herum meum Lachetem, cujus alter filius Phædria pridem amore meretricis deperit, alter Chærea nunc, quantum ex his sermonibus colligo, longe magis ex amore insanire incipiet. Quæ mox ad illa, *hic vero est*, in Donato notantur, undecunque potius quam ab ipso profecta putare malim. *Bœclerus.*

Infortunatum senem] Lachetem, cui tales contigere filii. *Farnabius.*

8 *Hic vero est*] Utrum senex: an Chærea? sed senex potius. Hic vero est senex. *Donatus.*

Qui] Scilicet Chærea. *Idem.*

9 *Præut hujus rabies quæ dabit*] *Præ*, ex comparatione significat. Ergo proprie, et est integra locutio. et ordo est, Præ ut illa sunt, quæ hujus rabies dabit. Et bene *dabit*, quasi de re violenta. Ut, 'Dabit ille ruinam Arboribus.' *Idem.*

Præut hujus rabies quæ dabit] Hic ex parte characteris inscius quidem est personæ Chæreæ, quem moribus conjicit servus ardentiorem in amorem ferri posse, simul ac cœperit. *Idem.*

Præut hujus rabies quæ dabit] Et hic ostenditur jampridem motum in res Venereas Chæream. Et magna poëtæ cura est, ne incredibile videatur adolescentulum, qui pro Eunucho deduci potuerit, tam expedite virginem vitiasse. Quocirca artifex summus, quod ætati non potest, naturæ attribuit Chæreæ: ut calidior ingenio, et ante annos amator, non libidinem in sese, sed quandam rabiem designaverit in Venereos appetitus. *Idem.*

Alterum, &c.] Phædriam. *Farnab.*

10 *Ut illum*] Pro utinam. *Donat.*

DI Deæque senium perdant] Plus dixit *senium*, quam *senem*. Nec mireris, post *senium*, *qui* additum: ideo quia declinationem ad intellectum retulit: ut alibi, 'In Eunuchum suam.' Et *senex* ad ætatem refertur: *Senium*, ad convitium. Sic Lucilius ait, 'At quidem te senium, atque insulse sophista.' *Idem.*

Ut illum, &c.] Cum respectu ad intellectum, *illum senem qui*, ut habent nonnulli codices. *Farnabius.*

Remoratus est] A remora pisciculo, qui et ἐχενηΐς vocatur, *remoratio* et *remoratus* dicitur. *Donatus.*

11 *Tum autem, qui illum non flocci-fecerim*] *Tum autem*, pro *et*. Duas vult enim causas esse, cur se ipsum DI perdant: unam, quod restiterit: alteram, quod senem perveritus diu remanserit a persequenda virgine. Et nota *floccifecerim*, et contemnere, et non contemnere significare: ut nunc, *Qui illum floccifecerim:* deest *vel:* ut sit vel floccifecerim. *Idem.*

Floccifecerim] Floccus, inquit Rivius in castigationibus, particula est lanæ quæ inutilis a vellere divulsa evolat. res nullius pretii aut momenti. qui itaque *flocci facit*, is plane parvi aut nihili pendet. male itaque legi a nonnullis, *non flocci facit*. Farnabius.

12 *Quid tu es tristis? quidve es alacris*] Proverbiale est, in hominem perturbatum et incerti vultus. Aut lætus es. nam *alacris*, *L* litera pro *D* posita, non tristis, id est, ἄδακρυς intelligitur. *Donatus.*

Quidve es alacris] Et *alacer* et *alacris* dicitur: ut habes apud Virgilium: 'Ergo alacris, cunctosque putans excedere pugna.' *Idem.*

Quidve es alacris] *Alacritas* est mutatio quædam vultus gestientis in spem aliquam. *Idem.*

Sed eccum Parmenonem. salve. Par. *quid tu es tristis? quidve es alacris*] Versus est trochaicus acatalecticus, eliso d ex *sed*. Faërnus.

Quid tu es tristis, quidve es alacris] Donatus: 'Proverbiale est,' &c. sententia ab argumento loci non aliena. Guyetus plane resecat. *Bœclerus.*

13 *Unde is*] Modo, *ad quid venis*, significat. sed *eo*, de loco ad locum veteres dicebant: quod mox in subjectis probabitur. *Donatus.*

Unde is? Ch. *ego nescio hercle*] Bembinus liber ita habet, *ego ne? nescio hercle.* ita optime versus procedit. in quo animadvertendum, *hercle*, posteriorem corripere, ut in quarta sede sit dactylus. nam et *Hercule*, quod integrum est, ultimam corripit. Persius: 'Nemo hercule, nemo.' *Faërn.*

Quorsum eam] Bene: quia proxime dixerat, 'Ubi quæram? ubi investigem? quem perconter? quam insistam viam? incertus sum.' *Donatus.*

Quorsum eam] Hinc, ut diximus, manifestum est, *ire* et adventum significare. *Idem.*

14 *Ita prorsum oblitus sum mei*] Huic contrarium, 'Dum memor ipse mei.' Ergo oblitus mei, insanus. *Idem.*

Ita prorsum oblitus mei] *Prorsum*, recta, id est, omnino: nam *prorsum*, est porro versum, id est, ante versum. Hinc et *prorsa oratio*, quam non inflexit cantilena. *Idem.*

15 *Hem*] Si cum *h*, Parmeno: si leniter, Chærea. *Idem.*

Ostendes qui vir sies] Non, *si vir sies:* sed, *qui vir sies:* quod est ἐμφατικώτερον. Si quæsisset quidem, qui vir sies, an debeat præstare, qui virum se sic monstraturus est? Et *vir* modo, non ad sexum, nec ad ætatem dicitur, sed ad laudem. *Idem.*

Qui vir sies] In veteribus invenitur. *Idem.*

16 *Sæpe pollicitum esse*] *Pollicitum*, quod promittentem ultro significat, dixit. et *sæpe pollicitum se*, an necesse sit præstare eum, qui promiserit? *Idem.*

Chærea, aliquid inveni] Induxit μίμησιν pragmatice, more suo, non contentus dicere qui pollicitus sit tantum, sed quomodo etiam, et quibus

verbis. *Idem.*

17 *Modo quod ames*] Tantummodo. quasi hæc mora sit promissis complendis. *Idem.*

In ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam] An possit, qui posse se affirmavit? plus est promiserit, quam ostendere quod possit. *Idem.*

18 *Cum in cellulam*] Sic dicit anus * quæ et acceperit beneficium. *Idem.*

Patris penum omnem] Ipsum penum: non ex eo aliquid, *ὑπερβολικῶς*. Et hoc *penu*, et hic *penus*, et hæc *penus*, veteres dixerunt. Ergo et *omnem* et *omne* legitur. *Idem.*

Congerebam clanculum] Λάθρα ἢ κρύφα. *Idem.*

Penum omnem congerebam] Priscianus lib. XV. legit *congregabam.* Bœclerus.

Cellulam, &c.] Nec promptuariam hoc in loco, nec penuariam, ut volunt interpretes: sed in qua dormiebant servi. Exstruebant divitis famulis, servis, et amicis minorum gentium excipiendis cellas. ‘In quibus indignor si tibi cella fuit,’ Martialis l. IX. Ep. 74. ‘Conchiliatis peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres,’ Cic. ad Attic. l. XIV. Epist. 22. ‘Cellis servilibus extracta corpora et exercitui suo adjecit,’ Val. Max. l. VII. c. 6. Cic. Philippica II. *Farnabius.*

19 *Age, inepte*] Qui dubitas de promissis: an, qui exprobres te multa esse largitum. *Donatus.*

Hoc hercle factum est] Inveni quod amem: hoc quod dicebas, inquit, moræ esse, jam factum est; amo. *Id.*

Promissa appareant] Utilitatem ut cognoscam tuam. *Idem.*

20 *Sive adeo digna res est*] Si persona Parmenonis est, *sive* abundat: et pro expletiva conjunctione modo est: in quibusdam omnino non legitur. *Adeo* autem abundat, aut nimis significat, vel satis. Si Chærea dicit, hic ordo et sensus est, Fac, si vis nunc, sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos, ut promissa appareant. ut sit *sis*, si vis: et addatur, *ut*, quod deest. Fac ut promissa appareant. *Idem.*

Sive adeo] Bellissime dictum, pro, Maxime eum, cum præsertim, &c. *Faber.*

Ubi tu nervos intendas tuos] Utrum obscœne hoc, ut servus? an *μεταφορικῶς*, ubi laboraro ac periclitari debeas? Sed melius legunt, qui hoc totum ad personam applicant Chæreæ: et melius, quam qui Parmenonem hoc putant loqui, ‘Sive adeo digna res est ubi tu nervos intendas tuos.’ *Donatus.*

21 *Haud similis virgo est virginum nostrarum*] Civium scilicet, id est, terræ ac patriæ nostræ. ut Virgilius: ‘Non eadem arboribus pendet vindemia nostris.’ Et Sallustius, ‘Nostri fœda fuga,’ &c. *Idem.*

Quas matres student] Hoc verbo ostendit cultum industriæ, non pulchritudinem naturalem. *Idem.*

22 *Demissis humeris esse, vincto pectore*] Antiqui enim Græci etiam virginibus suis præbebant palæstram, ad componenda corpora. Vel, *demissis humeris esse,* liquide et molliter deductis, neque extantibus, alæ in modum. *Idem.*

Demissis humeris esse, vincto pectore] Non accipiendum est quasi hoc dicat, Ad hoc illas student matres demissis humeris esse, et vincto pectore, ut graciles sient: sed varie tria dixit, ne diceret* aut student illas demissis humeris, et vinctum pectus, ut graciles sient. *Idem.*

Demissis humeris esse] Thoracis parietes a nutricibus plerumque depravantur, dum ipsos educatione prima nimium arcte extrinsecus vinciunt, &c. Cæs. Rhodiginus l. IV. c. 4. ex Galeno. *Farnabius.*

Vincto pectore] Castigato ac tenui, et velut vincto. Deest ergo *velut.* Donatus.

Ut graciles sient] A singulari *gracilis* venit hæc declinatio. *Idem.*

Vincto pectore, ut gracilæ sient] Opportune ex Galeno quædam adfert de hac re Jo. Weizius. adde de toto loco Jos. Scalig. in Conjectaneis Varronianis. *Bœclerus.*

Vincto pectore, &c.] Strophio, fascia, zona filiarum sororiantes mamillas cohibebant matres, ut graciles essent, Marcellus. cogebant et rore vesci, tanquam cicad. vide Plutarch. in *αἰτίαις φυσικαῖς.* *Farnabius.*

23 *Si qua est habitior paulo*] Unde et *habitudo* dicitur: ut, ‘Quæ habitudo est corporis?’ nam *habitior*, aptior intelligitur. ut, ‘Namque humeris de more habilem suspenderat arcum.’ Ergo *habitior* legendum est. *Donatus.*

Habitior paulo] *Corpulentior*, Plaut. Epidic. act. I. sc. 1. Gnatho supra 2. sc. hujus act. ‘Quæ habitudo est corporis?’ *Farnabius.*

Pugilem esse aiunt] Laus in Virginem. *Donatus.*

Deducunt cibum] Mire vituperavit formam, quam accuraverit fames. Et proprie *deducunt.* Idem.

24 *Tametsi bona est natura*] *Bona,* id est, plena, magna, et pinguis. *Id.*

Reddunt] Exhibent, perficiunt. *Id.*

Curatura] *Cura,* mentis est: *Curatio,* medicinæ: *Curatura,* diligentiæ. *Id.*

Junceas] Tenues et pallidas. *Idem.*

Junceas] Tennes, graciles, teretes, leves admodum ad formam junci. *Farnabius.*

25 *Itaque ergo amantur*] Itaque, inquit, nemo illas amat. *εἰρωνεία* est. Aut vere amantur: ut eo magis hæc amanda sit, quæ naturæ beneficio, non factis comptibus, aut industria, est pulchra. *Donatus.*

Itaque ergo amantur] Atque ita fit, ut amentur, non naturæ merito, sed industria. *Idem.*

Quid tua istæc] Recte: sic enim ipse dicet, ‘At nihil ad nostram hanc.’ *Idem.*

Quid tua istæc] Deest, *qualis est,* dic. Idem.

Nova figura oris] Laudis genus est, *nova,* quia dixerat, ‘Tædet cotidianarum harum formarum.’ *Idem.*

Papæ] Interjectio mira subito accipientis. *Idem.*

26 *Color verus*] Quia non de cura est ac de fuco, id est, naturalis, non fucatus. *Idem.*

Color verus] Ex *color* r elidendum, ut in prima sede sit anapæstus. *Faërnus.*

Corpus solidum] Quia non vitiatum. *Donatus.*

Corpus solidum] Plenum et forte, id est, non flaccidum. *Idem.*

Corpus solidum] Lucilii IX. citantur a Nonio: ‘Hic corpus solidum invenies, hic stare papillas Pectore marmoreo.’ *Farnabius.*

Succi plenum] Quia nemo deduxit cibum. nam succus est humor in corpore, quo abundant bene valentes. Virgilius: ‘Et succus pecori, et lac subducitur agnis.’ *Succus* proprie, quasi *sugus:* quem sibi ex alimentis membra sugunt, ut se repleant. *Donatus.*

Succi plenum] *Succus* est interior pinguedo membrorum. *Idem.*

Anni sexdecim] Vide quemadmodum ætatem virginis maturæ Poëta ex occasione demonstraverit. *Idem.*

27 *Flos ipse*] Venuste Baifius: *C'est droit sur le point d'enrager.* Faber.

Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario] Hæc tria sunt, quibus non rite res agitur, vel vi, vel clam, vel precario: sine pretii mentione. vel quia virgo, non meretrix: vel quia nulla Ephebo spes est fallendi Senis. *Donatus.*

Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario fac tradas] Secundum jus locutus est. Nam his tribus mala fide aliquid possidetur: vi, clam, precario. *Vi,* quia virgo: *clam,* quia custoditur: *precario,* quia pretium non habet Chærea. *Idem.*

Flos ipse. CH. *hanc tu mihi vel vi,*

vel clam, vel precario] Videtur hic iambicus septenarius esse, inusitatum genus. ego puto legendum *hance:* et in *ipse* non faciendam synalœpham. *Faërnus.*

Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario fac tradas] Donatus: 'Secundum jus, nam his tribus (modis) aliquid mala fide possidetur: vi, clam, precario.' Est autem figura *αὐξητικὴ*, qua potiendi cupiditas exprimitur, quo jure quave injuria, per fas aut nefas. Horatius eandem juris formulam uberius explicavit, et proprietati opposuit, hos possidendi modos Epist. II. 2. 'Tanquam Sit proprium quicquam, puncto quod mobilis horæ, Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema Permutet dominos, et cedat in altera jura.' Vide l. XXII. De Acquir. Per Dom. ubi Ulpianus vi, clam, precario itidem conjungit. *Bæclerus.*

28 *Mea nihil refert, dum potiar modo*] Non hoc personæ attribuendum est, sed affectui, non enim quia Chærea est: sed quia amator, de se cupit facere quemadmodum potiatur. *Donatus.*

29 *Quid? Virgo, cuja est*] Utrum serva, an filia? *Idem.*

30 *Ne id quidem*] Pulchra varietas, *Nescio, Tantumdem, Ne id quidem.* Id.

Qua ratione amisti] Figura *συγκοπὴ*, pro *amisisti.* Idem.

Qua ratione amisisti] Si non remansisset Chærea, sed consecutus virginem vidisset, quo deducta esset prius, quam Parmenonem conveniret, non ita procederet fabula, ut nunc procedit. Irruisset enim in cognitionem meretricis importune Chærea, nec pro Eunucho adduceretur ulterius. *Id.*

31 *Id equidem*] Deest *ob*, aut *propter:* ut sit, *ob id*, aut *propter id.* Idem.

Mecum stomachabar] Bene *mecum:* quia acriorem dolorem sustinet, qui ipse sibi irasci cogitur. *Mecum* ergo, pro *apud me*, vel *mihi.* Idem.

32 *Hominem esse arbitror*] Deest *quam me.* Idem.

Cui magis bonæ felicitates] *Bonæ*, magnæ. Nove autem dixit, magnas felicitates sibi adversari; eo quod virginem tantæ pulchritudinis ex oculis amiserit. Nam vidisse eam, felicitatis judicat: sed amisisse, adversæ felicitatis. Et quod *bonæ* dixit, vel magnæ, vel nimiæ intelliguntur. Vel *ἐπίθετον* est proprium et perpetuum felicitatum. *Idem.*

Felicitates] *Felicitas* adversa est, cum ex prosperitate, quod lædat nascitur. *Idem.*

Bonæ felicitates] Ἔμφασις est, eo quod *felicitates* pluraliter posuit. Ἐπίθετα autem de tribus causis nominibus adduntur: discretionis, proprietatis, ornatus. Discretionis: ut, 'Phrygiæ molimur montibus Idæ.' Proprietatis; ut, 'Terribili impexum seta et dentibus atris.' Ornatus, ut, 'Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam.' *Idem.*

34 *Quid hoc est sceleris*] Propter hoc quod patior, inquit. nunc enim scelus dicit a sese commissum. *Idem.*

Quid hoc est sceleris] Donatus Chæreæ hæc verba tribuit. merito. v. Guyet. *Bæclerus.*

35 *Archidemidem nostin'*] Hoc sic pronunciandum est, ut appareat ex ipso nomine statim, odiosum nescio quem occurrisse ac permolestum. *Donatus.*

Æqualem, &c.] Æquævum, ætate parem. *Farnabius.*

Quidni] Correptio est ab se manifesta inquirentis. Est enim sensus, Quid nisi, aut cur non noverim? est enim *quidni*, aut quid nisi, aut cur non. Quia veteres *ni* pro *ne* ponebant, et *ne* pro *non.* ut Plautus, 'Ni stulta sis,' pro ne. et *ne vult*, pro non vult. *Donatus.*

Nostin? P. quidni? CH. *is, dum sequor hanc, fit mihi obviam*] L. o. hanc collocationem verborum habent, *dum hanc sequor.* sed, ut versus constet, vel legendum est *novistin*, ut in libro Bembino est, vel ex *quidni* nihil elidetur. *mihi* autem in unam syllabam contrahendum. *Faërnus.*

37 *Imo enimvero infeliciter*] Bene hoc interponit, quod incredibile est, tardiorem futurum amatorem incessu virginis. *Donatus.*

38 *Nam incommoda alia sunt dicenda*] Quæ minora sunt scilicet, aut similia. *Idem.*

39 *Illum liquet mihi dejerare*] Liquidum est, constans et manifestum, et certum. Et sic *liquet*, pro liquidum est; ut *claudit*, pro claudum est. Ut apud Sallustium, 'Nihil socordia claudebat.' Et est *liquet* verbum juris, quo utebantur judices, quum *amplius* pronuntiabant, obscuritate commoti causæ magis, quam negotii simplicitate. *Dejerare*, valde jurare: ut *demiror*, et *deamo te Syre.* si *de* producta legeris. si correpta, Deos jurare intelligitur. *Idem.*

Liquet, &c.] Liquido jurare possim. *Farnabius.*

40 *Prorsum non vidisse proximis*] Quia non vidisse dixit *proximis*, præteritis intelligimus. Proxima enim nobis aut præterita, aut futura sunt. nam præsentia ea sunt, in quibus nunc sumus. *Donatus.*

41 *Nisi nunc quum minime vellem*] Quia semper nolui, ideo nunc minime, utpote adolescens senem. *Idem.*

Minimeque opus fuit] Sæpe enim nolumus tantum, nunc etiam opus non est. *Idem.*

43 *Quam longe quidem*] Bene *longe* dixit: quia *a longe* non potuit dicere. an subauditur *erat*, ut sit, quam longe erat? *Idem.*

Quam longe quidem] A longe *τηλόθεν.* *Farnabius.*

43 et seq.] Nota figuras *πραγματικὰς* per *μίμησιν* et *διατύπωσιν* rem accurate exhibentes: tum narrationis comicæ habitum; de quo sæpius. senis adventus, accessus, habitus, gestus, oratio, mandata, cum tædio et odio omnia referuntur. vide Donatum. *Bæclerus.*

44 *Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens*] Ut omnia ostendat in contrarium sibi versa esse, etiam cursum attribuit seni. *Labra* sunt superiora: *labia*, inferiora. *Labra* asinorum proprie dicuntur. *Gemens* autem, ob continuam tussim. Sic Lucilius: 'Ante fores autem et triclini limina quidam Perditus Tiresia tussi grandævus gemebat.' *Donatus.*

Incurvus] Valde curvus. Sic Virgilius, 'Turnus ut infractos adverso Marte Latinos Defecisse videt.' *Infractos* enim valde fractos significat. nam *in* præpositio nunc auget, nunc minuit dictionem. Recte etiam deformitatem describit senis, qui præter ætatem post pulchram virginem fœdior videbatur. Et quam importune omnia? pro puella, senex occurrit: pro virgine, incurvus, tremulus: pro pulchra, labiis demissis, gemens: et cum amator sit, inaniter adolescenti ipse judicium loquitur: dum festinandum sit, remoratur. *Idem.*

Labiis demissis] Majora labra, unde *labeones.* Alii *labia* inferiora, et *labra* superiora. *Idem.*

45 *Heus, heus, tibi dico, Chærea*] *Tibi dico, Chærea*, non adderet, nisi videret Chæream dissimulantem præterire. *Idem.*

Heus, &c.] Adverte tædium senis Chæream festinantem remorantis. *Farnabius.*

Inquit] Aliter *inquit* pronuntiandum est, hoc est, concitate. nam senis verba aliter proferenda sunt. *Donatus.*

46 *Scin' quid ego te volebam*] Hic ostenditur odiosa tarditas senis, apud festinantem Chæream. nam non dicit, sed promittit se dicturum. *Idem.*

Cras est mihi judicium] Huic moræ etiam illud additum, quod quum debeat dicere quid velit, prius dicit quod non est necessarium, quare velit. *Idem.*

47 *Judicium*] Causa forensis dicenda. *Farnabius.*

Ut diligenter nunties] *Diligenter.* nihil tam abundanter, nihil tam moraliter dici potuit. *Donatus,*

48 *Esse ut meminerit*] Non ut sit: sed, ut esse meminerit. O prolixitas! *Idem.*

Advocatus] Illis temporibus advocatus non erat quem ita nunc Gallice vocamus. Vide Hotomannum et alios interpr. Juris. *Faber.*

Advocatus mane mihi esse ut meminerit] Inter solennia amicorum officia. Advocatus enim non tantum est patronus qui causam orat, aut qui jus suggerit, sed etiam qui amico præsentiam suam commodat, teste Asconio Pediano. vide Chrestom. voc. Advoc. Locus Plauti huc referatur Epid. III. 3. 41. 'Res magna amici apud forum agitur. ei volo Ire advocatus.' *Bœclerus.*

49 *Dum hæc dicit*] Dat tempus verbis: quæ non potuit, quamvis imitaretur, exprimere. *Donatus.*

Rogo numquid velit] Hoc est, significo me abire. Nam abituri, ne id dure facerent, *Numquid vis,* dicebant his, quibuscum constitissent, Quid est ergo? *Rogo numquid velit?* hoc est, dico quod abeuntes solent. *Idem.*

Numquid velit] Formula abire cupientis. *Farnabius.*

50 *Recte, inquit*] Pro eo quod est *nihil*, et moraliter τῷ Ἀττικισμῷ. *Donatus.*

Recte, inquit] Tantum est. *Farnabius.*

Cum huc respicio ad virginem, illa sese, &c.] In hanc partem scilicet, qua meretrix habitabat. *Donatus.*

51 *Interea commodum*] Tantum quod, *vel ipso eodemque tempore.* Idem.

Interea commodum] Una. Et hoc significat: ut si dicas, Eodem tempore quo hoc agebatur. Nam *interea*, nunc conjunctio accipienda est: non, ut alias, pro adverbio ponitur. *Idem.*

52 *In hanc nostram plateam*] Recte, quia vicina est illis Thais, ad quam deducitur. *Idem.*

In hanc nostram plateam. P. mirum ni hanc dicit modo] Versus potest sustentari elidendo ex *in* n. *Faërnus.*

53 *Huic, &c.*] Thaidi. *Farnabius.*

Nulla erat] Etenim ingressa jam fuerat. *Donatus.*

54 *Comites secuti scilicet sunt virginem*] Interrogative quidem: sed sic, ut scire videatur id quod quærit; sed ad hoc quærere, ut quod scit, confirmet. *Idem.*

55 *Verum: parasitus*] *Verum*, modo inceptiva est, non relativa particula. ut in Andria, 'Verum vidi Cantharam suffarcinatam.' *Idem.*

Ilicet, desine: jam conclam.] Explicamus in Chrestomathia, voce Conclam. *Bœclerus.*

Ilicet] Finitæ rei et cognitionis plenæ vox post sententiam a judice latam dimisso consilio per vocem præconis; *Ilicet*, id est, *ire licet*, in sacris item et funeribus usitatum. *Farnabius.*

56 *Jam conclamatum est*] Transactum ac finitum. Ut conclamata corpora nihil reliqui jam habent ad vitæ officia. *Donatus.*

Conclamatum est] Manifestum significat, ipsam eandem * esse, vel pulchram esse, quia et ipse dixerat, 'Hæc superat ipsam Thaidem.' ut in conclamatis funeribus nulla dilatio est doloris et luctus. unde Lucanus ait: 'Corpora nondum Conclamata jacent.' Aut *conclamatum*, satis deploratum, satisque vociferatum est: quia dixerat, 'O infortunatum senem: si et hic amare cœperit.' Tanquam dicat, Jam occisum patrem tandem scimus, jamque deflemus. *Idem.*

Conclamatum est] Exploratum, manifestum *Rituale*, a familia expirantem ac certo jam defunctum conclamante, 'Cum corpora nondum Conclamata jacent,' Lucan. l. II. vel a funebri officio, quo absoluto, funus comitati conclamabant et nomine ter vo-

catum jubebant æternum valere. *Farnabius.*

Alias res agis] Recte, quia dixit ille, 'Jam conclamatum est.' *Donatus.*

Alias res agis] Aut, *non attendis ad id quod dico*, significat, ut nulla sit in eo attentio. nam hinc natum est, 'Agite amabo.' Aut, 'nugatorias res agis,' hoc est, jocaris: quasi dicat, vanas res agis. *Idem.*

58 *Scio quo abducta sit*] Plus dixit, quam interrogabatur: credo tædio interrogantis; nam properat, ut dicturus est, ad deducendum Eunuchum ad Thaidem cum ancilla ex Æthiopia. *Idem.*

Scio quo abducta sit] Secunda ἀποσιώπησις. *Idem.*

59 *Eho Parmeno mi, nostin'? et scis ubi siet*] Amatorie satis repetuntur quæ semel dicta suffecerant. *Idem.*

60 *Huc deducta est ad meretricem*] Et hoc confundit semel, quum acervatim dicit, velut odio interrogantis sæpius, et festinatione ad mandata Phædriæ peragenda. *Idem.*

62 *Phædriæ rivalis*] Cum pronuntiatione addendum, quo magis doleat Phædriæ rivalis. *Idem.*

Duras fratris partes prædicas] Scilicet contra æmulum et divitem et largissimum. 'Et partes duras' μεταφορικῶς, ab actoribus scenicis. *Idem.*

63 *Comparet*] Hic jam ostenditur miles illustrior per rivalis dona, quam per sua. Et est qualitas comparativa. *Comparet* pro emat, aut comparandum putet. *Idem.*

64 *Tum magis id dicas*] Duras partes fratris esse. *Idem.*

Tum magis id dicas] Scriberem, ob metrum, *tum magi' dicas*, quod et Faërnus sensit. *Faber.*

Tum magis id dicas] Pro nomen *id*, varie collocatur. antiqui enim libri et Donatus verbo præponunt; omnes alii postponunt. ego hanc vocem *id* cum videam certam sedem non habere, et versui incommodare, ne sit trochaicus catalecticus, ut ceteri, subditicium arbitror, et ab aliquo adjectum, putante non satis intelligi, *tum magis dicas*, pro *tum magis id dicas:* quod tamen Latine, et antique dicitur. Plautus in Milite Glorioso: 'Ei mihi. magis dicas si scias quod ego scio.' *Faërnus.*

Quodnam quæso hercle] Curiositatem addidit, παρελκόντων *Quæso* et *Hercle.* Et vide quam molliter, et sine intellectu spectatoris ad argumenti spectati ordinem Poëta perveniat: ut de Eunucho facta mentione consilium nascatur supponendi Chæreæ. *Donatus.*

Eunuchum] Mire Terentius primo simpliciter Eunucho nomen posuit, huic quoque detracturus. *Idem.*

65 *Inhonestum*] Fœdum: ut contra, *facie honesta.* ut apud Virgilium, 'Et lætos oculis afflarat honores.' *Idem.*

Hominem] Opportune *hominem* dixit, tanquam incerti sexus. *Idem.*

Inhonestum, &c.] Fœdum. ut act. IV. sc. 4. 'Nunc tibi videtur fœdus.' *Farnabius.*

Quem mercatus est here] O. l. s. *heri.* quæ tamen vox sic quoque posteriorem corripit. *Faërnus.*

Senem, mulierem] Non communi genere dixit *senem:* quippe qui alibi separaverit, dicendo, *senex atque anus:* sed subdistinguendum est: ut sit duplex vituperatio: una ab ætate, quod ait *senem:* altera a membrorum mollitie, quod ait *mulierem.* Donatus.

Mulierem] Mollem, glabrum, quia eviratum. *Farnabius.*

66 *Quatietur certe cum dono foras*] Mire *cum dono:* tanquam illi repulsæ causa donum futurum sit. Tum deinde non rejicietur, sed *quatietur.* Vide quam contumeliosius dictum sit, *quatietur foras:* vel verberibus impelletur foras, non expulsione, sed detrusione. Vel sic dixit, *foras quatietur:* ut desit, *versum:* ut sit, foras versum verberabitur, ut verberetur

et fugetur foras. Nam et pervulgatæ consuetudinis dictum est, 'Feri canem foras,' hoc est, feriendo canem foras ejice. *Donatus.*

67 *Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam*] Quomodo enim pro Eunucho veniet, si aut novit, aut notus est? Et si mulierem adolescens ne novit quidem, ipse multo maxime nescietur. *Idem.*

Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam] Οἰκονομία contra illud, quod meretrix vicina erat. *Idem.*

Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam] Ut nihil molitur inepte aut ex abrupto Poëta! virginis conspectæ desiderium facit Chæream curiosum etiam circa domum Thaidis, ut postea facili descensu inferatur occasio audacis consilii, 'O fortunatum istum Eunuchum, qui quidem in hanc detur domum!' *Bœclerus.*

Haud diu est] Vicina scilicet. Et est causa, an verisimile sit nescire potuisse vicinam. Et nota, apud Terentium vicinas poni sæpius adolescentibus meretrices, ut hæc sit prima amoris illecebra. *Donatus.*

Haud diu est] Parmenonis confessio, Thaidem haud diu fuisse vicinam, Chæreæ itidem, se nunquam vidisse, ut qui plurimum in Piræeo commoratus fuerit, fidem faciunt ignotum omnino fuisse Thaidi et familiæ Chæream, ut Pythias infra IV. act. 4. sc. 'Hunc oculis suis Nostrarum nunquam quisquis vidit.' et infra hac eadem sc. *Farnabius.*

68 *Nunquamne etiam me illam vidisse*] Artificiose inculcat poëta τὸ πιθανόν. *Donatus.*

Nunquamne, &c.] Ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις. Odyss. XIV. et suum cuique pulcrum. *Farnab.*

69 *Estne, ut fertur, forma*] Hoc propter illud, quod supra diximus. Sed nimio lepore Terentiano jam illud agitur: Nam hic ostenditur, verisimile esse pro Eunucho creditum apud vicinam meretricem Chæream, qui adeo ignotus sit mulieri, ut nec ipse eam noverit: quod erat facilius et promptius. Et additur color, quod et illa non diu vicina est, et quod adolescens plurimum in Piræo commoratus est. *Donatus.*

Nihil ad nostram hanc] Moraliter *nostram* dixit, pro meam. *Idem.*

Alia res est] Non potuit melius suam utrique gratiam reservare; nam et illa et hæc amantur. *Idem.*

Alia res est] Deleo istud, *est*, ob metri necessitatem. In Libro Bembi ita legebatur. Dein et venustius fuerit. *Faber.*

Alia res est] Liber Bembinus non habet verbum, *est.* ita versus est trochaicus catalecticus ut ceteri: nisi quis eum vellet acatalecticum facere, retento *est.* quod non placet mihi. *Faërnus.*

70 *Faciam sedulo*] Mire in promissis posterioribus difficultas rei ostenditur: quum primo *faciam* dixerit. *Donatus.*

71 *Numquid me aliud vis*] Hoc dicere abeuntes solent. Et bene, *Numquid me aliud vis?* quia festinat. et simul quia hinc noscitur dolus fallendæ meretricis. *Idem.*

9 *Numquid aliud vis*] Dele, *vis*, ex auctoritate librorum Mss. et metri necessitate. *Faber.*

Numquid me aliud vis] *Vis*, non est in libri Bembini contextu, nec in aliis antiquis. itaque eam dictionem delevimus, quæ et impedit versum, nec adjuvat sensum: utique enim subauditur, *vis.* Faërnus.

72 *Ut mancipia hæc, ita ut jussit frater, deducam ad Thaidem*] Vide Terentium, ut non quæsita esse hæc fallacia, sed ipsa se obtulisse videatur. *Donatus.*

73 *O fortunatum istum Eunuchum*] *Istum*, sæpe annotavimus, aut ad contemptum, aut ad odium referri. ut Virgilius, 'Aut quid petis istis?' Et, 'Ista quidem quia nota mihi tua magna voluntas, Juppiter.' *Idem.*

Qui quidem in hanc detur domum] Quid facilius quam imitari velle, quod laudes? nec quisquam, nisi qui cupit, eligitur pro Eunucho, qui Eunuchum putat esse beatum. Vide, quam molli descensu ad hoc consilium pervenitur. Res enim hoc suggerit potius, quam Parmeno: ideo quia servum hoc suadere Chæreæ, nimis temerarium fuit. *Idem.*

74 *Quid ita*] Potuit intelligere statim servus: sed ad hoc interrogat, ut doceatur spectator. *Idem.*

75 *Videbit: colloquetur: aderit una, &c.*] Amatorie nimis, quinque lineas amoris executus est: adeoque diligenter, ut etiam ordinem custodierit. *Idem.*

Videbit: colloquetur: aderit una in unis ædibus] Mire amator non simul effudit hoc bonum, sed particulatim digessit: ut major voluptas futura esse noscatur. *Idem.*

Videbit: colloquetur: aderit, &c.] Istæ enim sunt amoris lineæ: etsi eas non omnes est persecutus. *Idem.*

Videbit: colloquetur, &c.] Σὺ δὲ βλέπεις ἀεὶ, καὶ ἀκούεις ἀεὶ, καὶ συνδειπνεῖς, καὶ συμπίνεις. Achil. Tatius Amor. l. I. amoris lineæ gradus et incentiva: Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε. τρὶς ὄλβιος ὅστις ἀκούει. Ἡμίθεος ὁ φιλῶν· ἀθάνατος δ' ὁ συνών. Antholog. *Farnabius.*

77 *Quid si nunc tute fortunatus fias*] Sic videtur Parmeno dicere, potius ut jocetur, quam ut fieri credat posse. *Donatus.*

Quid si nunc tute fortunatus fias] Elegantiores homines, quantum est, mihi favebunt legenti, *Quid si nunc tute IS fortunatus fias?* hoc sensu; Tu modo exclamasti, *O fortunatum istum Eunuchum!* Quid si tu *ille* fortunatus fieres? Libri veteres hac figura pleni sunt. *Faber.*

Quid si nunc tute fortunatus fias, &c.] Τὸ τολμηρὸν καὶ ἄτοπον τοῦ πράγματος τῷ τοῦ κωμῳδοῦντος λόγῳ σχηματίζεται. latet, artificio poëtæ, sub comica festivitate consilium, quod sine flagitio proponi serio sermone non potuit, quæ servilis calliditatis pars est. *Bœclerus.*

78 *Capias tu illius vestem*] Non semel ostenditur, quod futurum sit: quia particulatim potest etiam quod turpe est, tamen mitti ad persuasionem. Simul in gestum respicitur. Ergo non dixit, ibis pro Eunucho: sed primo, Capias illius vestem: tum deinde, hoc ipsum non aspernante domino, pergit servus ad cetera, quæ audaciora sunt. *Donatus.*

Vestem] Quam libenter audiat, repetitio dictorum per interrogationem ostendit. *Idem.*

79 *Audio*] Id est, libenter hoc admitto, et consentio. Ut in Phormione, 'Audio, et fateor.' et contra; 'Non audio.' *Idem.*

Intelligo] *Audio* et *intelligo* vim modo non usitatam exprimunt, scilicet consentientis immodicum affectum. *Idem.*

81 *Cibum una capias*] Bene servus interturbavit supra dictas amandi lineas, et ordinem voluptatum: quippe qui amare non noverit. *Idem.*

Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias] Etsi satis erat superior versus, tamen incentiva sunt amoris, etiam sigillatim hæc enumerata, quæ una sententia superior versus ostenderat. *Idem.*

82 *Quandoquidem illarum quisquam*] Pro, *ex illis.* Idem.

Quisquam] Quia *quæquam* dicere, absurdum est. *Idem.*

Illarum quisquam] *Quisquam* multis exemplis probatur etiam fœminino genere veteres protulisse: ita ut in numeris et generibus hæc pronomina infinita sint. *Idem.*

Neque illarum quisquam] Τὸ, quis, in secundo genere non magis novum videri debet, quam mollis, gracilis, docilis, &c. Plaut. Enn. Lucil. et Terent. alibi. *Faber.*

Neque scit qui sies] Hoc est, quod supra callide poëta præstruxit. *Donat.*

83 *Forma, et ætas ipsa est*] Deest, *in te.* Idem.

Præterea forma, ætas] O. fere libri, et in iis antiqui, et Donatus, 'Forma et ætas:' quod si recipimus, versus est iambicus tetrameter acatalecticus: sin aliter, trochaicus. *Faërnus.*

Facile ut pro Eunucho probes] Formam scilicet et ætatem. Formam, quia pulcher es: ætatem, quia ephebus. *Donatus.*

Facile ut pro Eunucho probes] *Probes*, fingas, atque persuadeas: ut in consuetudine dicimus, 'Homo sacrilegus pro innocente se probavit.' Et Cicero, 'Hoc tu his probabis?' Itaque deest *te*, quod subaudiamus. ut sit, *pro Eunucho te probes.* Idem.

Probes] Ut, *Migrantes cernas.* aut *probes*, persuadeas. Et simul honeste non dixit, quod erat rectum, ut Eunuchum probes, sed pro Eunucho: ne esset contumeliosum in Chæream. *Idem.*

Forma et ætas ipsa est, facile ut pro Eun. probes] Vide simile genus commenti in Aristophanis Θεσμοφορ. ubi muliebri habitu vir assimulatur. de quo, et ad quem: 'Ανὴρ μὲν ἡμῖν οὑτοσὶ, καὶ δὴ γυνὴ Τόδ' εἶδος. ἢν λαλῇς δ' ὅπως τῷ φθέγματι Γυναικιεῖς εὖ καὶ πιθανῶς. *Bœclerus.*

Probes] Pulcer enim et Ephebus. *Farnabius.*

85 *Nunc jam orna me*] Hortative *orna* dixit: non despolia, aut exue me. *Donatus.*

Abduc] Abducimur unde volumus: Ducimur quo volumus. *Idem.*

Quantum potes] Deest, *cito.* Idem.

86 *Quid agis*] Callide servus non vult se auctorem videri tanti facinoris. *Idem.*

87 *Quo trudis*] Comici semper ea ostendunt fieri ab altero verbis alterius personæ, quæ ostendi per se ipsa non poterant: ut nunc manu agere Chæream Parmenone ipso dicente cognoscimus. *Idem.*

Quo trudis] Præbet se vi cogendum domino, quem compulit dictis. *Idem.*

Perculeris jam tu me] Perverteris. unde proverbium, 'Bene plaustrum perculit.' *Idem.*

Perculeris, &c.] Prope me evertisti. Ductum ab iis qui onusta plaustra percellebant, h. e. evertebant. Festus. Plaut. Epidic. act. IV. sc. 2. 'Plaustrum perculi.' et Pers. act. V. sc. 2. 'Vehiculum argenti miser ejeci, neque quamobrem ejeci habeo.' *Farnabius.*

Tibi equidem dico, mane] Sigillatim ista pronuncianda sunt: ex quibus intelligatur, non cessare Chæream, quin adhuc impellat et trudat. *Donatus.*

88 *Pergin'*] Quasi vero joco dixerit, non serio. *Idem.*

Ne nimium calidum] Periculosum. sed melius *callidum* legitur. *Idem.*

Nimium] Adverbiale: quia *nimium* propria vox est. *Idem.*

Vide ne nimium callidum hoc sit modo] Donatus et *callidum*, et *calidum* legi affirmat: sed *callidum* videtur magis probare, nulla quidem ratione: cum potius Parmeno, præceps et inconsultum hoc consilium asserat, quam versutum: et dictionem, *callidum*, quæ primam habet productam, versus ratio non admittat, nisi forte ex magna licentia, demendo in scansione unum l. Mihi libros scriptos Donati consideranti, videtur omnis expositio hujus loci esse corrupta; omninoque legendum *calidum* per unum l, et ex sensu et ex versu, ut et aliqui l. s. habent, et Robertus Stephanus impressit. *Faërnus.*

Calidum, &c.] Nimium præceps, subitum, periculosum. 'Reperias multos, quibus periculosa et calida consilia.' Cic. l. II. de Officiis: 'Cedo calidum consilium cito.' Plaut. Mil. act. II. sc. 2. Epidic. act. II. sc. 2. θερμὸν ἔργον, κἀνόσιον, καὶ παρὰ νόμον. Aristoph. *Farnabius.*

89 *At enim istæc in me cudetur faba*] Id est, in me hoc malum recidet, in me hæc vindicabitur culpa: ut laborat solum, in quo cuditur, id est, batuitur faba, quum siliquis exuitur tunsa fustibus: ut in areis more rusticorum fit. Vel quod quidam male coctam fabam, et quæ non maduerit, sed dura permanserit, supra caput coqui, velut ipsi fabæ irati, saxo comminuunt. tum universum malum, et omnis dolor ad coquum pervenit. Simile et alibi a pulmento proverbium est: 'Tute hoc intristi, tibi hoc est exedendum: accingere.' *Donatus.*

At enim istæc in me cudetur faba] Ex duabus Donati explicationibus prior erudita est: posterior minime accipi debet. Nimis opportunus esset Plinii locus Turnebo laudatus ex XVIII. 27. si legeretur, ut ipse voluit: *faba metitur, deinde cuditur.* sed in Codicibus est: *concutitur.* hoc interim certum est *cudendi* vocem τῷ concutere posse ἰσοδυναμεῖν. est enim cudo, κολάπτω, τινάσσω, in veteribus Gloss. *Bœclerus.*

At enim, &c.] At enim mihi imputabitur hæc culpa. luam ego pœnas, quasi fuerim area in qua cuditur, id est, batuitur fustibus faba, vel, ut crudeles domini fabam durinsculam seu male coctam supra caput coqui saxo comminuunt, ita in caput meum tanquam immaturi consilii auctoris recidet hoc malum. *Farnabius.*

90 *Flagitium facimus*] *Flagitium* more militari dicitur, res flagitatione, hoc est, increpatione digna. Nam *flagitatio*, a strepitu dicitur: unde *flamma*, et *flagella*, et *flagitare*, id est, personare intelligimus dici. Nam hæc omnia sine sonitu crepituque non sunt. *Donatus.*

An id flagitium est] An liceat? an deceat? Et prius, quia licet. *Idem.*

An id flagitium est] Terentius laudat argumentum hujus fabulæ: in quo exemplum promitur, quod prosit parentibus, obsit meretricibus: et simul deliberationibus tractans id faciendum. *Idem.*

Si in domum meretriciam deducar] Hoc tale est; nulla lex prohibeat, et defendatur ut licitum. *Idem.*

91 *Et illis crucibus*] Hoc jam ad illud pertinet, ut ostendatur decere. et primo a persona ejus fit. *Idem.*

Crucibus] Meretricibus. *Farnabius.*

92 *Habent despicatam*] Contemptam atque despectam. et ita est ἐπένθεσις et μεταπλασμός. Vel certe alterius verbi declinatio, ab eo quod est *despicor*, ut *conspicor*. Sallustius, 'Quam interea Metellus monte digrediens cum exercitu conspicatur, primo dubius quidnam insolita facies ostenderet.' *Idem.*

Habent despicatam] Sic Donatus et omnes antiqui libri præter Bembinum. et stat versus rejecta prima ejus syllaba in finem præcedentis. omnes alii libri recentes, *despectam* habent, ut Bembinus. *Faërnus.*

93 *Nunc referam gratiam*] Non eas, inquit, lacessam: sed quod justum est vicem reddam: quasi ipse in aliis læsus sit. *Donatus.*

Nunc referam gratiam] Colorem juris vult suo facto inducere: quem expressit Aristoteles Rhetor. I. ubi inter eos, qui facile injuria afficiuntur, recenset etiam τοὺς πολλὰ ἠδικηκότας, ἢ τοιαῦτα οἷα ἀδικοῦνται. ἐγγὺς γάρ τι δοκεῖ τοῦ μὴ ἀδικεῖν εἶναι, ὅταν τι τοιοῦτον ἀδικηθῇ τις, οἷον εἰώθει καὶ αὐτὸς ἀδικεῖν. sed ex opinione, non ex veritate ita disputant. quare *Donatus*, ad vs. 95. *Illud merito factum omnes putent*, annotat: 'Bene: non judicent. quia et hoc ipsum non satis probum est, vel meretricem fallere.' *Bœclerus.*

Ut ab illis fallimur] Non dixit, *alii falluntur*. Donatus.

94 *An potius hæc pati, æquum est fieri*] Illic vicissitudo extat in *Pati dolos.* Idem.

An potius hæc patri æquom est fieri, ut, &c.] Scribe, *hoc*, numquam aliter

Latini. *Faber.*

An potius, &c.] An potius æquum est hæc a me fieri adversus patrem, quem dolis eludam, pecunias ab eo per fallacias auferendo quas in meretrices insumam, cum liceat ipsas meretrices ulcisci sine omni dispendio et culpa, imo cum omnium approbatione. Vulgo legitur *Pati.* Farnab.

Ut a me ludatur dolis] Σύλληψις: subauditur *pati.* Donatus.

95 *Quod qui rescierint*] Ex consequentibus argumentum: nam aliud factum vituperatio sequitur, hoc approbatio. *Idem.*

An potius hæc pati? æquum est fieri ut a me ludatur dolis. Quod qui rescierint culpent, illud merito factum omnes putent] Liber Bembinus et omnes alii antiqui pro *pati* habent *patri.* ac Donatus quoque, licet aliqua ex parte corruptus: nam quamvis citando hæc verba dicat *pati*, tamen in expositionis progressu legit *patri.* et sane *pati* nullum habet sensum; *patri* autem si legas, sensus est: cur non has meretrices debeam fallere? an potius æquum est, hæc a me fieri adversus patrem, ut eum ludam dolis, pecuniam scilicet ab eo per fallacias auferendo, quam in amores et voluptates meas insumam? cum liceat, fallendo has meretrices, cupiditatem meam, sine ullo sumptu aut dispendio explere. illud enim si facerem, id est, si patrem dolis luderem, qui hoc rescierint, culpent; hoc autem, id est, a me deceptam esse meretricem, merito factum omnes putent. atque hunc esse germanum sensum poëtæ, omnia fere argumenta comica ostendunt, ubi plerumque inducuntur adolescentes amatores patribus struere fallacias, ad pecuniam auferendam, quam meretricibus aut lenonibus dent. huc etiam spectant et ea quæ supra dixit, 'o infortunatum senem;' et ea quæ infra, 'Eam confeci, sine molestia, sine sumptu, sine dispendio;' nam si sumptus intervenisset, utique eum a patre oportuisset auferri. *Faërnus.*

96 *Quid istuc*] Adverbium est ægre concedentis. *Donatus.*

Facias] Pro facito. *Idem.*

Verum, ne post conferas] Si *ne* prohibentis est, nihil deest: si percontantis, ut sit *ne forte*: deest, *timeo.* Idem.

Verum ne post conferas culpam in me] In hoc negotio non auctor vult interesse, sed servus. *Idem.*

Verum] Deest, *vide.* Idem.

97 *Cogo atque impero*] Evidenter ostendit plus esse *imperare* quam *jubere.* Idem.

98 *Numquam defugiam auctoritatem*] Non, inquit, recusabo facere, dum tu auctor sis facti. *Idem.*

Nunquam, &c.] Non inficiabor hoc factum me auctore, neque culpam in te conferam. Cic. pro Sylla: 'Attende jam Torquate, quam ego non defugiam auctoritatem consulatus mei.' quam non inficier, quæ a me Consule gesta sunt, ea omnia me auctore gesta esse. vide et Plaut. Pœnul. act. I. sc. 1. *Farnabius.*

Numquam defugiam auctoritatem, &c.] Hunc locum optime omnium constituit Muretus. Antea male positæ erant personæ. *Faber.*

ACTUS III.

SCENA I. Senariis constat. vss. 7. et 8. Mss. nostri, *gratias*, diverso positu, ex glossa inserunt. vs. 8. omnes: *itidem.* vs. 11. duo: *qui in te est.* Argentoratensis, itidem: sed a manu correctoris. legebatur ante *quod*, ut vestigia non obscura ostendunt. vs. 12. omnes: *gestire*, et *verum.* vs. 17. duo: *adducebat.* unus: *adhibebat.* vs. 34. omnes: *cœpit ad id ludere.* vs. 35. unus: *quid agis homo inquam impudens.* vs. 41. omnes: *perditus est.* vs. 55. omnes: *par pari referto.* Bœclerus.

1 *Magnas vero agere gratias*] Hic sermo sic prodit, ut post scenam inchoatus esse videatur. Continet autem assentationem parasiticam, et stultitiam gloriosi militis. *Donatus.*

Agere] Plus sonat infinitus modus, finito. *Idem.*

Magnas vero agere gratias Th. mihi] Explicat Cicero in Lælio cap. 26. 'Nec parasitorum in comœdiis assentatio nobis faceta videretur, nisi essent milites gloriosi: Magnas vero agere gratias Thais mihi? Satis erat respondere, magnas: ingentes, inquit. semper auget assentator id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult esse magnum.' Assentatio scilicet parasitica, et stultitia gloriosi militis ἀντιστρέφονται. *Bœclerus.*

2 *Ingenteis*] Vide quantum adjiciat parasitus. Ille, *magnas* dixit, hic respondit, *ingenteis*: ille, *læta est*: hic, *triumphat.* Donatus.

Ingentes] Cic. in Lælio: 'Satis erat respondere, magnas: ingentes, inquit. semper auget assentatio id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult esse magnum.' *Farnabius.*

3 *Quam abs te datum esse*] Majoris est gratiæ, tantum posuisse amorem militis, ut meretrix minus lætaretur ob lucrum. *Donatus.*

Id vero serio] *Id*, ob id: ut, 'Id amabo adjuta me.' Alias παρέλκεται, id est, productionis locus est. *Idem.*

4 *Triumphat*] Ut militaribus dictis tangit Militem Parasitus. *Idem.*

Huc proviso] Tertia persona venit in scenam: sed separatim loquitur, et secum. *Idem.*

5 *Deducam*] Lege, *ducam ad Thaidem.* Ita jubet versus. *Faber.*

Sed eccum militem] Injuriose Militem. honorifice proprio nomine dicitur: ut in subjectis, 'Audire vocem visa sum modo militis.' *Donatus.*

Est istuc datum] Fato decretoque concessum: ut, 'Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis.' *Idem.*

6 *Ut grata mihi sint, quæ facio omnia*] Gratæ nobis sunt aut res aut personæ: sed nunc res dicit. *Idem.*

Quæ facio omnia] Ἔλλειψις vel σύλληψις. *Idem.*

Profecto mihi ut grata sint quæ facio omnia] Alia verborum collocatio in o. l. s. et Donato invenitur, hoc modo, 'Profecto ut grata mihi sint quæ facio omnia.' grata autem mihi, non jocunda mihi exponendum est, sed talia, ut pro iis mihi gratia habeatur; ut et in Heautontim. 'Tum cum gratum mihi esse potuit, nolui,' id est, tum cum mihi potuit haberi gratis. *Faërnus.*

7 *Advorti hercle animum*] Approbat dictum et hoc, *Ait, aio.* Donatus.

Vel rex semper maximas Mihi agebat] Quam intempestive miles ad regem transitum fecit, cum de meretrice agatur. *Idem.*

Vel rex] Ut in Hecyra, 'Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi, quam sancte?' *Idem.*

Vel rex semper maximas] Subauditur *gratias*: ab eo quod supra dixit, 'Magnas vero agere gratias Thais mihi.' *Idem.*

9 *Partam gloriam*] Id est, quæ

paritur. ut, ‘Vectus equo spumante Sages.’ *Idem.*

Labore alieno magnam partam gloriam verbis in se tr.] Jocum ex ambiguo serit parasitus. dum enim videri vult dicere, nihil mirum esse quod Rex ipsi maximas semper gratias egit, aliis non item; eo quod viri sapientes, qualis Thraso esset, non tantum suorum factorum gloriam referrent, sed aliena etiam merita peritia fandi et dexteritate orationis aulica suum ad decus traherent; revera hoc ait; gloriosos homines et ineptos alieni laboris gloriam magnificis verbis impudenter sibi vindicare. *τὸ γὰρ τὰ ἀλλότρια αὑτοῦ φάσκειν, ἀλαζονείας σημεῖον.* apud Aristot. II. Rhetor. Satis poterat persentiscere sannam Gnathonis, ni fuisset lapis. *Bæclerus.*

Labore, &c.] Hæc Gnatho aversus, ne miles audiat. *Farnabius.*

10 *Verbis in se sæpe transmovet, qui habet salem*] Mire adulator hoc attribuit militi, quod minime habet, vel verba, vel salem. *Donatus.*

Qui habet salem] *Sal* neutraliter, condimentum est: masculini, sapientia. *Idem.*

Qui habet salem] Hæc conversus, et coram; ut audiat. *Farnabius.*

11 *Qui in te est*] Quem tu habes. *Donatus.*

Qui in te est] Urbanitatem, leporem, facetum ingenium. Legitur et, *Quod in te est*, cum respectu ad *sale* antiquitus Neutrius generis. adi Grammaticam nostram. *Farnabius.*

Habes] Intelligis. Quod enim tenemus corpore, habemus animo: quodque item animo habemus, intelligimus. *Donatus.*

Habes] Pro intelligis. Sic dicitur *accipe*, et *da*. *Habes* etiam, id est, dicis. ut Sallustius: ‘Tartessum Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gadirum habent.’ *Idem.*

Rex te ergo in oculis. scilicet. gestire. verum] Vide inconditam properationem laudari se cupientis adeo, ut non sinat verba impleri, quin præfestinet, *scilicet* et *verum* dicere. *Idem.*

Gestare] Omnes libri quotquot sunt, et antiqui et recentes, tum Terentii, tum Donati, habent *gestire.* quam lectionem admittentes, exponemus, lætum esse, et gaudere ex convictu, scilicet tuo: quod vero supra dictum est, ‘Rex te ergo in oculis,’ hic subaudiemus vel habere, vel ferre. *Faërnus.*

Gestare. vero] Vide omnino Guyetum. *Bæclerus.*

Gestare] *Ferre* vel *gestare* in *oculis* est, valde diligere. male ergo legitur *gestire*. Muretus l. IX. Var. c. 18. *Farnabius.*

Credere omnem exercitum] Magis ridebis, si consideres militem notum esse, qui *. *Donatus.*

Credere omnem exercitum, consilia] Sub obtentu militis, ea stultitia, descripsit breviter comitem regium, acceptumque imperatori. Nam qui nunc credit exercitum, credit et consilia. Virgilius: ‘Nulla meis sine te quæretur gloria rebus, Seu pacem, seu bella geram: tibi maxima rerum, Verborumque fides.’ *Idem.*

13 *Consilia*] Αὔξησις. plus enim est consilia, quam totus exercitus. *Idem.*

Mirum] Melius per *εἰρωνείαν* pronuntiamus *mirum.* quasi dicat, Quis non crederet tali viro? sed potest etiam simpliciter pro admirantis gestu accipi. *Idem.*

Ubi satietas hominum, aut negotii siquando odium ceperat] Reipubl. princeps duas res patitur, homines et negotia, id est, personas et res hominum. *Idem.*

Satietas hominum, aut negotii si quando odium ceperat] Proprie reddidit et decenter, hominum satietas, negotii odium. Non enim par erat Reip. principem hominum odio laborare. *Idem.*

15 *Requiescere ubi volebat*] Bono verbo usus est. Nam *cessat* desidiosus: *requiescit* defessus. *Idem.*

Quasi: nostin’] Grate expressit stulti infantiam militis, qui ante vult intelligi quod sentit, quam ipse dicat. Et proprie hoc morale est stolidi, sive ruditer loquentis. *Idem.*

Quasi: nostin’] Ἀποσιώπησις, pro habes hoc? hoc est, quod supra, *Intelligis?* Idem.

Quasi: nostin] Venuste notatur infantia militis, qui intelligi vult ab aliis, quod ipse exprimere non valet. *Farnabius.*

16 *Quasi ubi illam expueret miseriam*] *Ubi* pro quando, et in his, et supra. *Donatus.*

Expueret] *Expuere* est eum fastidio aliquid rejicere et expellere. Nam *expuere*, est extra pus mittere, id est, foras. Nam *pus* est omnis humor corpori onerosus. *Idem.*

15. 16 *Scio, quasi ubi illam exp.*] Nota promtum ad figuras suæ artis parasiti ingenium. et supplet ex tempore orationem militis, et auget sensum, qui inchoatus erat. longe enim plus est in *miseria*, quam in *satietate* et *odio*; tum in *expuendo* talia, quam in *requiescendo* a talibus. *Bæclerus.*

17 *Tum me convivam solum abducebat, sibi*] Hoc supererat, ut, qui esset minister magnarum rerum, id est, consiliarius, voluptatum quoque regis particeps esset. Et vide quo significatu dicatur, *Me* et *Convivam*, et *Solum*, et *Abducebat*: nam non vocabat. Et *Sibi*, quasi non propter me, sed ut sibi bene esset. *Donatus.*

Tum me convivam] Id est, quum satietas hominum esset, cum odisset negotia. *Idem.*

Convivam solum abducebat] Ut, ‘Solam nam perfidus ille Te colere.’ Significat autem, sæpiuscule factum. *Idem.*

18 *Regem elegantem narras*] Qui eligere sciat, aut qui ipse sit eligendus. *Idem.*

19 *Perpaucorum hominum*] Aut qui paucis utitur: aut qui de paucis est, aut qui paucis placet, hoc est, bonis et sapientibus, qui fere pauci sunt. *Idem.*

18. 19 *Sic homo est, perpaucorum hom.*] Ex interpretationibus Donati prima præferri videtur debere quam et Eugraphius probat ‘Talis est,’ inquit, ‘ut cum paucis esse velit. denique hoc intellexit et Gnatho cum dixit: Imo nullorum arbitror, si tecum vivit,’ ut sit Gnathonis verborum sensus: immo si tecum vivit, sive te assiduum habet, nullis præterea hominibus utetur familiariter. fieri enim nequit, quin præ homine tam elegante et sapiente reliquos omnes contemnat. nam ita accipi posse, Donatus quoque fatetur: apud quem altera expositio legitur, quasi aversus Gnatho, ne miles audiret, dixerit. Geminantur autem fere sensus in his *διασυρτικοῖς* Gnathonis: ut aliud dicat, aliud velit intelligi. unde non opus est, ut se avertat parasitus. nihilo enim minus et laudare militem et irridere videbitur, ‘nullorum hominum est, si tecum vivit:’ eo sensu, quo vult Eugraphius, ut diximus. et illo altero latente; neque enim tu homo es. Horatio Mæcenas est ‘paucorum hominum,’ Sat. I. 9. *Bæclerus.*

Perpaucorum hominum] Paucos habet sui similes, vel, qui paucos habet intimæ admissionis amicos. Horat. de Mecænate, Sat. 9. lib. I. ‘Paucorum hominum, et mentis bene sanæ.’ mox ‘eoque Difficiles aditus primos habet.’ *Farnabius.*

Imo nullorum arbitror, si tecum vivit] Hoc aversus, ne miles audiat. Potest tamen et aliter intelligi, maxime cum milite. *Donatus.*

Imo, &c.] Hæc submissa voce, et aversus. *Farnabius.*

20 *Invidere omnes mihi*] Plus potest ad significandum infinitum tempus, quam finitum. *Donatus.*

21 *Ego non flocci pendere*] Quod morderent clanculum, vel quod invi-

derent. *Idem.*

22 *Illi invidere misere*] *Miser* enim est, cui animi miseria inest. *Idem.*

Verum unus] Proprie *unus.* nam *unus* ex multis dicitur. Et mire est facta nullius ponderis repetitio, ad inertiam loquentis exprimendam. Nam postquam dixit, 'Invidere omnes mihi:' repetit, 'Illi invidere misere.' Quin et *impense* et *misere* idem significant: et mox tamen sine ullo auctu addidit, 'Verum unus tamen impense.' Aut plus est *misere* quam *impense.* Idem.

20 *Invidere omnes mihi.* et 22. *illi invidere misere verum unus impense*] Donatus hoc ad ἦθος militis refert: Guyeto intolerabilis visa est repetitio. itaque resecat aliqua. sed ἦθος militis clarius explicandum est. ἀλαζονικὸν est omnia exaggerare, et in majus enuntiare. quæ res sæpe ad multiloquium et garrulitatem ejuscemodi accedit. Adduntur in Donato, quæ corrupta sunt: *Quin et* impense *et* misere *idem significant, aut plus est* misere *quam* impense. quis non videt legendum: *aut plus est* impense, *quam* misere? crescit oratio, et Stratonis major invidia quam ceterorum describitur. *Misere* comicum magis est, *impense* amplius sonat, et delecta vi significandi apud scriptores fere usurpatur. *Bœclerus.*

23 *Elephantis quem Indicis præfecerat*] Et hoc stulte: cum hoc ad dignitatem sumit, et sic pronuntiat, ut magna esse præfectura videatur hæc ipsa. Et hoc a stolido milite sic profertur, tanquam magnum hominem velit esse, qui sibi invideret. Et *Indicis* πρὸς ἀντιδιαστολὴν Maurorum, qui et mitiores sunt. *Donatus.*

24 *Is ubi molestus magis est*] More suo *magis* addidit, ne diceret *molestior.* Idem.

Quæso, inquam, Strato] *Strato*, nomen accommodatum militiæ. *Idem.*

25 *Eone es ferox*] Causale est, *ideone* significans. *Idem.*

Quia habes imperium in belluas] Mire extulit, *Imperium in belluas.* Sic Virgilius: 'Illa se jactet in aula Æolus, et clauso ventorum carcere regnet.' *Idem.*

26 *Pulchre me hercle dictum*] Immodica laudatione vertit, etiam si quid facete dictum est. sufficeret enim, *pulchre*, quod est *sapienter.* Quod et, *Jugularas hominem:* pulchre tangit militem, *Jugularas* dicendo, non occideras: quasi gladio, non verbo usus sit. *Idem.*

27 *Mutus ilico*] Tam hoc stultum est, quam si diceret, statim nihil. Recte autem diceret, 'Ex illo mutus fuit.' Tale est et illud, 'Tacere festinat.' *Idem.*

28 *Quidni esset*] Hoc est, ut posset esse *jugularas.* Idem.

Hominem perditum] Deest, *o:* ut sit, o hominem perditum! sed sic melius sonat: majoris enim stuporis est, hoc modo pronuntiatum. *Idem.*

Hominem perditum miserumque, et sacrilegum] Vide quantum addiderit, qui non hominem simpliciter, sed perditum, et miserum illum: nec malum, sed sacrilegum dixerit. *Idem.*

Hominem perditum miserumque, et illum sacrilegum] Hoc vulgo male accipitur. *Perditum miserumque*, de Thrasone dictum; at, *sacrilegum*, de Gnathone. *Faber.*

Hominem perditum miserumque, et illum sacrilegum] Opportune judicium de milite et parasito Poëta interposuit voce Parmenonis. quem ideo maturius in scenam reduxerat. perditus et miser est, qui cœco sui amore nec vera a falsis discernit, et hæc præ illis amat: sacrilegus impense improbum notat, qui adulando scilicet ex stultis insanos facit homines. *Bœclerus.*

30 *Tetigerim*] Luserim, fatigaverim. nam *Tangere*, cum multa, tum etiam hoc significat. *Donatus.*

Quo pacto Rhodium tetigerim] Τὸ εὔθικτον in dictis, vult sibi miles attribuere. *Bœclerus.*

Tetigerim] Salse et acriter taxaverim, sic ἅπτεσθαι a Græcis etiam usurpatur. *Farnabius.*

31 *Nunquid tibi dixi*] Liber Bembinus et omnes alii antiqui, *numquam;* quod magis videtur quadrare: nam si per *nunquid* interrogatus esset, suffecisset respondere, non: nunc per *numquam* interrogatus, apposite per *numquam* respondet. *Faërnus.*

Numquam: sed narra, obsecro] Callide parasitus intelligit ad hoc se interrogatum, ut audire postulet. *Donatus.*

32 *Plus millies jam audivi*] Ὑπερβολή. aut superfutura * ut æquatur: aut subjacet, ut tantum non millies convenit stultum eundem et immemorem esse, qua et intelligentia est. *Idem.*

Plus millies audivi] Non ad militem, sed de milite ad spectatores aversus dicit parasitus. sicut apud Plautum, de Pyrgopolinice, cui assentabatur, Artotrogus: tamen verbosior est, et notabilius se avertit cum illa dicit: 'Perjuriorem hoc homine si quis viderit, Aut gloriarum pleniorem quam illic est, Me sibi habeto, ei ego me mancupio dabo,' &c. Itaque miles pæne deprehendit, saltem ut aliud agentem, et revocat ad hoc agendum: *ubi tu es?* Noster modum servare apprime doctus est. *Bœclerus.*

33 *Rhodius, &c.*] *Ex Rhodo* Ms. *Farnabius.*

34 *Forte habui scortum*] Vide quemadmodum miles, dum multa ad dictum suum pervenire fateatur, interim quam contemptus sit atque derisus. Abdomen in corpore fœminarum, patiens injuriæ coitus, *scortum* dicitur: ideo quia *scorta* sunt dura coria. A parte ergo sui meretrices *scorta* dicuntur: vel ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, quod Græce palpitare intelligitur: quod illæ faciunt saltando assidue: vel potius crissando, ut Lucretius ait, lib. IV. ob eam causam, ut concinniorem Venerem exhibeant viris: aut sibi abigant conceptum, quod in vulvam fœminæ, in ipso coitu non se moventis, incidit. *Donatus.*

36 *Lepus tute es, et pulpamentum quæris*] *Lepus* pro infamia multa ponitur: vel quod magis a posteriori parte, hoc est, armis, pulpamentum de se præbeat, cum in convivio carpitur appositus. ut Horatius ait, 'Fœcundi leporis sapiens sectabitur armos.' Vel quod venantur illum, et persectantur canes: quos pro amatoribus ἀλληγορικῶς intelligimus: ut ipse Terentius ait, 'Cervum videre fugere, sectari canes.' Vel quod illum sic fugiunt omnes, constituat ut hunc libido effœminata. Vel quod a physicis dicitur incerti sexus, ac esse modo mas, modo fœmina. *Idem.*

Lepus tute es, et pulpamentum quæris] Res est turpissima, et quæ haud scio an honeste dici queat. Tamen Catullus dixit: 'Ipsa olera olla legit.' Quod erat proverbium. Gallice possem dicere: *Cela n'est pas mauvais; Vous en vendez aux autres, et vous en voulez acheter.* Sed meo judicio optime et ingeniosissime Baifius hunc locum proverbialiter expressit. En tibi locum integrum, *Ce jeune Rhodien icy, De qui le parle, et moy aussi, Estions ensemble en un banquet. J'avois la g......; et ce muguet, Avec elle à jouer commence, Et à me gaudir: Fagot pense, Luy dis-je, avoir trouvé bourree.* Atqui quod ipse fasciculum vocat, *fagot*, id ex solidiori ligno est; at id quod in sermone nostro vocamus, *bourree*, ex ramalibus est tenuioribus, sarmentitiis, et minus duris. Rem ipsam explicare pluribus nihil attinet. Hinc curriculo abeo. *Faber.*

Lepus tute es, et pulpamentum quæris] Quod in te habes, hoc quæris in altero, et est τρόπος ἀλληγορία. *Donatus.*

Lepus, &c.] Dictum, ut habet G. Fabricius, verbis tectum, re impudens, et hunc locum tanquam Sirenis

scopulum transeundum censet. in Erasmi adagiis hoc ipsum vide. et *δασύποus κρεῶν ἐπιθυμεῖ.* quod in te habes, quæris in altero. *Farnabius.*

Lepus, &c.] Flav. Vopiscus in Numeriano Imp. scribit. Ipsi Comici plerumque milites inducunt vetera usurpantes dicta. nam, 'Lepus tute es et pulpamentum quæris,' Livii Andronici dictum est. *Idem.*

Ha, ha, he] Parasitus hic interjectionem risus addidit: quo magis nunc primum hoc audisse credatur. *Donatus.*

37 *Quid est?*] Hæc interrogatio gestum vultumque continet cujusdam alacris, et certi, quod laudandus sit. *Idem.*

Facete] *Facetus* est, qui facit verbis quod vult. *Idem.*

Lepide] *Lepidus*, qui politus est, ut λεπὶs. id est, lamina. *Idem.*

Laute] *Lautus.* qui mundus et splendidus est. *Idem.*

36. 37 *Ha, ha, he! facete, lepide, laute, nihil supra*] Unum genus ἤθους κολακικοῦ notarunt Theophrasti Characteres: *καὶ σκώψαντι πικρῶς* (an ψυχρῶς?) *ἐπιγελάσαι, τό τε ἱμάτιον ὦσαι εἰς τὸ στόμα, ὡς δὴ οὐ δυνάμενος κατασχεῖν τὸν γέλωτα.* 'Solet assentator, si is, cui adulatur, aliquem sale perstrinxerit, aut dicto tetigerit, suo risu istud approbare, sibique vestem in os indere, quasi risum tenere non possit.' Alterum: *καὶ ἐπισημήνασθαι δὲ, εἰ παύσεται (λέγων) ὀρθῶs.* 'Solet dicenti applaudere, ac, ubi desinit loqui, acclamare, pulcre, bene, recte,' ut Horatius effert illam *ἐπισημασίαν.* Donatus non sine *περιεργίᾳ* sudat in explicandis illis, *facete, lepide, laute.* Bœclerus.

38 *Tuum obsecrone hoc dictum erat*] Et dicta, et proverbia, et adagiones, quod rem agant, facetis hominibus ascribuntur: et hoc laudis genus est, ad potiores referre, quod alter probatur dixisse. *Donatus.*

Vetus credidi] Quia omnia vetera magna sunt. *Idem.*

Vetus credidi] Vecturium scriptorem nostratem amo; sed id haud probo quod ipse de hoc loco in Epistolis dixit, *un vieux quolibet.* Erravit elegantissimum ingenium. Nam *vetus dictum* in laude positum est. Gall. *Un mot du bon temps. Un mot de quelque vieux Poëte.* Id quod verum est; nam Nævii dictum erat. *Faber.*

39 *Sæpe*] Non ex ipso: nam esset contrarium superiori. *Donatus.*

Meum est] Non sensu tantummodo, sed verbis quoque ipsis agreste est, quod nunc dicit *Meum est.* Idem.

40 *Dolet dictum imprudenti adolescenti et libero*] Deest *mihi*, ut sit, *Dolet mihi.* Et *dictum*, participium est, id est, quod dixisti. addidit enim parasitus, quo gravius sit dictum, commiserationem ejus in quem dictum est, utpote imprudentem adolescentem et liberum. Scit enim homines stultos, malos videri velle. Et vide parasitum in iisdem versari, cum ait supra, 'Jugularas,' hic, 'Dolet dictum.' *Idem.*

Imprudenti] Scilicet qui minime crederet, tali se percuti posse convitio: aut cum tali viro sibi rem futuram. et sic laudat militem; ut miseratione jam dignus sit adolescens. Tam festive * ut etiam misereri inimicorum vacet. *Idem.*

Dolet dictum imprudenti adolesc. et lib.] Donatus Gnathoni tribuit; et curiosius explicat. Alii Thrasonis narrationi contribuunt. Guyetus plane expungit. *Bœclerus.*

41 *At te Dii perdant*] Nove Parmeno, non ipsi, sed de ipso loquitur, non audiente eo. Εἰρωνικῶs. Parmeno hic male facit; 'Ad te Dii perdant,' inquit. *Donatus.*

Quid ille quæso? perditus] Guyetus mallet *percitus.* nisi *τὸ perditus* velis accipere, ut *αὐξητικῶs* dictum sit: in pudorem datus erat, nec quid responderet, habebat, perierat. ut supra, simili *ὑπερβολῇ*: 'jugularas hominem.' Ita apud Plautum: 'Me periisse Hoc volo scire te, perditus sum miser.' Curcul. I. 2. 44. *Bœclerus.*

42 *Risu omnes qui aderant emoriri*] Disciplina est comicis, ut stultas sententias, ita etiam vitiosa verba ascribere ridiculis imperitisque personis. ut Plautus, 'Latronibus ego denumerem stipendium,' inquit ex persona militis. Itaque hic *Emoriri* dixit. At vero Atticus adolescens in Heautont. 'Emori cupio.' Vide igitur Poëtam pro loco ac tempore scire quid dicat. *Idem.*

43 *Metuebant omnes jam me*] Ne cui dicerem, 'Lepus tute es, et pulpamentum quæris.' Aut, 'Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?' *Idem.*

Non injuria] Hoc sic pronuntia, quemadmodum illud supra, 'Quidni esse?' *Idem.*

44 *Purgon' ego me de istac Thaidi*] Οἰκονομία ad litem futuram inter militem et Thaidem. *Idem.*

Sed heus tu, purgon' ego me, &c.] Formula ad aliud vocantis colloquium seu consilium. dignus enim hoc imperatore consiliarius. præstruuntur autem hæc ad rixam, de qua infra IV. 1. ut recte Donatus notat. *Bœclerus.*

45 *Quod eam me amare suspicatur*] Quia apparet illam militi quoque *κατὰ τὸ σεσιωπημένον* ostendisse, quod dixit Phædriæ. *Donatus.*

46 *Imo auge magis suspicionem*] Hæc erit causa rejiciendi militis. *Idem.*

47 *Scin'*] Monentis est dicere *scin'*, vel *scito.* Idem.

Si quando illa mentionem] *Siquando* et prima syllaba acui potest, et media. tamen variat sententiam. *Idem.*

48 *Urat*] Cruciet, *κνίζῃ, κερτομῇ.* supra act. II. sc. 2. *Farnabius.*

49 *Id ut ne fiat*] Modo *Ne*, non, significat. *Donatus.*

Hæc res sola est remedio] Si te suspicetur amare Pamphilam. *Idem.*

50 *Ubi nominabit*] Et locum et tempus significat *Ubi.* Idem.

Ubi nominabit Phædriam] Cicero Epist. Fam. I. 9. hoc consilium repungendi lacessentes, ad forensia cum gratia transtulit. *Bœclerus.*

Tu Pamphilum continuo] Hic magna *οἰκονομία* est, qua Terentius præparat, quemadmodum jurgium inter Thaidem militemque, et Gnathonem, per duas partes serpat fabulæ. Et bene *continuo*: ut intelligat meretrix, non tam Pamphilam amari, quam sibi vicem dari. *Donatus.*

Ubi, &c.] Citat hos septem versus Cicero, Epist. Fam. I. 9. 'Sed tamen defendendi Vatinii fuit etiam ille stimulus, de quo in judicio cum illum defenderem, dixi me facere quiddam, quod in Eunucho parasitus suaderet militi: 'Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam Continuo,' &c. *Farnabius.*

52 *Intromittamus commessatum*] Vaticanus et Basilicanus *commisatum* habent: itemque Bembinus, sed is per duo s, et in ejus margine ascriptum est, 'Commissatio est proprie convivium meretricum et adolescentulorum.' *Faërnus.*

Pamphilam cantatum provocemus] Eleganter, quia ille foris est, hæc intus: illum intromittamus, illam provocemus. Hæc est in verbis Poëtæ germana proprietas. *Donatus.*

54 *Tu hujus contra*] Hic *contra* vicem significat. *Idem.*

55 *Quod eam mordeat*] *Quod par.* Aut absolute *Quod*, quæ res. *Idem.*

Par pro pari referto, quod eam mordeat] Ita est in antiquis libris. quod testatum relinquere voluimus, ne quis amplius hanc lectionem in dubium vocet. *Faërnus.*

Par pro pari referto] Faërnus ex antiquis libris hanc lectionem pro indubia asserit. legitque ita Eugraphius. Et metrum sane concidet, nisi fulciatur. Alii tamen maluerunt ab ingenio opem petere, et, *tu par pari refer-*

to, legerunt, cum viderent, scriptores non aliter loqui. Noster Phorm. I. 4. 35. 'Verbum verbo, par pari ut respondeas.' quod jam Plautus dixerat in Mercatore III. 4. 44. Lindenbrogius hac occasione de proverbio Siculo *μοῖτον ἀντὶ μοίτου* disputat. *Bœclerus.*

56 *Si quidem me amaret: tum istud prodesset Gnatho*] His versiculis personam militis et Gnathonis continentibus, *οἰκονομία* inducitur, quod verisimile sit, facile militem ferre posse, anteponi sibi Phædriam, qui se semper intellexerit non amari. Nam si hoc tollas, aut excludendus est Phædria, aut ex dolore militis in hac fabula fit exitus tragicus. Et hoc miles, ut sapiens, locutus est. Ergo meminisse convenit ridiculas personas non omnino stultas et excordes induci a Poëtis comicis. Nam nulla delectatio est, ubi omnino, qui deluditur, nihil sapit. Stultitia autem est in his quatuor modis: aut non venire in mentem, quod oportet: aut si venerit, non tenere: aut bonum consilium amittere, aut malum admittere. Vide ergo, ut hoc quod commode miles viderat, non tenuerit, totumque amiserit. Hoc autem idcirco interposuit Poëta, ut ostenderet, quid veneni haberet assentatio: per quam non modo errantes decipiuntur, ac præcipites eunt: verum etiam sapientes interdum, sanique evertuntur. *Donatus.*

Si quidem me amaret] Donatus argutius quædam hic disserit; in quibus nec boni nihil, nec sana omnia. Inducta est hæc militis dubitatio, ad producendum consilium et persuadendum. Non potuit autem non obvia Thrasoni esse, imo infixa: tum quia non sine rivali amabat, (rivalis autem semper rivalem metuit, ne sibi præferatur,) tum quia Thais ostenderat, se suspicari, militem promissæ virginis amore teneri: quæ suspiciones animum facile alienare possunt. Respondetur ita, ut eadem opera, qualis sit meretricum amor, quamque non affectu sed pretio teneantur, ostenderetur. itaque hæc pars scenæ proprie ad *οἰκονομίαν* pertinet, et tanquam seria res *τοῖς διασυρτικοῖς* succedit. *Bœclerus.*

57 *Quando illud quod tu das, expectat*] Hac sententia tollitur militi, quod recte senserat: nec persuadetur tamen, quod ametur ab amica. *Donatus.*

58 *Jamdudum te amat*] Vel nimium et valde, vel jampridem. *Idem.*

59 *Quod doleat*] Hoc ad illud refertur, quod supra dixit, 'Par pari referto, quod eam mordeat.' *Idem.*

60 *Ne quando iratus tu alio conferas*] Et hic locum pro persona posuit, ut ne diceret, *ad aliam.* Idem.

61 *At mihi istuc non in mentem venerat*] Sic pronuntiandum est, quasi militi monstri simile videatur, sapiens dictum alii prius venisse in mentem, quam sibi. *Idem.*

Ridiculum] Donatus: 'Vel hominem vel dictum significamus.' si hominem, tum aversus ad spectatores dixerit Gnatho; sin aliter accipimus, tum ad figuras *παῤῥησιαστικὰς* adulatorum pertinebit, et satis commode explicabitur. posterius hoc omnino tenendum arbitror. *Bœclerus.*

Non, &c.] Adulatorie. *Farnabius.*

Ceterum hoc tute melius quanto invenisses, Thraso] Scilicet, si cogitasses. *Donatus.*

SCENA II.] Hæc quoque Senariis constat. vs. 1. e Mss. nostris unus, ut edidimus. alter: *audire visa vocem sum m. mil.* Argentoratensis: *audire visa sum modo vocem militis.* vss. 3. et 4. Argent. *eho quid amas de fidicina istac.* Meorum unus: *ecce me ecquid nos amas de fidicina hac.* alter: (superscr. *nos*) *amas de fidicina hac.* vs. 6. omnes Thrasoni tribuunt hæc verba: *eamus ergo ad cœnam.* illa Gnathoni: *quid stas?* vs. 9. duo: *hem.* vs. 10. omnes,

ut edidimus. vs. 15. omnes: *perpulcra dona credo.* et vs. 41. *non convenit.* et vs. 48. *fac ut cures.* vs. 51. unus: *quid volui dicere.* alter: *quid aliud volui dicere*, sine geminatione *τοῦ quid.* Bœclerus.

Audire vocem visa sum modo militis] *Hic inducitur multiplex concursus dissimilium personarum, et tamen virtute et consilio Poëtæ discretarum, ut confusio nulla sit facta sermonis: simul etiam pro se cuique accommodata mire repræsentatur oratio.* Donatus.

1 *Audire vocem visa sum modo militis*] Omnes sensus *visa* dicuntur, ab eo quod est certissimum oculorum: ergo *visa sum*, sensi. ut Virgilius: 'Visæque canes ululare per umbram, Adventante Dea.' *Idem.*

Audire vocem visa sum milit.] Εὕρημα blandimenti meretricii, ad congressum et colloquium. *Bœclerus.*

2 *Salve mi Thraso*] Quia secum, *Militis:* quia apud illum, *Thraso.* Est quædam actio cujus nomen honestum est: sicut orator, philosophus. est quædam, cujus nomen offensum est, ut miles, lanarius. *Donatus.*

3 *Meum Suavium*] Tria sunt osculandi genera, *osculum* scilicet, *basium*, et *suavium.* *Oscula* officiorum sunt: *Basia*, pudicorum affectuum: *Suavia*, libidinum vel amorum. *Idem.*

Meum Suavium] Cum oscularetur, dixit. *Idem.*

Quid agitur] Et hoc blandimenti genus est post osculum. sed duri est et agrestis: infert enim, 'Ecquid nos amas?' Et *Ecquid*, aliquantulumne significat: et ideo illa *plurimum*, recitat. Cicero in Catilinam, 'Quid est, Catilina? ecquid attendis? ecquid animadvertis horum silentium?' *Id.*

Suavium, &c.] Putant quidam *suavium* hic non accipi pro *osculo*, sed *suavitate*, ut Plauto Stich. act. v. sc. 5. 'Age mulsa mea, suavitudo, salta.' *Farnabius.*

Ecquid, &c.] Ironia. Invenusta sc. atque inepta salutatio. nam in beneficiis debet oblivisci qui dedit, meminisse qui accepit. *Idem.*

4 *De fidicina istac*] *De*, propter: ut sit, propter fidicinam. Et vide non puellam, sed *fidicinam*, quasi ab amatore dictam, et eo amatore, qui quasi memor sit artis, qua delectatur: et quia puella sit æmula meretricis: nam meretricum est fidicinam esse. *Idem.*

Quam venuste! quod dedit principium adveniens] Bene reprehendit Parmeno. nam in beneficiis debet oblivisci qui dedit, meminisse qui accepit. Est gravis *εἰρωνεία, Quam venuste!* Idem.

5 *Plurimum merito tuo*] Facete meretrix amorem suum non ad avaritiam retulit, sed ad officium. Et cum de fidicina, inquit, te amem præcipue merito tuo. Alii sic respondere intelligunt, ut ipsa de fidicinâ gratias agat. nam cum ille dixerit, 'Ecquid nos amas?' illa respondit, 'Plurimum.' Quod autem de fidicina hac dixit ille, subjecit hæc, *Merito tuo.* id est, quoniam mereris, dando eam. Sed melius est, ut præter munus *Meritum* dixerit. quamquam multi *munus meritum* intelligant. ut est illud Virgilii: 'Quique sui memores alios fecere merendo:' id est, gratos sibi reddidere munerando. *Idem.*

6 *Eamus ergo ad cœnam*] Decuit parasitum de cœna etiam importune admonere. cum quadam *ἐμφάσει*, velut magnæ rei. *Idem.*

Eamus ergo ad cœnam] Parasito Donatus attribuit. *Bœclerus.*

Cœnam] Thraso exprobrans beneficium Thaidi, grates sibi et amorem reddi postulat, Gnatho cœnam. supra act. II. sc. 2. *Farnabius.*

Hem alterum] Bene *alterum*, quia duo sunt. *Donatus.*

Hem alterum] Si hic reprehendatur miles, *alterum dictum:* si parasitus, *alterum hominem.* Vult enim Parmeno et parasito esse versutior, et de-

bet esse, cum pejoris conditionis sit. *Idem.*

Hem alterum] *Alterum*, non respective, sed absolute. ac si dixisset, aliud dictum, vel alterum stultum. *Idem.*

7 *Ex homine hunc natum dicas*] Recte reprehendit Parmeno duos, quorum unus beneficium Thaidi exprobrat, alter pro beneficio cœnam ostendit, tanquam ad eum currendum sit: nam hoc significat, *Quid stas?* quasi sit causa properandi. *Idem.*

Ex homine hunc natum dicat] Hic quoque erravere præclara ingenia, dum se scire omnia jurant. Gallice et Comice diceres: *Ils se ressemblent comme pere et fils. Sot maistre, sot valet.* Faber.

Ubi vis, non moror] Ad *Eamus ad cœnam, Ubi vis* retulit: ad *Quid stas, Non moror.* Donatus.

8 *Quasi nunc exeam*] Mire, *Nunc exeam*, quippe qui jamdudum procul steterit. *Idem.*

9 *Iturane Thais quopiam es*] Ut experiatur Thaidis animum, fingit nescire quo eat. *Idem.*

Hem! Parmeno] Vide deprehensam meretricem velle blandimentis satisfacere Parmenoni. *Idem.*

Itura ne Thais quopiam es. ehem Parmeno, &c.] Donatus in his aliquot versibus nihil expedit. Thais, ad Parmenonem accedentem quodammodo conversa propius, interroganti blande respondet, id est, more meretricio, gratulata adventum conspectumque, 'Ehem Parmeno bene fecisti,' sc. quod advenisti. (quæ alias gratias agentium formula, hic blanditiis servit.) si enim paululum cessasses, non reperisses me domi. *hodie itura.* nam quod me interrogas, iturane quopiam sim, hoc quidem die egrediar domo. Quæ cum dicit Thais, et comitate aperta erga servum rivalis, animum militis cupidiorem voluit reddere; et clanculum vocabulo *hodie* Parmenoni demonstrare, non diu se cum milite futuram, neque præter promissum aliquid facturam. Parmeno, in dissimulationem compositus, iterum interrogat, *quo?* itura sc. es. Thais, non exaudiente milite, (qui se tædio servi rivalis aliquantulum averterat,) *quid*, inquit, interrogas, an *hunc non vides?* quem nutu oculorum demonstrat. ecquid oblitus es, quid inter nos de hoc actum sit? Parmeno itidem conscientia rei, familiarius, submisse tamen respondet: *video, et me tædet.* ut ex affectu heri sui Phædriæ loquatur. mox clarius, ut qui audiri a milite hoc vellet: 'Ubi vis, dona adsunt tibi a Phædria.' itaque miles cupiens abducere Thaidem a servo rivalis, donaque ne traderentur efficere, urget Thaidem ut eat: 'quid stamus? cur non imus hinc?' et moræ, et loci tædium, ubi servus rivalis adesset, cui Thais auscultaret, verba præferunt. hinc occasio Parmenoni oblata, non sine occulta εἰρωνείᾳ deprecandi militem, ne pauxillam moram ægre ferret, dum dona Phædriæ traderentur Thaidi. qua in re non tam voluntas militis, quam præsentia quæsita est, ut donorum præstantia, (poterat enim subdito Eunucho suo satis confidere Parmeno,) hominem ureret. *Bœcler.*

10 *Bene fecisti*] Quid bene fecit Parmeno? An quasi perturbata hæc loquitur, etiam de nihilo blandiens, utpote meretrix et faceta? An quod illuserit convitio! *Donatus.*

Bene pol fecisti] Lego, *facis.* Docti viderint. Versus est Trimeter. quam ob rem et emendatio certa est. *Faber.*

Hodie] Dulciter additum *hodie*, quasi cum exceptione: quo se significat non perpetuo obsecuturam militi, et ut quæ promiserat, biduum tantum abfuturum Phædriam. *Donatus.*

Quid? hunc non vides] Si dixerit militem, lædit præsentem; si amicum, lædit Parmenonem. Mire igitur pronomen invenit. *Idem.*

11 *Video, et me tædet*] Opportune

Parmeno fatetur odium militis, ut retundat ab eo amorem Thaidis. *Idem.*

Ubi vis, dona adsunt tibi a Phædria] Nil potuit exitiosius militi contingere, quam ut continuo rivalis mitteret munus, et posterior, et coram ipso. *Idem.*

Dona sunt tibi a Phædria] Cum illa sub pronomine celaverit nomen militis, ex arte Parmeno pronuntiavit, *A Phædria.* Idem.

12 *Quid stamus*] *Quid stamus?* ad moram refertur. *Idem.*

Quid stamus] His verbis miles insulsus dolere se indicat. *Idem.*

Quid stamus] Rivalis servum conspicere non sustinet. *Farnabius.*

Cur non imus hinc] Ubi servus rivalis est Parmeno. *Donatus.*

13 *Pace quod fiat tua*] *Pace*, aut gratia, aut voluntate: et deest *cum.* et sic locutus est, quasi bellum his verbis omnibus indixerit. *Idem.*

Pace quod fiat tua, Dare huic quæ volumus, convenire et conloqui] Proprie: quia *pax, datio, deditio, conventio, colloquium*, militiæ verba sunt, et invidiose sic ait, quasi per eum non accipere liceat dona Thaidem. Et sic pronuntiandum, ut subaudiatur *vel*: ut sit: vel dare, vel convenire, et colloqui: ut inter hostes solet. Sallustius: 'Quæ pacta in conventione non præstitissent.' Et alibi, 'Cujus ad verba voluntate, colloquio militibus promisso, corruptio facta paucorum, et exercitus Syllæ datus est.' *Idem.*

14 *Dare huic quæ volumus*] Hæc singula cum invidia pronuntianda sunt. *Idem.*

Convenire et conloqui] Sic pronunciandum est, ut quasi dicat, liceat per te miles, quod etiam inter hostes, et in bello licet. *Idem.*

15 *Perpulchra credo dona*] Εἰρωνεία de fiducia pulchræ virginis. *Idem.*

Perpulcra credo dona, haud nostris similia] Lego omnino, *aut*, ut ironia continuetur; quod et Faërno placuisse video. *Faber.*

Nostris similia] Et *his similia*, et *horum similia*, dicimus. *Donatus.*

Haud nostris similia] *Aut* melius mihi videtur, ut perseveret eironia per particulam disjunctivam. *Faërnus.*

16 *Res indicabit*] Scit Eunuchi nomen posse contemni: et ideo videri vult potius, quam sperari munera sua, id est, Chæream. *Donatus.*

Jubete istos foras exire, quos jussi, ocius] Cum fiducia et alto vultu pronuntiat: et festinat, ne occupet miles prius abire, quam videat. Et est ordo, *ocius exire.* Idem.

17 *Procede tu huc*] Bene *procede* dixit, non accede, aut veni: ut appareat dignitas in incessu. Et callide ab inferiore incipit munere, hoc est, a puella ad Chæream venturus. simul ut a vero mancipio incipiens, ad falsum sine suspicione transiret. *Idem.*

18 *Ex Æthiopia est usque hæc*] Quod Thais cupiebat. nam supra, 'Nonne ubi dixti cupere te ex Æthiopia ancillulam.' *Usque* additum, ut longinquitas monstraretur. et hoc est quod facit, 'Munus nostrum ornato verbis, quod poteris.' *Idem.*

Ex Æthiopia est usque] Hic ostendit quid sit ex Æthiopia, addendo *usque*: ut ex longinquitate dignitas muneris penderetur. et quid erit jam criminis in colore, quando ipse dicere gloriatur unde sit? Et mire ab inferiore cœpit, ut αὔξησιν doni faceret in Chærea: et turpi præcedente lenocinium comparat secuturo pulchro. *Usque* modo adverbium de loco est: ut, 'Siculo prospexit abusque Pachinno.' *Idem.*

Ex Æthiopia est] Supra act. I. sc. 2. 'Ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia ancillulam.' *Farnabius.*

Usque hæc] Usque extendit e longinquo raritatem muneris. *Idem.*

Hic sunt tres minæ] Callide munus ad pretium revocavit, ut ad avaritiam converteret meretricem: ne officio

donantis et gratia leniretur. et ideo non dixit, tribus minis valet, sed, *hic sunt tres minæ:* quasi jam vendenda sit. *Donatus.*

19 *Vix*] Aut difficile significat, aut non: ut sit, *nec hoc.* Lucilius: 'Carcer vix carcere dignus.' *Idem.*

Ubi tu es, Dore] Tanquam quærat eum, ut nomen indicet: quo audito magis dissimulet Chæream. *Idem.*

Accede huc] Vultu eo dicitur, quo debuit dicere, et dicto æmulorum læsus, et confidentia destitutus, velut in eo duntaxat conspectu Chæreæ confidens. *Idem.*

Hem! Eunuchum tibi] Mire postquam dixit, 'Eunuchum porro dixti velle te, Quia solæ utuntur his reginæ; repperi.' *Idem.*

20 *Quam liberali facie*] Non narrative laudat, sed per interrogationem, quæ major fiducia est. *Idem.*

Quam ætate integra] Id est, qua florent puberes, ut Virgil. 'Atque integer ævi Ascanius.' *Idem.*

21 *Ita me DI ament*] Juravit ideo, ut non amore Phædriæ, sed veritate cogi ad laudandum videatur coram milite. *Idem.*

Honestus] Pulcher. Virgilius, 'Et lætos oculis afflarat honores.' *Idem.*

Honestus] Hic subdidit, quod in ancilla prætermisit, quia Æthiopissa honesta dici non potuit. *Idem.*

22 *Numquid habes*] *Habes* pro invenisti. *Idem.*

Quod contemnas] Plus est, *contemnas*, quam vituperes: et deest, *in hoc:* ut sit, numquid habes quod in hoc contemnas? *Idem.*

23 *Tacent; satis laudant*] Taciturnitas, confessionis genus est, præsertim contra adversarii interrogationem. Ideo tacere hoc, vel quasi laudis argumentum est: quia supra tacere vituperavit: ideo et ipse sic ait, 'Quid tu ais, Gnatho? numquid habes quod contemnas? Tacent: satis laudant.' Et, 'Quid tu, Thraso?' quia supra contempserat puellam. *Idem.*

Tacent, &c.] Κἂν ὅλως μηδὲν λαλῇ, Διὰ τοῦ σιωπᾶν πλεῖστα περὶ αὐτῆς λέγει. Menander. Tacendo loqui, non inficiando confiteri videris. Cic. pro Sestio. *Farnabius.*

Fac periculum in literis, fac in palæstra, in musicis] Si totum singulariter diceret, esset ὁμοιοτέλευτον, *Litera, palæstra, musica.* Donatus.

Fac periculum in literis, &c.] Pro servo quidem Chærea nunc deducebatur: Parmeno tamen, augendi causa, et occulte œconomiæ serviens, 'Quæ liberum scire æquum est adolescentem, sollertem dabo,' inquit. Nimirum et servi, ut carius venirent, liberorum artibus erudiebantur, sicut loco παραλλήλῳ perspicias licet apud Horat. Ep. II. 2. De ipsis studiis Plaut. Mostell. I. 2. et Bacchid. III. 3. *Bœclerus.*

Literis, &c.] Ex Laconica, apud Xenophontem, institutione, Εὐθὺς δὲ πέμπουσιν εἰς διδασκάλων μαθησομένους καὶ γράμματα, καὶ μουσικὴν, καὶ τὰ παλαιστρικά. Servi utique Grammaticam et alias artes docebantur, quo carius venderentur. Videatur Aristoteles l. VII. Polit. ubi addit et γραφικήν: nec non Lucianus in Amoribus, et Horatius lib. II. Epist. 2. *Farnabius.*

24 *Quæ liberum Scire æquum est*] Quondam liberi pueri his artibus erudiebantur: et est figura ἔλλειψις: deest enim, *His.* Donatus.

25 *Sollertem*] Id est, disertum. Utrum hæc *sollertem.* ut Horatius, 'Docte sermones utriusque linguæ.' An assumendum est *His* extrinsecus? *Idem.*

Sollertem] Deest, *His. Solers*, quasi totus ex arte consistens, ut ὅλος ἀρετὴ, quod Latinis verbis, quasi solus in arte sit. Huic *iners* contrarium. Nam *solers* quasi ὅλος ἀρετὴ dictus. Ὅλον *solum. ut* ἓξ *sex*, et ὗς *sus* dicimus. *Idem.*

26 *Ego illum Eunuchum, si sit opus, &c.*] Res est flagitiosa; sed illam admirabiliter tractavit Baifius, boni patris bona proles: *Qui l'habit luy en donneroit, Pour une fille il passeroit.* Faber.

Ego illum Eunuchum, si siet opus, vel sobrius] Hoc ut militare est, ita importunum præsente Thaide: extra quam, miles si saperet, nihil amatorie contemplari debuit. Sed et hoc accedit ad ejus odium, præterquam quod jam in suspicione est amicæ suæ, quod fidicinam magis diligat. Et hoc mire, quod nemo prior Eunuchum esse Chæream, quam Miles, credidit: adeo stultus etiam nomine ipso appellavit. Sed statim stulte Miles, primo quidem convitium ipsi Eunucho facit: in quo potest jam lædere amicam. deinde attestatur hoc dicto pulchritudinem hujus muneris. Quid igitur proficit? Satis autem joculare est, si cogites Chæream esse, qui hæc de se audiat, et tacere cogatur. *Donatus.*

Vel sobrius] Honesta Ἔλλειψις, propter mulieris præsentiam. ut Virgilius, 'Novimus et qui te.' Et ipse in Heautont. 'Qui se vidente amicam patiatur suam.' Hoc tamen miles coactus a Parmenone dicit, quia reprehensus est tacuisse. *Idem.*

Ego illum Eunuchum si opus sit, &c.] Hoc genus ἐλλείψεως, suppressio scilicet, pudori servit. ob præsentiam mulieris, ut opinantur interpretes. Mihi nihil rectius videtur fieri posse, quam si putemus, Militem ad solum Gnathonem suum, submissius nec audientibus ceteris, inter orationem Parmenonis hoc dicere. *Bœclerus.*

Ego illum, &c.] Ἔλλειψις honesta in re inhonesta. *Farnabius.*

27 *Atque hæc qui misit*] Id est, tanta munera. hoc enim *hæc* significat. *Donatus.*

Non sibi soli postulat] Hoc est, 'Istum æmulum, quod potes, ab ipsa pellito.' *Idem.*

Atque hæc qui misit, &c.] Bene Eugraphius monstrat, servari ordinem mandatorum Phædriæ. Is enim præceperat: 'Munus nostrum ornato verbis, quod poteris.' id factum est hactenus a Parmenone. additum erat: 'Et istum æmulum, quod poteris ab ea pellito.' igitur nunc ad conflandam militi apud Thaidem invidiam accingitur. *Bœclerus.*

Atque, &c.] Ex obliquo invidiam facit militi. dumque domini sui modestiam prætendit, odium importunitatis conflat militi. *Farnabius.*

28 *Sua causa excludi ceteros*] Nihil potuit dici invidiosius. Non enim dixit Phædriam, sed *ceteros*, quasi futuri amatores fuissent, nisi metueretur exemplum Phædriæ. *Donatus.*

29 *Neque pugnas narrat*] Descriptio militis, tantum excepto nomine. *Idem.*

Neque cicatrices] Insigne fœditatis. Nam apud meretricem quid aliud cicatrices valent? Nam cicatrices etsi semper gloriosæ sint, non tamen etiam apud meretrices, quibus post precium forma placet. ut Sallustius quoque fatetur, 'Hæc sunt virtutis insignia: dehonestamento tamen esse corpori, maxime lætabatur.' *Idem.*

30 *Neque tibi obstat*] Qui a te repellat amatores tuos. *Idem.*

Quod quidam facit] Quidam *recte.* nam et figuratum et aptum sententiæ est, et contemptum indicat hoc verbum. *Idem.*

31 *Ubi molestum non erit*] Ad superiora retulit, quod nunc dicit: scilicet ad 'Non sibi soli postulat te vivere, et sua causa excludi ceteros: neque pugnas narrat,' &c. 'Ubi molestum non erit, ubi tu voles.' ad 'Neque tibi obstat:' 'Ubi tempus tibi erit.' Et mire occupat animum meretricis cum illam hujus impulsu inducit facere, quidquid dure fecit excludendo Phædriam. Hic igitur qui scit præcepta de beneficiis æstimandis, intelligit oratorie in utramque partem dicta omnia. *Idem.*

Verum ubi molestum] Utrum tibi molestum, an aliis? sed aliis, quia illaturus est. *Idem.*

Ubi molestum non erit, ubi tu voles, ubi tempus tibi erit] Præterquam, quod officii comitatem hæc verba exprimunt, insuper ingenium meretricum et accismos, quibus amantium cupiditatem dum differunt, incendunt, spectare videntur. possis describere verbis Plauti in Milite II. 2. 95. &c. 'Trecentæ possunt causæ colligi: Non domi est, abiit ambulatum: dormit, ornatur, lavat, Prandet, potat, occupata est, operæ non est, non potest. Quantum vis prolationum.' *Bœclerus.*

32 *Ubi tempus tibi erit*] Non amatori. Et ubi tu voles: non ut nunc in Milite pateris. *Donatus.*

Ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur] His dictis et Militem repulit ab animo Meretricis, et commendavit Adolescentem: et perfecit ne injuria videatur apud Thaidem, quod sponte susceperit Phædriam. *Idem.*

33 *Apparet servum hunc esse domini pauperis*] Tristiores enim sunt servi pauperum, et ob hoc ipsum nequiores. et hoc melius erat: quamvis illud aliter Parasitus exponat. *Idem.*

Domini pauperis miserique] Bene additum *miseri:* quia non continuo pauper etiam miser est. *Idem.*

34 *Nam hercle nemo posset*] Secundum illud, *Ait, aio,* approbat parasitus quod Miles dixit. Et est ordo, Nam hercle satis scio, nemo posset hunc perpeti, qui haberet qui pararet alium servum. *Idem.*

Nam hercle nemo posset] Aliam causam subtiliorem assignat Parasitus, quam quam dixerat Miles. *Idem.*

35 *Qui haberet qui pararet*] Prius *Qui,* pronomen: sequens adverbium est. *Idem.*

36 *Quem ego esse puto infra omnis infimos homines*] Multum dixit, *infra infimos omnis homines.* nam hac sententia vult, illum hominem servis etiam esse pejorem: quia et servus, homo. ut in Phormione, 'Servum hominem causam orare leges non sinunt.' *Idem.*

Infra infimos omnis puto] Ovid. V. Trist. V. Eleg. 8. 'Non adeo cecidi, quamvis abjectus, ut infra Te quoque sim, inferius quo nihil esse potest.' *Farnabius.*

37 *Qui huic animum assentari induxeris*] Proprie: nam animus inducitur adversum objectas difficultates. *Donatus.*

38 *E flamma te petere cibum posse arbitror*] Unde sine damno aut malo nihil potest auferri. *Idem.*

E flamma] Hoc intelligit, non ex foco, sed ex medio igni, vel incendio flammæ. Nam antiquum verbum est, 'Petere cibum e flamma.' mordetque utrumque simul. ut nescias quem pejus vituperaverit, hujusne famem, an illius immanitatem, vel voraginem. Et simul vide convitium redditum, unde conjectum est: id est, de paupertate et egestate. *Idem.*

E flamma, &c.] Epulas pro inferiis in rogum conjicere moris erat; extremæ autem mendicitatis et impudentiæ habebatur inde cibum petere. Lucilius apud Nonium in Marcel. 'Mordicus petere aurum ex flamma expediat, e cœno cibum.' et Catullus: 'Uxor Meneni, sæpe quam in sepulcretis Vidistis ipso rapere de rogo cœnam,' &c. hoc factitasse scurras, meminit Plutarchus, *βωμολοχοῦν καὶ πλανώμενον γένος. Farnabius.*

39 *Jamne imus*] Odium Parmenonis, et stomachum militis ista indicat festinatio. et *Jam,* increpatio moræ est. *Donatus.*

Jamne imus] Iterum urget Thaidem miles ad eundum. cumque illa aliquid moræ interponeret, non sine offensione, et futuræ litis augurio, *ego hinc abeo,* inquit: *tu istanc opperire.* cui dicto parasitus suo more statim rationem adulatorie subjicit: quasi non deceret imperatorem una cum amica in via ire. *Bœclerus.*

40 *Post huc continuo exeo*] Legitur et *postea,* et *post,* ut sit *post* pro *postea.* ΑΠΟΚΩΤΙΗΔΕ* quomodo pro postremo *post.* Donatus.

Postea continuo exeo] Liber Bembinus, *post.* sed et Donatus ita etiam legi affirmat. sustentatur autem versus non faciendo synalœpham in, *continuo exeo.* Faërnus.

41 *Ego hinc abeo*] Consequens erat ut offenderetur miles, tam diligenter rivalis munus suscipiente meretrice. *Donatus.*

42 *Una ire cum amica imperatorem in via*] Vide *προπαρασκευὴν* futuræ litis inter Thaidem et militem. *Idem.*

Cum amica] Mirifice *amicam* dixit, non meretricem. *Idem.*

Imperatorem in via] Congrue in militem: quasi ipse sit, sub quo est. et hic servat Parmeno, quod sibi mandatum est, 'Et istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito.' Et bene mutat nomina, hinc ad honorem, hinc ad invidiam. Hanc, non Meretricem, sed Amicam dixit: hunc, non Militem, sed Imperatorem. *Idem.*

Una cum, &c.] Scoptice, meretricem *amicam,* militem *Imperatorem* agnominat. *Farnabius.*

43 *Quid tibi ego multa dicam*] Non habuit aliud miles stultus: et redit ad illa quæ supra dixit, 'Domini pauperis miserique.' *Donatus.*

Domini similis es] Ineptus jocus, in quo servus injuriæ vice domino comparatur. *Idem.*

Domini similis es] Redit ad illud quod modo dixerat: 'Apparet servum hunc esse domini pauperis miserique.' *Farnabius.*

44 *Quid rides*] Et hoc eo vultu dicitur, quasi sibi conscius sit miles facete dicti convitii. nam non quod nesciat causam risus, eo interrogat quid riserit: sed ideo, ut denuo laudetur. *Donatus.*

45 *Et illud de Rhodio dictum*] Hoc est illud, 'Eorum ingenia admiror simul.' Et huic, ut apparet, fit amicior: ideo facilius ab amica, quam a parasito separabitur. *Idem.*

46 *Abi præ, curre, ut sint domi parata omnia*] Non dixit *quæ:* quia intelligitur. *Idem.*

Abi, præcurre] Alii, *abi præ, curre.* Melius. *Faber.*

Domi ut sint parata omnia] Ἔλλειψις ἠθικὴ, in qua plus vultu significatur, quam verbis. *Donatus.*

47 *Fiat*] *Faciam,* vel *fiet,* diceret servus: liber vero, *fiat:* tanquam et ipse jubeat sibi. *Idem.*

48 *Si Chremes huc forte ad me venerit*] Οἰκονομία ad litem futuram, et exitum fabulæ. Et hoc non audit miles: nam si audiret, nimis irasceretur. *Idem.*

50 *Ad me adducito*] Modo *ubi sum* significat. *Idem.*

51 *Quid? quid aliud volui dicere*] Pro, *quid aliud?* hinc est illud Ciceronis, 'Quem, quemnam? recte admones; Polycletum esse dicebant.' *Idem.*

52 *Curate istam diligenter Virginem*] Hæc res est, quæ faciet Virginem claudi, in lectulo collocari, et obdormire. *Idem.*

Curate istam diligenter Virginem] Ridiculum, quum contra eventurum sit. *Idem.*

53 *Vos me sequimini*] Κωφὰ πρόσωπα sunt puellæ, quæ sequuntur. *Idem.*

Vos me sequimini] Puellæ pedissequæ, quas δουλάρια vocat Lucianus in Lexiphane. *Farnabius.*

Scena III.] Et hæc Senariis constat scena. vs. 3. Mss. nostri omnes: *ita me astute ab ea video lab.* vs. 4. duo: *ad sese.* omnes: *accersier domum.* vs. 5. duo: *quid tibi cum ea?* vs. 7. duo: *fecisse se.* vs. 16. omnes: *et quis cum e.* vs. 18. τὸ *si* omittunt. vs. 24. unus: *quis hem hic est?* alter: *quis hic est?* Argentoratensis: *ecquis hic est,* prima manu. vs. 27. unus: *ut cures redire.* vs. 30. unus: *malam in rem hinc*

abi. alter: *malam in crucem hinc abi.* Argentor. *malam in rem hinc ibis*, prima manu. vs. 32. omnes: *deduc.* Bœclerus.

1 *Profecto quanto magis magisque cogito*] Hæc persona apud Menandrum adolescentis rustici est, et inconsequens oratio est. Sed conceditur secum loquentibus multa transcendere, quæ taciti intelligunt: est enim integrum hoc modo, Profecto quanto magis magisque cogito, nimirum intelligo vel invenio, quod dabit hæc Thais mihi magnum malum. Potest autem *nimirum* et pro confirmatione accipi, ut nihil desit: ut sit *nimirum*, sine dubio, pro certo. *Donat.*

Profecto, &c.] Ἦθος rustici, severi, frugi, suspiciosi, et blanditias aversantis. *Farnabius.*

2 *Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum*] Solve *nimirum*, et fac, non est mirum, et statim consequens erit per ἀσύνδετον tota sententia, quasi dixerit, non est mirum: et subdistinctione interposita mox intulerit, *dabit hæc Thais mihi magnum malum.* Nam *Ni* ne significat: et *Ne* non. *Ni* pro ne: Virgilius, 'Læti discrimine parvo Ni teneant.' *Ne* pro non: Plautus, 'Ne vult,' inquit, pro non vult. *Donatus.*

Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum] His verbis intelligitur se sentire paulatim labi in amorem meretricis, quamvis invitum, et adhuc retinentem mentem. *Idem.*

5 *Roget quis quid tibi cum illa*] Prius intulit, quam interrogavit. *Idem.*

Roget quis, quid tibi cum illa] Si distinguitur oratio eo modo quo edidimus, non opus erit ad duram illam et intolerabilem παρένθεσιν confugere, quæ nonnullis placuit. *Bœclerus.*

6 *Ut ibi manerem*] *Manerem* modo, non dormirem, sed remanerem significat. *Donatus.*

7 *Et rem seriam velle agere mecum*] Scilicet, quæ non posset nunc agi, cum operetur. An rem seriam magis agendam tunc putabat, cum rem divinam fecisset? *Idem.*

Rem divinam, &c.] Veteres nihil aggrediebantur serium, quin Diis prius sacra fecissent. *Farnabius.*

9 *Dolo malo hæc fieri omnia*] *Dolus* a lædendo dictus, id est, a dolando, id est, minuendo. nam et δόλος Græce læsio dicitur, et *dolones*, tela quædam bellica, et *dolare* fabri, lignum est ascia cædere. Quod autem addidit *malo*, aut ἀρχαϊσμὸς est, quia sic in duodecim tabulis a veteribus scriptum est, aut ἐπίθετον doli est perpetuum: aut diastole est, quia est bonus, quo a medentibus falli ægros, non tamen decipi, Lucretius Poëta testatur initio lib. IV. *Donatus.*

Dolo malo, &c.] Dolus malus est, cum aliud agitur, aliud simulatur. Cic. Offic. l. III. et Topic. Erat etiam *dolus bonus* adversus hostem sc. vel latronem. *Farnabius.*

Accumbere mecum] *Mecum*, penes me significat. *Donatus.*

10 *Mihi sese dare*] Non potest magis significari profusa petulantia. *Id.*

Sermonem quærere] *Sermonem quærimus*, quando non solum quod dicamus quærimus, verum etiam quomodo alter nobis respondeat et obloquatur: puta cum deficientibus sermocinandi causis, 'quota sit hora,' et, 'satis recte quis valuerit,' percontamur. *Idem.*

11 *Huc evasit*] Tanquam impudenter contenderit ad hanc inquisitionem. *Idem.*

Quam pridem pater mihi et mater mortui essent] Hoc propter ætatem puellæ inquisitum est. *Idem.*

Quam pridem pater mihi et mater mortui] Hæc ex argumento quærit Thais. cujus consilium dum ignorat Chremes, meræ garrulitatis esse omnia existimat. qui error diligentissima suspicione tractatus, leporis habet non parum. *Bœclerus.*

Ubi friget, &c.] Ubi re aut verbis destituta, quasi cum nihil haberet quod diceret. *Farnabius.*

12 *Jamdiu*] Jam olim. *Donatus.*

13 *Rus Sunii ecquod habeam*] Libri antiqui fere omnes, *et quod haberem*: quod magis consequens et præcedentibus et sequentibus verbis est. *Faërnus.*

Sunii, &c.] Promontorii Atticæ. supra act. I. sc. 2. *Farnabius.*

Et quam longe a mari] Hoc ideo meretrix inquisivit, ut sciret, utrum rapina prædonibus fuisset: quippe ad mediterraneum locum, qui accessus esse potuit Piratis. Sed tamen non abhorret a suspicione hujus meretricis, quod et scire vellet cujus pretii fundum habeat Chremes: hoc est, quam amœnum, vel quam maritimum. *Donatus.*

14 *Sperat se a me avellere*] Bono usus est verbo *avellere*, tanquam a pertinaciter retinente. *Idem.*

16 *Quid habuisset, cum perit*] *Cum*, pro quando: aut cum periret. *Idem.*

17 *Hæc cur quæritet*] In gestu ac vultu id quod restat ostenditur. Nam deest, *nescio.* Idem.

19 *Hanc se intendit esse*] Proprie *intendere*, est crimen in adversarium jacere. *Idem.*

20 *Annos nata est sexdecim*] Tot ante nominaverat ex conjectura Chærea II. 3. 26. *Bœclerus.*

21 *Majuscula est*] Diminutive dixit, ut ostenderet utramque esse primævam. *Donatus.*

22 *Misit porro orare*] *Porro*, pro postea. *Idem.*

Ut venirem serio] Utrum, ut venirem serio, an orare serio? *Idem.*

23 *Aut dicat quid vult*] Pro *quid velit.* In Hecyra, 'Ac vide quam immerito ægritudo hæc oritur mihi abs te Sostrata.' *Idem.*

Aut molesta ne siet] Aut hoc moraliter, (nam cui hoc imperat?) aut cum quo hoc agit. *Idem.*

24 *Heus, heus. hic quis est*] Hæc separatim pronuntianda sunt, nam apparet inter hæc verba pulsatam januam personare. *Idem.*

25 *Ego sum Chremes*] Vide quantum distet, ac varia sit hujus rusticitas, *Ego sum Chremes*: a faceta Meretricis disciplina. *Idem.*

O capitulum lepidissimum] Nam rusticum esse statim magis apparebit, ubi dixerit, *Rus eo*: et ὑποκορίσματα σὺν ΠΟΝΙCΜΩ. *Idem.*

26 *Dico ego mihi insidias fieri*] Blandimentum rusticus insidias putat. *Id.*

Dico ego, &c.] Blandimenta rusticus insidias sibi structas suspicatur. Menander τότε τὰς γυναῖκας δεδιέναι μάλιστα δεῖ Ὅταν περιπλάττωσι τοῖς χρηστοῖς λόγοις. *Farnabius.*

27 *Rus eo*] Pro potiore negotio rus posuit. et major negatio est, quam si diceret, 'Non huc venio.' *Donat.*

Rus eo. non possum inquam. nihil minus. malam in rem hinc abis] Vide, ut omnia rusticæ ferociæ apta fecit. cujus παρασκευὴ jam erat in illo: 'aut dicat quod vult, aut molesta ne sit. non hercle veniam tertio.' *Bœclerus.*

28 *Non possum, inquam*] Plus est, quam *nolo.* Donatus.

29 *Dum redeat ipsa*] *Ipsa*, vel domina, vel ipsa de qua agitur. *Idem.*

Nihil minus] Deest *faciam.* Idem.

30 *Malam rem! hinc ibis*] Hoc adverbialiter dixit: quemadmodum dicimus, 'Domum ibis.' Et apparet illum manu tactum esse, qui sic irascitur, quia dixit Pythias, 'Cur, mi Chremes?' quasi dicat, Cur meus sic indignatus est adolescens? nam ab eo quod est *meus*, vocativus *mi* facit. *Idem.*

31 *Amabo, ut illuc transeas ubi illa est*] Vide non esse otiosum, quod omnia prætenta sunt potius, quam res importuna fieret, ut ad Militis domum Chremes deduceretur. neque enim hoc conveniebat personæ Bacchiali: quoniam aut infacetum, et præter usum, aut importunum: ideo hoc ipsum Doriæ præcepit. *Idem.*

Ut illuc transeas ubi illa est] Ut brevem viam demonstraret, non eas, sed

transeas, dixit. *Idem.*

Amabo] Interjectio est amantis: sic verbum sonat. *Idem.*

Scena iv.] Octonarii sunt catalectici. vs. 3. omnes: *locus inventus, tempus constit.* vs. 8. unus: *quid hoc hominis est quid hic ornatus est.* alter: *quid hominis? qui hic ornatus est?* Argentor. *quid hominis hoc est? quid hoc ornati est?* vs. 10. duo: *sciscitarier.* Bœclerus.

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo] *In hoc proloquio insinuatio personæ ejus est, cui narraturus est Chærea, quæ a se post scenam facta sunt. Fit autem hoc populi causa, ut spectator auribus accipiat, quod subjicere oculis Poëta non potuit.* Donatus.

1 *Heri aliquot adolescentuli*] Bene inventa persona est, cui narret Chærea, ne unus diu loquatur: ut apud Menandrum. *Idem.*

Heri aliquot adolescentuli coiimus in Piræeo] Id quisque dicet quod lubuerit; ipse vel invitis omnibus dicam scribendum esse, *Piræeo.* Erit synizesis in fine. Cetera nugæ sunt. Aliud est convenire seu coire in forum, aliud in foro. Conveniunt in forum, qui extra forum sunt. Conveniunt in foro, qui, cum jam in foro sint, circulum aut coronam faciunt in ipso foro. *Faber.*

Coimus] *Coimus*, consensimus, ac pepigimus: ne sit solœcismus. *Donat.*

In Piræo] Pro, in Piræum. *Idem.*

Heri aliquot adolescentuli coimus, &c.] Respexit ad ἦθος adolescentum φιλόφιλον καὶ φιλέταιρον. illorum enim est, χαίρειν τῷ συζῆν. Hunc locum adducit Cicero Ep. ad Attic. vii. 3. laudans Terentium tanquam optimum Latinitatis auctorem, in quæstione Grammatica, quam Atticus moverat. De Ciceronis hac disputatione non inerudite quidem, sed intemperantissime more suo disserit Scioppius in Paradoxis literariis Ep. 3. *Bœclerus.*

Coimus in Piræo] Cicero ad Atticum l. vii. Epist. 3. legit, *coiimus in Piræeum*, seque defendit quod scripserat *ad Piræea*, non *Piræeum*, et quod Præpositionem addidisset. 'Non enim hoc,' inquit, 'ut oppido præposui, sed ut loco.' Erat autem Piræum portus et oppidum 40. ab urbe stadiis. *Farnabius.*

2 *Ut de symbolis essemus*] Plautus in Menæchmis, 'Minore nunquam fui dispendio.' Sed melius *Essemus*, producta *e* litera. *Donatus.*

Symbolis] Vide Andriam, act. i. sc. 1. 'Symbolam dedit.' *Farnabius.*

Essemus] Commessaremur. ἀπὸ συμβολῆς δειπνεῖν. Eustat. *Idem.*

Ei rei] Ut esset ἐρανιστὴς, συμποσιαρχὸς, βασιλεὺς, ὀφθαλμὸς, θαλιαρχὸς, convivii curator, arbiter. *Idem.*

3 *Præfecimus*] Id est, συμποσίαρχον fecimus. *Idem.*

Dati annuli] Nihil interim de scorto. apparet enim ephebos esse. *Idem.*

Dati annuli] Συμβολὴν τὸν δακτύλιον δέδωκας, Lucianus, arrhæ loco. *Farnabius.*

Locus, &c.] Convivium constat ex rebus quatuor, si belli homunculi collecti sunt, si lectus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus, &c. Varro apud Agellium lib. xiii. c. 11. et Horat. lib. i. Epist. 8. *Id.*

4 *Præteriit tempus*] Quia tempus constitutum est. *Donatus.*

Quo in loco] Quia locus constitutus est. *Idem.*

5 *Homo ipse*] Quia Chæream ei rei præfecimus. *Idem.*

6 *Ceteri dedere*] *Ceteri*, exceptis me atque illo. *Idem.*

7 *Quisnam hinc a Thaide*] Causa sciscitandi est admiratio de habitu commutato, et vix agnitus Chærea. *Idem.*

8 *Is est, an non est? ipsus est*] Vide an potuerit meretricem ignotam hoc habitu atque ornatu fallere, qui ab Antiphone vix agnoscitur. *Idem.*

Quid hoc hominis] Vide an longam narrationem possit andire, qui nondum amico narrat, et jam affectus

pendet. *Idem.*

Quid hoc hominis] Quod a Thaide ephebus exit. *Idem.*

Qui hic ornatus est] Quia Eunuchi veste indutus est. *Idem.*

9 *Quid illud mali est*] Quod timidus egreditur. *Idem.*

Quid isthuc mali] Verti debet: *Que diable est-ce-là?* Sic alibi, 'Quid malum,' &c. Baifius, eleganter: *Que diable est-ce? je m'en étonne, Et ne m'en puis trop étonner, Ny ne sçauroy qu'en deviner.* Faber.

10 *Quid sit sciscitari*] *Sciscitari*, est occulta magis et secretiora rimari, ac velle cognoscere. ut, 'Suspensi Eurypbilum scitatum oracula Phœbi Mittimus.' *Donatus.*

Scena v. Satura est scena, Iambicis et Trochaicis Catalecticis et Acatalecticis constans; varietate metri ad animi motus in Chærea congruente. vs. 3. omnes: *nunc est tempus profecto.* reliqua in hoc et seq. versu eo ordine, ut edidimus. nimium enim sibi permiserunt nonnulli in commutandis omnibus. vs. 5. omnes: *sed neminem hic curiosum, &c.* vs. 11. duo: *sanus ne satis es?* vs. 14. duo: *ut audias istuc.* vs. 15. omnes: *nempe ut opinor Thaidem.* vs. 18. omnes: *cum me ipsum n.* vs. 19. duo: *in hanc commotus sum.* duo: *illam scio si videris.* vs. 23. omnes: *tacitus sis, citius audies.* vs. 26. duo: *et viderem.* vs. 28. omnes: *adduxit.* vs. 47. duo: *et ventulum huic facito.* vs. 56. omnes: *quid tum?* Ch. *quid tum fat.*

Ab initio hujus scenæ describitur exemplum *lætitiæ gestientis*, in qua est *levitas;* sicut notat Cicero iii. Tuscul. 13. cui etiam dicitur *inanis alacritas*, quando homo *alacritate futili* gestiens deliquescit. (iv. Tusc. 16. et 17.) 'Hæc lætitia quam turpis sit, satis est diligenter attendentem penitus videre. et ut turpes sunt, qui efferunt se lætitia tum, cum fruuntur veneris voluptatibus; sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt.' quod iterum verbis Ciceronis dicendum putavi iv. Tuscul. 32. *Bœclerus.*

Num quis hic est? nemo est] *In hac scena, verba gestum vultumque indicant exeuntis: cui obvia persona objicitur, sed cujus occasione spectatoribus gesta narrabuntur.* Donatus.

1 *Numquis hic est? nemo est. Numquis hinc me sequitur*] Duo metuit, ne quis obvius comprehensor occurrat: et ne quis sui persecutor existat. *Idem.*

Nemo homo est] Quamvis per *nemo*, homo intelligatur, tamen addidit *homo*, ut veteres solent, τῷ ἀρχαϊσμῷ. *Idem.*

Homo est] Pleonasmus. Cicero, 'Nemo homo,' ii. de Natur. Deor. 'Nemo nec homo, nec Deus,' l. i. de Nat. Deor. *Farnabius.*

2 *Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium*] *Erumpere*, quasi activum verbum posuit, pro neutrali: ut sit, Licetne mihi erumpere hoc gaudium? Aut *erumpere* quasi exire. *Mihi*, pro a me. *Donatus.*

Erumpere] Utrumne, *erumpere*, pro emittere posuit? An *erumpere* pro exclamare? ut *erumpere vocem* dicitur, qui exclamat. nam, *Pro Juppiter* dicturus est. *Idem.*

Erumpere, &c.] Cic. Epist. 3. lib. xvi. ad Attic. 'Ne in me stomachum erumpant, cum tibi sint irati.' *Farnabius.*

3 *Nunc est profecto*] Ordo et sensus hic est, Nunc est profecto tempus, cum perpeti me possum interfici. Hoc autem cur ipse dixerit, statim subjicit causam. *Donatus.*

Cum perpeti me possum] Animadvertendum est, quod si *cum* conjuncte legeris, *quando* significat: si separatim, *dum* significat. *Idem.*

Nunc est profecto] Figurate, ac conjuncte lege sine disjunctione. *Idem.*

4 *Contaminet vita ægritudine aliqua*] Mire vitæ crimen ostendit: velut ipsa sit campus, possessioque fortunæ instabilis variorum. *Idem.*

5 *Sed neminem curiosum, &c.*] Apparatus ad intentionem futuræ narrationis dicitur. *Idem.*

Sed neminem ne curiosum] Testatum relinquimus ita esse in libro Bembino: ne quis unquam revocet in dubium. *Faërnus.*

6 *Qui me sequatur*] Id cupit gaudens, quod tristibus molestum est. nam contra Menedemus gravatur narrare quæ dolet. *Donatus.*

Obtundat] Odiose instet ac repetat, molestus et odiosus sit. *Idem.*

Enecet] Εὐφωνότερον quam *enicet.* Idem.

7 *Quid gestiam*] Deest *quærens:* ut sit, rogitando obtundat et enecet, quærens quid gestiam. *Gestire*, est motu corporis monstrare quid sentias. Constat autem, a pecudibus ad homines esse translatum. *Idem.*

Quid gestiam] *Gestire* proprie est, sensum corporis gestu indicare: quod magis brutorum est animalium. Virgilius, ‘Et studio incassum videas gestire lavandi.’ *Idem.*

Aut quid lætus sim] Propter quid. *Idem.*

Quid gestiam? quid lætus sim] Hinc sumsit Cicero appellationem ‘lætitiæ gestientis,’ qua delectatur. *Bœclerus.*

Gestiam, &c.] Gestire est, animi affectum gestu corporis indicare. *Farnabius.*

Unde emergam] Proprie dixit *Emergam*, ut ex lustris atque inhonestis locis, utpote meretricis domo. Cicero, ‘At ne tum quidem emersisti lutulente Cæsoni ex miserrimis naturæ tuæ sordibus.’ *Donatus.*

8 *Vestitum hunc nactus*] Bene *Nactus* dixit: ut qui non sumeret, nisi suasisset hæc occasio. *Idem.*

9 *Adibo: atque ab eo gratiam, &c.*] Sensus et ordo hic est, Adibo, atque ab eo gratiam hanc inibo. *Gratiam inire*, est dare beneficium, ac per hoc alicujus inire gratiam, id est, amicitiam. sed hæc est elocutio, *Gratiam ab eo inibo*, pro, ejus gratiam merebor. Nam *ab eo* amat Terentius pro *ejus* ponere: ut in Andria, ‘Hæc primum animadvertenda ab eo injuria est.’ Id est, ejus injuria. *Inire* autem *gratiam*, est mereri gratiam. Plautus: ‘Iniet tamen solidam et grandem gratiam.’ *Idem.*

Ab eo, &c.] Gratiam hanc ejus demerebor. *Farnabius.*

10 *Quid est quod sic gestis*] Facete repetit verba ejus interrogationis, ut sciat se jampridem esse præsentem. *Donatus.*

Quid sibi hic vestitus quærit] Facete et figurate dictum est, sic et alibi, ‘Ut pernoscatis quid sibi Eunuchus velit.’ *Idem.*

Quidve sibi hic vestitus quærit] Disjunctionem aliqui libri nullam habent. aliqui vero hoc modo, *aut quid sibi.* in nullo est, *quidve:* ut in impressis. *Faërnus.*

11 *Quid est quod lætus sis*] Vide aliud esse *gestire*, aliud *lætum esse.* Donatus.

Quid tibi vis] Πρὸς τὸ, Quid mihi velim. *Idem.*

Satin' sanus] Πρὸς τὸ, Sanus sim, an insaniam? *Idem.*

Quid me aspectas? quid taces] His duabus interrogatiunculis descripsit vultum dicturi. *Idem.*

12 *Quid aspectas? quid taces*] Observa, quantus artifex sit Poëta noster, in describendo et ob oculos ponendo immodico illo affectu, quo elatus levitate adolescens, inanique lætitia exultans et temere gestiens suo animo morem gerit. ante desideravit, cui narraret fortunas suas. nunc voti compos, non statim sermonem expedit præ magnitudine exundantis lætitiæ. dum erumpere quærit affectus, se moratur ipse. Antiphonis personam adducit poëta, cui hæc narrarentur: juvenem et familiariter notum ad juvenilem et familiarem auscultationem. finge aliam personam, cui narraret ista. non posset narratio ta-

lis esse, qualem Poëta hic argumenti ergo esse voluit. *Bœclerus.*

O festus dies hominis! Amice! salve] Decet a salutatione incipere luculente dicturum. Illum autem verisimile est, et percussum re nova, et audiendi cupidum, immemorem extitisse salutandi. *Donatus.*

O festus dies] Utrum quia causa est festi ac læti diei? an quia ipse tantus sit, quantus est festus dies? *Idem.*

O festus dies hominis] Pro, *homo festi diei.* Sic dicitur enim ‘scelus homo.’ Ennius, ‘O pietas animi.’ *Idem.*

O festus, &c.] O homo fauste, mihi optatissime, tanquam sis mihi festus dies. Plaut. in Casina, I. act. 1. scen. ‘Sine, amabo, te amari, meus festus dies.’ apud quem feriari mihi licet. *Farnabius.*

13 *Quem ego magis nunc*] Bene additum *Magis.* ut his amicis se antepositum intelligat, quos cum optet videre Chærea, tamen eum magis, adeo ut aliis amicis antepositum neminem cupiat. *Donatus.*

14 *Imo ego te obsecro hercle ut audias*] Bonum compendium, ne multa diceret ad commendandum, ut solet, narrationem futuram. *Idem.*

Imo te obsecro hercle ut audias] Bene contulit verba: ut ex his appareat, quid agere velit. Ille dixit *Quæso*, hic *Obsecro.* Idem.

15 *Nostin' hanc, quam amat frater*] Quæritur an verisimile sit Antiphoni notam esse Thaidem, quam frater ipse nesciverit. Sed intelligere debemus, modo notitiam non vultus, sed famæ positam esse: quam famam potuit ex Phædria et Antipho scire. At vero aliam notitiam negaverat Chærea sibi fuisse cum Thaide, hoc est, visus, vultus, oris, et corporis. *Idem.*

Novi; nempe, opinor Thaidem] Verisimile est hæc scire Antiphonem, qui adeo sit familiaris Chæreæ. Et est ordo hic; Novi, nempe, opinor, Thaidem. *Idem.*

Opinor, Thaidem] Optime et ab illo tacitum, et ab hoc nomen ablatum est; ut appareat quam noverit, et quam possit assequi quæ dicentur. *Idem.*

17 *Faciem prædicem, aut laudem*] *Prædicamus*, ut res sunt: *Laudamus* extollendo. Vel *prædicamus* voce: *Laudamus* argumentis. *Idem.*

Quid ego ejus tibi] Ordo hic esse debet, *Quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem aut laudem, Antipho? in hac commotus sum: cum me ipsum noris, quam elegans formarum spectator siem*, ut sit sensus, In hac commotus sum: ille scilicet, qui, ut scis, formas solet eligere, ac fastidire pro merito. *Idem.*

18 *Quam elegans formarum spectator siem*] Elegans spectator est, qui sit cunctantis et fastidiosi judicii: cui non quid placet facile. *Idem.*

Spectator] Probator: ut *pecuniæ spectatores* dicuntur. *Idem.*

Formarum, &c.] Formarum explorator, probator, δοκιμαστής. sumptum volunt a triumviris monetalibus ad quos nummi spectandi deferebantur. *Farnabius.*

19 *In hac commotus sum*] Non est consequens: esset autem, si diceretur. In hac commotum me scias. Erit ergo ordo, et sensus qui supra. *Donatus.*

Primam dices, scio] O fiduciam elegantiæ, et de alienis oculis judicare. *Idem.*

Primam, &c.] Nulli secundam. præ qua reliquæ mera sunt ‘Pithecia et spinturnicia.’ Plaut. Mil. IV. act. 1. sc. *Farnabius.*

20 *Quid multa verba? amare cœpi*] Ordine egit. nam prius est, commoveri: inde amare. Et bene non ante dicit, quid aggressus fuerit, nisi amoris mentione prælata: quo cogente nihil est infectum cupientibus. *Donatus.*

22 *Submonuit*] Leviter monuit et recte, quia *arripui* dicturus est. Et

totum optime: nam ut non erat boni adolescentis, hanc technam reperire: sic ab illo repertam, fuit plane veri amatoris arripere. *Idem.*

23 *Tacitus citius audies*] In oratione solemus corripere extra ordinem percontantes. Et bene celeritatem promisit, qua facile tenetur auditor. Et mire, tanquam sola interrogatio moræ sit. *Idem.*

24 *Et pro illo jubeam me illuc ducier*] *Jubeam* amico dixit, tanquam inter honesta sit, quod utile sit. et turpe factum plerumque perseverante impudentia relevatur. *Idem.*

25 *Quidnam ex ea re tandem*] Transit a reprehensione facti, ad causam ipsius facti. *Idem.*

26 *Viderem, &c.*] Supra act. III. sc. 3. *Farnabius.*

27 *Num parva causa, aut parva ratio est*] Sic illata interrogatio est, quasi ad hanc annuere, et vultu consentire Antipho sit coactus. *Donatus.*

28 *Læta vero ad se abducit domum: commendat virginem*] Apponam *Donati* elegantem annotationem, sed in fine corruptam: 'Omnia mire: quod *læta*, quod *abducit*, quod *domum*, quod *commendat virginem.* Specta singula, et mirare virtutem Poëtæ. hic enim commendandus est locus, erroris initium continens apud Thaidem convitium.' Nihili est: *apud Thaidem convitium.* itaque lacunam hic fecerunt ante *convitium.* Sed veteres libri nihil tale ostendunt. An nefas fuerit legere? *hic enim commendandus est locus, erroris initium continens, apud Thaidem convictum.* hinc erroris initium quod in familiam Thaidis pro Eunucho venit Chærea, et in convictum virginis, qui ante describebatur; *ut una esset cum ea.* nam is convictus ad virginem referendus est, quo potitur Chærea apud Thaidem sive in Thaidis domo. *Bœclerus.*

29 *Tibi ne*] Non interrogat, sed miratur. *Donatus.*

Satis tuto tamen] Quid hic facit *tamen?* Utrum hoc? etsi meretrix, tamen satis tuto agit. An? etsi Chæreæ, satis tuto tamen: quia nullus accedet alius. *Idem.*

Satis tuto tamen] Æque ac, 'ovem lupo,' infra act. V. sc. 1. *Farnabius.*

30 *Edicit*] *Edicimus,* jubemus: vel jure dicimus. *Edicta* enim Imperatoris sunt. *Donatus.*

Et mihi, ne abscedam, imperat] Certe nullus vir accedit. *Idem.*

31 *Maneam solus*] Remaneam, perseveremque in loco, ac per hoc sim miser, utpote dono datus, et serviens meretrici. et est εἰρωνεία. *Idem.*

In interiore parte ut maneam solus cum sola] Dum diligentiam mandantis videtur signare, κωμικῶς εἰρώνειαν occulte miscet. ut mox; 'adhortor properent.' *Bœclerus.*

32 *Terram, &c.*] Pudoris signum et verecundiæ. *Farnabius.*

Ego, inquit, ad cœnam hinc eo] Μίμησις, ad imprudentiam mulieris exprimendam, quæ hoc die erit secura de custode Eunucho. *Donatus.*

33 *Abducit secum ancillas*] Memoriter: nam dixerat abiens, 'Vos me sequimini.' *Idem.*

Paucæ, quæ circa illam essent] Relictæ nonnullæ, ut lavari possit ea virgo, quæ sub vitii hujus occasione nuptura est. Hoc enim totum sic inducit Poëta, ut non abhorreat a legitimis nuptiis, in ea præsertim quæ uxor futura est. *Idem.*

Manent] Pro remanent. ἀφαίρεσις. *Idem.*

34 *Noviticæ puellæ*] Αὔξησις, *noviticæ,* et *puellæ.* Idem.

Continuo hæc adornant ut lavet] *Hæc* pluraliter, pro *hæ.* ut in Phormione, 'Hæc illæ erant itiones.' *Adornant* autem, ex medio significatu, pro apparant. *Idem.*

Adornant, ut lavet] Ita Plautus Rudente IV. 6. 2. 'Adorna ut rem divinam faciam.' *Bœclerus.*

Hæc, &c.] Antiquis moris erat, ut singulis diebus lavarent; hinc tot

balnea publica et privata. alii *hæ.* al. *adornant ut hæc lavet.* Farnabius.

35 *Dum apparatur, virgo in conclavi sedet*] Impersonaliter dixit. et *dum apparatur,* pro *dum apparetur:* et *sedet,* pro *sedebat.* Donatus.

Virgo in conclavi sedet] *Conclave* est separatior locus in interioribus tectis: vel quod intra eum loca multa et cubicula clausa sint adhærentia triclinio. *Idem.*

36 *Suspectans tabulam quandam pictam*] Bene. accedit repente pictura ad hortamenta aggrediendæ virginis: ideo quia non ad hoc venerat Chærea, ut continuo vitiaret puellam, sed ut videret, audiret, essetque una: cum nihil amplius cogitaret, ausus, incitatusque dum picturam cerneret. *Id.*

Tabulam, &c.] Aptam domo meretricis tabulam, in qua Jovis amores, puellæ aurea dona. Lege Propert. l. II. Eleg. 6. *Farnabius.*

Ibi inerat pictura hæc] In præfatione diximus, Poëtam hic κωμῳδεῖν fabulas de deorum flagitiis, eademque opera ostendere meretricio potius cubiculo quam honestis palatiis aut ædibus dignas esse ejuscemodi picturas, moribus noxias, sicut et virginis et Chæreæ exemplo, insigni prorsus arte, declaratum voluit: quasi et virgo intacta et casta, vel aspectando hæc talia oculos incestare cœperit. quæ quasi οἰκονομικὴ παρασκευὴ est ad infortunium puellæ. nam Chærea inflammato ad libidinem animo citra ambages, argumentum et auctoritatem peccandi hinc arripit. Propertii illud huc pertinet Eleg. II. 6. 'Quæ manus obscœnas depinxit prima tabellas, Et posuit casta turpia visa domo, Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos, Nequitiæque suæ noluit esse rudes.' Unde Poëta noster honestæ domui nunquam talem picturam tribuisset; quæ inter meretricias illecebras, ut genus instrumenti domestici, hoc loco ponitur; Donatus περιεργότερον explicat. Vide Lindenbrogii annotationem. *Bœcler.*

Jovem quo pacto] Mira inventio, qua hæc pictura domui tribuitur meretricis, adversus omnium pudicitiam amorum, contra parsimoniam, contra dignitatem, contra pudicitiam. *Don.*

37 *Misisse aiunt*] Bene *aiunt:* et quia fabula est, et quia tam turpis Jovi, quam apta meretrici. *Idem.*

Quo pacto Danaæ misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum] Quæ aptior pictura domui meretricis ad amatorum illecebras quam hæc, quæ exemplum continet amoris, et amoris puellæ, et amoris ad Jovem pertinentis; et amoris non gratuiti, nec parvi propositi, sed auro in gremium fluente venalis? Tum quod in gremium Danaæ etiam ipse Jupiter, ut splendidus imber, illabitur: nonne videtur meretrix dicere adolescentulis, illam corporis partem auctore Jove velut inauratam fuisse? *Idem.*

Imbrem aureum] Non rorem vel pluviam, sed *Imbrem* addiderat. o avaritiam meretricis! *Idem.*

Misisse, &c.] Fabricius ait, in codice Ms. invenisse se *ninxisse.* hinc autumat *ninxisse* scribendum. dictum autem ex imitatione Pindari in Isthmiis: χρυσῷ μεσονύκτιον Νίφοντα δεξαμένη τὸν φέρτατον θεῶν. *Farnabius.*

38 *Egomet quoque id spectare cœpi*] Moris est ad id oculos vertere, quod videmus: et eum quem aspicimus, intueri. *Donatus.*

Luserat] Nequiore sensu, ut Græce παίζειν. *Farnabius.*

39 *Jam olim ille ludum*] Bene, non scelus, sed *ludum* dixit. *Donatus.*

Impendio] Id est, magis magisque luserat. Et *luserat ludum.* ut, 'Hunc oro sine me furere ante furorem.' figura ἀρχαϊσμός. *Idem.*

40 *Deum sese in hominem convertisse*] Philosophice nunc Terentius demonstravit, quam cladem moribus hominum, et civitatibus afferant figmenta Poëtarum, cum exempla scelerum afferant peccaturis. *Idem.*

Deum sese in hominem convertisse] Utrum quia Juppiter humana forma aurum infundens pictus erat in tabulis, non pro Jove aurum? an *in hominem*, id est, hominis audaciam atque flagitia? *Idem.*

In hominem convertisse] In humanos sensus. in imbrem enim se aureum convertit, non in hominis formam. *Farnabius.*

Atque per alienas tegulas] Hic apparet Jovem separatim, separatim aurum fuisse pictum. *Donatus.*

In alienas tegulas] Satis comico charactere locutus est, et presso stylo. *Idem.*

Atque per alienas tegulas venisse clanculum per impluvium fucum factum mulieri] Ex libro Bembino et Victoriano lego, *atque in alienas.* ut sit ordo et sensus, ad faciendum fucum mulieri per impluvium. versus autem, qui est octonarius iambicus, stat, si ex *per* elidas r, ut sæpe. *Faërnus.*

41 *Venisse clanculum per impluvium*] Hæc omnia non ut difficilia factu, sed ut humilia, et Jove indigna proferuntur, ut merito sequatur, ‘Ego homuncio hoc non facerem,’ quod non solum non Jovi, sed ne homini quidem, nisi furi, aptum erat? *Donat.*

Venisse, &c.] Ut faceret fucum virgini; est autem fucus herbæ genus, tingendis lanis utile. unde pro artificioso ac adulterino colore usurpatur. Sunt qui *furtum* legunt, amoris sc. illicitum gaudium. *Farnabius.*

Fucum factum mulieri] Id est, ut fucum faceret, hoc est, insidias et fraudem. *Fucum*, astutam fraudem: et *mulieri*, pro, *fœminæ.* Donatus.

Fucum factum mulieri] Eugraphius: ‘Fucum factum mulieri. fraudem scilicet. sunt enim cum fraude, quæ fuco videntur infecta.’ cui loco *παράλληλος* est ille Quintiliani XII. 10. ‘Lana tincta fuco citra purpuram placet; at si contuleris etiam lacernæ, conspectu melioris obruatur, ut Ovidius ait.’ *Bœclerus.*

42 *Qui templa cœli summa sonitu concutit*] Ab auctoritate personæ, ut fit in exemplis. *Donatus.*

Qui templa cœli summa, &c.] Versus ex aliquo veterum, Ennio fortasse. Est autem granditatis Tragicæ, ut per oppositionem duorum generum res crescat. Optime et Baifius; nam id et pulcre odoratus est quod dico: *Mais quel Dieu? Ce Dieu Roy des Dieux Qui des plus hauts temples des cieux Hoche le plus orgueilleux faiste D'un seul éclat de sa tempeste.* Ceterum templa sunt vasta spatia, ut Acheruntis templa, &c. quæ nos olim ad Lucretium. *Sonitu* est *tonitru.* Hic vero nequeo præterire locum insignem, quem olim apud D. Augustinum legi lib. II. de Civitate Dei cap. 12. ubi Terentianum istud dictum in animo habens sic scribit, per apostrophen ad Scipionem: est certe locus egregius: ‘Itane tandem, Scipio, laudas hanc Poëtis Romanis negatam esse licentiam, ut cuiquam opprobrium infligerent Romanorum, cum videas eos nulli deorum pepercisse vestrorum? Itane tibi pluris habenda visa est existimatio vestræ curiæ, quam Capitolii, imo Romæ unius quam cœli totius; ut linguam maledicam in cives tuos exercere Poëtæ etiam lege prohiberentur; et in deos tuos, securi, tanta convicia, nullo Senatore, nullo Censore, nullo principe, (intelligit principem Senatus,) nullo pontifice prohibente, jacularentur? Indignum (imitatio Virgil. in Georgicis) videlicet fuit ut Plautus aut Nævius Publio aut Cneo. Scipioni (lego, *P. Cornelio Scipioni*), aut Cæcilius M. Catoni malediceret: et dignum fuit ut Terentius vester flagitio Jovis optimi maximi adolescentium nequitiam concitaret?’ Hæc vir sanctissimus. *Faber.*

Templa cœli] Sententia tragica: sed de industria, non errore. *Donat.*

Sonitu concutit] Παρῳδία de Ennio. *Idem.*

Templa, &c.] Παρῳδία ex Ennio. Lucr. l. VI. ‘Terrifico quatiunt sonitu cœlestia templa.’ Idem lib. II. ‘Cœlique serena Concutiant sonitu.’ *Farnabius.*

43 *Ego homuncio hoc non facerem*] Oratorie. ut Jovem extulit, ita detraxit sibi: ut puta, Ille est Deus, et magnus: ego non homo, sed homuncio. *Donat.*

Ego homuncio hoc non facerem? Ego vero illud feci, ac lubens] Mihi certum est errorem hic esse. Lege, *ego vero illud faciam;* nam quo tempore id apud se reputabat, nil fecerat, unde et addit: ‘Dum hæc mecum reputo,’ &c. Dein, quomodo ille nugator inferius ab altero peteret, *quid tum postea?* jam ipsam rem dixisset. *Faber.*

44 *Dum hæc mecum reputo, accersitur lavatum*] Servavit ordinem nuptiarum: et proprio verbo quasi de nuptura dixit. *Donatus.*

Hæc dum mecum reputo] Scribe ob metrum, *Dum hæc mecum, &c.* Sic in optimis editionibus. *Faber.*

Accersitur] Ut alibi, ‘Quam mox virginem accersant.’ Nam ipse illam est habiturus uxorem. *Donatus.*

Dum hæc mecum reputo] Mendosa est *Donati* annotatio: ‘Hic ostendit, non sibi primum hæc nunc in mentem venisse, sed tunc etiam cogitata, cum nondum esset in domo meretricis.’ et quando fuit ante in domo meretricis, quam nunquam viderat, aut ubi habitaret, norat? sicut docent quæ præcesserunt. Lege ergo: *cum non* (aut *nondum*) *esset in domo meretricis.* Bœclerus.

45 *It, lavit, redit*] Συντομία, qua solet, utitur. *Donatus.*

Deinde illam in lecto illæ collocant] Vide an aliquid deest legitimis nuptiis: nam et ipsum verbum *collocant* proprium est, et adscribitur pronubis. *Idem.*

In lecto, &c.] A balneis in lectum se recipere moris erat, ut se reficerent a lassitudine et sudore. *Farn.*

46 *Sto expectans, siquid mihi imperent*] Ἐνέργεια. Non enim dixit *stabam. Expectans*, desiderans. Et mire omne tempus executus est salva veritate, in qua Virgilius negligens invenitur: cum post occisum Mezentium, non facta noctis mentione, statim intulit, ‘Oceanum interea surgens aurora reliquit.’ *Donatus.*

47 *Cape hoc flabellum*] Præclare non sensum, sed verba ipsa per *μίμησιν* induxit, per quam puellaris error exprimitur. *Idem.*

Cape hoc flabellum, et ventulum huic sic facito] Quam particulatim, cum qua diligentia et δεικτικῶς jubet, quasi novitio et imperito? *Idem.*

Ventulum huic sic facito, dum lavamur] Demonstrativum, et gestu explicandum. *Idem.*

Et ventulum huic] Conjunctio *et* non est in antiquis libris, Bembino et Victoriano; quæ et majore gratia abest. *Faërnus.*

Ventulum huic sic facito] Vide Scaligeri annotationem in Conjectan. Varron. de phrasi; de re ipsa Casaub. ad Sueton. 82. ubi copiose mos ille *ventilandi* explicatur. *Bœclerus.*

Flabellum, &c.] Cujus usus erat, ut astans aliquis ventulum faceret; simul refrigerandi caussa et abigendorum culicum et muscarum. *Παρὰ βόστρυχον αὔραν, αὔραν, Ἑλένας, Ἑλένας, εὐπαγεῖ κύκλῳ πτερίνῳ πρὸ παρηΐδος αΐσσων.* Eurip. Orest. *Farnabius.*

48 *Ubi nos laverimus*] Vide usum verbi tam cito variatum, ‘Dum lavamur:’ et ‘Ubi laverimus.’ *Donatus.*

Si voles, lavato] Quasi satisfacientis est, cum solum illum relinquant cum virgine. *Idem.*

Accipio tristis] Id est, tristi similis: ut, ‘Namque ut conspectu in medio turbatus inermis Constitit.’ *Idem.*

Accipio tristis] Bene *Tristis*, tanquam aliud magis vellet, hoc est, lavare, aut ludere: metuit enim ne quod cupit, prodatur gaudio. *Idem.*

49 *Os tuum impudens*] Licet jocanti et amico convitium jocunde facere. *Idem.*

50 *Qui esset status*] *Statura* corpori adscribitur: *Status* ad habitum refertur. Ergo *status* est σχῆμα: *statura*, longitudo corporis. *Idem.*

Te asinum tantum] Quia hoc ministerium delicatorum servorum est. *Idem.*

51 *Omnes proruunt se*] Verbo neutrali quasi activo usus est. *Idem.*

Proruunt se] Sic Adelph. act. III. sc. 2. 'ceteros ruerem.' Active. *Farnabius.*

52 *Ubi absunt*] *Ubi*, et temporis et loci potest esse. *Donatus.*

53 *Interea somnus virginem opprimit*] Utpote compressam somno, et oblectatam flabello, atque ab Eunucho nihil metuentem. *Idem.*

Ego limis specto] *Limis*, si nominativus singularis est, transversus significat: si septimus pluralis, deest *oculis.* Nam *limis*, est transversus: unde *limen* dicitur quoque, quod ingredientibus exeuntibusque transversum est. Quum igitur dissimulant homines se videre quod vident, et non recta facie, sed transversa intuentur, *limis* dicuntur *aspicere.* Id.

Limis specto] Cum *limi* dicantur obliqui generaliter, hoc tamen de oculis dicitur. *Idem.*

Ego limis specto] Subaudi *oculis.* non quidem *conjunctis ad flabellum*, ut aliqui apud Eugraphium explicant; sed *paululum tortis*, ut alii melius, quos *limos oculos* amatoribus vindicat Lindenbrogius ad h. l. *Bæclerus.*

Limis specto] Ex obliquo, transversa tuentibus oculis, et limis. *Farnabius.*

54 *Sic per flabellum clanculum*] *Sic* δεικτικὸν est, et necessario additum. nam et *limis*, et *per flabellum*, sine demonstratione parum intelligitur. *Donatus.*

55 *Pessulum ostio obdo*] Scilicet ut amoveret arceretque auxilium Virginis. *Idem.*

56 *Quid tum fatue*] Quid enim præter vitium superest, ubi amator est adolescens, et virgo dormiens et inclusa? Grate explicata narratio est, quam audientis curiositas finit, et cujus in extrema parte major attentio est. *Idem.*

Quid tum fatue] Antiqui libri bis habent, *quid;* quæ particula geminata necessaria et versui videtur et sensui: interrogat enim Chærea Antiphonem, cur *quid tum* interrogarit, qui per se ipse poterat quid secutum esset, conjicere. lege ergo hoc modo: *Quid, quid tum? fatue.* quasi dicat, quid sibi vult tuum istud, quid tum? *Faërnus.*

Fateor] Me fatuum qui hoc quæsierim, subauditur. *Donatus.*

An ego occasionem mihi ostentatam tantam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam, amitterem] Vide quanta dixerit: non voluntatem, sed occasionem: non animadversam, sed ostentatam: non hanc, sed tantam: non angustam, sed brevem: non appetitam, sed optatam: non repentinam, sed insperatam. Et bene *insperatam:* aliud enim sibi promiserat; ut supra diximus, non quod pictura occasioque persuasit. *Idem.*

58 *Tum pol ego is, &c.*] Eunuchus scil. *Idem.*

Qui simulabar] Id est, Eunuchus. *Farnabius.*

59 *Sane hercle ut dicis*] Deest, *ita est.* Donatus.

Sed interim de symbolis quid actum est] Bene memor est personæ, quam induxit Poëta, per hanc interrogationem. *Idem.*

Sed interim de symbolis] Παροιμιῶδες, ἀλλὰ περὶ τοῦ χοιριδίου. *Idem.*

60 *Frugi es*] Utilis et necessarius: ut fruges humano generi. *Frugi* est ergo, in quo est aliquid quo fruamur, id est, utamur. *Idem.*

Ubi? domine] Satisne inepte hic nonnemo dubitat in hunc modum? 'Mirum est, Antiphonem quærere de symbolæ loco, cum scena præcedenti dixisset, locum constitutum. quare Chærea mutasse locum debuit, quod vacare iis mandandis non posset, quæ domi facto opus fuissent, et ea liberto Disco commisisse.' Mirum certe foret, Antiphonem non quærere de loco, cum scena præcedente dixisset; 'quo in loco dictum est, parati nihil est.' Quando ergo nunc Chærea dicit, *paratum* esse, necesse fuit alio loco paratum intelligeret Antipho, quam in eo, qui *constitutus* ab initio fuerat, et in quo *nihil parati* viderat, cum inde jam veniret. *Bæclerus.*

61 *Sed tanto ocius properemus*] *Properemus* dixit, pro ambulemus. *Donat.*

Muta vestem] Hæc οἰκονομία est ad id, quod in domum Thaidis rediturus est Chærea. *Idem.*

62 *Ubi mutem*] Vultu ostendit, quod subaudiatur *nescio.* Idem.

Nam domo exulo] Deest *Prope*, aut *Veluti:* ut sit, Prope jam exulo. *Exulo* duobus modis dicitur: et de loco in quo exul est, et de loco ex quo ejectus est. *Idem.*

Nunc metuo fratrem] Causas ostendit, cur domo penitus veluti exulet. *Idem.*

63 *Pater ne rure redierit*] Præparatur jam interventus senis: et est ζεῦγμα ad superiora, nam et hic *metuo* est subaudiendum. *Idem.*

62. 63 *Metuo fratrem Ne intus sit: porro autem pater ne rure redierit jam*] Nam ad fratris injuriam pertinebat hoc facinus, quasi is pro Eunucho adolescentem subornare, eaque re illudere muneris specie Thaidi voluisset. Patrem autem indicium variæ vestis ad vestigia sceleris inquirendi deducturum erat. Utrumque προοικονομεῖται ad ea, quæ sequuntur. *Bæclerus.*

64 *Ibi proximum est*] Hoc est domus mea. *Donatus.*

Recte dicis. Eamus] Ipsa verba quodammodo festinationem sonant. *Idem.*

65 *Quo pacto porro*] *Porro*, postea, deinceps. *Idem.*

ACTUS IV.

Scena i. Hæc quoque satura est, e Trochaicis et Iambicis octonariis acatalecticis et catalecticis, et Senariis. vs. 3. Mss. nostri duo omittunt τὸ *Chremes.* vs. 4. omnes ut ed. vs. 8. omnes, *incipit.* unus præmittit *illico.* vs. 12. duo: *miles tendere in jurgium.* vs. 14. unus: *signum.* Bæclerus.

Ita me DI bene ament] *Ea persona quæsita est, quæ terribilem credat militem: ut eo magis in experiendo vanus ac ridiculus esse possit.* Donatus.

1 *Ita me DI bene ament*] Hoc loco quid post scenam gestum sit, hoc est, in convivio militis, ancilla demonstrat: ut jam quæ in proscenio agantur, ex his possimus agnoscere. *Idem.*

Ita me dii bene ament] In contextu libri Bembini et in aliis plerisque J. s. Terentii et Donati, non est dictio, *bene.* utroque modo versus est trochaicus acatalecticus, sequens vero catalecticus: tertius est octonarius iambicus: quartus trochaicus tetrameter acatalecticus, correpta priore syllaba in dictione, *illum*, et *ille*, per elisionem unius l. quintus et sextus generis ejusdem: reliqui trochaici catalectici. *Faërnus.*

Ita me dii ament, &c.] Ad narrandum, quæ in convivio militis gesta sunt, inducitur persona, 'Quæ terribilem,' &c. quod bene Donatus annotat. *Bæclerus.*

Quantum ego illum vidi] Metus ob oculos ponit ea, unde metuitur. ancilla hæc terribilem sibi accidisse militis vultum gestumque recordatur, indeque ex jurgii ferocia, turbam; ex turba vim, muliebriter progressa

metuendo ominatur. itaque mira vis et copia est in verbis: 'Ne quam ille hodie insanus turbam faciat aut vim Thaidi.' *Idem.*

Ne quam ille hodie insanus] *Illum*, et *Ille insanus*, sic effertur, ut omnibus insuavis miles esse noscatur. *Donatus.*

Ille hodie, &c.] Thraso, importunus, insuavis, furiosus, propter Chremetem, quem sibi rivalem adductum credebat. 'Possem rivalem non ego ferre Jovem:' Tibullus. *Farnabius.*

3 *Nam postquam iste advenit*] Instanter admonet, qui scilicet sit Chremes. *Donatus.*

4 *Militem rogat*] Et hoc quasi de odioso *Militem* dixit, non *Thrasonem.* Idem.

Continuo irasci] Ut rivali. *Idem.*

5 *Neque negare audere*] Ut amicæ poscenti. *Idem.*

Instare ut hominem invitet] Vide impudentiam Meretricis. primum petit ut jubeat eum admitti: postea ut invitet, quod est majus. *Idem.*

6 *Id faciebat retinendi illius causa*] Admonet spectatorem, ne existimet alteri rivali injuriam fieri Phædriæ. Et simul est hic *προπαρασκευὴ* virginis agnoscendæ. *Idem.*

8 *Invitat tristis*] *Tristis*, invitus, non libenter. Ut e contrario Virgilius, 'Vobis lætus ego hunc candentem in littore taurum Constituam ante aras, voti reus.' Et, 'Accipio tristis,' eodem modo. *Idem.*

Mansit ibi] Adolescens scilicet. Et *Mansit* pro remoratus est. id est, accubuit, nec recessit, *mansit* significat. Simile est, *Mansit*, passus est. Sic *Chremes mansit*, immoratus est, conviva necessitate discessit, accipiendus est. *Idem.*

Sermonem occipit] *Sermonem*, colloquium dicit. *Idem.*

9 *Adductum æmulum*] Plus dixit *Adductum*, quam *Admissum*: et simul quia videbat furibundum Chremem, et totum crimen revocat ad Thaidem. Et hæc est causa, cur a Milite in ejus domo nullam rixam patiatur Chremes. *Idem.*

10 *Huic ægre*] Huic Thaidi, non adducto. *Idem.*

Heus, inquit, puer] Hic ostenditur, quod supra apparatum est. *Idem.*

Pamphilam accerse] Non *provoca*, sed *accerse*: quia non est aptum militi. *Idem.*

11 *Ut delectet hic nos*] Quasi dicat, quod hæc non facit. Sed delectare, fidicinæ est: quia supra de illa dixerat, 'Et fidibus scire.' Et bene *hic*, quasi insuaviter nunc tractemur. *Id.*

Illa exclamat] Non *respondit*, inquit: sed *exclamat.* Idem.

Minime gentium] Hoc magis mirum, *minime gentium*, quam *nusquam gentium.* Idem.

12 *In convivium illam*] Ἐμφατικῶς. ut *Cantando tu illam?* Idem.

Illam] Deest, *accersas*: et est figura ἀποσιώπησις. *Idem.*

Tun' in, &c.] Cic. accusatione in Verrem: 'Quæso, inquit Rubrius, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro vocari jubes? tum ille negavit moris esse Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres.' Demosth. idem in oratione de Pyrrhi cujusdam hæreditate. Item Varro apud Nonium, v. Acerbum, 'Virgo de convivio abdicatur ideo, quod majores nostri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt.' *Farnabius.*

Miles tendere] Proprie dixit *tendere.* quod significat pertinacem contentionem. Virgilius, 'Vasto certamine tendunt.' *Donatus.*

Inde ad jurgium] Subauditur, *ventum est.* Idem.

Miles tendere. inde ad jurgium] Ita Donatus distinguit, et explicat: *scilicet, ventum est.* Bœclerus.

13 *Interea aurum sibi clam mulier demit*] Ne aurum pro virgine, quod retinebat, amitteret: vel *aurum demit*, ut esset ad fugam expeditior, vel ad

rixam. Et opportune mulierem dixit, non *Thaidem*: ut ostenderet malitiam sexus. *Donatus.*

Interea aurum sibi clam demit mulier] Quam rem agit Donatus, cum annotat: 'Ne aurum pro virgine, quod retinebat amitteret.' quid illud *aurum pro virgine?* nugæ. nihil certius, quam aurea ornamenta meretricis intelligi. neque est quod timeat hic aliquis, ne legi Atticæ vis fiat, qua cautum erat: *ἑταίρα χρυσεῖα εἰ φοροίη, δημόσια ἔστω.* a quo metu etiam Petitus se non potuit expedire. Auro ornatas meretrices Atticas, non hic tantum, sed in Plauto, et alibi, legimus. Quid illustrius loco accuratissimi Pollucis IV. 19. 5. ubi de personis comicis agit? describitur, in genere meretricum, *διάχρυσος ἑταίρα, πολὺν ἔχουσα τὸν χρυσὸν ἐπὶ τῇ κόμῃ.* 'Deaurata meretrix, quæ multum auri in capite gestat.' Videmus ergo non omnem auri usum meretricibus lege illa ademtum esse. quod et Cicero disertis verbis monuit, quando Latine ita interpretatur (II. de Inventione 40.): 'Meretrix coronam auream ne habeto: si habuerit, publica esto.' De corona sermo est, non de quibusvis aureis ornamentis. Inter ornamenta enim capitis in mundo muliebri Pollux (lib. V. cap. 16.) etiam recenset *τὴν στεφάνην*: tandemque addit fuisse ea omnia *χρυσᾶ καὶ ἐπίχρυσα.* quæ res expectari debuit ab Octavio Ferrario, cum de Re Vestiaria lib. III. cap. 23. etiam de vestitu meretricio agit. sed altum ibi de his silentium. quærit equidem, an meretricibus aurum et gemmas gestare licuerit. sed non distinguuntur postea, quæ Græci quæ Romani moris fuerunt. si enim de Romanis tantum agere voluit, quis jocus erit Plauti meretricibus, quæ, ex fabulis palliatis, Græcæ sunt? sin Græca quoque complecti visum, est, qui potuit omitti illa lex Attica? Locus Apuleii Milesiæ secundæ principio, ad Romanos, de quibus potissimum Ferrarius agit, non pertinet; neque aurum omnino matronis proprium facit, sed certum auri gestamen. 'Aurum,' inquit, 'in genis et in tunicis, ibi inflexum, hic intextum, matronam profecto confitebatur.' *Bœclerus.*

Aurum sibi, &c.] Aurea ornamenta, quibus in convivio et domi utebatur, non tamen ausa in publicum prodire auro ornata. lege quippe Athenis cautum: Ἑταίρα χρυσία εἰ φοροίη, δημοσία ἔστω. *Farnabius.*

14 *Hoc est signi, ubi primum poterit*] Ad quam rem *signi?* Utrum; 'Hoc est signi, quamobrem metuam ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi?' An, 'Hoc est signi, unde scio quod, ubi primum poterit, se illinc subducet?' Erit igitur subaudiendum sic, *unde* et *quod*: ut sit, Unde scio, quod ubi primum poterit. *Donatus.*

SCENA II. Senarii sunt. vs. 1. Mss. duo habent *ego* pro *egomet*. vs. 4. omnes: *dum hæc reputo.* vs. 11. unus: *nec videndi quidem erit.* et ita legisse videtur Eugraphius. vss. 12. 13. duo: *certe extrema linea amoris haud nihil est.* vs. 14. omnes: *sed quid hoc est quod tim.* Bœclerus.

Dum rus eo, cœpi egomet] *Hic nunc causa narratur, cur statim in urbem redeat Phædria, qui discesserat abfuturus biduum, ad tollendum jurgium militis, et importune redit.* Donatus.

1 *Dum rus eo*] Jam tempus est revocandi in scenam Phædriam, postquam acta sunt omnia, quæ illius absentiam desiderabant. *Idem.*

Dum rus eo] Reducit Phædriam morbus, quem ante Poëta signavit, nihilo saniorem, nisi quatenus perturbatio theatri ad alias cogitationes adventantem convertit. Narratio est in hac scena et deliberatio vere *παθητικὴ*, oratione, gestu, ratiocinatione conspicua; et quæ magna pars decori est, argumenti ergo interrupta. Vide nunc, an impleatur lucta, quam

supra denotaverat: 'Et tædet, et amore ardeo: et prudens, sciens Vivus vidensque pereo: nec quid agam scio.' Jam intervalla illa; quo rapuit curarum et solicitudinis impetus: 'Præterii imprudens villam:' quo revocavit memoria capti tanto apparatu consilii: 'Ubi ad ipsum veni diverticulum, constiti:' quo cupiditas desiderio incitata retraxit: 'villam prætereo sciens:' quantum habent vel *ἐνεργείας*, vel evidentiæ vel affectus? *Bœclerus.*

Cœpi egomet mecum] Ordo, cœpi aliam rem ex alia re cogitare. *Donat.*

Inter vias] Figurate et nove *inter vias.* Idem.

3 *Et ea omnia in pejorem partem*] Utrum subaudiatur, cogitare? an, ibant, aut vergebant, aut quid tale? *Idem.*

4 *Dum hæc puto*] Id est, existimo. ut Virgilius, 'Multa putans, sortemque animi miseratus iniquam.' Et est *ἀφαίρεσις* pro reputo. *Putamus* enim instantia: *Reputamus* præterita. *Idem.*

7 *Ubi ad ipsum veni diverticulum*] *Diverticulum* est, ubi iter de via flectitur. et proprie *diverticula* dicuntur in via domicilia, ad quæ de itinere divertendum sit. *Idem.*

Constiti] Plus est nunc scientem stetisse, quam præteriisse nescientem. *Idem.*

8 *Hem, biduum hic manendum est*] Interjectio laborantis animi. *Biduum* sic pronuntia, ut longum nimiumque tempus. Tum deinde *hic*, tanquam in loco solo atque tristi. *Idem.*

9 *Soli sine illa*] Aut sine alio oblectamento? *Idem.*

Sine illa] Satis amatorie. *Idem.*

Sine illa] Jam causa est, cur biduum gravetur loco tristi, cur solatium conquirendum. Sunt autem qui idem putent, *soli esse*, et *sine illa*: ut *sine illa ἐξήγησις* ejus sit, quod dixerat, *Soli.* Idem.

10 *Nihil est: quid nihil*] Amantium disputationes intermiscent quædam consilia sanæ mentis, quæ tamen statim resurgentis amoris sævitia devincuntur. *Idem.*

11 *Eho, ne videndi quidem erit*] *Eho,* ridicule additum: tanquam omnino non secum loquatur, sed cum altero. *Idem.*

Si illud non licet, saltem hoc licebit] Bene bis dictum *licet, licebit:* quasi de re magna loquatur. totum ergo amatorie. *Idem.*

12 *Certe extrema linea*] Et hoc recte: quia quinque lineæ perfectæ sunt ad amorem. prima visus, secunda loqui, tertia tactus, quarta osculari, quinta coitus. An sic dixit *extrema linea*, quemadmodum dicitur *longis lineis quid fieri?* Id est, de longinquo. *Id.*

Extrema linea] Hic multa multi dixere. Bulengerus, Lipsius, Salmasius, at Donatus omnium pessime, Bergius optime. Ad confirmationem opinionis illius quam habet, afferre possum locum hunc ex D. Augustino lib. II. de Civitate Dei cap. 21. 'Nostra vero ætas cum rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed evanescentem vetustate, non modo eam coloribus iisdem quibus fuerat, renovare neglexit, sed ne id quidem curavit, ut formam saltem ejus et extrema tanquam lineamenta servaret.' Locus est egregius et tanto viro dignus. Hoc autem intelligendum de lineis illis, queis figura aliqua informatur. Pictores sciunt me de primo conatu pingentis hoc dicere. *Faber.*

Extrema linea] Post 16. interpretes ariolos qui hic laborant, et a recta linea discedunt, Christianus Becmannus cap. 12. Manuductionis ad Ling. Lat. concludit. Loquitur Phædria de initio amoris, processu, et fine. Initium est *visus*, extrema sc. linea, et terminus a quo; Propert. l. II. Eleg. 15. 'Oculi sunt in amore duces.' Virg. Æneid. I. 'Ardescitque tuendo.' Achilles Tatius lib. I.

ὀφθαλμὸς γὰρ ὁδὸς ἐρωτικῷ τραύματι. Euripid. Hippol. *ἔρως, ἔρως, ὁ κατ' ὀμμάτων στάζεις πόθον.* Sophocl. *ἔρωτος ἀστραπήν τιν' ὀμμάτων ἔχει.* Extrema itaque linea prima illa Visus. processus; 2. Alloquium. 3. Tactus. 4. Osculum. 5. *Συνουσιασμὸς*, qui finis et potissimus, si ita loqui liceat, ut qui potiundi est, et *τέλος σκοπιμώτατον. Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε. τρὶς ὄλβιος, ὅστις ἀκούει. Ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν, ἀθάνατος δ' ὁ συνών.* Antholog. ζ. Interpres hujus loci Ovidius III. lib. Metam. 'Liceat, quod tangere non est, Adspicere, et misero præbere alimenta furori.' *Farnabius.*

13 *Amare haud nihil est*] *Amare* modo frui amore dicit. Plautus in Bacchidibus, 'Prius hic adeo, quam te amare desinam.' Et, 'Sine te amem.' *Donatus.*

Villam prætereo sciens] Sciens quidem, sed non minus amator, quam prius. *Idem.*

14 *Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias*] Ex his verbis persona in scenam veniens, et locutura describitur. et *Timida*, modo ægra, turbata, commota. Plautus, 'Manum ex mari, timide.' Et hic ipse, 'Uxorem,' inquit, 'Philumenam pavitare nescio quid dixerunt.' Timidum aliud naturale, aliud eventu est: ut, 'Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle.' *Idem.*

SCENA III. Satura est, ex Trochaicis et Iambicis octonariis catalecticis et acatalecticis, et Senariis. vs. 1. Mss. meorum unus omittit, *ego.* vs. 4. unus: *capillos.* unus: *capillo concidit.* vs. 8. duo: *quid istuc est?* vs. 11. duo: *Eunuchus.* vs. 19. unus: *de domo.* alter: *a domo.* vs. 20. omnes: *posset.* et vs. 21. *scias.* Bœclerus.

Ubi ego illum] *In hac scena operæ pretium delectationis est spectatoribus ex querela ancillæ Thaidis, atque errore Phædriæ.* Donatus.

1 *Ubi ego illum*] Hoc initio ostenditur tanquam persequentem fugientem, progressam esse personam. *Id.*

Scelerosum] *Scelerosus*, est multorum: *Scelestus*, vel unius. *Scelerosus*, proprie auctor est sceleris: *Sceleratus*, in quo scelus sit constitutum vel commissum. *Idem.*

Scelerosum atque impium] *Scelerosum* in Thaidem, *Impium* in virginem. *Id.*

Ubi ego illum scelerosum misera] Hic et subsequens versus trochaicus est, tetrameter acatalecticus. *Faërnus.*

2 *Audax facinus facere*] *Facinus facere*, figura *ἀρχαϊσμός*. *Donatus.*

Hoc quid sit vereor] Pro duobus unum dixit, scilicet *vereor*, pro, et nescio, et vereor. *Idem.*

3 *Quinetiam insuper*] Accusatio facti. *Idem.*

Scelus] *Αὔξησις.* Plus enim est *scelus*, quam *scelestus.* Ut Lucilius, 'Carcer, vix carcere dignus.' *Idem.*

Postquam ludificatus est virginem] Argumentum ab his quæ sunt post negotium gesta. Et mire, *Postquam ludificatus est*, *Discidit* dixit: cum ille videlicet, dum virgo reluctatur, hoc fecerit. Et mire expressit vitium illatum virgini ab eo quidem, qui vitiare jam posset: sed tamen ejusmodi adolescentulo, cujus propter teneras adhuc vires ad explendam venerem longiore noxa adversus virginem utendum fuit. Nam ideo præter occasionem familiæ discedentis, tempus, locus, et cetera attributa negotio, etiam somnus virginem opprimens, adjuvat Chæream. Et mire *Ludificatus* potius, quam complexus est, tale aliquid, quod amorem indicaret. *Idem.*

Ludificatu', &c.] Contumelia affecit, vitiavit. namque *ὑβρίζειν, καταπαίζειν* sequiori sensu accipi solent. Suetonius in Tiberio. Tacit. XIII. An. *Farnabius.*

4 *Vestem omnem miseræ discidit*] Adeo ut non amore fecerit, sed injuria. Et vide, ut ex his appareat multum virginem reluctatam esse. *Donatus.*

Vestem, &c.] Cum virgo reluctaretur, aut potius, ipsa devirginata præ dolore sibi vestem et comas discidit et laniavit. *Farnabius.*

Tum ipsam capillo conscidit] Multo melius, quam si diceret, 'Capillum illi conscidit.' *Donatus.*

6 *Uti ego unguibus facile illi in oculos involem*] Nonne credis Pythiam id comminari, quod a virgine minus factum sit? quod, quia puella, non potuit. *Idem.*

Unguibus] Quibus armatur hic sexus. *Idem.*

In oculos] Quasi amatori. *Idem.*

Venefico] Mutanti homines, et ex virginibus mulieres facienti. An *venefico*, amatori? quia amor venenum ocultum est. ut Virgil. 'Occultum inspires ignem, fallasque veneno.' Et, 'Longumque bibebat amorem.' *Idem.*

Ut ego unguibus facile illi in oculos involem] Et fœminæ, et ancillæ, et iratæ moribus convenit hic sermo gestusque. 'Involare,' inquit Nonius, 'est irruere, insilire, aut a volatu aut a media vola dictum.' prius verum est. *Bœclerus.*

Venefico] Donatus: 'Mutanti homines, et ex virginibus mulieres facienti. an venefico, amatori? quia amor venenum occultum est.' En acumen Grammaticale! id est, ineptias. quas a Donato esse, quis credat? Notum est, majorum criminum vocabula, sacrilegus, veneficus, impurus, *αὐξητικῶς* ad minora, affectu convitiantium transferri. Recte ergo Eugraphius, *venefico; scelerato; malo.* Idem.

7 *Absente nobis turbatum est domi*] Aut subdistinguendum est, et subaudiendum, *me*, aut *ἀρχαϊσμὸς* figura est, *absente nobis*, pro nobis absentibus. Pomponius, 'Sine ergo istuc, præsente amicis inter cœnam.' Varro in Marcellum, 'Id præsente legatis omnibus, exercitu, pronuntiat.' *Donatus.*

Absente nobis] Cum sic dicit, pro præpositione ponit *Absente*: ac si diceret, Coram amicis. *Idem.*

Absente nobis] Hujus *ἀρχαϊσμοῦ* exempla Donatus congerit. Idem facit Nonius Marcellus cap. II. 660. Plautus Amphitruone II. 2. 194. 'Nec nobis præsente aliquis nisi servus Sosia adfuit.' Importune tamen egerit, qui adverbium ideo fecerit, *τὸ præsente*, cum Becmanno. *Bœclerus.*

Absente nobis] Archaismus, vide Grammaticam nostram, in Synthesi pag. 53. *Farnabius.*

8 *Quid festinas*] Properas, turbaris, et trepidas? Sallustius, 'Festinantibus in summa inopia patribus.' *Donatus.*

9 *Egon' quem quæram*] Deest *rogas.* Idem.

11 *Eunuchum quem dedisti nobis quas turbas dedit*] Aut *ἀντίπτωσις*: ut, 'Urbem quam statuo, vestra est.' Aut *quem* cum interrogatione pronuntiandum, ut sit, *qualem.* Idem.

Eunuchum quem dedisti] Quidam volunt *quem* distinguere: quasi dicat *qualem*: sed nesciunt, hac figura multum veteres usos esse. *Eunuchum* enim ad *dedisti* verbum retulit. Nunc ergo addit propter aliud *ἀξίωμα* assumendum extrinsecus, *is Eunuchus.* Nam quoties uno nomine, aut pronomine diversæ declinationis enuntiationes comprehenduntur, necesse est quod alteri accommodatum fuerit, ab altero discrepare. *Idem.*

Quem dedisti, quas turbas] Et *quem* et *quas* sic accipe, quasi dixerit, *qualem Eunuchum*, et *quales turbas.* Idem.

Eunuchum, &c.] In Gram. nostra vide Ellipsin Relativi pag. 50. *Farnabius.*

12 *Quid ais*] Hoc admirantis est magis, quam interrogantis. *Donatus.*

Virginem, quam eræ dederat dono miles, vitiavit. PH. *quid ais*] *Dono dederat*, est in libro Bembino, et Basilicano: versus autem est trochaicus tetrameter acatalecticus. *Faërnus.*

13 *Temulenta es*] Ebria. a *temeto*, quo nomine antiqui grave vinum appellabant, eo quod tentaret mentem, id est, labefactaret. Virg. 'Tenuisque Lagæos Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.' *Donatus.*

Temulenta es] Ebria: temetum, vinum est merum. *Τὸ μέθυ οἶνος ἄκρατος.* *Farnabius.*

Utinam sic sint, qui mihi male volunt] Bene. non ebriam esse, in maledictum vertit: quasi vero temulentam esse, felicitatis sit. An non negat se esse ebriam, sed non vino, verum malo ebriam vult intelligi? *Donatus.*

Utinam sic sint qui mihi male volunt] Optima sententia, quam Donatus et Guyetus explicant. male reponitur et temere: *utinam sic sit! qui mihi male volunt.* Bœclerus.

Utinam, &c.] 'Istuc inimicis siet.' Heautont. act. v. scen. 3. 'Eveniat nostris hostibus ille pudor.' Ovid. lib. III. Eleg. *Farnabius.*

14 *Mea Pythias*] *Mea*, et *mea tu*, et *amabo*, et alia hujuscemodi, mulieribus apta sunt blandimenta. *Donatus.*

Au obsecro mea Pythias] An egressam, veluti ad fugitivum requirendum Pythiadem, consequitur altera ancilla Dorias; an adhuc in scena substitit, necdum domum ingressa, Pythiadis sermone audito accurrit? debuit autem adesse, ut turba domus, trepidatione familiæ amplius ostendatur Phædriæ. Vultu ergo perturbato hæc loqui intelligitur. illud *mea*, et mox, *mea tu*, familiaris blandimenti sunt, sed hic ex consuetudine perturbationi serviunt inter studiosius requirentes et admirantes. *Bœclerus.*

Quid istucnam monstri fuit] Quippe *monstrum* est omne contra naturam. Si igitur Eunuchus est, et vitiavit virginem, contra rerum naturam factum est, et recte monstrum est. Et ordo est, *Quid istucnam monstri fuit?* Donatus.

15 *Qui istuc facere Eunuchus potuit*] *Istuc facere*, honestius apud puellam, quam si *Vitiare* dixisset: et potest videri aliquid nutu significare. *Idem.*

Qui istuc facere Eunuchus potuit] Iterum castiganda est ineptia, quæ in Donati commentario legitur: '*Istuc facere*, honestius, apud puellam, quam si *vitiare* dixisset.' hactenus bene. quamquam hæc quoque minuta possit videri industria, cum ipsa puella (Pythias) modo dixerit: 'virginem vitiavit.' sed quod sequitur, 'et potest videri aliquid nutu significare,' quam est *περίεργον*? *Bœclerus.*

Ego illum nescio qui fuerit] *Σύλληψις.* Bene vitavit Eunuchi nomen, ut vitiasse Virginem obtinere possit. *Donatus.*

16 *Hoc quod fecit, res ipsa indicat*] Bene et expedite argumenta conjecturæ colligit. conferendus est similis locus Adelph. III. 4. 32. &c. egregie autem signatur virginis imminutæ *πάθος.* *Bœclerus.*

17 *Virgo ipsa lacrumat*] Nunc ostendit quid fecerit, et ostendit argumentis. *Donatus.*

Neque cum rogites, quid sit, audet dicere] Quod si verberata esset? sed non puderet queri. Hæc autem injuria apud Virginem non habet nomen. *Idem.*

18 *Bonus vir*] *Εἰρωνικῶς.* non enim jam Eunuchus. Bene igitur *vir*: quia hoc illum esse contendit. *Idem.*

Nusquam apparet] Nescias utrum fuga ejus quæratur, an culpa. sed constat, hæc argumenta esse, quod ipse virginem vitiaverit. *Idem.*

Etiam hoc misera suspicor] Bene *etiam*: quia et hoc suspicatur, virginem vitiatam. *Idem.*

Etiam hoc misera suspicor] Adhuc tanquam de servo fugitivo loquitur; qui fugam plerumque cum furto conjungebant, sicut expressit Noster Phormione I. 4. 13. 14. suspicatur autem hoc Pythias ex ancillis Thaidis promtior, et ad rem familiarem attentior, et cui Thais domo digressa omnia curanda commendaverat. *Bœclerus.*

19 *Nequeo mirari satis*] Bene hic omnes suspiciones ad Eunuchum, quem novit, revocat: nescit Chæream siquidem hunc esse. Et mira locutio, pro eo quod est, *nescio*. Donatus.

20 *Ignavus*] Al. *ignarus*, hospes sc. viarum ignarus. *Farnabius.*

21 *Vise amabo num sit*] *Domi* subaudiendum est: aut, 'Num sit quod dicis.' *Donatus.*

24 *Sed nihil potesse*] Ut voluntatis rei sint, non etiam facti. *Idem.*

Sed nihil potesse] Jul. C. Scalig. exerc. 275. coëunt, inquit, sed nihil emittunt. Juvenal. Sat. VI. 'Sunt quas Eunuchi imbelles,' &c. Martial. l. VI. Ep. 39. et 62. Aphrodisæus l. I. Problem. Philostrat. l. I. c. 23. Hieron. Epist. ad Lætam. *Farnabius.*

Verum miseræ non in mentem venerat] Non, nihil posse eos, sed amatores esse maximos. Ad partem enim sententiæ pertinet quod dicit, *Non in mentem venerat:* non ad totum quod audivisset dudum. Etiam nisi penitus negative consideraveris, controversia inerit. Si enim nihil posse andieras, quid est quod in mentem non venerit ut vitares? utrum igitur amatores mulierum esse maximos audieras? quod ipsum vitandum fuit. Neque enim hoc satis est ad pudicitiam, stuprum vitasse, cum impudica fieri vel solo osculo possit, quam omnino integram et illibatam velis. An *Verum* non erit conjunctio, sed nomen? ut illud quasi falsum audierit. hoc autem, quod verum inventum est, non ipsa suspicata sit. Nam *in mentem venire*, non reminisci tantum, sed etiam cogitare significat. Sic Cicero, 'In mentem tibi non venit, causam publicam sustinere,' id est, non cogitas, non suspicaris. *Donatus.*

Verum miseræ] Si *verum* pro conjunctione accipimus, subaudiendum erit, *amatores mulierum eos esse maximos.* Idem.

In mentem non venerat] Non quod audieram: sed, quod hic fecit. An non aliud in mentem venerat? non scilicet facturum fuisse quod fecit. *Idem.*

Non in mentem venerat] Aut non erat cogitatum: aut non eram recordata. *Idem.*

Verum miseræ non in mentem ven.] Egregie nugantur, qui *verum* hic pro *veritate* accipiunt; 'Quasi illud,' &c. apud Donatum, ubi clara sententia misere intricatur. *Bœclerus.*

25 *Nam illum aliquo conclusissem*] Mire *Conclusissem* dixit, ut sævam feram. sic alibi: 'Conclusam hic habeo uxorem sævam.' *Donatus.*

Neque illi commisissem virginem] Si vel amatorem tantum meminissem. *Idem.*

SCENA IV. Iambicis Senariis et Trochaicis septenariis constat hæc scena. vs. 2. fine, Argentoratensis codex, *eho:* nostri Mss. *ah.* vs. 4. unus: *mutatio est.* vs. 8. duo: *istuc pol non bene.* unus addit, *factum.* vs. 13. unus: *nam alium habuit neminem.* vs. 17. omnes: *nunc eo tibi videtur f.* et vs. 18. *paululum.* vs. 21. unus: *hic est vetus, incurvus, vetern.* vs. 24. unus: *eho tu, ego emi te.* vs. 27. omnes: *hoc mihi nunc expedi.* vs. 35. duo: *jamne satis cr.* vs. 40. duo: *et eam est indutus.* vs. 47. omnes: *intro*, omittentes, *nunc jam.* vs. 54. duo: *quod scias nescis.* tertius: *quod scias nescias.* vs. 55. omnes: *ab omni turba.* Bœclerus.

1 *Exi foras sceleste*] Jocundus error, in quo non dubitet Phædria ipsum esse qui quæritur: verum insuper sic aggreditur, tanquam sit ipse. *Donatus.*

Sceleste] Quale est scelestum appellari, qui nihil sciat? *Idem.*

Restitas] Necessario restitat, qui miratur se protrahi. *Idem.*

2 *Fugitive*] Et scelestum et fugitivum increpat, in hunc crimen transferens Chæreæ. *Idem.*

Male conciliate] Oportune adolescens hic exprobrat munus magno emptum. *Male*, magno significat, ut Plautus in Amphitryone, 'Hæc nox scita est exercendo scorto conducto male.' Ergo *Male conciliate*, magno empte significat. nam omnis conventio, *conciliatio* nominatur. *Conciliatum* ergo, magno emptum. *Idem.*

Prodi, male conciliate] Vide Chrestomath. voc. Concil. Imitatio est Plautina, ex Pseudol. I. 2. 1. 'Exite, agite, ite ignavi, male conciliati.' *Bœclerus.*

Male conciliate] Maximo meo dispendio empte. Omnis conventio conciliatio est. *Farnabius.*

3 *Os ut sibi distorsit*] Et hic memor adolescens insinuandi muneris, dicit illum sibi os distorsisse, qui natura sit pulcher. *Os* autem dicimus illi *distorquere*, quem natura pulchrum deturpamus. *Donatus.*

Illud vide, os ut sibi distorsit] Ita enim distinguendum est. Ita Plautus: 'Illuc sis vide, ut incedit.' Aulul. I. 1. 7. nam et ibi verissima hæc distinctio est. *Bœclerus.*

4 *Quid huc reditio est*] Eleganter ei reditio objicitur, qui revera loco se non moverit. *Donatus.*

Quid huc reditio] Interponendum post *huc*, pronomen *tibi*, ut in Donato et libro Bembino est: *Quid huc tibi reditio'st.* et versus stabit, eliso d ex *quid.* Quod vero sequitur, *quid vestis mutatio est*, ab omnibus antiquis exemplaribus, præter Bembinum, abest verbum *est.* quod nec necessarium est. nam a superiore repetitur. *Faërnus.*

Quid huc reditio est] Ἀρχαϊσμοῦ exempla et Donatus affert, et alii sæpe. *Bœclerus.*

Quid huc reditio est] Quid sibi vult tua huc reditio? Periphrasis per Verbalia Comicis usitata. 'Quid tibi accessio est ad has ædes prope aut Pulsatio.' Plaut. Trucul. act. II. sc. 2. et alibi frequens. *Farnabius.*

Quid vestis mutatio est] Sic veteres. Plautus in Trinummo, 'Quid tibi interpellatio, aut in consilium huc accessio est?' Cæcilius ἁρπαζομένῃ, 'Quid tibi aucupatio est argumentum, aut de meo amore verbificatio est patri?' *Donatus.*

Quid vestis, &c.] Nam liberi vestem habebat, utpote Chæreæ: servi vero atque Eunuchi deposuerat. *Idem.*

5 *Paululum si cessassem, Pythias*] Familiare est iratis, avertere se ad aliam personam ab ea, in quam commoveantur. *Idem.*

6 *Ita jam adornabat fugam*] Ut supra, 'Adornant ut lavet.' *Idem.*

Ita jam ornabat fugam] Omnes alii libri et Donatus, *adornabat.* solus Bembinus, quem ut antiquissimum sequimur, *ornarat.* Basilicanus *adornarat.* præterea in eodem Bembino legitur, *factum bene*, sine interjectïone *o.* Faërnus.

Ornabat fugam] Parabat, ut, 'ornare nuptias, convivium, exercitum.' et supra act. III. sc. 5. 'adornant ut lavet.' *Farnabius.*

7 *Habesne hominem amabo*] Hæc omnia Pythias, cernens Eunuchum, loquitur. id enim erit jocundum, ut quærat illum quem videt. *Donatus.*

Quid ni habeam] *Quid ni*, quid nisi? hoc est, cur non habeam? *Idem.*

8 *Ubi est*] *Dorum* contemplata, dicit *Ubi est?* quia non ipsum, sed alterum novit. *Idem.*

Rogitas? non vides] Stomachatur uterque errans mirifice: illa, quod Eunuchum credidit, Chæream videns: hic quod Eunucho objecit, quod commisit Chærea. *Idem.*

9 *Hunc scilicet*] Hoc jam, tangens Eunuchum, dicit Phædria. *Idem.*

10 *Hunc oculis suis nostrarum numquam quisquam vidit*] Ἀρχαϊσμὸς est figura, pro *nostrum;* vel *nostrarum*, id est, quæ familiæ nostræ sunt: ut parum sit non vidisse Thaidem, nisi addatur, ne familiarium quidem ullam esse, quæ hunc viderit. *Idem.*

Hunc oculis suis nostrarum numq. quisquam v.] Priscianus lib. XIII. ita citat: 'Hunc oculis nostrarum quis-

quam non vidit, Phædria.' *Bœclerus.*

Nostrarum, &c.] Nostræ familiæ nulla. *Quisquam* in fœmineo usurpata, archaice. Plaut. Rud. act. IV. sc. 4. Cistel. II. 3. Pers. IV. 3. *Farnabius.*

11 *Quisquam*] Antiqua locutio est. *Donatus.*

12 *Non vidit*] Totidem, iisdemque verbis repetit. Et interrogatio stuporem admirantis ostendit, et jam veluti consentientis. *Idem.*

13 *Namque alium habui neminem*] Bene ad illud quod ait, *An tu hunc:* quasi ex multis. *Idem.*

14 *Au! nec comparandus hic quidem est*] *Au* interjectio est conturbatæ fœminæ, nec constantis sibi. *Idem.*

Ille erat honesta facie et liberali] Τῷ ἰδιωτισμῷ, *erat*, quasi de mortuo, aut qui non est, scilicet Thaidi, quia fugit. *Idem.*

15 *Honesta facie et liberali*] Commode descriptus est Chærea. *Idem.*

Honesta facie, &c.] Miles supra act. III. sc. 2. 'Ita me dii ament, honestus est.' *Farnabius.*

16 *Quia varia veste indutus fuit*] Eugraphius: 'Eunuchi veste utebantur versicolore, ut multis coloribus texta fulgerent.' proprie ergo locutus est Poëta, nam 'Varietas quidem proprie in disparibus coloribus dicitur: sed transfertur in multa disparia,' inquit Cicero II. de Fin. 3. Vide, quæ Cl. Salmasius ad Vopisci Aurelianum notavit de paragandis. *Bœcl.*

Quia varia, &c.] Variegata, coloribus aut liciis versicolori cujusmodi veste ornabantur Eunuchi, ut multis coloribus texta fulgerent. *Farnabius.*

17 *Nunc eo tibi videtur fœdus*] Facete, *fœdus videtur*, non est enim. *Donatus.*

18 *Tace obsecro*] Apte dictum est *Tace*, fœmineo stomacho, quasi impudenter assistenti formæ improbæ, et argumenta inaniter pertinaciterque invocanti. *Idem.*

Tace obsecro] De consuetudine dictum est *Tace*. et bene additur *Obsecro:* ne *Tace* ipsum videatur injuria. *Idem.*

20 *Quem tu vero videre velles, Phædria*] Commota adversus Phædriam, cogitur eum laudare, cui irata est: et ideo totum callide. *Idem.*

Quem tu vero videre] Facete, quasi nec hunc, nec ipsum qui misit, conspectum velit. *Idem.*

Quem tu] *Quem*, talem. et breviter ejus forma laudata est: cum prolixius illius sit describenda deformitas. *Idem.*

Quem tu vero videre] *Vero*, Pulchre. Pulcher enim est, cujus forma nec odium, nec convitium commeruit. Lucilius in Satyra Athymnidis * 'Ex facie florem delegeris.' *Idem.*

Quem tu videre] Quare *tu*, an quia iste jam non velit videre, iratus scilicet ob vitiatam virginem? An *tu*? quasi spectator elegans formarum, et qui amator sis Thaidis? *Idem.*

21 *Hic est vetus, vietus, veternosus, senex*] Sic hoc totum pronuntiandum, quasi irascatur huic, propter quem laudaverit Chæream. *Idem.*

Vietus] Mollis, flaccidusque, et flexibilis corpore. unde et *vimina*, et *vites*, et *vietores* dicuntur. et *viere*, religare dicitur: quia vietis virgis magis religare possumus quidlibet. Lucretius *araneæ* dixit *vietam vestem*, id est, putri mollitia præditam. *Vetus*, ad vituperationem modo, non ad laudem ponitur: ut, 'Veteris Poëtæ maledictis respondeat.' *Vetus* est, cujus diminutivum est *vetulus*. Idem.

Veternosus] Morbo vetere confectus, id est, veterno: quales sunt qui hydropem patiuntur. Et recte. Nam sæpe Eunuchi in senecta veternosi fiunt; et cito hoc laborant morbo. *Idem.*

Senex] Ex morbo ægritudineque rugosus. *Idem.*

Senex] Utrum senex? an quia ita videtur ob deformitatem? *Idem.*

Vietus] Incurvus a *vieo*. Farnab.

Veternosus, senex] Veterno laborans, somnolentus, piger. *Idem.*

22 *Colore mustellino*] Erravit Terentius, non intelligens Menandricum illud, οὗτός ἐστιν γαλεώτης γέρων. Ait autem stellionem, animal quod lacertæ non dissimile est, maculoso corio: nempe ad id genus coloris facies exprimitur Eunuchorum corporis, quia plerique lentiginosi sunt. Hinc ergo erravit ideo, quia γαλῆ *Mustella* dicitur, γαλεώτης *Stellio*. Ὡς παρ' Ἀριστοφάνει ἐν νεφέλαις, ἥσθην γαλεώτῃ καταχέσαντι Σωκράτους. Ego Adesionem sequor, qui recte intellexit, Terentium scientem, mustellino colore Eunuchum dixisse coloratum, velut sublivido: quia vere Eunuchi aut ex candidissimis lentiginosi fiunt, ut ex Gallis, et hujusmodi occidentalibus: aut ex fuscis, sublividi, ut ex Armeniis, et aliis orientalibus. *Idem.*

Colore mustellino] Vide Donat. et Guyet. *Bœclerus.*

Mustellino] Menander; οὗτός ἐστι γαλεώτης γέρων. Cur facies lentigine maculosa, ut stellionicorium. Defendit Turnebus Terentium reprehensum, quod *mustellinum* colorem pro *stellionato* vertisset, lib. XII. c. 10. *Farnabius.*

23 *Ut quid egerim, egomet nesciam*] Pro non meminerim, vel non agnoscam. *Donatus.*

24 *Eho tu, anin' ego te*] Miro stomacho quod ipse fecit, id ex alio conatur audire: et donec hæc audiat, an hoc fecerit, dubitat. *Idem.*

Jube mihi denuo respondeat] Hoc est, quod in Rhetoricis Cicero ait, 'Contra firmam argumentationem, aliam æque firmiorem opponimus:' hæc est autem æque firma. *Denuo* autem, ad *respondeat* pertinet, non ad *jube*. Id.

Denuo respondeat] Jube vero, mihi denuo respondeat, intelligendum est. *Idem.*

25 *Roga*] Mire utriusque fiducia confertur, et apud utrumque est veritas, cum uterque fallatur. *Idem.*

Respondeat] PH. *roga.* PY. *venistin hodie ad nos? negat*] Sunt qui septenarium iambicum hunc faciant. nos etiam senarium ut ceteros esse posse arbitramur; contracto per synizesin, *respondeat*, in tres syllabas: at in *roga*, posteriore correpta: ut Martialis: 'In solio puta te Marce lavare caput.' *Faërnus.*

26 *At ille alter venit*] Bene instat, quasi ex parte jam obtinuerit Pythias. *Donatus.*

Annos, &c.] Errare potuit Pythias, vel etiam, per μείωσιν, voluit. neque n. Chærea potuit esse publice custos in Piræo ante annum decimum nonum, vel decimum octavum, minimum, ut dictum supra ad act. II. sc. 2. *Farnabius.*

27 *Age dum, hoc mihi expedi*] Hæc Plautina sunt, cum in iisdem longa sit disputatio: sed mire a Terentio proferuntur ad ejus exemplum, et, quod est plus, carent Plautinis nugis. *Donatus.*

Age dum] *Dum*, παρέλκον est, et adjuvat ex animo loquentem. *Idem.*

Agedum hoc mihi expedi] Donatus: 'Hæc Plautina,' &c. Quantum in plerisque omnibus Plautum vincat Terentius, et meliora imitando faciat, quæ inde transferuntur, alias non parce demonstrabimus. *Bœclerus.*

28 *Taces*] Et recte tacet: quia metuit Chæream. *Donatus.*

29 *Monstrum hominis*] Bene Eunucho dictum est *Monstrum hominis*: hoc est, nec mas, nec fœmina existens. Sic et supra, 'senem mulierem' dixit. *Idem.*

Monstrum, &c.] Bene, de Eunucho; qui neque mas, neque fœmina. *Farnabius.*

30 *Modo*] Nota *modo* aperte pro præterito tempore dictum esse, id est, jamdudum. nam qui vitiaverat virginem, non modo, sed longe ante vestem mutavit cum Eunucho Phædriæ. *Donatus.*

Quamdudum? modo] I. e. 'Jamdudum,' inquit Donatus: 'nam qui vitiaverat,' &c. Sed non opus est, ad vocabulum potius, quam ad mentem respondentis attendere. interrogavit Phædria, *quamdudum?* respondet Eunuchus, non sine tergiversatione, non ita dudum esse. metu Chæreæ scilicet. itaque antea *tacebat*, nolebat nisi adactus loqui. et nunc iterum timide loquitur. *modo*, non definit hic tempus, sed potius vage significat ex affectu respondentis. Bene Gallus interpres hæc παραφράζει: *y a il long temps? il n'y a pas long temps.* Bœclerus.

31 *Quicum*] Præpositio *cum* his dictionibus supponitur, *quicum, nobiscum, vobiscum.* Ceteris vero, ita ut ipsum nomen præscribit, præponitur: ut, *cum amicis, cum exercitu, cum advocatis.* Donatus.

32 *Unde igitur fratrem meum esse sciebas*] Utpote novitius: et eum qui ex Piræo raro discesserit: et longo intervallo εἰς τὸ ἄστυ venerit. Et hæ sunt obliquæ interrogationes, quibus uti oratores videmus, cum derivare testimonium nituntur. Et ideo sic ait Phædria, ut frustretur omnia, quæ confessus est Dorus. vult enim fratri esse consultum. *Donatus.*

Parmeno dicebat eum esse] Prope infirmatum testimonium est. quod enim sic ait, Parmeno dicebat eum esse: falsum esse potest. Et mire sic ait: ut, 'Sola mihi tales casus Cassandra canebat.' Sic autem dicimus, quando non semel quod factum fuerit, sed sæpius demonstramus. *Idem.*

34 *Occidi*] Hoc secum Phædria. non ut Pythias audiret; quam celari vult, quod ipse jam animadvertebat. sed illa promte arripit, quæ ad explicandum errorem in persona faciebant, et arguendo infert: injuriam sibi factam ante, cum temulentam et insanam adeoque mentitam Phædria reprehenderet; rem nunc ipsam loqui, adolescentem pro Eunucho venisse, domuique meretricis et virgini, prætextu doni, per insignem injuriam illusum esse. ibi tum Phædria, cum rerum argumentis urgeretur, assimulata fiducia, testimonii fidem indignitate testis elevat, vultuque ad severitatem composito interrogat iterum, sed contentius, et sperans, Eunuchum, ne perseveraret in illa confessione, absterritum iri. videntur et nutus aliqui accessisse. quibus cum parum pro spe Phædriæ Eunuchus pareret, denuoque Pythias instaret, eo confugit Phædria confusus (et *quid ageret nescius*) ut Eunuchum juberet negare, quæ affirmaverat; et vel sic obtineret, indignum fide esse, qui negaret quod ante asseverasset. hinc, ut quæstioni subjecturus tergiversantem, ceterum quia quod responderi posset in re tam manifesta non haberet, sese amolitur Phædria. *Bœclerus.*

36 *Jam satis credis me esse sobriam*] Quia supra dixit, *Temulenta es:* et quasi gravem injuriam hoc dicto passa sit, memoriter dictum retulit. ut, *En ego victa situ?* et, *Pulsus ego?* Donatus.

Sobriam, &c.] Supra dixerat Phædria, *temulenta es.* Farnabius.

37 *Jam satis certum est virginem vitiatam esse*] Ordine ait, quum primum de se, tum de adversario loquitur. *Donatus.*

38 *Credis huic quod dicat*] A personæ qualitate derogat fidem. nam quid credendum est servo Eunucho fugitivo? *Idem.*

Quid isti credam? res ipsa indicat] Hic a persona quæ convincebatur, oratorie ad factum se retulit. *Idem.*

39 *Concede istuc paululum*] Ad se versum dicit istuc: ut longe sit a Pythia. Eunucho enim dicit Phædria. *Idem.*

Concede istuc paululum. audin? etiam nunc paul. sat est] Ut remotior esset a Pythiade, seorsum hoc dicit Eunucho. ita melius suggerere poterat, quæ postea suggessit. compara cum hoc versu loc. Plautinum Aulul. I. 1. 16. 'Abscede. etiam nunc: etiam nunc: etiam. ohe! Istic adstato.' *Bœcl.*

42 *O scelestum, atque audacem hominem*] Chæream scilicet vel Parmenonem. sed sic pronuntiandum est, ut putet Ancilla de Eunucho dici, hoc ipso quod præsto est. ideo illa infert, 'Væ mihi, etiam nunc credis, indignis nos esse irrisas modis?' *Donatus.*

O scelestum, &c.] Pronunciatum hoc de Chærea, voluit a Pythia intelligi quasi dictum de Doro. *Farnabius.*

Væ mihi] Hoc totum, *Væ mihi,* quidam a Pythia, usque ad *irrisas modis*, dici existimant. *Donatus.*

44 *Mirum ni tu credas, quod iste dicat*] Utrum an serva, quod servus? an stulta, quod stultus? an fœmina, quod Eunuchus? *Idem.*

Mirum ni tu] Clare dicit, quidam pressius putant. *Idem.*

45 *Heus tu, negato rursum*] *Rursum*, non ad negationem pertinet, sed ad interrogationem: ut sit, *rursus interrogatus.* *Rursus*, retro, id est, e contrario: ac per hoc contrarium superioribus dicito. *Idem.*

Heus tu, &c.] Hoc voce submissa, ne exaudiat Pythias. *Farnabius.*

46 *Non potest sine malo fateri, video*] Ampliatio et dilatatio quæstionis, argumento est, nihil constitisse. Adde quod pœnam minatur, non tanquam jam incerto, sed falso testi. Deinde ipsum *fateri* consideremus quale sit. Non est testis fateri, sed rei. Hic igitur ut in illum culpam transferat universam, fateri dixit, non indicare: ut ipse reus, non alieni facti testis esse dicatur. *Donatus.*

Non potest sine malo] Quasi nec hæc fuerit, nec illa confessio, in quibus nulla veritas sit. *Idem.*

Verum? vidistin fratrem Chæream? Do. *non.* Ph. *non potest sine*] In libro Bembino est *vidistine*, et dictio, *sine*, sequenti versui adscribitur. quod placet mihi, ut sint trochaici, quemadmodum ceteri. *Faërnus.*

47 *Malo*] Tormentis. 'Omnes imperio, metu, vi, malo adactæ.' Cic. IV. Verrina. *Farnabius.*

Sequere hac] Quasi ad tormenta. *Donatus.*

Modo ait, modo negat] Testis aut ab adversario convincitur falsitatis: aut a se ipso, si variaverit dicta. Ergo priora quia non potuere convinci, ab inconstantia testis præsidium defensionis inquisitum est. *Donatus.*

48 *Ora me*] Hoc lentius: ut sit causa non sæviendi. *Idem.*

Ora me] Salvo honore meo; et fratris. *Farnabius.*

Obsecro te vero, Phædria] Bene *vero*. nam quia ille dixerat, ut simularet preces, hic annixus *vero* addidit, ostendens, serio se rogare, et ex animo: non ut ille jubebat, dolo. *Donatus.*

I intro] Terribiliter, dummodo eum summoveat. *Idem.*

Intro] Utrum *intro* domum ad Phædriam? an ad Thaidem? Sed non oportet ad Thaidem intelligi, ne celandarum rerum index teneatur. *Id.*

Oi, ei] Bene *oi ei* σχετλιασμὸν rusticum posuit, utpote et servi et novitii. et est deploratio ab eis sic dicta. *Idem.*

49 *Alio pacto honeste*] Contra officium fuit, mentiri docuisse servum, et adfuisse mendacio liberalem adolescentulum. Sed vide quemadmodum defendatur, dum se mentiri coactum dicit, dum consulit honestati. Hanc autem causam longæ sermocinationis ad hoc induxit artifex Poëta, ut apud omnes jam certum sit, a Chærea vitiatam virginem, ne ullo errore impediantur ulterius nuptiæ, vel finis fabulæ differatur. *Idem.*

Alio pacto honeste] *Nullo alio* scilicet, nisi per hanc fallaciam. *Idem.*

49. 50 Priorem versum secum et ad spectatores versus loquitur: posteriori clare minas in Eunuchum con-

tinuat. Bene autem *Donatus* de hac scena: 'Hanc causam longæ sermocinationis ad hoc induxit artifex Poëta, ut apud omnes jam certum sit, a Chæreæ vitiatam virginem, ne ullo errore impediantur ulterius nuptiæ, vel finis fabulæ differatur.' *Nebulonis* vocem Eugraphius explicat de fraudatore et pessimo. sed si peculiaris significatio voci aptanda est, quæ latius etiam usurpatur, μάλθων potius ad Eunuchum pertineat, i. e. ὁ γύνανδρος. nam in Glossis vet. nebulo etiam ita explicatur. *Bœclerus*.

50 *Actum est siquidem*] Hoc rursus clare. et sic dicit tanquam adhuc iratus Eunucho suo. *Donatus*.

Actum, &c.] Aposiopesis, siquidem hæc ita sint. *Farnabius*.

Tu me, &c.] Conversus ad Dorum hæc, quem introire quasi ad supplicium et tormenta jussum sequitur Phædria. *Idem*.

51 *Quam me vivere*] Deest *magis:* ut sit, *Magis scio, quam me vivere.* Donatus.

Parmenonis tam scio esse hanc technam, q. m. v.] Græca vox Latio invecta est, dolum, fraudem, significans. Scholiastes Aristophanis in Plut. τέχναι λέγονται τὰ τῶν ἀνθρώπων σοφίσματα, οἷον χαλκευτική, τεκτονική, καὶ ὅσαι ἄλλαι τοιαῦται. τέχνη λέγεται καὶ ἡ μηχανὴ καὶ ὁ δόλος. ἀφ' ἧς καὶ τεχνάζομαι, ἀντὶ τοῦ δολιεύομαι καὶ μηχανῶμαι. *Bœclerus*.

52 *Inveniam hodie pol.*] Hæc est προοικονομία ad futurum exitum fabulæ. nam dum se ulciscitur Pythias, fit indicium patri Chæreæ, et confirmantur nuptiæ. *Donatus*.

54 *Utrum taceamne, an prædicem*] Tertium παρέλκον: abundat enim aut *utrum*, aut *ne*: aut certe hoc fit, ut sit figura τμῆσις. *Idem*.

Virgine. Py. *ita, utrum taceam ne, an prædicem*. Do. *tu pol, si sapis*] Omnis hujus versus difficultas est in verbo *prædicem*. nam si id deducimus a prædico prædicas, versus non stat, qui trochaicus est, iambum non admittens: si a prædico prædicis, ut sit prædicem, pro prædicam (antiqui enim dicem efferebant in futuro, pro eo quod nos dicam) stat quidem versus, sed verbum prædicere videndum est ut sensui congruat. Vaticanus, qui aliqua sæpe meliora habet, quam Bembinus et quam omnes alii, hic non *prædicem*, sed *prædicam* habet: quamvis deinde addito e, et dispuncto a, mutatum fuerit in *prædicem*. at Decurtatus, qui et ipse quoque ex eadem bibliotheca est, sanam et integram habet vocem, *prædicam*; sed ut dixi sensum requiro in *prædicam*, vel *prædicem*, penultima producta. *Faërnus*.

Tu pol, si sapis, quod scis, nescis] Non possumus nescire quod scimus. sed ita, ut Concordia discors. et Virgilius, 'Sequiturque sequentem.' *Donatus*.

Tu pol si sapis, quod scis, nescis] Videamus, cur nolit Poëta de vitio virginis continuo scire Thaidem: utrum ne improviso malo vehementius commoveatur, ac doleat? an ut ex ejusdem Virginis habitu vultuque ista cognoscat? quod est actuosius. an, quod proximum vero est, ut illam et Thais et Frater, ignorantes vitiatam, animosius adversus Militem defendant, repetitum eam venientem cum tanto strepitu ac minis? Nam quo ore præterea diceret Thais Chremeti, de sororis pudore sollicito, 'Educta est ita uti teque illaque dignum est:' si sciret eam virginem non esse? *Idem*.

Quod scis, nescis] Unde in Heautont. 'Nescias quod scis, si sapis.' Et hoc est quod κακόζηλον dicitur. *Idem*.

55 *Quod scis, nescis*] Proverbiale est, et multum apud dialecticos tractatum: ut 'Facio, et non facio:' et 'Amicus sum, et non sum:' et, 'Audio, et non audio:' et cetera hujusmodi. *Idem*.

Quod scis nescis] Bene causam silentii ad οἰκονομίαν retulit *Donatus*,

quem vide. Plaut. Mil. Glor. II. 6. 89. 'Etiam illud quod scies, nesciveris.' *Bœclerus*.

Quod scis, nescis] Nescieris. dissimula te scire. Heauton. act. IV. sc. 4. 'Tu nescis id quod scis.' Plaut. Mil. act. II. sc. 6. 'Linguam comprimes. Posthac etiam illud quod scies, nesciveris. Ne videris, quod videris.' *Farnabius*.

De Eunucho] Quod Chærea sit, non Eunuchus. *Donatus*.

De vitio virginis] Quod jam mulier facta sit. *Idem*.

56 *Hac re te omni turba evolves*] Caussa quæsita, cur ante jurgium cum milite Thais nesciat vitiatam virginem. *Idem*.

Et illi gratum feceris] Cui, nisi virgini? cujus crimen, ut supra, silentio texeris, præsertim tacentis injuriam suam, et sic dolentis amissam virginitatem, ut nec confessionem suæ calamitatis subire possit. *Idem*.

57 *Id modo dic*] *Id* pro *hoc*, subjunctivum pro præpositivo. *Idem*.

58 *Thais jam aderit*] Bene dixit, *Aderit*. huic enim aderit Thais. *Idem*.

Quia cum inde abeo] Aliam causam ex alia supposuit: quasi diceret, 'Video causam.' *Idem*.

59 *Turba inter eos*] Jurgium, rixa. *Farnabius*.

Aurum, &c.] Aurea ornamenta Thaidis. supra sc. 1. hujus act. *Idem*.

Ex hoc] Chremete. *Idem*.

SCENA V. Octonarii Iambici sunt. vs. 1. Mss. nostri omnes: *vicit me vinum*. vs. 2. duo: *accumbebam*. vs. 4. omnes: *hem*. vs. 5. omnes, ut ed. vs. 8. omnes: *lites sunt factæ*. vs. 11. duo: *correxit me mil*. vs. 12. omnes, ut ed. *Bœclerus*.

Atat! data hercle verba mihi sunt] *Hic semigravis inducitur vino Chremes priorum memor, titubans in præsentibus, ut fere adpoti solent.* Donatus.

1 *Atat*] Interjectio est paulatim percepti atque intellecti mali. *Idem*.

Data verba] Fraus facta. *Idem*.

Data hercle verba] A milite, an a meretrice, cujus jampridem dolum malum in omni re suspicatus est? an magis a vino, quasi captioso aliquo, data verba sunt? quia bibere, dulce est: ebrium fieri, turpissimum. adeo his, quæ sequuntur, quasi subtilem fraudem ebrietatis inducit. Plautus de vino, 'Pedes captat primo, luctator dolosus.' Virgilius de uva, 'Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.' *Idem*.

2 *Ac dum accubabam*] Hic verba data sunt. *Idem*.

Quam videbar mihi esse pulchre sobrius] Nihil elegantius. non dixit, videbar mihi tunc esse sobrius, sed ut hoc ipsum jam erroris esset, ac vinolentiæ accumulatio, *Videbar*, inquit, *mihi nimium sobrius*. Idem.

Pulchre] Fortiter ac nimis. *Idem*.

3 *Neque pes*] Ad incessum. *Idem*.

Neque mens] Ad facta ac dicta. *Id*

Neque pes neque mens] Pleniori descriptione Lucretius lib. III. 'Consequitur gravitas membrorum: præpediuntur Crura vacillanti: tardescit lingua: madet mens: Nant oculi.' *Bœclerus*.

Pes, &c.] 'Magnum hoc vitium vino est, pedes captat primum, luctator dolosus est.' Plaut. Pseud. act. V. sc. 1. *Farnabius*.

Mens, &c.] Οἶνος ἔχει φρένας. Hom. Odyss. VI. *Idem*.

Satis suum officium facit] Bene. non enim omnino non facit, nam hoc insani est: sed non satis facit, quod est ebrietatis. *Donatus*.

4 *Quis est? ehem Pythias*] Γνωμικῶς et satis miro exemplo mutatam credit, postquam ipse mutatus est. *Idem*.

Quanto nunc formosior videre mihi, quam dudum] Hoc multum Academicos juvat, qui aiunt, Prout habiti fuerimus atque affecti, ita nobis aliud atque aliud videri; et ideo nihil certi comprehendi posse. *Idem*.

Quanto, &c.] Ebriis Τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται, quod de amatoribus

pronunciavit Theocriti Daphnis, Idyl. VI. 'Heus puer, vinum funde meracius, ut illam formosam reddam;' Anacharsis, cum ex convivis quidam dixisset, uxorem ipsum duxisse deformem. *Farnabius.*

5 *Certe tu quidem pol*] Et *Certe* et *Pol*, hæc dixit, ut appareret hanc vere loqui, quæ sobria est: illum vero ex vino falli. Et honorifice, atque ut sobria, non dixit, temulentior, aut lascivior, sed alacrior. *Donatus.*

Certe tu quidem pol] Liber Bembinus *certo.* quod antiquius videtur. *Faërnus.*

Multo hilarior] Quærit Guyetus, unde Muretus habeat τὸ *alacrior*, quod prætulit τῷ *hilarior*? Ex Donato habet. cujus ista est annotatio: 'Non dixit temulentior, aut lascivior, sed alacrior.' *Bœclerus.*

6 *Verbum hercle hoc*] *Verbum*, proverbium. ut idem in Andria: 'Verbum illud verum est, vulgo quod dici solet.' *Donatus.*

Sine Cerere et Libero friget Venus] Hoc si ad sententiam revoces, non conveniet ebrio: si ad petulantiam quam * sic ante dictum est. Nam et improbior factus est. et quum tropice locutus sit, tamen ordinem naturalem servavit: nam primum cibus, deinde potus, postremo libido venerea. *Friget* autem, quia omnis ejusmodi voluptas in calore sanguinis constituta est, qui his rebus alitur. Et *Friget* proprie, non adhæret. Translatum enim hoc proverbium a picatione vasorum, quæ frigida picem non tenent, quum alia multa meliora sint ad usum frigida, ut ferrum, argentum, aurum, et cetera hujusmodi. nam sic alibi, 'Ubi friget, huc evasit.' Et vide tres μετωνυμίας, Cererem, Liberum, Venerem. *Idem.*

Verbum hercle hoc verum est, sine Cerere et Libero friget Venus] Liber Bembinus, itemque Decurtatus, pro *est*, habent *erit*, quomodo et prius habebat Victorianus, ut adhuc litura demonstrat. Hoc autem verbo, *erit*, antiqui etiam præsentia et præterita asseverabant. Plautus in Persa: 'Hæc erit bono genere nata, nihil scit nisi verum loqui.' Terentius in Heautontim. 'subditum se suspicatur. subditum? ain tu? certe sic erit.' Item in Phormione: 'Cognatam comperi esse nobis. quid? deliras. sic erit.' Lucanus in primo: 'Non tu Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor Pœnus erit.' quod Priscianus libro decimo octavo de constructione exponit, pro cognoscetur, stat autem versus, admisso in quartam sedem proceleusmatico. *Faërnus.*

Sine Cerere et Libero frig. Ven.] Denominationis hujus licentiam consignat Lucretius lib. II. 'Hic si quis, mare, Neptunum, Cereremque, vocare Constituet fruges; et Bacchi nomine abuti Mavult, quam laticis proprium proferre vocamen; Concedamus, ut hic terrarum dicat et orbem Esse Deum matrem.' Non tamen nihil discriminis ista licentia habet. Neptunum enim pro mari, Virgiliana potius majestas capit ('Neptuno immerserit Eurus') quam Comœdiæ novæ temperatus dicendi modus. Plautus videtur temperare voluisse, cum loca potius Neptunia (altius quidem, quam noster maria Neptuni) dixisset Trinum. IV. 1. 4. et præsertim Milite II. 5. 3. sed mox corrupit temperamentum, cum adjecit *templa turbulenta*, quod Epico magis aut Tragico quam Comico concedi poterat. sed hæc ὁδοῦ πάρεργον. *Bœclerus.*

Verum hoc est] Atque ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. *Farnabius.*

Sine, &c.] Νεκρὸν Ἀφροδίτη Διονύσου δίχα καὶ Δήμητρος. Eurip. Ἐν πλησμονοῦντι Κύπρις. vide Senecæ Hyppolytum vs. 203. Aristophanem citat Athenæus, Ἡδύς τε πίνειν οἶνος Ἀφροδίτης γάλα, lib. X. cap. 12. additque, Ὃν πολὺν σπῶντες ἔνιοι παρανόμων ἀφροδισίαν ὄρεξιν λαμβάνουσι. *Idem.*

7 *Sed Thais multo ante venit*] Interrogative pronuntiandum hoc. Et scias de his interrogationibus hanc ipsam esse, in quibus ita quærimus, ut qui interrogantur, responsuri nobis se nescire videantur. *Donatus.*

8 *Jam dudum; ætatem*] Quia *jamdudum* infinitæ moræ est, addit *ætatem*, ut ostendat multum abiisse temporis, ut factum est. *Jam dudum, ætatem*, pro longinquo tempore. Lucilius, 'Ut multos mensesque diesque: Non tamen ætatem.' *Idem.*

Ætatem] Diu, longinquoque tempore ac prolixo, ut est ætas: nam sic dicimus de die: et *dieculam*, aliquantulam moram. *Idem.*

9 *Nihil dixit tum, ut sequerere sese*] *Nihil*, pro non, Virgilius: 'Deponunt animos nil magnæ laudis egentes.' *Idem.*

Nihil, nisi abiens mihi innuit] Apparet quasi iratam discessisse Thaidem a Milite, et tamen sic iratam, ut illi ira consilium non ademerit. *Innuit* inquit, *quum abiret.* Idem.

10 *Eho nonne id sat erat*] Adeo simplex hic inducitur adolescens, ut a Pythia reprehendi possit. nam quid opus fuit dicere, si innuit? *Idem.*

At nesciebam id dicere illam] *Dicere* pro velle, vel significare. Sic alibi, 'Quasi tu dicas id factum consilio meo.' *Idem.*

Nisi quia correxit miles, quod intellexi minus] Hoc videtur facetius et sapientius, quam dici ab ebrio, rustico, et adolescente debuisset. Hoc vitium tunc fit, quum Poëtæ ingenium suum in personas conferunt. *Idem.*

11 *Quod intellexi minus*] Verisimile hunc tantum extrusum fuisse, non etiam vapulasse: quia miles Thaidi magis, quam huic irascitur. *Idem.*

Correxit miles, quod intell.] Suo potius ingenio, quam personæ moribus obsequi putat poëtam nostrum Donatus; cum ebrio, et rustico, et adolescenti acutius dictum tribuit. Mirum, qui hoc tanti acuminis visum sit Donato: nisi acumen ipse voluit suum, non in tempore forsitan, ostentare. *Bœclerus.*

12 *Miror ubi ego huic anteverterim*] Id est, hanc præcesserim. *Donatus.*

Ubi] In qua parte viæ. *Idem.*

SCENA VI. Trochaicis tetrametris catalecticis constat, intermixtis duobus Iambicis tetram. catal. vs. 1. Mss. meorum unus: *et habetur et refertur Thais a me, ita uti, &c.* alter: *et habetur et refertur tibi a me Th.* Argent. *et h. et ref. Th. a me tibi ita.* vs. 14. unus: *nam hæc est, quam miles a me nunc vi erept. v.* Argent. *nam hæc ea est, quam miles nunc ereptum venit.* vs. 17. duo: *militem s. a. t. q. copias video adducere.* vs. 19. omnes: *qui metuat minus.* vs. 26. omnes: *mane mane.* vs. 31. duo: *fac animo hæc ut præsenti dicas.* tertius: *fac hæc animo præsenti ut dicas.* Bœclerus.

1 *Credo equidem illum jam adfuturum esse, ut illam a me eripiat*] Vide ut ex ipsis appareat verbis, quam concita et recens a litigio veniat Thais. Itaque nec nominat Militem, nec Virginem: sed pronomine utrumque significat, quasi in medio constituta negotio. *Donatus.*

Adfuturum esse] Id est, adventurum: ut *Affuit et Mnestheus.* Idem.

Sine ut veniat] Quasi dicat, sine* nullis. et comminantis est: ut, *Sine modo.* Idem.

Credo equidem illum jam adfuturum ut illam a me eripiat. sine] Hunc versum ita in aliquibus l. s. ordinatum invenio, ut comprendat etiam verbum *veniat*, quod in impressis sequenti versui attribuitur. ita erit trochaicus tetrameter acatalecticus, correpta priore in *illam.* ceterum quod sequitur, *qui si illam*, ita solus liber Bembinus habet. alii omnes, aut *atqui*, ut et Donatus, aut *atque*, quarum vocum alterutra admissa, is versus qui secundus est, ejusdem est gene-

ris, cujus primus; ejusdem et tertius: ita ut in prima sede sit dactylus, qui capiat primam syllabam dictionis *ego.* secundus pariter dactylus; tertius et quartus trochei: quintus vel anapæstus abjecto p, ex *ineptias*, vel trocheus, aut eliso s, ex *ea* voce, aut legendo *ineptiam*, ut est in libro Bembino, et fuisse in Victoriano et Decurtato ex rasura ultimæ litteræ apparet. quartus item versus ejusdemmet est generis, ita ut dactylum in tertia sede habeat, eliso m ex *enim*, quamvis sequente consonante. Item quintus, sextus, septimus, octavus, et decimus; nonus vero trochaicus dimeter catalecticus, vel etiam iambicus dimeter acatalecticus, si tamen in, *me hem*, non fiat collisio. undecimus trochaicus tetrameter catalecticus. *Faërnus.*

2 *Atqui si illam digito attigerit uno*] Moris comminantium est, ad exiguum revocare commissa, quæ se ulturos prædicent. *Donatus.*

Oculi illico effodientur] Et fœmineæ minæ sunt, et in libidinosos quam maxime. nam hunc suspicatur amatorem esse virginis. Sic et alibi, 'Ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico.' In oculos autem maxime sævire fœminas, et tragœdiæ fere omnes, et comœdiæ protestantur. *Donatus.*

Oculi illico] Minæ Amazoniæ, apud Comicos. Plaut. Aul. act. I. sc. 1. et II. 2. Trin. II. sc. 4. *Farnabius.*

3 *Usque adeo ego illius ferre possum ineptias, et magnifica verba*] Non dixit, Usque adeo illum possum amare: sed, quam insuavis jam diu sit, ostendit, dicendo, *Ferre possum.* Et cito ostendit, quæ sit amicitia Militis. *Ineptias,* inquit, *et magnifica verba.* Donatus.

4 *Verba dum sint*] Hoc est, quæ vim non adimisceant rerum. *Idem.*

Verum enim si ad rem conferentur, vapulabit] Si discesserit a verbis, et rem experiri cœperit, vapulabit. Et bona locutio: ut si dicas, Verba ad rem contulit, hoc est, agere quod dicebat aggressus est. *Idem.*

7 *Ad me? qui? quasi istuc*] Et rusticus, et timidus, et pudens commotus est Meretriculæ dicto. *Idem.*

Ad me? qui? quasi istuc] Mire expressit Poëta perturbationem adolescentis parum assueti turbis, et timidioris. *quasi istuc.* Guyetus supplet: *moverim.* Thais antequam absolvat orationem, respondet. *quia dum, &c.* *Bœclerus.*

Quasi istuc] Aposiopesis. quasi ego istuc commoverim. *Farnabius.*

Quia dum tibi sororem studeo reddere] *Quæ* enim Thais *cupiebat de sorore* Chremeti *indicare, ad eam rem tempus non erat* in domo militis: et cœptos cum adolescente sermones jurgium interrupit. supra IV. 1. itaque nunc, urgentibus, quæ imminebant, litibus, Chremeti sororem indicat, et restituit; ut adversus militem jam suum negotium ille gerere posset. commendat tamen suum beneficium Thais in hac ipsa festinatione: multisque sibi laboribus stetisse hanc rem ostendit. Chremes ad mentionem sororis, expectatione suspensus, *ubi ea est?* inquit. et cum Thais responderet, *domi apud me;* confusus, *hem!* ait; metuens, ne pudori ejus male consultum in domo meretricis esset. quo metu mox eum liberat Thais: *quid est?* quid perturbaris? *educta* est soror tua *ita, uti teque illaque dignum est.* quod adversus dubitantem (*quid ais?*) mox amplius confirmat: *id quod res est.* Bœclerus.

8 *Hæc atque hujusmodi sum multa passa*] Mulier facunda Meretrix, hæc imputat adolescenti quæ vidit, et alia quibus interfuit. *Donatus.*

Reddere et restituere] Proprie *redditur* cupientibus, ut domino servus: *restituitur* cupiens, ut patriæ civis: *redditur*, et *restituitur*, cupiens cupientibus, ut parenti filius. Ergo in hac utrumque est, et reddi et restitui. *Id.*

9 *Hem*] Extimuit adolescens, cum sororem suam in domo meretricis esse audivit: cui rei statim occurrit Thais. *Idem.*

Hem] Indignantis est; ubi sororem suam in domo meretricis esse audiit. *Farnabius.*

10 *Educta*] Subauditur *est.* Donatus.

Uti teque illaque dignum est] Bene purgavit, quod ex fastu meretricio expectabatur. non, inquit, ut me dignum est, apud me est. *Idem.*

Quid ais] Recte: quia mirum apud meretricem liberaliter educatam. *Id.*

11 *Hanc tibi dono do*] Melius dixit, quam *Dono:* ut donum placidius videatur et præstantius. *Idem.*

Neque repeto pro illa abs te quicquam pretii] Ex eo quod potuit jure facere, beneficium demonstravit oratorie, dicens serio, non esse facturam. *Idem.*

12 *Et habetur et refertur a me, Thais*] Qui habet apud se gratiam, nondum retulit. *Retulit* qui destitit habere. Multum ergo hic dixit, et *habetur gratia* et *refertur.* Quem sensum transtulit Sallustius in bellum Jugurthinum, 'Arma, pecuniam, sume, utere: et, quoad vixeris, numquam redditam tibi gratiam putaris: semper apud me integra erit.' *Idem.*

Et habetur et refertur a me Thais tibi, ita uti merita es, gratia] Antiqua locutio est, habeo gratiam, pro habeo tibi gratiam. ut in Andria: 'et non neglexisse habeo gratiam.' idem et de refero: ut supra in Eunucho, 'Inveniam pol hodie parem ubi referam gratiam.' ita versus erit octonarius iambicus expeditissimus, ut sequens, qui tamen, si in *cave* posteriorem corripias, potest esse trochaicus catalecticus: cujusmodi est, qui eum sequitur. *Faërnus.*

13 *Ne prius, quam hanc a me accipias, amittas Chreme*] Hoc in Comœdia licet more vulgi dicere. Ceterum non potest amitti, quod nondum acceptum sit. An quia jam dudum sumptum sit? *Donatus.*

14 *Nam hæc ea est, quam Miles a me vi nunc ereptum venit*] Non ad deterrendum, sed ad præparandum animum adolescentis hæc dicit, quem audacem putat, aliter ac res ipsa est. nam mox Thais mutabit orationem, et dicet, 'Quicum res tibi est, peregrinus est: Minus potens quam tu, minus notus, amicorum hic habens minus.' *Idem.*

15 *Cum monumentis*] *Monumenta* sunt, quæ Græci dicunt *γνωρίσματα καὶ σπάργανα.* *Idem.*

Abi tu, cistellam domo effer cum monumentis] Vide Lindenbrogii notas; et Petrum Victorium, Comment. in Poët. Aristot. ubi Philosophus agit de agnitione, quæ per signa fit. *Bœclerus.*

Cum monumentis, &c.] Infantibus cum fortunæ aut misericordiæ alienæ exponebantur, uti adnotatum ad act. IV. sc. 5. Andriæ, apponebantur simul *ἐπίσημα*, quibus tempore futuro et meliore possent agnosci. hæc Græci *λείψανα*, *σπάργανα*, et *γνωρίσματα*, Latini monumenta, vel crepundia vocabant. Pamphilæ, licet exposita non erat, verum a prædonibus abrepta, supererant procul dubio crepundia quædam et *σπάργανα* quibus agnosci posset. *Farnabius.*

16 *Viden' tu illum, Thais*] Longe videre, timoris est indicium. *Donatus.*

Viden' tu, &c.] Trepidare incipit rusticus, viso Thrasone cum comitatu. *Farnabius.*

Ubi sita est] Trepidantes personas immiscuit. *Donatus.*

In risco] Cista pelle contecta: nomen Phrygium. *Idem.*

17 *Quantas copias*] Proprie dixit *copias:* nam sic dicuntur legiones in unum collectæ. convenit tamen rudi et rustico adolescenti, sex homines, *copias* dicere: Militem scilicet, Parasitum, Donacem, Syriscum, Simalio-

nem, Sangam. *Idem.*

18 *Num formidolosus obsecro es, mi homo*] *Formidolosus*, et terribilis, et timidus intelligitur. *Idem.*

Apage sis] Plautus in Trinummo, 'Apage amor.' *Idem.*

20 *Atque ita opus est*] Ut minus formidolosus sis. *Idem.*

Metuo qualem tu me esse hominem existimes] Videtur ebrius factus hic Chremes jam etiam displicere nolle mulieri. nam idcirco fatetur, se timere malam opinionem Thaidis de se. 'Et metuo qualem tu me existimes,' nove dixit pro, 'Metuo ne ignara sis.' *Idem.*

21 *Peregrinus est, minus potens quam tu*] Quam * post quam tamen ipsa non eloquitur, quid efficiatur, ex eo quod ait, *Peregrinus est, minus potens quam tu:* bene sic dixit: quia tardum fuit dicere: *Ille impotens, tu potens*, et cetera. *Idem.*

Peregrinus est, minus potens, &c.] Locus de facultate et difficultate litigandi: etiam alibi apud nostrum tractatur: Andr. IV. 5. 15. &c. Adelph. II. 2. 3. 4. Phormion. IV. 3. *Bœclerus.*

23 *Sed tu, quod cavere possis, &c.*] Ostendere vult Terentius, plures sententias ad timiditatem congruere, quam ad audaciam. nam et mox dicturus est, 'Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.' Quia ex providentia timor, ex audacia temeritas provenit. *Donatus.*

Admittere est] Fieri sinere. et melius dixit, quam *Pati*. hoc generale est. nam nunc admittere, pati fieri significat. *Idem.*

Quod cavere, &c.] Pol cavere quam pœnitere præstat. Σωφρονέστερον δ' οἶμαι τοῦ μετὰ τὸ παθεῖν ἐγκαλεῖν, τὸ πρὶν παθεῖν φυλάξασθαι τὸ μὴ παθεῖν. Stobæus. *Farnabius.*

24 *Malo ego nos prospicere*] Providere ne fiat: id est, prospicere et cavere. ab eo quod præcedit, id quod sequitur. *Donatus.*

Malo ego nos prospicere] Vide Andr. III. 5. 18. et adde Sallustii illud; 'Res monet, cavere ab illis magis, quam quid in illos statuas consultare.' Catil. XXV. Laudat autem suam hanc cautionem, *consilium* vocans, Chremes scena sequente vs. 14. *Bœclerus.*

Accepta injuria] Hic causa ostenditur, cur illud malit. *Donatus.*

25 *Ostium obsera intus*] Pavidi consilium nihil aliud continet præter claustra et fugam. nam *sera* est claustrum januæ. *Idem.*

Transcurro ad forum] *Transcurro* dixit, non *Curro:* ut proximitatem fori ostenderet. *Idem.*

Ad forum] In foro obambulabant causidici. Forum autem intelligo *Piazzant*, quam vocant. ab una parte locus est a fronte apertus, in quo exercentur judicia. ibi tribunal et subsellia. nobis, *the Sessions-house.* in area ipsa, tabernæ, ubi habentur res venales, *the Market-place:* inibi spatiantur mercatores, fœneratores, et quos recenset Choragus in Plauti Curculione act. IV. sc. 1. *the Exchange.* Farnabius.

26 *Volo ego*] Quasi minus timeat: *cupio* non inquit, sed *volo.* Donatus.

In turba hac] Vide timidum *turbam* appellare, quam mulier non timet. *Idem.*

27 *Melius est*] Fugæ occasionem hic cupit dari. *Idem.*

Mane] Hoc gestu jam adjuvatur. *Idem.*

Omitte: jam adero] Ex hujus verbis apparet, etiam manu comprehensum esse adolescentem. *Idem.*

Omitte: jam istuc adero] Quia causam probari non videt, celeritatem redeundi pollicetur. *Idem.*

Nihil opus est istis] *Istis*, utrum advocatis, an istis omnibus quæ dixisti? Virgilius, 'Aut quid petis istis?' *Idem.*

Istis] Advocatis. *Farnabius.*

28 *Hoc dic modo, sororem illam tuam esse*] Ordine est executus: primo utrum personam habeat, *Dic, sororem*, inquit, *illam tuam esse.* Utrum negotium habeat, *Et te parvam virginem amisisse.* Cur hodie agat, *Nunc cognosse.* Et unde probet, *Signa ostende.* Hæc omnia sic pronuntianda sunt, ut et justa et factu facilia demonstrentur. *Donatus.*

30 *Si vim faciet, in jus ducito hominem*] Et recte: quia violento civiliter resisti solet. *Idem.*

31 *Fac animo hæc ut præsenti dicas*] Hæc non dicerentur a Thaide, nisi in illius vultu pavor nimius appareret. *Idem.*

Faciam] Adjuvandum pronuntiatione: *Faciam* enim, timide dictum est. *Idem.*

Attolle pallium] Hic verbis Chremetis demonstravit nimium liberaliter pavidi adolescentuli animum. *Id.*

Attolle pallium] Vel quia simplex est, vel quia ebrius, pallium trahit Chremes. *Idem.*

Attolle pallium] Non satis sobrius, nec urbanæ elegantiæ studiosior, adolescens rusticus, pallium trahit, quod attolli et subduci jubet Thais. vide, quæ notat Octav. Ferrar. de Re Vest. part. II. lib. IV. cap. 8. *Bœclerus.*

Pallium] Humeris delapsum, vel per negligentiam madidi et ebriosi, vel ex concertatione tendentis in forum et abeundi occasionem captantis. *Farnabius.*

32 *Perii! huic ipsi est opus patrono, &c.*] Hæc Meretricis querela, rudem Adolescentulum magis et honeste natum, quam culpandum esse demonstrat. *Donatus.*

Scena vii. Iambici sunt tetrametri acatalectici; et Trochaici catalectici, sive septenarii. vs. 2. Mss. nostri omnes, *dorax*, (v. Guyet.) et, *sequimini me.* vs. 4. omnes: *recte.* et vs. 10. *domum.* vs. 13. Gnathoni omnes ista tribuunt: *idem hoc jam Pyrrhus factitavit.* vs. 15. unus: *sane qui tibi nunc vir videtur, hic neb. magn. e.* alter: *sane qui nunc tibi vir videtur esse, neb. m. e.* Argent. *sane qui nunc vir tibi videtur esse hic? nebulo magnus est.* vs. 16. duo: *quid tibi videtur?* tertius: *quid videtur tibi?* vs. 17. duo omittunt, *tu:* tertius, *illos.* vs. 18. duo: *quam mox irruamus?* tertius: *quam mox irruemus?* et superscript. *irruamus.* vs. 19. omnes: *experiri consilio.* in uno tamen superscript. *consilio.* vs. 21. unus: *accedo ad te.* vs. 25. duo: *quid tu cum illoc agis?* unus: *quid cum illoc agis?* vs. 27. unus: *an tu illam tangas.* alter: *an tu eam tangas.* tertius: *aut tu eam tangas.* mox duo: *ah quid ais? tace.* vs. 28. omnes Chremeti tribuunt hæc: *quid tu tibi vis?* vs. 30. omnes: *sese.* mox unus: *si quicquam hodie turbæ feceris.* alter: *si quicquam hodie hic turbæ feceris.* vs. 33. unus interponit, *tibi.* vs. 34. duo: *sic agis.* Argent. *sic ais.* vs. 37. unus: *ne vim facias ullam in illam: ego ad Sophronam eo nutr.* alter: *ne vim f. ul. i. ill. ego eam ad sophronam mittere, ut eam adhuc.* Argentor. *ne v. f. v. in ill. ego eam ad sophronam nutricem ut eam add.* vs. 39. Argentor. *furtis.* vs. 41. duo Gnathoni totum attribuunt. vs. 44. duo: *Sanga, ut fortes decet milites.* vs. 45. omnes: *domique focique.* vs. 46. omnes hæc verba, *vos me hac sequimini*, Sangæ tribuunt: unus omittit, *me.* Bœclerus.

1 *Hanccine ego contumeliam*] Hic rursus inepti vanitas Militis demonstratur, ad amicam tanquam ad hostilem exercitum pergentis irritato animo, concitato cursu, inclinata chlamyde, trepidi et quatientis caput. Et hæc verba pro hortatu Imperatoris accipienda sunt: quandoquidem omnia de exercitu transferuntur. *Contumeliam* vero proprie, et ut miles. Sallustius, 'Ne qua contumelia,' &c. *Donatus.*

Contumeliam tam insignem in me accipiam Gnatho] Apparet Gnathonem et dehortatorem esse certaminis, et ad pocula Militem provocare;

maxime cum videat persuasisse ista consilia, ut hoc certamen moveretur. *Idem.*

Tam insignem] *Insignem*, ut miles dixit, quia *insignia* armorum sunt. *Idem.*

2 *Mori me satius est*] Ridicula præsumptio: tanquam adversus meretricem jurgia nunquam Thraso sumere ausus esset, nisi morte proposita. Ergo velut mortis contemptu opus est ad tale prælium. *Idem.*

Mori me satius est] Quasi ille sibi dicat, vel molestum esse certamen, vel amicam non esse lædendam. *Id.*

Mori me satius est] *Donatus:* 'Tanquam aliter miles adversus mulierem audere non posset, vel quia nihil, vel quia amator.' Lege: *vel quia nihili, vel quia amator.* sequentia docent, in illa annotatione. *Bæclerus.*

Simalio] Et hoc concitate pronuntiandum est. *Donatus.*

Sequimini] Hujusmodi militia per tumultum repente suscipitur, et dicitur *Evocatio:* ubi dux alloquitur cives, *QUI REM PUBLICAM SALVAM VULTIS, ME SEQUIMINI.* Unde Virgilius sic ait, 'Desuetaque bello Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat: Ipse vocat pugnas, sequitur tum cetera pubes.' *Id.*

3 *Primum ædes expugnabo*] Debet hic esse vociferatio vana ad hoc, et verbum militis cum quodam motu ingenti, et per immanes minas, sine ulla vi rerum. Vanaque comminatio est, velle ædes expugnare, cum foris sit Meretrix. *Idem.*

Recte, &c.] Ex decoro personæ et instituto parasiti, qui sibi imperaverat omnia assentari, *recte, probe, pulcre.* Farnabius.

4 *Male mulcabo ipsam*] Vide ordinem belli. Primo expugnatio mœnium, tum recuperatio captarum rerum, demum pœna prædonum. *Donatus.*

Male mulcabo ipsam] Sequor editionem Faërni, in qua scriptum est, *mulcabo.* Gall. *Je la meurtriray de coups.* Ea enim significatio hujus verbi est; quod, usque adhuc, non ita frequens in libris qui in usu quotidiano sunt. *Faber.*

Pulchre] Postquam non obtinuit quod volebat Gnatho, assentatur ad omnia. Vide autem manifestam irrisionem ex ipso genere laudandi. nam quid est in ædium expugnatione recti? quid in virginis ereptione probitatis? quid in male mulcanda muliere pulchritudinis? Sed hoc est, quod ait supra de se ipso parasitus, 'Quidquid dicunt, laudo.' *Donatus.*

In medium huc agmen cum vecti, Donax] Mire composita ad contemptum nomina legionariorum sunt. Nam *Donax* ab arundine, veluti sit inanis et fragilis, nomen sortitus est. *Idem.*

In medium huc] Ridicule satis armaturas leves non putat adversus Thaidem idoneas: et ideo agmen cum vecti vult venire in medium. An ideo cum vecti, quia ad expugnationem venitur ædium? *Idem.*

5 *Simalio*] A simio, vel a simia derivatum est, ob fœditatem oris vel nasi. *Idem.*

Syrisce] Jam diminutivum est a *Syro.* Idem.

Tu Simalio in sinistrum cornu, tu Syrisce in dexterum] Hic agmen instruitur. Facetum autem est, cum a rebus magnis res ridiculæ deriventur. *Idem.*

6 *Cedo alios*] Non *reliquos* dixit, sed *alios*, quasi multi sint. *Idem.*

Sanga] Nec sangarius saltem, ut nomen esset. *Idem.*

Manipulus furum] *Manipulus* proprie est militis. Cum Romani et Latini sub uno Centurione bellum aggressuri deputabantur, sibi sertum vel coronam ex manipulo herbæ, vel hujusmodi, conficiebant, quem pro signo sequebantur. Merito ergo Centurionem videns, manipulum desideravit: hoc est, coquum videns, convivas desiderat: qui apparaverat,

quoties locus affuit, id est, convivium est constitutum. Alii *manipulum furum*, condiscipulos dici putant. *Idem.*

Manipulus] Manus militum sub eodem papilione degentium, sub eodem signo pugnantium. Veget. l. II. Plutarchus in Romulo scribit Romulum duxisse magnas quasdam manus militum in centurias distributas, in quibus singulis unus vehebat manipulum fœni aut herbæ in conto vel hasta, hinc mansisse nomen manipulis. Ovid. III. Fast. 'Pertica suspensos portabat longa maniplos.' In legione centuriæ erant 60. manipuli 13. cohortes decem. Agel. l. XVI. c. 4. *Farnabius.*

Furum] Servorum culinariorum sub Archimagiro Sanga. Coquos autem pro furibus celebrat Plautus in Aulul. Pseudol. alibi. *Idem.*

Eccum adest] Pro se ac pro discipulis Sanga. *Donatus.*

7 *Quid? ignave*] Apparet, coquum ad repentinum strepitum sic exisse, ut artem suam fuerat expeditus. *Idem.*

Quid ignave, peniculon pugnare, qui istuc huc portes, cogitas] Ex *quid* elidendum est d, ex *istuc* s, ut octonarius constet. *Faërnus.*

8 *Egone*] Hæc causa est. *Donatus.*

Imperatoris virtutem noveram, et vim militum] Hoc plus habebit salis, si sic intellectum fuerit, ut Sanga uno eodemque tempore et quærat quid dicat, simulque respondeat, *Hoc noveram, sine sanguine fieri non posse*, scilicet ἀπροσδοκήτως. Quid igitur si hoc sciebat? *Idem.*

Egone? imperatoris virtutem noveram, et vim mil.] Laudat hunc versum Priscianus lib. IX. Infeliciter admodum, et sine ulla necessitate, Jo. Pricæus (ad VIII. Apulei. Miles.) corrigit: *næ ego imperator*, &c. de peniculo vide Lindenbrog. *Bæclerus.*

9 *Qui abstergerem vulnera*] Quasi hoc fuerit auxilii genus. Quid hoc est? unde vulnera? quorum vulnera? utrum utriusque partis? an, quod magis ridiculum est, suorum? *Donatus.*

Abstergerem vulnera] *Volnera* est in libro Bembino et Victoriano. Octonarius autem stat producta penultima in *abstergerem.* Priscianus lib. IX. *Faërnus.*

10 *Qui malum*] *Malum* per παρένθεσιν suaviter infertur. Plautus in Epidico, 'Quæ (malum) hæc impudentia est?' Et non interponitur *malum*, nisi oculis conversis ad eum, qui id quod reprehendimus, dixerit. *Malum* nunc interjectio est. *Donatus.*

Solus Sannio servat domum] Hæc figura παρόμοιον dicitur. *Idem.*

Solus Sannio servat domum] Ut, 'Sola mihi tales casus Cassandra canebat.' *Idem.*

Servat domum] Pro remanet, ut observet. Nam *servat domum*, rectum erat: non, *servat domi*, si *custodit* intelligeretur. Vel *Servat*, pro sedet: ab eo quod sequitur, id quod præcedit. nam non servat, nisi qui prius in eo loco sederit. *Idem.*

Servat domi] Donatus *domum* legit: ut et Mss. nostri. sed vindicarunt alteram lectionem Nonio Marcello probatam voc. Sanniones, Eruditi, et nunc Guyetus. *Bæclerus.*

Servat domi] Custodit res quæ sunt domi. Plaut. 'Nemo in ædibus servat.' act. sc. 2. 'Quia nos eramus peregre, tutatus est domi.' Plaut. Amphit. act. I. sc. 1. legitur et *domum.* Farnabius.

11 *Post principia*] Magnifice ad risum commovendum. nam dicere debuit, *post vos.* Et hunc locum sibi optimum elegit, ut timidus. *Donatus.*

Post principia] Militare dictum est. Et ambigunt multi, an in extremo agmine sit hic locus, an in medio. *Idem.*

Post principia] In prima acie stabant Hastati: in secunda Principes: post hos Triarii. Inter quos sibi cavit Thraso. et milites ipsi *principes*, dicti sunt *Principia*, ut servi, servi-

tia. *Farnabius.*

Inde omnibus signum dabo] Tanquam non omnibus dari possit, si aliunde detur. *Donatus.*

12 *Ipsus sibi cavit loco*] An *Loco* simpliciter, quia post principia? an *Loco*, in loco, opportune et εὐκαίρως? Terentius in Adelphis, 'Pecuniam in loco negligere, interdum maximum est lucrum.' An pro, de loco? *Idem.*

13 *Idem hoc jam Pyrrhus factitavit*] Irridet quidem Poëta: veruntamen ostendit, officium Imperatoris hoc esse, ne se in periculum projiciat. Sic Sallustius, 'Et in præliis actu promptus.' Et hoc totum, quasi in Palliata: sed concessum Poëtis fuit. Pyrrhus autem peritissimus stratagematωn fuit: primusque quemadmodum ea disciplina per calculos in tabula traderetur ostendit. *Idem.*

Idem hoc jam Pyrrhus fact.] Suavitatem Comœdiæ juvat, quod homo nihili, et nebulo magnus, ut infra dicitur, clarissimorum hominum exempla suis ineptiis prætexit: hic Pyrrhum, infra Herculem. Tota hæc scena lepore et festivitate comica conditur, sicut in præfatione ostendimus. *Bœclerus.*

Pyrrhus, &c.] Epirotarum rex, quem Antigonus ducem optimum pronunciavit, siquidem consenuit, superstes variis bellis. Annibal vero primas Alexandro dedit, quia, &c. Pyrrho secundas, quia castra metari primus docuisset, stratagematum in urbibus capiendis et præsidiis ponendis esset peritissimus, artem conciliandi homines optime calluisset. sibi denique tertias, &c. Liv. dec. IV. l. V. *Farnabius.*

15 *Nimirum consilium illud rectum est*] *Illud rectum est*, et nova locutio, et superiori similis, 'Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum:' pro sine dubio rectum est. *Donatus.*

15 *Sane quod tibi nunc vir videatur esse, hic Nebulo magnus est: ne metuas*] Figurata locutio, et præterea ὑπέρβατον intermixtum. nam hic ordo est, Sane hic nebulo est, ne metuas. An hic erit ordo et sensus, ut sit dictum, Ne metuas: sane qui tibi vir videtur esse, hic nebulo magnus est. Et recte: nam obterretur adolescens, et ætate Militis, quod jam vir est: et magnitudine, quod magnus corpore: quæ utraque in illo vana esse, meretrix ut experta denuntiat. *Nebulo* autem, vel inanis, vel vanus, aut mollis, ut est nebula, dicitur. Et hoc εἰρωνικῶς dictum est. Meretrix, frustra metuentem corripiens Chremetem, 'Sane,' inquit, 'quod tibi nunc vir videatur esse.' et deest, *Non est*: ut sit, Non est quod tibi nunc vir videatur esse: hic nebulo magnus est. Sic et alibi, 'Si in platea hac te offendero post unquam, nihil quid dicas mihi, Alium quærebam: iter hac habui: peristi.' Ut sit, Non est quod dicas mihi. *Idem.*

Sane quod tibi nunc vir vid.] Donatus explet ἔλλειψιν: 'Deest,' inquit, 'non est, ut sit: non est quod tibi nunc vir videatur esse,' comparatque alterum locum act. V. sc. 9. vs. 34. v. infra, et Chrestomath. voc. Quod. Scioppius supplet: 'ob id nomen seu negotium, quod,' &c. 'ab eo vel ex eo negotio seu nomine, quod.' *Bœclerus.*

16 *Quid videtur*] Non diceret miles, si staret in sententia: sed jam videtur timore mutatus. *Donatus.*

Quid videtur] Dubitandi est quod dictum sit, *Quid videtur?* Ego sane hoc Militem puto dicere, quem paulatim a violentis atque acribus principiis ad terrorem desidiamque perducit timor. Nam primo ipse præcedit, utpote qui dicat, *Sequimini.* Dum denique propius deventum est, *post principia* refert pedem. Post jam nihil ipse audet, sed quærit consilium Parasiti. Denique, ubi cominus res gerenda est, dixit *Mane*, et continet irruentes. Ad postremum diffisus, nescit quid agat: ad parasitum spectans, *Quid agimus*, inquit? *Idem.*

Fundam tibi nunc] Mire Parasitus hoc ait: vel quia Militem nolle videt, vel quia non audet impugnare, consilium formidolosum et aptum metuenti dedit, subtiliter tamen: nam funda pugnant, qui cominus non possunt: et ex occulto, qui non audent palam. Sed honesta causa, non, quia timeas, inquit, sed ut fugiant: tanquam nisi hostes fugerint, non sit tutum accedere. *Idem.*

Fundam tibi] Non dixit hastam, aut lanceam: sed sagittam, *fundam*, quæ nimirum longe jactatur. ut ex hoc intervallo pavorem ostenderet non audentis accedere. Et mire *tibi:* tanquam ipse Parasitus nec hoc audeat. Sunt autem qui putent hæc a Thaide ad Chremetem dici. sed male. non enim conveniunt ista Meretricis dictis superioribus: nisi quia movet me, quod *ex occulto* dicit: quasi constet ei, jamdudum videri militem et ipsum non vidisse, cum qua pugnaturus sit. *Idem.*

17 *Ut tu illos*] Meretricem scilicet cum suis, ut alibi, 'Nos prius introducant.' *Idem.*

Ut cæderes] Pro cædendo cogeres, ut facerent fugam. *Idem.*

Procul, &c.] Ut Paris Homericus, Ἐκ λόχου ἀμπήδησε. *Farnabius.*

Facerent fugam] Deest rursus *ut*, sic, *Ut facerent fugam.* vel ἀσυνδέτως illatum est. *Donatus.*

Facerent fugam] Desiderat conjunctionem *enim:* ut sit, *Facerent enim fugam.* Idem.

Facerent fugam] Ex duobus, quæ in Donato proponuntur, alterum ineruditum est. quis enim putaret, hic accipi posse, *ut facerent fugam?* Bœclerus.

18 *Sed eccam Thaidem ipsam*] *Eccam* et *ipsam*, figura ἔμφασις. quasi *eccam* principem belli: et *ipsam*, contra quam pugnaturus est. *Donatus.*

Sed eccam Thaidem ipsam video] Vultu hæc juvanda sunt. Miles vultu gestuque, tanquam ad certamen composito, cum strepitu hoc infert: *sed eccam Th. ipsam video.* itaque parasitus ex more συντραγῳδῶν, *quam mox irruimus?* inquit. sicut subinde, cum militem, obtentu consilii cunctari videt, et ipse orationem vertit, contrariam priori viam laudans: 'dii vestram fidem, quanti est sapere!' *Bœclerus.*

Quam mox irruimus] Hoc parasitus irridens Militem dixit. Et *irruere* proprie dicuntur, qui cum furore prælium ineunt. *Donatus.*

19 *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet*] Animadverte quantam vim habeant ad delectandum in Comœdiis severæ sententiæ, cum a ridiculis personis proferuntur: quale est apud Plautum, ubi Miles suam formam admirans, ait, 'Nimia est miseria nimis pulchrum esse hominem.' *Idem.*

Quam armis] Ἀνακόλουθον: pro *quam arma.* Aut ἔλλειψις est, si subaudiamus *agere.* Et mire non dixit *Me*, sed *Sapientem*, quod magis ridiculum est. *Idem.*

20 *An quæ jubeam*] Et mire non *velim*, sed *jubeam* dixit. *Jubeam* pro *velim:* ut, *Jubeo Chremetem.* Idem.

DI vestram fidem] Bona ἀναλογία: qui leviora laudaverat, hic exclamare jam debet. Et hoc est quod supra ait, 'Id rursum si negant, laudo id quoque.' Nam negat rursum male pugnandum esse, qui superius retineri non poterat, quin in prælium vel moriturus irrueret. *Idem.*

DI vestram fidem, quanti est sapere! nunquam accedo, quin abs te abeam doctior] Mire egit personam admirantis, per trinam ἀποστροφήν. Ad Deos, ut, *DI vestram fidem.* ad se ipsum, *Quanti est sapere!* ad militem, *Nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.* Et ridicule Parasitus, Nunquam accedo ad te, dixit, qui nunquam recedit. *Idem.*

21 *Quin abs te abeam doctior*] Nimis impudens assentatio, se fieri doctio-

rem ex Militis sapientia. *Idem.*

22 *Thais, primum hoc mihi responde*] Omissa contentione repetendæ Virginis; non enim jam puellam, sed pactum exigit, ut Amator. *Idem.*

Cum tibi do] Pro, *cum tibi darem.* Idem.

Thais, primum, &c.] Non minus nunc inepti litigatoris, quam hactenus, inepti militis specimen dabit Thraso. sed ut mos est huic generi, satis speciose et graviter orditur; et ne jure nullo reposcere virginem videatur, causam ante omnia, id est, perfidiam Thaidis, commemorat, ut conficiatur: quæ sub pacto et conditione tradita tibi est virgo, pacto non servato, merito jure reposcitur. Itaque non bene aunotatur apud Donatum: 'Thais, primum,' &c. Atqui ad ordinem litis, potius, quam ad affectum litigantis, hoc referri debet. nam reposcit certe virginem, ut primum, præmissa demonstratione juris, consequens erat, inferri: *Pamphilam ergo huc redde, nisi vi mavis eripi.* Bœclerus.

23 *Quid tum postea*] Aut, *dixi*, respondendum erat: aut, *Non dixi.* Sed vide contumaciam Meretricis: in contemptionem Personæ Militis interrogantem. interrogare maluit, quam per inductionem capi. *Donatus.*

Quid, &c.] Insolenter, et ut meretricem sapit. *Farnabius.*

24 *Rogitas*] Contentionis genus interrogativæ. *Donatus.*

Quæ mihi ante oculos coram] Utrum significat inepti Militis dictum? an *Ante oculos*, minus est quam *Coram?* Idem.

Ante oculos coram] Potest *ante oculos*, et longe tamen intelligi: *coram* proximitatem significat. *Idem.*

Quæ mihi ante oculos coram amat] Probandum erat, Thaidem pactum violasse. adducit miles probationem infirmam, præpropera suspicione nixam. neque enim Thais Chremetem, ut amatorem, invitari voluerat apud militem, sed ex alia causa. Apud Donatum inepte annotatur: '*quæ mihi ante oculos coram.* utrum significat inepti militis dictum? an *ante oculos* minus est quam *coram?*' Mireris, quomodo, qui Terentium legit, nodum in scirpo hic quærat, et ad geminationem φράσεως, id est, ad assiduam figuram comicam obhærescat. nunquam solet Terentius ineptos mores hominum vitiose loquendo designare. aliæ ipsi artes, et procul ab istiusmodi confugiis remotæ. copia et frequentatio verborum ubique in promtu longe petitarum περιεργίᾳ explicationum temerari non debet. res ipsa plerumque rationem demonstrat: cujus testimonium minutiis scrupulorum Grammaticorum longe potentius est. *Bœclerus.*

25 *Quid cum illo agas*] Omnino Meretrix non putat illum idoneum, cui reddenda sit ratio, cuique se purget: adeo apud illam amicitiæ ejus pertæsum est. Nam errant qui dicunt, eam se velle militi reconciliare. *Donatus.*

Et cum eo clam subduxti te mihi] Invidiose, *Et cum eo:* nam, ut supra legimus, exclusit Chremem. *Idem.*

Subduxti te mihi] Furtim subtraxisti mihi. Virgil. 'Et fidum capiti subduxerat ensem.' *Idem.*

Quid cum illoc agas] Sarisberiensis ad patrocinium Thaidis, quo tueatur Chremetem, hæc verba refert. Donatus melius contemtu militis dicta exponit. Thais enim indignum hactenus denotat, cum quo litiget. Itaque Chremes vices ejus excipit, postquam ad repetitionem Pamphilæ perventum est. hoc enim demum erat, quod contradictione egeret: suspicionem de rivali, quamvis vanam, confirmari volebat potius Thais apud militem, ad ea, quæ sequentur. *Bœclerus.*

26 *Lubuit*] Superbum est, et meretricium verbum. Sic de Chelidone

Cicero ait, 'Libenter ait se facturam.' *Donatus.*

Huc redde] Idioma est, pro contumelia reposcentis. sic et in Hecyra, 'Renumeret dotem huc: eat.' *Idem.*

Nisi vi mavis eripi] Utrum *nisi* pro *non et si?* ut sit, *Si tibi illam non mavis eripi.* Idem.

27 *Tibi illam reddat*] Se primum interponit Chremes, ut Adolescentulus potuit, jam fracto milite. *Idem.*

Aut tu illam tangas? Omnium] Ait utrumque Chremes. nam quia dixit, 'Nisi si tibi mavis eripi,' ait, 'Tu illam tangas?' et addidit *Omnium.* et est ἀποσιώπησις secunda. sic autem loqui solent plus gestu, quam verbis conciti. *Idem.*

Tibi eam reddat? aut tu eam tangas, omnium] Magna vis in pronominibus, et significatio est. ut, 'Cantando tu illum?' *Idem.*

Tibi illam reddat? aut tu eam tangas] Omnes fere libri, et in iis antiquissimi, et Donatus, *aut tu illam tangas.* Sed esset octonarius iambicus inter tot trochaicos, nisi quis hanc vocem *illam*, postremo loco positam, elisione alterius l, et m, quamvis sequente consonante, Pyrrichium faciat. *Faërnus.*

Omnium] Aposiopesis, *pessime*, aut tale quippiam. *Farnabius.*

28 *Quid tu tibi vis*] Recte. cum Thaide enim loquebatur, non cum hoc. *Donatus.*

Ego non tangam meam] Bene addidit *Meam.* hinc enim probatur injuste dictum, *Tu illam tangas?* Idem.

Tuum autem furcifer] Incongrue, ut imperitus Adolescens liberum servilibus convitiis exagitat. *Idem.*

Tuam autem furcifer] Donatus: 'Incongrue,' &c. Intempestivum acumen Grammatici. An non Cicero liberos *hom.* hoc vocabulo incessit? ὀνειδισμῷ αὐξητικῷ. *Bœclerus.*

Furcifer] Vide quæ ad scen. 5. act. III. 'Tibi ut ego credam, furcifer.' *Farnabius.*

29 *Cave sis, nescis cui maledicas nunc viro*] Animadverte, Parasitum neque tacere omnino, ne defuisse patrono videatur: neque in aliena causa rixam in se transferre. *Donatus.*

Cave sis] Quia imperativa sunt contumeliosa, addebant veteres *sis:* quod significat *si vis.* Idem.

Non tu hinc abis? scin' tu ut tibi res se habeat] Hoc Parasito, illud Militi Chremes. *Idem.*

30 *Scin' tu*] Non parasito, sed militi dicit. *Idem.*

Non tu, &c.] Hoc parasito dictum. *Farnabius.*

Scin' tu, &c.] Hoc militi. *Idem.*

Non tu hinc abis? scin' tu ut tibi se res hab.] Prius Parasito; posterius Militi Chremes dicit. quod recte Donatus notat. *Bœclerus.*

31 *Faciam ut hujus loci, dieique, meique semper memineris*] Moris est magnas esse minas hominum meticulosorum. Specta ergo quam acriter timidus comminetur. *Donatus.*

Hujus loci, dieique, meique] *Loci*, in quo læsus. *Diei*, quo cæsus. *Mei*, a quo cæsus. *Idem.*

Faciam ut hujus loci dieique meique] De Plauto sumtum, Captiv. III. 2. 20. *Bœclerus.*

Dieique, &c.] Dieique. vide Grammat. nostram, et Agellium l. IX. c. 24. *Farnabius.*

32 *Miseret tui me*] Hic Parasitus nunc quasi monitor Chremeti respondet. *Donatus.*

Qui hunc tantum hominem inimicum facias tibi] Ne nunc quidem Parasitus a Militis assentatione discedit. *Idem.*

33 *Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis*] Rusticius dixit, *Caput tuum diminuam*, quam si diceret, *Diminuam tibi caput.* Idem.

Diminuam ego caput tuum hodie] V. Chrestomath. Nugantur qui de statu mutatione hoc loco accipiunt. Donatus quoqu inepte: 'Rusticius

dixit,' &c. non habuit aliud, quod diceret. *Bæclerus.*

Diminuam, &c.] Capitis diminutio erat prioris status mutatio: 1. Cum aliquis simul et civitatem et libertatem amittebat. 2. Cum civitas amittebatur, libertas retinebatur. 3. Cum civitas retinebatur et libertas, sed status hominis commutabatur. Caput diminuere ait Nonnius l. IX. Misc. c. 10. est caput perdere. Hinc illa, truculenta Chremetis apud Terentium in Eunucho comminatio, quum mortem denunciaret: 'Diminuam ego tibi caput.' *Farnabius.*

Ain' vero, canis] Hoc verbo impudentibus inimicis convitium fieri solet. Nam militare dictum est in hostem, *canis:* et apud Homerum pro gravi contumelia in adversarium dicitur, velut in illo loco, *τί μὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ σοί τε, κυνῶπα; Donatus.*

Canis] Κυνῶπα, Κυνὸς ὄμματ' ἔχων. Iliad. α. Hom. i. e. impudens. *Farnabius.*

34 *Quis tu homo es? quid tibi vis*] Ἐπιτροχασμὸς figura est, ubi multa terribiliter interrogantur, ut, 'State viri: quæ causa viæ, quive estis in armis? Quove tenetis iter?' *Donat.*

35 *Scibis*] Non obsequenter, sed figurate dicitur ab irato. *Idem.*

Scibis] Et *scies*, et *scibis* dicitur post productionem tertiæ conjugationis. *Idem.*

Principio eam esse dico liberam] Quo tollitur, *Tuam videri.* Idem.

Principio] In tria divisit officium defensionis suæ. In assertoris, *Principio eam esse dico liberam.* In cognitoris, *Civem Atticam.* In fratris, *Meam sororem.* Et bonus est ordo, *Libera, civis, nobilis.* Idem.

Civem Atticam] Quo etiam negotium potest ei fieri, qui se pro domino gessit in civem. *Idem.*

Hui] *Hui, hem,* et cetera hujusmodi generis, sannæ sunt adversus eos, quibus irascimur. *Idem.*

Principio eam esse dico liberam, civem Atticam, meam sororem] Tria officia agnoscit hic Donatus: *assertoris, cognitoris, fratris.* Bene et illud notavit: 'Civem Atticam,' &c. Ordinem etiam merito commendat: *liberam, civem, sororem.* Tria enim sunt quæ habemus, libertatem, civitatem, familiam, sicut Romani quoque Jureconsulti statum hominis explicant. vide l. II. de cap. min. *Bæclerus.*

36 *Meam sororem*] Quo constat, præsto esse defensionem puellæ. *Donatus.*

Os durum] Quasi ex omnibus hoc sit impudentius, quod et sororem suam dicat. *Idem.*

Os durum] Os impudens: ut contra, *mollis frontis* dicuntur, qui sunt reverentes. *Idem.*

Os durum] Perfrictæ frontis homo, vel durioris. *Farnabius.*

Nunc adeo edico tibi] Ut superbe, quasi Militi: nam *edictum*, Prætoris dicitur et Imperatoris. *Donatus.*

Miles, nunc adeo tibi] *Miles* contumeliose dixit. De iis enim est officiis, quæ suo nomine contumeliosa censentur. sicut in Adelphis, 'Delibera hoc, dum ego redeo, leno.' *Id.*

37 *Ne vim facias ullam in illam*] Servavit præcepta meretricis: adeo ut meminerit, 'Si vim faciat, in jus ducito hominem.' *Idem.*

Ego eo ad Sophronam] Hoc lentius a Thaide Chremeti. *Idem.*

39 *Prohibeo inquam*] Non satis exercitate adolescens totidem verbis dictum repetit Militis. *Idem.*

Prohibeo, inquam] Apud Donatum legas: 'Non satis,' &c. quid potuisset ineptius annotare, quisquis est, qui hæc Donati commentario assuit? *Bæclerus.*

Audin' tu? hic furti se alligat] Gnatho occasionem finiendi litigii jamdudum quærit, ob desiderium mensæ et cibi: et ideo quasi de jure consilium suggerit, hunc reum Militis esse posse, qui paratus est alienam rem suam dicere, et id in jure profiteri,

hoc est, apud Prætorem. Ergo *furti se alligat*, id est, reum se efficit fraudis. Nam *μεταληπτικῶς furtum* pro omni fraude et dolo accipimus et injuria. *Donatus.*

Alligat] Astringit, illaqueat, et obnoxium facit. Omne igitur quod fraude fit, furtum est. Sic Virgilius, 'Furta paro belli,' id est, insidias. et 'Dulcia furta,' id est, adulteria. Omne malum factum. 'Quæ quis apud superos, furto lætatus inani, Distulit in seram commissa piacula mortem.' *Furtum* duobus modis dicitur. Uno, cum omne maleficium generaliter significatur: altero, cum res surrepta demonstratur. Nunc ergo *furtum* maleficium est. *Idem.*

Audin' tu? hic furti se alligat. satis hoc tibi est] Eugraphius legit *te.* Apud Donatum duplex interpretatio ponitur, nec ab una manu, ut apparet: quarum altera, *se alligat*, altera, *te alligat*, explicare contendit. Optima est lectio, quam retinuimus hoc sensu: nascitur tibi adversus Chremetem titulus novæ actionis. furti enim adversus ipsum agere potes, quod rem tuam sibi vindicat. satis est hoc tibi, scilicet, 'Ad repetendam,' &c. ut Donatus supplet. *Bæclerus.*

Furti se alligat] Reum se, quasi apud prætorem, furti astringit, professus se dolo malo rem a proprio domino auferre et detinere. Rei ligantur, innocentes absolvuntur. *Farnabius.*

40 *Satis hoc est tibi*] Ad repetendam scilicet Virginem, sumendamque injuriæ vindictam. *Donatus.*

Satin hoc est tibi] In omnibus et Donato, *satis hoc tibi est*, quæ verba militi, et recte, Donatus attribuit. Gnatho enim, cui rixa displicebat, persuadere vult militi, sufficere ei furti actionem contra Chremetem, qui professus erat se prohibiturum ne miles suam tangeret. sed ut trochaicus constet, vel *tibi* erit una syllaba, vel ex *est* s elidetur. *Faërnus.*

Idem hoc tu ais] Id est, hoc quod Chremes, et tanquam Chremes. Et ipsam circumventurus interrogat. quod illa intelligens, malitiose ait, *Quære qui respondeat.* Satis contumeliose: illud enim quæritur, quod difficile reperitur. Ergo non modo indignus es, inquit, cui ego respondeam: sed vix invenies, qui te dignum responso judicet. *Donatus.*

Quære qui respondeat] Et contempsit interrogantem: et indixit inimicitias professione iracundiæ, cum dixit indignum Militem. *Idem.*

41 *Quid nunc agimus*] Vide ut evanuerit actio Militis. Primo dixit, 'Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.' Post, 'Idem hoc tu ais, Thais?' Et postremo, 'Quid nunc agimus?' Et, 'Quid nunc agimus?' consilium quærentis est. *Idem.*

Quid nunc agimus] Languidi atque defessi est. *Idem.*

Quid nunc agimus] Ubi est illud quod ait, 'Primum ædes expugnabo,' et cetera. Sed vani impetus hunc exitum semper accipiunt. *Idem.*

Quin redeamus] *Quin,* modo *imo.* Non abeamus, inquit, sed redeamus: ut irritos conatus uno verbo ostenderet. *Idem.*

42 *Credin'*] Ex parte consentit, qui sic interrogat. *Idem.*

Credin'] *Credere,* dubitantis est: *Certum esse,* fidentis. *Idem.*

43 *Ubi nolis, cupiunt ultro*] Plus intulit spei, non revocando verbum quod expectabatur, hoc est, *volunt:* sed *cupiunt.* Ergo variavit: non enim intulit, *Volunt ultro.* Idem.

Bene putas] Hoc est, recte putas, sapis, vel intelligis. Virgilius: 'Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.' Vel conjicis. Vel *putas,* disputas. Vel *putas,* cogitas. *Idem.*

44 *Jam dimitto exercitum*] *Dimitti exercitus,* dicitur, vel pace facta, vel vexatis hostibus. Ridicula ergo magnificentia verborum est, cum sint facta deformia. *Idem.*

Jam, &c.] Κακὸς θαῤῥεῖ μάλ' αὐτόθεν, ἔπειτα δὲ φεύγει, inquit Epicharmus, qui antea minas vociferabatur. *Sequimini, primum ædes expugnabo. Virginem eripiam. Male multabo ipsam.* Jam *ubi ad rem ventum est, cavet sibi post principia, manere* jubet et *rem consilio experiri.* Quod quærit a parasito. *Quid nunc agimus?* denique receptui canit turpiter, et *exercitum*, i. e. *manipulum furum dimittit.* Farnabius.

Sanga, uti fortes decet milites, domi focique fac vicissim ut memineris] Ut mire in coquum, qui focum curat in domo. quia milites hi fortiter pugnant, qui sunt memores domorum. Vide ergo quam utrumque comicum. Ad ineundum prælium, resque bellicas, Donax primus est: ad res domesticas Sanga, qui coquus est. *Donatus.*

Domi focique] *Domi* et *Foci* genitivi sunt. Cæcilius, 'Decora domi.' Plautus, 'Quanquam domi cupio, opperiar tamen.' *Idem.*

Domi, &c.] Contestatur parasitus principiis suis, quæ cum mediis tendunt ad finem, gulæ et ingluviei. *Farnabius.*

46 *Jam dudum animus est in patinis*] Hic aperuit causam Poëta, cur et invitus Gnatho iret ad litem, et libens domum redeat. *Donatus.*

Frugi es] Utilis et necessarius: a frugibus, quæ quod his fruamur, dictæ sunt. Inde *fructus* et *frumentum*. *Frui* autem est vesci. a frumine, quæ est summa pars gulæ: a qua re, etiam his, quæ nec cibo nec poculo sunt, *frui* dicimur καταχρηστικῶς: utpote rebus venereis et delectatione odoris, visus, auditus, et ceteris. *Idem.*

Jam dudum animus est in patinis. Gn. *frugi es*] Gnatho non belli, non contentionis, sed ciborum potius memorem se κωμικῶς præbet; 'domique et foci meminisse,' festive milites, non tam ad pugnandum pro aris et focis scilicet idoneos, quam ad consumendas fruges natos factosque, jubet. posset ingenium ejus interpretari Martialis illo vers. II. 40. 'Novi hominis mores: esurit atque sitit.' quod enim potius parasiti negotium studiumque? *Bœclerus.*

ACTUS V.

Scena I. Senarii sunt. vs. 2. unus Mss. meorum: *audivi, non affui.* vs. 10. omnes: *aut quamobr. add.* unus: *deductus.* vs. 15. omnes: *jussisti.* vs. 20. omnes: *potes.* et vs. 22. *aspicis.* Bœclerus.

1 *Pergin', Scelesta, mecum perplexe loqui*] Nunc demum virgo vitiata esse cognoscitur a Thaide, opportune, postquam magnopere et defensa est, et retenta. Nam statim consequentur nuptiæ ejus et Chæreæ, qui illam vitiavit. *Donatus.*

Perplexe loqui] Ideo *Perplexe*, quia statuerat crimen virginis celare. *Id.*

Perplexe loqui] Περιπλέγδην. intricato tortiloquio. *Farnabius.*

2 *Scio; nescio; abiit; audivi*] Mire ex dictis omnibus pauca decerpit: et ostendit quod perplexe dixerit: et stomachum sævientis expressit. *Donatus.*

Scio] Flere puellam. *Idem.*

Nescio] Vitiatam. *Idem.*

Abiit] Eunuchus. *Idem.*

Audivi] Domi hoc admissum. *Idem.*

Ego non adfui] Cum hæc fierent. Acriter iratorum est, ea repetere, quæ proxime dixerint, quibus irascuntur. ut, 'En ego victa situ, verique effœta senectus.' *Idem.*

Scio, nescio, &c.] Ellipses non bene explet Donatus. *Bœclerus.*

3 *Non tu istuc, &c.*] Non est hic interrogatio. *Donatus.*

4 *Virgo conscissa veste lachrymans obticet*] Hæc omnia rixam esse significant. *Idem.*

Virgo obticet] *Tacemus* consilia: ut, 'Nec tacui demens.' *Reticemus* dolores: ut, 'Ne verere, ne retice.' *Obticemus* quorum nos pudet; ut in Phormione, 'Heu quidnam obtices?' *Idem.*

5 *Eunuchus abiit*] Non *Chærea*, sed *Eunuchus*: non *fugit*, sed *abiit* dixit. *Idem.*

Quamobrem? quid factum est? taces] Hæc ἀσύνδετα instantis Dominæ vultum habitumque demonstrant. *Idem.*

7 *Quis fuit igitur*] Hæc cunctative pronuntianda sunt: aut quia invita indicat, aut dubitat de nomine ignoti: aut trepidat per timorem: aut, ut non videatur affuisse, cum fuerit factum: aut quia non libenter dicat ejus nomen, cui irascitur. Sed ego agnosco ancillarum consuetudinem, quæ obliviosæ sunt. *Idem.*

Quis fuit igitur, &c.] Non satis cohærent, quæ apud Donatum leguntur. postrema autem illa quæ *ancillam obliviosam* faciunt, ferri nullo modo possunt. multarum de argumento rerum obliviscatur necesse est, qui oblivionem hic Pythiadi tribuit. *Bœclerus.*

8 *Iste ephebus*] *Ephebus* nomen ad ætatem retulit, non ad facinus commissum. *Donatus.*

Ephebus] Cito ostendit, cur iste Eunuchus creditur. *Idem.*

9 *Quid ais, venefica*] Redit rursum ad iracundiam. aptum convitium et comicum in ancillas; *venefica, lupa, vipera et sacrilega*, et cetera. *Idem.*

10 *Quid is obsecro ad nos*] Non rogantis est *obsecro*, sed dolentis. *Idem.*

11 *Nisi amasse credo Pamphilam*] Deest *quod*: ut sit, *nisi quod.* Idem.

13 *Num id lachrimat virgo*] Ut supra: 'Id vero serio triumphat:' pro, ob id. *Idem.*

Id opinor] Callide Pythias *Opinor* dixit, cum sciat. *Idem.*

Quid ais sacrilega] Αὔξησις. nam primo *scelesta*, deinde *venefica*, postremo *sacrilega.* Idem.

14 *Istuccine interminata sum*] Satis moraliter. *Istuccine interminata sum:*

pro, *Num istuc tibi comminata sum?* Idem.

Istuccine interminata sum hinc abiens tibi] Apparet hæc post scenam esse mandata. nam supra non meminit: sed dixerat, 'Tamen hos prius introducam, et quæ volo simul imperabo: postea continuo exeo.' *Idem.*

Abiens tibi] Supra, act. III. sc. 2. 'Quid aliud volui dicere? Hem, curate istam diligenter virginem.' *Farnabius.*

15 *Ita ut tu justi, soli credita est*] Dixerat enim prius Chærea, 'Edicit ne vir quisquam ad eam adeat, et mihi ne abscedam, imperat.' *Donatus.*

Justi] Συγκοπὴ καὶ μεταπλασμὸς, pro *jussisti.* Idem.

Soli credita est] Act. III. sc. 5. Antiphoni narrat Chærea sibi commodatam a Thaide virginem. 'Edicit,' inquiens, 'ne vir quisquam ad eam adeat, et mihi ne abcedam, imperat. In interiore parte ut maneam solus cum sola.' *Farnabius.*

16 *Scelesta, ovem lupo commisisti*] Bene dilatum tot occasionibus proverbium, personæ Thaidis asscriptum est. continet enim fœmineam reverentiam et meretricium sensum, reditque rursus ad minora convitia; quia videt se esse convictam. Et est proverb. 'Ovem lupo commisisti.' *Donatus.*

Ovem lupo commisisti. dispudet] Plaut. Pseudol. act. I. sc. 2. 'Ut mavelis lupos apud oves relinquere, quam hos domi custodes.' Antonius in concione dixerat, futurum se custodem urbis, usque ad Calendas Maias. 'O præclarum,' inquit Cicero, 'custodem ovium, ut aiunt, lupum.' III. Philipp. 'Sed quis custodiet ipsos Custodes?' Juv. VI. Sat. *Farnabius.*

17 *Sic mihi data esse verba*] Videtur plura fuisse dictura, nisi supervenisset Chærea. *Donatus.*

Quid hominis illic est] Per genitivum casum injuriose dicitur: per nominativum, honorifice. *Idem.*

Quid hominis illic est] Non continuo agnoscit hunc hominem Meretrix. Quia etsi adhuc Eunuchi veste indutus est, attamen exuit spadonis incessum: vultum, habitumque mutavit: et præter vestem, totus in Chæream rediit. *Idem.*

18 *Hera mea tace; tace, obsecro*] Blande ac puellariter arridet. *Idem.*

Tace] Non silentium indicentis est, sed securam facientis: ut, 'Tace, egomet conveniam ipsum.' *Idem.*

19 *Habemus hominem*] Mire *hominem* dixit, ut reum. *Idem.*

Habemus hominem ipsum] Hunc versum et sequentem alii aliter ordinant. nos sic ex libro Bembino: *Habemus hominem ipsum.* TH. *ubi is est?* PY. *hem ad sinistram. Vides ne?* TH. *video.* PY. *comprendi jube quantum potest.* Ut ambo sint trimetri Iambici; prior quidem catalecticus, sequens acatalecticus, id est senarius, in quo sit proceleusmaticus in secunda et in quarta dactylus, correpta in *jube* posteriore syllaba. *Faërnus.*

20 *Jube comprehendi*] Pro *comprehende. Jube* enim *velle* significat. *Donatus.*

21 *Quid illi faciemus, stulta*] Subauditur *comprehenso.* Idem.

Quid facias, rogas] Moraliter expressit puellæ stupentis verba, et non habentis quid respondeat ad ea quæ dicta sunt. *Idem.*

22 *Vide amabo, si non, cum aspicias, os impudens videtur*] Mire ab eo quod respondere cœperat, ad aliud transit, mirata confidentiam Chæreæ. Non est impudens, inquit, non est nisi similis impudenti. Sic alibi, 'Severitas inest in vultu, atque in verbis fides.' *Donatus.*

SCENA II.] Iterum Senarii. vs. 5. Mss. nostri omnes: *egomet in pedes.* vs. 9. pro *hæreo,* duo habent, *horreo.* vs. 13. omnes: *abiturum.* vss. 22. 28. omnes: *quid vero* (unus interponit, *ita*) *abeam? credon' isti quicquam furcifero? præsertim cum se,* &c. vs. 32.

duo, *pararem:* unus, *parerem.* vs. 35. omnes: *ex malo princ.* vs. 36. omnes: *et quid si.* vs. 44. pro *hera,* duo habent, *Cherea.* collocatio verborum in hoc versu varia est. vs. 65. omnes Thaidi tribuunt illud, *apage te.* vs. 69. omnes: *sequar.* vs. 70. omnes: *Chremetem.* Bœclerus.

1 *Apud Antiphonem uterque*] Rediens in viciniam suam, causam reddit Chærea, cur non mutaverit vestem. Oportuit autem, et de necessitate argumenti fuit, Chæream non mutasse vestem, ut cum meretrix virginem a Chærea vitiatam audiret, et eum cum turpi habitu incedentem intueretur, eum reum vitiatæ virginis putaret. *Apud Antiphonem,* dixit, pro, in domo ejus. *Donatus.*

Apud Antiph.] Causam reperire debuit Poëta, quamobrem habitu Eunuchi, in quo facinus admiserat, Chærea reduceretur, adeoque agnosceretur, et deprehensus nuptias vitiatæ polliceretur. *Bœclerus.*

Uterque, Mater et Pater] Non, uterque pater, et utraque mater, sed *uterque parens:* quia pater et mater. *Donatus.*

Mater et pater] Antiphonis parentes. *Farnabius.*

2 *Quasi dedita opera domi erant*] Non tam mirum, si domi erant: sed illud magis mirum, quod in ea domus parte, qua in ædes introëundum erat adolescentulo. *Donatus.*

Ut nullo modo introire possem] Superius causa continetur, cur non mutaverit vestem: inferius autem, cur huc redierit. *Idem.*

3 *Quin viderent me*] *Quin,* modo pro *quo minus.* Idem.

4 *Dum ante ostium sto*] Antiphonis scilicet. *Idem.*

Notus mihi quidam obviam venit] An notus, qui me posset agnoscere? an qui me noverit, id est, amicus? *Idem.*

5 *Quantum queo*] Deest *velociter.* Idem.

In pedes, &c.] Ellipsis. conjeci sc. aut dedi, id est, fugi. *Farnabius.*

6 *In angiportum*] Vide illum non vitasse sub una clausula bis *in* dicere, *in pedes, in angiportum. Angiportum* dicebant vicum non pervium, viam publicam. *Donatus.*

In angiportum quoddam desertum] Deest, fugiens. *Idem.*

7 *Ita miserrimus fui fugitando*] Id est, fatigatus, lassus, et languidus sum dum fugio. Et honesta locutio est: ut, 'Miser amando, miser currendo.' *Idem.*

8 *Ne quis me cognosceret*] Nota improprie dictum, pro *Agnosceret.* Id.

9 *Sed estne hæc Thais, quam video*] Jampridem ipse visus, nunc primum videt. *Idem.*

Hæreo] Incertus remaneo atque defigor. Primus metus adimit consilium: sed recogitatio reddit confidentiam. *Idem.*

Quid mea autem] Colligit se rursus ad impudentiam Chærea. et vide si non eadem est audacia in Chærea, quæ in suscipiendo facinore fuit. Et ἐλλειπτικῶς, *quid mea autem?* Idem.

Quid faciet mihi] Opportune se confirmavit, quia si extimuisset et fugisset, nihil nuptiæ promoverentur. *Idem.*

11 *Bone vir, Dore*] Hoc totum figurate dixit, ut Meretrix, et subtiliter. Nam scit Chæream esse quem alloquitur, non Eunuchum. Et hic magna occasio datur Meretrici adeundi Adolescentis, qui habitum non mutavit, et adhuc quasi Eunuchus et Servus est. *Idem.*

Bone vir, Dore, salve] Major objurgatio est, per hanc dissimulationem Thaidis adversus Chæream, quam si illum id, quod est, appellet. *Idem.*

Bone vir, Dore, salve] Εἰρωνείᾳ irascentibus familiari orditur; eaque re occasionem præbet lepori comico. nam Chærea, nomine servili compellatus, eadem figura ludens, pro servo se gerit; fatetur, causatur, depreca-

tur, ad modum fugitivi reprehensi. cumque Thais jam contentius cœptaret agere; ‘Eho, paulum, impudens, an paulum hoc esse tibi videtur, virginem vitiare civem?’ ille astute in ironia perstat: *conservam esse credidi.* quæ res Thaidem adegit, serio agere, et nominatim jam accusare: *missa hæc faciamus* (sc. hæc verborum ludibria, ironiam hanc) et serio agamus. *non te dignum, Chærea, fecisti, &c.* Bœclerus.

12 *Hera, factum*] Non potuit subtilius respondere Chærea, quam accommodare se interroganti. *Donat.*

Satin' id tibi placet] Hoc potest et non figurate dici, sed aperte. *Idem.*

13 *Credin' te impune abiturum*] In aliquot antiquis exemplaribus, inter quæ est et Bembinum, legitur, *habiturum*, cum aspiratione. quæ minime dubia est lectio; dicimus enim, impune habere, ut et infra: ‘Siquidem istuc impune habueris.’ et Virgilius: ‘Non impune feres.’ *Faërnus.*

Unam hanc noxiam omitte] Trisyllabo nomine *Noxiam* dixit, quasi noxam. Alibi aliter, *Dominam* dixit *extra noxam.* Donatus.

Unam, &c.] Cic. pro Ligario: ‘Ignoscite judices, lapsus est, non putavit. Si unquam posthac,’ &c. *Farnabius.*

14 *Si aliam admisero unquam, occidito*] Verba servorum, quibus nihil horribile est post præsentes plagas. Et non *Cædito*, sed *Occidito:* et non *alias* dixit, quasi illa Chæreæ dixerit, ‘at hic irrisor es, ut fugitivus.’ *Donatus.*

15 *Num meam sævitiam veritus es*] Ut fugeres. *Idem.*

Num, &c.] Quod aufugisti. *Farnab.*

16 *Hanc metui ne me criminaretur tibi*] Perfecte imitatus est verba fugitivorum, quæ apud dominos faciunt comprehensi. *Donatus.*

Hanc metui, &c.] Pythiam. *Farnab.*

19 *Vitiare civem*] Bene intulit *Civem:* quod plus est, quam Virginem vitiare. Αὔξησις gradatim facta. *Donatus.*

Conservam esse credidi] Locus erat ut diceret, *Servam esse credidi*, sed admirabiliter *Conservam* dixit. et hoc ipsum, miserabiliter pronuntiandum est: tanquam miserabiliter crediderit conservam esse, quæ civis erat, atque eam quasi conservam vitiare debuerit. *Idem.*

20 *Conservam*] Opportune stomachabatur Pythias, facta mentione conservæ. *Idem.*

Vix me contineo quin involem in capillum] Minæ istæ proprie fœminarum sunt, et in se, et in alios unguibus sævientium: ut, ‘Unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis.’ Sed *involem*, ab avibus tractum est, ut apud Virgilium, ‘prædam pedibus circumvolat uncis.’ Ergo hoc gestu, et dicto, et corporis motu, est adjuvandum. *Idem.*

Involem in capillum] Apparet, more veterum intonsum esse. *Idem.*

21 *Etiam ultro derisum advenit*] Mire nunc addidit accusationem, quod non saltem fugeret. *Idem.*

23 *Debeam credo isti quicquam furcifero*] Subauditur *vero*, aut εἰρωνικῶς pronuntiandum est. Sane debere dicimur pœnas pro injuria ei, cui injuriam fecerimus: quas se non debituram Chæreæ ut Furcifero dicit Pythias, si illi cædem intulerit in servili habitu constituto. *Idem.*

Debeam credo isti quicquam furcifero] Donati eruditam annotationem bene illustravit Guyetus. *Bœclerus.*

Furcifero] Servi ob leve aliquod furtum, fugam, aut aliud delictum, furcam gravem e ligno in collo ferre cogebantur, subligatis ad collum manibus et per forum aut viciniam ignominiæ causa traducebantur, prædicantes peccatum suum. exinde a vicinis pro furibus, fugitivis aut infidis noti, agnominabantur furciferi. *Farnabius.*

Si id fecerim] Si involaverim in capillum ejus. *Donatus.*

25 *Missa hæc faciamus*] Hæc scilicet jocularia et futilia. *Idem.*

Non te dignum, Chærea, fecisti] Artificiose Meretrix ab eo quod licuit, ad id quod oportuit transiit: nec tractat quid sit legitimum, sed quid honestum. Itaque totam illam partem facti accusandi omittit, et ab accidentibus personæ adolescentis objurgat. scit enim, uno verbo obstari posse, *Licuit mihi*, in domo meretricia scilicet: ne videatur irrationabilis esse audacia illa ingenui a Poëta inducta esse. *Idem.*

Non te dignum] *Dignum*, pro digne. aut deest *facinus:* ut sit, *non te dignum facinus fecisti.* Mira accusatio mixta laudi et blandimento. *Idem.*

26 *Nam si ego digna hac contumelia sum*] Deest, *et*, ut sit ordo: nam etsi maxime. et bene additum est *Maxime*, ut appareat, quod etsi digna pati sit meretrix, non tamen maxime digna pati Thais est. *Idem.*

27 *At tu indignus qui faceres tamen*] Recte dixit. Quatuor enim sunt modi in hujusmodi rebus. ita ut aut uterque dignus sit, aut uterque indignus: aut alter dignus, alter indignus: aut contra. *Idem.*

28 *Neque ædepol, quid nunc consilii capiam, scio, de virgine istac*] Intelligit Thais amari virginem ab hoc: et ideo sic ait, ut conciliet nuptias. nam satis signi est, quod Eunuchi habitum propter hanc sumpsit. Et vide quemadmodum ad captionem nuptiarum res eant: quod tamen dicere non audet Thais, sed ostendit adolescenti conjecturis, quem tentat, sciens amantem virginem: et viam ostendit petendæ sibi uxoris. *Idem.*

32 *Hoc mihi beneficium, Chærea*] Blande nomen repetitum est, Chærea. *Idem.*

Ut solidum, &c.] Integram et intaminatam fratri suo restituere. *Farn.*

33 *At nunc dehinc spero*] Nunc jam Chærea vera veris æquiparans, recedit a jocularibus. *Donatus.*

34 *Sæpe ex hujusmodi re*] Hoc est, turbulenta. *Idem.*

Quapiam] Quacumque, vel aliqua. *Idem.*

Sæpe ex hujuscemodi re quapiam, &c.] In venia tractanda, solennes quodammodo sunt hi duo loci, ‘De eventibus vitæ humanæ et casibus,’ tum ‘De fato et divina potentia, multa in humanis, præter quam expectatio erat, efficiente.’ Priorem locum tractavit Plautus, Amphitruone III. 2. 57. &c. posteriorem, Aulularia IV. 10. 10. non sine licentia improbiore: ‘Factum est illud, fieri infectum non potest. Deos credo voluisse; nam ni vellent, non fieret scio.’ et præcesserat vs. 7. ‘Deus impulsor mihi fuit: is me ad illam illexit.’ Poëta noster longe ἠθικώτερον tractavit hanc καταναγκην: *quid si hoc quispiam* (nec otiosa est vox illa) *voluit Deus?* Bœcler.

Sæpe, &c.] Idem facinus, raptum sc. Sabinarum, eadem sententia excusat Romulus apud Livium: ‘Sæpe ex injuria postmodum gratiam ortam.’ *Farnabius.*

36 *Quid si hoc quispiam voluit Deus*] Pleraque repentinis impulsionibus nata, mirisque proventibus, Deo ascribi solent. Ut, ‘Descendo, ac ducente Deo flammam inter et hostes Expedior.’ Et, ‘Hinc me digressum vestris Deus appulit oris.’ Et Sallustius, ‘Ut tanta repente mutatio non sine Deo videretur.’ *Donatus.*

Quid si hoc quispiam voluit Deus] Vult amorem intelligi Deum. *Idem.*

Quispiam, &c.] Plaut. act. IV. sc. 10. ‘Deus mihi impulsor fuit, is me ad illam illexit,’ Ἐβιάσθη γὰρ ὑπὸ τοῦ θεοῦ. καὶ πρὸς τὸν Ἔρωτα δυναστείαν οὐκ εὔπορον. Libanius progymnasm. contra homicid. *Farnabius.*

37 *Equidem pol in eam partem accipioque, et volo*] Evenire subauditur: et est σύλληψις tertia. *Donatus.*

Equidem pol in eam partem] Et *familiaritatis* spes, *et divinæ voluntatis*

mentio, quid nisi matrimonium, unicam vitiatæ satisfactionem, pollicebatur? itaque accipit ambabus manibus, et mox ut placata loquitur; *scio;* te non contumeliæ causa, sed amoris fecisse. *scio* i. e. credo, nec dubito. asseverate. jam enim pars consilii, ad catastrophen necessarii erat, non dubitari de animo Chæreæ. *Bœclerus.*

38 *Imo ita quæso*] Utrum Meretricem, an Deos quæso? utrumque enim accipi potest. *Donatus.*

Unum hoc scito. Scio] Unde hoc sciat Thais, inepte quæritur, quum ipsa res clamet, nunquam hanc conditionem subiturum Chæream, ut pro Eunucho, etiam servo, se fingeret sine amoris impulsu. *Idem.*

39 *Contumeliæ non me fecisse causa, sed amoris*] In quo veluti vis quædam ἀναγκαστικὴ figuratur. unde mox Thais: non tam imperita sum, *ut, quid amor valeat, nesciam.* Potenter tractatur hic locus in actione Neptuni apud Libanium (tom. I. Declam. 22.) *εἰ μὲν γὰρ ὕβρει τοῦθ' Ἁλιῤῥόθιος ἐποίει, καὶ ἀσελγείᾳ, καὶ λυπεῖν ἐθέλων, ὡς ἄν τις ὑπερορῶν καὶ καταφρονῶν, καλῶς τέθνηκεν· οὐκ ἀντιλέγω. εἰ δ' οὐχ οὕτως ἐμαίνετο καὶ παρεφρόνει, ὡς οὐκ οὔσης ἀνάγκης, τῇ μὲν προσιέναι, σὲ δὲ μὴ δεδιέναι, μὴ τοῦ δρασάντος μᾶλλον ἡγώμεθα τὸ ἔργον ὡς τοῦ ἀναγκάσαντος. τὴν δὲ τοῦ ἔρωτος δύναμιν, ὡς ἄμαχος ὁ θεὸς, ὡς ἀνίκητος, ὡς πάντας αὐτοῦ ποιῶν ἀσθενεστέρους, τίς ἀγνοεῖ; κ.τ.λ.* *Bœclerus.*

40 *Nunc ignosco tibi*] Quod culpa non sit hominis, sed amoris. *Donatus.*

41 *Non adeo inhumano ingenio sum, Chærea*] Hoc est, immitis non sum, quantum putas: ut, 'Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni.' *Id.*

Non adeo, &c.] Virg. Æn. 'Non obtusa adeo gestamus pectora,' &c. et ibid. 'Non ignara mali.' *Farnab.*

42 *Neque tam imperita*] Id est, non experta. *Donatus.*

Ut quid amor valeat, nesciam] Non *inhumana*, quia homo. non *imperita*, quia meretrix. Et *neque tam imperita* inquit: quasi dicat, Neque tam pudica sum, ut quid amor valeat, nesciam. *Idem.*

43 *Te quoque jam, Thais*] Bene *quoque:* non enim jam hanc ita amat, ut negligat illam: sed hanc illius causa. *Idem.*

44 *Pol tibi ab istoc, hera, cavendum*] Facete. tanquam qui soleat capillum et vestem ejus conscindere, quam amaverit. *Idem.*

45 *Non ausim*] Pro, *non audebo:* et est verbum hujus temporis tantum. *Idem.*

Non ausim] Utrum propter ætatem? an propter fratrem suum Phædriam potius? *Idem.*

Nihil tibi quidquam] Παρέλκον quartum. aut *nihil*, pro *non.* Idem.

Desinas] Pro eo quod est, *desine:* an deest *fac:* ut sit, *fac desinas.* Id.

47 *Ego me tuæ commendo et committo fidei*] Satis amatorie, ut appareat, nunc maxime captum Chæream, ac mancipatum virgini. *Commendamus* nos cognitis: *Committimus* ignotis. Ergo *αὔξησις* est majoris officii, fideique circa Thaidem. *Idem.*

48 *Te mihi patronam capio*] *Te* adjectum, vim habet, et ex animo supplicantis habitum adolescentis ostendit. *Idem.*

Patronam, &c.] Tanquam e servo tuo jam libertus. *Farnabius.*

49 *Emoriar, si non hanc uxorem duxero*] Vide Amatorem adolescentulum, cui in ipso flore nihil dulcius vita est, ipsam despicere, si sibi uxor non datur. *Donatus.*

Emoriar, &c.] Ne vivam. *Farnab.*

50 *Tamen si pater*] Ἔλλειψις, aut *ἀποσιώπησις* secunda. *Donatus.*

Quid? ah volet, certo scio] *Quid?* deest *dicat.* sed ista omnia ad confirmationem valent. *Idem.*

Th. *Tamen si pater.* Ch. *Quid? ah volet, certo scio*] Ut senarius sustentetur, elide r, ex *pater*, vel n, ex *tamen.* Faërnus.

Quid, &c.] Aposiopesis, assenserit. *Farnabius.*

51 *Civis modo hæc sit*] Mire hic in votum conversum est, quod timere potuit, non ducturus uxorem. *Donatus.*

Paululum opperirier si vis, jam frater ipse hic aderit virginis] Adeo cito probari potest. *Idem.*

53 *Nutricem, &c.*] Supra act. IV. sc. 7. 'Ego eo ad Sophronam nutricem, ut eam adducam, et signa ostendam hæc.' *Farnabius.*

55 *Ego vero maneo*] Modo *vero* consentientis est adverbium: alias confirmantis: alias conjunctio: alias particula ironiam juvans: ut, 'Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis Tuque puerque tuus.' *Donat.*

56 *Domi opperiamur potius, quam hic ante ostium*] Non ignara illecebrarum Meretrix, non solum Chæream retinet: verum etiam vocat, ubi Virgo est. et satis callide interrogat an velit: quasi nesciat velle. *Idem.*

57 *Imo percupio*] Amatorie, non *Volo*, sed *Percupio.* Idem.

58 *Hunc tu in ædes*] Pronomen in his plus valet, quam accusatio. *Idem.*

Hunc tu in ædes cogitas] Mire: cum illa jam velit, *Cogitas* dixit, volens ut recogitet. *Idem.*

In ædes cogitas recipere posthac] Per ancillæ verba vult ostendere, quam sit tractandorum adolescentium perita Meretrix. *Idem.*

59 *Posthac*] Post hoc factum, post hanc audaciam. *Idem.*

Crede hoc meæ fidei] Puellariter dixit, *Meæ fidei.* Idem.

60 *Dabit hic aliquam pugnam denuo*] Pro stupro: ut, 'At non in Venerem segnes, nocturnaque bella.' Ut, 'Vereturque bella et ingens facinus.' Ut Lucilius, 'Vicimus o socii, et magnam pugnavimus pugnam.' *Dabit*, autem proprie pro inducet: ut, 'Magnam dabit ille ruinam.' *Idem.*

Dabit hic pugnam aliq. den.] Guyetum vide, et adde Plautum, Epid. III. 4. 57. 'Frugi es, pugnasti.' Captiv. III. 4. 53. 'Hegio, vide sis, ne quid tu huic temere insistas credere. Atque, ut perspicio, profecto jam aliquid pugnæ edidit.' *Bœclerus.*

Dabit, &c.] Inducet aliquod stuprum, ludificabitur, illudet nobis, ut antea. *Farnabius.*

Au tace obsecro] *Au* interjectio est perturbatæ mulieris: ut apud Græcos *ἰού.* *Donatus.*

61 *Parum perspexisse ejus videre audaciam*] *Parum* εἰρωνεία est. Et non *Sensisse*, sed *Perspexisse* dixit: ut jam non sit experienda illius audacia, quæ sit perfecte cognita. *Idem.*

62 *Non faciam, Pythias*] Bene et moraliter appositum, *Pythias.* Donatus.

Non pol credo, Chærea, nisi si commissum non erit] Jocalariter, ut ille, *Pythias* dicit: ita hæc *Chærea.* Idem.

63 *Quin Pythias*] Iterum nomen vultuose est additum. *Quin.* pro imo. *Idem.*

64 *Tu me servato*] Plaut. Bacchid. IV. 9. 142. 'Nolo inquam aurum concredi mihi, Vel da aliquem, qui me servet.' *Bœclerus.*

Neque pol servandum tibi quidquam dare ausim] Totum garrule et gesticulose, ut puellam cum adolescentulo fabulari videas. *Donatus.*

66 *Adest optume ipse frater*] *Optume*, opportune. Et non est additum, cujus frater: utpote in re manifesta. *Idem.*

67 *Nolo me in via cum hac veste videat*] Subtiliter adolescens, quia nihil profecerat, dicendo, *Percupio*, invenit causam, qua tandem ingredi possit. *Idem.*

68 *Quamobrem tandem*] Pro *tamen.* Interrogatio hæc increpationem continet impudentissimi facti. *Idem.*

An quia pudet] Hæc interrogatio irrisionis plena est in eum quem nihil pudet. *Idem.*

69 *Id ipsum*] Hoc veluti molesto vultu dicitur: adeo ut imitetur dic-

tum vultumque ejus Pythias. *Idem.*

Virgo vero] *Vero* εἰρωνικῶς: nam εἰρωνεία est. ut, 'Egregiam vero laudem!' *Virgo.* Quasi qui minime pudicitiæ statum ac verecundiæ virginalis veneretur. *Idem.*

Virgo vero] Virginem vero vitiare, vestes discindere, capillum ejus laniare; id tibi pudori non erat. ibi nulla pudicitiæ nec verecundiæ ratio. *Farnabius.*

I præ, sequor] Manifestum est, cur meretrix docta capiendorum juvenum, præire velit Chæream, et in consequendo ipsa sit tardior. vult enim liberum sine arbitris cum puella esse colloquium, et licitum amorem. Nisi forte putamus Terentium hæc sine causa fecisse, qui sit artificiosissimus Poëta. nam neque ipsa ingreditur cum Chærea, neque ingredi simul permittit Phædriam. *Donat.*

70 *Tu istic mane, ut Chremem introducas*] Relicta est Pythias ob multas causas: et in primis, ut possit per eam delusus Parmeno pavore suo Senem compellere, ingredi ad Meretricem, et præsentem fieri ad confirmandas nuptias. *Idem.*

Scena iii. Senarii sunt. vs. 1. duo Mss. nostri, *quicquid.* sed in altero, secunda manu. erat enim: *quidquid.* vs. 6. unus: *at memoriter.* reliqui: *ac m.* vs. 10. omnes: *ut otiosus sit.* Bœclerus.

Quid? quid venire in mentem] In hoc loco cogitantis disputatio est apud se ipsam Pythiæ, quatenus Parmenonem dolo possit ulcisci. *Donatus.*

2 *Quidnam*] Sic Cicero, 'Sed earum rerum artificem, quem? quemnam? recte admones, Polycletum esse dicebant.' *Idem.*

Qui referam] *Qui,* quomodo, vel ut. *Idem.*

Referam] Meditatur vindictam Pythias: quo pacto ulciscatur Parmenonem. 'Quippe minuti Semper et infirmi est animi exiguique voluptas Ultio: continuo sic collige, quod vindicta Nemo magis gaudet quam fœmina.' Juvenal. Sat. 13. *Farnabius.*

3 *Qui hunc supposuit nobis*] Proprie *supposuit.* nam ut *subduci* dicuntur, quæ nolumus amittere, ita *supponi,* quæ non desideramus. Sic Plautus, 'Et pro scorto supponetur hircus nactus nautea.' *Donatus.*

3 *Move vero ocius te, nutrix*] *Vero* pro interjectione posuit stomachantis. *Idem.*

3 *Move vero ocyus*] Plaut. Trinum. iii. 3. 73. 'Quid nunc stas? quin te hinc amoves, et te moves?' *Bœclerus.*

Move vero ocius] Nutricis gradum segnem increpat Chremes. *Farnabius.*

4 *Video sed nihil promoves*] Hinc est, illud Virgilianum, 'Illa gradum celerans studio properabat anili.' Scilicet non re celerabat, sed studio. *Donatus.*

Promoves] Proficis. *Idem.*

6 *Amabo; quid ait? cognoscitne*] Exhibitum spectatori est, quid post scenam geratur, id est, agnitio puellæ. *Donatus.*

Ac memoriter] Plus intulit quam interrogabatur: nam magna sunt signa, in quibus anilis memoria non errat. *Idem.*

Ac memoriter] Responsionis brevitas attulit compendium perquirenti, ne plura interrogaret. *Idem.*

Ac memoriter] Plaut. Asinar. iii. 2. 38. 'Ut memoriter me Sauream vocabat atriensem!' Captiv. ii. 1. 52. 'Hem, istuc si potes Memoriter meminisse, inest spes nobis in hac astutia.' similem ἔμφασιν vide apud Non. Marcell. cap. 11. voc *memore.* Bœclerus.

7 *Nam illi faveo virgini*] Quasi dicat, illi faveo, non Chæreæ. et simul causa est, cur illum ulcisci cupiat: quia scilicet multum illi favet. *Donatus.*

9 *Virum bonum*] Εἰρωνεία. *Idem.*

Eccum Parmenonem incedere video] Res odio dignior, novitate scilicet

incessus. *Idem.*

Virum bonum eccum Parmen.] Dum ultionem meditatur et concupiscit, ulciscendus præsto adest, et quidem meriturus amplius iram Pythiadis eo sermone, cui scena sequenti egressa subito Pythias supervenit. ut congruant ad consilia et personas congressiones illæ et adventus ac superventus, Poëtæ student. idque compendio, ut alias dixi, ne moras nimis trahat fabula. *Bœclerus.*

10 *Vide ut otiosus it*] Invidit illi securitatem, quem sollicitum redditura est: non enim ulla alia erit vindicta post, præter istam. *Donatus.*

Vide, ut otiosus it] Vultu dicit, et gestu, eum esse securum. Et mire Poëta lætum describit, ut repente ostendat esse commotum. *Idem.*

Si diis placet] Proprium est exclamantis propter indignitatem alicujus rei. *Idem.*

11 *Spero me habere*] Pro *habituram.* aut, *spero* pro *credo,* more suo. *Idem.*

Meo modo] Id est, ut volo. *Idem.*

Meo, &c.] Meo arbitratu. *Farnabius.*

12 *Ibo intro, de cognitione ut certum sciam*] Eleganter defatigare Parmenonem, non necessarium putat, sed ex occasione. Nam post eum dicit se ire intro: exitura autem, ut ipsum in timorem conjiciat. *Donatus.*

De cognitione] De agnitione Pamphilæ. *Farnabius.*

Scena iv. Iterum Senarii sunt. vs. 6. omnes Mss. nostri, *eam confeci, ut potiretur sine mol.* Bœclerus.

2 *Astu*] Pro *astute,* modo adverbium est. alias nomen: ut, *An in Astu venit?* Donatus.

Di vostram fidem] Modo non invocantis est, sed admirantis. et est figura ἐπιμονὴ per ἐκφώνησιν facta. *Id.*

4 *Nam ut omittam quod ei amorem difficillimum et carissimum*] Quum dicere deberet, quod ei amorem et difficillimum et carissimum confeci: primo quasi oblitus dicti superioris, transit ad virginem, deinde addit causam ex abundanti. Quod si dixisset, *amorem confeci,* posset intelligi *confeci,* expedivi, perfeci. At vero *virginem confeci,* quid intelligemus, nisi hoc unum, quod insultat Parmeno confectam virginem, quasi dicat superatam atque devictam? Nam proprie hoc verbum convenit gladiatoribus iis, qui gravissimis vulneribus occubuerunt. Sic Cicero in Catilinam, 'Gladiatori illi confecto et saucio.' Convenit ergo servilibus verbis, et velut jocose verniliterque jactanti, rem confectam esse in puella Virgine, et non exhibere Chæreæ damnum vel negotium. *Idem.*

5 *Ab meretrice avara: virginem quam amabat*] Ἀποσιώπησις secunda. *Difficillimum,* quia virginem quam amabat: *Carissimum,* quia a meretrice avara. *Idem.*

6 *Eam confeci sine molestia*] Nimium est, quam sibi placeant suo acumine Grammatici, in rebus obscœnis suspicandis. quo magis Terentius subterfugit talia, eo magis illi tanquam in scirpo nodum requirunt: longe cordatius Donato, Guyetus explicat, quem vide. Plautus simili loquendi genere usus est, Pseudolo i. 1. 110. 'Satin est, si hanc hodie mulierem efficiam tibi Tua ut sit?' *Bœclerus.*

8 *Id vero est*] *Vero,* nisi ornativum esset, nihil significaret. *Donatus.*

Palmarium] Palma dignum. *Idem.*

Palmarium] Insigne facinus, palma et triumpho dignum, ἀξιόνικον: propterea (inquit Plutarchus Sympos. 8.) in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ, quoniam ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus opprimentibusque ponderibus non cedat. Aristot. 7. Problematum. Agell. l. iii. c. 6. *Farnabius.*

10 *Meretricum ingenia*] Optime, non *meretricis* dixit, sed potius *meretricum.* Donatus.

11 *Mature*] Cito et ante tempus. *Idem.*

Ut cum cognorit] Suaviter non *Noverit*, sed *Cognorit*, dixit, quod est plenæ perspicaciæ. *Idem.*

Mature ut cum cognorit] Bene addidit *Mature.* Fere enim cito cognovisse obfuit: sed id ad illecebram fuit quod * cognitus est cito. *Idem.*

12 *Quæ dum foris sunt*] Apud amantes scilicet. *Idem.*

Nihil videtur mundius] Bene *Videtur*: non enim sunt. *Idem.*

Nihil videtur mundius] Nam 'Munditia illecebra est animo amantum.' Plaut. Menæchm. II. 3. 4. pertinetque huc illud Lucretii lib. IV. 'Nec divinitus interdum, Venerisque sagittis, Deteriore fit ut forma muliercula ametur: Nam facit ipsa suis interdum fœmina factis, Morigerisque modis et mundo corporis cultu, Ut facile insuescat secum vir degere vitam.' In duobus optimis Mss. codicibus, quos in Serenissimæ Suecorum Reginæ Bibliotheca contuli cum editis, legitur: 'Et munde corpore culto.' *Bœclerus.*

Quæ dum, &c.] Elegantiæ meretricum, foris amatoribus quando cœnant, in victu, vestitu, ornatu, opponit ingluviem, sordes, inopiam, domi ubi sunt. *Farnabius.*

13 *Nec magis compositum quidquam*] Bona varietas. nam hæc omnia per *magis* adverbium profert: nec omnia per comparativum gradum. *Donatus.*

Nec magis elegans] More suo, ne diceret compositius aut elegantius, ut supra, 'Hoc nemo fuit minus ineptus, magis severus.' *Idem.*

14 *Quæ cum amatore suo quum cœnant*] Unum *Cum* præpositio est: alterum conjunctio. et dicitur hæc figura λειπτότης. *Idem.*

Liguriunt] Ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ quod secundum Græcos suave intelligitur. *Ligurire* dicitur, qui eleganter et more senum multo fastidio suaviora quæque degustat. *Idem.*

14 *Liguriunt*] Exemplum probe descriptum vide in Heautont. III. 1. 48. &c. *Bœclerus.*

Liguriunt] Delicate, cum delectu et fastidio suaviora quæque delibant, 'Tangentes male singula dente superbo.' Horat. l. II. Sat. 6. *Farnabius.*

15 *Harum videre ingluviem*] Ordo erat, *Harum videre ingluviem, sordes, inopiam, quam inhonestæ solæ sint domi*: id est, cum solæ sint, ut inhonestæ, atque avidæ cibi: quæ quum foris sunt, cœnant scilicet. *Donatus.*

Harum videre ingluviem] In antiquissimis libris positum legi, *inluviem.* Et id ipsum vidit Faërnus. Ita et scribendum; alioqui bis idem diceret Terentius: addit enim, *atque avidæ cibi.* Dein et id postulat ratio oppositorum. *Faber.*

Harum videre ingluviem, sordes, inopiam] Paucissimos libros scriptos invenias, in quibus pro *ingluviem* non legatur *illuviem*, vel *inluviem*, ut in omnibus antiquis. et sane ita legendum esse etiam ipsa oppositorum ratio ordoque ostendit. duo attulit supra, quæ in meretricibus decora videantur; munditiem, et in capiendo cibo modestiam: illam quidem ubi dixit, 'nihil videtur mundius, nec magis compositum quicquam, nec magis elegans:' hanc vero ibi: 'Quæ cum amatore cum cenant ligurriunt.' ad quæ nunc eodem ipso ordine quo proposita sunt, respondet: mundiciei quidem, inluviem, sordes, inopiam opponens; modestiæ vero in cibo capiendo, inhonestam voracitatem, quam duobus versibus his describit: 'Quam inhonestæ solæ sint domi atque avidæ cibi. Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent.' esse autem opposita mundiciem et inluviem ex eo liquet, quod per inluviem immundus quis dicitur. Terentius in Heautont. 'Neglecta immunda inluvie.' Virgilius: 'Fœda illuvies.' Quod si *ingluviem* legas, præterquam quod oppositorum ordo non servaretur, etiam in hoc poëta peccaret, quod nec in electo quidem ab se ordine permaneret: sed transeundo ab ingluvie ad sordes, et inopiam, deinde rursus ad ingluviem revertendo, confusione indecora, diversa inter se rerum genera permisceret. *Faërnus.*

16 *Quam inhonestæ solæ sint domi*] Apud Plautum legas Asinar. I. 2. 16. 'sordido vitam oblectabas pane.' *Inhonestas domi*, eleganter dixit Terentius, quæ mundæ et compositæ et elegantes foris conspiciuntur. Itaque ipsis inter artes est, hæc *vitæ postscenia* celare: ut Lucretium scripsisse (lib. IV.) eruditi existimant. hinc Parmeno suo consilio palmam dat, in prodendis quæ celabantur. *Bœclerus.*

17 *Quo pacto ex jure*] *Ex* pro *cum* positum est. aut deest *madidum*, aut *maceratum*, aut *emollitum*; nam apparet et sordidum esse, et quasi atrum durumque panem, qui ex jure hesterno sit comedendus. Cui contrarium Sallustius posuit, de deliciis militum loquens, 'Panes enim in dies mercari,' inquit. *Donatus.*

Ex jure hesterno panem atrum vorent] Hoc est, ut quidam volunt, ex antiquitate mucidum: quasi dicat, panem mucidum hesterno jure accipientes deglutiunt. *Idem.*

Ex jure hesterno panem atrum vorent] Ita loquebantur, quia interdum panem leviter in jus immersum esitabant, non ut hodie in Gallia. Ita apud Varronem, *panis ex aceto*; sic et Græci; nam ejus locutionis exempla duo sunt apud Aristophanem in edit. minore pag. 338. et 500. Est et aliud apud Hippocratem; quod me scio observasse. Iterum apud Varronem est, *brassica ex aceto*, lib. I. de R. Rust. cap. 2. *Des choux au vinaigre.* Faber.

Panem, &c.] Τοὺς δὲ ῥυπαροὺς ἄρτους φαιοὺς ὠνόμασεν Ἀλέξις. Athenæus. l. III. c. 29. *Farnabius.*

19 *Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus, ulciscar*] Miro artificio Poëtæ et ab initio non placatur Pythias, nec in gratiam redit Chæreæ. Et insuper nunc mire a Parmenone irritatur magis, ut per eam Parmeno terreatur, et per Parmenonem ingredi ad Thaidem cogatur Senex: et demum per Senem nuptiæ confirmentur. Hæc ergo artificibus et eruditis, cetera spectatoribus Poëta exhibet. *Donatus.*

Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus, ulciscar] Ita Plautus Amphitruone I. 1. 29. 'Ego pol te istis tuis pro dictis et malefactis, furcifer, accipiam.' *Bœclerus.*

SCENA V. Trochaici tetrametri catalectici seu septenarii sunt. vs. 3. Mss. nostr. unus: *ut ne id viderem.* vs. 10. posterius, *esse*, unus, omittit. vs. 15. duo: *sese id facturum.* unus: *sese id facere.* pro *mœchis* Argent. habet *Eunuchis.* vs. 17. duo: *facere tantum facinus audet.* mox Argent. *quid id tantum.* PA. *an non hoc tibi maximum est?* τὸ *tibi* etiam mei habent. in quorum uno personæ ita distinguuntur: PY. *quid ait?* PA. *tantum.* PY. *an non tibi hoc maximum est?* PA. *quis homo*, &c. in altero eadem distinctio in margine annotata est. vs. 20. duo: *dico et edico vobis.* vs. 23. duo omittunt τὸ *ne.* Argentor. *ne ut illi prosis.* et in margine: *al. nam nec illis prosis.* vs. 24. omnes: *a te esse ort.* Argent. *quicquid hoc fact. est a t.* vs. 28. omnes: *tu isti narrato omnem ordinem ut f. s.*

In hac scena per insignem astutiam Pythias Parmenonem exterret: ut specie muliebris vindictæ ad exitum promoveatur fabula; et ex magno strepitu, comica festivitate apud spectatores temperato, in tranquillum omnia subducantur. Pythias non minus gestu, quam verbis efficit: atque imprimis actuose periculi imaginem effingit. Illud egregia arte: quod invidiam in Parmenonem, misericordiam in Chæream concitat; ut pessimus videretur, qui adolescentulum ad fœdum facinus impellendo, miserandum fecisset. unde ad vices

dramaticas opportunum fuit, illum qui modo magnam et veram laudem ex spe rei bene gestæ sibi otiose pollicebatur, in maximam perturbationem conjici: in qua per moras quasdam callida Pythias eum detinet. quam enim sunt apta illa ad torquendum paventis animum: 'Colligavit primum eum, miseris modis. Atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.' quanquam læsa, quamquam irascente ipsi. 'Nunc minatur porro, sese id quod mœchis solet' fieri deprehensis, facturum. et quæ seq. *Bœclerus.*

1 *Proh Deum fidem*] Vim magnam ostendit, deorum implorans fidem: quasi in hoc negotio nihil possit humanum consilium. *Donatus.*

Proh Deum fidem] Simulata perturbatione sui, Parmenonem terret Pythias. *Idem.*

Proh Deum fidem] Hæc singula pronuntianda sunt pavido et attonito vultu. *Idem.*

Fœdum] Crudele. Sallustius, 'Fœdi oculi.' *Donatus.*

O infelicem adolescentulum] Plus est miseriam adolescentis dicere Pythiam, quam irasci ei. *Idem.*

2 *O scelestum Parmenonem*] Ut verba sunt, periit profecto miser adolescens, quum in eodem peccato irascitur Parmenoni Pythias, non Chæreæ. *Idem.*

3 *Miseret me*] Hæc omnia quasi secum loquitur: et fingit se nescire, quod assistat Parmeno. *Idem.*

4 *Quæ futura exempla dicunt in eum indigna*] Graves pœnæ, quæ possunt ceteris documento esse, *exempla* dicuntur. *Idem.*

In eum indigna] Modo per *indigna*, fœda, crudeliaque significat. Ut Virgilius, 'Atque illi Misenum in littore sicco, Ut venere, vident indigna morte peremptum.' *Idem.*

Exempla, &c.] Tria pœnarum genera statuit Plato in Gorgia; *κόλασιν, τιμωρίαν, παράδειγμα*. Tertia hæc vindicandi ratio est, cum punitio propter exemplum est necessaria, ut ceteri similibus a peccatis metu cognitæ pœnæ deterreantur. Vide Agell. lib. VI. cap. 14. *Farnabius.*

5 *Quæ illic turba est*] Quæ loquitur: aut quam ostentat ex vultu ac dictis. sed apparet, vultum Pythiæ turbam dicere. ut in Andria, 'Sed quid Pamphilum exanimatum video? Vereor quid siet: opperiar ut sciam nunc, quidnam hæc turba tristitiæ adferat.' *Donatus.*

6 *Rogitas, audacissime*] Totum hoc terribile est in gestu ac vultu Pythiæ, et nimis usitatum et fœmineum. *Idem.*

7 *Perdidisti istum, quem adduxti, &c.*] Artificiose non accusat, quid peccaverit adversus Thaidem, quasi ex pœna adolescentis plus doleat, quam irascatur Parmenoni. *Idem.*

8 *Dum studes dare verba nobis*] Bene, *Studes dare:* neque enim dedisti. *Idem.*

Quid ita] Deest *dicis:* ut sit, *Quid ita dicis?* Idem.

10 *Scis eam hinc civem esse*] *Eam* abundat: quemadmodum supra, 'Quam amabat virginem, eam confeci sine molestia.' *Idem.*

Et ejus fratrem apprime nobilem] Hæc ad terrorem et gratiam aucta sunt. Nam primo *Virginem* posuit, post *Civem*, ad ultimum *nobilis Sororem*. Idem.

Fratrem, &c.] Hæc ad terrorem omnia. *Farnabius.*

11 *Nescio*] Perturbatur Parmeno: nec negare potuit, nec consentire valebat: sed quasi defensionis loco dixit, *nescio.* Donatus.

Atqui sic inventa est] Facile est ut credat, qui dicit *nescio.* Ergo Pythias non laborat, ut suadeat civem esse. *Idem.*

Atqui sic inventa est] Magnum horrorem incutit audienti, non accusando, sed miserando Chæream. *Idem.*

Frater violentissimus] Hoc inventum est, quod daretur ad nobilem. *Idem.*

13 *Colligavit primum eum*] Mira tarditas, ad torquendum Parmenonem: simul etiam relictus ad succurrendum locus. *Idem.*

14 *Atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide*] Adeo violentissimus. et recte hoc additum, ne speret auxilium a Thaide. *Idem.*

15 *Nunc minatur*] *Minatur*, ut succurri possit ei, qui non sit passus. *Idem.*

Minatur porro, sese] Deest *facturum.* Idem.

Quod mœchis solet] Deest *fieri.* Idem.

Id quod mœchis solet] Ideo *violentissimum* dixit antea fratrem virginis, ne mirum esset, si pro adultero punire cuperet, qui innuptam violaverat. Quid deprehensis mœchis factum sit Athenis, vide apud Aristophanis Scholiastem in Plut. Plaut. Mil. Glor. v. 27. Juvenal. Sat. 10. Muret. ad v. Eth. Aristot. adde Weitzio congesta. *Bœclerus.*

Quod mœchis solet] Atheniensibus, lege Draconis, capitale erat in adulterio deprehendi. usitatissima pœna *καυλοκοπὴ, παρατιλμὸς, ῥαφανίδωσις.* Aristophanis interpres in Pluto et Nubibus. Lucian. de Peregr. Caput, Ep. 15. Horat. lib. I. Sat. 2. 'Ut cuidam testes caudamque salacem Demeterent ferro.' Juvenal. Sat. 10. 'Necat hic ferro, secat ille cruentis Verberibus, quosdam mœchos et mugilis intrat.' *Farnabius.*

16 *Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim*] Julii Scaligeri cogitatio de hoc loco (Poët. I. 7.) curiosior quam verior est. revera enim ad abominationem muliebriter factam pertinent hæc verba. *Bœclerus.*

17 *Quid ita tantum*] Nimis callide Pythias hunc dicit violentum: et tamen injustum, audacemque dici non patitur, sed defendit, ut magis terreat Parmenonem. *Donatus.*

18 *Quis homo pro mœcho unquam*] Causa finalis. Virginem Civem apud Meretricem vitiavit: mercedem offert: petitur ad supplicium. *Idem.*

Quis homo pro mœcho unquam vidit in domo meretricia deprehendi quemquam] Donatus Controversiam proponit: 'Virginem civem,' &c. In quo genere controversiarum, multa adversus quæstum induci solent. unde jam ante Chærea vulgari illo colore usus erat, non fieri meretricibus injuriam, si illudantur. Et apud Quintilianum Declam. CCCLXXXV. ubi *lenoni reus est qui meretrici amatorium dedit*, tentantur illæ quæstiones: 'An leno damni injuria dati agere possit, an impune illi injuria fieri? an cum suam injuriam vindicare non possit, mancipii possit,' &c. Apud Calphurnium autem Flaccum Declam. 32. 'amator meretricis dominæ' inde defenditur, quod amasset amari solitam: 'Esset meum crimen,' inquit, 'aut error, si te solus adamassem.' De Lege Solonis, videndus Sam. Petitus in Legibus Atticis. Jure civili Romano, 'Si quis virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas,' (vide omnino etiam Declam. CCCL. Quintil.) 'minus peccare videtur: multo minus, si meretricia veste fœminæ, non matrumfamilias vestitæ fuissent,' l. XV. § 15. de Injur. In Institutionibus Oratoriis Quintiliani (VII. 3.) proponitur quæstio: 'Adulterium est, cum aliena uxore domi coire: an et in lupanari?' Pertinet huc, quod Chærea dixerat: *conservam credidi.* Bœclerus.

Pro mœcho, &c.] Lege item Solonis cautum, 'Ne quis pro mœcho prehenditor in ea quæ vel in lupanari, vel publice prostat.' Per lupanaria namque et ancillulas libido permittitur. Hieronymus in vita Fabiolæ. Augustin. de Civitate Dei l. XIV. c. 16. Lactant. l. VI. Divin. Institut. c. 23. *Farnabius.*

Nescio] Quam astute dixit *Nescio:*

ne laborans ad contradicendum, amitteret fidem supplicis personæ, ac vera dicentis. vult enim magis nuntii officio fungi, quam persuadentis. *Donatus.*

Nescio] Tollendum est iterum ex annotatione Donati vitium: 'Quam astute dixit,' &c. Quis non videt, legendum esse: *simplicis personæ*, non, *supplicis?* cum enim dolo omnem hanc scenam instruxisset Pythias, candorem et simplicitatem morum verbis vultuque præfert. *Bæclerus.*

20 *Dico, edico vobis*] Αὔξησις, ut supra, 'Ubi quæram, ubi investigem?' *Donatus.*

Dico] Tibi, Pythias. *Idem.*

Edico] Omnibus tuis. Ergo ad universos utrumque refertur, et *Dico* et *edico*. Idem.

21 *Obsecro an is est*] Insultantis. ut in Phormione, 'Hiccine eras?' nam sciebat eum esse. *Idem.*

Obsecro an is est] Non bene Donatus comparavit hunc locum cum *εἰρωνείᾳ* Phormionis, v. 7. 52. ibi enim vera insultatio erat, nec sine petulanti cavillo et illusione. hic autem Pythias, vultu attonito, in admirationem se miserabunda componit. quæ res tacite quidem vim insultandi habere potest, non palam. id enim agitur; ne insultari videatur. *Bæclerus.*

Ne quam in illum Thais vim fieri sinat] Quam bene providet Pythias! *Donatus.*

Ne quam in illum Thais vim fieri sinat] Hæc Donatus Pythiadi, non Parmenoni, tribuit, cum annotat: 'Quam bene,' &c. nec male congruit ad simulationem ejus. *Bæclerus.*

22 *Atque adeo autem cur non egomet intro eo?* Py. *vide, Parmeno, quid agas, ne neque illi prosis, et tu pereas*] Totum hoc ad id addidit, ut senex intromittatur ad confirmandas nuptias: sed Poëta hoc agit, personæ nesciunt. *Donatus.*

Vide Parmeno, quid agas] *Οἰκονομικῶς* detinetur Parmeno, et ne introëat, absterretur: ut scilicet seni, ad promovendum exitum fabulæ sive ad solvendum erroris nodum adducto, suos metus et falsa Chæreæ pericula indicaret. *Bæclerus.*

25 *Quidve incipiam*] *Facimus* mediocria, *Incipimus* ingentia. *Donatus.*

Ecce autem video rure redeuntem senem] Choragii est administratio, ut opportune in proscenium. *Idem.*

26 *Dicam huic, an non*] Hoc non esset verisimile, nisi dubitasset. Quid enim ad Chæream pertinet, dubitat. *Idem.*

27 *Scio paratum: sed necesse est*] Hæc causa dubitandi fuit: quod hinc Parmenonis, illinc adolescentis periculum cernitur. *Idem.*

Sed necesse est] *Dicere*, subaudiendum est: ut sit, *Sed necesse est dicere*, et *ἀσυνδέτως* inferendum est quod sequitur. Deest enim *propterea*, vel quid tale. *Idem.*

Sapis] *Sapis* dicit, non videns quid futurum sit: sed tantum derisisse contenta. *Idem.*

Scena vi. Senarii sunt. vs. 5. Ms. unus: *ante Thaidis ostium.* duo: *ante ostium Thaidis.* vs. 6. duo: *advenisse.* vs. 8. omnes: *quid est? quid trepidas?* Argent. *tu* interponit. vs. 9. omnes: *id quod res est.* vs. 11. unus: *quid id est?* vs. 21. duo: *ad Thaidem hanc.* vs. 31. omnes: *is* pro *iis*. Bœclerus.

Annotandum, quod hujus Senis nomen apud Terentium *non est: apud* Menandrum *Simon dicitur.* Donatus.

Lachetis nomen Grammatici apposuerunt: Terentius tantum *Senis* usurpaverat, quod Donatus annotat. Idem qui securum hujus senis animum, perturbationi augendæ factum, bene observat. *Bæclerus.*

1 *Ex meo propinquo rure hoc capio commodi*] Firmatur mentis status trepidantis Senis, ut appareat, quam inopinato malo amens fieri possit: quod ipsum superius et in Parmenone servatum est. Imparatis enim mentibus mala majora sunt. Ergo nunc tam otiosus incedit senex, ut neque mores increpet, nec quidquam suspicetur mali: sed agat gratias proximæ villæ, cujus beneficio non scit, quid in urbe agerent filii. Et nunc adest, ubi opus est Poëtæ. Et vide hanc causam fuisse, cur non ad villam diverterit. Omnes villas comicas suburbanas esse, commoditatem ipsam nunc explicat et ostendit. *Donatus.*

2 *Neque agri, &c.*] Tragicus apparatus. Delicias memorat, qui pericula cogniturus est. *Idem.*

Odium me unquam percipit] Fastidium ex abundantia est. *Idem.*

3 *Ubi satias cœpit fieri*] Suffecerant ad hanc sententiam duo superiores ii versus: sed *ἐνέργεια* est senilis eloquii, faceti et garruli simul. *Idem.*

Ubi satietas est] Deest *Nam*: ut sit, *Nam ubi satietas cœpit fieri.* Et, *cœpit*, pro *cœperit*. *Satietas*, odium: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. *Id.*

Ubi satias fieri cœpit, commuto locum] Frustra annotat Donatus: 'Suffecerant,' &c. Si Grammaticus inspexisset locum penitius, deprehendere potuit, non nisi abruptam indecore orationem statim illuc præcipitari: *sed estne ille noster Parmeno?* Animadvertere debuit amplius; institutam tam frequentibus verbis sententiam, non jam supervacua, sed necessaria *ἐξηγήσει* peragendam fuisse. *Bæclerus.*

Commuto locum] Mira brevitate duas res explicuit simul. *Donatus.*

4 *Sed est ne ille noster Parmeno? et certe ipsus est*] Et dubitavit, et firmavit postea: utpote senex, visu jam languido, atque oculis ætate defessis. *Idem.*

5 *Quem præstolare, Parmeno, hic ante ostium*] Nove: non, *Cui præstolare:* sed, *Quem* dixit. Aliter Tullius in Catilinam: 'Qui tibi ad forum Aurelium præstolarentur.' *Præstolari*, est præsto esse et apparere, hoc est, obsequi. *Donatus.*

Quem, &c.] Cic. tamen cum Dativo, 2. invectiva. *Farnabius.*

6 *Quis homo est*] Quare, *Quis homo*, quum providerit venientem? Utrum non vult videri providisse, ne quid fallaciæ parasse videatur? Sic et in Andria, 'Quasi de improviso respice ad eum.' Vel, quia perturbatur exanimatus, qui dum quid apud Thaidem geratur, auscultat, non videt Senem propius accedere, quem longe viderat? An vero idcirco hoc fingit, quia quod parabat dicere de Chærea, postquam cominus ventum est, non audet loqui? *Donatus.*

Quis homo est] Quasi de improviso respicit ad herum, quem ante viderat. *Farnabius.*

7 *Lingua hæret metu*] Virgilius, 'Et vox faucibus hæsit.' *Donatus.*

8 *Quid est quod trepidas*] Instandum est seni ad audienda, quæ de facili nunquam fateretur Parmeno. *Idem.*

Satisne salve] *Salve*, integre, recte, commode. Plautus in Trinummo, 'Benevolens tuus atque amicu'st. Le. satin' salve?' *Idem.*

Satin' salvæ] Al. *Satin' salve?* utrumque rectum est. *Faber.*

Satisne salve] Nunc adverbium est; producta est *e* litera. Sallustius, 'Inde ortus sermo, percontantibus utrimque, satin' salve, quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis agerentur.' *Donatus.*

Satine salvæ] Vide Chrestomath. voc. *salv.* Bœclerus.

Sati'ne salvæ] Satisne salvæ sunt res nostræ? Legitur et *salve* Adverbialiter. quam lectionem astruit Brissonius l. 8. auctoritate Livii, Salustii, Plauti, Ausonii, Apuleii, &c. *Farnab.*

9 *Here, primum te arbitrari quod res est velim*] Quod ante narrationem confirmatio inducitur, contra morem et præcepta est: sed merito, quia perturbatus est, licet simul * ut non possit dicere. *Donatus.*

Here primum te arbitrari, quod res

est, velim, &c.] Donatus, ordinis immutati, ut confirmatio ante narrationem induceretur, causam a perturbatione repetit. Est autem arti potius tribuendum. Sic Heaut. (IV. 1. 10.) Sostrata incipit 'primum hoc te oro, ne quid credas me adversum edictum tuum facere esse ausam.' ubi Servus: 'Nescio quid peccati portat hæc purgatio.' *Bœclerus.*

Primum, &c.] Præmunitio et excusatio præpostera male conscii animi, se purgantis, antequam accusetur. *Farnabius.*

10 *Quidquid hujus factum est*] Absolute. ut supra, 'Et quidquid hujus feci, causa virginis feci.' Aut deest *rei*: ut sit, *hujus rei.* Stomachose. *Donatus.*

11 *Quid*] *Quid*, interrogat. quis enim ante crimen, quam objiciatur, aut proponatur, neget? *Idem.*

Recte sane] Docte Terentius ipse se reprehendit. Nam ordine factum non est, præ timore et conscientia. *Idem.*

12 *Emit quendam Phædria Eunuchum*] Vide, narrationem a necessariis et urgentibus cœptam, non in se continere, nisi quod rei conditio cogit fateri. *Emit*, inquit, *quendam Eunuchum, quem dono huic daret.* Non dixit, *Cui dono daret.* Aliter ab amoris mentione cœpisset. Deinde τὸ *quendam* ἐξουθενισμὸν significat, et εὐτέλειαν ἀνδρός. *Donatus.*

13 *Huic*] *Huic*, more suo dixit potius, quam, *Meretrici.* Quinetiam interrogatus, Thaidi potius dicturus est, quam ut nomen dicat, quo offenditur Senex. Eunuchi autem solius mentio necessaria est: quia dicturus est, pro Eunucho deductum Chæream. *Idem.*

14 *Viginti minis*] Tantum dederat Phædria pro Eunucho et ancilla Æthiopica, ut ex act. I. sc. 2. vs. 89. constat. servus hic compendio agit: fatetur summam; et Eunuchum nominat solum, unde occasio periculi comici ad alterum filium, Chæream, profecta est. *Bœclerus.*

15 *Actum est*] Desperantis verbum. *Donatus.*

Tum quandam fidicinam amat hic Chærea] Mire et necessario variavit. ille *Emit*, ut Eunuchum mittat ad Thaidem: hic *Amat*, ut deduci se pro Eunucho velit. *Idem.*

Quandam fidicinam] Extenuatio criminis est: non quod Virginem, quod Civem vitiaverit. *Idem.*

Hic Chærea] Adverb. in hac urbe, vel, in ædibus Thaidis. *Farnabius.*

16 *Hem! quid? amat*] Hæc singula pronuntianda sunt, ut stuporem nimiæ indignationis ostendat. *Donatus.*

An scit jam ille quid meretrix siet] Quia fidicina, meretrix est. *Idem.*

17 *An in Astu venit*] *In Astu*, in urbem de Pειreo. sic Athenienses vocabant urbem suam: unde ipsi incolæ ἀστοὶ vocantur. *Idem.*

Aliud ex alio malum] Hoc separatim dixit Senex, fixis in Parmenonem oculis. *Idem.*

In astu, &c.] In urbem ex Piræeo. ὡς ἄστυ αἱ Ἀθῆναι, ἀστοὶ καὶ ἀστικοὶ οἱ Ἀθηναῖοι, ὡς καὶ ἐπὶ Ῥώμης λέγεται. Stephan. de Urbibus: et Cic. l. II. de Legib. 'Vestri Attici, priusquam eos Theseus demigrare ex agris, et in Astu, quod appellabatur, omnes se conferre jussit.' *Latomus* proverbium esse ait, dicique de callidis ex usu peritis. sed nullo fultus tibicine. adagiographi non agnoscunt. *Farnabius.*

18 *Here, ne me spectes*] Conscientia trepidus Parmeno heri vultum terrore et iracundia plenum non sustinet: et purgationem priorem repetit. *Bœclerus.*

Me impulsore hæc non facit] Ipsum accusat conscientia. non enim quod levius est, dixit, *me sciente:* quum plus inferat, *me impulsore.* Donatus.

19 *Ego te, furcifer, si vivo*] Modo omnis sævitia comica aut in comminatione est, aut in apparatu verborum. *Idem.*

20 *Si vivo*] Ἀποσιώπησις: *te ulciscar.* quia necessario sequitur. *Idem.*

Sed istuc quidquid est] Inventa causa cur supplicia differantur, donec uxorem ducat Chærea, et ipse purget Parmenonem: secundum argumenta, quæ sibi ipse prospexit, jussu coactuque fecisse, et imperio herilis filii sui, Chæreæ scilicet. *Idem.*

21 *Ad Thaidem deductus est*] Unde ductor ipse sceleratus. *Idem.*

22 *Pro Eunuchon'*] Non interrogat, sed exhorrescit. *Idem.*

Hunc pro mœcho postea] Bene studuit Terentius, *pro*, bis numero dicere: et *pro* Eunucho, et *pro* Mœcho. *Pro mœcho* autem quasi excusans dixit. Nam vere in Virginem Atticam, non pro mœcho, sed mœchus est. *Idem.*

Hunc pro mœcho postea] Bene utrumque *pro*, quia neque Eunuchus est, qui vitiavit virginem; neque mœchus, qui in domo meretricia. Et specta quam oratorie transtulerit mentionem vitiatæ virginis. *Pro mœcho*, inquit, ut culpam Chæreæ sub meretricis accusatione cœlaret. *Idem.*

Hunc pro mœcho] Bene totum *pro*: quia neque Eunuchus, qui Ephebus; neque Adulter, qui Amator. *Idem.*

23 *Comprehendere intus, et constrinxere*] Quo dicto vim ingentem inferri significat Chæreæ. *Comprehendere*, significat strictim aliquem in facinore deprehensum. *Idem.*

24 *Audaciam meretricum specta*] Major ἔμφασις accusationis est per pluralem numerum, quam singularem. Sic alibi: 'An potius ita me comparem Non perpeti meretricum contumelias?' *Idem.*

Audaciam meretricum] Oratorie avertit iram Senis a se, et a Chærea: atque derivat in Meretricem. *Idem.*

Numquid est aliud mali, damnive] Bene interrogat: quia omnia invitus servus dicere videbatur. Et cum damnum, malum sit, de proximo collatum discernitur: et damnum ad emptionem Eunuchi, malum ad comprehensum pertinet et constrictum Chæream. *Idem.*

24. 25 *Nunquid est aliud mali damnive*] Damnum in sumtu; malum in corruptis filiorum moribus, et alterius periculo: quod ut depelleret, prætrepide festinat senex. *Bœclerus.*

26 *Cesso huc introrumpere*] In tantam formidinem conjectus est Senex, ut non miremur, quod tam cito nuptias firmet Ephebi et Virginis: et quamvis non honeste, tamen quia ex ingenti metu, vel indigno matrimonio, Filii vitam pacisci velit. *Donat.*

Tantum est, &c.] Nihil præterea. *Farnabius.*

27 *Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum*] Suave est nescire personas, quid agat Poëta, Ita non periclitaturus Parmeno. *Donatus.*

28 *Nisi quia necesse fuit*] *Necesse*, est nomen. Nam *necessus, necessis*, et *necessitas*, et *necessum*, lectum est. *Idem.*

Quia, &c.] Ut filio suo Chæreæ succurreret. *Farnabius.*

Id gaudeo] Scilicet, ut succurratur Chæreæ periclitanti. *Donatus.*

29 *Propter me*] Plus dixit, quam si *per me* diceret. *Idem.*

Hisce aliquid] Meretricibus, non adolescentibus. et item pluraliter, suo more: Ut, 'Audaciam meretricum specta.' Et, Non perpeti meretricum contumelias.' *Idem.*

Propter me hisce aliquid esse event] Mea opera. ita sæpe. 'Ego propter me illam decipi miseram sinam?' Andr. I. 5. 36. *Bœclerus.*

30 *Nam jam diu aliquam causam quærebat senex*] Nota *causam*, pro occasione. *Donatus.*

Nam jam diu aliq. caus.] Egregio invento suavitatem exitus comici cumulare voluit poëta; dum facit senem meretricibus et domui Thaidis infestum, quam mox in clientelam suscipit; servum gloriantem de vin-

dicta in easdem mulieres, quæ nulla futura erat. ut omnia exspectatis contraria mox evenirent. *Bœclerus.*

Jam diu, &c.] Infestus meretrici propter corruptum ab ea Phædriam. *Farnabius.*

31 *Quamobrem insigne aliquid faceret*] Manifestius hoc Menander explicat, jampridem infestum Meretrici Senem, post corruptum ab ea Phædriam: nunc demum se inventa occasione vindicaturum. *Donatus.*

Quamobrem] Quamvis dixisset *causam*, intulit *quamobrem.* Idem.

Insigne aliquid] Magnum et nobile facinus. *Idem.*

Faceret] Ἰδιωτικῶς dixit. *Idem.*

Scena vii. Iambici tetrametri catalectici. vs. 6. Mss. nostri omnes: *pergin?* Py. *ha ha he* (*ah ah eh*) *perii.* vs. 7. Argent. vitiose: *ad te ridendo.* meorum unus: *de te ridendo.* alter: *de te irridendo.* vs. 9. duo: *non satis potest narrari.* Argent. ut ed. vs. 15. duo: Par. *quid est?* Py. *jam scis te per.* vs. 17. duo: *itane lep.* vs. 18. duo: *reddam hercle vicem.* tertius: *reddam vicem hercle.* vs. 20. omnes: *denobilitas.* duo addunt *istum.* vs. 21. unus: *utrique.* sed in marg. *al. uterque.* Bœclerus.

Pythias egreditur veluti irrisura Parmenonem, ut ipsa putat, egredi autem a Poëta cogitur, ut doceat populum, quid intus egerit senex. Ergo persona cachinnans inducitur, quærens Parmenonem: aspectuque ejus ob nimium risum vix loqui posse. Donatus.

1 *Numquam edepol quidquam*] Rarum est evenire quod velis; et quod maxime velis, id rarum magis. *Idem.*

Nunquam edepol quicquam jamdiu] Jam ille prioris scenæ pavor et consternatio effusissimo risu dissolvitur. genus lætitiæ gestientis cum insultatione et irrisu novum ac singulariter tractatum: sicut videbatur callidæ ac petulanti ancillæ convenire. Initium frequentatione verborum solita affectum signat. accedit vultus, gestus, et commotio corporis. muliebriter enim actuosa est Pythias. *Bœclerus.*

2 *Venit errans, &c.*] Non gressu errans, nec via: sed animo et opinione. *Donatus.*

3 *Mihi solæ ridiculo fuit*] *Soli* regulariter dicitur: *solæ* non recte, sed antique, ut alibi, 'Hoc ipsa in itinere, alteræ dum narrat, forte audivi.' *Idem.*

Mihi solæ] Hujus archaismi exempla e Priscian. lib. vi. xiii. ubi hunc versum laudat, repetenda. *Bœclerus.*

Solæ, &c.] Archaice, pro *soli.* ut *alteræ, istæ,* &c. adi Grammat. nostram. *Farnabius.*

4 *Quid hoc autem est*] Ridentem miratur Parmeno. *Donatus.*

Nunc id prodeo] Propter id. *Idem.*

6 *Quid rides? pergin'*] Ex hujus verbis ostendit, quam multum rideat petulans puella. *Donatus.*

Perii] Proprie hic verbum est aptum, quasi sit lassa ridendo. *Idem.*

8 *Numquam edepol hominem stultiorem vidi*] Postquam *rogas* dixerat, quasi narratura videbatur: et redit ad insultationem. *Idem.*

9 *Quos ludos præbueris intus*] Ex errore et metu nimio Senis, credentis, constrictum Filium se offensurum in domo Meretricis. *Idem.*

Non pote, &c.] Al. *Non satis potest narrari.* Al. *Non pote satis narrari.* i. e. possibile. *Farnabius.*

10 *At etiam primo callidum ac disertum credidi hominem*] Hæc omnia sic in scena pronuntiata sunt, ut risu interrumpi verba puellæ viderentur. Majorisque insultationis est, si is qui fatigat alterum, dicat se ante de illo multo aliter sensisse. *Donatus.*

At etiam primo callidum et disertum] Mire auget irrisionem exprobratio stultitiæ, a muliere facta, ei, qui hactenus magnam in se vim astutiæ ac potestatem habere sibi videbatur. *τὸ disertum* non intellexit Donatus. bene explicat Guyetus, ita apud Plautum, 'Doctus et callidus,' Epid. iii. 3. 47. *Bœclerus.*

Callidum, &c.] Video autem te stolidum esse, qui temere credideris; et futilem, qui falsa pro veris narraveris. *Farnabius.*

11 *Ilicone credere*] Non ideo hoc dicit, quod personæ suæ fidem deroget: sed quod res incredibilis fuerit, quam illi persuaserit. aut certe si credendum fuerit, non statim, neque examinata, neque facta rei cognitione. *Donatus.*

Ilicone credere] Objurgatio de tempore. *Idem.*

12 *An pænitebat flagitii*] Illud quod supra, a stulto: hoc quod nunc dicit, a malo fieri potuit. Illud, ab imprudente: hoc, quod pejus est, a sciente. *Idem.*

An pœnitebat flagitii] Parvum videbatur. Ipse alibi, 'Quantum hic operæ fiat, pœnitet.' Plautus Truculento, 'Pœnitetne te, quod ancillam solam nimis erumpere? *' *Idem.*

An pœnitebat flagitii, te auctore quod fecisset Adolescens, ni miserum etiam patri indicares] Cave interpretes nostrates audias, 'Pœnitet me hujus rei,' ubi de alio, non de me loquor, non significat, *je me repens*, esset enim ridiculum: sed id quod dicimus, *Je ne suis pas content de cela. Cela ne me satsfait pas. Cela n'est pas assez pour moy.* Quamobrem optime Baifius, etiamsi sermone paulo obsoletiore: *N'estois tu content du délit, Qu'au jeune homme tu as fait faire, Sans aller encor à son pere Encuser le pauvre garçon?* Faber.

An pœnitebat flagitii] An non satis videbatur, id flagitium adolescenti præmonstrasse? an non satis visus es tibi peccasse, quod flagitii auctorem adolescenti te præbuisti, nisi insuper proderes eum? Donatus: an 'parvum videbatur?' nota Latinam elegantiam. *Bœclerus.*

13 *Ni miserum insuper etiam patri indicares*] Duo objicit. unum, quod male consuluerit: alterum, quod male prodiderit consilia sua. Et bene *Indicares.* nam *indicium* dicitur ejus, qui una peccaverit. *Donatus.*

Ni miserum insuper etiam patri indicares] Ad invidiam Parmenonis, miserum dicit adolescentem: eo modo quo Juno accusans Venerem, ait, 'An miseros qui Troas Achivis Objecit.' Sic enim agimus, quum ab his, qui falso rei sunt, in auctores culpam sceleris removemus. *Idem.*

14 *Nam quid illi*] Adolescenti scil. *Idem.*

15 *Quid est? jam scis te periisse*] Hoc non stupentibus, ac culpam patientibus dicitur. *Idem.*

Quid est] Si Pythias hoc dicit, referendum est ad vultum Parmenonis, verbis ancillæ consternati, et in eam ἐμπαθῶς ἀτενίζοντος. *Bœclerus.*

16 *Hem, quid dixisti, pessuma*] Nunc demum intelligit Parmeno se esse delusum. *Donatus.*

Etiam rides] Apparet eam ex hujus stomacho vehementius cachinnare. *Idem.*

17 *Nos irridere*] *Nos* superbius dixit, quam si diceret *Me.* Idem.

Scelus, &c.] Scelesta. vide Andr. act. iii. scen. 5. *Farnabius.*

Si quidem istuc impune habueris] Hic vel subaudiri potest: *peream si quidem ist.* ut sit directa comminationis formula. vel obliqua denuntiatione vindictæ: 'mirum fuerit si quidem istuc impune habueris:' atque ita forte *Donatus* scripsit, ubi legitur: *Si quidem istuc impune habueris.* subauditur: *tum nimium.* quid est, *tum nimium?* quanto facilius? *tum mirum fuerit.* *Bœclerus.*

Verum] *Donatus:* 'Interrogatio irridentis.' q. d. credamne istuc tibi? itane vero ais? itane credam futurum? Bene Gallus Scholiastes: *dis tu vray! veux tu dire! ne te moques-tu point! parles-tu a bon escient!* vultus supplet verba in talibus. *Idem.*

Reddam hercle] Subaudi: vicem.

sicut in Mss. nostris et Palatin. apud Pareum additur. *Bœclerus.*

19 *Sed in diem istuc*] In longam dilationem, unde *dilatio* est dicta, diei prolatio. *Donatus.*

20 *Tu jam pendebis*] *Jam*, nimiam velocitatem significat. *Idem.*

Pendebis, &c.] E trabe pendens vapulabis. *Farnabius.*

Nobilitas flagitiis, et eundem indicas] Duas res significat simul: et cogis flagitia facere, et facientem indicas. *Donatus.*

Et eundem indicas] Notum (notorium dicerent Juris consulti) facis. *Nobilito* autem in utramque partem accipitur. ut, 'Testis est Phalaris, cujus præter ceteros nobilitata est crudelitas.' Cic. l. II. de Offic. *Farnabius.*

21 *Uterque in te exempla edent*] Nova ac mira tormenta, quæ pro exemplis narrentur, aut quæ documenta sint ceteris ne delinquant, *Exempla* dicuntur. Et *edent*, et *edet* legitur. Si *edent*, figuratum est: si *edet*, recte. Et plus est *edet*, quam *dabit*. Donatus.

Exempla edet] Supra scen. 5. hujus actus. *Farnabius.*

22 *Nullus sum*] Hoc secum Parmeno. *Donatus.*

Hic pro illo munere tibi honos est habitus: abeo] Εἰρωνικῶς et *μεταφορικῶς*. *Idem.*

Pro munere] Et honos rumigerulis haberi solet. *Idem.*

Hic pro illo munere tibi honos est habitus. abeo] Quam præclara et rebus consentanea clausula huic scenæ imponitur: Pythiadis *ἐπιφώνημα χλευαστικὸν*, et Parmenonis *ὀδυρμὸς μετανοητικός*. *Bœclerus.*

23 *Egomet meo indicio, miser, quasi sorex, hodie perii*] Proprium soricum est, vel stridere clarius quam mures, vel strepere magis, quum obrodunt frivola: ad quam vocem multi se intendentes, quamvis per tenebras noctis, transfigunt eos. Plautus: 'Confossiorem te faciam soricina nænia.' *Donatus.*

Egomet meo indicio] Proverbium in eos, qui ipsi se produnt. quia sorex non facile caperetur, nisi emitteret vocem noctu. *Idem.*

Quasi sorex hodie perii] Quia latere potuit, nec occidi, si taceret. *Idem.*

Quasi, &c.] Sorices strepitu aut stridore vocis vel arrosionis se produnt, unde etiam noctu et per tenebras, ab iis qui attendunt, transfiguntur, 'Tacite pasci si posset corvus, haberet Plus dapis, et rixæ multo minus invidiæque.' Horat. lib. I. Epist. 17. *Farnabius.*

Scena viii. Tetrametri Trochaici catalectici sunt. vs. 1. unus Mss. meorum: *quid nunc? qua spe? quo consilio huc imus? quid cœptas Thraso? τὸ ceptas* alter quoque habet. vs. 6. duo: *quidnam hic properans prosilit?* tertius: *etiam hic quidnam properans prosilit?* Bœclerus.

1 *Quid nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus*] Reminiscere, hunc esse, qui supra Militi dixerit de Thaide, *Jamdudum te amat.* et rursus, *Jam tibi hæc aderit supplicans ultro.* et hinc videbis quos exitus habeat assentatio. nam idem Militi auctor est summæ desperationis. Et animadverte, quod semper a mensa Gnatho invitus abstrahatur: nam et supra quum ad litem venitur, ex verbis Thrasonis manifestum est, et Gnathonem invitum sequi, ubi dicit, 'Hanccine ego ut contumeliam tantam, tam insignem in me accipiam, Gnatho? Mori me satius est.' Et bene, 'Qua spe, aut quo consilio?' tanquam omnia expertus, et nec muneribus gratus, nec terroribus metuendus. *Donatus.*

Qua spe] Parasitus intelligit quid agat miles: sed ad hoc inducitur interrogare ipsum militem, ut populus audiat, quo consilio veniat ad Thaidem. *Idem.*

Quid nunc? qua spe] Summa desperatio est apud Militem reconciliandæ amicæ, ad hoc ut æquo animo ferat admitti Phædriam, dum ipse quoque recipiatur. nam non in fine fabulæ contristandus est. *Idem.*

Quid nunc] Sub. agimus. quid nunc agimus? qua spe aut quo consilio huc imus? comicæ figuræ genus, interrogatione multiplicare, et rem unam interrogando diffundere. *Bœclerus.*

Quid inceptas, Thraso] *Incipere*, magnorum facinorum est, et audaciæ. *Donatus.*

2 *Ut Thaidi me dedam*] Post indictionem belli, et instructionem pugnæ, quid sequatur, nisi deditio superatorum? *Idem.*

Et faciam quod jubeat] Proprie: nam in deditione victores jubent, victi obsequuntur. *Idem.*

3 *Qui minus, quam Hercules servivit Omphalæ*] Hic Terentius exprimit consuetudinem in qua ignavis rationes criminum, et exempla suppeditant. nam sic et supra de Pyrrho. Omphale Lydiæ regina fuit, quæ Herculem sibi servientem etiam ad lanificium compulit: quum ipsa calathum, et colum, cultusque fœmineos, sagittis et clava, leonisque tegmine mutasset. *Idem.*

Hercules servivit Omphalæ] Subauditur, et ego serviam Thaidi? *Idem.*

Qui minus huic] Supple: qui minus huic, i. e. Thaidi me dedam serviamque? *Bœclerus.*

Omphala] Lydiæ regina, cui servivit Hercules, clava et leonis pelle exutus, muliebri ornatu purpuraque indutus colum tractavit, eique supplicium sui dedit, *παιόμενος τῷ σανδάλῳ*. Lucianus lib. de scribenda historia. 'solea puer objurgabere rubra.' Pers. Sat. et quæ nos ibi. *Farnabius.*

Exemplum placet] Potest hoc dictum videri militi, approbando applaudendoque, (quod mihi potius placeat,) vel ad spectatores seorsum. sequens certe versus spectatoribus, non militi dicitur. *Bœclerus.*

4 *Utinam tibi commitigari videam sandalio caput*] *Commitigari*, est tundendo deprimi atque deponi. *Donat.*

Sandalio caput] Plus dixit *Caput*, quam si aliam partem corporis diceret verberari. Et mire, calceamento caput verberari. *Idem.*

5 *Perii! quid hoc autem est mali*] Eunuchi habitu Chærea, sed virili confidentia prosilit, et militem velut novi rivalis terret aspectu. *Donatus.*

6 *Hunc ego numquam videram*] Ideo Chæream miratur. *Idem.*

Hunc ego, &c.] Chæream. *Farnab.*

Quidnam properans hinc prosilit] Poëta, non orationem modo Chæreæ, scena sequenti; sed etiam gestum hic *τῇ καταστροφῇ* præsultantem denotare voluit. *Bœclerus.*

Scena ix.] Tetrametris Iambicis acatalecticis et Trochaicis catalecticis constat scena. vs. 3. omnes Mss. nostri: *contigere.* vs. 7. unus meorum: *bene ita me dii bene ament, factum.* Argent. *bene ita me dii ament, bene factum.* mox unus: *audin tu hunc quid ait?* vs. 10. duo: *fratris ergo tota est Th.* vs. 11. duo: *quia miles pellitur foras.* vs. 25. τὸ *ne* omnes omittunt. mox duo: *aut me.* vs. 19. duo novam scenam incipiunt ab illis verbis: *Dii vestram fidem.* vs. 25. duo: *precibus aut pretio.* omnes: *tandem* pro *tamen.* vs. 26. omnes: *si quid tibi collibuit, facile est* (*est facile*) *novi te.* vs. 27. duo: *donum aut præm.* unus, *don. et præm.* vs. 29. unus: *te præsente et te abs.* alter: *te præs. absenteque.* vs. 33. omnes: *scin quam fretus.* vs. 34. omnes: *nihil est quod dicas mihi.* vs. 36. duo addunt, *genus.* vs. 39. omnes: *volo.* vs. 41. duo: *vos non id facere.* vs. 48. omnes: *nemo potest esse.* vs. 52. omnes: *accipit hominem n. m. p.* et vs. 53. *nisi.* vs. 54. omnes omittunt τὸ *hoc.* vs. 59. duo: *sed mores postquam ostendi tuos.* etiam tertius addit: *sed.* vs. 63. omnes: *eloquentiam.* Idem.

1 *O populares, ecquis me vivit hodie fortunatior*] *Hic persona Chæreæ est, fervens gaudio, ut adolescentuli est in*

prosperis rebus. Donatus.

O populares] Non mirum si insane exultat nuptiis, qui jamdudum ob id solum, quod vitiaverat virginem, lætabatur. *Idem.*

O populares] Bene Poëta adolescentem, qui supra nimia levitate exultaverat, nunc honestiore lætitia delibutum reddit. Suntque hæ *ἐκφωνήσεις τῶν εὐχαριστούντων* ad catastrophen factæ. compara Phorm. v. 6. *Bœcler.*

O populares] Cives. *Farnabius.*

2 *Nemo hercle quisquam*] Et interrogavit, et respondit sibi. *Donatus.*

Nemo hercle quisquam] Παρέλκον tertium. *Idem.*

Nemo hercle quisquam] Respondet sibi eodem genere amplificandæ sententiæ, quod vices loquentium alibi habet. Heaut. IV. 3. 7. 'CLIN. cui æque audisti commodius quicquam evenisse? SY. nulli.' *Bœclerus.*

3 *Cui tam subito tot contigerint commoda*] *Tam* qualitatis, *Tot* quantitatis est. *Donatus.*

Congruerint commoda] Confluxerint, simul depluerint. *Farnabius.*

4 *Quid hic lætus est*] Inventa persona est, ad quam gesta hæc narret Chærea, ut populus et miles instruatur, quid intus gestum sit. *Donatus.*

5 *Inventor, inceptor*] *Invenire* sapientis est: *incipere,* audacis: *perficere,* constantis. Ergo plena laudatio est. et constat, hoc Chæream laudative dicere. nam in subditis solum consilium attributurus est Parmenoni. *Id.*

Scin' me in quibus sim gaudiis] Σύλληψις. Et nota *Scin' me:* quum sufficeret *scin'*. Ergo *me* abundat: et est figura ἀρχαϊσμός. *Idem.*

6 *Scis Pamphilam meam*] Amatorie dixit *meam:* vel potius sponsam meam, vel quam amo. *Idem.*

Inventam] Cognitam. *Idem.*

Civem] Deest *esse.* Idem.

Scis sponsam mihi] Deest et *esse*, et est *sponsa* nunc participium. *Idem.*

7 *Bene, &c.*] Gratulationis formula. *Farnabius.*

Audin' tu illum quid ait] Hoc vultu mutato et turbato dicitur. *Donatus.*

8 *Amorem esse omnem in tranquillo*] Bene, *in tranquillo,* quia mari et tempestatibus, amicæ mobilitas et instabilitas comparatur. Sic Horat. 'Simplex munditiis: heu quoties fidem Mutatosque Deos flebit; et aspera Nigris æquora ventis Emirabitur insolens, Qui nunc te fruitur credulus aurea,' &c. *Idem.*

In tranquillo] Securum. 'Omnis res jam in vado.' Andr. act. IV. sc. 2. 'Ego in portu navigo.' Andr. act. III. sc. 1. *Farnabius.*

Una est domus] Post Pamphilæ nuptias. *Donatus.*

9 *Thais Patri se commendavit*] Hoc est quod profuit Phædriæ. *Idem.*

In clientelam et fidem] *Clientelam,* ut ametur: *in fidem,* ut defendatur. *Idem.*

In clientelam] Ex jure applicationis, cujus meminit Cicero I. de Oratore, peregrini se opulento alicui in clientelam dabant. quod Athenienses *νέμειν προστάτην* appellabant. *ἀπροστασίου δίκη*, lis contra eum qui sibi nullum patronum adoptarat. *Farnabius.*

10 *Fratris igitur Thais tota est*] Bene *tota:* ut ne ex parte quidem sit militis. *Donatus.*

11 *Miles pellitur foras*] Sunt gaudia ex nostris bonis: sunt gaudia ex aliorum malis, hostium aut inimicorum. Ergo utrumque genus gaudiorum complexus est. *Idem.*

12 *Visam domum*] Bene domi quæritur Amator exclusus: nam neque ruri, neque in foro est. *Idem.*

13 *Perpetuo perierim*] Quia illud periisse supra, temporale videbatur. *Idem.*

Quin ego nunc perpetuo perierim] Hic jam Militi neque serviendi Amicæ, ut apparet, præbetur locus. *Id.*

14 *Sine dubio, opinor*] Quia non quis dicitur perpetuo periisse. Quid enim opus hac exceptione est, quando nemo ita perit, ut temporaliter

pereat, et postea fiat non perditus? Correxit Parasitus stulti dictum Militis: non illum perpetuo, sed sine dubio periisse, opinari respondens. non est enim contrarium, 'Opinor te periisse sine dubio,' pro certo periisse. Confirmatur periisse Miles, ut post tanta munera ex desperato supplex, ex supplice patiens rivalis existat. *Idem.*

Sine dubio opinor] Περιεργία mera est Donati, quod de emendata militis locutione hoc loco disquiritur. *sine dubio, opinor*, perpetuo periisti. omnino ita esse opinor, ut dicis. *perpetuo perire*, comica locutio. *Bœclerus.*

Quid commemorem primum] Διαπόρησις oratoria, familiaris laudantibus. Cicero: 'Unde igitur potius incipiam?' Hoc autem fit, ubi omnia et magna videntur et paria. *Donat.*

15 *Illumne qui mihi dedit consilium*] Attribuuntur Personis consilia, facta, casus, et orationes. Ergo hic laudatur consilium Parmenonis, factum Chæreæ, casus Fortunæ, id est, eventus: oratio Senis. *Idem.*

Illum, qui mihi dedit consilium] Tria sunt in vita hominum, consilia, facta, successus. Consilium, animi est: factum, corporis: successus, fortunæ. *Idem.*

Illum] Parmenonem scilicet. *Id.*

16 *Fortunam, &c.*] Quæ 'rerum humanarum domina,' &c. Cic. pro Marcello. Quæ in vita humana utramque facit paginam, rerum acceptarum, et expensarum. Plin. *Farnab.*

17 *Quæ tot res*] Bene, *Tot res:* quasi dicat, Eunuchum pro quo duceretur, commendationem virginis, absentiam meretricis, occasionem vitii inferendi, patris interventum in nuptias. *Donatus.*

18 *An mei patris festivitatem*] Etiam Patri laus impartienda est. nam non erat transenndum *Festivitatem,* qua et festivus Amatori non obstitit, quod ignovit ut facilis: unde *festivitas* in dictis, *facilitas* vero in animo et factis. *Idem.*

Festivitatem] Lætitiam: ut, 'Festivus dies est.' Idem.

An mei patris festivitatem et facilitatem] Patris hujus personam solius *καταστροφῆς* causa poëta induxit. igitur, quæ intus peracta sunt, merito vocabulis *καταστροφῇ* quodammodo propriis celebrantur. *Bœclerus.*

O Jupiter, serva, obsecro, hæc nobis bona] Id est, Gallice, *Aprés cela je ne demande plus rien à Dieu.* Faber.

19 *Serva obsecro hæc nobis bona*] O. l. s. *hæc bona nobis.* Faërnus.

DI vestram fidem] Cito intervenit Phædria, utpote qui domi erat. *Donatus.*

20 *Quæ narravit*] Nimius affectus in utramque partem defectus orationis amat: est ergo ἔλλειψις: deest enim *Gaudeo.* Idem.

21 *Satis credo*] Sic dici nota agentibus solet. Recte igitur huic dicitur, cui fiunt nuptiæ, *gaudeo:* et ille sic respondet, ut amicis gratulantibus decet, *Satis credo.* *Credo* autem ideo, quia multi se fingunt gratulari, quum invideant: gaudere, quum doleant. *Idem.*

Nihil est Thaide hac frater tua dignius, quod ametur] Quæ possit delicatior esse verborum collocatio, etiam in soluto sermone? ita mox, 'cur te ergo in his ego conspicor regionibus?' Quod semel hic attingitur. exempla in nostro perpetua sunt. *Bœclerus.*

23 *Mihi illam laudas*] Scilicet amatori ejus. Et *mihi* pronuntiatione juvandum est. *Donatus.*

Perii: quanto minus spei est, tanto magis amo] Hic vero est ardor insanissimus: ut Virgilius, 'Formosum pastor Corydon ardebat Alexin, Delicias domini.' Et profecto sic est, Sapientes spe maxime ad amorem coguntur: stulti forma tantum. *Idem.*

Hui, mihi illam laudas] Eadem forma sententiæ in Adelphis III. 4. 35. 'Vigilantiam tuam tu mihi narras?' *Bœclerus.*

Quanto, &c.] Insani militis amor insanissimus. Amor spe intenditur, metu crescit et flagrat. *Farnabius.*

24 *Obsecro, Gnatho, in te spes est*] Mire, quasi desperatis omnibus auxiliis, abjecta nimis supplicatio inducitur. Nam et *obsecro*, et *Gnatho*, id significant, et *in te spes est*. Donatus.

Quid vis faciam] Non est hoc interrogantis, sed est ostendentis non esse quid faciat. *Idem.*

25 *Precibus, pretio*] Nihil Militi superest præter precem, ut victo: et pretium, ut diviti. Nihil aliud optat, quam sic res eant, ut persona Thaidis conveniri possit. *Idem.*

Precibus, pretio] 'Ασύνδετα, velut afflicta et lassa, pronuntianda sunt. *Idem.*

Pretio] Varie: quia alibi dixit, *precario*. Idem.

Ut hæream] Τὸ *hæream* ultimum genus beneficii est. *Idem.*

In parte aliqua] Non enim *Parte* dixit, ut æqua intelligatur. *Idem.*

Tandem] Et desperantis est, et difficulter credentis. *Tandem* non est adverbium temporis: sed *Saltem* significat. *Idem.*

Ut hæream, in parte aliqua, tandem, apud Thaidem] Per singula momenta signavit abjectum militis animum. ad minuendum apta sunt: *hærere, in parte aliqua tandem.* τὸ *tandem* hic Guyetus explicat, *post tantum temporis.* Donatus, *saltem.* non vi vocis, sed supplemento sensus: *tandem* enim est hoc loco, ubi nil aliud impetrari poterit: quicquid id erit, qualecunque id erit, quod impetrabitur. ἐν μέρει τινὶ πω. *Bœclerus.*

26 *Difficile est*] Vultu et pronuntiatione, asseveratione firmandum est. *Donatus.*

Siquid collibuit] Ἔλλειψις: pro, Siquid collibitum est, efficis. *Idem.*

Novi te] Deest *Perficis.* sed ubique plura gestu significat miles; utpote infantissimus. *Idem.*

27 *Quod vis donum, et præmium a me optato*] *Donum*, præmium est: et *munus*, præmium est. Sed *donum*, præmium Diis datur: *munus*, præmium hominibus. nam separatum, donum Deorum est: præmium virorum est fortium: munus hominum. Et donum munusque, tam ante factum, quam post factum datur: præmium non nisi post factum est. Donum, voluntarium: præmium, debetur. Alii ergo ἀσυνδέτως pronuntiant, primo *donum*, et sic *præmium*, quasi unam partem orationis. *Idem.*

Quodvis donum et præmium] *Donum*, ut a largo homine: *præmium*, ut a præclaro facinore. *Idem.*

Quodvis donum et præmium a me optato, id optatum feres] Donum optato, ob quod præmium accipias. *Idem.*

Præmium a me optato] Totum militariter: nam et *optatio* dicitur, et *optari* a militibus. ut alibi, 'Vir fortis optet quod volet præmium.' *Idem.*

Quodvis donum, præmium a me opt.] Copiose Donatus. *Bœclerus.*

Quodvis, &c.] Εὖξαι τὶ βούλει, πάντα σοι γενήσεται. Menander. *Farnabius.*

28 *Si hoc efficio, postulo ut mihi tua domus te præsente absente pateat*] Proverbiale est, 'Præsente absente,' ut 'sursum deorsum,' 'ultro citro,' et cetera hujusmodi: 'fanda nefanda,' 'justa injusta,' 'digna indigna,' 'velit nolit.' *Donatus.*

Postulo, &c.] Stat sibi et principiis suis parasitus; ut ventri sit bene, cavet. *Farnabius.*

29 *Invocato ut sit locus semper*] *Invocato*, non vocato significat. *In* etenim auget et minuit dictionem. *Donatus.*

Invocato] Male intelligitur precibus vocato, quum sit αὐτομάτῳ, id est, etiam non invitando, quin ultro venire debeat suam domum. *Idem.*

Invocato ut sit locus] Non vocato, ex disciplina parasitica, quam signat ejusdem loci ac ordinis homo apud Plautum Captiv. I. 1. 1. 2. 'Juventus nomen indidit scorto mihi, Eo

quia invocatus soleo esse in convivio.' *Bœclerus.*

Invocato, &c.] Crobylus apud Athenæum lib. II. c. 1. parasitum αὐτόσιτον vocat. quod ipse ultro ad cibum veniat, et non invitatus. Dalecham. Αὐτόματος quod sponte venit. Hom. *Farnabius.*

30 *Do fidem*] Juro, confirmo, spondeo. *Donatus.*

Do fidem ita futurum] Delevimus dictionem *ita*, quæ in Bembino et aliquot aliis libris non est. sine qua et versus et sensus optime constant. *Faërnus.*

Accingar] Non quia facile est, quod negavit supra, sed suis votis Parasitus adductus est ad cœnandum: ideo et *Accingar* dixit: sic enim dicimus in magnis rebus suscipiendis, ut 'Accingunt omnes operi.' *Donatus.*

31 *Salvete*] Supplex sine gratia et sine timore, modo inimicus et infestus. *Idem.*

Tu fortasse quæ facta hic sint, nescis] Hoc totum superbe ac minaciter inquit Adolescens. *Idem.*

32 *Scio*] Compendium Poëtæ, ne rursus eadem dicerentur. *Idem.*

Conspicor] Commune verbum est *conspicor.* Idem.

In his, &c.] In hac parte urbis. dividebantur urbes in regiones, ut Roma in 14. regiones. Athenis hic scena. vide Meursium. *Farnabius.*

33 *Vobis fretus*] Et hoc stulte: quis enim et rivalibus et inimicis fretum se esse dicat? Deinde ἀνακόλουθον, et vitiosa responsio est. nisi enim addideris *Sum*, erit solœcismus conveniens loquenti, impolito homini et militi. *Donatus.*

Scin' quam fretus] Est ab * ea subaudiendum est. *Idem.*

Miles edico tibi] Hoc contumeliose, et proprie ut Militi: 'Miles,' inquit, 'edico tibi.' *Idem.*

34 *Si te in platea offendero hac*] Hoc est, Si vel casu invenero. Et in *platea*, inquit, non circa Meretricis fores. *Idem.*

Si te in platea hac offendero] Ennius Medea: 'Si te secundo lumine hic offendero.' apud Ciceronem in Rabiriana. *Bœclerus.*

Nihil est quod dicas] *Nihil*, pro non: ut sit, non est quod dicas mihi: id est, nihil est quod dicas, pro ut dicas mihi. ut sit, *quod*, pro *ut*: aut Quod, pro, quid dicas mihi. Certum est autem, sic veteres locutos esse. *Donatus.*

35 *Alium quærebam*] Aut *alium* pro *Quendam* posuit: ut sit, 'quendam quærebam,' id est, aliquem. aut *alium*, hoc est, non quem tu putas: hoc est, alium, non Thaidem. sed si *aliam* diceret, neque commode, neque ἐμφώνως loqueretur. prævalet enim masculinum genus. *Idem.*

Peristi] Ordo est, postquam in platea hac te offendero, peristi. *Idem.*

Si in platea hac te offendero post unquam, nihil quod dicas mihi Alium quærebam, iter hac habui, peristi] Hic adverbium *quod*, significat id, quod vulgo dicimus, quantum ad id. ac si dixisset, quantum ad id quod dicas mihi, alium quærebam, iter hac habui, peristi. ut sit sensus: omnia hæc, quibus prætexere poteris adventum huc tuum, nihil proderunt tibi, quin statim pereas. eundem modum loquendi et in Adelphis poëta usurpavit, 'Ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivum putant, id non fieri ex vera vita.' item scena supra dicta actus quarti septima: 'Sane quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est.' Ita versus est trochaicus expeditissimus: pariter et sequens. in quo tamen in *peristi*, pænultimum i, in scansione geminandum est. *Faërnus.*

Eia] Interdum hortantis est. ergo nunc *eia* correctionem significat. *Donatus.*

36 *Non cognosco vestrum tam superbum*] Locutio annotanda: mire laudavit, ut persuadere potuisset. *Ves-*

trum tam superbum. Non, *vestrum superbum.* Idem.

Vestrum tam superbum] Absolute: ut, 'Pol, Crito, antiquum obtines.' Ergo subaudiamus vel *ingenium*, vel *animum*, vel *morem*, vel *rem*, vel *institutum*. Idem.

37 *Prius audite paucis*] Mira insinuatione agit: qui non ut consentiant, sed ut audiant, paucis petit. Et bene *Prius*, quasi non obstet, quo minus faciant quod velint. Tum deinde quo attentiores existant, addidit *paucis*. deinde *si placuerit*. facilius enim flectitur, cum quo non pugnamus, ut consentiat. *Idem.*

Prius audite] Fiduciam ostentat persuasoriam rem dicturi. *Idem.*

38 *Audiamus*] Bene: non *Faciamus*, sed *Audiamus* dixit: nam prima oratoris impetratio in mala causa est, audiri meruisse. *Idem.*

Tu concede paulum istuc, Thraso] Thraso hoc in bonam partem accepit: et ideo paret: putat enim vel turpe esse, si humiliter precetur suo nomine, seque audiente, Parasitus: vel incongruum sibi, si in os præsens a Gnathone laudetur. *Idem.*

Istuc, Thraso] Non ad se vocat: sed locum ostendit, quo abeat atque concedat. *Idem.*

39 *Principio, ego vos*] Videt neque se odio haberi, neque offendi animos audientium in militis nomine. Hoc ergo oratorie: pro eo homine in quo offenditur, eum in quo non offenditur, posuit. *Idem.*

Principio, &c.] Advertenda subit assentatorum fides, qui sibi, suo commodo et gratiæ, in negotiis sibi delegatis, velificantur, imo prævaricantur; et destituta, quam in mandatis habuere, causa, adversam juvant. Ulpian. *Farnabius.*

40 *Me hujus quidquid facio, id facere maxime causa mea*] Deest *rei*, aut *est*: ut sit, 'Me hujus quidquid est quod facio, id facere maxime causa mea.' Hic a persona discessit: et rem non odiosam pro odiosa posuit, id est, parasiticam, pro æmuli amore et commodo. *Donatus*

41 *Verum idem si vobis prodest*] Multum attulit ad persuadendum: non esse commodum Militi admitti, et suum commodum ipsorum esse commodum. *Idem.*

Vos non facere, inscitia est] Oratorie, et secundum insinuationis præcepta sic dixit: nam remittendo et dubitando, magis flectit animos, quam si aperte ac pertinaciter asseveret. *Id.*

42 *Militem ego rivalem recipiendum censeo*] Artificiose satis, semel intulit omne quod durum dictu ad persuadendum erat. nam quod *Militem* et *Rivalem* dixit, ad eam rem valet, ut magis admittendus sit, quam excludendus: et simul fiducia sic dicentis parat animos ad audienda quæ dicet. *Idem.*

Militem ego rivalem recipiendum censeo] *Rivales* dicuntur æmuli de mulieribus, facta translatione nominis a feris bestiis: quæ sitientes cum ex eodem rivulo haustam petunt, in prælium contra se invicem concitantur. Sic Cicero, pro Cælio, 'Sin erit ex illo fonte rivalis,' inquit. *Idem.*

Militem rivalem ego] Considera quo vultu hoc dicendum sit: et intelliges, et *militem*, et *rivalem*, et *recipiendum*, et *ego censeo*, quanta significet. Non enim dixit *Thrasonem*, sed *Militem:* quod nomen ad stultitiam valet. Non *Socium*, sed *Rivalem:* quo ostendit, quandoquidem rivalis in Meretrice capiendus est, hunc potius eligendum. Nec, *non Excludendum*, sed *Recipiendum* dixit: ut et ostendit, adeo prodesse, ut etiam de industria retinendus sit. Non, *volo* aut *rogo*, sed *censeo:* ut consiliarius, non Parasitus, videatur loqui. Nam quod *ego* addidit, eo dicto usus est, quo uti solent qui plus in negotio vident. Nam sic in Phormione Jurisconsulti: 'Ego quæ in rem tuam fuerint, ea velim facias. Ego sedulo hunc dixisse credo. Ego amplius deliberandum censeo.' *Idem.*

Censeo] Vide virtutem poëtæ. non enim dixit *Peto*, sed *Censeo:* tanquam illis modo consulat, neque pro milite agat. *Idem.*

43 *Cogita modo*] *Modo*, aut tantummodo significat: aut temporis est adverbium. et simul incerta distinctio est. *Idem.*

44 *Et libenter vivit*] Id est, bonorum ciborum edax es. *Idem.*

Et libenter vivis, et enim bene libenter victitas] Guyetus ad strenua remedia confugit. quem vide. Potest alterum ὁμιλίαν, s. convictum, alterum ἑστίασιν s. convivium notare. ut sit: *libenter cum illa vivis*, i. e. libenter apud illam versaris; *et enim bene libenter victitas*, i. e. atque tum quidem genio indulgere, convivari juvat, meretricum enim hæc consuetudo, quam Philotis tangit, Hecyra I. 2. 17. 18. 'Antiqua ut consuetudine Agitarem inter vos libere convivium.' *Libenter*, in utroque membro, ad προαίρεσιν et studium spectaret. *bene victitare*, esset, laute victitare, epulari; ut apud Plautum, ex diverso, 'Victitare suo succo,' i. e. parce ac duriter. *Bæclerus.*

Etenim, &c.] Usque laute et opipare frequens epulari vis. *Farnabius.*

45 *Et necesse, &c.*] Supra ad act. II. scen. 1. 'Meretricem idem esse reor, mare ut est,' &c. *Idem.*

46 *Suppeditare possit sine sumptu tuo*] Aut *suppeditare*, pro *suppeditari:* aut deest *se*. Ut, 'Accingunt omnes operi.' *Donatus.*

Suppeditare, &c.] Se, sumptus. al. pro *suppetere.* Farnabius.

47 *Ad omnia hæc magis opportunus nec magis ex usu tuo nemo est*] Locutio est ex negativis tertia: ut, 'Agrum in his regionibus meliorem nemo habet.' *Donatus.*

Magis ex usu] Pro utilior, et *Magis oportunus*, pro oportunior. *Idem.*

Nemo est] Hoc est, oportunus. *Id.*

48 *Habet quod det*] Ut dives. *Idem.*

Et dat nemo largius] Ut liberalis. *Idem.*

49 *Fatuus*] Inepta loquens. A fando *fatuus* dicitur: inde *Fauni Fatui:* et nymphæ *Fatuæ* dictæ sunt. *Idem.*

Fatuus est] Hoc ex usu tuo. *Idem.*

Insulsus] Sine sale et sapientia: aut sine saltu et facilitate. *Idem.*

Fatuus est, insulsus] *Fatui* sunt, qui verbis et dictis fatui sunt: *Insulsi* vere, corde et animo. *Idem.*

Fatuus est, insulsus] Sunt qui *fatuum*, animo putant: *Insulsum*, dictis. sed male. Nam *Fatui* quoque Dii sunt, qui et *Fauni* dicuntur: et non stulti, sed multum fantes, id est, loquentes. *Idem.*

Fatuus est, insulsus] Hæc quæ nunc addidit, non ex superioribus pendent: sed cum superiora valeant plurimum, (nam quia dives et liberalis, potuit obesse rivalibus,) hæc omnia bona in Milite corrumpuntur, quod fatuus, quod insulsus, et cetera, quæ ipse persequitur. *Idem.*

Fatuus est, insulsus] Hæc bene adduntur: quia dixit, 'Et habet quod det, et dat nemo largius.' Ad rem eam valebat, ut amaretur Miles a Meretrice, et præponendus omnibus esset: sed ingrata sunt mulieribus, maximeque lascivis, hæc omnia quæ subjicit. *Idem.*

Fatuus est, insulsus] Hoc pro acervo vitiorum, cum quadam vultus improbitate prolatum est, quo magis res in medio posita esse videatur. *Idem.*

Fatuus est, insulsus] Insipidus, a sapore ciborum sumptum. Martial. 'ut sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ.' l. XIII. Ep. 13. *Farnabius.*

Tardus] In Venerem scilicet. *Donatus.*

Tardus] Corpore et membris: quamquam et intellectu *tardos* vocamus, qui stulti sunt. Sed melius est sic intelligi, ut ea vitia videatur dicere, quæ inamabilem faciant etiam divi-

tem, largumque amatorem. Nam aut verba commendant: ut, 'Pendetque iterum narrantis ab ore.' hic fatuus. Aut sapientia gratum facit: ut 'Multa viri virtus animo.' hic insulsus est. Sed mihi videtur *fatuum* dicere, qui tantum glorietur; et blandiri amicæ nesciat. *Insulsum*, qui non sit salax, et cupidus coitus. *Tardum*, qui non facile explicet Venerem: quæ res Meretricibus odiosa est. *Id.*

Tardus] Ingenio et sensu hebes. 'Elephanti corio circumtectus.' i. e. stupidus. Plaut. Mil. act. II. sc. 2. *Farnabius.*

Stertit] Plus dixit quam *dormit.* Donatus.

Noctesque et dies] Plus significat, quam si diceret, *diebus et noctibus*: ut hoc ipso nomine consiliarii auctoritas inesse videatur. *Idem.*

50 *Ubi velis*] Quando vel quum. *Idem.*

51 *Quid agimus*] Initium consensionis, dubitatio est ejus qui negaverit. *Idem.*

Hoc etiam] *Deest*, vel *abest.* Idem.

Quod ego] Parasitus scilicet. *Idem.*

Primum puto] *Primum puto*, quasi parasitus. *Idem.*

52 *Accipit hominem*] *Accipit*, pascit, invitat: ut, 'Illos porticibus rex accipiebat in amplis.' *Idem.*

Nemo melius prorsus, neque prolixius] Horum alterum apparatum indicat, alterum copiam. *Idem.*

Accipit homo, &c.] Invitat et excipit nemo liberalius ac benignius. 'Illos porticibus rex accipiebat in amplis.' Virg. Æneid. III. *Farnabius.*

53 *Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opus est*] Facete dixit Adolescens rei parcus, et qui putet amorem sine damno esse oportere, quique fefellerit Meretricem; non solum ejiciendum non esse Militem, sed etiam quovis modo sustinendum ac perferendum. *Donatus.*

Mirum, ni illoc homine] Obtinuit parasitus jam quod negabatur. Primo deliberatum: ut, 'Quid agimus?' Post concessum: ut, 'Mirum ni illoc homine quoquo pacto opus est.' *Id.*

Mirum, ni illoc] Hic, inquit, ejusmodi est, ut etiam cum mala conditione patiendus sit. *Idem.*

Idem ego arbitror] Sane opus fuit consensione, præcipue Phædriæ, cujus res agitur: nam ita et servata persona est tarde consentientis amatoris. *Idem.*

54 *Recte facitis*] Gratiarum actio est. *Idem.*

Unum etiam hoc vos oro] Subtiliter etiam Parasitus hic se adjungit, suasque partes circa hos agit. *Idem.*

Ut me in vestrum gregem] Jam hos laudat: et nimis Parasitus est, si recorderis, eundem dixisse, 'Facete, lepide, laute, nihil supra.' *Idem.*

55 *Satis diu hoc jam saxum volvo*] Vide quemadmodum serpat paulatim etiam in eorum assentationem, ex vituperatione Militis. *Idem.*

Hoc saxum volvo] Proverbium in eos, qui inextricabili labore afflicti sunt. Et bene *Saxum* de stulto Milite ait: et se ipsum Sisyphum fecit. *Idem.*

Hoc saxum volvo] Velut Sisyphus apud inferos. *Idem.*

Satis, &c.] Jamdiu hoc ago ut militem ac me in vestram admittatis societatem. a saxo quod volvit Sisyphus, tractum. Ovid. Met. III. *Farnabius.*

56 *At ego pro istoc, Phædria*] Subaudiamus et *sum hic.* aliter non, ut parasitus ait. *Donatus.*

Phædria, et tu Chærea] Ambos nominat, quasi legibus paciscantur. *Id.*

57 *Hunc comedendum*] Cum ceteris rebus, summus Poëta etiam fidem ostendit amicitiæ parasiticæ, exemplo Gnathonis de Milite loquentis hoc modo. *Idem.*

Propino] Facete sic dixit, ut parasitus, et quasi de convivio loqueretur. *Id.*

Hunc comedendum et deridendum vobis propino] Hic vero, si usquam alibi,

placuit sibi Muretus, et rem operose ac ingenti molimine tractavit; sed profecto magno conatu nil egit. Ipse autem, qui eloquentissimi hominis gloriæ faveo, hoc dicam tantum: Falsus ex eo Muretus fuit, quod existimavit primam syllabam in *propino*, esse necessario longam; id quod non est. At Muretus, dices, in quatuor libris manu descriptis reperit *præbeo*, non *propino*, sed Faërnus, cujus apud me fides non minoris est, affirmat in optimis quibusque scriptum esse, *propino.* Dein et sic legerunt Donatus, et Nonius, quod ex interpretatione ipsorum constat. Præterea, si Terentius scripsisset, *præbeo*, ut vult Muretus, unde tandem in mentem cuiquam homini venisset, ut pro *præbeo*, poneret *propino*, quod ab illo altero verbo ita remotum est? Fateor equidem primam syllabam in *propino*, et ratione linguæ Græcæ brevem esse debere; sed et in *prologus*, prima itidem corripi debet, et eam tamen Terentius produxit, quasi si vox mere Latina esset. Quid, τὸ *profero*, planissime Græcum est, et brevis in eo est prima syllaba apud Græcos; at illam Latini semper longam faciunt; cui exemplo longe plurima addi possunt. Sed et Martialis ipse nonne bis aut ter primam in *propino* longam fecit? Ex iis omnibus efficitur Muretum eo die, quo hæc scribebat, non sane valde nasutum fuisse. Debuerat enim facile olfecisse suum illud, *præbeo*, nihil esse aliud quam glossema appositum ab aliquo studioso, qui hoc parasiticum verbum interpretaretur. *Faber.*

Propino] Nostri Mss. omnes, *præbeo.* quod tanto studio Muretus et Fr. Fabricius reponunt. sed causæ non sunt hujusmodi, ut antiquissimi cujusque codicis lectionem, etiam Nonio ac Donato retentam, postferamus. vide Chrestom. voc. Comed. *Bæclerus.*

Præbeo] Sic Mss. plurimi. Sunt tamen qui habent *propino* eodem sensu, quo usurpatur ab iis qui se invicem ad pocula invitant. προπεπωκότες, inquit Suidas, ἀντὶ τοῦ παραδεδωκότες, &c. ab antiquorum consuetudine regum, qui phialas argenteas aut aureas compotoribus propinabant, quas illi secum auferrent. προπίνειν ἀντὶ τοῦ χαρίζεσθαι. Philostratus in vita Apollonii, προπίνω σοι ἄνδρα Ἕλληνα. 'Venenatam partem fratri edendam propinans,' Spartian. in Antonino. *Farnabius.*

58 *Dignus est*] Hæc verba ultima longi sermonis, ejusmodi sunt, ut Miles hæc audiens, laudatum se esse, et approbatum existimet. *Donatus.*

Ubi vis] Honorifice revocat ablegatum cum injuria, dicendo *Ubi vis*: quia *accede* imperativum erat: et *ubi*, nisi *quando* intellexeris, vitium est. *Idem.*

59 *Isti te ignorabant*] Figura ἀκυρολογία. Ad utrumque enim pertinet, et ad laudem, et ad mores. Et hoc ambiguum. *Idem.*

60 *Secundum facta et virtutes tuas*] Et hoc ἀμφίβολον. Nam *virtutes* εἰρωνικῶς pro vitiis posuit: ut, 'Nescis qui vir siet:' et 'Ornatus esses ex tuis virtutibus.' *Idem.*

Facta et virtutes] Proprie *facta* militibus adscribuntur. *Idem.*

Facta et virtutes] Amarior est εἰρωνεία in vitiosos homines, quam veritas. *Idem.*

62 *Nunquam etiam fui usquam*] *Numquam* et locum, et tempus significat: *Usquam*, locum magis: *Nunquam*, non. Et *numquam usquam*, τῷ ἀρχαϊσμῷ, pro *non usquam*, id est, nusquam. *Idem.*

Quin me omnes amarent plurimum] Contrarium superiori. quid est enim quod bene non fecerit quicquam, si in illo est, ut ametur? *Idem.*

63 *Atticam eloquentiam*] Et hoc εἰρωνικῶς, ut illa quæ supra. *Atticam* dicit veram atque germanam, quia excultior eloquentia dicitur Attica:

et summi oratores *Attici* appellati sunt. *Idem.*

Atticam elegantiam] Hoc quoque, quam *eloquentiam* malim: cujus hic significatio parum efficax est. Hunc locum in animo habuisse videtur Auctor libri de Tragœdia et Comœdia, cum scripsit: 'Athenienses namque Atticam custodientes elegantiam, cum vellent male viventes notare,' &c. Egregium specimen, scilicet, Atticæ morum in hoc milite elegantiæ est, quod homo ἀηδὴς, et omnibus molestus, nunquam se usquam fuisse dicit, quin omnes eum amarent plurimum. Hanc εἰρωνείαν qui non intellexerunt, *eloquentiam* substituerunt. *Bœclerus.*

Atticam elegantiam] Genuinam et germanam, puram putam: Ironice, ut et quæ præcedebant. *Farnabius.*

64 *Prætermissum*] Et hoc anceps est, intellectu gemino ad utrumque. *Donatus.*

Ite hac] Quo vocat parasitus? an ad Meretricem? an ad cœnam Militis, ut promisit? 'Hunc ego comedendum et deridendum vobis propino.' *Idem.*

Ite hac] Comessatum ad militem, vel ad Thaidem. Si cœnæ interfuit meretrix, quomodo post acta sunt omnia, cum mentio noctis non facta sit? Omnia post cœnam gesta sunt: et non completa per rixam cœna, superfuit plurimum temporis ad agendum. *Idem.*

HEAUTONTIMORUMENOS.

[In VV. LL. nostris ad vs. ultimum Periochæ C. S. Apollinaris, lege '*Uxorem ducit* Br.' pro '*Uxorem ducit* Bent.']

Joach. Camerar. de nomine Fabulæ] Nomen fabulæ Græcum significat eum, qui de se ipse supplicium sumit. quemadmodum ait senex: 'Illi de me supplicium dabo.' hic est igitur ὁ αὑτὸν κολάζων, id est, puniens. Hoc docuit et Galenus commentatione prima in librum Hippocratis περὶ ἀρθρ. διαφέρει γὰρ τὸ τιμωρῶν τοῦ τιμωρούμενος, ὃ μετὰ τῆς καλουμένης αἰτιατικῆς πτώσεως σημαίνει τὸ κολάζων. οὕτω γοῦν καὶ ἑαυτὸν τιμωρούμενος ἐπιγέγραπται τὸ Μενάνδρου δρᾶμα. Etsi in Electra est, ἐμοῦ δὲ πάντα πατρὶ τιμωρουμένης, pro τιμωρούσης, i. e. ulciscente patris injuriam. sicut ait Electra, se eduxisse Orestem πατρὶ τιμωρὸν φόνου. nam τιμωρεῖν significat cum dativo auxilium et βοήθειαν, cum accusativo, pœnam.

Personæ] Omnes personas mutas, quæ in edit. Batavica majore apparent, et ex iis duas quasdam in editione Heinsii, hinc sustuli; nulla enim in hac Comœdia muta persona est. *Faber.*

In argumentum Mureti. *Quod ita magis e re illius fore censeret Syrus, &c.*] Errat hic Muretus, et historiæ fidem violat; neque enim id factum a Syro est: sed a Clitiphone, act. I. sc. 2. Ecce tibi illos versus: Cl. *Cave faxis, non opus est, pater.* Et quæ ibi legas. *Idem.*

Ad prologum.] Solebant, ut in libro de poëtica Aristoteles scribit, ὑπὸ μίαν περίοδον τοῦ ἡλίου absolvere opus suum Tragici et Comici actores. Sed istius fabulæ recitatio, Liberalibus ante cœnæ tempus cœpta, et sub crepusculum media finita, altero demum die peracta est. unde in primo et secundo actu vesperæ cœnæque mentio fit; et insequentis diei actum orditur hoc verbo senex, *Luciscit.* Hæc temporum mutatio actionisque tarditas ipsi argumento, quod statarium est, respondet. Si enim uno die accerseretur, eodemque ex una familia in alteram deduceretur muliebris pompa, et ancillarum grex, nimis turbarum fieret in scena, et nihil ab aliis comœdiis hæc differret. Quamobrem proprium Terentii est, non solum bonas meretrices facere, hoc est, mutare τὸ ἦθος, sed uti etiam novo agendi genere, et mutare ὑπόκρισιν. Hæc autem ex Terentianis sola rataria est atque integra: nam reliquæ motus plures habent, et non semper unius dramatis atque auctoris imitationem. *G. Fabricius.*

Senarii sunt. vs. 1. omnes Mss. nostri: *ne cui vestrum sit mir.* vs. 18. omnes: *id esse factum hic non negat.* vs. 30. duo: *nec ille pro se d. e.* vs. 43. omnes, *mihi* pro *seni.* et vs. 44. *decurritur.* Bœclerus.

Omnes hæ comœdiæ de Græco translatæ sunt, a Menandro quidem quatuor, duæ ab Apollodoro. Heautontimorumenos Menandri est, cujus prologus partitionem tenet, in qua docet, quid in quæstione sit, id ipsum ne populus miraretur, dissolvere. Eugraphius.

1 *Ne cui sit vestrum mirum cur partes seni Poëta dederit, quæ sunt Adolescentium*] Duas partes proponit, unam quod contra consuetudinem Senex Prologus processit in publicum: solet enim istud officium Adolescentibus dari. Ergo quoniam contra consuetudinem in prologum persona processit senex, idcirco hanc primam populo vult solvere quæstionem. *Idem.*

Nec cui sit vestrum mirum, cur partes seni poëta dederit] Partes prologi

intellige cum Eugraphio: aliter accepit Scaliger poët. vi. 3. *Bœclerus.*

Cur partes, &c.] Cur mihi seni poëta dederit partes prologi. *Farnabius.*

3 *Deinde quod veni eloquar*] Altera hæc pars est, simile autem mihi videtur huic esse principium divinationis: namque et illic quod subito mutata voluntate ad accusandum descenderant, mirum dixit videri, vel judicibus, vel circumstantibus: ac propterea se primum id velle dissolvere. *Si quis vestrum, Judices, aut eorum qui adsunt, forte miratur.* Vides hic verbum *noverit* semper apponi: ita enim et hic dixit, *ne cui sit vestrum mirum.* Hanc igitur partitionem solvit, uti dicat cur partes seni Poëta dederit, quæ sunt adolescentium. Quod primo proposuerat, primo solvit. 'Oratorem me esse voluit, non prologum. Vestrum judicium fecit, me actorem dedit.' Quod autem dixit, *quod veni, eloquar*, illud est: 'Nam quod rumores distulerunt malivoli, multas contaminasse Græcas, dum facit paucas Latinas, id esse factum hic non negat.' Ergo ut propositio collocata est, ita etiam solutionis est ordo servatus. Sed nunc ad interpretationem superiorum revertamur. *Eugraphius.*

Id primum dicam; deinde quod veni eloquar] An aliter poëta hic proponat, quam exequatur, quod ei objectum est, disputat Scaliger, loco quem dixi. Guyetus transponit voces. *Bœclerus.*

4 *Ex integra Græca integram Comœdiam sum hodie acturus*] Quoniam Andria ex duabus comœdiis videtur esse confecta, quippe illic et Perinthia, et Andria continentur: quod quidem criminis loco adversarius dederat. Ideo hic ex integra, inquit, comœdia integram comœdiam acturus sum, ne videatur ab altera tacta, aut ipse alteram tetigisse, sed unam comœdiam, et integram, ad Latinum sermonem interpretatione mutasse. Denique ideo adjecit: 'Duplex, quæ ex argumento facta est simplici:' ut simplex argumentum sit, duplex comœdia: dum et Latina eadem et Græca est. Novam esse ostendit propterea, cum a Græco tantum dicta est, et Latine nunc acta est. Nunc primum in scenam procedit, idcirco dicitur nova, et quæ esset, supra dixit, Heautontimorumenon.

Duplex quæ ex argumento facta est implici] In libro P. Bembi, quo nullus melior, scriptum olim fuerat, *duplici*, non *simplici*, ut hodie scribitur. At ex illa scriptura, quamvis depravata, aliquando probabo, locum hunc corruptum esse, et legi debere, non *duplex quæ, &c.* sed *Simplex quæ ex argumento facta est duplici.* Omnia enim in hac fabula sunt duplicia: senes duo, Chremes et Menedemus; amatores duo, Clinia et Clitipho, amicæ duæ, Bacchis et Antiphila, servuli quoque duo, Syrus et Dromo, mulierculæ duæ denique, nutrix et Phrygia. Ergo Comœdia ipsa *simplex* est, argumentum autem *duplex.* Scio quid ab aliis dictum sit; sed nil tale ab iis animadversum fuisse, quale a me dictum est, et id scio. *Faber.*

4 *Ex integra Græca*] In libro Bembino, ut per omnes alias comœdias, antiquissima manu glossemata ex Donato in margine ascripta sunt ad locorum quæ incidunt expositionem: ita in hanc ipsam Heautontimorumenon multa visuntur, quæ Donati similiter putamus esse, cujus in hanc fabulam commentarii interciderunt. Sed sive Donati sint, sive cujuspiam alius, optima certe et eruditissima sunt. quorum aliqua ponere non gravabimur, ut in hunc locum: *Ex integra Græca: A nullo tacta.* Faërnus.

Integram comœdiam] Integri dramatis, unius auctoris, e Menandri Græca versam, non mistam e duabus fab. uti Andriam calumniabatur Luscius ex Andria et Perinthia contaminatam. vide Prologum Andr. *Farnabius.*

6 *Duplex quæ ex argumento facta est simplici*] *Duplici* prius erat in libro Bembino, postea mutatum in *simplici.* sed si *duplici* legas, hic erit sensus: duo adolescentes in hac fabula introducti, cum sua uterque amica, patre, servo, argumentum duplex efficiunt, atque ita duplicem comœdiam, ut sunt omnes Terentianæ, excepta Hecyra. Eugraphius tamen legit, *simplici;* cujus expositionem in totum hunc locum vide. *Faërnus.*

Duplex quæ ex argumento facta est simplici] Nannius *duplicem* intelligit ex duplice argumento, sicut describitur ab Euanthio de Comœd. et Trag. Georgius Fabricius ad tempus refert: quia non simul, ut ceteræ, sed intervallo noctis interposito, peracta est. nam quæ de insperata agnitione Antiphilæ adjicit, non debuerunt viro erudito excidere, inde enim nulla duplicatur fabula. Vera est sine dubio Nannii sententia. *Bœclerus.*

Duplex, &c.] Dimidium fabulæ actum vesperi: nocte transacta ludis: alterum dimidium (ab illo Chremetis 'Lucescit' act. iii. sc. 1.) sub lucem unam igitur quasi duas, ait Jul. Scal. 6. Poëtices c. 3. Ego, quod tanti viri pace dixerim, duplicem ex simplici dictam puto, quod in Menandri Heautontimorumeno cum unus fuerit senex, filius unicus, una amica, servus unus, in hac sua Terentius omnes conduplicaverit, atque mira arte Comœdiam ediderit πολυπροσωπότερον, adeoque venustiorem. *Farnabius.*

8 *Et cuja Græca sit, ni partem maximam existimarem scire vestrum, id dicerem*] Duplex hic pronuntiatio est, qui scripserit, et cuja Græca sit, ni partem maximam existimarem scire id: ut post inferatur: *Nunc quamobrem has partes didicerim, paucis dabo.* Illud quod supra positum est, videtur adjectum: nunc redit ad partitionem supra collocatam, cur partes adolescentium senex sumpserit. *Eugraphius.*

11 *Oratorem me esse voluit, non prologum*] Ut apud vos agerem causam potius, non officio fungerer Prologorum. Prologi enim, sicuti jam dictum, aut argumentum narrant, aut Poëtæ personam commendant, aut audientiam postulant: nunc autem ego apud vos acturus sum causam, et defendam, si quid fuerit forte in Terentium ab adversario, loco criminis intentatum. Ideo enim dixit, 'Vestrum judicium fecit, me actorem dedit, sed hic actor tantum poterit a facundia, quantum ille potuit cogitare commode, qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.' Poëta inquit, me auctorem esse voluit, qui tantum in facundia excellit, et prævalet ingenio, quantum et ego qui eandem comœdiam acturus sum, in agendo prævaleo: ita *hic actor*, hoc est, ego, tantum potero a facundia, hoc est, non degenerabo ab eo qui cogitavit. *Idem.*

Oratorem voluit esse me, non prologum] Scribe, ob metrum, ut apud Faërnum, nam hic mendosa est Mureti editio, *Oratorem esse voluit me, non prologum.* Alioqui erit Pæan quartus in Iambico. *Faber.*

13 *Sed hic actor tantum poterit a facund.*] Actorem, præsertim senem, jactantius quædam disserere, non absurdum videtur poëta judicasse. Sed Guyetus non tolerat. *Bœclerus.*

Sed hic, &c.] Atque utinam hic actor (δεικτικῶς ego) tantum valeret eloquio, quantum inventione poëta. *Farnabius.*

15 *Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum*] Sed ubi igitur illa oratio est? en illam tibi: 'Nam quod rumores,' &c. Dices, Incepta ne ea fuerit oratio ab illa particula? Nil mirum; aliquando enim abrupto sermone sic incipiebant: 'Quid enim? nam quod,' &c. Græci ad eundem modum, τί γὰρ ἄλλο, καὶ γὰρ, &c. *Faber.*

16 *Nam quod rumores malivoli*] Hic

jam incipit causam dicere cur venerit, sicut supra diximus, ut purget quæstiones ipsas, et objecta ab adversariis solvat. *Malivoli* autem, quod dixit, vel numero plurali, ut malivoli rumores ipsi: vel singulari, ut sit hujus malivoli, hoc est, Luscii Lanvini. *Eugraphius.*

Distulerunt] Id est, in diversum disseminarunt. *Idem.*

Nam quod rumores] Vide Prologos Andriæ et Hecyræ. *Farnabius.*

Distulerunt, &c.] Sparserunt, divulgarunt. *Idem.*

17 *Multas contaminasse*] Hoc est illud quod diximus, quando hic prælocutus est, ut diceret, 'ex integra Græca integram comœdiam sum acturus hodie.' ita et hic hoc sibi crimen dicit objectum, quod Terentius multas Græcas contaminaverit comœdias, dum paucas Latinas facit. hoc autem crimen Terentius non negat factum, sed sibi licere demonstrat. et licere scilicet per aliorum exempla. Quemadmodum Tullius dixit: 'Adductus sum, judices, fide, misericordia, multorum exemplo bonorum.' Et hic habet bonorum exemplum. *Facturum autumat*, facturum dicit et profitetur. *Eugraphius.*

19 *Neque se id pigere*] Liber Bembinus non habet dictionem *id.* Faërnus.

20 *Bonorum, &c.*] Nævii, Planti, Ennii. *Farnabius.*

22 *Tum quod malevolus vetus dicit*] Aliud crimen est, quod objectum nunc proponit. quoniam Luscius Lanvinus dicit, Terentium non peritum artis musicæ, ad comœdias scribendas accessisse, præsumente potius ingenio amicorum, non suo. *Eugraphius.*

Malevolus, &c.] Luscius Lavinius. Prolog. Andr. *Farnabius.*

23 *Musicum*] Poëticum, ut daret operam Comœdiis scribendis: sic prologo Hecyræ atque Phormionis. *Id.*

24 *Amicum ingenio, &c.*] Lælii, Scipionis, nobilium, quorum familiaritate usus est. Prolog. Adelph. et vita Terentii. *Idem.*

25 *Arbitrium vestrum, vestra existimatio valebit*] Hoc locutionis genus satis mirum est, cum dicit, de hac re vos judicare poteritis: an id quod objicitur nobis, verum sit, ut Terentius non natura sua fretus, neque ingenio, sed amicorum potius, ad scribendas comœdias accesserit. Est namque rumor, quod Terentius cum Scipione Africano familiarissimus fuit, semper istas comœdias cogitarit: hoc igitur prologus nititur solvere. Et quoniam non est erubescendum, tali viro fuisse conjunctum, idcirco minus curat hoc crimen dissolvere: dicit tantummodo, vestrum judicium est, et vestra existimatio. *Eugraphius.*

26 *Quare vos omnes oratos volo*] Hic jam sequitur officium prologi, ut benivolentiam petat: quæ benivolentia et in adversarios odium concitat. quod adjecit. *Idem.*

Quamobrem omnes vos oratos volo] In Bembino est *quare:* in Victoriano autem ascriptum in modum variæ lectionis, *vel quare.* Faërnus.

27 *Ne plus iniquum possit quam æquum oratio. date crescendi copiam novarum, qui spectandi faciunt copiam sine vitiis*] Quoniam petitio generaliter fuerat collocata, uti novis Poëtis faverent auditores: adjecit *novis*, sed qui sine vitiis comœdias dant: illis Luscius Lanvinus comœdias profert, sed cum vitio. Adjecit, *Ne ille pro se dictum existimet.* Et ne Luscius Lanvinus etiam pro se petitum arbitretur. *Eugraphius.*

Ne plus iniquum possit, quam æquum oratio] Guyetus *iniquum* genit. plur. *τὸ æquum*, recto casu singul. Priscianus autem lib. VII. utrobique concisionem agnoscit, explicatque, *iniquorum* et *æquorum.* Bœclerus.

28 *Date, &c.*] Date crescendi (in gratia apud vos) copiam iis poëtis, qui faciunt vobis copiam spectandi

novarum fabularum, earumque quæ vitiis carent. vide Prolog. Hecyræ. *καινά δράματα. Farnabius.*

29 *Novarum qui spectandi faciunt copiam*] Hujus locutionis multa apud optimos scriptores exempla extant, quasi quis suppleat: qui faciunt copiam spectandi spectaculi novarum fabularum: semper enim hic subaudiunt nomen verbi (seu verbum infinitum pro nomine acceptum) qui participia existimant illa, vulgo pro verbis Gerundis habita. Qua de re Scioppius in Paradoxis Literariis, Ep. 2. *Bœclerus.*

Spectandi novarum] Cum ita loquuntur Latini, tum illud gerundivum pro verbali nomine est, ut *spectatio, visio, &c.* Exempla notavi apud Ciceronem, Lucretium, et Suetonium. *Faber.*

30 *Ne ille, &c.*] Neque enim hæc in suam defensionem dicta putet L. Lavinius, qui scurriles servorum discursiones, et insanas turbas nuper populo ostendit in fabula motoria. *Farnabius.*

31 *Qui nuper fecit servo currenti in via decesse populum*] Proponit vitium quod admiserit Poëta Luscius Lanvinus: quippe cum omnis comœdia aut errorem teneat ex amatoribus, aut injuriam meretricum, aut suppositionem filiorum, aut aliquid tale, quod ad moralitatem videtur esse conjunctum. Quod tale hic est: Cum servus currit, cum populus decedit, quod domino insano obediat servus: ne potius aliena a comœdiis sint, aperte, ait, ac breviter ea, quæ sunt comœdiarum, explicemus. Omnis comœdia aut amoris habet agnitionem, aut suppositionem amoris habet. Ut ex Andria, quam quidem in agnitionem esse cognoscimus: nam cognoscitur Glycerium quia civis sit. Suppositionem habet, ut apud Plautum qui est Truculentus: militi enim supponitur filius, ut exinde in meretricis affectum arctius et strictius colligetur. Ergo cum videamus hæc esse necessaria in comœdiis teneri, vehementer erravit Lanvinus, qui extra hæc comœdiam instituit: et servum currere, populum per viam discedere, quod insano serviat domino. Unde apertissimum vitium in comœdia reprehendit Terentius. *Eugraphius.*

32 *Cur insano serviat*] Eugraphius multa hic movet, sed nihil promovet. Calphurnius, quem plerique sequuntur, de populo dictum accipit: *cur insano serviat?* sc. populus, *insano*, servo scil. de quo dixerat: Guyetus emendat, *serviam.* v. not. *Bœclerus.*

36 *Statariam*] Homines nostri statariam hoc loco Fabulam intelligi volunt, quæ ita dicebatur ad differentiam motoriæ. Quid sit autem Fabula stataria, quid motoria, prius in scholiis ad Æschylum et Aristophanem didiceram quam excerpta e Donato legissem; sed ad rem. Bis meo judicio peccant, qui statariam hoc loco Fabulam esse sentiunt. Nam, quod primum sit, hæc Fabula stataria non est: imo ex omnibus Terentianis Fabulis nullam magis motoriam scio. Alterum peccatum est, quod non viderunt statariam hic non de comœdia, sed de persona aliqua tantum dici; id quod facile probaverit oppositorum ratio. Quid autem opponitur statariæ, quam ego personam dico esse, nisi servus currens, iratus senex, parasitus, sycophanta, lena, &c. 'Ne semper servos currens, iratus senex, Edax parasitus, sycophanta autem impudens,' &c. Persona itaque cum persona comparatur, id est pars cum parte, non comœdia aliqua cum aliqua comœdia, id est totum cum alio toto. 'Id quisque dicet quod quisque volet dicere, At hoc scio, me certa et vera dicere.' Olim hæc fusius; nam ingens, copiosum ac verbosum argumentum est. Tamen jam nunc Ciceronis quemdam locum ex Bruto

proferre possim, ex quo id plane confirmetur: eos ille actores vocat statarios. 'Volo enim,' inquit, 'ut in scena, sic etiam in foro, non eos modo laudari, qui celeri motu et difficili utuntur, sed eos etiam, quos statarios appellant, quorum sit illa simplex in agendo veritas, non molesta.' Vides actores statarios: ergo et statarias personas. *Faber.*

Statariam agere ut liceat per silentium] Quidam *statariam* genus esse putant comœdiæ: alii in quibus stantes: unde hanc *statariam* nominant. *Mihi* enim videtur, *statariam agere ut liceat per silentium*, ideo dixisse, ut perpetuo et stabiliter agatur hæc comœdia, neque populi adversis suffragiis foras pellatur. Ideo adjicit, *ut liceat per silentium.* et subjungit: 'Ne semper servus currens, iratus senex, &c. assidue agendi sint mihi, Clamore summo, cum labore maximo.' Hæc autem, quæ nunc nominantur, propria videntur esse personarum, nam servi officium est currere, senis irasci: parasitus autem edax est, impudens sycophanta, leno avarus est: ergo sunt hæc propria sermonis, quæ necesse habeo ex necessitate personarum complere. Debetis mihi potius favere, quam adverso suffragio conatus facere. *Eugraphius.*

Statariam agere ut liceat] Recte Eugraphius; 'Ut perpetuo et stabiliter agatur hæc comœdia, neque populi adversis suffragiis foras pellatur.' Frustra sunt, qui *statariam* hic capiunt de illo genere fabulæ quod a *motoria* distinguitur. *Bœclerus.*

Statariam, &c.] Comœdiam, in qua non ita discurritur, ubi τὰ ἤθη seria, sedatiora, et graviora, tanquam statarii milites, qui servant ordinem singuli. *Farnabius.*

38 *Parasitus*] Prolog. Eunuch. *Id.*

Sycophanta, &c.] Andr. act. v. sc. 4. *Idem.*

41 *Mea causa causam hanc justam esse animum inducite, Ut aliqua pars laboris minuatur mihi*] Quantum ad eum qui comœdiam scribit pertinet: potuit enim secundum morem ingenio universa complere: ergo quia hæc pronuntiaturus sum, necesse habeo silentium. Ideo, inquit, propter me hanc mihi operam exhibete, ut cum silentio attendatis. *Eugraphius.*

Mea causa, &c.] Qui senio confectus sum, cui parcendum erat. *Farnabius.*

Si quæ labor. est ad me curritur] Ex Bembino codice est τὸ *quæ*. In Mss. nostris omnibus: *si qua laboriosa est, ad me decurritur.* Bœclerus.

Si qua, &c.] Si qua fabula gravis sit argumenti, ut quæ laboris multum desideret, ad me itur. *Farnabius.*

45 *Ad alium defertur gregem*) Calphurnius hic *gregem* per contemtum dici, sine causa, autumat. *Bœclerus.*

Gregem] Scenicorum ad alios actores. *Farnabius.*

46 *In hac pura est oratio*] Quoniam dixerat, laboriosas potius comœdias ad se deferri, leves ad alium; ne præjudicium huic comœdiæ fecisse videretur, adjecit, *in hac pura est oratio: experimini in utramque partem ingenium quid possit meum.* Modo utrumque possum: et levia perferre, et gravia complere. Ita ait *in utramque partem:* quoniam semper in asperioribus comprobastis, nunc quoque in levioribus nosse debetis. *Eugraphius.*

In hac est pura oratio] *Pura,* Scaligero, hic est *lecta.* Poët. IV. 1. *Bœclerus.*

In hac, &c.] In hac fab. præter τὴν οἰκονομίαν τὰ ἤθη, et venustatem, pura erit dictio. *Farnabius.*

51 *Ut adolescentuli vobis placere studeant potius quam sibi*] Si mihi nunc honorem per silentium dederitis, facile eos adolescentes compelletis, ut vobis placere potius velint, quam sibi.

quoniam officium Prologorum adolescentes sumunt, multa in comœdiis ipsi acturi sunt, ita factum cum mihi ex hac actione esse cognoverint, facile ipsi laborem hunc capere possint, ut vobis placeant. *Eugraphius.*

Ut adolescentuli] Ut adolesc. qui in comœdiis partes suas acturi sunt posthac, meo exemplo, vestris potius commodis quam suis servire studeant, i. e. placere magis vobis, quam quæstui operam dare cupiant; judicium vestrum ante lucrum suum ponant. Eugraphius non expedit satis. Guyetus, animosius medicina usus, delet. *Bœclerus.*

Adolescentuli] Poëtæ, actores, histriones. *Farnabius.*

ACTUS I.

SCENA I. Senariis constat scena. vs. 4. duo Mss. *vel virtus tua vel mea vicinitas.* vss. 9. 10. duo: *quidvis tibi, aut quid quæris?* vs. 17. duo: *facere:* unus, *ferre.* vs. 19. omnes: *certe.* vs. 24. unus: *ea et quæ nihil ad.* alter: *ea quæ ad te nihil attinent.* atque ita etiam Argentor. prima manu. vs. 29. duo: *mihi sic est.* tertius: *mihi est.* vs. 36. duo: *dicetur tibi.* vs. 40. duo: *sic meritum meum.* vs. 45. omnes post *perdite*, addunt, *virginem.* vs. 47. omnes: *ubi rem scivi.* vs. 63. omnes, ut ed. vs. 66. omnes: *clam me est profectus.* vs. 69. omnes: *ex hiis.* duo: *consocii.* Argent. *consilii.* vs. 72. duo: *assideo.* vs. 84. omnes: *vit. ill. incolet.* vss. 90. 91. unus, ut ed. alter, *exercent.* ut et Argent. vs. 93. omnes omittunt, *ad.* vs. 97. unus: *nefas esse, ulla me voluptate frui.* vs. 101. omnes: *neque.* vs. 102. unus: *hoc ibi fit ubi non vere vivitur.* alter: *hoc qui* (superscr. *ibi*) *fit ubi non vere vivitur.* Argentor. *hoc quidem fit ibi* (hoc *ibi* ab alia manu est) *ubi non vere vivitur.* vs. 105. Argent. *fateor peccatum meum maximum esse.* Meorum unus: *f. peccatum maximum meum est.* alter: *fat. peccatum meum maximum est.* vs. 113. omnes: *impulerim.* vs. 116. duo: *ut dixi.* vs. 121. duo: *ibo hinc intro.* Bœclerus.

1 *Quamquam hæc inter nos*] *Hæc scena continet injustam accusationem, quod gravis senex de se exigat pœnas. defensionemque continet justam. memorat quippe, ita se meritum, ut ipse de se exigat pœnas.* Quare qualitatis esse intelligimus status, et non tam esse accusationem, quam objurgationem. Hujusmodi etenim in auctoribus, qui non apud judicem controversiam dicunt, vim debemus potius intelligere, quam controversiam: non enim judices præsunt. Sed quoniam talis est actio, ut videatur vim controversiæ continere, idcirco status hic est, et secundum istum cuncta dicuntur. Ergo in hac scena status qualitatis est absolutæ, utrum juste fecerit, vel faciat, quod de se senex exigat pœnas. Quam rem docet juste fieri, ex eo quod se meritum dicit, propterea quia ipse filium suum, amantem adolescentum more, miserit in militiam duram, sæpius accusando: inde sibi juste imponi has ipsas, quas implet, gravissimas pœnas. *Eugraphius.*

Quanquam hæc] Chremes vicinus, cum conspiceret senem, eundemque olim divitem, graviter laborare ac tota die in opere consistere vehementer, accedit interrogans: et ut oportet apud ignotum, longa utitur oratione, simulque sibi etiam quæstionem facit, et quasi ipse sibi respondet. Quo pacto vim ostendit ejus qui interrogat, cum sit ignotus. Aliter enim senem in dolore positum, et calamitatibus pressum, ad loquendum provocare non posset, nisi secum in se interrogans illud ita loqueretur, uti adjiceret quæ ipse re-

spondere potuisset. Ac primo purgat personam: quamvis antea familiaritas nulla fuerit, audeat tamen hodie accedere, et eum alloqui, dicit * quod nimius labor, quem ipse de se exigat, ille, qui senex et dives est, in se taciturnitatem esse non permiserit, sed potius compulerit ad interrogandum, etiamsi parva amicitia fuisset atque notitia, ex hoc quod vicinum agrum non longe ante mercatus est. *Idem.*

Quamquam hæc, &c.] Exordium hoc adeo præclarum est, et oratorium, ut in gravioribus etiam argumentis exempli loco esse queat. considera partitionem rei, sententias, numeros; prorsus nihil accuratius reperies, neque facundius: διάθεσις animi in Chremete loquente notabiliter signatur a Cicerone de Fin. II. 4. Incipit autem a communi humanitate: 'Homo sum, humani nihil a me alienum puto.' hic sensus, ut ita dicam, humanitatis, subinde ad propositum officiosi animi proficit: 'Crede, inquam, mihi, Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.' testimonium sequitur duplex, nec exiguum: invitatio ad convivium, minuendæ ægritudini; et lacrymæ misericordia profusæ. mox opera, consilium, et quæ ab amico familiari possunt proficisci reliqua. *Bœclerus.*

3 *Nec rei sane amplius*] Nec aliquid inter nos fuit rei, ex quo facilius jungeremur. *Eugraphius.*

4 *Vel virtus tua me*] Quam honesto verbo usus! laborem et calamitatem virtutem potius nominavit.* *Idem.*

Vicinitas] 'Ελκυστικόν τι, ad notitiam atque amicitiam arctiorem. *Farnab.*

5 *In propinqua parte*] Vicinitas agrorum et domorum quasi quædam pars amicitiæ est. *Eugraphius.*

6 *Audacter moneam et familiariter*] *Audacter*, quod quædam dicturus est, veluti accusans. *Familiariter*, quod ita accedit, quasi ex notitia præterita. *Idem.*

7 *Quod mihi videre, &c.*] Ipse partitionem suam persequitur. Nam propter ætatem sic subjungit, *Annos sexaginta natus es, aut plus eo, ut conjicio: agrum in his regionibus meliorem, neque pretii majoris nemo habet. Meliorem*, ad usum refert: *pretii majoris*, ad opinionem populi de ipso agro. *Idem,*

Præter, &c.] Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων. *Farnabius.*

9 *Quid vis tibi, aut quid quæris*] Disjunctio *aut* a duobus antiquissimis libris abest, Bembino et Victoriano. *Faërnus.*

14 *Officia fungere*] Archaismus. *Farnabius.*

15 *Numquam tam mane, &c.*] Hic est labor ille qui fit plurimus, quo cotidie....labore constitutus, quod aut fodere invenitur, aut aliquid facere. *Eugraphius.*

Nunquam, &c.] 'Terentianus Chremes, non inhumanus, novum vicinum non vult fodere aut arare, aut aliquid ferre denique: non ut illum ab industria, sed ab illiberali labore deterreat.' Cic. de Finibus l. I. *Farnabius.*

16. 17 *Quin te in fundo conspicer fodere, aut arare, aut aliquid f. d.*] Humanitati hanc dehortationem merito tribuit Cicero de Fin. I. 1. 'Terentianus Chremes non inhumanus,' &c. *Bœclerus.*

18 *Denique nullum remittis*] *Nullum remittis*, ad illud pertinet quod dicit, *nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi domum revertor.* Eugraphius.

Neque te respicis] Ad illud, vel quod senex est, vel quod dives. *Idem.*

18 *Neque te respicis*] Non parcis tibi, non cogitas quid ætas et valetudo tua postulet. Ita in Phorm. II. 3. 87. 'Respice ætatem tuam.' *Bœclerus.*

19 *Hæc non voluptati esse satis certo scio*] In o. l. s. antiquis, recentibus, post *voluptati* est pronomen *tibi*: quod et sensui necessarium videtur. superest ut versui consulatur; qui ita stabit, si ex *voluptati* p elidas: ita ut antepenultima correpta remaneat. et in *esse* priorem syllabam corripias, altero s abjecto, aut *tibi* monosyllabum efficiatur. *Faërnus.*

20 *At enim dices*] Optima ut diximus ratione, ipse sibi quæstionem facit, et utitur respondentis ratione, ut eum provocare possit ad loquendum, qui frequenter pressus dolore conticescit. Sed dices mihi, inquit, *pœnitet me quantum hic operis fiat*: cui respondet, tanquam hoc sibi propositum sit. Sed in opere faciendo quod consumis, si id consumas in exercendis servis, plus agas. *Eugraphius.*

At enim dices, me hic quantum operis fiat, pœnitet] In libro Bembino et Donato in Eunuchum actus V. scena 7. non est dictio *me*. et præterea, non *hic quantum*, sed *quantum hic* scriptum est. utroque modo necesse est, *fiat*, in unam syllabam contrahi. *Faërnus.*

At enim dices] Sensus est: Scio quid dicturus sis. non contentum te esse eo (non satis tibi videri) quantum hic (in tuo agro) operis fiat. at vero, si tu eum laborem, quem in opere rustico consumis, poneres in exercendis servis tuis, plus agas. plus tua præsentia, inspectio, cohortatio (vox enim *exercendi* notabiliter hic significat,) proficiet, opera servorum, quam si manu opus facias. *Bœclerus.*

At enim me] At enim (dices) piget me videre quantulum hic promoveant opus meum servi pigri et cessatores. *Farnabius.*

22 *Si sumas, &c.*] Respondet sibi. *Idem.*

23 *Tantum ne est ab re*] Bene tanquam alienum alloquitur Menedemus, ut illi et otium esse dicat, et tantum otium a rebus suis, ut aliena curet, et ea quæ ad se nihil attinent. *Eugraphius.*

Chreme, tantumne ab re tua est otii tibi] Cicero (Epist. ad Attic. XII. 6.) proverbiali schemate induit hanc sententiam: ex familiari usu Terentianæ lectionis. *Bœclerus.*

Tantumne, &c.] *Tantumne ab re tua est otii tibi, ut, &c.* Cic. ad Attic. lib. XII. Epist. 6. *Farnabius.*

Homo sum, humani nihil a me alienum puto] Hic locus vulgo intelligitur pessime, et contra Terentii ipsius sententiam, aut Cicero non sapiebat in lib. de Officiis, cujus locus notissimus est. Hoc Terentii dictum bene intellexit impurissimus ille Satyricus, 'Quis enim bonus....Ulla aliena sibi videat mala?' Unde facile intelligere possis quid sit, *humanum*: mala scilicet, quæ unicuique homini in dies et horas aut accidunt, aut accidere possunt, vel a casu vel a fato. Addo et hoc: Cum hic versus in theatro recitaretur, universum populum exclamasse. Verba sunt Viri Sanctissimi. D. Augustinum dico. *Rectum est? ego ut faciam, Non? ego ut deterream.* Ego ita distinxi, ut sententia posset intelligi; aliter, non potest. *Faber.*

Homo sum, humani nihil a me alien. p.] Cicero hanc quoque sententiam, ut apprime probam, et quandam quasi naturæ vocem, ad societatem civilem colendam, accommodat I. de Legib. et I. de Off. καὶ γὰρ διὰ τὸ τῆς αὐτῆς ἡμᾶς εἶναι φύσεως, ἀλλήλους ἐλεεῖν χρὴ, καὶ διὰ τοῦτο ὀξυῤῥεπεῖς εἶναι πρὸς τὰ πάθη. ut Scholiastes ad memorabilem locum Apollonii Argonaut. IV. 1015. et seq. *Bœclerus.*

Homo sum, &c.] 'Est enim difficilis cura rerum alienarum: quanquam Terentianus ille Chremes humani nihil a se alienum putet.' Cic. de Offic. l. I. 'Isti versus in pectore et ore sint: Homo sum, nihil humani a me alienum puto.' Senec. Epist. *Farnabius.*

26 *Vel me monere hoc vel percontari*] *Monere*, si sciam quod faciat: *percontari*, si nescit. *Eugraphius.*

27 *Rectum est, ego ut faciam*] Ad

superiora pertinet sensus, ut intelligi possit. Vel percontari puta si rectum est: ideo quæro ut faciam; si non est rectum, ut te deterream. *Idem.*

Non ut deterream] Lege *non est, te ut deterream.* Hunc locum, præterquam quod duarum dictionum defectus in omnibus impressis corruperat, etiam obscurabat confusa distinctio: sic enim distinguendum est; *Vel me monere hoc, vel percontari puta: Rectum est, ego ut faciam: non est, te ut deterream.* ita autem pronuntianda sunt ea verba *rectum est, et non est,* ac si diceremus, si rectum est, et si non est. ut sit sensus: puta me vel percontari hoc, vel monere: percontari quidem, ut si rectum est quod tu facis, cum tantum laboras, ego quoque cum id cognovero rectum esse, idem faciam: monere vero, ut si non est rectum, te ab ea re deterream. Hujus loci intelligentiam Hieronymo Suritæ, doctissimo Hispano, debemus: emendationem vero omnibus l. s. *Faërnus.*

Rectum est, ego ut faciam: non est, te ut deterream] Bene explicat Guyetus studium hoc Chremetis æquitate mixtum, quod verbis Horatii extuleris ex Ep. I. 14. 'Certemus, spinas animone ego fortius, an tu Evellas agro.' *Bœclerus.*

28 *Mihi est usus*] Mihi sic expedit. *Eugraphius.*

Mihi sic est usus] Hæc explicantur ab ipso poëta vs. 40. 83. 95. 96. et amplius a Cicerone, qui ostendit, quomodo hic Terentianus senex decreverit se cruciare; et malo se dignum deputarit, nisi miser esset, Tuscul. III. 27. idque ab affectus magnitudine proficisci, cum nemo sibi inimicus ipse sit, declarat de Fin. v. 10. *Bœclerus.*

Tibi ut opus est facto, face] Liber Bembinus et Victorianus, *tibi ut opus facto st, face.* et infra, *an quoiquam.* et in eodem versu, in omnibus ferme libris, *mihi* legitur sine verbo *est.* Faërnus.

30 *Si quid laboris est, nollem*] Parum boni sensus hinc elicueris. itaque interpretes more suo prætererunt, aut, quid dicant, ipsi nesciunt. Guyetus expungit. *Bœclerus.*

Siquid laboris est nollem, sed istud quid mali est] Neque constat versus, inquit Muretus in edit. Manutiana, neque sententia mihi quidem satis aperta est. Sed errat vir eloquentissimus; nam profecto trimeter comicus est, et optimus quidem; sic: *Siquid | labo | ri'st nol | lem sed i | stud quid | mali'st?* Ita centies et amplius Poëta noster, et Plautus. Sententia autem est hæc Gall. *Quelle peine y-a-t-il a faire ce que je vous conseille?* Verum, dices, consilium illud, de quo loqueris, quod, et quale erat? Id superius paulo expositum est his versibus: 'Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ, Si sumas in illis exercendis, plus agas.' *Faber.*

31 *Quid de te tantum meruisti*] 'Male de se mereri,' Cicero in hoc ipso genere πάθους, se excruciantium, describendo, dixit. Plautus alio sensu; 'videre commeruisse in te aliquid mali' (Epid. I. 1. 59, 60.) i. e. commeruisti noxiam, adeoque pœnam, s. ob quam pœna te manet. *Idem.*

31 *Aut consolando, aut consilio, &c.*] Apponit causas cur aliena incommoda queri videatur. Hoc enim quod interrogo proderit tibi * ita boni amici ordinem custodivit, ut crederet se aliquo modo prodesse.* *Eugraphius.*

Aut consolando, aut consilio, aut re juvero] Ex Plauti Pseudolo I. 1. 17. 'Fac me certum, quid tibi est, Juvabo aut re aut opera aut consilio bono.' Mutuatur nobilem, et quæ humanitatis officiosæ numeros explet, sententiam Cicero Ep. Famil. VII. 10. 'Quare omnibus de rebus, fac ut quam primum sciam; aut consolando, aut consilio, aut re juvero.' *Bœclerus.*

M. *Scire vis?* CH. *hac causa equidem qua dixi tibi*] O. l. s. *hac quidem causa.* sed ut versus stet, ex *quidem* m abjicietur. *Faërnus.*

35 *Hac quidem causa*] Non curiose se interrogare, ut ab initio suspicatus erat Menedemus, sed officiose et amanter, iterum homini morose misero inculcandum duxit. *Bœclerus.*

41 *Filium unicum adolesc.*] Narratio hæc plane consentit argumento. atque, dum vult conficere, merito Menedemum se ipsum excruciare, inter narrandum, se excruciantis specimen præbet. Et quia magno affectu res geritur, prævertunt nomina desiderii et doloris, seque per causas singillatim indicant: *filium,* et *unicum,* et *adolescentulum,* quod felicitatis erat, *habeo:* nisi παθητικὴ ἐπανόρθωσις in contrarium verteret, quod dictum est; *ah! quid dixi habere me?* augeri vult dolor tractatu vulneris, *immo habui, Chreme.* nec sufficit: *nunc habeam necne incertum est.* Ita affectus narrationem prævenit; cujus nunc demum, confecta rei summa, solita procedunt primordia: 'Est e Corintho hic advena anus paupercula,' &c. *Bœclerus.*

42 *Habui, Chreme*] Miserum istuc verbum, et pessimum est; 'Habuisse, et nihil habere.' Plaut. Ruden. act. v. sc. 2. *Farnabius.*

44 *Corintho, &c.*] Peloponesi, ad Isthmum inter Ionium et Ægeum maria, urbe celeberrima. h. *Corintho* et *Coranto,* Turcis *Gereme.* Farnabius.

46 *Prope jam uxoris in loco*] Liber Bembinus et alii antiqui, *prope jam in uxoris loco?* Faërnus.

Prope jam pro uxore] Ita in Andria. Sed observa accuratam Poëtæ nostri industriam. nunquam hoc genere loquendi utitur, nisi de ea, quæ vere uxor futura est ejus, qui pro uxore habuit: summam amoris familiaritatem non magis descriptione, quam præsagitione demonstrans. *Bœclerus.*

Uxore haberet] Res odiosa, matrimonium in re cum peregrinis mulieribus, quæ præter egestatem atque civium contemptum male audiebant, tanquam meretrices. *Farnabius.*

47 *Cœpi non humanitus*] Hic jam se arguit, quod juste de se exigat pœnas: siquidem cum animadvertisset filium amare mulierem, non humano modo neque uti decuit adolescentuli animum, sic tractavit, sed aperta vi, et more patrum, cotidie accusavit. Subjungit deinde allocutionem, qua usus est cum accusaret filium: 'Ego te meum tantisper dici volo, Dum quod te dignum est, facies.' Dici te filium meum tam diu volo quam diu facis quod te dignum est. Sin autem non feceris, ego inveniam quod in te dignum sit facere. *Eugraphius.*

49 *Patrum*] Qui plerunque, ut et patrui et senes, sunt 'laudatores temporis acti, Se pueris.' Horat. Epist. ad Pisones. 'Censores castigatoresque minorum.' *Farnabius.*

50 *Cottidie accusabam: hem! tibi ne hæc diutius licere sp.*] Egregia oratio ἐπιτιμητικὴ, et digna, quæ comparetur per singula cum Plauti prorsus simili sed uberiore προσωποποιΐᾳ, Mercatore I. 1. 46. et seq. 'Objurgare pater hæc me noctes et dies,' &c. *Bœclerus.*

57 *Ex nimio otio*] Ovid. de Remedio Amoris, l. I. 'Fac monitis fugias otia prima meis. Hæc ut ames faciunt, hæc, ut fecere, tuentur: Hæc sunt jucundi causa cibusque mali,' &c. *Farnabius.*

58 *Istuc ætatis, &c.*] Plaut. Merc. Prolog. 'Sese extemplo, ex ephebis postquam excesserit, Non, ut ego, amori neque desidiæ in otio operam dedisse.' *Idem.*

60 *Simul et rem, et gloriam*] Ut uno tempore militiæ labore proprio, et fortunas reperirem et dignitates. *Eugraphius.*

Feliciter, arbitror, correxit Guyetus, quamquam forte non fuit, quod eum copia verborum offenderet: *ar-*

mis, belli, reperi. Plautus etiam uberius Epidico, III. 4. 6. 'Virtute, belli, armatus, promerui, ut.' *Belli* autem, ut et *militiæ*, tanquam, *belli tempore*, sive, *in bello*, significare, multis et magnis exemplis constat. *Bœclerus.*

62 *Sæpe eadem et graviter*] His onerat causam suam, quod frequenter dixerit, et graviter. Tandem adolescens victus discesserit in militiam. *Eugraphius.*

Sæpe eadem et graviter audiendo] Odiosius eadem sententia exprimitur in illo Hec. I. 2. 48. 'Tundendo atque odio denique effecit senex.' *Bœclerus.*

65 *In Asiam ad regem militatum*] Singula in pronuntiatione sunt collocanda. Nam *in Asiam*, quod dixit, intelligere debemus, in longinquum locum. *Ad Regem* vero, hoc est, quasi ad servitutem. *In militiam*, ubi scilicet durus labor ut periculum est. *Eugraphius.*

In Asiam ad regem militatum abiit Chreme] Recte Eugraphius hæc singula, et significanter dici vult: 'In Asiam ad regem militatum abiit.' ut in unoquoque sit aliquid oneris. ipsaque appellatio, Chreme, affectum sive πάθος loquentis, ei, ad quem loquitur, demonstrat. *Bœclerus.*

Regem, &c.] Regem Persarum, quem Græci κατ' ἐξοχὴν βασιλέα et μέγαν βασιλέα dixerunt. *Farnabius.*

66 *Clam me est profectus*] Hic curavit quod facile illi poterat opponi: cur ergo non cum eum videres proficisci *. *Eugraphius.*

Menses tres abest] Hic dolorem suum exprimit, temporis longinquitate. *Idem.*

67 *Ambo accusandi*] Necdum tota exposita est, idcirco æqualem partem accusationis suæ posuit Chremes, quod dixit, *ambo accusandi.* Quanquam inclinavit ut adolescentem defendere videatur, cum inquit, 'Etsi illud inceptum videtur esse pudentis animi signum, et non minus obsequentis.' Hoc est enim quod dixit, *non instrenui.* Idem.

Ambo accusandi] Libertati amici, humanitas erudite miscetur. reprehensio est, sed duplici solatio edulcata. nam nec solius esse patitur senis culpam, qui sibi soli tribuebat; et adolescentis ingenium in ipsa culpa liberale, gratissimo scilicet misero parenti acroamate, deprædicat. *Bœclerus.*

68 *Animi est pudentis signum, et non instrenui*] 'Liberum ingenium atque animum' intelligit, quem paterna correptio ab otio ad laborem *reduxisset*, ut huc conferamus illam sententiam in Adelphis v. 3. 42. 43. *pudentis:* Plautus Asinaria I. 1. 67. 'Me habere honorem ejus ingenio decet, Quum me adiit, ut pudentem gnatum æquum est, patrem.' hinc petenda est vocis explicatio. *Idem.*

70 *Domum revertor mœstus, atque animo fere perturbato*] Vide quam non obiter describat suam miseriam. mœstitia, ægritudo animi, perturbatio, inopia consilii, ut singula, conflant cruciatum, quo se afflictat senex. Guyetus τῷ *fere* substituit *bene.* nisi tamen eodem pertinere potest lectio vulgata. *Idem.*

72 *Soccos detrahunt*] Dixi jam, comœdias istas esse palliatas: hoc est, ibi personæ sunt Græcæ: ideo ergo dixit, *soccos detrahunt.*** Eugraphius.

73 *Lectos sternere*] De more discumbendi, de lectis, et tricliniis, &c. videndi Alexander ab Alexandro, l. v. Genial. c. 21. Cœlius Rhodig. Stuckius, Lipsius, III. antiq. lection. Pet. Ciacconius, Rosinus, Dempsterus, alii. *Farnabius.*

76 *Ubi video, cœpi cogitare: hem! tot mea solius solliciti sunt causa*] Figura comicis narrationibus perfamiliaris, insuper huc tendit, ut jure meritoque, i. e. non impetu, sed ratione, videatur Menedemus ἑαυτὸν τιμωρεῖν, se ipsum punire ac excruciare; et quasi supplicium de se nato absenti dare, quod postea ait. *Bœclerus.*

Hem tot mei solius soliciti sunt causa, &c.] Ne dubita, error est. lege *sint;* id quod ratio probat debere esse in modo potentiali. Dein et emendationem meam confirmat verbum sequens, 'Ancillæ tot me vestiant? Victum exercerent suum:' Alias hunc locum examinabo, nam sunt qui legant, *Exsarcirent.* Hoc interim dicam, sic locutum esse Xenophontem, vol. I. p. 30. (ἐκπονεῖν τὰ εἰσιόντα.) Plane idem, nam εἰσιόντα sunt cibi, seu victus. *Faber.*

77 *Solliciti, &c.*] Menander. βίον ὡς οἰκτρὸν ἐξαντλοῦσιν. *Farnabius.*

Eum ego hinc ejeci miserum injustitia mea] Frequentatio verborum vere παθητική singula seorsum vim habent, nec præcipitanter exaudiri volunt; *eum, ego, hinc, ejeci, miserum, injustitia mea.* Bœclerus.

86 *Supplicium dabo*] Ἐμαυτοντιμωρούμενος. *Farnabius.*

87 *Laborans, quærens, parcens, illi serviens*] Quæ possit esse absolutior descriptio laboriosi senis? confer alteram Adelph. v. 3. 26. 27. 'Eandem illam rationem antiquam obtine, Conserva, quære, parce: fac quam plurimum illis relinquas.' *Bœclerus.*

Laborans, &c.] Adelph. act. v. sc. 3. imitatione Menandri, συλλέγει καὶ φείδεται in Leucasia. *Farnabius.*

89 *Nec vas nec vestimentum*] Vestimenta intellige quæ ad stratum pertinent, ut infra act. v. sc. 1. vs. 30. *Bœclerus.*

Conrasi omnia] Hoc est, collegi universa quæ venderem. *Eugraphius.*

91 *Opere faciundo facile sumptum*] Servos universos produxit et vendidit, exceptis his qui suo opere suos sumptus tolerare possent. *Idem.*

Facile sumtum exercer. s.] Guyetum vide. *Bœclerus.*

Exercerent suum] Festus, Lambinus, et codex Coloniensis præferunt *exsercirent* a *sarcio.* Bembus, Muretus, aliique retinent *exercerent.* Turnebus item l. III. cap. 51. idque auctoritate Divi Ambrosii II. Officiorum: 'Sed direptione alicujus et amissione patrimonii in eam recedere injuriam ut sumptum exercere non queat.' V. βίον ἐργάζεσθαι, ἐργάζεσθαι τὰ ἐπιτήδεια; ut, quod in ipsos insumitur, ipsi labore suo acquirant. *Farnabius.*

92 *Produxi ac vendidi*] Venum exposui, quasi hasta posita. *Idem.*

Inscripsi illico ædes] Hoc est ædes meas locavi. *Eugraphius.*

Inscripsi ilico ædes mercede] Eugraphius, locationem hic non venditionem intelligit. *Bœclerus.*

Inscripsi illico] Deserta domus (inquit Plinius l. VII. Epist. 27.) proscribebatur tamen, seu quis emere illam aut conducere vellet. *Farnabius.*

94 *Hic me exerceo*] Non hic ad voluptatem positum *exerceo*, sed ad laborem. quemadmodum Virgil. 'Nate Iliacis exercite fatis.' *Eugraphius.*

95 *Decrevi tantisper me*] Hoc enim judicavi, me non tantam injuriam facere meo filio quem expuli, si et ipse miser sim. *Idem.*

Decrevi, &c.] 'Quid ille Terentianus ipse se puniens: Decrevi, tantisper me minus, &c. Hic decernit ut miser sit. Num quis igitur quidquam decernit invitus! &c. Malo se dignum deputat, nisi miser sit. Vides ergo opinionis esse, non naturæ malum.' Cic. Tusc. Qu. III. idem l. v. de Finibus. *Farnabius.*

98 *Meus particeps*] Quem sc. pariter uti his decuit, ut antea dixit. Sed et ibi jus respicit, quo filii, secundum spem, domini censentur. Ita et juris Romani conditores loquuntur: 'In suis hæredibus evidentius apparet continuationem dominii eo rem perducere, ut nulla videatur hæreditas fuisse, quasi olim hi domini essent, qui etiam vivo patre quodammodo domini existimantur;' et quæ plura addit Paulus l. XI. de lib. et posth. *Bœclerus.*

99 *In liberos*] Liberos dixit multitudinis numero, cum Menedemus uni-

cum tantum haberet filium. *Farnabius.*

100 *Si quis recte aut commode*] Supra accusaverat utrumque, cum diceret, *ambo accusandi:* modo utrumque defendit, quod hunc ingenio leni dicit, et illum obsequentem, si aliquis recte et commode tractaret alterum; nam hoc factum esse dicit, quod neuter se noverit. *Eugraphius.*

Si quis recte aut commode] Eugraphius, 'Supra accusaverat utrumque, cum diceret, ambo accusandi: modo utrumque defendit,' &c. Quod non est accurate dictum. absolvit enim hic, quod supra cœperat, atque iterum utrumque accusat, sed mitiorem facit accusationem mixta laude aliqua. laudat ingenium, accusat mores, ut supra. et hoc ipsum est ὑποθέσεως κωμικῆς. hinc, inquam, tota πραγματεία comica deducitur: quod ingenium et naturam suam homines ad illud vivendi temperamentum, quo actiones inter nimium et parum cohiberi debebant, non assuefaciunt; indeque variis perturbationibus vitam atque ætatem suam complent. *Bœclerus.*

Si quis, &c.] Severitas parentum animos filiorum dejicit et prosternit, indulgentia corrumpit. 'Inter utrumque' (monet Seneca) 'regendus est animus institutione liberorum, ut modo frenis utamur, modo stimulis.' l. II. de Ira cap. 21. sed et 20. præcedens, et quod sequitur c. 22. lectione sunt dignissima, nec non 23. *Farnabius.*

102 *Ubi non vere vivitur*] Ubi non integre vita ostenditur, ubi non nudatur, ut quis qualis sit, agnosci queat. *Eugraphius.*

Hoc ibi fit, ubi non vere vivitur] In aliquibus est *hoc qui fit.* in Bembino, *hocque fit.* Faërnus.

Hocque fit ubi non vere vivitur] Genere loquendi inprimis elegante utitur etiam alibi poëta: 'Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo et bono.' Ad. v. 9. 30. 'Vere vivere,' et 'vera vita,' est τὸ λόγῳ ζῆν, non lubidini, sed rationi obsequi, non affectu, sed consilio vivere. Eugraphius non assequitur mentem Poëtæ. *Bœclerus.*

103 *Quanti penderes*] Quantum diligeres. *Eugraphius.*

104 *Nec tibi ille est credere ausus, quæ est æquum patri*] Itaque pater ille Plautinus tantopere probat filii ingenium, *quum is dignum, cui concrederet, habuisset,* loco quem ante cœpimus laudare, ex Asinaria. *Bœcl.*

105 *Quod si esset factum, hæc numquam*] Si autem tu mores tuos, aut ille tibi qualis esset, ostenderet, facile ad hoc calamitatis genus non perveniretis. *Eugraphius.*

106 *Ita res est*] Quoniam utrumque quodammodo accusaverat Chremes, quod neuter ibi mores ostendisset, omne crimen potius derivat senex, ac dicit, *fateor, peccatum a me maximum est.* Idem.

Peccatum a me maximum est] Ita liber Bembinus et Vaticanus. Victorianus vero, *maxime.* priore modo *peccatum* nomen est; ut sit sensus: a me, id est, a parte mea maximum peccatum invenitur. posteriore participium. *Faërnus.*

107 *Menedeme*] Ad personam. Hoc ex illis quæ supra promisit: inveniet quod adferat, scilicet consolationem. siquidem dicit: *filium adfuturum hic confido propediem. Confido,* hoc est, fiduciam gero. *Eugraphius.*

108 *Et illum tibi salvum adf. esse hic conf. propediem*] Œconomiæ servit. prædicitur, quod mox futurum est. accidit, quo maxime expectatur tempore. itaque votum miseri parentis, *utinam ita dii faxint,* πάθος theatro præparat in sequentia. *Bœclerus.*

109 *Utinam di ita faxint*] Bembinus liber et Victorianus, *Utinam ita di faxint,* meliore collocatione, nec versu repugnante, si vel in primam sedem proceleusmaticus admittatur, vel primam hujus versus syllabam finem præcedentis absumat. *Faërnus.*

110 *Dionysia hic sunt*] Optume factum, ut post narratam calamitatem, cui quidem præter consolationem subvenire non poterat, tamen in eo quod ex ipso auxilio esse potuisset, vult eum ad cœnam vocare: quia dicit, *hodie Dionysia sunt,* quæ sunt sacra Liberi patris apud Athenas. *Eugraphius.*

Dionysia hic sunt] Quare *hic?* Quia Dionysia cum plures dies occuparent, apud Atticos, nunc in hoc pago, nunc in illo celebrabantur, ut quisque commodius vicinos convivas deinceps haberet. Hoc quæri oportuit. *Faber.*

Dionysia, &c.] Liberi patris festa, Liberalia, Bacchanalia, ludi annui in honorem Bacchi victoriam ex India deportantis, οἱ κατ' ἀγροὺς, ubi senes istos habitasse verisimile est, acti autem post æquinoctium autumnale. Athen. l. XIV. c. 2. *Farnabius.*

113 *Non convenit qui illum ad laborem impellerim*] Quod verbum impello facere potuerit in præterito, non modo impuli secundum usum, sed et impelli secundum analogiam, indicio sunt multa verba, quæ præteritum apud antiquos utroque modo habent, ut haurio hausi, et haurivi vel haurii. Varro ad Ciceronem, 'Quum deinde haurierint.' Neglego neglexi et neglegi. Æmilius Macer XVI. Annalium, 'Omnium nostrum neglegerint auctoritatem.' Soleo solitus sum, et solui. Salustius, II. historiarum: 'Neque subsidiis, uti soluerat, compositis.' pellicio pellexi et pellicui. Varro belli Sequanici libro II. 'Deinde ubi pellicuit dulcis levis unda saporis.' nemo ergo miretur si et impello, impelli in præterito potuit facere, secundum analogiam. *Faërnus.*

Impellerim] Præteritum antiquæ monetæ, novæ namque *impulerim,* quod non fert lex Pedia. *Farnabius.*

117 *Monere oportet me*] Jam ante invitatum. *Bœclerus.*

119 *Nihil opus fuit monitore*] Jam in domo inventus est ille. atque mire cupiebat illum vocare ad cœnam; monitore ergo opus, inquit, non fuit, nunciatum illum in domo esse. *Eugraphius.*

Monitore, &c.] Vocatore, servo qui moneret convivas. Plin. l. XXXV. c. 10. Apul. l. III. videntur hi esse δειπνοκλήτορες Artemidori. *Farnabius.*

120 *Ajunt præsto apud me esse*] O. l. s. ita collocant, *Præsto apud me esse ajunt.* erit autem in prima sede dactylus, abjecto d ex *apud.* Faërnus.

Jam dudum domi præsto apud me esse ajunt] Hæsitantem hic sine causa, quomodo Chremes scire hoc potuerit, ex novitiis interpretibus aliquem Guyetus expediet. *Bœclerus.*

Ajunt, &c.] Videtur hoc rescivisse a quodam ex famulis. *Farnabius.*

Scena II. Satura est scena, ex Iambicis tetrametris et senariis, atque Trochaicis. v. Guyet. Antesign. et alios. vs. 4. duo ex Mss. nostris, *omittas.* vs. 7. duo: *audiv. in Asia esse.* vs. 9. omnes: *adduxi.* atque ita Priscianus legit lib. VII. vs. 12. omnes: *objicerem ei domi.* vs. 14. duo: *quia incertum est etiam, quid de se faciat.* vs. 19. omnes: *quæ quidem esse in homine d. b.* vs. 21. omnes: *ut illius animus est.* vs. 22. duo: *ei bona sunt.* vs. 26. duo: *quid tu, tecum.* vs. 27. omnes: *propter.* vs. 28. 29. unus, *feret,* utrobique. vs. 32. Argent. *Scortari crebro non vult, crebro convivarier, præbet exigue sumtum: at hæc s. ad v.* meorum unus: *Scort. crebro nolunt, crebro convivarier, pr. ex. s. atque hæc,* alter etiam τὸ *atque* habet. vs. 37. *cœnæ quid nobis siet.* Bœclerus.

1 *Nihil adhuc*] *Hæc scena habet Cliniæ adolescentis suspicionem, quod amica sua se absente corrupta est.* Sumit igitur per conjecturam argumenta, quæ suo loco plenius apertiusque narrabimus. Ac primum quasi quoddam argumentum, servum qui missus sit non redire, cui jam multum tem-

poris videatur assumptum. Unde efficitur consolatio a Clitiphone amico, cum dicit, 'Nihil quod videaris esse sollicitus, haudquaquam cessant,' hoc est, non diutissime tardant. Verum cum intus positum Cliniam allocutus esset, Clitipho egreditur, patrem prospicit, ei commendat officium suum, ne videatur nescio quem adolescentulum recepisse, ut merito hoc effecisse declaret. Sumit igitur exordium, quod commendat, adolescentem sibi olim jam fuisse cognitum, ac se coactum amicitia, eum recepisse: ideo adjecit, 'Nam mihi cum eo magna ex pueritia familiaritas.' *Eugraphius.*

Nihil adhuc est quod vereare Clinia: haudquaquam etiam cessant] Versus est trochaicus tetrameter acatalecticus. *Faërnus.*

Nihil adhuc] Intus relictum Cliniam alloquitur Clitipho, in proscenium egrediens. *Farnabius.*

Cessant] Syrus et Dromo servi in urbem missi ad accersendam Antiphilam: videtur hinc scena in suburbano constituta, quo accersenda ex urbe Antiphila. *Idem.*

Et illam simul cum nuntio tibi hic ego adfuturam hodie scio] Versus hic novem pedum est: qui si ex eo demas pronomen *ego*, quod neque in libro Bembino est, neque in plerisque aliis, adhuc tamen remanet impeditus, nisi *tibi* in unam syllabam contrahas, et, quod frequentius est, in dictione *illam* prima corripiatur eliso uno l. hoc modo versus erit octonarius iambicus. *Faërnus.*

3 *Proin tu sollicitudinem istam falsam, quæ te excruciat omittas*] Plerique l. s. inter quos Bembinus, habent *mittas;* ita versus est trochaicus tetrameter acatalecticus, ut primus hujus scenæ. *Faërnus.*

4 *Qui cum loquitur filius*] Satis magna erat causa, quæ Chremetem ad convivas properantem moraretur. argumenti enim intererat, sciri adventum Cliniæ, antequam ingrederetur. itaque Clitipho, ut hoc nuntiaret ei, egressus erat, neque potuit negligere occasionem Chremes, quin filium hoc exemplo ad virtutem cohortaretur: aliorum scilicet rebus intentus, suarum sedulo ignarus. quod ipsum est οἰκονομικόν. quid? quod ante cœnam omnia illa geri debebant, quæ actum II. constituunt. quæ moræ, scilicet, plurimum rationis, adeoque necessitatis habent. quo enim differrentur ista? *Bœclerus.*

Qui cum loquitur filius] Versus trochaicus dimeter catalecticus. *Faërnus.*

6 *Quid est*] Plerique fere o. l. s. habent *quid id est*, ut ratio versus requirit. ita enim ordinandus est versus, qui est trochaicus, quemadmodum in libro Bembino est. ut dictio *probe* eum finiat hoc modo: CH. *Quid id est? CL. hunc Menedemum nostin nostrum vicinum?* CH. *probe.* Id.

Advenientem e navi] Adventoria cœna amicos peregre redeuntes excipere moris erat. Martial. Epist. l. XII. 'Ut familiarissimas mihi aures tuas acciperem adventoria:' et quæ nos ibi. de libro tanquam cœna adventoria locutus, quam vovebant, quam ex voto solvebant: passim apud Horatium, Martialem, alios. *Farnab.*

9 *Adduxi ad cenam*] Liber Bembinus et plerique alii *abduxi:* prima autem hujus versus syllaba pertinet ad præcedentem, ut hic sit octonarius iambicus, ut ceteri. *Faërnus.*

10 *Voluptatem magnam*] Scit enim Chremes, vehementer patrem esse sollicitum. Quod audit ergo reversum adolescentem, dicit sibi natam magnam voluptatem. Denique hujus voluptatis causam in animo habens, subjunxit: 'Quam vellem Menedemum invitatum amplius, ut hanc lætitiam nec opinanti prius objicerem domi!' Uti non suspicanti, amplius etiam quam speret, hanc lætitiam domi objiceret. *Eugraphius.*

Semper fuit familiaritas. CH. *voluptatem magnam nuntias*] O. l. s. *fuit semper.* quod parvi refert: octonarius stat eliso p ex *voluptatem*, ut et supra, *hæc non voluptas tibi esse.* Faërn.

11 *Esset hodie amplius*] *Hodie* dissyllabum faciendum est, ut stet octonarius. *Idem.*

Nec opinanti primus objicerem domi] Non paucis ex repentino atque insperato aliquo casu in tantum ripas superans abundavit pectus lætitia, ut spiritus interclusi imaginatione, i. e. motu animæ, quem sensus in actu positus creat, subito exspirarint. vide Liv. dec. III. l. II. de fœminis quæ conspectis filiis ex prælio reversis, quos cæsos fuisse audierant, nimio gaudio exanimatæ, &c. Val. Max. lib. IX. c. 12. et A. Gell. lib. III. c. 15. *Farnabius.*

13 *Cave faxis*] Cave facias, nec enim necesse est. Nescit namque a patre filium desiderari, ideo prohibet patrem suum aliquid facere, qua vindicetur adolescens reversus. *Eugraphius.*

Atque etiam nunc tempus est. CL. *cave faxis, non est opus pater*] Ex o. l. s. ita transpone hæc verba, *non opus est*, et, ut octonarius stet, non facies synalœpham in *atque etiam;* aut si facis, erit trochaicus inter octonarios iambicos. *Faërnus.*

16 *Atque abitio*] Hoc est, discessio. *Eugraphius.*

17 *Nunc servulum ad eam in urbem misit*] Ergo scena in suburbano. *Bœclerus.*

18 *Miserum? quem minus est*] Quoniam ille dixit, miserum esse adolescentem vel quod ipse se adolescens miserum putet, negat esse hic miserum, siquidem omnia habet, quæ quidem in homine dicuntur bona. Et subjungit: 'Atque hæc perinde sunt, ut illius animus est, qui ea possidet.' Atque hæc talia sunt qualis animus illius est, qui hæc tenet. Nam qui scit uti his omnibus, bona sunt; illi vero qui non utitur recte, utique mala sunt. Simul et disjectionem collocavimus, et intellectum didicimus, 'Ne quid in illum plus satis faxit pater.' Hoc amplius vereor, ne aliquid amplius habeat. quidquid satis est faciat pater, ideo injustum est patri ostendere Siquidem Poëta negat esse contemptum * eacus ad hunc laboret filius. *Eugraph.*

19 *Quæ quidem in homine*] Ut vestes non adferunt calorem, ipsæ cum sint frigidæ; sed teporem qui a corpore provenit, stipant, et coërcent, ita vita beata, non est ab extra, non ab ædibus, possessionibus, amicis, &c. sed ab ipso animo, qui si sit rectus et bene compositus, cetera juvando, &c. Plutarch. de virtute et vitio. Bona quæ sunt, quæ dicuntur. Aristot. Ethic. Nicom. lib. I. cap. 4. 5. 6. &c. interpretes ipsius. Senec. Epist. 71. 74. 76. Boët. I. 3. l. Apul. de Deo Socratis, &c. *Farnabius.*

20 *Parentes, patriam incol. &c.*] Vide Chrestomath. voc. 'Bona fortunæ.' et adde Phorm. I. 3. 18. *Bœclerus.*

Parentes et divitias] Est octonarius perfectus: nil necesse est scribere *ditias;* nam in postrema syllaba, ut dictum alibi, synizesis est. *Faber.*

21 *Atque hæc perinde sunt*] Bona vel sunt ἁπλῶς bona, et tum semper per se sunt et dicuntur bona; vel respectu hominum, in quorum usum creata sunt. tum vero neque bona sunt, neque mala, nisi quatenus homines bene vel male iis utuntur. Arist. Eth. Nic. lib. V. c. 1. Rex noster est animus. hoc incolumi, cetera manent in officio, &c. Sen. Epist. 114. *Farnabius.*

Importunus semper] Austerus, acerbus, quasi portu, i. e. quiete carens, sibi et aliis molestus, inquietus. *Idem.*

25 *Illene*] Hoc utique intelligitur propterea dictum, quia scit Chremes animum Menedemi. Hæc ne proderet, repressit se, et reliqua verba contexuit, dicens hanc causam, quod in

metu esse filium, patri vehementer est utile. *Eugraphius.*

Sed reprimam me] Callide se reprimit senex, ne apud Clitiphonem aperiat luctum, et dolorem Menedemi, super discessu filii. simul ut suum celet filium animi teneritudinem, defendit auctoritatem patrum, exigitque filiorum officia. *Farnabius.*

26 *Ut ut erat, mansum*] Qualiscunque, inquit, fuit, tamen oportuit patrem sustinere. *Eugraphius.*

Cl. *Quid tu tecum*] Liber Bembinus et aliquot alii: *quid tute tecum?* itaque octonarius exigit. *Faërnus.*

27 *Fortasse aliquanto iniquior*] Liber Bembinus *aliquantum.* Idem.

Fortasse aliq. iniq.] Egregia ῥῆσις de parentum disciplina: non qualis esse debuit; sed qualis fuit Athenis. *injuriæ parentum,* hic dicuntur, ex opinione liberorum. *Bæclerus.*

30 *Durum, &c.*] Σκληρὸν πρὸς υἱὸν ἐν τῷ νουθετεῖν. Menander. *Farnabius.*

Nam parentum injuriæ, &c.] Præter hunc morem qui est innatus parentibus, hic ferme *paulo est tolerabilis, præbent exigue sumptum* et modice. *Eugraphius.*

31 *Paulo qui est homo tolerabilis*] In libro Bembino hæc interpretatio adscripta est, ' Aut ei subauditur, aut eum: si ei, sic intelligimus, uniusmodi sunt ei, qui est homo tolerabilis. aut eum scortari crebro nolunt, ut sit, filium, qui sit tolerabilis. aut singularem numerum pro plurali posuit, id est, qui sunt tolerabiles.' *Faërnus.*

33 *Exigue sumptum*] Parce. *Farnabius.*

34. 35 *Verum ubi animus semel se cup.*] His duobus versibus omnis comici erroris origo demonstratur. *Bæclerus.*

36 *Scitum est*] Optima occasione senex, dum aliorum mores et facta demonstrat, occasionem filii corrigendi repperit, ut moneret. Scitum est, inquit, et perelegans, ex aliis periculum facere, hoc est, tentamentum, quod tibi vehementer expediat. *Eugraphius.*

Scitum est periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet] Repetitur sententia μιμητικῶς, act. II. sc. 1. vs. 9. et cum ἐξεργασίᾳ memorabili Adelph. III. 4. 52. ' Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium Jubeo: atque ex aliis sumere exemplum sibi: Hoc facito,' &c. *Bæclerus.*

Periculum, &c.] Βλέπων πεπαίδευμ' εἰς τὰ τῶν ἄλλων κακά. Menander. Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit. ' Felix quicunque dolore Alterius discit posse carere suo.' Tibullus, lib. III. Eleg. 6. *Farnabius.*

38 *Tu ut tempus est diei*] Tempus non solum summum est, sed et pars partis est; sicuti hic posuit, *diei tempus,* cum temporis dies esse videatur. *Eugraphius.*

ACTUS II.

Scena I. Iambici Octonarii acatalectici sunt. vs. 5. unus Mss. meorum: *næ ille facili utetur patre.* Argent. *certe ne ille f.* vs. 6. duo: *peccatis.* vs. 8. Argent. *perii, is pater ut adbibit.* vs. 10. omnes: *narrat.* Bæclerus.

1 *Quam iniqui*] *Remansit solus Clitipho, et secum conqueritur de patris hortatione.* Ordo est: Quam iniqui sunt judices patres in omnes adolescentes! *Eugraphius.*

Quam iniqui sunt patres] De Cliniæ amore, hactenus satis multa Menedemus pater et postea Clitipho dixerunt: nunc indicanda est altera pars argumenti, ipsius Clitiphonis amor. *Bæclerus.*

2 *Nos a pueris illico*] Qui arbitrantur, justum esse, in pueritia moribus senum nasci. *Eugraphius.*

Neque illarum affines rerum esse] O. l. s. *esse rerum,* versu non repugnante, si in *illam* abjecto l, primam corripias, ut sæpe in hoc poëta. *Faërnus.*

4 *Ex sua libidine, &c.*] Modum imponunt adolescentibus de moribus suis, quos nunc habent in senectute, non quos in adolescentia habuerunt. *Eugraphius.*

Ex sua libidine moderantur, quæ est nunc] O. l. s. *nunc quæ est.* Faërnus.

5 *Mihi si unquam filius*] Si aliquando mihi filius contingat. *Eugraphius.*

Facili me utetur patre] Id est, valde me utetur bono et facili patre. *Idem.*

6 *Nam et cognoscendi, &c.*] Facile, inquit, filio meo hanc facultatem dabo, ut universa ejus facta cognoscam: tamen si peccarit, ignoscam. *Idem.*

Nam et cognosc. et ignoscendi dab. pecc. loc.] Vide Chrestomath. voc. ' æquus.' *Bæclerus.*

Cognoscendi, &c.] Cic. pro Cœlio: ' Leni vero et dementi patri, cujusmodi ille est; Fores effregit? restituentur. Discidit vestem? resarciatur. Cœlii causa est expeditissima.' *Farnabius.*

7 *Per alium, &c.*] Sub Menedemi persona, cujus causam modo egit, atque invehebatur in Cliniam, adeoque omnes, me et in genere adolescentes. *Id.*

8 *Ubi adbibit plus paulo, sua quæ narrat facin.*] Nullam occasionem prætermisit poëta, quin demonstraret corruptæ educationis Atticæ vitia, et ex suis causis atque originibus requireret: igitur nollem, Guyeto delendum videri hunc versum. quomodo enim sequens cum præcedentibus bene copularetur? *Bæclerus.*

Plus paulo, &c.] Largius æquo. *Farnabius.*

Nunc ait, &c.] Μίμησις, recitantis sententiam patris sui. *Idem.*

10 *Næ ille, &c.*] Quanti a liberis parentum fiant verba, docet pastor apud Theocritum Idyl. IX. quod τοῦ δὲ θέρους φρύγοντος ἐγὼ τόσσον μελεδαίνω, Ὅσσον ἐρῶντι πατρὸς μύθων καὶ ματρὸς ἀκούειν. Neque enim ' amentes' (ut habet Afranius) ' quibus animi non sunt integri, surde audiunt,' sed et amantes. ' amor surdis auribus esse solet.' Prop. *Farnabius.*

11 *Da mihi atque affer mihi*] Multum addidit sententiæ, ὑποκρίσει. *Bæclerus.*

12 *Cui quid respondeam*] Expressit inopiam; siquidem non solum dixit, cui quidem nihil habeo, verum, ad respondendum verba desunt. *Eugraphius.*

13 *Suarum rerum satagit*] Etsi is quoque de suis rebus plurimum cogitat. *Idem.*

Nam Clinia hic, et si is suarum rerum] O. l. s. *nam hic Clinia, et si is quoque suarum.* utroque modo constante octonario. *Faërnus.*

Etsi is quoque rerum suarum satagit] Optime Guyetus explicat. *Bæclerus.*

14 *Habet bene et pudice eductam*] Sæpe conjungi videas. Plaut. Cistellar. I. 3. 24. 25. ' Educavit eam sibi pro filia, Bene ac pudice.' comparatio utriusque ad οἰκονομίαν refertur. *Idem.*

15 *Mea est potens*] Ad hoc positum, ut ex nobilitate plurimum audeat postulare. *Procax* a petendo dictum est; unde et *proci* dicuntur nuptiarum petitores. *Eugraphius.*

Mea est potens, procax] Prorsus non probare possum Guyeti τὸ *patens.* Ceterum ad hanc descriptionem congruit Pomponii versus in Satyra, apud Priscianum, fine sexti: ' blanda, fallax, impotens, superba, discordis.' *Bæclerus.*

Sumptuosa] Ut et necessitatem sibi petendi propter suos sumptus faciat. *Eugraphius.*

Nobilis] Ab omnibus nota. *Idem.*

Nobilis] Nota magis quam nobilis. *Farnabius.*

16 *Tum quod dem ei recte est*] Nihil omnino affertur ab interpretibus, quod probare queat eruditorum quisquam. omnium minime Parei explicatio admitti potest. An ita licet capere? *tum quod dem ei.* constituitur hic ἀποσιώπησις. ut voluerit absolvere; *tum quod dem ei, nihil est mihi;* cum tamen necesse sit multum accipere talem meretricem, qualis nunc descripta est. Sed reprehendit sermonem nec absolvit: interjecta correctionis formula: *recte est.* q. diceret; sed quid dicere volui? religio mihi est ac vel ominis vitandi causa esse debet, *dicere, nihil mihi esse.* sperat enim, more talium amatorum se inventurum alicunde argentum. itaque timet dicere, nihil sibi esse. quod etsi re nihil esset, in spe tamen haberet, unde meretrici procaci suppeditari posset. Illud *recte est*, ita usurpari, ut dictum est, vel hæc exempla doceant: quærenti matri, 'quid es tam tristis?' respondet Pamphilus: 'recte mater.' Hec. III. 2. 19. Interroganti perturbatum Æschinum Micioni, 'quid est?' respondet ille: 'nihil; recte.' Adelph. IV. 5. 19. Ad prius exemplum Donatus erudite: 'sic dicimus, cum sine injuria interrogantis aliquid reticemus:' neque quisquam facile dubitet, per suppressionem ibi dici τὸ *recte.* Bœcl.

Tum, quod dem ei, recte est] Cum nec præcise negarent, nec plane affirmarent, Romani dicebant, *Recte.* Faber.

Nam nihil esse mihi, religio est] Dicere, me hoc non habere, maxima mihi religio est. Ut Virgil. 'Relligio est patrum multos servata per annos.' *Eugraphius.*

Religio est dicere] Dies *religiosi*, inquit Agellius, dicti, quos, propter ominis diritatem, relinquimus: idcirco Terentius in Heaut. 'Tum quod dem ei, recte est: nam nihil esse mihi, religio est dicere.' lib. IV. c. 3. h. e. Tum quod dem ei obsequii tantum voces et blanditiæ, cujusmodi sunt, *Recte, benigne.* Nam nihil esse mihi, nefas dicere, non licet, non ausim dicere. *Farnabius.*

17 *Hoc ego mali non pridem inveni: neque etiam dum scit pater*] Utrumque ad οἰκονομίαν relatum est: et quod non inveteratus amor, (abducet enim inde animum et ad uxorem in fine fabulæ applicabit,) et quod patri ignonam hæc ignorantia præcipui erroris περιπέτειαν peperit. *Bæclerus.*

SCENA II. Iambici octonarii acatal. sunt. vs. 8. Mss. duo: *sub imperio cujus est.* vs. 6. omnes: *etiam cave ne videat forte hic te a patre al. ex.* vs. 8. duo: *quam scias.* unus: *quam scies.* vs. 10. omnes: *non cogitas hinc longius abesse.* vs. 11. duo: *dum conantur.* Argentorat. *comantur.* quod unus meorum in margine adscriptum habet ad τὸ *conantur: al. comantur.*

Muretus et Goveanus hinc incipiunt actum secundum, sed ratio illa, quæ tam secure jactatur, quod Clitipho in proscenio remanserit, Chremete domum digresso, non est tanti ponderis. Non dicam de actus quarti initio, in hac fabula; nam et ibi Muretus corrigit. cujus auctoritatem si sequeremur, in omnibus Terentianis fabulis aliter ordinandi essent actus. id quod facile non erit ubique, nisi velimus dura quædam, et a consuetudine comica plurimum diversa, admittere. *Bæclerus.*

1 *Si mihi secundæ*] *Hic illud est, quod supra diximus, quod per conjecturam Clinia credit, amicam se absente corruptam.* Ac primum argumentum fecit ex eo, quod missus servus nondum redit. Deinde proponit ipsam suspicionem, *Sed vereor, &c.* Eugraphius.

Si mihi secundæ res] Clinia plenus desiderii et curarum, ex domo Chremetis progreditur, si redeuntes servos et amicam adventantem posset conspicere. Clitipho (si hinc novum actum ordiri placet) egressum consequitur, nomine vocat, monetque, ut caute apud hæc loca obversetur, unde a familiaribus patris seu Menedemi conspici posset. Sin priore scena actum inchoamus, inter querelam Clitiphonis egressus Clinia, nominatim ab eo inclamatur, atque cavere jubetur, sicut dictum est. Est autem oratio Cliniæ, qualem gignit desiderium et suspicio; quæ omnia in pejorem partem conjectare solent. *Bæclerus.*

2 *Sed vereor, ne me absente hic corrupta sit, &c.*] Adjungit et opiniones et argumenta a tempore, quod est *occasio:* occasionem autem hic intelligimus, quod absens fuit ipse. Deinde ponit locum Athenas, ubi magna hominum multitudo est et civium, variis moribus viventium. Adjungitur ætas, hoc est, a persona, et a tempore, quod adolescentula; ac propterea vario ingenio. Deinde addidit, *Mater.* Hoc nomen parum est; ni adderetur *mala.* Sed ne rursus suæ voluntatis et judicii . . . . . . ideo adjecit, 'Cujus sub imperio est: Cui nihil jam præter precium dulce est.' *Eugraphius.*

Animum exangeant] Sic scribendum, ut quibusdam visum est, non, *exaugeant*, quod nihili est. Ita strido, strideo; fervo, ferveo: fulgo, fulgeo: abnuo, abnueo; congruo, congrueo. Ita et ango, angeo. Vide Nonium, et notulam quandam ad act. III. sc. 1. *Faber.*

Mulier me, &c.] Antiphila. Virginem viripotentem Ulpianus et Caius mulierem vocant. scen. sequente, idem. *Farnabius.*

3 *Quæ mi animum exaugeant*] *Mihi* exigit octonarius, et ita habent o. l. s. est autem in libro Bembino ad hæc verba ascripta interpretatio, '*Quæ mihi animum exaugeant*, quæ me terreant. animum autem dicit, quam illi præsens efficit metus sollicitam cogitationem.' *Faërnus.*

Quæ mihi animum exaugeant] Magna ratio movit Guyetum, ut Palmerio subscriberet, *exangeant* reponenti, pro *exaugeant;* cujus significatio obscura est. *Bæclerus.*

Concurrunt, &c.] 'In cogitando, mœrore exaugeor.' Plaut. Stich. act. I. sc. 1. Alii leg. *exangeat*, voluntque veteres usurpasse 2. conjugationis, pro *ango.* verum neque conjugatio neque compositio placet. *Farnabius.*

4 *Locus, occasio, ætas, mater, sub imperio cujus est, mala*] Ex o. l. s. ita colloca, *occasio, locus.* item ex libro Bembino et Basilicano, et nonnullis aliis, teste Joanne Rivio, *cujus sub imperio, est mala.* aliter nullo modo stat octonarius. ita legit et Eugraphius, qui etiam ita sensum ordinat, ut sit mater mala sub cujus imperio est. *Faërnus.*

Occasio, locus, ætas, mater] Suspicioni argumenta in promptu sunt, explicat Eugraphius. in ultimo tamen argumento immoratur Clinia, inter ipsam suspicionem, amoris non oblitus. matris enim ingenium potius, quam ceteras illecebras a se timeri ostendit. reliqua invitare ad libidinem, mater cogere poterat, itaque non frustra adjecit, 'mater, sub cujus imperio est, mala.' *Bæclerus.*

Occasio, &c.] Μικρὰ πρόφασις ἐς τὸ πρᾶξαι κακῶς. Menander. *Farnabius.*

8 *Pergin' istuc prius*] Perseveras ante hoc quasi certo judicio tenere, quam scias quod in vero sit. *Eugraphius.*

Pergin istuc prius dijudicare] Ex *istuc* s elidendum: ut in prima sede hujus octonarii sit dactylus. *Faërnus.*

Pergin istuc prius dijudicare, quam scis quid veri siet] Nihil est mutandum in hoc versu, satis bene se habet. *Bæclerus.*

9 *Si nihil mali esset*] Ad consequentiam argumentum cepit ex eo, quod non redit missus servus. Certa mihi, inquit, suspicio est, illam esse corruptam; nam hic adessent. *Eugraphius.*

Quando istuc erit] Illud enim quod dixit, *Jam aderunt*, hoc amanti tardum est: ideo adjecit, 'Quando istuc erit?' *Idem.*

Quando istuc erit] Istuc *jam*, scilicet. impatientis vox est, non sine exprobratione quadam ad prius solatium referenda; quod describebatur act. I. sc. 2. princ. q. d. jam ante dixisti, mox adfuturam amicam meam; nunc iterum affirmas: ecquando istuc erit? *Bœclerus.*

10 *Non cogitas hinc longius abesse*] Liber Bembinus, *hinc longule esse*, id est, aliquantum longe. Plautus in Menæchmis: 'Ingressum fluvium rapidum ab urbe haut longule.' hoc modo optime stat octonarius, aliter impeditus. *Faërnus.*

Non cogitas hinc longule esse] Bembini codicis auctoritate se tuetur hæc lectio: testanturque etiam Glareanus et Georgius Fabricius, se vidisse in quibusdam codicibus. Relinquam lectori arbitrandum, amore Plautinæ locutionis, an re vera hæc lectio obtinere debeat. *Bœclerus.*

11 *Dum moliuntur*] Subaudi, quid rerum; i. e. dum moliuntur seu cum quodam labore apparant, ea, quæ sibi ad eundum necessaria credunt. Petrus Marsus: I. e. 'dum se præparant multiplici cultu, ædificant formam variis rebus:' hactenus sensum, non verba sequi, æstimari potest. Sed quod addit, quo referemus? 'Inde demoliri, est destruere id quod ædificatum est.' Sic quoque putabimus, melius eum sensisse, quam locutus est. Cur enim exagitare libeat viros, quorum studium non simplici nomine laudari debet? *Bœclerus.*

Dum moliuntur] Dum surgunt, movent, promovent, apparant, ornant se. *Farnabius.*

Dum conantur] Nihil dubito hanc veram lectionem esse. cum præsertim *τὸ conari τῷ moliri ἐκ παραλλήλου* congruat; et Mss. auctoritas affirmet. *τὸ comantur* pauci habent; qui *comuntur* præferret, nullus est. quam iterum, ut sæpius, ex Plauto nobis vocem nonnulli substituerunt. apud illum enim legas, Sticho v. 4. 19. 'Sed amica mea dum comit, dumque se exornat,' &c. Georgius tamen Fabricius *τὸ comantur* defendit. *Bœclerus.*

12 *Respira*] Unico vocabulo poëta voluit solicitudinem Cliniæ, non tantum quæ in animo, sed quæ in vultu etiam erat, ostendere. *Idem.*

Scena III. Satura est, Iambicis Octonariis et Senariis, tum Trochaicis septenariis constans. vs. 2. omnes Mss. nostri: *illæ relictæ sunt.* vs. 14. omnes: *quid bibent.* et vs. 17. *collocupletasti Antiphila te.* vs. 20. duo: *monuisse frustra dolet.* tertius: *dolet monuisse frustra.* vs. 29. unus omittit, *esse.* Argentor. pro *esse ei*, habet *ejus.* vs. 38. omnes: *hinc sciri potuit, haud usquam alibi.* vs. 46. omnes: *quæ tum erat mortua.* vs. 48. omnes: *malam.* nisi quod in uno, *τὸ m* secunda manu superscr. vs. 49. omnes: *capillus sparsus.* vs. 52. omnes: *subtegmen.* duo: *prætercam.* vs. 54. et 55. unus: *si hæc vera sunt Clinia, ita ut credo.* alter: *si hæc vera sunt Clinia, ita ut hic dicit, quis te fortunatior?* Argent. *si hæc v. s. Cl. ita ut dicit hic, q. t. f.* vs. 57. omnes: *noxam.* vs. 64. omnes, ut ed. vs. 71. duo: *quo illam adducis.* vs. 73. unus: *mirabile.* vs. 76. unus: *quid illo in tempore facias*, ex glossa. vs. 80. post *τὸ tace*, Argentor. habet: Clit. *quid est?* Syr. *vis am.* unus meorum geminat: Clit. *quid est.* S. *quid est? vis am.* vs. 85. duo: *vide, cogita, examina*, ex glossa. vs. 86. omnes: *etsi hoc consilium.* vs. 90. duo: *exper. hoc scies.* vs. 94. omnes: *deducetur.* vs. 98. omnes: *istiusmodi quæso aliq. rep.* vs. 99. duo: *ibo obviam his, d.* unus: *ibo obv. huic d. v. revertatur d.* vs. 102. duo: *quod bonum est.* vs. 112. unus: *ridiculum est, istuc te me monere Clit.* vs. 122. omnes: *quæ solet quosque spernere* vs. 124. omnes: *nam miserum quandam offendi ibi militem.* vs. 123. omnes: *eademque ut esset apud te ob hoc quam gratissima.* vs. 138. omnes: *abeas si sapis.* Bœclerus.

1 *Ain' tu*] *Hæc scena exolvit illam suspicionem, quam Clinia habuit.* Et hæc conjectura deinde rursus habet aliam causam, quod amicam Clitiphonis adduxerit servus, ita ut in domo patris esse possit. Quæ res an fieri possit, deliberationis vim tenet. Ita prior causa in controversia est, secunda in deliberativa: aut controversia est ex conjectura. Ergo partibus tractabitur, hoc est, uti dicta et affectus, quod *πάθος* Græce dicunt, suggerunt argumenta: sicut suis locis explanabimus. *Eugraphius.*

Ain' tu] Supplet Guyetus. quale hic *γελοῖον* observatum, quod nonnemo annotat, haud repereris. consuetudine comica personæ una ingredientes in theatrum, veluti continuant sermonem, e. g. hic inter vias agitatum. *Bœclerus.*

Dum sermones cædimus] *Cædere sermones* dicuntur, qui frequenter et plurimum loquuntur. *Eugraphius.*

Sermones cædimus] Κόπτειν λόγους et *κόπτειν ῥήματα* dici a Græcis monet Priscianus l. XVIII. quod interpretatur Nonius, 'commiscere sermones.' qui *serere* legunt, non metiuntur versum; quanquam 'serere sermones' habeatur apud Virgilium et Livium. *Farnab.*

2 *Mulier tibi adest*] Quia ita locutio servi fuerat, ut diceret, *relictæ mulieres.* Eugraphius.

Mulier tibi adest, audin Clin.] Pergit consolari et gratulari, ut cœperat, Clitipho: *mulier tibi adest*, sc. illa, *ἡ ἐρωμένη*, cum quadam *ἐμφάσει*. *audin Clinia?* servos de mulieribus, ad quas accersendas missi erant, colloquentes. cui Clinia *ἐμπαθῶς* respondet: *ego vero* (utraque vox asseverationi apta) *audio nunc demum* (post anxiam et sollicitam expectationem) *et video et valeo Clitipho.* mire additum *τὸ video.* Conspectiorem autem voluit esse poëta affectum, respirantis ex ægritudine adolescentis, ut illustraretur fortuna amantium, quando statim, ex nova suspicione, in priorem sollicitudinem incidit. *Bœclerus.*

4 *Minime mirum adeo impeditæ*] Mirandum non est quod impeditæ sunt mulieres, quæ et ancillarum gregem ducunt secum, et plurima comportant. *Eugraphius.*

Minime mirum] Sc. quod relictæ sint, quod tardius consequantur nos. Dromoni potius volunt alii convenire hæc verba, quam Syro, cui in Mss. fere tribuuntur. vide Guyet. *Bœcl.*

Ancillarum gregem] Indecorum nimirum olim visum matronis et inhonestum, sine comitatu ancillarum in publicum prodire. Præibant ex officio Anteambulatrices, subsequebantur Pedissequæ. Martianus Capella, l. II. 'Periergia vero aliis comitata pedissequis dotalibusque mancipiis curiose universa perscrutans atque interrogans sequebatur.' *Farnabius.*

5 *Perii! unde illæ sunt*] Crescit error Cliniæ: ut magis credat esse corruptam, quod ancillas habeat et aurum. Hæc omnia meretricis, non illius mulieris sunt. Sed adhuc ignorat adolescens. *Eugraphius.*

Perii, unde illi sunt ancillæ] Hic error inductus est a poëta, sicut totus Bacchidis comitatus, ad demonstrandam ex comparatione Antiphilæ innocentiam, et utriusque amoris discrimen, Syro cœpti auctore. propagaturque egregia *οἰκονομίας* arte per pleramque argumenti seriem: ut quæ juvenum primo animos tenuerat suspensos, apud senes majorem deinde turbam concitet, mulierum ignoratio. *Bœclerus.*

Men' rogas] Ex me quidem nihil horum sciri potest. *Idem.*

6 *Portant quid rerum*] Muretus interrogatione attollit et exemplis illustrat. i. e. multum rerum. *Idem.*

Portant, &c.] Quam multas res et magnas portant secum? Nannius Miscellan. l. I. c. 21. *Farnabius.*

7 *Aurum, vestem*] De ornamentis muliebribus, et paratu. erat enim Bacchis meretrix, ut ante dictum est, 'Magnifica,' 'sumtuosa.' Gallus interpres: *elles portent des d'aureures, comme sont cheines, carquans, couliers et bagues, et aussi elles portent des robes et ornements precieux.* Addi debet hic locus ad ea, quæ diximus in Eunuch. IV. 1. 13. *Bœclerus.*

Aurum, vestem] Aurea ornamenta, monilia. vide Eunuchi act. IV. scen. 1. infra, 'Sine auro tum ornatam.' *Farnabius.*

Et vesperascit] Hoc est, nox fit: a *vespere* factum verbum est. *Eugraphius.*

11 *Viden' tu, ancillas, aurum, vestem*] Vel ita distingues: *viden' tu ancillas, aurum, vestes?* i. e. audin tu, animadvertis, intelligis, ancillas, aurum, vestes memorari a servis? unde ea esse censes, cum ego hic reliquerim eam cum una ancillula? unde ea esse censes, nisi quia interim inhoneste potius divitias parere hic optavit, quam reditum meum expectando pauper vivere? Sive augendo affectui malis dividere, *audin' tu? ancillas, aurum, vestem.* ut ἀποσιώπησις παθητικὴ præcidat sermonem. *ancillas, aurum, vestem* (repetit ἐν ὑποκρίσει) memorant servi, de ea, quam ego hinc abiens cum una ancillula pauperem reliqui. unde ergo habet hæc nisi ab amatore novo? *Bœclerus.*

12 *Viden tu ancillas, aurum, vestem, quam ego cum una ancillula Hic reliqui; unde ea esse censes*] Liber Bembinus et Basilicanus non habent dictionem *ea.* in Victoriano sic erat, *unde esse ea censes?* sed deinde verbum *ea* deletum est, quod et in aliis libris varie collocatum est. quo sublato sic distinguemus: *Viden tu? ancillas, aurum, vestem, quam ego cum una ancillula Hic reliqui, unde esse censes?* Et subaudiendum est ei, ut sit ei, quam ego reliqui. ut autem stet trochaicus, vel in *viden* fiet dialysis, ut sit anapæstus in prima, vel ex ea dictione n abjicietur: et erit pariter anapæstus in prima, sed in *quam ego,* synalœpha non fiet. *Faërnus.*

Vah nunc demum intelligo] Producitur industria Poëtæ error, et increscit, ne Clitiphone quidem jam ad minuendam æquali suo suspicionem satis prompto; qui ante increpitaverat: 'pergin' istuc prius dijudicare, quam scis, quid siet?' nunc enim et ipse cedit argumentis, quibus Clinia volebat conficere, mulierem se absente corruptam esse. Estque hoc in Clitiphone eo suavius, quod non animadvertit aut divinat, suam amicam describi, non Cliniæ. *Bœclerus.*

13 *Dii boni, quid turbæ est*] Augendo errori, oratio in admirationem formata, servit; ut supra: 'portant, quid rerum? aurum, vestem:' cohærent enim. *Idem.*

14 *Quid seni erit nostro miserius*] O. l. s. *sene.* Faërnus.

15 *O Jupiter! ubinam est fides*] Necdum soluta sibi suspicione queritur adolescens se esse desertum, ... omisso amore amatoris sui in meretricios mores esse delapsam. *Eugraphius.*

O Jupiter, ubinam est fides] Quid hac oratione absolutius, qua amoris et fati sui summam Clinia dequeritur? ad summum enim procedere debuit error, antequam finiretur. Adjiciuntur verbis gestus miserabiles. donec his conspectis auditisque, propior interea factus Syrus, quid errent, animadvertit, et suspicione Antiphilam accurata et longa narratione exsolvit. *Bœclerus.*

Ubinam est fides] Quonam abiit fides mihi data ab Antiphila, fore se amori nostro constantem? Hæc sibi Clinia suspicatus amicam suam corruptam esse, ubi conspexisset tantum auri, gregem ancillarum, vestes sup-

petere illi quam pauperem abiens reliquisset. *Farnabius.*

16 *Dum ego propter te errans patria careo demens*] Frequentibus verbis et impletur et attollitur sententia, more Terentiano: id est, ubere copia, citra redundantiam. Hæc enim singula ita valent, ut pauciora sufficere videantur: ita conjunguntur, ut demere aliquid aut intercipere non ausit, qui consertam momentorum seriem intelligit. *Bœclerus.*

Tu interea loci] In libro Bembino hic ascriptum est: *Loci,* parelcon: nam *loci* omni significationi addi solet. Ennius: 'Flamma loci postquam conclusast turbine sævo.' *Faërnus.*

17 *Conlocupletasti*] Divitem fecisti. *Eugraphius.*

19 *Cujus nunc me pudet*] Patris me pudet et miseret, qui frequenter harum mores dixit mihi, et frustra monuit. *Idem.*

Cujus nunc pudet me] Ἀμφιβολίᾳ eleganter usus est: 'Pudet me patris,' id est, αἰδοῦμαι τὸν πατέρα. ut in Hecyra, v. 2. 27. 'pudet Philumenæ.' ita loquitur Bacchis meretrix, 'pudet' sc. 'conscientia communis viri et pellicatus,' quod Donatus annotat. 'Pudet' enim, ut amplius ibi notatur, 'duo significat: sive ille peccavit, quem pudet, sive ille, cujus pudet. pudet me patris et miseret:' pudore afficior et misericordia, si parentem meum cogito: pudore quidem, quod inobediens illi factus sum, et admisi, quorum me pœnitet: misericordia autem, quod multum laboris in me corrigendo et monendo frustra sumsit. Tali loquendi genere, 'pudor patris, et misericordia hujus;' in Andria dicuntur. *Bœclerus.*

Cantabat mihi] Sæpe repetens monebat. 'Hæc dies noctesque tibi canto ut caveas.' Plaut. Trinum. *Farnabius.*

20 *Monuisse frustra, neque eum pot.*] Hæc suspendunt aliqui ab illo quod præcessit; *pudet et miseret me patris, monuisse frustra:* ut trajectio verborum admitteretur. alii παθητικώτεροι hic novam ordiuntur sententiam: *monuisse frustra,* sc. oportetne? nonne indignum est, frustra monuisse? vide Guyetum. *Bœclerus.*

21 *Quod tamen nunc fac.*] Vide Chrestomath. voc. Gratus. *Idem.*

Cum gratum esse potuit, nolui] Circa istud *gratum,* satis sæpe errant Interpretes Gallici; credunt enim *gratum,* id significare quod dicimus, *agréable,* male, ut hoc loco. Vertendum: *Lors qu'on m'auroit en obligation;* Vel, *lors qu'on m'en auroit sceu bon gré,* quod a Latino est, &c. Vide Notam paulo inferiorem. *Faber.*

24 *Nam et vita est*] Prima propositione volens servus solvere errorem suspicionis Cliniæ, dicit, Et vita est eadem amicæ, et animus ille qui circa te fuit. verum meminisse debemus duas res esse propositas, ut et vita eadem probetur, et idem animus. Potuit enim in eadem muliere castitas perseverare, ut esset eadem vita, non tamen idem animus: potuit namque oblivisci amatoris sui, et non eum desiderare. Ideo adjecit: 'Et animus te erga idem ac fuit.' *Eugraphius.*

Nam et vita est eadem, et animus te erga] Bene partitur ubique poëta, quod conficiendum est. Duo suspicabatur Clinia: *ne collocupletasset se interim Antiphila,* et, commutata parcæ pudicæque vitæ consuetudine, quæstum occepisset; tum adeo, *ne deseruisset* amores pristinos, alioque animum contulisset. utrique errori respondetur. *Bœclerus.*

25 *Quantum ex re ipsa conjecturam cepimus*] Ut diligens est Poëta! Cliniæ conjectura ita tractabatur, ut 'concurrerent multæ opiniones' (II. 2. 3.); ei opponitur *conjectura,* non ex opinionibus collecta, sed *ex ipsa re capta.* Alii Codices habent *fecimus.* sed Rivius τὸ *cepimus* tuetur. *Idem.*

26 *Quid est obsecro*] Aliqui omittunt τὸ *est.* cupit Clinia audire, quam ex ipsa re conjecturam ceperint, de vita et animo Antiphilæ: dic mihi, obsecro te, quid est illud, quo mihi fidem facias, vitam animumque Antiphilæ manere, qualis fuit? *Idem.*

28 *Ne quid hujus rerum*] Quod nunciet servus anum periisse, quæ ei mater esse dicebatur, ad causam minime pertinebat. ideo adjecit: Hoc primum tibi dico, ne aliquid harum rerum ignores. *Eugraphius.*

Ut ne quid hujus rerum] Vide Guyet. *Bœclerus.*

30 *Alteræ dum narrat*] Hic jam præmissio alterius narrationis effecta est. Nata est suspicio ut quæreretur, quæ sit altera: cujus narrationem differt: prior enim est de amica Cliniæ narratio. *Eugraphius.*

In itinere alteræ dum narrat] Priscianus hujus versus exemplo ἀρχαϊσμὸν illum declarat lib. VI. et XIII. *Bœclerus.*

Alteræ] Alteri. ut 'nulli' Andr. act. III. sc. 5. et 'soli' Eunuch. act. V. sc. 6. Cic. l. II. de Divin. 'aliæ pecudis.' sed vide Grammat. nostram. *Farnabius.*

31 *Quænam est illa altera*] Bene desiderat Clitipho hoc scire, et vix æquo animo patitur, se differri; quasi præsagiret aliquid ad se pertinens. *Bœclerus.*

33 *Jam primum omnium*] Vita Antiphilæ cognoscenda datur, accuratissima ac pæne curiosa descriptione, a summo ad imum. *Idem.*

34 *Ubi ventum ad ædes*] Hic ergo breviter omnia argumenta, quæ a summo ad imum sunt, colligamus. Ac primum collocetur. Casta est mulier, et eadem quæ fuit ante, perseverat: quod anus processit: quod ostium aperuit: quod continuo ingressus est servus: quod postquam ingressus, statim anus pessulum rursus foribus obdit: quod ad lanam redit: quod texentem telam studiose ipsam invenerit: quod mediocriter vestitam: quod sine auro: quod ita ornatam, quemadmodum sibi ornatur: quod nulla mala re expolitam muliebri: quod capillus ab ea rejectus circum caput fuerat negligenter: quod cum ancilla ea texebat, pannis ipsa contexta. Hæc sunt quæ vitam probant. Rursus subjungitur, an idem animus circa Cliniam perseveret. Ideo interrogavit: 'Quid ait ubi me nominas?' Subjungit ille: 'Ubi dicimus redisse te,' &c. Ergo et hic conjectura est, an idem animus perseveret. Probamus autem quod perseveret, ex eo, quod ubi te nominavimus, 'Mulier telam deserit continuo, et lacrumis opplet os totum sibi, ut facile scires, desiderio id fieri tuo.' Completa igitur omni re, ad alteram narrationem necessario cito devolvitur, ut ostendat quæ illa altera sit mulier, de qua ante dixerat. *Eugraphius.*

Ædes] Servius in II. Æneid. Omne ædificium *ædes* dicuntur. Sed Varro locum quatuor angulis conclusum ædem vocari docet. revera *ædes* quæ ab omni parte tecta est, non sub dio, non oculo pervia, ἀειδὴς, ἀΐδης. *Farnabius.*

40 *Mulieri*] Antiphilæ, virgini nubili, ut sc. 2. hujus act. et supra hac ead. sc. *Idem.*

43 *Quæ cujuscunque ingenium ut sit*] Egregie tractatur hic locus in historia Lucretiæ apud Livium I. 57. *Bœclerus.*

44 *Texentem, &c.*] Ἐξ ἱστίου γὰρ ἐκρέματο φιλοπόνως πάνυ. Menander. *Farnabius.*

45 *Vestitam, &c.*] Antiphilam. *Id.*

46 *Ejus anuis causa*] Auctoritate hujus loci Priscianus antiquum loquendi morem probat lib. VI. et VII. *Bœclerus.*

Anuis causa] Veteres in quarta declin. retinuere gignendi casum in *is.* ut *anuis, fructuis, Senatuis,* testati hujus declinationis originem a tertia.

ante contractionem: adi Grammatic. nostram. *Farnabius.*

47 *Sine auro*] Ut statim intelligeret Clinia, illud aurum, quod portaretur, ad Antiphilam non pertinere. *Bœclerus.*

Sine auro] Mundus nimius et cultus meretrici potius quam castæ convenit. 'Ad mœchum veniet lota cute, quando videri Vult formosa domi?' Juven. VI. sat. vide Phorm. act. I. sc. 2. *Farnabius.*

Ornatam ita uti quæ ornantur sibi] Nollem ejectos hos duos versus, a Guyeto. exquisiti generis sententia est, *sibi ornari;* non ad aliorum oculos scilicet tenendos. Bene Gallus interpres: *pour leur necessité, et usage de la maison tant seulement, sans vouloir estre regardees ny aimees des hommes.* Vide, quid sit non sibi, sed amatori ornari apud Plautum Mostellar. I. 3. 10. et 11. *Bœclerus.*

48 *Nulla mala re esse expolitam muliebri*] Vide de hoc genere Plauti Pseud. I. 2. 10. &c. Mss. nostri, ut diximus, omnes habent: *nulla malam re.* sicut et de aliis Lindenbrogius in erudita annotatione testatur. nonnulli *malas* præferunt. vide Georgium et Franc. Fabricios, Faërnum, et alios. *mala res muliebris,* an Latine dicatur, non immerito dubites. *Idem.*

Nulla mala, &c.] Non cerussa, stibio, purpurisso, aliisve offuciis et pigmentis fucatam. Nonnulli codd. habent *malam,* alii *malas.* Farnabius.

50 *Rejectus negligenter, pax*] Dictioni *pax,* hæc verba in libri Bembini margine ascripta sunt; 'Tranquillantis, admirantis, et sollicitudinem adimentis.' sic infra, 'Unus est dies, dum argentum erit: pax. nihil amplius.' *Faërnus.*

Pax] Priscianus vocat adverbium comicum, Græcum; et explicat, παντελῶς. lib. XIV. *Bœclerus.*

Pax] Interjectio silentii, vel approbationis; Plauto frequens. Pseud. act. V. sc. 1. Mil. III. 1. Stich. V. 5. Huc respexit Ausonii Grammaticomastix in Idyllio 12. 'Totum opus hoc sparsum; crinis velut Antiphilæ, pax.' ad quem locum vide Jos. Scalig. lectiones. ut infra act. IV. scen. 3. *Farnabius.*

52 *Subtegmen nebat*] Libri antiqui, inter quos Bembinus, *subtemen.* et huic dictioni in eo libro hæc adscripta sunt: 'Subtemen dictum ab eo quod subeat stamen.' *Faërnus.*

Præterea una ancilla erat, Ea texebat una pannis obsita] *Ancillula* legendum ex iisdem antiquis: præterea ex libro Bembino ita hi versus sunt ordinandi, ut *erat* pertineat ad inferiorem versum: aliter non stat ille senarius. *Idem.*

Præterea, &c.] Καὶ θεραπαινὶς ἦν μία. αὕτη συνύφαινε ῥυπαρῶς διακειμένη. Menander. *Farnabius.*

53 *Pannis obsita*] Ut Eunuch. act. II. sc. 2. *Idem.*

56 *Scin tu hanc, quam dicit sordidam*] Rivius, ex Calphurnio, *sordidatam* refert ad illud, *pannis obsita: sordidam,* ad illud, *illuvie immunda.* et erudite explicat. Vel sola auctoritas Ciceronis, qui eodem genere loquendi utitur, efficere debuit, ne Guyetus deleret versum. *Bœclerus.*

Sordidatam, &c.] *Sordidatam* referunt ad vestitum, *sordidam* ad illuviem. *Farnabius.*

58 *Cum ejus tam negliguntur internuntii*] Hinc item adscriptum in libro Bembino: 'Internuntios pro servis posuit, sed sententia hæc ita est, qui non negligerentur, si essent internuntii.' *Faërnus.*

Internuntii] Ministri et ministræ; internuntiæ, conciliatrices. *Farnabius.*

59 *Munerarier*] Ovid. de Arte Am. l. II. v. 251. *Idem.*

62 *Quid ait, ubi me nominas*] Hactenus demonstratum est, quod vita Antiphilæ, sive consuetudo vitæ, a priori nihil immutata sit: nunc, quod animus erga Cliniam idem, qui

fuit, maneat, declarandum est. *Bœclerus.*

64 *Mulier telam deserit*] Non displicet mihi *deserit*, sed quod est in libro Bembino magis antiquum videtur, *telam desinit.* ut dicimus, desinere artem. *Faërnus.*

Mulier telam deserit] Ut apud summum poëtam in diverso affectus genere (Æn. IX.), 'Excussi manibus radii, revolutaque pensa.' *Bœclerus.*

68 CLIT. *At ego nihil esse sciebam Clinia*] Verbo *sciebam* hæc in eo libro interpretatio adjecta est, 'Quod timebas.' *Faërnus.*

69 *Agedum vicissim, Syre, dic*] Nunc ad alteram argumenti partem transit narratio: et, quo pacto error fabulæ conseratur deinceps ostendit. *τὸ vicissim* bene explicat Guyetus. *Bœclerus.*

70 *Adducimus tuam*] Quo facilius blandiri adolescenti possit.* *Eugraphius.*

71 *Quo illam adducis*] In libro Bembino et aliquot aliis est, *ducis.* Idem.

73 *Non fit sine periculo*] Quoniam interrogatus servus, quo duceret Bacchidem, respondit, ad patrem. Quod ægre ferens adolescens, cum indignatione audacem servum pronunciavit. continuo ille respondit, facinus magnum et memorabile fieri nunquam posse sine aliquo periculo. Ita in hoc quoque periculum est, cum patre præsente in domo futura sit meretrix. Tamen studet, ut nihilominus cœlari possit. *Eugraphius.*

Non fit, &c.] Μέγα καὶ περιβόητον ἔργον. Menander, Plotio. Cui contrarium illud Juvenalis XIV. Sat. 'Nullus enim magni sceleris labor.' ad quem Scholiastes laudat hunc Terentii locum. *Farnabius.*

74 *Hoc vide; in mea vita*] Scelus, quam astutus ad gloriam! Siquidem meo periculo tu tibi comparare vis laudem. *Eugraphius.*

Hoc vide] Vide hoc factum! en facinus! præmittitur reprehensioni admiratio, vi exaggerandi. *Bœclerus.*

In mea vita] Ut alibi, vita, *mon repos, mes interets, ma fortune.* Faber.

75 *Modo quid fugerit*] In quo negotio si te fefellerit aliqua consilii pars, ego continuo perierim. *Eugraphius.*

76 *Quid illo facias*] Quid deinde facturus es. At enim pendens oratio hac intercessione efficitur adolescentis, qui non patitur eum ambagibus circuire. Ideo enim dicit, 'Quid enim?' *Idem.*

77 *Ita res est*] Hic nunc voluit servus quasi quandam similitudinem dare, ut sic ostenderet, quale sit illud consilium quod ipse disposuit. Sed quoniam similitudo cum datur, quidam est in oratione circuitus, idcirco adjecit, 'Quas, malum, mihi ambages narrare occipit!' Denique et alter adolescens hoc intellexit, unde adjecit: 'Syre, verum hic dicit; mitte ista quæso.' Scilicet externa et per similitudinem translata. unde admonuit eum quod dixit, 'atque ad rem redi.' *Idem.*

Quas, &c.] Aposiopesis, oratio imperfecta, ex Clitiphonis impatientia audiendi, dum interrumpit Syri *quasi.* confer Thrasonis *quasi* Eunuch. act. III. sc. 1. *Farnabius.*

79 *Enimvero reticere nequeo*] Multimodis injuriosus Clitipho es: unde jam tacere non possum. Bene indignationem suam servus extulit, quo facilius sibi adolescentem per suam iracundiam præpararet. *Eugraphius.*

Multis modis injurius] Ex ratione versus legendum *multimodis:* ut in Andria emendavimus, ex fide libri Bembini. *Faërnus.*

80 *Audiendum hercle est, tace*] Non cogitavit negligenter Janus Gulielmius, cum suspectavit hunc versum Clitiphoni non interloquenti silentium imponentem. nisi ita velis accipere: quasi Clinia Syri incusationem, (*multis modis injurius es neque ferri potis es*) ad priorem Clitiphonis iracundiam (*quas, malum, ambages*) retulerit: atque adeo, ne iterum obloqueretur, prævenerit. medium enim se gerit Clinia: et sicut modo Syrum commonuerat, ut ambages vitaret, ita nunc Clitiphonem aliquid Syri orationi, cujus principium ægre ferebat, iracunde reponere parantem coërcere videtur. *Bœclerus.*

81 *Vis amare, vis potiri, &c.*] Adolescentem πρωτόπειρον, et ad audendum adhuc rudem, per gradus præparat veterator: periculis voluptates emi; quæ subterfugere, vel stulti vel segnis amatoris sit. Deinde illuc pervenit, ut metus periculi minuatur adolescenti: tutum enim esse, rectis verisque rationibus ita provisum destinatumque consilium, ut ad finem votorum scilicet et statim perveniri queat. Sic accenso, et requirenti, consilii summam cum aperuisset, neque probasset, ad illud ultimum servilis contumaciæ præsidium descendit, quo etiam in Andria Davus Pamphilum mitigaverat: 'Melius tute reperi; me missum face.' Tum demum Clitipho, inter spei metusque ancipitia destitutus, Syro se suaque omnia permittit. *Idem.*

82 *Haud stulte sapis*] Non stulte, inquit, sapis, et cum ames, et potiri desideres, et pecuniam dari, interea tu nullum periculum velis sustinere; Hoc autem stultitiæ est, protinus velle id, quod non potest contingere. *Eugraphius.*

84 *Aut hæc cum illis sunt*] Aut enim debent fructum et potiundi utilitatem cum periculo sustinere; aut pariter et commoditas omittenda est, si periculum devitatur. *Idem.*

Aut hæc, &c.] Aut pericula cum et pro emolumentis subeunda, aut emolumenta illa, *amare, potiri, habere quod des illi* cum periculis simul amittenda. *Farnabius.*

Aut illa cum his amittenda sunt] *Mittenda* versus exposcit, et ita etiam habet liber Bembinus. *Faërnus.*

85 *Harum duarum nunc*] De duabus illis propositis conditionibus aut periculum, aut fructum capiat, aut, si periculum fugiat, utilitatem etiam pariter contemnat. Ex his, inquit, quamlibet conditionem eligat. *Eugraphius.*

Harum, &c.] Periculi, aut fructus. *Farnabius.*

86 *Etsi consilium, &c.*] Incitare adolescentem cupit, ne frustra operam perdiderit, quod meretricem adduxit: itaque ostendit tutum consilium esse, quod suscepit ut apud patrem amica sit sine metu: et argentum, quod promissum est, inveniri possit. *Eugraphius.*

88 *Tum illi quod argentum es pollicitus*] O. l. s. *tum quod illi:* et stat trochaicus, si vel ex *quod* d, vel ex *illi* unum l elidas. *Faërnus.*

89 *Orando surdas jam aures reddideras mihi*] Me obtundere, aures meas obtundere, non destiteras. dictum, quasi quadam περιφράσεως δεινότητι. *Bœclerus.*

90 *Siquidem hoc fit*] Quam cito est motus adolescens, quando utrumque esse dixit præparatum? et ut amica in domo patris sine metu sit, et argentum ei quod debitum est, reddi possit. *Eugraphius.*

Experiundo scies] Ipsa actione expertus agnosces. *Idem.*

91 *Assimulabimus*] Protasis ex parte Clitiphonis. Bacchis simulabitur esse amica Cliniæ: Antiphila ducetur pro ancilla Bacchidis: extorquebitur argentum a sene quod Bacchidi Clitipho promiserat. *Farnabius.*

94 *Immo ad tuam matrem deducetur*] Liber Bembinus *abducetur.* et trochaicus optime constat. *Faërnus.*

95 *Fabulæ*] Nugæ sunt istæ, meræ gerræ. *Farnabius.*

96 *Nihil satis firmi*] Nullam rationem video firmitatis in consilio, ut debeam talem metum suscipere, ut apud patrem amica mea sit. *Eugraphius.*

97 *Mane habeo aliud*] Hoc irridens dicit. vult enim obvius ire meretrici, et dicere ut domum revertatur. Aliter enim incitari adolescentis animus non potest, qui fastidiosus cœpit esse per copiam, nisi id quod cupit denegetur. *Idem.*

Mane habeo aliud] Augetur gratia ironiæ, quod Clitipho accipit, tanquam serio dicta: adeoque τὸ ἀπροσδοκήτῳ consequentis orationis percellitur. *Bæclerus.*

Mane, habeo aliud] Indignatus Syrus improbari a Clitiphone consilium suum, simulat se aliud invenisse, quod absque periculo fiet: obviam se iturum Bacchidi, dicturumque ut domum revertatur. *Farnabius.*

101 *In aurem utramvis otiose ut dormias*] Proverbiale est, sicut ex Plauti Pseudolo (I. 1. 121. &c.) patet. ubi, cum servus διεστραμμένως extulisset captandi joci causa: 'De istac re in oculum utrumvis conquiescito;' adolescens corrigit: 'Oculum utrum, anne in aurem?' respondet servus: 'At hoc pervulgatum est minus.' *Bæclerus.*

In aurem, &c.] Ex Menandri Plocio. Ἐπ' ἀμφοτέραν ἴν' ἐπίκληρος ᾖ μέλλει καθευδήσειν. unde lusit Plautus Pseud. act. I. sc. 1. 'De istac re in oculum utrumvis conquiescito. CA. oculum utrum, anne aurem? PSEUD. At hoc pervulgatum est nimis.' h. e. ut animo sis securo atque otioso. *Farnabius.*

102 *Quid ago nunc? &c.*] Hujus loci explicationem Muretus reperit, Guyetus absolvit. *Bæclerus.*

Tune? quod boni] Præcisa hæc oratio ordine tali: 'Tune? quod boni est fruare, dum licet.' Rursus alia præcisa: 'Nam nescias.' cujus ordo est: Ejus sit potestas posthac nunquam. *Eugraphius.*

104 *Datur modo*] Delemus dictionem *modo*, quam in nullo l. s. invenimus. *Faërnus.*

108 *Concaluit*] Calore subito concitatus est. *Eugraphius.*

Concaluit] Irane, an amore? ut Eunuch. act. I. sc. 2. hæc conversus ad spectatores. *Farnabius.*

113 *Quasi minor istic*] In hoc consilio magis mihi periculum propositum est, quam tibi. Nam si aliquid adversi contigerit, tibi verba sunt præparata, mihi vero verbera. Unde hanc rem negligere omnino non possum. *Eugraphius.*

Istic quasi minor] O. l. s. *quasi istic minor.* stat autem senarius, si ex *istac* s elidas. *Faërnus.*

115 *Verba, &c.*] Paronomasia. *Farnabius.*

116 *Quapropter neutiquam hæc res*] In o. l. s. hæc verba hunc ordinem habent: *quapropter hæc res neutiquam*: in *neutiquam* autem fit dialysis, et remanet anapæstus. *Faërnus.*

Mihi] Mihi δεικτικῶς. *Farnabius.*

118 *In eum jam res rediit*] Intelligit Clinia, cum apud illum sit hospes, necessitatem sibi impositam, uti hoc, quod ab eo petitur, negare possit, ut assimulet amicam suam esse meretricem. *Eugraphius.*

119 *Ut sit necesse*] Liber Bembinus et hic et alibi habet *necessus*, pro *necesse*. Faërnus.

Ut sit necesse] Ex Menandro. Τρία γάρ ἐστι δέσποτα, δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται, Ἢ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ γε τρίτον ἔθει τινί. *Farnabius.*

120 *Verum illa ne quid titubet*] Plaut. Pseud. IV. 1. 32. 'at vide ne titubes.' et cum explicatione: 'onerabo meis præceptis Simiam, Quid agat, ne quid titubet, docte ut hanc ferat falláciam.' *Bæclerus.*

122 *Quæ solet quos spernere*] Clitiphonis hæc verba sunt; quæ male in impressis codicibus Cliniæ tribuuntur. res ipsa expostulat, quod dixi: *quæ solet quos spernere*: accipe *quos?* i. e. quales, quantos homines. *Idem.*

Illi, &c.] Bacchidi, quæ solet aliquos amatores spernere. *Farnabius.*

123 *In tempore ad eam*] In occasione: ut: 'Sola viri molles aditus et tempora noras.' *Eugraphius.*

In tempore, &c.] 'Romana sic est vox, 'venito in tempore.' Vester quoque ille Comicus Terentius Rerum omnium primum esse tempus autumat, Ad Antiphilam,' &c. Ausonius in Pittaco. *Farnabius.*

124 *Quendam offendi militem*] Hæc fuit occasio, quod voluit miserum militem denegatione sua in amorem amplius suscitare. *Eugraphius.*

Nam misere quendam offendi militem] Magis placet collocatio quæ est in libro Bembino, *nam quendam misere.* et erit ordo, misere orantem. hic quoque in eo libro ascriptum glossema est, 'Misere, nimis: quia omne nimium non bonum: alibi eam misere amat.' *Faërnus.*

Misere, &c.] Valde, sollicite orantem. *Farnabius.*

125 *Hæc arte tractabat virum*] Ut alibi, 'astu tractare:' ita hic, *arte tractavit virum.* Nimis animose Palmerius adverbium nobis pro nomine obtrudit. *Bæclerus.*

127 *Eademque ut esset apud te ob hoc quam gratissima*] *Eadem* adverbialiter sumendum, quemadmodum et in antiquo glossemate hujus libri exponitur, sic habente: 'Eademque antique posuit pro una.' hæc ibi. Scaurus apud Charisium negans *obiter* Latinum esse, addit veteres consuevisse dicere, *eadem*, non addentes, via ut Plautus inquit: 'Eadem bibes, eadem tibi dedero savium.' Nos quoque apud eundem Plautum multa hujus vocis in hac significatione reperimus exempla, quorum hic aliqua subjiciemus. In Menæchmis: 'Hercle qui tu recte dicis; eadem ignorabitur, Ne uxor cognoscat te habere, si in via conspexerit.' In Captivis: 'Ad fratrem modo captivos alios inviso meos: Eadem percontabor, ecquis hunc adulescentem noverit.' In Milite glorioso: 'Eadem insidias dabo. Quam mox ad stabulum junix recipiat se pabulo.' *Faërnus.*

Eademque ut esset apud te hoc quam gratissimum] Ita legitur in editione Faërni, ex codice P. Bembi, An. 1572. apud Juntas. At in editione Manutii, *Eademque ut apud te esset ob hoc quam gratissima.* Quod plane interpolatitium est, ut multa sæpe apud Muretum. Nam *eadem* est adverbium millies apud Plautum. Dein si τὸ *eadem* esset pronomen, tunc in oratione esset improprietas; nam dicendum fuit *ipsa*, non *eadem*, quod sentire debuit Muretus. Gallice vertendum: *Et que par méme moien elle vous obligeast encore plus.* Faber.

130 *Impotens*] Ad affectus moderandos coram patre perspicaci, et verba tua, nutus, gestus advertente. *Farnabius.*

131 *Eversas cervices*] Quod jactantis et superbi est penitus. *Eugraphius.*

Inversa verba, eversas cervices tuas] Hic ascriptum, *Inversa, ambigua, figurata. eversas, dejectas.* at Eugraphius ita exponit, 'Inversa verba quod adulescentuli faciunt, ut syllabarum ordinem mutent, et intellectum confundant. eversas cervices, jactantia et superbia est.' *Faërnus.*

Inversa verba, &c.] Guyetus duos hos versus delet. atqui priorem laudat Nonius Marcellus. neque sane tantum est incommodi in his vocibus, sicut nonnullis visum est. *Inversa verba* facile possunt explicari. sed *eversas cervices* qui explanarit, eum ego putabo non vulgariter sapere. hoc unum est, ubi Grammaticos pudere debuit. An absurdum fuerit, legere *aversas cervices?* nam πληθυντικῶς efferri antiquitus, notius est, quam ut hoc loco repeti debeat. *avertendi* causa, non absurde; *evertendi*, nulla dari potest. sed hæc attinguntur nunc, non explicantur. *Bæclerus.*

132 *Gemitus, screatus*] Hæc omnia adolescentuli faciunt, quotiescunque videre, aut videri volunt ab his, quos desiderant; ita sub quodam metu, ut

quasi dum aliud necessitate conficiunt, sic impleant voluntatem. *Eugraphius.*

Gemitus, screatus, tussis] 'Hæc adulescentuli faciunt,' &c. hæc ex Eugraphio. *Faërnus.*

Abstine] Cohibe. 'Apage, potin' ut abstineas manum?' 'Sermonem,' 'Culpam,' &c. Plaut. *Farnabius.*

136 *Apud patrem, &c.*] Coram patre non erit. *Idem.*

139 *Istic? &c.*] Clinia. *Idem.*

Scena iv. Trochaicis tetrametris catalecticis, Iambicis tetram. acatal. et Senariis constat scena. vs. 6. Mss. nostri omnes, ut edidimus. quid non permittunt sibi, qui graviter Mss. auctoritatem insuper habere in animum inducunt suum? vs. 11. omnes: *nisi prospectum interea aliquid nobis est.* vs. 12. omnes: *simul* pro *semel.* vs. 17. omnes: *vah.* vs. 21. omnes: *ingenio.* et vs. 23. *intuetur.* vs. 24. *disperii misera.* B. *quid stup. A.* vs. 27. omnes: *advenisse.* duo, *te,* addunt. vs. 28. unus: *expectata.* quæ vox sæpius cum *exopt.* permutatur. *Bœclerus.*

Clitiph.] Huic scenæ personam Clitiphonis addidi, idque necessario. Nam versu 20. ubi hæc verba leguntur, 'Cl. Syre, vix suffero. Hoccine me miserum non licere meo modo ingenium frui?' Existimavere hæc a Clinia dici. Quid ita? Quia dictum superius Clitiphoni a Syro fuerat, *ambula;* sed in eo erravere, quod non animadverterint id quod fit in theatro. Nam mox ad velum, quod scenam disterminat, præ amoris impatientia, auscultaturus, osculaturus Thaidem, cujus ipse vocem audiebat, redit Clitipho. Hæc cum ita sint, hoc possum affirmare, jamdiu esse cum nemo hunc locum intellexit. Dein, quod haud præteriri oporteat, Cliniæ favebat Syrus; neque adeo mirum; nam absque ejus opera nil poterat fieri. Itaque de illo cum interrogasset Clitipho, *quid isthic?* respondit Syrus, *Manebit,* et verum fuit: nam in scena perpetuo mansit, et cum Antiphila, nemine prohibente, collocutus est. Quod dico, igitur, id certum est; atque, uti spero, qui Terentium amant, mihi ob hanc animadversionem favebunt. *Faber.*

1 *Ædepol te, mea*] *Hæc scena comparationem continet earum mulierum quæ amicæ sunt, ita ut uni serviant, et earum quæ plurimis sui corporis exhibent potestatem.* Et ne videantur meretrices injustæ, defensio est, et quasi forma quædam hic controversiæ continetur. Res enim fiunt meretricis, quum injustæ sunt amatoribus suis et adversæ, dum plurimum petant. Quam rem purgans meretrix, dicit se hoc quod faciunt facere necessitate, ne cum ætas abierit, et senectute extincta pulchritudo discesserit, inopia maneat, nisi antea quæsiverint lucrum, quo possint sustentare decrepitam ac miseram senectutem. *Eugraphius.*

Laudo, et fortunatam judico] Vehementer te beatam felicemque judico, cum id egisti, ut mores tuæ formæ convenirent. Ut oportuit, jam defensionem suam videtur meretrix exorsa. Siquidem scit quod oporteat fieri, et laudat eam quæ cum pulchritudine tenet integram castitatem. *Idem.*

Edepol te, mea Antiph. laudo] Oratio hæc meretricis, quia ad honestam et pudicam virginem fit, nullam habet licentiam meretriciam: sed potius, quod poëta machinari solet, laudat conjugium et matronarum virtutem, probat Antiphilæ ingenium, fatetur diversos meretricum mores, et quodammodo excusat. *Bœclerus.*

2 *Mores ut consimiles forent*] O. l. s. *ut mores.* ita melius habet trochaicus. *Faërnus.*

Isti formæ, &c.] Ὅταν φύσει τὸ κάλλος ἐπικοσμεῖ τρόπος Χρηστὸς, διπλασίως ὁ προσιὼν ἁλίσκεται. Menander apud Stobæum. Socratis præceptum de speculo consulendo vide apud Diog. Laërtium, et Plutarch. Conjug. præcept. Senec. Natur. quæst. l. i. Apul. Apolog. *Farnabius.*

3 *Minimeque, ita me DI*] Etenim non valde miror, si cum his moribus et hac sis pulchritudine, ne non sit aliquis qui te diligat, et te sibi petat. *Eugraphius.*

Si te sibi quisque expetit] Vide Chrestomath. voc. 'expet.' Eugraphius videtur legisse, *quisquam.* quod et Argentoratensis codex præfert, et ex Palatino aliquo Pareus affert. ita enim interpretatur: *etenim non valde miror, si cum his moribus et hac sis pulchritudine, ne non sit aliquis, qui te diligat, et te sibi petat.* Quæ παράφρασις tota minuit sententiam, quam Poëta auctum ivit. *Bœclerus.*

4 *Nam mihi quale*] Namque mores tuos mihi sermonibus indicasti. *Eugraphius.*

Quale, &c.] Sermo est animi χαρακτήρ. Viva animi imago. Solon apud Laërtium. 'Loquere, ut te videam.' Plato. *Farnabius.*

5 *Et cum egomet*] Hic jam reparat accusationis defensionem, quæ in se esse possit: dicitque merito hujusmodi mulieres, quæ uni serviunt, hoc est, quæ se separant a vulgo, recte scilicet et bene facere. Nec minus mirabile esse, quod meretrices malæ sunt. Hoc enim dixit: 'Et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile est.' Vobis enim cum sit voluntas cum uno viro semper esse, debetis servare bonitatem: nos autem bonas esse non sinunt hi, cum quibus rem habemus. Nam propter pulchritudinem nostram amatores esse volunt, qui continuo mutant voluntatem, si fuerit forma mutata. Ergo nisi prospectum ante fuerit, desertæ et cum inopia in senectute vivimus. Unde sic purgatum, quod male audire potuisset, non juste malas esse meretrices. *Eugraphius.*

6 *Vestrarum, &c.*] Vestri similium. *Farnabius.*

8 *Nam expedit vobis esse bonas*] In o. l. s. ita est, *bonas esse vobis.* et stabit trochaicus, si, ex *bonas* eliso s, synalœpha sequatur. *Faërnus.*

Expedit, &c.] Bene vertit. utile est. *Farnabius.*

Non sinunt] Tales esse. 'Ipsa merces est autoramentum servitutis.' Cic. de Officiis i. *Idem.*

9 *Quippe forma impulsi nostra, nos amant*] Hunc locum tractavit uberius Plautus Mostellar. i. 3. 33. ubi ancilla anus ad meretricem juvenculam: 'Tu ecastor erras, quæ quidem illum expectes unum, atque illi Morem præcipue sic geras, atque alios asperneris. Matronæ, non meretricium est, unum inservire amantem.' et cum illa exciperet: 'nolo ego mihi male te, Scapha, præcipere;' Scapha sic prosequitur, quod cœptaverat: 'stulta es plane, quæ Illum tibi æternum putes fore amicum et benevolentem. Moneo ego te; te deseret ille ætate et satietate.' adjicit suum exemplum: 'Postremo, si dictis nequis perduci, ut vera hæc credas, Mea dicta ex factis nosce. rem vides: quæ sim, et quæ fui ante. Nihilo ego, quam nunc tu, amata sum, atque uni modo gessi morem: Qui pol me, ubi ætate hoc caput colorem mutavit, Reliquit deseruitque me. tibi idem futurum crede.' Repetit et divinat: 'At hoc unum facito cogites, si illum inservibis solum, Dum tibi nunc hæc ætatula est, in senecta male querere.' Hæc Terentius omnia, expedita ῥήσει, rotunde complexus est. *Bœclerus.*

10 *Hæc ubi immutata est*] Liber Bembinus *imminuta;* quod et aptius videtur. nam immutari quid et in melius potest. *Faërnus.*

11 *Nisi prospectum interea aliquid nobis est, desertæ vivimus*] Legendo *nisi si,* ut in libro Bembino, et dictionem *nobis* delendo, quæ nec in eo libro, nec in Victoriano et Decurtato est, stat trochaicus, nec quicquam sensui deperit; procul dubio enim intelligitur, prospectum nobis. *Idem.*

12 *Vobis cum uno simul ubi ætatem agere decretum est viro*] Pro *simul*, scribimus *semel*, ex libro Bembino; ut sit ordo, *semel decretum est*. Idem.

Vobis cum uno semel ubi ætatem agere decretum est viro] Eadem descriptione et contentione utitur Plautus Cistellaria I. 1. 79. &c. 'Quia ego illum unum mihi exoptavi, quicum ætatem degerem. GY. Matronæ magis conducibile est istuc, mea Silenium, Unum amare, et cum eo ætatem exigere, cui nupta est semel. Verum enim meretrix fortunati est oppidi simillima, Non potest suam rem obtinere sola, sine multis viris.' *Bæclerus*.

Viro, hi, &c.] Adverte Syntaxin. *Viro hi*. Farnabius.

13 *Cujus mos maxime est*] Verum his moribus se sociant vobis, qui habent hunc morem, et similem voluntatem. *Eugraphius*.

Cujus mos maxime est consimilis vestrum] Quam honeste et sententiose de matrimonio loquitur! repetitur sententia, novaque elegantia vestitur Phormione I. 2. 94. 95. de adolescente marito; 'huc transtulit Amorem, postquam par ingenium nactus est.' *Bæclerus*.

14 *Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini*] Ut hunc versum insititium ac delendum putaret Guyetus, vox *vero* effecit: quæ se approbare ei non potuit. Argentoratensis Codex habet: *atque hoc beneficio utrique ab utrisque vestrum devincimini*. Sane quin τὸ *vero* mutandum sit, vix dubitem. cetera sententia bona est et elegans, constabitque si vel, *ultro*, legas, vel, *beneficio uterque utrique vestrum devincimini*. s. *utrique utrisque vestrum*. quamquam illud elegantius est, si libri astipularentur. certe in meorum Mss. uno, τῷ *utrique* superscriptum est: *al. uterque*. nescio an malit aliquis tali remedio perfungi, quam recidere. In Phormione (v. 3. 17.) legas: 'quia uterque utrique est cordi.' *Bæclerus*.

15 *Ut nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas*] Ut semper inter vos amor valeat, neque senectute aut ullo morbo discidium possit existere. *Eugraphius*.

Ut nunquam, &c.] Ut 'Quos irrupta tenet copula, non malis Divulsus querimoniis Suprema citius solvat amor die.' Horat. l. I. od. 13. *Farnabius*.

16 *Nescio alias; me quidem*] Quid agam, vehementer ignoro: illud certum est, nunquam meum me commodum sine illius commodo comparasse. *Eugraphius*.

Nescio alias: me scio quidem semper fecisse sedulo ut] Aliqui libri, inter quos Bembinus et Basilicanus, ita collocant: *me quidem semper scio*. quo modo oportebit ex *quidem* m elidere: quamvis sequente consonante. vel forte *me quidem* erit, *me equidem*, elisa e ex *me*, quod et in scriptura, non solum in scansione fiebat antiquitus. dictionem vero *ut* libri Bembinus et Victorianus sequenti versui attribuunt. qui hoc modo fit octonarius ut sequentes. *Faërnus*.

Nescio alias: me quidem s. scio f.] Quid Eugraph. sibi vult, cum annotat 'Quid agam,' &c.? corrupta hæc videntur. *nescio alias*: τὰ τῶν ἄλλων γυναικῶν μὴ πολυπραγμονῶ. honesta, et apta virgini domi conclusæ oratio. alteram quoque partem Eugraphii interpretatio facit elanguescere, quæ attollenda est in vigorem sententiæ destinatum: ego semper operam dedi, *ut ex illius* (amici mei Cliniæ) *commodo meum compararem commodum*. *illius* longe efficacius est hoc loco, quam *alius*, quod Guyetus substituit. perpetua consuetudo stili Comici monstrat, et Interpretes monent, τὰ *illa, ille*, amatorie de nota persona usurpari, et τὴν ἐρωμένην aut τὸν ἐρώμενον notare. *comparandi* vox hic eleganter significat, ac si dixisset, ut meum commodum æstimarem ex ipsius commodo. exigendo scilicet et comparando ad illius commodum. quam significationem proponit ac commendat Donatus, ad illud in Andria IV. 1. 3. 'Ex incommodis alterius, sua ut comparent commoda.' *Bæclerus*.

17 *Vah*] In libro Bembino est, *ah*. ut et exigit versus. *Faërnus*.

Ah] Libri fere, *vah*, ex quo metri causa τὸ *ah* fecerunt. Quod si spectatoribus, affectu Cliniæ κυλοιδιῶντος, seu contentis ac tumentibus oculis, in Antiphilam adventantem conversi, animique motus vultu præferentis, cum admiratione acclamantibus, tribuimus hanc particulam, nihil erit, quod metro timeatur. *Bæclerus*.

Ah] Clinia Antiphilam venientem prospiciens hæc secum. *Farnabius*.

18 *Ergo, mea Antiphila*] Adolescens venientem amicam intuetur, et secum loquitur, quod ejus amore factum sit, ut in patriam reverteretur. *Eugraphius*.

Ergo mea Antiphila] Semel sibi permisit Terentius, nec sæpius, ut induceret spectaculum, quod in theatro non facile exhibetur. Alias enim studiose abstinuit. Invenit tamen verba affectui paria. in quibus ἐμπαθὲς inprimis est hoc principium: *ergo mea Antiphila*. incomparabilis est vis in voce *ergo*, cum incipit orationem. *Bæclerus*.

19 *Nam dum abs te absum, omnes mihi*] Cum enim abs te discessi, universos labores leves arbitratus sum, excepto hoc, quod te carebam. *Eugraphius*.

Omnes mihi labores] Quicquid durum, triste, molestum accidit: miseriæ, ærumnæ. *Bæclerus*.

20 *Tui carendum quod erat*] Ita magno consensu Mss. codices, nec ignotus est archaismus. *Bæclerus*.

Syre, vix suffero] Plus in sensu est, quam in verbo. *Idem*.

21 *Hoccine me miserum*] * Hoc ingenio bono amicæ meo modo frui non licere vehementer ingemisco. *Eugraphius*.

Ingenio frui] Bembinus liber, *ingenium*. et erit ordo, *hoccine ingenium me frui non licere*: fruor enim, ut et alia verba usum significantia, amabant antiqui etiam accusativo jungere. Terentius in Phormione: 'Ut mihi tamdiu liceat quod amo frui.' Plautus in Asinaria: 'Ut sinat sese alternas cum illo noctes hanc frui.' *Faërnus*.

Hoccine me mis. &c.] Ordo est: *hoccine ingenium* (Antiphilæ scilicet tam honestum, tam cordatum) *non licere me miserum frui, meo modo?* meo arbitratu. deplorat, se non videre amoris sui exitum. *Bæclerus*.

Ingenium frui] Archaismus. ingenio. *Farnabius*.

22 *Ut patrem tuum vidi, &c.*] In quantum patris tui affectum et dispositionem perspexi, diu duras etiamdum partes dabit. sunt qui *puras* legi volunt, et *noctes* exponunt. mihi hic alta nox. *Idem*.

Diu etiam duras dabit] Palmerius legi vellet, *puras*, id est, ut ipse accipit, noctes sine puella; at id de patre dici non potest. Fr. Guyetus hunc versum plane delet, ut sæpe alios alibi; neque tamen ullam rationem cur deleat profert. Ego quidem loquendi modum e vulgari sermone Romano petitum puto, in quo subintelligebatur *plagas*, ut sæpe fit in ejusmodi dictis usitatioribus et e genere Comico, ubi nomen substantivum reticetur. *Plagas* autem *dare* phrasis Latina est, ut, 'dare ictus,' 'dare vulnera,' Ovidius. Virg. Lucret. Nos Gallice sæpe in comminando dicimus, *je t'en donneray*, ubi intelligimus ictus, scuticas, colaphos, &c. At, qui apud Terentium velint subaudiri *partes*, non vident metaphoram illam nullum hic locum habere posse. *Faber*.

Diu etiam duras dabit] Diu etiam durus...existet. *Eugraphius*.

Diu etiam duras dabit] Hic in libri

Bembini margine adscripta hæc interpretatio, ' H. e. durum se præbebit, vel absolute, duras, ut dicitur bonas ei dedit, vel dabit pœnas.' Cicero: ' Quam primum adveniens dedisti.' et in Verrinis: ' Verum illa est præ.'* *Faërnus.*

Diu etiam duras dabit] Sub plagas i. e. diu te satis cruciabit, te differet, suspensumque animi tenebit, antequam matrimonio Antiphilæ potiri queas. Calphurnius voluit subaudiri *partes* aut *lites*, quod merito equidem reprehendit Palmerius; sed infelicissime *puras* substituit. *Bœclerus.*

23 *Qui intuetur nos*] Multum fecit, in exprimendo affectu Cliniæ. nunc Antiphilæ animum concursione magnorum motuum liquescentem inducit; apta sexui et negotio commentus, quæ vix explicari verbis possunt. Estque hic locus totus actuosus. aguntur enim plura et demonstrantur, quam exhibentur. *Idem.*

Retine me obsecro] Deficit exanimis præ lætitia deliquio. *Farnabius.*

24 An. *Disperii.* Ba. *perii misera quid stupes*] Sicut Guyetus corrigit, ita unus habet meorum Mss. codicum. alter eodem tendit in hunc modum: A. *disperii misera.* B. *quid stupes?* Bœclerus.

Quid stupes] Hoc loco, *stupere*, est deliquio animi tentari, *tomber en pamoison ou en foiblesse.* Vertendum igitur est, *d'où vous vient cette foiblesse?* vel, &c. Non autem, *pourquoi vous estonnez-vous?* Prius dixerat Antiphila, *Ah, retine me.* Gall. *Ah, je n'en puis plus, soustenez moi;* quia jam labebatur; nam *labi* idem sæpe est quod deliquium animi pati. Virgil. ' Labitur, et longo vix tandem tempore fatur.' *Faber.*

25 *Cliniam, &c.*] Etiam præ inopinato gaudio dubitat. ' Verane te facies, verus mihi nuntius adfers,' &c. Andromache. Virg. Æn. III. *Farnab.*

28 *Antiphila maxime animo exoptata meo*] Optime staret senarius, si *exoptatam* legeretur. et ita scripsisse Terentium existimo. quod ut facilius credam, facit alibi quoque perversus mos, errorque librariorum a nobis observatus, qui finiente priorem dictionem una littera, a qua posterior dictio inciperet, alteram earum litterarum sæpe omittebant. idque etiam in syllabis, atque aliquando in integris dictionibus factum est. *Faërnus.*

28 *Animo expectata meo*] Ita Mss. meorum unus. adi Faërn. et Guyet. Sed qui addunt, *sc. ad cœnam,* enervant sententiam, et τὸ ἦθος non intelligunt. *Bœclerus.*

29 *Nam vos jamdudum expectat senex*] Hic versus dividit fabulam: et eadem rationem moræ reddit. *Idem.*

ACTUS III.

Scena I. Senariis constat. vs. 1. Mss. nostri omnes: *lucescit.* duo addunt *cur: cur jam cesso. jam cur cesso.* vs. 7. omnes: *nam quantum potero, adjuvabo senem.* vs. 11. duo: *ad miseriam.* vs. 21. omnes: *hic apud me domi.* vs. 37. duo: *perterruisti.* unus etiam, *hunc.* et mox duo: *ea re coacta ingrat.* vs. 43. omnes: *veste et auro.* vs. 47. unus: *quod si iterum sit dandum.* vs. 53. duo: *facturum.* vs. 54. Argent. *sic me dii ament.* vs. 64. omnes: *consusurrant.* vs. 67. ut ed. vs. 89. omnes: *apprehendendus.* vs. 92. omnes: *paul. hoc negotii.* vs. 98. omnes: *judicent.* Bœclerus.

1 *Luciscit hoc jam*] Notandum ex hac comœdia, quod in nulla alia licet reperiri, ut biduum tempus in comœdia sit. Omnes enim uno die actus suos explicant, ex eo ipso quo cuncta effici possunt, ut aut nuptiæ celebrentur, aut cognitio fiat expo-...aliquid. at hic bidui rationem versari intelligimus. Ergo dixit, ' Luciscit hoc. Habet hæc scena allocutionem, in qua ostendit se properare uti Menedemo nunciet filium rediisse: quamquam hoc nolit adolescens, cum patris sui nesciat voluntatem.' *Eugraphius.*

Luciscit hoc jam] Hemistichium Plautinum in Amphitruone, ubi *hoc* absolute pro cœlo ponitur. ut et in Gurgulione: ' Nam hoc quidem edepol haut multo post luce lucebit.' et apud Lucretium libro quinto: ' Denique jam tuere hoc, circum supraque, quod omnem Continet amplexu terram:' putamus tamen ex gestu motuque dicentis addi aliquam demonstrationem: ut manus elatione, in cœlumque suspectu. *Faërnus.*

Hoc jam] Fabulæ hujus datæ actæque in ludis Megalensibus, duo actus priores acti sunt vesperi. curabatur nempe cœna, intermissa per noctem ludis transactam. reliqui tres actus sub lucem agebantur. vide prologum, et Jul. Scal. Poëtic. lib. VI. c. 3. *Farnabius.*

2 *Primum ex me ut sciat*] Erratum puto. Legerem, *primo ex me,* in casu sexto. Probatur ex act. I. sc. 2. ' Ut hanc lætitiam nec-opinanti primus objicerem domi;' qui locus est huic parallelos. *Faber.*

Primum ex me ut sciat] Ratiocinator hic inducitur officii sui Chremes: et præparantur vices mutuæ opis ac consilii. dum enim amicitiam modo cœptam tanto studio ac humanitate colit, dignum se ostendit cui Menedemus se committat, atque subinde, ubi usus erit, vicissim inserviat. *Bœclerus.*

6 *Cum illi nihil periculi*] Ut celem tam insperatum gaudium, cum ipsi adolescenti nihil periculi sit, ex eo quod indicatur. *Eugraphius.*

8 *Ita ut filium meum amico, atque æquali suo*] In iisdem duobus antiquissimis libris est *item ut.* utroque modo prima hujus versus syllaba ad præcedentem pertinet versum. *Faërnus.*

10 *Est æquum, &c.*] Ex Menandro. Γέρων γέροντι γλῶσσαν ἡδίστην ἔχει. Παῖς παιδὶ, καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνὴ, Νοσῶν τ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξίᾳ ληφθεὶς ἐπῳδός ἐστι τῷ πειρωμένῳ. *Farnabius.*

11 *Aut ego profecto*] Hæc scena persuasionem habet, quemadmodum pater filium suscipiat, et falli se per servos sinat. Neque tanta facilitate utatur, ne corruptis filius moribus vivat, si semel facilitatem erga se patris agnoscat. Tenebit ergo divisiones, ut omnis deliberativa ab utili et honesto similiter fieri possit. quæ omnia suo loco plenius explicabimus, ne tantum ea quæ obscura sunt dicamus. *Eugraphius.*

Aut ego profecto ingen.] Quid aliud loqueretur, qui decreverat se cruciare? id est, dolori suo indulgere, remedia detrectare. Amplificatur ægritudo, cum fortunæ adversanti ingenium miserum sua ad dolendum mœrendumque proclive accedit, quod eo vehementius, scilicet, quo diutius suas ærumnas commentatur ac interpretatur. ita venit ad opus; ita discedit. hic in labore labor est. De phrasi dubitatur inter eruditos. Palmerius emendat; *Aut ego profecto genio egregio ad miseriam natus sum.* Acidalius et hic et in Plautino loco, quem Palmerius itidem correxit, *ingenium* tuetur. Uterque alias ingenio sæpe ad corrigendum plus satis promto fuit. Sed ego malim hic auctoritatem librorum cum Acidalio sequi. videtur poëta quæsisse novitatem locutionis, ad exprimendam efficacius sententiam. ut sit, *egregio ingenio natus sum,* περιφράσει αὐξητικῇ: omnino præter ceteros natus sum, prorsus natus sum ad ferendas miserias. quid? quod *genius,* si pertenderes Palmerii opinionem, nihil posset aliud quam *ingenium* notare, si quidem Latine loquendi consuetudinem

velimus tutari. *Bœclerus.*

Ingenio] Al. *genio*, qui sc. infantibus, cum nascerentur, præficiebatur. *Farnabius.*

13 *Adimere ægritudinem hominibus*] Πάντων ἰατρὸς τῶν ἀναγκαίων χρόνος ἐστίν. οὗτος καί σε νῦν ἰάσεται. Menander. Τοὺς ἄφρονας ὁ χρόνος, τοὺς καὶ φρονίμους ὁ λόγος τῆς λύπης ἀπαλλάττει. Epictet. apud Stobæum. *Idem.*

14 *Nam mihi quidem augescit magis*] Seneca (consol. ad Marc. 1.) ῥητορικώτερον: 'Illud ipsum naturale remedium temporis, quod maximas ærumnas quoque componit, in te una vim suam perdidit.' Sed hæc talia non congerimus. *Bœclerus.*

17 *Adibo, adloquar*] Liber Bembinus et Basilicanus *ibo;* quod magis versui servit. eoque magis id recepimus, quod particula *ad* mox sequitur in, *adloquar.* ut infra, 'Syrus est prendendus, atque adhortandus mihi.' cui loco ascriptum in libro Bembino glossema, quia ad hanc rem facit, hic ponere libuit: '*Prehendendus:* deest *ad:* sed ideo prætermisit, quia dicturus erat, adhortandus.' *Faërnus.*

18 *Nuntium adporto*] Bene generaliter in nuntio votum futurum esse promisit, ut animus cupidus probari possit, cum non aliud suspicatur, quam quod in desiderio fuerat collocatum. Deinde jungit: *Numquid nam de gnato meo audisti, Chremes?* Eugraphius.

18 *Nuntium apporto tibi, cujus maxime te parti.*] Expectatam facit rem tali principio, et officio pretium conciliat mora. itaque primum de filio hoc tantum nuntiat; *valet atque vivit.* quod ad illud congruit, *habui filium, nunc habeam nec ne incertum est.* Sequitur plenum et solidum gaudium: rediit filius, *apud me est.* ut Menedemus Chremetem non consolatorem modo, sed fortunæ melioris interpretem et quasi conciliatorem sibi oblatum animadverteret. Tum vero senex, vix capiens gaudii sui modum, admiratur, resipiscit, frui cupit hoc nuntio: *meus gnatus! venit? Clinia meus venit?* per singula momenta animi commotionem signavit Poëta. et mox: *eamus, duc me ad eum, obsecro.* Bœclerus.

21 *Valet*] Temperavit primo nuntium, ut cresceret gaudium. Nam primo *valet, atque vivit,* inquit. quod utique diversum esse manifestum est. Nam *valemus* cum spiritum ducimus. *Eugraphius.*

Ubinam est] Parum credit gaudii, quod sibi salus filii nuntiatur. Nunc de loco quærit. Ipse quippe qui ejus absentiam dolere videatur. * *Idem.*

Atque vivit, &c.] Vivit, atque valet. dicendum illud potuit absque hoc: contra, non hoc sine illo. *Farnabius.*

22 *Meus gnatus*] Cum iterum quod cupiebat senex audisset, tanquam parum credat, interrogationem repetit. Denique percussis omnibus cum confirmationem nuntii audisset, perseverat gaudium: ideoque adjecit, 'Duc me ad eum, obsecro.' *Eugraphius.*

27 *Non tu ei dixti ut essem*] Non tu ei dixisti, quemadmodum nunc essem? *Idem.*

Non tu ei dixisti, ut essem. CH. *non*] *Consolando* hactenus juvit Menedemum Chremes: nunc *consilii* tempus adest. quod ex omni parte egregium fecit poëta, ut prodesset ei, cui daretur; ut ei, de quo agebatur, conduceret; ut sene et amico consultore dignum esset. Hoc unum ad singularem οἰκονομίαν pertinet, quod, qui tanta sedulitate suadet, et de filiorum disciplina tam πατρικῶς, atque ut prudentia patria dignum est, disserit, sua se tractare mala, dum aliena in oculis habet, non sentit. Itaque non facile speciosius atque exquisitius tractatum invenias exemplum, quomodo ad aliena acuti, ad sua hebetes persæpe sint homines. *Bœclerus.*

Non tu ei dixisti ut essem] Quantum ab antiqua duritia illa immutatus, et ex acerrimo patre lenissimus

sim factus, qui nihil magis in votis habeat, quam filio obsequi, largiri. *Idem.*

28 *Quia pessume in te*] Hic jam incipit suasoria illa quæ animum patris componit, ut circa filium temperet lenitatem, aut largitatem nimiam, aut parcitatem. Utroque genere peccas, dum aut nimium largus es, aut ut ante nimium parcus. ex hoc, ut in unum malum ex diversis moribus venias. *Eugraphius.*

In te atque illum] O. l. s. *in te atque in illum.* eliditur autem unum l, ex *illum,* ut sit dactylus in quarta sede senarii. *Faërnus.*

29 *Si te tam leni et victo animo esse ostenderis*] Patria auctoritas remitti aliquando, nunquam solvi debet. nisi velit pater, non sibi tantum, sed iis etiam, quibus gratificari studet, perversam gratiam vehementer officere. Temperavit Chremes reprehensionem, et ad mitiora vocabula transtulit, *animo tam leni,* inquit, *et victo* (quod proba admodum sententia additur) esse non decet. in hoc enim genere certaminis, filios patribus æquum est concedere, non patres filiis. quod jam ante extulerat Chremes: *hunccine* (patrem) *erat æquum ex illius more, an illum* (filium) *ex hujus vivere?* Bœclerus.

30 *Non possum, satis jam, satis pater durus fui*] *Non possum* aliter facere, non possum contineri, quin faciam quod decrevi, ut antiquam illam duritiam in contrarium mutem. video, quantum peccaverim illa duritia; quantum mihi ærumnæ consciverim, quas gnato hactenus pœnas dederim. tanta igitur nunc mihi facilitate utendum intelligo, quanta ante sævitia filium coërcui. *Idem.*

Satis pater, &c.] Quantum mutatus ab illo. *Farnabius.*

31 *Ah vehemens in utramque partem es*] Hic jam tempus fuit, nominatim reprehendere in Menedemo animum a vera vivendi ratione satis alienum. Atque hic est cardo, ut sic dicam, totius argumenti: in Patrum nimia largitate, et nimia duritia. vel ubi in diversis considerantur personis; vel ubi in uno, hic quidem vere, in Adelphis non absque simulatione, conspiciuntur. Singulare est, in Menedemi exemplo, quod duritia nimia pœnitentiam, ægritudinem, miseriam peperit; et exinde præcipitem in contrarium defectionem. Neque futurum erat, ut duraret in illa quoque parte moris intemperanter demissi habitus: id quod prædicit Chremes, fore ut Menedemo *non suave sit vivere,* si videat rem et filium una perire. sed hoc periculum a Menedemo in alium transivit, nuptiisque filii, mutationibus novis ademta via est. *Bœclerus.*

In utramque partem, &c.] Sanum consilium monentis ut medium inter severitatem et indulgentiam teneret, nec incideret in Scyllam 'cupiens vitare Charybdim.' redi ad ea quæ supra adnotavi ad scen. 1. sub fine. et lege Senec. de Ira l. II. capp. 20. 21. 22. 23. *Farnabius.*

33 *In eandem fraudem*] Crimen. pœnam. Ulp. 'Capitalem fraudem admittere.' *Idem.*

34 *Primum, olim potius*] Hoc tibi initium mali fuit, quod non filium permisisti ad mulierculam commeare .....quod tunc paulo videbatur esse contenta, cum omnia grata esse potuerunt, quæ filius faceret. At tu injustitia cum adolescentem tuis sermonibus terruisti, exinde illa, coacta necessitate, ingratiis cœpit victum sibi quærere. *Eugraphius.*

Primum, olim potius quam pat.] Exequitur, quod proposuerat: et nunc nimiam parcimoniam simul, et nimiam largitatem, sententiis ad disciplinæ Atticæ ingenium factis, demonstrat. in quo ad commendationem Cliniæ tendit, quod honestum tamen amorem, non meretricium ab initio elegerit. Antiphilam ipsa injuria

commendabit: cui nunc Bacchidis mores per errorem aptantur. ut posset procedere hæc reprehensio, olim non sivisti filium, dum honesta mulier fuit, amare; nunc, postquam inopia quæstum occepit, meretricem sumtuosam ei concedis. *Bœclerus.*

35 *Commeare ad mulierculam quæ paululo*] Hic versus stat, contractis in unam duabus mediis syllabis verbi *commeare;* ultima vero per synalœphen non elisa. aut forte senarius est generis confusi, admittens in principio trochæos, in fine iambos. *Faërnus.*

Quæ paululo] Quam putavit Bacchidem, procacem, magnificam, sumptuosam, nobilem, cujusmodi laudavit illam Clitipho, act. I. sc. 2. *Farnab.*

36 *Cuique grata erant omnia*] Parce quippe et tenuiter vivere assueta, modicis muneribus gaudebat. opponitur hæc descriptio fastidio meretricum, quibus cum semper datur, semper affertur, nihil tamen satis pretiosum est. Hinc illud intertrimentum, illa fraus, in amatores, et eorum parentes. Plautinæ Comœdiæ abundant exemplis. *Bœclerus.*

37 *Ea coacta ingratiis post illa cœpit victum vulgo quærere*] Ita per suspicionem et errorem personæ. conjectura tamen modestius utitur, tanquam de ea, cui præter peregrinitatem in oratione Menedemi nihil antea objici meminerat. *Idem.*

39 *Nunc cum sine magno intertrimento*] Unde modo sine magno damno haberi non potest. *Intertrimenta* autem sunt, quæ intus terendo damna perficiunt. *Eugraphius.*

Nunc sine magno intertrimento, non potest] Hic adscriptum est in libro Bembino: '*Inter* et *de* tantundem significant ad augmentum ostendendum. hinc dicitur, interfectus.' *Faërnus.*

40 *Quidvis dare cupis*] Scio enim quodcunque desideras dare. *Eugraphius.*

41 *Quam ea nunc instructa*] Verum ut possis intelligere, quemadmodum nunc illa meretrix instructa sit adversus filium tuum, et ad quam perniciem adjecta. *Idem.*

Instructa pulcre ad perniciem] Suavitatem comici sermonis augent illa: pulcre, probe, præclare, egregie, cum quadam elegantiore ironia, pro valde. *Bœclerus.*

43 *Oneratas veste atque auro*] Parum dixerat, *ancillas decem,* quæ res tantum in numero collocata videbatur: adjecit *oneratus veste atque auro,* ut pudori sit ancillas tales ita vestitas levi cibo pascere, aut certe servili. *Eugraphius.*

Satrapes si siet, &c.] In iis notis quæ nuper Lutetiæ editæ sunt sub nomine J. Peyraredi, hoc legi: *il se sert de ce mot à cause que cette Comédie ayant été tirée de Menandre, les Rois de Perse regnoient lors en Asie.* sunt ipsa hominis verba, nihil in iis mutatum. Itaque, siqua illi fides, Menander ante mortem Darii Codomanni scripserit: mirabilem vero Chronologiam! Reges Persarum qui tandem illa tempestate Asiæ imperitassent, cum essent nulli! In Eunucho Terentii, quæ de Menandro versa est, Pyrrhi mentio fit; an ideo dicas eo tempore bellasse, quo Persarum Reges Asiæ dominabantur? Error sit pudendus. Nam Menander floruit sub finem Ptolemæi Lagidæ, et sub initia Philadelphi, temporibus Demetrii Poliorcetæ, et Demetrii Phalerei; quod ex veteri historia certissimum est, et tale aliquid apud Phædrum etiam legas. *Faber.*

Satrapes siet] Apud Babylonios satrapæ appellantur ditissimi, et satellites regum. *Eugraphius.*

Oneratas veste atque auro] Eugraphius ad vestitum ancillarum hoc refert. an oblitus est, quod supra posuit Poëta act. v. sc. 3. vss. 6. 7. 'Portant, quid rerum? aurum, vestem.' Mundum et supellectilem

meretricis gerebant scilicet illæ ancillæ. unde hic senex: *adduxit secum ancillas, oneratas veste atque auro,* seu portantes vestem atque aurum, pompam enim meretricis voluit describere. *Bœclerus.*

Satrapes si siet amator] Receperunt Latini vocem peregrinam, de qua Brissonius, et alii. hic ad modum proverbii usurpatur, *Satrapes si siet amator, non queat sufferre sumtus.* Eugraphius annotat: 'Apud Babylonios Satrapæ appellantur ditissimi, et satellites regum.' Græcis σατραπεία (nam et hi retinuerunt vocem Persicam) est ἐπαρχία. *Idem.*

Satrapes si siet] Præfectus provinciæ apud Persas, quorum imperium in provincias CCCLX. quas Satrapias vocabant, a totidem Satrapis sub Magno Rege imperatas. a שטר אפא 'apparitor faciei.' *Farnabius.*

45 *Sit rogas? sensi*] Rogas an sit intus? si sit? satis ego sensi. *Bœclerus.*

46 *Sensi: nam ei unam cenam*] O. l. s. *nam unam ei cenam.* et hic in libro Bembino adjectum est vetustissimum glossema: '*Sensi* cum gemitu pronuntia.' versus autem stat si spondeus sit in *ei,* quemadmodum a Lucretio ponitur. *Faërnus.*

48 *Pytissando modo mihi*] Quantum vini absumpserit vide, dum pytissat. Proprie autem *pytissare* dicitur, quod gustare, quasi cum quadam probatione expuere. Denique adjecit: 'Sic hoc dicens, Asperum pater hoc est, aliud lenius sodes vide.' *Eugraphius.*

Pitissando] Ita scriptum in editionibus Mureti et aliorum male. Sed bene in Faërnina, *pytissando,* per y. Ibi ex codice Bembi longe optima nota est, his verbis concepta: 'Expressis labris spuendo, dum saporem vini probat.' Ita me Deus amet isthuc Latinissimum est; et quod illius notæ scriptor dicit, id verissimum, nam *pytisso* fit a Græco πυτίζω, at πυτίζω a πτύω, quod est *spuo* Latinorum. Unde ἀποπυτίζω apud Aristotelem, id est expuo, respuo. *Pitisso* autem non potest e Græco fieri. posset *pipisso,* seu *pipizo,* sed alia esset significatio. neque enim bibitare seu potitare significaret, sed potum aliis præbere; quod ad hunc locum, utcunque sumas, minime aptum est. *Faber.*

Pytissando] Vide Chrestomath. *Bœclerus.*

Pytissando] Leviter quasi primoribus labris delibando: quid igitur bibendo tibi absumtum iri putas? *Farnabius.*

49 *Sic hoc dicens*] Durum hoc videatur. sed μιμήσει convenit, eamque evidentius signat. Egregie describitur illud delicatum fastidium, quo meretrices alienam apud mensam liguriunt, cum domi atrum panem ex hesterno jure avide deglutiant. *Bœclerus.*

Sic hoc dicens: asperum pater hoc est. aliud lenius] Dictioni *pater,* hæc adscripta sunt, 'Et hoc ei displicet, quod eum meretrix patrem appellet.' Ceterum ordo horum verborum hic est, *dicens* scilicet Bacchis, *sic hoc,* subaudi, est. ut sit, hoc est, quod dicere solemus, cum quid vel improbamus vel mediocre esse ostendimus. *Faërnus.*

Asperum] Austerum. *Farnabius.*

50 *Pater, &c.*] Honoris et reverentiæ appellatio. *Idem.*

51 *Relivi dolia omnia*] *Linire* est contegere et operire: contrarium est *relivi,* id est, aperui. *Eugraphius.*

Relevi dolia omnia] Vide omnino Guyetum. *Bœclerus.*

Serias] Vasa fictilia, in quibus vinum recondebatur, obturabant pice, calce, et resina. *quod ego ipse testa conditum levi.* hinc *relevi,* aperui. *Farnabius.*

52 *Omnes sollicitos habui*] Hoc est, ebrios. Significat enim *sollicitos,* id est, solo citatos, quod ebriis con-

tingit, quibus non sunt firma vestigia, sed motu corporis citi sunt. *Eugraphius.*

Omnes, &c.] Omnes habui servos variis officiis occupatos ac distractos dum iis ministrarent. *Farnabius.*

53 *Quem assidue exedent*] Quem quotidie comedent, vel certe frequenter. *Eugraphius.*

54 *Ut me tuarum fortunarum*] In meo damno magis misericordiam pro te passus sum, et pro fortunis tuis. *Idem.*

Ita me di amabunt, ut tuarum miseritum est] Non *ita*, sed *sic* est in o. l. s. et post *ut*, additur *me*. verbum autem *amabunt*, in libro Bembino exponitur pro *ament*. Faërnus.

Sic me dii amabunt] Guyetus, *amassint* substituit. quanquam et Plautus ita loquitur Menæchm. II. 2. 6. 'Dii te amabunt.' id est, dii te ament. Quod sequitur, *ut me tuarum miseritum est fortunarum!* nondum pœnitet ita explicasse: ut me miseret tuarum fortunarum! nam et contextui aptius, et moratum magis est. *Bœclerus.*

55 *Faciat quod lubet*] Indulgentissimus Pater, et qui vehementissime Filium desiderabat, licet damna audisset, tamen omnia se dicit filio permittere velle, dummodo ipsum habeat in potestate. *Eugraphius.*

Faciat quod lubet; sumat, consumat, perdat] Ecce imaginem ejus, qui jam in alteram partem vehemens nimis est. qui antea parsimonia et severitate proterruerat filium, sive, ut profugeret, effecerat: nunc vel omnium fortunarum periculo et jactura domi retinere eum concupiscit. τὸ *sumat*, esse hic, fœnori sumat, vix persuadetur mihi. incremento notabili, *sumere, consumere, perdere*, ἐκ παραλλήλου posuit. sumat de meis, id est, sumptus faciat, &c. hoc enim impendio vult sibi stare præsentiam filii, cujus absentiam diutius ferre nequiverat. *Bœclerus.*

57 *Si certum est tibi*] Hic jam persuadet, ut illud quod supra diximus, velit adolescentis animo veluti nesciens dare, cum artibus servi inductam pecuniam dat, et ad luxuriam ministrat. Denique ipsum consilium suum, quod sit, proponit: 'Falli te sinas technis per servum.' An fieri possit adjungit: 'Subsensi illos hoc quoque agere.' Ex eo enim quod jam agunt et præparant, fieri potest. Deinde ab utili adjunxit, 'Et tibi perdere talentum hoc pacto satius est, quam illo minam.' Melius est velut insciens plurimum perdas, quam sciens minimum: cum ex hoc filius quod licentiam agnoverit, jam ei lubebit majora committere. Dein adjungit ab honesto, 'Nunc non de pecunia,' &c. *Eugraphius.*

Si certum est tibi sic facere] Dixerat enim: *decretum est pati.* Nunc ergo consilii nova ratio nascitur: ut damnis quam minimo dedecore et noxa defungatur Menedemus, cui non minus jam decretum est, damnosum esse, quam antea miserum. Damnis ergo saltem moram aliquam interjiciendam; tum inprimis, ne etiam turpitudine filii ea cumulentur, providendum, egregius consultor monet. *Bœclerus.*

59 *Ut nescientem sentiat te id sibi dare*] Optima est Guyeti emendatio: *ut ne scientem sentiat te id sibi dare.* Idem.

Sentiat] Id est, credat. *Faber.*

62 *Etsi subsensi id quoque illos ibi esse*] Opportune hoc adjicitur: ne Menedemus, obsequi jam cupiditatibus filii certus, moleste ferat ambages, et moras itaque etiam ἐξηγήσει asseverata inculcat: *subsensi, illos ibi esse, atque id agere clanculum.* nimirum Syrus noster *cum illo vestro* servo *consusurrat*: et ipsi *conferunt consilia adolescentes*, meus Clitipho cum tuo Clinia. jamjam ad te fallendum instruuntur doli. mox argento te emungere parabunt. *Bœclerus.*

Illos ibi, &c.] In ea officina, in qua fabricent dolum aliquem quo te argento emungant. *Farnabius.*

Illo vestro, &c.] Dromone. *Idem.*

65 *Consilia adolescentes*] Suspicatur Muretus scriptum a veteribus fuisse per geminum oo, *adoolescens*; male, nam illa syllaba semper brevis est; nil variat. Sed pronuntiari debet sustinendo syllabam adjecta litera D, *consiliad adolescentes, &c.* ut *med* pro me, *ted* pro te, &c. ita in compositionibus verborum redigo, redamo, redhibeo, redintegro, &c. Ita et sensisse Lolgium apud Faërnum video; nam librum ipsius Lolgii nunquam vidi. Is ante Muretum scripsit, ut et Goveanus, (nam utriusque meminit Muretus,) quo etiam miror magis nullam hic ab eo Lolgii factam fuisse mentionem, aut ejus sententiam non sequi. *Faber.*

Et tibi perdere talentum hoc pacto satius est] Honestissimi generis sententia; ut et quæ sequitur: 'Non nunc de pecunia agitur: sed illud, quomodo Minimo periclo id demus adolescentulo.' Tam accurate, aliis sapit, qui sibi desipit! *Bœclerus.*

66 *Talentum, &c.*] Talentum minus seu profanum erat minarum Atticarum LX. majus seu sacrum CXX. minarum seu librarum Attic. *Farnabius.*

Minam] Mina major fuit drachmarum C. minor LXXV. *Idem.*

67 *Nunc non de pecunia agitur*] Ostendit honestum, et utile declaravit. Denique perseverat circa id ipsum, ut dicat: Cum enim intellexerit animum tuum, te prius vitam tuam proditurum et omnem pecuniam, quam abs te filium dimittas; vide quam fenestram ad turpitudinem, ad luxuriam, nequitiamque patefeceris, hoc est, quantam januam dederis, peccatorem perire. *Eugraphius.*

69 *Is intellexerit*] O. l. s. *ille intellexerit.* Faërnus.

70 *Prius proditurum te tuam vitam, et prius pecuniam omnem*] In libro Bembino scitissime atque appositissime adscriptum est, *Minor est pecunia quam vita; sed in oratione potiora nobis sunt, de quibus agitur.* Idem.

Prius proditurum te tuam vitam et pecun.] Gravi censura, sed citra offensionem, dum sermo ad Menedemi decretum accommodatur, indulgentia illa et lenitas prava notatur. Simul iterum exquisitum illud loquendi genus, quo ad *vitam* referuntur, quæ homini maxima sunt, in scenam venit. mox eodem pertinet: *Ut tibi porro non sit suave vivere.* Simplicissime: si intellexerit, te ita animatum esse, ut te ipse tuamque rem familiarem prodere velis potius, quam filium abs te amittere. *filium* significanter hic posuit. Guyetus ita exponit: 'Proditurum tuam vitam, i. e. potius amissurum vitam, vitæ jacturam facturum, quam abs te amittas filium.' Simplicius hoc fuerit, et nihil incommodi habuerit, si velis ad hunc modum interpretari. vide tamen an potius *vita* hic ea phrasi ponatur, de qua dictum: atque ut in Andria V. 1. 3. 'Dum studeo obsequi tibi, pene illusi vitam filiæ.' quod idem est ac si dixisset, prodidi vitam filiæ. Phorm. I. 4. 41. 'Vobis commendo Phanium, et vitam meam.' 'Vitamne tuam tutandam aliis dedisse?' Ph. III. 1. 2. iterum Andriæ I. 5. 37. 'Quæ mihi suum animum atque omnem vitam credidit.' In Heaut. II. 3. 74. 'In mea vita tu tibi laudem quæsitum is.' in quibus, ni fallor, τὸ τῆς φράσεως ἰδιωτέρον eruditi satis agnoscunt. *Bœclerus.*

71 *Te amittas, &c.*] Dimittas, a te segreges. *Farnabius.*

74 *Licentia*] Maxima et pessima peccandi illecebra et lenocinio. *Farnabius.*

75 *Neque id putabit, pravum an rectum siet*] *Putabit*, ut alias reputabit: nihil pensi habebit, pravum an rectum sit. *Pravum an rectum.* Sic

Phorm. v. 2. 6. 'Qui recta, prava faciunt.' Horatius: 'Ædibus in nostris quæ prava aut recta gerantur.' *Bœclerus.*

77 *Ipsum non poteris pati*] Statim tu interire bona, et filium vivere luxuriose et malis operibus non patieris. *Eugraphius.*

78 *Dare denegaris*] Si denegaveris dare, quantum postulaverit, continuo eo decurret, ut minitetur, se hinc a te abiturum: qua scilicet una re animum se tuum expugnare posse, probe intelliget. Eugraphius enarravit sententiam illa annotatione: 'Sibi veluti remedium suscipiet,' &c. quasi legisset, 'Quod maxime apud te se valere sentiet.' *Bœclerus.*

Ibit illico ad illud] Sibi veluti remedium suscipiet, ut abiturum se esse minitetur, maxime cum scit apud te se plurimum valere. *Eugraphius.*

81 *Videre verum atque ita*] Videre mihi verum dicere, et ita quemadmodum res est. *Idem.*

Videre verum] Liber Bembinus, *vera*, et expositionem habet adscriptam; *Vera, utilia: Salustius.* Verba Salustii antiquitate detrita sunt. *Faërnus.*

Videre verum, atque ita uti res est, dicere] Lucta animi exprimitur, videntis vera probantisque, sed lubidine et affectu in alteram partem allicefacti. *Bœclerus.*

82 *Somnum oculis non vidi*] Somnum oculis meis non cepi, quærens quemadmodum filium reddam. *Eugraphius.*

Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis] Prudentiam consilii luculentis rationibus explicatam, fidei studiique, i. e. animi vere amici, testimonio obsignat, atque adeo mensuram boni consultoris implet. cui proposito servit asseveratio, ipsa frequentatione verborum, in hoc versu, conspicua. *Bœclerus.*

Somnum, &c.] Somnum non admiserunt hac nocte, non senserunt oculi mei. nam *videre somnum* Hebraismus est, ut *videre mortem.* et Aristophanes in Vespis. ὕπνου δ' ὁρᾷ τῆς νυκτὸς οὐδὲ παστάλην. *Farnabius.*

83 *Tibi qui filium restituerem*] Scilicet ita dispositis provisisque rationibus, ne te atque se perditum ire velit. talem, qui possit a te sine periculo, de quo dictum, suscipi. Itaque Menedemus dextram amici tam fidelis amplexus, ut pergat facere, quod cœpit, orat; ac præsertim maturet rem effectam dare: neque enim desiderium filii posse se diutius ferre. *Bœclerus.*

84 *Cedo dexteram: porro te idem oro ut facias Chreme*] Liber Bembinus, *dextram.* ita stat versus, si tamen in *te idem* non fiat elisio. *Faërnus.*

86 *Quod sensisti, &c.*] Ἦθος, animi per indulgentiam impotentis. *Farnabius.*

91 *Ne nos inter nos congruere sentiant*] Nisi *congruere* penultimam producat, ut quod forte sit secundæ declinationis, deducaturque a congrueo congrues, non stat versus, et necesse est aliquid deesse. *Faërnus.*

Congruere] A congrueo, neque aliter scribere per metrum licet, ut Docti animadverterunt. Isthuc autem ab imitatione Græcorum profectum est: τύπτω, τυπτέω: γράφω, γραφέω: et quæ alia istius generis sunt pœne infinita. sic a ῥέω, ῥόω, ῥυέω; unde συῤῥυέω, Latine conrueo. *Faber.*

Congruere sentiant] Penultima ut longa sit exigit modulus, tanquam a *congrueo* secundæ Conjug. ut apud veteres *viveo, claudeo, diceo.* Nonius ex Nævio. *Farnabius.*

93 *Vicini nostri hic ambigunt de finibus*] Litem vicini habent de limitibus. *Eugraphius.*

94 *Me cepere arbitrum*] Me judicem esse voluerunt. *Idem.*

96 *Dii vestram fidem, ita comparat. esse hom.*] Auget jucunditatem hujus ῥήσεως, quod in utrumque senem invicem quadrat. sicut principio actus

ultimi. Simul et semel ea res exhibebitur. Ad sententiam convenit illud Plauti Persa IV. 4. 46. 'Quantum est adhibere hominem amicum, ubi quid geras?' *Bœclerus.*

97 *Itan' comparatam esse, &c.*] Sensus hic est: Satis miror cur prudentius sapit Chremes. An ita natura hominum comparata est, ut melius videant ea quæ aliena sunt, quam quæ sunt sua? An hoc ideo fit, quia, dum nos in re nostra sumus, aut gaudio impedimur, aut ægritudine, animum occupatum ad prehendendas vel respuendas res adhibere non possumus? *Eugraphius.*

98 *Aliena, &c.*] Οὐδεὶς ἐπ' αὐτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ, Πάμφιλε, Σαφῶς, ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται. Menandri sententias solet Terentius variare, alias per interrogationem, modo per admirationem, nonnunquam per contrarium. 'Nemo potest de se recte judicare, quod nobilis Poëta testatur: Itane comparatam esse hominum naturam,' &c. Lactantius de falsa sap. IV. cap. 4. *Farnabius.*

102 *Dissolvi me ocius*] Cito revertens ab eo quo iverat Chremes, dicit, se ex eo negotio solutum, et amico operam traditurum. *Eugraphius.*

Dissolvi me, otiosus operam ut tibi darem] Barlando, qui hic hæsit, jam responsum est. vereor autem ne Guyetus quoque properantius, hunc versum sibi addititium videri, pronuntiaverit. Nisi enim Chremetem modo digressum, aliquo indicio Poëta reduxerit, valde ex abrupto, et inopinato, sequente scena audientur illa: *num me fefellit, &c.* non enim solet ita Poëta. Dixerit itaque Chremes ad Menedemum, jamjam domum suam ingressurum. *otiosus* legendum esse, Faërnus et Muretus ostendunt. Mss. nostri omnes habent *ocyus.* Si legeretur, *dissolvi me, otiosus operam ut huic darem,* sequentis scenæ initio constituendus videretur hic versus *Bœclerus.*

Dissolvi me, &c.] Expedivi me ceteris negotiis, ut tibi vacem. *Farnabius.*

SCENA II. Senarii sunt. vs. 7. Mss. nostri omnes: *recte quidem.* mox duo: *sed te demiror.* unus: *admiror.* Arg. ad *τὸ mane* addit *surrexisse.* glossam scilicet. vs. 11. omnes: *hæc est meretr.* vs. 16. unus: *quasi si is.* vs. 18. duo: *scis ne factum esse.* vs. 19. omnes: *istum serv.* vs. 24. unus: *τὸ invitum* omittit. vs. 32. duo: *at nuncquid exp.* vs. 33. omnes: *illius* pro *hujus.* vs. 43. duo: *in illum.* vs. 48. unus: *nunquam commodius quam nunc h. a. l.* Bœclerus.

1 *Hac illac circumcursa*] *Servus, argentum desiderans, quod dare meretrici possit, tamen hoc quod loquitur, non videtur domino præsenti esse suspectum. Quoniam enim supra dixerat servus, Syrum quasi in Menedemum dolos tendere, uti argentum meretrici per fallacias quæreret, ideo in senem generaliter dictum. Denique hoc suspicatus Chremes, quod si in Menedemum ita fiat, dixit:* Num me fefellit hosce id struere? fortasse ille Cliniæ servus tardus est, ideo noster Syrus hanc provinciam sumpsit, hoc est, istud officium suscepit, ut ipse quærat argentum. *Eugraphius.*

Circumcursa, &c.] Apostrophe ad seipsum. *Farnabius.*

2 *Intendenda in senem est fallac.*] Pro Clitiphone inveniendum erat argentum: itaque in ejus patrem Chremetem intendendam esse fallaciam, Syrus intelligit. Sed Chremes Menedemo hæc parari autumat. πρὸς τὸ θυμῆρες τῆς κωμῳδίας. *Bœclerus.*

Senem, &c.] Chremetem, quod tamen Chremes de Menedemo intelligit. *Farnabius.*

3 *Num me fefellit hosce id struere*] Cum prædixi scilicet Menedemo, scena præced. vs. 62. et seq. Quo enim magis decipitur bonus ille Chremes, eo magis sua sagacitate sibi placet. sicut in Andria Simo. *Bœclerus.*

Num me, &c.] Num me latuit? *Farnabius.*

4 *Est ille Cliniæ servus tardiusculus*] Omnes quotquot sunt l. s. verbum *est* habent post *tardiusculus.* nos tamen scribimus *tardiusculust*, ut versus stet, diphthongo in verbo *Cliniæ* dissoluta, et ex *ille* uno l eliso. *Faërnus.*

Tardiusculus est] Infra v. 34. stolidus est. sc. ad fabricam aliquam fingendam, ad intendendam fallaciam, ad instruendam fraudem. comparatur servorum hinc calliditas, inde hebetudo; sicut in Andria Davi et Byrriæ exemplum habuimus. *Bœclerus.*

Ille servus tardiusculus] Dromo. *Farnabius.*

5 *Provincia*] Negotium, munus quærendi per technas argenti. Metaph. a provinciis Rom. *Idem.*

7 *Te miror, Chreme*] Te valde miror mane vigilare, qui heri tantum biberis. *Eugraphius.*

Sy. *Recte equidem te demiror Chreme*] Aliter habetur in libro Bembino, *recte equidem, sed te miror Chreme:* ut non post *recte,* sed post *equidem* distinguatur, quæ lectio non dubito quin vera sit. *Faërnus.*

Recte equidem] V. Guyet. adjuvatur hæc reticentia vultu, quasi ad negligentiam composito. *Bœclerus.*

Recte, &c.] Nihil. Adelph. act. IV. sc. 5. Æ. *perii.* Mi. *quid est?* Æ. *Nihil. recte: perge.* Farnabius.

8 *Nihil nimis*] Non multum. *Eugraphius.*

Here tantum biberis, &c.] Heri. *Farnabius.*

9 *Nihil narras, &c.*] Guyetus bene explicat. In annotatione Eugraphii ad illud, *forma luculenta,* repetuntur verba Poëtæ, *ita non ut olim, sed uti nunc.* quæ fœde corrupta diligenter transcribunt editores. *Bœclerus.*

10 *Aquilæ senectus*] Aiunt aquilam in senectute, quod ei rostri superior pars vetustate et incremento curvata foramen includat, ad cadavera accedere, et sic sanguinem in potum sumere, et quodammodo bibendo vivere. Hoc igitur ait servus domino, quasi bibendo totum tempus hesterna cœna exegerit; visa vero est quasi 'aquilæ senectus.' *Eugraphius.*

Aquilæ senectus] Adulatorie gratulatur hero hilaritatem a vino, quod Plato II. de Legib. interdictum pueris ad annum usque 18. indulsit senibus, ut redire ad juventutem videantur, molestiarum obliti. Interpretes ad bibacitatem senum referunt, ut qui potu magis alantur quam cibo, non secus atque aquilæ, quæ, rostro per senium adunco, prædæ carnibus vesci cum nequeant, sanguine epoto victitant. Aristot. lib. IX. nat. animal. Plin. l. X. c. 3. Alex. Aphrodis. l. II. probl. 127. *Farnabius.*

12 *Forma luculenta*] Non solum commoda et faceta mulier, et speciosa forma: ita enim ut olim seduci nunc sane bona. Hic intelligi datur, quod senex sciat eandem ante fuisse castam, ante pauperem, nunc vero, meretricio more viventem. Ideo adjecit servus, non quemadmodum antea bona, sed uti nunc sibi ipsi compararetur, sane bona. *Eugraphius.*

13 *Non ut olim, &c.*] Non ut in flore ætatis. *Farnabius.*

Clinia, &c.] Persuadere vult Chremetem, hanc Amasiam esse Cl. *Idem.*

15 *Avidum miser. atque arid.*] Vide Chrestomath. *Bœclerus.*

16 *Vicinum hunc, nostin'? at quasi is non divitiis*] Postrema syllaba in *divitiis* vanescit per synizesin. *Faber.*

At quasi is non divitiis abundet] Ex more inopiam male meritis adjecit. *Eugraphius.*

Quid? ego nesciam] Ut facilius servum dominus incitare posset, quod cupiebat servo adjutorem eum esse, ad tendendam in Menedemum fallaciam propter argentum, fingit se irasci servo Cliniæ, *Hominem,* inquit, *pistrino dignum.* Cui jungitur, *qui passus id fieri?* Callide servum, tanquam ignoret quid fieri debuisset, incusat, ut majorem suscipiat voluntatem. Qui

fallendi dominum hunc ipsum cum * denique sibi hoc præparans, sic postea dixit: 'Laudas qui heros fallunt.' *Idem.*

19 *Pistrino dignum*] Servorum supplicio. Andr. act. III. sc. 4. *Farnabius.*

Istum servulum] Liber Bembinus *istunc servolum.* Faërnus.

Servulum] Dromonem. *Farnabius.*

20 *Syre tibi timui male*] Ad spectatores versus, secum hæc, more Comico. *Bœclerus.*

Syre tibi, &c.] Aversus, apud se hæc Syrus. *Farnabius.*

21. 22 *Quid faceret? aliquid reperiret, fingeret fallacias*] Quid facere debebat? debebat aliquid reperire, debebat fallacias fingere. *Bœclerus.*

24 *Atque hunc difficilem invitum servaret senem*] Hic enim color adjiciendus fuit, qui mox amplius tractatur; ne improbius loqui senex videretur. quasi, quicquid in talibus peccatur, utilitate ejus, qui decipitur rependeretur. sive: non posse aliter nonnullos, quam decipiendo juvari. *Bœclerus.*

25 *Garris*] Vernili libertate in speciem assumta. Plautus plene: *nugas garris,* Curcul. v. 2. 6. contradicentis: non enim audebat Syrus credere aliter, quam deludi se ab hero. captat uterque et captatur in hac scena. *Idem.*

Garris] Nugaris, aliud atque loqueris sentiens. *Farnabius.*

Oportebant Syre] *Quæ assolent, quæque oportent.* Andr. act. III. sc. 2. *Idem.*

26 *In loco vero laudo*] Bene adjecit, ne perpetuam male faciendi licentiam servis daret. *Eugraphius.*

In loco] Non semper et in omnibus; verum quandoque et circumstantiarum opportunitate observata. *Farnabius.*

27 *Quippe quia magnarum*] Nam quia fallunt tempore, maximum sæpe remedium est, ne gravior ægritudo videatur. *Eugraphius.*

Quippe quia] In libris antiquis est, *quippe qui;* et huic dictioni hæc adscripta sunt in Bembino: *Parelcon: abundat qui.* nos vero eam dictionem etiam alibi invenimus, idem significantem quod *quippe.* Plautus in Aularia: 'Horum tibi istic nihil eveniet, quippe qui ubi quod surripias nihil est.' *Faërnus.*

28 *Magnarum sæpe remedium ægritudinum est*] O. l. s. *id remedium.* Id.

30 *Jocone an serio illa*] An consilio isthæc dicat, an joco, intelligere non possum: unum tantummodo intelligo, quod mihi ad hoc, quod disposui, cumulat voluntatem. *Eugraphius.*

Jocon' an serio illæc dicat nescio] Iterum ad spectatores conversus, secum loquitur. *Bœclerus.*

Jocone an serio illa] Hæc aversus, apud se et spectatores. *Farnabius.*

31 *Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis*] Τὸ *quidem* totum sententiæ habitum componit. *nisi,* pro, *nisi quod. quo lubeat magis.* hic ἔλλειψις plus significationi addit, quam verbis demit. quomodo enim allubescat Syro consilium fallendi heros, quodam reticentiæ hujus genio signatur. *Bœclerus.*

32 *Et nunc quid expectat*] Hic jam dum accusat adolescentis servum, hortatur suum dominus, qui ipse hos dolos tendat. Denique adjecit, 'At te adjutare oportet adolescentuli causa.' *Eugraphius.*

Et nunc quid exspectat] Hoc illud erat, cujus causa colorem illum induxit. volebat decipi Menedemus; atque ut mature deciperetur, negotium Chremeti dederat. is prehendit Syrum, i. e. ambit, demulcet hactenus; et mox palam exhortatur, ut fiat quod ante dictum est: 'Syrus est prehendendus, atque adhortandus mihi;' id est, comiter inducendus, et subinde cohortatione firmandus, ut subserviat nostro consilio. *Bœclerus.*

Expectat] Dromo. *Farnabius.*

33 *Abeat*] Clinia. *Idem.*

Cum tolerare hujus sumptus non queat]

Cum amicæ sumtuosæ non habebit quod det: si pater avidus et durus nihil suppeditat. ea enim res amatores ad consilium profugiendi aliquo solet adigere, si non est quod dent amicæ. *Bœclerus.*

Hujus, &c.] Bacchidis. *Farnabius.*

34 *Nonne ad senem aliquem fabric.*] Festive hoc auditur, quod senex fallendi senis consilia suggerit, eo tempore, quo ipse decipitur maxime: et quasi alienam causam contra se agit. *Bœclerus.*

35 *At te adjutare oportet adolescentuli causa*] Bene additum: *adolescentuli causa.* ut antea, *servandi senis causa.* ut detraheretur facto pravitas, si eo pertineret. *Idem.*

36 *Facile equidem facere possum, si jubes*] Peritiam suam circa hujusmodi rem declaravit servus: sed dixit, metuere domini voluntatem, et posse se facile, si ipse voluerit imperare. *Eugraphius.*

Facile equidem facere poss.] In occasionem joci comici vertit confessionem suæ nequitiæ: atque ita porro tentat animum heri, jocon' an serio agat. ita enim composita est hæc oratio, ut vel agnoscere vel abnuere posset, quod de fallendis heris dictum est. atque ita propius acceditur ad efficienda destinata. cum enim Chremes laudaret ejus peritiam, (*tanto hercle melior* es, quod *calles* vias ad decipiendum Menedemum et juvandum Cliniam) Syrus denuo experturus heri animum, *non est mentiri meum,* inquit. dixi quod res est, cum callere me rationem fingendi aliquam fabricam dixi. illa ipsa tamen magnifica asseverationis species, *mentiri non est meum,* cum subrisu infertur; ut in figuram verti possit, si usus veniat, quicquid libertatis et asseverationis ostentatur. pergit senex consilio imperium addere, quod expectaverat Syrus: *fac ergo.* tum demum propius tangit senis animum exploratque, sed elegantissima οἰκονομίᾳ; ut prædicere, et denuntiare videatur nihil intelligenti fraudem, quæ nunc ut cum maxime agitabatur. hic nimirum Syrus poterat deinde vere et merito dicere, quod in Andria Davus, cum quid aliud diceret non haberet, hero obnuntiavit: ‘Quasi non tibi renuntiata sint hæc, sic fore.’ et quod sequitur: ‘Eho an tute intellexti hoc assimularier?’ Iterum autem Syro τὸ παῤῥησιαστικὸν pro larva est: ‘At heus tu, facito ut memineris.’ et ne quid ad ornandum mimum desit, etiam sententias loquitur carnifex: ‘Ut sunt humana.’ quod alii nunc accidit, tibi accidere potest. more hominum evenit, si adolescens aliquis amori dat operam, &c. Quæ in sequentibus, sub specie futuri, revera per accuratam apologiam eorum, quæ jam evenerant, tractantur. *Bœclerus.*

37 *Calleo*] Peritus et doctus sum. *Eugraphius.*

38 *Non est mentiri meum*] Infra act. IV. sc. 4. ‘Non mea est simulatio.’ *Farnabius.*

39 *Facito dum eadem hæc*] Jam præparat sibi dominum: monetque ut meminerit, si quando hæc omnia evenerint, sicut humana sunt omnia, ut et filius ejus possit ista perficere. *Eugraphius.*

Ut sunt humana] Syrus apud Senecam: ‘Nam cuivis accidere potest, quod cuiquam potest.’ *Farnabius.*

42 *Non usus veniet*] Non hoc continget, neque fieri potest. *Eugraphius.*

Non usus veniet, spero] Ordinario schemate affectibus theatri vel ad irrisum, vel ad miserationem offeruntur isti errores: quando qui splendide decipitur, sagacem se ostentat; qui periculo proximus est, otiosum se gerit. Chremes hic quam se irrisui obnoxium præbet, cum oculatus in alienis, sibi nihil videt, ne dicam, prævidet? de alieno filio curam suscipit, qui sui mores ignorat. *Bœclerus.*

Non usus veniet] I. e. non eveniet, spero. *Farnabius.*

43 *Neque eo nunc dico*] Bene purgat id, quas immiserat suspiciones, ne vero jam credat adolescentem filium pater talia vel facere vel cogitare. Dixitque se servum ex suspicione ista metuere, quod ejus ætas jam talis, uti, si necessitas ut Chremetem ita ducat et tractet, quemadmodum nunc senex videtur hortari. *Eugraphius.*

Neque eo nunc dico quod quicquam illum senserim] Liber Bembinus, *quo quicquam.* Faërnus.

Quo quicquam illum senserim] Callide utitur ἐλλείψει. etiam in sequentibus: *sed, si quid, ne quid.* ubi oratio vultu et actione suppletur, non sine specie fiduciæ et securitatis assumta. non eo nomine, ea causa hoc dico, quasi quicquam senserim filium tuum hujusmodi rerum cogitare, aut tales sibi in animo parare cupiditates: sed ideo tantum, ut, si quid forte ejus generis præter spem nostram eveniret unquam, ne quid ægre feras tum, aut mireris, filio tuo me adjutorem esse, sicut nunc Cliniæ amori subservire me jubes. si legatur: *in illum,* subintelligit Nannius: *in illum competere.* Bœclerus.

Illum senserim] Quo quidquam tale in illo senserim. *Farnabius.*

44 *Sed si quid, ne quid*] Sed si quid tale evenerit, ne quid gravius feras. quam obnoxia istis rebus sit illius ætas, vides. *Idem.*

45 *Et næ ego te, si usus veniat, magnifice, Chreme, tractare possim*] Joco diluit, in quibus tam serio videri potuit ὑπεραπολογεῖσθαι. Nannius magnifice in Calphurnium invectus, sensum tantum hujus loci, phrasin non magis quam ille explicat. *tractare,* est διαχειρῆσαι, ψηλαφῆσαι. ita figulus lutum, plastes ceram tractat et inter manus versat. hinc transfertur ad ea, quæ consilio, et ratione versantur sive agitantur: et in utramque partem significat. optimus nobis interpres Terentius ipse: Heant. I. 1. 101. ‘Puto illum obsequentem, si quis recte aut commode tractaret.’ et vs. 49. ‘Cœpi animum ægrotum adolescentuli, non ut decuit, tractare sed ut.’ act. III. sc. 3. vs. 125. ‘hæc arte tractabat virum.’ Ita hic: *possim te magnifice tractare.* non sine quadam ironia. præclare calleo, quo pacto animum tuum tractare debeam, ut decipiaris scilicet. nam ipsum, *tractare,* non significat illudere aut fallere: sed a consequenti, qui perite tractat animos hominum, facile fallit. *magnifice tractare,* id est quod, *arte tractare.* quo scopo id fiat, ex contextu intelligitur. itaque frustra sunt, qui *magnificam* nescio quam tractationem hic requirunt. quis enim nescit, *magnifice, splendide, præclare, luculente,* non infrequente figura in iis rebus dici, quæ perite fiunt, atque ut opus est, ex arte aut regula. Plautinus locus in Milite II. 6. 10. 30. nullo modo huc comparari potest. servus ibi *tractavit* mulierem, i. e. manu injecta arripuit in ædes tracturus: ut ex scena præcedente constat. *tractata* ergo *hospita* est ibi, quasi raptata, vi arrepta, tracta. nullus circumventioni locus. nam quod additur, *ludificata,* descriptionem injuriæ significat. *Bœclerus.*

Et næ ego te, &c.] Neque indigneris, si, ubi tale quid evenerit, ego te magnifica aliqua et insigni techna excipiam. *Farnabius.*

46 *De isthoc cum usus*] Si quid tale contigerit, tunc videbimus, quod necessitas coget facere. *Eugraphius.*

48 *Nunquam commodius unquam*] Observandum, *nunquam unquam.* Fab.

49 *Ne quum male facerem*] Nisi cum me senex adhortatur. *Idem.*

Nec cum malefacerem, cred.] Muretus detraxit literam, facilioremque fecit sententiam, legendo, *malefacere.* Sed libri scripti constantissime præferunt τὸ *malefacerem.* Constabit sic quoque sensus, si subaudias τὸ *ubi,* aut aliquid simile. nam et illa Mureti

lectio opus habet aliquo supplemento, in ellipsi comica. Integra oratio ordine ad mentem Mureti hæc esset: *nunquam commodius unquam herum audivi loqui, nec* unquam fuit tempus *cum crederem, mihi licere impunius malefacere.* juxta lectionem Codicum: *nec* unquam fuit tempus, quo (vel, ubi) *crederem impunius mihi licere* id facere, *cum male facerem.* Bœclerus.

Scena iii. Satura est, ex metris Trochaicis et Iambicis tetrametris acatalecticis et catalecticis, et dim. Iamb. vs. 4. Mss. nostr. unus: *qui nisi abstin. man.* vs. 10. unus, *putat*, pro *pater*. vs. 11. τὸ *hinc* omnes omittunt. vs. 15. omnes: *piget.* vs. 19. omnes: *hominis frugi et temperantis sis functus officio.* vs. 21. duo: *quin etiam mihi mol. est.* mox omnes: *pergin' h.* vs. 23. omnes: *effero.* vs. 27. omnes: *dicis.* et vs. 20. *isthinc.* vs. 31. duo: *dent.* vs. 32. duo: *observandus est.* unus: *servandus est.* vs. 33. duo: *si sapis.* vs. 36. *dicis inveni. q. n.* unus: *dicis ehem inv.! q. n.* vs. 39. duo: *hoc vide q. i. f.* vs. 40. duo: *mutuo.* vs. 43. duo: *ad ux. t.* vs. 44. omnes: *Clinia erat sibi u. n. d. ill.* vs. 45. duo: *et poscet quidem.* vs. 46. omnes: *dubiumne id est?* vs. 48. omnes: *esse* pro *inesse.* collocatio verborum variat. *Bœclerus.*

1 *Quid istuc*] *Hæc scena locum communem tenet in eum, qui hospitis sui amicum corrumpat. Pater tamen non sicuti cur tanquam communi * at ita respondet filius tanquam negans, ut magis conjecturæ causa sit, quam communis locus. Verum patrem tanquam communem locum dicentem accipiamus hoc primum generaliter cum invidia: deinde cum interrogatus esset, quidnam fecisset, ille continuo non factum sed vere factum protulit, dicendo,* Vidine ego? *ut a probatione exordiretur, et post ostenderet crimen, quod manum adolescens in sinum meretricis inserebat.* Eugraphius.

Ch. *Quid istuc quæso*] Duo primi versus hujus scenæ sunt trochaici tetrametri acatalectici; item sextus, septimus, octavus, undecimus, tertius decimus, decimus nonus, et vigesimus primus. quintus vero dimeter iambicus, eliso ex *quidem* m, quamvis sequente consonante. ceteri his intermixti, trochaici catalectici. sequentes vero, partim iambici octonarii, et unus dimeter: partim trochaici catalectici, ut quidem hi omnes versus in libro Bembino, et aliis ordinati sunt, nam hucusque in impressis aliter habent. *Faërnus.*

Quid istuc] Senex a sermone Syri digressus, cum primo ingressu in ædes suas deprendisset Clitiphonem licentius se gerentem apud Bacchidem, quam adhuc Cliniæ amicam esse credebat, regreditur, eumque sevocat, atque cum eo injuriam hanc, quasi amico et hospiti factam, expostulat. *Bœclerus.*

2 *Manum in sinum huic meretrici inserere*] Liber Bembinus *ingerere*, quod mihi æque placet. *Faërnus.*

Manum in, &c.] Ἅπτεσθαι μαστῶν. Aristænet. lib. I. Epist. 9. *Farnabius.*

3 *Inserere*] In Ms. *ingerere*, apud Faërnum. *Faber.*

Acta hæc res est] Syrus servus credit senem invenisse filium amare meretricem, quæ res antea per dolum cœlabatur: ideo vehementer metuit. *Eugraphius.*

Acta est, &c.] De me actum est, adeoque re tota inquit Syrus, metuens ne compertum haberet, ex salaci illa manu, Chremes, filii sui amasiam esse Bacchidem. *Farnabius.*

4. 5 *Facis adeo indigne injuriam illi, nam istæc quidem contumelia est*] Accusando amplificavit crimen, injuriam *indignitate* et *contumelia* describens: et postea singillatim explicans, quod amico, quod hospiti, quod præsenti facta esset. *Nam isthæc quidem contumelia est*, ad formulas solennes accedit. sic: *ista quidem vis est.* Hoc unicum est licentius factum ab amatore meretricis, quod sibi permisit Terentius in scena, non tamen ostendere, quod Plautus fecit, sed narrare: non quidem eo sensu, quem Eugraphius et ex eo alii, quadam libidine obscœna requirendi, arripuerunt, sed quo rectissime Guyetus explicat. Alias pudentius etiam: 'Cœpit ad scortum alludere.' in Eun. *Bœclerus.*

5 *Isthæc quidem contumelia est*] Supra quidem *injuria* dixerat, verum adjecit *contumeliæ sunt.* Est enim injuria, quasi cum violentia aliquid in corpus efficitur: contumelia vero, cum præter violationem corporis est. Et violatio opinionis, *ejus amicam subagitare.* Hoc est crimen quod supra posuit. *Subagitare* autem perfectionem ipsam libidinis intelligimus. *Eugraphius.*

Hominem, &c.] Contra jus hospitii. *Farnabius.*

7 *Vel heri in vino*] Hoc ex antecedentibus argumentum colligens dixit: 'Novi ego amantium animos, advertunt graviter quæ non censeas.' Ita enim mos est amatoribus: ampliora suspicantur, quam tu haud poteris suspicari. *Eugraphius.*

Vel heri in vino] Omnes nostri Mss. ita habent. in Argent. ascribitur in margine: *al. in convivio.* Bœclerus.

Factum est] Testatur et hoc contra herilem filium ipse Syrus, quo se insinuet magis in gratiam heri: 'Quam suspiciosi sint, neque æmulum ferre possint.' *Farnabius.*

8 *Ut equidem metui quid fut.*] Facit consensus codicum Mss. ut tueamur, præ Guyeti emendatione, hanc lectionem. *ut* hic est *quantum quam:* sicut recte Calphurnius explicat. Interpunctio talis esse debet: *Vel heri in vino, quam immodestus fuisti! S. factum. quam molestus! Ut equidem, ita me Dii ament, metui, quid futurum denique esset!* continuatione τοῦ πάθους in oratione Chremetis. *ut metui!* quantus me metus incessit! *Bœcl.*

At mihi fides, &c.] At mihi tantum habet fidei Clinia, ut nihil a me hac in re metuat. *Farnabius.*

11 *Esto. at certe*] Hic mandat pater, ut discedat a domo filius: aliter enim negat fieri posse, ut impudentia adolescentis comprimi possit. Dicit enim multa libidinem velle, eamque sub cujusque præsentia se minus audere complere. *Eugraphius.*

At certe, &c.] Utcunque volo ut ex domo mea secedas ad tempus. Visu læditur tua castitas; tui conspectus illius libido. *Farnabius.*

13 *Ego de me facio*] Hoc est, ita ex me suspicor: nam nemo est amicorum, apud quem universa velim exponere, atque narrare ea, quæ occulta habeo. quippe aut in summa honestate amicus, et id quodcunque cogito, ejus dignitate deterreor ne indicem: aut ipsa certe res, propter sui turpitudinem, eam narrationem comprimit. Hoc est quod dicit, ipsius facti pudet; ne ineptus; ne protervus videar, si cum eo loquar, qui habet maximam dignitatem. *Eugraphius.*

Ego de me facio conjectur. &c.] Huic ῥήσει, ad diligentiam cottidianæ consuetudinis et familiaritatis in vita commendandam, Poëta quæsivit locum. pervulgatus enim error, quasi inter familiares et æquales nihil pensi aut moderati habendum sit, quid fiat dicaturne, revincendus fuit. sine verecundia et modestia nihil rectum esse potest, in quocunque convictionis genere, aut tempore. cavendum ergo, non tantum, ne Cynicus videaris, sed, quod electiori loquendi sentiendique formula præscribit Poëta, 'ne ineptus, ne protervus habeare.' *Bœclerus.*

Apud alium, &c.] Apud alium prohibet gravitas, et auctoritas, ne protervus videar, apud alium pudor, ne videar ineptus. *Farnabius.*

16 *Quod illum facere credito*] Hic locus ex iis esse potest, qui de figura comica, totam aliquam orationem

uno pronominis complexu includente, abunde testari potest. *quod illum facere credito*, i. e. ut tua præsentia impediatur libertas ejus. ut abstineat iis, quæ animus fert. *hoc ille facit.* i. e. non audet omnia sua occulta exprомere. *Bœclerus.*

17 *Utcunque, &c.*] Pro re, loco, tempore, personis morem gerere. *Obsequium amicos*, adversari aliis, *odium parit.* Farnabius.

18 *Quid istic narrat*] Quæ Syrus huic jurgio patris adversus filium interfatur, parum in expedito sunt. vs. 3. 'acta hæc res est, perii,' secum loquebatur, metuens consilio suo et instructæ fraudi. Nunc, *quid isthic narrat?* ita videntur accipi debere, ut venditet Syrus suum officium seni, et increpationem ejus adjuvet: sicut sequentia amplius ostendunt. quasi diceret: *quid istic* (Clitipho) *narrat?* quid respondet ad hæc? quid habet quod dicat? unde Clitipho: *perii.* i. e. etiam hic me urget? etiam hic contra me stat? cumque nihilominus Syrus pergeret, rogat eum ut taceat: *tace sodes.* Alii ad Clitiphonem ista dici putant: *quid istic narrat?* ut sit, cum vultu ὑπομμμνήσκοντος: audis, *quid istic* (pater tuus) *narret?* an non dixi, hoc esse futurum? Rursus alii, Syrum loqui secum, volunt. Quod quidem minimam ἔμφασιν videtur habere. certe quæ sequuntur, clare dici, et Chremete audiente, nihil est quod dubites. ita autem acceperim: *Clitipho, hæc ego præcipio tibi? hominis frugi et temperantis functus officium!* i. e. an hæc ego præcepi tibi? ita ne memor es præceptorum meorum? jactat enim Syrus sua officia, ut cognominis ille in Adelphis v. 9. 6. *docui, monui, bene præcepi semper quæ potui omnia.* Subjicit nunc exprobratione εἰρωνικῇ: *hominis frugi* scilicet *et temperantis functus es officium.* q. d. minime tu quidem fecisti, quod hominem frugi et temperantem, ad quod exemplum te semper formare studui, par erat facere. Sequitur Clitiphonis oratio: *tace sodes*, qua ad Syrum versus, ne augeat molestias, precatur. Respondet Syrus: *recte sane.* quod quidam ironice accipiunt, sicut dicere solemus, *heia vero.* Alii: *recte sane*, scilicet a me dictum est. merito te reprehendi. placet prius. Jam Chremes, Syrum appellat, satis familiariter: *Syre pudet me.* filii causa scilicet. Prompte Syrus reponit: *credo, neque id injuria: quin* (sub. etiam) *mihi molestum est.* q. d. ego juxta tecum hoc ægre fero. ad quem iterum Clitipho conversus dolenter: *pergis hercle.* ubi *perdis* alii legunt. præferam tamen *pergis*, quod in plerisque est libris Mss. ita melius quadrabit, quod sequitur Syri responsum: *verum; dico quod videtur.* i. e. omnino pergo, et *dico quod videtur.* loquor, ut sentio. Syrus enim, ut mimo serviret, per totam hanc scenam adversari videtur Clitiphoni. *Bœclerus.*

19 *Hominis, &c.*] Ut hominis frugi et temperantis functus officio. sed interrumpit illius sermonem Clitipho, nec audire vult ipsius consilium, quo velificare voluit mandato patris, ut e domo aliquantisper concederet aliquo. *Farnabius.*

22 *Hercle verum dico, quod videtur*] Aliter lego, *Hercle vero, dico quod videtur.* ut mox in fine hujus scenæ. *Fab.*

Una, &c.] An hæc tantum via est accedendi ad eos, ut te immisceas ipsorum amoribus? *Farnabius.*

23 *Actum est; hic prius se indicarit quam ego argentum effero. Chreme*] Liber Bembinus pro *effero* habet *effecero.* quod quanto melius sit, neminem arbitror non videre. nam *effero* nullo modo quadrat, cum necdum argentum esset in promptu, ut posset efferri. *effecero* autem exponendum, confectum reddidero. præterea idem liber Bembinus et aliquot alii ita digerunt hos versus: *Actum'st: hic prius se indicarit, quam ego argentum effecero.* Faërnus.

24 *Vin' tu homini stulto auscultare mihi*] Quemadmodum in proverbio est: mihi si vis, stulto homini auscultare licet, hoc est, obaudire. *Eugraphius.*

Chreme vin tu homini stulto mihi auscultare? CH. *quid faciam?* SY. *jube hunc*] Sed in *quam ego* non fiet elisio: et in *Chreme* posterior syllaba corripietur. *mihi* vero monosyllabum erit. *Faërnus.*

Vin' tu homini stulto mihi auscultare] Obedire, consilium meum sequi. Veteres distinxerunt ita. Cæcilius: 'Audire, ignoti quod imperant, soleo, non auscultare.' Pacuvius: 'His Magis audiendum, quam auscultandum censeo.' *Bœclerus.*

28 *Dii te, &c.*] Et cum dicto exit Clitipho, Syrum exsecratus; hic illum prosequitur monitum ut exinde manus libidinantes comprimat. *Farnabius.*

29 *Istas Posthac comprimito*] Quoniam pater dixerat, vidi ego te manus modo meretrici huic in sinum inserere, ideo servus ait, istas ergo manus comprimito tibi. *Eugraphius.*

30 *Censen' vero*] Subblanditur domino per obsequium servus, cum de adolescente quasi quendam metum habere se dicit: Vide jam, inquit, qualis sit: qualem futurum putas, nisi eum, quantum tibi facultatis numina concedunt, servas, mones, atque castigas? *Idem.*

Censen' vero] Eugraphius de blandimento servi ad herum, et quadam quasi προθεραπείᾳ ejus quod dicet, accipit. Guyetus feliciter, ut arbitror, personas distinguit. *Bœclerus.*

31 *Castigas, mones*] Increpas, reprehendis. *Farnabius.*

32 *Atqui nunc, here*] Bene præsens tempus in metu ponit, ut ille sciat, jam filium, nescio quid, moliri. *Eugraphius.*

33 *Minus minusque*] Et hoc pulchre videtur adjectum, quo si qua in culpa inventus fuerit filius, continuo jam videatur servus purgatus, quod ejus imperium filius contemnat. *Idem.*

Mihi jam, &c.] Videtur Syrus pædagogus, i. pueri custos et ductor, fuisse Clitiphoni. *Farnabius.*

35 *De fallacia dicis? st. inveni q. n.*] Vide omnino Franc. Fabricium et Guyetum. *Bœclerus.*

36 *Quandam nuper, &c.*] Fingit veterator succurrisse sibi fallaciam, nondum tamen certam et compositam. *Farnabius.*

37 *Verum ut aliud ex alio*] Hoc videtur obscurum quidnam sit, sed ex his quæ consequuntur, manifestum fiet. Nam interrogatus a domino quid esset, respondit: *pessima hæc est meretrix.* Ita quod hic pessime de meretrice pronunciatum est, supra contrario dictum, *commoda et faceta hæc est meretrix.* Ergo jure dictum, *aliud ex alio incidit.* Eugraphius.

Verum, ut aliud ex alio incidit] Id est, non conserto ordine narrationis, sed ut quidque in mentem venerit. dum enim metuit, senem non admissurum omnia, quæ parabat loqui, non vult videri meditato agere. Notæ sunt artes tergiversationis servilis in hoc genere: longum esse; non posse omnia simul dicere; et similia. Eugraphius magna diligentia hic nihil agit. *Bœclerus.*

38 *Immo si scias*] Vidit dominum servus quasi consensum commodasse, non quo verum indicium de meretrice * ideo adjecit, 'Vide quod inceptet facinus.' *Eugraphius.*

Immo si scias] Hanc ἔλλειψιν non aliunde debemus supplere, quam ex ipso Terentio: immo magis dicas, (quod dixisti sc.) si scias. *Bœclerus.*

39 *Fuit quædam anus*] Hoc consilium dicit se servus adversus Menedemum sumpsisse, quo possit pecuniam ab eo exprimere, quæ meretrici daretur. Verum hoc consilium in hoc provenit, ut prosit vehementer Clitiphoni. Namque fingit nunc Antiphilam, quæ amica sit Cliniæ, apud

meretricem ac quandam anum Corinthiam arrhabonis nomine collocatam: et nunc velle ad Menedemum pergere, ut ab eo pecuniam accipiat, quæ data sit pro puella: ut si eandem redimeret, maxima inde lucra possit accipere. Sed hoc displicet domino consilium. Verum provenit ad adventum futurum. Nam cum cognita fuerit, quod filia sit Chremetis, jam fiet necessarium, uti meretrici hoc sine Chremete debeatur argentum. *Eugraphius.*

40 *Huic drachmarum hæc argenti mille dederat mutuum*] Aliqui *mutuo.* Sed antiquos dixisse, mutuum dare, accipere, erudite disputat Cl. Gronovius de Sestertiis lib. III. cap. 1. *Bæclerus.*

42 *Arrhaboni*] Pignori. *Eugraphius.*

Arrhaboni, &c.] Arrhabo est particula pretii, quæ velut in antecessum datur, ut sit pignus eruptionis *an earnest-penny.* Agel. lib. XVII. c. 2. *pignori* exponunt interpretes: quibus non subscribo; neque enim convenit summa. *Farnabius.*

43 *Ad uxorem tuam*] Apud uxorem tuam. *Idem.*

44 CH. *Quid tum?* SY. *Cliniam orat, sibi uti nunc det; illam illi tamen Post daturam mille numum poscit*] Sensus: hæc meretrix Cliniam orat, ut sibi nunc det id argentum, quod ipsa mutuum dederat anui illi Corinthiæ: illam enim puellam, quæ relicta est arraboni, post daturam illi, id est, Cliniæ, mille nummum. Quid vero hic significet verbum *poscit,* non sane ex grammaticis liquet. ratio tamen sensusque cogit, id intelligi pro, pollicetur, aut offert. *Faërnus.*

Quid tum? S. *Cliniam, &c.*] V. Faërnum p. 98. editionis Juntinæ. *Faber.*

CH. *Et poscit quidem*] Alii *poscet,* legunt. Sed utroque modo hoc mihi non satis clarum. *Faërnus.*

Cliniam orat, sibi uti id n. d.] Cui Guyeti annotatio non satisfaciet in obscurissimo hoc loco, illi de ceteris nihil est quod sperem approbari posse. Interpunctio hæc est facienda: *Cliniam orat, sibi uti id nunc det; illam illi tamen Post daturam. mille nummum poscit.* CH. *et poscet quidem.* S. *hui.* *Dubium id est?* CH. *ego sic putavi. quid nunc facere cogitas?* Ad hunc modum corrigenda est nostra editio, in qua Typographorum incuria distinctio turbata est. τὸ *poscet* etiam in Mss. vide supra. *Bæclerus.*

Cliniam orat, &c.] Meretrix Cliniam orat, ut sibi nunc, i. e. præsentis pecuniæ, det id argentum, quod ipsa mutuum dederat anui illi Corinthiæ: illam autem puellam, quæ arrhaboni relicta est, post daturam illi. i. e. Cliniæ mille numum poscit. h. e. promittit, spondet. sic Faërnus. aliter Nannius Miscel. II. c. 2. Fr. Fabricius legit, *illi tamen post daturum mille numum, poscit:* hoc sensu: nam cum Clinia sibi filiam, arrhaboni relictam, ita dari peteret, ut diceret, se meretrici tamen, ne omnino gratuitum donum foret, post mille numum daturum; Syrus fingit, meretricem id jam poscere. *Farnabius.*

49 *Erras. quid ita? pro Mened.*] Hos versus quatuor Guyetus delet. Sed certum est, scenam hanc ita abrumpi non posse. itaque saltem ultimus versus erat relinquendus, quo significaretur, colloquium Chremetis et Syri interventu personæ egredientis abrumpi. Qui volunt et ceteros retinere, illi aliter sane accipient, quam Guyetus putavit, ab interpolatore acceptos. id enim, sicut recte monet, *οἰκονομίαν* argumenti confunderet. Sententia Chremetis plane fuerit incerta; quæ ne divinari quidem possit. cum enim se ad dicendum is composuisset, abrumpitur colloquium. quidvis ergo potius, quam de Antiphilæ agnitione loqui voluisse Chremetem, existimes. τὸ *mane,* est sermonem comprimentis. *Bæclerus.*

50 *Optata loquere, &c.*] Εὐφήμει. bo-

na verba. *Farnabius.*

51 *Non opus est*] Id quamobrem? Hoc ad illud consilium referri debet, de quo superius: 'Cautim et paulatim dabis.' at hæc summa nimia erat. *Faber.*

Non opus est? non hercle vero] Ita act. IV. sc. 4. 'Non hercle vero.' Notabis, qui Terentium amas. *Idem.*

52 *Mane mane. quid est quod tam a nobis graviter crepuere fores*] O. l. s. *crepuerunt.* ita optime stat trochaicus, correpta priore syllaba verbi *mane,* ut sæpe alibi: vel ex *quid* d eliso. *Faërnus.*

Mane, mane, &c.] Andr. act. IV. sc. 1. *Farnabius.*

ACTUS IV.

SCENA I. Tetrametris constat, primum Iambicis Acatalecticis; postea Trochaicis catalecticis. vs. 3. Mss. nostri omnes: *ubi mihi ostendisti.* vs. 4. omnes: *at vide ut sat.* vs. 6. duo: *hic ego virum jam interea opperibor.* vs. 9. omnes, *hem,* bis. vs. 11. omnes: *vis.* vs. 12. *portet.* vs. 13. omnes: *et mihi te maximopere interminatum.* vs. 17. omnes, *tantamne.* unus, *inscientiam.* vs. 18. omnes addunt τὸ *at.* duo: *at rogitas?* unus: *at rogas?* vs. 31. duo: *nunc te obsecro.* vs. 32. duo: *tanto ignoscentior.* unus: *ignoscentior tanto.* vs. 33. τὸ *in* omnes omittunt. vs. 38. unus: *extruho.* vs. 41. omnes: *adolescentula.* vs. 43. omnes, *anulum,* pro *animum.* vs. 46. unus: *pre gaudio interii.* Bœclerus.

1 *Nisi me animus*] *Hæc scena tenet maximam controversiam; quippe maritus, dum gravidam videret uxorem, mandavit, ut puellam si peperisset, extingueret. Mater puellam peperit, et exposuit: quæ cum exponeretur, anulum dedit. Inventus est apud quandam puellam anulus; interrogatur unde sit: illa respondit ipsum esse cum quo esset exposita. Hoc cum cognovisset senex, agnitam puellam quam extingui jusserat, ream facit uxorem, quod adversus edictum suum fecisset. Hic primo venialis est status.* Feci: sed pietate feci. *Ergo primo inter se loquuntur, an ipse anulus sit, cum quo exposita sit filia.* Eugraphius.

Annulus, quem ego suspicor] Portentosos fœtus abjicere aut necare, tanquam prodigia, intererat Reipublicæ. mox etiam mutilos aut illegitimos. eo tandem processerunt *ἀστοργίας,* ut et liberos nec mutilos nec illegitimos exponerent, vel morti, vel misericordiæ. ut dictum ad act. IV. sc. 6. Eunuch. Ita expositis apponebantur una *ἐπίσημα,* unde agnosci possent, si qua gratior iis arrideret fortuna: hæc *γνωρίσματα* vocabant. erant vero aurum, monilia, annuli, pretiosa quædam, ut si quis eos tolleret, suppeteret educationis præmium; si moreretur, sepulturæ sumptus. *Farnab.*

2 *Is qui cum exposita est gnata*] Vide Chrestomath. voc. Expon. *Bæclerus.*

3 *Quid est? is ne tibi videtur?* N. *dixi equidem ubi mihi ostendisti ilico*] Versus hic hoc modo stat, ut *mihi* in unam syllabam contracto, et per synalœphen eliso, item eliso s ex prima syllaba dictionis *ostendisti,* in sede sexta sit anapæstus. *Faërnus.*

4 *At ut satis contemplata*] Sed ut satis integre pleneque perspexeris, nutrix mea. *Eugraphius.*

At ut satis contempl.] Sub. vide. quod Mss. nostri addunt. *Bæclerus.*

5 *Abi jam nunc intro*] O. l. s. *abi nunc jam intro.* ita erit iambus, qui aliter esset pyrrichius. *Faërnus.*

8 *Magno cum conatu*] Magno cum impetu unaquæque pronunciat. *Eugraphius.*

Ehem! mi vir] Hinc exordium sumptum, quod ab obsequio cepit,

ut benevolentiam comparare possit. Deinde adjectum quod purgationis loco ponitur, quæ res ad veniam pertinet, quod tamen adhuc principium sit, ‘Primum hoc te oro, ne quid credas, me adversus edictum tuum.’ Denique sic adjunctum ex persona servi: ‘Nescio quid peccati portet hæc purgatio.’ Finit principium: narratio supponitur: ‘Meministin’ me esse gravidam, et mihi te maxumopere dicere, Si puellam parerem, nolle tolli,’ &c. *Idem.*

10 *Primum hoc te oro*] Timentis est hoc exordium. sicut in fine scenæ ostenditur. *Bæclerus.*

Primum hoc te oro] Præmunitio causæ et animi male conscii. sic Parmeno, Eunuch. act. v. sc. 6. *Farnab.*

11 *Etsi incredibile est*] Liber Bembinus, *et incredibile est.* quod si admittimus, per parenthesin legetur. ita trochaicus optime constat. aliter *tibi* in unam syllabam contrahendum: vel ex *ut* t elidendum. *Faërnus.*

12 *Nescio quid peccati portat hæc purg.*] Purgatio ante accusationem arguit malefacti conscientiam. *Farnabius.*

13 *Maxumo opere dicere*] Hanc lectionem et sensus admittit, et ratio versus; qui trochaicus est, ut ceteri; habens proceleusmaticum in pænultima sede. *Faërnus.*

14 *Puellam parerem*] Filias exponebant potius quam filios, ne damno augerentur parentes in educandis iis, elocandis, atque dotandis. *Farnab.*

Tolli] Nutriri, educari. *Idem.*

15 So. *sic est factum.* Sy. *domina ergo erus damno auctus est*] Hæc lectio non videtur procedere, cum infra Sostrata dicat, ‘minime.’ hoc enim dicendo aut negat se sustulisse, quod cum præcedentibus pugnat; aut negat Chremetem damno auctum; quod probabile non videtur, ea dicere, cum ipsa de damno nullam infra mentionem faciat. *Faërnus.*

Ergo herus damno auctus] Nove positum *auctus damno*, quod ei cohæres puella venerit, quam dedit exponendam. Quia supra dixerat senex, ‘Sustulisti.’ idcirco ait, ‘exponendam dedi,’ quo minus videatur esse delictum. Hic jam immutatus vehementer senex, quod exposita puella esset, et exposita adversus edictum. Ita cum impetum generalis accusationis sumpsisset, statim illa ad quæstionem descendit, et statum apertissime collocavit venialem, cum dixit, ‘Si peccavi, mi Chremes, Insciens feci.’ Deinde supponitur plenior accusatio: ‘Id quidem ego, et si tu neges, certum scio, Te imprudentem dicere aut facere omnia.’ Deinde post principium accusationis, subjunguntur omnia crimina, quæ a summo ad imum dicuntur: ‘Tot peccata in hac re ostendis.’ Et proponit sibi quasi quandam quæstionem mulier, quæ contra imperium mariti fecisset, et dicit se hoc pietate et materno egisse animo. *Eugraphius.*

Sic est factum, &c.] Alii, *si sic est f.* v. Franc. Fabric. et Guyet. Casaubonus hunc Poëtæ locum bene comparavit cum illo Theophrasti in charactere μεμψιμοιρίας, sicut Weitzius jam monuit. *Bæclerus.*

16 *Minime. sed hic erat anus Corinthia haud impura: ei dedi Exponendam.* Ch. *o Juppiter tantam esse in animo inscitiam*] O. l. s. *tantamne* habent; sed nos Bembinum sequimur, in quo est vulgata lectio. in ceteris omnes in hanc lectionem consentiunt, quæ et optime versibus servit, qui aliter impediti sunt: ‘Minime. sed erat hic Corinthia anus haud impura: ei dedi Exponendam. Ch. o Juppiter, tantam esse in animo inscitiam.’ *Faërnus.*

Minime. sed erat hic Corinthia anus] Eadem absolvit purgationem, quam inceperat; nihil se contra imperium mariti fecisse: et suspicioni mariti, quæ ponitur vss. 26. et 27. viam præcludere parat. *Bæclerus.*

Haud impura] Pudica et proba. *Farnabius.*

Et dedi] Non sustuli puellam, sed dedi anui exponendam. *Idem.*

17 *O Juppiter tantamne esse in animo inscitiam*] Impetus hic est iracundiæ senilis, ob spretum edictum. ἐπαίρει τὸ πάθος ἐκφωνήσει. longeque plus dicit; *tantam in animo esse inscitiam,* quam si posuisset: *tantamne esse tuam inscitiam.* scil. credibile est, fas est, decet. Inscitiam hanc describit subinde, neglectu juris, et socordia futuri. *Bæclerus.*

19 *Insciens feci*] Suaviter poëta, inscitiam s. inscientiam hic distinguit: quatenus alterum genus ad veniam valet, et propositum peccandi negat; alterum supinæ negligentiæ culpam significat. quæ comice et apposite hic commutantur: quando senex, arrepta occasione vocis, uxorem ait, ‘Inscientem atque imprudentem dicere ac facere omnia.’ περιφράσει τῆς ἀβλεψίας αὐξητικῇ. *Idem.*

21 *Tot peccata in hac re ostendis*] Admirari hic licet exemplum copiæ Terentianæ, in amplificando augendoque. duæ accusationis partes sunt: quod non satis obsecuta esset Sostrata, et quod non satis providisset. at ille multiplicat: ‘Tot peccata in hac re ostendis:’ quasi per singula crimen, et quidem in una re, proderet ac ‘ostenderet,’ sive spectandum omnibus exhiberet, quæ peccasse dicitur. et jam cum apparatu, ut in longa partitione: ‘Nam, jam primum, si,’ &c. ut multa enumeraturus videatur, qui ‘primum’ tam asseverate signat. inde imperia loquitur, quæ ad mentem jubentis obsequi, non interpretando imminuere, opus sit. Adimit præsidia excusationis in utraque accusationis parte. Primum, quod potentius erat, favore animi materni, ingruente alterius criminis accusatione, veluti convolvit; non sine oratorio artificio; tum quod iterum dici poterat, de vita quovis pretio redimenda servandaque, constantissime negat: non ausus tamen, quod ipsum inter artes est, causas tractare; sed, amplificata thesi, frequentibus et affirmantibus verbis: imperitos non capere discrimina rerum expetendarum et fugiendarum; neque eas, uti oportet, comparare. *Idem.*

25 *Spem vitæ*] Scilicet non oportuit simulare re ipsa, sed verbis. Huic respondetur: ‘Quam bene abs te prospectum est,’ &c. Unde epilogorum loco adjunctum est, quantum incommodi consecutum sit. *Eugraphius.*

24 *Misericordia, &c.*] Verum te ad misericordiam movit credo animus maternus. Matrum autem affectus major quam patrum. Quod cum labore fit, magis diligitur, ut habet Aristoteles, Ethic. Nicom. lib. IX. atque ideo matres filios magis amant, quia partus labores iis sunt graves, et certius sciunt prolem esse suam. *Farnabius.*

25 *Quam bene vero abs te prospectum est? quid voluisti? cogita*] Instantius agit, et ironiam interrogationibus cumulat. *Bæclerus.*

26 *Nempe anui, &c.*] Nempe tua atque anus illius proditione reservata est, ut quæstum faceret corpore, vel venialis exponeretur in gravem servitutem. *Farnabius.*

29 *Quid cum illis*] Sensus hic obscuritatem habet, qui talis est: Exposita tibi est filia, suscepta ab ea quæ pudorem filiæ tuæ venderet: sed tu cogitasti, satis esse, dummodo viveret. Ego nunc cogor eam suscipere, sed defendere ejus pudorem non possum. *Eugraphius.*

Quid cum illis agas] Sibi dicit violata filia nullam esse posse vindictam. *Idem.*

Quid cum illis agas, qui neque jus] Hæc ad descriptionem inscitiæ pertinent, quam Sostratæ Chremes tribuit, ut cœpimus dicere; et πληθυντικῶς efferuntur, amplificationis causa. q. d. non potest cum illis disputa-

ri, non possunt erudiri, quorum pectori tanta inscitia inest, quique affectu seu lubidine animi, non ratione et consilio ducuntur. Ita in Eunucho IV. 2. 25. 'Quid cum illo agas?' scilicet, qui talis est. ubi Donatum vide. Eugraphius hunc locum ad eos refert, qui violassent pudorem filiæ; si forte. i. e. magno conatu magnas nugas dicit. *Bæclerus.*

Quid cum, &c.] Quid agat quis cum hisce viris et fœminis, qui neque, &c. *Farnabius.*

30 *Melius, pejus, prosit, obsit*] Donatus hujus generis locutiones proverbiales vocat. *Bæclerus.*

31 *Chreme, peccavi*] Hic jam deprecantis venia supponitur, cum dicit, 'Obsecro: quanto tuus animus,' &c. Quod tuus enim animus ætate major est, pietate, et clementia, stultitiæ meæ debet in tua justitia esse præsidium: id est, aliquid defensionis et auxilii. *Eugraphius.*

Mi Chreme peccavi, fateor, vincor. nunc hoc te obsecro] Singula ad veniam valent, et verbis ac sententiis probe consequentibus dicuntur. Sed qui sequitur versus, 'Quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior,' neque explicari commode, neque connecti potest. etiam si cum Cantero legas, *innocentior.* Bene usus est sua libertate Guyetus; qui non agnoscit pro genuino. *Bæclerus.*

Nunc te obsecro] Post 'nunc,' aliqui libri, inter quos Bembinus, habent pronomen *hoc*, ita etiam versu exposcente. *Faërnus.*

32 *Quanto tuus, &c.*] Quanto tuus est animus annis et experientia prudentior, tanto sit ad ignoscendum pronior. *Farnabius.*

34 *Istuc factum ignoscum*] Hanc quidem veniam tibi dabo. Verum mea clementia multum ad peccata compelleris. *Eugraphius.*

35 *Sed istuc quicquid*] Perempta controversia ad originem res ducitur, facto a generali ad speciale argumento. *Idem.*

Sed istuc quidquid] De exponenda puella dictum; verum qua occasione, quibus indiciis sit inventa, dic tandem. *Farnabius,*

36 *Qua hoc occeptum est causa, loquere*] Qua causa hanc narrationem de exposita filia occepisti. quo tendant illi sermones tui. quid factum sit ergo. *Bæclerus.*

37 *Religiosæ*] Superstitiose sollicitæ. *Farnabius.*

Quam exponendam do] Cum dedissem puellam exponendam, annulum de digito mihi detraho, ut una cum puella exponeretur. Et subjungit causam, si moreretur, ne aliena esse a nostris bonis potuisset. Neque enim liberos etiam mortuos fas erat fraudari bonis. *Eugraphius.*

39 *Ne expers partis esset de nostris bonis*] Ad superstitionem qui referunt, ipsius Poëtæ auctoritatem in interpretando sequuntur: quæ prima nobis esse debet. Eugraphius irrito conatu laborat, quando annotat: 'Neque enim liberos etiam mortuos fas erat fraudari bonis.' itaque nec opus est leges Atticas de hæreditate filiorum, et dote filiarum huc afferre. sicut nec ex diverso *dico* hic pro 'dedico,' 'consecro,' fas est capere. ordo totius loci est: *cum exponendam do* filiam *illi* anui Corinthiæ, *detraho anulum de digito, et dico, ut eum una cum puella exponeret; ne expers partis esset de nostris bonis.* quod ego quidem superstitione feci; 'ut mulieres nos omnes sumus stultæ et misere religiosæ.' *Bæclerus.*

Ne expers partis esse de nostris bonis] Hæreditatem Athenis non adibant filiæ, si essent filii. in dotem tamen dari debebat decima bonorum paternorum pars. Isæus. *Farnabius.*

40 *Istuc recte. conservasti te atque illam*] Εἰρωνικῶς dictum Calphurnius accipit. *Bæclerus.*

41 *Quam Bacchis secum adduxit adolescentulam*] Ab illa adolescentula,

quam Bacchis adduxit secum. *Farnabius.*

43 *Animum non adverti prim.*] Muretus cum præcedentibus ita jungit: *ea servandum mihi dedit anulum. non adverti primum.* ut in nostris etiam Mss. est. *Bæclerus.*

44 *Cognovi*] Mire suo genio indulsit, qui hic annotavit: 'Mirari certe subit sterilitatem Terentii, cujus fabulæ exitum inveniunt per filiarum deperditarum agnitionem, et bis indicio annuli. in hac scena et in Hecyra act. V. sc. 2.' nec sufficit: additur: 'Sed rarum prorsus, quemquam in inveniendo facilem, et in judicando esse.' Rogo, ut, qui Terentium familiarius noverunt, respondeant, quid judicent de hoc judicio. *Idem.*

45 *Nescio, nisi ut ex ipsa quæras*] Solius Bembini codicis auctoritate Faërnus delevit τὸ *ut*, quod in omnibus Mss. codicibus legitur, *nescio, nisi* quod censeo consultum esse, *ut ex ipsa quæras, si* potest *reperiri, unde hunc habuerit.* Idem.

46 *Plus spei video*] Hoc servus cum gemitu dicit: siquidem fieri potest, ut cognoscatur hæc Antiphila, quod filia domini sit. Quo facto vehementer metuit, ne incipiat Clinia amicam suam confiteri, et cognoscat pater quod meretrix amica Clitiphonis sit. Denique ideo dicit, cum nomen dictum esset ejus, cui data esset puella ut exponeretur, 'Mirum ni illa salva est, et ego perii.' *Eugraphius.*

Interii] Syrus hæc propterea dicit, quod videt interiisse spem Menedemi decipiendi, adeoque suum consilium interverti. Sequentia verba, *plus spei video, quam volo,* imperite Calphurnius Sostratæ tribuenda putat: dum non intellexit ἀμφιβολίαν κωμικήν. melius Eugraphius interpretatur. et mox ipse Poëta scen. seq. vs. 4. 'nostra est, si ita est,' sc. ut narrat hera mea Sostrata. *Bæclerus.*

Interii] Non vult Syrus agnosci Antiphilam, priusquam interceperit argentum quod detur Bacchidi. *Farnabius.*

50 *Mirum ni illa salva est, et ego perii*] Antiphila scilicet. *Bæclerus.*

53 *Non licet hominem*] Non licet nobis perpetuam gerere voluntatem, maxime cum res non permittat: ita mutamus cum tempore voluntatem. *Eugraphius.*

54 *Nunc ita tempus est mihi*] Olim in tenui fortuna nolui filiam alere, nunc 'in tanta et bene aucta,' ut 5. scen. hujus actus, gaudeo mihi esse filiam. pro re, pro tempore mutantur hominum animi. *Farnabius.*

SCENA II. Iambici octonarii sunt. vs. 1. duo ex Mss. nostris: *abierit.* vs. 3. duo: *videro.* vs. 5. omnes: *triumpho scilicet me latere tecto et abscedere.* duo ante τὸ *triumpho* ista verba ut glossam inserunt: *qui olim magnas sperassem ex ingenio meo prædas, nunc omnem in latebris spem reponens triumpho.* vs. 6. omnes: *mihi esse erept. tam subito.* vs. 10. duo: *optime est.* unus, *optimum est.* Bæclerus.

1 *Nisi me animus*] *Servus hic vehementer æstuat, quod animadvertit fieri posse ut puella agnoscatur: et ingemit quod sibi multum infortunium adfuturum sit.* Eugraphius.

Nisi fallit me animus] Hinc in plerisque lib. nova incipit scena. *Farnabius.*

2 *Id angustum oppido*] Translatio facta est ab illo, cum periclitatur exercitus, in angustum coactus. *Oppido,* valde significat. *Eugraphius.*

In angustum oppido nunc meæ cog. copiæ] Duo cod. Mss. ex nostris habent, *angusto.* melius est, *angustum.* videturque a sciolo quodam immutata scriptura, qui vocem *oppido* non intellexit. phrasin inter proverbia explicat Erasmus. adde Fr. Fabricium. *Bæclerus.*

In angusto, &c.] Translatio a re militari, ubi exercitus in angustias coactus non sine magno periculo se

expedire valeat. *Farnabius.*

4 *Nam quod sperem de argento*] Liber Bembinus, Victorianus, et Basilicanus, *nam quod de argento sperem.* Faërnus.

Argento] Quo senem ferire et circumducere cogitarem. *Farnabius.*

5 *Triumpho, si licet*] Summum gaudium est, si tutus sine vulnere discedam: hoc est, latere tecto et custodito. Non ergo de argento cogitare debeo, quemadmodum id eripiam, sed quemadmodum tutus ipse discedam. *Eugraphius.*

Triumpho si licet me latere tecto abscedere] Quid vult sibi Calphurnius, cum annotat? 'verba proprie servorum, quotiens vident, se quod inceperant, perpetrare non posse.' quid potest hic servis proprium esse? itaque merito reprehenditur etiam a Nannio. Qui glossam in codicibus Mss. nostris, quam præmisi, adjecerunt, *latere*, ut verbum accepere; unde et copulam ante τὸ *abscedere* infercire illis placuit. Sed nomen est, *latere tecto. abscedere tecto et custodito latere*, sumta a militari re locutio: quod recte Eugraphius, cum sensum hujus loci explicaret, animadvertit. Secuti sunt Nannius, Fabricius, et alii: ad quorum mentem opportuna sunt loca scriptorum, quæ apud Weitzium annotantur. Muretus a re gladiatoria deducere maluit. *Bæclerus.*

Si licet latere tecto abscedere] Continuat in Metaphora a re militari, ubi agmen iniquitate loci vel numero hostium oppressum ab alterutro latere vel tergo, in hastam aut scutum se inclinare solet, quasi frontem hosti obvertere, adeoque tuto ac honesto receptu discedere. *Farnabius.*

6 *Bolum*] Prædam. *Eugraphius.*

Crucior bolum tantum mihi ereptum tam desub. e faucibus.] V. Guyet. et Parœmiographos. Eugraphius erudite: 'Bolum: prædam.' unde Calphurnius: 'translatio ab animalibus, quibus aufertur præda.' Apud Plautum legas, 'tangere bolo' aliquem. ubi interpretes vide. *Bæclerus.*

Bolum] Metaph. ab alitibus, canibus, aut feris prædam captantibus. *Farnabius.*

7 *Quid comminiscar*] Quid argumenti capiam. et est *comminiscor*, invenio vel recordor, cujus simplex in usu non est. *Eugraphius.*

8 *Nihil tam difficile*] Adde verbum, *est*, ex o. l. s. *Faërnus.*

Nil tam difficile est] 'Αλωτὰ γίνεται ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ ἅπαντα. Menander. τὸ δὲ ζητούμενον Ἁλωτόν. ἐκφεύγει δέ τ' ἀμελούμενον. Sophocl. Œdip. T. *Farnabius.*

Quid si hoc] Cogitantis animo, quasi dum multa deliberando quærit, invenit quædam, non placita repudiat. Post id quod sit optimum, invenisse se dicit, ut ad se illud argumentum revocare possit, quod omiserat. *Eugraphius.*

Quid si hoc sic incipiam nunc] Aliqui libri, recentes tamen, non habent dictionem *nunc.* qua sublata procedit octonarius. aliter est trochaicus hypercatalecticus. Bembinus ita collocat, *quid si hoc nunc sic incipiam?* ita et Basilicanus et Victorianus, in quo tamen *nunc* expunctum est. *Faërnus.*

Quid si hoc] Eugraphii verba ab editoribus emendari debuerunt in manifesto vitio. Ita enim scripsit haud dubie Eugraphius, cum præmisisset, eum, dum multa deliberando quærit, quædam invenisse, non placita repudiasse: 'post, id quod sit optimum invenisse se dicit, ut ad se illud argentum revocare possit, quod amiserat.' Scilicet, quantum ad prius consilium, quod in irritum nunc recidebat. nullus hic *argumento* locus. *Bæclerus.*

11 *Illud idem fugitivum argentum tamen*] Omnes fere l. s. *idem illud.* Faërnus.

Fugitivum, &c.] Metaph. dominata. a servo scilicet fugitivo. 'quem retractum ex itinere parens necari jussit.' Salust. *Farnabius.*

Retraham fugitivum argentum] De hoc loco in vol. II. Epistolarum actum est. *Faber.*

SCENA III. Iambici et Trochaici Tetrametri Catalectici sunt, cum senario horizonte. vs. 14. omnes Mss. nostri: *quid faciam mi Syre?* vs. 19. omnes: *noster resc. il.* vs. 35. omnes interponunt *mihi* ante τὸ *eripis.* vs. 37. unus, ut edidimus, nisi quod addit *de.* duo: *parui curas.* vs. 38. omnes, *tandem* pro *ætatem.*

Confer hoc exemplum Cliniæ lætantis, cum Chærea in Eunucho: et vide, quam illa Chæreæ lætitia sit proterva et levis, quippe ob facinus: hæc Cliniæ sincera et honesta, spe innocua exoptati matrimonii. Utraque immodica: sed altera invidiæ exposita; altera favori et indulgentiæ propior. *Bæclerus.*

1 *Nulla jam mihi res*] *Allocutio est Cliniæ exultantis gaudio, quod sua amica sit cognita.* Ita dicit mentem suam oneratam gaudio, ut nulla res possit intercedere, quæ adferat ægritudinem. *Ægritudinem* dixit, pro ægrimonia, id est, tristitia vel infirmitate. *Eugraphius.*

3 *Dedo patri me*] Uti frugalitatem, id est, parcitatem, quam in me voluit, compleam; quippe cum velit eam me habere uxorem, quæ sit honestis moribus, scilicet Chremetis filiam. Unde non mea causa lætor, sed potius ipsius puellæ, quam diligo. *Id.*

Dedo patri me] Patris me imperio et voluntati dehinc submitto. 'Tibi, pater, me dedo, quidvis oneris impone; impera.' Andr. act. v. sc. 3. 'Dare' est quod repetas. 'Dedere' est ad perpetuum. 'Damus' amicis, 'Dedimus' tantum hostibus. *Farnabius.*

4 *Nihil me fefellit*] Hæc quoque pertinent ad explicandum versum 46. sc. 1. hujus actus. *Bæclerus.*

6 *O mi Syre, audistin obsecro*] Liber Bembinus, *audisti.* ita erit iambus in quarta. *Faërnus.*

Qui usque una adfuerim] Scilicet, cum Sostrata marito commemoraret, quæ ad agnitionem Antiphilæ spectant. *Bæclerus.*

9 *Quam ego scio esse honore quovis dignam*] Quid Calphurnio accidit, ut annotaret? 'Amica, etsi impudica est, dum modo amatori placeat, ab eo commendatur, amore eum impellente.' Scilicet opportunum erat, hic de impudicis mulieribus loqui, ubi de Antiphila agitur, cujus pudicitiæ et honestati Poëta tanto studio cautum ubique et prospectum voluit. *Idem.*

Illius, &c.] Antiphilæ. *Farnabius.*

10 *Da te mihi vicissim*] Id est quemadmodum nunc ego verba tua audivi, ita vicissim te mihi da; uti quod necessarium est facias, ne resciscat pater amicam filii sui esse meretricem. *Eugraphius.*

Da te mihi vicissim] Ut modo, in distinctione usitata verborum, 'Do' et 'Dedo.' *Farnabius.*

11 *Amici quoque*] Clitiphonis. *Idem.*

12 *Ne quid de amica nunc senex*] Argentoratensis codex glossam adjicit: *aliud suspicetur.* i. e. ne senex noster de amica Clitiphonis, quæ hactenus dicta est tua, aliud quam dictum est suspicetur. vide, quomodo Guyetus suppleat ἔλλειψιν decore usurpatam. *Bæclerus.*

Ne quid, &c.] Ne quid de Bacchide resciscat Chremes. *Farnabius.*

O Juppiter] Per προσφώνησιν omissis vocibus servi, secum Clinia gaudet. Parum credit sibi contigisse, quod efficitur in gaudio repentino, nisi aliquid procreatur. *Eugraphius.*

O Juppiter! &c.] Suavem hunc fecit ludum Poëta, inter adolescentem, lætitia, et servum solicitudine, correptos. Clinia, qui vix apud se esset insperato ac repentino gaudio, ut Syri orationi operam daret, ægre, et postquam iterasset affectum suum,

quodam quasi jurgio et convitio adigitur. *Bœclerus.*

13 *Antiphila mea, &c.*] Exsultat immodice Clinia, nondum constabat de Chremetis voluntate super nuptiis. namque is mox scen. 5. 'At ego illi neque do, neque despondeo.' *Farnabius.*

15 *Deorum vitam apti*] Πάρισον seu παραβολὴ, quæ sunt species ὁμοιώσεως. se quasi Deum esse asserit, ut in Andria, 'Deorum vitam propterea esse sempiternam arbitror.' *Apti* significat, adepti. *Eugraphius.*

Deorum vitam] Vide Andr. act. v. sc. 5. quæ ad illa Pamphili: 'Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse arbitror,' &c. *Farnabius.*

Adepti sumus] Al. *apti sumus*, ab antiquo 'apiscor.' ut procedat octonarius iambicus catalecticus sine licentia. *Idem.*

16 *Videndum est, inquam*] Persuadet servus Cliniæ, uti secum ducat meretricem ad domum patris, ne si remanserit in domo, facile senex filii amicam possit agnoscere. *Eugraphius.*

19 *Noster resciscet ilico*] Liber Bembinus, *senex resciscet il.* Faërnus.

Senex resciscet illico, esse amicam hanc Clit.] Consilium servi novum, ad augendas turbas, quibus adhuc catastrophe differtur, comparatum. quod priore scena et excogitaverat, et laudaverat, nunc persuadere instituit. *Bœclerus.*

21 *At enim isthoc*] Hæc res mihi videtur esse vehementer contraria. nam quomodo rogabo patrem ut mihi filiam det, si sciat meam amicam esse meretricem? *Eugraphius.*

At enim isthoc nihil est magis, &c.] Eugraphii annotatio mutila est, et supplenda: *Hæc res mihi videtur esse vehementer contraria* meis nuptiis. *nam quomodo rogabo patrem, ut mihi filiam* Chremetis *det, si sciat, meam amicam esse meretricem?* Bœclerus.

22 *Quo ore*] Qua fronte. *Farnab.*

Tenes, quid dicam? quid ni? quid dicam] Quidam sic accipiunt: *tenes, quid dicam?* i. e. tenesne, quid debeam dicere? Sed melius est ita: tenesne, quid velim dicere? scilicet de pudore patris, si ante oculos ipsi adducam meretricem. respondet Syrus: *quid ni?* quidni intelligerem metum tuum? statim ingeminat Clinia: *quid* enim *dicam, quam causam adferam?* quid causæ dicam? Repetitio τοῦ *dicam* a more comico non aliena est; et significatu novatur. *Bœclerus.*

23 *Quin nolo mentiare*] Hoc ex consilio dicit servus uti non mentiatur, sed continuo dicat, illam filiam Chremetis se uxorem velle, et esse hanc amicam Clitiphonis. Sic enim persuasurus est postea domino servus, tale repperisse se consilium, uti a Menedemo filius petat pecuniam, quo quasi dicat, se velle filiam Chremetis uxorem ducere, uti ad nuptias habeat necessaria. Et hoc credat senex propterea adolescentulum petere, quo per fallaciam dari possit: ita ut cum utrumque dixerit adolescens, per fallaciam dicere credatur. *Eugraphius.*

25 *Illam*] Antiphilam. *Farnabius.*

Hanc] Bacchidem. *Idem.*

26 *Bonam atque justam rem oppido imperas*] Bene Calphurnius, εἰρωνικῶς dici notat. Nihil facilius fuerit, quam hoc facere quod imperas, sive postulas. Sed quid deinde futurum est? scilicet tum hoc jubebis, ut, &c. *Bœclerus.*

27 *Ut cœlet senem nostrum*] Nesciens adolescens hoc consilium adjecit. Et fortasse hoc velis, ut cœlet patrem Clitiphonis noster senex, quod ipsius amica sit meretrix. *Eugraphius.*

28 *Senem vostrum.* SY. *immo ut recta via rem narret ordine.* CLIN. *hem*] O. l. s. præter Bembinum, habent, *rem narret ordine omnem*, quemadmodum exigit versus, qui est iambicus tetrameter catalecticus, ut ceteri, si ex *senem* m elidatur, quamvis sequente consonante; aut utique ea dictio in unam syllabam contrahatur. potest et aliis rationibus versus hic sustentari. *Faërnus.*

29 *Satin sanus es, et sobrius? tu quidem illum plane prodis*] Liber Bembinus pro *prodis* habet *perdis:* quod magis videtur convenire cum eo, quod mox sequitur: 'nam qui ille poterit esse in tuto.' *Idem.*

Tu quidem illum plane perdis] Τὸ *perdis* est ex libro Bembino. Quod Faërno placet. Debebat autem editio nostra retinere τὸ *prodis*, quod etiam Mss. nostri habent: et Terentio familiare est illo eleganti significatu, quo idem est, ac perdere. *Bœclerus.*

30 *Qui ille poterit esse in tuto*] Vis est in repetitione verbi, quod antea dixerat Syrus: rem Clitiphonis *in tuto collocandam* esse. *Idem.*

31 *Consilio palmam do*] Id est, maximam victoriam et gloriam mihi concedo, ut verum dicendo ambos fallam. Secundum hoc quod supra diximus, ut non credat senex noster amicam filii sui esse meretricem, etiamsi audierit. Quod fit per figuram διασυρμὸν, quæ est elevatio, quando auditorem vera dicendo in errorem inducit. *Eugraphius.*

Huic equidem consilio palm.] Non frustra commendatur paulo operosius novi ac singularis commenti genus, quo fabula intricanda denuo erat. Hoc ex instituto Poëtæ: quod non dedecet interim περιεργία servilis jactantiæ in his versibus. *Bœclerus.*

Palmam do] Tanquam palmarium sit, vincat et magnifice triumphet. *Farnabius.*

Istam amicam gnati] Narret Chremes Menedemo Bacchidem istam esse amicam Clitiphonis, quam domum ad se per dies aliquot recipiat. Interea aliquid fiet. Vide Argumentum hujus fabulæ, ab Antonio Mureto scriptum. *Idem.*

35 *At enim spem*] Si enim crediderit senex amicam filii sui esse meretricem, filiam suam mihi non dabit. *Eugraphius.*

36 *Nam dum amicam*] Qui potuerunt non animadvertere editores mendum in annotatione Eugraphii: 'Si enim crediderit senex, amicam filii sui esse meretricem, filiam suam mihi non dabit.' Legendum: *si enim non credid. sen.* nam dum illud non credet, putabit, meam esse amicam. *Bœc.*

37 *Tu fortasse quid me fiat parvipendis, dum illi consulis*] Versus trochaicus hypercatalecticus, vel etiam catalecticus, ut ceteri, si ex *quid* d eliso, eaque syllaba brevi remanente, sit dactylus in secunda. *Fiat* vero in unam syllabam contrahatur. *Faërnus.*

Parvi curas] Al. *parvi pendis.* Farnabius.

38 *Quid malum*] Credis hoc me velle simulare. *Malum* autem interjectio nihil significat, sed exclamationis continet locum. Quomodo Cicero pro Scauro: 'Quæ malum est ista ratio.' *Eugraph.*

Ætatem] Diu, in longinquum, sive perpetuum. *Farnabius.*

39 *Pax! nihil, &c.*] Tantum est. sat est. *basta* Hispan. vide act. II. sc. 2. supra. unde Clinia repetit. 'Etiamne? tantum est? sat habes.' *Idem.*

40 *Tantum sat habes*] Repetitur ex oratione Syri, qui dixerat: 'Unus est dies. pax. nihil amplius.' q. d. tantum est. Repetit Clinia: *tantum sat habes?* Sufficit ne tibi hoc? Nondum plane annuit: sed nova dubitatione moras nectit: 'Quid tum quæso, si hoc pater resciverit?' Quam solicitudinem curiosam Syrus proverbio irridet: cumque ne sic quidem Cliniæ satis persuaderet, tandem, 'Metuis?' inquit. i. e. dubitas, incertus es? Quasi vero ullum tibi periculum sit: cui licebit simulationem exuere, quandocunque videbitur. Cunctatio Cliniæ partim honestatis,

partim affectus est: pudori est ei meretrix; et simul concupitis tantopere nuptiis aliquam moram metuit. *Bœclerus.*

41 *Quid si nunc cœlum ruat*] Stultus metus est de cœlestibus metuere. Ergo stulte id in metu et sic ponis, quod fieri omnino non potest. Ut sit argumentum ab impossibili. *Eugraphius.*

Illos, &c.] Qui, tutissimis in rebus, omnia timent, etiam, ne ruat cœlum. Aristoteles Phys. l. v. scribit, priscis illis et rudibus mortalibus persuasum fuisse, Cœlum Atlanticis humeris sustineri, quod si ille subduxisset, fore, ut in terram decideret. Prudentiores illi Scytharum legati ad Alexandrum, qui ab eo rogati nunquid illum non timerent, respondebant, nos certe nihil omnino timemus, 'nisi ne cœlum ruat.' De Phenace quodam videatur Plutarchus lib. de facie quæ apparet in orbe Lunæ. *Farnabius.*

42 *Quasi ea potestas non sit*] Pulchre persuadet ut faciat hoc quod monetur, cum dicit in potestate ejus futurum, quo velit tempore, ut se exsolvat. *Eugraphius.*

Scena iv. Iambici sunt tetrametri Catalectici. vs. 7. unus Mss. nostrorum: *satis Syre promitt. tibi.* In altero eadem lectio adscripta margini visitur. vs. 9. omnes: *homo iste.* et vs. 10. *dexteram.* et vs. 15. *quin ego hic maneo.* et vs. 16. *at scin quid sodes facias?* vs. 17. omnes omittunt τὸ *nunc.* vs. 21. duo: *sequere me hac.* vs. 25. omnes: *hoc paululum lucri.* Bœclerus.

1 *Satis pol proterve*] Satis aspere. *Eugraphius.*

2 *Decem minas*] Propter decem minas. *Farnabius.*

Quod si is nunc me decep.] Ordinem hujus orationis descripsit Guyetus. Suavitatem, quæ ex specie simplicitatis, et repetitione ejusdem verbi nascitur, singularem commentatus est Scaliger Poët. iv. 29. *Bœclerus.*

4 *Aut cum venturam*] Immo potius vero, me esse venturam. *Eugraphius.*

5 *Clitipho cum spe pendebit animi*] Plenior videtur lectio libri Bembini, *cum in spe,* ut sit ordo, cum Clitipho pendebit animi in spe. Plautus in Mercatore: 'Obsecro dissolve jam me: nimis diu animi pendeo.' *Faërnus.*

Clitipho cum spe pendebit animi] Ita Mss. nostri. Videtur autem ita accipiendum: *cum Clitipho spe pendebit animi.* Quod et Calphurnius putavit. Ut integra oratio sit: *cum venturam dixero et constituero, cum is certo* jam *renuntiarit* Clitiphoni, *cum Clitipho spe pendebit animi,* tum ego *decipiam ac non veniam.* Bœclerus.

Animi] Vide Grammaticam nostram, pag. 74. reg. Syntaxeos. 46. *Farnabius.*

6 *Tergo pœnas*] *Tergo,* id est, dorso. Siquidem *tergum tergi,* dorsum: *Tergus* vero *tergoris,* corium dicitur. *Eugraphius.*

Syrus mihi tergo pœnas pendet] Ita ulciscar Syrum. Verberabitur enim, si hero renuntiaverit pro certo, me venturam, et ego tamen non venero, adeoque spem ejus fefellero. Putabit enim Syri negligentia factum. *Bœclerus.*

Pœnas pendet] 'Vindicta Nemo magis gaudet quam fœmina.' Juvenal. Sat. 13. præcipue, mala merx, meretrix. *Farnabius.*

7 *Satis scite promittit*] Id est, valde eleganter promissa tibi dabit, per utrique per . . .intelligitur. *Eugraphius.*

Satis scite] Ex alieno corio abunde liberalis. Minatur. *Farnabius.*

8 *Dormiunt: ego pol*] Vult excitare eos, qui sibi pecuniam promiserant, nec dederunt: uti fingat se evocatam esse a nescio quo, et velle discedere. Itaque consentiente ancilla fingit mendacium. *Eugraphius.*

Dormiunt] Otiose agunt, mei negligentes. *Farnabius.*

11 *Curriculo percurre*] Propera et festina. *Eugraphius.*

Curriculo percurre] Propera quasi cisio celeriter vecta. *Farnabius.*

Apud eum miles Dionysia agitat] Meretrix argentum extorquere cupiens, alterius amatoris mentionem injicit, de quo ante act. ii. sc. 3. vs. 124. confingens, se constituisse, ut ad convivium illuc veniret. *Bœclerus.*

Dionysia agitat] De Dionysiis, vide quæ supra ad sc. 1. sub exitu. *Farnabius.*

12 *Invitam*] Ex arte, fastu, et protervia meretricia. *Idem.*

Atque servari] Omnes fere l. s. *atque asservari,* ut versus exposcit. *Faërnus.*

13 *Verba his me*] Hoc est, me dicturam aliquid, unde decipiam illos. *Eugraphius.*

Verba his me daturam] O. l. s. *verba me his daturam.* Quæ collocatio iambum constituit in quarta. *Faërnus.*

15 *Jube maneat.* Ba. *abi*] Liber Bembinus, *i.* quo quidem modo melius habet versus. *Idem.*

Quin est paratum] Intellexit servus callidus, quod idcirco se adcersiri diceret, quod argentum quæreret. Et hac ratione ei pollicetur. *Eugraphius.*

Quin ego hic maneo] Qui argentum dari posset, et nihilominus illud fieri, quod dispositum est. Itaque et de tempore adjecit, 'Atqui jam dabitur.' *Idem.*

17 *Quid?* Sy. *transeundum est nunc tibi ad Menedemum*] O. l. s. præter Bembinum, non post *transeundum,* sed post *Menedemum* habent verbum *est,* etiam ex ratione versus. *Faërnus.*

Tua pompa] Id est, nobilis comitatus, scilicet ancillæ decem, et ceteri comites qui venerunt. *Eugraphius.*

Et tua pompa] Comitatum ancillarum ante descriptum eleganter notat. Ita Plautus de servili comitatu, Curcul. i. 1. 1. et 2. 'Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras Cum isthoc ornatu, cumque hac pompa, Phædrome?' *Bœclerus.*

Tua pompa] Comitatus ancillarum, aurum, vestes, mundus muliebris. *Farnabius.*

18 *Egone? argentum cudo*] Quæris cur te ad Cliniam transire volo? argentum cudo: id est, procudo quod tibi dem. *Cudo* proprie est compono vel tundo. Unde 'Incus,' ubi tunditur ferrum. *Eugraphius.*

Sy. *Egon? argentum cudo*] Liber Bembinus, *ego.* et melior est numerus. *Faërnus.*

Argentum cudo] Quod tibi promissum est argentum. *Farnabius.*

19 *Quam illudas*] Per accusativum casum dictum est. Virgilius, 'Certantque illudere capto,' per dativum. Item ipse: 'Virtutem illude superbis.' *Eugraphius.*

Non est temere] I. e. non illudo te. Vera causa est. Vera ratio est, ob quam volo te ad Menedemum transire. *Bœclerus.*

20 *Etiamne tecum hic res mihi est*] Non dubito, quin hæc continuent illam insolentiam meretricis, ironia mixtam: *num ego insto? quam rem agis scelus? dignam me putas, quam illudas? etiamne tecum hic res mihi est?* aspernatur enim, quod petebat Syrus; nec ad rationem consilii ejus vult accedere donec mox, subito flexu, annuit: *eatur.* Idem.

23 *Efferunt*] Innuit meretrices habere viscatas manus. *Farnabius.*

24 *Sumptum sibi levatum*] Cum discesserit tanta ancillarum multitudo, dominus credet sibi allevatum sumptum, id est, impensam. Sed nescit ex ea re damnum ad se esse venturum, dum hac re maxime ab eo extorquebitur argentum. *Eugraphius.*

25 *Næ ille haud scit*] Verum decollabit ea spes. Major illi imminet sumptus. Damnum gravius. Emungendus est argento. *Farnabius.*

26 *Tu nescis*] Id age, ut nescisse videaris; et ille per ὑπερβολὴν, *mu-*

tum me dices. Eugraphius.

Te nescis quod scis Dromo] Hic quoque ex versus ratione, et ex o. fere l. s. post *nescis*, adde dictionem *id*. Faërnus.

Tu nescis, id quod scis Dromo] Hunc versum bene Eugraphius explicat: 'Id age,' &c. Guyetus ejicit, tanquam ex Eunucho interpolatum. *Bœclerus.*

Tu nescis, &c.] Vide quæ ad act. IV. sc. 4. Eunuch. ibi: 'Pol, si sapis, quod scis, nescis.' *Farnabius.*

SCENA V. Senarii. vs. 1. Argentor. ut edidimus. in margine adscrib. *al. vitam.* meorum unus: *ita me dii ament.* alter: *ita me dii bene ament.* vs. 10. omnes: *exoptabam.* vs. 12. duo: *dictum et factum.* unus, ut ed. vs. 13. duo: *bona fide.* vs. 17. duo: *vah gloriare istuc evenisse ex sententia.* vs. 22. omnes: *immo sic satis.* vs. 26. omnes: *hanc se cupere ux.* et: *modon q. inv. e.* vs. 30. uterque meorum: *aurum atque vestem qui comparet. tenesne?* CHR. *comparet?* Argent. ad eundem modum, nisi quod, *vestes*, habet. vs. 31. duo: *non do.* unus: *spondeo.* vs. 33. duo: *perpetuo.* unus, *pro perpetuo.* vs. 40. Argent. *æqui bonique caussa facio.* ex glossa. vs. 50. omnes: *bene acta parte.* vs. 52. omnes: *in hunc.* vs. 56. duo: *affer*, et *affero.*

1 *Ita me DI*] *Discedentibus ancillis senex ingemiscit, quod tanta ad Menedemum multitudo ventura sit: quam et ipse cum unam diem sustineret, magno se dixit affectum damno. Nam et modo pytissando, id est, leviter gustando et spuendo multum vini absumit, et reliqua familia. Siquidem per* χαρακτηρισμὸν, *id est, futuræ rei descriptionem, argumentatur quid sit consequens: videlicet filii discessio. Et est* ἠθοποιΐα, *quæ fit, quando loquentem introducimus quamlibet personam.* Eugraphius.

Ita me dii am.] Argumento servit Poëta, cum iterum inducit Chremetem alienis malis dolentem, quæ sua esse ignorat. Ut conspectior fiat rerum commutatio, quæ consequetur. *Bœclerus.*

Ut nunc] Μέγιστόν ἐστιν ἄρα τοῖς ἐπτωκόσι τὸ παρόντας ἐγγὺς τοὺς συναλγοῦντας βλέπειν. Menander. *Farnabius.*

Vicem] Ellipsis. *Ob* vel *propter vicem.* V. Syntaxin nostram. *Idem.*

5 *Magno desiderio fuit*] Tantum desiderium filii absentis pater habuit, ut primis diebus damna a meretrice non sentiat. *Eugraphius.*

7 *Nec fieri modum*] Cum gratia repetitur verbum: sumtus fieri, nec fieri modum sumtuum. *Bœclerus.*

8 *Optabit rursum*] Hos versus ita ordina ex libro Bembino et aliquibus aliis: *Optabit rursum ut abeat ab se filius. Syrum optume eccum.* SY. *cesso hunc adoriri.* CH. *Syre.* SY. *hem.* Faërnus.

9 *Syrum optime eccum.* S. *cesso hunc adoriri*] Mira suavitate error comicus designatur. Chremes gratulatur sibi de conspectu Syri, ex quo cognoscere cupit, quemadmodum techna ad fallendum Menedemum, falli desiderantem scilicet, instructa sit. Syrus gaudet, offerri sibi Chremetem, egregie scilicet, sub alienis nominibus decipiendum, quo tempore nihil tale suspicabatur. *Bœclerus.*

11 *Videre egisse*] De eo quod tecum locutus sum, videris jam aliquid fecisse. Nam supra ait, 'Huic nostro tradita est provincia.' *Eugraphius.*

12 *Dictum et factum*] Hoc est, cum dixisses, factum continuo reddidi. *Idem.*

Dictum factum, &c.] Quod dixi, expedivi. Simul cum dicto, celeriter. ἅμ' ἔπος ἅμ' ἔργον. Legitur et, *dictum ac factum reddidi.* Nihil hac in re omisi. Nihil intentatum aut infectum reliqui. *Farnabius.*

14 *Tibi caput demulceam*] Quod solet fieri his qui placent, ut manus per caput tractu ducta, quasi quædam videatur esse laudatio. *Eugraphius.*

Quin tibi, &c.] Quod pueris fieri solet per blanditiarum delicias ab iis qui eos collaudunt: *stroke his head.* Farnabius.

15 *Faciam boni tibi aliquid pro ista re ac lubens*] Blande dicere et benigne facere cupiunt, qui indulgent, aut assentantur. Induxit hoc ἦθος etiam in Adelphis v. 5. 5. 6. 'Tibi lubens bene faxim.' et v. 6. 7. 8. 'Et tibi ob eam rem, si quid usus venerit, lubens bene faxim.' *Bœclerus.*

17 *Gloriare evenisse*] Hoc tibi pro voluntate contigisse gloriaris? *Eugraphius.*

Gloriare evenisse, &c.] Quia Menedemus nondum circumductus erat argento, sed dolus tantum struebatur. Nannius conjicit legendum *hariolare.* Id est, inani divinatione jactas. Miscell. l. II. c. 5. *Farnabius.*

19 *Tui Clitiphonis*] Hoc est, illud consilium quod supra significatum est, ut veritas dicta nihilominus implicare possit errorem. Quippe cum dicit Clinia patri, Clitiphonis amicam esse hanc: ut hoc dum indicat servus, nihilominus dominus filii sui amicam meretricem esse non credat. *Eugraphius.*

22 S. *Dic sodes.* C. *nimium inquam*] Affectibus theatri hoc gratificatur Poëta, ut senex fraudes adversus se paratas laudet, auctori gratias agat, misera ignorantia alens augensque mala sua. *Bœclerus.*

Immo sic satis] Liber Bembinus, et Vaticanus, *si scias*, et infra, *se se ipse dicit*, non *dicet.* Faërnus.

25 *Postquam aspexerit*] Geminavit sententiam, ut vis pulcritudinis amare cogentis exprimatur. *Bœclerus.*

27 *Et quidem jubebit posci*] Et volet ut filiam tuam pater suus postulet. Quam rem cum non intellexisset, cum simulata videretur, respondit ille, uti argentum filio dari possit ad nuptias necessarium. *Eugraphius.*

Posci] Peti in uxorem, quod facit Menedemus. sc. 7. *Farnabius.*

28 *Nam prorsus nihil intellego*] Parvi hoc refert, liber tamen Bembinus habet, *prorsum.* Faërnus.

Nam prorsum nihil intelligo] Apte, primum dubitat senex, in re quam denegaturus est: et per gradus veterator depellitur. *Bœclerus.*

30 *Aurum*] Quo argento aurea ornamenta, vestes, &c. per Aposiopesin (supplet Chremes) comparet. *Farnabius.*

Neque despondeo] Id est, non promitto: unde *sponsa* dicitur. Nam et sponsio et dos a patre puellæ dabatur. *Eugraphius.*

Despondeo] *Spondeo* legendum putat G. Fabricius, quod Donatus dicat, *spondet puellæ pater, despondet adolescentis.* Promiscue tamen usurpantur a probatissimis autoribus. *Farnabius.*

32 *Me rogas? homini*] Ex Andria v. 1. 'Homini adolescentulo, in alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria.' Ei ego filiam darem in seditionem atque incertas nuptias? *Bœclerus.*

Homini] Aposiopesis. Subaudi, fugitivo, qui a patre aufugerat, meretrici superbæ et sumptuosæ addicto. *Farnabius.*

33 *Non ego in perpetuum dicebam ut illam illi dares*] Liber Bembinus, *Non ego dicebam, in perpetuum ut illam illi dares.* Faërnus.

34 *Non mea est simulatio*] Boni et sapientis viri hic sensus est, ut nunquam audeat, quod nunquam sit facturus, polliceri. *Eugraphius.*

Non mea, &c.] Supra dixerat Syrus, 'mentiri non est meum.' Reddit illi Chremes: 'non est mea simulatio.' Tu tibi habe consarcinatas tuas technas; neque me iis admisceas. *Farnab.*

35 *Ita tu isthæc*] Ita igitur hæc efficito, ut sine mea persona hæc compleas. *Eugraphius.*

37 *Credebam*] Scilicet, tibi persuaderi hoc posse, ut assimules interim. Nota, hæc ad epitasin machinatum esse Poëtam: et ad differendam catastrophen. Quando enim ante dixerat Clinia, 'Antiphila mea nubet

mihi ;' spes erat sola ; res adhuc differebatur. Nondum enim Antiphilæ pater Chremes auctor his rebus factus erat. Quod ideo monendum est, quia eruditorum aliquos in *συστάσει τῶν πραγμάτων* obhæsisse video. *Bœclerus.*

42 *Sed illud quod tibi dixi de argento*] Depulsus eo, quod agitaverat, consilio Syrus, alio vertit. Voluit enim Poëta in hoc præcipue servo, extemporalitatem comminiscendi ac fraudandi ostendere. Sed in nova hac fraude, exceptiones juris, quibus uti poterat Chremes, occupat Syrus, atque adeo in hoc etiam calliditatis suæ specimen edit. Comparavit illa cum jure civili Romano eximius Schroterus noster, in hunc modum: 'Poterat Chremes dicere, 1. quod factum alienum sibi non deberet damnum inferre, l. xxv. § 1. ad SC. Trebell. cum nihil commodi exinde ad se redundarit, ideoque sua non intersit. 2. Multo minus dici posse, se ex illo contractu teneri, cum sibi nihil datum sit, quod tamen in mutuo, utpote in contractu reali, requiritur. 3. Nec se mandante id factum fuisse. Quin imo 4. invito potius et ignorante. Adeoque ipsam oppignorationem invalidam esse ; cum res aliena sine consensu domini non possit obligari, l. I. C. si res aliena pign. et præterea liber homo sit ex iis rebus, quæ nexum non recipiunt. l. VI. C. quæ res pignor. obt.' Adde Eugraphii annotationem.

Ad hæc omnia opponit Syrus vulgatum istud : 'Jus summum sæpe summa est malitia.' Ad quod multa congessit Weitzius. i. e. a jure summo ad æquitatem invitat Chremetem, quæ est propria bonorum virorum laus. Æquitatem autem designat Aristoteles Ethic. v. summi juris remissione : et virum æquum, *τὸν μὴ ἀκριβοδίκαιον ἐπὶ τὸ χεῖρον.* Ubi Michaël Ephesius : *Ἐπὶ τὸ χεῖρόν ἐστιν ἀκριβοδίκαιος ὁ τὰ γεγραμμένα ἐν τοῖς νόμοις πάντα φυλάσσειν βουλόμενος, κατὰ τὸ χεῖρον ἐξηγούμενος. Idem.*

43 *Quod tibi dixi de argento*] Quod supra nos diximus, ut eventus impleret consilium, hic nunc conficit : siquidem postea puella cognita est, pro qua jam debitor Chremes factus est, cum constet eam arrabonis nomine apud meretricem collocatam. *Eugraphius.*

44 *Neque tu, &c.*] Occurrit veterator servus iis, quæ poterat Chremes objicere et respondere. *Farnabius.*

45 *Quid mea*] Quid mea refert? *Id.*

Num mihi datum] Sane dominus hac responsione uti posset, ut non redderet argentum. Sed servus callidus occurrit : non potes dicere istud, non te accepisse, neque jussisse, neque invito filiam oppignorare potuisse. *Eugraphius.*

48 *Summum jus*] Id enim quod datum est, utique reddendum est. Sed jure cautum est, ut filia quidquid acceperit, vel filiæ nomine datum fuerit, quæ in familia est, non recte datum videatur. Itaque æquitas est, ut debitum solvi debeat ; jus est ut sic datum reddatur. Sed ille renititur a causa quod non debeat, et fit controversia ex negotio. *Idem.*

Summum jus] Vulgo dicitur, 'Qui plus potest, pejus facit.' *Idem.*

Jus summum] Rigor, ut vocant, ex verbis juris, non ex mente et sensu ejus qui scripsit. 'Summum jus summa est injuria.' Citat Cic. l. I. de Offic. 'Nam summum jus antiqui putabant summam crucem.' Columell. Prolog. l. VII. 'Ὁ δ' *ὁρῶν τοὺς νόμους λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται.* Menander. *Farnabius.*

Jus summum sæpe summa est malitia] Gall. *Chicane, injustice.* Cicero in de Officiis 'Malitiosam juris interpretationem' vocat. Jurisperiti Calumniam interdum vocant.

50 *Omnes te in lauta*] Hoc a persona persuadet, potius reddere quam negare. *Eugraphius.*

Omnes in lauta et bene aucta parte putant] Palmerius *uncta* mallet. Frustra autem hic explicant hoc vocabulum. Satis bene dicitur, *aucta.* Sed an *pars,* hoc loco satis recte dicatur, id debebat ostendi : *esse in lauta parte.* Bœclerus.

Bene parte, &c.] Al. *bene parte uncta.* Alii, *uncta.* Al. *parti auctæ.* Farnabius.

53. 54 *Quia videbitur, magis verisimile id esse*] Sc. quod Bacchis sit amica Clitiphonis, si argentum ad eam deferet. *Bœclerus.*

56 *Effero*] Mox elaturus sum. ut : *mox huc revertor,* et similia. *Idem.*

SCENA VI. Iterum senarii sunt. vs. 2. unus Mss. nostr. *quam tu inuit. f.* vs. 6. duo omittunt, *quidem.* vs. 7. omnes : *perdant.* vs. 10. unus, *prodidit.* vs. 19. omnes : *unde id ?* vs. 21. et sequenti omnes ordinem servant, quo edidimus. *Bœclerus.*

1 *Nulla est tam facilis*] *Nunc adolescens Clitipho redit, graviter ferens quod ab amica sit exclusus.* Eugraphius.

2 *Quam invitus facias*] Etiamsi facilis sit, ex animo facientis, habet maximam difficultatem. *Idem.*

Invitus facias] Voluntas numeratur inter actionum principia, qua propensa vel aversa redduntur labores graves vel leves. *Farnabius.*

3 *Quam non, &c.*] Quamvis non admodum laboriosa. *Idem.*

4 *Nec quicquam magis metuo*] Reducit Poëta Clitiphonem, quo tempore opus erat : amatorie conquerentem desiderium amicæ ; et, ne quid hujus generis iterum accidat, metuentem. *Bœclerus.*

6 *Ut te quid.*] Ad jurgium excitandum hæc facta sunt. Hæc enim Clitiphonem, dum ingreditur, dicentem Syrus audit, et mox invicem incusat. *Idem.*

Ut te quidem, &c.] Quantum est Deorum, Dearumque, quicunque, quodcunque. *Farnabius.*

9 *Excarnifices*] Minutim excrucies. *Idem.*

I tu hinc, &c.] Non excusat se Syrus : sed recriminatur, fiducia argenti jam parati fretus. Quæ clavis conciliationis. *Idem.*

10 *Protervitas*] Asperitas vel superbia. *Eugraphius.*

Quam pœne tua me perdidit proterv.] Vocem Eugraphio non intellectam explicat Guyetus. i. e. quam pœne protervitas tua et incontinentes illæ manus mea consilia disturbassent, meque periculo et iræ patris tui obtulissent ! *Bœclerus.*

11 *Vellem hercle factum. Ita meritus*] Defendit Clitipho suam iracundiam. Cui Syrus *μιμητικῶς, meritus ?* Egone meritus sum ut perirem, ut malo mactarer? vultu augetur sententia. Loquitur, qui conscius sibi est magnorum in Clitiphonem meritorum. Itaque mox de mutando in posterum animo minas jacit : quasi beneficium, interea Clitiphoni paratum, intercepturus ingrato. *Idem.*

12 *Ex te prius audisse*] Gaudeo quod istuc ex te prius audivi, unde me læsisti, antequam tibi argentum dedi, quod daturus fui. *Eugraphius.*

14 *Quid igitur dicam*] Quid enim possum tibi dicere, cum mihi amicam adduxeris, quam non liceat tangere ? Bene . . . longe factus est adolescens ab injuria, postquam comperit argentum jam paratum. *Idem.*

Quid igitur dicam tibi vis] Minus hæc contumaciter, vultuque remissiore, per speciem tamen defensionis, dicit : quomodo igitur vis me loqui tecum, qui tantam mihi molestiam confeceris, dum eadem ostentas amicam, et interdicis, meque ne præsentibus quidem bonis frui permittis ? *Bœclerus.*

16 *Jam non sum iratus*] Mittamus ista. Facile ignosco tibi. Lubido tua, non seria aliqua indignatio, talia tibi verba dictavit. Potieris voto. Quod indicat interrogatione, pluri-

mum spei demonstrante: *sed scin ubi nunc sit tibi tua Bacchis?* Interponitur aliqua spei mora, comico invento, ut augeatur beneficii gratia. Sed abrumpitur mox familiariter illa mora: 'Bono animo es: jam argentum ad eam deferes.' Hoc enim est primarium istud consilium Syri, cujus causa Bacchidem adduxerat: cuique difficultates comicæ hactenus intercesserant, sicut ex scena 4. hujus actus intelligi potuit. *Idem.*

17 Cl. *Ubi igitur*] Omnes fere l. s. *ubi ergo?* quod expeditiorem versum facit. *Faërnus.*

Garris] Nugaris. Metaph. ab avibus. *Farnabius.*

20 *Ipsa re experibere*] Hunc versum aliter legit Priscianus lib. viii. Terent. in Heaut. 'Cur ego gratificor, ipsa re experibere.' Unde intelligitur, antiquam esse perturbationem hujus loci. Quomodo autem sequentes versus ordinet, et personas distinguat Muretus, vide in ejus not. et adde Fr. Fabric. et Guyet. qui explicat. *Bœclerus.*

Experibere] Archaismus. Experiere. *Farnabius.*

21 *Deamo te*] Id est, valde amo. *Eugraphius.*

22 *Qua causa id fiat*] Qua causa fiat noli quærere, tantum obtempera et obsequere. *Idem.*

23 *Cave quidquam admiratus*] Id vide, ne præ nimio gaudio admireris, id tibi patrem præcipere: sed quasi nescius suspicionem ejus a te dolo amove. *Idem.*

Cave quicquam admiratus sies] Omnes quidem libri ita, sed ratio versus exigit *sis*, ut sit iambus in fine senarii, eliso ex *admiratus* s. *Faërnus.*

24 *Quod imperabit facito*] Cum quadam dignitate ita loquuntur: quæ in antiqua formula retinetur: 'factum est quod imperasti.' *Bœclerus.*

Loquitor paucula] Ne ex sermonibus tuis nascatur ulla suspicio. *Eugraphius*

Sc. vii. Senarii: vs. 2. omnes Mss. nostri: *dixtin.* duo addunt, *Syre*, ante τὸ *huic.* vs. 3. omnes: *hei quid stas l.* vs. 4. duo: *sequere me hac nunc ocyus.* unus: *sequere me nunc hac oc.* vs. 8. omnes: *dico.* vs. 10. omnes: *apposcent.* Bœclerus.

1 *Ubi Clitipho nunc est*] Qui argentum ad Bacchidem deferat. Hinc apparet, quam opportune Poëta, non modo præsentem, sed et præparatum Clitiphonem huc sistat. *Idem.*

Eccum hic tibi] Ecce eum tibi, quem quæris. Comice circumloquitur, quod brevius modo; *eccum me.* i. e. adsum. *Idem.*

2 *Quid rei esset dixti huic*] Ob quam illum requiro. Quam illum volo facere. Seu plenius: quid, aut cur, ad Bacchidem deberet deferre. *Idem.*

Dixi pleraque omnia] Supra diximus in Andria, *omnia* abundare; et *pleraque* significationem suam propriam continere. *Eugraphius.*

Dixi pleraque omnia] Adjectio hæc ad Andr. i. 1. 28. a Donato explicatur; sive potius a diversis Grammaticis. Alius enim ibi vult τὸ *plerique* abundare; alius τὸ *omnes*, ut hic Eugraphius. *Bœclerus.*

3 *Hei, quid stas lapis*] Liber Bembinus, pro *hei*, *ii* habet, quam lectionem, per unicum tamen *i*, recipio. *Faërnus.*

I, quid stas, lapis] V. Franc. Fabric. Hæc verba Chremeti Guyetus tribuit, ademta Syro: cui tamen ideo deberi potius videntur, ut admiratione cunctantem adolescentem impellat, memor præcepti sui; 'Cave quicquam admiratus sies.' Nunc enim defixum quodammodo adolescentem admiratione urget, ne seni fraus suboleat. *Bœclerus.*

Hei, quid, &c.] Accelerare jubet, ne mora trahat periculum. Ignavum et brutum, instar lapidis, stupidum insimulans. *Farnabius.*

4 *Sequere me*] Posteaquam argentum traditum est, continuo hunc

adolescentem vocat servus, ne aliquid aut ex admiratione, aut locutione suspicionis pater possit accipere. *Eugraphius.*

Sequere hac me ocyus: tu hic nos, dum eximus] Syrus callide festinat: ut seni quidem industriam suam approbare videatur; re vera autem, ut Clitiphonem, non satis idoneum docte ferre fallaciam, amoveat. Addit etiam: 'Nam nihil est illic, quod moremur diutius.' Ne Chremes suspicetur, causam quæsitam apud Bacchidem manendi. Sero tandem agnoscit Chremes, sibi fucum esse factum, quando act. v. sc. 1. vs. 9. miratur: 'Sed interim quid illic jamdudum gnatus cessat cum Syro?' qui tamen dixerat, nihil esse illic quod morentur diutius. *Bœclerus.*

5 *Tu*] Chreme. *Farnabius.*

Opperibere] Archaice opperiere. *Idem.*

6 *Nam nihil est illic*] Pulchre adjectum, ut omnino suspicio tolleretur, non esse amicam Clitiphonis: siquidem non diu illic moraturus est. *Eugraphius.*

Illic] Apud Menedemum, ubi jam Bacchis. *Farnabius.*

7 *Minas quidem decem*] Consuetudo patris semper est, ut de damnis cogitet, tametsi filiis det. *Eugraphius.*

Minas quidem, &c.] Computat quasi digitis senex; quot quantisque auctus sit damnis, inventa filia, ad alimenta, ornamenta, dotem. *Farnabius.*

8 *Quas pro alimentis*] Eugraphius legit, *hortamentis.* Hoc est, nutrimentis. *Hortatores* enim dicuntur, qui equos nutriunt. Denique alia hortamentis, alia ornamentis contulit. *Eugraphius.*

Quas pro alimentis esse nunc duco datas] Vide Chrestomath. voc. 'Expon.' Eugraphius legit *hortamentis: alia hortamentis, alia ornamentis contulit.* et addit, *hortatores dici, qui equos nutriunt.* In altero meorum Mss. in margine adscribitur: *al. augmentis.* Sed, *alimentis*, retinendum. *Bœclerus.*

10 *Porro hæc talenta*] *Talentum* genus est ponderis, quod habet in se lxii. aut lxx. libras. *Eugraphius.*

11 *Quam multa justa, injusta*] Siquidem nunc relictis omnibus rebus quærendus mihi est aliquis, cui meo labore inventa dare possim, ut filiam meam ducat uxorem. *Idem.*

Quam multa injusta ac prava f. m.] Vide Guyetum. Ceterum hæc sententia inducta est, ut haberet σχέσιν οἰκονομικὴν ad illud supra positum: 'Herus damno auctus est.' Hippolytus apud Euripidem itidem inter damna dotem deputat: ex vulgari scilicet sensu, atque, ibi quidem, σχήματι διαβλητικῷ. *Bœclerus.*

12 *Mihi nunc relictis omnibus*] O. l. s. *relictis rebus.* Faërnus.

13 *Labore, &c.*] Cui rem meo partam labore dem cum filia dotata. *Farnabius.*

Scena viii. Senarii. vs. 3. Mss. nostr. unus: *resipisse.* alter vitiose: *recepisse.* Argent. *resipiscere.* vs. 10. et seq. omnes: *quod dixti* (unus, *dixisti*) *Chreme.* Cre. *erravi sic res acta est.* Men. *quanta de spe decidi.* Cre. *et quidem hæc quæ apud te est* (unus, *et equidem quæ apud te est*). Unus in margine: *al.* Me. *quid dixti Chreme? erravi.* Cre. *sic res acta est.* vs. 13. omnes Menedemo tribuunt illud: *ita aiunt.* vs. 14. omnes, *desponderim.* vs. 15. unus: *tu des ei aliquid, qui.* vs. 30. omnes: *sed hæc ista ut sunt.* et vs. 31. *postulent.* Bœclerus.

1 *Multo omnium*] *Scena hæc actionem tenet: quippe Menedemus gaudet plurimum, quod filium videt et integris moribus, et uxorem eam velle ducere, quæ honestissimi viri filia sit. Et quod dixit*, quum te intelligo resipisse, *quasi hoc nesciat, quod eadem puella sit quam amaverat, quæ nunc filia sit Chremetis: aut dissimulat, quod quasi a meretrice animum filii ad nuptias transtulerit: aut errat ex dolis servi. Credit*

Chremes interpellatum Menedemum esse a filio, non vero ut uxorem duceret, sed ut, nuptiarum gratia, argentum a patre susciperet. Eugraphius.

Multo omnium nunc me fortun.] Hæc egrediens domo senex intro ad filium loquitur, more comico, ut statim intelligant spectatores, quæ agenda deinceps in scena sint. *Bœclerus.*

Multo omnium, &c.] Apostrophe ad filium absentem, vel domi residentem; cum ipse fores egreditur. *Farnabius.*

3 *Respicere*] Codices fere, *resipisse*. Quem ἀρχαϊσμὸν etiam Priscianus notat. Apud Plautum Rudente IV. 1. 8. legas: ‘Pol magis sapisset, si dormivisset domi.’ *Bœclerus.*

Resipisse] E vitiorum gurgite ad sanam mentem et rectam vivendi rationem emersisse. *Farnabius.*

Ut errat] Sc. quod putat, eum a Bacchide amorem contulisse ad aliam; cum nuptias obtentui sumat, ad emungendum argento parentem. Hoc autem dicit ille, qui per totam fabulam sollennia errat. *Bœclerus.*

Errat] Uterque, Chremes præcipue, qui Menedemum credit decipi, cum ipse decipitur. *Farnabius.*

4 *Serva quod in te est*] Petens nuptias filio suo, posteritatem respicit totam. *Eugraphius.*

7 *Quæso quid hominis*] Redigere vult in memoriam Chremes Menedemo * Arguit igitur quod veluti stultus non intelligat, quod de dolo nunc agatur. *Idem.*

Ch. *Quæso quid tu hominis es?* Me. *quid*] Plenior videtur lectio libri Bembini. M. *quid est?* nec versus repugnat, eliso ex verbo *es* s littera. *Faërnus.*

Quæso, quid tu hominis es] Ut paulo post stultior appareat, ubique nunc suæ sapientiæ plaudit. Hæc enim liberior castigatio cum arrogantia conjuncta est. Hecyr. IV. 4. 21. ‘Sed quid mulieris uxorem habes?’ cum quodam contemtu. Continuantur autem ista: *quæso, quid tu hominis es? jamne oblitus es, inter nos quid sit dictum de fall.* μετεωρίαν ei objicit. Quod vitium Latini non possunt aliter fere, quam per *oblivionem*, efferre. Vide Sueton. Claud. 39. *Bœclerus.*

10 *Et seq. quid dixti Chreme? erravi*] Si hæc distinctio personarum servatur, tum, accommodata moribus Menedemi oratione, ostenditur, quomodo se is in quamcunque partem trahi passus sit: quando et statim Chremetis suspicioni credidit; et cum subinde recordatus esset, quod de Clitiphonis amica Bacchide cognovisset, levi contradictione cessit cognitæ possessione veritatis. Guyeti lectionem et distinctionem vss. 13. 14. 15. juvant Mss. nostri, de quibus ante: ita esset: *sic res acta est*, i. e. actum est. Quod in re perdita aut mala dicitur. Alii ita distinguunt: Ch. *Ea res nunc agitur ipsa.* M. *quid dixti Chreme!* Ch. *Erravi: sic res acta est.* M. *quanta spe decidi!* Ch. *Immo hæc, quæ apud te est, Clitiphonis est Amica.* M. *ita aiunt.* Ch. *et tu credis?* M. *omnia.* Ch. *Et illum aiunt velle uxorem, ut cum desponderim, Des, qui aurum ac vestem, &c.* Ita illa verba, *erravi, sic res acta est*, ἐπανορθωτικὴν διάνοιαν haberent: *ea res nunc agitur ipsa*, et, quid dico, agitur? *erravi: jam sic res acta est.* Jam facta, transacta omnia. Jam reliqua μιμητικῶς, figura ad sagacitatis opinionem aptissima, proferuntur a Chremete: *Immo hæc, quæ apud te est, Clitiphonis est amica.* Tum: *et illum aiunt velle uxorem.* Seriem enim doli ἐν ὑποκρίσει exhibet. *Idem.*

11 *Erravi. Sic res acta est. Quanta spe decidi*] In contextu libri Vaticani non esse nisi primam dictionem, *erravi*, in Bembino vero illum versum omnino non esse, et sane eum esse subditicium ex insequentibus, patet, ubi Menedemus, tum denique errorem suum agnoscens, in hæc verba prorumpit, id est: *profecto id amicæ dabitur.* Et interposito Chremetis assensu, *vah, frustra igitur gavisus miser.* Ita liquido apparet, quidquid ante hæc est, dissensionem esse Menedemi et Chremetis, hoc contendente, Bacchidem amicam esse Cliniæ, illo Clitiphonis. Quid ergo opus fuit Menedemum hic dicere *erravi*, et cetera quæ sequuntur, paulo post eadem illa dicturum? quare eum versum omnino delendum arbitramur. *Faërnus.*

12 *Nempe hæc quæ apud te*] Ut facile docere possit senem, non vero ad nuptias peti filiam suam, sed uti nuptiarum gratia adolescenti dari possit argentum, commemorat nempe, *Hæc quæ apud te est, Clitiphonis est amica:* uti ex his quæ apud eam gesta sunt, sciat Menedemus esse fallaciam. *Eugraphius.*

13 *Ita aiunt*] Clinia, Syrus, Dromo. *Farnabius.*

14 *Cum desponderis*] Vide scen. 4. ‘Nec do, nec despondeo.’ *Idem.*

16 Me. *Id est profecto*] Hic primo negat Menedemus, id quod asserit Chremes, scilicet per speciem desiderii nuptiarum fallaciam in se a Clinia filio intendi, ad extorquendum argentum, quod Bacchidi detur: non enim hanc ejus amicam esse, sed Clitiphonis. Contra asseverante Chremete id esse compositum inter adolescentes, ut Bacchis amica Clitiphonis esse dicatur, atque ut Clinia uxorem velle se fingat, ut per speciem uxoris ornandæ, et nuptiarum apparandarum, argentum a patre accipiat, quod det Bacchidi. Tandem Menedemus in opinionem Chremetis inducitur; actum demum dicit, *id est profecto*, et quæ sequuntur. *Faërnus.*

Id amicæ dabitur] Vel confirmantis pronuntiatione accipi potest, vel quasi cum affirmatione interrogantis, . . . Nam interrogatio interdum ad negationem, interdum ad affirmationem dirigitur. *Eugraphius.*

Scilicet daturum] Licet damnum intelligat senex, et deceptus de gaudio sit, tamen memor doloris pristini et calamitatis, omnia vult sustinere, quam id quod passus est, rursus pati. *Idem.*

Id est profecto: id amicæ dabitur] Si cum interrogatione accipitur, tarditas Menedemi major intelligitur. Si absque interrogatione, jam sensit monitus fallaciam. Eugraphius: ‘Vel confirmantis,’ &c. Ceterum omnis difficultas hujus loci, quem variis remediis et sæpe valde accersitis tentarunt eruditi, in expedito erit, si hæc tota oratio Menedemo tribuatur, neque Chremes illa dicat, *scilicet daturum*, sed Menedemus. Ut sit: *id est profecto, id amicæ dabitur. Scilicet daturum.* i. e. intelligo jam quid agatur. Quod obtentu nuptiarum a me petent, id amicæ (meretrici. Nam hic error senem adhuc tenet) dabitur. Sed quid agam? *scilicet daturum* me decrevi; vel daturum me esse dicam, quod postulabit filius. ‘Vah! frustra sum igitur gavisus miser,’ quasi filius animum revera ad nuptias adjecisset. ‘Quidvis tamen jam malo, quam hunc amittere.’ Hæc unica est ratio explicandi loci, si hariolari velle desinemus. Eugraphius vidit et monuit, imo in suis codicibus ita reperit. Sic enim annotat: ‘Scilicet daturum. Licet damnum,’ &c. Quis non videt, de Menedemo hæc dici, non de Chremete? *Bœclerus.*

17 *Daturum*] Al. *Datum.* Farnab.

Frustra igitur, &c.] Frustra gavisus sum, siquidem filius non resipuerit, neque tu daturus filiam in uxorem, uti poscebat ipse, sperabam ego, tu visus promittere. *Idem.*

19 *Quid nunc renunciem*] Quid ergo vis renunciem filio abs te esse responsum, ne intelligat, me hoc intellexisse, quod non vere nuptias petit? *Eugraphius.*

22 *Perfice hoc mihi perpetuo*] Elegantia et vis est in sententia: sicut

semel cœpisti mihi operam dare, ita porro etiam des rogo; neque defatigeris continuandis officiis. Τὸ *perficere*, possit παράφρασιν accipere ex illis in Andria v. 1. 5. 'Ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes.' Additur *perpetuo*. Bœclerus.

24. 26 *Quid deinde?* et: *hem, istuc volueram*] Chremes tractatu operosius fecit suum officium, apud desiderantem et singillatim elicientem: subjecta etiam absolutione totius consilii: 'Tanto ocyus te ut poscat, et tu id, quod cupis, Quam ocyssime ut des.' Alii distinguunt: *et tu, id quod cupis, quam ocyssime ut des.* Ut confessio sit ἐμφάσει et πάθει adjuta: *cupio*. Idem.

Desponsam quoque esse] Petitionis uxorum nomina hæc sunt. Nam primum *inventa* dicitur, deinde *pacta*, tertio *desponsata*, quarto *uxor*. Ita, ut vicinum nomen jam petitionis ostenderet circa nuptias, dixit, 'Postremo desponsam quoque esse dicito.' Hoc enim vicinum ad uxorem. Nam supra *pacta* dicitur. Ut est apud Virgilium: 'Et pactæ conjugis ostro.' Denique primo Menedemus, cum audisset Chremetem, *Dic, convenisse, egisse te de nuptiis*. Quoniam conventæ nomen dixerat, quod longe est positum, quæsivit, *Quid deinde?* Quasi hoc parum est: et pervenit usque ad appellationem prope uxoris. *Eugraphius.*

Desponsam quoque esse dicito] Ex *esse* unum s elidendum, vel ex *desponsam* m. *Faërnus.*

27 *Poscat*] Argentum. *Farnabius.*

29 *Istius obsaturabere*] Facile ejus fastidium habere poteris. *Eugraphius.*

Istius obsaturabere] Quantum video sumptum quem es facturus, brevi satias te illius capiet usque ad tædium et fastidium. *Farnabius.*

31 *Abi intro, vide quid postulent*] Liber Bembinus, et Victorianus, *postulet*, et Clinia subauditur; de quo jam dictum est, *tanto ocius te ut poscat*. Faërnus.

Nam te sciente faciam] Ita Eugraphius legit: et Mss. nostri omnes. *Bœclerus.*

Te scientem faciam] Te consulam, te certiorem faciam. Al. leg. *te sciente*. Farnabius.

ACTUS V.

Scena i. Septenarii Trochaici, et in medio Senarii Iambici sunt. vs. 1. omnes Mss. nostri: *id certe scio*. vs. 6. duo: *congratulando*. vs. 8. duo: *dictum sit c*. vs. 15. omnes: *itidem istuc mihi v*. vss. 18. 19. unus: *nam ubi desp. nunt. scio contin. injec.* alter: *nam ubi desponsam nuntiasti filio tuo scio contin.* ita etiam Argent. vs. 20. omnes omittunt τὸ *atque*. vs. 25. unus: *sed ille tuus quoque Syrus itidem m. f. f.* alter: *sed ille tuus quoque servus idem m. f. f.* Argent. *Sed ille quoque tuus Syrus itidem mire finxit filium*. vs. 30. unus: *et vestimentis stratus est*. vs. 33. unus: *ubi abire intro, operire ostium*. vs. 39. omnes omittunt *ne*, duo habent *communi* pro *comi*. vs. 51. Argent. ut edidimus. In margin. adscrib. glossa, *paulo ante*. Quam unus meorum in textum recepit: *id quod me fecisse aiebas paulo ante*. omisso τῷ *parum* alter: *id quod me fecisse aiebas parumper*. vs. 55. duo: *immo abeat multo malo q. g.* tertius: *malo multo*. vs. 57. omnes, *pergam*. Argent. *illius*. vs. 60. duo: *ostendis*. vs. 61. duo: *et id erit ingratum*. Argent. *et ingratum id erit*. vs. 68. duo: *et filium et rem*. vs. 70. duo: *id emirari te sim*. tertius: *id amirari te assim*. vs. 72. duo: *ut illius animum*, tertius, *ut illi an*. vs. 73. omnes: *defluit*. vs. 74. duo: *quid ais?* mox omnes: *mitte ac sine me i. h. r.* vs. 75. omnes: *præparet*. Argent. addit *te*. Bœclerus.

1 *Ego me non tam*] *Hæc scena conjecturalem statum continet: quoniam argumentis collectum est, Clitiphonem amicam habere meretricem. Hoc ut probari possit, argumenta dicentur.* Sumpsit exordium a persona sua et Chremetis. *Ego me non tam astutum:* hoc est, acutum et perspectorem rerum. *Eugraphius.*

Ego me non tam ast.] Jucunda vice, exsoluto nunc suis erroribus Menedemo, Epitasis in Chremetem fortius incumbit. Cujus quo serior est perturbatio, eo vehementior. Sed temperatur, ut ante, διασυρτικοῖς τισι πλάσμασι. Vide, quot res, quam apta consecutione, quo artificio, una eademque opera poëta in hanc scenam conduxit. Senex a lacrymis, et summa ægritudine animi, ad lætiora vix, nec aliter adductus, quam ut satagere rerum suarum perseveraret, nunc eo usque expedivit se, ut jocari et ridere vacet. Ridetur, et perturbatur ille alter, qui alienæ hactenus stultitiæ irrisorem se præbuerat, et miseriæ auxiliatorem. Miscentur jocis seria; ironiæ veritas; dictis officia. *Bœclerus.*

Ego me non tum astutum, neque ita perspicacem esse id scio] 'Ανακόλουθον. Supplendum enim est: sicut opus est, sicut debebam esse, *et sim*. Idem.

2 *Sed hic adjutor meus et monitor et præmonstrator Chremes*] Cumulavit nomina, ut insigniretur τὸ ἀστεῖον τῆς εἰρωνείας. Quin et in ipsa significatione inest lepos. Magistri et rectoris elogio Chremetem honestat, quod is sibi tantum hactenus tribuisset, sive, tantum sibi præ Menedemo sapere visus esset, ὥστε παιδαγωγεῖν αὐτὸν ἱκανὸς, ut regere ipsum et moderari se posse putaret. *Præmonstrandi* voce etiam Plautus ita usus est. Guyeto laudatis adde, Trinummo i. 2. 61. 'Sed ego hoc verbum cum illi cuidam dico, præmonstro tibi.' Ut et *monstrandi*. Bacchid. i. 2. 25. 'Jam perdidisti te atque me atque operam meam, Qui tibi nequicquam sæpe monstravi bene.' *Idem.*

Sed hic adjutor meus] Hoc vocabulum est comicum, uti et 'monitor;' quod ad Phædrum multis annis prius monueram quam Notæ Parisienses in lucem prodiissent. Gallice, *C'est celuy qui se tient deriere la tapisserie, et qui suggere aux Acteurs, quand la memoire leur manque.* Quamobrem hic metaphoricum est, nec sine magna elegantia positum. *Faber.*

Monitor, adjutor, &c.] Ironice ista. *Farnabius.*

3 *Hoc mihi præstat*] In hoc me antecedit. *Sed hic. * itapait pocaoyeta...* ponis eum tractat, in se multa maledicta. *Eugraphius.*

Hoc mihi præstat] *Hoc*, i. e. τῷ non esse astutum et perspicacem, i. e. stultitia, stupiditate. Guyetus adscripsit suo codici. *Bœclerus.*

4 *Caudex, stipes, &c.*] *Caudex* est truncus arboris, conversa *o* in *au*, fit pro *codex caudex*, sicut pro *cote cautis*. *Stipes* similiter est truncus cujuslibet ligni, et declinatur *stipes stipitis*. *Stipes* vero *stipis* est præbenda militum. Hæc singula prununcianda sunt per ἀστεϊσμὸν, ut stulti vis exprimi possit. *Eugraphius.*

Stipes] Ita Planto *frutex* inter ea, quæ in stultum dicuntur, Mostellaria i. 1. 12. *Bœclerus.*

Caudex, stipes, &c.] Plaut. Bacch. act. v. sc. 1. 'Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones; hos solus ego omnes longe anteeo stultitia.' *Farnabius.*

5 *In illum nihil*] Hoc est quod supra dixi, contra opinionem dictum: nam adjecit, 'Exuperat stultitia ejus hæc omnia.' *Eugraphius.*

In illum nil potest: nam exsuperat ejus stultitia hæc omnia] Pro *nil* o. l. s. habent *nihil:* quæ tamen dictio in scansione est contrahenda. Bembinus vero adverbium *nam* in contextu

non habet. Sine quo sermo consuetudini accommodatior videtur. Ut vero versus sit trochaicus, ut ceteri, eliso ex *illum* l, prior syllaba corripienda; dictio vero *ejus* monosyllaba facienda. *Faërnus.*

Nam exsuperat ejus stultitia hæc omnia] Non dubito *τὸ astutia,* quod in nonnullis codicibus repertum est, a manu interpolatoris esse, qui ad principium scenæ referendum putavit. Et quæ Latinitas prodibit, *astutia ejus hæc exsuperat omnia? Stultitiæ* vox hic apta fuit ad absolvendum inexpectata interpretatione *διασυρμόν. Bœclerus.*

6 *Ohe jam desine deos uxor grat. obt.*] Severa satis sapientia; domo egrediens uxorem castigat is, qui mox experietur, se longe fuisse uxore insipientiorem, quæ filia recuperata gaudet, dum ipse de recuperando filio nullam cogitationem suscipit. *Idem.*

Ohe, jam desine, &c.] Egrediens Chremes, conversus ad ædes hæc uxori quæ est intus: v. Andr. act. II. sc. 2. *Farnabius.*

Gratulando] Diis agendo gratias, tibique gratulando, super inventa filia. *Idem.*

7 *Nisi illos ex tuo, &c.*] Nisi Deos tui similes judices, ut nil, &c. *Idem.*

9 *Sed quid interim illic*] O. l. s. *sed interim quid illic.* Et versus constat rationibus sæpe repetitis. *Faërnus.*

Quid illic jamdudum gnatus cessat cum] *Jamdudum cessat.* Jamdudum est, quod rediisse debuerunt. Cessant enim, qui hærent in loco, ubi jam nihil est quod agant. Ubi nulla morandi caussa est. Promiserat enim celerem reditum Syrus: *Nam nihil est illic quod moremur diutius.* Bœclerus.

14 *Vultus quoque hominem*] Adhuc perseverat Chremes, ut credat a Syro ad Menedemum compositam esse fallaciam, ita ut et vultus hominem sceleratissimum fingat. *Eugraphius.*

Vultus quoque hominum fingit scelus] Vide Chrestomath. et Jo. Riv. *Bœclerus.*

Voltus quoque, &c.] Scelestus ille Syrus non se tantum, sed et alios instruit omnem induere personam, vultum fingere et componere ad omnem animi habitum, mox versu abhinc 12. *Farnabius.*

16 *Veterator*] Versutissimus veterator est Syrus iste. Vid. Andr. act. II. sc. 6. *Idem.*

Si magis noris, putes] Hic jam aperit veritatem Menedemus. Magis qualis sit Syrus intelligas, si magis quæ fecerit cognoscas. *Eugraphius.*

17 *Mane. Hoc prius*] Cum narrare vellet Menedemus, ut crederet Syrum adversus Chremetem potius insidias tetendisse, intercedit, et dicit, quidnam perdiderit. Quod negatum a Menedemo est. Unde se mirari vehementer dicit, quod hæc non fuerit suspicatus. *Idem.*

Mane: hoc prius scire expeto] Cupiditas sciendi aliena damna, cum quadam lubidine ignorandi propria, jũcunde hic depinguntur, in ipso articulo manifestandæ fraudis, in quam Chremetem sollertia præpostera, et curiosus in alienis, socors suarum rerum animus præcipitabat. *Bœclerus.*

18 *Quid perdideris*] Quantum argenti tibi extorserit Syrus. *Farnab.*

19 *Continuo injecisse verba tibi Dromonem scilicet*] Calphurnius subaudit: *an non verum est?* Manuscripti nostri omnes explent per, *scio.* Unus etiam ante, *scilicet*, addit, *comperi.* Quod absurde fieri, palam est. Liquet tamen hinc *τὸ scilicet* particulam illis habitam, *δηλαδή.* Alii ut verbum capiunt, *scire licet.* Quod alibi Donatus etiam notat. *Bœclerus.*

Dromonem scil.] Voluit Chremes celare autorem, et transferre in Dromonem, deinde in Cliniam, denique in Syrum, unde habuit ista, act. IV. sc. 4. *Farnabius.*

Aurum, &c.] *Λουτρὸν, θεράπαινα, καὶ*

ἀργυρώματα. Menander apud Athenæum, l. VI. *Idem.*

21 *Quid non?*] Melius et significantius distinxeris: *quid? non?* Bœclerus.

24 *Sed te miror, qui alia tam plane scias*] Vide Guyetum. Menedemus propius accedit ad errorem Chremetis, ipsi velut in speculo ostendendum, facete et urbane assimulata simplicitate narrationem exorsus, cujus singula membra ad conficiendum id, quod agebatur, valida sunt. *Idem.*

Sed te miror, qui, &c.] Miror interim te, qui Lynceus alter tam acutum cernis aliena arcana, ut scias quam filii mei vultum finxerit Syrus, in rebus propriis in tantum esse talpam, ut non videas eundem Syrum tuum quoque filium tam mire finxisse, ut tibi glaucomam ob oculos objiceret, ne discernas Bacchidem hanc simulari amicam Cliniæ, esse revera Clitiphonis. *Farnabius.*

25 *Sed ille tuum quoque*] Hic jam prorumpit in narrationem. Ille, inquit, Syrus mire tuum finxit filium, ut amicam ejus tu Bacchidem suspicari non possis. Hæc argumenta colligit a factis. Mitto jam osculari, et amplexari. Deinde a loco, quod in ultimis ædibus retro conclave positum sit, quo eis introlatus est lectus. Utique discessio hæc, longe a conspectu multorum posita, ideo sumpta conspicitur, ut magis facinus cœlaret. Deinde quod ingressi sunt solus Clitipho et sola Bacchis. Hæc dicens, a præcedentibus argumentatur, quid consecutum sit, scilicet concubitus. Unde quia rem conjecturaliter collegerat, addit, ‘Operuere ostium, et Clinia hæc fieri videbat.’ Fieri enim non potest, ut si amica Cliniæ esset meretrix, ipso præsente cum altero adolescente concluderetur. Qua re probata, Chremes vehementer exclamat, memor cœnæ datæ, ‘Decem dierum vix mihi est familia.’ Ut dicat, haud esse unde familiam sustentet. *Eugraphius.*

Sed ille tuus quoque Syrus idem mire finxit filium] Liber Bembinus, et Victorianus, *sed ille tuum*, ut sit, tuum filium. *Faërnus.*

25. 26 Ironia est satis lepida in his duobus versibus, quam agnovit et explicat, cum sequentibus, Eugraphius. ‘Ut ne paululum quidem suboleat,’ sc. cuiquam homini. *Bœclerus.*

Ut ne paululum quidem suboleat] Hujus versus secundus pes est trochæus, tertius anapæstus, eliso m ex *paululum*, quamvis sequente consonante. *Faërnus.*

27 *Mitto jam, &c.*] Omitto oscula, amplexus, manus salaces. Levia sunt illa, præut quod jam audies. *Farnab.*

28 *Vah*] Sive Guyeti distinctionem hic accipias, sive vulgarem retineas, *τὸ vah* risu Menedemi attollitur. Sive apud hanc particulam oratio Menedemi risu interciditur. *Bœclerus.*

Est mihi in ultimis conclave æd.] Seriam speciem narrationis initio accommodavit: quæ subinde *διαλογισμοῖς* figuratur, *πάθεσιν* adaugetur, absolutione perficitur. Singulare prorsus hoc exemplum dixeris narrationis comicæ, quæ rem statim et totam accurata demonstratione conficit. *Id.*

30 *Huc est intro latus lectus*] Exemtiles olim lectos et portatiles habere moris erat, quos hinc inde deportabant. Hom. Odyss. XXIII. *Ἀλλ' ἄγε οἱ στόρεσον πυκινὸν λέχος ἐκτὸς*, &c. *Farnabius.*

31 *Dictum factum*] *Ῥηθὲν καὶ πραχθέν.* Supra act. IV. sc. 4. *Idem.*

35 *Filii est amica Bacchis Menedeme! occidi*] Tandem ergo Chremes, veluti somno excussus, se et filium et suam fortunam sapientiamque agnoscit. *Ἐμπαθῶς* hæc pronuntianda sunt. *Bœclerus.*

36 *Quamobrem?* et 37. *Quid? istuc times quod ille operam amico dat suo*] Ignorantiam rei, quam tam designate depinxerat, assimulat: *πρὸς τὸ*

θυμῆρες τοῦ διασυρμοῦ κωμικοῦ. Quo etiam spectat vs. 88. *si dat.* Crescit urbanitas, quod Chremetem sua simulatione eo adigit, ut argumentis agere incipiat: 'An dubium id tibi est? quemquamne animo tam comi esse, et leni putas, qui,' &c. *Idem.*

Decem dierum, &c.] Res mea familiaris intra 10. dies tota exhaurietur. Ut in re militari dicitur, 'Trium dierum commeatus.' *Farnabius.*

37 *Quid? istuc times*] Inscitia se rem probatam habere Menedemus illudit faceta satis urbanitate. *Eugraphius.*

Tam comi] Tam patienti, miti. Legitur et *communi*, utrumque a Mss. cōi. Farnabius.

40 Me. *Ah ah eh*] Hæc non sunt in libro Bembino, et certe risus non videtur habere hic locum. Sed nec versus hæc recipit. *Faërnus.*

Me. *Ha, ha, hæ*] Verecunda et honesta Aposiopesis. *Farnabius.*

41 *Ut facilius mihi verba dentur*] Hæc facta sunt. *Eugraphius.*

42 *Derides*] Tam diu irridendus erat scilicet, donec se irrideri animadverteret. *Bæclerus.*

Merito mihi nunc ego succenseo] Hic jam ab argumentis, quæ a Menedemo dicta sunt, alia colligit Chremes de præterito, quod illum in sinum meretricis viderit manum inserere. *Eugraphius.*

43 *Dedere*] Sc. occasionem. *Farnabius.*

46 *Nam jam*] Affectio est illa irascentis, de qua sæpe diximus. Ut quod ait Virgilius, *Quos ego.* Eugraphius.

Non tu te cohibes] Aposiopesis, ex ira effervescente. *Farnabius.*

47 *Non ego tibi exempli*] Παράδειγμα est, ad deterrendum dictum. *Eugraphius.*

Non tibi ego exempli satis sum] Ne sc. irascendo nimium amoribus filii, aliquid facias, unde tibi cruciatum ipse parias. Sicut mihi accidit. *Bæclerus.*

48 *Non sum apud me*] Non sum mei compos. Iræ sc. motu incalescit cor, inflammantur spiritus et sanguis, mens de cardine tollitur. *Farnabius.*

49 *Te aliis consilium dare*] Euripides. *Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ' αὑτῷ σοφός. Idem.*

50 *Foris sapere, &c.*] Chremeti regerit Menedemus sua ipsius verba, et consilium in ipsum retorquet, non sine tacita curiositatis exprobratione. Confer act. I. sc. 1. *Idem.*

52 *Fac te patrem*] Comœdiarum vice versa sunt omnia. Nam ille qui accipiebat ante consilium, nunc dare cœpit. Mores enim per comœdiam expressit, et qualis humana hominum vita declaratur. *Eugraphius.*

Fac te esse patrem sentiat] Antiqua collocatio, *Fac te patrem esse.* Faërnus.

Fac te patrem esse sentiat] Totus hic locus fabulæ vices permutatas *χαρακτηρίζει*: et conferendus est cum oratione Chremetis, act. I. sc. 1. vs. 101. &c. *Bæclerus.*

54 *Ne quam aliam quærat copiam*] Vide Guyet. *Idem.*

57 *Nam si illi pergam*] Liber Bembinus *pergo.* Ita habuit et Victorianus. *Faërnus.*

Nam si illi pergo suppeditare sumtibus] Plautus: 'Suppeditare clamori.' *Bæclerus.*

58 *Mihi illæc vere*] *Vero* liber Bembinus. *Faërnus.*

Ad rastros res] Ad rastros sum, non dolore, sed paupertate rediturus. *Eugraphius.*

Ad rastros res redit] Allusum ad rastros Menedemi, act. I. sc. 1. et Emphatice: mihi illæc vere præ inopia ad rastros res redit, non ut tibi modo obstinato dolore. Idque proverbialiter, ut; *ad restim res rediit, Ad incitas redactus sum.* Farnabius.

Quot incommoda] Ita etiam Mss. nostri, Guyeti emendationem confirmantes. *Bæclerus.*

60 *Difficilem ostendis*] Aliqui libri, inter quos Bembinus et Victorianus, habent *ostendes:* ut referatur ad id tempus, quo venia petetur per Clitiphonem a Chremete. *Faërnus.*

61 *Et id ingratum*] Gall. *Et on ne vous en saura aucun gré.* Faber.

Ut lubet] Hæc quoque respondent superioribus I. 1. 114. 115. 'Ch. siccine est sententia? Me. Sic. Ch. bene vale.' Menedemus hic cum ratione ad suum negotium, de Cliniæ matrimonio, properat reverti. *Bæclerus.*

64 *Quid dotis dicam te dixisse*] Proprium juris est verbum, cum dicitur dos, quod exprimitur. *Eugraphius.*

65 *Quid obticuisti*] Postea quod dos petita est, Chremes diu deliberavit consilium quærens, non quo summam quæreret dotis* quod intelligi datur ex sequentibus. Compromissa dote adjungit, *si me vis salvum:* aliter enim filium corrigi non posse credit, nisi dotis nomine omnia bona filiæ promisisse videatur, unde crederet filius exhæredem se. Denique, *id*, inquit, *mirari te simulato*, ut ad ejus notitiam veniat. Quam quidem rem cum intellexisset Menedemus, explanat, se idcirco promisisse, ut animum adolescentis luxuria et lascivia diffluentem inopia retunderet, et ad integram frugem necessitate revocaret. *Idem.*

Ch. *ah*] Deliberationem significat hæc cunctatio, non tam de dote, quam de ratione emendandi et ad frugem revocandi filii. Hic enim consilium illud ad *οἰκονομίαν* unice factum, veluti ex re præsenti arripitur: ut, dum turbæ in Clitiphonem augeri videntur, ad *καταστροφὴν* paretur via. Differt enim hæc ira Chremetis patris ab aliorum patrum indignatione, ubi plus affectus quam ratio dominatur. Hic in rationem se composuit affectus, nec impeditur sed tegitur iracundia consilium. Quod ut conspectius esset, adjecit Poëta et comparavit senis in servum indignationem: quæ ultionem et minas spirat. Filius *dictis confutabitur*, ad emendationem: servus verberibus male multabitur, ob vindictam facinorum. *Bæclerus.*

66 *Nihil dos nos movet*] O. l. s. *nihil nos dos movet.* Faërnus.

67 *Pro re nostra*] Pro facultatibus meis. *Farnabius.*

70 *Et illum rogitato simul*] Liber Bembinus, *et illum hoc rogitato simul.* Faërnus.

71 *Quin ego vero, quamobrem id facias nescio*] Duo egit poëta; tum, ut eliceretur consilium, de quo modo dictum est, atque expressius signaretur: tum ut discrimen ingenii ac morum senis consignaretur; de quo in præfatione. *Bæclerus.*

74 *Gerere mihi morem*] Animo meo satis facere, arbitrio meo facere. *Farnabius.*

75 *Age jam, uxorem ut accersat paret*] Τὸ *age* huc probe quadrat et Mss. auctoritate defenditur. Ut fortasse alio remedio opus non sit. *Bæclerus.*

Uxorem ut accersat] Deductio uxoris vesperi adeo et noctu fiebat. *Farnabius.*

76 *Dictis confutabitur*] Solis sermonibus male tractabitur. *Eugraphius.*

Ut liberos est æquum, &c.] Clitipho convictus dictis castigabitur, sc. 4. infra 'gerro, iners,' &c. servili mulctabitur supplicio. *Farnabius.*

77 *Sed Syrum*] Cum utique majora tormenta servo minatus sit, irascentis more, quod esset facturus, exprimere non potuit. *Eugraphius.*

Sed Syrum] Erudite Eugraphius: 'Cum utique,' &c. *Bæclerus.*

Sed Syrum] Aposiopesis ex ira. *Farnabius.*

Adeo exornatum] Id est, comptum,

per εἰρωνείαν. *Eugraphius.*

Adeo exornatum dabo] Verberibus et cruciatu carminatum. *I'll so trim him.* Farnabius.

78 *Adeo depexum*] Hoc est, compositum pœnis et tormentis. *Eugraphius.*

Depexum] Flagris. Plaut. Menæch. 'Pecte pugnis:' act. v. sc. 7. Pœn. act. I. sc. 2. 'Leno pugnis pectitur.' Rud. act. III. sc. 2. *Farnabius.*

80 *Viduæ mulieri*] Facilis enim illusio est in eam, quæ et mulier et vidua est. *Eugraphius.*

Viduæ mulieri] In quam injuria plerumque impunita. Quintil. Declam. 'Imbecilla res est fœmina, et affert infirmitati naturali non leve pondus, quod vidua est.' *Farnabius.*

Scena II. Satura est, ex Trochaicis catalecticis et Iambicis acatalecticis. vs. 2. unus Mss. omittit *de me.* vs. 7. omnes, ut ed. vs. 11. omnes: *ut neque tu egeres.* vs. 18. Argent. *prius Clitipho disce.* vs. 19. idem ex glossa: *istoc voto.* vs. 22. duo: *nemo te accusat Syre.* vs. 25. omnes: *quid Syre?* vs. 33. omnes: *quod in mente mihi est.* vs. 43. duo: *cujus sis filius,* cum glossa. vs. 44. unus omittit τὸ *in.* vs. 46. omnes: *anne.* vs. 47. duo: *ob hoc* pro *adhuc.* vs. 48. omnes: *hinc nunc ad Mened. pergam.* Bœclerus.

1 *Itane tandem*] Ad satisfaciendum valet hæc scena, et veniam petit. *Eugraphius.*

1. 2 *Ut pater tam in brevi spatio omnem de me ejec. anim. patris*] Ἐνέργεια singularis in verbis, quæ frequentia voluit esse poëta: *pater ejecit animum patris,* et *in tam brevi spatio.* Hoccine est credibile aut memorabile: *itane tandem, quæso, est, Menedeme?* Nota, quam significet graviter τὸ *tandem.* Bœclerus.

4 *Vulgo faciunt*] Quod meretrices omnes amant adolescentes. Et argumentatur: quia quod omnibus licet, uni licet. *Eugraphius.*

Volgo id faciunt] Purgatio popularis, exemplum. 'Nam quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant. Atque aliquid, atque adeo multa afferunt de suo.' Cic. l. IV. Epist. 3. *Farnabius.*

6 *Nescio, nec rationem capio*] Dissimulat Menedemus se scire, quod ex Chremete audiverat. Ita enim erat juvandus Clitipho solatio et officio, ut parenti constaret auctoritas, neque corrumperetur consilii fructus. *Bœclerus.*

Hic patrem astare aiebas] Menedemus, negotio Cliniæ nuptiarum apud Chremetem confecto, propere ingressus, ut filium parare juberet ad nuptias, eadem opera Clitiphoni exposuit, quemadmodum pater ipsum exhæredem velit esse; magnaque permotus iracundia, omnia sua bona doti dixerit filiæ, Clinii sponsæ. Hoc nuntio perculsus Clitipho, properat ad satisfaciendum patri; qui interea substiterat; meditabundus et cogitationis multæ manifestus. Subsequitur Clitiphonem Syrus consternationis particeps, ut ante consiliorum. Menedemus autem paululum officii causa cum Clitiphone egressus regreditur mox: neque interest jurgio. Nondum enim tempus deprecandi pro adolescente aderat. *Idem.*

8 *Quidquid ego hujus*] Quidquid ego tale feci. *Eugraphius.*

Quicquid ego hujus feci, tibi prospexi, et stultitiæ tuæ] Dictis jam confutat filium, ut ante constituerat. In qua objurgatione poëta exemplum dedit notabile, quanto sit major vis in rationibus, quam in vehementia et tumultu castigantis. Dissolutos filii mores, turpitudine præteritorum, noxa futuri, graphice describit pater; ut inferatur potentius necessitas coërcitionis, et descendat in animum gravius. Inter Demeæ asperitatem et Micionis indulgentiam, meditatum temperamenti genus. Sententiose autem τὴν ἀσωτίαν stultitiæ nomine Poëta describit. Itaque apud Aristophanem Plutus conqueritur; 'Se, ut primum in hominem stultum inciderit, in meretrices et aleam projici, minimoque temporis nudum domo expelli.' Ἢν δ' εἰς παραπλῆγ' ἄνθρωπον εἰσελθὼν τύχω, Πόρναισι καὶ κύβοισι παραβεβλημένος, Γυμνὸς θύραζ' ἐξέπεσον ἐν ἀκαρεῖ χρόνῳ. Ubi Scholiastes vetus erudite: Ἀληθῶς γὰρ ἡ ἀσωτία παραπεπληγμένη ἐστὶ διάνοια. *Bœclerus.*

9 *Esse animo omisso*] Negligenti, non in futurum prospicienti, sed voluptates præsentes habere potiores quam utilia in posterum et honesta. Adelph. act. v. sc. 3. 'Omissiores paulo.' *Farnabius.*

Et suavia in præsentia] Ut tantum præsentia cogitares, neque de futuris curam gereres. *Eugraphius.*

12 *Ubi decuit*] Quia primo tibi non licuit dare. Hoc enim optimum est parentibus, semper filiis bona tradere. Sed hoc cum mihi non licuerit, proximo tibi qui erat tradidi, hoc est, leviro, qui sororem tuam ducit uxorem. *Idem.*

Cui decuit primo, tibi] Comico genere loquendi per frequentia pronomina: *ubi per te non licuit mihi dare tibi, cui primo decuit* sc. me dare, aut decuit dari. *Bœclerus.*

Per te] Tua ipsius culpa. *Farnab.*

13 *Abii ad proximos tibi qui erant: eis commisi et credidi*] Ordinem juris accurate exprimit hic versus. Vult enim Chremes justissime videri hoc facere, quod filio minabatur: postquam illi non potuerit dare, qui in suis hæredibus primus erat, sibi progrediendum fuisse ad proximos, i. e. ad sororem, sicut postea vs. 26. explicatur: illis *commisisse* se et *credidisse.* In quibus verbis non simplex vis inest: primum quidem, *commisi et credidi,* ut tutanda, ne profusione intereant, quod in Clitiphone verendum erat; deinde, ut dispensanda, quantum ad necessitates vitæ attinet, etiam in Clitiphonem. Quin et consulto, ut de pluribus locutus est, quia dotis tutandæ ac dispensandæ cura ad maritum dotatæ pertinet: quo eleganter etiam valet τὸ *committere et credere.* Eugraphius non videtur satis cepisse vim ordinis, cum *proximos* explicat. *Bœclerus.*

Proxumos] Hæredes, sororem tuam et maritum ejus, levirum. *Farnabius.*

14 *Ibi tuæ stultitiæ sit præsidium*] Circa victum atque vestitum: et tectum habeas quo te recipias. *Eugraphius.*

Ibi] Apud illos. *Farnabius.*

18 *Quid sit vivere*] *Vere vivere,* ut act. I. sc. 1. *Bœclerus.*

Quid sit vivere] Secundum rationem et virtutem, quæ vera est vita. Lactantius l. III. c. 18. 'Nonne igitur verus ille et communis omnium pater Terentianum illud jure increpaverit, 'Prius disce quid sit vivere.' *Farnabius.*

19 *Istoc*] Moriendi voto atque consilio. *Idem.*

20 *Quæ isthæc est*] Servus iram domini in personam suam inclinare cupiens, ut adolescenti possit succurrere; interponit hæc verba. *Eugraphius.*

20. 21 *Quæ ista est pravitas? quæve amentia est*] Comica αὐξήσει usurpata sunt hæc vocabula, de ordine juris perverso, de præpostera ratione factorum. *Bœclerus.*

Quæve amentia] O. l. s. hic addunt verbum *est.* Faërnus.

22 *Aram*] Athenis, urbe media, fuit ara, Misericordiæ sacra, asylum, ad quod confugerent cives miseri, nec non servi. Ἔχει γὰρ καταφυγὴν δοῦλος βωμοὺς Θεῶν. Eurip. Andromach. Plutarch. lib. de Superstitione dicitur φεύξιμος βωμός. 'Hæc ara tuebitur omnes.' Hecuba apud Virg. Æn. II. *Farnabius.*

23 *Nec precatorem pararis*] Ne, inquit, ut adsolent servi, velis et tu habere precatorem, qui pro te roget. Vobis enim non irascor, cum multa feceritis: ita æquum est et mihi vos

ne irascamini. Post iracundiam apta sententia est. *Eugraphius.*

Precatorem] Deprecatorem, qui pro te intercedat. Plaut. Asin. act. II. 'Precator adfuisset, malam rem effugies nunquam.' *Farnabius.*

23. 24 *Nihil succenseo nec tibi, nec huic: nec vos est æquum, quod facio, mihi*] Custodit modum sui consilii senex; qui hanc castigationem non iræ, sed rationis esse; nec litigando, sed convincendo; adeoque plus rerum quam verborum argumentis constare voluit. Dissimulat ergo iram in servum, et in occasionem ultionis differt. Cum præsertim meminisset, quomodo huic ipsi servo nequam animum ad peccandum addiderit. Quæ denuo jactari, inter pudorem erroris sui, non vult. *Nec vos est æquum*, ob id *quod facio, mihi* succensere. Ita supplet Ms. Argent. codex, cum Guyeto. De ara et precatoribus Barlandus, (in cujus annotatione editores diligenter scilicet Lactantium pro Luctatio reponunt,) et melius Weitzius. *Bœclerus.*

24 *Nec vos est æquum*] Nec vos æquum est mihi succensere. *Farnabius.*

25 *Abiit*] Quo facilius terreret senex discessit. *Eugraphius.*

Abiit. vah rogasse vellem] Nullo modo debuit ejicere hos versus duos Guyetus. Quam necessarium est indicari, senem, abrupto colloquio, abiisse? et quæ potest esse opportunitas orationis vs. 27. cœptæ, si sermoni Chremetis statim subjiciatur? Durior videatur illa ἔλλειψις, *tibi jam esse ad sororem intelligo.* Sed prope est, unde suppleatur. Dixerat servus, *unde mihi peterem cibum*, et interposuerat πάθους caussa; *ita nos alienavit*: continuatur præcedentibus oratio: *tibi jam esse*, sub. cibum, *ad sororem*, i. e. apud sororem, *intelligo.* Bœclerus.

Abiit] Senex, Chremes. *Farnabius.*

26 *Ita nos abalienavit*] Lego, *alienavit*, ut sit Trochaicus, quales sunt ceteri. Vide Faërnum. *Faber.*

Ad sororem] Apud sororem. *Farnabius.*

27 *Adeone rem*] Optimum equidem sensum ex necessitate collectum in dolore adolescens collocavit. Quippe cum postremum omnium malorum fames sit. Denique, 'Obscænamque famem, quæ prima pericula, vito.' *Eugraphius.*

Fame] A fame. Vel genitivus antiquus 5. declin. Vid. Agell. lib. IX. c. 14. *Farnabius.*

Syre] Hic trochaicus ita sustentandus est, ut prima syllaba in præcedentem versum rejiciatur; et *periculum* in *periclum* contrahatur. Ut primus pes sit spondeus: secundus anapæstus: nam *redisse* scribebat Terentius, quod nos *rediisse*: tertius iambus, quartus dactylus. *Faërnus.*

28 *Modo liceat vivere, est spes*] Hic versus octonarius iambicus est, ponendo in prima sede proceleusmaticum, et diphthongum dissolvendo in *quæ*, ut sit spondeus. *Idem.*

Modo liceat vivere] Οὐδέποτ' ἀθυμεῖν τὸν κακῶς πράσσοντα ἄνδρα, τὰ βελτίω τε προσδοκᾷν ἀεί. Apollodorus. *Farnabius.*

Nos esurituros satis] Tristia aliquo joco distingui, comici leporis est. Sed videndum qui, et ubi, et a quo fieri id debeat. Servum hic non decuit, ab inexpectato, aliud joculariter inferre, quam quod interrogabatur. *Bœclerus.*

Nos esurituros satis] Ἀπροσδόκητον servilis joci in periculo. *Farnabius.*

29 *Neque me quicquam consilio adjuvas*] Opportune instigatur servus, ut consumat, quod super est fallaciæ, in astuto pectore. Οἰκονομικὸν et plane insigne εὕρημα: ad exhæredationem, suspicio subditivi partus. *Bœclerus.*

30 *Immo et ibi nunc sum, et usque id egi dudum, &c.*] Commendat in his δεινότητα ingenii sui Syrus: vultuque sermonem adjuvat. *Idem.*

Ibi nunc sum, &c.] Totus in hoc sum, hoc nunc ago, et dudum egi, usque dum pater tuus aderat, ut meditando aliquod consilium extunderem. *Farnabius.*

32 *Sic est*] Diu finxit, nescio quid cogitare, servus, reperit tamen astute. Consulit uti dicat, hunc adolescentem filium non esse, et quærit argumenta, quod antequam puella esset inventa, hunc diligebant, postea exhæredatur. Adjicit et illud, cum matres semper pro filiis intervenire consueverint, nunc in iracundia non rogat mater. Compellit igitur adolescentem, uti parentes roget, aut enim precibus ad misericordiam commoturus est ambos, aut suos parentes facile cognoscet. Sed conventum ex posteriori oratione cognoscimus, cum dixit, 'Satis recte.' Cum enim in periculo majore positus fuerit filius, tum facile parentibus potest movere pietatem, vel pacem ab iracundo patre suscipere. 'Pacem' autem dixit veniam, ut Virgil. 'Pacemque per auras Exquirunt.' Id est, benevolentiam ac veniam. *Eugraphius.*

Sic est: non esse horum te arbitror] Bene Eugraphius: 'diu finxit, se nescio quid cogitare, servus; reperit tandem' (ita legendum est) 'astute.' Itaque hæc oratio, *sic est*, continuat cogitationes, nota et familiari Comicis figura. Mox consilio suo fidem et benevolentiam parat: 'ego dicam, quod mihi in mentem: tu dijudica.' Atque hinc duobus argumentis (quam ex proximo et re præsenti petitis!) et adolescentis et consternati animum facile impellit. *Bœclerus.*

Non esse horum te arbitror] Arbitror te non esse filium horum, nec dignatus est dicere, 'parentum,' aut, 'Chremetis et Sostratæ.' *Farnabius.*

38 *Matres omnes filiis, &c.*] Menander: Ἔστι δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός. *Idem.*

39 *Auxilio in paterna injuria*] Sicubi pater infestus sit et iniquior, mater plerunque indulgentior excusat peccata filii. Jam autem lentior est, neque id facit. *Idem.*

41 *Suspicionem istam*] In libro Bembino est *istanc*, ut et Priscianus citat, et ratio versus exigit. *Faërnus.*

42 *Si non est verum, ad misericordiam ambos adduces cito*] Quid enim validius esse poterat ad tentandum animum parentum? Itaque postea mater nec ferre potest hujus rei mentionem. Calphurnius hujus sententiæ hanc rationem affert: 'quia parentes veri cito filiis ignoscunt.' Quod frigidum esset hoc loco. Vult enim significare, parentes prorsus ferre non posse, si γνησιότης τῆς στοργῆς in dubium vocetur. *Bœclerus.*

43 *Scibis*] Antique, pro *scies.* Farnabius.

Faciam] Cum hoc verbo, statim digreditur ad matrem Clitipho; et cum ea talem orationem habere instituit, ut præceperat Syrus. Qui in theatro subsistit, et mutatas quasi in melius sibi propositi vias exequitur. *Bœclerus.*

Sat recte mihi] O. l. s. post 'recte' habent *hoc.* Faërnus.

44 *Maxime spe situs erit*] *Situs spe*, expone, derelictus, sive dimissus a spe: *sino* enim et pro dimitto accipitur, ut et supra in Heautontim. 'sine me vacivom tempus ne quod dem mihi laboris.' Item in Adelphis, 'quisquis es sine me.' Et in Phormione, 'imprudens timuit adolescens, sino.' Quæ duo extrema etiam a Donato citantur in Hecyra, probare volente idem esse *sino*, ac *mitto.* Idem.

Quam minima in spe situs erit] Torsit hic locus eruditos: in quibus duo maximi viri Faërnus et Guyetus vix approbabunt suam interpretationem (de voce *situs* aut *citus*) cuiquam diligentius cogitanti. Sensus quidem

patet: et ab Eugraphio recte consignatur: 'cum enim in periculo majore positus fuerit filius, tum facile parentibus potest movere pietatem, vel pacem ab iracundo patre suscipere.' Hinc constat primo, Eugraphium hic non legisse, *quam* et *tam*; sed *quum* et *tum*: deinde *τὸ situs* eum accepisse, pro positus. Prius illud Guyeti emendationem confirmat, cum itidem hic legit, *quum*, *tum*. Bœclerus.

Quam min. in spe situs erit, &c.] Quanto magis fingit suspicari se nec posse sperare se esse eorum filium, tanto facilius patris benevolentiam sibi conciliabit, idque ad arbitrium, conditiones, et voluntatem suam. *Farnabius.*

45 *Tam facillime boni patris pacem*] Dictionem *boni*, auctoritate omnium librorum, delevimus. *Faërnus.*

Patris pacem in leg. confic. suas] Plautus Mostellar. v. 2. 5. et 6. 'Nunc ego de sodalitate solus sum orator datus, Qui a patre ejus conciliarem pacem.' *Bœclerus.*

46 *At Syro nihil sit gratiæ*] Certus sum quod ex hoc consilio in gratiam est filius reversurus, ut fortasse etiam concedat veniam, et uxorem ducere compellat. *Eugraphius.*

Ac Syro nihil gratiæ] Τὸ *ac* Eugraphius habet; sed nostri Mss. et alii præferunt *at*. Quod et Guyetus tuetur. De sensu disputant. *At Syro nihil gratiæ* scilicet apud Clitiphonem erit. Reconciliabitur quidem ille parenti, si præsertim animum a meretrice avulsum ad nuptias transferat; quæ una placandis parentibus ratio superesse videtur. At mihi nihil gratiæ erit ex hoc consilio; nec apud adolescentem, qui ægre feret se abstrahi a Bacchide; nec apud Chremetem, qui me ut amoris meretricii adjutorem oderit. Abrumpitur autem oratio imperfecta, interventu senis. *Bœclerus.*

47 *Quid autem hoc*] O. l. s. *quid hoc autem?* versus est trochaicus tetrameter acatalecticus, ut sequentes. *Faërnus.*

Ego fugio] Non conscientiæ tantum iste metus est, sed sagacitatis. Intellexerat enim veterator, dissimulari tantum et differri Chremetis iram. *Bœclerus.*

49 *Eum precatorem mihi paro*] O. l. s. *cum mihi precatorem paro.* Faërnus.

Precatorem] Deprecatorem, ut modo. *Farnabius.*

Seni nostro fidei nihil habeo] Non credam seni quasi ignoscenti; itaque Menedemum precatorem parabo. *Eugraphius.*

Scena iii. Iambici Octonarii, et Trochaici septenarii; intermixtis duobus dimetris iamb. vs. 4. omnes: *oh pergin mulier esse.* vs. 5. duo: *mihi adversatrix fueris.* unus omittit, *mihi.* vs. 13. omnes: *istuc nostris inimicis siet.* vs. 16. duo: *quo magis cr.* vs. 19. duo: *quin itidem sit tibi.* unus: *quin ididem sit tibi.* Bœclerus.

1 *Profecto nisi*] *Coërcet hic uxor maritum, quod exhæredationem filii velit errore.* Ex illo consilio sexus jam continuo notatur. Quasi morum vitium est; ut alibi, 'Tu inquam mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas.' Aliud tamen est mulierem dicere per naturam, aliud per vitium. *Eugraphius.*

Profecto nisi caves] Magna celeritas est rerum, quæ hic concluduntur. Clitipho ad matrem cucurrit, querelam ferens de severitate patris exhæredare ipsum volentis; atque hinc suspicionem moverat de statu suo: quod verisimile nemini videretur, patrem tam acerbe acturum cum filio, quem pro vero et suo agnosceret. Mater Chremetem maritum statim ea de re aggreditur, domoque exeuntem pone consequitur, atque hoc jurgium in scenam infert. Interponitur nihil aliud, quam sermo ille Syri brevis scena præcedente. Hæc, inquam, celeritas condonatur fabulis,

quarum mensuram et modum custodire inter artes poëtæ est. Neque nulla ratio subest, inter perculsos re atroci, et paucis verbis, multo affectu festinantes. Frustra hic nonnemo confusionem suspicatur, et ad scenam sequentem requirit, qui jam hac scena Sostratæ de suspicione Clitiphonis potuerit constare?

In senili hoc jurgio, quin justo duriorem se præbeat adversus uxorem Chremes, negari non potest. Atque illos ipsos morosorum adversus uxores senum mores aliquoties videtur *κωμῳδεῖν* poëta noster. *Bœclerus.*

2 *Idque adeo miror, quomodo*] Hunc versum dimetrum iambicum ab ceteris separamus: reliqua ut in libro Bembino, in quo est, *Pergin mulier odiosa esse?* in hos versus octonarios iambicos ordinamus, servata etiam collocatione illorum verborum, quæ est in antiquis libris, *mihi fueris advorsatrix*: Ch. *Pergin mulier odiosa esse? nullam ne ego rem unquam in vita mea Volui, quin tu in ea re mihi fueris advorsatrix Sostrata?* Faërnus.

4 *Pergin' mulier esse*] Sunt qui legunt, *pergin' mulier odiosa esse?* 'odiosa' tollitur a Fabricio tanquam surreptitium. Satis est si sexui imputetur impotens, intempestiva, et temeraria sapientia. Plaut. Casin. act. ii. sc. 2. 'I foras, mulier es.' *Farnabius.*

5 *Quin tu in ea re mihi fueris adversatrix*] Vide Chrestomath. Apud Plautum opponitur *assentatrix*, Mostellaria i. 3. 100. 'Nunc assentatrix scelesta est, dudum adversatrix erat.' *Bœclerus.*

6 *At si rogitem*] Quam stulta sis, perspice. Quid faciam vides, cur faciam nescis, unde stulte resistis. *Eugraphius.*

7 *Ego nescio? immo scis potius*] Illud, *ego nescio*, vel dolenter et *ἐμπαθῶς* proferendum est, ut contrarium intelligatur: vel, quod simplicius videtur, idem sensus interrogatione effici debet: *ego nescio?* itane ego nescio, quid facias? in re scilicet tam manifestæ acerbitatis. Atque in hac sententia, Calpburnio etiam probata, nihil opus est emendatione, aut commutatione *τοῦ nescio* in *nesciam*, invitis codicibus. Respondet Chremes iracunda concessione, *immo scis potius, quam quidem redeat ad integrum eadem oratio.* i. e. desine modo contradicere; non dico jam te nescire: quin scis, (*εἰρωνικῶς*,) quin te scire fateor potius, quam ut eadem oratio redintegretur, quam ut iteratis tuis contradictionibus me obtundas. Τὸ *scis* nihil incommodi hic habet: vultu præsertim et pronuntiatione figuram affirmantibus, et formam *τῇ διανοίᾳ* largientibus. *Bœclerus.*

Ego nescio] Ironice. *Farnabius.*

8 *Eadem oratio*] Sensum hunc puto esse horum verborum, ut Sostrata per interrogationem dicente, ego nescio, ipse fateatur eam scire potius, quam amplius super hac re contendendum sit, et eadem oratio utrinque repetenda. 'Subditum se suspicatur. Ch. subditum! ain tu? So. certe inquam mi vir.' *Faërnus.*

9. 10 *Oh iniquus es, qui me tacere de re t. p. non postulo*] In his verbis, *κρίσις τοῦ ἤθους* continetur in hac scena: quod plerumque solet facere Terentius singulari diligentia. Satis est semel monuisse rem non vulgaris observationis. *Bœclerus.*

11 *Verum*] I. e. omnino. Verum est, quod dixi me facturum. *Idem.*

12 *Subditum se suspicatur*] Hic jam intelligendum, venisse adolescentem, et matri, hoc est, mitiori de parentibus, suam suspicionem indicasse. *Eugraphius.*

Subditum se suspicatur] Omnium scriptorum, quos legerim, prudentissimum fuisse arbitror Terentium. veteres in eo artem præcipue commendant. Et tamen hoc loco id ego ho-

die adversus illum dicere possim quod in prima Comœdia est: 'Male divisa sunt tibi temporibus hæc;' nam gravissimum contra œconomiam Fabulæ peccatum est, quod ego primus ostendo. Quippe unde resciscere potuit Sostrata Clitiphonem suspicari esse se subditum? Nam modo id consilii dedit Syrus; at Syrus ex eo tempore Sostratam non vidit. Clitipho autem ad eam non adibit nisi scena sequenti. Ibi sic eam alloquetur: 'Si unquam ullum fuit tempus,' &c. *Faber.*

Subditum! ain tu] Cum admiratione, sed severa, et contradicendi studio excitata, dici hæc, responsio matronæ monstrat magna asseveratione: 'certe, inquam, mi vir.' *Bœclerus.*

Subditum] Subdititium, supposititium, *ὑποβολιμαῖον*. *Farnabius.*

Certe sic erit] Quod in futuro dicit, 'certe sic erit,' confirmando id quod jam in præsenti dixit, 'subditum se suspicatur,' hujus locutionis multa jam exempla veterum adduximus in Eunucho, super eo versu: 'Verbum hercle hoc verum erit.' *Faërnus.*

13 *Confitere, tuum non esse*] Arripit occasionem senex *διασυρμοῦ* in uxorem: sed acerbe et violente. Ubi hoc vere *κωμικὸν*, quod ex re nata cooriuntur ista: de cetero morosi moris nota minime in obscuro est. Sensus: tu scire inprimis potes, subditusne sit an verus filius. Et si quid secus, quam par est, accidit, non abhorret a tuis moribus suspicio imposturæ, *confitere tuum non esse*. Hæc fere alii. Mihi nihil certius videtur, quam vim hujus orationis in pronuntiatione et vultu quærendam esse; ut dixerit Chremes vultu serio, sententia ironica, pronuntiatione inter utrumque media, *confitere tuum non esse.* Ita enim eludere parat Chremes ex necopinato objectum sibi ab uxore terriculamentum. Plus autem intelligi vult, quam dicere videtur: in aperto enim, tanquam ex facili jubere videtur: *confitere tuum non esse:* quandoquidem id movet filius, auge ejus opinionem, confitere ex te non esse natum. Occulte autem, ut sequentia docent, contrarium *εἰρωνείᾳ* penetrabili signatur. Confitere, si potes, filium tuum non esse, qui te ingenio et moribus prorsum refert. Cumque Sostrata ad id, quod erat in verbis potius, quam ad id, quod in sensu suberat, responderet abominando; pergit Chremes suam ironiam pertendere, ac interpretari: 'quid? metuis, ne non, cum velis, convincas esse illum tuum?' quid repugnas, quid abominaris? non debes metuere, etiamsi nunc dicas, non esse filium tuum, quin postea tamen, quo velis tempore probes et convincas omnino esse filium. Potest enim et hic ferri usitata lectio. Excipit Sostrata; quid ita hoc dicis? an 'quod filia est inventa?' quæ probet me non sterilem fuisse, neque adeo opus habuisse, ut de supponendo puero unquam cogitarem. Sumatur enim sensus, qui est simplicior, Sostratæque ingenio accommodatior. Manet Chremes in acerba sua irrisione, et ad hæc uxoris verba refert: non hoc dico, sed aliud fortius argumentum probandæ *γνησιότητος* in animo volvo, et 'quod magis credendum siet, ob id quod est consimilis moribus. Nam tui probe est similis;' quicquid est in ipso vitii, etiam in te cernitur: 'nam illi vitii nihil est relictum, quin sit et idem tibi.' (Si quid hic insititii est, hunc saltem versum credam, ut glossam, adjectum.) Hinc ergo 'facile convinces, ex te esse natum.' Cui tam invidiosæ exprobrationi immoratus, denuo infert: 'tum præterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.' *Talem:* tam vitiosum, sicut scena seq. describitur. *Bœclerus.*

Confitere tuum non esse] Confitere itaque eum esse subdititium. *Farnabius.*

Istuc inimicis siet] Imprecatio. Ovid. 'Hostibus eveniat.' Horat.

'Hostium uxores puerique cœcos Sentiant motus orientis Austri.' *Idem.*

16 *Quod filia est inventa*] Exinde putas posse inveniri hunc esse filium meum, quod et inventa est filia? Hoc est, eodem pacto, ut et hic noster, quemadmodum et illa inventa est, inveniri possit. *Eugraphius.*

18 *Ex te natum*] Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. *Farnabius.*

21 *Severus*] Tristis et gravis, abdicatus sc. re perdita, ad Censorum severitatem allusum. Qui tamen non ex vultu sed ex re censent. *Idem.*

Rem cum videas, censeas] Cum videas, ex vultu mores ejus agnoscas. *Eugraphius.*

Rem cum videas censeas] Quid non comminiscuntur hic duræ, contortæ, ineptæ interpretationis? in quibus etiam censori et censorio supercilio locus datus est, si diis placet: prorsusque multa allata sunt, quæ nec Latina, nec tolerabili sententia, quisquam dixerit. Neque expedivit rem impeditam, aut perditam restituit Guyeti emendatio. Quis enim non videat eam quoque longe accersitam, nec præcedenti sententiæ probe congruere? Est, qui, sed leviter tantum, dubitavit, an legi debeat: *quam severum eum, cum videas, censeas!* Verum consensus codicum Mss. interdicere nobis tam præsentibus remediis videtur. An ergo potius ita accipimus, sicut accepere, qui verbis vim facere veriti, pronuntiatu juvandam sententiam putarunt? *quam severus*, et alicujus pretii, non instrenuus, videtur, cum faciem videas! *rem* autem ipsam *cum videas*, tum vero *censeas*, qualis sit; ut ipsa ἀποσιώπησις quod verbis detrahit, sententiæ adjiciat. An vero? *rem cum videas, censeas.* Rem ita esse censeas, revera severum censeas esse, cum videas, cum faciem videas. Non satisfaciunt mihi ista, qui nihil a Terentio durum aut insolens proficisci persuasum habeo: sed ex omnibus, quæ afferuntur, malim hæc tolerare. *Bœclerus.*

Scena iv. Trochaici tetrametri catalectici, sive septenarii. vs. 1. Mss. meorum alter omittit *ullum*. vs. 2. Arg. addit *aut*. vs. 7 omnes ut ed. vs. 8. Argent. *ne unquam.* Unus meorum, *nunquam.* vs. 13. omnes: *itidem ut a.* Bœclerus.

1 *Si unquam ullum*] Ad commovendam pietatem commemorat præteritos affectus, quo sic facilius possit agnosci. Ut, 'Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam Dulce meum.' *Eugraphius.*

Si unquam ullum f. t.] Preces ad muliebre ingenium et animum maternum maxime efficaces. Ordo est: *mater* (in quo nomine affectus inest) *si unquam ullum fuit tempus, cum ego voluptati tibi fuerim*, (tractatu frequentium verborum valescit sententia, commemoratione præteritorum affectuum) *dictus filius tuus tua voluntate*, (si non fui, tua certe voluntate dicebar esse, quæ me pro filio tibi esse voluisti) *ejus* temporis *obsecro, ut memineris, atque ut inopis mei nunc te miserescat*, (iterum producitur, et veluti animo materno imprimitur τὸ πάθος) *ut parentes meos commonstres mihi*, in eo, ne graveris meos mihi parentes commonstrare, *quod* unice *peto et volo*, seu cupio, desidero. Ita enim sæpius τὸ *velle* significat. Guyetus sub. 'propter' sive 'ob,' ante τὸ *quod*. Bœclerus.

Cum ego vol. tibi, &c.] Hoc ex consilio servuli Syri, supra, sc. 2. hujus actus. *Farnabius.*

4 *Quid peto et volo, parentes meos ut commonstres mihi, &c.*] Est vero tale illud ut a nemine negari possit. Omnia clara et manifesta. Ergo et error clarus est et manifestus. Totum hoc eo a me dictum est, non ut Terentium reprehenderem, sed ut tantum ostenderem, errasse multos, qui, quod moneo, non animadverterint. At, si scias, nihil facilius quam Terentium purgasse ab errore tam fœdo, qui, ante quam demonstratus a me

fuerat, non apparebat. Sic igitur accipe et crede. Unicæ literulæ mutatione tota res confieri potest. Non est legendum *suspicatur*, sed *suspicetur*. est autem longe maxima differentia inter *suspicatur* et *suspicetur*. Nam de quo dixeris *suspicatur*, illius animus plane et pro certo commotus et impulsus suspicione est; at si dicas Clitipho *suspicetur*, *&c.* erit istud in modo potentiali positum; ita ut non affirmative et theticos dicas suspicari, sed tantum posse suspicare se esse subditum, cum nimiam in patre asperitatem videat. Lectores prudentes ac bene cordatos oro ac quæso, ut quod a me dictum est modo, id considerent diligentius paulo; et hoc meminerint, libros veteres non sine acri et attento studio legi decere. *Faber.*

6 *Hoccine quæsisti obsecro*] Ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; hoccine tu interrogare non es veritus? Bene Gallus Scholiastes: *n'as tu point honte d'avoir fait une telle demande? n'as tu bien osê faire cette demande?* Bœclerus.

7 *Ita mihi atque huic sis superstes*] Ὅρκος ἠθικὸς, ex solenni parentum voto. De quo etiam Romani Jureconsulti non semel pronuntiant. Apud Quintilianum (Instit. Orat. IX. 2.) ita effertur: 'ita mihi contingat hærede filio mori,' de qua re multa annotantur ad illud Plaut. Asin. I. 1. 1. 'Sicut tuum vis unicum gnatum tuæ Superesse vitæ sospitem et superstitem, Ita te obtestor.' *Idem.*

Ita mihi, &c.] Religiosum utique et solenne parentum votum fuit, filios sibi relinquere superstites. Plaut. Asinar. act. I. sc. 1. 'Sicut tuum vis unicum gnatum tuæ Superesse vitæ sospitem et superstitem.' Martial. l. VII. ep. 95. 'Sic ad Lethæas,' &c. alii. *Farnabius.*

8. 9 *Et cave posthac, si me amas. At ego, si me metuis*] Vide Chrestomath. voce Denunt. *Bœclerus.*

10 Cl. *Quos*] Clitipho ad extenuationem vult confugere, quali sententia sc. 2. ante dixit: 'Quodnam ob facinus? quid ego tantum sceleris admisi? Vulgo faciunt.' *Idem.*

Gerro, iners] 'Gerro' est piscis nullius saporis vel momenti. Aut 'gerro' dicuntur machinamenta, quæ adversus civitates fiebant, magno impetu cum * dejicerent eadem 'gerras' appellabant. 'Helluo' est invasor, et qui plurimum consumit. *Eugraphius.*

Fraus, heluo] In libro Bembino et aliis antiquis *helluo*, per duo l, scriptum est. *Faërnus.*

Gerro, iners, fraus, helluo] Frequentationis genus, inprimis validum et affectibus aptum. 'Iners,' sine arte, i. e. ἀρετῇ, Donato in Andr. et Ciceroni II. de Fin. 34. 'Fraus,' magna et rara αὐξήσει, pro fraudulento, qui fallere consueverit patrem. *Bœclerus.*

Gerro] Nugator, gerræ enim nugæ. *Farnabius.*

Fraus] Fraudulentus, fallax. *Idem.*

11 *Ganeo*] Tabernis operam dans et conviviis turpioribus. *Eugraphius.*

Damnosus] Hoc in postremum reservavit, ut quod intus male urebat senem x. minis Syri dolo emunctum, atque Bacchidi a Clitiphone datis. *Farnab.*

Crede, et nostrum te esse credito] Εἰρωνικῶς et cum ἐμφάσει hæc dicta accipi debent, ut plura Chremetis. *Crede* hoc quod dixi: verissimum est scilicet, te esse qualem descripsi. *Crede*, inquam, hoc, de quo nulla tibi dubitandi caussa est; et eadem opera, si potes, *credito, te nostrum esse* filium. Innuit tacita vi castigationis, non tam de nativitate, quam de moribus agi. Quis enim vult dicere, talem filium pro suo agnosceret? parentes scilicet ita sentiunt, ut ab initio fabulæ Menedemus ἠθικῶς enuntiavit. 'Ego te meum esse dici tantisper volo, Dum, quod te dignum est, facies: sed si id non facis, Ego, quod

me in te sit facere dignum, invenero.' Id est, non eris mihi amplius pro filio, exhæredaberis. Atque hujus sententiæ vim mox etiam proverbiali genere αὐξήσεως amplificat Chremes: 'non si ex capite sis meo natus, item, ut aiunt, Minervam esse ex Jove,' adeoque singulari modo tibi pater sim, pro filio te habeam his moribus, atque 'ea causa magis patiar flagitiis tuis me infamem fieri.' Quomodo Guyetus emendare conetur, vide. *Bœclerus.*

12 *Non sunt jam hæc dicta parenti, &c.*] Versus esse trochaicus debet. Quamobrem legendum ut apud Faërnum est: *Non sunt parentis dicta.* Profecto arbitror multos Christianos ignorare quid doceat Hephæstion Alexandrinus in libello admirabili de metris, aut quid scripserit Maurus, Grammaticus poëta, et vir Illustris. *Faber.*

Non sunt hæc jam parentis dicta] *Jam* non est in ullo l. s. quod et ratio trochaici respuit. *Faërnus.*

Si ex capite sis meo] Si æque certus essem de partu ac matres sunt aut Jupiter, cujus e cerebro natam esse Minervam aiunt; non tamen me infamem flagitiis tuis fieri patiar. *Farnabius.*

13 *Minervam esse ex Jove*] Poëtæ, Stesichorus primus, mox Apollonius, deinde alii. Lucianus in dialogo Jovis et Vulcani. Adi Mythologos. *Idem.*

15 *Dii isthæc prohibeant.* Ch. *Deos nescio*] Plautus, ἐκ παραλλήλου, Cistellaria I. 1. 53. 'Gy. Dii faxint. Le. sine opera tua nihil dii horunc facere possunt.' *Nescio deos*, sub. quid facturi sint, an prohibituri sint, ut recte Guyetus. Alii non ceperunt. *Bœclerus.*

Nescio deos] Dionysius Lambinus, vir summe eruditus, ut de illo alicubi censuit Scaliger, (qui tamen haud facile quemquam laudabat,) hic valde erravit. Sic enim in egregia illa ad Carolum IX. Epistola loquitur, (qua Epistola nihil ab ipso melius scriptum est,) 'Ne Terentius quidem,' inquit, 'quem omnes eruditi omnium comicorum pudentissimum et verecundissimum fatentur esse, &c. Jam illud ab irato sene impie dictum: Deos nescio.' Vides, Lector, Terentium impietatis accusat. o si vellem ego Lambinum arripere! Sed ejus virtuti debetur ut nequid tale faciamus. dicam igitur simpliciter, et veniam præfatus, hoc loco lapsus est vir Doctissimus. Illud, *Nescio deos*, nihil est aliud, nisi, 'Quid facere decreverint Dii, id equidem est quod nescio; quid ipse facturus sim, id vero est quod scio.' Sic alibi, cum dixisset Bacchis: 'Vobis cum uno semel,' &c. respondet Antiphila: 'Nescio alias: me quidem semper scio fecisse sedulo Ut ex illius commodo meum compararem commodum.' 'Nescio alias,' id est, Quid aliæ mulieres faciant, ut sese in viros gerant, nescio: at ego, quæ mihi conscia sum, hoc vere possum affirmare, me semper meum commodum ex ipsius commodo comparasse. *Faber.*

Ch. *Nescio Deos*] Supple, *prohibeant*. Sed vocem hanc intercidit ira Chremetis, cui dolor impiam hanc vocem expressit. *Farnabius.*

16 *Quæris quod habes*] Scilicet parentes. *Eugraphius.*

Quod abest non quæris] Hoc est, quemadmodum patri obsequaris. Et est compositum ex contrariis, quæ figura dicitur ἀντίθετον, vel πάρισον, id est, æquatio sententiæ. *Idem.*

18 *Pudet*] Aposiopesis ex pudore. Quanquam iratus, coram uxore tamen *meretricem* dicere sibi interdicit. *Farnabius.*

19 *At te illud nullo modo facere piguit.* Cl. *eheu quam ego nunc*] Bembinus et aliquot alii libri ita habent: *At te id nullo modo facere puduit.* Ita optime stat trochaicus. Quæ vero sequuntur in Bembino, sunt sine pro-

nomine *ego.* Faërnus.

SCENA V. Eodem metro. vs. 6. Mss. omnes : *sine te exorem.* et mox : *egone.* vs. 9. omnes : *quid istuc?* et vs. 10. *si id faciat.* vs. 14. Argent. cum glossa : *aut illam accipiat, aut me inimicum habeat, utrum vult.* vs. 15. omnes : *cognoveris.* vs. 21. omnes : *Archonidis.* Sed in uno, secunda manu, deleta est litera postrema. *Archonidi* enim scripsisse Poëtam, testatur Priscianus lib. VI. *Bœclerus.*

1 *Enim vero Chremes*] *Procedit Menedemus, ut omnis persona in postrema parte præsens sit. Venia datur filio, ut cunctus error possit absolvi. Adhuc tamen perseverans Chremes convenit Menedemum, ut filiam ducat.* Eugraphius.

Enim vero Chremes] Conveniunt hæc verba personæ Menedemi, ut qui experientia didicisset quam male sibi cesserit austeritas patris. *Farnabius.*

8 *Cur non accersi jubes filiam, et quod dotis dixi, firmas*] Duo una et eadem opera agit Chremes ; ut in fine fabulæ promoverentur nuptiæ filiæ, quam desponderat ; et ut Clitiphoni, cujus animus pœnitentia jam infractus erat, venia daretur, proposita conditione commutandæ prioris vitæ. Nihil autem efficacius erat ad permovendum Clitiphonem ut peteret veniam (huc enim res deducta erat, ut aliter non posset finiri) quam injecta denuo mentio dotis, in qua exhæredatio ipsius, ut ante cognitum est, continebatur. Itaque statim, matre deprecationem incipiente, Clitipho : ‘ Pater, obsecro, mihi ignoscas.’ Et subinde : ‘ Si me vivum vis pater, ignosce.’ *Bœclerus.*

4 *Et quod dixi dotis*] O. l. s. *Et quod dotis dixi.* Faërnus.

8 So. *Age Chremes*] Bembinus liber his addit dictionem *mi.* Ita conjicio fuisse scriptum et in Victoriano, in quo vacat locus hujusmodi particulæ abrasæ. *Idem.*

9 *Quid istic*] Ita melius legitur. Usitata formula concedentium, qui expugnati tandem dicunt ; *quid istic?* sub. ago, resisto. *Bœclerus.*

Quid istuc? &c.] Menander Ὁ σκληρότατος πρὸς υἱὸν ἐν τῷ νουθετεῖν, τοῖς μὲν λόγοις πικρός ἐστι, τοῖς δ' ἔργοις πατήρ. *Farnabius.*

10 *Si faciat*] Idem liber, *si facit ;* ut exigit versus. *Faërnus.*

12 *Ad me recipio*] Id est, ego facio ut hic promittat. *Eugraphius.*

14 *Hæc dum incipias*] In exordio habent hæc semper difficultatem, ubi aggressus fueris, facilia fiunt. *Idem.*

Hæc dum incipias, &c.] Imitatur Lactantius lib. VI. c. 23. ‘ Omnia gravia sunt, dum ignoras : ubi cognoveris, facilia.’ Δοκεῖ οὖν πλεῖστον ἢ τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς εἶναι ἡ ἀρχή. Aristot. Ethic. l. I. c. 7. Initium arduum, imbecillæ mentis et ægræ est formidare inexperta. Senec. l. VI. ep. 50. *Farnabius.*

16 *Ego tibi illam*] Hic illudit, ut joco tristitia solvatur, cum promittit filiam nescio cujus, admodum fœdam. *Eugraphius.*

Ego pol tibi dabo illam lepidam] Joco occasionem quæsivit poëta, mox διατυπώσει quadam subjecto. Neque tamen putandum est matrem consulto talem nominasse, quæ illa descriptione irrideri posset. Sed cum illa honestatem familiæ, divitias, et talia spectaret in eligenda conditione ; adolescens, pro ætate ac ingenio, formæ primam sibi rationem ducit habendam. *Bœclerus.*

Ego pol tibi dabo puellam lepidam] Ex eodem libro lego *illam lepidam :* ita stat trochaicus. Aliter esset octonarius iambicus, inter trochaicos. *Faërnus.*

18 *Cæsiam*] Id est, oculis obtortis, vel cæsuras, id est, rugas, habentem ; aut lenticulosam. *Eugraphius.*

Cæsiam] Cæsiis, glaucis oculis. *Farnabius.*

Sparso ore] Id est, dissoluto. Aut *ore* dixit vultu, et significat *sparso* quasi maculis quibusdam infecto vultu. *Eugraphius.*

3 *Sparso ore*] Os, vultus est. Gall. dicendum : *Un visage parsemé de rousseurs.* quo nihil magis inamabile in illo genere est. Ita optime a veteri magistro explicatum fuit. Hic sibi cavere debuerant Interpretes Gallici, et veteres et recentes. *Faber.*

19 *Ut elegans est*] Id est, prudens in discernendis puellis. Quia ‘ ibi,’ id est, in hac electione, totus est. Quod vero subjunxit, ‘ Archonidis filiam,’ aut Bacchidem dicit, aut aliam quamlibet, ad quam adolescens contumeliis patris appulerat animum. *Eugraphius.*

Elegans] Ut alibi, ‘ Elegans formarum spectator.’ Gall. *Qui est difficile, qui raffine dans le jugement des choses, qui se pique d'entendre ce qu'il y a de plus beau dans les sciences, dans les arts, &c.* Faber.

Ut elegans est] Eunuch. act. III. scen. 5. ‘ Quam elegans formarum spectator siem.’ *Farnabius.*

20 CL. *Quid istic*] Liber Bembinus *immo.* Faërnus.

Archonidis filiam] Trochaicus esse debet. Quare lego ut in illo optimo P. Bembi codice erat, et ut citat Priscianus antiquissimus Grammaticus, *Archonidi huju' filiam.* Hujus, id est Gallice, *nostre voisin ;* sic enim illi veteres solebant loqui. *Archonidi* autem, ut Chremi, Achilli, Persi. Ter. Virgil. Sallust. *Faber.*

21 *Archonidis filiam*] Penultima longa, quasi Ἀρχονείδου ab Ἀρχονεύς. *Farnabius.*

22 *Syro ut ignoscas*] Petit veniam etiam Syro, sed non omnium factorum, ne infinitum esset quod petere videtur. Et transfert in se crimen servi, dicens ; *quod fecit, mea causa, fecit.* Eugraphius.

ADELPHI.

Didascalia] Hæc Didascalia corrupta est, ut optime vidit Muretus ; constat enim Scipionem Æmilianum (nam de eo agitur) nunquam Ædilem fuisse. Itaque facta conjectura ex veteri libro, qui in bibliotheca Sodalium Antonianorum erat apud Venetias, sic legit : ACTA LUDIS FUNEBRIBUS ÆMILII PAULLI, QUOS FECERE Q. FABIUS MAXIMUS, ET P. CORNELIUS AFRICANUS. Illi autem, quod notissimum, Paulli Æmilii filii fuerunt ; sed in alienas familias per adoptionem transivere, quod vetus historia testatur. Addo autem hoc etiam, non modo corruptam esse Didascaliam hanc, sed et mutilam. Hæ enim in ea literæ (M. M. C.) esse deberent. Rem sic explicat Excerptor : ‘ Sæpe tamen, mutatis per scenam modis, cantica mutavit, quod significat Titulus scenæ, habens subjectas personis literas M. M. C. mutati modi cantici.’ *Faber.*

Micio] At ego hoc miror, scriptum ubique a Mureto fuisse *Mitio* per T, quod non potest ; alioqui originem Latinam haberet, atque ideo peccasset Poëta ; nam in palliata Fabula nomen personæ Romanum esse non potest. Dein Micio planissime Græcum est, cum ex Etymologia, tum ex Plutarchi et aliorum auctoritate. Plutarchi, inquam, vol. 1. pag. 752. et 1046. Diodori vol. 2. pag. 247. Dicebant et Miccio per duplex C. Lucian. in Zeuxide. Livius quoque de quodam Chalcidensium lega-

to. et id e Græca lingua. Sic autem mares dicebantur; at feminas, eas vero Miccas vocabant. Plutarchus in tractatu de virtute mulierum. Tamen apud Aristophanem p. 794. ed. minoris, est Mica, sed prima longa, itidem ac si per geminum K scriberes.

Ex personis mutis sustuli Storacem servulum; quia sub auroram, (eo enim tempore acta est hæc fabula,) domi non erat; itaque nec in theatro; postea autem nulla ipsius opera in scena fuit. Babylonem hinc quoque amandavi, nam Babylo est idem qui Micio. *Faber.*

PROLOGUS. Senarii sunt Iambici. vs. 4. duo Mss. nostri: *et vos eritis judices.* vs. 5. omnes: *laudin' an vitio duci factum oporteat.* vs. 8. omnes: *eripuit;* ita et Donatus legerat. vs. 23. omnes: *senes q. p. v. eam partem aper.* vs. 24. duo: *ut æquanimitas.* Τὸ *vestra* autem vs. seq. abest ab omnibus; quod et Donatus deesse notavit. *Bœclerus.*

1 *Postquam Poëta sensit, scripturam*] *Postquam,* pro *quoniam:* cujus reciprocum, *quoniam,* pro *postquam.* Plaut. in Aulul. 'Quoniam is moritur, ita avido ingenio fuit.' *Donatus.*

Postquam Poëta sensit, scripturam suam] Indifferenter omnis qui aliquid scripsisset, *scriptor* a veteribus dicebatur. *Idem.*

2 *Ab iniquis*] Inimicis: ut 'Fatis Junonis iniquæ.' *Idem.*

Observari] *Observatio* ad honorem refertur: ut, 'Præterea regem non sic Ægyptus et ingens Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes, Observant.' Sed nunc *Observari,* captari significat et audiri. *Observari* ergo et honorari, et captari, et audiri significat: ut Plautus, 'Observatote, ut blande palpetur mulieri.' *Idem.*

Adversarios] Luscium Lavinium, et alios. Vide prologos Andriæ et Heautontimorumenon. *Farnabius.*

3 *Rapere in pejorem partem*] Varietas per genera verborum; et utrique sententiæ apte jungimus *Scripturam suam.* Donatus.

Rapere in pejorem partem] Id est, vitio dare, vituperare. *Idem.*

4 *Indicio de se ipse erit*] Mire expressit simplicitatem vera dicturi, quum indicaturum de se dixit, non narraturum. Et *Indicio erit,* pro *Index erit.* Idem.

Indicio de se] *Indicat* is, qui de se volens aliquid, et de aliis etiam prodit, sed *confitetur* qui de se tantum, et qui invitus. *Idem.*

Indicio de se ipse erit, &c.] Simplicitatem narrationis vult Poëta hic conspici, quod recte Donatus observat, et Guyetus repetit, sed aliter explicat. Putat enim nihil aliud quam narrari causam, sine ulla juris mentione aut defensione: illos enim tres versus (12. 13. 14.) spurios esse. Offendit virum eruditi ac delicati judicii illa locutio: *Pernoscite, furtumne factum existimetis,* quod idem esse putat ac si quis diceret, *existimate, an existimetis.* Mihi satis videntur ista distingui: *pernoscite* (hoc enim simile est cognitioni causæ in judicio, quam et alias petit) *an existimetis furtum factum, &c.* Hoc ad sententiam judicantium spectat, quæ cognita causa pronuntiatur. Pernoscite causam, ut decernere possitis, quid existimare sive judicare debeatis; furtumne fecerit Poëta, (quod adversarii ei crimen intendunt,) an potius genere quodam imitationis probabili locum ab aliis præteritum reprehenderit. Longe minus etiam videantur distare, quæ prologo Andriæ legimus: 'Rem cognoscite, ut pernoscatis ecquid spei sit reliquum, &c. spectandæ an exigendæ sint vobis prius.' Præterea locum Diphili a Plauto, judicio potius quam negligentia præteritum, cuivis videri debere, Guyetus contendit. Recte: sed forte non opus est, graviore significatu vocem accipere. *Præteritus negligentia locus,* est περιφραστικῶς, neglectus, i. e. præteritus, relictus. Quin enim citra vituperationem, Latine dicamus, rem negligere, i. e. prætermittere, dubio carere arbitror. Sicuti nec *reprehensum* male per, resumtum, Donatus interpretatur. Ipse contextus orationis pro expositione est: *reprehendi* enim dicuntur, quæ præterita et neglecta sunt. *Reprehensus,* Eugraphio, *iterum prehensus.* Bœclerus.

Indicio de se ipse erit] Ipse erit sui index, vos eritis judices. *Farnabius.*

Vos eritis judices] Bene: quia apud judices indicium profitentur, qui accusatorem adjuvant. *Donatus.*

5 *Laudin' an vitio*] Medium non fecit: ut appareat, si crimen non sit, laudi debere esse. *Idem.*

6 *Synapothnescontes Diphili comœdia est*] Nec numeri, nec genera respicienda sunt, contra sententiam remque ipsam. *Idem.*

6. 7 *Συναποθνήσκοντες Diphili Comœdia est, Eam Commorientes Plautus fecit fab.*] Ita tamen, ut interdum et Græco nomine vocaretur. Quod fere solebat in fabulis ex Græco translatis. Plautus ipse Mercatore act. I. sc. 1. vss. 9. 10. 'Græce hæc vocatur Ἔμπορος Philemonis, Eadem Latine Mercator Marci Accii.' Ita quæ Latine Mostellaria noscitur, Græce Phasma appellabatur, quod Jan. Gulielmius in Quæstionibus Plautinis monuit. *Bœclerus.*

Synapothnescontes] Συζῶντες καὶ συναποθνήσκοντες εὐχωλεμαῖοι, id est, *devoti.* Hi, ex voto, eandem cum rege suo et vitæ et mortis subeunt sortem, eodem victu et corporis cultu. Sive rex intereat morbo, sive cadat in prælio, 'Utcunque procedit, supremum carpere iter comites parati.' Σολιδοῦνοι hi Athenæo lib. VI. c. 13. 'Soldarii' Cæsari lib. III. Bel. Gal. nobis, *Soldiers.* Farnabius.

Diphili] Poëtæ Comici, κωμικωτάτου, Clementi Alex. et Eusebio Pamphilo. *Idem.*

7 *Eam Commorientes Plautus fecit fabulam*] Sic apud Græcos δρᾶμα, sic apud Latinos generaliter *fabula* dicitur, cujus species sunt: Tragœdia, Comœdia, Togata, Tabernaria, Prætexta, Crepidata, Attellana, μικτὸς, Rhintonica. *Donatus.*

8 *In Græca adolescens est*] Diphili scilicet. Quasi diceret, Quidam adolescens est qui lenoni eripuit meretricem. *Idem.*

9 *In prima fabula*] Hoc est, in prima parte: ut dicimus, *in primis digitis,* non enim aut secunda, aut tertia fabula est. *Idem.*

In prima fabula] In prima parte fabulæ. *Farnabius.*

10 *Reliquit integrum*] Quum aliam transferret. *Donatus.*

Integrum] Intactum. *Farnabius.*

Sumpsit sibi] Libere tulit: hoc est, non furatus est: ut 'Sume, pater.' *Donatus.*

11 *In Adelphos*] Latine declinavit. *Idem.*

Verbum de verbo expressum extulit] Hæc approbatio est, de Græco esse sublatum, non de Plauto, ut dicit adversarius. *Idem.*

Extulit] Mire non dixit *Transtulit,* sed *Extulit:* ut ornasse Græca videatur Latino stylo. *Idem.*

Extulit] Transtulit et Latinitate sua donavit. *Farnabius.*

12 *Eam*] Adelphos scilicet. *Donatus.*

Novam] Veterem Græcam esse intelligimus. *Idem.*

13 *Furtumne factum*] Hoc est vitio duci. *Idem.*

An locum reprehensum] Hoc est laudi duci. *Idem.*

14 *Reprehensum*] Retentum, resumptum. *Idem.*

Locum reprehens.] Resumptum a poëta nostro locum, quem Plautus neglectum per incuriam omiserat. *Farnabius.*

Negligentia est] Planti scilicet; cu-

jus æmulari nunc exoptat negligentiam. *Donatus.*

15 *Nam quod isti dicunt*] *Nam* incipiendi vim habet modo, ut, 'Nam ego hanc machæram meam dico.' *Idem.*

Homines nobiles] Scipionem Africanum significat, et Lælium Sapientem, et Furium Publium. *Idem.*

Homines nobiles] Scipionem Afr. Lælium, Sulpicium Gallum, Q. Fabium Labeonem, M. Popilium. Vide Terentii vitam. *Farnabius.*

16 *Eum adjuvare*] Legitur et *adjutare.* Pacuvius in Chryse: 'Adjuta mihi.' *Donatus.*

Assidueque una scribere] Non sic dicit adversarius: verum hic oratorie crimen non tangit. *Idem.*

18 *Cum illis placet, qui, &c.*] Modeste, et de industria ita loquitur, quasi vellet dicere: 'Cum ad familiaritatem eorum admittitur, cum talium virorum judicio in recensendis fabulis suis utitur.' *Bœclerus.*

19 *Qui vobis universis et populo placent*] *Universis*, qui in cavea sunt, dicit. *Populo*, qui etiam præter theatrum, id est, universam urbem. *Donatus.*

20 *In bello*] Scipionis. *Idem.*

In otio] Furii Publii. *Idem.*

In negotio] Scilicet Lælii Sapientis. *Idem.*

Quorum opera in bello, in otio, in negotio] Donatus *τὸ in bello* ad Scipionem Africanum, *in otio* ad Furium Pium, *in negotio* ad Lælium Sapientem refert. Eugraphius in primo nihil mutat: *in otio* ad Lælium, *in negotio* ad Philum, vel Servilium, commodat. *Bœclerus.*

21 *Suo quisque tempore usus est sine superbia*] Eugraphius bene: 'Quorum opera unusquisque usus est in necessitatibus suis, sine aliqua eorum superbia.' Δημοτικῶς, ut in theatro, viros illustres a civilitate potissimum, et officiorum exprompta humanitate commendavit. *Bœclerus.*

24 *In agendo partem ostendent*] Σχῆμα ἀποσιώπησις. Hic enim jam non senes accipiendi essent: imo potius cæteræ personæ. Sed ipsi senes in statario charactere partem aperient: in motorio, partem ostendent. Nam duo agendi sunt principales modi, Motorius et Statarius: ex quibus ille tertius nascitur, qui dicitur μικτός. *Donatus.*

Æquanimitas] Favor et propitius animus: et deest, *vestra.* Idem.

ACTUS I.

Scena i. Senarii sunt Iambici. vs. 4. duo Mss. mei: *aut ubi si cess.* Argentoratensis quoque prima manu habuit, *ubi*, quod corrupit aliquis in *ibi.* vs. 8. omnes: *atque animo obsequi.* vs. 11. omnes: *et quibus nunc soll.* vs. 12. Argentorat. prima manu habuit, *præfregerit.* vs. 13. omnes: *instituere in animo.* vs .15. omnes: *atqui.* vs. 25. omnes: *itidem.* vss. 27. 28. duo: *clanculum patre q. f.* vs. 30. omnes: *insueverit.* Duo omittunt, *aut audebit.* vs. 35. omnes: *clamitans.* vs. 37. omnes: *sumtus.* vs. 38. unus: *vestitui nimio indulges.* Duo: *vestitu nimio indulges.* vs. 39. omnes: *nimium ipse durus est, præter æquum et bonum.* vs. 47. omnes: *ille quem benef. adjung.* vs. 48. duo: *præsens absens.* vs. 52. duo: *fateatur se nescire.* Bœclerus.

1 *Storax*] Nomina personarum, in comœdiis duntaxat, habere debent rationem et etymologiam. Etenim absurdum est, comicum aperte argumenta confingere: vel nomen personæ incongruum dare, vel officium quod sit a nomine diversum. Hinc servus fidelis Parmeno: infidelis vel Syrus, vel Geta: miles Thraso, vel Polemon: juvenis Pamphilus: matrona Myrrhina, et puer ab odore Storax: vel a ludo et a gesticulatione Circus: et item similia. In quibus summum Poëtæ vitium est, si quid e contrario repugnans contrarium diversumque protulerit, nisi per ἀντίφρασιν nomen imposuerit jaculariter, ut Misargyrides in Plauto dicitur trapezita. Et fere hoc modo apud alios a Poëtis nomina componuntur describendo per ἀντίφρασιν, quod designat Storax. Primæ partes, sicut in prologo ipse promisit, a senibus aguntur: quorum contentione ad argumentum relata, vita aspera cum leni, et pater comis cum severissimo comparatur. *Donatus.*

Storax, non rediit a cœna hac nocte Æschinus, Neque servulorum quisquam, &c.] Hunc locum Gallice per interrogationem vertas cave, quod factum scio. Storacem inclamat Micio, qui servulus non redierat ea nocte domum. Quæ dicit Micio ad finem usque scenæ, ea sibi dicit, non Storaci. *Faber.*

Storax] Storacem vocavit, non Æschinum: quo tacente puerum, id est, Æschinum absentem credit: quia servuli adolescentibus præstolantur. Ut in Andria, 'Observabam mane illorum servulos venientes, aut abeuntes.' Sed quia fieri poterat, ut domino absente adesset Storax, commodissime adjecit: 'Neque servulorum quisquam qui adversum ierant.' *Donatus.*

Storax non rediit hac nocte] Hoc alii interrogative, alii pronuntiative proferunt: sed magis pronuntiative dicendum. *Idem.*

Storax, &c.] Interrogationem hic vulgo ponunt. Sed magis placet Fr. Guyeti sententia, quam vide. Ut hic Storax ex iis servis fuerit, qui obviam iverant, necdum redierant. *Bœcler.*

Storax] Egressus in proscenium alloquitur Storacem qui intus. *Farnabius.*

Non rediit] Hæc nonnulli interrogatorie pronunciandum censent. *Id.*

2 *Neque servolorum quisquam*] Propter Storacem, quem abesse non respondendo intelleximus. *Donatus.*

Qui adversum] Proprie locutus est. Nam *adversitores* dicuntur. *Idem.*

Ierant] Producte *I* pronuntiando: quod nos, addita *v*, *Iverant* dicimus. Tale est illud Virgilii: 'Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas.' *Id.*

Servulorum, qui adversum ierant] Adversitorum, qui domino foris cœnanti, officii et tutelæ, gratia, processerunt obviam. *Farnabius.*

3 *Profecto hoc vere dicunt*] Absolute: non addidit *Qui.* Donatus.

Si absis uspiam] Abundat *uspiam*, aut deest *profectus*, aut quid tale. Aut *ubi uspiam:* significat enim scilicet *uspiam* et in loco, et ad locum. *Idem.*

Si absis uspiam, Aut ubi si cesses] *Si absis*, ad parentes propitios: *Si cesses*, ad uxorem iratam refert in desertorem. *Idem.*

Ubi] Sicubi. Anastrophe. *Farnab.*

5 *Uxor*] Subaudiendum est, *Dicit irata uxor.* Donatus.

Quæ in animo] Omne quod sentimus, aut cogitamus, aut dicimus: et utrumque pro oratione est. Sed illa ἐνθυμηματικὸς, quæ in cogitatione est: hæc προφορικὸς λόγος dicitur, quæ in verbis est constituta. Virgilius; 'Et mihi jam multi crudele canebant Artificis scelus, et taciti ventura videbant.' Et ipse alibi: 'Nunc si quis est qui hoc dicat, aut sic cogitet.' *Idem.*

6 *Irata*] Zelotypa, rixosa. *Farnab.*

Quam illa quæ parentes] Erudite. Non addidit in quem dicat, quia scit, nomina uxoris et parentum τῶν πρὸς τὶ esse. *Donatus.*

7 *Uxor, si cesses*] Quare non, *si absis?* an quia justius cessanti, quam absenti succensemus? an quia irata uxor, si cesses? *Idem.*

Aut te amare cogitat] Ἐπεξήγησις cum ἐξεργασίᾳ, *Aut te amare cogitat:* aut minus peccati est, amori proprio cedere, quam alieno amori obsequi,

nulla re impellente, sine uxore potare, aut velle delicias. Ergo αὔξησις est: nisi forte τῷ ἰδιωτισμῷ hoc putamus dictum. *Idem.*

Aut te amare cogitat, aut tete amari] Quum duo proposuerit, alterum sumpsit. Nam quum dixisset, 'Quæ in te uxor dicit, et quæ in animo cogitat:' intulit, *Aut te amare cogitat.* Idem.

8 *Aut te amare cogitat, aut tete amari*] Qui *Te amare* ἀμφιβόλως dixerat, cito intulit quod certum est, *Aut tete amare.* Et quia illud *te* dixerat, hoc geminavit, et *Tete* dixit, tanquam significantius. *Idem.*

Aut animo obsequi] Ἐπαναφορά. *Id.*

10 *Ego, quia non rediit filius*] Plus est quod dixit *Ego,* quam si diceret, *Pater.* Idem.

Ego quia non, &c.] Ἀνακόλουθον; non enim *Pater* dixit. *Idem.*

Ego, quia non rediit filius, quæ cogito, &c.] His quinque versibus, singulari ἐνεργείᾳ δεινοποιεῖ curam et affectum patris. 'Neque enim patrius consistere mentem Passus amor.' Usque ad summum extulit τὸ πάθος illa inopinabili sententia: 'Quemquamne hominem in animo instituere aut parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?' id quod nec posse nec debere fieri, sed ad ὑπερβολὰς ἐρωτικὰς (quo referas etiam figuras τὴν στοργὴν exaggerantes) aut affectationem philosophiæ parum rectæ pertinere, disputatur apud Ciceronem III. Tuscul. 29. Itaque in communi quidem more vivendi, ubi spectatur τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γιγνόμενον, verissimum est illud Nostri in Andria: plerosque 'Omnes sibi esse melius malle quam alteri.' In perfecta autem amicitia, quæ rarissima est, amicus alter ego est. i. e. quem ita amat amicus, ut se ipsum. Quod ex Philosophis non pauci tradiderunt. Atque, ne res dubia esse possit, divina sapientia amoris perfectionem summam non in ὑπερβολῇ, sed in æqualitate collocat: i. e. si ames alterum, sicut te ipsum. *Bœclerus.*

Quæ cogito! et quibus, &c.] Hoc sic pronuntiandum est, ut horrere videatur ipse cogitationem suam. *Donatus.*

11 *Quibus nunc sollicitor rebus*] Hoc est, quam malis! non ut uxor, bonis. *Idem.*

Ne aut ille alserit] Vide quam teneri sit amoris hic timor, in juvene præsertim. *Idem.*

Ne aut ille alserit, &c.] Indulgens supra modum, et sollicita teneritudo. *Farnabius.*

12 *Aut uspiam*] *Uspiam* et in loco, et ad locum significat. *Donatus.*

Ceciderit, aut perfregerit aliquid] Jungendum, ut non solum *Ceciderit,* sed etiam *Perfregerit.* Hæc sunt quæ sibi nemo evenire velit. *Idem.*

Ne aut ille alserit, aut uspiam ceciderit] Nimium tenere amat, qui hæc in juvene pertimescit, quæ circa infantulos caveri solent. *Idem.*

13 *Quemquamne hominem*] Sic dicimus de ea re, quam miramur fere ab omnibus fieri. *Idem.*

14 *Quam ipse est sibi*] Tanquam duo sint. Sed hoc Poëtæ comico licet. *Idem.*

15 *Atqui ex me hic non natus est*] Quasi dicat, ex me non est, et sic afficior: quid paterer si genuissem? *Idem.*

Ex me hic non natus est] Quasi dicat, non est meus. *Idem.*

Sed ex fratre] Hoc est, omnino non alienus est. *Donatus.*

Is adeo] Transitus ad argumentum subtilissimus. *Adeo* aut abundat, aut *nimium* significat. Ut in Eunucho, 'Adolescentem adeo nobilem.' *Idem.*

Is] Frater. *Farnabius.*

17 *Ego hanc clementem vitam urbanam*] Ὀρθὴ διήγησις καὶ διαπίστησις. *Clementem vitam,* figura ipsa. *Vitam clementem* dicimus quæ clementes facit. *Clemens* autem est, qui colit mentem. *Donatus.*

Atque otium] Deest *Urbanum.* Id.

18 *Secutus sum*] Bene *Secutus,* quasi magistram recte beateque vivendi. *Idem.*

Et quod fortunatum isti putant] Romani scilicet, qui *cœlibem* quasi *cœlitem* dicunt. Et item Græci, apud quos sunt hujusmodi sententiæ: EITA ΦΙΛΟC ΕΧΟΙΝΙωΝ ΠωΔΟΥΜΕΝΟΝ.* et alibi: ΓΑΜΕΙΠΑΜφΙΛΟC ΓΑΜΕΙΤω ΚΑγΑΡΙΔΗΑΙΚΗCeΝ ΜΕ.* *Idem.*

Fortunatum isti putant] Me utique uxorem non ducere. Dicit autem, Romanis id videri: quos spectatores habet Menander: Ὦ μακάριόν με! γυναῖκα οὐ λαμβάνω. *Idem.*

Quod fortunatum isti putant] Quidam putant sic pronuntiandum, Et quod fortunatam isti putant uxorem. Et hæc bona et concinna locutio est. Et *putant* bene dicit is, cui displicet aliena sententia. *Idem.*

Isti putant] Id est, hi qui a me dissentiunt. *Idem.*

Quod fortunatum isti putant, &c.] Quominus eruditissimo Guyeto, qui *infortunatum* rescribit, subscribamus, ipsius Poëtæ nostri auctoritate prohibemur. Quid enim clarius est ipsius Demeæ testimonio act. v. sc. 4. vs. 13. 'Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi! nati filii: alia cura.' Ecce miseria, et cura in matrimonio. Fortunatum ergo multi putarunt, non ducere uxorem. Immo ipsius Menandri est apud Stobæum: Τὸ γυναῖκ' ἔχειν, εἶναί τε παίδων, ὦ φίλε, Πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει. Et illud alterum: Ὅστις γενόμενος βούλεται ζῆν ἡδέως, Ἑτέρων γαμούντων αὐτὸς ἀπεχέσθω γάμων. Id quod plane ad mentem Micionis facit. Ne de aliis Menandri versibus dicam. *Bœclerus.*

Quod fortunatum isti putant] Cœlibatum a κοίλῳ ex κοίτῃ et λείπει. Ital. *Franco, sciotio, flegato, Cepieu, che felice stato!* Farnabius.

19 *Uxorem nunquam habui*] Si *non habeo* dixisset, poterat videri habuisse. *Donatus.*

Ille contra] 'Ex iis fratribus qui in Adelphis sunt, quanta in altero duritas, in altero comitas!' Cic. in Catone Majore. Horatius l. II. Epist. 2. 'Cur alter fratrum cessare, et ludere, et ungi Præferat Herodis palmetis pinguibus: alter Dives et importunus,' &c. *Farnabius.*

20 *Ruri agere vitam*] Contra hæc omnia suffecerat brevitas: sed subjunxit fratris descriptionem ut verbis ipsis malam vitæ conditionem ostendat. *Donatus.*

Semper parce, ac duriter] *Semper,* licet incertam distinctionem habeat, tamen recte additum est: quia vel ruri agere, voluptatis est: vel parce ac duriter se habere, virtutis. Sed *Semper,* ad vitium: *Parce* autem, ad servandum: *Duriter* vero, ad laborem referendum est. *Idem.*

Ruri agere vitam, semper parce ac duriter se habere] Variavit, ut in Andria. *Idem.*

21 *Uxorem duxit*] Recte *Duxit,* non *Ducere.* Semel enim hoc fecit Demea. *Idem.*

Uxorem duxit] Varie per modos discurrit. *Idem.*

Uxorem duxit] Adjuvandum pronuntiatione est, ne singula utrinque assecuti videantur. Nam sic in fine fabulæ ait Demea, 'Uxorem duxi: quam ibi miseriam vidi! nati filii: alia cura.' *Idem.*

22 *Inde ego hunc, &c.*] Mire *inde* subjungit, quum personam prætulerit. Sic alibi, 'E prædonibus unde emerat, se audivisse abreptam e Sunio.' *Idem.*

Inde ego, &c.] *Inde* pro *ex quibus.* Et *mihi* abundat. Et bene *hunc* dixit, quia de ipso loquebatur. *Idem.*

Inde ego hunc majorem adoptavi mihi, &c.] Nota frequentationem sententiarum: *adoptavi mihi.* (non sine affectu,) *eduxi a parvulo,* (labore et solicitudine haud exigua,) *habui, amavi pro meo,* (animo vere patrio,) *in eo me oblecto,* (ἐμπαθῶς loquitur,) *solum id est*

carum mihi, *αὐξητικῶς*, ne quid superesse possit ad dilectionis vim ostendendam. *Bœclerus.*

23 *Eduxi a parvulo*] Quos nos *educare* dicimus, *educere* veteres dicebant: ut, 'Educet sylvis regem regumque parentem.' *Donatus.*

Habui, amavi pro meo] Quæritur quid sit *habui*. Et quum multa dicantur, hoc solum verum est, *habui*, credidi, duxi, existimavi. Ut alibi, 'Semper ejus dicta est hæc atque habita soror.' Et, 'Sic itaque habeantur, itaque dicantur.' Ergo *pro meo* subaudiendum est bis: et *habui pro meo* et *amavi pro meo*. Idem.

24 *In eo me oblecto: solum id est carum mihi*] Absolute utrumque, et *in eo*, et *solum*. Idem.

In eo] Quasi in ea re. *Idem.*

In eo me oblecto] Nove dixit, pro, *eo me oblecto*. Idem.

Solum id est carum mihi] Plus autem significat, quam si diceret, 'Solus is est carus mihi.' *Idem.*

25 *Ille ut item contra, me habeat*] *Item*, similiter: *contra*, vicissim. Plaut. 'Ut illa illum contra, qui est amoris cultor optimus.' *Idem.*

Ille ut item contra, me habeat, &c.] Hic quoque inprimis *πιθανώτατα* noster agit: et de disciplina patria meras sententias, si spectentur in *θέσει*, loquitur; sed in *ὑποθέσει* meros colores reperias. *Bœclerus.*

Facio sedulo] Secus a dolo, id est, sine dolo, et impense. *Donatus.*

26 *Do, prætermitto*] *Do* sumptum: *prætermitto* delicta. *Idem.*

Non necesse habeo omnia pro meo jure agere] Etsi licet, non necesse est, patrem sævire, quia pater est. Inter *Jus et Æquitatem* hoc interest: *Jus* est quod omnia recta et inflexibilia exigit: *Æquitas* est, quæ de jure multum remittit. Ergo hic sensus, non necesse est, etiam si liceat, sævum esse patrem. Et mire ostendit, jus suum nisi necessitate, non esse servandum. *Idem.*

Habeo] Judico, ut 'sic habe,' 'sic habeo,' &c. *Faber.*

27 *Postremo alii clanculum*] Non alii patres: sed alii adolescentes, clanculum patres suos. *Donatus.*

28 *Quæ fert adolescentia*] Veniam addidit statim, peccata ab adolescentibus ad ætatem removendo. Et vide quam breviter, quam pudice, quam ignoscenter locutus est. *Donatus.*

29 *Ea ne me celet, consuefeci filium*] Tribus enim vivitur modis, natura, consuetudine, et ratione. *Idem.*

30 *Nam qui mentiri, aut fallere insuerit Patrem*] Separatim subaudiendum est, *insuerit*, *πρὸς τὸ mentiri*. Idem.

Nam qui mentiri et fall. &c.] Bene Fr. Guyetus monuit, *insuëverit* legendum esse. Et quoniam a Ms. illud glossema *aut audebit* abest, liceat mihi, quod facile fieri potuit, ut negligeretur, unicam syllabam geminare, et pro *magis*, legere *magis is*. Constabit versus, constabit sensus, negotio non magno. Argumentum ipsum comparationem a minore habet, sicut apud Aristotelem (II. Rhet.) *τὸ δ' ὅτι τοὺς πλησίον τύπτει (τύψει), ὅς γε καὶ τὸν πατέρα τύπτει, ἐκ τοῦ εἰ τὸ ἧττον ὑπάρχει, καὶ τὸ μᾶλλον ὑπάρχει.* 'Verberaturum omnes, qui patrem cædit. Nam si quod minus futurum credebatur, fit, etiam fiet quod magis credi potest futurum.' *Bœclerus.*

31 *Ceteros*] Quia jam deceperit patrem. *Donatus.*

32 *Pudore et liberalitate*] *Pudore*, ad filios retulit: *liberalitate*, ad parentes. Argumentum a conjugatis. Liberalitate inquit regendi sunt: propter quod liberi dicuntur. *Liberalitatem*, autem, bonitatem dicit. *Idem.*

Pudore, et liberalitate, &c.] Ingenua et liberali educatione liberos retinere in officio satius esse duco quam metu. Vid. Plutarch. *περὶ παίδων ἀγωγῆς*. Quintilian. l. I. c. 1. Pulcerrima liberalis educationis præcepta lege apud Senecam lib. II. de Ira, 20.

21. 22. 23. *Farnabius.*

33 *Retinere satius esse credo*] Bene *Retinere*: a vitiis scilicet. Nam vitia filios tenent: quos retinent patres a vitiis scilicet. Nam *retinet*, qui adversum aliquem tenet. *Idem.*

34 *Hæc fratri mecum non conveniunt*] Nova locutio. Et *non conveniunt*, pro, non congruunt: ac per hoc, *in his ego et frater dissentimus*, id est, dissimiles sumus. *Idem.*

35 *Venit ad me sæpe, clamitans*] Et importunitatem odiosam ostendit, *ad me* dicendo; et inconditam assiduitatem, addendo *sæpe*. Et congrue, postquam *sæpe* dixit, adjecit aptius verbum, non dicens *clamans*, sed *clamitans*. Idem.

Venit ad me sæpe clamit. &c.] Ad hunc locum notanda sunt Ciceronis verba I. de Invent. 19. 'Illa narratio, quæ versatur in personis, ejusmodi est, ut in ea simul cum rebus ipsis personarum sermones et animi perspici possint; hoc modo: 'Venit ad me sæpe clamitans, quid agis Micio?' cum quatuor seq. versibus.' Τὸ *ἠθικὸν* intelligit: cui valde inserviunt *μιμήσεις ὑποκριτικαὶ* et *προσωποποιΐαι*. *Bœclerus.*

Quid agis Micio] Reminiscere lectionem, et invenies, interrogationem hujusmodi, vel invectionis principio convenire, vel objurgationis. *Donatus.*

Quid agis Micio] Prosopopœiam hanc multis laudat Cicero lib. I. de Inventione. *Farnabius.*

36 *Cur perdis adolescentem nobis*] Recte *nobis* additum est, et *ἠθικῶς*, ut alibi, 'Psaltriam nobis, si Dis placet, paravit.' *Donatus.*

37 *Cur amat? cur potat*] Vide quemadmodum, ut durum objurgatorem ostendat Demeam, quum ab eo ea dicantur in crimen vocari, quæ aut ætatis sunt: ut, 'cur amat?' aut naturæ: ut, 'cur potat?' aut pietatis: ut 'cur tu his rebus sumptum suggeris?' et cætera. *Idem.*

Cur amat? cur potat] *Cur amat?* ad illud refertur, quod ait supra, 'Do, prætermitto.' Nam *prætermitto* delicta intelligimus ex amore. *Cur potat?* revocamus ad illud quod ait, 'Do sumptum.' *Idem.*

38 *Vestitu nimio indulges*] Vestitui, ut Virg. I. Æn. 'Parce metu Citheræa.' Et IV. Georg. 'Quod neque concubitu indulgent.' *Farnabius.*

4 *Indulgis*] More veterum pro *indulges*. V. Not. in Heautontimorumenon. *Faber.*

Nimium ineptus es] Utrumque dure, et *nimium*, et *ineptus es*. Donatus.

Præter æquumque et bonum] Potuit *et* non addi, *præter æquum bonum*. Idem.

40 *Et errat longe*] Melius est, *longe* simpliciter accipiendum, ut locale sit, quam valde. *Idem.*

Et errat longe mea quidem sententia, &c.] Duodecim istis versibus magnifica *ῥῆσις* continetur de imperio patrio, seu disciplina patria. Quo tanquam specioso colore Micio nimiam suam indulgentiam et lenitatem obducit: magno ætatis et sapientiæ prætextu *γνωμολογῶν*. Quanta asseveratione *ἀνασκευῆς*: 'Et errat longe, mea quidem sententia, qui, &c.?' nec minor auctoritas *κατασκευῆς*: 'Mea sic est ratio, et sic animum induco meum, &c.' tum illatio *ἐν ἤθει τοῦ δογματοποιοῦντος*. 'Hoc patrium est, potius consuefacere fil.' &c. Et conclusio fidentius arrogantiusque, nec sine contumelia in fratrem, ut pondus et summa dictorum, epiphonematis ritu subjecta: 'Hoc qui nequit, fateatur nescire imperare liberis.' Sententias autem probabili civilitate conspicuas in hac *ῥήσει* et explevit liberaliter et decore vinxit. *Bœclerus.*

Mea quidem sententia] Modeste addidit, *mea quidem sententia*: ne quis hoc pro præcepto dici existimet. *Donatus.*

41 *Qui imperium credat*] Utrum cujuslibet, an Demeæ tantum? *Idem.*

Gravius esse aut stabilius] *Gravius*,

ad vim ; *stabilius* ad tempus refertur. *Idem.*

42 *Vi quod fit*] Id est, metu ac malo. *Idem.*

Quam illud quod amicitia adjungitur] Illud fit, quod vi: hoc adjungitur, quod amicitia. *Idem.*

43 *Mea sic est ratio, et sic animum induco meum*] *Mea sic est ratio,* ad superiora pertinet confirmanda. *Sic animum induco meum,* ad ea pertinet, quæ dicturus est. *Idem.*

Mea sic est ratio] Iterum modeste et ἰδιωτικῶς. *Et sic animum induco meum:* senilis μακρολογία. *Idem.*

44 *Malo coactus*] Duo dicit, *malo* et *coactus.* Idem.

Malo coactus] Male respondent coacta ingenia. *Farnabius.*

Qui officium suum] Ὁ τὸ καθῆκον ποιῶν, id est, qui recte facit. *Officium* autem dicitur, quasi *efficium,* ab *efficiendo,* quod unicuique personæ congruit. *Donatus.*

45 *Dum id rescitum iri credit*] Quod facit scilicet. *Idem.*

Tantisper] *Tantisper,* quasi *Tantumper.* Et *Paulisper,* quasi *paulumper:* unde *Parumper,* dictum est. *Idem.*

Tantisper cavet] *Peccare* subaudiendum est. Nam totum ἐλλειπτικῶς et obscure dictum est. Et bene, *cavet:* quasi malo. *Idem.*

46 *Si sperat fore clam*] Iterum *quod facit* subaudiendum. *Idem.*

Rursum ad ingenium redit] Mire, non intulit : *cavet:* sed *ad ingenium redit.* Et *rursum* est retro versum, ut *prorsum,* prius versum. *Idem.*

47 *Ille quem beneficio adjungas*] Non dicit, *beneficio adjunctus,* ut supra, *malo coactus.* Idem.

Ille quem beneficio adjungas] Καλαντεθηκὴν AN * [κατ' ἀντίθετον.] Ille malo, hic beneficio. Ille coactus, hic adjunctus. Ille, dum id rescitum iri credit, tantisper cavet : hic, præsens absensque, idem erit. Et τὸ *præsens* et *absens,* non ad aliquem locum, sed ad custodem retulit et monitorem. *Idem.*

Ille quem beneficio adjungas] Contra illud ait, *malo coactus.* Idem.

Ex animo fecit] Officium scilicet. *Id.*

48 *Studet par referre*] Vel ex *studet* t elidetur, quod est insolens, vel ex *par r.* *Faërnus.*

Studet par referre, &c.] Versus non stat ; nam est Bacchius in prima sede. Ex Nota Excerptoris constat delendum esse *par* et subaudiendum *beneficium,* quod in versu superiori est. Et sensit Excerptor, ut ex ipsius Nota patet. *Faber.*

Studet par referre] Id est, benefacere. *Donatus.*

Præsens, absensque idem erit] Contra illud, 'si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit.' *Idem.*

49 *Hoc patrium est*] Superius a re tractum est : hoc jam a persona ducitur argumentum. *Idem.*

Consuefacere] Non *Cogere,* sed *Consuefacere.* Idem.

50 *Quam alieno metu*] Vide quemadmodum suum ad indulgentiam affectum revocet optimæ disciplinæ. *Id.*

51 *Hoc pater ac dominus*] A differentia personarum et officiorum. *Id.*

Interest] Differentia est. *Idem.*

Hoc qui nequit] Longe melius *nequit,* quam si diceret, *non vult.* Id.

52 *Fateatur se nescire imperare liberis*] Hoc indicat, et se melius consulere, et volentem hoc exercere. *Idem.*

Nescire imperare liberis] Oratorie, quasi artis sit, indulgentissime agere. *Imperare,* modo non ad superbiam, sed ad *Regendum,* est referendum. *Idem.*

Fateatur nescire] Deest *se.* Idem.

53 *Sed estne hic ipsus, &c.*] Donatus : 'Κατ' οἰκονομίαν supervenit, de quo sermo est, ut factis dicta ostendantur.' Mox ad illa, *Nescio quid tristem video, &c.* 'Orationis apparatus ex vultu ostenditur, ut 'stetit acri fixa dolore : Tum quassans caput hanc effundit pectore vocem.'' Postrema hujus scenæ verba, 'Salvum te adven.' &c. sequentis scenæ initio constituenda esse, jam alii monuerunt. *Bœclerus.*

Et certe is est] Bene nunc confirmat ipsum esse eum, quum propior est, utpote senili, nec in longum prospiciente conspectu. *Donatus.*

54 *Nescio quid*] Deest *propter:* ut sit, *nescio propter quid.* Idem.

Ut solet] Causa cur illum æquo animo frater ferat. *Ut solet,* inquit. *Idem.*

55 *Salvum te advenire, Demea, gaudemus*] Ut asperior ostendatur Demea, etiam salutatur ab eo, quem objurgaturus est. *Idem.*

Scena ii. Iambici sunt trimetri, s. Senarii, ut in scena præcedente. vs. 1. nostri Mss. omnes : *hem.* Faërnus mallet *ehem,* quod in quibusdam reperit. vs. 2. duo: *rogitas me?* vs. 4. omnes : *quid is fecit?* vs. 16. omnes : *nullum hujus factum simile.* vs. 18. omnes : *nihil quicquam injustius est.* vs. 25. duo : *quod tunc fec. inop.* vs. 31. duo : *tu homo rediges me ad insan.* Argentor. *redigis.* vs. 34. duo : *adoptatum.* vs. 38. omnes : *unde hæc fiant,* excluso τῷ *et.* vs. 44. omnes : *te plura in hac re p. o.* vs. 47. omnes : *tunc cons.* et seq. *siccine ais? an ego totiens, &c.* pro *consulis* Argentor. habet *consiliis.* vs. 55. duo : *si verbum ullum posthac.* Alter ex his interponit glossam, *jam peream si, &c.* ut mox. vs. 58. uterque : *et est diis agenda gratia.* vs. 60. omnes : *posterius, nolo in illum quicquam gravius dicere.* vs. 65. omnes : *tamen vix humane p.* vs. 66. duo : *aut ejus adjutor sim iracundiæ.* Bœclerus.

1 *Hem! opportune; te ipsum quærito*] *In hoc actu diversi homines, diversi patres, diversa studia proponuntur. Hic lenis, hic amarus: hic facetus, hic impolitus: hic facilis, hic pertinax et difficilis.* Donatus.

Hem! opportune; te ipsum quærito] Melius quam Menander, quum hic illum ad jurgium promptiorem quam ad resalutandum faciat. *Idem.*

2 *Quid tristis es*] Bene interrogat. Potuit enim non iratus frater quærere. *Idem.*

Rogas me, ubi nobis Æschinus siet] Fr. Guyetus explicat : 'Cum filium habeamus Æschinum.' Quod sumpsit ex Eugraphio ita annotante : 'Interrogas me quid ego tristis sim, cum Æschinum filium habemus?' Et sensus quidem patet etiam in Donato, qui causam tristitiæ hic signari putat. Phrasis autem per hæc non explicatur. Forte rectius fuerit, ἔλλειψιν indignanti familiarem hic agnoscere. *Rogas me? ubi nobis Æschinus siet.* Sc. id quæro potius, id tu nunc afferre debebas. Indignantes enim requirunt eos, quibus indignantur : 'Ubi illic scelus est,' &c. 'Ubi est ille sacrilegus?' ut subjiciatur ἐν ὑποκρίσει cum affectu : 'Quid ego tristis siem.' Quod et cum interrogatione et absque ea accipi potest. Ita τὸ *nobis* abundaret. Nam et Latine instanter ita requirimus : 'Ubi nobis est ille?' Si cui hæc non placent, is etiam atque etiam cogitet, an satis Latine dicatur : *rogas quid ego tristis sim, ubi Æschinus nobis siet,* i. e. cum Æschinum habeamus filium. certe exemplum, quod congruat, frustra quæsieris in tota antiquitate. *Bœclerus.*

Ubi nobis Æschinus siet] Quasi quædam causa sit tristitiæ. *Donatus.*

Rogas me, ubi nobis Æschinus Siet, quid tristis ego sim] Hic cavendum in interpretando est ; nam et hic scio a quibusdam erratum fuisse. Sensus est : Quidni ego tristis sim? An id rogas, tu, apud quem vivit Æschinus, apud quem corrumpitur? Mihine alia gravior tristitiæ causa esse possit? Ita enim est, τὸ *ubi* significat 'apud quem,' Plaut. sæpe, ut ostendere possum facile. Ita, 'is unde petitur,' 'unde,' id est, a quo petitur. Ita paulo superius, 'Inde majorem natu adoptavi mihi,' id est, 'ex quibus.' Ita in Phorm. 'unde

hæc suscepta est,' pro, 'Ex qua.' In Hecyra, 'amorem huc transtulit,' id est, 'in hanc puellam.' Iterum, 'Hinc jam scibo quid sit,' pro, 'ex hoc.' In Phorm. 'aliunde,' pro 'ab aliis.' Sic enim his adverbiis utebantur Veteres. Itaque optime Excerptor hoc loco posuit hæc verba, 'quasi quædam causa sit tristitiæ.' Quæ nota, quanquam, ut mihi videtur, decurtata, id satis indicat quod dico. Dein, non ideo tristis erat Demea quod filium haberet Æschinum, sed quod eum apud Micionem haberet; 'ubi,' igitur, id est 'apud quem' corruptelæ et nequitiæ operam dat. Gallic. igitur sensus est: *Me demandez vous de quoy je suis triste? He, comment ne le serois-je as, puisque vous avez mon fils chés vous, où il vit de la maniere du monde la plus deshonnete?* Vel rotundius, *Vous me demandez pourquoy je suis triste, vous chés qui demeure Eschine? n'est ce pas un assez grand sujet de douleur pour moy?* Faber.

3 *Dixine hoc fore*] Credo jam, ut solet, objurgabit. *Donatus.*

4 *Quid ille fecerit*] Animadvertendum, ut interrogatus interroget more indignantium. Quod ideo facit, quia videt Micionem eo vultu interrogare, ut videatur minus reprehendere culpam Æschini. *Idem.*

Quid ille fecerit? &c.] Stomachantis affectu: at rogitas etiam quid ille fecerit? et jam non statim describit factum, sed animum facientis corruptum ostendit, atque a pudore, (qui homines regit et ne obliviscantur honestatis admonet,) a metu eorum, quibus auctoritas est, (ut parentibus in filios,) a reverentia legum (quæ civitatis mores continet,) alienum, atque ultro effrenem. Ut ἐμπαθέστερον mox raptio citharistriæ ex domo lenonis, οὐκ ἄνευ γοργότητος, non sine expedita celeritate, accusetur. *Fores effregit, &c.* ubi Donatus recte: 'Totum quidem, &c. de moribus Æschini nihil nisi inania' (quis non videt legendum esse necessario, *immania?*) 'referentis.' Subjicitur accusatio totius populi, et vox famæ publica, quæ in talibus vim singularem obtinet. Nam actio de vi ad omnes pertinet: neque tam figura, quam ratio est, quæ infra ab ipso Sannione inducitur act. II. sc. 1. 'Obsecro populares.' Hinc etiam est, quod quiritatio pleno et optimo jure nititur: ad quam Demea hic alludit efficaci figura. 'Clamant omnes, indignissime factum esse.' Sannioni scilicet quiritanti succlamantes. Aliter argumentum a rumore petitur in Andria I. 2. 14. et apud Plautum Pseud. I. 5. 4. ubi pater de filio: 'Ita nunc per urbem solus sermo est omnibus.' Sed quiritatio aliam vim habet. Igitur ad summum exaggerationis hæc procedunt. Qua consumta (quod probe hic notandum) ad minora revolvi necesse erat Demeam. Neque aliter debuit Poëta ἠθοποιεῖν hoc jurgium. Exemplum ergo fratris, ab accusatione ad emendationem degressus, comparat: μάλα οἰκονομικῶς. Ut major fieret perturbatio ex Ctesiphonis amore, quo minus aliquid tale suspicari Demea potuerat. Denique ab Æschino, in cujus nomen effuderat illum indignationis impetum, Micionem aggreditur: 'Hæc cum illi Micio dico, tibi dico,' &c. ut contentioni occasio et via quæreretur. *Bœclerus.*

Quem neque pudet] Menander apud Prisc. Ὃς δ' οὔτ' ἐρυθριᾷν οἶδεν, οὐδὲ δεδιέναι, Τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχει. *Farnabius.*

5 *Quem neque pudet quidquam, neque metuit quemquam*] Varie per casus discurrit, 'Quem neque pudet quidquam:' contra illud quod alibi pater dicit, 'Erubuit, salva res est.' *Donatus.*

Quem neque pudet quidquam] Magno ordine accusavit. Non (inquit) pudore movetur patrum, non metu parentum, non timore legum. Ergo gradatim αὔξησις oratoria processit. *Idem.*

6 *Tenere se ullam*] Bene *Tenere*, quia *legem*. et est ἀμφιβολία oratoria. *Idem.*

Nam illa quæ antehac facta sunt, omitto] Accusatio duo tempora recipit; præteritum, ab ante gestis: et præsens, ab iis quæ objiciuntur. Ergo utrumque mira brevitate perstrinxit. *Idem.*

7 *Omitto*] Παράληψις. *Idem.*

Modo quid designavit] *Designare*, est rem novam facere. In utramque partem, et bonam et malam. Nam et *designatores* dicti, qui ludis funebribus præsunt: credo ob eam causam, quod ipsis ludis multa fiant nova et spectanda: simul etiam turba retineatur. Quæ sunt aut in spectaculis, aut in litibus. *Idem.*

Modo quid designavit] Puto ego, *designationem*, contractionem, aut conductionem populi in unum intelligi. hoc enim contingit ei, qui aliquo flagitio plurium in se oculos et ora convertit, et spectaculo est vulgo: quemadmodum designatores, qui ludis funebribus multitudinem retinent. *Idem.*

Designavit] Hoc verbum apud veteres duas res significabat: etenim prave et recte facta, *designata* dicebantur. *Idem.*

Quidnam id est] Et hoc etiam contemnens interrogat Micio. *Idem.*

8 *Fores effregit*] Hæc singula magna cum vociferatione inferenda sunt. stomachatur enim adversus male interrogantem. *Idem.*

Fores effregit, atque in ædes irruit alienas] Totum quidem unum crimen est: rapuit meretricem. Sed vide qua pompa, qua vociferatione dilatetur accusatio Demeæ, de moribus Æschini nihil nisi inania referentis. *Idem.*

Fores effregit, atque in ædes irruit alienas] Hæc singula consideranda sunt. Et bene dicit *alienas*, quia si lenonis diceret, parva res videretur. *Idem.*

9 *Ipsum dominum*] Iterum suppressa est infamis persona. *Idem.*

Atque omnem familiam multavit] Aut *Familiam* pro servis lenonis dicit, aut pro meretricibus. *Idem.*

10 *Multavit*] Laceravit, mutilavit, mollivit, atque dissolvit. Unde *Mulciber* a multando, quasi *Multiber*. *Idem.*

Mulctavit] Ex fide librorum Mss. et auctoritate Victorii ac Turnebi, scribendum *mulcavit*. Faber.

Usque ad mortem] Magna invidia cædis et mortis mentione, quæ tamen nulli accidit. *Donatus.*

Eripuit mulierem quam amabat] Omnia magno colore et accusatorie dicta sunt, et ex hoc maxime, quod lenonem et meretricem non dixit, contentus facti atrocitate, personarumque vilitatem reticens. *Idem.*

Mulierem eripuit] Non *Abduxit*, sed *Eripuit*. Idem.

11 *Clamant*] A præjudicato, et auctoritate rumoris. *Idem.*

12 *Hoc advenienti quot mihi, Micio, dixere*] Quasi dicat, Displicet omnibus, et multi eum accusant, nec tamen lenonis querelæ mentio fit. Vide oratorem. *Hoc* autem, vel articulus, vel adverbium loci est. *Idem.*

Hoc] Pro *huc*. secundum antiquum morem, ait Servius ad illud Virg. VIII. Æn. 'Hoc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto.' *Farnabius.*

13 *In ore est omni populo*] Sallustius, 'In ore gentibus agens, populo, civitati.' *Donatus.*

14 *Si conferendum exemplum est*] Tanquam non sit conferendum. *Idem.*

Non fratrem videt rei dare operam] Satis comice hoc infertur legentibus argumentum: nam magis in culpa ille ipse est, quem laudat. *Idem.*

15 *Rei dare operam*] Non amori. *Idem.*

Rei dare operam] Quam facete Poëta hæc omnia falsa, et e contrario

facit Demeam credere. *Idem.*

Rei dare operam] Rusticæ, familiæ sustentandæ, augendæ. *Farnabius.*

Ruri esse] Non in urbe. *Donatus.*

Parcum] Non prodigum. *Idem.*

Sobrium] Non insanum. *Idem.*

Parcum ac sobrium] Contra illud: *Cur amat? cur potat?* Idem.

16 *Nullum hujus simile factum*] Hoc cum admiratione. Micio tangitur, quasi ipsius culpa sit fratris natura. *Idem.*

Nullum hujus simile factum] Hoc cum admiratione indignantis pronuntiandum est, et ardentibus in Micionem oculis. Et subaudiendum est *Esse*, aut *Invenire.* Idem.

Hæc quum illi, Micio, dico, tibi dico] *Illi*, pro *in illum*: et *tibi*, pro *in te.* Id.

Hæc cum illi Micio dico, &c.] Donatus: 'Illi,' &c. Ad sensum respexit, ut sæpe; phrasin non explicavit. *Hæc cum illi dico* s. dicta volo; *tibi dico* s. dicta volo. i. e. hæc cum ita loquor, ut ad Æschinum pertinere illique dici videantur, tu satis intelligere debes, ad te quoque pertinere tibique dici. *Bæclerus.*

17 *Tu illum corrumpi sinis*] Deest *nam.* Sed ferventius ἀσυνδέτως dicitur. et hoc *tibi* et *tu* pronuntiandum est intento digito, et infestis in Micionem oculis. nam hoc agi stomacho adversum dissimulatores solet. *Donatus.*

Tu illum corrumpi sinis] Mitius modo dixit, 'Sinis corrumpi:' mox vehementius dicet, 'An laudi putat fore, si perdiderit gnatum?' *Idem.*

18 *Homine imperito nunquam quidquam injustius*] Miro stomacho apud ipsum de ipso tanquam apud alterum loquitur. *Idem.*

Homine imperito, &c.] Prorsus bene exposuit hæc Donatus. Quem vide, et insuper nota Micionis σόφισμα. Ut homo urbanus et peritior, adversus fratrem agrestem, prudentiæ sibi arrogat aliquid, et sententia καθολικῇ ad prætexendas, quas subinfert, fraudes fucatæ orationis abutitur. *Bæclerus.*

Homine imperito nunquam, &c.] De hoc sic Menander. Οὐκ ἔστ' ἀνοίας οὐδὲν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, Τολμηρότερον. *Farnabius.*

19 *Nisi quod ipse fecit*] Αὐθάδεια. Hoc enim proprium rusticorum est, atque imperitorum. *Donatus.*

Nihil rectum putat] Proprie *putat.* Nam hoc verbum imperitorum est. Ordo est, qui nihil rectum putat, nisi quod ipse fecit. *Idem.*

20 *Quorsum istuc*] Deest *pertinet*, aut *dicis.* Idem.

Quia tu, Demea] Id est, homo imperitus. *Idem.*

Hæc male judicas] Pari virtute hæc leniter dicta sunt, qua superiora vehementer. *Idem.*

21 *Non est flagitium*] Non peccatum negat esse: sed flagitium non esse contendit, et ideo subindignanter pronuntiandum est: ut si dicat, Scortari quidem adolescentulum, delictum est, sed non est flagitium. et veniæ locus non tam in facto, quam in persona est constitutus. *Idem.*

Non est flagitium, mihi crede, adolescentem scortari] Mire respondit, et oratorie, ad hæc quæ invidiose dicta sunt. Nam quod ait ille, 'Eripuit mulierem quam amabat:' hic *scortum* dicit. Quod 'irruit in ædes alienas:' quasi ex vino furens, *potare:* quod cum aliis grave propositum est, hoc solum dicendo, leve reddit, id est, 'fores effringere.' *Idem.*

Non est flagitium, &c.] Cum pudore et flagitio ὑπεραπολογεῖται. Quo genere etiam utitur apud Plautum Callipho in Pseudolo I. 5. 18. &c. Mutuatur tamen Cicero, et Cæciliano duro patri hunc Terentianum mitem comparat in Cæliana cap. 16. non sane, philosophia aliquid tale dictante, sed licentia patronorum, quacunque specie reorum causas pingentium; et prætextu temporis ab emendata disciplina plurimum degeneris.

Ita fit nimirum, quod Historicus notat, ut facilem assensum oratori, 'sub nominibus honestis, confessio vitiorum et similitudo audientium' conciliet.' Ann. II. 33. *Bæclerus.*

Non est flagitium] Mitio sub hujus scenæ exitu fatetur se omnia hæc ex animo non dixisse, utcunque huic licentiæ laxarint habenas cum Græci tum Romani. Cic. pro Cœlio: 'Detur aliquid huic ætati, sit adolescentia liberior. non omnia voluptatibus denegentur,' &c. verum restringit eam postea, 'Revocet se aliquando ad curam rei domesticæ, rei forensis, reipublicæ,' &c. *Farnabius.*

Mihi crede] Quasi imperito dicit, *mihi crede*, non enim, *me intellige.* Quod imitatus Cicero sic Cælium exagitat; 'Magna sunt, mihi crede: noli hæc contemnere.' Hic enim et authoritas dicentis, et contemptus ostenditur audientis. *Donatus.*

23 *Hæc si neque ego, neque tu, fecimus*] Quia dixit: 'Qui nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.' *Idem.*

24 *Non sivit egestas*] Non voluntas prohibuit, sed necessitas: et ideo nulla laus. *Idem.*

25 *Quod tum fecisti inopia*] Nota *fecisti*, in eo quod significat *non fecisti.* *Idem.*

26 *Injurium est*] Quia nihil quicquam injustius homine imperito. *Id.*

Nam si esset unde id fieret] Non est necessario consequens, sed probabiliter admittitur apud oratores: non enim omnes qui habent unde faciant, continuo etiam faciunt. *Idem.*

Unde id fieret] *Fieret*, producta prima syllaba. Ennius: 'Memini me fieri pravum.' *Idem.*

Nam si esset, faceremus] Pro *fuisset*, et *fecissemus.* Faber.

Si esset unde id fieret, faceremus] I. e. unde id fieri potuisset, fecissemus. *Bæclerus.*

27 *Et tu illum tuum, si esses homo*] Multum progressus est, accusans accusantem. *Donatus.*

Et tu] Recriminatio, ut vocamus. *Farnabius.*

Illum tuum] Ctesiphonem. *Idem.*

29 *Exspectatum*] Odiosum et malæ vitæ. Nam filiis parentes aut amabiles sunt, aut exspectati. Amabiles, boni: exspectati, mali: quorum mors in dies singulos exspectanda et optanda sit. nam *exspectamus* ante diem: unde avidior intelligitur, qui exspectat, quam ille qui sperat. *Donatus.*

Quum ubi te exspectatum] Eo rem produxit, ut ipse magis videatur consulere disciplinæ, quam Demea. *Idem.*

Ejecisset foras] Non dixit *amisisset:* sed, ut quiddam abjiciendum, *ejecisset.* Idem.

Exspectatum] Juv. Sat. 14. 'Nam grave tardas Exspectare colos,' &c. *Farnabius.*

30 *Alieniore ætate, post faceret tamen*] 'Ανακόλουθον. Deest enim *quamvis.* Et *faceret* ultimum magnam vim habet, nihil enim prodesset, insuper obesset, retinere ab istis filium juvenem. *Alieniore* pro *aliena* dicens, comparativum gradum pro positivo posuit. *Donatus.*

31 *Pro Juppiter*] Tragica exclamatio est. et bene, tanquam ipse reprehenderet Demea, adjecit; 'Tu homo adigis me ad insaniam.' Et *tu homo* dicens, negat illi familiaritatem. *Idem.*

32 *Non est flagitium, facere hæc*] Moraliter indignatio expressa est, iisdem verbis, quæ frater dixerat, repetitis. *Idem.*

33 *Ne me obtundas*] Ne me sæpe et moleste interpelles. Nam *obtundere*, est aliquid sæpe odiose repetere. *Idem.*

Ausculta, ne me obt.] Micio jurgium vult ad disputationem conferre. Sicut enim in exprobrando, clamitando, male dicendo mores Demeæ plus valebant; ita in orando et disputando, non posse se ab homine iracundo superari, satis confidebat Micio. Duplex erat accusatio, 'flagitii et dam-

ni.' De flagitio jam disseruerat quo modo diximus: nunc de damno respondet, argumento ab adoptionis jure petito: quod etiam retro valet in ea, quæ flagitium spectabant. 'Tuum filium dedisti adoptandum mihi: is meus est factus.' i. e. omnis in Æschinum potestas, disciplina, regimen ad me transiit a te, cum in adoptionem mihi dedisti filium. Sicut et damna mea sunt, quatenus damnosus est ille. Excipit Demea: 'Curæ est mihi,' q. d. natura illi pater sum; non possum abjicere omnem de moribus ejus et educatione curam. Respondet Micio: habere eum domi, quod curet, alterum sc. filium Ctesiphonem, quem retinuerit. Nam, quantum ad Æschinum, *et mihi*, inquit, *curæ est*, meliori sc. jure, postquam hæc cura in me per adoptionem est translata. Hoc est quod dicit: 'Verum Demea curemus æquam uterque partem; tu alterum (Ctesiphonem) ego item alterum, Æschinum scilicet. Ita enim inter nos convenit, cum Æschinum in adoptionem dares mihi. 'Nam ambos curare, propemodum reposcere illum est quem dedisti.' i. e. si tu rebus Æschini te vis admiscere, in alienum jus involabis, vim facies conventioni inter nos factæ, adeoque adoptionem, cujus tu ipse auctor fuisti, evertes: cum ex meo filio tuum vis facere, quem adoptio ex tuo meum fecit. Hujus, quod pro se adfert Micio, juris tanta vis fuit, tanta argumentatio, ut Demea non potuerit se tueri, nisi negaret, sibi hoc propositum esse, et paternæ ac naturalis solicitudinis affectu tantum excusari cuperet: 'repeton' quem dedi?' non tam iniquus sum, ut semel placita et conventione utriusque nostrum firmata convellere, aut in tuum jus me immittere cogitem. 'Dictum hoc inter nos fuit' (ita ipse Demea fatetur act. v. sc. 3. vs. 10.) 'ne tu curares meum, neve ego tuum.' Tuum enim esse factum Æschinum ipsa adoptionis, qua in tuam domum eum dedi, formula probe commemini. Itaque quantum ad jus attinet, tu illi pater es, non ego: *alienus* tamen *non sum*: nec ex animo affectum naturæ possum expellere: *ægre est* ergo, nec aliter fieri potest, cum ad omne facinus eum prolabi audio. Si tamen hanc quoque naturæ solicitudinem ferre non potes, concedam tuæ voluntati; verbum posthac unum non addam. Poëta igitur studiose custodivit in omni deinde fabula, ut Demeæ constantem servandi, quæ convenerant, voluntatem tribueret. De Ctesiphone, 'Illum,' inquit, 'curo unum; ille ad me attinet. quando ita vult frater, de istoc (Æschino) ipse viderit.' Non pati quidem poterat severitas Demeæ, quin Micionis disciplinam subinde accusaret, arbitrium sibi tamen in toto negotio nullum vindicavit. Ita, cum Hegio vitium virgini ab Æschino oblatum commemorasset, ad Micionem omnia referenda decernit. (act. III. sc. 4.) imo solius Micionis arbitratu ad nuptias res deducitur, (act. IV. sc. 7.) nam quæ actu quinto videtur jubere Demea, ea consilii sunt ad ingenium et voluntatem Micionis accommodati, eo *εἰρωνείας* artificio, de quo ante. Paulo hæc uberius consignavi, quia illustris inprimis hæc disputatio in Adelphis est, de translata apud Græcos per adoptionem patria potestate. Id quod in jure civili Romano aliter postea Justinianus Imperator, egregia philosophia usus, constituit. *Bœclerus.*

34 *Tuum filium dedisti adoptandum mihi*] Mira argumentatio per *ἐπαγωγὴν*, quæ *inductio* ab oratoribus dicitur, quum per interrogationem pervenimus ad id, quod volumus, concludendum. *Donatus.*

Adoptandum mihi] Adoptationis formulam vide apud Agell. l. v. c. 19. *Farnabius.*

35 *Is meus est factus*] Sic progreditur, quasi confessionis genus sit, adversarium tacuisse. *Donatus.*

Si quid peccat, Demea] Conclusio dubiæ rei a non dubiis sumpta. *Idem.*

Si quid peccat, Demea] Τῷ ἰδιωτισμῷ interposuit *Demea:* et repetitum est, *peccat.* Idem.

36 *Ego illi maximam partem feram*] Errant, qui putant *illi* esse pronomen, quum sit adverbium loci: ut, 'Illi mea tristia fata, Degeneremque Neoptolemum narrare memento.' *Illi* ergo *ibi, ubi ille peccat.* Quare quidam etiam *li* syllabam discretionis causa, ut locum significet, corripiunt. Et *maxumam partem* optime dicit. Non enim *universam*, quia non solus pater Æschini est: sed *maxumam*, quia ejus magis est, cujus filius cœpit esse per adoptionem. *Idem.*

Feram] Sustinebo, tolerabo. *Idem.*

Ego illi maximam partem feram] Donatus, *illi*, i.e. ibi, ubi peccat, accipit. non tamen hæc sola ratio forte est, explicandæ vocis, si quis cogitare velit. addit Donatus præterea: 'Et maximam partem,' &c. Nunc quidem, universam. Ita enim mox dicit: *de meo.* Sed, si sermo hinc ad ulteriora porrigitur, Æschinus hereditatem Demeæ, ex quo natus erat, olim cum Ctesiphone fratre debebat cernere. Sicut habetur infra act. v. sc. 3. vs. 28. &c. *Bœclerus.*

Ego illi] Pro *ibi*, ut in ea re observavit Excerptor. *Faber.*

37 *Obsonat, potat, olet unguenta, &c.*] Πυκνώσει quadam hæc coacervat. Varro lib. VI. de L. L. ita citat: 'Scortatur, potat, olet unguentum de meo,' in quo non dubitandum est, quin eum memoria fefellerit. Nec movent me Fr. Floridl Sabini rationes, ut omnes potius codices Terentianos corrigendos, quam ἁμάρτημα μνημονικὸν Varroni tribuendum putem. Alias enim et *unguentum* legere deberemus, sicut est apud Varronem, non *unguenta*, ut habent codices, Interpres, et Priscianus lib. VIII. et lib. IX. Jam si *scortatur* Poëta posuisset, quam frigide inferretur mox versu sequente: *amat? dabitur a me arg.* quæ vel sola ratio neminem dubitare sinit de veritate scripturæ usitatæ. *Bœclerus.*

Olet unguenta] A summo ad imum proposita solvuntur. Et mira varietas est, *Olet unguenta:* ne diceret, obsonat, potat, ungitur, ne scilicet hæc exercitationis palæstricæ, non luxuriæ dicerentur. *Donatus.*

38 *Amat*] Πρὸς τὸ, Cur amat? *Id.*

Dum erit commodum] Dare scilicet. *Idem.*

Dum erit commodum] Asconius Pedianus in Verrin. IV. '*Aut eum judicem, quem commodum erat.* Venuste posuit pro eo, quem volebat. Sic Terentius: 'amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum.' Nam meretrici dare quando est commodum? sed est positum pro eo, quam diu libuerit.' *Bœclerus.*

Ubi erit commodum] Asconius Pedianus in Verrinam IV. male explicat, ut et Taubmannus in Plaut. pag. 914. *Faber.*

39 *Ubi non erit*] Argentum scilicet: sed *commodum dare*, subaudiendum est. *Donatus.*

Fortasse excludetur foras] Hoc ita protulit, quasi dicat, nihil sibi deperisse, si gratis forte fuerit ad amicam admissus. Et totum hoc *τῷ ἐξουθενισμῷ* legendum est. Et mire *fortasse* dicit, ut pater indulgens, et credens adolescentem posse etiam amari ab amica: non enim affirmavit, ut diceret, *excludetur foras.* Idem.

Fortasse excludetur foras] Ab amica sc. seu meretrice. Donatus mores Micionis in voce *fortasse* agnoscit. Quem vide. *Bœclerus.*

Ubi non erit, fortasse excludetur foras] Elegantissimus Interpres sic vertit: *Quand je n'auray plus d'argent, peut-être que je le chasseray au logis.* At longe aliud Micio: non enim de exclusione ex ædibus suis cogitat, sed

ab ædibus meretricularum, quas nimis libenter invisebat Æschinus. Unde observatio in excerptis e Donato, 'Et mire, fortasse,' &c. Istam voculam, 'gratis,' e superiori loco huc retraxi, et sensus id postulat. *Faber.*

40 *Fores effregit? restituentur*] Pervenit ad præsens crimen: illa enim ante acta fuerant. *Donatus.*

Fores effregit? restituentur] Non sine pœna quidem in eum, qui vim fecerat, si res in judicium esset deducta. Sed Micio mores et tempora in oculis habet: ubi multi, ob calumnias litium Athenis usitatas, ob spem lucri, et similes causas, malebant omittere persecutionem juris sui, et privatim satisfactionem ac restitutionem accipere. Quæ res aluit licentiam potentiorum. Describit accurate noster infra act. II. sc. 1. vs. 41, &c. et sc. II. vs. 40, &c. Erat enim res cum lenone, cujus animi vilitas (descripta act. II. sc. 1. vss. 52. 53.) promtam impunitatis spem ostendebat. Sed cur non addidit Micio: 'Mulierem eripuit? reddetur.' hoc enim quoque Demea in sua accusatione, cui nunc respondetur, posuerat. Per artem reticuit caput flagitii, de quo nec responsio, neque satisfactio tam facilis Micioni erat futura, antequam Æschini animum in ea re perspexisset. *Bœclerus.*

Fores effregit] Citat hæc Cicero pro Cælio, sub persona mitioris patris. Vide ad Heaut. act. II. sc. 1. *Farnabius.*

41 *Resarcietur*] *Re* abundat. *Donatus.*

42 *Et unde hæc fiant*] Iterum subaudiendum, *est.* Idem.

Et adhuc non molesta sunt] Quia non est flagitium, adolescentem scortari. *Idem.*

45 *Ab aliis qui vere sciunt*] Superbum fuisset, *a me* dicere. Melius ergo, *ab aliis*, dictum est. *Idem.*

46 *Natura tu illi pater es, consiliis ego*] Urbane Micio *consiliis* subjunxit. Plus enim valet ad laudem consilium, quam natura. Et simul ostendit Poëta verbis Micionis, qui non natura, sed affectu sit pater, nullum patrem esse sapientem: eum vero posse sine perturbatione perfrui iis quos amat, quem patrem esse consilium fecerit, non natura, hoc est, qui filium adoptaverit. Et mire, quum *natura* singulariter dixerit, pluraliter intulit, *consiliis ego.* Idem.

Natura tu illi pater es, consiliis ego] Vidit Donatus in voce *consiliis* aliquid artis et sententiæ latere: sed parum diserte expedivit. Verum est comparari patrem, quem natura fecit, et quem ratio. Cum enim Demea exprobrasset Micioni, quod patrem gerere, sive patris officio fungi nesciret, qui nunquam liberos genuisset, adeoque suum exemplum, qui vere sciret patria munia fungi, tacite commendaret; respondet Micio, se non tanti putare, quod natura, quam quod ratio faciat, q. d. tu quidem natura Æschino pater es, atque hoc fortuitum est: sed ego qui destinato proposito ac deliberato animo personam patris in adoptatum indui, nihil prætermitto, quin ita ei consulam, sicut liberis consuli æquum est. Patris enim proprium est, liberis consulere. *Bœclerus.*

47 *Tun' consulis quidquam*] Apertior contumelia: et ideo sequitur denuntiatio discededi. *Donatus.*

Tun' consulis quidquam] Quia dixit, *consiliis ego pater sum;* a conjugatis argumentatus respondit, *Tun' consulis quidquam?* quia a consulendo *consilia* dicuntur, et *consultores.* Idem.

Si pergis, abiero] Ut, 'Donec me flumine vivo Abluero.' *Idem.*

Si pergis, abiero] 'Ἀρχαϊσμὸς, pro *abibo.* Et hoc, gestu abeuntis, vel abituri pronunciatur. *Idem.*

48 *Siccine agis*] Recte, quia jam abibat: quasi revocantis correptio est. *Idem.*

An ego totiens] Hoc conversum intelligas dicere. *Idem.*

Audiam] Deest *te:* sed exprimere durum fuit. Et hoc est obtundere. *Idem.*

49 *Curæ est mihi*] Æschinus scilicet. *Idem.*

50 *Curemus æquam uterque partem*] Proprie *uterque* et *æquam*, quasi particeps fratris. *Idem.*

51 *Propemodum*] Nisi addidisset *propemodum*, falsa videretur esse sententia. *Idem.*

52 *Ah Micio*] Religiose commotus est: ac veluti incusatio est perfidiæ: et ideo exclamat dolens, et transit in iracundiam, concessionemque, quæ ἐπιτροπὴ dicitur. *Idem.*

Ah Micio. M. *mihi sic videtur.* D. *quid isthic? &c.*] Dicit Demea: *ah Micio,* sub. quid dixisti? tune perfidiam in me incuses, aut me non staturum putes eo, quod inter nos convenit, et ipsa adoptionis formula continetur? Cum enim Micio dixisset, dum vis Æschinum curare, reposcis eum quem dedisti, adeoque non ratum vis esse, quod inter nos dictum actumque est; Demea 'religiose commotus,' (ut h. l. Donatus loquitur,) eo quod perfidiæ incusationem in hac exprobratione inesse cerneret, exclamat, *ah Micio,* quid dixisti? et, affirmante iterum, quamvis sub mitigatione quadam, Micione, *mihi sic videtur;* κατ' ἐπιτροπὴν concedit denique: *quid isthic?* sc. resisto, repugno. v. Faërn. et Guyet. 'Si tibi istuc placet, profundat, perdat, pereat,' &c. quæ cumulatio et celeritas iracundiæ apta est. 'Jam si verbum un. posth.' sc. dixero, peream. Quæ vox in uno Ms. meorum ex glossa comparet. *Bœclerus.*

53 *Mihi sic videtur*] Rationabiliter non *est sic* dixit: sed, *sic videtur:* non vult enim verum esse. *Donatus.*

Quid istuc] Deest *loquor* aut *resisto:* nam proprie significatio est de sententia sua decedentis. *Idem.*

54 *Profundat, perdat*] 'Ἐπιτροπὴ figura. Virgilius: 'Sequere Italiam ventis, pete regna per undas.' *Idem.*

Profundat, perdat, pereat] Hæc sic pronuntianda sunt, ut ostendatur gestu, nolle quod loquitur. *Idem.*

Profundat, perdat] Permissio Ironica irati. *Farnabius.*

55 *Si verbum unum posthac*] 'Ἀποσιώπησις. Deest, *tibi fecero,* aut tale hujusmodi. *Donatus.*

Rursum] Quasi curans irasceris? *Idem.*

56 *An non credis*] Irasci scilicet. *Idem.*

An non credis] Pareus in uno Ms. Palat. *ah* reperit. Donatus supplet ἔλλειψιν *an non credis, irasci scilicet.* An non credis me irasci? merito scilicet irascor. *Bœclerus.*

Repetone quem dedi] Minus erat, si Æschinum diceret. sed plus est, *quem dedi.* Donatus.

57 *Ægre est*] Quasi dictum sit, quid ergo loqueris? quia ægre est. Cur ægre est? quia alienus sum. *Id.*

Alienus non sum] Mire *alienus non sum:* quasi timeat jam dicere, *pater sum.* Idem.

Alienus non sum] Satis cum stomacho, quasi dicat, si patrem me esse jam non licet, alienus non sum. *Id.*

Si obsto, hem desino] Vide de his et præcedentibus Fr. Guyet. *Bœclerus.*

59 *Iste tuus*] Memoriter *iste tuus,* ad illud quod dixerat, *meus est factus.* Donatus.

Iste tuus ipse sentiet posterius] Quantus sis, quantumque eum ames: hoc est, ut decipiatur per indulgentiam tuam. *Idem.*

Ipse sentiet] *Sentire* multi pro malo posuere, ut ipse alibi, 'Sit rogas? sensi: nam unam ei cœnam atque ejus comitibus dedi.' *Idem.*

60 *Posterius*] Etenim Demea satis hoc grave existimat dictum in eum, qui non provideat in futurum: et arctius, quia pater est. *Idem.*

Nolo in illum gravius] Scilicet quam hoc. *Idem.*

61 *Nihil, et nonnihil*] Nota figura est, conveniens placidissimo seni, qui in reprehendendo adolescente moderatus est. *Idem.*

Nec nihil] Apparet Terentium favere lenissimis patribus: unde subjecit etiam rationem facti Micionis. *Idem.*

Neque omnia sunt quæ dicit] Bene a Micione hoc dicitur: quia indulgentioris est, plura scire: et supra dixit, 'Ea ne me cœlet consuefeci filium.' Et hic sensus est: Nec contemnenda sunt quæ dicit, nec omnia dicit tamen. Hoc est, non sola sunt quæ dicit, sed multa alia. Et ordo est, neque tamen hæc quæ dicit, sunt omnia. *Idem.*

62 *Nonnihil molesta*] Placidissime *nonnihil* dixit: et *nonnihil* maluit repetere, quam vehementer iracundiam demonstrare. Est enim altera διπλότης. *Idem.*

Nonnihil molesta hæc sunt mihi] Optime Poëta Micionem fecit commotum: ne si omnino immobilis esset, non indulgere adoptivo filio, sed omnino eum non curare videretur. Ergo sic in eum servat placidum animum, ut tamen retineat patris affectum. *Idem.*

Nonnihil molesta hæc sunt mihi] Quæ ad finem usque scenæ sequuntur, bene explicantur a Donato: vel quatenus ad τὸ ἦθος pertinent (quid enim indulgentius illa μειώσει, *nonnihil molesta sunt:* et: *etsi Æsch. nonnullam in hac re nobis facit injuriam?*) vel quatenus οἰκονομίαν τεχνικῶς μεθοδευθεῖσαν spectant, cum ignorans adhuc vitium virgini oblatum Micio, de tædio amoris meretricii, et proposito uxoris ducendæ aliquid refert probatque. *Bœclerus.*

63 *Illi*] Demeæ scilicet. Aut *illic*, id est, ibi ubi Demea litigabat. *Donatus.*

Sed ostendere, me ægre] Constat ergo, ægre pati: nam aliter non erat parens. *Idem.*

Nam ita est homo] *Homo* dixit moraliter, sic enim de iis dicimus, quos parce reprehendimus, ut alibi, 'Ut homo est, ita morem geras.' *Idem.*

Ita est homo] Morosus sc. et intractabilis. *Farnabius.*

64 *Quum placo*] Id est, quum volo placare. *Donatus.*

Cum placo] Ubi placare conor. *Farnabius.*

Cum placo] Id est, cum placare studeo. *Faber.*

65 *Verum si augeam*] Argumentum a contrario. Nam *placare*, contrarium est irritantibus augentibusque iracundiam. *Donatus.*

66 *Aut etiam adjutor sim ejus iracundiæ*] Σύλληψις. Nam a genitivo casu accusativus assumptus est. *Idem.*

67 *Insaniam cum illo*] Plaut. Amphitr. act. v. sc. 2. 'Bacchæ bacchanti si velis adversarier, ex insana insaniorem facies.' *Farnabius.*

Etsi Æschinus nonnullam in hac re] Rursus διπλότης, ut sit mitis reprehensio: et hoc ipso gravis. nam *etsi*, et *nonnullam nobis*, temperamento sunt posita. *Donatus.*

69 *Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit aliquid*] Ἦθος ὑπερβολῆς. *Quam non*, et *cui non.* Ea tamen hæc sunt, ut non gravi sono accusationis proferantur; sed solam reprehensionem contineant. *Aliquid* vero, admirantis est. Quod addidit *meretricem*, ostendit Micionem hoc solum adhuc scire: nihil autem de vitiata virgine. *Donatus.*

Quam hic non amavit meretricem] Et hoc cum venia et defensione. Nam colere meretricem, non est flagitium. Et simul etiam vitiatæ virginis adhuc ignarus ostenditur Micio. *Idem.*

Aut cui non dedit aliquid] *Aliquid* dicendo, prætermisit vel meretricem vel numerum. *Idem.*

70 *Credo jam omnium tædebat*] Παρένθεσις πρώτη. etenim addimus ad ea quæ apud nos parum certa sunt, aut *credo*, aut *puto.* Idem.

71 *Dixit velle uxorem ducere*] Mirum est apud Terentium, quum etiam per nescias personas indicet argumenta. nam quum Micio nesciat amari ab Æschino civem virginem, tamen dicit, *Credo jam omnium Tædebat*, et, *dixit se velle uxorem ducere.* Sic ex parte magna ostendit nescius argumentum: ideo quia verisimile est, amantissimum Æschini Micionem omnes scire affectus adolescentis et consuetudines. Et apparet præterea, conatum ex parte fateri vitiatum amore Æschinum, et pudore impeditum, tantum hoc dixisse, quod honeste potuit, velle se uxorem ducere: quam autem vellet, tacuisse confusum. *Idem.*

72 *Sperabam jam defervisse adolescentiam*] Recte *sperabam*, pro *gaudebam:* sic enim dicimus, quum errasse nos cernimus. Et mire: non dixit, *sperabam illum jam corruptum:* sed mitis senex totum ætati attribuit, nihil filio. *Idem.*

Defervisse adolescentiam] Servat propositum circa ætatis veniam. *Idem.*

Defervisse] Quasi deorsum a fervore tenuisse. Legitur et *desævisse.* Idem.

73 *Ecce autem de integro. nisi quidquid est*] Ἀποσιώπησις prima: quia non vult credere. *Idem.*

Nisi quidquid est] Deest *quia*, ut sit, *nisi quia.* Et est sensus, nisi quia non temere credo; et volo scire quidquid est. *Idem.*

74 *Hominem*] Æschinum. *Farnabius.*

ACTUS II.

Scena i. Ne cui forte, putanti Demeam in superiore scæna Micioni narrasse ea, quæ inducuntur hic fieri, ordo rerum præposterus esse videatur, animadverti debet, bis Æschinum cum lenone esse rixatum: prius quidem, cum ex domo lenonis fidicinam abduxit, cujus rei sparso statim per urbem rumore, ad Demeamque delato, mox ad id Micioni nuntiandum Demeam cucurrisse. Interim Æschinum fidicinam deducentem, insequente eum lenone, domum suam, id est Micionis, pervenisse. quo cum introducere eam vellet, tum lenone id prohibente, secundam rixam extitisse. Hæc ita esse clarissime ostenditur, cum de priore quidem rixa dictum sit, 'fores effregit,' nimirum lenonis; et 'abduxit mulierem, quam amabat:' in posteriore autem, servo quidem dicatur, 'Abi præstrenue, ac fores aperi:' fores scilicet ædium Micionis patris Æschini: ipsi vero fidicinæ, 'i intro nunc jam.' *Faërnus.*

Satura est hæc Scena, ex trochaicis et iambicis, quos alii aliter metiuntur. Vide Faërni not. et Antesignani edit. vs. 2. Ms. Argentor. *otiose jam nunc illico hic consiste.* unus meorum: *ot. jam illico nunc consiste.* alter: *otiose illico jam nunc consiste.* vs. 3. unus: *nunquam ego dum adero hic tanget te.* alter: *nunq. d. e. a. hic tanget te.* vs. 5. duo: *quamquam sit scelestus, n. c. h. v. ut iterum vapulet.* vs. 6. omnes, ut editum est; ut et vss. 7. 8. 10. 11. vs. 14. Argent. *i intro jam tu nunc.* meorum uterque: *i intro jam nunc tu.* vs. 15. omnes ut edidimus. vs. 16. omnes: *dimoveas.* unus omittit, *oculos.* vs. 17. duo: *innuero.* vs. 18. omnes: *istuc volo ego i. e.* vs. 19. omnes: *o miserum facinus. Æ. gemin. &c.* Argent. meorumque alter: *hei miseram.* unus: *hei miseriam.* quod nihili esse puto. omnes omittunt τὸ *mihi.* vs. 21. duo omittunt τὸ *tu.* vs. 25. unus: *qui tibi licet magis m. h.* alter: *quid tibi licet meam habere, pro qua*

ego argentum dedi? vs. 26. duo: *hoc convitium.* vs. 27. duo: *nam si mol. perges jam esse, intro arripiere.* vs. 29. omnes, ut edidimus. vs. 31. duo: *egone debacchatus sum in te, an tu in me?* unus: *egone in te debacchatus an tu in me?* vs. 36. omnes pro *hoc, id* habent. duo: *etiam hercle.* duo: *quod cœpisti.* vs. 39. duo: *venum dandam.* vs. 40. duo: *nam ego liberali illam assero causam manu.* vs. 42. omnes: *summe Jupiter.* vs. 45. et 46. ut edidimus. ut et vs. 48. nisi quod in posteriore parte duo: *sed hoc ego hariolor.* vs. 51. *id quoque f. possum.* vs. 52. omnes: *inceperis.* vs. 54. duo: *deputo;* unus, *reputo.* Bœclerus.

1 *Obsecro, populares*] Popularitas *in omnis rei consortium sumitur. Nunc autem* populares *cives dicit. Et hoc est, quod veteres* quiritari *dicebant, Quirites conclamare.* Donatus.

Obsecro, populares, ferte misero atque innocenti auxilium] Hic exemplum est contumeliosi per potentiam divitis, et in perniciem suam pauperis contumacis. *Idem.*

Obsecro populares] Tres primi versus hujus scænæ, item sextus, octavus, et undecimus sunt trochaici tetrametri acatalectici: reliquorum versuum, qui sunt in principio hujus scænæ, quartus iambicus dimeter est: quintus, qui videtur iambicus tetrameter acatalecticus, si tamen in eo in 'scelestus' pænultimam corripias, abjecto s, erit simul cum septimo, nono, decimo, duodecimo, quartodecimo, quintodecimo, et sextodecimo, trochaicus catalecticus. Item tertiusdecimus, abjecto s ex 'fores,' factaque synalœpha. Reliqui versus partim trochaici catalectici sunt, partim octonarii iambici. *Faërnus.*

Obsecro, &c.] Ipse raptus præcesserat, cujus rumor a populo ad Demeam delatus illum efferavit, ut in scena præcedente. Continuatur hic rixa dum Æschinus, quam eripuerat meretricem ad fratrem Ctesiphonem, qui in domo Micionis exspectabat, deducit. Sequitur in via leno. *Farnabius.*

Ferte mis. atque innoc. a.] Quæ de secundo hoc jurgio Æschini cum Sannione, Faërnus habet, vide. Quiritationem diligenter explicavit Donatus. Quæ verba ad quas personas in hac Scena referantur (non parum enim interest) Guyetus annotavit. Qualia nunc non repetenda sunt. *Bœclerus.*

2 *Subvenite inopi*] Vide quam posteriora vehementiora sunt, ad incendendum populum. Primo, 'miserum:' post, 'innocentem:' ad ultimum, 'inopem' posuit. Et primo, 'ferte auxilium:' post, 'subvenite.' Et totum hoc principium a benevolentia sumitur: quæ comparatur ex invidia potentiæ Æschini. Nam contraria in Æschino esse vult intelligi. *Donatus.*

Misero atque innocenti auxilium: Subvenite inopi] Tria sunt, 'Miser,' 'Innocens,' 'Inops.' *Idem.*

Otiose nunc jam] 'Otiose,' secure significat. Nam nisi qui securus est, otiosus non est. *Idem.*

Otiose nunc jam ilico hic consiste] Simul imperavit modum, tempus, locum, factum. Modum, 'otiose:' tempus, 'nunc:' locum, 'hic:' factum, 'consiste.' Nam 'jam' et 'illico,' alterum tempori adjungitur, alterum loco. At 'consistere' est audacter et constanter stare: ut, 'Constitit in digitos extemplo arrectus uterque.' *Idem.*

Otiose, nunc jam illico hic consiste] Servum ducentem puellam morari jubet, et consistere. *Farnabius.*

Illico] Modo locum, non tempus significat. *Donatus.*

3 *Quid respectas*] Meretricem timide respectantem jubet esse securam a lenone insequente. *Farnabius.*

Nunquam] Pro *non.* Virgilius, 'Numquam omnes hodie moriemur inulti.' *Donatus.*

4 *Istam invitis omnibus*] Deest 'abducam.' *Idem.*

Ego istam invitis omnibus] Bona ἔλλειψις: nemo enim plene loquitur, qui luctatur. *Idem.*

Ego istam] Abducam sc. aut retinebo. *Farnabius.*

5 *Quamquam est scelestus, non committet*] Ἀνακόλουθον primum: nam quum proposuisset 'quanquam,' non subjecit 'tamen.' *Donatus.*

Quanquam est scelestus, &c.] Cautum erat sub exheredationis pœna, ne filius familias lenonem pulsaret. Æschinus itaque non denuo et in publico sibi depalmandum lenonem statuit, ne ad patrem hoc emanet, atque hinc ipse perpetuo perierit. infra act. II. sc. 4. *Farnabius.*

Committet] Perficiet. sed hoc proprie de illicitis et puniendis facinoribus dicimus. Et simul hic ostendit Comicus adolescens cedere se lenoni, invitum se noxam intulisse: et id quod fecerit, fecisse lenonis culpa, non sua. *Donatus.*

Iterum ut vapulet] Minaciter Poëta priorem litem sustulit, dicendo 'iterum:' ut non eadem lis esset, de qua supra Demea questus est: sed instaurata nascatur. *Idem.*

7 *Leno ego sum*] 'Leno' terribiliter pronuntiandum est: quasi dicat, cui supplex eris. Sed ex argumento est, quod contemnit Æschinus minas lenonis: utpote qui jam uxorem decreverit ducere. *Idem.*

Leno ego sum, &c.] Donatus ad terrorem, Eugraphius ad contemtum retulit. Placet Eugraphii potius sententia. Hoc vult Sannio dicere: nolo te meæ conditionis ignarum esse; leno sum, fateor; sed, ut in hoc genere, homo cetera non pessimus. Nihil autem tibi hoc proderit, quo minus ereptæ mulieris nomine reus peragi possis. Tam mihi jus dicetur, quam alii. In bene constituta enim republica judicium redditur etiam vilibus personis: atque, ut propius ad nostram rem loquamur, jure civili Romano bene constitutum est, ut restitutio non impediatur, etiamsi spolians objiciat, spoliatum prædonem esse. *Bœclerus.*

Scio] Hic sic respondit, quasi in lenone imminutio capitis tantum consisteret, *Fide usquam optuma.* 'Fides' in concipiendis comminationibus: nam 'denuntiatio' comminantis est. *Donatus.*

8 *Tu quod te posterius purges, &c.*] Hic quoque sententias juris loquitur; neminem teneri, ut privatim transigat, aut pœnitentia ejus, qui vim intulit, contentus sit. Non enim idem est pœnitere ac restituere. Sed 'Nec prodest ei, qui vi rapuit, ad evitandam pœnam, si ante judicium restituat rem quam rapuit,' ut est in l. v. ff. vi bon. rapt. *Bœclerus.*

Nolle hanc injuriam mihi factam esse] Hoc e solemni satisfactionis more apud Romanos: ubi jurejurando agnoscebat quis, indigno se contumeliam intulisse, et nolle factum. Sic Liv. XXIX. 'Locrensibus Senatum respondisse, quas injurias sibi factas quererentur, neque Senatum, neque populum R. factas velle.' Consimilem sui purgationem a Jove simulatitio habes apud Plaut. Amphitr. act. III. sc. 2. *Farnabius.*

9 *Hujus non faciam*] Figurate ergo. 'Quod te purges,' id est, purgationem tuam. 'Hujus' autem δεικτικὸν est. Aut enim stipulam, aut floccum moverat, aut summum digitum. *Donatus.*

Hujus non faciam] Cicero: 'Ne tantulum quidem commotus est.' *Id.*

Ego meum jus persequar] Hoc est lenonium. *Idem.*

Meum jus] Meam libertatem. *Meum jus*] Meam vindictam. Nam ut illa 'injuria' est, quæ fit innoxio; ita jus vindicta illa, quæ redditur reo. *Idem.*

Persequar] Ulciscar. Cicero: 'Tu dum tuas injurias per te, id quod non

potes, persequi conaris.' *Idem.*

10 *Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re male feceris*] Νομικῶς. Et 'solves,' lues, persolves, id est, satisfacies, ac te purgabis. *Idem.*

Re male feceris] Acuendum est 're,' et significanter proferendum. ibi enim est sententia. Et plus dixit, *re male-feceris*, quam *injuriam feceris*. Idem.

11 *Novi ego vestra hæc*] Ἔλλειψις, deest enim 'verba.' *Idem.*

Novi ego vestra hæc, &c.] Vide quæ huc ex aliis annotavit Jo. Weitzius. Formula satisfactionis valde insignis: in qua pœnitentia, et confessio injuriæ cum quadam palinodia conspicitur, adhibita jurisjurandi religione. Exemplum est apud Plaut. Amphitr. III. 2. 50. &c. Quod præcesserat, 'verbis non solvi quod re male factum est,' itidem νομικῶς sive ex regula juris communis dici, Donatus annotat. *Bœclerus.*

Jusjurandum dabitur] Hoc est, jurabimus te esse indignum cui injuria fiat hujusmodi. Aut separatim, *jusjurandum dabitur*: et separatim, *te esse indignum injuria hac*. Et sic melius. Verba enim satisfaciunt, quum res colligitur in generalibus causis. nam sæpe iræ ac lites jurejurando sunt terminatæ. *Donatus.*

12 *Indignum injuria hac*] Comice 'indignum' et 'indignis.' *Idem.*

13 *Abi præ strenue*] Aut *abi præ*, id est, prior: aut *abi præ*, id est, præi: ut, 'I præ, sequar.' Aut *præstrenue*: ut, 'Prædivitis urbe Latini.' *Idem.*

Abi præ strenue] Magna contemptio minarum lenonis, non respondisse Æschinum ad ea quæ dixerat. *Idem.*

Abi præ strenue, ac fores aperi] Parmenonem præire jubet, ac fores Mitionis ædium aperire. Inhibet leno. *Farnabius.*

Abi præ strenue] Ad servum sermo est. *Faber.*

Ceterum hoc nihil facis] 'Nihil' pro 'non.' Legitur et *nihili*. Donatus.

Ceterum hoc nihil facis] V. Guyet. frustra id conaris. Obsistit enim leno, ut mox: 'At enim non sinam;' dum rei suæ possessionem sibi vindicat, donec plagis coërcetur, ut amplius resistere nequeat. Donatus videtur legisse: *enim non sinam*, excluso τῷ *at*; dum annotat, 'Enim,' inceptivam particulam esse apud veteres. *Bœclerus.*

14 *I intro nunc jam*] Fidicinam alloquitur. *Farnabius.*

I intro nunc jam] Ad fidicinam. *Faber.*

At enim non sinam] 'Enim' inceptiva particula apud veteres fuit: sed et convenit perturbationi. *Donatus.*

15 *Nimium istoc abisti*] Quasi ex contumacia lenonis appareat, quod multum abierit. *Idem.*

Nimium abiisti isthoc] Mutandum aliquid in versione Gallica ad hunc locum; item mox ad illa verba, 'Hem, serva.' *Faber.*

Propter hunc] Juxta hunc, ut Virgilius, 'Templum de marmore ponam Propter aquam.' *Donatus.*

Hem, sic volo] Mire Comicus, ex alterius verbis, quid faciat alter, ostendit. *Idem.*

16 *Quoquam dimoveas tuos*] Liber Bembinus et alii antiqui, *demoveas*. Faërnus.

17 *Quin pugnus continuo*] 'Pugnus' a pugna dictus: aut ab illo 'pugna.' *Donatus.*

Pugnus continuo] Id est vestigium litigantis. *Idem.*

18 *Istuc volo ergo ipsum experiri*] Expresse ostendit pauperioris loquacem contumaciam usque ad pericula cædis. *Idem.*

Istuc volo ergo ipsum experiri] Hoc illo dicente, servus lenonem verberat. *Idem.*

Hem serva] Nescias cui dicat hæc Æschinus, an lenoni, an servo: sed servo magis est verisimile. *Idem.*

Hem serva] Parmenoni imperat ut mulierem retineat, lenoni ut omittat.

Farnabius.

19 *Geminabit nisi caves*] Hoc comminantis est, non jubentis ferire. Sed quia longe stat Parmeno, 'gemina' putavit dictum. Et 'geminabit,' subaudiendum est 'plagam.' *Donatus.*

Geminabit nisi caves] Non singularem pugnum, et unum dabit, sed 'geminabit:' quasi dicat, geminato duplicatoque numero inferet. *Idem.*

Hei misero mihi] Leno pulsatur. *Idem.*

20 *Non innueram*] Convenienter Poëta avidiorem Parmenonem malefaciendi inducit, quum supra dominum invitum ostenderet cogi ad inferendam injuriam. *Idem.*

In istam partem potius peccato] Ut verberes non jussus potius, quam jussus non verberes. *Idem.*

21 *Nunc jam*] Duæ partes istæ sunt. Et bene 'jam,' quia sero, et post plagas. Et utrum hoc lenoni, ut abeat, an puellæ ut introëat, dicitur? sed facetius est, si lenoni intelligas dici: quasi hoc factum sit quod voluerit: et quasi venerit ut vapulet. Et 'jam' etiam tarditatis incusatio est, ut Virgilius, 'Jam melior, jam diva precor.' *Idem.*

Regnumne Æschine] Invidiosa moraliter exclamatio, et ardentior ad plagas. *Donatus.*

Regnumne, Æschine, hic tu possides] Bene 'hic,' id est, Athenis, ubi gravius crimen est dominari velle: nam tyranni ibi semper oppressi sunt, et maxime a proximis. *Idem.*

Hic] Athenis, civitate libertatem semper adversus tyrannos asserente, atque ubi Democratica administratio. *Farnabius.*

22 *Si possiderem*] Ἠθικὴ εἰρωνεία contemnentis in invidiam. *Donatus.*

Ornatus esses ex tuis virtutibus] Cito ostendit quantum a se longe sit regnum, qui dixerat ornari potuisse lenonem. *Idem.*

Ex tuis virtutibus] Sic veteres per εἰρωνείαν 'virtutes' pro flagitiis dicebant. Lucilius, 'animo ac virtutibus.' *Idem.*

23 *Quid tibi rei mecum est*] Hoc, quia verberatus est, dicit. ut sit, *quid tibi debeo?* non quia nihil sibi debeatur. *Idem.*

Quid tibi rei mecum est] Donati et Guyeti expositionem juvat locus παράλληλος in Heaut. IV. 4. 2. ubi Bacchis ad Syrum: 'etiamne tecum hic res mihi est?' Resp. Syrus: 'minime: tuum tibi reddo.' *Bœclerus.*

Nihil] Facete: quia ipse abstulit, et 'nihil' vult a se repeti. *Donatus.*

Quid? nostine qui sim] Proprie: sic enim dicit qui nihil quicquam debet, 'Non me novit,' non quod ignoretur, sed quod in jure non cernatur. *Idem.*

Nosti qui sim? Æs. non desidero] Plautus Menæchm. II. 2. 22. 'Ego te non novi, neque novisse adeo volo.' Catull. ep. XCIV. 'Nil nimium studeo Cæsar tibi velle placere, Nec scire utrum sis albus an ater homo.' adde Ph. II. 3. 85. *Bœclerus.*

24 *Si attigisses*] Plus dixit 'attigisses,' quam 'tetigisses.' Est enim multo majus 'attingere,' quam 'tangere.' *Donatus.*

25 *Qui tibi magis licet*] Hic non tam ratiocinatio est, quam exclamatio per dolorem. *Idem.*

Qui tibi magis] Si mihi, inquit, non licet attingere tuam; cur tibi licet meam, non tangere, sed habere? Et 'habere,' utrum domi in consuetudine: an corrumpere, id est, stuprare intelligimus? *Idem.*

Meam habere, pro qua ego argentum dedi] 'Meam' suffecerat: sed magna moralitate additum, 'pro qua argentum dedi,' ad vociferationem. Simul esse ostendit leno quod repetat. *Idem.*

Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi] Bona fide se emisse, ostendere vult, adeoque bonæ fidei possessorem esse, qui in suo jure neminis hominis facto debuerit

turbari. *Bæclerus.*

26 *Ante ædes non fecisse erit melius hic convicium*] Non erat quod ad hæc juste responderet. et ideo sic respondet, ut convicium dicat, quod verum est. *Donatus.*

Ante ædes non fecisse erit melius hic conv.] Guyeti explicationem possit firmare locus Plautinus in Bacchid. IV. 8. 33. 'Ut ne clamorem hic facias neu convicium.' Donatus aliter accipit. 'Melius erit non fecisse,' formulam sapit, ut in illo veteri: 'quievisse melius erit.' et: πολλῷ γὰρ ἄμεινον. Minarum autem vim habent hoc loco illa verba: quas mox clarius exprimit Æschinus: cujus ἦθος tale facit poëta, ut disputationi juris, vim opponeret. *Bæclerus.*

27 *Jam intro arripiere*] Liber Bembinus et Decurtatus, *abripiere.* Faërnus.

28 *Loris liber*] 'Lora' apud veteres 'laura' dicebantur, a lauro triumphorum: sub qua mos erat captivos vinciri, ducique per pompam. Ideo autem, ut conditionis reminiscantur, loris cæduntur mancipia: nam 'mancipia' dicuntur, quod manu capta sunt: 'servi,' qui servati sunt, quum eos occidi oporteret jure belli. Unde Virgilius sic inducit captivum rogantem, 'Per patrios manes, per spes surgentis Iuli, Te precor, hanc animam serves natoque patrique.' *Donatus.*

Loris, liber] Novus injuriæ titulus. Loris cædere sive flagellare liberum hominem Athenis non licebat. Servorum id supplicium fuit. Quam rem Sannio hic ex 'libertate democratica' deducit: 'Hiccine libertatem aiunt esse æquam omnibus?' i. e. annon vivimus in republica populari, ubi omnes cives, eo ipso quod cives sunt, æquo jure agitant et libertatis beneficiis perfruuntur? Unde et Cicero pro C. Rabirio, legem Porciam, quæ exemplo juris Attici virgis cædi civem Rom. vetabat, libertatis favore commendat. (cap. 4.) ac in Verrina v. cap. 63. cum affectu et figura amplificat: 'O nomen dulce libertatis! o jus eximium nostræ civitatis! o lex Porcia, legesque Semproniæ!' *Bæclerus.*

Loris liber] Loris quippe cædi illiberale ac servile fuit: ut magistratus virgis in noxios utebantur, ita domini in servos loris. *Farnabius.*

29 *O hominem impurum*] Sic veteres 'impurum' generaliter pro improbo ponebant: ut eadem hac fabula, 'Persuasit ille impurus, sat scio.' *Donatus.*

Hiccine libertatem] Scilicet Athenis. *Idem.*

Æquam esse omnibus] Quasi diceret, ubi non est, quando Æschinus loquitur. Et bene 'omnibus,' ut ne lenones quidem videantur excepti. *Idem.*

Æquam esse omnibus] O. l. s. *esse æquam.* Faërnus.

30 *Si satis jam debacchatus es, leno, audi si vis nunc jam*] Istud 'jam' est disyllabus, ut sæpe apud Plautum; est enim versus octonarius iambeus. Vide Not. ad Andriam. *Faber.*

31 *Egon debacchatus sum in te, an tu in me*] Variant hic libri scripti: nos antiquissimos sequemur, in quibus omnibus ita est: *Egon debacchatus sum autem, an tu in me?* Cum enim non dixerit Æschinus lenonem in se debacchatum, sed tantummodo debacchatum, leno quoque id simpliciter negat, subdens eum potius in se debacchatum. Sane prima hujus versus syllaba pertinet ad præcedentem. *Faërnus.*

Mitte ista, atque ad rem redi] Superbe adolescens maleficium non putat lenonis esse purgandum. 'Ad rem' autem, ad negotium de quo agitur, dicit. *Donatus.*

Omitte ista] O. l. s. et Donatus, *mitte ista.* Faërnus.

32 *Quam rem*] 'Quam abduxisti.' 'Res' enim, pecunia intelligitur: vel id pro quo pecunia danda est. *Donatus.*

Quo redeam] Ad, 'quam evertisti domum:' quia, 'fores effregit, atque in ædes irruit alienas.' *Idem.*

Quod ad te attinet] Quod tibi prodest, et commodum est. *Idem.*

33 *Cupio*] Ille 'vis' dixit: hic 'cupio.' *Idem.*

Modo æqui aliquid] Subaudiatur 'dicas.' *Idem.*

Cupio, modo æqui aliquid] Et Bembinus et Victorianus, et omnes fere alii l. s. *Cupio: æqui modo aliquid.* Faërnus.

Vah. leno iniqua me non vult loqui] Nomen sacrilegum et injustum 'leno,' iniquitatem agitat, justitiæ patrocinatur. Hoc totum εἰρωνικῶς pronuntiandum est. *Donatus.*

Vah, leno iniqua me non vult loqui] Vah. unde nobis nova incessit religio! gratemur nobis reformatum rerum statum: si quidem lenones impuri, impii, sacrilegi iniquitatem agitare, æquum exigere, de virtute loqui, justitiæ patrocinari incipiant. *Farnabius.*

34 *Leno sum*] Figura συγχώρησις. *Donatus.*

Pernicies, &c.] Diphilus. Οὐκ ἔστιν οὐδὲν τεχνίον ἐξωλέστερον Τοῦ πορνοβόσκου. *Farnabius.*

35 *Est orta injuria*] 'Orta,' cœpta. *Donatus.*

36 *Nam hercle etiam id restat*] Liber Bembinus, *hoc restat.* Faërnus.

Illuc quæso redi quo cœpisti, Æschine] Figurate: rectum enim erat, *unde cœpisti.* Nisi forte 'quo' pronomen est modo accipiendum: ut sit, 'a quo.' Et bene memor est, dixisse Æschinum, 'Omitte ista, atque ad rem redi.' *Donatus.*

37 *Quæ res tibi vertat male*] Adjicit contumeliam, quasi et hoc multum sit et inimicum. Vertumnus dicitur deus qui rebus ad opinata revertentibus præest. Sæpe autem male cedit, quod bonum putatur: et hoc est male vertisse: ut ille gladius, qui muneri datus, adminiculum fuit reginæ pereunti, de quo Virgilius: 'Ensemque reclusit Dardanium, non hos quæsitum munus in usus.' *Idem.*

38 *Argenti tantum tibi dabitur*] Idem liber, et Basilicanus, et Victorianus, et multi alii, non habent dictionem *tibi*, ut et exigit versus, qui est octonarius, attributa tamen prima ejus syllaba versui præcedenti. *Faërnus.*

Quid si ego tibi illam nolo vendere] Hæc majoris sunt stomachi, et ideo stultiora: nam quod jam amisit, venditurum se negat. Et, *quid si nolo*, nove dictum est, et τῷ ἰδιωτισμῷ. *Donatus.*

Quid si ego tibi illam nolo vendere? coges me] Potest autem dici, *quid si nolo? coges me?* Idem.

38. 39 *Quid si ego illam tibi nolo vendere, coges me*] Iterum jure nititur. In ipsa enim dominii et proprietatis natura hoc inest, ut re nostra, non alieno, sed nostro arbitratu utamur, et, in hoc negotio, an vendere, et cui vendere velimus, constituamus. Itaque naturalem æquitatem sequuntur juris civilis R. conditores, quando decernunt, neminem cogi ut suam rem invitus vendat, aut vendat alii, quam cui vult. Vide omnino Imperatorum Constit. l. XIV. C. de Contrah. Emt. ut et l. XI. eod. et adde l. IX. ff. de Act. Rer. amot. l. XVI. C. de Jure Delib. quæ loca ad Terentium suum notavit Vir doctrina, humanitate, pietate, Germano candore inprimis præcellens, Joh. Henricus Schrœterus, cujus amicitia perlibenter et familiariter utor. *Bæclerus.*

39 *Minime*] Εἰρωνεία. *Donatus.*

Namque id metui] Εἰρωνεία contumax et ridicula in eo, quod jam amisit id de quo dixit se cogi non posse. *Idem.*

Neque vendendam censeo, quæ libera est, &c.] Æschinus, qui hactenus Sannioni jure agenti nihil responderat,

præter vim et minas, et denique pretium pro erepta muliere, circa mentionem ulterioris satisfactionis, obtulerat, cum videret, Sannionem recusare pactionem, extemporali astutia calumniæ metum injicit, et vindicias libertatis prætexit, confingens liberam esse mulierem, quam eripuerat. q. d. 'Quia liberam mulierem, quæ vendi non potest, alienare vis, ego illam liberali causa h. e. directa legis, qua liberos homines alienare prohibitum est, actione, assero manu.' Hæc Jureconsulti celebris verba rem satis explanant, si modo contextus Poëtæ propius attendatur. ita enim voluit dicere Æschinus: Tu dicis, Sannio, cogi te non posse, ut mihi vendas mulierem. recte. Non cogam te. Imo ostendam, nec fas tibi esse, vel mihi vel cuiquam mortalium eam vendere. Libera est enim, (στρατήγημα ἀγωνιστικὸν, hoc est, quod interjicit,) quam tu hactenus ut servam, ut venalem detinuisti. Eo nomine te in jus vocabo, assertaque in libertatem muliere, ut sine omni pretio eam dimittere cogaris, imo ultro puniaris, efficiam. Vide ergo, num satius sit, argentum quod obtuli accipere, 'an causam meditari tuam.' Hujus astutiæ Pamphilo hæc subsidia præsto erant, quod lenones valde vulgo suspecti essent, tanquam qui liberas puellas, abductas alibi aut raptas, nec ignorantes modo, sed scientes sæpe mercarentur: eoque quæstus ipsorum apud judices, in judicio libertatis, parum esset favorabilis. Apud Plautum in Persa IV. 9. 'ambula in jus leno . . . . qui hic commercaris cives homines liberos.' Unde mox κωμικῶς 'feles virginaria' dicitur. ut et in Rudente act. III. sc. 4. ubi Poëta talis lenonis propositum ἠθοποιεῖ, dum ita inducit loquentem: 'Argentum ego pro istisce ambabus, cujæ erant, domino dedi: Quid mea refert, hæ Athenis natæ an Thebis sient, Dum mihi recte servitutem serviant.' Respondet Trachalio: 'Itane impudens, Tune hic feles virginalis liberos parentibus Sublectos habebis, atque indigno quæstu conteres?' Propter hujusce rei suspicionem, aliquando ita emebantur a lenone puellæ, ut teneretur ille emtori pretium restituere, si vendita puella in libertatem assereretur. Exemplum est in Curculione Plauti act. V. sc. 2. vs. 66. &c. ubi miles, de puella quam a lenone emerat, postea libera inventa; 'Et leno hic debet nobis triginta minas. PH. Quamobrem isthuc? MI. quia ille ita repromisit mihi: Si quisquam hanc liberali asseruisset manu, Sine controversia omne argentum redderet.' Adde Scen. seq. vs. 31. &c. In eadem Plautina fabula (act. V. sc. 2. vs. 22.) formulam et elogium ejusmodi accusationis, non quidem in lenonem sed in militem, proponi videmus: 'Qui scias mercari furtivas atque ingenuas virgines, Ambula in jus.' Itaque Sannioni ista comminatio Æschini terribilis fuit, cum vindicias secundum libertatem se postulaturum diceret. Quibus secundum mulierem datis, vel futurum erat, ut convinceretur, quod sciens in libertatem mulieris peccasset, adeoque pœnam quoque ferret; vel si ambiguum illud maneret, restituere et ab se dimittere eam statim cogeretur, nemine pretium reddente, quanti emerat. *Bœclerus.*

40 *Nam ego illam liberali assero causa manu*] Ordo est, *ego liberali causa, manu assero.* Et sunt juris verba: a quibus etiam 'assertores' dicuntur vindices alienæ libertatis. Nam et causa ipsa 'liberalis' dicitur, quæ actionem in se continet libertatis. *Donatus.*

Nam ego illam liberali assero causa manu] Donatus et o. l. s. *nam ego liberali illam a. c. m.* Faërnus.

Nam ego illam liberali assero causa manu] Ego illam, quæ libera est, ex servitute tua, injecta manu, secundum vindicias, in libertatem assero. *Farnabius.*

Nam ego illam liberali assero causa manu] Liberalis causa, et liberale judicium, quid sit, optime explicaverunt Juris Interpretes, et olim Donatus ipse, ut apparet ex iis quæ ex illius scriptis excerpta fuerunt; causa liberalis, scilicet, in qua actio libertatis contineretur. Non potui itaque non mirari nuper quemdam Antecessorem, qui adversus observationem meam ubi de *** agitur, ad Amplissimum Præsulem cum scriberet, ita hanc phrasin Terentianam usurpavit, quasi si dicendum esset *manu liberali*, non *causa liberali*. Risi certe. Hem, inquam, figulus figlinam nescit; (sunt enim isthæc ex primis juris elementis;) nolui ipse contra scribere, quia me per universum librum floribus sparserat; tamen ad argumentum ipsum nil egerat prorsus; neque enim adversus me auctoritate pugna dum fuit, sed ratione; quod difficile interdum est. *Faber.*

41 *Causam meditari*] Cicero in Bruto dixit, 'causam meditari.' *Id.*

42 *Pro supreme Jupiter*] Hæc locutio ad hoc inducta est, ut ex verbis lenonis appareat quam facile mitis fieri possit, et quidvis et libenter accipere. *Donatus.*

Pro supreme Jupiter] 'Supremum' nunc dicit summum. Ab eo quod est 'superior,' et 'superius' fit 'supremum.' Virgil. 'Rex ipse, Jovis de gente suprema, Troius Æneas tua nos ad limina misit.' Et non abhorret a persona et plebeii, et lenonis, et vim passi, Jovem ipsum convitio persequi, ut quotidie videmus ab hominibus ejus loci et ordinis fieri. *Idem.*

43 *Minime miror qui insanire occipiunt ex injuria*] Sensus hic est: Insanos fieri per injuriam plerosque mirabar, sed jam non miror, postquam ego ipse, per injuriam quam sum passus, insanire compellor: adeo ut exclamem, 'pro Jupiter!' Et simul adverte vigilantem Poëtam, ut ubicunque in comœdia vocem tragicam extulerit, statim personam insanam dicere faciat. Sic supra, 'Pro Jupiter! tu homo nunc adiges me ad insaniam.' *Idem.*

Minime miror, qui, &c.] Menander. Οἴμοι, τὸ γὰρ ἄφνω δυστυχεῖν μανίαν ποιεῖ. *Farnabius.*

44 *Me invito abduxit meam*] Honestiori personæ hæc querela sufficeret, 'abduxit meam.' Sed leno bene addidit, 'me invito.' Nam abducuntur meretrices absque voluntate lenonum. Et decora locutio est per ἔλλειψιν, 'Me invito abduxit,' non enim addidit, 'puellam,' aut quid tale. *Donatus.*

45 *Tantidem emptam postulat*] Legitur et *totidem emptam.* Idem.

46 *Homini misero*] Secundum illud Menandri: *ΑΙΓΟC ΤΗ πΟΙωΝ ΤΟΙΓΟ-ΕΡπΑΤΟ ΤΟΝ ΓΡωΝΟΝ ΟΙΚεΤΗΝ λάβων.* *Idem.*

Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi] Contumeliosa cædes, 'colaphus,' et digna lenone. *Idem.*

Infregit] Ut illudens hoc fecisse Æschinus videatur, cum sonitu se colaphizatum significat. 'Infregit' autem, illisit, inflixit: ut sit sensus, 'inflixit homini misero plus quam quingentos colaphos.' Et flebiliter pronuntiandum est. hoc enim exprimitur, ut tamen incuset in alieno facto fortunam suam. Et vide quantum hoc distet ab illo quod supra dicebat, 'ipsum istuc volo experiri.' Hoc, quia solus est: illud, quia cum adversario. *Idem.*

Colaphos infregit mihi] 'Colaphum infringere,' est compressa in pugnum manu cædere. 'Alapam infligere,' deducta manu percutere. *Farnabius.*

47 *Bene promeruit*] 'Bene,' multum. 'Promeruit,' adjuvit, profuit, cui contrarium est 'commeruit.' Nam

'mereri' et 'promereri,' est præstare beneficium. Virgilius. 'Quique sui memores alios fecere merendo.' Et, 'Nunquam regina negabo Promeritam.' *Donatus.*

48 *Age jam cupio; si modo argentum reddat. sed ego hoc hariolor*] Ex *sed* d eliso, et τῷ *hoc* correpto, dactylus erit in sexta sede trochaici. *Faërnus.*

49 *Ubi me dixero dare tanti*] Recte dixit. Ubi enim pactio intercesserit pretii, jam ereptionis actio sublata erit et pretium debebitur. *Donatus.*

Ubi me dixero dare tanti, testes faciet ilico me vendidisse] Donatus: 'Recte dixit. Ubi enim pactio intercesserit pretii, jam ereptionis actio sublata erit, et pretium debebitur.' Duo veniunt in deliberationem. Primum reputat Sannio, si transigat cum Æschino de pretio, cæteram actionem de foribus effractis, de verberibus ac tot injuriis, quas paulo ante exaggeravit, hac ipsa transactione extingui: deinde metuit, si semel fidem emtori habuerit, difficulter se accepturum, quod debeatur: Æschinum enim singula dicturum, quæ morosi debitores solent: 'mox' solvam, 'cras redi' ut accipias. donec per tales moras evanescat denique forsitan res tota. hoc enim vult, cum dicit: 'De argento somnium,' i. e. nihil accipiam. quasi quis diceret, 'Argentum non videbo, nisi per somnium,' ut est in codice Guyeti. Moras equidem ferre possum, dum modo reddat denique pecuniam. 'Quamquam injurium est,' adigi ut vendas quod nolis scilicet. *Bœclerus.*

50 *De argento somnium*] Quantum ad argentum spectat, procrastinatione et mora evanescet instar somnii. *Farnabius.*

Mox; cras redi] Mire transit ad μιμητικόν. *Donatus.*

51 *Id quoque possum ferre*] Id 'Mox, cras redi,' id est, moram. *Idem.*

Quanquam injurium] Vendere quod nolis. *est*, scilicet. *Idem.*

52 *Id quod res est*] Pro, *id quod verum est*: bona locutio. *Idem.*

Quando eum quæstum occeperis] Ut in Andria, 'Deinde quæstum occipit.' *Idem.*

Quando eum quæstum occeperis, &c.] Verum in turpi quæstu voranda nobis non raro est injuria, imo decoquenda. *Farnabius.*

53 *Mussitanda*] Patienda, consideranda cum silentio, et ut in amatore putanda, atque per hoc perferenda. 'Mussitare' enim proprie est dissimulandi causa tacere, dictum vel a 'muto,' vel ab M, quæ litera est nimium pressæ vocis ac pene nullius, adeo ut sola omnium, quum inter vocales inciderit, atteratur atque subsidat. Hinc Virgilius, 'Mussat rex ipse Latinus.' *Donatus.*

54 *Frustra egomet mecum*] Præparationis genus ad accipiendas viginti minas: totius summæ desperatio. *Id.*

Sed nemo dabit. frustra egom.] Revolvitur ad deteriora timenda: 'sed nemo dabit,' sc. argentum. 'frustra egomet mecum has rationes puto.' Ad quæ verba Donatus non inerudite: 'Præparationis,' &c. *Bœclerus.*

Frustra egomet mecum has rationes deputo] Duo antiquissimi libri Bembinus et Victorianus, *puto*: et sic quoque stat versus: immo etiam numerosior est. *Faërnus.*

Puto] Voluto, computo. *Farnabius.*

SCENA II. Iambici octonarii, et postea senarii. vs. 1. et 2. meorum Mss. unus: *Tace egomet conveniam ipsum ut cupide accipiat jam faxo atque etiam Bene ut dicat s. &c.* alter: *Tace egomet conveniam eum ut cupide accipiat faxo atque etiam B. ut d. s.* Argentor. *Tace e. c. i. v. c. a. faxo atque e. b. d. s.* vs. 3. omnes, ut edidimus. vs. 4. duo: *quam quæ hod.* vs. 8. τὸ *hui* unus, *Syro*, duo *Sannioni* tribuunt. vs. 9. duo pro *nunc* habent *huic*. vs. 20. duo: *istuc vide.* vs. 23. duo: *veniam.* Argentor. *venio.* vs. 24. omnes: *omittam.* Verba collocantur,

ut edidimus. vs. 27. omnes, ut edidimus. vs. 34. duo: *minas corradet alicunde decem.* vs. 38. omnes: *etiam insuper defraudat.* unus: *nusquam habeo.* alter: *nusquam abiero.* vs. 39. duo: *imo jam hercle.* vs. 42. duo: *scio te non esse usum a.* tertius: *scio non te e. v.* vs. 45. duo: *quicquid te oro.* Bœcler.

Tace, egomet conveniam jam ipsum] *In hac scena actus, est exemplum continens vitæ avarorum, qui sæpe in damnum ipsius avaritiæ rationibus ruunt: simul etiam duorum inter se nequam hominum spectanda quædam vicissim et dolosa captio est.* Donatus.

1 *Tace, egomet conveniam jam ipsum*] 'Tace,' si pro adverbio est, omnibus dicitur: si pro verbo ponitur, dicitur Ctesiphoni maxime sollicito, et supplicanti omnibus, ob metum patris. 'Jam' autem, non tarditatis est; sed properationis significatio. *Idem.*

Tace: egomet] Versus hic trochaicus tetrameter acatalecticus. *Faërn.*

Tace, &c.] Syrus egrediens intro loquitur ad Æschinum, qui jusserat eum ad Sannionem exire, ipsique persuadere, ut acciperet quod oblatum erat. Bene meritus est de hac quoque scena Guyetus designandis quæ obscuriora videbantur. *Bœclerus.*

Tace] Progressus Syrus alloquitur Æschinum vel Ctesiphonem, qui intus. *Farnabius.*

Ipsum] Sannionem. *Idem.*

2 *Bene dicat secum esse actum*] *Actum*, recte additum est: nam multa etiam cupide accipimus, ita tamen ut male nobiscum esse dicamus actum. *Donatus.*

Quid istuc, Sannio, est] Illud supra post scenam, hoc jam in proscenio dicitur. Et vide quam ingeniose Terentius, qui supra ab Æschino Lenonis nomine facit Sannionem vocari, utpote ab homine arroganti et feroci ob ætatem et negotium: at hunc blande circumvenientem honorificentius inducit cum Lenone loqui, et Sannionem eum vocare. Sane qui in sordidis professionibus agunt vitam, honorifice nomine proprio appellas: sed qui in splendidis artibus sunt constituti, gaudent artis nomine nuncupari, ut Imperator, Orator, Philosophus. Sic et in Eunucho, 'Audire vocem visa sum modo militis,' apud se loquens meretrix: et postquam illum cominus videt, 'salve mi Thraso,' inquit, non, 'salve miles:' quod erat durissimum. Et mox irata persona, 'miles, nunc adeo edico tibi.' *Idem.*

3 *Nescio quid concertasse cum hero*] Argute positum 'nescio quid:' vult enim ex illo audire, ut nanciscatur initium, quod persuadendum suscepit. *Idem.*

Concertasse] Οἰκονομία. Honorifice nomen tractat, ut et placidum sibi reddat, et ut eum faciat ad contemnendam pecuniam liberalem. Nam honestas adimit avaritiam. *Idem.*

4 *Certationem comparatam*] Διασύρει, quia ille concertasse dixit, non cæsum esse. *Idem.*

Comparatam] Proprie; alias *constitutam.* Et 'comparatam' ad dictum Syri refert, qui ait concertationem fuisse, pares faciens Æschinum et Lenonem. nam Sannio vult sibi deberi pro eo quod vapulavit: quod abstulit illi Syrus, dicendo eum non verberatum esse, sed potius concertasse. Et proprie dixit *concertationem*, ipsum actum. Nam 'certamen' est res ipsa de qua certatur, uter columbam sagitta feriat, uter prior decurrat ad metas. Nam sic Virgil. in Bucolicis: 'Velocis jaculi certamina ponit in ulmo.' At vero 'certatio' ipse actus contentioque certantium est. *Idem.*

Nunquam vidi iniquius concertationem comparatam, &c.] Similiter Juvenal. Sat. 3. 'Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.' *Farnabius.*

Quam quæ hodie inter nos fuit] In libro Bembino et Victor. est *quam hæc hodie*: ut et versus exposcit.

Faërnus.

5 *Ille verberando usque, ambo defessi sumus*] Incerta est distinctio, vel *verberando usque*, vel *usque defessi*. et est 'usque' adverbium, significans aut 'diu,' aut 'multum.' *Donatus.*

6 *Tua culpa*] Potest et nominativus et septimus casus esse, si nominativus est, deest 'est:' si septimus, deest 'factum est.' *Idem.*

Adolescenti morem gestum oportuit] Ab ætate adjuvatur sententia. Ideo 'adolescenti' dixit, non Æschino. Et 'morem gerere,' proprie lenonis et meretricis est: unde et ipse sic respondet, ut non fugiens κακόφατον, dicat, 'usque præbui.' *Idem.*

Adolescenti morem gestum oportuit] Cum ἐμφάσει 'Adolescenti' pronuntiandum est, scilicet qui facilius assentatione caperetur. *Idem.*

7 *Qui potui melius, qui hodie usque os præbui*] Subauditur, 'morem gerere.' Et hoc subtiliter Leno, quum morem gerendum fuisse in meretricis pretio dixerit Syrus. 'Hodie' autem non tempus significat, sed iracundiam, eloquentiam, ac stomachum. Ut Virgil. 'Nunquam omnes hodie moriemur inulti.' *Idem.*

Age] Modo 'age' corripientis est adverbium. *Idem.*

Scis quid loquar] Argute: quia simulaverat Leno non intellexisse, quid dixerat servus. *Idem.*

Scis quid loquar] Legitur et sic: *sed scis, quod loquar.* Idem.

Age, scis quid loquar] Pronuntiatione blandiori et familiari exprimenda est horum verborum sententia. Ut subinde: 'Age novi tuum animum.' *Bæclerus.*

8 *In loco negligere, maximum interdum est lucrum*] Bene additum est 'in loco,' et 'interdum:' non enim semper. *Donatus.*

Pecuniam in loco negligere, maxumum interdum est lucrum] Opportune et tempestive, tempori et loco convenienter. Plaut. Capt. act. II. sc. 2. 'Est etiam ubi damnum præstet facere quam lucrum.' *Farnabius.*

9 *Si nunc de tuo jure concessisses*] Bene 'tuo jure:' ne diceret: non erat res mea quam vænalem habui. Aut 'de tuo jure,' de lenonia duritia: ut alibi, 'Meo jure utar, ut potior sit, qui prior ad dandum sit.' *Donatus.*

11 *Ne non tibi istuc fœneraret*] 'Fœneratum,' est cum lucro redditum et multiplicatum. 'Fœneraret' ergo, non Æschinus, sed ipsa res in qua fœneratio. *Idem.*

Ego spem pretio non emo] 'Αντισονομία; contra 'Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.' *Idem.*

12 *Nunquam rem facies*] Leno quidquid agit, ad lucrum refert: et sic lucri genus dicit esse Syrus a Lenone, quemadmodum persuadet. Et nota, 'rem,' et litem, negotium meretricis, et patrimonium, et omnem pecuniam nominari. *Idem.*

Nunquam rem facies] Secundum personam servi Lenonem Syrus hortatur, hominem ad lucrum excitans, non ad honestatem. *Idem.*

Nescis inescare homines, Sannio] Μεταφορὰ ab aucupibus, qui avibus capiendis offundunt cibum. *Idem.*

Nescis inescare homines] Plaut. Asin. act. I. sc. 3. 'Hic noster quæstus aucupii simillimus est: Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum: Aves adsuescunt. Necesse est faciat sumptum, qui quærit lucrum,' &c. *Farnabius.*

13 *Credo istuc melius esse*] Vide comicum errorem utriusque personæ, et callidi Lenonis, et captiosissimi Syri servi. *Donatus.*

15 *Age*] 'Age,' nunc verbum est, significans 'dic.' quia jam prope est, ut consentiat persuadenti. *Idem.*

Tuum animum] Deest 'liberalem.' *Idem.*

Quasi jam usquam tibi sint viginti minæ] Sensus, Quasi numero in aliquo ducas, et in aliqua æstimatione constituas: et non si velis, penitus contemnas viginti minas, dummodo huic obsequaris. *Idem.*

Age, novi tuum animum, &c.] Novi animum tuum præsentis lucri avidum. Quid vero profecisti? ideone accepisti, aut jucundæ tibi sunt 20 minæ, dum animo obsequeris tuo? Turnebus insinuationem esse vult; quasi vero viginti minæ tanti essent, ut eas malles quam hero meo ad tempus obsequi. l. XX. c. 31. *Farnabius.*

16 *Præterea autem*] 'Αρχαϊσμὸς est figura. Nam veteres libenter conjunctiones multiplicabant. *Donatus.*

Te aiunt proficisci Cyprum] Et eum non profecturum dixit, sed jam 'proficisci:' et non ab uno dicit se audivisse, ne negaret: sed 'aiunt' inquit. *Idem.*

Cyprum] Insulam in mari Mediterraneo, Veneri dicatam. quo inter alias meretrices vehat, alias inde avehat. *Farnabius.*

17 *Coëmisse hinc quæ illuc veheres, multa*] Nusquam hoc ostendit alias Terentius: sed apparet ex confessione Lenonis vera hæc omnia esse. Et mira varietas est. 'Proficisci, coëmisse, conductam navem.' ne diceret, 'proficisci, emere,' et 'conducere navem.' Et 'conductam navem' addidit, ut dilationem res habere non possit. *Donatus.*

Hoc scio, animus tibi pendet] 'Hoc' et correpte legi potest, ut articulus demonstrativus sit; et producte, ut significet aut hanc rem, aut hunc locum, id est, Cyprum. *Idem.*

18 *Animus tibi pendet; ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages*] Istud 'tamen' hanc vim habet quam Gallice in his verbis expressam senties: *Vous ne laisserez pas après cela de faire vostre affaire.* Locos sex septem ad eam significationem ex Plauto notavi. *Faber.*

Ubi illinc spero redieris] Ex spe sua vult Syrus ostendere, quid Leno debeat sperare, id est, non se accepturum modo. *Donatus.*

Ubi illinc spero redieris, tamen hoc ages] Callide Syrus ostendit, nunc ex tempore nihil posse Sannionem sperare; sed rem totam differri oportere in reditum ex Cypro: neque sibi dubium esse, quin tum hoc ipsum facturus sit Sannio, quod nunc suadetur, sc. ut obsequatur Æschino; et ex neglecta pecunia majus lucrum expectet. *Bæclerus.*

Tamen hoc ages] Hoc est, exiges debitum. Nam 'hoc agere' dicimus eum, qui instat negotio suo. *Donatus.*

Tamen hoc ages] Ut ab Æschino pecuniam exigas. *Farnabius.*

19 *Nusquam pedem*] Quia exclamatio est, per ἀποσιώπησιν non completur. *Donatus.*

Hac illi spe hoc inceperunt] Pertinet huc illud Aristotelis (I. Rhetor.) ubi tractat de iis, qui aliorum injuriis obnoxii sunt, sive injuria facile afficiuntur. In quo numero sunt etiam ii, οἷς μὴ λυσιτελεῖ διατρίβειν ἐπιτηροῦσιν ἢ δίκην ἢ ἔκτισιν. Οἷον οἱ ξένοι καὶ αὐτουργοί. 'Επὶ μικρῷ τε γὰρ διαλύονται, καὶ ῥᾳδίως οἱ τοιοῦτοι καταπαύονται, 'quibus utile non est' (ita Hermolaus Barbarus paraphrasi magis quam versione reddidit) 'opperiri judicis animadversionem, aut expectare tempus ulciscendi: quales sunt advenæ, et operariorum sive opificum genus: nam et quæstu quamlibet tenui leniuntur, et ab actione injuriarum facile tædio litium revocantur.' Et temporis, et quæstus, et cæterarum rerum ratio apprime in hunc lenonem congruit. Cujus deliberatio affectu, figuris, imitatione, absolutione eximia hic proponitur. *Bæcl.*

20 *Injeci scrupulum homini*] Hoc Leno non audit. simul enim dicitur, quum ille clamat. et ideo simul legi non potest. Et hic ostendit Syrus, quo hæc consilio locutus sit. *Donat.*

Illuc vide] O. l. s. *illud vide.* Faërnus.

Illuc vide] *Vide* τῷ ἰδιωτισμῷ dicit. *Donatus.*

21 *In ipso articulo oppressit*] Μεταφορὰ perseverans a scrupulo, id est, lapillo, qui nos in calceo latens plerumque lædit. Et 'oppressit,' vel Æschinus, vel res ipsa quam subjicit, id est, quod ait, 'emptæ mulieres complures.' *Idem.*

In ipso articulo] Temporis, quo mihi ad mercatum navigandum est. *Farnabius.*

Mulieres] Σύλληψις. Legitur *empta*, et *emptæ*. Donatus.

22 *Item hinc alia*] In Lenonis mercibus ἐξοχή. *Idem.*

Quæ porto Cyprum] Hanc insulam posuit Poëta, vel quod Veneri sacrata sit, ut Horatius, 'Sic te diva potens Cypri;' vel quod mercatus in eo sit, ut idem: 'Numquam dimoveas, ut trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare.' *Idem.*

23 *Nisi eo ad mercatum venio*] 'Eo' nunc adverbium est loci, id est, Cyprum. 'Mercatum' autem locum tempusque significat. *Idem.*

Nisi eo ad mercatum veniam] Donatus et o. l. s. *venio.* Faërnus.

Damnum maximum est] Quia et hoc damnum in pretio mulieris est. *Donatus.*

24 *Nunc si hoc omitto*] Quod damnum est scilicet. Hoc autem dicit negotium cum Æschino. *Idem.*

Nunc si hoc omittam, actum agam] Liber Bembinus et Victorianus et Donatus, *omitto.* Faërnus.

Actum agam] Proverbium, id est, nihil agam. quod enim in jure semel judicatum fuerit, rescindi et iterum agi non potest. Sic in Phormione, 'actum aiunt ne agas.' *Donatus.*

Actum agam] Incassum contendam. Sumptum a foro et judiciis, ubi non licet causam iterum agere, de qua jam sit pronuntiatum. *Farnabius.*

25 *Nihil est*] Nove *nihil est*: pro nulla spes est. *Donatus.*

Refrixerit] Pro 'refrigescit.' *Idem.*

Nunc demum venis] Mimesis forensium. *Farnabius.*

26 *Ut sit satius perdere*] Per ὑπερβολὴν hoc accipe. nam non convenit personæ lenonicæ damna contemnere. *Donatus.*

27 *Aut nunc manere*] Dum non navigo. *Idem.*

Tum persequi] Quum rediero. *Idem.*

28 *Jamne enumerasti*] Finxit Syrus se non intellexisse, quid apud se ipsum Leno locutus sit. ideo illi aliud ait, quam ille secum disputaverit. *Idem.*

Jamne enumerasti, id quod ad te rediturum putes] Donati commentarius revera hic nugas habet. Reliquerat Syrus, velnti per dissimulationem, Sannioni spatium deliberandi; postquam is negaverat se peregre iturum. nam hoc erat ulcus, quod Syrus callide tangere, leno callide contegere cœperat. Nunc, post interpositam moram, Syrus *jamne enumerasti*, inquit, et rationem satis subduxisti, quid sit, i. e. quantum sit, quod ad te redibit, sive, quantum lucri sis facturus, Cyprium mercatum negotio Æschini, aut hoc illi præferendo? hac enim dubitatione animum lenonis diverse trahere volebat. Sequentia clare id ostendunt quando Sannio simulat, Cyprium iter se posthabiturum. *Bœclerus.*

Quod ad te rediturum putes] Hoc dicto tantum illum accepturum significat, quantum dederat in puella. Nam ad nos redit, quod a nobis abierit. Et dicendo 'rediturum,' ostendit super viginti minas nihil illum sperare oportere: sic enim supra, 'Minas viginti tu illam emisti, quæ res tibi vertat male.' *Donatus.*

Quod ad te rediturum putes] Multi antiqui libri, inter quos Bembinus, item Donatus, his anteponunt dictionem *id.* Faërnus.

29 *Hoccine illo dignum est*] Hujusmodi comploratio summam desperationem Lenonis ostendit. *Donatus.*

Hoccine incipere Æschinum] Quasi de magno facinore dixit. Ut in Heautontimorumeno, 'Vide quod inceptet facinus.' Æschinum autem cum laudatione dixit, quasi quem non deceat male facere. Et vide quam omnia experiatur impotens et miser, ob recuperandam rem suam. *Idem.*

30 *Ut hanc mihi eripere postulet*] Non dicit de qua: quia de illa sermo est. 'Postulet,' velit, aut speret. Cicero, ut, 'Temporibus reipubl. cedat, non est postulandum:' id est cupiendum, aut expectandum. *Idem.*

Eripere postulet] Ἐν τῷ ἤθει dixit, non eripuerit, tanquam adhuc non fecerit. Et sic loquuntur, qui nolunt circa se perseverare injuriam. *Idem.*

31 *Labascit*] Hoc presse dicitur. Et proprie dicit 'labascit,' ut et suam instantiam, et cunctationem tarde incipientis consentire monstraret. nam inchoativum verbum est. Et est metaphora ab arbore facta: quæ multis succisa ictibus ferri, tandem incipit in casum ponderis, ruinamque minitari. *Idem.*

Labascit] Vss. 19. et 20. dixerat: 'Timet; injeci scrupulum homini.' nunc, 'labascit.' Ut gradus ostenderentur, quibus servilis astutia, lenonis invicem Syrum captantis, calliditatem superavit. Cum lente hoc dixisset Syrus, mox clare ad Sannionem, velnti rem præcipuam consulturus: 'unum hoc habeo,' unum hoc est, quod tibi queat promitti, aut cujus spem tibi facere ausim, Æschinum daturum esse (si statim sc. et antequam in Cyprum proficiscatis, argentum postules accipere) decem minas. 'vide si satis placet.' Quibus verbis in ipso exordio consilium suum commendaverat: ratione valida subjecta, quod satius sit partem quam totum amittere. Quod eo pertinebat, ut metu damni leno accenderetur, ad desiderandum, quod ante repudiaverat. 'Scit,' inquit Donatus, 'illum,' &c. Unde et, lenone adhuc cunctante, discessurum se simulat: ut servaretur, quod dictum est; 'unum hoc habeo.' Id quia tibi non placet, fac ut lubet. Ego abeo. *Bœclerus.*

Unum hoc habeo] Hoc clare et subaudiendum est, 'quod dicam,' vel 'dicere.' *Donatus.*

Vide, si satis placet] Non 'placet' dixit: sed 'satis placet.' velnti magnum consilium præbiturus. *Idem.*

32 *Potius, quam venias in periculum*] Oratorie: comparatione pejorum, dicit, hoc esse, quod suggerit, eligendum. *Idem.*

33 *Servesne, an perdas totum, dividuum face*] Martial. Epigr. I. 75. 'Dimidium donare Lino quam perdere totum Qui mavult, mavult perdere dimidium.' *Farnabius.*

Dividuum face] Hoc est, divide: figura μακρολογία. 'Dividuum,' a divisione: 'dimidium,' a dimensione dicimus. *Donatus.*

34 *Minas decem*] Scit illum viginti posse accipere: sed idcirco agit, ut optet Leno quod paulo ante nolebat. *Idem.*

Corradet alicunde] 'Alicunde' dictum est, quasi non habentis: nam nec ipsa in promptu sunt. *Idem.*

35 *Hei mihi! Etiam de sorte nunc venio in dubium miser*] 'Sors' est summa, cui extrinsecus acquiritur fœnus. Ergo 'sortem' dicit de pretio quo empta est, id est, viginti minis. Et vide illum damno potius exclamare, quam injuria. *Idem.*

Nunc venio in dubium] Id est, in periculum. *Idem.*

36 *Omnes dentes labefecit mihi*] Injuria Lenoni tunc dolet, quum adjuncta damno est: ut supra, 'quando eum quæstum occeperis, Accipienda et mussitanda injuria adolescentium est.' Vel idcirco, enumeratis contumeliis adjecit, 'Etiam insuper defrudet?' Et vide ut eadem quæ dixit supra, repetat, sed ardentius

tamén, et cum αὐξήσει. Sic Virgil. in majus repetit, quod non semel dicit. *Idem.*

37 *Colaphis tuber est totum caput*] *Tuber* est genus cibi, collectum ex tumentibus et quasi prægnantibus arenis. Plus autem hic, quam supra, dixit. supra enim dixit, ‘plus quingentos colaphos infregit mihi;’ hic vero, ‘colaphis tuber est totum caput.’ *Idem.*

38 *Etiam insuper defrudet*] Αὔξησις apta Lenoni avaro. nam honestior persona non hunc ordinem faceret. *Idem.*

Defrudet] Fraude decipiat. *Idem.*

Etiam insuper defraudet] Ad avaritiam personæ refert Donatus hunc ordinem, quod cæteris injuriis, tanquam majus quidpiam, periculum damni subjicit. quasi omnia facilius perpeti leno, quam damnum, posset. *Bœclerus.*

Nusquam abeo] Hoc dictum vim habet comminantis: nisi illud contemptu susceperit Syrus. *Donatus.*

Ut lubet] Negligenter servus respondet, ut rogetur a lenone. *Idem.*

39 *Numquid vis quin abeam*] Hæc est plena locutio. ‘Numquid vis,’ desiderat supplementum. Et hoc uti dicto discedentes solent, ‘quin,’ nunc, ‘quare non’ significat. *Idem.*

Imò hercle hoc quæso, Syre; ut ut hæc sunt facta] Ipse sibi satisfacit. ‘Ut ut’ enim, quoquo modo significat, diverticulum ad preces faciens. *Idem.*

40 *Potius, quam lites sequar.*] Quia dixerat Æschinus, ‘Nunc vide, utrum vis argentum accipere, an causam meditari tuam.’ *Idem.*

Utut hæc sunt acta, potius quam lites sequar meum mihi redd.] Quis ille metus, ante satis est expositum, a persona, a tempore, a loco. Leno tamen, ut dissimularet metum, quasi per ἐπιείκειαν, honesta oratione utitur, ‘potius quam lites sequar.’ Sicut alibi bonis moratus moribus senex: ‘Etsi mihi facta injuria est, verum tamen Potius quam lites secter, &c. minas quinque accipe.’ Phorm. II. 3. 60. &c. *Bœclerus.*

Ut ut hæc sunt facta, potius, quam lites sequar] Plaut. Persa, act. V. sc. 2. ‘Stultitia est, cui bene esse licet, eum prævorti litibus.’ *Farnabius.*

41 *Meum mihi reddatur*] Sortem, quam solam supra recusabat. Et oratorie: non enim ‘quanti emi’ dixit: sed invidiose, *meum mihi reddat.* Donatus.

Saltem] Τὸ ἔσχατον. Natum est autem a captivis ‘saltem,’ qui nihil aliud præter salutem a victore petunt. *Idem.*

42 *Scio te non usum antehac amicitia mea*] Figura ἀξιοπιστία, per quam ostendit, se fideliter promittere, quod promittit. Virgilius: ‘Scis me Danaïs e classibus unum, Et bello Iliacos fateor petiisse penates.’ *Idem.*

Scio te non us. anteh. &c.] Totum hunc versum, pro indocti hominis fœtu, ejecit Guyetus. Nollem factum. Nam ne videtur quidem abesse posse, adeo necessarium erat ad οἰκονομίαν, Sannionem, aliquo prætextu non obscure retineri in theatro et differri, donec Æschinus exiret. Cum ergo Syrus vidisset Ctesiphonem, et in occursum ejus tenderet, Sannio, ut mos est vehementer aliquid cupientium, denuo suum negotium ei volens commendare, aut aliquid de eo submonere, ‘quid quod te oro?’ inquit. i. e. antequam abeas, oro te ut. Sed Syrus interfatur, et differt Sannionem, ‘paulisper mane,’ i. e. Ctesipho mihi alloquendus est; post ad te redeo. Quis non videt, de industria Poëtam hoc egisse, ut leno retineretur ad ea, quæ scena 4. sequentur. Nihil incommodi in phrasi, ‘quid? quod te oro?’ i. e. quid volui dicere amplius de eo quod te oro? et jam secutura erat petitio, nisi Syrus abrupisset. Convenit etiam instantiæ lenonis, quæ iterum sc. IV. vs. 14. et 16. signatur. Cui conferas licet similem affectum Charini Andr. IV. 2. 28. &c. *Bœclerus.*

43 *Memorem me dices*] Figurate est inducta promissio præmiorum. Et bene utrumque narrat. nam non continuo qui memor est, etiam gratus est. ‘Memor’ enim est, qui apud se meminit. ‘Gratus’ qui meruit hoc nomine vocari, dum vicem reddit. Nam multi sunt memores, ingrati tamen. *Donatus.*

Sedulo faciam] Sic promittit, ut nihil sua interesse credatur. *Idem.*

Sedulo] De industria, sine dolo. *Idem.*

44 *Sed Ctesiphonem video*] Adventus in proscenium personarum quum consulto consilio fingantur a Poëta, tanquam superveniant aliis rebus in medio positis, quæ ipsarum interventu finiantur: mire tamen, quod quasi ex argumento sit, ut futuri actus sui, antequam loqui incipiant, describantur. *Idem.*

Lætus est de amica] Hoc lentius et summisse. *Idem.*

45 *Quid, quod te oro*] Deest ‘agis:’ seu deest ‘ego.’ *Idem.*

Quod te oro] Aut ‘si quid,’ aut ‘propter quod,’ subintelligimus: ut sit, quid mihi non respondes de eo, propter quod te oro: aut si quid te oro? Et quam bene fastidiosum lenonem facit Syrus, ut optans ille desperando viginti minas accipiat. Nam et supra non intendenti dicit totiens in uno sensu hoc idem Syrus de amica. Potest hoc interrogative pronuntiari. *Idem.*

Scena III. Iambici sunt octonarii sive tetrametri acatalectici. vs. 2. Mss. meorum unus: *verumenimvero id juvat demum, si quem æquum est facere, is bene facit.* Alter et Argent. τὸ *bene* geminant. vide Faërn. vs. 3. duo: *quid ego te nunc l.* omnes: *certe.* vs. 6. omnes: *neminem.* duo: *fratrem.* nisi quod in altera correctum est *homini.* vs. 8. unus: *illius opera nunc vivo Syre.* duo: *o festivum caput.* omnes autem Ctesiphoni non Syro hoc tribuunt. vs. 9. unus: *qui omnia sibi post putaverit pro meo commodo.* duo interserunt, *esse*, ex quibus unus, *putarit.* vs. 11. duo: *nihil supra potest.* in quorum uno superscribitur *esse.* tertius exprimit: *nihil potest super esse.* mox omnes: *sed quisnam fores crepuit.* Bœclerus.

Abs quivis homine, quum est opus, beneficium accipere gaudeas] *In hac scena gratiarum actio est ex persona ejus qui præstitit, et ejus cui præstitum est, et ex ipsius pretii quantitate. Nam omne quod geritur, aut in rebus est, aut in personis, aut in attributis eorum.* Donatus.

1 *Abs quivis homine*] Bene sic cœpit, dicturus, ‘O frater, frater!’ Et ‘qui’ secundum regulam dixit. quia dicimus ‘quibus.’ Cæterum a ‘quo,’ ‘quis’ facit, non ‘quibus.’ Et incerta distinctio est; ‘quum est opus accipere beneficium,’ vel ‘quum beneficium est opus.’ Hoc vetus, illud communiter. *Idem.*

Abs quivis homine, &c.] Abundat Ctesiphoni pectus lætitia, quæ ripas exsuperat, tum potito triumphans amore, tum quod illi hoc beneficium a charitate fratris profectum est, non sine despectu et dispendio maledicentiæ atque infamiæ. *Farnabius.*

2 *Id demum juvat*] Ostendit plus esse quod juvat, quam gaudium. *Donatus.*

Is facit] ‘Bene’ subaudiendum est bis numero. *Idem.*

3 *O frater, frater*] Virgilius, ‘Et fratrem ne desere frater.’ Unum relatum est ad appellationem: alterum ad laudem; subdistinguendum, ut videatur quæsivisse, quid ultra diceret, et plus invenire se non potuisse quam ‘frater.’ *Idem.*

Quid ego nunc te laudem] ‘Quid’ propter quid. Et ‘nunc te,’ τῷ ἰδιωτισμῷ additum est de superfluo: ut, ‘tu nunc Carthaginis altæ Funda-

menta locas?' *Idem.*

Quid ego nunc te laudem] Quia laus, genus causæ est, quod non adhibere-tur, nisi dubiæ rei. *Idem.*

Quid ego nunc te laudem] Distinguendum. 'Quid' autem: pro 'ad quid.' *Idem.*

4 *Numquam ita magnifice*] Deest 'quod:' ut sit, quod nunquam ita magnifice. Duplex causa omittendæ laudis, si res aut nimium mala est, aut nimium bona. *Idem.*

Id virtus quin superet tua] Bona περίφρασις. 'Virtus tua' potius, quam 'tu.' *Idem.*

5 *Itaque unam hanc rem me habere*] 'Itaque' et subjunctivum potest esse, media syllaba correpta, et præpositivum, producta eadem syllaba, ut sit 'itaque.' *Idem.*

6 *Fratrem*] Nove dixit 'unam rem' fratrem. Sed ego puto 'fratrem' non subdistinguendum, sed legendum contexte usque ad 'principem.' Nam si distinxeris 'fratrem,' erit bis, ut arbitror, subaudiendum, et supra, et infra. Quod si 'fratrem' inferioribus junxeris, et cum admiratione pronuntiabitur, et subaudietur 'quam mihi.' Hanc sane locutionem scire debemus, propter personam elaboratam. nam nimium gaudet, et rusticus adolescens est, qui laudare conatur Æschinum: quasi titubans, et pene balbutiens. *Idem.*

Homini nemini] Nove auribus nostris, sed veterum consuetudine locutus est. nam quum 'nemini,' hominem significet, quid opus fuit dicere, 'homini nemini?' Sed, ut diximus, figura est ἀρχαϊσμός. *Idem.*

Fratrem homini neminem esse] Lego, ut in libro Bembino et aliquibus aliis, *homini nemini.* Ita etiam videtur legisse Donatus, licet aliter habeant ejus libri. nam cum comparative legat, dicens subaudiendum esse, quam mihi, procul dubio debet esse cui comparetur, id est *homini nemini.* Faërnus.

Fratrem hom. nem. &c.] De Mss. nostris jam dixi; et dixerunt alii de suis. Donatus quoque sic legit: sicut veteres codices (nam reliqui immutarunt in, *homini nemini*) testantur; imo, sicut res ipsa evincit. Nisi enim ita legisset, nulla esset annotatio, quam opposuit. Sed quod expedire non potuit, quid aliud quam comice ad rusticitatem loquentis retulit? v. Fr. Fabricii not. et Riv. *Bœclerus.*

7 *O Ctesipho*] Mire cœpit, gaudium significans, 'o Ctesipho.' *Donatus.*

O Syre] Ille, ut gaudens, hic, ut qui non præviderit, *o* dicit. *Idem.*

O Syre! Æschinus ubi est] Bene statim de illo, cui agebat gratias, loqui cœpit. *Idem.*

Ellum] Ecce illum: vel pronomen est, vel adverbium demonstrantis. Alii interrogative legunt: ut sit, *ellum dicis? te expectat domi.* Ut sit *ellum* pronomen, id est, *illum.* Nam et *illum*, et *ellum*, et *ollum* veteres dixerunt. *Idem.*

Domi] Adverbium est in loco. *Id.*

Hem] Interjectio est lætantis. *Id.*

8 *Quid sit*] Deest, *quæris?* sed est admirantis magis, quam interrogantis. *Idem.*

Illius opera] Dicendo 'opera,' et corporeum laborem Æschini ostendit, et religionem. Ut, 'Hunc mihi da proprium, virgo sata nocte, laborem, Hanc operam.' Hanc religionem ait: ut, 'annua magnæ Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis.' *Idem.*

Illius opera, Syre, nunc vivo] O miram amplificationem beneficii. Non dixit, Illius opera amicam habeo: sed quod satis grave, et satis amatorium, *illius opera nunc vivo,* inquit. *Idem.*

Festivum caput] Huic contrarius sensus est, 'ridiculum caput.' Alii putant, 'festivum caput,' non Æschini intelligendum, sed orationis, quam h bet Ctesipho, agens gratias fratri. Ita in Eunucho, 'quam venuste quod dedit principium adveniens!' Quod si est, nihil potest supra hanc laudationem: nam supra hoc factum erit accipiendum. Sed male: nam 'caput Æschini,' id est, ipsum Æschinum: ut in toto pars sit per συνεκδοχήν: in qua figura et pars pro toto ponenda est, quæ aut eminet ex toto, aut majoris pretii est ad id quod agitur. Quod ipsum sic esse observatum a bonis authoribus, si exempla συνεκδοχῆς penitus considerare studes, invenies. *Idem.*

9 *Quin omnia*] Admirative *quin:* et sic pronuntiandum *quin, τὸ παρέλκον* usque ad 'maledicta, famam.' *Id.*

Omnia sibi qui postputarit esse præ meo commodo] Lege, *postputavit esse,* &c. idque ob verbum sequens, 'transtulit,' vide Faërnum pag. 123. edit. Juntinæ. *Faber.*

Præ meo commodo] Id est, mei commodi comparatione: ut in Eunucho, 'Hic ego illum contempsi præ me,' id est, mei comparatione. *Donatus.*

10 *Maledicta, famam*] 'Maledicta,' aut lenonis, aut Demeæ: 'famam' autem populi. Nam si aliter acceperis, idem maledictum videbitur et mala fama. *Idem.*

Meum amorem, et peccatum] De rapienda meretrice, et amanda. *Idem.*

Meum amorem, et peccatum] Quum dixisset 'omnia,' duo tantum intulit, 'maledicta' et 'famam:' ut, 'Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque.' Et hoc, ut sit defectus quidam intelligendus ex affectu gratias agentis. *Idem.*

In se transtulit] Pulchra παρασκευὴ, qua erratura est Sostrata circa Æschinum, quemadmodum jam erravit Demea, eo quod ab illo credidit amari meretricem. *Idem.*

11 *Nihil pote supra*] Ἔλλειψις per admirationem est; subaudiendum est enim vel 'esse,' vel 'dici.' Ut 'pote' pro 'potis,' et 'mage' pro 'magis.' Τῷ ἀρχαϊσμῷ. *Idem.*

Sed quid nam? foris crepuit] Resonuit: ut 'decrepiti' dicti sunt clamosi senes. 'Foris' singularis numeri, nominativi casus. *Idem.*

Sed quisnam? foris crepuit] Videtur hæc lectio et distinctio commodissima esse. Vide Faërn. et Guyet. Plaut. Casina v. 1. 17. 'Vestra foris crepuit.' et alibi. *Bœclerus.*

Fores crepuit] Fores in ædificiis antiquis in publicum aperiebantur. Exituri fores ab intus manu pultabant, quo caverent qui foris erant, ne a foribus repente in viam protrusis læderentur. Scholiast. Aristophanis in Nubibus: Ἐπὶ δὲ τῶν ἔσω ἐψόφηκε τὴν θύραν ἐξιών. *Farnabius.*

Mane] 'Mane,' gaudentis est hoc dictum, non opperiri jubentis. *Donatus.*

Sy. *mane, ipse exit foras*] O. l. s. et Donatus geminat dictionem *mane;* quare totum versum ita legerim: *Nihil pote supra. quidnam fores crepuit? mane mane, ipse exit foras.* Ut in quarta sede sit proceleusmaticus, eliso ex *fores, s.* *Faërnus.*

Scena iv. Octonarii Iambici sunt. vs. 1. Mss. nostri omnes: *men' quærit?* duo: *nunquidnam effertur?* vs. 3. omnes: *tristitiam.* vs. 4. omnes: *ego illam facile vero omitto, &c.* unus: *qui tandem te habeam fratr.* vs. 7. unus: *quasi nunc non norimus nos inter nos, o Ctesipho.* alter omittit *nunc.* tertius corruptus est. vs. 8. omnes: *sed hoc mihi dolet.* vs. 9. *tibi nihil possent auxiliarier.* vs. 11. omnes: *ex patria.* vs. 17. duo: *istum hom. impuriss.* vs. 20. omnes: *bono animo esto.*

Pleraque hujus scenæ bene interpretatur Donatus: quem vide. *Bœclerus.*

1 *Ubi ille est sacrilegus*] Mire Æschinus servat adversus Lenonem superbiam, quæ ostenditur tanto esse alienior ab amoribus Meretricis, quanto audacior in Lenonem. *Donatus.*

Mene quærit? num quidnam effert] Sperat nunc leno se aliquid acceptu-

rum propter convitium. Ut alibi, 'minis viginti tu illam emisti: quæ res tibi vertat male. Argenti tantum tibi dabitur.' Et vide quanti faciat leno præ lucro injuriam, qui se 'sacrilegi' nomine significari non solum non dolet, sed etiam cupit. Oportet autem *mene quærit?* cum quadam gesticulatione et subsultatione sperantis Lenonis ad hoc se quæri, ut accipiat, pronuntiare. *Idem.*

Men' quærit] Melius multo in lib. Bembi, *me quærit,* sine interrogatione. Idque facete. Ubi 'sacrilegum' nominari audit, de se sermonem esse putat. Se videlicet noverat Sannio, et sciebat quo valeret *γνῶθι σεαυτὸν,* ex tripode Delphico, homo perditus, corruptus ipse, perditor et corruptor aliorum. *Faber.*

Num quidnam effert] An utique argentum effert, pretium fidicinæ raptæ? *Farnabius.*

Occidi: nihil video] *Occidi,* non quia sacrilegus dictus est, sed quia nihil accipit. Et simul gestum considera loquentis ex verbis. *Donatus.*

Occidi: nihil video] Mire hoc verbo apparet, in vultu lenonis et spem mortuam, et extinctum gaudium. nam et apta est ἔλλειψις hæc dicentis: *nihil video.* neque enim addidit 'proferri,' aut quid tale. *Idem.*

2 *Ehem*] Interjectio repentinæ rei. *Donatus.*

Opportune: te ipsum quærito] Ἀσύνδετον. Deest *venisse:* non enim sequenti nectitur. *Idem.*

Quid fit, Ctesipho] *Quid fit,* blandum initium est. non enim nunc interrogat, quum ipse dicat, *in tuto est omnis res.* sic ipse mox in subditis, *jam nunc hæc tua,* addidit præter naturam quæstionis. *Idem.*

Quid fit] Quid agitur? *Idem.*

3 *In tuto est omnis res*] Quasi amatori, omne dixit negotium de amica. An *omnis res,* et lenonis jurgium, et suspicio patris Demeæ? *Idem.*

Omitte vero] *Vero,* abundat: aut correptivum est, jamdudum non omittentis. *Idem.*

Tristitiam tuam] Sic dixit, quasi nimiam. *Idem.*

Tristitiem] Ex libro Bembi. Sic alibi, 'nequities,' &c. *Faber.*

4 *Ego illam hercle vero omitto*] Apparet non nunc primum dici Ctesiphoni ab Æschino, 'Omitte vero tristitiam tuam.' Nec nunc primum responsum, *omitto,* et ideo additum est, *hercle vero.* Quia nunc demum data est plena securitas. *Donatus.*

Ego illam hercle vero omitto] Hic et sequens versus, in libro Bembino, et multis aliis, ita ordinati sunt in octonarios iambicos: *Ego illam hercle vero omitto, qui quidem te habeam fratrem, o mi Æschine, O mi germane, ah vereor coram in os te laudare amplius.* Sed in priore versu ex *quidem* m elidetur; quamvis sequente consonante. *habeam* vero, in duas syllabas contrahetur. *Faërnus.*

5 *O mi germane*] *Mi, meus:* sed vocativi dixit casu. *Donatus.*

Coram in os te laudare amplius] *Coram,* ad ipsum pertinet qui laudat, et ad eos qui audiunt: *in os,* ad ipsum qui laudatur. Nam *coram laudat,* qui non tacet apud alios, et hoc agit non per epistolam, sed ipse præsens. *In os,* qui apud ipsum loquitur, quem collaudat. *Donatus.*

Laudare amplius] Quia laudavit. *Id.*

6 *Ne id assentandi*] Antiqua ἔλλειψις. Deest enim *causa.* Idem.

Assentandi] Adulandi. Et utrum deest *causa,* an ad ipsam litem sic dicitur? *Idem.*

Ne id assentandi] Specta si non rusticus adolescens est, et purissimæ simplicitatis, adeo ut etiam velle laudare fratrem nimio pudore non possit, hoc solo quia præsens est, quum illum nimium laudarit absentem. *Id.*

Quam quod habeam gratum] Varie: non enim intulit, *quam gratias agendi.* Idem.

Quod] Quia. *Idem.*

7 *Age, inepte*] Non est injuria, quia et major frater est, et blanda dicturus. *Idem.*

8 *Hoc mihi dolet*] Τῷ ἰδιωτισμῷ *mihi dolet,* pro *doleo.* Et *dolet* bis subaudiendum est. *Idem.*

Et pene in eum locum redisse] Insinuatio beneficii ex periculo et difficultate, ob tempus. *Idem.*

9 *Ut si omnes cuperent*] Non, si ego tantummodo aliis adversantibus. *Id.*

10 *Pudebat*] Deest *fateri.* Idem.

Stultitia est isthæc] Hoc scilicet fateri ei, qui ipse patri numquam quidquam celaverit. *Idem.*

Stultitia est istæc] Malus hic pudor atque inutilis, qui egentes impediat a poscenda amicorum ope et benignitate. Hesiod. Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει. Homer. Odys. ρ. Αἰδὼ δ' οὐκ ἀγαθὴν φασ' ἔμμεναι ἀνδρὶ προΐκτῃ. Et ἀργὸς ὁ θεὸς Euripidi in Ione. *Farnabius.*

Tam ob parvolam rem] Ergo diminutivis adjungitur *tam* particula. Et deest *perire:* sed τῷ εὐφημισμῷ tacetur. *Donatus.*

Tam ob parvolam rem] Id est, meretricem. Et bene hic dicit Æschinus, quasi qui majora expertus sit, id est, vitium virginis. *Idem.*

11 *Pæne ex patria*] Deest, *fugere:* quia amatores comici cito comminantur, patriam se deserturos, ut amicas sequantur. *Idem.*

Pæne ex patria] Ἀποσιώπησις εὐφημισμοῦ χάριν. Menander mori illum voluisse fingit, Terentius fugere. *Id.*

Pæne e patria] Donato annotante, 'Menander mori,' &c. Unde apparet, nostrum Poëtam semper id quod minus est, i. e. a tragicis πάθεσι longius abest, sumere; adeoque modum Comœdiæ probe servare. *Bœclerus.*

Turpe dictu] Te fugere scilicet. Et deest *est.* Donatus.

Ut istæc prohibeant] Id est, exilium, fugamque patriæ. *Idem.*

12 *Peccavi*] Approbavit ex periculo magnitudinem beneficii. *Idem.*

Quid ait tandem nobis Sannio] *Nobis,* τῷ ἰδιωτισμῷ additum est. Non enim *nobis* intelligendum est. *Idem.*

Jam mitis est] Quia debacchatus est supra leno, *jam mitis est* dixit. *Id.*

13 *Ego ad forum ibo*] Tunc enim, in foro et de mensæ scriptura magis, quam ex arca domoque, vel cista, pecunia numerabatur. *Idem.* Ita in Phorm. v. 8. 28. 'Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi argentum rursum jube rescribi.' *Bœclerus.*

Ut hunc absolvam] Id est, ut hunc, reddito illi pretio, dimittam. Nam veluti ligati sunt, quibus debetur aliquid. Dicuntur etiam *servi* illi *solvi,* qui quum debitores pretiorum fuerint, pecuniam reddunt debitam. Est ergo *absolvam,* pro, a me solvam. An jocatur in tristitia Lenonis, qui illum cum barba lenonia et mœsto vultu sequitur, tanquam reus? *Donatus.*

Ut hunc absolvam] Ut Sannioni argentum persolvam. *Farnabius.*

Tu intro ad illam, Ctesipho] Bona ἔλλειψις, significans lætitiam potiundæ meretricis. *Donatus.*

14 *Syre, insta*] Jam Syrus, non ut adjuvet, sed ut instanter adjuvet, rogatur. *Idem.*

Eamus; namque hic properat] Hoc clamat Syrus, ut beneficium ostendat: sane ita ut rursus Lenonem de profectione absterreat. *Idem.*

Ne tam quidem] A Lenone inconstanter dicitur, ut perturbatio metuentis, magnum damnum possit ostendere. *Idem.*

Ne tam quidem] *Tam* pro *tantum.* an *tam* pro *tamen?* et deest, *dicas me, properare,* aut *propero:* ut sit etiam adverbium hortantis, vel consentientis. *Idem.*

15 *Quamvis etiam*] Pro *In quantum vis.* *Etiam* particula, utrum consentientis adverbium, an conjunctio, qua significat et properare se, et non in tantum ut negligat quod sibi debetur. *Idem.*

Maneo otiosus hic] Hoc separatim

inferendum est, quasi pertinaciter asserentem Lenonem instaturum se exclamationem* facere denotetur. *Id.*

Maneo otiosus hic] Dixerat enim *propero:* et rursum consenserat in Syri verba, *properasse se* dicentis. *Id.*

Reddetur; ne time] Quod desperaverat Leno, Syri ostendit sermo. *Id.*

16 *Ut omne reddat*] Propter illud quod Syrus dixerat, *dividuum face.* Et probatum est, completumque quod ait, 'Cupide accipiat faxo.' Et hoc ipsum cum trepida et vultuosa supplicatione pronuntiandum est. *Idem.*

Tace modo, ac sequere hac] Sic ait Syrus, quasi nunc Lenonem doceat, quæ sit ars non perdendi. Et totum cum supercilio præstantis magnum beneficium dicit. *Idem.*

Sequor] Hoc verbo Leno satis commitigatus ostenditur. *Idem.*

17 *Heus, heus, Syre*] Ex argumento est, ostendere, quantum timeat Ctesipho sævum patrem. *Idem.*

Heus, heus] Vox est de longinquo revocantis. *Idem.*

Obsecro hercle, hominem istum impurissimum] Satis mansuete, quasi Lenonem, aut non possit rusticus, aut non audeat dicere, *hominem* dixit. *Idem.*

Istum impurissimum] Avarissimum. Et totum cum execratione Lenonis. *Idem.*

18 *Ne, si magis irritatus siet*] Velut clamet, scilicet: et proprie de Lenone, quem irritari dicit ut canem. Nam *irritari*, proprie canes dicuntur. Lucilius de litera R: 'Irritata canis quod homo quam plurima dictat.' Lenonem autem timet Ctesipho ut rusticus, ut sub patre duro, ut amator. *Idem.*

19 *Aliqua ad patrem hoc permanet*] Non dicit quid: sed nos intelligimus raptum puellæ significari. *Idem.*

Aliqua ad patrem hoc permanet] Proprie secretum latens latici comparatur, intra vas clausum existenti: quod, quum effunditur, manat. Sic et alibi de committendis secretis loquens, 'Plenus,' inquit, 'rimarum sum: hac atque illac perfluo.' *Donatus.*

Atque ego tunc perpetuo perierim] Quasi et nunc se periisse sentiat, sed non perpetuo. *Idem.*

Tunc perpetuo perierim] Omnes fere l. s. *tum.* Faërnus.

Ego tum perpetuo perierim] Abdicandi filium causæ fuerunt: si filius noctu foris cubuisset; si comessaretur; si lenones pulsasset; si libidini incumberet; (Lucianus in abdicato) si paternæ voluntati repugnasset. Fab. l. III. c. 7. et l. VII. c. 4. Plin. l. VII. c. 45. Cod. l. VIII. l. 47. de patr. potest. *Farnabius.*

20 *Non fiet; bono animo esto*] Ut illi liberalis timor est, ita Syro servilis confidentia. *Donatus.*

Tu cum illa te intus oblecta] Moraliter *illa* dictum est. ut, 'Daturne illa hodie Pamphilo?' et, 'Illa quidem mea erit.' *Idem.*

Tu cum illa te intus oblecta] Honeste explicavit turpe dictu. *Idem.*

21 *Et lectulos jube sterni nobis*] Servus. * nihil tam comicum. Et vide ut totum superbe ac magnifice loquatur Syrus. *Idem.*

22 *Convertam me domum*] *Convertam* magnifice dictum. verbum est enim magni moliminis et agminis ingentis. Nam *convertere se*, dicitur, quem pompa præcedit; ut Imperator proprie convertit exercitum. Et hoc spectatur, ut moribus arrogantes servi sint, quum lætantur. *Idem.*

Obsonio] Andr. act. II. sc. 2. *Farnabius.*

23 *Ita quæso, &c.*] Volunt quidam et hunc versum Syri personæ adjungendum: sed Ctesiphonis verba esse, ex subditis planum est, quum dicit, 'Hunc diem misere nimis cupio, ut cœpi perpetuum in lætitia degere.' *Donatus.*

ACTUS III.

SCENA I. Octonariis et septenariis constat. vs. 1. omnes Mss. nostri: *obsecro mea nutrix q.* &c. vs. 8. unus: *nate melius fieri h. p.* &c. duo: *here nate m. f. h. p.* vide Guyet. Donatus et Eugraphius legunt: *e re nata.* vs. 9. Argentor. ut edidimus. unus: *quando vitium ita oblatum est, quod illum attinet potissimum.* vs. 10. omnes, ut edidimus. *Bœclerus.*

1 *Obsecro, mea nutrix*] *Hæc scena Tragœdiæ ordinem servat. Nam Tragœdia in tria dividitur, Expectationem, Gesta, et Exitum. Hic ergo Expectatio est in Getæ nuntio: Gesta, in planctu Sostratæ: Exitus,** Donatus.

Obsecro, mea tu nutrix] Hinc demonstratur, qui sit maternus affectus, quam grata in dominos servorum fides sit: eundemque laborem et dolorem esse ex falsis et veris malis. *Id.*

Obsecro mea tu nutrix] Personæ aut suis verbis, aut aliorum insinuantur. Ex suis: ut nunc persona Sostratæ. Ex alienis: ut Micio Æschini persona ex Micionis oratione ac Demeæ. *Idem.*

Obsecro, mea tu nutrix] *Mea* nunc pro blandimento ponitur. *Idem.*

Quid nunc fiet] Imploratio est magis trepidantis, quam ignoratio et interrogatio. namque illius nutrix est, quippe anicula est: sed non sapientior nutrix est, quam domina sua. Ipsum etiam quod dicit, *nutrix*, honorificum est. Ut, 'Annam, chara mihi nutrix, huc siste sororem.' Sunt enim nomina ad aliquid, quibus nos tamen velimus ab omnibus appellari, ut Magister, Medicus, Orator. *Idem.*

Obsecro, mea tu nutrix, quid nunc fiet? C. quid fiet, rogas? Recte ædepol spero. S. modo dolores, mea tu, occipiunt primulum. C. Jam nunc times, quasi nunquam adfueris, nunquam tute pepereris] Hoc a nemine visum est prius, quod ego jam dicam, Delendam personam Sostratæ ante hanc vocem *modo:* delenda est et persona Cantharæ ante *Jam nunc*, et debent omnia dici per continuum sermonem a nutrice ad illa verba *miseram me*, quæ a Sostrata dicuntur. Sostrata initio dixit, *mea tu;* Nutrix et ipsa respondens ait, *mea tu.* Addit, modo primulum occipiunt dolores partus, et tamen jam nunc ita times, quasi tute ipsa nescias graviores solere esse; quasi tu parturienti mulieri nunquam adfueris, quasi denique tute ipsa nunquam pepereris. Gall. *Vous me demandez ce qui arrivera de tout cecy. Rien de mal, Ma chere enfant; vostre fille n'est encore que dans les premieres tranchées de l'accouchement, et cependant vous craignez dela comme si vous ne vous estiez jamais trouvée à l'accouchement d'une femme, ou que vous mesme n'eussiez jamais été accouchée.* Faber.

2 *Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum*] Evidenter hic *modo* temporis præsentis adverbium est. Et rursus *mea tu*, blandimentum est: sine quo non progreditur colloquium fœminarum, et maxime trepidantium. *Donatus.*

Dolores] 'Ωδῖνες, dolores parturientis. *Farnabius.*

Primulum] Initium, et ipsa origo dolorum diminutive demonstrata est. Non enim *primum*, sed *primulum* dicit. *Donatus.*

3 *Jam nunc times, quasi numquam adfueris, numquam tute pepereris*] Docte duo proposuit, quibus experientes scientesque rerum sumus, videre et pati. Virgilius sic, 'Quæque ipse miserrima vidi: Et quorum pars magna fui.' *Tute* autem pro *tu:*

παρέλκον est, quod* recitatu. et facit *tute*, et *tutemet*, et *tutemet ipse*. Idem.

Quasi nunquam adfueris, nunquam tute pepereris] Tanquam sc. esses *ἀκήρατος ὠδίνων*, quod Apollonius I. *ἀργοναυτικῶν* dixit, i. e. *ἄπαις καὶ καθαρὰ ὠδίνων*, ut Scholiastes habet. *Bœclerus.*

Numquam tute pepereris] Vide *προπαρασκευὴν* doloris: nihil mali adhuc secutum est, et jam sic turbatur Sostrata. *Donatus.*

4 *Miseram me*] Proprium est mulierum quum loquuntur, aut aliis blandiri: ut, 'Annam, chara mihi nutrix, huc siste sororem:' aut se commiserari: ut, 'Miseræ hoc tamen unum Exequere, Anna, mihi.' Nam hæc omnia muliebria sunt, quibus pro malis ingentibus quasi in acervum rediguntur, et enumerantur nullius momenti querelæ. *Idem.*

Neminem habeo] Quid enim opus est? aut cur nunc quereris? *Idem.*

Neminem habeo, solæ sumus] Muliebriter queritur, et ex perturbatione sua æstimans, metu multa facit ea, quæ pauca sunt. *Idem.*

Solæ sumus] Numquam pluraliter *solæ*. Idem.

Solæ sumus] Quum hoc nomen singularitatis sit, mire *solæ* pluraliter dixit. *Idem.*

Geta autem hic non adest] Hic apparatio est, ut ostendatur absens, qui superventurus est. *Donatus.*

Geta autem hic non adest] Interfuit quippe Geta jam rixæ qua Æschinus meretricem rapuit, uti mox narrabit ipse, scena quæ sequitur. *Farnabius.*

5 *Nec quem ad obstetricem mittam*] Deest *habeo*. Sed in consuetudine est sic loqui, quum utrumque nobis, non alterutrum, deesse conquerimur. *Donatus.*

Nec quem ad obstetricem mittam, nec qui accersat Æschinum] *Habeo* subauditur, et magis a trepidante, quam rationabiliter dicitur: nam refellit hoc totum nutrix Canthara. *Idem.*

6 *Numquam unum intermittit diem quin semper veniat*] *Nunquam*, pro *non*. Et *semper* non ad omne tempus retulit; nam qui potest? sed ad omnes dies, secundum quod ait, 'Nam numquam unum intermittit diem.' *Idem.*

7 *Solus mearum miseriarum*] Bona locutio. *Idem.*

8 *E re nata*] Sic proprie dicimus de iis, quæ contra voluntatem nostram acciderunt: ut nunc vitium virginis. Ergo *E re nata*, ex vitio virginis. Sic Lucilius, p. i. i. 'Hic e re nata Sic ejus dedit: haud malus est.' Et sic maluit dicere, quam nunc Æschino culpam, sed potius casui attributam vellet. Est autem ordo, Nihil potuit melius e re nata fieri, quam id quod factum est, hera. ut quandoquidem vitianda erat virgo, ab eo vitiaretur, qui erat expetendus ad matrimonium. Sensus enim hic est, Malum vim fieri virgini: sed ex conditione ejus quæ vitiata sit, nihil potuit melius evenire quam contigit, ut ab eo vitiaretur, cujus nos non pœniteret. Intelligere autem debemus, *fieri* et *factum esse*, pro *evenit* et *contigit* dici. *Idem.*

Melius fieri haud potuit] Si *fieri* pro *evenit* acceperis, erit consequutio locutionis. sin minus: deerit, *quantum intelligo*. ut sit, 'E re nata, quantum intelligo.' *Idem.*

E re nata] Res nata dicitur, quæ repente accidit, *πρᾶγμα νεωστὶ συμβεβηκὸς*, vel *φυόμενον πρᾶγμα*, res quæ nuper accidit. Budæus. *Farnabius.*

9 *Quando vitium oblatum est*] Hoc est, e re nata. *Donatus.*

Oblatum est] *Oblatum* dicitur, quod offertur invito. *Idem.*

Quod ad illum attinet potissimum] Quasi vitium oblatum sit potissimum, hoc est, bonum: sed ex persona ejus qui obtulit vitium, factum est bonum, quod per se ipsum malum est. Et hoc est quod melius haud fieri potuit, quam factum est. *Illum* autem dicit, Æschinum scilicet. *Potissimum* autem superlativum est ab eo quod est

potis, et *potius*. Sic enim facit, *potis*, *potius*, *potissimum*. Et *quod* modo exceptionem significat: ut sit; *quantum ad illum attinet*, id est, Æschinum. *Idem.*

10 *Talem*] Scilicet a corpore, a forma, a pulchritudine. *Idem.*

Tali genere] Laus, ante illum talem: et tali animo, in illo. Et *genus* jam ad vivos pertinet. *Familia* etiam ad defunctos. Alii *genus* ad nobilitatem referunt, *familiam* ad copias: unde et *paterfamilias* dicitur: ut sit, *ex tanta familia*, ex tam divite domo. Hæc omnis *παρέκτασις* tragica, est gaudiorum introductio, ante funestissimum nuntium. *Idem.*

Tali genere] Id est, ab his quæ extrinsecus sunt, id est, honestate generis. *Idem.*

Atque animo] Id est, sapientia, modestia. Hoc modo igitur nihil prætermisit in laude. *Idem.*

11 *Salvus nobis, Deos quæso, ut siet*] Quam bonus est, quum nihil ad vota præter salutem opus est? *Idem.*

SCENA II. Itidem Octonariis Iambicis acatalecticis, et Trochaicis catalecticis constat. vs. 1. Mss. nostri omnes: *omnia omnes sua c.* vs. 6. omnes: *o hom. impurum.* vs. 13. duo: *illam tot. fam.* tertius: *totam illam f.* vs. 14. duo: *omnes.* vs. 20. omnes, ut edidimus. vs. 22. omnes, ut edidimus; nisi quod unus, *impertire.* mox, duo: *o Geta.* vs. 27. omnes, ut editum est. vs. 28. itidem, nisi quod omnes habent *a nost. f.* vs. 31. omnes: *satis ne hoc certe? G. certe.* vs. 32. omnes: *quid jam credas.* et mox: *nostrum Æsch.* vss. 35. 36. unus meorum, ut edidimus, alter corrupte, *qui senis sui gremio positurum puerum dicebat. patrem ita obsecraturum, ut liceret sibi hanc in uxorem ducere.* in margine: *qui se in suo gremio.* Argentoratensis: *qui se in sui gremio positurum puerum dicebat, patrem ita obsecraturum, ut liceret hanc sibi uxorem ducere.* vs. 38. unus: *au mi homo.* alter: *au, au mi homo.* Argent. *auch auch mi homo.* vs. 39. duo: *an proferendum hoc tibi videtur esse usquam.* tertius: *an hoc prof. tibi videtur esse usq.* vs. 41. omnes: *proferemus.* vs. 43. omnes: *dare.* vs. 44. duo: *celato est opus.* tertius: *tacito*, sed superscrib. *celato.* vs. 45. omnes: *quid agis.* vs. 46. omnes: *potest.* vs. 49. omnes: *quem ipse amiserat.* vs. 52. omnes: *potes.* Bœclerus.

Liceat mihi hic aliqua ad Donati commentarios annotare, antequam de ceteris dicamus. Multa enim erudite notari video, præsertim quantum ad *τὸ ἠθικὸν*, quod inprimis curæ ei fuisse animadvertimus. Sunt tamen aliqua non ferenda; an ab ipso? nolim: si in alios possit culpa transferri. Ab initio statim; '*Nunc illud est.* utrum periculum, an tempus? est enim *ἔλλειψις*.' Quis credat hoc eum ipsum notare, qui modo dixerat: 'nunc tale negotium est, nunc tale periculum est: aut vero consignificationem temporis habet, ut si diceret, quando aut quo tempore?' quid plenius? quod qui statim repeteret, nugaretur utique. Jam ad illud, *Auxilii nihil afferant.* 'mire de proximo repetitum est *παρόμοιον*, i. e. conferant et afferant. hoc convenit præsertim stomacho minus verba curantis. sic supra, omnes omnia.' Quid potest magis disconvenire ipsi figuræ, de qua agitur, quam *minus verba curare?* et, qui potuit hoc dicere, qui modo ad *omnes omnia* duplicem figuram agnoverat, et Ciceronis auctoritate approbaverat? an hoc ejus est, qui ad Andriam scripserat: 'Amabant veteres de proximo similia dicere?' studii hæc notatio est: non negligentiæ, quæ nunc adfertur. hæc dum dico, Donati judicio adversus Donatum utor. nam *παρόμοια* et *παρονομασίας* admitti cum ratione ab elegantibus scriptoribus arbitror, non valde quæri: et in eo, differre a Plauti instituto Terentium alias dixi. Porro ad illa, 'Adolescenti ipsi eri-

perem oculos.' 'bene oculos, amoris indices, adjutoresque flagitii:' perdit vim sententiæ, qui tam minuta cogitatione utitur. affectus, non accersita longule ratio illa, iracundis hoc dictat, ut oculos effodere cupiant eorum, quos ulcisci volunt. si enim hoc genere interpretationis velles cetera hujus loci persequi, quo progrediendum foret? sed desinendum nunc est. *Bæclerus.*

Nunc illud est] *Hic locus, secundum artem comicam servum currentem exprimit, et nuntiantem mala. Maxima itaque pars scenæ motoria est. Significat autem, nunc tale negotium est, nunc tale periculum est: aut vero consignificationem temporis habet, ut si diceret, quando aut quo tempore.* Donatus.

1 *Nunc illud est*] Utrum periculum, an tempus? Est enim ἔλλειψις. *Idem.*

Quod si omnes omnia sua consilia conferant] Ὑπερβολὴ cum παρονομασίᾳ, *omnes omnia.* Hinc Cicero, 'Omnes in hoc judicio conferant omnia.' *Id.*

Illud] Tempus, negotium, periculum. *Farnabius.*

2 *Salutem quærant*] Non *remedium,* ut ægro: sed ut pereunti *salutem.* Et nove dixit, 'malo salutem,' pro 'contra malum.' *Donatus.*

Auxilii nihil adferant] Mire de proximo repetitum est παρόμοιον; id est, conferant et afferant. Hoc convenit præsertim stomacho minus verba curantis. Sic supra, 'Omnes omnia.' *Idem.*

3 *Quod mihique, heræque, filiæque*] Mira in servo fides, quum primum se ponat in herili malo: et post se, matrem: in ultimo, puellam. *Idem.*

Quod mihique, heræque, filiæque herili est] Πολυσύνδετον secundum. ut, 'Omnia secum Armentarius Afer agit, tectumque, laremque, Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram.' *Idem.*

Væ misero mihi] Ἐμπαθῶς σχετλιάζει. *Idem.*

4 *Circumvallant*] *Circumvallant* se circa nos, et stipant se invicem. nam 'Circumvallamus' nos et alios. tamen rara locutio est. Et *circumvallant* dixit, velut inimica acies contra nos: et ideo addidit, 'Unde emergi non potest.' Quum impressio est hostium, sic dicitur. Ut Sallustius: 'Pressa undique multitudine.' Cicero, 'Qui semper premuntur, et numquam emergunt.' Et *emergi,* nove: nam *emergo* dicitur, non *emergor.* sed ideo est usus, quia extra compositionem et *mergo* et *mergor* facit. *Idem.*

Circumvallant] Translatio a re militari, a castris obsidione cingendis. Demosthenes in prima Philippica: Κύκλῳ πανταχῇ μέλλοντας ὑμᾶς καὶ καθημένους περιστοιχίσεται. *Farnabius.*

Unde emergi non potest] *Unde,* absolute. an deest *illud?* an *unde?* pro *ex quibus.* Donatus.

5 *Vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia*] Hæ res sunt quæ circumvallant: Vis illata: Egestas ipsius puellæ: Injustitia judicum illius temporis: Solitudo a defensoribus: Infamia ab iis, qui credunt pretio vitiatam. Nam et in subditis sic habes, 'Quando ego conscia mihi sum, neque rem ullam pretium, neque intercessisse.' *Idem.*

Vis, egestas, &c.] Bene monet Donatus, vim puellæ illatam hic intelligi. Et vs. 8. ad illa verba, *neque illum misericordia, &c.* repetit: *quia vim intulit.* De quo genere flagitii, in fabula sequente, agendi locus erit. *Injustitiam, Donatus intelligit judicum illius temporis.* Bæclerus.

6 *Hoccine sæclum*] Ἐν ἤθει. Questurus de homine, seculum accusat prius: ut 'o tempora, o mores.' et e contrario, secula in omnibus rebus laudantur: ut, 'Quæ te tam læta tulerunt Secula?' *Donatus.*

O scelera! o genera sacrilega! o hominem impurum] Moris est nimis dolentibus, incusare alia ex aliis. Virgil. 'Quum complexa sui corpus miserabile nati, Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.' Et: 'Quem non incusavi amens hominumque Deumque?' *Idem.*

O hominem impurum] Æschinum scilicet. et hoc ἠθικῶς, nam semper ultimum ponimus eum, cui maxime irascimur. Ut in Andria, post accusatum socerum et vituperatam sponsam, 'Nam quid ego dicam de patre?' Et in Phormione, 'Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?' Et post multa, 'O facinus audax! o Geta monitor!' Unde ille, *Vix tandem* inquit. *Idem.*

7 *Video timidum et properantem Getam*] *Timidum,* perturbatum. non enim timet, sed dolet. Sic Plautus in Bacchidibus, 'Nam ut ex navi vecta es, credo timida es.' *Idem.*

8 *Quem neque fides, neque jusjurandum*] Ordo est, Hominem impurum, quem neque fides, neque jusjurandum. et sæpe repetitum *neque* exaggerat crimen admissum. *Idem.*

Quem neque fides] Quia promisit. *Idem.*

Neque jusjurandum] Quia juravit. *Idem.*

Neque illum misericordia] Quia vim intulit. *Idem.*

Neque illum] Secundum παρέλκον; nam abundat *illum:* ut; 'Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.' Et ejus videlicet misericordia quam amavit, 'neque repressit,' ne auderet, 'neque reflexit,' ne faceret. et sic hoc dictum est, ut a Virgilio, 'Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit? Num lachrymas victus dedit, aut miseratus amantem est,' &c. ut si non potuit reprimi ne faceret, saltem ut in peccando esset mitior, debuit commoveri. sed melius quod supra. *Idem.*

9 *Neque quod partus instabat prope*] Αὐξητικῶς addidit non tantum mariti, sed etiam patris scelus. *Idem.*

10 *Cui miseræ*] Deest, *ei.* Idem.

Indigne] Impie, crudeliter. ut Virgil. 'Quæ causa indigna serenos Fœdavit vultus?' *Idem.*

Non intelligo satis quæ loquatur] Ad hoc Sostrata ignorans inducitur, ut malo nuntio repente feriatur. et quia oportuit ipsam priorem loqui, præsens loquitur. Quia autem non est perdenda tam suavis ἠθοποιΐα dolentis ad irascentem: idcirco non audit, ne ob illam rem Geta conservus loqui desinat. *Idem.*

11 *Satis quæ loquatur*] Adhuc non audiente Geta loquitur. idcirco nec audit eum satis, nec videtur ab eo Sostrata. *Idem.*

12 *Vix sum compos animi*] Aut *vix,* tandem: aut *vix,* non. ut Lucilius, 'Carcer vix carcere dignus.' *Idem.*

Compos animi] Id est, competentis animi, vel sani animi. cui contrarium est, *impos animi.* Sallustius, 'Neque animo, neque lingua satis compotem.' quum de amente Septimio loqueretur. Alii, *compotem animi,* compositum animo intelligunt. *Idem.*

Vix sum compos animi, ita ardeo iracundia] Ira rationi inimica tollit mentem de cardine. cujus faciem vide apud Senecam, de Ira lib. I. c. 1. 'Flagrant et micant oculi, multus toto ore rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine,' &c. *Farnabius.*

13 *Nihil est, quod malim, &c.*] Accurate expressit irascentis mores. Dulcedinem vindictæ, primum. *Est enim his vindicta bonum vita jucundius ipsa.* Tantum Latinus poëta extulit hunc affectum, supra Homeri sententiam, ubi Ὥστε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο, Ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται. Geta: 'Satis mihi id habeam supplicii, dum illos ulciscar modo.' Inde progreditur ad imaginem vindictæ, animumque explet, ut fiat, quod Aristoteles apposite ad naturam rei dixit: Ἡ οὖν τότε ἐγγινομένη φαντασία, ἡδονὴν ποιεῖ, ὥσπερ ἡ τῶν ἐνυπνίων. *Bæclerus.*

Quam illam totam familiam] Hic non tam culpa familiæ, quam scelus Æschini ostenditur, propter quem om-

nes cruciandi sunt. *Donatus.*

Familiam] Demeæ et Mitionis. *Farnabius.*

14 *Iram hanc*] *Hanc* interdum pro qualitate, interdum pro quantitate accipimus, interdum pro utroque. ut, 'Tuaque animam hac effundere dextra?' Et, 'Hunc ego te Euryale aspicio?' Sed nunc pro utroque, *hanc* dixit. ut Sallustius, descriptione Celtiberi ait, 'Hunc igitur redarguit Tarquinius.' *Donatus.*

Evomam] Metaphora forte a serpentibus. *Farnabius.*

15 *Satis mihi id habeam supplicii*] Moraliter loquitur: nam fere quando quisquam irascitur, sibi videtur fortis, tanquam qui plus audet. *Donatus.*

Satis mihi id habeam supplicii, dum illos ulciscar modo] Juven. Sat. 13. 'Vindicta bonum vita jucundius ipsa.' *Farnabius.*

Dum illos ulciscar modo] Verum est hanc esse vindictam, quæ ex recentissimis flagitiis properata sit. Sic Virgil. 'Te Turne superbum Cæde nova quærens.' *Donatus.*

16 *Seni animam primum extinguerem ipsi*] Bene *extinguerem:* quia ignis est. Virgilius: 'Igneus est illis vigor, et cœlestis origo Seminibus.' Et *Primum* addidit, quod ordinem significat. tunc enim adjicitur, quum multa subjicienda monstrantur: ut cui fracta prius crura brachiaque, * et cætera vitia, in Æschinum totum promovens ostenditur, etiam per aliena supplicia. *Idem.*

Seni] Demeæ. *Farnabius.*

Scelus] Æschinum. *Idem.*

17 *Syrum impulsorem*] Causæ pœnæ. *Donatus.*

Vah, quibus illum lacerarem modis] Hic voluntas immodica ostenditur, pœnam pro merito reposcentis. Et nota, quum Syrum dixerit, addidisse nutus de supercilio. *Idem.*

18 *Sublimem*] Ista pœna. *Idem.*

Sublimem medium arriperem, capite primum in terram statuerem, ut cerebro dispergat viam] Omnino scribendum est, *dispergeret*, quod ratio temporum docet; neque enim dixeris, 'illum invaderem ut interficiam,' sed, *ut interficerem;* alioqui solœcismus fuerit contra tempus: legendum itaque arbitror, *Cerebro ut dispergeret viam.* Eritque dimeter Iambeus per anapæstum in prima sede, ut sæpe fieri solet. vide pag. 425. *Faber.*

19 *Ut cerebro dispergat viam*] Et cerebrum et via dispergi potest: ideo videtur ambiguum. ut apud Virgil. 'Ensemque cruore Spumantem, sparsasque manus.' Aliter enim dicitur, 'Spargite humum foliis.' Aliter, 'Sparserat et latices simulatos fontis Averni.' *Idem.*

20 *Adolescenti ipsi eriperem oculos*] Bene *oculos*, amoris indices, adjutoresque flagitii. *Idem.*

Posthæc præcipitem darem] Gravior pœna cæcitatis, non providere quo cadas. *Idem.*

21 *Ceteros ruerem*] *Ruere*, activam vim habet. Sallustius in secundo, 'Ictu eorum qui in flumine ruebant, necabantur.' *Ruere* enim, est toto corpore uti ad impellendum: quod faciunt, qui ipsi præcipites alios prosternunt. Unde proprie *sues ruere* dicuntur. Virgil. 'Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus.' Et Horatius: 'Hanc rabiosa fugit canis; ac lutulenta ruit sus.' *Idem.*

Ceteros] Amoris indices et illices, scelerum duces. *Farnabius.*

Ruerem] Impellerem. et dominatur hic rabiosa litera canina. *Idem.*

Agerem] Prosequerer, premerem. Virgilius: 'Illa fretus agit ventos.' Id est, nimia celeritate persequitur, et pene occupat, prævenitque. *Donatus.*

Tunderem, et prosternerem] Vide quam fortis sibi videatur, qui dolet et irascitur. *Idem.*

23 *Ego sum Sostrata*] Hæc ideo inducitur, ut verisimile sit supra non visam Sostratam: quando etiam vix

nunc agnoscitur ab irato. *Idem.*

24 *Te ipsam quærito, Te exspecto: oppido oportune*] Incerta distinctio, utrum *Te expecto oppido opportune*, sit dicendum: an *expectare*, sit impatienter cupere, et sine præscriptione temporis sperare, juxta certum tempus. Unde apparet, ad *te expecto*, quia per se nimium est, non esse jungendum *oppido.* Idem.

25 *Quid festinas, mi Geta*] Probus assignat hoc Sostratæ. Asper non vult ad omnia servum respondere: sed nutricem putat hoc loqui. *Donatus.*

Quid festinas] Perturbaris. Et commotus dicit *prorsus*, actu commoto, fesso, et anhelanti, ob perturbationem et contentum cursum. *Idem.*

Quid festinas, mi Geta] Vide Don. et Guyet. *Bœclerus.*

26 *Animum recipe*] Quod in lectione gestu ostendi minime potuit, id ex verbis Sostratæ ostenditur in Geta. Nam ideo dicitur, *Animum recipere:* quia ille præ anhelitu crebriora verba continuare non possit. *Donatus.*

Animam recipe] Namque præ anhelitu verba intermittens uno spiritu continuare non posse videbatur. *Farnabius.*

27 *Perimus! actum est*] Jam bina verba junguntur. *Donatus.*

Perimus! actum est] Verba sunt desperationis. Nam *actum est*, dicitur in ea re, de qua jam lata sit sententia. *Idem.*

Eloquere obsecro quid sit] Bene *eloquere.* nam conatur tantum, quod nec explicatur, nec intelligitur: cui vitio contraria virtus est eloquentia. Jam plus hic gestu, quam dictu agitur: quia, ut supra diximus, et lassus est qui nuntiat, et integratur dolor nuntii, quum apud illam loquitur, ad quam maxime calamitas pertinet: quo dolore vox plerumque subtrahitur atque singultit: et simul dat signum perditarum rerum. *Idem.*

28 So. *Quid ergo is*] O. l. s. *quid is ergo?* et eo amplius liber Bembinus et alii antiqui, *ab nostra.* Faërnus.

Alienus est a nostra familia] Bene *alienus.* Geta enim ipsi jam dominus, Sostratæ gener, Pamphilæ maritus vocabatur. *Donatus.*

29 *Amare occepit aliam*] Pejus est *amare occepit*, quam *amat.* Nam in eo quod dixit, *occepit*, augmenta mali metuenda significat: ut in principiis quæ actum respiciunt, non statim imminutionem inspectant. Et *occepit* magnum facinus dixit. *Idem.*

Væ miseræ mihi] Mire interponuntur mulieris affectus novo nuntio. *Idem.*

30 *A lenone ipsus eripuit palam*] Sic nuntiat, ut ultima pejora sint. Et his argumentis vult probare, quod immodice amavit Æschinus, qui plus quam virginem, id ipsum quod pudor nec hortatur, nec consulit, amat. Quis autem magis potuit impudens esse, quam qui post honestum amorem, ab Lenone amet? Hoc etenim significat meretricem. Ergo non honestum, sed ab Lenone: non per alium, sed ipsius: nec emit, aut abduxit, sed ob impatientiam valde amantis eripuit. neque id occulte, ut qui cœlaret factum, tanquam satisfacturus uxori videretur: sed palam. *Idem.*

31 *Satin' hoc certo*] Magnis malis non statim creditur. Hoc ergo ex dolore dixit, quod stupet audiens; non quia non habet fidem. *Idem.*

Satin hoc certe] Donatus legit, *scisne hoc certo?* libri aliqui, inter quos Bembinus, *satine hoc certum'st:* quod vero sequitur, solus Bembinus ita habet: Ge. *certum.* Quam responsionem interrogatio, quæ per *certum est*, facta, videtur exigere. *Faërnus.*

Hisce oculis] Ἰδιωτισμὸς asseverantis. *Donatus.*

Hisce oculis] Δεικτικῶς, testibus certissimis. 'Pluris enim est oculatus testis unus, quam auriti decem.' Plaut. Truculent. act. II. sc. 6. *Farnabius.*

Ah] Interjectio est flentis. *Donat.*

32 *Me miseram*] Mira affectio. nam lacrymæ non sinunt finire sensum. *Idem.*

Quid credas jam? aut cui credas] Fides aut personæ qualitate servatur, si gravis persona est cui creditur; aut ipsius rei qualitate, si ea res creditur, in qua fallere, cui creditur, aut non potest, aut non debet. Hic ergo mire in utroque jam fidem dixit nullam esse, et in persona, et in re. Quod Virgilius transtulit, breviusque dixit, 'Nusquam tuta fides.' Hoc est, nec in re, nec in persona. Et hic ipse in Heautont. 'Pro Juppiter, ubinam est fides!' *Idem.*

Quid credas jam, aut cui credas] Plaut. Bacchid. III. 3. 87. 'Satin ut quem tu habeas fidelem tibi, aut cui credas, nescias.' Mox singulari amplificatione implevit affectum: *nostrumne Æschinum?* (in utroque vocabulo vis est) *nostrarum vitam omnium,* (augetur veluti multitudo personarum, in quas infortunium competat,) *in quo nostræ spes opesque sitæ erant,* (præter quæ nihil dici potest,) *qui sine hac jurabat se unum n. v. d.* (et fides et affectus et religio ex parte Æschini rem aggravant,) *qui se in s. grem. &c.* asseveratio familiarius facta, non sine ἐνδείξει, præsentis periculi comparatione absorbet verba, et in lacrymas orationem cogit. *Bœclerus.*

Quid credas jam] Epicharmus: Νῆφε, καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. *Farnabius.*

33 *Nostrumne Æschinum, nostram vitam omnium*] Ἐλλειπτικῶς omnia: quia fletus impedit verba. deest autem, *hoc fecisse,* vel quid tale. *Donatus.*

Sitæ erant] *Sitæ,* positæ. nam situm est quidquid in loco suo positum non evertitur. *Idem.*

35 *Positurum puerum*] *Puerum* dixit, si puer nasceretur: non quia divinabat. Ad votum ergo cupientis retulit *puerum:* non quia necesse esset marem nasci. Et hæc omnia magno stupore dicuntur, ad exaggerandam perfidiam illius cui creditur, et dolorem eorum qui crediderunt. *Idem.*

Qui se in sui gremio positurum puerum dicebat patris ita obsecraturum, &c.] Scioppius in auctario Grammat. phil. p. 56. ita legit: *Qui se in sui gremio positurum puerum dicebat: patres ita obsecraturum, ut liceret sibi hanc uxorem ducere:* et addit: 'Ita in Basilicano ac plerisque aliis codicibus legi Faërnus testatur, qui non animadvertit, *Patris,* quod in Bembin. et Vaticano codice invenerat, esse priscum accusativum. Æschinus porro duos habebat patres, quos oraturus erat, Micionem et Demeam.' Id quod etiam G. Fabricius putat. Satis hæc speciose dici videantur. Mihi non videtur ex usu temporis aut sermonis fuisse, ut Æschinus diceret, se utrumque parentem obsecraturum. Unde et infra (act. IV. sc. 4. vs. 20.) de uno tantum loquitur: 'Non me hanc rem patri, Utut erat gesta, indicasse? exorassem, ut eam ducerem.' *Bœclerus.*

In sui gremio positurum puerum dicebat patris] Debuerant hoc notasse Interpretes, in more fuisse apud illos veteres, ut filius in gremio patris recens natum filiolum poneret. Hujus rei exemplum esse apud Homerum scio. *Faber.*

Ita obsecraturum] Apud Plautum τὸ *ita* significat, porro, deinde, posthæc. Quod hic observari decuit. *Idem.*

37 *Hera, lachrumas mitte. ac potius quod ad hanc rem opus est*] Hinc Virgil. 'Non lacrymis hoc tempus, ait, Saturnia Juno.' Sentit autem, non lacrymis agendum, ubi consilio opus est. *Donatus.*

Ac potius, &c.] Sed acta missa faciamus, videamus quid sit agendum. *Farnabius.*

Porro consule] *Porro,* in reliquum, deinde, vel in futurum. *Porro* enim, ordinis et temporis adverbium est, non conjunctio. *Donatus.*

38 *Au; mi homo, sanus ne es*] Hoc ex persona nutricis legendum est. illa enim dissimulandam rem putat. *Mi,* pro *meus.* Idem.

41 *Nunc si hoc palam proferemus*] Lectio libri Bembini, in quo est *proferimus,* versum hunc sustentat. *Faërnus.*

42 *Tua fama, et gnatæ vita*] Tibi enim crimini erit, vitiatam esse filiam: illi etiam oberit. Et utrum *vitam,* salutem dicit? *Donatus.*

Gnatæ vita] Ut alibi, *le repos, l'honneur,* &c. *Faber.*

In dubium] In periculum. *Donatus.*

43 *Fateatur*] Vitiasse filiam. Et complexio est δίπλευρος oratoria, in qua utrum senseris, contrarium tollis: cogiturque * quod ex altera parte sit. hoc est tacere. *Idem.*

44 *Quapropter quoquo pacto*] Congrue et pro persona, et pro muliere hoc dictum est: eamque in malis constantem esse demonstrat. *Idem.*

45 *Non faciam*] *Non faciam,* dixit, pro *non tacebo:* quasi *tacere,* aliquam actionem habeat. sed moralis significatio est, et communis omnibus: sicut *advocatum* dicimus *male fecisse,* quum tacuerit. *Idem.*

Quid agis] In edit. Faërni, *quid ages?* Faber.

46 *Pejore res loco non potest esse*] Satis argute inter Getam et Sostratam sententias ex perturbatione facit nutare. *Donatus.*

Quam in quo nunc sita est] Causa nihil timendi. *Idem.*

47 *Primum indotata est*] Ratio subjecta est causæ: et *indotatam,* pauperem modo dicit. *Idem.*

Tum præterea quæ secunda ei dos erat] Videlicet, dari pro virgine nuptum. Et incerta distinctio est: etenim erat bis subaudiendum, 'Pro virgine dari nuptum.' *Idem.*

Quæ secunda ei dos erat] Pudor, quæ secunda dos, vel potius prima. Unde Alcmena apud Plautum, 'Non ego illam dotem mihi duco esse, quæ dos dicitur; Sed pudicitiam, et pudorem, et sedatam cupidinem, Deum metum, parentum amorem, et cognatum concordiam.' *Farnabius.*

48 *Non potest*] Jungendum, *dari nuptum.* Et *pro virgine:* id est, virgo: ut, 'Nunc plane est pro nova,' id est, nova. Aut nec virgo, nec pro virgine nubere potest. non virgo: quia vitiata est. nec pro virgine: quia res diffamata est. *Donatus.*

49 *Si inficias ibit*] Si negabit. *Idem.*

Sin inficias ibit, &c.] Ita omnino legendum. Quod etiam eorum Mss. scriptura arguit, qui habent, *si in inficias ib.* ut meorum unus. *Bœclerus.*

Testis mecum est annulus] Locutio hæc sic capienda est: hoc est, annulus pro me testis. Vel sic, annulus et ego testes sumus. Sed melius quod supra. *Donatus.*

Amiserat] Æschinus. *Farnabius.*

50 *Postremo quando ego conscia mihi sum*] *Quando,* pro quoniam: vel *quando,* pro quidem. *Donatus.*

Quando ego conscia mi sum] Ovid. Fastorum. IV. 'Conscia mens recti famæ mendacia ridet.' Conscientia mille testes; murus aheneus. *Farnabius.*

51 *Neque rem ullam*] Hoc est internuntium, pactum clam, aut promissum. Et bene totum execrative dixit: ut alii facinora abhorreant. *Donatus.*

Illa] Filia scilicet. *Idem.*

Neque pretium neque rem ullam intercessisse, &c.] *Rem ullam,* e. g. 'Internuntium, pactum clam, promissum,' ut habet Donatus. Ad *pretium* supra retulerat 'Infamiam, ab iis, qui crederent pretio vitiatam.' Illustris sed intactus interpretibus locus, de crimine stupri. Constat enim hinc, primo: stuprum non committi visum esse in eam, quæ pudoris profanandi causa pretium acceperit, suave aut

matris pactione consenserit. Tale enim si quid factum esset, spem de eventu litis imminui, haud obscure Sostrata indicat. Secundo legem fuisse Athenis, hinc discimus, quæ stupratorem cogeret stupratam ducere; nisi quis vellet graviores pœnas expectare. nec parentibus stupratoris per hanc legem licuisse intercedere, quo minus id fieret. nam quod a parentibus exorabat hunc consensum filius stuprator, (de qua re et hic mentio fit,) in eo servata est reverentia pudoris naturalis. Quod si autem noluisset annuere pater, futurum erat, 'Ut jus eum cogeret.' Sicut est in act. III. sc. 4. vs. 44, &c. Quare in Comœdia patres statim videmus consentire, ut primum constiterit, liberæ virgini a suis vitium oblatum esse; huncque veluti sollennem titulum expediendi periculi Comici haberi. neque enim idem juris fuit in stupratore, quod in raptore. De quo (apud M. Senec. Controv. II. 11. et Excerpt. II. 3.) lex erat: 'Raptor nisi suum aut raptæ patrem intra trigesimum diem exoraverit, pereat.' cum et aliunde constet, Græcis in stupro mitiores, quam postea Romanis, placuisse pœnas. Ac, ne prolixi simus, si stuprum Athenis capitale fuisset, Comœdiam non ingrederetur hoc crimen, in qua omnis dica citra sanguinem citraque periculum capitis impingitur. Porro intelligitur, actionem stupri, interposita satisfactione et matrimonii pollicitatione, tolli potuisse, ut 'Ignosceretur, taceretur, crederetur,' (III. 4. 28.) ita tamen, ut, conditione non impleta, violatoque jurejurando, quod adhibebatur fere, repetere omissam actionem integrum esset. Sed de hac re, iterum alibi dicendum erit. Videtur tamen iis, quæ posuimus, repugnare lex illa quæ in Excerptis M. Sen. VIII. 6. habetur: 'Vitiata vitiatoris aut mortem aut indotatas nuptias optet.' Sed hic vitiator idem est qui raptor, et cum raptu vitium illatum conjungitur, sicut subjectæ monstrant sententiæ. Insignis plane locus est in Actione Neptuni apud Libanium adversus Martem: quem hic annotasse operæ pretium fuerit. Neptunus enim ibi, cum stuprum in Alcippen non contumeliæ sed amoris causa factum a filio suo confessus esset, nullam id peccatum pœnam, vel majorem vel minorem, consequi debuisse ostendit; sed servandam fuisse consuetudinem passim inter homines receptam, ut stuprum matrimonio expiaretur. Verba sunt notabilia: *Τί οὖν ἐκ τῶν νῦν εἰρημένων δείκνυται; τὸ δίκης μὲν μὴ εἶναι καιρὸν, μήτε μείζονος, μήτε ἐλάττονος· γάμων δὲ καὶ παστάδων. Ὃ καὶ παρὰ τοῖς ἀνθρώποις, ὁπόταν τι πραχθῇ τοιοῦτον, κρατεῖ, καὶ χρῶνται τῷ συμβάντι πρὸς γάμον. Bœclerus.*

52 *Experiar*] Apud judices agam. *Donatus.*

Experiar] Actionem intendam in judicio. Cic. pro Quintio: 'Si quid in controversiam veniret, intra parietes, aut summo jure experietur.' *Farnabius.*

Quid istuc] Verbum est ægre consentientis: quasi qui dicat, Quid hic resistam? *Donatus.*

Accedo ut melius dicas] Id est, ut consentiam, velut qui melius possim dicere. *Idem.*

Quid isthuc? accedo, ut melius dicas] Multi hic se torquent, meo quidem judicio, frustra: est dictum servile, ex vernilitate et loquacitate illius generis: nil aliud. Servus enim loquitur. Gall. *Hé bien, Madame, je suis de vostre avis, pourveu que vous ayez tout-autre pensée que celle-là; car vous n'en sauriez avoir de pire.* Faber.

Quantum potes abi] Deest *cito:* ut sit, quantum potes, cito abi. *Donatus.*

53 *Atque Hegioni*] Apud Menandrum Sostratæ frater inducitur. *Idem.*

Hujus] Filiæ suæ scilicet. *Idem.*

54 *Simulo*] Nomen patris puellæ: diminutivum a Simo, vel Simone. Et nota nomen in Palliata fabula Latine diminutivum. *Donatus.*

Simulo fuit summus] *Summus*, an ad cognatum, an ad amicum refertur? an absolute ponitur, ut in Eunucho? 'Plurima salute Parmenonem summum suum impertit Gnatho.' *Id.*

Et nos coluit maxime] Et miserabilius *coluit* dictum est, quam si diceret, *colit*. Virgil. 'Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.' *Colere* enim et majoribus et minoribus convenit, ut, 'Posthabita coluisse Samo.' *Idem.*

55 *Nos*] Monosyllabo finit, vultuosam exprimens pronuntiationem. *Idem.*

Tu mea Canthara] Tristis ac seriæ fœminæ blandimentum est *mea*, potius quam pronomen possessivum. Deest enim *chara*, vel quid tale: quo addito, pronomen staret *mea*. Idem.

56 *Curre*] Mire dictum est ancillæ *curre*. Idem.

Ut quum opus sit] Id est, quum adesse cœperit partus. *Idem.*

Ne in mora nobis siet] Locutio qualis supra. *Idem.*

SCENA III. Iambici sunt senarii. vs. 2. Mss. mei duo: *affuisse.* sicut Nonius etiam legit. vs. 4. omnes: *qui alicujus rei est, etiam ad nequitiam eum;* duo: *adducere;* unus, *ducere.* vs. 5. omnes: *credo abd. aliquo in gan.* vs. 7. omnes, ut edidimus. vs. 10. unus: *me id velle.* vs. 11. duo Mss. *enarrabimus.* unus: *enarravimus.* vs. 14. unus: *mihi qui consilium. dedissem.* Argent. *mihi qui ded. consil.* vs. 17. *τὸ hem*, cum toto vs. 18. deest in uno. et vs. 20. *quid agatur.* ceteri duo etiam ibi repetunt, *quid agitur?* vs. 24. omnes: *paulisper.* quod non debuit mutari in *tantisper.* mox omnes: *ubi ego venero.* vs. 33. *τὸ illa* a duobus abest. vs. 35. unus: *est etiam intus.* alter: *est hæc jam intus.* Argent. *est jam intus.* vs. 36. omnes: *hæccine fieri flagitia?* vs. 41. Argent. *ille futilis, somnium.* unus meorum: *ille futile sompnium.* duo omittunt *illum.* vs. 43. uterque meorum: *quam ille quicquam cœperet.* nisi quod in altero secunda manus, sed extante primæ lectionis vestigio, fecit, *cœperit.* vide Chrestomath. vs. 45. omnes habent, *τὸ quæso.* Argent. *ut q. suum filium v. esse i. e.* unus meorum: *ut quisque suum vult ita est.* alter: *ut quisque s. filium vult, ita est.* vs. 47. *abigam hunc rus* deest in uno meorum. alter: *abiit nunc rus.* Argent. *hinc rus*, in margine adscrib. *abiit.* vs. 49. omnes: *ne hæreret huic.* vs. 50. omnes: *adortus est.* vs. 55. omnes: *præ gaudio.* vs. 68. omnes: *plenus est.* *τὸ phi* unus meorum habet. cæteri duo: *phos*, superscripta lineola. quod ab ineptis hominibus profectum est, qui voluerunt scribere, *philosophos domi habuit, &c.* vs. 61. pro *in vitas*, omnes habent, *vitas.* unus etiam, *in speculo.* vs. 70. Argent. *cum conservis.* unus meorum, *cum servis ad eundem præcipio modum.* vs. 72. duo: *mementote.* vs. 79. omnes: *recte.* unus etiam *abis*, pro *ibis.* vs. 84. duo, *ille.* vs. 87. duo, *haud scio.* Bœclerus.

Demeæ perturbatio illa summa, quæ sequetur, arte Poëtæ interea differtur, fallendusque a Syro Senex in scenam adducitur, donec ematurescat series *οἰκονομίας*. *Idem.*

Non exscribo quæ Donatus et Guyetus bene annotarunt. quæ ad comicum leporem hujus scenæ pertinent in præfatione diximus. *Idem.*

1 *Disperii: Ctesiphonem audivi filium*] Hic ostenditur quod severi homines, ac recti et honesti tenaces, vel ridiculi sunt, vel odio habentur quoquo accesserint. Magno autem affectu, et quasi exclamantis addidit *filium:* quasi causam redderet cur dixerat, *disperii.* Donatus.

2 *Una adfuisse in raptione cum Æschino*] Οἰκονομία, in qua ostenditur, quantum commovebitur Demea ipsa re comperta, quum ex parva rei suspi-

cione tantum se afficiat. *Raptio* autem ad personam refertur, *rapina* ad rem, *raptus* ad stuprum, si volumus proprie loqui. *Idem.*

In raptione] *Raptio* violenta perpetratio injuriæ; *raptus* vis et injuria perpetrantis: *rapina* lucrum injustum et præda per vim rapta. *Farnabius.*

3 *Id misero restat*] Bene *restat:* tanquam jam summum malum sit, Æschinum esse corruptum. Et *misero mihi*, quasi qui nihil nesciat, nihil curante Micione. *Donatus.*

Si illum potest] Non dubitat velle: et ideo dicit *potest.* Idem.

4 *Qui alicui rei est*] Recte. de hoc enim supra dixit, 'Non fratrem rei dare operam videt? ruri esse parcum ac sobrium?' *Idem.*

Etiam eum ad nequitiam abducere] Quasi invitum dixit, non *vocare*, sed *abducere. Ducimus* enim volentes: sed *abducimus* invitos. *Nequitia* autem proprie libidinosa inertia dicta est: quod nihil queat, nullique rei apta sit. Unde et *nugæ*, quod nihil agant, vel a non agendo. *Idem.*

Ad nequitiem] Ex lib. Bembi, ut supra, *tristitiem*, et alia alibi infinita ad eam formam, quæ antiquitatem magis redolet. *Faber.*

5 *Credo abductum*] Non iisse, sed abductum esse: quasi adhuc culpa non sit illius. *Donatus.*

In ganeum aliquo] Veteres *ganeum* meretricum tabernam dixerunt, ἀπὸ τῆς γᾶς, τοῦτ' ἔστι, τῆς γῆς. quod ipsa sit in terra, non ut cœnacula superius. Unde et *taberna*, quasi *trabena*, a validioribus dicta trabibus, quibus superiora suspensa sunt. *Idem.*

In ganeum] Lupanar aut popinam, ubi γάνυνται, et luxuriæ indulgent homines nequam. Nonnullis quasi γάνειον, crypta subterranea, fornix. *Farnabius.*

6 *Persuasit ille impurus*] *Suademus* facilia, *persuademus* difficilia. Et *suadere* facientis est, *persuadere* perficientis. *Impurus* autem pro improbo ponitur apud Terentium. Et hic quoque excusata voluntas est Ctesiphonis, cui a majore fratre et improbo ingesta sit persuasione nequitia. *Donatus.*

7 *Sed eccum Syrum ire video*] *Ire*, et *abire* et *venire* significat. *Idem.*

Ire video] *Ire* pro venire: ut, 'Nec vero Æacidem me sum lætatus euntem Accepisse lacu.' *Idem.*

8 *Atque hercle hic de grege illo est*] Figura ἐπανάληψις, *de grege illo est. Ordo* vel bonorum vel malorum dicitur, et gravium; ut 'Equester ordo,' 'Senatorius ordo.' *Grex* vel bonorum vel malorum est, et levium. ut Cicero, 'In his bonis gregibus omnes aleatores, omnes impuri impudicique versantur.' *Idem.*

Hic de grege illo est] Ejusdem contubernii. *Farnabius.*

9 *Quæritare*] Instanter quærere. *Donatus.*

Carnufex] Pro ganeo positum est. *Idem.*

10 *Non ostendam me id velle*] Scilicet, scire ubi sit. *Idem.*

Seni] Mitioni. *Farnabius.*

11 *Quo pacto se haberet, enarramus ordine*] Hoc recte: quia dixerat Micioni, 'Si quidquid est, volo scire, atque hominem convenire, si apud forum est.' Et *enarramus* pro enarravimus. ut, 'Omnis humo fumat Neptunia Troja.' Et *ordine* bene: quia simpliciter fatetur. Fallax autem et captiosa narratio est, quod timemus fateri. *Donatus.*

12 *Nihil quidquam vidi lætius*] Quartum παρέλκον. *Idem.*

13 *Hominis stultitiam*] Scilicet quia lætatur, ignorans ubi Æschinus sit. *Idem.*

Collaudavit filium] Plus additum est. non enim solum non *accusavit*, sed et *collaudavit.* Donatus.

14 *Mihi, qui dedissem consilium*] Est in aliquibus libris, et inter eos Bembino et Basilicano, *qui id dedissem.* Faërnus.

15 *Disrumpor*] Mire: his enim verbis commovetur *collaudavit*, et *egit gratias.* Et vide αὔξησιν stomachi reservatam. *Donatus.*

Disrumpor] Ira, indignatione, dolore. *Farnabius.*

Argentum adnumeravit illico] Contra illud est, 'Cur tu his rebus sumptum suggeris?' Et non solum inquit *adnumeravit*, sed, quod pejus est, *ilico.* Donatus.

Adnumeravit] Sannioni. *Farnabius.*

17 *Id distributum*] *Distributum*, in diversa tributum: id est, dispartitum per pulmentaria. *Donatus.*

18 *Huic mandes, si quid recte curatum velis*] Εἰρωνεία. est majoris stomachi: quia ille dixit 'ex sententia distributum:' id est, ut indicat Demea, dilapidatum. Sic alibi, 'Columen familiæ nostræ, bone custos, salve.' *Idem.*

19 *Ehem Demea*] *Ehem* interjectio est commoti, et quasi perculsi re subita et nova. *Idem.*

Quid agitur] Blandientis est, non interrogantis. ut alibi, 'O noster, quid sit? quid agitur?' *Idem.*

20 *Nequeo mirari satis rationem*] Mira sunt etiam illa, quæ vehementer prava sunt. Et ideo *mirari*, pro horrere et reprehendere positum est. Et *rationem* ἰδιωτικῶς dixit malam: quum non sit ratio nisi bona. sed sic loquitur populus. *Idem.*

21 *Est hercle inepta*] Hoc ad senem. *Idem.*

Est hercle inepta, &c. et vs. 25. *mihi quidem non placent*] Legas hic licet illud Ciceronis II. de Fin. 17. ubi de callido improbo agit: 'Is enim, qui occultus et tectus dicitur, tantum abest ut se indicet, perficiet etiam, ut dolere alterius improbe facto videatur. Quid est enim aliud esse versutum?' *Bœclerus.*

Ne dicam dolo] Ne mentiar, id est, ex contrario dicere videar, sed ut sedulo dicam. *Donatus.*

22 *Atque absurda*] *Ineptum* est stultum tantum: *absurdum*, quod et stultum est, et in ipsa stultitia diversum et quasi repugnans sibi. Sic ergo locutus est, ut videatur ineptam rationem ad Æschinum referre, absurdam ad Micionem, quem jam fieri stultum, contrarium senectuti est. *Idem.*

Pisces ceteros purga] Per neglectum Demeæ, sermonem facit dividuum: Dromoni et conservis, qui intus, mandat de piscibus exenterandis, desquammandis, exossandis, et per otium vero, et quasi παρέργως, alloquitur Demeam. *Farnabius.*

23 *Congrum istum maximum*] Διαστολή· quia erant alii non maximi. ut e contrario, 'Argitisque minor,' quia est et major. Nam *istum* quod ait, δεικτικὸν est. videtur enim ostendere digito, quem dicat. *Donatus.*

In aqua sinito ludere paulisper] Sic ostenditur bene obsonasse, qui vivos adtulit pisces: nam non ludit piscis, nisi vivus. *Idem.*

25 *Prius nolo*] Superbe, et pro authoritate: non dixit *non oportet*, sed *nolo.* subauditur, purgari eum. Et nihil ex mora corruptelæ accessurum pisci ex eo ostendit, quod ait *ludere*, hoc est vivere, et non læsum vivere. non enim dixit *natare:* quod etiam possunt languidi pisces. Ipse insuper planum fecit quid sit *purga*, dicendo *exossabitur. purga* igitur, exossa significat: non ut quidam putant, *exossabitur*, comedetur. *Idem.*

Mihi quidem non placent] Plus hoc ad senem. et vide quam totum superbe et confidenter dixerit ob amicitiam omnium dominorum, excepto uno Demea, quem tantum præ illis contemnit. *Idem.*

26 *Salsamenta*] Hoc ad discipulum. *Salsamenta* aut salsi pisces sunt, aut laridum. *Idem.*

Salsamenta hæc, Stephanio] In tota comœdia opera danda est ut stomachetur Demea: excepto quod se ipse in fine commutat. Hæc ergo causa

est, quare Syrus quoque illi objicitur, magnifice inferens se ut luxuriosum licentemque servum, præsertim qui adolescentum pædagogus fuerit. *Id.*

28 *Utrum studio ne*] Aut ordo est, *utrumne*, aut est παρέλκον tertium, aut vero per ἔλλειψιν accipitur: quasi dicat, utrum est? aut, utrum verum est? quod qui accipit, *utrum* subdistinguat et separet a sequentibus necesse est. *Idem.*

Utrum studione] Aut *utrum* supervacuum est, aut *ne*: aut certe τμῆσις figura est, pro utrumne studione id sibi habet, si sciens lædit filium? *Idem.*

Laudi putat] Quia decipit. *Idem.*

29 *Si perdiderit gnatum*] Et magno affectu non dixit Æschinum, et mire non addidit cujus gnatum. *Idem.*

Væ misero mihi] Hoc est, quod supra dixit, 'Æger est; alienus non sum.' *Idem.*

30 *Videre videor jam illum diem*] *Illum* dixit, quasi quendam tristem ac funestum. *Idem.*

32 *Istuc est sapere*] Et sententias loquitur carnifex, aures senis demulcens verbis non tantum coquinariis, et providentiam illius collaudans veterator in arrogantiam ductat, adeoque errorem. *Farnabius.*

Quod ante pedes modo est videre] Hoc sumpsit Poëta de illo in physicum pervulgato ancillæ dicto, 'Non videt quod ante pedes: cœli scrutatur plagas.' *Donatus.*

Ante pedes] Cic. lib. II. de Divinatione: 'Quod est ante pedes nemo spectat, cœli scrutantur plagas.' Juxta illud de Thalete tritum, qui sidera contemplans in scrobem cecidit. *Farnabius.*

33 *Sed etiam illa quæ futura sunt*] Magis ridicula est assentatio, siquis maxime laudetur quibus maxime caret. *Donatus.*

34 *Isthæc jam penes vos psaltria est*] Dicendo *istæc*, ostendit jamdudum se hac indignari. *Idem.*

35 *Ellam intus*] Ut, *Ellum confidens, catus.* Idem.

An domi est habiturus] Proprie: quia *haberi uxor* dicitur, et *haberi mulier*, quum coit. *Idem.*

Credo, ut est dementia] Sic et in Eunucho, 'Eam se intendit esse, ut est dementia.' Et nominativus casus esse potest, et septimus. Si septimus *perditus*, aut quid tale, subandimus. Sed melius nominativum accipimus casum. *Idem.*

36 *Inepta lenitas patris, et facilitas prava*] *Lenitas*, ad permittendum: *facilitas*, ad agnoscendum. sic quidam. Sed ego *lenitatem* ad Micionem refero, qui hæc leniter patitur: *facilitatem* ad Æschinum, cui hæc per licentiam facilitas datur. *Pravum* autem est, quod et ipsum lædit facientem: *malum*, quod alios tantum. *Donatus.*

37 *Fratris me quidem pudet, pigetque*] *Pudet*, in his quæ turpiter facit: *piget*, in his quæ cum damno malo. *Pudere* etiam ad dedecus, *pigere* ad dolorem refertur. *Pudet*, quod turpe est: *piget*, quod dolet. *Idem.*

38 *Nimium inter vos, Demea*] Μεταδιόρθωσις. nunc enim redditum est, quod supra dicebatur. et præterea repetendo *nimium*, confirmavit superius dictum, et τὸ CPEMANIE* non solvit. *Idem.*

40 *Tu quantus quantus*] Id est, quantuscunque. *Idem.*

Nihil nisi sapientia es] Ridicule prius additum *nihil*: quam quicquam laudis nomine. Deinde si *sapiens* dixisset, non tanta esset irrisio: sed hyperbolicῶs accipitur, id est, stultus; *nihil nisi sapientia es.* Idem.

41 *Ille, somnium*] Nec tu sapiens, sed sapientia: nec ille somniculosus, sed somnium. Ὑπερβολή. *Idem.*

Sineres vero illum tuum] Ab argumento fabulæ repetit *sinerem*: et εἰρωνικῶς interrogat. *Idem.*

42 *Totis sex mensibus*] *Totis*, quasi longi sint: id est integris, ut ne unum quidem diem minus a sex mensibus sciat, quid cœpturus sit filius. Nimis comica et moralis assentatio. *Idem.*

Non olfecissem] Totum ridicule. Nam quid olfecisset, qui nondum quicquam scire cœpisset, cujusque naribus nihil objectum fuisset? Nam ideo *nares* a *naritate* dictæ sunt, quod nos odoratu doceant præsto et prope esse, quod adhuc oculi non vident. *Idem.*

43 *Quam ille quicquam cœperit*] Multum dixit; et *ante sex menses*, et *olfecissem*, et *prius quam cœperit.* Id.

Quam ille quicquam cœperit] In aliquibus libris Terentii, et Donati, scriptum est, *cœperet*: et ita in hunc modum Priscianus citat. *Faërnus.*

Cœperet] Quod dicebam modo pag. 423. Ex ratione temporum sic est legendum, non *cœperit*, ut vulgo. Sin minus, solœcismus fuerit; et ita citat Priscianus; neque magis mirabile videri debeat istud *cœperet*, quam *occiperet* et *inciperet.* Denique in libris veteribus non aliter legitur. *Faber.*

44 *Vigilantiam tuam tu mihi narras*] Id est, quam maxime scibo. *Donatus.*

Vigilantiam tuam tu mihi narras] Pronuntiatu juvantur hæc. Sunt enim laudationem, quæ præcessit, asseverantis. q. d. quid mihi de tua vigilantia memoras, quam commemini et scio singularem esse plane, sicut dixi. *Bœclerus.*

45 *Sic siet modo, ut nunc est*] Non dicit *qui*: sed respice ad argumentum, et ridebis hæc optantem Demeam. *Donatus.*

Ut quisque suum volt esse, ita est] Hæ sunt sententiæ et semper probabiles, et pro personis ridiculæ. Plautus in Milite Glorioso, 'Nimia est miseria, nimis pulchrum esse hominem.' *Idem.*

Ut quisque suum vult esse, ita est] Prout suum quisque educatione formarit, talem habebit. Neque enim puto culinarium hunc philosophum hoc ea mente dixisse, qua Seneca illud, 'Putet se innocentem civitas, erit,' &c. ad quam sententiam credo et illam effictam, 'Satietas in sacris ne sit, erit.' Conferat lector locum de Clementia l. I. c. 3. *Farnabius.*

46 *Quid eum? vidistine hodie*] *Quid eum?* initium interrogationis futuræ de persona alicujus. Sic in Heautont. *Donatus.*

Sed Syrum quid eum? tuum ne filium] Hoc clare, *tuumne filium?* Moris est ut qui cogitat quid respondeat, interrogatione remoretur. *Idem.*

Eum] Ctesiphonem. *Farnabius.*

47 *Abigam hunc rus*] Ut pecudem, dixit *abigam*: non ut hominem, *mittam.* Donatus.

Abigam] Hoc lentius; et *abigam* quasi pecudem dixit: unde et *abactores* dicti sunt. Cicero in Verrinis, 'Equarum greges istum abigendos curasse.' *Idem.*

Abigam hunc rus] Eugraphii annotatio fœde corrupta exhibetur, quam ita legendam esse fateberis, ubi considerare libebit: '*Abigam hunc rus.* Hoc aversus paululum pronuntiat, ubi consilium sumpsit mentiendi, uti Demeam mittere possit.' *Bœclerus.*

Abigam hunc rus] Aversus et secum hæc. *Farnabius.*

Jamdudum aliquid ruri agere arbitror] Hoc clare. *Donatus.*

Aliquid ruri agere arbitror] Hoc plus est, quam illic esse: vult enim cum laude ejus loqui, ut supra: 'Rei dare operam, ruri esse, parcum ac sobrium.' Et *agere* proprie dixit, nam ab agendo *ager* dictus est, quod in eo multa agenda sunt. *Idem.*

48 *Qui egomet produxi*] Mutata præpositione, non *deduxi*, sed *produxi*, dixit: id est, 'porro duxi.' *Idem.*

49 *Metui ne hæreret*] Hæc translatio, ut sublevat Ctesiphonem, ita Æschino invidiosa est. nam hæret avis, non animo, nec voluntate, sed visco decipientis aucupis. *Idem.*

50 *Quid autem*] *Quid* pro quare, vel ob quam causam. Virgilius: 'Quæ fortuna viris, classem quo littore linquant, Quid veniant.' Cui contrarium in significatione * id quod te oro. *Idem.*

Adortus jurgio est] *Aggredimur*, de longinquo: *adorimur*, ex insidiis et ex proximo. non *adoriri*, est quasi aliquem oriri, id est, exurgere. *Idem.*

51 *De psaltria istuc*] Hic mire senem imitatus est, et memoriter: quia ille dixerat, 'Quid? istæc jam penes vos psaltria est?' *Idem.*

Nihil reticuit] Mirum enim, minorem fratrem non pepercisse majori: nec reticuisse quicquid erat opus. *Idem.*

52 *Intervenit homo de improviso*] *Intervenire*, est in medio negotio, quasi ex insidiis supervenire, et opprimere in ipso actu eos, qui rem celatam vellent. Et vide quam oratorie narret gestionem rei, quæ nunquam facta sit: his enim fides fit. *Idem.*

Cœpit clamare] Ἠθικῶς totum, et *cœpit* et *clamare*, et quod sequitur. *Idem.*

53 *Æschine, hæccine flagitia facere te*] Est accusatio a persona: et vide pondus in nomine Æschini. *Idem.*

Hæc te admittere] Αὔξησις. nam plus est *admittere*, quam *facere*. Idem.

Hæc te admittere indigna] Pronum est hæc statim credere Demeam, de eo quem superius laudaverit, 'Non fratrem videt Rei dare operam? ruri esse parcum ac sobrium?' Unde mira Poëtæ arte, et initia, et media, et postrema sibi congruunt atque respondent. *Idem.*

55 *Lachrumo gaudio*] Immoderata lætitia, maxime parentum, lachrymas habet. Recte ergo additum est *gaudio:* quia lachrymæ solum mœrorem significant. *Idem.*

Lacrumo gaudio] Vide infra, act. IV. sc. 1. *Farnabius.*

56 *Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam*] Hæc figura oratoria δεινότης dicitur, qua ostenditur non esse mediocre quod factum est. *Donatus.*

57 *Hui*] Quasi admiretur ipse, quæ narrat. *Idem.*

58 *Syre, præceptorum plenus istorum ille*] Vide Demeam non desinere culpam Æschini in Micionem conferre, quum e contrario præceptorum suorum vult esse, quod sapit Ctesipho. *Idem.*

Istorum] Quæ dicis; scilicet, 'Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam.' *Idem.*

Phy] Interjectio mirantis est. *Id.*

59 *Domi habuit unde disceret*] *Unde*, id est, de quo. *Idem.*

Domi habuit, unde disceret] Vide quæ notantur ad Plauti Mil. Glor. II. 2. 36. *Bœclerus.*

Domi habuit] Te sc. autorem, magnum præceptorem, et exemplum. Cic. Academic. II. 'Domi nobis ista nascuntur.' *Farnabius.*

Fit sedulo] Ἠθικῶς dictum est *fit*. Et *sedulo*, sine dolo, id est, instanter: quia negligentes dolosi dicuntur. *Donatus.*

61 *Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium jubeo*] Videndum an recte speculum induxerit, quum alienas vitas dicit inspiciendas esse. nisi forte hoc ad causam admovendi speculi, non ad effectum referamus. nam causa inspiciendi speculi, emendatio est vultus: effectus, formæ per imaginem resultatio. *Idem.*

Tanquam in speculum] Notum est illud Socratis monentis juvenes formosos, ut consulerent speculum, et sibi pulchram formam adstruerent. Platonis item jubentis ebrios et iratos in speculo se contemplari, ut visa deformitate vitia fugerent. Confer huc Satyram 4. Horatii lib. I. sub fine, citantis παραγγέλματα et παραδεῖγματα sibi a patre tradita, quæ sequeretur, quæ fugeret. *Farnabius.*

62 *Atque ex aliis sumere exemplum sibi, &c.*] Mire hunc locum tractavit Horatius Sat. I. 4. 'Insuevit pater optimus hoc me, Ut fugerem, exemplis vitiorum quæque notando.' Sequitur jucunda προσωποποιΐα· tum varietas exemplorum insignis: ut tandem clausula inferatur, initio concors: 'Sic teneros animos aliena opprobria sæpe Absterrent vitiis.' *Bœclerus.*

63 *Callide*] *Callidus* dictus est etiam qui exercet dolos. *Callidus* dicitur, qui callum sibi usu artis induxerit. *Donatus.*

64 *Hoc laudi est, hoc vitio datur*] Non philosophice, sed civiliter monet. non enim dixit, *hoc bonum:* sed *hoc laudi est.* nec *hoc malum:* sed *vitio datur.* Ergo ut idiota et comicus pater, non ut sapiens et præceptor. *Idem.*

Istæc res est] Non quam rem gerit Micio: non ut ille agit. Et significat, 'Hoc verum est;' 'hoc utile est.' *Id.*

65 *Porro autem*] Prope delinitus erat Demea, contra institutum argumenti. Artificiose igitur Poëta subjecit ex persona servi, unde illum ad amaritudinem provocet. *Idem.*

Porro autem] At vero, et hujusmodi principia narrationum sunt, quibus superiora sequentibus connectuntur. *Idem.*

68 *Nam id nobis tam flagitium est*] Non dixit *peccatum*, irridens senem; sed *flagitium.* Et quidem flagitium, corrumpi pisces, vel talia. *Idem.*

69 *Quod queo*] Quod possum. Sed sic maluit dicere, ut allusionem de sua arte faceret Syrus, et hac re ostenderet nihil ab illo dici serio. *Idem.*

Quod queo] A coquendo sumpsit παρόμοιον. Sic et infra: 'Sedulo moneo quæ possum pro mea sapientia.' Et Ciceronis dictum refertur in eum, qui coqui filius secum causas agebat, 'Tu quoque aderas huic causæ.' Nam apud veteres *coquus* non per *C* literam, sed per *Q* scribebatur. *Idem.*

70 *Ad eundem istuc præcipio modum*] Arguta imitatio ad deridendum Demeam, omnium quæ serio ille supra dixerat. *Idem.*

Conservis ad eundem istunc præcipio modum] Apposite. scurrili enim μιμήσει et ἀποδείξει ἀλαζονείαν, morali et œconomicæ ipsius philosophiæ conferens culinariam suam, quæ in sapore. Coqui præcipua ars erit servire palato, domini et hospitum nosse gustum. Athen. lib. IX. c. 5. τὰ στόμια γινώσκειν τῶν κεκλημένων. Martial. lib. XIV. 220. Petronius: 'Namque ingeniosa gula est.' *Farnabius.*

71 *Hoc salsum est, hoc adustum est*] Hæc contexte et conjuncte dicuntur: quia non vicissim Syro assentatur senex. *Donatus.*

73 *Pro mea sapientia*] Διασυρτικῶς *sapientia* dixit; quia condimentum gustu ac sapore temperant coci. *Id.*

Pro mea sapientia] Donatus διασυρτικῶς dictum putat, cum allusione ad artem coqui. Quod si accipimus, vix dubitabitur, quin pronuntiatio aliquid adjecerit. Tale quid videtur esse in illo Plauti Stich. II. 2. 36. 'Hic homo nimium sapit.' Certum est autem, deterius legi, in uno et altero codice, *sententia.*

Quantum ad παρῳδίαν hic expressam attinet, conferenda est illa altera Ph. II. 1. 17. &c. ubi itidem servus sibi, contra herum, *sapientiam* tribuit. Id quod per se festivum est, nulla etiam exquisitiori figura accedente. *Bœclerus.*

74 *Tanquam in speculum*] Et hic *speculum* non ad imaginem vultus, sed ad contuitum contrapositæ rei retulit. *Donatus.*

76 *Nos quæ facimus*] Non coci, sed Micio, Æschinus, et familia. An *nos* pro *domini* posuit? An *nos* pro *ego?* et hoc melius. *Idem.*

Sentio] Cum dilatione et vultuose dicendum *sentio.* Idem.

77 *Verum quid facias*] *Quid facias?* pro, quid faciat? unusquisque scilicet. *Idem.*

Ut homo est ita morem geras] Utrum aptum proverbium sit servis, an etiam amicis? Ut est, 'Obsequium amicos, veritas odium parit.' Et hæc sententia modo velut querela, demissa voce, proferenda est. *Idem.*

78 *Mentem vobis meliorem dari*] Πρὸς τὸ *vis* respondet agresti feritate. nam respondendum erat, *recte*, aut *valeas*. sed hic, ne vel abiens blandus esset, pro salutationibus ipsis amara supponit. Et memento etiam hunc eundem insalutatum relinquere, qui adveniens paulo ante nec salutaverat nec resalutaverat fratrem. *Meliorem* autem, pro bona ac tolerabili posuit. non enim bonam credit, ut meliorem optet. Sic Virgilius, 'Di meliora piis, erroremque hostibus illum.' *Id.*

79 *Tu rus hinc abis*] Vult Syrus nosse an eat. *Donatus.*

Tu rus hinc abis] Qui consuetudinis memor est, animadvertit has interrogationes non inquirendi causa poni, sed admonitionis loco esse apud eos, quos velimus abscedere. Sic igitur interrogat ut hortetur: et sic pronuntiat, ut et sciat et approbet quod rogat. *Idem.*

Tu rus hinc abis] Optime apud Faërnum ex Cod. Mss. Bembi et Victorii, *tu rus hinc ibis*. Muretus hunc versum, more suo, interpolavit. *Faber.*

Nam quid tu hic agas] Addidit hortatum, ut quam primum abeat. *Donatus.*

80 *Nemo obtemperat*] *Obtemperet* est in aliquot libris etiam antiquis, et in iis, Bembino. *Faërnus.*

81 *Quando is, quam ob rem*] Nova locutio, *is quam ob rem*: pro, *is propter quem*. sic et alibi, 'In eo me oblecto: solum id est charum mihi.' *Donatus.*

82 *Illum curo unum*] *Unum* cum exceptione: et tamen sic loquitur, ut appareat illum non posse sibi imperare oblivionem Æschini. nam idcirco addidit, 'Quando ita vult frater, de istoc ipse viderit.' *Amare cœpit.* et ideo tenet, 'Nam ambos curare, propemodum reposcere est illum quem dedisti.' *Idem.*

84 *Quis illic est quem procul video? estne Hegio*] Inventa causa est, cur non abeat Demea, propter reliquam fabulæ partem: et simul aliud additur, quo indignetur. Bene autem dubitat, et familiam * inveniat civem, et multum absens a conspectu civium. *Idem.*

85 *Tribulis noster*] Hic versus et sequens in libro Bembino, Victoriano, et aliis omnibus, ita ordinati sunt, *Tribulis noster? si satis cerno, is herclest. vah.* Idem.

86 *Homo amicus nobis jam inde a puero. Di boni*] Horum posterior versus optime procedit: prior hæret. et necesse est, aut eum facere trimetrum iambicum scazontem, aut legere *hercule*. dictionem vero *vah* sequenti versui applicare. *Faërnus.*

87 *Næ illiusmodi jam nobis magna civium penuria est*] *Næ*, valde. *Donatus.*

Illiusmodi] Cujusmodi est Hegio, id est, qualis. Et magna *οἰκονομίᾳ* senex laudatur, ut postulationi ejus statim adsit fides. *Idem.*

Næ illiusmodi civ. &c.] Γεροντικῶς *ταῦτα ἠθοποιοῦνται, μάλα ἡδέως.* Insunt mores, insunt affectus similes: et condiuntur utrique simplicitate. 'Laudator temporis acti Se puero,' senex. *διατελοῦσι γὰρ τὰ γενόμενα λέγοντες, ἀναμιμνησκόμενοι γὰρ ἥδονται*, inquit Aristoteles de senibus, Rhet. II. *Bœclerus.*

88 *Antiqua*] Simplici, pura, ingenua. Cic. l. II. de leg. 'Antiquitas proxime ad Deos accedit.' pro Roscio, 'Homines antiqui,' i. e. simplices ac probi: pro Quintio, 'Vestigia antiqui officii:' ad Atticum l. IX. Ep. 18. 'Vide quam sim antiquorum hominum.' *Farnabius.*

89 *Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice*] Utrum hoc optantis est,

ne moriatur? an est testimonium vitæ hominis, numquam obfuturi reipublicæ? *Donatus.*

90 *Ubi etiam hujus generis reliquias restare video*] Paucos ac raros bonos. nam *reliquias*, pro relictis paucisque dixit. ideo *restare* etiam dictum est. *Idem.*

91 *Vivere etiam nunc lubet*] Ex hac delectatione ostenditur Demea, et quam peccantibus sit amarus ac sævus: et quam facile hujus incusatione, tanquam gravi testimonio, crediturus sit: et quantum doliturus super Æschino, qui displiceat talibus viris. *Idem.*

Scena iv. Senarii sunt. vs. 5. duo Mss. nostri, *de Ps. hic audivit*. vs. 6. omnes: *nihili*. vs. 10. unus, ut edidimus. duo; *tu es pater*. vs. 12. duo: *si deseris nos tu*. vs. 13. duo, ut edidimus. ut et 18. vs. 19. unus: *quid istuc rei est?* alter: *quid istuc est?* tertius: *quid istuc?* vs. 22. unus, ut edidimus. duo: *an quicquam etiam est ampl.* vs. 23. duo: *vero amplius est.* unus; prorsus omittit. vs. 25. unus; *ubi sic factum*. alter: *u. sit f.* vs. 31. omnes: *deserat*. vs. 34. omnes: *servulorum*. vs. 39. duo: *nec quid huic resp.* vs. 40. a *Miseram me, &c.* duo, Argentoratensis et meorum alter, novam scenam incipiunt. vs. 44. duo, ut ed. tertius quoque *τὸ ut* habet, et transponit illa, *jus cogit*. vs. 49. omnes: *educati*. duo: *ac domi*. vs. 51. duo: *enitar*. vs. 54. omnes: *exequar:* cetera verba non eodem ordine ponunt. vs. 55. duo: *ut tecum animo cogites*. tertius omittit *ut*. vs. 61. duo omittunt, *intro*. vs. 65. unus: *ibo et req. fr.* alter: *ibo ac req. fr.* Bœclerus.

Mores Hegionis in hac scena bene notavit Donatus: qui pro viro bono et amico voluerit omnia dicere et facere; et rem accusare, personas miserari, hinc laudes familiæ, tum honestæ tum liberalis. Ex qua Æschinus ita accusabatur, ut utriusque rei immemor argueretur. Frustra enim argutatur Donatus, quid intersit inter bonum et liberalem virum, vss. 17. 18. Poëta ipse ab initio scenæ monstrat, *liberalem*, ad *εὐγένειαν*, adeoque ad ingenium, *bonum* ad mores et disciplinam vitæ referri oportere. *Idem.*

1 *Pro DI immortales*] *Hæc scena fidem amici erga defunctum, maturitatem senilis orationis, et accusationem ejus, quem lædere nolit ipse accusator, continet.* Donatus.

Facinus indignum] Jam narravit Geta: et recte. non enim apud spectatores iterum fuerunt dicenda, quæ dicta sunt. Illud sane admirandum, ejusmodi Hegionis verba induci, qualia esse debuerunt tantopere laudati viri, et ejusdem Hegionis ac Demeæ. *Donatus.*

2 *Quid narras*] Mirantis est, non interrogantis. *Idem.*

3 *Tam illiberale facinus*] Id est, non odisse cui succenseas, laudare homines, factum reprehendere. *Idem.*

O Æschine, Pol haud paternum] Mira maturitas: in qua nescias utrum magis injuriam illatam orbæ virgini, an Æschinum peccasse, plus doleat. servatur enim in Hegione, quod vir bonus sit et amicus. *Idem.*

4 *Haud paternum istuc dedisti*] Deest, *facinus*. et *dedisti*, pro fecisti. Sed sic dicitur in re magna: ut, 'Dabit ille ruinas Arboribus, stragemque satis.' *Idem.*

Haud paternum] Non ad exemplum patris, ab ingenio et instituto illius degener. *Farnabius.*

Videlicet de psaltria hac audivit] *Videlicet*, confirmativum est. Ut *videlicet*, videre licet: sic *scilicet*, scire licet: *ilicet*, ire licet. *Donatus.*

5 *De psaltria hac audivit*] Sic errat Demea, ut intelligatur quantum debeat irasci in iis, quæ inopinata audiet. *Idem.*

6 *Is nihili pendit*] *Is*, abundat. ut in Heauton. 'Perii: is mihi, ubi ad-

bibit plus paulo, sua quæ narrat facinora!' Aut *is*, pro *ipse:* subjunctivum pronomen minus quam finitum. *Idem.*

Pater] Mitio, qui illum adoptavit, jamque corrumpi sinit. *Farnabius.*

7 *Utinam hic prope adesset*] Quasi sibi non crediderit dicenti, 'In ore est omni populo.' *Donatus.*

8 *Ni*] Si non, significat. *Idem.*

Quæ illos æquum est] Subauditur, *facere*, a superiori, per σύλληψιν intellectum. *Idem.*

Haud sic] Δεικτικὸν est. *Idem.*

Haud sic auferent] Quomodo accipimus, *haud sic auferent?* an, Factum suum auferent sic; an, si correxerint culpam, non silentio transituros ipsos, vel ipsum quod factum est. *Idem.*

Haud sic auferent] Id est, leniter abibunt, vel subtrahent culpam. *Id.*

Haud sic auferent] Senilis et matura comminatio. et est *sic* demonstratio, gestum continens levissimæ ac parvæ significationis. *Idem.*

9 *In te spes omnis, Hegio*] Ut narratio non fuerit necessaria: ita preces interponendæ sunt. *Idem.*

10 *Tu es patronus, tu parens*] *Patronus* aut temporale nomen est defensoris, aut certe appellatio est, per quam ostenditur, quid illi cultus et obsequii debeatur. est enim nomen ad aliquid. *Parens* autem veri amoris nomen est: et æquali loco continet interpretationem. Et vide quam vigilanter Poëta, quum simpliciter matronam de absente Hegione loquentem induceret, 'Coluit nos,' dixit: quum servus et supplex, ad præsentem loquitur, 'Tu es patronus,' inquit. *Idem.*

Tu es patronus, tu pater] Solet Noster oratorie rem unam in multa partiri, præsertim ubi ἐμπαθῶς loquendum est. Confer in Andria I. 5. 59. Bene autem hic illa elogia ad orbitatem et conditionem muliebrem retulit: ut matri, patronum; filiæ, patrem; imo domui toti patronum, et patrem familiæ assignaret. *Bœclerus.*

11 *Ille tibi moriens nos commendavit, senex*] Servus magnum veritatis indicium addidit dicendo *moriens:* nemo enim moriens non vera loquitur et urgentia. unde in jure ultima judicia certiora sunt. Sic alibi, 'Hanc mihi in manum dat: mors continuo ipsam occupat.' *Donatus.*

Senex] Simulus. *Farnabius.*

12 *Si deseris tu, periimus*] Proprie, quasi patrono. nam Socius deficit, Parens prodit, Patronus deserit. Sic Sallustius, 'Post defectionem sociorum et Latii.' Et, 'Unius ob iram Prodimur.' Et, 'Prodidisti et te, et illam miseram, et gnatum: quod quidem in te fuit.' Plautus, 'Qui libertos habent, eos deserunt.' Hinc et milites, qui defensores patriæ deberent esse, *desertores* esse dicuntur. Hæc autem omnia magnam vim habent. si per singulas partes orationis considerentur, ad commovendum precibus Hegionem. Et, 'Tu es patronus,' ab honesto: 'Tu es parens,' a justo. *Donatus.*

Si deseris tu, periimus] Et huic rei maxime respondet oratorie, quæ illum maxime commovit. Ut, 'En ego victa situ.' Et, 'Pulsus ego?' Alii πρὸς τὸ *periimus* τῷ εὐφημισμῷ responsum putant. *Idem.*

13 *Satis pie posse*] Deest, *facere.* Idem.

Neque me satis pie posse arbitror] Honesta locutio, qua significat, quicquid fecerit pro pietatis debito illis merito parum esse. Sensus autem hic est, Neque faciam quod nefas est, ut vos deseram: nec hoc ipsum quod facio, satis pium est pro tanta necessitudine. Et bene addidit *satis.* ut, 'Et sapiens, non tamen satis.' *Idem.*

14 *Salvere Hegionem plurimum jubeo*] Ideo providit Demea, non provisus est: quia oportuit illum audire quæ loqueretur Hegio, et ex illius jam verbis indignationem moveri.

Jubeo autem, volo significat: ab eo quod sequitur, id quod præcedit. Non jubemus enim, nisi quod voluerimus. et est Homericum: Κέλευέ με πάντ' ἀποδοῦναι, ἐθέλομεν γὰρ Ἕκτορα.* CYNENNIAIeNA. *Idem.*

15 HE. *Te quærebam ipsum*] Omnes fere l. s. inter quos Bembinus, *oh, te quærebam ipsum.* Faërnus.

16 *Major filius tuus Æschinus*] Artificiosa postulatio: in qua, ne statim Demea diceret, nihil ad se hanc querelam pertinere, quippe qui Ctesiphonem curare debeat, infertur causa cur non dissimulet pater: quia filius: quia major est: quia Æschinus, si quid est in ipso nomine charitatis: quia fratris adoptivus, quia bonus et liberalis, et contra hæc, quibus laudatus est, fecit. *Donatus.*

17 *Neque boni*] Quasi id quod est, velit quod esse debet. *Idem.*

18 *Neque liberalis functus est officium viri*] Quærendum inter bonum et liberalem quid intersit. An *bonus* est, qui non nocet? *liberalis*, qui etiam prodest? An *bonus*, qui non peccat in facto? *liberalis*, qui nec verbo quidem. *Idem.*

Functus est officium] Antiqui libri ita collocant, *functus officium est.* Faërnus.

Functus officium] Archaismus. Officio. *Farnabius.*

20 *Æqualem*] Ὁμήλικα. *Donatus.*

Æqualem] Coætaneum. *Farnabius.*

Quidni] Plus est *quidni*, quam *noveram.* nam quasi corripit dubitantem, dicendo *quidni?* ut subaudiatur, *noverim.* Donatus.

Filiam ejus virginem Vitiavit] Vides quantum valeat injuria, vel dignitas personarum. Non contentus facinore, personas credidit ante proponendas. *Idem.*

Hem] Interjectio nunc est irati, et est irati vehementer: quippe qui aliud vitium audiebat, præter crimina quæ sciebat. *Idem.*

22 *Quod est gravissimum*] Quia illud grave. *Idem.*

An quicquam est etiam amplius] *Amplius*, quantitatis est. nam ideo, Nondum etiam audis quod est gravissimum. *Idem.*

Amplius] Id est, majus. *Idem.*

An quicquam est etiam amplius] Liber Bembinus, *an quid est e. a.* Faër.

24 *Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia*] Plautus in Bacchidibus: 'Quia isthoc illecebrosius fieri nihil potest; Nox, mulier, vinum, homini adolescentulo.' Et hæc omnia ab impulsionis parte dicuntur, non a ratiocinationis: ideo et *persuasit* dixit: nam instans persuasio, *impulsio* dicitur: ut ipse, 'Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur.' *Donatus.*

Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia] Hæc inferuntur ἀσυνδέτως, ut multa videantur. *Idem.*

Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia] Ovid. 'Nox et amor vinumque nihil moderabile suadent. Illa pudore vacat, Liber amorque metu.' *Farnabius.*

Vinum] Plus dixit, quam si *vinolentiam* diceret. ut, 'Tu nihil nisi sapientia es, ille somnium.' Proximum huic, et simile, est in Hecyra: 'Cum virgine una adolescens cubuerit Plus potus sese illa abstinere ut potuerit? Non verisimile dicis, nec verum arbitror.' Virgilius: 'Bacchus et ad culpam causas dedit.' *Donatus.*

25 *Humanum est*] Nihil tandem ex ea sumptum consuetudine est, quod non humanum. et hoc dicere solemus, ubi peccatum quidem non negamus, sed tolerabile esse dicimus. *Idem.*

Ubi scit factum] Id est, intelligit et sentit: quia supra futuræ * peccaverit: et quia qui impulsione peccat, non peccat ratiocinatione. Hic locus illi rei occurrit, *cur ergo tacuisti.* Idem.

26 *Venit ipsus ultro, lacrumans*] Mire: et ad matrem venit ultro, lacrumans, ne, quod leniter aut mollius

mulier tulisset, prope pactionem iniisse, videretur. *Idem.*

Orans, obsecrans] *Orare*, est placidos petere: *obsecrare*, iratos rogare. Unde plus facit obsecrans, quam orans: plus vero orans, quam rogans. Cicero, 'Orare et rogare.' *Idem.*

28 *Ignotum est, tacitum est, creditum est*] Ἀσυνδέτως per συντομίαν, ut solet, hic loquitur: ut, 'imus, venimus, videmus.' *Ignotum* est autem, quod ultro venerat et lacrumans: *tacitum* est, quod orabat et obsecrabat: *creditum* est, quod fidem dabat et jurabat. Et honestius impersonaliter, quam 'ignovimus, tacuimus, credidimus.' *Donatus.*

Ignotum est, tacitum est, creditum est] Venia data est, silentium indultum, habita fides. *Farnabius.*

29 *Virgo ex eo compressu gravida facta est*] Hæc addidit, ne ex viliore usu et inhonesta patientia virginis ad conceptum libido pervenerit. et præterea quia et hoc potuit dici, Ille quidem vitiavit virginem: sed quid si ex alio concepit postea, quæ nunc gravida facta est? idcirco et a vitio virginis tempus ostendit, ut cum facto ratio conveniret. *Donatus.*

Decimus] Lunaris. Virg. Eclog. 'Matri longa decem tulerant fastidia menses.' Menander Plotio: Γυνὴ κύει δεκάμηνα. *Farnabius.*

30 *Ille bonus vir nobis psaltriam, si Dis placet, paravit*] Conclusio accusationis. et, *bonus vir*, εἰρωνεία quidem est, sed ab eo posita, qui indignetur virum bonum esse debuisse, qui non sit, ut supra, 'Neque boni, neque liberalis est functus officium viri.' Et simul considera, quo nomine Æschinum vocet, virum appellans scilicet, qui vult ejus certa esse promissa, et qui illum jampridem videri maritum velit. *Nobis* autem, ex abundanti τῷ ἰδιωτισμῷ ad indignationem relatum est. *Donatus.*

Ille bonus vir, nobis psaltriam, si dis placet] Vel *psaltriam* spondeus est per synizesin duarum extremarum vocalium: vel, quod magis placet, *ille bonus*, proceleusmaticus est, eliso uno l ex *ille*, et s ex *bonus*. Faërnus.

Si Dis placet] Bene interpositum ad invidiam, 'Si Diis placet:' scilicet per quos juratum est. *Donatus.*

Ille bonus vir] Εἰρωνεία indignantis in loca addita est verbis ardentibus. *Id.*

Psaltriam nobis] Τῷ ἰδιωτισμῷ. sic enim dicimus, et est consuetudinis pervulgatæ. *Idem.*

31 *Illam deserat*] Id est, cui e contrario, dum vivat, obstrictus est. Et *deserat*, virginem scilicet. *Idem.*

Illam deserat] Liber Bembinus, et aliqui libri Donati, *deserit*. quod forte melius est, contra o. l. s. *Faërnus.*

32 *Pro certone tu istæc dicis*] Hoc ideo non dicit, quia fidem non habeat narranti: sed quia miratur scelera. *Donatus.*

Mater virginis in medio est] Terribiliter satis, *in medio est*: quasi retineri non possit, nec cohiberi quin rem probet. Et præterea, quum argumentorum genera duo sunt, ἔντεχνον καὶ ἄτεχνον, sicut in rebus manifestis, ἀτέχνῳ utitur. Hoc ergo sublatis superciliis dicendum est, *in medio est*. nam lentius erat, si diceret, *præsto est*. Idem.

33 *Ipsa virgo*] Scilicet quæ in Æschinum reum et testis et crimen est. Et ideo addit, *res ipsa*: id est, pondus uteri, exactis ad pariendum mensibus. *Idem.*

34 *Præterea, ut captus est servorum non malus*] Ad hæc, intelligamus aliter dici 'Non inertem Socratem:' aliter 'Non inertem servum;' aliter 'Non malum Scipionem esse:' aliter 'Non malum servum esse.' *Idem.*

Præterea, ut captus] An, quantum capit animus servilis, tantum non malus, neque iners Geta? An 'Ut captus est servorum,' quemadmodum sæpe aucupium in servis habendis bonum evenit? Ut in captu avium, vel piscium, vel ferarum plurimum fortuna dominatur. Et hoc ideo, quia servum evenire bonum, non ratio est aut natura, sed casus est, utpote in re rarissima: ut sit, 'Ut captus est servorum,' id est, eventus est in servis. *Donatus.*

Ut captus est servorum] Id est, ut se habet conditio servorum. Afranius in Simulante, 'Is, ut servorum captus est, facillime domo atque nostra familia provenditur.' Ergo *captus* sortem intelligo. *Idem.*

Non malus] Id est, fidelis. *Idem.*

35 *Neque iners*] Id est, artem habens. Oratorie futurum testem et indicem laudat: sed ne improbe facere videatur, parcius id facit. non enim dixit, 'Bonus et solers:' sed, quod in servo sufficit, 'Non malus, neque iners.' Et proferendi Getæ hæc maxime causa est, ne quod permittere videatur in servo pauperis, atrocius fiat. et simul ut hæc προθεράπευσις non contristet Getam: quem prius laudat, dicturus, 'Hunc abduce, vinci, quære rem.' *Idem.*

Alit illas: solus omnem familiam sustentat] Duas hic res docet: et unde hæ vivant; quod testimonium pudicitiæ est; et gravem testem posse esse Getam. *Idem.*

Solus] Incerta distinctio est, *solus*. sed melius, 'Solus omnem familiam sustentat.' Hoc verbo tenuis victus ostenditur, quod bene frugi esse monstratur in fœminis. *Idem.*

36 *Hunc abduce, vinci, quære rem*] Non multum permittit, utpote de alieno servo; ideo Geta plus de se largietur. ipse tamen ἀσυνδέτως tria posuit, ut multa videretur dicere. *Idem.*

Hinc abduce] Ut, 'Tu Voluse armari Volscorum edice maniplis.' Nam postea e litera hujusmodi verbis aucta est. *Idem.*

Hunc abduce; vinci] Bono ordine. et *abduce*: ab hoc illuc ubi nemo possit intercedere. et *vinci*: ne solutus, ut sciat si verum servus accuset. *Id.*

Quære rem] Latenter præter vincula, etiam tormenta significavit. nam hoc *quære rem*, pete rei veritatem, significat. *Idem.*

37 *Imo hercle extorque*] Ἄτεχνος πίστις. Et bene ipse de se plus et apertius, quam Hegio, largitur. *Id.*

Extorque] Multum dixit: non *torque*, sed *extorque*. *Torquemus* enim hominem: *extorquemus* veritatem. *Id.*

38 *Coram ipso cedo*] Liber Bembinus et Vaticanus: *coram ipsum, cedo*: id est, exhibe eum in conspectum nostrum. *Faërnus.*

39 *Pudet*] Adversus hoc dicit, et perturbatus Demea. Majoris erit ponderis *pudet* dictum, si *me* nec addas, nec subaudias. *Donatus.*

40 *Differor doloribus*] Divellor, discrucior, dilaceror. Et proprie hoc genus querelæ convenit parturienti, et cui viscera distenduntur: et ei quæ inexpertum dolorem nunc primum sentiat. *Idem.*

41 *Juno Lucina, fer opem*] Bona procuratio Poëtæ: ut et vox parturientis, pro testimonio succedat, ad inflammandum Demeam. Et nota, puellarum quæ in comœdiis honestæ sunt, et ex amore dicuntur, aut nullam in scena esse, aut rarissimam vocem. *Idem.*

Juno Lucina fer opem] Andr. act. III. scen. 1. *Farnabius.*

Fer opem] Partui. *Donatus.*

Serva me, obsecro] Parturientem. Duas enim res poscit hæc precatio: et nascentis, et parturientis, salutem. *Idem.*

42 *Numnam illa quæso parturit*] Illa scilicet de qua sermo est, quid enim opus fuerat nomine? *Idem.*

43 *Illæc fidem nunc vestram implorat*] Hæc oratoria πλάσις est. non enim vere rogat: sed videtur hoc facere. Et *implorare*, est in malis positos cum ploratu aliquem rogare. *Idem.*

Hæc fidem vestram nunc impl. &c.] Oratorie et extemporali consilio, in

subsidium causæ vertit, quod fors obtulerat. *Bœclerus.*

44 *Quod vos vis cogit, id voluntate impetret*] Artificiose: ne totum simpliciter agendo, diffidere causæ videatur. *Vis* igitur legum intelligitur. *Donatus.*

Quod vos jus cogit] Antiqui libri pro *jus*, *vis* habent, sed Bembinus etiam ascriptam in margine interpretationem, *vis*, necessitas legum. quanvis autem in libris Donati hæc dictio ita scripta sit, ut et pro *vis*, et pro *jus*, legi possit; si tamen interpretationis ejus verba considerentur, apparet eum *vis* legisse; dicit enim, *vis*, legum intelligitur; ubi si jus legisset, supervacue exposuisset *jus*, legum. *Faërnus.*

Jus cogit] Menand. *Τρία ἐστὶ δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται, ἢ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἤ γε τρίτον ἔθει τινί.* *Farnab.*

45 *Hæc primum ut fiant, &c.*] Quod dixerat, *quod vos cogit jus, id voluntate ut impetret*, nunc amplificatione affectuque extollit: officii et humanitatis esse, sponte sua facere quod æquum est; idque se adeo, ut fiat, unice optare, (in qua parte adhibuerat preces parturientis, officii necessitudinem demonstraverat; adjicit et vota precesque, *deos quæso*) sin aliud animo agitent, tum vero non legibus auctoritatem, non sibi industriam defore ad defendendas partes Pamphilæ, cujus officii sui studium ex necessitudine non simplici deducit, ne quid inter utrinque amicos aliter quam opus est suscipere aut tractare videatur. *Bœclerus.*

Deos quæso, ut vobis decet] Hoc est, non voluntate adversarium fore. *Donatus.*

Ut nobis decet] Παραινετικῶς dixit, non ut puellæ utile est, sed ut vobis decet. *Idem.*

Vobis decet] Græce dixit, *ὑμῖν πρέπει.* et deest, *facere.* Idem.

Vobis decet] Hellenismus, adi Grammaticam nostram. *Farnabius.*

46 *Sin aliter animus vester est*] Officium amici exequitur in reddenda causa, cur adversarius futurus sit. *Donatus.*

Ego, Demea, summa vi hanc defendam] Non dixit id quod est, 'Vos ulciscar:' sed 'Hanc defendam.' *Id.*

47 *Hanc defendam*] O. l. s. et Donatus, *defendam hanc.* ut et ratio versus exposcit. *Faërnus.*

Atque illum mortuum] Idonea causa est, adversus vivos querimoniam faciendo, pro mortuo scilicet. Qua in re, et de officio suo locutus est, et exaggeravit culpam in Æschinum, qui videbatur in uno et eodem facinore vivos mortuosque læsisse. *Donat.*

Hanc atque illum] Pamphilam et Simulum. *Farnabius.*

48 *Cognatus mihi erat*] Causa exposita, jam agit Hegio de persona sua, utrum recte faciat: ut quam personam inducit * ostendat habiturus. Quum amicitiarum duo genera sint, unum necessarium, id est, propinquitas sanguinis; alterum voluntarium, quo nobis etiam alienissimi conjunguntur; Micionem dicit ac Demeam, et vivos et voluntarios tantum sibi amicos esse. Simulum vero, et mortuum, et non solum voluntate, sed et necessitudine amicum fuisse conjunctum. In qua re et illi non deerit, et his purgatur. Sed et, *Cognatus mihi erit*, vultu adjuvat: quia non a conjunctione inceptiva sumpsit exordium. *Donatus.*

Cognatus mihi erat] Officia multa contra officium unum Demeæ amicitiæ ac Micionis. *Idem.*

50 *Paupertatem una pertulimus gravem*] Ἐπαναφορὰ est. quia magis conjungat malorum consortium, quam bonorum. *Idem.*

51 *Nitar, faciam, experiar*] Sic dicit, ne dicat *vindicabo*: quod vult magis significatum esse, quam dictum. Et ne ei diceretur, nihil poteris; quod ad incipiendum sufficit, dixit *experiar.* Idem.

Experiar] Litem intendam, judicio agam. supra act. III. sc. 2. *Farnabius.*

52 *Animam relinquam potius*] Modesta comminatio: prius quid sibi possit evenire dixit, quam quid passurus sit Æschinus. *Donatus.*

53 *Quid mihi respondes*] *Respondere* proprie dicitur, quum lis intenditur. *Respondere* enim est priorem alloqui, quasi respondere, verba fundere. ut, 'Funditque has ore querelas.' *Respondere*, posteriore loco dicere. *Idem.*

Fratrem conveniam, Hegio] Vultuose pronuntiandum, hoc quod addidit, *Hegio.* quasi dicat: Res in manu fratris est constituta, non mea. *Idem.*

54 *Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar*] Hic versus totidem elementis habetur in Phormione II. 4. 21. ubi Guyet. *Bœclerus.*

Is quod mihi, &c.] Est quippe Æschinus in illius potestate, non mea. *Farnabius.*

55 *Sed, Demea, hoc tu facito*] Ἐπιθεράπευσις supra habitæ comminationis. *Donatus.*

56 *Quam vos facillime agitis*] Ut et supra, 'Facilem victum paret.' Et vide quam oratorie laudes sumpserit argumenta suadendi. *Idem.*

Quam vos facilime agitis] Pertinent huc quæ ad Curculionem Plauti, I. Douza, et ex eo Plauti Interpres notavit ad Epid. II. 5. 57. add. Guyet. *Bœclerus.*

Quam estis maximi] Victorianus, et omnes fere l. s. *quam estis maxume*, ut consequentia sermonis videtur exigere: sequitur enim *tam maxume.* Faërnus.

Vos facillime agitis] In otio et opulentia vitam agitis laute, poëtis Græcis Dii sunt *ῥεῖα ζῶντες.* *Farnabius.*

57 *Potentes, dites, fort. nob.*] Horum enim mores mox notantur act. IV. scen. 3. 'Qui ita putant, sibi fieri injuriam ultro, si, quam ipsi fecere, expostules; Et ultro accusant.' Res ardua scilicet, opulentos et nobiles non altiora spirare. Aristoteli divites plerique *ὑβρισταὶ καὶ ὑπερήφανοι, πάσχοντές τι ὑπὸ τῆς κτήσεως τοῦ πλούτου.* quod alibi etiam de fortunatis notat: *οὐκ οἴονται δὲ παθεῖν ἂν, οὔτε οἱ ἐν εὐτυχίαις μεγάλαις ὄντες καὶ δοκοῦντες, διὸ ὑβρισταὶ, καὶ ὀλίγωροι, καὶ θρασεῖς.* et addit iterum: *ποιεῖ δὲ τοὺς τοιούτους πλοῦτος, ἰσχὺς, πολυφιλία, δύναμις.* quæ verba nostrum versum plane interpretantur. *Bœclerus.*

58 *Æquo animo æqua noscere oportet*] Bene dixit, 'æquo animo:' quia potentiori et fortiori contra naturam est æquitas. *Donatus.*

Æqua noscere] Forma loquendi Græca est *ἐπιεικῆ γνῶναι*, *estre juste, estre raisonable.* ad verbum est, ex genio linguæ Græcæ, *avoir les sentimens d'un honneste homme, d'un homme, d'un homme de bien.* Faber.

60 *Redito*] Prosequebatur eum, quemadmodum apparet ex verbis. *Idem.*

61 *Decet te facere*] Solicita obsequela Hegionis, ultima in loquendo, ostendit impotentiorem personam contra Æschinum, quo magis gaudium crescit comœdiæ: quando tali ac tanto pauperior puella, sed tamen cupita, jungetur. *Idem.*

62 *Non me indicente*] Quia dixerat, 'Ipse sentiet posterius.' Et nimis dura composito est: sed apta irascenti. *Idem.*

Non me indicente hæc fient] *Fient* Bembinus liber, sed alii omnes, *fiunt.* et, ut videtur, etiam Donatus, qui asserit hoc Demeam dicere, quia dixerat, 'Ipse sentiet posterius.' Quod non quadraret, si nunc de futuro loqueretur: sensus enim est, hæc fiunt me non tacente, sed potius reprehendente: potest tamen sustentari *fient*, ut sit, hæc tacente me, non admittentur, quin ea reprehendam et objurgem. quod tamen durum est, cum hæc præterita jam sint, nec tractum præsentis temporis habeant. hic glossema ascriptum est in margine libri Bembini. 'Indicente, tacente: nove,

immo potius κατὰ ἀρχαϊσμόν nam nusquam legimus, nisi in hoc loco: indicentem enim dixit, non dicentem.' *Faërnus.*

Non me indicente hæc fiunt] Hæc flagitia non fiunt ab Æschino me hortante, non vetante. atque utinam hoc sit ultimum. *Farnabius.*

Utinam hoc sit modo defunctum] *Utinam,* desperandi vim habet. *Hoc,* id est, negotium; id est, raptus virginis. *Defunctum,* finitum, id est, ut non pejora committat. *Defunctum,* finitum, id est, ne ulterius peccet Æschinus. *Donatus.*

Utinam hoc sit modo defunctum] Duo antiqui libri, Bembinus et Victorianus, *utinam hic,* habent. ita *defunctum* impersonale erit: ut sit sensus: utinam sit defunctum hic, id est, in hoc negotio: ne Æschinus pejora committat. *Faërnus.*

63 *Nimia illæc licentia*] Quam illi dat Micio. *Donatus.*

Verum nimia illæc licentia est] Et ingenio soliciti iratique senis, nec minus tamen τῇ οἰκονομίᾳ convenit hic metus, et mali præsagium: ut Æschino luculentius decedat postea, quod fratris caussa contraxerat, infamiæ, et opinione patris honestior comperiatur ac liberalior. *Bœclerus.*

64 *Profecto evadet*] Per ardua et prærupta veniet. *Donatus.*

65 *Hæc evomam*] Non *effundam,* sed *evomam:* utpote quæ me ægrum faciunt, quibus me relevabo, cum languor ille egestus sit. nam *evomam* hoc translatione significat. *Idem.*

Scena v. Senarii sunt. Notat Donatus, 'Hos sex versus in quibusdam non ferri.' vide Guyetum. vs. 4. Mss. nostri omnes: *si est facturus ut sit officium suum.* etiam vs. 5. omnes, ut edidimus. In uno meorum cohærent hi versus superiori scenæ. *Bœclerus.*

Bono animo fac sis, Sostrata] *Hi sex versus in quibusdam non feruntur. In hac scena videtur jam locutæ Sostratæ Hegio respondere. Potest tamen et ipse incipere, tanquam qui et rem noverit, et mœrore ejus moveatur.* Donatus.

1 *Bono animo fac sis, Sostrata*] Meminisse debemus, quod dixit, 'Duc me intro ad Sostratam.' et quia hoc *intro,* in proscenio est ΠΑΤΕΡΑ ΠΔΙΤΝΝΙΝ * non post scenam. nam aliud significat, 'Eamus intro,' ubi dicitur, 'Intus despondebitur, intus transigetur, si quid est quod restet.' illud enim interius agitur extra omne proscenium. *Idem.*

Bono animo fac sis] Bene Eugraphius: 'Senex ingressus domum, vidit parturientem puellam, ejus matrem consolatur, promittens se conventurum Micionem Æschini patrem, et coacturum, ut vitiatam ducat uxorem ille, qui vitiavit.' Ad maturandum enim negotium, cito digreditur, et inter exeundum hæc intro ad Sostratam loquitur, ut mos est personis comicis. *Bœclerus.*

Bono animo fac sis] In quibusdam exemplaribus sex isti versus pro genuinis non feruntur. *Farnabius.*

Fac sis, Sostrata] *Sis* honorifice additur verbo, ne quod imperativo modo pronuntiatur, superbum sit. Deductum est autem a senatusconsulti formula: ubi enim aliquid senatus consulibus injungit, addit, 'Si eis videatur.' *Donatus.*

Et istam quod potes] Quia vox ipsa tristis, et circa tristem filiam, *quod potes* dixit. *Idem.*

Istam] Pamphilam. *Farnabius.*

2 *Fac consolere*] Duas res dixit, quas et ordine locutus est: Et tu bonum habe animum, inquit, et filiam fac habere. *Donatus.*

Ego Micionem] Quia Demeam jam vidit. *Idem.*

4 *Si est facturus officium*] Hoc dicendo, promittit eum esse facturum: nam facile est unumquemque suo officio fungi. *Idem.*

5 *Sin aliter de hac re est ejus sententia*] Scandendus hic versus est contractione *ejus* in unam syllabam: aut ea dictio delenda, quæ nec in libro Bembino est. *Faërnus.*

Sin aliter, &c.] Servat suos mores: ut antea dixerat: *sin aliter animus vester est, &c.* noluit enim vir optimus desperare, quin facturus esset officium Micio, ad quem Demea rem rejecerat; sed si tamen præter opinionem tergiversaretur, animum patroni et defensoris ostendere debuit Hegio in istis verbis: 'Ut quid agam quamprimum sciam:' i. e. ut in jus vocem, causam ad judices deferam. *Bœclerus.*

6 *Ut quid agam quam primum sciam*] Mature, neque comminatur, neque segnem ostendit se fore. *Donatus.*

ACTUS IV.

Scena i. Iambici sunt octonarii. unus: *dimeter horizon.* vs. 2. omnes Mss. nostri: *nunc autem maxime.* vs. 4. omnes: *prorsus e lecto neq. surg.* vs. 6. omnes, ut edidimus. vs. 9. duo: *prius nox oppressisset patrem illic.* vs. 12. unus: *nihil nunc in mentem.* duo: *nihil ne in mente est?* et mox: *tanto nequior es.* vs. 14. duo: *hisce ut opera d. e.* vs. 16. omnes: *vah. q. vell. ut etiam n.* vs. 21. omnes: *præ gaudio.* et mox: *quidnam. S. lupus est in fabula.* vs. 23. duo: *potin es ut des.*

Hæc est scena, quæ Ctesiphonem demonstrat præcipue, rudem, simplicem, liberali ingenio; ad facinora et fraudes indocilem. *Bœclerus.*

Ain' patrem hinc abisse rus] *Hic ostenditur timiditas boni adolescentuli, et verti * se ad peccandum ex delicti conscientia, et reverentia parentis apparet. Item mos verorum patrum circa filios, Syro Demeam describente.* Donatus.

1 *Ain' patrem hinc abisse rus*] Compendio ostenditur, quid sit jam locuturus Syrus. *Idem.*

2 *Nunc cum maxume operis aliquid facere credo*] Vide quasi ἰδίωμα verborum Syri esse, de opere loqui: sic enim dicit et Demeæ. sed illud falso, hoc serio. *Idem.*

Eum maxume] Ὅτι μάλιστα. Al. *cum maxime.* Farnabius.

Utinam quidem] *Apud villam sit,* subaudiendum, et distinguendum, ante quam inferatur quod sequitur. *Donatus.*

3 *Quod cum salute ejus fiat*] Hoc non est odisse patrem: sed tantum timere ex proprio delicto. servatur enim in eo et amor filii, et amoris effectus. *Idem.*

Quod cum salute ejus fiat, &c.] Correctio φιλόστοργος. *Farnabius.*

4 *Ut triduo hoc perpetuo*] Quantum sufficiat amori. etenim non opus erat *perpetuo* dicere, si *triduum* dixisset. *Donatus.*

5 *Et istoc, si quid potis est rectius*] Deest *addi.* nam si mortem significaret, non conveniret adolescentem ita dicere: videtur enim plus temporis optasse languori. *Idem.*

Istoc si quid potis est rectius] Mortem ab improbo servo significari volunt: quod quia præsente filio importunum, videtur avertisse se a Ctesiphone. Muret. Variar. Lect. l. xvi. c. 3. *Farnabius.*

6 *Nam hunc diem misere nimis cupio*] Moriatur scilicet: et hoc adversus servum debet dicere, ne indecorum adolescentis personæ sit, hæc ita dixisse. quamvis ejusmodi adolescentes inducant comici. ut Nævius in Tribaselo: 'Deos quæso, ut adimant et patrem et matrem meos.' *Donatus.*

Misere nimis cupio] *Nimis* abundat, more comicorum, qui hoc dicto asseverationem inculcabant. *Idem.*

Cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitia degere] Qui et supra dixit, 'Ita quæso: quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.' *Idem.*

7 *Et illud rus nulla alia causa tam male odi*] Mire ostendit omnia ex delictis in pravum verti: adeo ut miseram putet adolescens suburbanam villam, qua re cæteri delectantur. Illud ergo tanquam cum detestatione dixit: et *male*, et *nimis*, et *misere*. Nam *nimium*, et malum miserumque est; secundum illam sententiam, 'Ne quid nimis.' *Idem.*

Et illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope'st. Quod si abesset longius] Prior versus iambicus est octonarius, qui multis quidem rationibus sustentari potest, sed hæc mihi simplicissima videtur, ut ex *tam* m elidatur, quanvis sequente consonante. posterior vero iambicus dimeter, non facta synalœpha in *si abesset*; vel facta, trochaicus dimeter catalecticus. *Faërnus.*

8 *Quod si abesset longius*] Amori magis, quam rei consulit adolescens. *Donatus.*

9 *Prius nox oppressisset illic, quam huc reverti posset iterum*] Vide mihi Faërnum pag. 134. edit. Juntinæ. Versus stare non potest. legerem, *Priu' nox oppressisset illic, quam huc posset revortier.* est Trochaicus octonarius catalecticus, et esse debet. *Faber.*

10 *Jam huc recurret, sat scio*] Mire de sene, *recurret* dixit, ut ejus instantiam demonstraret. *Idem.*

12 *Nihilne in mentem*] Sic hoc accipiendum est, ut adolescenti libero malitiam putemus, non sapientiam deesse: adeo in hac re magister est servus. *Idem.*

Nihil ne in mente est] Sane hic locus similis est ei, qui in Heautontimorumeno est, 'Ego dicam, quod mihi in mentem.' *Faërnus.*

Numquam quidquam] Παρέλκον, pro *numquam*, id est, non. *Donatus.*

Tanto nequior] Sic hoc dictum est, ut e contrario dicimus, 'Tanto melior.' *Idem.*

13 *Cliens, amicus, hospes nemo est vobis*] Vide magistrum ad nequitiam, ut simplici adolescenti mentiendi viam demonstret, et honestum tentet afferre argumentum ad mendacium, propter clientem, amicum, aut hospitem in urbe cessare visum: quod tamen nec sic intelligit rudis ac rusticus adolescens. *Idem.*

Cliens, amicus, hospes nemo est vobis] Mire sic interrogavit, ut qui agrestes inhumanosque reprehendat, et insociabiles aliis, propter asperitatem rustici senis. *Idem.*

14 *Hisce opera ut data sit*] A superiore subauditur, 'Veniat in mentem:' id est, cogita dari potuisse: et datam dicito. *Idem.*

Quæ non data sit] Hic de facto quæstio est, in qua quidem disputant quædam tunc possibilia intelligi, quando facta sint. quum autem non fiunt, non modo non fieri, sed ne possibilia quidem esse dicenda. qui locus περὶ δυνατῶν dicitur. *Idem.*

Quæ non data sit] Menander. Ἄριστόν ἐστι πάντας ἐπίστασθαι καλά· Ἐλευθέρου γὰρ ἀνδρὸς τἀληθῆ λέγειν. *Farnabius.*

Potest] Iterum subauditur, *fieri*, ut data sit: vel, ut credatur data. *Donatus.*

15 *Interdiu*] Bene: quia amatori maxime nocte opus est. *Idem.*

16 *Vah! quam vellem etiam noctu*] Hoc utriusque personæ convenit, sed melius et Syro, et facetius dicitur. et quidam totum Ctesiphoni assignant, abusque *interdiu*. Et, *quam vellem*, proprie dicimus in his, quæ non videmus fieri. Bene igitur deficiente argumento, cum aliud non inveniret, in vota conversus est. unde videntur magis hæc verba Ctesiphonis esse. *Idem.*

Vah, quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari] Versus una syllaba redundat; sed, dixi sæpius, *vah*, et aliæ ejusmodi interjectiones, exclamationes, extra metrum interdum censentur. *Faber.*

17 *Calleo*] Callide scio. *Donatus.*

18 *Cum fervit maxume*] Tertia conjugatione dixit, unde *fervere* dicitur, correpta media syllaba. *Idem.*

Fervit] Ira. quæ ebullitio dicitur sanguinis circa cor. *Farnabius.*

Quo modo] Miratur, quia timet eum, quem iste contemnit. *Donatus.*

19 *Laudarier te audit libenter*] Quod a Demea dicitur, in omnes parentes dici puta, nam nemo tam asper est pater, ut non statim mitescat laudato filio. *Idem.*

Facio te apud illum deum] Laudibus te ad cœlum usque extollo. Socrates apud Platonem in Menone: Οἱ Λάκωνες, ὅταν τινὰ ἐγκωμιάζωσιν ἀγαθὸν ἄνδρα, θεῖος, φασὶν, ἀνὴρ οὗτος. *Farnabius.*

20 *Virtutes narro*] Non dicit elegantem indolem, sed *virtutes*. *Virtutes* autem sunt perfecti sapientis, vel divi alicujus. Et bene cum stupore respondet *meas?* ostendens quod nullæ essent. *Donatus.*

Ct. *Meas?* Sy. *tuas*] Cum gestu pronuntiare debemus, ut intelligatur irrisio. *Idem.*

Lacrumæ cadunt] Hom. Il. vi. Δακρυόεν γελάσασα. Xenoph. Rerum Græcarum vii. Κοινόν τι ἄρα λύπη καὶ δάκρυά ἐστι. Lacrymas in angulis oculorum se ostendere, prorumpere tamen ex spiramentis duobus, quorum unum sit in superiore gena, in inferiore alterum, autumant Philosophi. Lacrymas ex ira vel tristitia per inferius manare, quia cordis ea sunt accidentia; alia quæ ratione profluunt, per superius meare, quia eventus causa sit de cerebro. Cœl. Rhodig. lib. xii. c. 4. *Farnabius.*

21 *Quasi puero, gaudio*] Deest, *præ*: ut sit, *præ gaudio*. Donatus.

Lupus in fabula] Silentii indictio est in hoc proverbio: atque ejusmodi silentio, vel in ipso verbo, ut ipsa fabula conticescat. Quia lupum vidisse homines dicimus, qui repente obmutuerint: quod fere iis evenit, quos prior viderit lupus: ut cum cogitatione in qua fuerint, etiam voce et verbis careant. Sic Theocritus, οὐ φθέγξῃ; λύκον εἶδες. Et Virgil. 'Vox quoque Mœrin Jam fugit ipsa, lupi Mœrin videre priores.' Alii putant ex nutricum fabulis natum, pueros ludificantium terrore lupi, paulatim e cavea venientis usque ad limen cubiculi. Nam falsum est quod dicitur, intervenisse lupum Nævianæ fabulæ alimoniæ Remi et Romuli, dum in theatro ageretur. *Idem.*

Lupus in fabula] Silentii indictio quoties intervenit is de quo fuerat mentio. Plato in Phædro. Λέγεται γοῦν, ὦ Φαῖδρε, δίκαιον εἶναι, καὶ τὸ τοῦ λύκου εἰπεῖν. Obmutescere quippe creditum quos prior viderit lupus. vide quæ nos ad Eclog. ix. Virgilii: 'Vox quoque Mœrin Jam fugit ipsa, lupi Mœrin videre priores.' *Farnabius.*

22 *Fuge modo intro*] Non dixit *i*, vel *abi*, vel *vade*: sed *fuge*, tanta celeritate opus est. *Donatus.*

23 *Si quid rogabit, nusquam tu me*] Magna virtute Terentius rudem, simplicem, timidumque inducit Ctesiphonem ab initio: ut is sit, qui mox opprimeretur cum meretrice accumbens interventu patris, ob imprudentiam ac rusticitatem suam. *Idem.*

Nusquam tu me] Scil. vidisse respondeas. Familiaris ἔλλειψις et apta properanti. quare hæc omnia pressa voce cum celeritate pronuncianda sunt. *Idem.*

Scena ii. Trochaici octonarii catalectici sunt. vs. 3. Mss. nostri omnes, ut edidimus. vs. 5. duo: *discernere*. unus: *nescio* pro *nequeo*. vs. 12. unus: *ego istuc hodie*. alter: *ego hodie istuc*. vs. 13. omnes omittunt τὸ *jam*. vs. 14. unus: *tum*; alter, *tantum* pro *tamen*. vs. 17. omnes omittunt, *hem*. vs. 22. duo: *prodiisse*. omnes: *factum est*.

verum venit post insan. vs. 23. omnes: *non puduit.* vs. 24. unus omittit, *ego*, alter *modo.* vs. 28. duo: *referre.* vs. 29. duo: *idem sensit quod ego.* vs. 36. duo: *versum.* omnes: *hac te præcipita.* vs. 37. omnes: *prope est.* vs. 38. duo: *quidnam.* unus: *quodnam.* omnes interponunt: *nostin?* D. *novi.* vs. 43. duo *templum* adjiciunt ex glossa, sed diverso positu. vs. 44. duo: *locum.* in tertio τὸ *lacum* emendatur in *locum.* vs. 45. omnes: *ex adverso.* duo, *fabrica est.* vs. 46. omnes: *illigneis.* vs. 47. τὰ *ubi potetis vos*, omnes Syro tribuunt, Demeæ signum præmittentes τῷ *bene sane.* vs. 50. unus omittit τὸ *jam*: alter *autem* pro eo habet. vs. 51. unus: *unumquicquid.* alter: *unumquodque.* Argent. *atque unum quod quidem ferculum erit belliss.* Bœclerus.

Næ ego homo sum infelix] *In hoc actu exemplum est, neminem facilius, quam optimum quemque falli atque deludi, ut Virgilius ait. Et* næ *valde significat.* '*Et* næ illi vehementer errant;' *Cicero in Catilinam.* Donatus.

1 *Næ ego homo sum infelix*] Vide initium conveniens perpetuo mœrori Demeæ. Per totam fabulam, aut *disperii* dicit, aut *defessus sum*, aut aliquid tale semper est, quod queratur: ita tamen, ut cum augmento sit miseria, quotiescunque processerit. nam plus est quod nunc dixit; *Næ ego infelix homo sum!* quam *disperii.* Idem.

Næ ego sum homo infelix] Solenne Demeæ in scena carmen: quem sui mores vel iracundia exæstuantes, vel solicitudine trepidantes, felicem esse non patiebantur. *Bœclerus.*

Nusquam invenio gentium] Abundat *gentium.* Donatus.

2 *A villa mercenarium vidi*] Sapientissime Terentius, etsi proxima villa est, necessario senem ad reliquos actus fabulæ noluit ab urbe discedere, personæ senilis memor. nam et arduum fuerat, dum redit, et cruciabile, ne fatigatio ejus in tragœdiam transiret. Recte igitur invenit, a mercenario illi in urbe narratum, ruri non esse Ctesiphonem. At ubi persona est adolescentis, et proficiscitur ad villam, et continuo redit. ut in Eunucho Phædria. Et *a villa.* utrum *a* pro *de* positum est? ut sit, *de villa.* an deest *venisse?* ut sit, a villa vidi venisse mercenarium. *Idem.*

3 *Nec quid agam, scio*] Utrum fratrem an filium magis quæram. nam senex querulus tria dicit esse incommoda sibi: quod fratrem non inveniat: quod Ctesipho ruri non sit: quod utrum in urbe maneat, an ad villam abeat, ipse nesciat. *Idem.*

4 *Syre, quid ais*] In melioribus Mss. *quid est?* Faber.

Verum] Modo *verum*, nomen non est: sed adverbium confirmantis, id est, vere. *Donatus.*

Perii] Hæc Ctesiphonis perturbatio huc tendit Poëtæ arte, ut deprehendatur cum amica filius, repente ingresso sene. *Idem.*

Quin tu animo bono es] Nunc *quin*, pro *quinimo* positum est. *Idem.*

5 *Quid hoc (malum) infelicitatis*] Abundat *malum.* Idem.

Quid hoc (malum) infelicitatis] Deest, *deos testor.* Idem.

Quid hoc (malum) infelicitatis] Hic autem *malum*, pro interjectione positum, quasi dicat, *o malum*: et est dictum anxii hominis, et perturbati nimis. *Idem.*

6 *Nisi me credo*] Pro, nisi quia jam superest, ut me credam. hic enim sensus est in hujusmodi locutione, *Nisi me credo huic esse natum rei.* Idem.

Nisi me credo huic esse natum rei] Nova locutio, pro, nisi quia credo. Et *huic rei*, potest subtrahi incolumi sensu: ut, *Ni me credo natum esse ferundis miseris.* Ergo *huic rei*, subdistinguendum: et sic inferendum, *ferundis miseriis.* Ergo *huic rei*, pro, ad hanc rem. *Idem.*

Huic esse natum rei, fer. mis.] *Huic rei, ferendis miseriis*; ἐπεξηγητικῶς, et comice. *Bœclerus.*

7 *Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia*] Ἐπαναφορά. *Donatus.*

Primus sentio mala] Ridiculus error Demeæ. Et *primus*, ad ordinem: *solus*, ad numerum dicitur. *Idem.*

8 *Primus porro obnuntio*] Qui malam rem nuntiat, *obnuntiat*: qui bonam, *annuntiat.* nam proprie *obnuntiare* dicuntur augures, qui aliquid mali ominis scævumque viderint. Ergo, *obnuntio* malum imminens, quasi omen nuntio. inde enim ἐτυμολογία hujusce verbi est. *Idem.*

Obnuntio] Qui bonam rem nuntiat, *annuntiat*: qui malam *obnuntiat*, i. e. contra nuntiat. unde Augures dicebantur *obnuntiare*, ubi aliquid mali ominis scævumque vidissent. Cic. pro Sestio: 'Cum auspiciis religionique parens obnuntiaret.' *Farnabius.*

Ægre solus, si quid sit, fero] Prave scilicet. *Donatus.*

9 *Is solus nescit omnia*] Et bene *solus*, utpote de multis: quia quum sciat Micio, Syrus, Æschinus, Ctesipho, populus, hic solus fallitur. *Id.*

10 *Si forte frater redierit, viso*] Pro, si rediit. *Idem.*

11 *Vide ne ille huc*] Jam metuitur quod futurum est. Et quum neutrum sit, *irruat*, nove intulit *se.* Præterea sic dixit, *irruat*, tanquam de eo qui pugnaturus sit. Ut in Eunucho, 'Quam mox irruimus?' Aut tanquam de sue. Ut Horatius, 'Hac lutulenta ruit sus.' Et Virgilius, 'Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus.' *Idem.*

Huc prorsus se irruat] Neutrum verbum, quasi activum, *se irruat*, posuit. *Idem.*

Etiam taces] Antique pro *tace.* Sic in Andria, 'Etiam tu hoc respondes?' pro *responde?* Est ergo correptionis significatio. *Idem.*

12 *Hodie ego istuc committam tibi*] Quod ago jam: id est, complexum mulieris. *Idem.*

Nunquam hercle hodie ego istuc committam tibi] Notæ Donati nugantur: 'Quod ago,' &c. Sensus patet: Nunquam ego istuc committam tibi, sc. negotium amovendi patris. non audeo tuæ pollicitationi, de amovendo patre credere, adeoque securum me non prius putabo, quam donec in cellam me aliquam conclusero. *Bœclerus.*

13 *Nam me jam in cellam aliquam cum illa concludam*] Id egit stulte adolescens, ut ibi deprehendatur, ubi conclusus est. sed sic ipse egit, ut possit subterfugere, non deprehensus, conspectum patris. *Donatus.*

In cellam aliquam cum illa] Λιτότης figura: dicimus 'in locum,' pro, in loco. 'In cellam concludam,' non *in cella* ait. Et mire; ut reclusum tutumque locum subiret, cellam scilicet, quam ob ea quæ in ipsa celantur, clausum esse conveniat. nam et *cella*, et *cellarium*, a reponendis celandisque rebus esculentis et poculentis dicitur. *Idem.*

14 *Age, tamen ego hunc amovebo*] Mire *amovebo* dixit, non *deterrebo.* nam proprie amovetur saxum de loco. in quo verbo significat, imminere sibi magnum laborem in hoc opere. Et vide αὔξησιν. Supra, 'Ut pecudem abigam hunc rus,' dixit: modo, 'Ut saxum amovebo,' inquit. *Idem.*

Hunc amovebo] Abigam hunc rus. supra act. III. sc. 3. *Farnabius.*

15 *Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest*] Nimis moraliter expressa verba sunt Syri, verberatum se indicantis. quis non ex verbis servum verberatum intelligat? et servum recens verberatum? et servum fugam comminantem? Mire autem, *non ego*, sed *quisquam* dixit. nec *permanere*, sed *durare*; nam hoc verbum perferendis malis convenit. ut Virgilius, 'Durate, et vosmet rebus servate secundis.' Hæc autem omnia sic dixit, quasi non videat Demeam. *Donatus.*

16 *Quot mihi sint domini*] Et hic apparet non a legitimo domino verberatum esse. *Idem.*

Quæ hæc est miseria] Deest *quam patior*, et quasi comploratio quædam est flebilis post querelas. *Idem.*

17 *Quid ille gannit*] *Gannitus* est proprie veluti ploratus vapulantium. *Idem.*

Quid ille gannit] Quid veterator ille conqueritur gannitu? quod vulpium est. Al. *garrit.* Farnabius.

18 *Quid malum*] Et hic *malum*, pro interjectione abundat. *Donatus.*

Quid, malum, bone vir mihi narras] Hujus quoque loci sensum Nannius involvit obscura quadam diligentia. Sensus est: quid, malum, me contumeliæ causa appellas, quid mihi illud tuum, *bone vir*, (*μιμητικῶς*, quo me scilicet irrides et vituperas,) occinis? quasi non satis afflictus, satis miser sim, injuria sc. filii tui. *ἠθικῶς* poëta inducit servum ex alia et recente injuria contumacem. *Bœclerus.*

19 *Ctesipho me pugnis miserum, et istam psaltriam, usque occidit*] Mire interjecit *miserum:* et necessario *usque* addidit: ut ostenderet, *occidit* nimiæ cædis verbum, non occisionis intelligi oportere. *Usque occidit*, prope *occidit.* aut *usque*, pro *valde* est. *Occidit*, pro Vehementer cecidit. Nam *occidere*, et *peroccidere*, ad cædem referebantur apud veteres. *Donatus.*

Usque occidit] Ἰδιωτικῶς. non enim occisus loquitur. *Idem.*

20 *Hem, vide ut discidit labrum*] Non ostendit, sed videtur ostendere seni parum jam videnti, et intra os. *Idem.*

Hem, vide ut discidit labrum] Asper mediam longam a cædendo accipit: ego mediam brevem a scindendo. *Idem.*

Hem vide ut discidit labrum] Difficulter hoc in scena ostendi potest. itaque singularis est improbitatis ac fraudis hæc simulatio, eo sensu, quem Donatus posuit: 'Non ostendit,' &c. *Bœclerus.*

Vide ut discidit labrum] Hæc credo queritur apud luscitiosum aut oculis caligantem senem. *Farnabius.*

21 *Non tu eum rus hinc modo produxe ajebas*] Mire Terentius eos ipsos, qui falluntur, ex aliqua parte cautos facit: ut eo delectabilius spectatoribus procedant doli. nam quæ gratia est aut delectatio, non stultissimum falli? *Donatus.*

Non tu eum rus hic modo produxe ajebas] Memoriter senex non solum quid sibi dixerit Syrus paulo ante, sed quibus verbis dixerit, refert. nam sic dixerat, *quem egomet produxi.* Idem.

Rus hinc modo] Hæc verba præcedenti versui attribuimus, qui est trochaicus catalecticus, ut et hic ipse, qui superest demptis his verbis, si tamen *ajebas* in duas syllabas contrahatur; aliter esset octonarius iambicus. *Faërnus.*

22 *Verum venit post insaniens*] Supra, 'Produxi iratum admodum.' nunc *αὐξητικῶς* non iratum prædicat, sed insanum. *Donatus.*

23 *Nihil pepercit*] Ut supra, 'Nihil reticuit.' sic dicimus in his, quæ præter expectationem gesta sunt. *Idem.*

Verberare hominem senem] Miserum fit de ætate, id quod de conditione non poterat. *Idem.*

24 *Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis*] Addidit ætati invidiam et meritum recens. hoc est enim quod dicit *modo.* Et *tantillum*, *δεικτικὸν* est. videtur enim manu fingere, quam parvulum. *Idem.*

Quem ego modo puerum, &c.] Me bene de ipso meritum etiam ab infante. Penelope de Euryclea: Odys. XXII. Ἣ κεῖνον δύστηνον ἐῢ τρέφεν, ἠδ' ἀτίταλλεν, Δεξαμένη χείρεσσ', ὅτε μιν πρῶτον τέκε μήτηρ. Puerculorum geruli isti veteribus vocabantur *torarii* a *toris.* i. e. ulnis. qui Græcis ὠλενοτρόφοι. Plauto in Milite act. III. sc. 1. ancilla dicitur *geraria.* Farnabius.

25 *Laudo; Ctesipho: patrissas*] Facile inductus est senex varietate fraudis et doli. nam Syrus et supra ut laudans, non ut vituperans Ctesiphonem: et ut nunc accusans, idem perficit atque persuadet. *Donatus.*

Patrissas] Αὔξησις. nam ut supra dixerat, 'Spero, est similis majorum suorum:' hic confirmat quod sperare se dixerat. *Idem.*

Patrissas] Attende quam bene inventum sit, inanem se dicere. nonne videtur ibi stultissimus, cum hujusmodi laude non modo se non laudare velle, quod odiosum est; sed etiam filium apud intelligentes vituperare videatur? siquidem non solum hic stultus, sed etiam ille, quia *patrissas* inquit. *Idem.*

Patrissas] Tam securus est, ut se laudet. Et *abi* addidit: quasi dicat, non est quod jam demorer; perfectus es. *Idem.*

Laudo, Ctesipho] Hic totus versus mire delusum ostendit senem. *Idem.*

Abi, virum te judico] Inquit, non adolescentulum. hoc enim ad ætatem et probitatem, non ad sexum, refertur. *Idem.*

Abi, virum te judico] V. Chrestomath. *τὸ abi*, hic idem est, quod, *age. age, virum te judico.* sicut apud Græcos τὸ ἴθι ὥσπερ τὸ ἄγε interdum usurpari Aristophanis Græcus Scholiastes ad Plutum notat. *Bœclerus.*

26 *Næ ille continebit posthac, si sapiet, manus*] Comminatio est subtilis: et parcior, velut servi. *Donatus.*

Laudas? næ ille posthac, &c.] Observa in hoc et sequentibus versibus illam contumaciam, de qua dixi, in speciem confidentis innocentiæ, cæterum ornandi mimi causa, assumtam. *Bœclerus.*

27 *Perquam*] Nimis. εἰρωνεία. Donatus.

Miseram mulierem] Citharistriam a lenone abreptam. *Farnabius.*

Et me servulum] Oratorie. non *servum*, sed *servulum*, quum sit senex. *Donatus.*

28 *Non audebam*] Non poteram. *Idem.*

Hui! perfortiter] Hoc gestu servili, et nimis leviori personæ congrue dictum est. *Idem.*

29 *Non potuit melius*] Id est, laudo te, Ctesipho: et deest *fieri.* Idem.

Idem sentit quod ego] Id est: patrissas, virum te judico. *Idem.*

Idem quod ego sensit] In lib. Bembi, *sensit.* Melius. *Faber.*

Caput] Autorem. *Farnabius.*

30 *Sed estne frater intus*] Deest *responde:* ut sit, responde. *Donatus.*

Ubi illum quæram cogito] In Bembino est *inveniam.* Faërnus.

31 *Verum hodie nunquam monstrabo*] Volens senem avidius quærere, quod hic ardor semper paratissimus credentes etiam fallit, ei fingit se nolle dicere. *Hodie* autem aut abundat; ut 'Nunquam omnes hodie moriemur inulti;' aut, Numquam hodie, pro, nullo tempore hujus diei. quia *numquam*, per se generale est. *Donatus.*

32 *Diminuetur tibi quidem jam cerebrum*] Comminationis genus verba ipsa indicant: ut appareat senem baculum sustulisse. *Idem.*

At nomen nescio] Flexu quodam, ἐπανόρθωσιν præferente, a contumacia ad obsequium redire se simulat: dolumque ex tempore arripit, quo iterum senem feriat, adeoque, ex consilio primum capto, amoveat hinc atque abigat. *Bœclerus.*

33 *At nomen nescio illius hominis, sed locum novi ubi sit*] Recte: quia si *hominem* diceret, non erat errandum agnita persona hominis: et ubi habitet cognito. si notus esset, nulla causa quærendi superesset. *Donatus.*

Dic ergo locum] *Dic ergo*, quasi invitum coëgerit. *Ergo* semper addimus, ut hortemur tarde quid facientes. ut Virgilius, 'Ergo age, chare pater, cervici imponere nostræ.' *Id.*

34 *Nostin' porticum apud macellum*] Convenit rustico et parcissimo seni

macellum in urbe nescire. et ideo sic interrogatur a servo. *Idem.*

Nostin' porticum, &c.] Perplexa atque intricata loci descriptio, quo deludat senem. *Farnabius.*

Hanc deorsum] Bene *hanc deorsum,* quia non est una. *Donatus.*

Quidni norim] Correptive, *quidni?* pro *quid nisi?* Etenim quamvis rusticus, tamen est civis Demea. *Idem.*

35 *Hac recta*] Proprie, hac parte: ut manu viam ostendere videatur. *Idem.*

Ubi eo veneris, clivos deorsum versus est: hac te præcipitato] Hoc lentius. quidam clarius legunt: ut sit, *præcipitato,* cito descende. *Idem.*

Hæc præcipitato] Ex ambiguo. vel, propere descende, vel præcipitem te dato. *Farnabius.*

37 *Ad hanc manum*] Τῶν πρὸς τὶ προσῆκον dicitur, in quo non permanet certum dextrum, nec certum sinistrum: et ideo proficit in errorem. vult enim servus hæc signa esse perplexa. *Donatus.*

Est sacellum] Ut Varro ait, 'Sacra cella est.' *Idem.*

Propter] Prope. ut Virgilius, 'Templum de marmore ponam Propter aquam.' Et Lucretius, 'Propter aquæ rivum sub ramis arboris altæ.' *Idem.*

38 *Ubi etiam caprificus magna est*] In hoc Homerum imitatus est, qui dicit caprificum prope Trojana mœnia constitutam. *Idem.*

Hac pergito] Non *ito:* sed quia longum est, *pergito.* Idem.

39 *Id quidem angiportum*] Id est, angusta et curva via: quasi *anguiportus:* ut *angitia,* aut *anguitia.* Alii, quod inter portus sit locus angustus, hoc est, inter domos. Nam *domos,* vel *portus,* vel *insulas* veteres dixerunt. Et observa Terentianam consuetudinem, in qua inducit non nihil sapere eos qui falluntur. *Idem.*

40 *Censen' hominem me esse? erravi*] Calliditas est maxima, deprehensum mendacium non defendere, sed fateri: ut opinionem simplicitatis acquirat. Vides igitur ut ipse sibi succenseat, tanquam imprudens erraverit, non dolosus impulerit interrogantem. Et mire se negat hominem: tanquam homo corde sit, non corpore. *Idem.*

Censen' hominem me esse] Non audio hic corrigentem. bona est lectio: et Donati interpretatio. censesne, me hominem esse, i. e. apud me esse, mentis compotem esse? quasi qui insanire occiperet ex injuria. Vide Chrestomath. *Bæclerus.*

Censen' hominem me esse] Epanorthosis, quasi errantis. Humanum est errare. *Farnabius.*

In porticum rursum redi] Romæ in singulis regionibus aliquot erant porticus, ubi, ad imbres subitos evitandos, aut in umbra ad cavendos solis ardores, deambularent. *Idem.*

41 *Sane hac multo propius ibis*] Quasi errasse profuerit illa via. et *sane,* pro satis ac valde: quia qui sanus est, idem et validus. *Donatus.*

Minor est erratio] *Erratio* est pecudum: *error* animi est, et loci in quo erratur. *Idem.*

42 *Cratini hujus ditis ædes*] Congrue nomen invenit diviti. Cratinus, ἀπὸ τοῦ κράτους, id est a potentia. *Idem.*

43 *Ad sinistram hac*] Deest *ito:* figura ἔλλειψις. *Idem.*

Ubi ad Dianæ veneris] Sic absolute dicebant, non addito *templo.* Sallustius, 'Ad Jovis mandem nostra.' *Idem.*

44 *Prius, quam ad portam venias*] *Portam* dicendo, ostendit usque ad muros finemque civitatis erraturum Demeam. *Porta* autem ab aratro portando dicta est, quod in eo loco coloniæ deductor et conditor, subjunctis vacca et tauro, aratrum, quo urbem designat, suspendit manu, ne imprimat sulcos, ubi civitatis aditus relinquendi sunt. *Idem.*

Apud ipsum lacum] Credibiliter addidit *lacum.* Nam Varro docet, semper lacum portis additum: scilicet ob usum jumentorum exeuntium: et præterea ut adversum hostilem ignem portis de proximo subveniretur. *Idem.*

45 *Est pistrilla*] Veteres absolute dicebant *pistrinam,* ut *sutrinam,* et *medicinam,* ad tabernam referentes: nam pistrino pistrilla non convenit. Et simulata diminutiva diversa sunt a genere nominum primæ positionis: ut Rana, ranunculus, veterana: scutum, scutella: canis, canicula. *Idem.*

46 *Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit*] In urbe convivium, aut in sole, aut in umbra, pro conditione temporis instruebatur. Repente igitur interrogatus, quod minime opinabatur quæsiturum senem, arripuit statim lectulos. Et quia potuit senex dicere, *mentiris:* nam habet lectulos: addidit ex tempore, *in sole.* Et ne eos quoque habere diceret, addidit, *ilignis pedibus faciundos.* Sed hoc gestu actoris adjutum est: quasi eodem tempore servus et quærat quid dicat, et respondeat. *Donatus.*

Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit] Hic, inquit Turnebus, l. xx. c. 33. aqua hæret: videtur curasse ex ilice quasi ligno solidissimo faciundos pedes lectulorum in quibus apricari senes in ἡλιοκαίαις solebant, vel etiam sub sole et dio cœnare. *Farnabius.*

47 *Ubi potetis vos*] Incerta persona est: nam Syro vel Demeæ hoc dictum jungi potest. *Donatus.*

Bene sane] Hic εἰρωνεία est, non approbatio. *Idem.*

48 *I sane*] Aut abundat *sane,* aut inferioribus jungitur. *Idem.*

Silicernium] Cœna quæ infertur Diis manibus, quod eam silentes cernant, id est, umbræ possideant: vel quod qui hæc inferant, cernant tantum, neque degustent. Nam de his quæ libantur inferis, quisquis comederit, aut biberit, funestatur. Aut erit *silicernium* senex, qui jam jamque silentibus umbrisque cernendus sit: et sic est melius, quam ut quidam Xenophonta interpretantes putant, sic nos *silicernium* intelligere, hoc est, silicem cernentem senem, dum incurvus est, vel stratæ saxo viæ intentus, vel sarcophagi jam jam appropinquantis sibi. *Idem.*

Silicernium] Silicernium est cœna funebris, quæ apparabatur, circa silicem. i. e. sepulcrum mortui. Salmasius. Ut ergastulus dictus qui in ergastulo opus exercebat; ita silicernius, qui dignus erat cui silicernium apponeretur: inquit Scal. ad Festum. Imo quid obstat quo minus ipsi senes dicantur silicernia, ut ministeria et servitia, pro ministris et servis. mutari numerum licentia permittet Comica. *Farnabius.*

49 *Æschinus odiose cessat: prandium corrumpitur*] 'Ασύνδετον. deest *et.* Donatus.

Prandium corrumpitur] Ut coquus dixit: qui sciat conditionem quandam magis ferventem placere. *Idem.*

50 *Ctesipho autem in amore est totus*] Non potuit plus dici de incondita ac nimia voluptate. *Idem.*

Ego jam prospiciam mihi] *Jam,* interdum significat festinationem, ut nunc. Interdum ad describendum ponitur, et increpandam moram. Ut, 'Jam melior, jam diva precor.' Et: 'Vos quoque Pergameæ jam fas est parcere genti, Diique deæque omnes.' Et *prospiciam mihi* dixit, tanquam hoc sentiat, illi sua agunt negotia, et ego illorum exemplo consulam mihi. Et bene *prospiciam:* quasi non pransurus, nisi providero mihi. *Idem.*

51 *Atque unumquidquid*] Plautus hac voce utitur Trinummo IV. 2. 40. 'Sin unumquidquid singillatim et placide percunctabere.' *Bæclerus.*

Bellissimum] Proprie *bellissimum* dixit. unde et hujusmodi ad irritandam gulam cibi *bellaria* dicuntur. *Donatus.*

52 *Carpam*] Modo *eligam.* Alias *lædam* significat; ut, 'Carpit enim

vires paulatim, uritque videndo Fœmina.' Alias Fruar: ut, 'Carpamus dum mane novum, dum flumina crescunt.' Et Persius, 'Genio carpamus dulcia.' id est, fruamur rebus dulcibus. *Idem.*

Paulatim hunc producam diem] Bono verbo usus est ad metaphoram, tanquam morientis diei. Ut est, 'Nec te tua funera mater Produxi, pressive oculos.' *Idem.*

SCENA III. Iambici sunt octonarii acatalect. vs. 3. Mss. duo: *nisi me in illo, &c.* vs. 5. duo: *id quia a me non est factum.* vs. 6. duo: *aliter quam es.* Bœclerus.

1 *Ego in hac re nihil reperio quamobrem lauder*] *Hæc scena est plena sententiarum senilium ad officia demonstranda.* Et *tantopere* vim adverbialem in se continet; nam significat nimis. *Donatus.*

Ego in hac re, &c] Ut in Andria, II. 1. 30. 'Ego, Charine, neutiquam officium liberi esse hominis puto, Quum is nihil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi.' Plautus in Trinummo v. 2. 5. simili sententia: 'Non videor meruisse laudem, culpa caruisse arbitror.' Pergit autem Micio γνωμολογεῖν, ut et Hegio, per totam scenam. Senilis oratio sententias amat, præsertim de officiis. volunt enim officiorum et periti et amantes videri senes. *Bœclerus.*

2 *Quod peccatum a nobis ortum est, corrigo*] Si diceret, *Peccatum est a nobis*, participium fuisset. nunc quia *ortum* addidit, nomen est. numquam enim eadem pars orationis jungi, nisi per ἀσύνδετον potest. *Donatus.*

Qui ita putant, &c.] Injuriosorum notat iniquitatem, qui ferre nolunt expostulantem injuriam, sed ultro accusant; putantque injuriam sibi fieri ultro, si tu expostules. *Farnabius.*

4 *Sibi fieri injuriam, ultro si quam fecere ipsi, expostulant*] G. Faërnus ex lib. Bembi, *expostules.* Optime quidem; sed tamen vulgatam esse veram puto. *Faber.*

Si, quam fecere, ipsi expostulant] Hic distingue: et separatim infer, *ipsi expostulant.* Donatus.

Si quam fecère, ipsi expostulant] Sensus est manifestus: sed obscura sunt verba; et eorum collocatio et distinctio. nam incertum, utrum *si expostulant* intelligendum sit: an *siquam* pro una parte orationis accipi oporteat. *Idem.*

5 *Ultro accusant*] *Ultro*, nunc prave et perverse. *Idem.*

Id quia non est a me factum] Hæc interrogatio quasi subtristi vultu est proferenda. *Idem.*

6 *Ah, minime*] Non 'Minime ago:' sed, 'Minime te credo esse illorum in numero.' *Idem.*

7 *Quæso ut una mecum*] Servavit τὸ πρέπον, adjiciendo, *una mecum eas:* quippe ad incognitam matremfamilias. *Idem.*

8 *Tute dicas mulieri*] In nomine ostendit, cur hæc ipse dicat. Mulieri enim, inquit, nimis pavidæ ac diffidenti. *Idem.*

9 *Suspicionem hanc propter fratrem ejus esse*] Nimis breviter ac succincte, et ut oportuit inter scientes. *Idem.*

Et illam psaltriam] Propter fratrem ejus esse, subaudiendum est. *Idem.*

10 *Si ita æquum censes*] A justo et utili est tota sententia. Et sane hi versus desunt, quos multa exemplaria non habent. *Idem.*

11 *Nam et illi animum jam relevabis*] Et deinceps *illi* maluit dicere, quam *nurui*, adhuc divitem reveritus. *Idem.*

Dolore ac miseria] *Dolore*, parturientis: *miseria*, injuria ab Æschino accepta. *Idem.*

Ac miseria] Menander, IV. Πολλῶν φύσει τοῖς πᾶσιν αἰτία κακῶν Λύπη, διὰ λύπης καὶ μανία γὰρ γίνεται. Πολλοῖσι γὰρ νοσήματ' οὐκ ἰάσιμα, Αὐτούς τ' ἀνῃρήκασι διὰ λύπην τινές. Adi Plautum Aululariæ act. II. sc. 2. *Farnabius.*

12 *Sed si aliter putas*] Artificiose, remittendo quod petebat, extorsit magis. *Donatus.*

13 *Imo ego ibo*] Hoc adverbio, quod ait *imo*, ostendit se prompte agere, et instanter, quod promisit. *Idem.*

14 *Minus secundæ*] Dicere sic maluit, ne *miseræ* diceret. *Idem.*

Nescio quo modo] Hoc est, vehementia, nulla palam ratione. *Idem.*

15 *Accipiunt magis*] Mire additum *magis:* quum possit sensus et sine hoc esse integer. *Idem.*

16 *Propter suam impotentiam*] Infirmitatem. Et rursus noluit humilitatem aut miseriam dicere. *Idem.*

Negligi] Legitur et *claudere* et *claudicare.* Idem.

Propter suam impotentiam se semper credunt neglegi] Vide Faërnum p. 135. Profecto e vestigiis veterum librorum, et ex Donato, legendum est *calvier*, id est *calvi*, id est *decipi.* Verbum vetus est, sed temporibus Terentii, Scipionis, et Lælii usitatissimum. *Faber.*

Propter suam impotentiam se semper credunt negligi] *Negligi*, quæ recentior lectio est, negotio, quo de agitur, non convenit; non enim dicit Hegio Micioni, i tu ad Sostratam, et Æschinum illi purga, nuptiasque confirma, ne se putet a te neglectam, si per alium hoc feceris: non inquam hoc dicit. nam *negligi* sane, et admodum leve esset, et pauperibus ac miseris, cujusmodi erat Sostrata, usitatissimum, quorum fortuna adeo palam cunctis neglectui est, ut negligi se non credant, sed pro certo sciant, perspicueque videant: sed hoc significare vult Hegio: si ego Sostratam tuo nomine convenirem, ut Æschinum ei purgarem, et nuptias confirmarem, illa, quæ non eam profecto fidem mihi tuo nomine nuntianti haberet, ac tibi ipsi, decipi se, sibique verba dari arbitraretur: 'Omnes enim quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quomodo suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:' quam tu illi suspicionem dempseris, præsens præsentem alloquendo. Hæc contra recentiorem lectionem; vetustam vero, id est, *claudier*, quod est in libro Bembino, ad quod et Donatus alludit, omnes vident ad sensum poëtæ non quadrare. quare in eam conjecturam venimus, ut pro *claudier*, unius tantum litteræ, id est *d*, detractione, et unius item litteræ transpositione, ut pro *cla*, *cal* scribatur, legendum arbitremur, *calvier*, qui est infinitivus modus verbi calvo, quod aliquando passivum invenitur apud auctores, et pro, decipi, accipitur, ita exponente Prisciano. aliquando deponens, et pro frustrari exponitur a Pompeio Festo, item a Caio jureconsulto Cap. Si calvitur, De verborum significatione. Exempla vero usurpati hujus vocabuli ab auctoribus hæc, ex Festo exscripta, subjeci, ex leg. XII. tabularum: 'Si calvitur, pedemve struit, manum endojacito.' Plautus: 'Nam ubi domi sola sum, Sopor manus calvitur.' Pacuvius in Medo: 'Sentio pater te vocis calvi similitudine. Sed quid conspicio? num me lactans calvitur ætas? Sed memet calvor: vos istum jussi ocyus abstrahite.' Lucilius Satyrarum libro XXVIII. 'Si non it, capito, inquit, eum: et si calvitur ergo Fur dominum.' Pacuvius in Duloreste: 'Me calvitur suspicio, hoc est quod fore occulte Ajax prædixit.' Sallustius Historiarum libro tertio: 'Contra ille calvi ratus.' Sane, quæ supra adduximus verba ex XII. tabulis, ita intelligi debent; *si calvitur*, active accipiendum, id est, si frustratur, et subaudiendum putamus, debitor, vel quid tale; 'Pedemve struit,' id est fugit: ita enim exponitur a Ser. Sulpicio; 'Manum endojacito,' pro manum injicito: antiqui enim, teste eodem Festo, *endo* pro *in* ponebant; unde *endoitium*, pro initium: *endoploro* pro imploro; 'Endo procinctu' pro

in procinctu. est ergo sensus: si debitor frustratur, aut fugit, manum injicito. *Faërnus.*

Propter suam impotentiam se semper cr.] Hinc, 'Minoribus major æmulandi cura,' apud Tacitum H. IV. 48. Gabriel Faërnus pro *negligi τὸ calvier* magno conatu hic inseruit, præter id quod res postulabat. *Bœclerus.*

17 *Quapropter te ipsum purgare*] Utrum *te ipsum* una pars orationis sit? an divise accipiendum? ut sit, *te* Micionem, *ipsum* Æschinum *purgare.* *Donatus.*

Coram, placabilius est] *Coram*, id est, præsentem, et coram præsentibus. et *coram* indiget adjectione: *palam* non indiget. Et præterea *coram*, ad cæteras personas refertur; *palam*, generaliter dicitur. *Idem.*

18 *Et recte, et verum dicis*] *Recte*, ad verba retulit: *verum*, ad rem atque sententiam. Potest enim recte et falsum dici, dummodo nullo vitio verborum nominumque dicatur, quanquam et ipsum fallere in tempore, quidam, de officiis scribentes, rectum putent. *Idem.*

SCENA IV. Satura est hæc Scena: ex octonariis mistis, ac Iambicis; et septenariis, unoque et altero dimetro. v. Faërn. et Guyet. et Fr. Fabric. vs. 2. duo Mss. *nec quid agam.* vs. 4. omnes: *nihil consilii quid potest.* vs. 5. duo: *ex hac expediam me turba.* vss. 7. 8. omnes ut ed. vs. 9. omnes: *ubi vidi eam.* vs. 12. duo: *satis diu dedisti verba nobis.* omnes: *satis adhuc tua, &c.* vs. 14. duo, *reprehendi*, unus, *repressi.* vs. 16. omnes, ut edidimus. vs. 19. duo: *ipse ego solvi arg.* omnes: *a me abducta est d.* vs. 21. omnes: *ut erat gesta* cetera ut edid. vs. 22. omnes: *cessatum usque adhuc est.* vs. 23. duo: *nunc hoc est primum:* unus: *ad illam ibo.* vs. 24. duo, ut edidimus. unus: *fores miser.* Bœcl.

Discrucior animi] *Hoc loco χαρακτῆρα amantis modice juvenis, et senis facit indulgentis, ac lepidissimi patris.* Donatus.

1 *Discrucior animi*] 'Ανταπόδοσις figura, ut, 'O præstans animi.' *Idem.*

Discrucior animi] Primi hujus scænæ versus sane difficiles sunt: tres tamen in principio sitos, trochaicos catalecticos esse manifestum est. quorum primus dactylum habet in quinta sede, correpta ultima syllaba adverbii *deimproviso;* tertius vero in sexta sede trochæum, non facta synalœpha in *timore;* iambum vero in septima, duabus ultimis syllabis dictionis *obstipuit* in unam contractis. quartus iambicus trimeter scazon. quintus iambicus dimeter hypercatalecticus. sextus trochaicus tetrameter acatalecticus, habens in penultima sede anapæstum, non faciendo collisionem in, *neque ea.* septimus cujus sit generis, aliis judicandum relinquo. octavus dimeter iambicus brachycatalecticus. Sed verius est hos omnes versus, præter duos primos, esse generis ejus, quod confusum vocavimus. *Faërnus.*

Discrucior animi, &c.] Donatus: 'Hoc loco,' &c. Legendum est citra dubitationem, *immodice* pro *modice.* Res ita postulat: neque de adolescente ejusmodi comico, matrimonium amicæ pollicito, ἐν ἤθει diceretur, quod modice amet. et Donatus ipse vs. 24. illa verba, 'Horresco semper,' &c. comparat cum loco Eunuchi; 'Totus, Parmeno, tremo horreoque postquam aspexi hanc.' quæ profecto non modici sunt amoris. *Bœclerus.*

Animi] Constructio Græca, partis affectæ: vide Grammaticam nostram, reg. 47. Syntaxeos. *Farnabius.*

Hoccine de improviso mali] Hæc verba repentino nuntio perculsum indicant Æschinum propter divortium stare: et iram circa se Sostratæ, et ejus filiæ ob raptum meretricis. *Donatus.*

Objici] Proprie; quia inopinanti. Nam *objici* dicitur in utramque partem: ut si quos ante quis videt, quam

expectaverit. quo verbo magnitudo doloris ostenditur ex improviso incommodo. *Idem.*

2 *Ut neque quid me faciam*] Plus est, *quid me faciam:* quam, *quid faciam.* Illud enim de rebus: hoc, de ipso homine intelligitur. *Idem.*

Nec quid agam, certum siet] *Certum siet*, pro *certum sit.* nisi forte, 'ut,' *quam* significet. *Idem.*

3 *Membra metu debilia sunt, animus timore obstipuit*] Metu patris: timore divortii. *Idem.*

4 *Pectore*] Agel. l. XIX. c. 1. 'Visa animi, quas φαντασίας appellant Philosophi, non voluntatis sunt neque arbitrii, sed vi quadam sua inserunt sese hominibus, adeoque motibus quibusdam rapidis tollunt mentem de cardine, atque officium rationis vertunt.' *Farnabius.*

Quomodo me ex hac exped. turba] Quam describit, et secum ipse conqueritur. culpæ, quam agnoscit, partim obtentui fuit officium in fratrem, (cui succurrendum fuisse, ne res in eum locum rediret, ut si omnes cuperent nihil ei possent auxiliarier, supra ostendit,) partim pudor patris, qui cunctationem et diversa consilia attulit. *Bœclerus.*

5 *Num suspicio*] Modo ostenditur causa trepidationis Æschini. *Donat.*

7 *Id anus mihi indicium fecit*] Illa anus cui Sostrata dixerat, 'Curre, obstetricem accerse.' *Idem.*

Anus] Canthara. *Farnabius.*

8 *Nam ut hinc forte eo ad obstetricem erat missa*] Apparet, inter cetera anum dixisse, ad obstetricem se missam: an ultro hæc suspicatus est Æschinus? *hinc* autem addendo, ostendit se ante fores Sostratæ stare. ut alibi, 'Ex Andro commigravit huc viciniæ.' *Donatus.*

8. 9. 10 *Ut hinc forte ad obstetricem erat missa, &c.*] Donatus: 'Apparet inter,' &c. Hoc posterius tantum locum habet. nam si prius illud sumas, perierit omnis gratia et vis, et nexus illius orationis: 'Illa exclamat, abi abi jam,' &c. quis enim non videt, hæc ad primam interrogationem et pæne conspectum Æschini; abrupte, et ἐμπαθῶς ingeri? nec postea multum addidisse anum, præterquam ejusdem reprehensionis vocabula: abrupta itidem clausula ostendit: 'Valeas, habeas illam quæ placet.' sed nec rei nec personæ convenit familiarius post hæc jurgia colloquium. Sciebat Æschinus tempus propinquæ partitudinis, et in id animo intentus erat; viam quoque ad obstetricis domum ducentem institisse anum videbat. non aliud ergo affectus et ratio subjecit, quod quæreret potius ex illa. quæ cum ad hoc quidem nihil responderet, crimina autem objiceret, ac se corriperet porro ad domum obstetricis irata dolensque, ex re præsenti utique cognoscere, quid ageretur, Æschinus potuit. *Bœclerus.*

Ubi eam vidi] Sunt qui addunt supervacue *hanc:* et legunt, *hanc ubi vidi.* Donatus.

9 *Pamphila quid agat: jam partus adsiet*] Amatoria interrogatio, qua monstrat Æschinus curæ sibi esse res omnes. *Idem.*

10 *Illa exclamat*] Non *respondet*, sed *exclamat.* Et bene vim addidit ad exclamationem fuisse. Ergo a vocis sono exclamat, non a verbis. *Id.*

Abi, abi jam Æschine: satis diu verba dedisti nobis] Usque dum intelligeremus. *Idem.*

11 *Sat adhuc tua nos frustrata est fides*] Usque dum deciperetur. *Idem.*

12 *Hem, quid istuc obsecro inquam est*] *Hem*, interjectio est novas res et inopinatas audientis. *Idem.*

Valeas: habeas illam] Quasi recedat et longe absit. ut in Andria; 'Valeant qui inter nos dissidium volunt.' *Idem.*

14 *Garrulæ*] Utpote anus. *Idem.*

Garrulæ, &c.] Taceri quod vis nemini dicas. ne mulieri quidem, cui si quid narraveris, hoc erit quod ait An-

tiphanes, πᾶσι τοῖς κήρυξιν ἐν ἀγορᾷ φράσαι. *Farnabius.*

Ac fieret palam] Demeæ scilicet, cui minime opus fuit. *Donatus.*

15 *Nunc quid faciam*] Figura διαπόρησις. *Idem.*

16 *Age mitto*] Liber Victorianus *amitto.* Bembinus *ac mitto,* ut et in Phormione: 'Ac mitto imperium.' *Faërnus.*

Ut ne qua exeat] Erumpat. ut, 'Quum spumeus amnis Exiit, oppositasque evicit gurgite moles.' *Donatus.*

17 *Ipsum id metuo ut credant*] *Ipsum,* quod fratri rapui. et *ut,* pro *ne non* posuit. *Idem.*

Tot concurrunt verisimilia] Ut mea esse credatur. *Idem.*

18 *Ad me abducta est domum*] Proprie, non dixit *adducta,* sed *abducta: abducitur* enim alienum: ut in Heautontimorumeno, 'Abducimus tuam Bacchidem.' *Ad me* autem *domum,* moraliter dixit, pro *ad domum meam.* An ideo *ad me,* quia et illic luctatus Leno est in retinenda contra Æschinum puella? *Idem.*

19 *Patri*] Mitioni. *Farnabius.*

20 *Ut ut erat gesta, indicasse*] Id est, sive male, sive bene gesta erat: *ut* enim certam qualitatem significat: *ut ut* incertam: quasi dicat, Quoquo modo, male, bene. *Donatus.*

Exorassem ut eam ducerem] Sic enim promiserat se Sostratæ facturum. *Idem.*

21 *Nunc porro Æschine expergiscere*] Sic et alibi, 'Enimvero Dave; nihil loci est segnitiæ, neque socordiæ.' Legitur et *jam:* quod est correptivum interdum. *Idem.*

22 *Nunc hoc primum*] *Primum,* ab eo quod rogandus est pater. *Idem.*

Accedam ad fores] Sostratæ scilicet. *Idem.*

Nunc hoc primum est. ad illas ibo ut purgem me, accedam ad fores. Perii, horresco semper, ubi fores pultare hasce occipio miser] Sunt Trochaici, et res certa est. Itaque vere, et ut ingenioso Italo dignum est, Ubaldinus Bandinellus legebat olim, in secundo versu, *Perii, horresco semper, ubi pultare hasce occipio miser.* at *fores* debet repeti e versu superiori. *Faber.*

23 *Horresco semper*] Satis amatorie. nam nimium semper est calor, et frigus recedit a corpore. ut, 'Totus Parmeno tremo horreoque, postquam aspexi hanc.' *Idem.*

Horresco semper ubi] Donati nota habet ea, quæ stare non possunt. quis enim horroris causam ad nimium calorem referat? itaque vitium loci manifestum est. Cur horrescat autem Æschinus fores pultans, hinc repetendum est: suberat hactenus perpetua solicitudo, et hinc cunctatio, de qua præcessit, quomodo res posset aperiri patri, et illius auctoritas nuptiis adhiberi. id enim, sicut necessarium erat, ita pudor et metus quidam Æschini differebat; quod ἐκ τοῦ ἤθους sumtum pars οἰκονομίας fit; ut adolescentes Comici non prius fere suum peccatum, et obligatam vitiatæ fidem parentibus aperiant, quam ubi res ipsa se prodit; aut casu aliquo manifestatur. hinc enim turbarum causæ, et series: tandemque solvendi erroris occasio. Accedebat in Æschino, ad priorem causam, nova hæc ex suspicione mulierum perturbatio. utrimque ergo miser horrescit. *Bœclerus.*

Horresco semper] Plaut. Captivis act. I. sc. 1. 'Quæ ædes lamentariæ mihi sunt, quas quotiescunque conspicio, fleo.' *Farnabius.*

24 *Aperite aliquis actutum ostium*] Vim pluralem habet *aliquis,* quamvis singulariter dicatur: non est enim *aliquis,* nisi de multis. recte ergo *aperite aliquis,* et nove. nam non placet illud, ubi duæ distinctiones sunt: unde *aperite* est una, altera *aliquis.* Donatus.

Aperite aliquis actutum ostium] H. e. aliquis e vobis aperiat. Synthesis, vel Σύνθεσις. Plaut. Epidic. act. III. sc. 3. 'Exite huc aliquis.' *Farnabius.*

Actutum ostium] Ut assumatur rursus, *aperiat.* proprie enim veteres et *quis,* et *aliquis,* et *quisquam,* non observabant quo genere, aut quo numero declinarent. Est ergo figura ἀρχαϊσμός. *Donatus.*

Scena v. Trochaicis tetrametris catalect. et Iambicis tetram. acatal. ac Senariis constat. vs. 2. Mss. nostri omnes: *facito.* et: *hæc acta sunt.* vs. 3. omnes: *pulsavit.* vs. 6. omnes: *ipse mihi.* vs. 12. duo: *quid?* Mi. *tibi dicam.* vs. 14. omnes, ut ed. nisi quod pro *certo* habent *certe.* vs. 20. omnes: *hem, ut virginem s.* duo: *advehat,* ut et vs. præc. vs. 22. unus: *quid ipsæ aiunt:* duo: *quid istas censes.* vs. 28. omnes; ut ed. vs. 30. duo: *immisericorditer* sine copula. vs. 32. omnes: *qui cum illa consuevit prius.* vs. 33. duo: *amet.* vs. 36. duo: *quis despondit, et quis dedit?* vss. 43. 44. unus: *sed quid Æschine nobis cum illis?* vs. 47. omnes: *o mi pater.* vs. 48. unus omittit prius *me.* alter posterius mutat in *te.* vs. 55. duo omittunt posterius *nunquid.* et pro *tute* alter *tum* habet. vs. 60. omnes, ut ed. vs. 65. omnes, *uxorem ut accersas,* et vs. 66. *potes.* vs. 68. Argent. *quid ubi ille?* omisso *Miles.* unus meorum: *quid, ubi est Milesius?* duo: *ne mora.* Bœclerus.

1 *Ita uti dixi, Sostrata facite*] Hic apparet Micionem jam multa dixisse. *Donatus.*

Ita ut dixi Sostrata] Videtur elidendum t, ex *ut,* quemadmodum infra primo versu scenæ tertiæ actus quinti. *Faërnus.*

Ita uti dixi Sostr.] Ex Donati annotatione ad initium scenæ præcedentis, colligas hanc non separatam esse scenam. est tamen idonea distinguendi ratio. *Bœclerus.*

2 *Facite*] Jubet vel securæ sint, vel adornent nuptias. *Donatus.*

Ego Æschinum conveniam] Mire, occursurus Æschino, Æschinum quærit. *Idem.*

Ut quomodo acta hæc sunt, sciat] Sc. quod auctor his nuptiis factus sim, quod velim hodie apparari nuptias, eaque de re vobiscum omnia transegerim, &c. *Bœclerus.*

3 *Pater hercle est*] Quid est hoc, quod Micio timetur? an quia illi non est confessus? Ostendit autem Poëta, tantundem pudorem posse, aut amplius, quam timorem. *Donatus.*

4 *Quid huic hic negotii est*] Alius timor, quod hinc egreditur pater. *Idem.*

Tune has pepulisti fores] Sic cœpit interrogare, ut negationi locum præbeat. Et nota *pepulisti,* elatum verbum: et tragico cothurno magis quam loquelæ comicæ accommodatur. *Idem.*

Tacet] Hoc apud se loquitur Micio. *Idem.*

5 *Tacet. cur non ludo*] Et hic quoque ex *tacet* videtur elidendum t ultimum: ut sit anapæstus in prima. *Faërnus.*

Tacet] Conscii subito deprehensi, et ex improviso rogati tacent. Diphilus. Ἡ σύνεσις αὐτοὺς δειλοτάτους εἶναι ποιεῖ. *Farnabius.*

Cur non ludo hunc aliq.] Spectatoribus indicat suum consilium Micio; imo, Poëta. cujus ingenium egregie hic elucet. Pater, qualis Micio erat, objurgare non potuit filium: ergo deridet, sive deludit. non acerbo illo irrisionis genere, quod omni objurgatione et castigatione gravius est, sed lenissimo ac lepidissimo, et quasi ad hoc facto εἰρωνείας commento. in quo explicando egregiam sane operam Donatus navat. *Bœclerus.*

Melius est] Et non, *ludere bonum est:* sed *melius.* et hoc meliore affectu dixit, quam si diceret, *dignus est.* Donatus.

6 *Hoc nunquam mihi ipse voluit credere*] Contra illud, quod ait, 'Postremo alii clanculum Patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia, Ea ne me celet, consuefeci filium.' *Credere*

autem magno affectu dixit. non enim confitetur, ut patri: sed crederet, ut parenti aut sodali suo. *Idem.*

7 *Non equidem istas*] Deest, *pulsavi.* Idem.

Quam sciam] Quantum scio. *Donatus.*

8 *Ita? nam mirabar quid hic negotii esset tibi*] Accepit negationem Micio, ut ludere Æschinum possit. *Idem.*

9 *Erubuit: salva res est*] Nimis paterna sententia. et e contrario Simo in Andria, 'Vide, num ejus color pudoris signum usquam indicat?' Et quanti affectus est, non dixisse 'erubuit; salvus est;' sed, 'salva res est?' Nonne videtur tibi res ejus omnis in Æschino constituta? eodem animo et supra dixit, 'In eo me oblecto, solum id est charum mihi.' Non enim solum intulit quod exspectabatur: sed absolute, quasi ex omnibus solum id est, inquit. *Idem.*

Erubuit] Menander 'Ομοπατρίοις· 'Ερυθριῶν πᾶς χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ. Verecundus iste color in adolescentiore ætate tinctura est virtutis. Est quippe αἰσχύνη φόβος δικαίου ψόγου. in senibus sceleris indicium. Aristot. Magn. Moral. lib. I. c. 29. et Problem. *Farnabius.*

10 *Nihil mihi quidem*] 'Mihi,' id est, meæ propriæ rei. Et callida negatione cœpit: ut et illi adimat confitendi locum ac fiduciam: simulque fiat ei desperatio ducendæ ejus, cujus mentio tam contemptim ab ipso tractatur. *Donatus.*

11 *Amicus quidam me a foro abduxit modo huc advocatum sibi*] Hinc incipit mendacium, mistum vero. nam 'Amicus quidam me a foro huc,' verum est: 'advocatum,' falsum. Sed 'huc' et 'quidam,' modo ἔμφασιν habent levis negotii, et in quo nec magnæ personæ, nec res difficilis operæ aut longæ occupationis habentur. Et 'advocatum' dicendo, alienum negotium demonstravit: nam et 'sibi' non vacat. si enim 'mulieribus' addidisset, potuit aliud sperari. *Idem.*

12 *Quam*] Deest 'ait:' ut sit, *quid ait? Ego dicam tibi.* Senile est. nam id jam dicendum fuit, et hoc ἔμφασιν habet vilis rei, quæ vel facile dici possit, vel non cœlanda sit. *Idem.*

Ego dicam tibi] 'Senile,' &c. inquit Donatus. Pæne ego hic non ad Terentii, sed ad interpretis verba dicerem: ineptum est. nam id hic dicendum non fuit. Nihil hic senile, nihil ad moras aut ambages pertinens. Sed παρασκευὴ actuosa, scenæ usitata, nec ab elegantiis Latinis aliena. Si qua κρίσις hic locum habet, hoc dices voluisse Micionem, ut serio et studio agere videretur, adeoque etiam, ad voluntatem Æschini, officiose. nisi forte putabis, id quoque senile esse, cum, interrogante Pamphilo, 'quid igitur sibi vult pater, cur simulat?' Davus respondet: 'ego dicam tibi.' Andr. II. 3. 1. ne alia nunc loca, in re manifesta, afferamus. *Bœclerus.*

13 *Mulieres pauperculæ*] Non potuit magis celare dignitatem formæ et ætatis puellæ, quæ amatur ab Æschino, quam ut eam primo eodem nomine cum matre nominaret: deinde communiter diceret de ambabus universa, quibus contemni debeant. *Donatus.*

Quædam mulieres pauperculæ] 'Pauperculæ' addidit, ut magis desperet Æschinus impetrari posse has nuptias a patre. Et item 'quædam:' ut ignobiles demonstrarentur. Et totum hoc cum abjectione pronuntiandum est. 'Quædam' et 'pauperculæ' dicendo, adimit omnem spem nuptiarum: nam 'quædam' ignobilem indicat: 'pauper,' indotatam. Quid ergo remanet quod speret Æschinus? *Idem.*

Pauperculæ] Nec pauperes saltem. *Idem.*

Habitant hic quædam, &c.] Veluti altius repetiturus orditur, et expectationem arte dispensat: ignotas paulatim in notitiam deducens: 'virgo est cum matre.' itemque: 'hæc virgo orba est patre.' hæc moram et figuram habent: cetera festinantur, et inexpectato compendio profunduntur: 'Hic meus amicus illi genere est proximus, Huic leges cogunt nubere hanc.' quo telo improviso necesse fuit animum adolescentis percelli, ut sequeretur illa, se tantum non prodentis, querela: 'perii,' &c. ubi non minus in vultu perturbationis fuisse intelligendum est. *Bœclerus.*

14 *Opinor*] Vel adeo obscuræ sunt, et nullius pretii, *ut opinor has non nosse te.* Potuit recte dicere et hoc, *ut opinor, has non nosti:* sed illud venustius. *Donatus.*

Ut opinor has non nosse te] Aut abundat 'ut:' aut deest 'scilicet.' Magnum autem crimen est, in forma vicinæ puellæ incognitam esse adolescenti de proximo. Et quia scit hunc esse de quo dixerit, 'Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit aliquid?' subdidit causam, ne dignitatis pudorisque esset, quod eam incognitam Æschino esse dixisset. neque enim diu huc, inquit, commigraverunt. Et 'ut opinor,' mire ipse sibi sumit atque confirmat, quod nondum ille confessus est. *Idem.*

Ut opinor has non nosse te] 'Αρχαϊκόν τι in his verbis agnoscere sibi videtur Donatus, nec expedit. unde labor junioribus natus: quorum aliqui τὸ *ut* expungunt: nescio an antiquis libris adjuti; quod jactitant. alii subobscure, quid mallent, significant: *ut opiner has non nosse te.* quod si liceret facere, eadem libertate legeres, *et opinor h. n. n. t.* Sin retinendum est τὸ *ut*, simplicius fuerit, ἔλλειψιν admittere: *ut opinor, has non nosse te,* credendum est. quod prævenit et supplevit, vultu affirmante propositum τὸ *et certo scio.* Bœclerus.

Et certe scio] 'Επανόρθωσις. parum dixit, inquit. *Donatus.*

15 *Quid tum postea*] Gratissime proditur Æschinus amator, quum sedulo dissimulet. *Idem.*

16 *Virgo est cum matre*] Vult Micio sic audire Æschinum, tanquam alienissimum: et idem veluti inscius facti, diligentius narrat. 'Virginem' autem ἀρχαϊσμῷ pro 'muliere' dixit. *Idem.*

17 *Hic meus amicus*] Qui me advocatum abduxit de foro. *Idem.*

18 *Huic leges cogunt nubere*] Non 'permittunt' dixit, nec 'jubent:' sed 'cogunt:' ad perturbandum Æschinum. et recte. alia enim sinunt leges, alia cogunt fieri. Et ne esset quo resisteretur illi, vult ut mulieres a lege cogantur. *Idem.*

Huic leges cogunt nubere hanc] Phorm. act. I. sc. 2. 'Lex est, ut orbæ, qui sunt genere proximi, Iis nubant, et illos ducere eadem hæc lex jubet.' Lex Solonis; exstat apud Demosthenem ad Macartatum: Plutarch. in vita Solonis: 'Orbæ, qui sunt genere proximi, eis nubunto: aut iis orbis dotem danto.' *Farnabius.*

Perii] Hoc audit Micio, sed dissimulat. *Donatus.*

Perii] Pressa voce et submissa. *Farnabius.*

19 *Nihil: recte*] Id est, recte quod perii. et nihil magis comicum. Et vide trisyllabum artificiose esse subjectum: ut qui 'perii' dixit, vix hoc locutus fuisse videatur. *Donatus.*

Perge] Vide instantius interrogantem, quam extraneum, decuit. *Idem.*

Is venit ut secum avehat] Aliud pejus in amatam, ut nec Athenis saltem alteri nuberet. *Idem.*

20 *Nam habitat Mileti*] Πιθανῶς 'Mileti:' et est adverbium locale. *Idem.*

Hem, ut virginem secum avehat] Hic acrius commoveri proditur adolescens, ut affectu fateatur, quod verbis negat. *Idem.*

21 *Sic est. Miletum usque obsecro? ita animo male est*] Ille, oblitus sui, sic indignatur, ut in re propria: hic

rursus callide vultu utitur, tanquam aliena narrantis. *Idem.*

Miletum usque, obsecro] Bene 'usque.' nam Miletos colonia est Atheniensium in Ponto. *Idem.*

Miletum] In Caria, hodie *Molasam.* *Farnabius.*

Animo male est] 'Animo male fieri' dicitur, quum ictu alicujus mœroris perculsus animus, non sustinet corpus: sequiturque ruina membrorum. *Donatus.*

22 *Quid ipse? quid aiunt*] Non statim credit Æschinus pudicam matremfamilias statim consentire in nuptias novas viri ignoti. *Idem.*

Quid istas censes] 'Posse dicere,' subaudiendum. *Idem.*

Nihil enim] 'Dicunt,' subaudiendum. et sic intelligendum 'nihil.' non quod taceant, sed quod nihil confirmationis habeat id quod dicunt. *Idem.*

23 *Commenta mater est*] Nunc dicit quid dicat. etiam 'commenta' dixit, id est, fallaciam confinxisse, verisimile comminisci. *Idem.*

Commenta mater est, &c.] Artificiose causam, quæ hactenus simplex videbatur, dividere incipit: Æschini interrogatione ad commenti productionem veluti ultro invitante. dixerat modo: 'nihil enim' aiunt. scilicet quod alicujus momenti sit. *commenta mater est* (nam cum quod causarentur nihil haberent, mater a fallacia præsidium mutuari voluit confingens, quæ nemini veri similia videantur) *esse ex alio viro* (ut se agnoscat suamque causam Æschinus; eo magis, quo minus id agi videtur; additur enim) *nescio quo;* et mox iterum (postquam de 'puero nato' adjecerat) *neque eum nominat.* Hæc diligenter, et cum mora, ad lacessendum Æschini animum. rationem juris, quæ pro ipso et amica staret, cito et per speciem negligentiæ transmittit: 'Priorem esse illum, non oportere huic dari.' itaque provocabatur denuo Æschinus ad defendendam suam causam; ut, parum quidem caute (eam enim sibi oblectationem ex hac εἰρωνείᾳ machinabatur senex), merito tamen et jure, asseverantius sane quam pro alio illo viro responderet: 'Eho nonne hæc justa tibi videntur postea?' q. d. quid? cum hæc ex matre virginis audires, an non justior postea tibi caussa hæc visa est, quam amici illius tui, qui te advocatum sibi huc adduxerat? Id cum Micio negaret, jam pæne coactus, se aperire Æschinus, ac meros affectus loqui cœpit. in quibus hoc suavissimum seni esse debuit, cum, quæ posthac futura esset vita solitudoque illius viri, a cujus consuetudine abducenda erat Pamphila, tam ἐμπαθῶς dequereretur. ergo concludere eum undique parat, et cumulo rationum a perturbatione ad disceptationem traducit. in qua mirifice Poëta operam dedit, ut lenissimæ æquitatis virum adolescens, tantum non succumbens, demonstratione æqui bonique vinceret; et ad abrumpendam disputationem, specie excusandæ advocationis, ceterum erumpente affectu, cogeret; atque in vicem ad exuendam omnem dissimulationem adigeretur. *Bœclerus.*

Ex alio viro] Jam de proximo tangit Æschinum. *Donatus.*

25 *Priorem esse illum*] Mire tractat etiam partes Æschini. *Idem.*

Illum] Ex quo natus est filius. *Farnabius.*

26 *Nonne hæc justa tibi videntur postea*] Scilicet illa, quæ amicus tuus dixerat prius, quam hæc audires. *Donatus.*

Justa tibi] 'Justa,' quæ postea audisti, quam illa quæ pro Lemnio dicebas prius. Aut si hoc non est, quære quid sit 'postea.' Videtur enim 'postea' sic abundare, quomodo interdum 'hodie' de stomacho adjicitur loquentis. ut Virgilius dicit: 'Numquam omnes hodie moriemur inulti.' *Idem.*

27 *Non*] Vultuose pronuntiandum est 'non.' *Idem.*

An illam hinc abducet, pater] 'Hinc,' tanquam singultus ploraturi est; nam sic est pronuntiandum. *Idem.*

Pater] Quasi hoc ad supplicandum dicatur. *Idem.*

28 *Factum a vobis duriter*] Non 'dure' et 'crudeliter:' sed quasi dura mente, id est, inflexibili, et quod Græci dicunt ἀτενές. *Idem.*

29 *Immisericorditerque*] Nota octo syllabarum adverbium, atque insuper compositum, et cum conjunctione prolatum. *Idem.*

30 *Illiberaliter*] Αὔξησις. nam multa duriter, etiam si opus sit, immisericorditer quoque, et facienda sunt, et patienda, si ita ratio et causa cogat, et non sit illiberale, id est, non malum atque inhonestum. *Idem.*

Illiberaliter] Injuste, inclementer, non bene. quia 'liberalis' bonus dicitur. *Idem.*

Si est, pater, dicendum magis aperte] Id est apertius: quia jam apertum fuerat, duriter et immisericorditer. Et bene præfatus est, ne contumax adversus patrem videretur. *Idem.*

31 *Quam ob rem*] Delectari magis cupiens Micio, Æschinum vult protrahere ad defensionem sui. *Idem.*

Illi] Milesio. *Farnabius.*

32 *Fore animi misero*] Quid de se plus diceret, si factum fateretur? *Donatus.*

Qui cum illa consuevit] Legitur et *illam:* et dicebant veteres, 'Hanc rem consuevit, et εὐσχημόνως. ut Plautus, 'Et clandestina ut celetur consuetudo.' Et majore affectu non amorem allegavit, sed quod est commune cum bonis, et multo justius, consuetudinem. *Idem.*

33 *Qui infelix*] Non 'qui:' sed 'qui infelix:' et non 'amat,' sed 'misere' dixit. et ita affectu proditur, qui ut alienus vult loqui. *Idem.*

34 *Præsens præsenti eripi*] Adjuvant significationem hæc ex abundanti addita: ut, 'Illam absens absentem auditque videtque.' Et, 'Fratrem ne desere frater.' Sic Cæcilius in Eratosthene, 'Hæc caterva plena gladiatoria, quum suum sibi alius sauciat, socius socium.' Et totus hic locus est translatus ex Virgilio, in Æneid. IV. 'Quis tibi nunc Dido cernenti talia sensus! Quosve dabas gemitus, quum littora fervere late Prospiceres arce ex summa, totumque videres Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor!' *Idem.*

36 *Istuc*] Deest, 'dicis.' *Idem.*

Quis despondit] Latenter objurgat Æschinum rem sine patre gessisse. et dicitur figura ἐπιτροχασμός. *Idem.*

Quis despondit] Quia non interfuit pater. *Idem.*

Quis despondit] Latenter ex obliquo perstringit Æschinum, qui sine patris consensu et auctoritate se nuptiis illaqueaverat. *Farnabius.*

Quis dedit] Quia rapuit ante quam pateret. *Donatus.*

37 *Quando nupsit*] Quia nuptiæ non factæ sunt. Et 'nupsit' moleste additum, quasi aliena sit, quæ non legibus ducta sit. *Idem.*

Auctor his rebus quis est] Dativo casu. non 'harum rerum.' Et Sallustius, 'Qui tunc Romanis imperator erat.' *Idem.*

Auctor his rebus quis est] Iterum objurgat, quia non interfuit pater. et agit sic dolens, velut sibi minus amoris præbitum fuerit, Micio: ut se his, quantum amor patitur, videatur ulcisci; quandoque sibi negotium non confiteatur Æschinus. *Idem.*

38 *Cur duxit alienam*] Utrum filiam? an quæ possit aliena esse? nam omnes alienas filias ducunt. *Idem.*

Cur duxit alienam] Possetne aliquid ineptius annotari, quam in Donato hic legimus? 'utrum,' &c. valde a Terentii lectione arcendus fuerit, qui non primo statim intuitu animadvertat, 'alienam' hic esse, alterius matrimonio debitam. v. Chresto-

math. *Bœclerus.*

An sedere oportuit] 'Sedere' proprie ignavæ cessationis est. ut, 'Sedeant spectentque Latini.' Et, 'Quid sedes, Verres? quid spectas?' *Idem.*

An sedere oportuit domi virginem tam grandem] Proprie dictum de virginibus, quæ conditionem non reperiunt. Menander. *Θυγάτηρ ἐπίγαμος, κἂν ὅλως μηδὲν λαλῇ, Διὰ τοῦ σιωπᾶν πλεῖστα περὶ αὐτῆς λέγει.* Domi etiam apud matrem sedebant virgines, nec in publicum prodibant. Hesiodus in ἔργοις· *Ἥ τε δόμων ἔντοσθε φίλῃ παρὰ μητέρι μίμνει, Οὔπω ἔργ' εἰδυῖα πολυχρύσου Ἀφροδίτης.* *Farnabius.*

39 *Tam grandem*] 'Grandem' ad ætatem veteres retulerunt, non ad corpus. et in parte ætatis dicitur, 'grandis,' non in tota vita, nisi si addatur 'natu.' ut, 'Grandis natu parens adductus ad supplicium.' Et 'Grandis infans,' et 'grandis puer,' et 'grandis ephebus,' et 'grandis virgo' recte dicitur. Et unde scit Æschinus, an grandem hic fingit ignotam? an quia dixit pater, Commenta mater est esse ex alio viro, nescio quo, puerum natum. Ergo et illa grandis: et serus Milesius, qui tunc virginem petit, quum jam alteri data sit, vel rapta sit alteri. *Donatus.*

Dum cognatus hinc illinc veniret] Proverbialiter 'hinc illinc.' *Idem.*

Virginem tam grandem, dum cognatus huc illinc veniret] In nota Donati fœdum iterum mendum fideliter reponunt etiam splendidæ novitiæ editiones: 'ergo,' &c. quis enim *servo* hic locus? omnes vident, *serus* legendum esse. *serus Milesius*, i. e. qui 'ad sperata venit præreptaque gaudia serus.' Neque hoc ago, ut ubique emendetur Donatus; quem hac vice nec edendum suscepi: sed obiter indico, quam non debuerint ista ab editoribus negligi. Mox Donatus legit: *hinc illinc veniret*, tanquam proverbialiter dictum. quod multis placuit. nos consensum Mss. secuti sumus. v. et Guyet. *Bœclerus.*

41 *Et id defendere*] Non potuit magis amatorie, et magis pueriliter loqui, quam ut non contentus quod ait, 'Hæc dicere te æquum fuit:' etiam adderet, 'Et id defendere.' Patet autem qualis affectus est, quum etiam patri ob alienam causam blanditur, ut ipse nunc simulat. *Donatus.*

Et id defendere] Non est alius sensus quærendus, quam qui ad asseverationem ducit: hæc tanti momenti sunt; quæ dixi, ut omnino illi amico tuo debueris oggerere, et eam tam bonam causam defendere. agnoscit Donatus instantiam sententiæ, et ad amorem refert. sed quod de puerili locutione addit, nisi referas ad id, quod Micio mox exprobrat, de officio advocati, non poterit locum habere. *Bœclerus.*

42 *Ridicule*] Vocativus est casus, ab eo quod est 'ridiculus.' *Donatus.*

Adversumne illum causam dicerem, cui veneram advocatus] Hoc est Plauto, 'Hinc stare, illinc caussam dicere,' Menæchm. act. v. scen. 2. 48. *Bœclerus.*

Caussam dicerem] Nove hoc dictum. cum hoc sit proprie rei ac defensoris. *Farnabius.*

43 *Quid ista, Æschine, nostra*] Hic jam ultima desperatio et Æschinum in confessionem protrahet, et in finem fallaciæ senem deducet. Et bene quidem 'nostra' dixit. memor est enim se respondisse Æschino interroganti, 'Tibi vero quid istic rei est? Nihil mihi quidem.' Totum autem hoc senex ad id redegit, non tam ut torqueret Æschinum, quam ut majus faceret beneficium suum, exponendo id quod pene periculum amor ejus incideret. *Donatus.*

44 *Quid est? quid lachrumas*] Quasi repente animadverterit flentem, et quasi causam omnem nesciat, sic inquirit. *Idem.*

45 *Quid lacrumas*] Ἀγαθοὶ ἀριδάκρυες ἄνδρες. *Farnabius.*

Æschine] Non exhibuisset personam patris, nisi pietate victus, pati filium nollet confessione torqueri. Virgilius: 'Nec plura querentem Passa Venus, medio sic interfata dolore est.' Bene ergo intelligunt, qui sic accipiunt, perrecturum adhuc fuisse Micionem, nisi victus affectu, fallaciam projecisset. *Donatus.*

Æschine audivi omnia] Victus animo patrio, non ultra ferre personam Micio potest: et objurgaturus, ab amore suo in objurgandum orditur: cujus pœnitentiam in partem laudis trahit; ut de peccato magno mitius inferretur, quod dicendum erat. ibi quoque, excusatione aliqua ultro subjecta, brevius agens, pleramque orationem in negligentia castiganda consumere studuit. neque quicquam in hac fabula Micio indulgenter egit, quod plus rationis, aut minus ineptiarum haberet. *Bœclerus.*

Nam te amo] Bene addidit, *Nam te amo, &c.* nam et invidis et inimicis moris est scire, quid agamus. *Donatus.*

47 *Ita velim me promerentem ames*] Quam pie additum est 'promerentem:' tanquam illic sit votum Æschini, quum possit pater etiam immeritum amare. Et animadvertendum est, 'ut' semper sequi vel statim, vel ex intervallo, maxime in hujusmodi confirmationibus. Sic Cicero: 'Ita velim mihi Deos propitios, ut quum illius temporis mihi venit in mentem,' &c. 'Velim' autem, pro 'volo,' antique dicitur. *Idem.*

48 *Ut me hoc delictum admisisse in me*] *Me, in me αὐξητικῶς* adjectum est. *Idem.*

49 *Et me tui pudet*] Ambiguum quidam hoc dictum putant: sed apparet adolescentem propter suum peccatum dicere, non quod quicquam turpe fecerit patri. *Idem.*

Et me tui pudet] Donatus: 'Ambigue,' &c. legendum est *pater*. 'pudet me tui,' hic est, tui caussa, propter te quem offendi. *Idem.*

50 *Ne indiligens nimium sies*] Non ergo ingratus, sed negligens Æschinus: nec negligens, sed 'indiligens:' nec in alterum, sed in se deliquit. Miræ clementiæ genus est, aut omnino ignoscere, aut crimen in levius commutare. nam tota objurgatio ita amica est, ut non multum a blandimento discrepet: magisque proficiat apud audientem, ut vult Terentius, quam illa aspera atque præfracta. *Idem.*

51 *In qua civitate tandem te arbitrare vivere*] Communem locum inducit a loco, a persona, a facto, a tempore. *Idem.*

In qua civitate] Aliter pronuntiandum est, id est, presse ac leniter: ne faciat illud Tullianum, 'Pro DI immortales, ubinam gentium sumus? quam rempublicam habemus? in qua urbe vivimus?' Et *tandem* pro *tamen.* Idem.

In qua civitate] Hoc est, oblitus es Athenis te esse, ubi vivitur legibus? Vide omnes sententias poni accusatorias, et nihil amoris. isti sunt orationum colores difficillimi: sed elaboravit Terentius Micionem facere leniter accusantem, et inducere Demeam durissime blandientem. *Donatus.* Bene et erudite hoc postremum. illud, 'nihil amoris,' qui non disconvenit? si hanc ipsam sententiam, et quæ præmisit, consideres: 'Nam tota,' &c. Aut ergo aliquid excidit, quo post sententias accusatorias, a loco, a persona violata, a magnitudine peccati petitas, significaretur, statim leniri omnia verbis et consolatione; aut legendum, *et nihil amari.* accusat quidem, sed in accusatione nihil amari inest. id enim certe voluit notare Donatus. cujus annotatio, quæ sequitur, transposita est, et in suum locum obiter reducenda. Nam post ea, quæ dixi-

mus, iterum ponitur: '*In qua civitate:* Quod,' &c. Non hæc ad vs. 51. sed ad vs. 46. annotata fuerunt: indeque huc in locum alienum demota sunt. vox 'assentationis' parum explicate hic adhibetur. vide an verius sit *asseverationem* substituere. *Bœclerus.*

In qua civitate] Quod objurgat Micio, magni amoris est, et necessaria pro persona assentatio: non enim convenit, patrem nimium diligentem filium ejus præterire peccata. *Donatus.*

In qua civitate tandem te arbitrare vivere] An utique oblitus es te Athenis esse, ubi vivitur legibus? *Farnabius.*

52 *Virginem vitiasti*] Vide et rem dici, et abesse tragicam inclamationem, et ostendi delictum: et ad veniam festinari. nam statim dicet: 'Jam id peccatum primum est magnum, at humanum tamen.' Et tota pronuntiatio hujusmodi verbis summissa debetur. *Donatus.*

54 *Fecere alii, sæpe item boni*] Moris est exemplo lenire, quod purgare non possis. *Idem.*

Fecere alii sæpe, item boni] Consolatio ab exemplo. Et 'boni,' non quum hoc facerent, sed alias boni. *Idem.*

Fecere alii sæpe item boni] Sententiam a Plauto acceptam (in cujus Epidico I. 1. 30. 'edepol facinus improbum. at jam ante alii fecerunt idem') validiorem fecit, addendo 'sæpe,' et 'boni.' *Bœclerus.*

Fecere alii sæpe, item boni] Plaut. Mercat. act. II. sc. 2. 'Fecere tale ante alii spectati viri.' Heaut. act. V. scen. 2. 'Volgo id facinus.' *Farnabius.*

At postquam id evenit] 'Evenit,' inquit, non 'commissum est.' nihil innocentius dici potuit. *Donatus.*

55 *Numquid circumspexti*] Συγκοπὴ ΗΛΑΗΤΑΝΑCMOC* pro 'circumspexisti.' 'Circumspicimus' præsentia, 'prospicimus' futura. *Idem.*

Nunquid circumspexti, &c.] Hos versus quomodo Guyetus explicet vide. *Bœclerus.*

56 *Qua fieret*] Id est, qua ratione, quo modo fieret? et 'qua ratione;' id est, quibus adminiculis, vel per quas personas? *Donatus.*

Si te ipsum mihi puduit dicere] Optime hoc additum est: quasi non debuerit Æschinum apud Micionem pudere. *Idem.*

57 *Qua resciscerem*] 'Qua,' id est, per quos. et ad omnia subauditur, 'Numquid circumspexisti?' *Idem.*

Qua resciscerem] Deest 're,' vel 'ratione.' *Idem.*

Menses abierunt decem] Mire 'abierunt.' Quasi dicat, te cessante, menses cessere: et locus est incusationis a tempore. Et 'abire' dicitur, quod paulatim nos deserit: hoc autem ex partu intelligit. *Idem.*

58 *Prodidisti te, atque illam miseram*] Vide festivum senem, quantum se adolescenti accommodet: non enim illum, quem causa deposcit, sed amatorium ordinem fecit, prius dicendo 'prodidisti te,' quam 'illam;' tum etiam 'gnatum,' ut ex animo amare videatur id quod natum est. *Idem.*

Prodidisti] Decepisti, vel deseruisti. ut Virgilius, 'unius ob iram Prodimur.' *Idem.*

Prodidisti et te, et illam miseram, et gnatum, quod quidem in te fuit] Ex 'illam' elidendum est alterum l, et ex 'quod' d; ita 'te, et illam,' et 'quod quidem in,' erunt duo anapæsti, et versus procedet. *Faërnus.*

Quod quidem in te fuit] Sallustius, 'Quod in familia nostra fuit, præstitit ut in omnibus bellis adesset nobis.' Et Cicero, 'Senator P. R. quod in vobis fuit, jacuit et pernoctavit in publico.' *Donatus.*

Quod quidem in te fuit] Pro, id quod in te erat: id est, quantum in officio tuo spei et auxilii partiumque tuarum fuit: vel, quantum ad te spectabat. Et hic est illud, quod obsequentissimus pater vult, omnia per se esse correcta. *Idem.*

59 *Dormienti hæc tibi confecturos Deos*] Quam mitis, quam faceta objurgatio! Videtur satis Micio ille esse, qui ante est descriptus? *Idem.*

Quid credebas? dormienti hæc, &c.] Incerta distinctio: nam et per se *quid*, et *quid credebas*, legi potest: et velut hic subaccusatur Æschinus, 'Dormienti hæc tibi confecturos Deos?' ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου. Et quæ sint, quæ a Diis cessantibus præstari non possint, sequenti versu docet, ne videatur de Diis male sensisse. *Idem.*

Dormienti] Multo melius, quam si diceret 'cessanti.' et non, 'facturos:' sed, quod plenum est, 'confecturos.' Et mire Deos ponit in eo negotio, quod ipse præstat: tanquam hic et se et Deos excuset, quod non fecerint Æschino quæ volebat, etiam dormienti. *Idem.*

Credebas dormienti hæc tibi confecturos Deos] Cato apud Salustium: 'Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilium Deorum paratur: sed vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cadunt: ubi socordiæ et ignaviæ te tradideris, nequicquam Deos implores; irati infestique sunt.' Apollon. I. Οὐδέ τε κῶας Αὐτόματον δώσει τις ἑλὼν θεὸς εὐξαμένοισι. *Farnab.*

60 *Et illam sine tua opera in cubiculum iri deductum domum*] Ἀπὸ τοῦ ἄλλου ἀδυνάτου. Ordo, *deductum iri domum.* Donatus.

61 *Nolim ceterarum rerum te socordem*] Quam nihil imperiose ac pro authoritate patria fit! *Nolim*, inquit, *te socordem ceterarum rerum esse:* non dixit *ne sis socors.* Idem.

Nolim ceterarum rerum te socordem eodem modo] Fingunt hic puto elegantiam aliam φράσεως, quam Poëta in animo habuit, cum τὸ *ceterarum rerum* non a *socors* suspendunt, sed ita supplent, *quod ad ceteras res attinet.* id quod Scipioni Gentili, Rittershusio, Hotomanno, et aliis, etiam placuit. Vide Joh. Weitz. Nihil causæ est, cur dubitemus, poëtam voluisse dicere: *Socordem ceterarum rerum.* nec aliter Donatus accepit. ita apud Tacitum, qui, secus quam Scioppius putavit, optimos quosque antiquiorum sedulo et erudite imitatur, *Socordem futuri* legas, Hist. III. 31. *Bœclerus.*

62 *Bono animo es*] Apparet flenti hæc dicta omnia esse: et hoc decuit verecundum adolescentem, et ex vi tantæ orationis, et metu amittendæ puellæ. Et 'es' modo imperativi modi est, temporis præsentis. nam 'esto' futuri est. *Donatus.*

Duces uxorem] Datur in ultima objurgatione et breviter, et plena securitas. *Idem.*

Hem] Singultientis fletu et gaudio dixit 'hem.' *Idem.*

63 *Obsecro, non ludis tu nunc me*] Mœstus amatoris animus ludentem serio loqui credidit: vera dicentem, quia optata sunt, putat ludere nunc. Potest et ob hanc causam dicere, *Ludis tu me nunc?* quod numquam eum antea luserit. *Idem.*

Ego te? quam ob rem] Magna vis pronominum cur non ludat. quibus et accessit consideratio rei. nam primo 'ego,' deinde 'te,' deinde causæ propositio. Et recte *ludis.* Est enim amantis, in falsum metum conjicere imminente lætitia, qualibet sententia: inimici vero, in falsum gaudium quemquam impellere, sub alicujus mœroris adventum. et ideo negat se Micio in hac parte lusurum Æschinum, qui in aliis luserit. *Idem.*

Nescio] Religiose dixit 'nescio:' quasi non sit ratio, quare non credat patri, quamvis subjecerit causam. *Id.*

64 *Quia tam misere hoc cupio esse verum*] Pro nimis: quia nimia miseria: ut 'ne quid nimis.' hoc enim putant, qui virtutes mediocritates esse dixerunt. *Idem.*

Nisi quia tam misere hoc esse cupio verum, eo vereor magis] Τὸ *quia* in nullo veteri libro apparet, ut ait Faërnus. *Faber.*

65 *Abi domum, ac Deos comprecare*] Magnus institor sui beneficii est, qui a Diis petendum esse dixit, quod ipse præstabit. an ideo quia ordinis fuerat, prius rem divinam facere, et sic uxorem accersere? Et bene repetitum est. *Abi:* quasi hærenti morantique: ut, 'Vos istæc intro auferte: abite.' *Donatus.*

Abi domum ac deos comprecare, ut uxorem accers.] Donatus: 'Magnus,' &c. non recte. neque enim voluit hoc Micio dicere. quod sequitur, verius est: 'an ideo,' &c. *Bæclerus.*

Deos comprecare] Plin. Panegyric. 'Quod nihil rite nihilque providenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.' *Farnabius.*

66 *Quid? jam uxorem*] Accessit ad beneficium tempus. et ideo 'jam' quasi gestiens repetit adolescens. *Donatus.*

Quid, jam uxorem? &c.] Mire affectus in hac scena commutavit et variavit Poëta. post curam et sollicitudinem, Æschini animo incussam, gaudendi materiam abunde suppeditat Micio, jocoque insuper et familiaritate commendat. vs. 68. *Bæclerus.*

Quantum potes] Aut deest 'cito:' aut 'quantum potest esse.' Donatus.

67 *Ni magis te quam oculos nunc amo meos*] Mire 'nunc' addidit. et eleganter inventum est, quod in se amator multum diligat, id est, oculos: ut e contra in Eunucho, 'Adolescenti ipsi eriperem oculos:' id est, ipsos de quibus amat. *Idem.*

Ni magis te, quam oculos nunc amo meos] Catullus ad Licin. Calvum: 'Ni te plus oculis meis amarem.' *Farnab.*

68 *Quid? quam illam*] Commendat se Micio, et familiariorem amatori facit, mentionem faciendo sæpius de amica in uxorem ducenda. *Donatus.*

Æque] Sic infert hoc, quasi dubitando invenerit. *Idem.*

Perbenigne] Multum putat, quia amator hoc dixit: ergo 'benigne,' large abundeque. *Idem.*

Quid ille ubi est Milesius] Non amat, si statim timere desinit. unde Virgilius, 'Omnia tuta timens, eadem impia fama furenti Detulit, armari classem, cursumque parari.' *Id.*

69 *Abiit: periit: navem ascendit*] Facete, 'abiit:' ne diceret, mentitus sum. atque ita dixit, ut infantibus nutrices de terriculis dicere solent: quas quum ipsæ confinxerint, abolitas volunt, postquam illos vident nimium pavere. Et mihi videtur ridens hæc dixisse: ut intelligat Æschinus, Micionem joco fuisse mentitum. *Idem.*

71 *Tibi obtemperaturos magis*] Mira sententia, Deos obsequi bonis, quasi bonis hominibus multum debeant. et in excusationem precandi Deos, vide quæ facultas nata sit patrem sine assentatione laudandi. Non est autem injuriosum, ad patrem referre deprecationem Deorum: sed magis honorabile. nam tale est apud Virgilium, 'Tu genitor, cape sacra manu, patriosque penates.' Ut ipse patrem portet, hic Deos. *Idem.*

72 *Ego eo intro, ut quæ opus sunt, parentur: tu fac, ut dixi, si sapis*] Hic versus in quibusdam non invenitur. *Idem.*

Mi. *Ego eo intro, ut quæ opus sunt parentur: tu fac ut dixi, si sapis*] Hic trochaicus una syllaba est longior, nisi ex *ut* t elidatur, ut et alibi. *Faërnus.*

73 *Quid hoc est negoti*] Et mirantis hæc, et laudantis oratio est. et bene videtur hujusmodi patrem Terentius probare. *Donatus.*

74 *Qui magis morem gereret?*] 'Qui,' quo modo, qua re, qua ratione, magis mihi indulgeret. *Idem.*

75 *Hic non amandus*] Omnia perfecit hic pater, ut et ametur, et laudetur, et foveatur. *Idem.*

76 *Magnam mihi injecit sua commoditate curam*] Mira sententia, mala etiam de bonis nasci. an bonus parens magnæ curæ est filio? *Idem.*

Itaque adeo magnam mihi injec.] Non expedit bene sententiam Donatus. hoc dicit Æschinus: sibi nunc inprimis curæ fore, ut, pro tantis beneficiis et summa indulgentia, patri contra referat gratiam, obsequio cultuque. αὐξητικῶς dictum est, *injecit mihi magnam curam, ne quid imprudens faciam, quod nolit:* ut propositum studiumque obsequendi conspectius faceret, affectum demonstrando. *Bæclerus.*

77 *Sciens cavebo*] Facere quod nolit scilicet. *Donatus.*

78 *Sed cesso ire intro, ne mora meis nuptiis egomet siem*] Bene hoc, utpote objurgatus. *Idem.*

Scena vi. Senarii sunt. vs. 4. Mss. nostri omnes, ut edidimus. vs. 5. τὸ *se* unus tantum habet.

In tempore reducit Poëta Demeam: cui compositis jam, quarum caussa fratrem volebat convenire, turbis, futurum sane erat, ut minueretur de Æschino quidem cura, ex Ctesiphone vero augeretur. *Bæclerus.*

1 *Defessus sum ambulando*] *Hic exemplum inducitur sævi patris ex affectu vero, et ob hoc invisi omnibus. non autem tantum amare vultu, quam ipsa re, inducitur: nam neque sibi, neque cuiquam alii, sed filio tantum consultum cupit. De* autem *valde* significat. *Donatus.*

Ut, Syre, te cum tua monstratione] *Ut,* pro *utinam,* et hoc omnia anhelans dixit. *Idem.*

Te cum tua] Adhuc non credit in errorem se missum fuisse. *Idem.*

Te cum tua monstratione] Ἰδιωτικῶς, *Te cum tua monstratione.* Idem.

3 *Perreptavi usque omne oppidum*] Tardus incessus, non perambulatio, sed 'perreptatio' dicitur. 'Ad portam, ad lacum.' *Idem.*

Perreptavi] Aptus seni incessus. *Farnabius.*

Ad lacum] Facete Poëta memorem inducit senem, quorum minime opus fuit meminisse. *Donatus.*

4 *Quo non*] Mire propinquiora omisit: utpote 'porticum,' 'macellum,' 'Cratini ædes,' 'templum Dianæ:' et ultima posuit, ut quantum peragraverit, demonstraret. *Idem.*

Quo non] Duobus dictis, 'quo non?' addidit: quasi et ad dicendum lassus appareat. *Idem.*

Neque fabrica ulla erat] Amandarat Demeam Syrus, ad fabricam, quæ nulla erat, sc. 2. hujus actus. *Farnabius.*

6 *Certum obsidere est, usque donec redierit*] Proprie 'obsidere' dixit. convenit enim et irato, et repente aggressuro. et ab eo quod est 'obsideo,' 'obsidere' facit, producta media syllaba: ab eo quod est 'obsido,' 'obsidere' facit, eadem syllaba correpta. *Donatus.*

Scena vii. Hæc quoque scena trimetris sive senariis constat. vs. 6. omnes Mss. nostri, ut ed. ut et vs. 8. vs. 20. omnes: *nequeo.* vs. 26. omnes: *vel gratis.* vide Faërn. vs. 29. omnes, ut ed. vs. 30. omnes: *saxum ne te cr.* vs. 34. omnes: *restim ductitans.* vs. 35. illud *probe,* quod Demeæ tribuitur, abest ab omnibus. nisi quod in Argentor. in margine adscriptum visitur. vide Faërn. vs. 44. duo: *servare prorsus hanc familiam non poterit.* Argentor. eodem ordine collocat, sed pro servare, habet *salvare.* et in margine; *al. conservare.*

Scena hæc tota est ὀνειδιστικὴ et ἐπιτιμητικὴ, ex persona Demeæ: cujus tamen iracundia haud parum festive hebetatur compositis Micionis moribus et sermonibus. quod jurgium erat futurum, si incidisset Demea in eum qui contra tenderet, arte Poëtæ ad oblectationem theatri vertitur: dum tam commode partim excipit ic-

tus adversarii Micio, partim eludit. Serviunt huic Poëtæ instituto, brevia, et præter expectationem interrogantis, responsa: tum collecta celeriter rei summa et *παρῳδία μιμητικὴ*, et ironia assentiendi speciem induta, cum ceteris opportunissime dispensatis figuris. *Bæclerus.*

1 *Ibo, illis dicam*] *In hac scena est exemplum intempestivæ objurgationis, ac per hoc ridiculæ.* Donatus.

Ibo illis dicam] Sostratæ et filiæ. *Idem.*

3 *Fero alia flagitia ad te ingentia boni illius adolescentis*] Magno sonitu ac ingenti ostentatione futuræ accusationis exorsus est. magna sunt enim omnia, et 'fero,' et 'alia flagitia,' et 'ingentia,' et quod *εἰρωνικῶς*, 'Boni illius adolescentis,' dicit. *Idem.*

4 *Boni illius adolescentis*] Εἰρωνεία, quæ semper amarius ponitur, quam criminatio manifesta. *Idem.*

Boni illius adolescentis] Æschini. Ironia. *Farnabius.*

Ecce autem] 'Ecce' dicitur, quum repente triste aliquid rebus intervenit lætis, aut certe, quum aliud agitur, aliud emergit novum: ut Virgilius, 'Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta, Horresco referens, immensis orbibus angues.' Et, 'Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus.' Et Cicero, 'Ecce autem repente ebrio Cleomene, esurientibus ceteris, &c. *Donatus.*

Nova] Recentia. an mira et magua? ut, 'Pollio et ipse facit nova carmina.' *Idem.*

5 *Nescis qui vir sit*] Εἰρωνεία. nam 'vir' ad laudem sumi solet. ut alibi, 'Virum te judico.' *Idem.*

Scio] Satis ridicule, nec quod ille cupit, abnegat Micio: ut consentiendo iracundiam Demeæ acriorem fieri *possibilem sibi, mitigare queat. nam 'scio' ad negotii totius gestionem retulit; non ad illud quod ait, 'nescis qui vir sit.' *Idem.*

8 *Eho, scis? et patere*] Jam et illi irascitur, non Æschino. *Idem.*

9 *Non. malim quidem*] Alii volunt Micionem dicere 'malim quidem:' alii Demeam. *Idem.*

Malim quidem] Respondet Mitio ad illa Demeæ, 'scis et patere, quid ni patiar?' Malim quidem, si fieri posset, aliter esse: sed quando quod factum est, infectum esse non potest, æquo animo fero. tale quid cum dicere pararet, interpellatur a Demea. *Farnabius.*

10 *Puer natus est. Di bene vortant*] Hic bono exemplo inducitur Micio irascentem juste Demeam leniter ferre: quia exanimato ob mœrorem non convenit inclementer iri obviam, quum possit in tempore objurgari, postquam destomachatus fuerit. Et vide quam facete: quum ille, 'Puer natus est,' ad argumentum mali attulerit, hic ita respondit, quemadmodum solent illi, quibus puellam nasci metuentibus, nuntiatur puerum natum esse. nam in omnibus quæ cupite venerint, 'Dii bene vertant,' dici solet: quia sæpe homines ea optaverunt, quæ aliis aliter atque expectaverunt, contigissent. quam potestatem rerum vertentium semet in utramque partem, Vertumno Deo superesse, veteres existimaverunt. *Donatus.*

Virgo nihil habet] Vult rem sine remedio videri: quia scit posse nuptiis finiri sollicitudinem. Et vide amaritudinem Demeæ contra omnes, ut nec virgini ipsi parcat. *Idem.*

11 *Audivi*] Ἀφελῶς et cum *ἐξουθενισμῷ* respondendum, quasi leve sit, quod admissum sit. *Idem.*

Et ducenda indotata est] Ducenda scilicet, nisi damnandus sit Æschinus, et hoc verbum necessitatis vim habet: ut, 'Pacem Trojano ab rege petendum.' *Idem.*

Et ducenda indotata est] Conjunge: *virgo nihil habet, et ducenda indotata est.* Donatus recte agnoscit necessitatem in 'ducenda est.' q. d. nihil

aliud superest, quam ut ducat vitiatam, nisi malit judicio cogi. ubi hoc est miserrimum, 'uxorem sine dote' domum deducere cogetur. quam solicitudinem patrum nobiliorum etiam alibi expressit poëta, in tali negotio. cum enim interrogatum esset, 'Non, si redisset, ei pater veniam daret?' respondetur: 'Ille ne indotatam virginem atque ignobilem Daret illi? nunquam faceret.' Ph. I. 2. 69. &c. *Bæclerus.*

12 *Quid nunc futurum est*] More irascentium, quum ipse sciverit quid futurum sit, Micionem interrogat. et hujusmodi interrogatio, secundum figuram suam non habet responsionem: sed Micio sic respondit, quasi simpliciter inquirenti. *Donatus.*

13 *Illinc huc transferetur virgo*] 'Virginem,' quæ etiam cum viro fuit, vocat. Virgilius, 'Ah virgo infelix.' *Idem.*

O Jupiter! istoccine pacto oportet] 'O Jupiter,' tragice adjecit a Micione versus. 'Istoccine pacto,' ad ipsum Micionem respiciens dixit. *Idem.*

Virgo] Quæ etiam cum viro fuit. Virgil. Eclog. 6. de Pasiphaë. 'Ah virgo infelix!' *Farnabius.*

15 *Si non re ipsa tibi istuc dolet*] Nunc 'rem' pro *veritate* posuit. *Donatus.*

16 *Simulare certe est hominis*] Non hoc dixit, quia hominis est mentiri: sed quia sæpe iracundiæ simulatio, custodia disciplinæ est. *Idem.*

Jam virginem despondi: res composita est: fiunt nuptiæ] Ne diceret, *despondi, composui, facio.* Et *despondet puellam* qui petit: *spondet* a quo petitur. Recte ergo socer futurus *despondi* dixit. *Idem.*

18 *Hæc magis sunt hominis*] Bene 'hominis:' ille enim dixerat, 'Simulare certe est hominis.' *Idem.*

Ceterum, placet tibi factum, Micio] Nihil aliud volebat Demea, nisi ut sæviret Micio: quod impetrare non potuit, etiam ab eadem sentiente de pravitate et peccato Æschini. *Idem.*

21 *Ita vita est hominum*] Ex Platonis lib. X. de Rep. videtur hoc desumptum. Καὶ ὥσπερ ἐν πτώσει κύβων πρὸς τὰ πεπτωκότα τίθεσθαι τὰ αὐτοῦ πράγματα, ὅτι ὁ λόγος αἱρεῖ βέλτιστα ἂν ἔχειν. quod et refert Plutarchus lib. περὶ εὐθυμίας. Κυβείᾳ ὁ Πλάτων τὸν βίον ἀπείκασεν, ἐν ᾧ καὶ βαλεῖν δεῖ τὰ πρόσφορα, καὶ βαλόντα χρῆσθαι καλῶς τοῖς πεσοῦσι. *Farnabius.*

Quasi quum ludas tesseris] Rectum erat si diceret, Ita vita est hominum quemadmodum tesseris ludere, aut, quemadmodum ludus est tesserarum. Nota ergo genus locutionis. *Donatus.*

22 *Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit*] Utrum, quod opus est, jactu non cadit? incerta distinctio. *Idem.*

23 *Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas*] Ars adhibenda pro fortuna. non enim si male jactus ceciderit, deserendus est ludus. et 'forte' nunc pro *fortuna* intelligendum. *Idem.*

Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas] Cæsari hoc est, 'fortunam industria sublevare' de Bell. Civ. III. 73. *Bæclerus.*

24 *Corrector*] Quia dixit, 'arte ut corrigas.' sed moris est iratis ab ultimo verbo contradicentis incipere. *Donatus.*

27 *Neque est, neque illam sane studeo vendere*] In scopulo versatur Micio, in quo eligit ineptus potius videri, quam prodat Ctesiphonem patri. *Idem.*

30 *Cur non*] Posset dicere, non est Æschini amica: sed celanda est culpa Ctesiphonis. *Idem.*

31 *Ita me Di ament, ut video ego tuam ineptiam*] Ordo est, Ita me Di ament, te facturum credo, ut habeas, quicum cantites. Ipse se fallit, non inquirendo ulteriorem causam retentæ in domo meretricis. Mire autem 'cantites:' quasi turpius sit cantare

senem cum psaltria, quam coire. *Idem.*

32 *Cantites*] Amatoria cantica et meretricia. *Farnabius.*

33 *Et nova nupta eadem hæc discet*] Alius subaudiet *dicere.* sed o magna in verbis elegantia! vide enim quam vim significet 'discet.' et ideo non 'uxor,' sed 'nova nupta,' quam ad omnia docilem esse ipsum indicat nomen. *Donatus.*

34 *Tu inter eas restim ductans, saltabis*] Lusus est natus ab eo fune, quo introductus equus Durius in Trojam est, cum nexis manibus fune, chorum ducunt saltantes. Hoc a quibusdam dicitur, sed ego puto, manu consertos choros puellorum puellarumque cantantes restim ducere existimari: et id maxime convenire ad exagitandam importunitatem senis, veluti pueros imitantis. Simul etiam quia iste connexus manuum lascivus ac petulans adimit discretionem conditionis, dignitatis, ætatis, inter meretricem, novam nuptam, et senem. Et hoc, quemadmodum dictum est: et quanto stomacho jam ab Æschino recessum est, et transitum ad Micionis luxuriam describendam! *Idem.*

Restim ductans saltabis] Κόρδακα ἕλκειν. ductans funem in saltatione comica, quam natam volunt ab eo fune, quo in Trojam introductus erat equus Durius. expressit Livius l. VII. decad. III. 'Et per manus reste dato virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt.' Jul. Pollux l. IV. Athenæus l. XIV. c. 6. Aristot. in Nub. Lucian. περὶ ὀρχήσεως. Jul. Scaliger. Poëtic. l. II. c. 18. Meursius de Orchestra pag. 42. *Farnabius.*

36 *Jam vero omitte, Demea*] Mire urbanitatem expressit ultro objurgantis, qui objurgatus est. *Donatus.*

Jam vero omitte, Demea] Postquam et disputatum et lusum satis esset, vultu serio sed comi Micio Demeam, ut tandem omissa iracundia, vultum animumque tempori ac nuptiis filii convenientem caperet, exhortatur. sed nondum venerat Demeæ illud tempus, quo in lætiora tenderet. itaque animum ad hæc nondum potuit adjicere. Sed digresso Micione adhuc ringitur, suspicatur, et in præcipuas turbas suo impetu præcipitatur. *Bœclerus.*

37 *Tuam istanc iracundiam*] 'Tuam istanc' dicendo, et ridiculam, et supervacuam significat. Et bene 'iracundiam:' nam 'ira,' de causa est: 'iracundia' de vitio multum irascentis. *Donatus.*

Atque uti decet, hilarum ac lubentem] Bene addidit 'lubentem:' multi enim, hilares se simulantes, non lubentes sunt. *Idem.*

Hilarum] Vetuste, non 'hilarem.' *Idem.*

40 *Hanccine vitam? hoscine mores? hanc dementiam*] Ἐλλειπτικῶς omnia, utpote stomachose secum loquens. deest enim 'esse,' aut quid tale. *Idem.*

42 *Domus sumptuosa*] 'Domus,' id est, homines. *Idem.*

43 *Ipsa si cupiat Salus, servare prorsus non potest hanc familiam*] Σωματοποιΐα. Plautus, 'Lubentiorem te faciam, quam ipsa Lubentia est.' Etenim ὑπερβολὴ est, *Ipsa Salus si cupiat servare, prorsus non potest hanc familiam.* Hinc licet æstimare quantum et caloris et gravitatis apud Terentium sit, ad imitationem Cæcilianam. Vide quantum creverit a superioribus, ut sic finiat. *Idem.*

Salus] Dea Romanis, ut Ὑγίεια Græcis. cujus ædem C. Jul. Bibaculus vovit Cos. bello Samnitum, mox dictator dedicavit. Liv. l. IX. *Farnabius.*

VOLUME 4

PUB. TERENTII AFRI

COMŒDIÆ SEX

EX EDITIONE WESTERHOVIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITÆ.

VOLUMEN QUARTUM.

LONDINI:
CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.
1824.

ACTUS V.

SCENA I. Senarii sunt. vs. 4. Mss. nostri omnes: *porro deambulare.* et *illud vide sis.* et vs. 6. *ohe scelus.* vs. 8. duo : *tu si meus e.* vs. 12. omnes: *potasti.* vs. 13. duo : *hunc exitum.*

Ut est varietatis artifex poëta noster, Syrum a semetipso diversum hic inducit, i. e. de callido, incallidum ebrietate. non uti proderet adolescentem, quod sobrius in Andria ex alia causa Davus fecit, sed uti prodituro imprudens ipse obtentui esset. *Bæclerus.*

1 *Ædepol, Syrisce*] *Hic exemplum inducitur licentiæ servorum sub miti domino.* Donatus.

Ædepol, Syrisce te, curasti molliter] Quia detexit Ctesiphonem, jam oportet ut ebrius inducatur Syrus : per cujus fallacias tegatur adeo. Et 'Syriscum' se dicit, non 'Syrum,' τῷ ὑποκορύσματι. *Idem.*

Syrisce] Adblanditur sibi madidus servus, diminutiva sui nominis formula. *Farnabius.*

Molliter] Delicate. *Donatus.*

2 *Lauteque munus administrasti tuum*] Ut quicquid esset bellissimum carperes, cyathosque sorbillares. Aut munus servile, esse et bibere. *Idem.*

3 *Abi*] Verbum vel sibi, vel alteri cum laudatione blandientis. nam sic dicunt, qui jam compotes sunt votorum omnium, perfectique in rebus universis. *Idem.*

4 *Prodeambulare*] Nota duas præpositiones uni dictioni adjunctas. Ut : 'Pede prosubigit terram,' et ἀμφιπερικρήνην. et optime ad delicias exprimendas hoc verbum convenit. nam procedere segnem, 'deambulare' significat. nam deambulare etiam intus potuit. *Idem.*

Sis] Si vis. *Farnabius.*

5 *Exemplum disciplinæ*] Quia unus ex multis reliquis. An quia senior, et nuper etiam pædagogus, ut ipse ait, 'Quem ego puerum tantillum in manibus gestavi meis.' *Donatus.*

6 *Quid fit? quid tu es tristis*] Mire securitatem ebrii hic expressit. numquid enim pertimescit interventum senis, ut solebat, Syrus? aut quicquam præcavet? Subblanditur tantum, et ita rerum oblitus est, ut quum eum sævum sciat, causam tristitiæ ejus inquirat. *Idem.*

Exemplum disciplinæ. SY. *ecce autem hic adest senex Noster. quid fit? quid tu es tristis?* DE. *ohe scelus*] Et Bembinus, et omnes fere alii libri, ita ordinant, ut in *adest* finiant versum, et sequentem incipiant a *senex.* et pro *ohe scelus,* aliqui *o scelus,* vel *oh* habent ut Bembinus. ita ergo legimus: *Exemplum disciplinæ.* SY. *ecce autem hic adest Senex noster, quid fit? quid tu es tristis?* DE. *oh scelus.* Multis autem modis sustentatur hic versus. *Faërnus.*

7 *Ohe, jam verba fundis hic sapientia*] Scribe et distingue, ut in præclaro codice Bembi, *Ohe. jam :* id est, desine. Nam *Ohe* satietatem notat. Horat. In eodem libro pro *fundis* legebatur *fundes.* Faber.

Tu verba fundis hic, sapientia] Utrum 'sapientia verba?' an 'tu sapientia?' quia dixit supra, 'Tu quantus quantus es, nihil nisi sapientia es.' *Donatus.*

Fundis] Utrum sine ulla cessatione profers? An 'perdis?' secundum illud, 'Nam quid tu hic agas, ubi si quid boni præcipias, nemo obtemperat?' *Idem.*

Ohe jam tu verba, &c.] Fr. Guyetus delet hunc versum. Donatus retinet, nec satis expedit. in quo non placet illud, 'tu sapientia.' poëta noster haud solet ex tam longinquo petere

sententias. neque congruit exemplum illud, quod affert, tam ex prono et facili petitum, quam hujus loci explicatio a vero interpretandi modo abiret, si ad hunc modum institueretur. Ceterum, aut clare loquitur servus, in admirationem et simplicitatem compositus (q. d. ohe tu Demea, ut video, ad præcepta sapientiæ redis, seu verba fundis sapientia, ut dudum: subindicans, se parum jam capacem esse talis philosophiæ. ita senex, non curans Syri verba, pergeret, ut cœperat: *oh! scelus. tun' si meus esses, exemplum, &c.*), autse cum hoc commentatur, ita ut nolit audiri a sene, q. d. ohe parum tempestive huc processi, si tu philosophari tuo more, ac de disciplina et moribus incipis loqui. possisque opinari, illa quoque, quæ comice subjiciuntur (*dis quidem esses Demea, ac rem tuam constabilisses*), ad spectatores dici, Demea non audiente. imo non opineris jam sed scias, si attendas, hanc Demeæ orationem revera cohærere: *oh scelus! tun? si meus esses, exemplum omnibus curarem ut esses.* quicquid interponitur, non respondetur Demeæ. ad quem tum demum conversus Syrus: *quamobrem?* inquit, *quid feci?* et postea iterum non Demeæ sed secum, ut spectatores audirent: *sane nollem huc exitum.* Bœclerus.

8 *Dis quidem esses, Demea*] Ab eo quod est 'dis, ditis,' 'dites' facit: ab eo quod est 'dives, divitis,' 'divites.' *Donatus.*

Dis quidem esses] Dives esses, re tua familiari bene administrata. *Farnabius.*

9 *Exemplum omnibus curarem ut esses*] Liber Bembinus, *exempla.* sunt autem *exempla*, exquisita supplicia: hic tamen accipit Terentius *exempla*, pro eo exemplo, quod omnibus datur ex exquisito supplicio alicujus facinorosi. *Faërnus.*

10 *Quamobrem? quid feci*] Nihil nunc in Syro nisi simplex et purum ob ebrietatem. Et vide, 'quamobrem? quid feci?' dicere, non esse sobrii Syri. *Donatus.*

11 *In ipsa turba*] Non minus ridicula importunitas Demeæ est, quam ebrietas Syri: qui adversum temulentum tantæ gravitatis oratione personat, ut ex dicentis vultu et verbis, et ex audientis habitu et stupore, magnam voluptatem percipiant spectatores. vides enim quanto pondere verborum cum ebrio litiget. *Idem.*

12 *Potastis, scelus*] Non quod plus videt senex, quam objicitur oculis: sed oratorie *potastis* dixit, quum unum ebrium cernat: propter illud quod ait, 'exemplum disciplinæ.' quasi in omnibus sit, quod in uno nunc aspicitur. Virgilius, 'Et crimine ab uno Disce omnes.' *Idem.*

13 *Sane nollem huc exitum*] Et hoc dictum argumento est, Syrum oblitum omnium rerum nihil respondisse Demeæ per fallaciam: sed tantummodo pœnitere quod exierit. *Idem.*

Scena ii. Senarii sunt. vs. 1. Mss. nostri omnes geminant *τὸ heus.* vs. 2. duo; *quid de Ctesiphone.* vs. 4. unus omittit *τὸ quidam.* vs. 5. duo; *mitte me ire.* ex glossa. vs. 6. omnes; *non manus abstines m.* vs. 7. omnes; *an tibi mavis cerebrum dispergi hic. abiit.* Bœclerus.

1 *Heus, Syre*] Quam clare dicat, ostenditur ex eo quod præmisit, 'heus,' antequam loqueretur. *Donatus.*

Ctesipho] Mire additum nomen est: quum aut sine hoc, aut per pronomen intelligi possit Ctesipho. *Idem.*

Ut redeas] 'Redeas' dicendo, ostendit et illum inter pocula, a quo egressus est ebrius. *Idem.*

Rogat te Ctesipho ut redeas] 'Arcanum demens detegit ebrietas.' quod versutus Syrus diu celarat, prodit Dromo ebrius. *Farnabius.*

3 *Cur hic nominat*] Quasi non sint alii Ctesiphones. *Idem.*

4 *Est alius quidam parasitaster parvolus*] Non alius parasitaster, sed alius Ctesipho, qui est parasitaster. et bene non 'aliter,' sed *alius*: quasi non duo, sed multi sint Ctesiphones. Et hoc sic pronuntiandum est, ut simul et quærat, et dicat 'nostin'.' Quasi sycophanta, nunc addidit, 'nostin':' nam veteratoris est, etiam mentientem confidere. *Donatus.*

Est alius quidam parasit.] Nota poëtæ artem; qui Syrum ne in ebrietate quidem fallaciarum oblivisci facit; cum præsertim metu periculi præsentiore excitaretur. Denique hunc ebrium servum cum Plautinis compara, et, quid discrepent consilia utriusque poëtæ, considera. *Bœclerus.*

5 *Quid agis? quo abis*] Hoc jam ebrio convenit, non illi quem cognovimus Syrum. nam quod retinet senem, confessionis genus est. *Donatus.*

6 *Non manum abstines? Mastigia*] Etiam injecisse manum, ut teneret Demeam, ex ipsius verbis cernitur. *Idem.*

Mastigia] Μαστιγίας. servus aut alius quispiam flagris onustus, aut dignus verberibus, a μάστιξ, flagrum. *Farnabius.*

7 *An tibi jam mavis cerebrum dispergam hic*] Ut apparet, baculo minatur. *Donatus.*

Abiit] Quia prohiberi non potuit, demisso et desperanti vultu, quid factum sit, dicit, et abiisse pronuntiat. *Idem.*

Abit] Evasit mihi e manibus atque introrupit. *Farnabius.*

8 *Ædepol comissatorem haud sane commodum*] Τῷ χλευασμῷ, tantum inopinatus supervenit, ut omnia sic offendat, quemadmodum qui comissatum ingreditur: quia comissatoris est supervenire ad scortum, et vociferari aliquid in jocularem strepitum. quare totum false, totum ad Demeam contulit. *Donatus.*

Commessatorem haud sane commodum] Convivam ingratum. Menander. Ὁ σκληρὸς ἀνὴρ ἐστιν ἐν νέοις γέρων. *Farnabius.*

9 *Præsertim Ctesiphoni*] Bona exceptio, ut appareat omnibus incommodum, et in his Æschino, sed præcipue Ctesiphoni. *Donatus.*

10 *Nisi dum hæ silescunt turbæ*] Non quæ jam sunt, sed quæ erunt. *Idem.*

11 *Edormiscam hoc*] Ὑποκοριστικὸν vini. Edormiscam crapulam hanc ex vino. *Farnabius.*

Hoc villi] Ὑποκόρισμα est *vini*: ut, *unus ullus, asinus asellus, vanus vallus, vinum villum.* Donatus.

Scena iii. Senarii sunt iterum. vs. 1. Mss. nostri duo; *parata nobis sunt.* omnes; *ita ut dixi Sostr.* vs. 3. omnes omittunt, *quid agam.* unus; *conquerar.* vs. 5. omnes, *scilicet.* unus, *propter id.* cum glossa. vs. 10. duo; *dictum inter nos hoc fuit.* vs. 11. *ex te adeo ortum est.* vs. 14. omnes; *numquid.* vs. 17. in omnibus distinctio est, quam editio præfert. vs. 22. omnes; *hæc tec. cog.* et vs. 23. ut ed. vs. 26. duo; *retine.* vs. 28. omnes; *gloriam tu istanc tibi obtine.* vs. 31. omnes; *omnia hæc si vol.* vs. 33. omnes; *et tibi et mihi e. i.* vs. 38. omnes; *hoc licet facere imp. h.* vs. 39. omnes, ut ed. nisi quod Argent. glossam interponit; *quam faciunt.* vs. 40. duo; *quæ in illis esse video.* Argent. post *quæ* interponit *ego.* vs. 41. omnes; *video eos sapere.* vs. 50. duo; *istæc nos rat.* vss. 54. 55. unus; *ceterum rus ibo cum illo cum prima luce hinc ibo.* alter meorum; *ceterum cum rus illo cum prima luce hinc ibo.* Argent. *ceterum rus cum filio cum prima luce hinc ibo.* vs. 56. omnes; *hilarem.* vs. 58. omnes, *prorsus*, et *illic.* vs. 60. unus; *illic*, duo, *illa.* vs. ult. unus; *et cui rei est opus, hilarem hunc sumamus diem.* alter meorum; *et cui rei opus est ei rei hil. h. sum. d.* ita etiam Argentoratensis. *Bœclerus.*

Parata a nobis sunt, ita ut dixi, Sostrata, ubi vis] *In hac scena collatio est personarum, mitis parentis ac sævi.*

Donatus.

1 *Parata a nobis sunt*] De verbis abeuntis vult ostendere Poëta, quam orationem cum Sostrata habuerit ingressus Micio. et vides quas ἐλλείψεις interposuerit. Primo, *Parata a nobis sunt*: quæ, non dixit: sed, *ita ut dixi* dicendo, significat se dixisse omnia. Deinde, *ubi vis*, fiant nuptiæ, vel quid tale, aut omisit, aut dicturus hoc ipsum, audit vehementius fores esse pulsatas, et quod agebat abjecit. *Idem.*

2 *Quisnam a me pepulit*] *A me*, modo, id est, *meas*. Idem.

Tam graviter] Quia irati omnia concite faciunt, quum pulsandæ fores essent exituro foras Demeæ, sic eas pulsavit, ut et his ipsis irasci videretur. *Idem.*

Quisnam a me pepulit] Aposiopesis, audito pulsu ædium suarum. *Farnabius.*

Pepulit tam graviter fores] Vide Adelph. act. II. sc. 3. *Idem.*

3 *Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem, aut querar? o Cœlum, o Terra, o Maria Neptuni*] Multum laboravit Terentius, ut ἀναλογίαν servaret in dolore Demeæ: quo major debet in Ctesiphone reprehensio esse, quam in delictis Æschini. Et nota, quod ubi non invenit quod dignum loqueretur, ab interjectione cœpit, *hei mihi*. Et adhuc quum pro rei magnitudine oratio parva esset, *quid faciam* inquit. In alieno indignatus est: in suo *quid faciam?* inquit. In alieno litigavit: hic ait, *quid agam?* In alieno clamavit et questus est: hic in suo relinquit. et præter διαπόρησιν in Æschini peccato Micionem accusavit: in Ctesiphonis, elementa cum Diis omnibus ac toto mundo. Mira αὔξησις, et quam imitatur Virgilius in Orpheo, post amissam rursus Eurydicen, 'quid faceret?' inquit. omnia enim consumpserat primus dolor. 'Quo se rapta bis conjuge ferret?' nam quid præter omnes terras atque Inferos loci remanebat? 'Quo fletu manes:' per quem fletum manes; quasi omnes primis luctibus impleverat lachrymis; 'qua numina voce moveret?' cui nec ira quidem inexperta remanserat. Et vide hic gradus doloris et iracundiæ: in tantum autem, ut jam crescere non possint. quippe in initio fabulæ tantum tristis est Demea. nam sic audit a Micione, 'quid tristis es?' et ipse, 'Rogas me (ubi nobis Æschinus siet) quid tristis ego sim?' Inde mox procedit in pejus: adeo ut sic incipiat, 'Disperii: Ctesiphonem audivi filium una fuisse in raptione cum Æschino.' Inde postea dicit, 'Ne ego homo sum infelix.' Ad postremum, 'Hei mihi quid faciam? quid agam?' Et naturali quodam modo, postquam summus furor ad extrema pervenit, repente senex mutatur, et mitis est. *Donatus.*

Heu mihi quid faciam, &c.] Donatus operosus est in explicanda hac exclamatione: sed quod circa *maria Neptuni* suspicatur, velle Demeam diluvium et interitum rebus optare, ut omnia Neptunia fiant, nimis longe petitum est, nec Terentiani moris. *Bœclerus.*

Quid clamem] Omnia accusat iracundus. Et hoc est quod habet Horatius, Ep. ad Pisones; 'Interdum tamen et vocem comœdia tollit, Iratusque Chremes tumido delitigat ore.' *Farnabius.*

4 *O cœlum, o terra, o maria Neptuni*] Neptunus, quia medius sit inter cœlum et inferos, dum utriusque regni particeps habetur, elementorum omnium potior. nam ideo tridentem habet, pro numero trium elementorum: ut apud Virgilium idcirco dicit, 'Jam cœlum terramque meo sine numine venti Miscere.' Et apud Homer. sic idem, Ὣς εἰπὼν, σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον, Χερσὶ τρίαιναν ἑλών· πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας Παντοίων ἀνέμων· σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον. Et hoc

est quod ait Horatius, in Arte Poëtica, 'Interdum tamen et vocem comœdia tollit.' In hæc enim tria, rerum natura dividitur. Ut Virgilius, 'Principio maria, ac terras, cœlumque profundum.' Et per hoc totum mundum accusavit. *Donatus.*

O cœlum, o terra, o maria Neptuni] Utrum Deos elementa vocavit, quod Diis quoque irascitur, qui in iis commorantur, ut dolentes solent? an quia Deos esse non putat, ideo hæc omnia Neptuni dicit: quasi dicturus esset, *Neptunia fiant*: nisi intercederet persona Micionis: quem videns, ad aliud conversus, desiit diluvium et interitum rebus optare, objecto fratre, cui maxime irascitur, et propter quem detestabatur omnia. Tale est apud Virgilium: 'Omnia vel medium fiant mare.' An omnia accusat, ut indignantes solent? Ut, 'Quem non incusavi amens hominumque, Deorumque?' Et ut, 'Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.' *Idem.*

Hem tibi] Τῷ ἰδιωτισμῷ. *Idem.*

Tibi] Nulli enim Micio loquitur. *Idem.*

5 *Id nunc clamat*] *Id*, ob id. *Idem.*

Id nunc clamat scilicet: paratæ lites] In libro Bembino pro *scilicet*, *ilicet* legitur; itaque prius erat et in Victoriano, sed deinde priore i abraso, remansit *licet*. Sed *ilicet* videtur etiam legisse Donatus, qui in hunc locum ita ait, '*Scilicet paratæ lites*: Videtur,' &c. ex quibus conjicere licet, Donatum non *scilicet* legisse, quod nullam perturbationem metumve significat, sed *ilicet*, quod desperantis adverbium est: ut in Eunucho: 'Actum'st, ilicet peristi.' et apud Plautum in Cistellaria: 'Ilicet, actum'st.' *Faërnus.*

Omnem rem] De amore Ctesiphonis. *Farnabius.*

6 *Scilicet paratæ lites*] Videtur et ipse pertimuisse, dicendo *scilicet*, et *paratæ lites*. Sed ut rursus confirmet se ipsum, quia *succurrendum est*, ait *succurrendum est*, Ctesiphoni scilicet. *Donatus.*

7 *Communis corruptela nostrum*] Qui communiter ambos corruperit. *Idem.*

Communis corruptela nostrum liberum] Major accusatio est ista quam prior: quippe quum jam modo de ambobus accusetur Micio, non de uno. *Idem.*

8 *Tandem reprime iracundiam*] Mire. Quia reprehendere nequit irascentem, nimietatem reprehendit irati. Et *ira*, de causa est: *iracundia*, de moribus. *Idem.*

Atque ad te redi] Quia ira, ab eo quod est *ire* dicitur, quod a se eat, qui irascitur et furit. Et, *ad te redi*, proprie dixit. Virgil. 'Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus In sese redit.' Et Cicero: 'Redit ad se atque mores suos.' *Idem.*

Atque ad te redi] Videntur quippe irati exiisse de potestate h. e. de consilio, de ratione, de mente. *Farnabius.*

9 *Repressi, redii*] Non quid dicatur, sed quo gestu dicatur, specta: et videbis neque adhuc repressisse iracundiam, neque ad se rediisse Demeam. sed quam mira est atque perspicua moralitas, in hujusmodi rebus, apparet. *Donatus.*

Repressi, redii, mitto maled.] Quam subita mutatio! qui modo præ iracundia tantopere exclamaverat; qui fratri contumelias dixerat, nunc ad unam ejus vocem, qua iracundiam reprimere, atque ad se redire monebatur, mitescit. Sed notabis, non tam mitescere eum animo, quam destitui adversario. quam enim parum moveretur Micio tali tumultu et jurgio, satis expertus erat. itaque, cum se jam effudisset ille furor, neque quo proveheretur, haberet; et Micio non voce tantum, sed gestu etiam ei demonstrasset, quam turpe homini seni esset, præ iracundia de potes-

tate mentis exire, pudore commoveri eum oportuit. cum præsertim cupidus esset convincendi Micionem de violata conventione; neque de victoria dubitaret; adeoque ad eam obtinendam, quocunque Micio vellet modo hoc specimen cerni, contenderet. Et sane Demea causa et actione hac tota superior est: cujus argumentis solidis et jure optimo nixis, Micio ambages, et figuras et σοφὰ φάρμακα opponit. *Bœclerus.*

10 *Rem ipsam putemus*] Videtur paulo citius destomachatus, quam res etiam incertæ poscebant. Sed et hoc morale: nam juste irati, omissa sævitia, ad ratiocinationes sæpe festinant. et præterea illud accedit, quod non invenit jam, quod condigne dicat: simul etiam quia increpitus est a fratre, quod apud se jam non sit per iracundiam vehementem. *Donatus.*

Rem ipsam putemus] Tractemus, purgemus. nam et hinc *putamina*, purgamenta dicta sunt: ut Plautus in Captivis ait, 'Nucleum amisi, retinui pignori putamina.' Et Virgilius, 'Multa putans,' inquit. *Putare* proprie, est falsa et cassa a veris et utilibus resecare. unde arborum purgatores *putatores.* Et *rem*, causam ipsam litis ostendit: ut, 'Mitte ista, atque ad rem redi.' *Idem.*

Rem ipsam putemus] Redeamus et ad calculos, reique ipsius inter nos pactæ computemus rationes. 'Neque enim placet; quod omnes interpretantur, amputemus, purgemus. Metaph. ab arborum putatoribus ducta.' *Farnabius.*

11 *Ne tu curares meum*] Nam ambos curare, propemodum reposcere illum est, quem dedisti. *Donatus.*

12 *Factum est*] Apparet, Micionem invitum quidem fateri, sed facete contemnere objecta. *Idem.*

14 *Cur emis amicam, Micio*] Inclamatio ista nominis, magnam invidiam significat. Ut, 'Regnumne, Æschine, hic possides?' Et, 'Pacem te poscimus omnes, Turne.' *Idem.*

Num qui minus mihi idem jus æquum est esse] Aut, *num*, aut *qui* abundat. et est ordo, Qui minus æquum est esse idem jus mihi, &c. *Qui* ergo, quare vel cur significat. *Idem.*

Numquid minus mihi idem jus æq. est esse, &c.] Æquissima ratio. conventio enim reciprocam obligationem inducit. convenit inter nos, ut ego hoc faciam, tu illud facias. in hæc fidem dedimus et accepimus. tu postulas, ut servem, quæ recepi. recte. Sed non deteriori jure exigam a te, ut tu quoque serves, quæ recepisti. naturale enim est, hæc in vicem valere. Vult Demea par pari referre Micioni. quasi ita ageret: tu antea accusasti me, quod contra pactionem inter nos initam Æschinum curarem; quod equidem propositum mihi non fuit, sed naturali tantum affectu hortante de fama et vita ejus pertimui. Tu autem nunc Ctesiphonem filium meum, qui ejusdem conventionis lege ad te nihil attinebat, receptas, licentiamque ejus et amores adjuvas. id est, cujus me culpæ voluisti insimulare, eam ultro et manifesto committis. quasi vero tibi recedere a pactis liceret, quibus ut ego starem, tantopere exegisti.

Ecce enim quid respondet Micio? auctoritati conventionis, quæ distinxerat curam filiorum, obvertit vetus illud verbum: 'Communia esse amicorum inter se omnia.' quod Ciceroni Græcorum proverbium dicitur Offic. I. 16. et Pythagorea vox, τὰ τῶν φίλων κοινὰ, de Legib. I. 12. non simplici astu. nam neque ad omnia hæc sententia potest extendi, adeoque hoc est καθόλου μὴ ὄντος, καθόλου εἰπεῖν· neque conventio ita infirmatur, quæ ab hac regula exceperat disciplinam filiorum, ne pro communi curaretur. unde iterum jure nititur Demea, cum respondet, ridiculum esse, nunc demum ea afferre. quæ si contra conventionem valere unquam debuissent, ab initio statim exprimenda fuissent. cum præsertim conventio talis sit, ut cum illo, sicut nunc affertur, pronuntiato stare non possit. Postea Micio controversiam deserit, et a quæstione juris ad utilitatem transilit, de qua nihil præcipue movebat nunc Demea. qui etiam, postquam Micio ostendisset, Ctesiphonem non de ipsius bonis, sed de suis, sumtum facere, notat hanc fraudem disputationi factam, et omitti jubet sermonem de re familiari; cum potius de consuetudine vitæ as disciplina adolescentis corrupti agendum sit. Tum *denique* Micio, utrumque filium Demeæ excusat, neque corruptos, sed mox defervescente adolescentiæ impetu ad officium redituros, famæque et rei studiosiores futuros, quibusdam signis et conjecturis ab ingenii liberalis indole conficit: animumque Demeæ varie versat, ut spem primum, subinde lubentiam admittat, ac tristitiam suam parum expetendam fateatur. Est autem eloquentia Micionis speciosa, et coloribus adornata, quæ apud simplicem Demeæ animum impetrabilis esse potuit. *Bœclerus.*

17 *Non*] Confidenter *non* repetivit, non habens rationem quam subjiceret: nisi illi proverbium venisset in mentem. Nam quia se videt in malam causam incidisse totum vernaliter et facete agit: et subjicit æquitatem, ubi justo se tueri non potest. Quod tamen a Demea statim convincitur, dicendo, 'Nunc demum isthæc oratio nata,' ut ostendat illum perturbatum contraria protulisse dictis suis superioribus. *Donatus.*

18 *Communia esse amicorum inter se omnia*] Inter Pythagoreos ortum dicitur. *Idem.*

Communia esse amicorum inter se omnia] Menander in Adelphis. Τὰ τῶν φίλων κοιν' οὐ μόνον τὰ χρήματα, Καὶ νοῦ δὲ καὶ φρονήσεως κοινωνία. quam sententiam Pythagoræ tribuit Cicero, I. de leg. et Timæus apud Diog. Laërtium. κοινόβιον Pythagoricum laudat Agellius l. I. c. 2. vide et Senec. de Benef. l. VII. c. 4. *Farnabius.*

19 *Facete: nunc demum istæc nata oratio est*] Alii totum jungunt: alii separant. Et bene *nata est:* nam sic dicimus de rebus repentinis: ut supra, 'E re nata melius fieri haud potuit, quam factum est, hera.' *Donatus.*

20 *Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea*] In duas partes dividitur tota persuasio: nihil passurum Demeam damni, nihil corruptelæ. *Idem.*

21 *Principio si id te mordet, sumptum filii quem faciunt*] Figurativa locutio est: ut, 'Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!' *Idem.*

22 *Quæso*] Modo objurgatorium est *quæso.* Idem.

23 *Pro re tollebas tua*] Pro patrimonii tui qualitate. *Donatus.*

Tu illos duos olim pro re tollebas tua] Idem liber, pro *duos*, *duo*, habet: ut Virgilius, 'Si duo præterea tales Idea tulisset Terra viros.' pro *tollebas, tollerabas*, per duo l; licet mendose. nam debet esse per simplex: *tolerabas* autem, id est, alebas, et sustentabas. Cæsar libro tertio belli civilis, 'Equos eorum tolerari, reliqua vero jumenta interiisse.' Idem, 'Ut foliis ex arboribus strictis, et teneris arundinum radicibus contusis, equos alerent, et cogerentur his rationibus equitatum tolerare.' *Tollebas* autem de adultis jam filiis non arbitror proprie dici: nec quid legerit hic Donatus, sciri potest: quia tantummodo habet, *pro re tua.* eaque dumtaxat verba exponit. *Faërnus.*

25 *Et me tum uxorem credidisti, scilicet, ducturum*] 'Επαγωγή. *Donatus.*

27 *Conserva, quære, parce, fac quam plurimum illis relinquas*] Hoc sic pronuntiandum, ut appareat hanc ipsam voluptatem displicere Micioni. *Conserva* parta. *Quære* nova. *Parce* omnibus. *Idem.*

29 *Mea*] Meis, Archaice. *Farnabius.*

Utantur sine] Aut deest, *his*, ut sit, *his utantur:* aut *mea utantur*, antique locutus est. *Donatus.*

30 *De summa nihil decedet*] Rei tuæ scilicet. *Idem.*

Id de lucro putato esse. Omnia hæc si voles] Melius in lib. Bembi. *Id de lucro putato esse omne.* Faber.

33 *Demseris*] Pro *demes.* Donatus.

34. *Mitto rem*] Pecuniam. Et hæc exclamatio est moralis nimis adversum tardos ac non intelligentes homines. *Idem.*

Consuetudinem ipsorum] *Loquor*, aut quid tale, subaudiendum. *Idem.*

Mitto rem, consuetudinem ipsorum] Vel ab utilitate ad honestatem transit: vel a rebus ad illos ipsos, de quibus agitur. Cavetur enim ne aut rem perdant, aut ipsi pereant. *Idem.*

Mitto rem] Rem familiarem et fortunæ bona nil moror: ingenium et mores eorum mala consuetudine corrumpi non est æquum. *Farnabius.*

Mane scio: istuc ibam] Moralis et faceta correptio, continens in se latenter blandimentum, quo deliniatur auditor. *Donatus.*

35 *Multa in homine, Demea, signa insunt*] Obscurissimus sensus et re et verbis. *Idem.*

Multa in homine, Demea] Homini intelligenti facile est de vita et moribus adolescentum æstimare animum ipsorum et ingenium. adeo etiam, ut cum duo idem facere videntur, dicat tamen peritus rerum æstimator, 'Hoc licet huic impune facere,' qui sc. liberali ingenio præditus est, nec facile corrumpi potest. *illi non licet*, quippe qui per naturæ improbitatem obsequio abutitur. sequitur hypothesis, 'Quæ ego esse in illis video,' &c. *Farnabius.*

37. *Duo quum idem faciunt*] Obscure locutus est, quum hic sit sensus: Duo idem faciunt, quorum uni licet facere, alteri non licet. *Donatus.*

Duo quidem idem faciunt] Nam ambo et sapiunt, et intelligunt, et loco verentur. non ingenii vitium, sed ætatis est. *Idem.*

Sæpe, ut possis dicere] Melius est *sæpe* ad superiora conjungere: nam possunt duo idem facere, et casu, non ut similitudinem facere videantur. tunc ergo erit signum, 'Sæpe idem faciunt.' *Dicere* autem posuit, pro intelligere et scire: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. ut, 'Fœneratum istuc beneficium pulchre tibi dices.' et, 'Memorem me dices esse et gratum.' *Idem.*

39 *Non quod dissimilis res sit*] An quia huic licet? *Idem.*

40 *Quæ ego esse in illis video*] Ordo et sensus hic est, Multa in homine, Demea, signa insunt, ex quibus conjectura facile fit: quæ ego illis inesse video, ut confidam fore ita ut volumus. *Idem.*

41 *Intelligere, in loco vereri*] Non, 'In loco intelligere:' sed, 'In loco vereri.' *Donatus.*

42 *Inter se amare*] Cito dixit *inter se:* quod est, quum alter alterum invicem amat. *Idem.*

Scire est liberum ingenium atque animum] Ego sic exposuerim, scire licet, eorum ingenium atque animum liberalem esse et nobilem. Juvenalis: 'Tu tibi liber homo, et regis conviva videris.' *Faërnus.*

44 *At enim metuas*] Ἀντίθεσις ad priorem tractatum pertinens, qui est habitus de consuetudine rei familiaris. *Donatus.*

Ne ab re sint tamen omissiores paulo] Quia amant, potant, olent unguenta. *Idem.*

At enim metuas, ne ab re sint tamen omissiores paulo] Oratorie *paulo:* nam non paulo omissiores fore Demea, sed plurimum fore, credit et metuit. et *ab re*, a patrimonio. *Idem.*

Ne ab re sint tamen] Ne rei familiaris sint paulo negligentiores. Heautont. act. v. sc. 2. 'Animo vidi te esse omisso.' *Farnabius.*

45 *Omissiores*] Ἀνειμένοι, ἀνετώτεροι, negligentiores. Sic in Heautontim. 'Ubi te vidi animo esse omisso.' *Donatus.*

O noster Demea] Blanda et cum quodam complexu ejus, qui reprehenditur, incusatio, et de more sublata. Et sic hoc dixit tanquam dicturus esses, Multa te latent, simplex homo es. nam hujusmodi sententia latenter quandam dicentis authoritatem fiduciamque designat. *Idem.*

46 *Ad alia omnia ætate sapimus rectius*] Præterquam ad avaritiam. et per hoc, quod optas liberis, vitium senectutis est. *Idem.*

48 *Attentiores sumus ad rem omnes*] Proprie *attentiores* reddit *omissioribus.* supra enim dixerat, 'Ne ab re tamen sint omissiores paulo.' *Idem.*

Quam sat est] Quasi dicat, attentos nos esse, non statim crimen est. *Idem.*

49 *Quod illos sat ætas acuet*] Μεταφορικῶς, *acuet.* Idem.

Ne nimium modo Bonæ tuæ istæ nos rationes, Micio, Et tuus iste animus æquus subvortit] *Næ*, valde, *subvortit*, infra legendum est. Si *ne*, pro non, conjunctio est, *subvertat* legendum est, ita ut subaudiamus *timeo*, vel aliquid tale. Et *tuæ* et *istæ* quod ait, significationem habent nullinsmodi rationis et ineptam: nam apparet, non eas probari ab eo qui sic loquitur, ut supra, 'Jam vero omitte, Demea, tuam istanc iracundiam.' *Idem.*

51 *Tace, non fiet*] *Tace* nunc pro εὐφημισμῷ positum est. quasi diceret, Non subvertet: ne dixeris: quod mali ominis verbum est. *Idem.*

52 *Da te hodie mihi*] Accommoda te ipsum voluntati meæ. nam in animum transtulit quod est corporis. ut in Eunucho: 'Mihi sese dare, sermonem quærere.' Cicero, 'Cerviculam jactare, et populo se accomodare.' *Idem.*

Da te hodie mihi] Si non vis, inquit, propter te, vel propter me mitis esto. *Idem.*

53 *Exporge frontem*] Quia *contrahi* in verbo dicitur. Et verbo isto ostenditur, quanto conatu opus sit, ad explicandam tantam contractionem senectutis et severitatis. *Idem.*

Exporge frontem] Serena, explica frontem corrugatam. *Farnabius.*

Scilicet, ita tempus fert, faciundum est] Vide si non hoc sit, quod Græci ΜΙΡCΟΚαλήμερον dicunt: nam sic, et *ita tempus fert*, et *faciundum* dicendo, ostendit se magis cogi necessitatibus, ut paulo sit tranquillior: et cum tanta difficultate promittit, tanquam mala subiturus sit. Atque adeo majorem partem secum disputat, necessario hoc velit nolit faciendum esse, ut sit lætior: et hoc quia tempus fert. *Donatus.*

54 *Faciundum est*] Satis mire: tanquam necessitate cogatur ad gaudendum agrestis senex et ξΜΙCΟΚΑΛΗΜΕΡΟC. *Idem.*

Ceterum rus cum filio cum primo lucu ibo hinc] Hoc ideo facit, quasi gaudere interim non possit, nisi se vicinæ sævitiæ proximitate soletur. *Idem.*

55 *Cum primo lucu*] Ἀποσιώπησις. *Idem.*

Cum primo lucu] Veteres dicebant *lucum*, pro *luce*, pro sole ponentes. Ergo *cum primo lucu*, quum primum sol cœperit illucescere. *Idem.*

Cum primo lucu] Veteres masculino genere dicebant, *lucem.* Idem.

Ibo hinc] Tanquam de malo loco. *Idem.*

De nocte] Abundat *de.* Idem.

Cum primo luce ibo hinc] *Lucem* veteres masculino genere dicebant. Alii leg. *lucu.* ut *nocte* et *noctu;* ita *luce lucu* usurpantes. *Farnabius.*

56 *Face te*] Eodem verbo utitur, quo jamdudum: ut laborem ad lætitiam se convertentis ostendat: id est elabora ut sis hilaris. *Donatus.*

Et istam psaltriam, una illuc mecum hinc abstraham] Vide singulas syllabas imbutas amaritudine rustica atque agresti. Nam *istam* odium significat.

Psaltriam: Sævitia in nomine est, quam deliciosam esse oportet. et, *una mecum:* quam cum adolescentibus esse convenerat. et *illuc:* ad quem locum psaltriam secum ire compellit. Deinde ne vel in itinere pœna cesset, 'Cum filio ibo hinc,' inquit, 'illam vero abstraham.' nam *illuc* eo animo dixit, quo supra, *ibo hinc.* Et apparet illum quasi mancipium ducturum puellam, non ut fidicinam. *Idem.*

57 *Mecum hinc abstraham*] Non abducam: sed quod est sævientis, abstraham. *Idem.*

Pugnaveris] Magnam rem feceris. Sic Lucilius, 'Vicimus o socii, et magnam pugnavimus pugnam.' *Idem.*

58 *Eo pacto prorsum illuc alligaris filium*] Hæc cum risu dicit Micio. Et *ligare,* est injicere alicui vincula. Quis vero dicitur alligari ad aliquid, sine quo esse non possit? Ergo proprie ad amicam alligari adolescentem dixit amatorem. *Prorsus* autem, certe, recte, ac vere significat. *Id.*

Illic alligaris filium] Ex iisdem et Donato, *illi* adverbialiter. *Faërnus.*

59 *Ut illam serves*] Acuendum *illam:* hoc est, non jam filium, sed illam, serva, in qua utrumque retinueris. *Donatus.*

Ego istuc videro] Hoc est, ut illam servem. *Idem.*

60 *Atque ibi favillæ plena, fumi ac pollinis coquendo sit faxo, et molendo*] Atqui molere prius est, quam coquere: sed illud prius posuit, quo pulchritudo magis fœdatur. an quia prius torreatur triticum, ut tundi possit? Ut Virgilius, 'Et torrere parant flammis, et frangere saxo.' *Idem.*

61 *Coquendo sit faxo, et molendo*] Ne ametur scilicet. *Idem.*

Coquendo sit faxo, et molendo: præter hæc] 'Απόδοσις octava. *Idem.*

Coquendo sit faxo et mol.] Notabilis locus est Plauti de operibus ancillarum, Mercatore II. 3. 62. 'Nihil opus nobis ancilla, nisi quæ texat, quæ molat, Lignum cædat, pensum faciat, ædes verrat, vapulet, Quæque habeat cotidianum familiæ coctum cibum.' *Bœclerus.*

62 *Meridie ipso*] Quum sol vehementior est. Et nomen fecit de adverbio. *Meridiem* dixerunt veteres, quasi *medidiem, r* pro *d* posito, propter cognationem harum inter se literarum. *Donatus.*

Meridie ips. &c.] Possis interpretari versibus Tibulli Eleg. I. 9. 'Jam mihi persolvet pœnas, pulvisque decorem Detrahet, et ventis horrida facta coma: Uretur facies, urentur sole capilli, Deteret invalidos et via longa pedes.' *Bœclerus.*

Ut stipulam colligat] Quod sub sole fieri necesse est. *Donatus.*

63 *Tam excoctam reddam, atque atram*] 'Ιδιωτικῶς dixit *reddam,* pro *faciam.* Et *excoctam,* ad tenuitatem siccati coloris: *atram,* ad colorem retulit. Et vide quam aspera, quamque ingrata clausula sit, qua sævidici senis finitur oratio. *Idem.*

Placet nunc mihi videre sapere] Non contradicit: timet enim suasor, ne lætitiam rursus provocet ad jurgium. *Idem.*

64 *Atque equidem filium*] Non solum suadet lætitiam, sed etiam ridere cogit invitum. *Idem.*

66 *Derides? fortunatus qui istoc animo sies*] Hoc verbum vultu Demeæ sic profertur, ut subrisisse videatur invitus. Sed rursus *ego sentio,* amare severeque dixit. Et *ridet,* qui simpliciter ridet: *deridet,* qui cum alterius irrisione et contemptu ridet. *Idem.*

Fortunatus qui istoc animo sies] Non laudantis est quod ait, *fortunatus:* sed moraliter reprehendentis. ut si dicas, quum te aliquid cura offenderit, fortunatos stultos qui nihil sentiant. At hoc quoque dixit in Eunucho, 'At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.' *Id.*

Fortunatus] In hoc felix videris, qui miseriarum sensu careas, ego vero sentio. Sophocles in Ajace. 'Εν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν, ἥδιστος βίος. *Farnabius.*

67 *Jam jam desino*] Et hic velut necessitatem queritur imponi sibi. *Donatus.*

68 *Et cui rei opus est*] Cui rei credis, nisi nuptiis? hoc est, ludo atque lætitiæ, voto et gaudio nuptiali. *Id.*

Hunc sumamus diem] Non accipiamus, sed impendamus, et consumamus. Unde et *sumptum* dicimus pecuniam, quæ insumenda est. *Idem.*

Scena iv. Trochaici sunt tetrametri catalectici. vs. 4. omnes Mss. nostri *in experiendo repudies,* omisso τῷ *ut.* vs. 5. omnes, ut ed. vs. 14. itidem. vs. 16. duo: *exacta re.* vs. 17. duo: *patria utitur commoda.* vs. 23. duo habent *nunc* pro *jam.* omnes, *contra hæc,* atque *et* omittunt. vs. 24. omnes, ut ed. vs. 26. unus: *obsequendo animo.* Argent. *post hæc* aliter in textu, aliter in margine inserit. *Bœclerus.*

Numquam ita quisquam bene subducta ratione] *In hac scena exemplum inducitur hominum, qui virtutem tædio deserunt, ob contemptum ejus, quod apud omnes sævum esse, vitiosum sit. Et adeo favet Terentius clementioribus ac mitissimis patribus, ut hunc quoque adducat ad sententiam Micionis, non tamen hoc sentientem, quod ita fieri oportet, sed quod ita res cogat. Vult enim naturalem inesse veris patribus acrimoniam: sed eam semper invidiosam esse adolescentibus.* Donatus.

1 *Bene subducta ratione*] Bene disposita, bene computata: *ducere* enim est digitis computare. sed *ducere* est apud alium et palam: *subducere,* apud se ipsum et secreto. quo magis in verbo isto majoris attentionis et diligentiæ signum est. *Idem.*

Numquam ita quisquam, &c.] Semper quidem decet senes sententias loqui; ἁρμόττει γὰρ γνωμολογεῖν ἡλικίᾳ πρεσβύτερον, ut ostendit Aristoteles Rhet. II. sed ab hoc exordio, non frustra gravitatem singularem præferente, Demeam præcipue sententiosum voluit esse Poëta. hactenus enim iracundia et ægritudo animi plerumque obstiterat philosophanti, nunc, composita in novum quasi habitum mente, magnifica orditur ῥήσει· 'experiendo semper disci.' Servatur et auctoritas senis, quibus hic ad gloriam titulus potissimum placet: et voluntas proficiendi commendatur, quæ nunquam sera esse potest: et occasiones disciplinæ ex negotiorum varietate egregie demonstrantur. Undique conflatur orationi dignitas: 'Nunquam ita quisquam' (ne quis ὀψιμαθὴς videri possit, si sapientissimus quisque idem experitur) 'tam bene subducta ratione ad vitam fuit' (exquisito loquendi genere prudentia et ars vivendi notatur) 'quin res, ætas, usus' (quam plene et feliciter partitur illud, quod experientiam vocamus!) 'semper aliquid apportet novi,' (adeoque animos cognoscendi et proficiendi cupidos) 'aliquid moneat,' (unde scilicet te profecisse scias, id est,) 'ut illa quæ te scire credas, nescias,' (imo non in συνέσει tantum, sed etiam in δεινότητι perficiaris) 'et quæ tibi putaris prima, in experiendo ut repudies.' Prorsus nihil potuit exactiore vel eloquentia vel philosophia dici. *Bœclerus.*

Bene subducta] Considerata recte vivendi via, translatum a calculatoribus. *Farnabius.*

2 *Quin res*] *Quin* modo *cur non* significat. *Donatus.*

Quin res, ætas, usus] Tria posuit, ex quibus *res* pro experientia ponitur: et hac dicit se esse mutatum. nam mox dicet, 'Re ipsa repperi, facilitate nihil esse homini melius, neque clementia.' *Idem.*

Ætas, usus] Pindarus in Olymp. 'Αμέραι ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι. Pub. Syrus: 'Discipulus est prioris posterior dies.' *Farnabius.*

3 *Aliquid moneat*] Σύλληψις est per

casus. subanditur enim *quem*. Donatus.

4 *Quæ tibi putaris prima*] Ante alia eligenda: quæ et primo loco ponenda, ac per hoc optima. *Idem.*

5 *Quod mihi nunc evenit*] Contrahe *mihi* in unam syllabam, eamque post *nunc* colloca ex libro Bembino et aliis antiquis. ita stabit trochaicus. *Faërnus.*

Vitam duram quam vixit] Ἀρχαϊσμός. ut Lucilius, ‘Magnam pugnavimus pugnam.’ *Donatus.*

Nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc] Prius dixit quid faciat, quam cur faciat. *Idem.*

6 *Prope jam excurso spatio*] Id est, ad calcem, propter ipsos decursus metasque vivendi. et est μεταφορὰ sumpta a cursoribus. *Idem.*

Excurso spatio] Id est, in summa senectute. *Idem.*

Prope jam excurso spatio] Consensus Mss. codicum omnium facit, ut hæc lectio retinenda sit. quamvis Priscianus sæpius hunc locum laudet, et legat *decurso spatio*. quæ et Plautina phrasis est. v. Fr. et Georg. Fabricios, et Guyetum, qui τὸ *decurso* prætulit. *Bœclerus.*

Id quamobrem? re ipsa repperi] Quia secum loquitur, ideo multa reticet. et deest, *Faciam?* et, *si quis quærat*: et, *dicam*. Donatus.

Mitto] Omitto, muto. *Farnabius.*

7 *Facilitate*] Jam facilem se infert. Inter *facilitatem* et *clementiam* hoc interest: *facilis* enim, cujus ira cito solvitur: *clemens*, qui non irascitur. *Donatus.*

Facilitate nihil homini esse melius] Nos ex o. l. s. ita collocamus, *nihil esse homini*. Faërnus.

9 *Ille suam semper egit vitam*] Hic jam quasi comparativa qualitas inducitur de utroque; et ut ille in initio fabulæ locutus est, sic in fine hic loquitur. *Donatus.*

10 *Clemens, placidus, nulli lædere os*] Mira varietas et in locis, et in partibus orationis. Et *clemens* est qui colit mentem suam, nec eam vexat irascendo. *Idem.*

Clemens, placidus] *Clemens* est circa recte agentes: *placidus* etiam circa delinquentes. Et clementis est nulli lædere os: placidi arridere omnibus. Et clemens animo, placidus vultu. *Idem.*

Nulli lædere os] Id est, nullum præsentem lædere. Et vide quam grate a nominibus verba transeant. *Idem.*

Nulli lædere os, arridere omnibus] Voluptatis affectus est duplex: aut enim ex quiete voluptas est, aut ex aliquo actu. ergo hic utrumque complexus est. *Idem.*

Et nulli lædere os] Adeo ut nulli se contristem faciat. et hæc est figura ἀναδρομὴ, quum recurrimus per ea quæ diximus: et ἐξηγητικῶς omnia repetita sunt. *Idem.*

Nulli lædere os] Nullius vultum offendere, nemini coram adversari, nulli pallorem aut ruborem ex ira aut pudore excitare. *Farnabius.*

Nemini lædere os] Hunc locum in animo habebat D. Augustinus lib. I. de Civit. Dei, ubi de iis agit, qui alios in peccatis admonere metuunt, ‘Vel cum laboris piget, vel os eorum verecundamur offendere.’ Ex iis verbis facile intelligas quid sit *lædere os*, apud Terentium. *Faber.*

11 *Omnes bene dicunt, amant*] Juxta illud in Andria: ‘Obsequium amicos parit.’ I. 1. 41. *Bœclerus.*

12 *Ego ille agrestis*] Bene addidit *ille*, quasi jam notus, hoc ipso quod ferus atque agrestis. Et *sævus* factis: *tristis* animo: *truculentus* vultu. et aliter dici potest, ut *tristis* sit, qui dolet: *truculentus* et sævus, qui terret: et ideo αὔξησις mira per ista decurrit. *Donatus.*

Ego ille agrestis] Non tantum notatur hic, quam Horatius describit, Ep. I. 18. ‘Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,’ sed etiam illud alterum vitium, quo apud eundem

Poëtam signatur ‘Durus homo atque odio qui posset vincere regem;’ itemque qui suis ‘Immoritur studiis et amore senescit habendi.’ *Bœclerus.*

13 *Duxi uxorem*] Pendet, *duxi uxorem*: sed *etiam* cum magno significatu addendum est: majore enim pondere subtrahitur conjunctio: nam, *duxi etiam uxorem*, dicendum fuit. *Donatus.*

Duxi uxorem] Menand. Τὸ γυναῖκα ἔχειν, εἶναί τε παίδων, Παρμένων, Πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει. Et Τὸ γενέσθαι πατέρα παίδων, ἦν λύπη, φόβος, φροντίς. *Farnabius.*

Quam ibi miseriam vidi] *Ibi* inquit, quasi uxor locus sit. et hoc sine conjunctione, ut mala quæ enumerat, multa videantur. *Donatus.*

14 *Alia cura*] Non altera. *Idem.*

Porro autem, dum studeo] Non facile stat hic versus, nisi licentiis sustentatus, quarum necessitatem evitabit qui pro *porro, heia* legerit, ut in libro Bembino et Victoriano est, ut sit vox seipsum vel hortantis ad enumeranda quæ restant, vel de uxore ducta reprehendentis: aut quod ætatem contriverit in quærendo. est enim *heia* adverbium corripientis, teste Donato in commentariis in Hecyram, super eo loco, ‘Nunc video in illarum potestate esse te.’ sane amat hæc interjectio jungi cum adverbio, *autem*. Plautus in Amphitryone: ‘Heia autem inimicos?’ *Faërnus.*

16 *Fructi*] Archaice, pro *fructus*. Farnabius.

17 *Patria potitur*] Accusativo casu extulit quod nos ablativo dicimus. id est, *patrio potitur commodo*. Accius in Clytemnæstra, ‘Feras potiuntur plagas.’ *Donatus.*

Patria potitur] Syntaxis vetusta pro, *patriis potitur commodis*. Farnab.

19 *Illum diligunt: apud illum sunt ambo: ego desertus sum*] Hic ostendit Terentius, verum patrem et molestiorem et odiosum esse magis adolescentibus. *Donatus.*

20 *Illum ut vivat optant*] Σύλληψις. nam sic veteres loquebantur. Nos vero dicimus *illi optant*, non *illum*. Idem.

Illum] Micionem. *Idem.*

Illum ut vivat optant] Quidam quartum casum hic pro recto poni autumant, inter quos est ex Don. Scioppius. alii ἀνακόλουθον agnoscunt. *Bœclerus.*

Meam autem] Supra act. I. sc. 2. ‘Ubi te exspectatum ejecisset foras.’ *Farnabius.*

23 *Age, age, nunc experiamur contra hæc quid ego possiem*] Posset hic versus utcumque sustentari, melius tamen habet in Bembino, *Age, age, jam experiamur porro contra, et quid ego possiem*. ita trochaicus optime procedit, vel attribuendo primam ejus syllabam præcedenti, vel ex *quid* d elidendo. *Faërnus.*

Nunc experiamur] Magis comice pluraliter *experiamur* dixit, quam si diceret, *experiar*. Donatus.

24 *Quando eo provocat*] Non addit quis: sed intelligimus, Micionem significari. *Idem.*

Quando eo provocat] Donatus, et liber Victorianus, ac Decurtatus pro *eo*, habet *huc*: quam lectionem Rivius in multis Terentii libris asserit invenisse. Bembinus vero *hoc*, antiquorum more pro *huc*; quod et placet. *Faërnus.*

25 *Ego quoque*] Confer Plauti Asinariam, act. I. sc. 1. ‘Omnes parentes,’ &c. *Farnabius.*

26 *Si id fit dando, atque obsequendo*] Bene naturam secutus est, qui artem ignorat, putans agi verbis omnia debere, non dando et obsequendo. *Donatus.*

Si id fit] Id est, jam a liberis si magni pendor. *Idem.*

Non posteriores feram] Subauditur *partes*: aut, *non parvi faciam*, id est, non vincar a Micione. Et translatio est a partibus histrionum in fabula. *Idem.*

Non posteriores feram] Primus in

his ero, inquit, in dando atque obsequendo. *Idem.*

27 *Deerit: id mea minime refert*] Vide, remanere in Demea non penitus ejectam securitatem. *Idem.*

Id mea minime refert, qui sum natu maximus] Ut apud Plautum Trinummo II. 2. 38. 'Mihi quidem ætas acta est ferme: tua istuc refert maxime.' *Bæclerus.*

Natu maximus] Adeoqne provecta ætate. Cic. ad Attic. l. XVI. Epist. 6. 'Non longe a sepulchro.' l. XIV. Ep. 21. 'Sed mihi quidem βεβίωται.' *Farnabius.*

SCENA V. Senarii sunt. vs. 2. duo ex Mss. nostr. *quis homo est?* tertius: *quis est homo.* Arte Poëtæ factum est, nt Demea, qui hactenus non sueverat blande dicere, rudimenta novi consilii in servis experiretur. indicavit ipse scena sequente, vs. 10. *Bæclerus.*

Heus Demea, rogat frater ne abeas longius] *Hic ostendit Poëta, quam absurde blandus conetur esse, qui non soleat: et quam immodica sit repentina largitas, ubi animus a parcitate nimia in contrarium vitium profusionis excurrerit.* Donatus.

1 *Heus Demea, rogat frater, ne abeas longius*] Ut apparet, jam edormivit crapulam Syrus. Et satis moraliter dixit *frater:* nec addidit *tuus.* Idem.

Frater] Moraliter. nam deest *tuus.* Idem.

2 *O Syre noster, salve: quid fit*] Jam non hæc blanda, sed dura sunt. nam *salve* dixit ei, non solum quem sæpe viderit, sed cum quo toties litigaverit. *Idem.*

Quid fit? quid agitur] Interrogat et quum sciat, et quum damnet actus ejus. *Idem.*

2. 3 Guyetus delet. quos tamen maxime sustentat institutum Poëtæ, scena sequente vs. 8. 9. verbis Demeæ iterum ἐκ παραλλήλου expressum. quod et Donato observatum. *Bæclerus.*

3 *Recte*] Bene respondit *recte:* hæ enim interrogationes de salute atque incolumitate ejus sunt, qui interrogatur. *Donatus.*

Hæc tria] Deest *verba.* Idem.

4 *Præter naturam*] Plus dicit quam si diceret, 'Præter consuetudinem.' *Idem.*

Jam nunc hæc tria primum addidi præter naturam, O noster, quid fit? quid agitur] Hoc pressius dictum est. *Idem.*

Præter naturam] Cic. II. de Oratore. 'Qui neque natura neque arte lepidi sunt, prudenter tacent: aut non loquuntur nisi necessario; alioqui, dum faceti esse student, inepti, ridiculi, aut etiam molesti fiunt.' *Farnabius.*

5 *Servum haud illiberalem*] Dura et importuna repente commutatio ex tanta vituperatione in laudem Syri, ostendit contra naturam suam niti Demeam. *Donatus.*

Præbes te] Id est, te ostendis, factis probas. *Idem.*

Et tibi lubens bene faxim] Et *bene* ad quam rem adjectum est: an et *bene** hoc addidit. Quis enim credat tam subitis post sævitiam blandimentis, nisi factis quoque vera esse ostendatur? *Idem.*

Et tibi lubens bene faxim] *Et* additum est, ut ostendat hanc esse sententiam, Non solum te laudo, sed etiam juvo: illud dicendo, hoc faciendo. *Idem.*

Et tibi lubens bene faxim] Potest hoc et sic intelligi, Bene tibi faxim, et lubens. multi enim bene, sed non ex animo faciunt. Omnia ergo addidit, quæ placidum ostendant ipsum, atque clementem. *Idem.*

6 *Atqui, Syre*] *Atqui* abundat per παρέλκον. *Idem.*

Syre] Asseveratio est non credentis. *Idem.*

7 *Hoc verum est*] Quasi falsum fuerit illud, quod jurgabat: et hoc sit

verum, quod nunc dicit. *Idem.*

Propediem] Ὑφέν. Nam *propediem* adverbium est temporis: ut si diceret, *cito.* Idem.

SCENA VI. Eodem metro. vs. 1. Mss. nostri omnes: *hera ego hinc abiens ad hos provisam.* vs. 6. omnes, ut ed. vs. 7. unus, ob hanc rem. vs. 9. duo: *cum hoc existimas:* alter, æstimas. *Bæclerus.*

1 *Hera, ego hinc ad hos proviso*] *Ad hos,* ad Micionem et Æschinum scilicet. *Proviso* duas res significat: procedo, et video. *Donatus.*

Hos] Mitionem et Æschinum. *Farnabius.*

2 *Sed eccum*] Hoc apud se. *Donat.*

3 *O, qui vocare*] Hac interjectione utimur, ubi ex intervalio notos videmus. *Idem.*

O, qui vocare] Post o, nomine vocaturus, non habuit quod diceret: et ideo subjecit, *qui vocare.* Virgilius, 'O quam te memorem virgo? namque haud tibi vultus Mortalis: nec vox hominem sonat. o Dea certe, An Phœbi soror? an Nympharum sanguinis una?' Moris est autem inferiores proprio nomine vocari, si blandiri velis, sed hic nominis oblitus, dum dubitat et inquirit, inhæsit pronomini. *Idem.*

Qui vocare] Plaut. Trinum. act. IV. sc. 2. 'Agedum; nomen tuum primum memora mihi.' *Farnabius.*

Geta, hominem maximi pretii esse te hodie judicavi animo meo] Ridicula morositatis fuga, et affabilitatis affectatio; ubi dominus servulo, grandior minori blanditur. Sed, 'Dum vitant stulti vitia in contraria currunt.' Horat. ad Pisones. *Idem.*

4 *Animo meo*] Hoc est, secundum animi mei sententiam, et quantum ad animum meum pertinet. *Donatus.*

5 *Nam is mihi est profecto servus*] In hoc laudando quia non laborat, subjecit specialiter merita ejus: aut, ut existimo, nihil habuit quod diceret nisi laudem, sine ullius facti mentione. Et *mihi,* id est, quantum ad judicium meum pertinet. *Idem.*

Nam is mihi est profecto] Aliqui libri, inter quos Bembinus, verbum *est* habent post *profecto.* Faërnus.

6 *Cui dominus curæ est*] Quum hic dominas habeat, *dominum* dixit: quia prævalet masculinum. Virgil. 'Descendo, ac ducente Deo flammam inter et hostes Expedior.' Et præterea sententia generalis inducitur, quum nullum specialiter dominum significat. *Donatus.*

Cui dominus curæ est] In animo habuit Horatius hunc locum cum scriberet (Sat. II. 7.) 'Davus ne?' (sc. vult loqui) 'ita Davus, amicum Mancipium domino, et frugi quod sit satis.' *Bæclerus.*

Ita, ut tibi sensi, Geta] Maximum delinimentum infert, eum nomine vocans, quod tantum superioribus est. Et vide quam grate, postquam ipse dixit, nomine appellavit Getam. *Donatus.*

Ita ut tibi sensi Geta] Ex libro Bembino lege, *uti;* et melius versus procedet. *Faërnus.*

7 *Et tibi ob eam rem*] Quid *et tibi?* utrum quemadmodum aliis? an quemadmodum Syro? *Donatus.*

Et tibi ob eam rem si quid usus venerit] Defectus quidam rustici præter naturam blandientis, cogit dicta repetere sine gratia. Hæ autem promissiones ad hoc præmittuntur, ut quum in subjectis agi a Demea hujusmodi res cœperint, non sit absurdum spectatoribus, Demeam tam cito esse mutatum. *Donatus.*

Et tibi ob eam rem, &c.] Donatus: 'Defectus quidam,' &c. Minime hoc egit Poëta, quod suspicatur Donatus. quin potius οἰκονομία τῆς καταστροφῆς eo tendebat, ut humanitas Demeæ non in suos tantum, sed in novorum affinium familiam redundatura, integra παρασκευῇ, ut solet noster, instrueretur. sed nec bene stabit hæc Donati κρίσις cum illis quæ sequuntur:

'Hæ autem,' &c. *Bœclerus.*

8 *Meditor esse affabilis*] Sic hoc lentius, ut illud supra, 'Jam non tria hæc addidi præter naturam: O noster! quid fit? quid agitur?' *Donatus.*

Meditor esse affabilis] Sibi gratulatur suam morum humanitatem, submissa voce. *Farnabius.*

10 *Paulatim plebem*] Moraliter inferiorum turbam *plebem* dixit: hoc est, ut in urbe vulgus, ita in familia servos. Et fit translatio ab iis qui honores dolose, ac non pro merito petunt, ambitiosique sunt. *Donatus.*

Plebem primulum facio meam] Hoc est, mihi faventem. Et e contrario Virgilius, 'Vadimus immisti Danais, haud numine nostro.' *Idem.*

Plebem primulum facio meam] A servis initium sumo, et plebe: mox ab his rudimentis et experimentis ad dominos ascendam. *Farnabius.*

SCENA VII. Eodem metro. vs. 2. omnes: *totum cons. d.* unus interserit *hunc.* vs. 5. omnes, ut ed. vs. 6. duo: *uxorem quæso accersi.* unus: *quæso ux. acc.* vs. 7. omnes ut ed. vs. 9. unus: *turbas, hymen. l.* alter: *turbam, hymen. l.* tertius: *hymenæum, turbam, lam.* vs. 11. unus: *hanc transfer.* vs. 14. duo: *fratris æd.* sed Donatus præfert fratri. vs. 15. duo: *amittet.* unus, *admittet.* vs. 17. omnes: *dinumeret ille babillo.* vs. 18. omnes: *quid ago.* vs. 20. omnes, *bene faciant.* vs. 23. unus: *hac nunc duci per v.* alter: *huc nunc d.* Argent. *duci nunc huc.* Bœclerus.

Occidunt me quidem] *Adolescens et Demea, inter se affabiles, imaginem præbent, et quam dulcis sit junioribus assentatio, et quam ingrata censura.* Ἰδιωτικῶς autem dixit *occidunt me,* pro *nimis lædunt et cruciant me.* Donatus.

1 *Occidunt me quidem*] *Quidem* pro exspectatione est: tanquam in hac mora nullus alius occidatur, nisi qui amat, id est, ego. *Idem.*

Dum nimis sanctas] Et *nimis sanctas* ridicule additum est in ea ducenda, quæ jam peperit. nam *sanctum* est, quod omni observatione inviolatum est. Et bene additum est *nimis:* quia *nimium* pro vitio ponitur: juxta illam sententiam, qua dicitur: *ne quid nimis.* Idem.

2 *Sanctas*] Solenni et religiosa pompa apparatas. *Farnabius.*

Student facere, in apparando consumunt diem] Credo elidi n ex *in*, ut secundus pes sit anapæstus. *Faërnus.*

3 *Quid agitur, Æschine*] Jam ipse docuit, *quid fit?* et *quid agitur?* blandimentum esse. Jam nunc hæc tria primum addidit præter naturam. *Donatus.*

O noster, quid fit? quid agitur? Ehem pater] Non sine consternatione respondet Æschinus, etsi hic blande interrogat, et miti vultu: nam ex improviso objectus est Demea, et insperanti. *Idem.*

4 *Tuus hercle vero et animo, et natura pater*] Totum eripuit Micioni, cui ne animum quidem reliquit. *Idem.*

5 *Qui te amat plus quam hosce oculos*] Magis comicum, quam *amo.* Id.

Plus quam oculos hosce] Supra act. IV. sc. 5. *Farnabius.*

Sed cur non domum uxorem accersis] Bene subjecit, quæ volenti esse credebat. *Donatus.*

6 *Verum hoc mihi moræ est, tibicina, et Hymenæum*] Hoc est quod ait, 'Dum nimis sanctas nuptias student facere.' *Hymenæum* quidam Liberi et Veneris filium dicunt esse, qui primus certas nuptias instituerit. ideo per laudem cantatur virginalibus nuptiis ob hujusmodi meritum. Alii virum fortem Atticum dicunt fuisse, qui raptas prædonibus virgines, oppressis latronibus, intactas patriæ restituerit. Alii quod ὑμὴν dicatur membrana quædam, qua est munita virginitas, quæ primo disrumpitur coitu, *Hymenæum* putant veluti hymnum vocari virginalium nuptiarum. Ergo sic accipe *Hymenæum* in nuptiis, quemadmodum θρῆνον in funere, vel in sacris *hymnum.* Idem.

7 *Tibicina*] Plaut. Casin. act. IV. sc. 3. 'Quæ suavi cantu concelebret omnem plateam Hymenæo.' *Farnabius.*

Hymenæum] Carmen nuptiale, Epithalamium. ὑμέναιον Photius deducit ἀπὸ τοῦ ὑμεναίειν. Æolice pro ὁμονοεῖν, quod concorditer noviter maritatos vivere optarent. Alii ab Hymenæo quodam, qui virgines Atticas, dum in littore sacris Cereris operarentur, a piratis raptas vindicavit, piratis, qui rapuerant, interfectis. vide quæ nos ad Senecæ Thebaid. vers. 262. Alii ab ὑμὴν membranula quæ virginibus in primo Veneris aditu rumpitur. *Idem.*

8 *Vin' tu huic seni auscultare*] Contempsit se ipsum dicendo *huic seni:* hoc solum afferens causæ cur audiendus non sit, quod sit senex. Et totum hoc apparet lætissimo vultu dici. *Donatus.*

9 *Turbas, lampadas, tibicinas*] Bene totum pluraliter: ut qui reprehendit sic multa. Plautus, 'Quos tu mihi parasitos, luscos, quos Summanos somnias?' Hæc igitur vultu pronuntianda sunt, ut appareat ea displicere dicenti. *Donatus.*

Lampadas] Faces quinque a pueris patrimis et matrimis prælatas. adi quæ adnotavimus ad vers. 507. vide et Rosinum lib. V. c. 37. et quæ Dempsterus in paralip. ad idem caput. *Farnabius.*

10 *Atque hanc in horto maceriam jube dirui*] *Maceria* dicitur paries nunc alicujus demacerata. *Donatus.*

11 *Unam fac domum*] Hoc colore valde plausibili utitur ad eos, qui hanc affinitatem elegerant, i. e. Micionem et Æschinum. Unde scena seq. cum periphrasi et incremento: 'Ego vero jubeo et hac re, et aliis omnibus, quam maxime unam facere nos hanc familiam; colere, adjuvare, adjungere.' Vix desinere potest in commendanda et ornanda necessitudine. *Bœclerus.*

13 *Euge, jam lepidus vocor*] Apparet Demeam experiendi causa assentari, non quod animo faciat. *Donatus.*

14 *Fratri ædes fient perviæ*] Elegantius quam *fratris.* Idem.

14. 15 *Turbam domum adducet et sumtum, &c.*] Ex illis, quæ ductu Mss. codicum erui possunt, haud dubie commodius est, ut edidimus. vide etiam Guyetum. *Bœclerus.*

16 *Ineo gratiam*] In gratiam eo, hoc est, amicos comparo. *Donatus.*

Ego lepidus] Irridens adolescentis animum, sic inquit. *Idem.*

Jube nunc jam] Insultantis est verbum *jube.* tanquam præstet Micioni, hoc dicit Demea. Aut apud se dicit hoc. *Idem.*

Jube nunc] Quasi insultantes dicere solemus, nunc minari, nunc assistere, quem afflictum tenemus: ita et Micioni Demea dicit, *Jube nunc.* Idem.

Jube nunc jam dinumeret Babylo illi viginti minas] Nimis morale est, quum de absente tanquam de præsente agimus. Est autem, *Jube nunc jam*, figura etiam apud Plautum frequentissima. *Idem.*

Jube nunc jam] *Jube* sic dicit, quemadmodum supra ille, qui quum alius nemo adesset alicui diceret. *Idem.*

16. 17 *Jube nunc jam, dinumeret illi Babylo, &c.*] Certum est, neque Donatum hic quicquam expedire, neque doctorum virorum quenquam aliquid afferre, in quo vel leviter possis acquiescere. igitur Guyetus duos hos versus ejicit. mallem unum tantum scil. 17. nam cetera satis cohærent. 'Quid mea? Ego lepidus ineo gratiam. jube nunc jam Syre. cessas ire, ac facere?' *Bœclerus.*

17 *Dinumeret*] *Dinumeret* dixit, quasi multum numeret. *Donatus.*

Illi] Cui *illi?* Ctesiphoni? Lenoni? an Æschino? an Syro? *Idem.*

Babylo] Fratrem *Babylonem* ob nimiam liberalitatem vocat: an *Æschinum* nimis prodigum? *Idem.*

Babylo] Micionem frater Babylonem agnominat, quasi prodigum et profusum, inquit Turneb. lib. XIX. c. 10. Nannius vel *babalo*, vel *batalo*, vel *bacelo* legendum ariolatur: quem lege, Miscellaneorum lib. II. c. 12. *Farnabius.*

18 *Syre, cessas ire ac facere*] Ἰδιωτικῶς dicitur. *Donatus.*

Diruo] Hoc vultu dicitur adhortante. *Idem.*

20 *Quum te video nostræ familiæ tam ex animo factum velle*] 'Ex animo alicui facere,' est id facere, quod ille animo suo velit: aut certe ex tota mente præstare, non perfunctorie: sed 'ex animo factum,' bene factum intelligere debemus; ut sit, *ex animo*, quasi ex sententia. *Idem.*

21 *Dignos arbitror*] Multa desunt, et 'vos,' et 'esse,' et 'qui fiant.' *Idem.*

22 *Quid tu ais*] Eo vultu dicitur 'quid tu ais?' quo videmus loqui eos, qui interrogant gesticulante vultu, quid sentiant de consilio suo, quos sciunt approbaturos esse. *Idem.*

25 *Sic soleo*] Potest εἰρωνεία videri, quippe quando tale consilium probat Demea, quod probaret adolescens. *Idem.*

Sic soleo] Formula applaudendi sibi, ut supra aliquotiens. nec sine εἰρωνείᾳ tamen. *Bœclerus.*

SCENA VIII. Senarii sunt, et Octonarii Iambici. vs. 9. duo: *quam rem hic agit.* vs. 12. duo: *quid tu asine huic auscultas.* vs. 14. nostri: *insanis.* DE. *age. da veniam quæso filio.* vs. 19. omnes: *ne gravare.* vs. 23. duo: *hoc cum fit, quod volo.* vs. 25. duo: *facere ipsi decet.* vs. 26. omnes: *foris.* vs. 27. ut edid. vs. 33. *dabitur quidem quando hic vult.* vs. 34. Argent. *nunc mihi tu es germanus p. c. e. a.* alter meorum: *nunc tu mihi es germ. pariter et animo et corpore.* unus plane omittit. vs. 35. duo: *suo gladio hunc jugulo.* Argent. *suo hunc gladio jugulo.* vide Faërni notas de metro ordinando in compluribus hujus scenæ versibus. *Bœclerus.*

1 *Jubet frater*] *Apparet Micionem dixisse,* Cur diruis? *Syrum respondisse,* Quia hoc jubet frater tuus. *Donatus.*

Jubet frater] Dirui maceriam scilicet. *Idem.*

Jubet frater] Videtur Mitio interdixisse servis ne maceriam diruerent, et quæsivisse, quisnam iis autor esset illius diruendæ, respondisse servos, 'Jubet hoc frater tuus.' *Farnabius.*

Tune jubes hoc, Demea?] Interrogative pronuntiandum totum. ita erit una persona. Et ostenditur breviter ex hujus verbis, quid prior dixerit Syrus. Et mirum initium, ne procemio opus esset Demeæ, ad profitendam mutationem voluntatis. *Donatus.*

Et aliis omnibus] Ut nuptiis senilibus. *Idem.*

4 *Colere, adjuvare, adjungere*] 'Colere,' ad nurum pertinet: 'adjuvare,' ad Hegionem: 'adjungere,' ad Sostratam. Et notandum 'coli' a superiore. ut 'Posthabita coluisse Samo: hic illius arma.' *Idem.*

Colere] Subauditur 'jubeo,' per ζεῦγμα. *Idem.*

Adjungere] Plaut. Aulul. 'Ad probos propinquitate proxime te adjunxeris.' *Farnabius.*

5 *Imo hercle ita nobis decet*] Antiqui, si addebant statim verbum, 'Nos decet facere, nos decet dicere:' si non addebant, 'nobis decet,' dicebant. *Donatus.*

Nobis decet] Supra, act. III. sc. 5. 'Ut vobis decet.' Græcismus. *Farnabius.*

6 *Primum hujus uxoris est mater*] Incipit a persuasione, sed latenter, ita ut ea quæ proposito consilio dicenda erant, ante demonstrarit, quam dicat quid fieri velit. Et hoc semper fit ab oratoribus in his rebus, a quibus incipere non oportet, propter

turpitudinem, aut incommoditatem rei, quæ persuadenda est. Considera adeo apud Virgilium, ubi persuadet Iris matribus, ut naves suas incendant, et invenies hoc ipsum consilium ultimum poni post argumenta quamplurima, 'Quin agite, et mecum infaustas exurite puppes.' Et initium a possibili factum est: nam dicit, 'Hujus uxoris est mater.' *Donatus.*

Primum hujus uxoris est mater. MI. *est. quid postea*] Aut *hujus* monosyllabum est, aut, *s* eliso, posterior ejus syllaba per synalœphen abjicitur. *Faërnus.*

Primum hujus uxoris mater] Oratorie rei inopinabilis suasio ita inducitur, ut argumenta prius absolvantur, quam res ipsa exprimatur. simul operam dat, ne quod consilio impedimentum objici queat a filio. huc enim spectat quod ait, parere jam non potest. Post hanc expeditionem rei, cetera orando, instando, urgendo conficiuntur: non sine urbanitate. *Bœclerus.*

Primum hujus uxoris est mater] Hujus uxor habet matrem. Primo autem proponit argumenta, prius quam quid fieri velit, indicet: quod in re minus alias plausibili callide fieri recte notat hic Don. *Farnabius.*

7 *Proba et modesta*] Proba sibi: et Modesta apud alios. Et vide laudes consiliatoribus inventas et usitatas. *Donatus.*

Ita aiunt] Hoc ita respondet, quasi dicat, 'sed quid mea.' *Idem.*

8 *Scio*] Adhuc Micio non intelligit, quo res tendat: sed tamen vultu quodam admirantis, cur hoc dicatur, respondet. *Idem.*

Parere jam diu per annos hæc non potest] Hoc autem addidit, ne contra filios Pater suadere videatur nuptias, si illis cohæredes esse procreandos suadeat. *Idem.*

Parere jam diu per annos hæc non potest] Aliam collocationem versui congruentem habent o. l. s. et Donatus, *Parere jamdiu hæc per annos non potest.* Faërnus.

Per annos hæc non potest] Bene 'per annos:' quia non est sterilis. *Donatus.*

10 *Hanc te æquum est ducere*] Te, Micio, scilicet. *Idem.*

Et te operam] Te, Æschine. nam ad illum conversus a Micione est. Et quare Æschinum operam dare æquum est? scilicet ut prosit socrui. *Idem.*

11 *Me ducere autem*] Magna vis in pronominibus posita est. nam 'me' ille sic dicit, quasi quem minime deceat. 'Te,' ille sic respondet, quasi quem maxime oporteat. *Idem.*

Ineptis] Verbum est, quod facit *ineptio, ineptis, ineptit.* Idem.

Si tu sis homo] Non 'si es,' sed 'sis' dixit: quasi in eo se hominem sit Æschinus probaturus. *Idem.*

Si tu sis homo] Æschine. *Si sis*, pro, si esse volueris, et, si credi homo volueris. *Idem.*

Si tu sis homo] Hic facete et mire coëgit Æschinum ad persuadendum. non enim dixit, *Si tu sis homo, persuade:* sed sic, *faciat:* ut ab illo non factum, sed effectum exigeret. *Idem.*

Si tu sis homo] Demea Mitionis nunc induta persona, etiam ipsissimis ejus verbis, quantum potest, utitur. act. I. sc. 2. 'Et tu illum tuum si esses homo, Sineres nunc facere, dum per ætatem licet.' Et act. IV. sc. 7. 'Fiunt nuptiæ: Dempsi metum omnem: hæc magis sunt hominis.' *Farnabius.*

12 *Quid? tu huic, asine, auscultas*] Aptum convitium grandi et fatuo. *Donatus.*

Mi pater] 'Mi' vocativus casus est, ab eo quod est 'meus.' *Idem.*

Quid tu huic asine auscultas] Plerique libri post *quid tu,* addunt adverbium *autem.* nos versus hos, in o. l. confusos, ita digerimus: MI. *Me ducere autem?* DE. *te.* MI. *me?* DE. *te inquam.* MI. *ineptis.* DE. *si tu sis homo,*

Hic faciat. *Æs. mi pater.* Mi. *quid tu autem huic asine auscultas?* De. *nihil agis. Fieri aliter non potest.* Mi. *deliras.* *Æs. sine te exorem, mi pater.* Mi. *Insanis? aufer.* De. *age, da veniam filio.* Mi. *satin sanus es? Ego novus maritus anno demum quinto et sexagesimo.* Sunt hi octonarii iambici acatalectici, in quorum quarto ex *satin* eliditur n: in quinto ex *novus* s, ut primus pes sit tribrachus, secundus anapæstus. *Faërnus.*

13 *Fieri aliter non potest*] A necessario. *Donatus.*

Deliras] Proprio vocabulo usus est, tanquam loquaci. *Idem.*

14 *Insanis: aufer*] Congrue seni 'deliras:' juveni 'insanis.' Et 'aufer,' vel te, vel manum: nam rogans, manum admovet scilicet, dicens 'mi pater.' *Idem.*

Aufer] Aut 'te' deest, aut 'manum,' aut pro eo quod est 'abi:' ut sit, Auferte. *Idem.*

Aufer] Te scil. id est, abi. *Farnabius.*

Da veniam] Id est, sine te exorari. vide Hec. act. IV. sc. 2. *Idem.*

15 *Ego novus maritus*] Apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur. Ergo Terentius εὑρητικῶς, 'Ego novus maritus anno demum quinto et sexagesimo Fiam, atque anum decrepitam ducam?' Hic deest et 'quis,' et 'quid,' et 'quando,' et 'quomodo:' ut sit, Quis? ego. Quid? novus maritus. Quando? anno demum quinto et sexagesimo. Quomodo? anum decrepitam ducam. *Donatus.*

Anno demum quinto et sexagesimo] Hæc ætas est, ut Varro ait, etiam comicorum senum. Et 'demum' adverbium tarditatis est. *Idem.*

16 *Atque anum decrepitam ducam*] Hoc facete addit, tanquam faciendum hoc esset, si puella duceretur seni. *Idem.*

Id ne estis authores mihi] Hoc est, persuasores. ut Virgil. 'Author ego audendi.' *Idem.*

Decrepitam] 'Decrepitam,' aut stomacho anili et iracundo: aut 'decrepitam,' obtusi animi et læsæ senectutis: aut 'decrepitam,' cui sæpe moribundæ crepuerit planctu familia. id est clamaverit. *Idem.*

17 *Largitor*] Verbum est imperativi modi, futuri temporis. *Idem.*

De te largitor puer] Acutius 'de te' dictum est, quam 'de tuo.' Et bene in eum, qui promiserat puellæ conjunctionem suam. *Idem.*

19 *Da veniam*] Præsta beneficium. concede quod petitur. *Idem.*

Da veniam, ne gravere, &c.] De Plauto expressa sunt hæc, in Sticho I. 3, 32. 'Sic face. Promitte vero. ne gravare. est commodum. Volo, inquam, fieri. non amittam, quin eas.' adde III. 2. 19. *&c.* *Bæclerus.*

Ne gravere] Ne te difficilem præbeas. quia 'gravem se' dicitur 'præstare,' qui id facile non præstat in beneficio, quod potest. *Donatus.*

Da veniam, ne gravere. fac, promitte] Altrinsecus agentium, fatigantiumque verba sunt. *Idem.*

20 *Æs. Non nisi exorem*] Ex ratione versus et o. l. s. adde pronomen *te*, post 'nisi.' *Faërnus.*

Age, prolixe, Micio] Aut *age prolixe*, id est, age benigne; ut sit *prolixe* benigne, secundum veteres: aut per ἀσύνδετον, et ἔλλειψιν, *age*, correptivum: ut ad 'prolixe' subaudiatur, *noster esto*, aut quid tale: et Micio velut insuavi dictum sit. *Donatus.*

Age, age, prolixe Mitio] Vel posterius 'age' cum 'prolixe' jungendum, *age prolixe:* id est, benigne, ut Don. interpretatur: vel si ut hic editum est, tum sententia fuerit, prolixe te Mitionem (verum Mitionem, a morum suavitate et facilitate sic dictum) nobis exhibe: vah *prolixe noster sis Mitio:* ut Don. hic. *Farnabius.*

21 *Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum*] 'Pravum,' si anum ducit nullo commodo suo. 'Ineptum,' qui non voto filiorum ducat uxorem. 'Absurdum,' homini qui nunquam duxerit, et nunquam ducere voluerit, seni duci uxorem, quæ adolescenti ducta non sit. *Donatus.*

Atque alienum a vita mea videatur] Reponimus *videtur*, ex o. l. s. *Faërnus.*

22 *Si vos tantopere istuc vultis, fiat*] Cur hic non vertitur de voluntate Sostratæ? An quia illam consentire necesse est, vel propter pauperiem, vel ob amorem filiæ suæ? *Donatus.*

Si vos tantopere istuc vultis; fiat] Ridicule dixit et comice, uxorem se ducere, non quia velit, aut debeat, sed ut obsequatur jubentibus. *Idem.*

23 *Hoc confit quod volo*] Perficitur inquit quod volo; ut sumptum et turbam domum recipiat Micio, et ego ineam gratiam. *Idem.*

Hoc confit, quod volo] Verius, *quum fit*, ut Guyetus ex Mss. cui duo etiam nostri consentiunt, declarat. Secum hæc Demea. estque παρασκευὴ novam suasoriam molientis. cujus altera pars clare ad Micionem dirigitur. 'quid nunc quod restat?' arte factum, ut plura suasurus hoc tanquam ultimum demonstraret. Mox varietate notabili, præmissis iterum argumentis, non infert totum consilium simul; sed beneficium primo, communi nomine; postea demum peculiariter, usum fructum agri suburbani gratis Hegioni concedendum demonstrat, et objectionem allatam, quodam quasi ἐπιτροχασμῷ summatim et cumulatim, ut de facili, expedit: 'pro patre huic est; bonus est; noster est; recte datur.' quid absolutius aut celerius? hæc a re petebantur. quod superest ad personam pertinet: tu dixisti, effugiendam senibus avaritiæ infamiam; tu dicti veritatem re ipsa comprobabis. qua necessitate ita eum constrinxit, ut honeste non posset denegare, quod rogabatur. iterum autem cavet, ne ab Æschino aliquid obstare possit, aut, ne is ægre ferat hanc Micionis in alios liberalitatem. non enim, ut donetur ager, sed ut usus fructus sine fœnore concedatur, suadet. itaque facile assensum suum Æschinus commodavit, cum interrogatur: 'dabitur, quandoquidem hic' (i. e. Æschinus) 'vult.' statim enim respondet: 'Mi pater' sc. fac. quod suadet Demea, da fruendum Hegioni hunc agrum. *Bæclerus.*

Verum quid] Hæc Demea secum, de successu sibi plaudens, et ad pergendum seipsum excitans. *Farnabius.*

24 *Quid nunc quod restat*] *Quod restat*, pro *quod sequitur*. An 'quod restat' tanquam reliquiarum priorum, ac per hoc minimum? *Donatus.*

Hegio his est cognatus proximus] Commendatio personæ quasi notæ: etiam Micioni, ob merita sua. Et bene addidit 'proximus:' nam multi gradus et veluti rami sunt propinquitatis in affinitate et cognatione dispositi. *Idem.*

25 *Adfinis nobis*] Recte. nam uxoris cognati marito affines sunt. *Idem.*

Pauper] Jam hoc nomine apparet aliquid flagitari. *Idem.*

26 *Sub urbe*] Suburbani. *Farnabius.*

Quod locitas foras] 'Foras' dixit, locum pro persona ponens; quasi diceret, 'nescio cui alieno.' sic et nos dicimus, 'audi quid dicit * ecce hac,' pro 'ecce hic.' Cicero, 'Hic tum alius ex alia parte.' Deest ergo aliquid, ut sit, *quid locitas foras versum.* Aut si *foris: foris posito*, id est, alieno. *Donatus.*

Sub urbe est paululum agelli hic] Totum cum contemptione pronuntiandum. *Idem.*

Foras] Quasi diceret, nescio cui alieno. *Farnabius.*

27 *Huic demus qui fruatur*] Id est, qui frustum capiat, non proprietate potiatur. Proprie ergo, et quasi de jure dixit 'fruatur.' est autem 'fruatur,' alatur: quia 'frumen.' dicitur summa gula, per quam cibum lingua dimittit in ventrem. *Donatus.*

Qui fruatur] Qui fructum ex eo percipiat, non qui proprietatem habeat ad usum non mancipium. *Farnabius.*

28 *Bonus est, noster est, recte datur*] 'Ἐπιτροχασμὸς hortantis, et ἀσύνδετον multa congerentis. *Donatus.*

Bonus est] Potuit responderi, 'quid mea?' *Idem.*

Bonus est, noster est] Hæc omnia vultuose, tanquam invidiam parsimoniæ faciat Micioni. Et plus significat 'noster,' quam si addatur, *quid noster.* Idem.

Noster est] Bene addidit. namque dixit, 'pro patre huic est.' *Idem.*

Recte datur] Quasi non quæratur, an dandum sit: sed illud solum, an recte. *Idem.*

29 *Non meum illud verbum facio*] Nunc. 'Verbum' pro ἀξιώματι posuit, quod uno stringitur verbo. Ergo 'verbum,' brevis sententia. *Idem.*

Non meum illud verbum facio] Nota 'verbum,' pro sententia. ut, 'Uno verbo dic, si quid est quod me velis.' Et, 'Miseram me, quod verbum audio?' 'Verbum' dixit, veram sententiam. nam verba esse a veritate dicta testatur Varro. *Idem.*

Postremo non meum illud verbum] Ad proprium ipsius testimonium provocat, quod maximum in judiciis momenti solet esse. et miro artificio dixit, 'quod tu Mitio bene ac sap.' q. d. laudem tam boni et sapientis dicti tibi præreptam nolo: non id ego mihi vindico. Sed quanto plus meretur vel ipsum dictum, vel dicti autor; tanto probrosius fuerit Mitioni a sua ipsius autoritate desciscere, et sibi non constare. *Farnabius.*

31 *Hanc maculam nos decet effugere*] 'Maculam' τῷ χλευασμῷ dixit, irridens opinionem Micionis: quia parsimoniam, maculam putet. et simul auxit, primo 'vitium,' deinde 'maculam' dicendo. *Donatus.*

32 *Effugere, dictum est vere*] Hujus et sequentium versuum ordinatio difficilis est: quæ in hunc modum videtur posse fieri, *Effugere dictum est vere, et re ipsa fieri oportet.* MI. *Quid istic? dabitur quando quidem hic volt.* ÆS. *mi pater.* DE. *Nunc tu mihi germanus es pariter corpore et animo.* MI. *gaudeo.* DE. *Suo sibi gladio hunc jugulo.* ut primi duo sint trimetri iambici: prior quidem hypercatalecticus, posterior acatalecticus, tertius trochaicus tetrameter catalecticus: cujusmodi generis est et sequens, constans ex duobus hemistichiis, uno in fine hujus scænæ, altero in principio sequentis. sane in his versibus hæc mutavimus, quod pro *istuc* fecimus, *quid istic?* quod ægre consentientis est, ut sæpe alibi: et pro *quidem quando*, *quandoquidem* ex libro Victoriano; et pro *hunc gladio jugulo*, collocavimus ex o. fere l. s. et Donato, *gladio hunc jugulo.* Faërnus.

Dictum est vere] Sen. 'Verba rebus proba. Facere docet Philosophia, non dicere: et hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat; ne orationi vita dissentiat.' Vide et Phorm. act. I. sc. 4. *Farnabius.*

35 *Suo sibi hunc gladio jugulo*] 'Ἀλληγορία. et non *suo*, sed *suo sibi*, moraliter, et ut veteres solent loqui. *Donatus.*

Suo sibi gladio hunc jugulo] Τὸ *sibi* redundat, ut alibi. Plaut. 'Itaque me malum esse oportet, callidum, astutum admodum, atque hunc telo suo sibi malitia a foribus pellere.' at alibi, 'inscientes suæ sibi fallaciæ.' Dicitur autem Mitio hic *suo gladio jugulari*, qui suis dictis, et proprio quasi testimonio convincatur. *Farnabius.*

SCENA IX. Trochaicis tetrametris catalecticis constat hæc scena. vs. 1. Mss. nostri omnes, ut ed. vs. 3. duo, ut ed. unus: *fieri Syrum esse æq.* vs. 10. omnes: *in psalt. istac em.* vs. 12. unus: *denique hic fieri vult.* vs. 17. omnes; *optim. q. mul. equidem t. n.* et vs. 19. *haud dubium est, q.* vs. 21. omnes habent, *oro*, ex glossa, vs. 25. duo: *frugi homo es.* et mox duo: *primo consulam.* vs. 26. duo: *o mi pat. f.* vs. 27. omnes: *mores m. tuos Demea.* vs. 28. omnes: *quod proluvium.* vs. 31. duo: *sedassent.* vs. 32. duo: *Æschine est.* vs. 33. duo: *quia non ista injusta.* vs. 39. omnes: *quid opus facto est.* vs. 40. duo: *valete plaudite.* unus: *valete et plaudite.* Bœclerus.

1 *Factum est quod justi, Demea*] Id est, diruta est maceria. *Donatus.*

2 *Frugi homo es*] Utilis, ut fruges. *Idem.*

Ædepol hodie mea quidem sententia Judico Syrum fieri esse æquum liberum] Hoc est quod jamdudum promiserat Syro: sed nunc opportune. videtur enim modo meritum præcessisse. Et, 'sententia judico,' κυριολογία. *Idem.*

4 *Quodnam ob factum*] Jure. ascribi enim causas manumissionis, in jure formula est. *Idem.*

Quodnam ob factum] Donatus: 'Jure,' &c. Ita supra in Andria I. 1. 10. et 11. 'Feci ex servo ut esses libertus mihi, Propterea quod serviebas liberaliter.' unde et 'pretium' vs. seq. appellatur libertas, ob merita scilicet persolutum. Recte autem Donatus vocat hanc 'comicam manumissionem,' quæ mira festivitate conditur, et extemporali ludo festinatur. *Bœclerus.*

Multa] Oratorie maluit generaliter dicere, quam quærere specialiter, quod invenire non possit. Et Micio singulariter unum quærit, hic pluraliter multa respondet. *Donatus.*

Ædepol vir bonus] Jurat bonum: quia præter opinionem est. *Idem.*

5 *Ego istos vobis usque a pueris*] Intelligit Syrus, laborantem pro se Demeam non habere quod dicat: et ideo ipse prosequitur ordinem meritorum: secundum quem apparet, pædagogum fuisse. *Idem.*

6 *Docui, monui, bene præcepi*] Ridicule adduntur, et tantum consuetudine: quia imputantur etiam facta prave, pro bonis. *Idem.*

Quæ potui omnia] Bene 'quæ potui:' quasi plura vellet. *Idem.*

7 *Res apparet*] Mire irridet Demea, sic tamen ut serio agere videatur. *Idem.*

Cum fide] Alii scr. *obsonare cum fide.* Farnabius.

8 *Apparare de die convivium*] Id est, repente, neque ante prædictum, nec pridie constitutum. *Donatus.*

Apparare de die convivium] Id est, repente, neque ante prædictum, nec pridie constitutum, ait hic Don. si tamen genuinus Don. quem mirum sit prisci moris et sermonis tam imperitum fuisse. Olim enim, (ab Hippocratis usque temporibus certe, ut ex ipso liquet,) rarus erat prandiorum usus. sed nec alia (quibus in usu) prandia fere, quam parvi et privati (ut Plinii verbo utar) refectus. *De die* autem *potare*, vel (quod idem est) *epulari*, semper probro datum, ut intemperantis ac voluptuariæ vitæ argumentum. Ita Q. Curtius luxum Alexandri notat, quod 'de die convivia iniret:' Et Livius Pœnorum, quod 'de die epularentur.' Nec aliter apud Plautum, 'de die potare;' aut Catullum, 'convivia de die facere,' capienda. 'De die' autem cum dicitur, 'medio' supplendum est, quod expressit Horatius, 'de medio potare die:' cum Sol adhuc altus, nec multo plus medii confecit itineris. Nam alioquin cœna quoque ante Solis occasum, non cœpta tantum, sed peracta, multis. Hinc lux opportuna verbis Apostoli, Act. II. 15. et 1 Thess. v. 7. Ceterum, 'de die potare,' et 'in lucem potare' (quæ confundunt nonnulli) plane alia. sed nihil hoc ad Terentium. *Farnabius.*

9 *O lepidum caput*] Ut alibi, 'o festivum caput,' &c. Græce φίλη κεφαλή, &c. *Idem.*

10 *Postremo, hodie in psaltria hac emunda*] Et hoc totum serio dicitur,

ut magis ridiculum videatur. *Donatus.*

Hic adjutor fuit] In re bona 'adjutores,' in re mala 'impulsores' dicuntur. Ergo hic adjutor dicitur a non irascente: a criminante autem et irato, impulsor. *Idem.*

Hic adjutor fuit, hic curavit] De more repetitum est 'hic,' quum dicitur, 'hic adjutor fuit, hic curavit.' Sic enim solemus onerare audientem meritis ejus quem laudamus. Deinde quid non præstitit, qui et officium corporis, ut adjutor, et curam animi præbuit, ut consultor? *Idem.*

12 *Denique hic vult fieri*] Abutitur Demea sciens prodigam voluntatem adolescentuli. *Idem.*

13 *Syre, eho accede huc ad me*] Utrum ut eundem manu emittat, an ut palam fiat, jubet propius accedere, juris publici consuetudine ludens? Et vide quam comicam manumissionem, quam facete induxerit atque condigne. *Idem.*

Accede huc ad me] Ut te circumagam; qui usitatissimus manumissionis ritus. Pers. 'Heu sterilis veri, quibus una Quiritem' (i. e. liberum hominem) 'Vertigo facit.' *Farnabius.*

14 *Et seorsum tibi præterea, Demea*] Effecit Demea plus quam volebat. nam qui conabatur amari, præfertur etiam his qui amantur. *Donatus.*

15 *Gaudeo. Æs. et ego*] Gratulantium Syro hæc verba sunt: quibus de more ille, 'credo,' respondet. *Idem.*

Crede] Vide Hec. act. v. sc. 4. v. 5. *Farnabius.*

Utinam hoc perpetuum fiat gaudium] Integrum, solidum, et nusquam interruptum. *Donatus.*

Perpetuum fiat gaudium] Cui nulla ægritudo comes intercedat. And. act. v. sc. 5. 'Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse arbitror, Quod voluptates eorum,' &c. *Farnabius.*

16 *Phrygiam ut uxorem meam*] Ut ipse Syrus, ita uxor Phrygia: secundum veteres, qui servis nomina a nationibus imponebant. *Donatus.*

Una mecum videam liberam] Hoc sic pronuntiandum est, quasi gaudeat se recordatum Demeæ: quod quum ultro cogitat habuisse * plene oblitus fuit. *Idem.*

18 *Hodie primam mammam dedit hæc*] Ridiculum meritum: siquidem oportuerit primam esse quamcumque. an quia causa est, quod ingenui dicuntur serio a nutricibus liberis educandi? *Idem.*

Primam mammam dedit] I. e. prima mammam dedit; mundi novum incolam prima cibavit. *Farnabius.*

Hercle vero serio] Adverbia sunt confirmantia. παρέλκον. *Donatus.*

19 *Siquidem prima dedit*] Nos *primam* reponimus ex aliquot l. s. quod convenientius videtur, ut referatur ad 'mammam.' *Faërnus.*

Si quidem primam dedit] Festive hoc Demea, cum alioquin quæ serva esset, nihil magnum præstiterit, quod jussa mammam præbuerit. *Farnabius.*

20 *Ob eam rem*] Hoc eo vultu dicit, quo rem veluti excutimus, et ostendimus momenti esse nullius. *Donatus.*

Argentum, quanti est, sumito] Quanto pretio valet. *Idem.*

Argentum, quanti est, sumito] Hoc verbo utimur, ut faciunt qui persuadere aliquid cupiunt. *Idem.*

Quanti est] Quanti empta est: vel, quanti a te æstimabitur, sed verbo tenus hoc dici, ut tanto magis persuadeat, censet Don. *Farnabius.*

21 *Dii tibi, Demea, oro omnes semper omnia optata offerant*] 'Omnes omnia:' antiqua elegantia, et figurata. *Donatus.*

Dii tibi Demea, &c.] Ita Plautus Captiv. II. 2. 105. 'Dii tibi omnes omnia optata offerant.' Horat. Satyr. II. 8. 'Tibi Dii quæcunque preceris

Commoda dent.' *Bœclerus.*

22 *Processisti hodie pulchre*] Nunc vere pulchre processit Syrus. *Donatus.*

Processisti hodie pulchre] Ex servo servæ marito, in liberum liberæ maritum. *Farnabius.*

Siquidem porro, Micio, tu tuum officium facies] Hoc est patroni, ut libertum non deseras, sed ut alas manumissum. Plautus, 'Facis melius quam pars lenonum, qui libertos habent, et eos deserunt.' *Donatus.*

23 *Tu tuum offic.*] Donatus recte, 'patroni officium,' interpretatur, 'ut libertum non deserat, sed alat manumissum.' *Bœclerus.*

Præ manu] Quod Plautus non semel, 'argenti præsentarii.' videtur enim τὸ *præ* hic, non temporis, sed loci esse; ut cum dicitur 'præ oculis.' quod et Plautus absolute dixit, 'Trecentos nummos Philippeos portat præ sibi,' plane ut et Angli vulgo, *beforehand.* Farnabius.

24 *Unde utatur*] 'Utatur,' vivat: unde 'usura,' vita dicitur. ut, 'Unius usuram horæ gladiatori isti non dedisset.' An unde alatur, de quo usumfructum capiat, et cujus tibi sortem reddat? Et hoc melius: nam ideo addidit, 'reddet tibi cito.' *Donatus.*

Reddet tibi cito] Non rogat ut dono det, sed ad usum commodet. *Farnabius.*

Istoc vilius] Hoc egit Terentius, ut conversis officiis usque adeo prodigum faceret Demeam; donec parcum redderet Micionem. *Donatus.*

Istoc vilius] Quasi nihil minus: negatio enim est floccum ostendentis, aut quid tale, cum ἐλλείψει. quia subauditur 'quicquam,' et 'non dabo.' *Idem.*

Istoc vilius] Explicat ex Donato Guyetus. *Bœclerus.*

Istoc vilius] Q. d. Egone ut tali dem utendam pecuniam, quo nihil vilius, levius, vel perfidius? sed vel ipse sponte sua reprimit se: vel ab Æschino prævenitur, 'frugi homo est,' opponente. *Farnabius.*

26 *Faciet*] Ne quid negatum in fine fabulæ videatur, addidit Demea *faciet.* et *faciet*, quod petis scilicet. quod irridens dixit: quasi de prodigo dicere videatur. Et mire *faciet*: quia nec credibile erat statim consensurum qui negaverat, et perpetuo negatio esse in fine non debuit. *Donatus.*

27 *Quid istuc? quæ res tam repente mores mutavit tuos*] Animadvertendum est, qua calliditate Terentius quærens finem fabulæ, complere lætitiam per ipsum Demeam nititur in universos, qui in tota comœdia tristis ac sævus interturbavit et vociferatus est. *Idem.*

28 *Quod prolubium*] 'Prolubium,' quod Græci προθυμίαν, id est, promptus animus ad largiendum. *Idem.*

Quod proluvium] Liber Vaticanus, *quod prolubium.* et ita etiam legit Donatus, sic dicens: 'Proluvium,' &c. quæ expositio Donati cum *prolubium* optime quadrat, cum *proluvium* minime. *Faërnus.*

Prolubium] Major quædam, et effusa libido, flagrans studium. Cæcil. apud Non. 'Mearastraria, quod prolubium, quæ voluptas? quæ te lactat largitas?' Apud A. Gel. 'prolubium audiendi.' Alii legunt hic, *proluvium*, quod aliud est; quanquam et illud hic non male convenire possit, sed prius verius. *Farnabius.*

Subita est largitas] Repentina, ac per hoc ipsa est ingrata et immoderata: ut evenit, quum ex nimis parcis non largi et liberales, sed effusi prodigique redduntur. *Donatus.*

29 *Ut id ostenderem*] Abundat *id.* aut ἔλλειψις est, pro *per id.* Idem.

Quod te isti facilem, et festivum putant] Multum detraxit Micioni, dicendo 'te isti putant,' per quod significatur, errare adolescentes, et hunc non esse festivum. *Idem.*

Quod te isti facilem et festivum putant] Bene in postremo dignitas personæ hujus servata est, ut non perpetuo commutata videretur: ut Truculenti apud Plautum. *Idem.*

30 *Ex vera vita*] Ex vera et laudabili facilitate naturæ tuæ. *Farnabius.*

Ex æquo et bono] Jure merito, vel ex vera æquitate. *Idem.*

31 *Indulgendo*] Attende indulgentiam a Demea culpæ adscribi denuo. *Idem.*

Et largiendo Micio] Severe additum est nomen verbis ex animo plorantis. *Idem.*

33 *Quia non justa injusta, prorsus omnia omnino obsequor*] Proverbiales sunt hujusmodi elocutiones, 'fanda nefanda,' 'digna indigna,' 'velis nolis.' *Idem.*

34 *Missa facio*] Omnia scil. *Farnabius.*

Effundite, emite, facite] 'Effundite' ad Æschinum pertinet: 'emite,' ad Ctesiphonem: 'facite,' ad omnes. *Donatus.*

Facite quod vobis lubet] Proprie rediit rursus ad amaritudinem pristinam. Hæc ἐπιτροπὴ est figura, qua invitos nos permittere ostendimus quod nolumus fieri. *Idem.*

35 *Quæ vos potius præter adolescentiam minus videtis*] Hic ostendit Terentius, magis Demeam simulasse mutatos mores, quam mutavisse. *Id.*

36 *Minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum*] Εἰρωνεία, 'minus,' 'magis,' 'parum.' *Idem.*

Videtis] Providetis: vel intelligitis. *Farnabius.*

37 *Hæc reprehendere, et corrigere me, et secundare in loco*] Tribus tria redduntur: et utraque αὐξητικῶς. Illa in malam partem superiora: hæc in bonam, quæ inferiora sunt. Non tantum enim culpæ est, minus providere; quam impense cupere: nec tantum mali est, impense cupere, quantum parum consulere. Item reprehendere bonum est: melius, corrigere: optimum, secundare. Nam qui reprehendit, non continuo corrigit: qui corrigit, non ilico secundat, id est, lætissimum reddit et fidelissimum. Alii *secundare*, obsequi dictum putant. et ideo additum esse 'in loco:' quasi non semper faciendum sit. Ergo 'secundare,' vel in melius convertere, vel obsequi intelligimus. *Donatus.*

Obsecundare in loco] Pro re nata obsequi vobis et indulgere. Mitio de se act. I. sc. 2. 'Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum. Ubi non erit, fortasse excludetur foras.' *Farnabius.*

38 *Tibi, pater, permittimus*] Noluit Terentius ab amoribus filiorum perpetuo repulsum patrem. *Donatus.*

39 *Plus scis quid facto opus*] Sicut modo adolescentes descripserat rerum imperitos, ita senem nunc a peritia laudat, qui sciret *quid facto opus sit*. Tales enim senes, διὰ τὸ ἔχειν ἐκ τῆς ἐμπειρίας ὄμμα. Aristot. Eth. VI. 11. *Bœclerus.*

40 *Sino, habeat, in istac finem faciat*] Hæc quidem permissio est: sed et exceptionem in se continet: et cum quodam stomacho, et velut minaci denuntiatione profertur. *Donatus.*

In istac finem faciat] Hoc est, aut ne aliam amet, aut ne alteram comparet: ne post istam luxurietur ulterius. *Idem.*

Istuc recte] Bene. Et Micio non discessit de proposito suo, qui ut peccasse alias ostenderet fratrem ob nimiam asperitatem, cum exceptione quadam laudans verba ejus, *istuc recte* dixit. Quasi diceret, non ut cetera. Et simul reposuit ei, qui supra dixerat, 'Ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivum putant,' id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo et bono, &c. *Id.*

HECYRA.

Personæ Mutæ] In aliis editionibus plures sunt, in aliis pauciores. Omissa fuit Nutrix, act. v. sc. 3. omissæ fuere ancillæ duæ Bacchidis. *Faber.*

In argumento Mureti Philumena dicitur Lachetis et Myrrhinæ filia. Error est memoriæ; alioqui suam sororem duxisset uxorem; nam Pamphilus Lachetis filius erat: at Philumena, Phidippi et Myrrhinæ filia fuit. *Idem.*

Philumena] In utraque Batavica editione majori, cur bis posita sit Philumena non video. Inter personas mutas puella est; inter alias est meretrix. hoc sane novum. *Idem.*

Senariis constat. *Bœclerus.*

PROLOGUS] Hæc comœdia primum acta est sine prologo, aut ille prologus periit. Secundæ et tertiæ editionis prologos hic habes. Faërnus ita distinguendos esse viderat, et diu ante Faërnum Eugraphius; et idem in libro Vaticano videas. *Faber.*

Duos esse prologos Gabriel Faërnus operose docuit. Fr. Guyetus utrumque supposititium credit. Ego malim Donatum hic et Eugraphium sequi: qui et artem hujus præfationis æstimant, et usum agnoscunt. aut enim nulla ex Terentianis fabulis, aut certe hæc opus habuit prologo. *Bœclerus.*

Hecyra est huic nomen fabulæ] *Totus hic prologus subtilem conquestionem continet, ob hoc, ne aperte populum neglectæ fabulæ reum faciat, et facile revocet in favorem.* Donatus.

1 *Hecyra est huic nomen fabulæ*] A nomine cœpit, ut incognitam probaret, et ideo spectandam. *Idem.*

Hecyra est huic nomen fabulæ] Nominativo casu figuravit: quum in usu sit, ut dativo dicamus. quamvis præsto sint exempla, quibus veteres per omnes fere casus hoc genus locutionis enuntiabant. *Idem.*

Hecyra est huic nomen fabulæ] Hæc primo data est sine prologo, ludis Megalensibus: quo Sex. Julius et Cornelius Dolabella ediderunt, sed occupato populo studio funambuli, displicuit. Postea data est ludis Funebribus L. Æmilii Pauli: quos fecerunt Q. Fabius Maximus et Cornelius Africanus. Tunc quoque non peracta est, per studium populi circa gladiatores. Tertio ad postremum introducta, Q. Fulvio, L. Martio ædilibus, virtute actorum L. Ambivii et L. Turpionis est commendata. *Id.*

Hecyra] Ἑκυρὰ, socrus. Inde autem nomen quia per socrus et soceros (ut Don. in præfatione) pleraque hic aguntur. *Mer. Casaubonus.*

Hæc quum data est nova] Ita dicitur, *data est fabula*, ut 'data est cœna,' 'datum est prandium.' Et *edidit*, a *dato* descendit. *Donatus.*

Hæc quum data est nova, novum intervenit vitium] Sic et Homerus: Κεῖσο μέγας μεγαλωστὶ λελασμένος ἱπποσυνάων. Et 'dari' dicitur 'fabula,' quum agitur: 'stare,' quum placet. *Idem.*

Hæc quum data est nova, novum intervenit vitium] Σύλληψις prima: deest enim 'huic:' et est figura παρονομασία, *nova, novum.* Idem.

2 *Vitium et calamitas*] Bene secundum augures. 'Vitium' enim est, si tonet tantum: 'vitium et calamitas,' si tonet et grandinet simul, et etiam fulminet. *Idem.*

Vitium et calamitas] Translatio est ab augurio: et 'vitio creati' dicuntur 'consules.' 'Calamitas' παρὰ τὴν καλάμην dicitur: 'clades,' quia clamatur: ut aliud sit grandinis culmum frangentis, aliud furti aut doli mali. Sic Probus. *Idem.*

Vitium et calamitas] Ex disciplina

augurum petita verba. vitiosi enim magistratus, vel vitio creati, qui interveniente aliquo infausto omine creati. *Mer. Casaubonus.*

3 *Ut neque spectari*] Vitium, quod non spectata est: Calamitas, quod non cognita. *Donatus.*

Ut neque spectari, neque cognosci] Mira defensio. siquidem non judicio comœdia exacta est, si spectari cognoscique non potuerit: placitura scilicet, si audiretur. *Idem.*

Ut neque spectari, neque cognosci] Ideo theatrum, ideo spectatores, ideo actores: quia major pars in gestu est, quam in verbis. *Idem.*

Cognosci] Vel probari, vel sciri: an Hecyra sciri dicatur, quæ scita sit nomine. *Idem.*

4 *Ita populus studio stupidus*] A derivatione causæ. Non quia mala, inquit, exclusa est: sed quia populus funambuli admiratione obstupuit: quod infra de gladiatoribus dicet, ad commutationem causæ inducendam. *Idem.*

Ita populus studio stupidus] Hic excusatur et populus, qui neque judicavit de fabula, neque tamen stulte erravit. 'Stupidus,' pro stupens. ut, 'Timidisque supervenit Ægle.' *Idem.*

In funambulo] Qui Græce, σχοινοβάται, et in τῶν θαυματοποιῶν (miranda repræsentantium) numero. *Mer. Casaubonus.*

5 *Pro nova*] Recte: jam enim non est nova. *Donatus.*

6 *Et is qui scripsit hanc, ob eam rem*] Id est, ob eam causam. quasi dicat non iterum acta est sine causa. Cur ergo non post funambulum relata est, ubi ille cessaret? in quo maluit avarum Poëtam populo inducere, quam suo operi diffidentem. *Idem.*

7 *Iterum referre*] Supervacuum est 'iterum.' *Idem.*

Ut iterum possit vendere] Aliis scilicet ludis. hoc, ut diximus, ad laudem fabulæ referatur: postquam tantum fiduciæ Poëtæ dedit. *Idem.*

Ut iterum possit vendere] Lege posset; alioqui gravissimus error sit; quod jam bis alibi monui. *Faber.*

Ut iterum possit vendere] Donatus ad laudem fabulæ refert: Guyetus modestiam poëtæ desiderat, neque pudoris Terentiani hoc esse autumat. Aliter tamen de poëta actor, aliter de se ipse loqueretur. cum præsertim, nec dissimulandum unquam actori sit, se emisse fabulam; et voluntas emendi hic potius, quam avaritia vendendi spectari debeat: considera vs. ult. prologi sequentis. *Bœclerus.*

Ob eam rem noluit iterum referre, ut iterum possit vendere] Reddit causam, cur, post funambuli spectacula, intermissa fabula non sit relata, sive denuo introducta. ideo scilicet, quia maluit in novos ludos differre, ut tum pro nova (tanta Poëtæ fiducia) venderet. atque ita maluit avarum Poëtam (ut recte Don. hic) inducere, quam suo operi diffidentem. *Mer. Casaubonus.*

8 *Alias cognostis ejus; quæso nunc hanc noscite*] Mire illi favorem petit ex aliis, quæ spectatori notæ sunt. *Donatus.*

Ejus] Poëtæ. Quasi hæc omnino nota sit. At in Andria, quæ omnium prima est, aliter ait, 'Ut pernoscatis et quid spei sit reliquum: Posthac quas faciet de integro comœdias, Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.' *Idem.*

ALTER PROL.] Senarii sunt. *Bœclerus.*

Orator ad vos venio ornatu prologi] *Magna arte hic prologus scriptus est, et nimis oratorie. Nam totiens expulsa fabula, quomodo honeste revocari potuit in proscenium, nisi primo ipsa impudentia pro fiducia proferretur? deinde actor peritissimus ipse Ambivius probaret et Poëtam et comœdiam, cujus authoritas elucet ex verbis? tum deinde subtiliter novo Poëtæ, a vetusto et magnæ authoritatis Cæcilio, peteretur exemplum, et peteretur ingeniosissime? Nam quod rudi Terentio contigit, accidisse memoratur veteri Cæcilio: quod huic semel, illi sæpe: quod huic in aliis numquam, hoc illi fere in omnibus. quod huic præter Hecyram et actæ et probatæ sunt ceteræ: illi partim exactæ, partim vix probatæ. Itaque his omnibus argumentis id actum est, ut neque desperandum sit de Terentio, quod explosus est: ut nihilominus illi tantum attribuendum sit, ut aut par Cæcilio, magno tunc Poëtæ, aut ultro melior etiam esse possit. Hic autem L. Ambivius, histrio, fuit actor comœdiarum.* Donatus.

1 *Orator ad vos venio*] Oratorem audire oportere, jus gentium est, oratorem non licet injuriam pati. Ideo ergo ne expellatur, non se prologum, sed oratorem nominat. Plautus: 'Impia secrete oratorem verberas.' *Id.*

Orator ad vos venio] Hic novus Prologus (ut in Plantin. et aliis plerisque, editione) incipit, cum bis jam exacta fabula tertio non sine periculo reduceretur, atque adeo Prologo singulari arte elaborato (qualem hunc esse, pluribus docet Don.) indigeret. Loquitur autem L. Ambivius, histrio; magnæ tum, ut videtur, apud populum existimationis. *Mer. Casaubonus.*

2 *Sinite exorator ut sim*] 'Orator' est dum agit: 'exorator' quum impetraverit. Ita illud, dicentis; hoc, jam effecti significationem habet. Et 'orator' est, cui causa defendenda mandatur. *Donatus.*

Eodem ut jure uti senem liceat] Ut, 'Me liceat casus miserari insontis amici.' *Idem.*

3 *Quo jure sum usus adolescentior*] Tanquam aliud agens affert exempla, quibus ostendat, turpe non esse Terentio, exclusam esse unam illius fabulam, quum multorum Poëtarum multæ exactæ sint: et in his Cæcilii, cujus illo tempore magna authoritas fuit. *Idem.*

Adolescentior] Hæc comparatio minus a positivo sonat, et vim diminutivam exprimit; ut, 'Jam senior, sed cruda Deo, viridisque senectus.' *Id.*

4 *Novas qui exactas feci ut inveterascerent*] Σύλληψις. 'Inveterascerent,' denuo agerentur. quia nondum acta, nova dicitur fabula. *Idem.*

Novas] Cæcilii sc. veteris poëtæ Comici celeberrimi. *Mer. Casaubonus.*

Exactas] Expulsas. *Donatus.*

Inveterascerent] In consuetudinem venirent, spectarentur, amarentur. *Idem.*

5 *Ne cum Poëta scriptura evanesceret*] Causa facti honestior est, non se Poëtæ unius, sed ipsius Poëmatis causa laborare. *Idem.*

Scriptura] Poëma, fabula. *Mer. Casaubonus.*

6 *In his, quas primum Cæcili didici novas*] A simili argumentum, quod fit per comparationem artificiosam et oratoriam rerum ac personarum. *Donatus.*

7 *Partim sum earum exactus, partim vix steti*] Vide, plus esse in exemplo: siquidem partim exactæ sunt Cæcilii fabulæ, partim vix admissæ: quum una Hecyra exclusa sit. Et est sensus, aut displicui, inquit, aut in aliquibus vix placui. *Idem.*

Partim sum earum exactus] Pro, in aliis. Et simul splendida locutio est. 'Partim' adverbium est. Et proprie locutus est: nam 'fabulæ' aut 'agi' dicuntur, aut 'stare.' *Idem.*

Partim earum] In parte earum. ut, 'partim hominum,' pro, pars hominum: de quo Aul. Gell. l. x. c. 13. *M. Casaub.*

Partim vix steti] Quid igitur mirum, si Terentio Poëtæ in una accidit, quod Cæcilio in multis? *Idem.*

8 *Quia sciebam dubiam fortunam*] Non igitur Poëtæ culpa, sed casus est: nam ideo fortunæ eventum extulit. *Donatus.*

Dubiam fortunam esse scenicam] Antiquissimi libri *scænicam* per æ diphthongum habent: et infra *scænicos.* ita et apud Virgilium 'scænis decora alta futuris,' in antiquis libris scrip-

tum est: ita et in vetustis marmoribus. eoque modo etiam scribendum asserit Varro libro de lingua Latina: Item Priscianus. Nam quod ad testimonia antiquorum lapidum facit, cum alia etiam citare possem, libet hic ponere inscriptionem, quam mihi Petrus Victorius dedit, a se inventam Vulsiniis in hortulo quodam, notatamque diligenter: cum ipsi mirum videretur verbum, quod ducitur e Græco sermone, a Latinis hominibus aliter atque ipsi faciant, scribi solitum: est enim Græcis *σκηνὴ* et *προσκήνιον*· littera vero *η*, in e productum mutari solet: L. COMINIUS L. F. AN. C. CANULEJUS L. F. T. TULLIUS T. F. KANUS L. HIRRIUS L. F. LATINUS. IIII. VIR. THEATRUM. ET PROSCÆNIUM DE SUA PECUNIA FACIUNDUM COERAVERUNT. *Faërnus.*

9 *Spe incerta certum mihi laborem sustuli*] Sententiose, et verum. nam ubi certa spes est, nihil opus est labore certo ac vehementi. *Donatus.*

Spe incerta] Pro, spei incertæ. an deest 'in?' *Idem.*

Incerta certum] Honesta figura, quæ dicitur ἀντίθεσις. *Idem.*

10 *Easdem*] Exactas. *Idem.*

Cœpi] Difficultatem facti et molimen ostendit. *Idem.*

Ab eodem] Cæcilio scilicet. *Idem.*

11 *Novas studiose, ne illum ab studio*] Παρόμοιον. *Idem.*

Ne illum ab studio abducerem] Iterum causa honestatis. *Idem.*

12 *Perfeci ut spectarentur*] Attende quantum pondus habeat, quod non 'feci' dixit, sed potius 'perfeci:' ut molem difficultatis ostenderet. *Idem.*

13 *Placitæ sunt*] Nota participium sine origine verbi. *Idem.*

Ubi sunt cognitæ, placitæ sunt] Elegans promissio, et hanc placituram, si cognoscatur. et est conjectura a futuro tempore. *Idem.*

Ita Poëtam restitui in locum] Mire non Cæcilium, sed Poëtam: ut hoc generaliter populo præstitisse, non uni homini videatur. *Idem.*

Poëtam] Cæcilium, sc. *Mer. Casaub.*

Restitui in locum] Quia remotum et exclusum, dixit. *Donatus.*

14 *Prope jam remmotum*] Geminavit *m* secundum antiquos, qui omnes in verbis liquidas duplicabant. *Idem.*

15 *Ab studio, atque ab labore*] Bene ostendit se populo profuisse, Cæcilium Poëtam ad laborem revocandi. *Idem.*

Ab studio, atque ab labore, atque ab arte musica] Ultimum *ab* versus ratio non admittit; quam particulam, etiam Donatum ibi non agnovisse, quisquis verba ejus, quamvis aliqua ex parte corrupta, attentius consideraverit, judicabit. quæ nos, partim ex ipsius Donati libris scriptis, partim ex ejus sensu emendata, ita legimus, *Ab studio, atque ab labore, atque arte musica.* Versus Virgiliani idcirco ab Donato adducti sunt, ut ostenderet quod sicut in iis ter dici debebat, *hic alii*, et tamen non nisi bis dictum est, quia tertio loco commode subauditur, ita etiam fieri debet in hac particula *ab*, tertio loco subaudienda. Hæc cum scripsissemus, postea nacti librum Victorianum, invenimus ita prorsus in eo scriptum fuisse, *atque arte musica;* sed deinde alia manu, alioque atramento interpositum fuisse *ab.* Faërnus.

Atque arte musica] *Ab* tertio commode subaudiendum est: ut, 'Hic portas alii effodiunt, hic alta theatri Fundamenta locant alii, immanesque columnas Rupibus excidunt, scænis decora alta futuris.' *Donatus.*

16 *In præsentia*] Statim ut a populo ejiciebatur. *Idem.*

Si scripturam sprevissem in præsentia] Cum a populo spretæ et explosæ Cæcilii fabulæ. *Mer. Casaubonus.*

18 *Ut in otio esset potius quam in negotio*] Ex ipsis rerum nominibus ostendit facilitatem deterrendi. *Donatus.*

20 *Nunc quid petam, mea causa*] Bene 'petam' et 'mea causa,' quasi orator. *Idem.*

Mea causa æquo animo attendite] Commendatio personæ levis, per aliam personam gravem, secundum præcepta in Rhetoricis. *Idem.*

21 *Hecyram ad vos refero*] A causa principium narrationis inducitur. *Idem.*

Hecyram ad vos refero] Principium a principali quæstione, an cognita sit, et an spectanda sit. *Idem.*

Quam mihi] A persona dicentis. *Idem.*

22 *Ita eam oppressit calamitas*] Hoc succedit pro illo, quod est a persona adversariorum. Simul ad fortunam retulit culpam populi: non enim dixit quod præsto erat. *Idem.*

23 *Eam calamitatem*] 'Calamitatem' repetit, ne nos fabulam illum dicere putaremus. *Idem.*

Vestra intelligentia] Ab auditorum persona. *Idem.*

24 *Nostra industria*] Rursus a sua. et bene *περιφράσει* usus est: ne diceret, 'vos nobis.' *Idem.*

25 *Quum primum eam agere cœpi*] Jam hinc narratio subtilis inducitur, et ut non lædat populum, et ut defendat Poëtam. *Idem.*

Pugilum gloria] Περίφρασις ἀντὶ τοῦ, pugiles etiam gloriosi: ut minus turpe sit, antelatos eos esse. Sicut Virgilius, 'Vastis cum viribus effert Ora Dares, magnoque virum se murmure tollit, Solus qui Paridem solitus contendere contra.' Hæc est gloria pugilum, gratia funambuli. *Idem.*

Pugilum gloria] 'Pugil' dictus est a pugna: et 'pugna' a pugno. Veteres namque ante usum ferri et armorum, pugnis et calcibus, et morsibus, corporumque luctatione certabant. *Idem.*

Pugilum gloria, Funambuli eodem accessit expectatio] Πολυλογία. *Idem.*

Pugilum gloria, funambuli, &c.] Horatius tractavit hunc locum Epist. II. 1. 'Sæpe etiam audacem fugat hoc terretque poëtam, Quod numero plures, virtute et honore minores, Indocti stolidique, et depugnare parati, Si discordet eques, media inter carmina poscunt Aut ursum aut pugiles. his nam plebecula gaudet. Verum equitis quoque jam migravit ab aure voluptas Omnis, ad incertos oculos, et gaudia vana,' &c. *Bœclerus.*

Pugilum gloria] Qui pro gloria pugnant, et quorum victoriæ maxime gloriosæ solent esse. Cic. 'Acinas pugil, Olympionices, quod est apud Græcos prope majus et gloriosius, quam Romæ triumphasse.' vel 'pugilum gloria,' i. e. pugiles; ut apud Græcos, *βίη Πριάμοιο*, i. e. Πρίαμος, *ἱερὸν μένος* Ἀλκινόοιο, i. e. Alcinous, et id genus alia. *Mer. Casaub.*

Funambuli eodem accessit expectatio] Duplex causa ad unam exclusionem adhibetur. *Donatus.*

Accessit expectatio] Narratio cur exclusa sit. hoc est, non Poëtæ culpa dejecta est, nec judicio populi: et ideo nunc admittenda est. *Idem.*

Expectatio] Desiderium. ut Virgil. 'Expectate venis.' *Idem.*

27 *Comitum conventus*] Utrum eos comites dicit, qui sunt pugilum assectatores? an servos, qui dominos sequuntur? *Idem.*

Comitum] Qui pugiles affectabantur. vel servi, ut qui de plebe homines. Hor. 'Arcta decet sanum comitem toga.' *Mer. Casaubonus.*

Studium] Certamen diversis faventium. *Donatus.*

Clamor mulierum] Bene *mulierum*: non enim timet eas, quibus suffragari vel refragari non licet in theatro. *Idem.*

28 *Ut ante tempus exirem foras*] Τῷ ἐξουθενισμῷ, ne gravem passus videatur injuriam. *Idem.*

29 *Vetere in nova*] Ἀντίθετον primum. *Idem.*

Vetere in nova cœpi uti consuetudine] Nisi novam comœdiam intellexeris, non erit aperta sententia. nam et su-

pra dixit, 'Nunc hæc plane est pro nova.' An a Terentio 'nova' ideo dictum est, quia numquam alias exclusus est? Et bene 'vetere:' ut ostendat, turpe non esse, quod et aliis Poëtis sæpe contigerit. *Idem.*

Vetere consuetudine] Qua usus fueram in Cæcilianis fabulis. *Mer. Casaubonus.*

In nova] Comœdia sc. novæ enim Terentii Comœdiæ si cum Cæcilianis comparentur. *Idem.*

30 *In experiundo ut essem*] Ovid. 'Sed quid tentare nocebit.' *Idem.*

Refero denuo] Aut 're' abundat, aut 'denuo.' *Donatus.*

31 *Primo actu placeo*] Rationabiliter dixit 'primo:' quia quinque sunt actus, partes fabulæ. *Idem.*

Placeo] 'Placeo' dixit pro eo quod est, fabula placet, aut Terentius. Et mire, Non diu, inquit, pependit judicium, sed statim placuit: ut quod sequitur, non judicio, sed perturbatione factum sit. *Idem.*

Cum interea rumor venit datum iri gladiatores] Hoc abhorret a nostra consuetudine: veruntamen apud antiquos gladiatores in theatro spectabantur. *Idem.*

32 *Datum iri*] 'Iri' dixit, ut fabulam commendet: ut et omnia spectatori et populo dicantur. *Idem.*

34 *Non potui tutari locum*] Facete repetit 'locum.' *Idem.*

35 *Nunc turba nulla est*] Ἀνταπόδοσις πρὸς τὸ *tumultuantur.* 'Turba,' id est, θόρυβος. *Idem.*

Nunc turba nulla est: otium et silentium est] 'Turbam' retulit ad id quod supra dixit, 'Clamor mulierum.' 'Otium,' πρὸς τὸ 'pugnant:' 'Silentium,' πρὸς τὸ 'Clamant.' *Idem.*

Nunc turba nulla est: otium et silentium est] Quæ adhortatio per enumerationem. *Idem.*

Nunc turba nulla est] Liber Bembinus et Donatus, *non est.* Faërnus.

36 *Agendi tempus mihi datum est*] Ab Ædilibus scilicet. *Donatus.*

Agendi tempus mihi datum est] Donatus: *ab Ædilibus scilicet.* Non puto. 'tempus' est hic καιρὸς εὐκαιρία. quia turbæ nullæ sunt, ideo tempus mihi opportunum datur ad agendum. *Bœclerus.*

37 *Vobis datur potestas condecorandi ludos scenicos*] Quasi et aliquid agat populus, quum spectet. *Donatus.*

38 *Nolite sinere per vos*] Σχῆμα διανοίας, ῥητορικὴ ἐπίπληξις. *Idem.*

Artem musicam] Oratorie: quasi non Terentii causa agatur, sed artis musicæ. *Idem.*

Artem musicam] Poëticam. Supra, 'atque ab arte Musica.' *Mer. Casaubonus.*

40 *Meæ auctoritati*] Quia jam senex est. *Donatus.*

Meæ auctoritati fautrix adjutrixque sit] Qua Terentium probo. et est figura ἀναλογία. Vult autem se esse ejus authoritatis, ut et populo placere jam debeat, qui ipsi placet. *Idem.*

Meæ auctoritati] Donatus ad fiduciam, Engraphius ad spem actoris, non inerudite retulit. Utrumvis sumas, non deerit ratio explicandi. In Engraphii nota pro, *ad clangendum*, lege, *ad agendum.* Adde ejusdem Engraphii notam ad vs. 47. ubi itidem de auctoritate actoris. *Bœclerus.*

Meæ auctoritati] Qui Terentium tutari et erigere in me susceperim. *Mer. Casaubonus.*

41 *Si numquam avare*] Commendatio ab ante dictis, id est, a personæ adtributis. *Donatus.*

Si numquam avare] A meritis defensoris argumentum ad laudem fabulæ. *Idem.*

Si numquam avare] Per hæc verba Terentius vult demonstrare, quam gravis author sit, qui suas comœdias probet. Sic Horatius, 'Ea quum respondere coneris * Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit.' *Idem.*

42 *Et eum esse quæstum, in animum induxi*] Modo non *numquam* subauditur: sed *si.* ut sit, Et si eum esse, &c. *Idem.*

Maximum, quum maxime] *Inique iniqui*, παρόμοιον. *Idem.*

43 *Quam maxime servire vestris commodis*] Plus dixit 'commodis,' quam si diceret 'voluptatibus.' *Id.*

Vestris commodis] Vestræ voluptati. *Mer. Casaubonus.*

44 *Sinite impetrare me, qui in tutelam meam*] Ordo est, Sinite impetrare me, ne eum circumventum inique iniqui irrideant, qui in tutelam meam studium suum, et se in vestram commisit fidem. *Donatus.*

44. 45 *Qui in tutelam meam studium suum*] Engraphius: 'Poëta enim quodammodo auctore commendatus est.' Lege: *actori commendatus est.* Bœclerus.

45 *Se*] Suam personam. *Mer. Casaubonus.*

47 *Mea causa*] Quasi orator, 'causam' dixit. *Donatus.*

Mea causa, causam hanc accipite] Hoc oratorie. sic enim fit, quum persona ad commendationem affertur. *Idem.*

Mea causa, causam] Παρονομασία. *Idem.*

Mea causa causam hanc accipite, et silentium, &c.] Ait Faërnus versum laborare, nisi τὸ *hanc* tollatur. Miror. Nam 'mea,' 'meo,' 'meos,' &c. pro monosyllabis censentur; quod et ipse dixit, centies. *Faber.*

Et date silentium] Quasi fabulæ ac Poëtæ. *Donatus.*

48 *Ut libeat scribere aliis*] Oratorie ἀπὸ τῆς * ἐCATHOS. *Idem.*

Mihique ut discere novas expediat] Proprie *discere;* docet enim Poëta, discit scenicus. *Idem.*

49 *Novas expediat posthac*] Ab utili argumentatio est. et bene, *ut expediat:* tanquam facturus sit, et si non expedierit, dum quæstum maximum servire populo putat. *Idem.*

Pretio emptas meo] Æstimatione a me facta, quantum Ædiles darent: et proinde me periclitante, si abjecta fabula, a me pretium, quod Poëtæ numeraverint, repetant. Ergo *meo*, a me facto, a me statuto. nam quomodo alibi dixit, 'Postquam Ædiles emerunt.' Et bene, ut sequatur populus judicium ejus, qui æstimare vere fabulas potuerit. *Idem.*

Pretio emptas meo] Ut quidam volunt, periculo. *Idem.*

Pretio emptas meo] Fabulas, interdum histriones, ut hic; interdum Ædiles, ut Eunuchum, (si ludi erant publici) emebant. *Mer. Casaubonus.*

ACTUS I.

Scena i. Senarii sunt. *Bœclerus.*

Per pol quam paucos reperias meretricibus fideleis] *Novo genere hic utraque* προτατικὰ πρόσωπα *inducuntur. Nam et Philotis et Syra non pertinent ad argumentum fabulæ. Hoc autem maluit Terentius, quam aut per prologum narraret argumentum, aut* θεὸν ἀπὸ μηχανῆς *induceret loqui.* Donatus.

1 *Per pol quam paucos reperias*] Hæ personæ Terentii more extrinsecus assumuntur, ut sic argumenti obscuritatem spectator effugiat. *Idem.*

Per pol quam paucos] Animadvertendum est in hac fabula, Terentium, bonam meretricem inducturum, ne id contra morem videatur facere, etiam aliam meretricem non malam inducere: ut id exemplis fiat tritius, et usu verisimile. *Idem.*

Per pol quam paucos] Ordo est, *Pol per quam paucos reperias.* Nam 'per pol,' non est Latinum, sed κατὰ τμῆσιν *perquam*, id est, nimio. *Idem.*

Quam paucos] Quidam non *paucos*, sed *paucis* legunt. sic enim Apollodo-

rus αλπαICHPAS THC rei IONHNC THRAICCI PAγγιbaiωC *. *Idem.*

Per pol quam paucos, &c.] Vide notata supra ad Andr. III. 1. *Bæclerus.*

Per pol quam paucos] Pol per quam paucos. *Mer. Casaubonus.*

Reperias] Aptum verbum ad raritatem. et ideo non dixit 'pauci sunt,' sed 'paucos reperias:' quasi quærens. Non autem reperitur, nisi quod quæritur: non quæritur, nisi quod præsto non sit. *Donatus.*

2 *Fideleis*] Hujusmodi sententias rhetores διανοίας vocant. Et mire, non 'esse,' sed 'evenire' dixit: ut non rationis, sed casus sit id, quod rarissimum est. *Idem.*

Fideles] 'Fidi,' in maximis: 'fideles,' in minoribus negotiis. *Idem.*

3 *Vel hic Pamphilus*] Transitus a generali sententia ad specialem. *Id.*

Vel] Nunc 'veluti,' alias conjunctio disjunctiva est, alias correptionem significat, ut apud Ciceronem, 'Vel optimam Messanæ vitam.' Virgilius, 'Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.' Aut *vel*, *ut* modo. *Id.*

Jurabat quoties Bacchidi quam sancte] Tria sunt: quod jurabat, et quoties, et quam sancte. Quod totum de more amatorum et meretricum dixit, quæ jurejurando teneant, quos lege non possunt. *Idem.*

4 *Ut quivis*] Non modo Bacchis, quæ amica erat. *Idem.*

Ut quivis facile possit credere] Parenthesis, *ut quivis fac. pos. credere.* Mer. Casaubonus.

5 *Numquam illa viva ducturum uxorem*] Παρένθεσις prima. jurabat numquam illa viva uxorem ducturum. *Donatus.*

6 *Hem, duxit*] Pronuntia ut mirantem ostendas. *Idem.*

Hem duxit] *Hem* adverbium demonstrantis est: ut, *hem alter.* Idem.

En duxit] Plures habent, *hem duxit*; quod et Guyetus probat: Argentoratensis codex, *en.* Bœclerus.

Ergo propterea] Modo 'ergo' affectum exprimit reprehendentis tarde sibi consentientem: vel sic Virgilius, 'Ergo age, chare pater, cervici imponere nostræ.' *Donatus.*

Propterea sedulo] 'Sedulo,' instanter, et ex animo: sine dolo. *Idem.*

7 *Et moneo, et hortor*] 'Monemus' consilio, 'hortamur' impulsu. *Idem.*

Ne cujusquam misereat] Deest *te.* *Idem.*

Ne cujusquam miser] Paraphrasin sumas ex illo Plauti, in Trucul. II. 1. 13. et seqq. *Bæclerus.*

8 *Quin spolies, mutiles, laceres*] *Quin* pro quo minus. Et magna persuasio est ad malefaciendum. *Donatus.*

Spolies] 'Spoliare' est, non minimam partem auferre. 'Mutilare,' aliquid detrahere, sine quo res esse non possit. 'Lacerare' autem, quum omnino non habeas, quod imminuas. 'Mutiles,' imminuas: unde 'mutili' dicti sunt boves, aut capri, sine cornibus. nam male, qui a 'multa' putant dici. et inde 'Mulciber' Vulcanus, quod sit mutilatus ac debilis: id est, claudus. nam proprie 'Mulciber' dictus est, quod omnia mulceat, id est, molliat ac vincat. *Idem.*

9 *Utin' eximium neminem habeam*] *Utin'* pro *ut ne.* 'Απόστροφος. Et perseverat in ἀλληγορίᾳ. Nam 'eximia pecora' dicuntur, quæ a grege excepta sunt ad usus dominorum suorum ut uberius pascantur. Sed proprie 'eximii' sunt porci majores, qui ad sacrificandum excepti liberius pascuntur. Etenim boves, qui ad hoc electi sunt, 'egregii' dicuntur. Et 'oves lectæ.' ut Virgilius, 'Mactant lectas de more bidentes.' Ita et 'porci eximii.' *Idem.*

Utin' eximium] Deest 'censes,' ut sit, Censes ut eximium neminem habeam? vel certe, doces? *Idem.*

Utin' eximium] Separatum ex omnibus. Proprie 'eximius porcus' est, exemptus a grege, atque signatus macula aut nota. *Idem.*

Eximium] Præter alios charum. *M.*

Casaubonus.

Habeam] Deest 'censes,' aut 'vis,' aut 'mones.' *Donatus.*

10 *Nam nemo quisquam*] Παρέλκον tertium. nam abundat 'quisquam.' *Idem.*

Scito, ad te venit] Bene additum est 'scito,' et moraliter, at acutius pronuntiandum. est enim verbum illorum, qui familiares corrigunt. *Idem.*

11 *Quin ita paret se*] Hoc verbum, 'paret,' adversum munificos et segnes sumitur. Ut alibi, 'Itane te parasti, ut spes nulla reliqua in te siet tibi?' *Idem.*

Abs te] Pro ex te. *Idem.*

12 *Suam voluptatem expleat*] Bene *expleat*, quod contrarium meretrici est, amatorem voluptate satiari. *Id.*

13 *Hiscine*] 'Ερώτησις. Id est, talibus: et vide si pulchra meretrix puella est. *Idem.*

Insidiabere] Insidiari malum est: sed contra insidiari, justum est. *Id.*

Non contra insidiabere] Eun. act. III. sc. 1. 'Par pari referes?' *Mer. Casaubonus.*

14 *Tamen eandem pol esse omnibus injurium est*] Idem aliter, et vehementius intulit. nam pejus est eandem esse omnibus, quam nullum excipere. *Donatus.*

Eandem pol esse omnibus] Eodem modo omnes tractare. *Mer. Casaubonus.*

Injurium] Iniquum. 'Injurium' autem indignantis modo significatio est: et vim adverbii habet. *Donat.*

15 *Ulcisci adversarios*] De more *adversarios* mutato nomine posuit. durum enim fuerat, si amatores diceret. *Idem.*

Injurium est autem ulcisci adversarios] Recte hoc illa, ut fœmina; cum vindicta nulli magis delectentur quam fœminæ, et qui fœmineos animos gerunt. 'Quippe minuti Semper et infirmi est animi exiguique voluptas ultio. continuo sic collige quod vindicta,' ut optime Juven. Sat. 13. 'Nemo magis gaudet quam fœmina.' qui longe aliter saniores quosque Philosophos olim præcepisse ibi docet. *Mer. Casaubonus.*

16 *Qua via te captent*] Qui te captant sæpe, tu eos vel semel cape. *Donatus.*

Qua via captent te illi, eadem ipsos capi] Plaut. 'Tu si me impudicitiæ captas, non potes capere.' *Mer. Casaubonus.*

17 *Eheu me miseram*] Bene, quia non persuasit, sed affectum doloris expressit. Intelligitur enim ex vultu ejus, non eam persuasisse quod voluit. *Donatus.*

Eheu me miseram! cur non aut istæc mihi ætas, et forma est] 'Εμπαθῶς ait, quod reliquum est: quia, quod volebat, persuadere non potuit. et bene *istæc ætas et forma*, quia utrumque non habet. et mire e contrario descripta est deformitas Lenæ, et formam et voluntatem malam gerentis. *Idem.*

Aut tibi hæc sententia] Δεικτικῶς, simulque ostendit, secundum φυσιογνωμικοὺς, difficile deformem reperiri bonam. *Idem.*

SCENA II. Senarii iterum. *Bæcler.*

Senex si quæret me, modo isse dicito] *Hoc servus dixit, in scenam de proscenio respiciens. Duæ conjecturæ sunt in hac scena: an vere sint nuptiæ, et an verisimile sit, abstinere potuisse adolescentem a virgine sibi nuptum tradita.* Donatus.

1 *Senex si quæret me*] Magis expressit consuetudinem, dicendo 'senex:' quam si diceret, 'Dominus major.' *Idem.*

Senex si quæret me] Ut ex verbis suis tam meretrix, quam lena descripta est, ita et Parmeno ipse qualis sit, ostenditur ex sua locutione. Exeundi autem causa de argumento sumitur: quia Pamphilus absens est, et exspectatur in dies ejus adventus. *Idem.*

Senex si quæret me, modo isse dicito

ad portum] Hæc omnia submissa et veloci pronuntiatione efferenda sunt. hoc enim desiderant hujusmodi verba, utpote et servi et festinantis. *Idem.*

2 *Percontatum adventum Pamphili*] Honestam causam dixit, id est, Pamphili adventum. Et *percunctatum*, et *percontatum* scribitur: sed *percontatum* a conto dicitur, quo nautæ utuntur ad exploranda loca navibus opportuna. si vero *percunctatum*, ab eo quod a cunctis perquiratur, dicitur. *Idem.*

3 *Audin', quid dicam, Scirte*] *Audis*: modo, sentis, intelligis. ut Virgilius, 'Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci Audierat.' Item alibi, 'Neque audit currus habenas.' *Idem.*

Audin', quid dicam, Scirte] *Audis* modo pro advertis. *Idem.*

Audin', quid dicam, Scirte] Convenit nomen servo puero, παρὰ τὸ σκιρτᾷν, quod est gestire et ludere. *Idem.*

Scirte] Κωφὸν πρόσωπον inducitur. *Idem.*

4 *Nullus*] Pro, non. *Idem.*

Nullus dixeris] Minime dixeris. ut And. act. II. sc. 2. 'Liberatus sum, Dave, hodie tua opera. At nullus quidem.' i. e. minime vero. *Mer. Casaubonus.*

5 *Alias ut uti possim*] Inter 'alias' et 'alia,' hoc interest: quod 'alias,' alio tempore significat: 'alia,' aliter, aut per alia. *Donatus.*

Causa] Προφάσει, prætextu. *Mer. Casaubonus.*

Integra] Non dicta. *Donatus.*

6 *Sed videon' ego Philotium*] Mire inventa est causa narrandi ideo, quia peregre venit meretrix: alioquin si Athenis esset, omnia sciret. *Idem.*

Sed videon' ego Philotium] Sic solet dubitari, advenientibus ipsis, quos post multum temporis intervallum vident. *Idem.*

Sed videon' ego Philotium] Ut narrandi argumenti occasio præberetur, assumitur persona hujus meretricis Corintho reducis, et a Bacchide sub primum statim adventum edoctæ, quemadmodum Pamphilus, relicto amore pristino, ad nuptias animum adjecisset. hinc querela scenæ superioris de inconstantia amatorum; et nunc, cum obvium haberet de Pamphili domo servum, percunctandi libido et rem totam cognoscendi, quidnam illud esset, quod a Bacchide tantum amata Pamphilum disjunxisset. hujus enim fortunam quis miserari potuisset, nisi de eodem quæstu? Quoniam autem Poëta ad dissolvendum errorem fabulæ adhibiturus erat Bacchidem, familiaritas ejus cum Pamphilo, ex qua tanquam ex malo principio felix eventus artificiose quærebatur, opportune hic signari potuit. *Bœclerus.*

Huc advenit] Scribe, metri causa, *advenit huc*, et ita alicubi legi. *Faber.*

Unde hæc advenit] Cum quodam contemptu ejus, 'hæc' dicit Parmeno. *Donatus.*

8 *Salve mecastor, Parmeno*] Olim salutantes addebant jusjurandum, ut hoc sedulo facere viderentur. *Idem.*

Me] Aut adjectio est, et abundat, aut positum est pro μὰ syllaba: ut Græci μὰ τὸν Ἀπόλλωνα dicunt. *Idem.*

Et tu ædepol, Syra] Irrisit ad 'mecastor,' addendo 'ædepol.' et quod illa 'Parmeno,' ille hic addidit 'Syra.' *Idem.*

Syra] *Sura* veteres legunt, U pro Y ponentes: ut 'Musia,' 'Suria.' *Idem.*

9 *Dic mihi, Philoti*] Vide licentiam: supra 'Philotium,' hic 'Philotis' dixit. *Idem.*

Ubi te oblectasti tam diu] Facete dictum meretrici, non, *ubi fuisti?* sed, *ubi te oblectasti.* Idem.

10 *Minime equidem me oblectavi*] 'Me' acutius proferendum est: et respondet πρὸς τὸ 'te.' *Idem.*

11 *Corinthum hinc sum profecta*] 'Hinc' magnum ostendit dolorem habere Philotion, quod relictis Athenis Corinthi habitaverit. *Idem.*

Cum milite Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo] Multa dixit: et 'milite,' et 'hinc,' et 'inhumanissimo.' *Idem.*

Inhumanissimo] Quid potuit de milite dici, nisi in superlativo? namque omnis miles inhumanus: hic vero inhumanissimus. *Idem.*

Corinthum hinc sum profecta] Hæc argumenta sunt, an se oblectare potuerit a persona, quia miles inhumanissimus: a loco, quod hinc profecta: a tempore, quod biennium: a re, id est, ab injuria quam tulit. *Idem.*

12 *Biennium ibi perpetuum*] Ut continuationem sui casus ostenderet, 'perpetuum' dixit. *Idem.*

Misera] Muliebris interpositio, τὸ 'misera.' *Idem.*

Illum tuli] Non, cum illo fui, sed *tuli*: adeo non me oblectavi. *Idem.*

Illum tuli] Infra, act. IV. sc. 3. 'Ibi ego te, et tu me feres.' *Mer. Casaubonus.*

13 *Desiderium Athenarum*] Quod Corinthum profecta es. *Donatus.*

Athenarum arbitror] Quod dixit 'hinc' ante ποδοικην* Athenarum, et ἀμφιβολίᾳ 'te desiderium cepisse.' *Id.*

Ædepol te desiderium Athenarum arbitror cepisse sæpe] Quod cum milite inhumanissimo. *Idem.*

15 *Consilium contempsisse*] Pœnitudine esse possessam. *Idem.*

16 *Huc redeundi*] Iterum a loco. *Idem.*

Abeundi a milite] A persona. *Idem.*

Redeundi, abeundi, vosque hic videndi] Oratorie unam rem in tria divisit, Huc redeundi, Abeundi a milite, Vosque hic videndi: ut diceret, Huc veniendi. *Idem.*

17 *Vosque hic videndi*] A re. *Idem.*

18 *Agitarem inter vos libere convivium*] Inter 'agere' et 'agitare' hoc interest: quod 'agere' est aliquid vel necessarium facere; 'agitare,' voluptuarium. Ergo 'agitarem,' exercerem. *Idem.*

19 *Nam illic haud licebat nisi præfinito loqui*] Legitur et *illi*: ut sit circumflexus accentus, et significet illic: ut, 'illi mea tristia facta.' et absolutum est. *Idem.*

Præfinito] Deest tempore, aut quid tale. *Idem.*

Nisi præfinito loqui] A tempore. Hic ostendit, quid dixit supra, 'tuli:' et quid sit: *Agitare convivium libere.* Idem.

Nisi præfinito loqui quæ illi placerent] Duo dixit: et *præfinito*, et *quæ illi placerent*: ut neque quantum velles, neque quod velles, diceres. *Idem.*

20 *Haud opinor commode*] *Commode*, pro blande, et bene: ut, 'Nunquam tam dices commode.' *Idem.*

Haud opinor commode finem statuisse orationi militem] Jocandi materiam arripit vernula more suo, ex verbis mulieris non alias sane valde ambiguis, sed quæ tamen in alium sensum torqueri possint. Dixerat Philotium, haud licuisse sibi nisi 'præfinito loqui,' &c. apud militem scil. qui ejus esset ingenii, quale describitur. Eun. act. II. sc. 2. 'Est genus hominum,' &c. Optime illa ostendunt quid hic sit, 'præfinito loqui.' Quia autem et illi qui 'ad legem et regulam,' (ut Quintil. alicubi loquitur) id est, ad amussim præceptorum rhetoricorum loqui student, et sermonem sollicite exigunt, ii quoque non male 'præfinito' loqui dicantur; et militaris oratio ut plurimum incultior, (unde et illud ejusdem Quintiliani: 'Simpliciora militares decent:' et in Eun. per ironiam, de milite, 'Attica elegantia,') eo trahit Parmeno, quasi de oratione ex præceptis artis, cujus se magistrum profiteretur miles, instituenda locuta esset. Etiam Persius, 'gentem hircosam centurionum;' et alio loco, 'hircosos centuriones,' pro agrestibus et indoctis posuit: ut ibi docti viri, qui et vetus proverbiorum στρατιωτικὴ ἀλογία, de homine stupido. *M. Casaub.*

21 *Finem statuisse orationi militem*] Argute *militem*: quia quasi inimicus

sit orationi, quæ in pace plurimum potest. *Donatus.*

22 *Sed quid hoc negoti est*] Hic ad argumentum nunc descendit. In Phormione, 'Sed quid tu es tristis?' prælatis scilicet allocutionibus, et separatarum et permistarum personarum: ne jejune ad argumentum veniens, non agere fabulam, sed narrare videretur. *Idem.*

Quid hoc negoti est] Bene addidit 'negoti,' ut augeret invidiam facti. nam potuit dicere, *quid hoc est?* Sed, ut diximus, ad invidiam et magnitudinem rei, *negoti* dixit. *Idem.*

Quæ narravit mihi] *Quæ*, qualia scilicet, et quanta. *Idem.*

Modo quod narravit mihi] *Quæ* legendum est: ut sit, qualia et quanta: et hoc *ἐν ὑποκρίσει*. *Idem.*

23 *Quod ego numquam credidi*] Hoc totum cum invidia pronuntiandum ex animo meretricis, quæ facinus indignum nuptias putat. *Idem.*

24 *Ut hac ille viva posset*] Mire ostendit ex eisdem verbis eandem hanc esse, quam supra dixit, 'Numquam illa viva uxorem ducturum.' *Idem.*

Posset animum inducere] Quasi in rem duram et immanem. *Idem.*

25 *Habere autem*] Ostendit pronuntiatione, quod prope est, ut non habeat. *Idem.*

Habere autem] Post verba familiaritatis, Philotis modeste quidem curiosa, sed cum aliqua tamen invidia et accusatione Pamphili orditur. quæ forma orationis inconsideratum servum eo perduxit, ut excusandi heri causa temere negatum iret, de matrimonio. *habere autem?* quasi tu dicas Pamphilum habere uxorem. statim igitur captari tam incaute progressus et constringi potuit: 'eho tu, an non habet?' quid rem tam certam, tam manifestam celare inceptas? ut confiteri cogeretur, quod negare voluerat, et cito ab illo male callido, *habere autem?* ad simplex, *habet*, rejiceretur; non sine pudore aliquo; qui in novam eum fraudem præcipitavit. dum enim quod deprehensus esset, excusare contendit, arcani herilis prodendi bonam de se spem præbet, familiarius et intentius subjiciens: 'sed firmæ hæ vereor ut sint nuptiæ.' Arripit incallidi hominis familiaritatem meretrix, et instat; arcanaque et silenda caussantem, asseverantius primo, mox lepido irrisu, ad rem omnem ordine denarrandam pertrahit. *Bæclerus.*

26 *Sed firmæ hæ vereor ut sint nuptiæ*] Bene pro persona servi, qui vult dominum uxorium esse magis, quam amatorem Bacchidis. *Donatus.*

Sed firmæ vereor] Animadverte Terentium in nuptiis hoc dictum servare, utrum firmas an infirmas dicat nuptias. *Idem.*

Firmæ hæ vereor ut sint nuptiæ] Ne non. Andr. act. II. sc. 2. 'Id paves, ne ducas tu illam; tu autem, ut ducas:' i. e. 'ne non ducas:' ut ibi Don. *Mer. Casaubonus.*

Ut] Ne non. *Donatus.*

27 *Si in rem est Bacchidis*] Bene additum, *si in rem est Bacchidis:* ut ostenderet, se non malignitatis, sed benevolentiæ causa, talia vota suscipere. *Idem.*

In rem] Pro, utilitatem: 'ab re,' contra utilitatem. *Idem.*

28 *Sed qui istuc credam*] Id est, nuptias esse infirmas. *Idem.*

Sed qui istuc credam, ita esse? dic mihi, Parmeno] Superiore voto excusavit crimen curiositatis: jam videtur post Bacchidem audire velle. *Idem.*

29 *Non est opus prolato: hoc percontarier desiste*] Vide quam convenienter Poëta, quum id agat, ut narrantem Parmenonem inducat, tamen multis diverticulis morales facetias internectat. *Idem.*

Non est opus prolato: hoc percontarier desiste] Incerta distinctio, utrum, *prolato hoc*, an *hoc percontarier*. Idem.

30 *Ea causa, ut ne id fiat palam*] Ea nempe tibi metuendi sive celandi causa, ne per me aliis innotescat, quod mihi dixeris. *Mer. Casaubonus.*

31 *Ita me Di bene amabunt*] Pro *ament*. ut, 'donec regina sacerdos Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.' *Donatus.*

32 *Ut hoc proferam*] Prodam, Bacchidi scilicet, vel cuilibet. *Idem.*

Mecum gaudeam] 'Mecum,' intra me. Virgil. 'Hæc secum.' *Idem.*

33 *Numquam dices tam commode*] Hæc pronuntiatio ejusmodi esse debet, ut ex ea appareat prope delinitum Parmenonem vix se posse continere quin narret. *Idem.*

Nunquam dices tam commode] Quasi ex parte labefactus est: sic enim loquitur. *Idem.*

34 *Ah noli, Parmeno*] Artificiose se fingit audire nolle, ut tacitura credatur, si audierit: quia curiositas signum est loquacitatis. Sic Horat. 'Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.' *Idem.*

Ah noli Parmeno] Minus explicat, quod vult, Donatus: cujus annotationes hoc loco nec ab una manu esse videntur. Verbo, et clare Guyetus. *Bæclerus.*

35 *Quasi non tu multo malis*] Deest, 'Ita dicis:' ut sit, 'Ita dicis quasi.' Et nunc Philotis non est instantior hac calliditate, ut magis servum ad dicendum provocet. *Donatus.*

Quasi non tu multo malis narrare hoc mihi] Ἔλλειψις· deest enim, 'Ita gravaris dicere,' aut 'Ita negas te esse locuturum.' *Idem.*

37 *Et illud mihi vitium est maximum*] Servile vitium est, tacere non posse. *Idem.*

Vera hæc prædicat, et illud mihi maximum vitium est] Hæc lentius apud sese: illud clare, 'Si mihi fidem das.' Etiam alia se habere vitia, exceptione significat, in hoc quod dicit, 'Illud mihi vitium maximum est.' *Idem.*

Mi illud vitium maximum est] Hæc ille secum, ut Philotis non audiat. *Mer. Casaubonus.*

Si mihi fidem das] Animadverte, his dilationibus etiam spectatorem suspendi, quo libentius audiat. *Donatus.*

Si mihi fidem das] Fideliter, prodes. Idem.

38 *Ad ingenium redis*] Quia a se discesserat, si taceret. Cicero, 'Redit a se.' *Idem.*

39 *Hanc Bacchidem amabat, ut cum maxume*] Ejusmodi est hæc tota narratio, ut defensionem adolescentis continere videatur, quod meretricem amicam necessitate coactus deseruerit. Mire igitur, unde quæstio est, inde cœpit: 'amabat,' inquit, 'Bacchidem.' Sic et in secundo Virgilius, an fortiores Græci Trojanis: 'Fracti bello,' inquit, 'fatisque repulsi Ductores Danaum.' *Idem.*

40 *Bacchidem amabat*] Ordo et sensus hic est, Hanc Bacchidem tum amabat Pamphilus, ut cum maxime amabat, quum pater uxorem, ut ducat, orare occipit. Et *ut* positum pro *quemadmodum*. Et *maxime* bis numero subauditur. Et *cum maxime*, una pars orationis est: aut *cum maxime*, pro nimis. *Idem.*

Amabat, ut cum maxime] Amabat tum, ut cum maxume (amabat scil.) i. e. nunquam magis quam tum amaverat. *Mer. Casaubonus.*

41 *Quum pater*] *Quum* modo adverbium est temporis, pro *quando*. Donatus.

Orare occipit] Maxima necessitas est, orans pater. *Idem.*

42 *Et hæc, communia omnium*] Quid si injustum est, quod orabatur? ostendit justum, et frequentatum, quod dicebat pater. *Idem.*

43 *Sese senem esse dicere*] Omnem causam adolescentis senex amputavit, pro suo senili commodo rogans: potuisset enim adolescens dicere,

Quam pro me curam geris, hanc precor pro me deponas. *Idem.*

Senem esse dicere] Illud posset agere amator contra utilitatem suam: sed non poterat filius contra utilitatem patris. Ergo ut cogeret pater, suam causam interponebat. *Idem.*

44 *Præsidium velle se senectuti suæ*] ‘Præsidium senectutis,’ sobolem et successorem dicit. *Idem.*

45 *Ille primo se negare*] Utrum deest *ducere?* an *Negare se nuptiis. Idem.*

Ille se primo negare, &c.] Accuratius hunc locum tractavit poëta, ut suspicio levitatis averteretur a Pamphilo, qui juraverat Bacchidi, ut ante dictum est: simul difficultas ipsius rei, ut supra in Heautontimorumeno exemplo Clitiphonis et in parte argumenti demonstrata est, ita hic narratione non perfunctoria indicatur. *Bœclerus.*

Negare] Posse ducere scil. *Mer. Casaubonus.*

Sed postquam acrius pater instat] Tria dicit, et *acrius*, et *pater*, et *instat.* Donatus.

Sed postquam acrius pater instat] Postquam, inquit, acrius instat, non compulsus est Pamphilus, sed tantum deliberavit. *Idem.*

46 *Pater instat*] Major vis est quum pater instat, quam quum rogat. *Idem.*

47 *Pudorine, anne amori obsequeretur magis*] Sic ostendit in utramque partem, ut tantum in animo honesti adolescentis pudor amorem vincere debuisset. *Idem.*

Pudorine anne amori] Ἀνακόλουθον. non enim præposito *utrum* intulit *anne.* Idem.

Pudorine, anne amori] Latens excusationis ratio explicata est. *Pudori*, Patris scilicet: *amori*, Meretricis. *Idem.*

Pudorin' anne amori obsequeretur magis] Ovid. ‘Pudor est qui suadeat istinc, Hinc dissuadet amor: victus pudor esset amore: Sed leve si munus,’ &c. *Mer. Casaub.*

48 *Tundendo, atque odio*] *Tundere*, est sæpius idem repetere: translatio a fabrorum malleo. *Donatus.*

Odio] Assiduitate. Attendenda est difficultas uniuscujusque verbi. *Idem.*

Tundendo, atque odio denique effecit] *Denique* temporis longitudinem significat. *Efficimus* vero, quod cum magno conatu et molimine facimus, vixque per nos finem accipit. *Idem.*

Tundendo, atque odio denique effecit senex] Mire interposuit moras, ad postremum confessurus uxorem ductam. Primo, inquit, negavit: post, deliberavit: ad postremum, duxit. Non, inquit, ipse: sed effecit hoc senex. Ita mutatione personæ totam voluntatem adolescentis absolvit. *Idem.*

Denique effecit] Oratorie tempus apposuit: nam hoc significat *denique.* Idem.

Odio] Hoc est, instantia. *Idem.*

Tundendo atque odio] Sæpius eadem repetendo, atque importunitate. *Mer. Casaubonus.*

49 *Despondit ei gnatam*] Vide, non hic dici, Duxit uxorem Pamphilus: sed totum ad patrem referri. *Donatus.*

50 *Neutiquam*] Non nimis. *Idem.*

51 *Donec jam in ipsis nuptiis*] Nota locutionem sensu magis, quam verbis manifestam. *Idem.*

Donec jam in ipsis nuptiis] Deest, positus constitutusve ita doluit, et ægre tulit. Aut repetere debemus sic, In ipsis inquam nuptiis. *Idem.*

Donec jam in ipsis nuptiis] In mentione nuptiarum effervescit animus amatoris. *Idem.*

In ipsis nuptiis] Positus constitutusve: ut hic Don. vel, *in ipsis nuptiis.* i. e. in nuptiarum tempore et celebritate. *Mer. Casaubonus.*

52 *Nec moram ullam, quin ducat, dari*] Ubi nec aliquam dieculam vel dilationem videt ad nuptias. *Donat.*

Quin] Quominus. *Idem.*

53 *Ibi demum*] Denique, postremo. Et mire additum est *ibi:* quia male pendebat, *in ipsis nuptiis.* et sic est, quasi dixisset, in ipsis inquam nuptiis. *Idem.*

Demum ita ægre tulit, ut ipsam Bacchidem, Si adesset, credo ibi ejus commiseresceret] Hoc ὑπερβολικῶς. ut Virgilius, ‘Vel Priamo miseranda manus.’ *Idem.*

Ut ipsam R. Bacchidem] Quæ nunc accusatrix est. Et est argumentum ab animo. *Idem.*

Ægre tulit] Idem Virgilius, ‘Quis talia fando Myrmidonum Dolopumve, aut duri miles Ulyssei, Temperet a lachrymis?’ *Idem.*

Ut ipsam Bacchidem] Credo ipsam Bacchidem; pro, credo quod ipsa Bacchis, &c. ut supra: ‘Metuo lenonem’ pro, ‘metuo ne leno,’ &c. *Mer. Casaubonus.*

54 *Credo ibi*] *Ibi*, pro *tum.* Donatus.

56 *Ut colloqui mecum una posset*] Παρέλκον tertium. Et argumentum a persona, quod ait, *mecum.* Idem.

Parmeno, perii] Argumentum a dictis: quod ait, *Parmeno, perii.* Idem.

Parmeno] Moraliter, et antonomasiace nomen repetit. Et significanter fecit, non addendo *dicebat*, et in μιμητικὸν a διηγηματικῷ transeundo. Et mire interposuit nomen, ut affectum doloris ostenderet. Sic Virgilius: ‘Anna, fatebor enim.’ *Idem.*

58 *Parmeno, &c. Parmeno*] Ἐν ἤθει repetit nomen. *Idem.*

59 *At te DI Deæque perduint*] Obtinuit et persuasit servus. nam jam meretrix seni irascitur, non Pamphilo. *Idem.*

At te dii deæque perd.] Hunc versum ejicit Guyetus. Sed magna est ratio Donati, et quæ merito eum tueatur. Bene enim consilium poëtæ videtur conjecisse, cum annotat: ‘Obtinuit et persuasit servus. nam jam meretrix seni irascitur, non Pamphilo.’ id voluerat tam diligens amplificatio narrationis, de qua modo egimus. *Bœclerus.*

Cum istoc odio] Cum instantia ac molestia. *Donatus.*

60 *Ad pauca ut redeam*] Tanquam multa sint, quæ de Pamphili amore dici possint. *Idem.*

Ad pauca ut redeam] Præceptum oratorium in longa narratione, pro veritatis inquisitione. reddit enim auditorem acriorem, quem spes finis recipit fatigatum. *Idem.*

Ad pauca ut redeam] Ut paucis absolvam. Plform. IV. 3. ‘Ut ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias.’ *Mer. Casaubonus.*

Uxorem deducit domum] *Uxor* dicitur, vel ab ungendis postibus, et figenda lana: id est, quod quum puellæ nuberent, maritorum postes ungebant, ibique lanam figebant. vel quod lotos maritos ipsæ ungebant. cujus rei testis Ennius: ‘Exin Tarquinium bona fœmina lavit et unxit.’ *Donatus.*

Uxorem deducit domum] Quod vulgo, *uxorem ducit* vel *domum ducit.* Plaut. ‘Nam bona uxor, si ea quidem deducta est usquam gentium, ubi ea posset inveniri? verum egone eam ducam domum Quæ mihi dicat,’ &c. *Mer. Casaubonus.*

61 *Nocte illa prima*] Pronuntiandum acutius *illa prima*, quasi dicat, plena desiderii, plena cupiditatis. Similiter addidit *virginem.* et expresse, ‘Non attigit nocte illa prima.’ Quasi dicat, plena amoris et plena dulcedinis: ut mirum sit quod infertur, *Non tactam virginem.* Et hic argumentum est, quanta fecerit Pamphilus erga amicam suam. *Donatus.*

Virginem non attigit] *Virginem* ἔμφασις est: quamvis non amatam, virginem tamen. et non dixit, non amplexus est: sed, ‘Ne attigit quidem.’ *Idem.*

62 *Quæ consecuta est nox*] Eam primam noctem scilicet. *Idem.*

Nihilo magis] Quasi in nihilo possit esse magis aut minus. Et *nihilo magis*, asseverationis est. *Idem.*

Eam nihilo magis] Ea nocte eam nihilo magis attigit. *Mer. Casaubonus.*

63 *Quid ais? cum virgine una*] Invenitur quasi interjectio *una*, id est, simul uno loco. *Donatus.*

Quid ais? cum virgine, &c.] Comice narratio distinguitur et eleganter sermone ad meretricis ingenium apto. *Bœclerus.*

Cum virgine] A persona. *Donatus.*

Una] A loco. *Idem.*

Adolescens] A persona. *Idem.*

Cubuerit] Ab habitu et occasione. *Idem.*

Cum virgine una adolescens cubuerit] Argumenta in conjecturam necessario posita: quibus Terentius ex utraque parte disputans, τὸ ἀπίθανον purgat, ne quis illum stulte hæc posuisse judicaret. Hæc enim meretrix tarde credit argumentis, ne a Parmenone vincatur. Hinc est quod ait Horatius, 'Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.' *Idem.*

64 *Plus potus*] Ab impulsione, et ex accidentibus. *Idem.*

65 *Non verisimile dicis*] Αὔξησις perversa: prius est enim verum, deinde verisimile. Sed ideo sic dicit, quia est sæpe non verisimile, verum tamen: ut, Decios pro alieno commodo mori voluisse. *Idem.*

Non verisimile dicis] Hoc jam plus est, tantum eum amasse Bacchidem, quantum non possit credi. *Idem.*

66 *Credo ita videri tibi: nam nemo ad te venit*] Magno compendio usus est, non ostendens cur hoc falsum sit, quod putet meretrix: sed cur hoc putet. ita ex ejus persona totum refellitur, quod objicit. *Idem.*

67 *Ille invitus*] *Invitus* dicendo, quasi admonet iterum iterumque. ut Virgilius, 'Italiam non sponte sequor.' *Idem.*

68 *Quid deinde fit*] Interponitur persona ad exitum festinans: ut alibi, 'Quam metui quorsum evaderes!'* *Idem.*

Diebus sane pauculis post] Hic exitus est. *Idem.*

69 *Pamphilus me solum seducit foras*] Ne testis quisquam et arbiter secretorum interveniat. *Idem.*

Me solum seducit foras] Familiaris in servo jactantia, de dominorum familiaritate, simul quia decens est, ut per eum, quid gestum sit, spectatores sciant. *Idem.*

Pamphilus me solum sed.] Fides totius narrationis in hoc vertitur. *Bœclerus.*

70 *Narratque, ut virgo a se integra etiam tum siet*] Hoc est illud quod supra dixerat, 'Nocte illa prima virginem non attigit.' *Donatus.*

71 *Seque ante, quam eam uxorem duxisset domum*] Bonus color purgationis: diceretur enim, Quare si illam odio habebat, ducebat uxorem. *Idem.*

Seque ante, quam eam uxorem] *Antequam ux.* Mer. Casaubonus.

72 *Tolerare posse*] *Tolerare*, verbum est male patientis. *Donatus.*

73 *Quam decrerim me non posse diutius habere*] Ἀποστροφὴ καὶ ἠθοποιΐα, ἀπὸ διηγήματος εἰς μιμητικήν. *Idem.*

Decrerim] Statuerim et defixerim. *Idem.*

Sed quam decrerim me non p. d. &c.] Vertitur narratio in προσωποποιΐαν μιμητικήν, ordinario apud Comicos schemate. quod et Donatus monet. Sensus et φράσις, aliqua declaratione opus habet. In prima consultatione, Pamphilus hoc dicit: Integra et intacta dimittenda est, quam segregare a me decrevi. In altera: Cum repudiari honeste non possit, operam dandum est, ut sua sponte abeat. Prius consilium in hunc modum proponitur: Quoniam decrevi, me non posse cum hac ætatem degere, (id enim est, *diutius habere*,) nihil aliud superest, quam ut a me discedat, sicut accepi. Si aliter fieret, i. e. si eam, dum mecum est, attingerem, contumeliæ me postulare et injuriæ haud immerito posset. cujus rei exemplum in Phormione poëta exhibet, quando conjugem *item ut meretricem, ubi abusus sis, amittere*, nefas esse ostenditur. atque hoc esset, *ludibrio haberi.* unde in Pamphilum, infamia; in segregatam immedicabile detrimentum, quantum ad muliebrem insequentis temporis fortunam, emergebat. Bene igitur et honeste Pamphilus: 'Quam decreverim me non posse diutius habere, eam ludibrio haberi, quin (i. e. quo minus) integram itidem reddam, ut accepi ab suis,' id vero, 'neque honestum mihi, neque utile ipsi virgini est.' qua figura, summam ibi infamiam, hic irreparabile damnum signari, palam est. vide omnino Guyetum.

Altera deliberatio hoc fere ambitu concluditur. Si remittere volo in domum patris, aut causa proferenda est repudii, aut absque causa et juris titulo repudiare eam oportet. Causam vero, quæ me ab illa abstrahit, et alibi attinet, in publicum efferri, non uno nomine 'Incommodum mihi esse arbitror.' Repudiare autem, nec repudii causam repudiatæ dicere, parentibus ejus approbare, incivile, *superbum*, insolens. Relinquitur, ut sperem, sponte abituram, si cognoverit, mihi animum ab hisce nuptiis prorsus abhorrere. Hæc verissima hujus loci sententia est. in quo nec se nec alios expediunt eruditorum nonnulli. Sunt, qui τὸ *proferre* in *perferre* mutatum cupiant. Non enim satis ceperunt, quid esset, *hoc* proferre. *hoc* i. e. quod amoris meretricii causa repudium cupiam, nec possim ad stabile connubium animum applicare. Donatus: '*Hoc ego proferre.* amorem scilicet meretricis.' recte. 'Cui tu nihil dicas vitii,' Guyetus explicat, erudite sane. vide Chrestomath. Alii τὸ *cui* ad patrem referunt. *Bœclerus.*

74 *Eam ludibrio haberi*] Honesto verbo et pudoris pleno usus est: et nove pro, vitiari. *Donatus.*

Ludibrio haberi] Nove, inquit Don. pro, vitiari: et honestum pudorisque plenum verbum pronuntiat. recte hoc, ex sanctæ linguæ consuetudine; ut Gen. xxxix. 11. 14. &c. ubi vulgata non male, *illudere*, quomodo et alii Latini autores in eadem notione. *Mer. Casaubonus.*

75 *Quin*] Quo minus. *Donatus.*

Integram] Id est, honestam. non enim dixit, spoliatam virginem aut mulierem. *Idem.*

Ut accepi a suis] Vigilanter quidem integram specificat: id est, talem, qualem accepit a suis. potuit enim vitiatam accepisse, ut sæpe evenit. Ergo non abundat, *ut accepi a suis*, sed habet significationem. *Idem.*

77 *Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili*] Erga meretricem *pium*, *pudicum* erga virginem. Cogitur pium dicere Pamphilum, quem perjurum putabat. *Idem.*

Pium et pudicum ingenium narras Pamphili] An simul erga virginem et pium et pudicum? an pium erga meretricem, pudicum erga virginem? *Idem.*

Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili] Nuspiam disertiores sibi videntur Grammatici, quam in explicandis, quæ ἐκ παραλλήλου ponuntur. Scire utique possunt, eruditos multam plerumque philosophiam hac figura concludere. sed interpretatio non est cujusvis operæ. Donatus hic: 'Erga meretricem pium; pudicum erga virginem.' Et iterum in eodem commentario: 'An simul,' &c. Ad virginem et ejus domum spectare utrumque vocabulum, orationis series, et poëtæ consuetudo, non longe arcessentis judicia de moribus, ostendunt. *Pietati* honestatis et juris religio potenter inest. *Pium* ingenium idem hic est, quod in Andria Teren-

tius dixerat *bonum*: 'Quandoqnidem ipse est ingenio bono, Quumque huic veritus est optimæ adolescenti facere injuriam.' Non alia hic sententia. *pudicum* autem, verecundiam illam notat, quam Pamphilus ipse sibi debuit, indignum se illud existimando, quod ab honestate tantum abiret. qui enim abuti honesta fœmina et postea dimittere eam in animum induceret, injuriam atrocem in illam, turpitudinem in se admitteret maximam. injuriæ pietas obstat, turpitudini pudor. *Bœclerus.*

78 *Hoc ego proferre*] Verba Pamphili sunt: non ut quidam putant, ad personam Parmenonis referentes. *Donatus.*

Hoc ego proferre] Amorem scilicet meretricis. *Idem.*

Incommodum esse mihi arbitror] Propter patris iram, qui autor istarum nuptiarum. *Mer. Casaubonus.*

79 *Patri*] Proprio patri Phidippo. *Idem.*

Cui nihil dicas vitii] Nunc *vitii*, culpæ uxoriæ. *Donatus.*

Nihil dicas vitii] Sine justæ caussæ allegatione. *Mer. Casaubonus.*

81 *Mecum esse*] Uxoris loco: ut apud Plautum sæpe. *Idem.*

Abituram denique] *Denique*, moram significat, et postremam tarditatem. itaque postremo, vel sero abituram indicat. *Donatus.*

82 *Quid interea*] Exultantis est, et gestientis audire. *Idem.*

Interea] Inter eos dies. *Idem.*

83 *Postquam hunc alienum ab sese videt*] Pro *alienatum* dixit. ut in Phormione, 'Quid ego vobis, Geta, alienus sum?' Nam quomodo *alienum*, si amabat, dixisset? *Idem.*

Postquam hunc alienum] Oratorie, non jam Bacchidem excusat, quam a verisimili causa vult inducere, quod ipsa sit in Pamphilum durior. *Idem.*

Alienum ab sese videt] Id est maritum: nam hoc nomen a meretricibus alienum est. *Idem.*

84 *Maligna multo*] *Maligna*, difficilis ac superba. *Malignus* est, qui difficultatem sui ostendit. *Idem.*

Procax] Dispoliatrix et petax. *Procare* enim, est petere. Virgil. 'Procacibus austris,' id est, impudentibus. nam qui multum petit, impudens est et procax. Unde et *proci* dicti sunt, qui filias alienas in matrimonium petierunt. *Idem.*

85 *Non ædepol mirum*] Obtinuit quod volebat Parmeno. nam credidit Philotis injuriam factam Pamphilo. *Idem.*

Non edepol mirum] Donatus hic annotat: 'Obtinuit,' &c. credidit, inquam, dum excusat: nec mirum esse, ait, si quid in Pamphilum durius consuluisset Bacchis. *Bœclerus.*

Atqui ea res multo maximo] Opportune concitatius Pamphilum defendit Parmeno, postquam Philotis inducta est, ut fateretur injuriam factam. *Donatus.*

Atqui ea res] *Atqui*, imo. Legitur et *atque*. Idem.

87 *Et illam*] Meretricem malam. *Idem.*

Et hanc, quæ domi erat] Uxorem modestam. *Idem.*

Et illam, et hanc quæ domi erat] *Illam* quæ meretrix esset: *hanc*, id est, uxorem. *Idem.*

Cognovit] Diligentius et attentius consideravit. nam *cognoscere*, est diligenter et attente considerare. *Idem.*

Cognovit satis] Bene *satis*, ex ipsius moribus, et ex meretricis. *Idem.*

88 *Ad exemplum*] Quasi ad imaginem, et collationem, et speciem comparationis. *Idem.*

Ad exemplum ambarum mores earum existimans] Donatus: 'Quasi,' &c. Nihil satis expedivit. Res mira: omnes videntur sibi intelligere, et interpretari hunc versum, dum nihil agunt interim. non enim sufficit dicere: 'Mores earum comparavit ac contendit, et de utriusque moribus ex hac comparatione judicavit.' nondum enim nec de φράσει, nec de συντάξει constat. in qua re cum non parum incommodi videret Franciscus Guyetus, versum totum delevit. Majoris id esse candoris dixeris, quod fateri ita voluit, non satis commode explicari posse; ut cum Terentiana scilicet stili civilitate consentiat explicatio, ac eruditis approbari queat. Sive enim dicas: *earum ambarum mores, ad exemplum existimavit;* satisne Latinum erit, *ad exemplum existimare*, ut efficiat sensum, quem vis? Sive ita distinguas: *ad exemplum ambarum, mores earum existimans*, quid aliud poteris afferre melius quam ut dicas, *exemplum*, cottidianæ vitæ consuetudinem esse, *mores* ad ingenium notandum pertinere? q. d. exigendo et comparando hujus consuetudinem, ad illius consuetudinem, quo ingenio utraque esset, facile judicare potuit ac deprehendere. nam 'Cotidianæ vitæ consuetudo, ut cujusque ingenium sit, declarat maxime.' Heaut. II. 3. 43. Nec dubitandum est de re, quin de comparatione liberalis in Philumena ingenii, meretricis ingenium parum liberale perspexerit Pamphilus. id quod vs. 89. et seq. satis ostenditur. sed quid in verbis desiderare queant eruditæ aures, norunt, qui castum Terentiani sermonis genium intelligunt. *Bœclerus.*

Existimans] Intelligens. *Donatus.*

Mores earum æstimans] Mores earum comparans ac contendens; et de utriusque moribus ex hac comparatione judicans. *Mer. Casaubonus.*

89 *Hæc, ita ut liberali esse ingenio decet*] Qualitas comparativa. *Donatus.*

Hæc ita uti liberali esse ing. &c.] Egregie induxit hanc figuram Poëta, ut quantum præstaret matronæ virtus meretriciis moribus intelligendum daret: dum enim adolescens uni deditus meretrici fuit, non statim deprehendit fucatos mores, et nihil ex sincero trahentes. Verum postquam comparandi copia fuit, non potuit liberali Pamphili ingenio (tale enim facit poëta) dubium esse, quid amari, quid præferri deberet. Ingenia enim similitudine sibi conciliantur invicem. atque ut pravi facile inter se conspirant; ita præstantes nec distortas naturas arcano quodam et elegante commercio consentire videmus. cujus sententiæ vim, quasi obiter, sed penetrabili efficacia, extulit noster in illis: 'Huc transtulit Amorem, postquam par ingenium nactus est.' *Bœclerus.*

Uti liberali esse ingenio decet] Ut eam decet, quæ liberali sit ingenio. Cæterum, posterius membrum comparationis consulto omittit, ne meretricem absentem insectando præsentem offenderet. *Mer. Casaubonus.*

90 *Pudens, modesta*] Hæc contra vitia meretricia posuit. Pudens hæc, illa procax: modesta hæc, illa maligna. reliqua vero superadduntur, ornamenta uxoris, matronæque laudes. *Donatus.*

Incommoda atque injurias] Callide, laudata uxore non repetit vitia meretricis apud meretricem: et simul contentus de uxoris laudibus, vitia meretricis intelligit. *Idem.*

Incommoda atque injurias viri omnes ferre] Figura ἔλλειψις. *Idem.*

Tegere] Hoc plus est, quam ferre. et *tegere*, quod meretricem amaret. Et plus dixit *tegere*, quam celare. *Tegere* enim ad hoc dixit: ut non solum cuiquam non ediceret, sed et ne quis sciret. *Idem.*

92 *Hic animus*] Oratorie dixit; non enim Pamphilum dixit, sed animum Pamphili. *Idem.*

Hic animus] *Hic* pro *tum*. Virgilius, 'Hic annis gravis, atque animi maturus Alethes.' *Idem.*

Uxoris misericordia] Ἀμφιβολία. *Idem.*

Uxoris misericordia] Recte, quia ex misericordia amor nascitur. Sic et in Phormione, 'Misertum est, virgo ipsa facie egregia.' Virgilius, 'Heu

quibus ille Jactatus fatis!' *Idem.*

93 *Devinctus, partim victus*] De proximo repetivit παρόμοιον, *devinctus, victus.* Idem.

Devictus] Alii melius, *Devinctus. devinctus, victus,* elegans παρόμοιον. *Mer. Casaubonus.*

Partim victus hujusce injuriis] Qualitas relativa. *Donatus.*

94 *Paulatim elapsus*] Adeo est tardus amor Pamphili et magnus, ut etiam post injurias difficile discedat. *Idem.*

Elapsus] Animus, non Pamphilus. *Idem.*

Huic] Alii, *huc.* Mer. Casaubonus.

95 *Postquam par ingenium nactus est*] An sibi par? an absolute bonum? ut dicimus, 'Si par est facere te.' Ergo aut sibi par, aut uxori: id est, liberali fœminæ. *Donatus.*

Par ingenium nactus est] *Par ingenium,* eandem voluntatem. Sallustius, 'Quos eadem odisse, et eadem metuere id unum coëgit.' Idem alibi, 'Nam idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.' *Idem.*

Par ingenium nactus est] Quod mori et amori suo melius congrueret: ille 'Pius ac pudicus,' ut paulo supra; hæc, 'Pudens, modesta,' &c. ut modo. *Mer. Casaubonus.*

96 *Interea in Imbro moritur cognatus senex*] Bene causa abitionis Pamphili narratur. *Donatus.*

Imbro] Insula Thraciæ proxima. *Mer. Casaubonus.*

Moritur cognatus senex] Bene quod ait *senex:* nam acerbum funus non conveniebat fabulæ. In comœdia itaque apud Terentium, aut meretrix molesta, aut ex duabus una uxor moritur, aut senex. Ita ex hujusmodi mortibus, vel incommodum vitatur, vel lucrum insuper nascitur, ut non sit causa lugendi. *Donatus.*

97 *Horum*] Maluit *horum,* quam *dominorum,* dicere. *Idem.*

Ea] Quæ ex cognato sene. nam mortui senis commemoratio, ex communi loquentium consuetudine, tacitam habet et hæreditatis significationem, quo spectat relativum illud, *ea.* Mer. Casaubonus.

Ad hos redibat lege hereditas] Verbo juris usus est: ea enim legitima est hæreditas, quæ familiæ debebatur. *Donatus.*

98 *Eo amantem*] Modo jam uxorem: non enim amicam. *Idem.*

Invitum Pamphilum extrudit pater] Invitum recessisse vis verbi demonstrat. Nam proprie *extrudere* dicitur, qui manibus expellit: sed hic translatione usus est, ut ostenderet, tantum importunitatis verbis senis fuisse, quantum impulsio manuum efficere potuisset. *Idem.*

Extrudit] Verbum necessitatis et aptum importunitati. *Idem.*

99 *Relinquit*] Inertia præsentis temporis. Legitur et *reliquit.* Idem.

Relinquit cum matre hic uxorem] Præparatio ad futurum errorem. *Idem.*

100 *Nam senex rus abdidit se*] *Nam* hic inceptiva particula est. ut, 'Nam meus conservus est homo haud magni pretii.' Plautus in Milite Glorioso. *Idem.*

Rus abdidit se] Verbum reprehendentis senem: quod, *se abdidit,* dixit. *Idem.*

Huc raro in urbem commeat] *Huc* bene dixit, ut ostendat Parmenonem in urbe esse. Mira οἰκονομία. fac enim præsentem, et nullus error in fabula est. *Idem.*

Commeat] *Commeare* est abesse inde, ubi te esse oporteat. Ergo hoc dicto ostendit, quam raro ad urbem veniat senex. quippe *commeatus* est ex aliqua commoratione temporalis abscessus. *Idem.*

101 *Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ*] Bene usque adhuc suspensa narratio est. et in hac interrogatione quasi substomachatur Philotis decepta, quod nihil videat infirmitatis in nuptiis, quod optaverit. *Idem.*

Quid adhuc habent] Hoc tristior meretrix dixit. *Idem.*

Infirmitatis] Instabilitatis. Phorm. act. v. sc. 1. *Mer. Casaubonus.*

102 *Nunc audies*] Sic ait, quasi jamdudum audire cupienti, vel quasi ad molestam percontatricem. *Donat.*

103 *Bene conveniebat sane*] *Bene,* pro multum: et *sane,* valide. quia qui sanus, idem et validus. *Idem.*

104 *Interim miris modis odisse*] Huc usque Parmenonem Poëta verba passus est dicere; cætera actibus servaturus. *Idem.*

Interim miris modis] Mire ad finem comœdiæ rerum explanatio reservatur. namque si quæras, fallitur Parmeno, quum non odio socrus, sed pudore simultatem adversus socrum Philumena simulaverit. *Idem.*

Interim] Modo repente: et est adverbium temporis. *Idem.*

Miris modis] Miris exemplis. *Idem.*

105 *Postulatio*] Expostulatio, querela. sed proprie *expostulatio* est apud illum ipsum, qui peccaverit. *postulatio,* de illo apud alterum. *Idem.*

Postulatio] Expostulatio, querela. ex quibus non solum amor sæpe confirmatur: (And. act. III. sc. 3. 'Amantium iræ, amoris redintegratio est:') sed et dulcior interdum fit amoris fructus; ut apud Ælianum De Var. Hist. nescio quis, εἰ δέ τι καὶ ἐγὼ ἠθῶν ἐπαΐω, ἥδιστον εὑρίσκω εἶναι τοῖς ἐρῶσι πρὸς τὰ παιδικὰ ἐκ διαφορᾶς καταλλάσσεσθαι. *M. Casaubonus.*

106 *Quid igitur*] Recte dixit, si hoc non fuit, quid ergo? *postulatio,* querela et quasi justa interpositio querelarum. *Donatus.*

Quid igitur] Unde igitur de odio tibi constat? *Mer. Casaubonus.*

107 *Fugere e conspectu illico*] Bene *e conspectu:* utpote, quæ caveret gravida intelligi. Sed tamen subjungit, *videre nolle:* ut ignorantia Parmenonis appareat, qui argumentum odiorum credidit, quod Philumena neque videri vellet, neque videre. *Donatus.*

Fugere e conspectu] Ne videretur. *Id.*

108 *Videre nolle*] Ne videret. *Idem.*

Denique, ubi non quit pati] *Pati* et sustinere, et sustineri intelligi potest hoc loco. utrum postquam non potuit sustinere socrum? an postquam illam socrus ferre non potuit, sic se celantem nurum? Potest etiam sic intelligi, Ubi non potuit argumenta odii sui ipsa nurus pati et continere, migravit ad socrum. *Idem.*

Non quit pati] Tolerare aut tolerari: quia *patior* commune est, nam 'patior te,' et 'a te,' dicimus. *Idem.*

Accersi ad rem divinam] Tum enim amici et familiares vocari solebant. *Mer. Casaubonus.*

Abiit] Proprie *abiit:* quia non expectavit ut mitteretur. *Donatus.*

110 *Ubi illic dies est complures*] Ἀρχαίως *dies,* non *diebus* dixit. *Idem.*

Accersi jubet] Non addidit *quæ,* quia intelligitur. *Idem.*

Accersi jubet] Socrus scil. *Mer. Casaubonus.*

111 *Dixere causam tunc, nescio quam*] Ideo *nescio quam,* quia nullius momenti, ac falsam. *Donatus.*

Dixere causam tunc nescio quam] Nescio quid causati sunt. *Mer. Casaubonus.*

112 *Nemo remisit*] Hic jam apertius odium videtur, ubi nec jam fingitur causa. *Donatus.*

Postquam accersunt] Subanditur *nostri,* id est, missi a socru. *Idem.*

Postquam accersunt] Id est, missi a nobis scilicet. Et mira varietas. *Id.*

114 *It visere*] Ut, 'Populare penates Venimus.' *Idem.*

It visere ad eam] *Visere,* officii est: *videre,* quærentis aliquem. *Idem.*

Admisit nemo] Injuriosa etiam ipsa pronuntiatio est. *Idem.*

Hoc ubi senex rescivit] *Scimus* quæ ad nos deferuntur: *rescimus* celata. *Id.*

115 *Heri ea causa*] Bene *ea causa,* quippe qui se ruri abdidisset. *Idem.*

117 *Nondum etiam scio*] Παρέλκον

tertium: et deest *scire*. Et est σύλληψις, *scio scire*, cum ἀναβάσει. *Idem*.

Nondum etiam] Recte servavit reliquis partibus fabulæ pendulum et attentum spectatorem. *Idem*.

118 *Nisi sane curæ est, quorsum eventurum hoc siet*] Bene, quia curiosus est Parmeno, et idem garrulus. nam per totam fabulam talis inducitur. *Idem*.

Nisi sane curæ est] Vide Phorm. act. III. sc. 1. *Mer. Casaubonus*.

Quorsum eventurum] Ἔλλειψις. deest *scire*. Donatus.

119 *Habes omnem rem*] Quasi dicat, quam audire expetisti. *Idem*.

Pergam quo cœpi hoc iter] *Pergam hoc iter*: ut, 'Tendere iter pennis.' *Idem*.

Quo cœpi hoc iter] Ad portum scilicet. *Idem*.

120 *Nam constitui cum quodam hospite*] Dicit causam cur in reliqua fabula non appareat persona hujus meretricis. *Donatus*.

Constitui] *Constitui* proprie. nam de hujusmodi rebus dicitur convenire et constituere, de cujusmodi rebus apud extraneos meretrices agunt. *Idem*.

Nam constitui] Heaut. act. IV. sc. 4. 'Aut cum venturam dixero et constituero,' &c. *Mer. Casaubonus*.

121 *DI vortant bene quod agas*] Sæpe enim res eveniunt aliter, quam volumus: et ideo *vertumnus* colitur, qui præest rebus vertentibus. *Donatus*.

ACTUS II.

SCENA I. Satura est hæc scena, Octonariis et Senariis Iambicis, tum septenariis Trochaicis constans. *Bœclerus*.

Pro Deum atque hominum fidem] *In hac scena accusatio socrus est: quæ se conjecturaliter defendit dicens nihil a se factum in perniciem nurus*. Donatus.

1 *Pro Deum atque Hominum fidem*] Ἐμπαθῶς ab exclamatione cœpta scena est. Senex enim est difficilis et iratus. *Idem*.

Quod hoc genus est? quæ hæc est conjuratio] Conatur Terentius adversus famam socrum bonam reperire, et incipit a generali exclamatione, quo vehementior sit ejus accusatio: paulatimque ad speciale crimen descendit. *Idem*.

Quod hoc genus] Accusatio a persona: cui accidit ex sexu, quod socrus est. *Idem*.

Quod hoc genus est] *Quod genus*, i. e. *hominum*. Virg. vel eo respicit, quia ut genus, ita et mores sæpe: boni ex bonis, &c. Vide Phorm. act. I. sc. 2. *Mer. Casaubonus*.

1 et seq. Ut æquissimam esse hanc socrum constaret, Poëta omnes socrus accusari fecit. nam et accusatio illustrabit virtutem innocentis et comparatio. pertinetque hic locus ad explicandum fabulæ titulum.' *Bœclerus*.

Conjuratio] *Confessio* bonæ rei est: *conjuratio* malæ. et inde conjuratio Catilinæ dicta est. *Donatus*.

Quæ hæc conjuratio] Accusatio a re. *Idem*.

2 *Ut omnes mulieres*] In lib. Bembi et Victorii, *utin' omnes*. quod commotum, fervidumque magis est, et homini irato convenit magis. Post istud, *conjuratio*, distinctio interrogativa poni debet. *Faber*.

Ut omnes mulieres eadem æque studeant] Bono argumento utitur. Læsisti nurum, quia socrus es: et nulla socrus diligit nurum. *Idem*.

Ut omnes mulieres] Accusatio a causa eadem. *Idem*.

Studeant] Majoris operis est *studere*, quam *velle*. Idem.

Nolintque omnia] Menand. Γυνὴ γυναικὸς πώποτ' οὐδὲν διαφέρει. *Mer. Casaubonus*.

3 *Neque declinatam quidquam*] Id est, flexam vel inflexam, ab eo quod declinaverit: ne parum sit, diversam vel dissimilem dixisse. ut est illud, 'Illum tumultum inflexit.' *Donatus*.

4 *Itaque adeo uno animo*] Nescias an ex sententia hac, vel adeo ex hac scena nomen fabulæ sit inventum. *Idem*.

Itaque adeo] Necessaria sententiæ ἀμφιβολία, ad describendam utramque personam. *Idem*.

Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus] Nemo potest hic dubitare, aut de ambiguo sensu queri, socrus enim accusantur, non nurus. Donatus summam ponit: 'Læsisti nurum, quia socrus es: et nulla socrus diligit nurum.' Mox non inerudite, 'necessariam sententiæ ἀμφιβολίαν' agnoscit, 'ad describendam utramque personam.' *Bœclerus*.

Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus] Necessaria sententiæ ἀμφιβολία, ad describendam utramque personam, ait hic Don. ambiguitas autem ex eo, quod utrumque *socrus*, et *nurus*, vel ut accusativi, vel ut nominativi possint accipi; sed ideo quæsita ambiguitas, quia utrolibet accipias modo æque vera fuerit oratio, nam et τὰς socrus ut plurimum oderunt αἱ nurus, et τὰς nurus αἱ socrus. *Mer. Casaub.*

5 *Viris esse advorsas*] Aliud argumentum: Læsisti nurum, ut mihi adversareris. nam mulieres, et mulieres omnes adversantur viris. *Donatus*.

Æque studium est] *Studium*, est voluntas hominis attentior atque impensior. *Idem*.

Similis pertinacia est] Αὔξησις. nam *studium* et bonum est: *pertinacia* vero nunquam non mala. *Idem*.

6 *In eodemque omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam*] Tria in accusatione posuit, ex quibus duo sunt communia, unum ipsius. quod mulier est, et quod socrus, communia: quod ipsa specialiter magistra est ad malitiam Sostrata. Ex his colligit injuriam passam nurum per conjecturam. *Idem*.

In eodem ludo] In eadem schola: vel eodem Gymnasio. *Mer. Casaub.*

7 *Et ei ludo, si ullus est, magistram*] Magna amplificatio criminis. Dubitat an sit ludus malitiæ: et magistram non dubitat Sostratam, sed, 'Certo scio,' inquit. *Donatus*.

8 *Me miseram*] Et hæc ἐμπαθῶς cœpit, sed ad misericordiam spectat defendentis oratio. *Idem*.

Quæ nunc, quamobrem accuser, nescio] Oratorie pro se loquitur mulier, siquidem majoris innocentiæ est nescire crimen, quam defendere. et his verbis ostenditur, sine noxa esse etiam Philumenam: non solum hanc, quæ loquitur, Sostratam. *Idem*.

9 *Non ita me DI ament, mi Laches*] Modo *mi Laches* non est blandientis, sed ejus qui periclitetur innoxius. *Idem*.

Non ita me DI bene ament] Ἄτεχνος πίστις per jusjurandum. *Idem*.

Non, ita me DI bene ament] Animadvertendum, veteres, non minus εὐφημισμὸν in verbis, quam κακέφατον neglexisse: velut hic, *Ita me DI bene ament*. Idem.

10 *Itaque*] Modo duæ partes sunt orationis. *Idem*.

Una inter nos agere ætatem liceat] Virg. 'Omnes ut tecum meritis pro talibus annos Exigat, et pulcra faciat te prole parentem.' *Mer. Casaubonus*.

DI mala prohibeant] Seniliter odit uxorem, cujus amor optabilis fuit in adolescentia. *Donatus*.

DI mala prohibeant] Ut una inter nos agamus ætatem. *Idem*.

Dii mala prohibeant] Sc. 'Ut una,' &c. et 'Seniliter,' &c. ita Donatus. Satisne ἠθικῶς hoc fieri putabimus, si senex iracundior sane, minime ex durissimis tamen, uxoris præsentis mor-

tem optet, quod plerique hic putant intelligi? an Comœdia Terentiana huc progreditur? Manifesto hoc fieri vix crediderim. itaque rectius forte fuerit, ut credamus, secum hæc Lachetem in iracundia mussitare; non audiri ab uxore velle. Qui diversum sentiunt, tolerabilius ita explicarent, quasi Laches potius sibi optaret mortem, quam uxori. Sed quod ante dixi, verius videtur. inter orationem enim Sostratæ murmuratur: quæ connectenda est: 'Non, ita me dii ament, mi Laches: itaque una inter nos agere ætatem liceat: meque abs te immerito esse accusatam postmodo rescisces.' *Bœclerus.*

Mala prohibeant] Ut una inter nos agamus ætatem. Plaut. in Trin. 'M. Quid agit tua uxor, ut valet? plus quam ego volo:' et quæ ibi sequuntur. *M. Casaubonus.*

11 *Postmodum rescisces*] Hæc figura ab oratoribus ἐπάγγελμα nominatur: in qua aliquid promittimus judicibus nos probaturos, quum metuimus, ne quid illis temere persuasum sit. *Donatus.*

Postmodum rescisces] Fiducia innocentiæ. *Resciscere* est, quum quod de industria celatur, vix argumentorum vi agnoscitur. *Idem.*

12 *An quidquam pro istis factis*] Amare; παρὰ προσδοκίαν. *Idem.*

An quicquam pro istis, &c.] Nota ἐνέργειαν Poëtæ et δεινότητα in augendo amplificandoque. crimen erat: 'offendisti nurum, atque ut abiret effecisti.' Hæc sunt *facta ista*, quæ nulla reprehensione satis exaggerari possunt: quæ *dedecus* et *luctum* in omnem familiam inferunt; quæ *inimicitias* in affines spargunt; quæ sacra necessitudinis exoptatæ violant ac perturbant. considera singula verba, et exquire, si quid potuit comprehendi plenius, aut gravius incusari. *Bœclerus.*

13 *Quæ me, et te, et familiam*] Jam sic accusat, quasi probaverit crimen. et est amplificatio. *Donatus.*

Quæ me, et te, familiam] Hæc exaggeratio est, quæ δεινότης appellatur, quum ex uno maleficio multa fiunt ab oratoribus crimina. *Idem.*

Dedecoras] *Dedecoratur*, quod honestum est; *turpatur*, quod honestum est corporale. *Idem.*

14 *Ex amicis inimici ut sint*] Operosius locutus est. ut in Andria I. 1. 10. 'Feci ex servo ut esses libertus mihi.' Ita Cæsar, B. C. III. 104. 'Plerumque in calamitate ex amicis inimici existunt.' Et ex diverso: 'Cum eo reveni ex inimicitia in amicitiam,' apud Plautum Sticho, III. 1. 8. *Bœclerus.*

15 *Dignum, suos cui liberos committerent*] Multum sonanter, et accusatorio strepitu, nec masculinum genus nec fœmininum posuit: nec unam, sed liberos. Sic Cicero, 'En cui tuos liberos committas:' quum de uno ageret, et, 'Habemus enim liberos:' de puella. *Donatus.*

Dignum] Sic dixit *dignum*, ut honoris genus sit, accipere uxorem meruisse. *Idem.*

Suos cui liberos committerent] Nota liberos in significatione etiam unius filiæ. *Idem.*

16 *Tu sola exorere*] Emergis, reperiris. Verbum hoc impudentiam notat. Cicero, 'Exortus est servus, qui quum in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus.' *Idem.*

Exorere] Existis. *Exoriri* dicitur, qui non expectatus invadit in aliquem. *Idem.*

Tu sola exorere] Emergis, reperiris. verbum hoc impudentiam notat. Don. recte sane. nam τὸ *oriri* proprie de magnis dicitur, ut de Sole, vulgo. et Hor. de Aug. 'Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.' Hic igitur de muliere, cum indignatione, ac contemptu: q. d. Tu muliercula inventa es, quæ tantum tibi pro tua impudentia sumeres, &c. *Mer. Casaubonus.*

17 *Tu inquam mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas*] *Tu mulier*, ἔμφασιν malitiæ habet. et omnino expressio consuetudinis est ad indignationem. Et lapis nunquam utilis, nisi ad telum, quem magis ad injuriam delegit. nam saxum melius, quam lapis. Ut Virgilius: 'Saxaque subvectare humeris.' *Donatus.*

Tu inquam mulier] Sic Euripides: Πολλὰς ἂν εὕροις μηχανὰς, γυνὴ γὰρ εἶ. et Virgilius: 'Varium et mutabile semper Fœmina.' *Idem.*

Quæ me omnino lapidem, haud hominem putas] Heaut. act. v. sc. 1. 'Non (ita me dii ament) auderet hæc facere viduæ mulieri, Quæ in me fecit.' ibid. 'Quot res dedere ubi possem persentiscere, Nisi essem lapis?' Aut Plautus etiam ad hominem vafrum et rigidum transtulit: ut in Mostell. 'Alter hoc Athenis nemo doctior dici potest. Verba dare illi non magis hodie quisquam, quam lapidi potest.' *Mer. Casaubonus.*

Lapidem, haud hominem] Sufficeret, 'Lapidem putas:' sed de stomacho; 'Haud hominem,' additum est. Plautus; 'Herus meus elephanti corio circumtectus est, non suo.' *Donatus.*

Haud hominem putas] Ἐν ἤθει. Sic Apollodorus: Σὺ μὲ παντάπασιν*eHC-AT λίθον. *Idem.*

18 *An quia ruri crebro esse soleo*] *Donatus*: 'Memor sui est, qui dixerat, 'Rus abis.' Ubi hoc dixerat? nuspiam. Corrige: *Rus abdidit se.* quod extat act. I. sc. 2. vs. 100. et, ne quid dubitationis relinquatur ad vs. 27. 'Rus habitatum abii,' iterum annotat sive priorem annotationem repetit: 'Quia dixit, senex rus abdidit se.' quid agunt, qui semper tanta diligentia obvia errata typis ornant? *Bœclerus.*

19 *Quo quisque pacto hic vitam vestrorum*] *Vestrorum*, pro *vestrum.* sic veteres. *Donatus.*

20 *Multo melius hic quæ fiunt*] Ὑπερβολῇ usus est. ut in Adelphis, 'An non prius totis sex mensibus olfecissem.' *Idem.*

Illic] Pro *ilhic*, antique. *Mer. Casaubonus.*

21 *Ideo, quia, ut vos mihi domi eritis*] Mire confirmat, unde sciat: ne suspiciose crimen objicere videretur. Et bene *mihi*: quia commoditas familiæ ad hunc redundatura est. *Donat.*

Proinde ego foris] Honesta curiositatis excusatio: nempe quod ab illarum vita, et conversatione domestica sua fama foris penderet; quæ bona, si vita illarum talis; mala si et illa. *Mer. Casaubonus.*

22 *Pridem equidem audivi cepisse odium tui Philumenam*] Primo, objurgatio est Sostratæ, cur non amet nurum. Secundo, cur non ametur a nuru. Tertio, cur usque adeo puella nupta deserat domum. *Donatus.*

23 *Minimeque adeo mirum*] Satis amare, pro merito dicit odium, contra meritum amoremque: simul excusat nurum, quæ oderit talem socrum: et simul prævenit, Quid si non læsa est, sed odio me habet? *Idem.*

24 *Sed non credidi adeo*] Deest *osuram fuisse.* Idem.

25 *Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras*] Senili jurgio, quo magis iniquam nurui socrum credit, tanto vehementius pro Philumena nititur; ut etiam officiorum ordinem pervertat. in quo suggeritur Sostratæ occasio ejus consilii, quod infra act. IV. sc. 2. 3. simul, quod nimis a Lachete duriter hic dictum est, corrigitur a poëta, tum statim, quando effuso iracundiæ impetu ratiocinari incipit senex et honestius cum uxore loqui, tum accurata disputatione Pamphili, qua Sostrata vero officiorum ordine Philumenæ præfertur act. IV. sc. 2. 3. *Bœclerus.*

26 *At vide, quam immerito ægritudo hæc mihi oritur abs te, Sostrata*] Ἠθικῶς post acrem invectionem, se ipsum miseratur, ut invidiam duræ inclama-

tionis in ipsam convertat. Sic in Andria, ' Age nunc : jam ego pol hodie, si vivo, tibi Ostendam, herum quid sit pericli fallere.' Et continuo, ' Chreme, Pietatem gnati ! nonne te miseret mei, Tantum laborem capere ob talem filium ?' *Donatus.*

Quam immerito ægritudo hæc oritur mihi abs te, Sostrata] Postquam de injuria dixit, de persona ejus cujus fama est, id est, * cum ' Ægritudo hæc oritur.' *Oritur*, et magnitudinem rei significat, et repentinum impetum. ut supra, ' Tu sola exorere.' *Idem.*

27 *Rus habitatum abii*] Quia dixit, ' Senex rus sese abdidit.' *Idem.*

Concedens vobis] Ne diceretur, quod sit voluptatis causa. *Vobis*, melius pluraliter, quam si diceret *cui*. Idem.

Concedens vobis, et rei serviens] *Concedens vobis*, id est, ut vos in urbe essetis. *Idem.*

Rei serviens] Res servit divitibus, quia abundant : rei serviunt pauperes, quia se coartant ad angustias rei. Ita ergo res pro qualitate sua et servit, et ei rei servitur. Horatius, ' Imperat aut servit collecta pecunia cuique.' *Idem.*

Rei serviens] Rei faciendæ et augendæ dans operam. *Mer. Casaubonus.*

28 *Vestros sumptus, otiumque*] Sumptus vestros, idem quod alibi, ' Otium, vitam urbanam.' Vel quod nihil acquiritis, ut in Adelphis, ' Hanc ego clementem vitam urbanam, atque otium sequutus sum.' *Donatus.*

Otiumque] Hoc est, amorem : quasi nihil agentibus. *Idem.*

Ut nostra res posset pati] Mediocris scilicet : ut comici patresfamilias. *Idem.*

Otium] Vitam otiosam. *Mer. Casaubonus.*

Nostra res] Nostræ facultates. *Id.*

29 *Præter æquum, atque ætatem meam*] *Præter æquum*, quia vos estis domini : vel quia vos fruimini, quum ego doluerim. *Donatus.*

Præter æquum atque ætatem meam] Heaut. act. I. sc. 1. ' Quod mihi videre præter ætatem tuam Facere, et præterquam res te adhortatur tua.' *Mer. Casaubonus.*

Ætatem] Quia senex. Virgil. ' Vires ultra, sortemque senectæ.' *Donatus.*

30 *Non te pro his curasse rebus*] Mirus sensus : Pro his, inquit, tot rebus unam et facilem redderes : curares, ne quid ægre esset mihi. Et *te* sic pronuntiandum, quasi dicat, Etsi alii non curarent, curare debuisti. *Idem.*

31 *Non mea opera, neque pol culpa*] Vellet dicere, Nurus culpa evenit : sed melius dixit, *non mea :* ne accusando confirmaret quod dixit senex, ' Omnes socrus oderunt nurus.' *Idem.*

Neque pol culpa evenit] Bene additum, ' Neque pol culpa.' Potuit enim fieri ut non fecerit ipsa injuriam ; sed tamen permiserit fieri. mire tamen nec ipsa accusat nurum. *Idem.*

Non mea opera, neque pol culpa] Videtur unum dixisse *opera* et *culpa :* et tamen non est idem. *Opera* enim est, si scientes læserimus : *culpa*, si nescientes. quorum alterum sceleris, alterum stultitiæ est. *Idem.*

32 *Sola hic fuisti*] Ratio. et deest *enim :* ut sit, Sola enim hic fuisti, quod ad filium et maritum pertinet ; nam non sola, cum qua nurus. *Idem.*

Sola hic fuisti] *Sola*, quantum pertinet ad regendam domum : cæterum et filius, et nurus erant : sed *sola*, id est, sine me. *Idem.*

In te omnis hæret culpa] Etsi in nuru culpa aliqua, in te omnis est tamen, Sostrata. *Idem.*

Sola, Sostrata] Optime geminavit *sola*, more irascentium : nondum nomen posuit, et *Sostrata* additum ad amaritudinem inclamantis. *Idem.*

33 *Quum ego vos solvi curis cæteris*] *Vos*, pro *te :* ut, ' Desiste manum committere Teucris.' *Idem.*

Quum ego vos solvi] Nova figura, *solvi vos.* Idem.

34 *Cum puella anum suscepisse inimicitias*] Hoc dicit, tanquam concesserit etiam nurum iniquam esse. *Id.*

Cum puella] *Puellam* blande dixit : ita hanc cum amaritudine, *anum*. *Id.*

35 *Illius dices culpa factum*] Prævenit defensionem : et eam sic pronuntiavit ut crimen. *Idem.*

Haud equidem dico, mi Laches] *Mi Laches* modo dixit, quasi gravissimum accusatorem arguens, et quasi defatigata et delassata ejus inclamationibus. Non ergo blandientis est modo *mi :* sed invidiose rogitantis. *Idem.*

36 *Gaudeo (ita me DI ament) gnati causa*] Quod similis filius non sit, an quod talem uxorem habeat, quam nec inimica accusare possit ? Et *gnati causa*, dixit, quia talem uxorem habens, sua causa quid gaudeat, non habet. *Idem.*

Nam de te quidem satis scio] Id est, nihil detrimenti fit, si tu pecces. id est, nunquam, inquit, peccando pejor fieri potes : sed es eadem quæ semper es. Sensus est : Jam talis es, ut pejor fieri non possis. Sic Cicero, ' Est idem Verres, qui fuit semper.' *Idem.*

37 *Peccando detrimenti*] Servas, inquit, numerum peccatorum, nec fit ullum copiæ detrimentum. sed quum plurimum delinquas, tantundem semper admittitur. *Idem.*

Peccando detrimenti] Hic sensus obscurus est : attamen hic, dum quantumcunque inquit sceleris admiseris, id est, quantumcunque peccaveris, nihil de tua existimatione minuitur, nihil de pudore derogatur : eadem es quæ fuisti, quia pejor fieri non potes. *Idem.*

Peccando detrimenti] Quidam hanc putant εἰρωνείαν : quasi dicat, Certus sum, quod ex nullo peccato tuo damnum pati possumus : sed male. *Idem.*

Peccando detrimenti nil fieri potest] Cic. ' Scurra, exhausto rubore, qui se putaret nihil habere, quod de existimatione perderet, ut omnia sine famæ detrimento facere posset.' *Mer. Casaubonus.*

38 *Qui scis, an ea causa, mi vir*] Defensio a derivatione causæ, in qua ostenditur non hanc esse, quam objicit causam senex, cur abierit nurus ad matrem suam. *Donatus.*

39 *Ut cum matre*] Deest *sua*. Idem.

Ut cum matre una plus esset] Ἰδιωτικῶς, dixit : id est, diu, ac majorem partem. *Idem.*

40 *Quod heri nemo voluit*] Bene infirmavit defensionem senex, dicendo, Si propter matrem abiit, cur tu exclusa es, quum venires ? *Idem.*

Visentem te ad eam intromittere] Nos ex libro Bembino ita legimus, *visentem ad eam te intro admittere*. Faërnus.

41 *Enim lassam oppido*] Infirmius defenditur socrus, ut error senis usque ad καταστροφὴν perseveret. *Donatus.*

Enim lassam oppido] Pro, *oppido enim* dixit. Supervacua ponitur interdum hæc conjunctio, aut pro altera conjunctione. *Idem.*

Lassam] Ægrotam. unde mox, ' Tuos esse illi mores morbum magis,' &c. et sc. 2. ' Quia ægra est,' &c. nec mirum, cum Græci τὸ κάμνειν, (unde κεκμηκότες,) et Heb. τὸ פגר. etiam de mortuis usurpent. Τὸ *enim* autem, pro *nam*, vel *siquidem*, sæpius apud veteres. *Mer. Casaubonus.*

Oppido] Valde. translatio a rusticis, qui interrogati, quemadmodum fruges provenissent, respondebant, *oppido*, id est, quæ sibi et oppido sufficere potuissent. *Donatus.*

Eo] Propterea, ideo. *Idem.*

42 *Tuos esse illi mores*] Acerbissime institit senex et accusationi uxoris, et defensioni nurus : siquidem hoc sensu dicat, nurum nec mendacii culpam incurrere, quæ vere ægrotet ex moribus malæ socrus. *Idem.*

43 *Nam vestrarum nulla est*] Pro *vestrum*. hoc enim venit ab eo quod est *vestra*. Idem.

Quin gnatum velit] *Quin*, quæ non. *Idem.*

44 *Et quæ vobis placita conditio est, datur*] Imago hic quædam argumentationis, quæ dicitur ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους: quod Latine dicitur, 'Ab initio ad finem.' et ut generaliter cœpit invectionem, ita generaliter conclusit in socrus: et est sensus, Eo improbius facitis, quod illas, quas elegeritis, odistis. *Idem.*

Conditio] Vide Phor. act. IV. sc. 1. *M. Casaubonus.*

45 *Ubi duxere impulsu vestro*] Bene verba eadem stomachose, et significanter repetivit, ut improbitas ex proximo appareat impulsu. *Donatus.*

Ubi duxere impulsu] Videtur, ut supra diximus, hæc tota scena ad hoc interposita, ut fabulæ nomen hinc intelligeremus inventum. Et impudentiam socruum, impulsus repetitio demonstravit. *Idem.*

Impulsu vestro] Sic in Heautontim. 'Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier.' *Idem.*

SCENA II. Iambici sunt tetrametri catalectici. *Bœclerus.*

Etsi scio ego, Philumena, meum jus esse] *In hac scena moralis allocutio Phidippi est ad filiam, mitissimi patris colorem ostendens.* Donatus.

1 *Etsi scio*] Apparet et hic multa prius patri suo Philumenam locutam fuisse. Ergo hæc responsio est, non principium. *Idem.*

Scio meum jus esse ut te cogam] Hoc idem in Adelphis, 'Non necesse habeo omnia pro meo jure agere.' *Idem.*

Ut te cogam] Etiam invitam scilicet. *Idem.*

2 *Patrio animo victus*] Bene *victus*: quia non ratione facio. Victus est undecunque, qui recedit a jure. *Idem.*

Ego tamen patrio animo victus] *Non necesse habeo omnia pro meo jure agere.* Mer. Casaubonus.

3 *Ut tibi concedam*] Faciam ut tibi concedam: nec multo aliter in vulgari Idiotismo, *I do love: I do eat.* q. d. 'Facio ut edam: Facio ut amem:' i. e. edo, amo. *Idem.*

Neque tuæ libidini] *Libido* est quælibet voluntas temere suscepta. Et bene *libidini:* est enim non æquum, domo mariti abesse nuptam. Etsi enim pro voluntate posuit *libidinem:* tamen subaccusavit hoc nomine. *Donatus.*

Libidini] Voluntati, simpliciter. vel, temerariæ, iniquæ voluntati. *Mer. Casaubonus.*

4 *Optume*] Opportune. *Donatus.*

Ex hoc jam scibo] Legitur et hinc, locale adverbium. et quasi comminatur uxori, modo se inventurum, ipsam peccasse non nurum. *Idem.*

Quid siet] Utrum quid sit rei? an quid siet nurus? utrum innocens, an iniqua? Et videtur hoc Sostratæ dicere: nam vicini sunt inter se proximi Laches et Phidippus. *Idem.*

Ex hoc jam scibo quid siet] Donatus: 'Utrum quid,' &c. Male dubitavit. non potest σύνταξις nisi ad rem referri, si quis bene scribendi consuetudinem novit. *Bœclerus.*

5 *Phidippe, etsi ego meis*] Expostulatio Lachetis apud Phidippum, accusationem continens, tanquam causam injuriarum intendat. *Donatus.*

Scio me esse adprime obsequentem] Principium a persona ejus cum quo agitur, et sua: et an utile sit, nimis obsequi hominem suis. *Idem.*

Adprime] Vehementissime. *Idem.*

Obsequentem] Facilem. *Mer. Casaubonus.*

6 *Sed non adeo ut mea facilitas*] *Facilitas*, indulgentia. *Donatus.*

Sed non adeo, ut mea facilitas] Deest *tamen.* et est ἀνακόλουθον tertium. *Idem.*

8 *Nunc video*] Jucunde temperat ejus culpam, quem accusat, quum dicat illum coactum a suis facere sibi injurias. *Donatus.*

Eia vero] Modo adverbium corripientis. *Idem.*

Eia vero] Παρέλκον. *Idem.*

9 *Adii te heri de filia*] Narratio. et

memoriter Poëta: quia dixit *heri.* ea causa rure huc advenit, patrem continuo Philumenæ convenit. *Idem.*

Itidem incertum amisti] Pro *amisisti.* συγκοπή. Et *itidem*, quid est? an id, Incertum amisisti, ut ad te incertus veni? Jungendum ergo *ut veni itidem.* ut sit, Ut veni, amisisti itidem incertum. Incertus inquit veni: incertus a te recessi. *Idem.*

Ut veni, itidem incertum amisti] Incertus veni: et incertum dimisisti. *M. Casaubonus.*

10 *Haud ita decet*] Non usque adeo decet. et est confirmatio. *Donatus.*

Haud ita decet] Bene additum est *ita.* etsi enim celandæ iræ: non usque adeo tamen, ut discordiam pariant. *Idem.*

12 *Aut ea refellendo, aut purgando*] *Refellit* qui negat: *purgat* qui fatetur. et sic defendit. Ergo *refellimus* per conjecturam: *purgamus* per ceteros status. *Idem.*

Refellendo] Negando factum. *Mer. Casaubonus.*

Purgando] Faciendi rationes ostendendo. *Idem.*

Vobis corrigemus] Plus dixit *vobis*, quam *tibi.* Donatus.

13 *Te judice ipso*] Virgilius: 'Pan Deus Arcadiæ * mecum si judice certet.' Quid enim est *te ipso*, nisi scilicet reo culpæ, et tibi ipsi ac tuis faventi? vel qui me speres vincere. *Idem.*

Sin ea est causa retinendi apud vos] Reprehensio. *Idem.*

14 *Arbitror, Phidippe*] Bene addidit nomen, excitans audientem. *Idem.*

15 *Satis ut meæ domi curetur diligenter*] *Ut*, ne non. et jungendum est, 'Satis diligenter.' non enim 'Metuis satis.' *Idem.*

Ut] Ne non. Supra, I. 2. *Mer. Casaubonus.*

16 *At, ita me DI ament, haud*] Addidit jusjurandum: vix enim credibile est tantundem amare socerum, quantum patrem. *Donatus.*

Etsi illi pater es] Salustius in primo libro, 'Et liberis ejus avunculus erat.' *Idem.*

Etsi illi pater es] Compendium attulit Virgilius: 'Heu fuge nate Dea.' Hoc enim sentit, Quanquam natus Dea sis, fuge tamen. *Idem.*

17 *Id adeo gnati causa*] Honeste amori nurus rationem subjecit piam. Nam non continuo rectum est, nimis amari a socero nurum, nisi propter filium diligatur. Bene ergo *gnati causa.* incredibile est enim, patrem non patris pietate superari. *Idem.*

18 *Quem ego intellexi*] Et causam sui amoris ostendit, et mariti nullam erga conjugem culpam; quippe qui amet. et a Parmenone dictum, 'Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.' *Idem.*

Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum magnifacere] Hic subtiliter oneratur culpa nurus: si quidem indigne injuriam faciat socero et marito. *Idem.*

Magnificare] Magnifacere. *Mer. Casaubonus.*

19 *Neque adeo clam me est, quam esse*] Ingeniosissime Poëta jam præparat causam simulaturo ob hanc rem iracundiam Pamphilo. *Donatus.*

Quam esse eum graviter laturum credam] Graviter laturus sit: ut τὸ *credam* redundet. *Mer. Casaubonus.*

20 *Studeo hæc prius*] Ideo cupio ut hæc prius domum redeat, &c. *Mer. Casaubonus.*

Hæc prius, quam ille ut redeat] Hic subtiliter etiam terrorem injecit iracundiæ mariti. *Donatus.*

21 *Laches, et diligentiam vestram*] Principium similiter a persona est factum. *Idem.*

Laches, et diligentiam vestram] Remotivo statu agit Phidippus pro persona sua. nam in filiam removet culpam, cur non redeat: et relativam simul tentat qualitatem. potest enim videri, eam injuria socrus ad hanc

voluntatem esse compulsam. *Idem.*

Laches, et diligentiam vestram] Ab eo cœpit, quo maxime motus est, et quod in primis purgandum sibi fuit: ne suspectam aut voluntatem aut diligentiam habere videatur affinium. Et cum affectu quodam et gemitu dixit Laches, quod ille ait Phidippe. et bene a nomine cœpit, ut consentire illi videatur. *Et diligentiam*, quod ille ait: 'Sin metuis, satis ut meæ domi,' &c. Et *vestram* melius, quam *tuam*: quum ille dixerit de se tantum. Et *benignitatem*, quod ait, 'Haud tibi concedo, etsi illi pater es, ut tu illam,' &c. *Idem.*

Et diligentiam vestram, et benignitatem] Ἀπόδοσις ad utrumque. Diligentiam: quia dixit, 'Si metuis, satis ut meæ domi curetur diligenter.' Benignitatem: quia dixit, 'Haud tibi concedo, etsi illi pater es, ut tu illam salvam magis velis, quam ego.' *Idem.*

22 *Et quæ dicis, omnia esse, ut dicis*] Quod juravit: et quod dixit gnati causa, et quod addidit, 'Quod illam amet Pamphilus.' *Idem.*

23 *Et te hoc mihi cupio credere*] Melius, quam si et hic juraret. *Idem.*

Et te hoc mihi cupio credere] Bene collegit ex vicissitudine, quod volebat. *Idem.*

24 *Si facere possim*] Hic est remotio, *Si facere possim ullo modo.* et mollius dixit, quam si *Nec facere possum*, dixisset. hoc enim vult intelligi, Volo, et non possum facere. *Idem.*

25 *Eho, num quidnam accusat virum*] Gesticulatio quædam, secretiora quærentis. sæpe enim de maritis puellæ parentibus queri solent aliquid ejusmodi, quod solis ipsis committendum est. *Idem.*

Eho, num quidnam accusat virum] *Eho*, interjectio ponentis aurem propiorem. nam illa quærit, quæ solent de maritis puellæ matribus queri. *Idem.*

Nam postquam adtendi] Institi. Et vide, num desit *animum*: ut sit, *adtendi animum.* Non enim plenum est, sed nudum. Adverti enim oculos; aut animum subauditur. *Idem.*

26 *Sancte adjurat*] Τὸ *ad*, nunc auctivum est: significat enim *valde.* Idem.

27 *Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare*] Bene hic addidit Poëta verba Philumenæ, ad quæ Phidippus respondebat: quum diceret, 'Etsi scio ego, Philumena, meum jus esse,' &c. *Idem.*

Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare] Magnifice contra illud quod Laches dixit, ægre laturum Pamphilum. et ita locutus est, quasi hoc Pamphilo gratius esse debeat. *Idem.*

Perdurare] Proprie et muliebriter dixit. *Idem.*

Se absente perdurare] Absente Pamphilo se perd. *Mer. Casaubonus.*

28 *Aliud fortasse aliis vitii est*] Sic dixit, ne diceret, Sed coge ut redeat. et mollius dixit *aliis*, quam si *tibi* dixisset. *Donatus.*

Aliud fortasse alii vitii est] Hor. 'Vitiis nemo sine nascitur: optimus ille Qui minimis urgetur.' Vetus Poëta cujus meminit Dem. *Μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστὶ θεῶν, καὶ πάντα κατορθοῦν. Ἐν βιοτῇ μοῖραν δ' οὔτι φυγεῖν ἔπορεν. Mer. Casaubonus.*

Ego sum animo leni natus] Hoc contra illud quod primum dictum est. Etsi ego meis omnibus scio me esse apprime obsequentem. sed non adeo, ut facilitas mea illorum corrumpat animos. *Donatus.*

Ego sum animo leni] Qualitas venialis. *Idem.*

Animo leni natus] Hoc est plenum. nam *Sum animo leni*, quum dicimus, ἐλλειπτικῶς profertur. *Idem.*

29 *Non possum*] Conclusio. *Idem.*

Non possum advorsari meis] Lenem esse, non est vitium: sed adeo lenem esse, ut corrumpi sinas potius quam adverseris, magnum vitium est. merito igitur hoc addit, quod si non addidisset, se potius laudasset, quam culpam agnovisset. *Mer. Casaubonus.*

Hem Sostrata] Quæ dixisti, 'Non mea opera neque pol culpa evenit.' *Donatus.*

Heu me miseram] Ad se rediri totiens, quasi delassata, conqueritur. *Idem.*

30 *Certumne est istoc*] Quod Philumena non redeat. *Idem.*

Certumne est istuc? nunc quidem ut videtur] Certumne est istud? sc. quod non reditura sit Philumena ante adventum Pamphili. respondetur: *nunc quidem, ut videtur.* mitigavit enim Phidippus, quasi spei locum daret, posse aliquid accidere, quo Philumena animum mutaret; sibique, ut rediret, persuaderi pateretur.

Quod ad accusationis et defensionis, inter hos senes, momenta et argumenta pertinet, bene explanavit Donatus. *Bœclerus.*

Certumne est istud] Itane stat sententia? *Mer. Casaubonus.*

Num quid vis] Discedentis verbum. *Donatus.*

31 *Transire*] Cito ire. *Idem.*

Quod] Propter quod; ut sæpe. *Mer. Casaubonus.*

Scena iii. Trochaici septenarii sunt.

Morata est apologia matronæ, opposita importunæ accusationi Lachetis in scena prima hujus actus. *Bœclerus.*

Ædepol ne nos mulieres sumus inique æque omnes] *In hac scena est allocutio qua inducitur secum loquens anus: per quam orationem mores ejus, et animus mitis intelligi possit.* Donatus.

1 *Ædepol ne nos mulieres*] Laches generaliter incusavit socrus; hæc plurimas defendit. Causa accusationis iniquæ, Non enim omnes sumus malæ. *Idem.*

Inique æque] Comicum παρόμοιον. Et vide sententiam, defensionem accusatarum socruum continentem: contra illud quod ait, 'Itaque uno animo omnes socrus oderunt nurus.' Officium enim boni Poëtæ est, nullum genus hominum specialiter lædere. Sic Virgilius: 'Quod sæpe malæ legere novercæ.' Id est, non omnes novercæ, sed tantum malæ. *Idem.*

3 *Nam ita me DI ament*] Bene jurat. nam sine jurejurando incredibile est, sit bona socrus. *Idem.*

Quod me accusat] Deest *in eo.* ut sit, In eo quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam. An *quod*, propter quod. *Idem.*

4 *Ita animum induxerunt*] *Inducere animum* est ita tenere, ut non amittant: id est, persuadere animo suo. *Idem.*

5 *Socrus omnes esse iniquas*] Intelligitur, quibus iniquas, id est nuribus: quia socrus nomen est ad aliquid dictum. *Idem.*

Haud pol me quidem] Esse iniquam subaudiendum est a superiore, ut sit *pol*, pro pleno jurejurando. *Idem.*

Haud pol me quidem] Subaudiendum *scio esse*, aut *novi esse*, aut tale quid, secundum ἔλλειψιν, quæ familiaris est his, qui secum loquuntur. *Idem.*

6 *Nec, qui hoc mihi eveniat*] *Qui*, unde. *Idem.*

7 *Multis modis*] Vehementer. *Id.*

Jam expecto, ut redeat domum] Quia nihil mirum in matre est, expectare ut filius redeat: idcirco additum *multis modis.* Idem.

Nisi pol filium multis modis jam expecto ut redeat domum] Ex ratione versus, qui est trochaicus catalecticus, legendum *multimodis;* quam dictionem et in Andria reposuimus, ex libro Bembino, ubi in vulgata lectione pariter erat, *multis modis.* Faërnus.

ACTUS III.

SCENA I. Satura est hæc scena: nec eodem modo ordinant metrum. vide Antesignanum, Glareanum, et alios. Guyetus omnes Iambicos facit, octonarios catalecticos et acatalecticos ac Senarios. Alii Trochaicos etiam agnoscunt. Nimium autem sibi permiserunt iterum, qui voces ubique pro lubitu transponunt. *Bæclerus.*

Nemini ego plura acerba] *Hic allocutio est per conquestionem. Et bene non se amatoribus modo, sed infelicibus amatoribus comparavit: et principium est a summa totius mali.* Donatus.

1 *Nemini ego plura acerba*] Ab eo loco conquestionis, in quo dicitur, quod nulli fere talia adversa contigerint. *Idem.*

Nemini ego plura acerba] Nimis cothurnati et tragici in hac scena dolores essent, non comici, nisi adderet, *ex amore.* Idem.

Nemini ego plura acerba esse credo] Acerba dupliciter evenerunt Pamphilo. ex præterito, de meretrice, ex præsenti, de uxore. *Idem.*

Nemini ego plura ac. &c.] Donatus: 'Nimis cothurnati,' &c. Vide an accurate dictum sit. *Bæclerus.*

2 *Heu me infelicem*] Ab ipsa simplici exclamatione. *Donatus.*

Heu me infelicem] Lachrymans hoc dicit. *Idem.*

Hanccine ego vitam] Ab eo quod ab adversis ad adversa delatus sit. *Id.*

Parsi perdere] *Parco,* conservo, *parsi* facit: *parco,* veniam do, *peperci.* Modo ergo continui, abstinui significat. *Idem.*

3 *Cupidus redeundi domum*] Ab eo quod contra spem contigit malum. *Idem.*

4 *Ubivis gentium agere ætatem*] A malorum suorum comparatione. *Id.*

Ubivis gentium agere ætatem] Magna detestatio præsentis loci, eligere quasvis terras, vel quamvis gentem potius, quam eam in qua est. Virgilius: 'Tollite me, Teucri, quascunque abducite terras.' Et *Gentium* hic abundat. Et bene, 'Ubivis gentium agere ætatem:' quia supra dixerat, 'Hanccine ego vitam parsi perdere?' Nimis enim tragicum fieret, 'Satius erat in mari perire.' *Idem.*

5 *Atque hæc ita esse miserum me resciscere*] Quod ait, lachrymantis est. *Resciscere,* est vix reperire, quod de industria fuerat cœlatum. *Idem.*

6 *Nam nos omnes, quibus est alicunde*] Aut deest *apud,* ut sit, Apud nos omnes. Aut *nos omnes,* pro nobis omnibus. *Idem.*

Nam nos omnes] Ratio superioris sensus. et deest *apud,* aut *penes,* aut quid tale. *Idem.*

Nam nos omnes, quibus est] Constat hanc σύλληψιν esse. retulit enim *lucro est,* non ad *nos omnes,* sed ad *quibus est alicunde:* ut sit ordo, Nam quibus est alicunde aliquis objectus labos, lucro est tempus. hoc est, nos omnes. *Idem.*

Nam omnes, quibus est] Hac figura usus est etiam Tullius pro Murena, 'Prætor quoque ne se pulchrum ac beatum putaret, ei quoque carmen compositum est.' Nam ille dativum casum subjecit, cum præposuisset nominativum. Et totum Apollodori est, qui sic ait * ΟΙΓΑΡΑCΙCΟΤΝΙΕC ΤΟΝ χΡω CΝΟΤ ΔιεΝΤΙΚΗΚΟΤΗC. *Idem.*

Quibus est alicunde] Hoc genus locutionis absolutum dicitur. Tale est apud Virgilium: 'Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris, Ingentes Rutulæ spectabis cædis acervos.' *Id.*

Nam nos omnes, &c.] Donatus non inerudite ita ordinat et explicat: 'Nam quibus,' &c. Subjicit: 'Hoc genus,' &c. *Bæclerus.*

Labos] Dolor, ærumna: ut Græcis, πόνος, pro dolore, vulgo. qui tamen eo nomine reprehenduntur a Cicerone Tusc. Quæst. II. ubi discrimen ostenditur. *Mer. Casaubonus.*

7 *Rescitum est*] Σχῆμα ἀκαταNON. * *Donatus.*

Prius quam id rescitum est, lucro est] Quamdiu ignoramus mala nostra, non dolemus, et ista temporis intermedii mora quoddam quasi lucrum est. *M. Casaubonus.*

8 *At sic*] Sed sic. *Donatus.*

At sic, citius qui te expedias ærumnis reperias] At hoc modo, quod venisti, et discordias esse celerius reperire poteris; et quo modo his ærumnis te absolvas. Et bene *expedias ærumnis.* aut enim solvunt nos curæ abeuntes, aut impediunt et ligant advenientes. Ut, 'Solvite corde metum, Teucri, secludite curas.' *Idem.*

At sic, citius qui] Sententia contraria. nam supra sic collegit, Si ignorare mala sua unicuique bonum est: sequitur ut malum sit, ea cito cognovisse. Hic per contrarium: Si in adversis suis succurrere unicuique quamprimum bonum est: sequitur, ut cito ea cognovisse, sit quam optimum. *Idem.*

10 *Sed nunc adventum tuum ambas*] Ne accusare alteram altera audeat. *Idem.*

11 *Rem cognosces*] Melius est *rem,* quam *litem.* Idem.

Rem cognosces] Iram expedies: rursum in gratiam restitues. Τρίκωλος sententia. Et bono ordine usus est. Prius enim fit querela, deinde ponitur iracundia, postremo reditur in consilium. *Idem.*

12 *Lævia sunt hæc quæ tu pergravia esse*] Genus consolationis, non a substantia sed a quantitate. non dicit non esse causam solicitudinis, sed levem dicit. *Idem.*

Quæ tu pergravia esse] Bene additum contra *levia,* non gravia, sed *pergravia.* Idem.

Levia sunt] A quantitate. *Idem.*

In animum induxti tuum] Id est persuasisti tibi. *Idem.*

13 *Quid consolare me? an quisquam usquam*] Ut solet in vero angore, ipsa consolatione ægrescit dolor. Et ingeniose, non inquit *dicis,* sed *consolaris me:* et hoc ipso ostendis scire te, quod miser sum. *Idem.*

14 *Prius quam hanc uxorem duxi*] Hoc refert ad illud caput in quo ait, 'Nemini ego plura acerba esse credo ex amore homini unquam oblata.' *Idem.*

Prius quam hanc uxorem duxi] Ante rem. *Idem.*

Habebam alibi animum amori deditum] An miser sit in amore ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, Ante rem, in re, et post rem. *Idem.*

Habebam alibi] Gravius dixit *alibi,* quam si *in meretrice* diceret; et maluit *alibi* dicere, quam *ad meretricem.* Idem.

16 *Quam mihi obtrudit*] Recte enim dici potuit, Quomodo ergo uxorem duxit, si amabat? Et bene, *obtrudit,* quia invito. Sic alibi, 'Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me.' Et *obtrudit,* pro obtrudebat, ἐνέργεια temporis. *Idem.*

17 *Vix me illinc abstraxi*] *Vix,* vel μόλις, vel *statim* significat. *Idem.*

Vix me illinc abstraxi] In lib. Bembi est *illi.* Sin minus, erit Creticus in quarta sede. Ceterum æque dicere possis, 'abstraxi me illi,' atque, 'eripui me illi,' quod vulgatissimum est. *Faber.*

Atque expedivi animum meum] Curæ, ut diximus, aut ligant, aut solvunt. Virgilius, 'Quæ mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.' Amatoris enim curæ vincula dicuntur. *Idem.*

18 *Vixque huc*] Maluit *huc,* quam *ad uxorem* dicere. *Idem.*

Huc contuleram] Supra, act. I. sc. 2. 'Paulatim elapsu' est Bacchidi,

atque huic transtulit Amorem.' *Mer. Casaubonus.*

Hem nova res orta est, porro] *Porro,* deinde: et vim habet deinde modo implicationem continuarum miseriarum referentis. *Donatus.*

20 *Quod cum ita esse invenero, quid restat nisi porro ut fiam miser*] Ordinem servavit allocutionis, in quo a præteritis, a præsentibus, a futuris inducitur personæ loquentis oratio. *Idem.*

Quod cum ita esse invenero] Jam ante dixi, operarum incuria hic non comparere vocem *esse.* quæ nunc restituitur. *Bæclerus.*

Nisi porro ut fiam] *Porro,* postea, vel in postremum. Alii conjunctionem putant. *Donatus.*

21 *Matris ferre injurias me, pietas jubet*] Pia sententia, quæ pluribus a divino Platone tractatur in IV. de Legib. ubi de liberorum erga parentes officio multa: et inter alia ista eximia, et sacris Oraculis valde consona: Παρὰ δὲ πάντα τὸν βίον ἔχειν τε καὶ ἐσχηκέναι χρὴ πρὸς αὐτοὺς γονέας εὐφημίαν διαφερόντως, διότι κούφων καὶ πτηνῶν λόγων βαρυτάτη ζημία. πᾶσι γὰρ ἐπίσκοπος τοῖς περὶ τὰ τοιαῦτα ἐτάχθη δίκης νέμεσις ἄγγελος. θυμουμένοις τε οὖν ὑπείκειν δεῖ καὶ ἀποπιμπλᾶσι τὸν θυμὸν, ἐάν τ' ἐν λόγοις, ἐάν τ' ἐν ἔργοις δρῶσι τὸ τοιοῦτον, ξυγγινώσκοντα ὡς εἰκότως μάλιστα πατὴρ υἱεῖ δοξάζων ἀδικεῖσθαι, θυμοῖτ' ἂν διαφερόντως. *Mer. Casaubonus.*

21 *Pietas jubet*] Apte, quia *ferre* dixit, addit *jubet.* Donatus.

22 *Tum uxori obnoxius sum*] *Matris* cum dixisset, non intulit *uxoris,* sed mutavit casus. *Idem.*

Ita olim suo me ingenio pertulit] *Olim,* ad diuturnitatem retulit, non ad spatium præteriti temporis. *Idem.*

23 *Tot meas injurias*] Hæ sunt injuriæ quas supra dixit, 'Nocte illa prima virginem non attigit: quæ consecuta est nox, eam nihilo magis.' Et deinde,' Quid interea? ibatne ad Bacchidem? Quotidie.' *Idem.*

Tot meas injurias] Aliam vim habet quod dixit, *me pertulit:* aliam quod adjecit, *injurias meas:* aliam, quod reticuit. *Idem.*

Quæ numquam ullo patefecit loco] Non dixit *quas,* sed *quæ,* ut ad omnia, non ad *injurias,* referatur extrema conclusio. *Idem.*

24 *Sed magnum nescio quid necesse est*] Bene de ambabus sentiens, putat magnam causam esse quæ iram fecerit, et iram diuturnam. *Idem.*

25 *Quæ tam permansit diu*] Et a re, et a tempore. *Idem.*

26 *Haud quidem hercle parum est*] Servilis ratio et sordida: et non his respondens omnibus quæ dixit Pamphilus, sed tantum novissimæ parti. *Idem.*

Parum] Subaudiendum necesse est evenisse, vel evenit. nam consequens sententia tollit, quod ille dixit, Necesse est. *Idem.*

Haud quidem hercle parum est] Donatus: 'Servilis ratio,' &c. Quid habuit causæ, cur hoc diceret? τὸ *haud* aliqui in *hoc,* aliqui in *at* commutarunt. vide Guyeti notas. *Bæclerus.*

Si vis vero veram rationem exequi] *Vero,* vel nomen est, vel conjunctio, vel adverbium. *Donatus.*

27 *Non maximas, quæ maxumæ sunt interdum iræ, injurias faciunt*] Injuriæ faciunt iras, non iræ injurias. sed hic *faciunt* ὑπαλλακτικῶς dixit, secundum superiorem rationem increpans errorem Pamphili, qui de iræ magnitudine æstimet injuriæ quantitatem. Alii *faciunt,* probant, ostendunt, intelligunt. Caute dixit *interdum:* plerumque enim sic. *Idem.*

Non maxumas, quæ maxumæ sunt] Sensus est, In quo primum, Non iræ injurias faciunt; accipiendum est, secundum, Non maxumas maxumæ. *Faciunt,* pro ostendunt. *Idem.*

Non maximas, quæ maximæ sunt interdum iræ, injurias faciunt] Ex iis, quæ Donatus annotat, melius videtur: '*Faciunt* pro ostendunt.' Guyetus animose corrigit. *Bæclerus.*

28 *Faciunt*] Arguunt, ostendunt: *faciunt,* pro factas arguunt, ut apud Virgil. *circumdare,* et *erigere,* pro, circumdatas et erectas (interprete Servio) canere: apud Ciceronem emere pro, emptum scribere. Philosophos γεννᾷν καὶ φθείρειν τὸν κόσμον, pro, genitum et corruptibilem asserere; et id genus alia non pauca, doctis observata. *Mer. Casaubonus.*

29 *Cum de eadem causa*] Rectum erat si diceret, *cum in hisdem rebus.* adjiciendo *causa* obscuravit elocutionem suam. sed convenit servo hæc humilitas orationis, nam plenum erat si diceret: Nam sæpe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est, cum de eisdem rebus est iracundus factus inimicissimus. *Est* autem pro, evenit, dixit. et est ordo: Sæpe est, cum quibus in rebus alius ne iratus quidem est, de eadem causa iracundus factus est inimicissimus. *Donatus.*

Iracundus factus inimicissimus] *Iratus* quidem est, qui ex aliqua re lacessitus irascitur: *Iracundus,* qui ex parva nullave causa præcedente irascitur. *Idem.*

30 *Pueri inter sese*] Argumentum a simili. *Idem.*

Quam pro levibus noxis] Interrogative. *Noxis,* injuriis, culpis. *Idem.*

31 *Quapropter*] Διαλεκτικῶς interrogat. *Idem.*

Quia enim qui eos gubernat animus] Αἰτιολογικὴ ἀπόκρισις. *Idem.*

Qui eos gubernat animus] Inde Græcis, τὸ ἡγεμονικόν: et Sall. 'Dux et imperator vitæ.' *Mer. Casaubonus.*

Infirmum gerunt] 'Εσχηματισμένως, ἀντὶ τοῦ, *infirmus est.* Sed ἀνακολουθία ista convenit servo. *Donatus.*

Infirmum gerunt] Ita, ex impotentia (i. e. imbecillitate) animi: unde *impotentia,* apud Latinos, pro ira, aliove quovis affectu majore: et *impotentes,* qui affectibus cedunt et indulgent. *Mer. Casaubonus.*

32 *Itidem illæ mulieres sunt ferme ut pueri*] Artificiose *mulieres* a persona: a similitudine, *pueri:* a facto, *iras gerunt:* ab accidentibus similitudinis, *animus infirmus:* a collatione personæ mulieris accidentium, *levi sententia:* a facto, 'Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram in hanc conciverit.' qua sententia totum hic sublatum est, quod ait: 'Sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno, unde ira inter eas intercessit.' *Donatus.*

Itidem illæ mulieres] Sexus alius ad ingenium, et sensus, idem est. Et mire similitudinem contulit ad id quod agitur. *Idem.*

Sententia] Γνώμη, animo. *Mer. Casaubonus.*

33 *Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit*] Sic Plautus, 'Fortasse te amare suspicabere.' Nam veteres infinitivo modo adjungebant *fortasse.* Donatus.

Conciverit] Commoverit. *Idem.*

Iram hanc conciverit] Legitur et *conscivisse.* et *rem conscivisse,* est rem novam fecisse. *Idem.*

Conciverit] Decreverit, fecerit. *Id.*

34 *Me venisse nuntia*] Ex consuetudine Rom. de qua Nann. Miscell. l. II. ex Plutarcho. *Mer. Casaubonus.*

35 *Trepidari sentio, cursari rursum prorsum*] *Trepidatio,* ad vocem refertur loquentium: *cursatio,* ad sonum pedum. Et trepidatur primo ab his, qui morbum putant: cursatur ab his, qui partum sciunt. *Donatus.*

Cursari rursum prorsum] *Rursum* proprie *retro: prorsum, ante* significat. et est proverbiale, ut dicimus, 'Sursum deorsum,' 'intro foras,' 'hac illac,' et similia: Græci ἄνω κάτω. *Idem.*

Rursum prorsum] Retro et ante, ultro citroque, quod vulgo, *to and fro.* Mer. Casaubonus.

Tute loqueris, me vetas] Mire expressus est mos auscultantium. *Donatus.*

38 *Tace obsecro, mea gnata*] Non solum hic Juno Lucina non inducitur,

sed etiam silentium parturienti insuper imponitur: quia furtiva conceptio est. et tamen ejusmodi verba sunt matris, ut duntaxat argumentum scientibus manifesta sint. Pamphilo vero et Parmenoni, tanquam ægram continentis filiam videantur. *Idem.*

Tace, obsecro, mea gnata] Conceptum furtivum furtim convenit nasci. *Id.*

Tace obsecro] Hic Argentoratensis codex orditur novam scenam. In meorum uno ad marginem annotatur, in aliis hic novam scenam incipi, 'Eo quod hic Myrrhina introducitur.' hic erroris per imperitiam fons est. *Bœclerus.*

Matris vox visa est] Omnia hæc quæ sensu percipi possunt, *visa* dicimus. Virgilius, 'Visæque canes ululare per umbram.' *Donatus.*

Matris vox visa est] Eun. act. III. sc. 2. 'Audire vocem visa sum modo militis.' *Mer. Casaubonus.*

39 *Nullus sum*] Rursus se infelicem et miserum appellavit hic. *Donatus.*

Nullus sum] Αὐξητικῶς. *Idem.*

Quia perii] Satis amatorie. *Idem.*

40 *Me celant*] Aliæ ed. *me celus.* Mer. Casaubonus.

Uxorem Philumenam pavitare] *Pavitare*, τῷ ἐξουθενισμῷ. *Donatus.*

41 *Pavitare nescio quid*] *Pavere* et *timere*, et ad corporis, et ad animi perturbationem veteres referebant. Plautus in Bacchidibus: 'Nam ut in mari vecta es, credo timida es.' Ergo, *pavitare*, ægrotare: quia sic horruisse visa ac palpitare venis, &c. *Idem.*

Pavitare] Horrere, ægrotare. fortasse audierat ancillas mussitantes, Philumenam *paritare parere:* id est, ad partum properare; quod ille per errorem *pavitare* retulit. *Mer. Casaubonus.*

42 *Quia non poteram una omnia*] Deest, *dicere.* Donatus.

Quia non poteram una omnia] Cum stomacho pronuntiavit: et deest, *dicere.* Idem.

43 *Nemone medicum adduxit*] Scilicet ex quo scire posses. *Idem.*

Nescio] Parturbatus Parmeno idem repetit verbum. et verbum aptum est personæ servili. *Idem.*

44 *Cesso hinc ire intro*] In vultu proloquium. Sic autem dixit Poëta, ut gravem morbum in uxore suspectans maritus, protinus ingrediatur, et partum improvisus offendat. *Idem.*

45 *Quonam modo, Philumena*] Amatoria ἀποστροφή. Sic in Phormione, 'Quod si eo meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te ut distrahar, nulla est mihi vita expetenda.' *Idem.*

Offendam affectam] Lassam possessamque morbo, ab eo quod est *affici:* unde affectus dicuntur, propter quos afficimur. *Idem.*

46 *Nam si periculum ullum in te inest*] Multum dixit, Si in te periculum inest, me periisse non dubito. Tantus autem affectus non est mariti tantum, sed amatoris quoque. *Idem.*

Nam si periculum ullum] Non permisit amor dicere Perituram: sed *si periculum.* Idem.

47 *Non usus facto est mihi*] Vide artificem Terentium, quemadmodum alias per Pamphilum, alias per ipsum Parmenonem invenit, quemadmodum nesciatur a ceteris virginem ante nuptias ab ipso Pamphilo vitiatam esse. *Idem.*

Non usus facto] Non utile. *Facto* abundat. *Idem.*

Non usus facto] Opus facto. id est, non expedit: non est ex re mea. *Mer. Casaubonus.*

48 *Nam invisos omnes nos esse illis sentio*] Acute ejusmodi causam repetit, quæ vel hominem curiosum contineret: quæque non Parmenonem modo, sed mox etiam Sostratam arceat ab ingressu. *Donatus.*

49 *Heri nemo voluit Sostratam*] Quasi alius dixerit, 'Unde intelligis.' *Idem.*

Heri nemo voluit Sostratam] Argumentum odii. *Idem.*

51 *Maxime heri causa mei*] Bene *maxime:* qui et propter ipsam, vel propter invidiam socrus non velit fieri graviorem morbum. *Idem.*

52 *Servum ilico introisse*] Mire, ut criminosius, suspiciosumque sit: non Lachetis aut Pamphili servum, sed Sostratæ: nec Parmenonem saltem. *Idem.*

53 *Comminiscentur*] Dicent, cum confinxerint. *Idem.*

54 *Capiti atque ætati illorum*] Bene τῷ εὐφημισμῷ maluit *illorum*, quam *puellæ*, dicere: quod utique intelligitur. *Idem.*

Capiti atque ætati illorum morbus qui auctus siet] Sensus et ordo est: comminiscentur, *Sostratæ servum introiisse* et *aliquid mali* secum *tulisse* sive intulisse in domum, *qui*, seu unde, *morbus auctus siet capiti atque ætati illorum*, i. e. quare morbus Philumenæ major atque capitalior factus sit. αὐξητικῶς *illorum.* cum de Philumena sermo sit, ad totam domum retulit. *capiti* ejus augetur morbus i. e. ipsi, eodem figuræ genere. additur amplius, *atque ætati;* non ineleganti incremento. in *caput* et *ætatem* hominis dicuntur fieri, quæ ad ipsum potenti quodam effectu spectant, aut vitam petunt. An malis? *tulisse aliquid mali capiti atque ætati illorum*, i. e. intulisse aliquid veneficii in caput atque ætatem illorum parati, unde seu *qui morbus auctus siet.* Ita non quidem imprecatio fuerit, sed imitatio tamen φράσεως imprecantibus usitatæ. eo magis, quod inter veneficii genera, imprecationes quædam et devotiones habebantur. *Bœclerus.*

Capiti, atque ætati illorum, morbus] Phorm. act. III. sc. 2. 'Ne quid suo luat capiti.' et ibid. act. v. sc. 7. 'Malum quod est,' &c. *Mer. Casaubonus.*

Qui] Qui, unde. *Donatus.*

55 *Hera in crimen*] Sostrata in litem. *Idem.*

Ego vero in magnum malum] In quæstionis tormenta. *Idem.*

SCENA II. Iambici sunt Octonarii catalectici. *Bœclerus.*

1 *Nescio quid jamdudum hic audio tumultuari*] *In hac scena quasi quædam deliberatio est, continens suasionis dissuasionisque partes, quas in subditis considerabimus.* Donatus.

Hic] Quia nimis vicini sunt. *Idem.*

2 *Male metuo, ne Philumenæ magis*] Instat Terentius bonam socrum facere, ut bonam meretricem faciat. *Idem.*

Male metuo] Donatus: 'Instat Terentius,' &c. Non debuit hæc conjungere. non enim æque mirum est, socrum bonam esse, quam meretricem. *Bœclerus.*

Magis morbus adgravescat] Gravior fiat. Proprie, quia morbi graves sunt dicti. Virgilius, 'Ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis, Deficit.' Sallust. 'Morbi graves ob inediam insolita vescentibus.' *Donatus.*

3 *Quod te Æsculapi, et te Salus*] Deest *propter:* ut sit: *propter quod.* Idem.

Quod] Deest *propter;* ut sit *propter quod:* ait hic Don. sed est solennis implorandi (ut *at*, imprecandi) particula; ut in Andr. act. I. sc. 5. 'Quod ego per hanc te dextram oro, et genium tuum,' &c. et apud Virgil. 'Quod te per superos et conscia numina veri,' &c. et alibi passim, ubi Donati expositio non habet locum. *Mer. Casaubonus.*

Ne quid sit hujus] Quod male metuo. *Idem.*

4 *Nunc ad eam visam*] Sic Virgil. 'Respice ad hæc.' *Donatus.*

Hem] Interjectio est novas res audientis. *Idem.*

Heus Sostrata] Tollendum est obiter mendum ex *Donato*, annotante: 'Vide, quemadmodum per se ipsum Parmeno,' (scen. præced.) 'per Parmenonem arceatur Sostrata: quæ neque deesse propter officium, neque ingredi propter socrum' (lege omnino *servum*) 'inducitur.' res clamat. *Bœclerus.*

Iterum istinc excludere] Bene *iterum:* ut illi pudorem incuteret repetitione injuriæ. et memoriter. jam enim dixit, Nostra ilico it visere ad eam. admisit nemo. Et simul vide, quam vehementius ad injuriam sonet *excludi*, quam *non admitti*. Donatus.

5 *Ehem Parmeno*] *Ehem*, interjectio est ejus, quæ commota sit nova re. *Idem.*

6 *Non visam uxorem Pamphili*] Ut dixit supra, 'Servum Sostratæ,' non Parmenonem: sic hic, *uxorem Pamphili* dixit magis, quam Philumenam: ut animum et officium ejusdem socrus, et matris breviter demonstraret. *Idem.*

7 *Non visas*] Unam rem Sostrata consuluit, hic de duabus respondet: namque et illam non vult ingredi, et cavet ne ipse mittatur. et bene, *quemquam:* ne aperte pro se loqui videatur. *Idem.*

8 *Nam qui amat, cui odio ipsus est*] Aliam causam subjunxit: quia durum fuerat ipsi Sostratæ dici, quod supra dictum est. *Idem.*

Nam qui amat] Una causa a sententia morali. *Idem.*

Cui odio ipsus est] Deest *eam*, vel *eum*. Idem.

Bis facere stulte duco] Plaut. 'Nullum beneficium esse duco id, quod cui facias non placet:' et Hor. 'Invitum qui servat, idem facit occidenti.' *Mer. Casaubonus.*

9 *Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam adfert*] Hoc validissimum ad dissuadendum fuit. *Donatus.*

Et illi molestiam adfert] Bene hoc adjecit, ne qui amat, hoc dicat, Laborem, dum promereat, quem amo. *Idem.*

10 *Tum autem filius*] Alia causa ab eventu. *Idem.*

Videre, ut venit, quid agat] Quod supra, *visere*. An *visere*, officii est apud ægros: *videre*, cognitionis? et ideo additum, *quid agat*. Idem.

Ut venit] Statim ut rediit, aut advenit. *Mer. Casaubonus.*

11 *An venit Pamphilus*] Bene imitatur affectum. *Donatus.*

12 *Hem*] Interjectio fœminina ac matronalis. *Idem.*

Ex corde excessit] Geminavit præpositionem. *Idem.*

13 *Hunc nunc intro ire nolo*] Cur, si venit Pamphilus, non sit introëundum, causa narratur. *Idem.*

14 *Nam si remittent quippiam*] Verbum activum quasi neutrum posuit. *Idem.*

Nam si remittent quippiam Philumenæ dolores] Ita Donatus, qui explicat. potius videtur, quam, *Philumenam*, quod tamen in Mss. nostris est. vide Guyet. et Rivium. *Bœclerus.*

Philumenæ dolores] Δραματικῶς errat; non enim vere dolor morbi est, cum sit partus. *Donatus.*

15 *Scio. continuo sola soli*] Ut, 'Haud (credo) invisus cœlestibus, auras Vitales carpis.' Et sic, *sola soli* dicitur, quomodo *præsens præsenti*. sic Virgilius, 'Illum absens absentem auditque videtque.' *Idem.*

16 *Unde ortum est*] Pro *sit*. Ἀνακόλουθον tertium. *Idem.*

Quæ inter vos intervenit] Melius sic, quam si diceret, *quæ illi feceris*. Idem.

Unde ortum est initium iræ] A quo initio orta sit ira, quæ inter nos intervenit. *Mer. Casaubonus.*

17 *Quam tristis est*] Χαρακτηρισμὸς locuturi Pamphili. *Donatus.*

O mi gnate] Ordo est, O mi gnate, gaudeo te salvum venisse. sed intercedit Pamphilus tristis. *Idem.*

Salvan' Philumena est] Cito probat Pamphilo se amare nurum, cum post salutationem nihil prius, quam de salute uxoris ejus inquirat. *Idem.*

Salvan' Philumena est] Mire obviam sibi exeuntem filium nihil aliud, nisi de Philumena interrogavit: ut ostenderet ejus morbum curæ sibi esse. *Idem.*

19 *Meliuscula est*] Verum est, quantum ad morbum pertinet. *Idem.*

Meliuscula est] Hoc et ad morbum,

et ad eventum paritudinis verum est. ita non mentitur Pamphilus matri. *Idem.*

Meliuscula est] *Meliuscule est*. Cic. paulo supra, 'Si remittent quippiam dolores.' *Mer. Casaubonus.*

Utinam istuc ita DI faxint] Diligentiore officio loquitur, ut rea apud filium socrus. *Donatus.*

20 *Quid tu igitur lachrumas*] Locus ab eo quod agitur: quo significat, Si ita est, quare ergo tu tristis es? *Id.*

Recte, mater] Sic dicimus, cum sine injuria interrogantis aliquid reticemus. Et bene additum *mater;* ut duritia reticentiæ blando nomine molliretur. Alii *recte* sic accipiunt, ut intelligant, *nihil est mali*. Donatus.

21 *Quid fuit tumulti*] Antiqui sic declinaverunt, *tumulti*, *senati*, ut Sallustius, 'Decretum senati fit.' *Idem.*

Dic mihi] *Dic*, verbum est instantis audire, et curiosius interrogantis. Virgilius, 'Dic mihi, Damœta, cujum pecus.' *Idem.*

Dolor repente invasit] Proprie *invasit*, quia repente. *Idem.*

22 *Ita factum est*] Moris est assentiri ad dicta interrogantium, qui quæ vera sunt celant. *Idem.*

Ita aiunt] Bene aliis adscripsit: si falsum sit, ut ipsis adscribatur mendacium. *Idem.*

Ita aiunt] In hac tota interrogatione et responsione, colorem induxit secretum, ægre objurgantis. *Idem.*

Ita aiunt] Religiose mendacium ad rumorem retulit. *Aiunt* inquit, ne ipse falsum dicere videretur. *Idem.*

23 *I sodes intro*] Metuit, ne ingrediatur mater ad socros, et ideo dicit, *I sodes intro*. Et apparet *intro* dicentem, manu annuere, ut domum redeat: et simul quo magis faciat addit causam. *Idem.*

Consequar jam te, mea mater] Adjecit et tempus, *jam*. Idem.

Mea] Necessario additum: *mea mater*. Et *sodes;* quia *intro*, durum est. *Idem.*

Fiat] Abiens dixit hoc mater. *Fiat:* ne omnino jussis alienis parere videatur. quasi imperemus et nos, quæ nos ipsi facturi sumus. *Idem.*

24 *Tu pueris curre, Parmeno, obviam*] Probabilis causa: qua ablegat etiam Parmenonem, dum jubet eum pueris occurrere. Et simul notandum, quod in hac fabula ridicule vexatur usque ad ultimum servus et ablegatur, cum sit et piger et curiosus. *Id.*

Atque his onera adjuta] In Ms. Bembi legitur *eis*, quod melius. *Faber.*

Atque eis onera adjuta] Locutio antiqua figurata. Et est ὑπαλλαγὴ, pro, ipsos onera portantes, eis onera adjuta. *Donatus.*

25 *Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant*] Jam vide quemadmodum servetur Parmenoni persona loquacis, curiosi, pigri. *Domum*, adverbiale est. *Idem.*

Domum qua redeant] *Qua* si locum significet, videbitur reliquum præceptum servus non audivisse. Sin audivit, *qua*, *quomodo* intelligemus. id est, quemadmodum onus portent de navi. ut, *quid fieret*, et *qua fieret*. Id.

Cessas] De industria omnes ablegavit suos, ut non audirent quæ intus post scenam sunt acta: quæ tamen populo est narraturus. *Idem.*

Scena iii. Trochaici sunt, et in fine Senarii Iambici. *Bœclerus.*

Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum] *In hac scena conquestio est ad deliberationem descendens, an habeat Pamphilus, an excludat uxorem: in qua tota oratio Pamphili ad argumentum spectans, amatoria magis quam maritalis est; nam aliter non perveniretur ad ultimam cognitionem omnium rerum, nisi adolescens furtivum conceptum uxoris, et partum, aliquanto lenius, quam conjugalis dolor expetit, toleravisset.* Donatus.

1 *Nequeo mearum*] Hæc est Homerica illa διαπόρησις. Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω; *Idem.*

Nequeo mearum rerum initium] Hoc

principium magna διαπορήσει onerantur: ut ostendantur ærumnæ et multæ et graves. *Idem.*

Idoneum] Aptum, conveniens. *Id.*

2 *Unde*] A quo. *Idem.*

3 *Partim quæ perspexi his oculis*] *His*, quasi miseris, vult intelligi, quibus perspexi, vel audivi mala. An sic dictum est, ut apud Virgilium, 'Vocemque his auribus hausi.' *Idem.*

4 *Qua me propter exanimatum*] Inter *exanimatum* et *exanimum* hoc interest: *exanimatus*, est conterritus, conturbatus. 'Ut, Sed quidnam Pamphilum exanimatum video?' Et Virgilius, 'Exanimata sequens impingeret agmina muris.' *Exanimus* vero, est occisus. Virgil. 'Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes Servabat senior.' *Idem.*

Qua me propter] Qua propter me. *Mer. Casaubonus.*

Exanimatum] Perterritum, consternatum. *Idem.*

5 *Nam modo me intro, &c.*] Multum, opinor, decederet tractationi hujus affectus, et narrationi, si undecim hi versus ejicerentur, quod doctissimus Guyetus voluit. Vide etiam, an ad illa 'Partim quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus, Qua me propter exanimatum citius eduxi foras;' bene statim consequatur: 'Postquam aspexi, o facinus indignum, inquam, et corripui ilico Me inde lacr.' *Bœclerus.*

Me intro ut corripui] Raptim ingressus sum. *Donatus.*

Timidus] Pro timens, nomen loco participii. *Idem.*

6 *Morbo me visurum affectam*] Quia et hic morbus est. *Idem.*

Hei mihi] Interjectio dolentis est. Virgilius, 'Eloquar, an sileam?' Et dicitur hæc figura ἐπιμονή. *Idem.*

Hei mihi] Mire interposuit σχετλιασμόν. *Idem.*

8 *Id quod me repente*] Deest *propter.* ut sit, Propter id: ac per hoc, Ideo. *Idem.*

Id quod me repente adspexerant] Causa cur lætæ exclamaverint. *Id* ergo, ob id. *Idem.*

9 *Sed continuo voltum earum sensi immutari omnium*] Mire Pamphilus etiam ancillarum metu impellitur, ut alienum nasci puerum suspicetur: nec ullo modo in memoriam redeat, hanc se puellam, vel hujusmodi vitiasse. *Idem.*

Voltum earum] Quæ viderint. *Id.*

10 *Fors obtulerat*] *Offerri* dicuntur tam bona quam mala, si insperata objiciantur aspectibus. *Idem.*

Obtulerat] *Oblatum* dicitur in utramque partem, quidquid expectationem prævenit. *Idem.*

12 *Ego ejus videndi cupidus*] Non erit plena vis repentini doloris, si aliquid præsentiens suspicatur. et ideo addidit, 'Ego ejus videndi cupidus.' *Idem.*

Recta consequor] Absolute, et sine adjectione: non enim addit *via.* Id.

13 *Extemplo ejus morbum*] *Morbum* mitiore animo, quam vitium dixit, aut probrum. Et recte: quia dixit, 'Alio me suspicans morbo visurum affectam, ac sensi, esse uxorem.' *Donatus.*

14 *Spatium*] Moram. *Idem.*

15 *Ac res monebat*] Partus. *Idem.*

16 *O facinus indignum*] *Facinus indignum*, non ad illam, hoc est, Philumenam, sed ad authorem vitii refertur. *Idem.*

Et corripui ilico] Ardens scilicet dolore. Et est causa cur cito exierit. *Idem.*

17 *Lachrumans*] Non furens, sed *lachrumans:* non iratus, sed *misertus.* Idem.

Atque atroci] Id est, vehementi. *Idem.*

18 *Mater consequitur. jam ut limen exirem*] Ostendit affectum misericordiæ suæ, *matrem* potius dicendo, quam *Myrrhinam*, et addendo *miseram.* Idem.

Jam ut limen exirem] Jam in eo

eram, ut limen exirem. *Mer. Casaubonus.*

Ad genua accidit] *Accidere*, est gestu corporis ostendere humilitatem cadentis: propter, *ad*, quod est juxta, et *cadere.* Sallustius autem sine præpositione dixit, 'Qua accidam, aut quo.' *Donatus.*

Ad genua accidit] Plin. 'Hominis genibus quædam et religio inest, observatione gentium. Hæc supplices attingunt: ad hæc manus tendunt: hæc ut aras adorant; fortassis quia inest iis vitalitas.' *Mer. Casaubonus.*

19 *Lachrumans misera*] Miserabiliter se habens. *Donatus.*

Miseritum est] Ut recte supra dictum sit de illo, 'Pium et pudicum ingenium narras Pamphili.' *Idem.*

Miseritum est] Hoc ipse sibi. *Idem.*

20 *Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus*] Mire dixit *dant sese.* Homerus: Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Sed hic *sese* illo et validius dixit, et est hæc καθολικὴ sententia. Apollodorus: οὕτως ἕκαστος διὰ τὰ πράγματα σεμνὸς ἦν καὶ ταπεινός. *Idem.*

Omnibus nobis ut res dant sese] Quæ ex Apollodoro et Homero Donatus affert, Guyeto explicata vide. *Bœclerus.*

Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus] Prout se res habent nostræ, vel bene, vel secus, ita animos gerimus vel superbos, vel humiles. In eam autem cogitationem incidit hic, ex Myrrhinæ, nobilis matronæ, miseranda specie, quæ dignitatis suæ oblita, ad pedes ejus se abjecerat. *Mer. Casaubonus.*

22 *O mi Pamphile, abs te quamobrem hæc abierit*] A nomine et blandimento. mire: quia secreta confitetur. Ut Virgil. 'Anna, fatebor enim miseri post fata Sichæi.' A principio idem elaboravit, ut adversus pudorem conscientia et voce et confessione duraret. *Donatus.*

O mi Pamphile, abs te quamobrem hæc abierit] Venialis status, in quo confessio est et precatio. *Idem.*

O mi Pamphile] Exemplum eloquentiæ Terentianæ singulare hæc oratio esse potest. *Bœclerus.*

Abs te quamobrem] Morale blandimentum ante confessionem. *Donatus.*

23 *Nam vitium*] Est confessio. *Id.*

Nam vitium est oblatum] Cœpit a causa. *Idem.*

Oblatum] Ad repentina pertinere superius annotavimus. et *oblatum*, quasi non expectanti et nolenti. *Idem.*

Virgini] Quasi quæ falli posset. *Idem.*

Olim] Recte *olim:* quia facilis venia circa vetera jam delicta. unde tentat temporis longinquitate extenuare peccatum. *Olim* ergo, ante menses novem. *Idem.*

Ab nescio quo improbo] Mire contemsit personam, dicendo *nescio quo*, id est, nescio quem dixit. ut ostendat ignobilem, ita abjectum. nam si nomen illi est, habet et dignitatem: ut, 'Et nos aliquod nomenque decusque Gessimus.' Et ne placere videatur is qui fecit, *improbum* dixit. *Idem.*

25 *Sed quum orata ejus*] Bona παρένθεσις. *Idem.*

Nequeo quin lacrumem miser] Videtur quasi distillantes fletus detergere. *Idem.*

Nequeo] Deest *continere.* Idem.

26 *Quæque fors fortuna*] Ὑφέν. id est, subita fortuna. Et *fortuna*, in incerto: *fors fortuna*, in bono ponitur. Virgilius, 'Si qua in te fortuna fuisset.' Et ipse, 'O fors fortuna.' *Idem.*

Quæ quæ] Al. plerique libri *quæque.* Mer. Casaubonus.

Fors fortuna] Phor. act. v. sc. 6. *Idem.*

27 *Per eam te obtestamur*] Oratorie inducuntur et pro tacentibus preces. *Donatus.*

Per eam te obtestamur ambæ] *Obtes-*

tatio, est precatio cum mentione earum rerum, per quas petimus: ut, 'Per eversæ genitor fumantia Trojæ Excidia obtestor.' *Idem.*

Si jus, si fas est] Utrum hoc invidiose an quasi fœmina, quæ leges nesciat. *Idem.*

Si jus, si fas est] 'Utrum hoc invidiose; an quasi fœmina, quæ jus nesciat.' ait hic vetus nescio quis Interpres. nempe, quia de jure dubitanter loquitur. in quo judicium Grammatici desidero. est enim pulcherrima et usitatissima figura, quam etiam Apostolus adhibet in re omnium gravissima; Philip. IV. 8. Εἴ τις ἀρετὴ, εἴ τις ἔπαινος, &c. *Mer. Casaubonus.*

28 *Uti adversa ejus*] Mire non crimen: sed *adversa*. Donatus.

Per te tecta, tacitaque] *Tecta*, si reducis: *tacita*, si repudias sub alia excusatione. An idem significant? an potius, Neque te, neque verbo indices? An *tecta*, ne videantur: *tacita*, ne dicantur? *Idem.*

Tecta, tacitaque] *Tecta* sint, ne hæc alii sciant: *tacita*, ne ipse indicet. *Idem.*

Adversa ejus per te tecta tacitaque ap. omn.] Imminutam pudicitiam, non ad crimen, sed fortunam retulit, humanitate figuræ. Donati περιεργία in distinguendis vocabulis *tectu* et *tacita* involvit rem potius, quam declarat. *Bæclerus.*

29 *Si umquam erga te*] Virgilius, 'Si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ.' Terentius in Andr. 'Si te in germani fratris dilexi loco, sive hæc te solum semper fecit maximi.' *Donatus.*

Si unquam erga te] Ab anteacta vita. *Idem.*

Sensistin'] Pro audistin'. Ita Virgil. 'Sensit, et ad sonitum vocis,' &c. Ita ut Itali hodie dicunt, ubi de Missa, &c. *Faber.*

30 *Sine labore*] Ex quo tibi *nihil incommodi*; ut mox. *Mer. Casaubonus.*

Uti sibi des pro illa] Subauditur *gratia*. Donatus.

Uti sibi des pro illa] *Hanc gratiam* (silentii scil.) *rogat te ut sibi des pro illa*; gratia scil. vel pro amico illo, quo erga te fuit animo. *Mer. Casaubonus.*

31 *Ceterum de reducenda*] Tentat etiam hoc persuadere, sed oratorie et verecunde. Et mire, *de reducenda* dixit, non *de respuenda*. Donatus.

9 *Ceterum de reducenda*] Versus est Trochaicus: quamobrem RE longum est, ut sæpe apud Lucretium. *Faber.*

Quod in rem sit tuam] Nam nisi reducatur, reddenda dos erit. *Donat.*

Quod in rem sit tuam] Quod commodum tibi videbitur. Nam nisi reducatur, reddenda dos erit. *Mer. Casaubonus.*

32 *Solus conscius*] A possibili. nam hoc nomine ostendit tacere eum posse, quod conscius sit ipse solus. *Donatus.*

Solus conscius] Dextre insinuat, posse eum (si ita velit) uxorem sine mala fama retinere, ut qui solus sciat eam non ex se gravidam esse. Quo pertinet etiam quod de mense septimo mox sequitur, in quem cadebat abortus suspicio. *Mer. Casaubonus.*

33 *Nam aiunt*] Honestius *aiunt*, pro *ait*, dixit: nam quis aut scire aut dicere potuit, nisi Philumena? ergo recte. *Aiunt* enim potius honestum est, quam *ait*. Donatus.

Post duobus concubuisse eam mensibus] *Post duobus*, simpliciter accipiendum. non post duos. est enim ἀντιστροφὴ, pro *duobus post*, id est, non statim ut nupta sit, sed postquam nupta est, post duos menses nuptiarum: ut sint reliqui quinque menses. Et hinc apparet, ante duos menses, priusquam cum Pamphilo concumberet, vitiatam, quatuor mensibus cum Pamphilo fuisse: ex quibus duobus posterioribus amatam esse, reliquis tribus peregrinatum fuisse Pamphilum. An *post duobus*, pro post duos?

ut Plautus, 'Post principio denique,' et, 'Post paulo.' *Idem.*

Neque hic Donatus rem expedit. cujus annotatio etiam corrupta est. *Bæclerus.*

35 *Quod te scire ipsa indicat res*] Quia contristatus corripuisti te foras. *Donatus.*

Quod te scire] Rationem temporis inivisse. *Mer. Casaubonus.*

Si potis est] Si fieri possit. ut Phorm. act. II. sc. 2. *Idem.*

36 *Partus eveniat*] Philumenæ scilicet. *Donatus.*

38 *Abortum esse*] Non est Latinum *aborsa est*: sed, *abortum fecit*. Idem.

Abortum esse] Deest, *natum*, vel *factum*, vel absolute. quomodo dicimus, *e re nata*: vel quemadmodum dicimus, 'Ex te mihi orta est injuria.' *Idem.*

Dicam abortum esse] Rationabiliter dixit. fit enim abortus mense septimo sine pernicie fœminæ. *Idem.*

Suspectum fore] Suspicabilem, suspiciosum. *Idem.*

39 *Ex te recte eum natum putent*] Nove dixit *natum abortum*: quasi abortus nascatur. *Natum* ergo pro facto, conceptoque dixit. *Idem.*

Ex te recte eum natum] Infantem abortivum. nam alioquin minus proprie dicatur abortus *nasci*. Mer. Casaubonus.

40 *Exponetur*] Ad mortem scilicet. *Donatus.*

Continuo exponetur] Vide de toto exponendi infantis negotio, quod in hac fabula tractatur, Chrestomathiam nostram, voc. Expon. *Bæclerus.*

Hic tibi nihil est quidquam incommodi] Quum alienus exponitur, et non tollitur pro tuo. Et mire necandi pueri non fit mentio: quia Pamphili filius invenietur, quum ei etiam per patrem puellæ Poëta succurrit, *Donatus.*

Hic tibi nihil est quidquam incommodi] Ab utili. et est παρέλκον quartum: ut, 'Nihil vidi quidquam lætius.' *Idem.*

41 *Et illi miseræ indigne*] Ut non sit ἀνακόλουθον. Superiori versui τὸ *et* addendum est: ut sit, 'Et tibi nihil est quidquam incommodi.' *Idem.*

Et illi miseræ] Conclusio per enumerationem. Et non læderis inquit, et proderis miseræ. *Idem.*

Factam injuriam] Mire *injuriam* dixit, ut non contemnenda sit; sed tollenda. *Idem.*

42 *Pollicitus sum*] Plus quam promisi. *Idem.*

Quod dixi] Quod promisi. *Idem.*

43 *Id vero neutiquam honestum esse arbitror*] *Neutiquam*, non est omnino negativum, sed aliquid assensionis habet. Est enim *neutiquam*, non nimis, non valde. *Idem.*

Honestum] Εὐφημὸν, decorum. *M. Casaubonus.*

44 *Nec faciam*] Bene addidit, *nec faciam*. multa enim etiam inhonesta amore suspicimus. *Donatus.*

Etsi amor me graviter, consuetudoque tenet] Hoc cum gemitu. *Etsi* non complexivum, neque præpositivum, sed subjunctivum, id est, pro tametsi. *Idem.*

Amor me graviter, consuetudoque] Quæ duæ res contra honestum et utile validissimæ. Et bene *tenet*; non tenuit. *Idem.*

45 *Lachrumo, quæ posthac futura est vita*] Bene propensior in affectum est, ut verisimile fiat potuisse reticere. Et *Lacrumo* non pendet a superiori: sed interpositis diu fletibus dixit. *Idem.*

Lachrumo, quæ posthac] *Quæ* modo vim pronominis non tenet, sed querelæ. Et *lacrumo*, sic dixit, ut Virgil. 'Sic affata, sinum lacrumis implevit obortis.' Et est ordo, *Lacrumo, cum in mentem venit.* Idem.

46 *O fortuna*] Hic *fortunam* pro bona posuit. *Idem.*

Ut numquam perpetuo es bona] Legitur et *data*. nam et sic pro bona intelligitur necessario. *Idem.*

O fortuna, ut nunquam perpetuo es bona] Vide Georg. Fabric. et Guyet. Horatius Sat. II. 8. itidem μέγεθος παθητικὸν addidit sententiæ: 'Heu Fortuna, quis est crudelior in nos Te Deus? ut semper gaudes illudere rebus Humanis!' *Bœclerus.*

O Fortuna, ut numquam perpetuo es bona] And. act. v. sc. 5. 'Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse arbitror, Quod voluptates eorum propriæ sint.' Plaut. 'Ita quoque comparatum est in ætate hominum, ita Dis placitum, voluptati ut mœror Comes consequatur.' *Mer. Casaubon.*

Quem ego tum consilio missum feci] Magna ratio movit Guyetum, ut ejiceret hunc versum. argumento enim et τῇ οἰκονομίᾳ obest, si dicatur Pamphilus, ad pristinum amorem Bacchidis animum referre. Repugnant, quæ habentur infra act. IV. sc. 4. vs. 75. et act. v. sc. 1. vs. 25. 26. *Bœclerus.*

Consilio] Ratione et prudentia. *M. Casaubonus.*

Idem nunc operam huic dabo] Si *idem*, ego. si *eidem*, hoc est amori. *Donatus.*

Operam dabo] Difficultatem rei ostendit, dicendo *operam dabo.* Idem.

Idem nunc operam huic dabo] Quod in illo amore feci, idem nunc in hoc conabor, vel operam dabo; ut faciam scil. vel *idem*, id est, idem ego; ut Don. *Mer. Casaubonus.*

49 *Adest Parmeno cum pueris*] Quia idem Parmeno est secretorum conscius, addidit, *cum pueris.* Donatus.

Minime est opus] Id est, omnino non est opus. *Idem.*

50 *Nam olim soli credidi*] Vide supra, act. I. sc. 2. 'Diebus sane paucis Post Pamphilus me solum seducit foras,' &c. *Mer. Casaubonus.*

Aliquo mihi est hinc ablegandus, dum parit Philumena] In tota comœdia non cessabit, cum sit piger; nec resciscet aliquid, cum sit curiosus Parmeno. *Donatus.*

54 *Dum parit Philumena*] *Dum,* alias dummodo, alias donec: nunc, quamdiu. *Idem.*

SCENA IV. Senarii sunt. *Bœclerus.*

Ain' tu tibi hoc incommodum evenisse iter] *Alia ratio est, currentis ad argumenta: alia actuum Comicorum. Sed perfecti Poëtæ est ita servire argumento, ut tamen spectator novis delectationibus teneatur. Nam in hac scena, donec perveniat ad Pamphilum Parmeno, hoc εὕρημα inducitur, cum hoc ostenditur, quid mali sit navigatio.* Donatus.

1 *Ain' tu*] Pro *aisne tu?* Et sic jam aliquid dixisse magni in præcedenti oratione ex respondentis sermone demonstratur. *Idem.*

Ain' tu] In scena nascitur oratio, aut in scenam defertur. *Idem.*

3 *Tantum quam re ipsa navigare incommodum est*] Ἀνακόλουθον quartum. non enim intulit quantum. Ut Virgil. 'Sed quanto ille magis formas se vertet in omnes: Tanto, nate, magis contende tenacia vincla.' *Idem.*

Re ipsa] Plaut. 'Nimio pol hominum fortunæ minus miseræ memorantur, Quam reapse experiundo iis datur acerbum.' *Mer. Casaubonus.*

4 *O fortunate, nescis quid mali præterieris*] Bene majori affectu, dicens *o fortunate,* quam si responderet, *ita.* Donatus.

O fortunate, nescis quid mali præterieris] 'O fortunatos nimium, bona si sua norint, Agricolas.' *Mer. Casaubonus.*

5 *Qui numquam es ingressus mare*] Proprie dixit, *ingressus.* nam qui jam navigavit, *egressus* dicitur. sic Virgil. 'Egressi optata potiuntur Troës arena.' *Donatus.*

6 *Nam alias ut mittam miserias*] Παράληψις oratoria. Et *miserias,* navigationes scilicet. *Idem.*

7 *Dies triginta*] Accusativus casus plenum numerum et continuationem rei significat. *Idem.*

Dies triginta, aut plus eo, in navi fui] Hoc exitiosum vel sine periculo videri potest. Sed vide quid addat, *Aut plus eo, in navi.* Absolute *eo,* ut alibi, 'Annos sexaginta natus es, aut plus eo, ut conjicio.' *Idem.*

Dies triginta aut plus eo, in navi fui] Priscianus lib. VII. legit *ego* pro *eo;* et ex Heautont. ἁμαρτήματι μνημονικῷ citat. Donatus *eo* retinet, et explicat. *Bœclerus.*

8 *Semper mortem exspectabam miser*] Dura est exspectatio mali. Virgilius, 'Inclusi pœnam exspectant.' *Donatus.*

Semper mortem exspectabam] Id est, horis omnibus, cum continuatione triginta dierum. *Idem.*

9 *Ita usque*] *Usque,* vel diu, vel valde. *Idem.*

10 *Odiosum*] Esse scilicet in mari triginta dies. Et nomen pro adverbio posuit: *odiosum* pro odiose. *Idem.*

Haud clam me est] Λιτότης. pro Ego maxime intelligo, quam odiosum sit. Nam qui jungunt, et sic legunt, errant, et non intelligunt. *Idem.*

Aufugerim] Sic veteres, quod nos, *fugerim.* Idem.

12 *Olim quidem te causæ impellebant leves*] Mire in servum fugitivum, qui ob vitium hujusmodi, non ob causam fugiat. Et bene *leves* dixit, hæc enim non est levis. *Idem.*

13 *Quod nunc minitare facere*] Ut sit ordo, Olim quidem te causæ impellebant leves, Sosia, ut faceres quod nunc minitaris facere hac occasione. Artificiose. Et in Andria sic ait recusanti perjurium servo Mysis, 'Nova nunc religio in te incessit?' *Idem.*

Quod nunc minitare facere, ut faceres, Sosia] Q. d. facile credo tibi te tanti mali, quantum videtur esse navigatio, vitandi causa fugam arrepturum, cum jam olim levibus de causis fugam adornaveris. ita jocose ut servum nequam et fugitivum perstringit. *Mer. Casaubonus.*

Facere] Ut faceres. Comicum est et Terentianum. *Donatus.*

14 *Sed Pamphilum ipsum video*] *Ipsum* a quo missus sum: vel dominum, ut Græci dicunt αὐτόν. *Idem.*

15 *Ego hunc adibo*] Vel nova curiositate ait Parmeno. *Idem.*

16 *Equidem te exspecto*] Bene excepit Pamphilus Parmenonem, ut videatur vera dicturus. *Idem.*

Equidem te exspecto] Apparet Pamphilum Parmenonis absentiam desiderare: eo quod nunc prior Parmenonem alloquitur. *Idem.*

17 *In arcem transcurso opus est*] Ostendit quam longe sit, cum *in arcem* dicat. Et bene *in arcem,* quam Minerva condidit. *Idem.*

In arcem] Pronuntia, ut ostendat quam longe sit in arcem transcurrere. *Idem.*

Transcurso] Pro transcurrere. *Idem.*

In arcem transcurso opus est] Nescio quid illis hic in mentem venerit, qui arcem, Pyræeum interpretantur. Pyræeus portus longe extra urbem, sed longo muro urbi junctus: arx, in medio urbis, ἀκρόπολις proprie, et olim πόλις dicta. *Mer. Casaubonus.*

Cui homini] Hæc verba cum sua pronuntiatione vim recusationis in se continent. *Donatus.*

Cui homini] Cum recusatione pronuntiandum. et est pigri responsio, laborem ad alium transferentis. *Idem.*

19 *Qui mecum una advectus est*] Apparet eum cum eo aliquid negotii habere, cum dicit, 'Qui mecum una est advectus.' *Idem.*

Qui mecum una vectus] Faërnus ex Bembino codice τὸ *vectus* attulit. Donatus *advectus* (quod in plerisque Mss. est) habet. *Bœclerus.*

20 *Vovisse hunc dicam, si salvos domum Redisset unquam*] Facete dixit. More enim hoc fit eorum, qui longis itineribus maris periclitati, vovent aliquid si pervenerint. Et convenit hoc Pamphilo quem supra male navigasse audierat. *Donatus.*

Vovisse hunc dicam] Interdum *dicere* est idem ac *credere, putare.* Ita apud Hom. sæpissime, φάσθαι, id est, 'apud se se dicere.' *Faber.*

21 *Ambulando rumperet*] *Rumpi* dicuntur, quibus ex nimia intentione vocis aut laboris, vel vena, vel peritoneum rumpitur. *Mer. Casaubonus.*

22 *Quid vis dicam? an conveniam modo*] Non enim mandaverat quicquam, qui sine causa mittebat, oblitus bene dissimulare : ut qui mentiuntur. Et sic pronuntiandum, *An conveniam modo?* ut reprehendere dominum Parmeno videatur. *Donatus.*

An conveniam modo] Εἰρωνικῶς dixit. Nam non hoc interrogantis simpliciter. *Idem.*

23 *Imo quod constitui me hodie*] Deest, *nuntia:* ut sit, imo nuntia. et sumitur a superiori sententia, qua dixit, 'Quid vis dicam?' *Idem.*

Imo, quod constitui me hodie] Apparet eum hanc conquisitam, et vix corrasam invenisse causam. *Idem.*

Illi] Pro *illic*, ut supra, *Mer. Casaubonus.*

Vola] Ἠθικῇ ὑπερβολῇ usus est. Ita curras, ut volare magis, quam currere videaris. Et antea transcurrere jusserat: nunc adjecit imperio, non *curre*, sed *vola*. Donatus.

25 *At non novi hominis faciem*] Moralis expressio pigritiæ in tot excusationibus posita est. *Idem.*

At faciam ut noveris] Stomachose pronuntiandum *at.* quod et Pamphilus repetit dicens, *at faciam ut noveris.* Idem.

At faciam] Bene monet Don. stomachose hæc esse pronuntianda. Nam quod irati solent, cum colloquentium verbis offenduntur, ut regerant illis sua verba, sed vel pronuntiando, vel leniter immutando perversa, et detorta; ita hic fit a Pamphilo. 'At non novi hominis faciem,' dixerat Parm. servus. *At faciam* (*faciam* pro *faciem*) regerit ille, tristis, et intempestiva servuli sedulitate irritatus. *Mer. Casaubonus.*

26 *Magnus, rubicundus, crispus, cæsius, crassus*] Properatio, συναθροισμός. et acervo sine conjunctivo est usus. *Donatus.*

Magnus, rubicundus] Imperite Terentium de Myconio crispum dixisse aiunt, cum Apollodorus calvum dixerit. quod proprium Myconis est. ut Lucilius, 'Myconi calva omnis juventus.' Unde etiam proverbium Græcum; Μυκώνιος φαλακρός. Sed ego Terentium puto scientem facetius Myconium crispum dixisse. *Idem.*

Magnus, rubicundus, &c.] Effictio memorabilis ; sed assimulata. in qua *cadaverosam faciem*, cum *rubicundo* parum convenire, plerique animadvertunt. Donatus dedit operam ne nihil diceret, nec expedivit. Vide etiam Chrestomathiam nostram voc. Cadav. *Bœclerus.*

Crispus] Quanquam Myconii ut plurimum calvi, unde Proverbium Μυκώνιος φαλακρὸς, nihil obstat tamen quin inter illos etiam *crispi* nonnulli, ex alio fortasse genere, ut rufi inter Anglos. Aut fortasse Poëta ita consulto maluit, ut Myconium istum non hominem verum, sed merum Pamphili commentum, ad eludendum servum, intelligeremus. *Mer. Casaubonus.*

Cæsius] Glaucis oculis, quasi felis oculos habens et glaucos. *Donatus.*

27 *Cadaverosa facie*] Sublivida, ac personata rubore et livore. Rubicundi enim et crassiorem faciem sæpe habent : quod est proprium cadaveris. Potest et pulposa intelligi et crassa, quasi carnosa : *caro* enim dicta est, eo quod careat anima. Et *caro* proprie dicitur mortuorum. Virgilius : 'Et corpora luce carentum.' Unde *carnifices* dicti, quod carnes ex homine faciant. *Pulpa* vero, proprie ea quæ manducatur, eo quod pulsetur et conscindatur. Potest et *r* pro *d* poni, ut *caro* sit dicta quasi *cado.* ut Virgil. 'Belloque caduci Dardanidæ.' Quod jam scilicet sine anima sit et cadat. *Idem.*

Cadaverosa facie] Sublivida, ac personata rubore et livore; ut Don.

vel, ut alii, fœda et turpi, tetra et exsangui facie. Quod si *cadaverosa facies*, quod vulgo dicimus, *a pocky face :* scabiosa facies, a papulis et variolis erosa, et frequentibus maculis et cavernulis conspersa : si tamen variolos, ut nunc vulgo vocantur, vel eo, vel alio quocunque nomine veteribus notos fuisse concedent medici. *Mer. Casaubonus.*

Dii illum perduint] More pigrorum, male optat ei, propter quem mittitur. *Donatus.*

28 *Quid si non veniet*] Omnia dicit, ne eat. *Idem.*

29 *Maneto : curre*] Etiam Pamphilus tanquam de industria perseverat. *Idem.*

Non queo : ita defessus sum] Hoc in gestu et spectaculo plus est; nam incessu et author exprimit lassitudinem. *Idem.*

30 *Ille abiit*] Quasi dicat, licet jam loqui. *Idem.*

Ille abiit] Quasi cum difficultate completam rem ostendit hoc dicto. *Idem.*

32 *Suæ gnatæ partum*] Ἐπεξήγησις. *Idem.*

33 *Quod potero, faciam*] Id est, celabo quantum potero. an quasi projiciens curas, et fessus angore dixit, *Quod potero, faciam :* id est, si potero, cedam amori : et rursus, tanquam pietatis admonitus, adjecit exceptionem, *tamen ut pietatem colam.* Servat enim in illo amorem Poëta : cujus non pœnitebit, re cognita, et errore sublato. *Idem.*

Quod potero, faciam] Id est, amori obsequar. nam misericordia mulieris de amore descendit. *Idem.*

Quod potero, faciam] Apparet hoc dictum, defectus esse, non virtutis. *Idem.*

Quod potero faciam, &c.] Nihil præter argumentum dixit in his sententiis, ad honestatem ingenii in Pamphilo pertinentibus. Ut amorem retineret erga Philumenam Pamphilus, argumenti intererat. amor ille perfecit, ut rectum tacitumque, sicut rogatus erat, infortunium ejus vellet esse. Aliter autem tegi non poterat, nisi ut causa discessionis probe assimularetur, ex illo dissidio, quod in ore et animo omnium versabatur. nisi enim servaretur nomen illius dissidii, qui poterat Pamphilus recusare, quo minus reduceret, cujus famam et pudicitiam nolebat prodere. in assimulanda ergo hujus dissidii causa, (vult dicere Pamphilus) doleo equidem incusandam esse vel Philumenam vel matrem : licet utramque sciam innocentem esse. Sed licet amor ab incusanda Philumena me retineat, pietas tamen in matrem fortius urget; meritoque præferri a me debet. igitur sic mihi versandum in hoc negotio esse intelligo, ut primam pietatis rationem habeam, et eatenus Philumenæ parcam, quatenus innocentia matris omnibus modis defendenda patitur. Ut autem innocens videretur mater, in quam tam gravis turba incumbebat, necesse erat, non innocentem videri Philumenam. quam rem ita Pamphilus tractabit, ut ultra quam necesse est non provehatur. Qui aliter explicant, non satis attendunt argumento. *Bœclerus.*

Tamen ut pietatem colam] Recordatus est læsam matrem esse ab uxore : hoc enim credit. et ideo se ad exceptionem revocavit; ita se amori cedere oportere, ut non obliviscatur omnino pietatis. Et bene in eam causam contulit necessitatem non reducendæ uxoris, quæ invenietur nulla esse. Sunt tamen quæ, manente eadem sententia, totum hoc jungunt : *Quod potero, faciam tamen ut pietatem colam;* hoc est, in quantum potero, dabo operam adversus amorem, ut, omisso eo, pietatem colam. Et subjungitur causa. *Donatus.*

Tamen ut pietatem colam] Deest *ita* : ut sit *tamen* pro duntaxat. Ut sit, Ita ut pietatem colam, dixerat enim, *quod*

potero: et ideo addidit exceptionem, *Tamen ut pietatem colam*, id est, non sum oblitus et matris. *Idem.*

Tamen] Pro ita tamen. *Idem.*

Tamen ut pietatem colam] Id est, si ita potest fieri, ut sine parentum graviore offensa et ira hoc uxoris vitium celem, (quod sane difficile,quia dimittendæ uxoris legitimam aliam causam reperire non in promptu,) libenter celabo, et uxoris famæ consulam. Sin aliter, pietatem erga parentes amori præferam. Multus hic Don. qui tamen mentem verborum non videtur assecutus. *Mer. Casaubonus.*

34 *Nam me parenti potius, quam amori*] *Amori*, scilicet uxoris, quia dixit, *Quod potero, faciam.* et hoc est quod dixerat, *Quod potero, faciam.* Donatus.

35 *Atat*] Interjectio est conterriti et conturbati. *Idem.*

36 *Horsum pergunt*] Modo *pergunt*, pro eunt. alias perseverant. *Idem.*

Scena v. Trochaici sunt septenarii. reliqui Senarii Iambici. *Bœclerus.*

Dixtin' dudum, dixisse illam, se exspectare] *Facete principium est interrogantis ita, ut sciat quid sibi responsurus sit, quem interrogat. Illaturus est enim argumentum per* ἐπαγωγήν. *Donatus.*

1 *Dixtin' dudum*] Quia dixerat, 'Sancte adjurat non posse Pamphilo se absente perdurare.' *Idem.*

Dixtin' dudum] Captiosa interrogatione cœpit, dicturus, 'Venisse ajunt: redeat.' *Idem.*

2 *Factum*] Id est, Dixisse illum, aut me. Et deest *est*: ut sit, *Factum est.* Idem.

3 *Quamobrem non reducam, nescio*] Habet causam: sed non vult veram dicere, et præterea non vult cum invidia matris suæ loqui: si in illam conferat, ut uxorem non reducat domum. *Idem.*

Quem ego hic audivi loqui] Ut solet, primo personas inducit secum loquentes: deinde ipsas convenire invicem, ut alibi, 'Quis hic loquitur? Mysis, salve.' *Idem.*

4 *Certum obfirmare est viam me*] Adversus omnia obstinate agere, id est, contra omnes. *Idem.*

Obfirmare est viam me, quam decrevi persequi] Id est, ut matri potius, quam amori, morem gerat. *Idem.*

Obfirmare viam] Firmiter et pertinaciter insistere viam, (i. rationem, consilium,) quam mihi insistendam sive persequendam proposui. nempe, ut dimittam uxorem, et dimittendæ causam veram celem. *Mer. Casaubonus.*

6 *Bene factum*] Id est, gaudeo. vide supra. *Idem.*

7 *Atque adeo, quod maximum est, salvum atque validum*] Ordo est, primum *advenisse*, deinde *salvum*, postremo *validum*. Αὔξησις ad salutem. *Validus* namque, robustus et habitior corpore. *Donatus.*

Quod maximum est] Legitur et *quod maxime est.* Idem.

Creditur] Minus blande respondet, de repudio locuturus. *Idem.*

Creditur] Donatus: 'Minus blande,' &c. Melius Guyetus: submisse dici a Pamphilo ad spectatores converso. *Bœclerus.*

Creditur] Vide act. v. sc. 4. 'Factis ut credam facis.' *Mer. Casaubonus.*

8 *Advenis modo*] Difficile invenitur præsentis temporis *modo*. Atque ut ostendat esse momentum etiam præsentis temporis, dixit *admodum*: quod est minus. *Donatus.*

Advenis modo] Virgilius, 'Vigilasne Deum gens Ænea? vigila.' *Idem.*

Admodum] Excusatio cur adhuc non viderit patrem. *Idem.*

Cedo, quid reliquit Phania consobrinus noster] Utrum jactanter Laches de hereditate loquitur præsente socero, ut illum cupidiorem faciat ad revocandam filiam? (et fit sæpe hoc, ut ex alio principio pervenire quæramus ad ea, quæ volumus dicere:) An ideo, ut sciat rem, et divitias suas? cupidiorem socerum redditurus. *Idem.*

9 *Consobrinus noster*] Quasi sororinus. *Sobrini*, sunt ex duabus sororibus. *Consobrini*, ex fratre et sorore. Et propinquitate Terentius frequentata movetur, ut heredum. *Idem.*

Consobrinus noster] Quum de fratre natus est alter, et alter ex sorore, *consobrini*: quum ex fratribus, *patrueles* dicuntur. *Idem.*

Sane hercle homo voluptati obsequens fuit] *Sane*, satis, valide. nam qui sanus, et validus est. *Idem.*

Voluptati obsequens fuit] Contra facit Pamphilus: disjungi enim volens, nihil dicit vel parum relictum. *Idem.*

10 *Et qui sic sunt, &c.*] Peregregia et ex vitæ communis moribus opportune petita sunt εὑρήματα, quibus tota hac fabula poëta utitur. *Bœclerus.*

Haud multum heredem juvant] Parum consulunt heredi. *Donatus.*

Heredem adjuvant] Elegantius in Ms. Bembi, *juvant*. Faber.

11 *Sibi vero hanc laudem relinquunt: Vixit, dum vixit, bene*] Bene et facete, Nihil heredi relinquunt, sibi vero relinquunt. *Donatus.*

Sibi vero hanc laudem relinquunt: vixit, dum vixit, bene] Loquitur hic, ut Epicuri de grege porcus; si tamen ex sua, et non potius ex vulgi sententia; qui quid homo distet a bestia, parum intelligit. Aliter Philosophi, et quibus humanæ præstantiæ sensus aliquis. Sen. 'Laudemus itaque et in numero felicium reponamus eum, cui quantulumcunque temporis contigit, bene collocatum est, &c. Alter post mortem quoque est; alter ante mortem perit.' Sall. 'Multi mortales, dediti ventri atque somno, &c. verum enimvero, is demum mihi vivere, et frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit.' *Mer. Casaubonus.*

Vixit, dum vixit, bene] Πλοκή. unum *vixit* aliud significat: et alterum *vixit*, aliud. *Donatus.*

Vixit, dum vixit, bene] Sententia est hortantis ad delicate vivendum. *Idem.*

Vixit, dum vixit, bene] Hoc enim scilicet reliquit. *Idem.*

12 *Una sententia*] Expressit animum avari senis. *Idem.*

13 *Quidquid est id, quod reliquit, profuit*] *Quidquid*, et ad parvitatem refertur. ut, 'At enim id mihi satis est, quod est de me opinionis, quidquid est.' *Idem.*

Quidquid est id quod reliquit] Nullum in hoc sene fuit doloris officium, antequam sciret aliquid relictum. *Idem.*

Profuit] Id est, pro nobis fuit: ac per hoc nostrum est. potest enim ipse profuisse, potest res ejus. *Idem.*

Profuit] Non est quod ejus pœniteat. *Mer. Casaubonus.*

Imo obfuit] Morem eorum expressit, quibus relinquitur: qui quum audierint sibi aliquid esse relictum, tunc tristes se fingunt. *Donatus.*

14 *Nam illum vivum et salvum vellem*] Non idem *vivum*, quod *salvum*. Idem.

Impune optare istuc licet] Bene *Impune*: quia heredi pœna est, mortuos reviviscere. An sine detrimento optas? ut quum medicus dicit de jam mortuo,' Ego si illum curarem, viveret.' *Idem.*

Impune optare] Si optata evenirent, numquam, inquit, optares ut ille revivisceret. *Idem.*

15 *Ille reviviscet jam numquam*] Mire Poëta his verbis Philippum quoque subinvidere indicat. Plus est *numquam*, quam *non*. Idem.

Et tamen utrum malis, scio] Mortuum illum magis, quam ut reviviscat denuo. *Idem.*

Et tamen utrum malis scio] Quid malis de duobus, scio: utrum illum mortuum permanere, an reviviscere.

Idem.

16 *Heri Philumenam*] Hoc erat, quo omnis tendebat oratio. *Idem.*

Ad se accersi hic jussit] Bene et *accersit* et *jussit*: ut nihil uxor sua sponte fecerit. *Idem.*

Heri Philumenam ad se accersi hic jussit] Et *heri* et *jussit*, bene: ut breve tempus sit, et coacta videatur exisse. Et non *adduci*, sed *accersi*: nec *a nobis*, sed *ad se*. Idem.

Hera] Alii, *Heri*. Mer. Casaubonus.

Dic jussisse te] Hoc ille in aurem Phidippo, qui non adeo callidus. *Idem.*

17 *Noli fodere*] Latus scil. quod faciunt interdum, qui minus promptos (digito pungentes) excitare volunt. *Idem.*

18 *Omnem rem scio ut sit gesta*] Virgilius: 'Trojanas ut opes et lamentabile regnum,' &c. *Donatus.*

19 *At istos invidos DI perdant*] Bene *invidos*, qui matrimonio invideant: ergo revocanda uxor est. et adeo non puduit mendacii honeste deprehensum senem, ut invidos faceret, qui vera prodiderant. *Idem.*

20 *Ego me scio cavisse*] Principium a tempore, a dictis factisque, tam suis quam adversariorum: et ab anteacta vita et præsenti. *Idem.*

Ego scio me cavisse, ne ulla merito contumelia] Mire addidit *merito*. non enim cavere, inquit, ne fieret ea, potui: igitur, ne merito fieret, quod in me fuit. *Idem.*

21 *Idque si nunc*] Ab anteacta vita. *Idem.*

Et clementi fui] Pro *fuerim*, indicativum pro conjunctivo posuit. *Idem.*

23 *Ni te ex ipsa hæc magis velim resciscere*] Παράληψις. *Idem.*

24 *Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides*] Bene, non dictis, sed *ingenio*. Idem.

Meo ingenio] Meis factis, moribus. *Mer. Casaubonus.*

25 *Quum illa quæ nunc in me iniqua est, æqua*] *Iniqua æqua*, παρωνομασίαι sunt Terentianæ. Et bonum argumentum. Nam et Virgil. 'Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,' inquit, et Cicero, 'Te ipso teste iniquo, atque improbo: verum ad hanc rem satis idoneo: te, inquam, teste, dicam.' *Donatus.*

In me iniqua est, æqua de me dixerit] Quia adversarii testimonium, si contra se dicat, tam grave est, quam vel boni viri. *Idem.*

26 *Neque mea culpa hoc dissidium evenisse*] Non ergo quid fiat, verum per quos fiat, quærendum est. Et nimis abrupte dixit *evenisse*, non *evenire*. Idem.

Hoc evenisse dissidium] Ad confirmationem, non *evenire*, sed *evenisse* dixit. *Idem.*

27 *Sed quando sese esse indignam*] Hoc sic profert, ut eam ostendat causam esse dissidii: et hoc ipso tentat, utrum dotem relinquere possit. et ideo supra, 'Neque mea culpa hoc dissidium evenisse, Id testor Deos,' inquit. *Idem.*

Sed quando sese indign. &c.] Quidam *indignam* mutarunt in *indignum*. neque sic tamen explicarunt satis locum. exempla enim, quæ de irregulari pronominis Syntaxi afferunt, non conveniunt. Optime igitur forsitan Guyetus fecit, qui emendavit, *quæ*. ita expedita omnia. *Bœclerus.*

Deputat matri meæ, cui concedat] Fortasse ergo indigna est, et recte deputat: mihi tamen mater colenda est. hoc sentit. *Donatus.*

Deputat matri meæ, cui concedat] Ἐν ὑποκρίσει *matri meæ*, ut idonea sit causa repudii. *Idem.*

Indignam deputat] Injurium putat, id a se exigi, ut ad socrus suæ mores se componat. Indignum se putat, eo usque se demittere, &c. *Mer. Casaubonus.*

28 *Cui concedat*] Sensus: quæ concedat matri meæ. Syntaxis autem, *indignam matre mea*, postularet. Sed antecedens hic sequitur casum relativi, ut in Eunucho, 'Eunuchum quem dedisti:' et Virgil. 'Urbem quam statuo, vestra est:' et alibi non raro. *Idem.*

Cui concedat] Semper putavi legendum *quæ*, et tollendam distinctiunculam, quæ est post *meæ*. Abhinc aliquot annis vidi ita legisse Bandinellum, hominem ingeniosum. Ita etiam in Ms. Bembi scriptum. *Elle croit être trop grand' dame pour ceder a ma mere.* Faber.

Cujusque mores toleret] Hoc melius, quam *obsequatur*, aut *inserviat*. Donatus.

Mores toleret] Bene *mores*, ut aniculæ: notat enim pravitatem. unde senes, *morosi* appellantur. Horatius, 'Donec virenti canities abest Morosa.' *Idem.*

Mores toleret sua modestia] O temperamentum! *mores* potius quam *injurias* dixit. *Idem.*

29 *Neque alio pacto componi potest*] Nisi ut concedat matri, toleretque mores ejus. *Idem.*

Neque alio pacto potest componi inter eas gratia] Phorm. IV. 3. 'Cum bona componantur gratia.' *Mer. Casaubonus.*

30 *Segreganda aut Mater est a me, Phidippe*] Bene tanquam ex deliberatione colligit, quod facturus est. Et mollius *segreganda*, quam *excludenda*. Donatus.

Segreganda aut mater, aut Philumena. nunc me pietas matris commod. &c.] Hic impletur deliberatio illa scena superiore. vss. 33. 34. accusando excusavit Philumenam; quod summæ humanitatis erat: postea pietatis antiquiorem rationem esse duxit. quæ in sequentibus amplius illustrantur. *Bœclerus.*

31 *Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi*] Quam mollibus verbis repudium nuntiatum est a Pamphilo! *Donatus.*

Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi] Non mirum, ubi divortia tam frequentia et minimis ex causis, si uxor potius quam parentes deseruntur. at ubi jus connubii sanctum et inviolabile, aliter res habet. *Mer. Casaubonus.*

32 *Ad aures haud invito*] Optime dictum, *haud invito*. non enim in totum volenti, quippe de dissidio: sed tamen quia pie locutus est, mediocriter approbavit. *Donatus.*

Pamphile, ad aures haud invito] Gravis oratio est a nomine incœpta. Virgilius, 'O præstans animi juvenis.' Et est figura Λιτότης. Sic Virgil. 'Posthabui tamen illorum mea seria ludo.' *Idem.*

Haud invito sermo mihi accessit tuus] Senili loquacitate: pro, 'Recte locutus es.' *Idem.*

33 *Omnes res*] Plus dixit, quam si *uxorem* diceret. *Idem.*

Præ parente intelligo] Bene *parente*, quod nomen commune et cum patre est, et cum omnibus, quos hæc necessitudo conjungit. Melius ergo, quam si diceret *matrem*. Idem.

34 *Verum vide, ne impulsus ira prave insistas, Pamphile*] Leniter et suadenter. *Idem.*

Ira] Non ergo judicio. *Idem.*

Ne impulsus ira prave insistas] Vide Phor. act. I. sc. 5. ex Thucyd. Eunuch. act. II. sc. 3. 'Quam insistam viam?' *Mer. Casaubonus.*

Insistas, Pamphile] Non enim *incipere*, sed *insistere* hic malum est. *Donatus.*

35 *Quibus iris impulsus*] Non dixit *qua ira*, ne superbe loqueretur, sed *quibus iris*: ut hoc ipsum per εἰρωνείαν derideret, quod pater dixit, *impulsus ira*. An iris matris, aut meæ uxoris, et mea? an omnium trium? *Idem.*

Quibus iris impulsus] Recte non vult iram esse, ne peccasse videatur uxor. Sic enim quasi nec ipsa peccaverit. *Idem.*

Quibus iris] Ille *iram* singulariter dixit, hic *iras* pluraliter: ne videatur unius iræ causa mittere uxorem. *Idem.*

36 *Quæ numquam quidquam erga me commerita est, Pater*] Adverte, proprietatem expressit commerendi et merendi. *Idem.*

37 *Et sæpe, quod vellem, meritam scio*] *Mereri* bona dicimus: *Commereri* mala: id est, delinquere, peccare. Ergo hic *meritam*, pro præstitisse dixit. Virgilius, 'Ego te quæ plurima fando Enumerare vales, nunquam regina, negabo, Promeritam.' *Idem.*

38 *Amoque, et laudo*] Non statim qui amantur, et laudantur: nec qui laudantur, etiam continuo desiderantur. Multa ergo dixit, *amoque, et laudo, vehementer desidero.* Et vide, amoris impulsus nimius hic est circa uxorem: et quasi oblitus suæ matris et vitiatæ, loquitur. sed tali opus est Pamphilo ad ejusmodi argumentum, donec perveniat ad καταστροφὴν, in qua uxorem reduci necesse est. *Idem.*

39 *Nam fuisse erga me*] Quantum valet quod *fuisse* dixit, et non *esse!* quasi re transacta. *Idem.*

Erga me] Hoc totum repudiaturus inaniter diceret, nisi ad exitum fabulæ Poëta respiciens, reducturi animum in Pamphilo reservaret. Et nota repudiantem eam, quam laudat, pietate sola compulsum. *Idem.*

40 *Ut reliquam vitam exigat*] Satis flebiliter dixit, *reliquam exigat.* Virgilius: 'Omnes ut mecum, meritis pro talibus, annos Exigat.' *Idem.*

41 *Cum eo viro*] Non invidere, jam non est mariti. *Idem.*

42 *Quandoquidem illam a me distrahit necessitas*] Omnis conclusio verborum Pamphili, repudii confirmationem continet: plus tamen sententia significante, quam verbis. *Idem.*

Quandoquidem illam a me distrahit necessitas.] Excusatio in necessitate, quæ est inexorabilis. Et *necessitas*, partus scilicet, quam necessitatem domi offendit: quod ex alio scilicet peperit. Sed modo vult necessitatem, matris videri iracundiam, quæ a nuru ira offensa sit. *Idem.*

43 *Tibi id in manu est; ne fiat*] Hoc opposuit, quod minime vult Pamphilus videri, et quod prodest socero. *Idem.*

Tibi in manu est] Infra, act. IV. sc. 4. 'Uxor quid faciat, in manu non est mea.' *Mer. Casaubonus.*

Si sanus sies, jube illam redire] Pro, *si sanus es:* nam aliter *jubeas* dicere debuit. *Donatus.*

Si sanus sies] Bene pater supra *iram* dixit: nunc *insaniam* significat inesse Pamphilo. *Idem.*

Si sanus sies] Non ergo culpa est, cui ut redeat jubere potest. *Idem.*

44 *Non est consilium*] Durius erat, *non reducere.* ergo hoc lenius dixit. *Idem.*

45 *Matris servibo commodis*] Hoc verbo necessitatem, qua cogatur, ostendit. *Idem.*

Servibo] Ut *scibo*, et alia non pauca, antiquis usitata. *Mer. Casaubonus.*

Quo abis] Factum Pamphili ex patris verbis ostenditur, quod discessit. et bene: nam ulterius præsente patre resistere durum fuit. *Donatus.*

46 *Mane, inquam; quo abis*] Bene *quo abis?* quia patrem deseris et uxorem. *Idem.*

Quæ hæc est pertinacia] Sicut decuit socerum. et subindignatur, quia coram sibi fit contumelia. *Idem.*

47 *Dixine, Phidippe.*] Artificiose Laches, ut minus miretur, et minus indignetur socer, irasci Pamphilum dicit: quando et prædictum est, et sic oportuit. *Idem.*

Dixine, Phidippe, hanc rem ægre laturum esse eum] Renovavit verba sua eidem personæ. nam ita dixerat, 'Neque adeo me clam est, quam esse eum graviter laturum credam,' hoc si resciverit. *Idem.*

48 *Quamobrem te orabam, ut filiam remitteres*] Invidiose adversum Phidippum, tamquam in illo sit, unde se purget, et non accuset Pamphilum. *Idem.*

49 *Adeo inhumanum fore*] Bene, quasi iratus, inhumanum esse inquit. *Idem.*

Non credidi ædepol adeo] Potuit enim dicere, Non credidi inhumanum fore: sed acerbe addidit *adeo.* Idem.

50 *Ita nunc is sibi me*] *Sibi* et *me*, magno pondere legendum est utrumque pronomen, ut, 'Cantando tu illum?' Id est, genero socerum, vel Pamphilo Phidippum, vel si quid tale inveneris. *Idem.*

Supplicaturum] Parum est *satis facturum; supplicaturum* addidit. *Idem.*

51 *Si est*] Si ita res habeat. *Mer. Casaubonus.*

52 *Sin est alio animo, renumeret dotem huc; eat*] Hoc recte socer. non tam ut dotem recipiat, quam ut terreat, hoc dicit. Et *renumeret*, proprie, quia dos, pecunia est. Et ἰδιωτισμὸς irascentis est, et exigentis debitum. *Eat* vero mire dictum: quasi ipse projiciatur, qui jubetur ire. et simul in hoc verbo quasi renuntiatio caritatis est. *Donatus.*

Renumeret dotem huc; eat] Terrorem repetendæ dotis ostendit, quum dicit, *renumeret dotem:* simul cum injuria, *huc:* et iracunde, *eat.* Idem.

Renumeret dotem huc] Vide supra, act. III. sc. 3. *Mer. Casaubonus.*

Eat] Valeat. *Idem.*

53 *Ecce autem tu quoque proterve iracundus*] Addendo *quoque*, nonnihil assensus est: quasi dicat, *quomodo Pamphilus.* Donatus.

Proterve iracundus es] *Proterve*, immoderate, et superbe, dictum est ideo, quod proterat alium, qui protervus est. Nam *protervus* est, qui dum alius obvius est, poterit: quod faciunt et tauri in appetitu coitus fœminarum, in quas calent. *Idem.*

54 *Percontumax redisti*] Proprie *contumax* dicitur contemptor potiorum. *Idem.*

Percontumax redisti huc nobis, Pamphile] Magnæ indignationis est, absentes alloqui. ut alibi, 'O Æschine, pol haud paternum istuc dedisti.' *Idem.*

Nobis, Pamphile] Τῷ ἀττικισμῷ. nam aut abundat, aut significatu adjuvat pronuntiationem. *Idem.*

55 *Decedet jam ira*] Quasi in ira sit culpa: non, *deponetur ira*, inquit, sed *decedet.* Idem.

56 *Quia paululum vobis accessit pecuniæ*] Facete: quasi dicat, Quia habetis unde dotem reddatis. aut, Quia nullam causam habeatis repudii, sed ditiorem quæratis conjunctionem. *Idem.*

Quia paululum vobis accessit pecuniæ, sublati animi sunt] Et non, Major est factus Pamphilus. simul majore stomacho, quod cum labore celabat, aperte ostendit. *Idem.*

57 *Sublati animi*] Pro *elati, sublati* dixit. Et hoc proprie ferarum est. ut, 'Attollitque animos: Pœnorum qualis in arvis, Saucius ille gravi venantum vulnere pectus, Tum demum movet arma leo,' &c. Nam bestiæ pro animi qualitate vel erigunt corpora, vel deponunt, ait Cicero. *Donatus.*

Sublati animi sunt] Supra, act. III. sc. 3. *Mer. Casaubonus.*

Etiam mecum litigas] Belle: et illum ex invidia iracundiorem, et hoc ad se dicentem, quod propter Pamphilum dicebat, effecit. [*Donatus.*

Etiam mecum litigas] Invidiose, quasi jam cum Pamphilo litigaverit. *Idem.*

58 *Deliberet, renuntietque hodie*] Ferocius quam socerum deceret: attamen mature, quod *deliberet* dixit. *Idem.*

59 *Ut alii, si huic non sit, siet*] Magna fiducia conditionem filiæ asserit: quoniam jam si Pamphilus nolit, paratum alterum dicit esse. *Idem.*

Si huic non sit] Subauditur *uxor.* Sed dura dictu reticuit, ut debebat. *Donatus.*

Siet] Uxor. scil. quod, ut δύσφημον, reticetur. *Mer. Casaubonus.*

60 *Phidippe, ades*] Nomine appellat: quod facere solemus, iratos mitigare conantes. *Donatus.*

61 *Postremo inter se transigant*] Non enim hæc votiva sunt, quibus interesse delectet. *Idem.*

62 *Quando nec gnatus, neque hic*] Invidiose *gnatus*, et *non obtemperant*, et 'Hic non familiariter' dictum, quasi ab irato. *Idem.*

63 *Quæ dico, parvi pendunt*] Quia obtemperamus etiam tacitæ voluntati. *Idem.*

Porto hoc jurgium ad uxorem: cujus, &c.] Bene rursus in errorem reditur: ne quæ vera sunt, contra fabulæ propositum cognoscantur. *Idem.*

Porto hoc jurgium] *Porto*, quasi aliquid magnum. *Idem.*

Porto hoc jurgium ad uxorem] Ita postulat οἰκονομία, ut innocentis matronæ miseria ostendatur, in quam morosi senis suspicio et inhumanitas magnam turbarum partem cumulat. *Bœclerus.*

Cujus hæc fiunt consilio omnia] Non transacta objiciuntur uxori, sed quæ nunc aguntur. *Donatus.*

Consilio] Utrum dispositione? an εἰρωνεία est in male consulentem? *Idem.*

65 *Atque in eam hoc omne, quod mihi ægre est*] Non *quod irascor*, sed *quod mihi ægre est*, dixit. *Idem.*

Evomam] Bene: quia ægritudinem solet vomitus relevare: sic Cicero in Catilinam, quum dicit, 'Quæ quidem lætari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit, forasque projecerit.' *Idem.*

ACTUS IV.

Scena i. Satura est hæc scena, Iambicis et Trochaicis catalecticis constans, et secundum quosdam acatalecticis. Iterum nimis sibi permiserunt multa eruditi. quo factum est, ut non emendatius metrum sed molestius fieret.

In hac scena alteram matronam senex maritus jurgio adoritur: sed illa plus constantiæ habet, quam Sostrata. itaque patientiam Sostratæ cum Lachetis iracundia, Myrrhinæ fiduciam cum lenibus Phidippi moribus, apposite Poëta comparavit. *Bœclerus.*

Perii quid] *Mire in hac scena iterum rixa est senis atque anus: et tamen varie et alio modo, ut mores inter se diversos, et tamen notos, possimus agnoscere.* Donatus.

1 *Perii! quid agam*] Hæc proloqui oportet Myrrhinam, ut ex ejus persona reminiscatur spectator gestæ rei: simulque ex hujus personæ verbis, quid agat altera persona, monstretur. Nam perscrutari Phidippum universa conclavia et ire per totam domum cognito partu filiæ suæ, apparet ex præsentibus dictis. *Idem.*

Perii! quid agam] Singula ita pronuntia, ut perturbatum ostendas. *Idem.*

Quid agam? quo me vortam] Figura διαπόρησις, apta turbatis. *Idem.*

2 *Nam audisse vocem pueri visus est vagientis*] Virgilius, 'Continuo auditæ voces, vagitus et ingens, Infantumque animæ flentes in limine primo.' Et est ὀνοματοποιΐα. nam vox ipsa sic est, ut quasi vagitus sæpius sonet. *Idem.*

Pueri visus est vagientis] Proprie dixit *vagientis*, et infantium est. *Id.*

Visus est] Quomodo, 'Audire vocem visa sum modo militis.' *Idem.*

Audisse vocem pueri visus est] Non erat certa, sed inde conjicit, quia 'Ira corripuit,' &c. *Mer. Casaubonus.*

3 *Ita corripuit derepente*] Raptim intulit. Et *derepente*, una pars orationis est, ut *defessus*. adverbiis etiam præpositiones separatim non adduntur. *Donatus.*

Derepente] Ὑφέν. Nam si separaveris, non est Latinum, *de repente*. Idem.

4 *Quod si*] *Quod*, pro, Nam, aut Itaque. sed et nos in hujusmodi significatione sic dicimus. *Idem.*

Quod si te rescierit] *Scimus* manifesta: *rescimus* occulta. *Idem.*

Id qua causa] *Id*, hoc ipsum, peperisse eam. *Idem.*

5 *Non ædepol scio*] Ideo quia vera causa dici non potest. *Idem.*

6 *Sed ostium concrepuit*] Plus est quam *crepuit*: nam *con* modo auctivum est. *Idem.*

Ad me] Bene *ad me*, quasi litigaturum. *Idem.*

7 *Ubi me ad filium ire sensit*] Hoc ante rem: et simul argumentum delicti est, quod exiit a filia marito ingresso mulier. *Idem.*

Uxor ubi me ad filiam] Mirantis est gestus et dictum. *Idem.*

Se duxit foras] Ordo, *duxit se.* Et verbis usus est, intra domesticos parietes, artis, τῷ ἰδιωτισμῷ. *Se duxit*, pro *abiit.* Idem.

Se duxit foras] Servius ad ix. Æn. cum explicat illud, 'Is enim se primus agebat,' addit: Plautus in Mostellaria: 'Unde agis te? ut enim nos e contrario dicimus, duco me: ita illi (veteres) agit se,' ἀπὸ τοῦ ἄγειν. *Bœclerus.*

Duxit] Subduxit. *Mer. Casaubonus.*

8 *Atque eccam video*] Apparet mulierem fugere, et viri aversari præsentiam. et ideo hoc separatim pronuntiandum. *Donatus.*

Heus, tibi dico] Ostendit Myrrhinam avertentem se: quasi nihil inveniat quod dicat de filia. *Idem.*

Mihine, mi Vir] Sic et in Andria, *nihil respondes?* quum turbatum se ostendit Davus. *Idem.*

Vir] Ad maritalem conditionem retulit, non ad sexum. ut Virgilius in Bucolicis, 'Vir gregis ipse caper.' *Idem.*

9 *Tun' virum me*] Accusatio ab increpatione incipiens. *Idem.*

Tun' virum me, aut hominem] Vide supra, act. II. sc. 1. *Mer. Casaubonus.*

Aut hominem deputas adeo esse] Αὔξησις perversa. *Adeo* autem abundat. Virgil. 'Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura Deorum Concilia incertum est.' *Donatus.*

10 *Nam si utrumvis horum*] Vir aut homo. *Idem.*

Mulier, unquam tibi visus forem] Acerbe *mulier:* ut supra, 'Tu, inquam, mulier, me quæ omnino lapidem, non hominem putas.' *Idem.*

11 *Quibus*] Callide mulier, et quasi nullius culpæ conscia, *quibus* dixit: Et *quibus*, factis scilicet. *Idem.*

At rogitas] Bene irascitur interroganti; nam interrogare quæ sciat impudentiæ est. *Idem.*

12 *Peperit filia*] Propositio criminis. *Idem.*

Hem! taces] Non *taces* nunc: sed *taces*, celas. *Idem.*

Ex quo] Bene *ex quo*, quia argumentum impudicitiæ est puerperium taciturnum. *Idem.*

Istuc patrem] Mira calliditas. Rea mulier hoc solo defenditur, quod accusat. *Idem.*

Istuc patrem rogare est æquum] Ex sua interrogatione accusavit accusatorem. *Idem.*

13 *Perii, ex quo censes*] Mire additum ad effectum *perii.* Idem.

Nisi ex illo, cui data] A verisimili argumentum. *Idem.*

Nisi ex illo, cui data est nuptum] Solutio criminis per fiduciam respondentis. Sallustius, 'Ita fiducia, quam argumentis purgatior es.' *Id.*

14 *Credo, neque adeo arbitrari*] Ab accusatione maritus ad defensionem sui conversus, omisit quod cœperat. *Idem.*

Sed demiror quid sit] Mollior factus, jam non irascitur, sed miratur. Adeo vides Phidippum nulla re alia, quam mulieris correptione lenitum. *Id.*

Demiror] Valde miror: quod minus est quam irascor. *Idem.*

15 *Quamobrem tantopere*] Alia intentio criminis. *Idem.*

Omnes nos celare volueris] Antiqua locutio, 'Illam rem celo te.' *Idem.*

16 *Præsertim quum et recte, et tempore suo peperit*] Vide, duæ causæ sunt celandi partus. si non tempore suo venerit, quod indicium stupri est: et si non recte evenerit: hoc est, monstri aliquid natum fuerit. Hic autem et tempore suo, et recte natum prædicat. *Idem.*

Præsertim quum et recte] Attulit mulieri compendium credulitas senis semel correpti, ne aliter suspicetur. *Idem.*

Præsertim quum et recte, et tempore suo] *Recte*, ad illud pertinet, Quod non monstrum peperit. *Tempore suo*, ad spatium, quo prægnantes esse consueverunt, id est, ad mensium dinumerationem: quia et septimo mense nasci solent. *Idem.*

Tempore suo pepererit] Ergo tum apud Græcos partus septimestris tempestivus habitus est. nam post nuptias hic mensis agebatur septimus. Videndus omnino Gellius III. 16. ubi medicorum et philosophorum illustrium de tempore humani partus et varietate puerperii sententias ponit. Qua auctoritate etiam nititur Paulus, cum, 'Eum, qui ex justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse credendum' confirmat l. XII. de Stat. Hom. i. e. die 182. a nuptiis. l. III. in Fin. de suis. *Bœclerus.*

17 *Adeon' pervicaci esse animo*] Invectio. *Donatus.*

Adeon' pervicaci esse] *Pervicax* est perseverans cum quadam vi. *Idem.*

Ut puerum præoptares perire] Ab ætate infantis invidia. *Idem.*

18 *Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires*] Ab accidentibus, Invidia. Et bene additur *scires:* quia imprudentia in delicto veniam frequenter extorsit. *Idem.*

19 *Potius, quam advorsum animi tui lubidinem*] A voluntate peccantis, invidia. *Animi tui libidinem* dixit, ut minima causa magnis sceleribus subjecta esset. *Idem.*

Esset cum illo nupta] Antiqui non *illi nupta:* sed, *cum illo nupta.* Ergo ambo sibi invicem nubunt. *Idem.*

Advorsus animi lubidinem] Plaut. 'Qui animum vincunt, quam quos animus semper probiores cluent.' *Mer. Casaubonus.*

Tui] Al. edit. *Potius quam adv. animi tui libid. esset cum illo nupta. Ego etiam, &c.* minus bene. Plantin. ut hic. *Idem.*

20 *Ego etiam illorum esse hanc culpam*] Bene, *etiam illorum:* non enim hoc se errasse ait, quod illorum putaverit culpam, quæ minor est: sed, *etiam illorum:* ut commune peccatum fuerit. sed nunc quidem totum credit esse Myrrhinæ. An *etiam*, pro adhuc, ut major sit dolor, qui nec opinanti acciderit. *Donatus.*

21 *Utinam sciam ita esse istuc*] Te miseram esse. Alibi, 'Miserum quem minus credere est.' Et erit sensus, Utinam vere sis misera. *Idem.*

Utinam sciam ita esse istuc] Hoc quidam sic accipiunt, quasi Phidippus dicat, penes te culpa est, quam illorum esse credebam: et utinam quod credo, penes te esse culpam, ita non esse certo sciam. quia dixit, se miseram: et miseros non nisi innocentes dicimus. Ille enim hoc respondet: Utinam in hoc negotio miseram te, non scelestam reperiam. Sic Sallustius, 'Atque ea cogentes, non coactos: scelestos magis, quam miseros distringi.' Et ideo sequitur, 'Sed nunc mihi in mentem venit.' Argumentum ex antecedentibus dictis et factis. *Idem.*

Nunc mihi in mentem venit] Recte *nunc:* quasi alias nihil suspicanti. *Idem.*

22 *Quod locuta es olim*] Pro Ante. *Idem.*

Quum illum generum cepimus] Ut *arbitrum capere* dicimus, id est, eligere. et cum laude locutus est Pamphili. *Idem.*

Cepimus] Elegimus. Virgilius, 'Ante locum capio oculis.' *Idem.*

24 *Cum eo*] Viro. *Idem.*

Qui meretricem amaret: qui pernoctaret foris] Non in hoc est accusatio, quod hæc locuta sit: sed argumentum est, quod celare voluerit partum, quæ hoc olim dixerit. *Idem.*

Qui pernoctaret] Propter illud quod dixerat, 'Quid interea? ibatne ad Bacchidem? Quotidie.' Et nota, familiariter hoc verbum poni a Terentio. Sic in Adelphis, 'Sed si hic pernocto, causæ quid dicam, Syre?' *Idem.*

25 *Quamvis causam*] Hoc propter spectatorem dicitur, ut gestorum meminerit. *Idem.*

Quam ipsam veram] Quia sola ex omnibus defendi non potest. *Idem.*

26 *Multo prius scivi, quam tu*] Bene pergit. quia taciturnitas pro confessione accepta est. *Idem.*

27 *Verum id vitium*] Hoc intelligi non potest, nisi vitium bis numero subaudieris. *Idem.*

Verum id vitium, &c.] Exemplum disciplinæ Atticæ non uno loco Poëta ostendit. quod propterea observandum est, quia ad rationem argumenti non raro inde aliqua petuntur. *Bœclerus.*

Decrevi] Κέκρικα, judicavi, censui. *Mer. Casaubonus.*

Adolescentiæ] Melius dixit *adolescentiæ*, quam *Pamphili:* ut quod in

ætate fuerat, non timeret in ingenio. *Donatus.*

28 *Nam id omnibus innatum est*] Amare in Adolescentia. *Idem.*

At pol jam aderit, se quoque quum oderit] Mire senectutem accusat senex, quum et velocem ostendit his verbis, *jam aderit:* et addit, *se quoque oderit:* quasi dicat, Non solum non amabit, sed et odio habebit: et non alienas mulieres modo, nec uxorem quoque, sed etiam se ipsum. Plus ergo illatum, quam ratio deposcebat: sed mire ad affectum senis exprimendum. *Idem.*

Se quoque etiam quum oderit] Id est, ut pœniteat eum sui facti. Sed plus dixit, quam si diceret, *Facta sua.* Idem.

Se quoque etiam cum oderit] Don. ad senectutem refert, quæ vulgo onus grave habetur, et omnium rerum fastidium afferre solet: sed male meo judicio. Non enim id vult, opinor, eum ad senectam amori illicito indulsurum, quod perditissimi fuisset ingenii; sed mox, (ut qui talis: *pius alioqnin, ac pudicus.* act. I. sc. 2.) ad saniorem mentem rediturum ac facti sui odium. Infra, act. v. sc. 1. 'Nam neque hoc animo erit ætatem,' &c. Sen. 'Demus illi spacium, quo despicari quod fecerit possit. se ipse castigabit,' &c. *Mer. Casaubonus.*

29 *Sed, ut olim te ostendisti*] Quum superiora dicta sunt. *Donatus.*

Sed ut olim te ostendisti, eadem esse] Ostendisse eandem te esse, quæ olim fuisti. Al ed. *Sed ut olim te ostendisti, eandem esse nihil cess. usque adhuc.* Mer. Casaubonus.

30 *Ut filiam ab eo abduceres*] Vehementius dixit, quam si diceret, Ut filiam ei non redderes. *Donatus.*

Neu, quod ego egissem, esset ratum] Qnod ab eo abducis, non bona socrus: quod filiam, non bona mater: quod irrita facis quæ gessi, non bona uxor es, inquit. *Idem.*

31 *Nunc res indicium facit*] Hoc est, quod celavisti partum. *Idem.*

Id nunc res] Quasi dixerit, *Unde scio.* Idem.

Quo pacto factum volueris] Non solum quod fecit, sed etiam quod voluit, objicit. *Idem.*

Quo pacto factum volueris] Deest *fieri.* Idem.

32 *Pervicacem*] Per vim agentem, perniciosam me esse censes. *Idem.*

Cui] Deest *ei*, vel *circa eam.* Idem.

Cui mater siem] Rursus a verisimili: an mater contra filiam faciat. *Idem.*

33 *Si ex usu esset nostro hoc matrimonium*] Callide mulier, ex his quæ dixit senex, defensionem arripuit. Nam ille sic ait: Negabis posse filiam tuam te pati cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris. *Idem.*

Ex usu nostro] Modo, utile: si pro nostra esset utilitate. *Idem.*

Si ex usu esset nostro, &c.] Myrrhinam quoque, ut alibi Pamphilum, contentio illuc abripit, ut aliquid dicendum esset, in speciem. itaque quod proximum erat et latius patebat, quam ut proderet aut nimis oneraret partem necessitate non animo segregatam, utilitatem obtendit. Sed haud molliter occurrit maritus; non muliebris id arbitrii aut sollertiæ esse, de utilitate matrimonii liberorum judicare; ut hic quoque exaudiri velit sui muneris auctoritatem, de qua postea dicet: 'Aderam, cujus consilio ea par fuerat prospici.' *Bœclerus.*

Ex usu nostro] E re nostra, et filiæ. *Mer. Casaubonus.*

34 *Tune prospicere*] A persona. *Donatus.*

Aut judicare] *Prospicere* futura: *judicare* præsentia. *Idem.*

35 *Audisti ex aliqua fortasse*] Ἠθικῶς satis et oratorie. *Idem.*

Aliquo] Non a certa persona. Bene *aliquo:* ademit judicibus authoritatem. *Idem.*

Qui vidisse eum diceret] Non *Qui vidisset.* Idem.

36 *Exeuntem aut introëuntem*] Sic Cicero, 'Tibi autem, Balbe, respondebo: primum precario, si licet, si fas est defendi a me eum, qui in hortis fuerit, qui unguenta sumpserit, qui Bajas viderit.' Non enim dixit, 'Amplectentem amicam.' *Idem.*

Aut introëuntem] Σύλληψις prima. 'In ludum ducere et reducere.' *Idem.*

Exeuntem aut introëuntem] Σύλληψις διανοίας, et mollis est, quia luditur de sequentibus ad amicam. ἐξουθενισμὸς criminis, de consuetudine. *Idem.*

Exeuntem aut introëuntem ad amicam] Σύλληψιν διανοίας Donatus vocat, et comparat cum illo Ph. I. 2. 36. 'In ludum ducere et reducere.' Plura Servius ad illud Virgilii: 'Nec jam amplius armis Sed votis precibusque jubent exposcere pacem.' Homericum est, σῖτον καὶ οἶνον ἔδοντες. *Bœclerus.*

Quid tum postea] Ἰδιωτισμὸς, quo contemnimus crimina leviora. *Donatus.*

37 *Si modeste*] Adhibito modo: vel certe cum pudore ac modestia, ut celatum voluerit. *Idem.*

Nonne ea dissimulare nos] Duobus modis feruntur peccata: vel ignoscendo, vel cohibendo. Modo *dissimulare*, est ignorantiam fingere. *Idem.*

38 *Magis humanum est*] Bene, quia et illud humanum dissimulare. an magis humanum dissimulare, quia et irasci et arguere humanum est? *Idem.*

Magis humanum] Nota, pro *Humanius*, Terentiano more. *Idem.*

Qui nos oderit] *Qui*, unde vel quamobrem. Et recte, nemo enim dolens quod non ametur, id facit quo magis odio sit. *Idem.*

39 *Nam si is posset ab ea sese derepente avellere*] Oratorie. non contentus defendisse Pamphilum, hoc ipso illum, quo accusatus est, laudat. *Idem.*

Derepente] Una pars orationis est. *Idem.*

40 *Quicum tot consuesset annos*] Laudat ubique eos Terentius, qui consuetudine vincuntur. Et alibi, 'Hic parvæ consuetudinis causa, hujus mortem tam fert familiariter.' Et mox, 'Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor commoveat, neque commoneat, ut servem fidem?' Ergo ferus, quem longa consuetudo non commovet. *Idem.*

Qui cum tot consuesset annos] Non *quacum*, sed *quicum:* ut *a quibus*, et non *a quis.* Et *consuesset* proprie dicitur in stupro. *Idem.*

Non eum hominem ducerem] Non solum, inquit, homo non esset, id quod forsitan nihil nostra intererat: sed quod nobis maximum est, vir stabilis filiæ esse non posset. *Idem.*

Non eum hominum ducerem, nec virum satis firmum gnatæ] Potest et sic intelligi, Non eum hominem ducerem, qui consuetudinem longi temporis temere abrumperet. *Idem.*

41 *Nec virum*] *Vir* modo maritus. *Idem.*

Nec virum satis firmum gnatæ] Quem res venereæ non moverent. nam *firmum* etiam hoc possumus intelligere, validum in officio coitus. Sic Horatius, 'Fortique marito Destinet uxorem.' *Idem.*

Mitte adolescentem obsecro] His verbis solemus commentitia argumenta contemnere; ut, 'Misericordia, animus maternus: sino.' Et alibi, 'Mitto omnia. Adde istuc, Imprudens timuit adolescens: sino. tu servus.' *Idem.*

Mitte adolescentem] Etenim ille dixerat: 'Verum id vitium numquam decrevi esse ego adolescentiæ. Adeon' pervicaci esse animo, ut puerum præoptares perire Potius, quam adversus animi tui lubidinem esset cum illo nupta?' *Idem.*

42 *Et quæ me peccasse ais. abi: solus solum conveni*] Recte hæc dicit mulier, utpote memor quod cum Pamphilo sit locuta. Et *solus solum* ideo quia metuit, ne orata sua non servet Pamphilus, et ideo multi sciant. *Idem.*

43 *Roga, velitne uxorem, an non*] Verba quibus cum Pamphilo loquatur socer: ne si aliter agat, respondeatur a genero. *Idem.*

44 *Recte consului meæ*] Illum, inquit, nolle, signum erit me providisse filiæ. *Idem.*

45 *Siquidem ille ipse non vult: et tu sensisti*] Animadvertendum, quemadmodum omnia, quibus se defenderit Myrrhina, in malam partem accipit Phidippus: et hinc magis accusat, unde illa se purgat. *Idem.*

46 *Cujus consilio ea par fuerat prospici*] Non dixit, cujus consilio repudium daretur Pamphilo. ita ad bonum omnia exitum spectant. *Idem.*

47 *Esse ausam facere hæc te injussu meo*] Abducere filiam, celare partum, exponere puerum. *Idem.*

48 *Interdico*] Inter *edico* et *interdico* hoc interest: *edicimus*, quod jubemus fieri: *interdicimus*, quod vetamus fieri. *edicimus* etiam uni generi hominum: *interdicimus* diversis. Itaque *Prætoris edicta* et *interdicta* dicuntur. *Interdico*, separatim dicendum legendumque. quia *interdico ne velis*, non est integrum. *Idem.*

Interdico ne extulisse extra ædes] Id agitur, ne sub incerto intercipiatur puer, et tragœdia fiat ex comœdia. *Idem.*

Interdico, ne extulisse extra ædes puerum usque velis] Don. separatim hæc legit, *Interdico; ne velis, &c.* quia, inquit, *interdico ne velis*, non est integrum. Id opinor vult, ideo non integrum, quia voluntas non cogitur: nec votis leges feruntur, sed factis. Sed hoc subtilius; cum, *ne velis extulisse*, valeat hic, *ne efferas*. Mer. Casaubonus.

Ne extulisse extra ædes puerum usquam velis] Doctissimus Muretus subtiliter et exquisite explicat hoc genus loquendi ad v. Eth. Aristot. Omnia exempla interdictum habent, cui minæ insunt, adeoque τὸ πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν, ad præsentius terrendum. eo facit hæc figura. *Bœclerus.*

49 *Meis dictis parere hanc qui postulem*] Demonstrative et accusatorie dixit *hanc*, quasi tam contumacem. *Donatus.*

Hanc qui postulem] Quid est *hanc?* utrum mulierem? an uxorem, an contumacem fœminam? *Idem.*

50 *Ibo intro*] Sibi ipsi hoc dicit τῷ ἰδιωτισμῷ. *Idem.*

Edicam servis, ne quoquam efferri sinant] Et hoc recte Poëta, quia ita opus est, ne compleat Myrrhina, quod promisit de exponendo puero. Ait enim, ‘Dein continuo exponetur.’ *Idem.*

52 *Nam ut hic laturus hoc sit*] Sic ostenditur causa, cur perpetuo celandum sit seni vitium virginis. *Idem.*

Nam ut hic] Quantum iracundiæ habiturus sit, quantum furoris: hoc enim significat *ut*. Et simul Poëta, quod alibi obscure facit, hic aperte demonstrat, quod periculum sit in fabula, nisi καταστροφὴ succurrat. *Idem.*

53 *Non ædepol clam me est*] Id est, scio. *Idem.*

54 *Nec qua via sententia ejus possit mutari, scio*] Nescio quo modo ex iracundo placidus fiat. *Idem.*

Sententia ejus] De puero non exponendo. *Idem.*

55 *Hoc mihi unum*] Hoc adhuc, inquit, malum non mihi evenerat, quum evenerint multa. Et vide, an *si puerum ut tollat cogit*, quasi cum gemitu et percontative pronuntiandum sit. etenim *si*, obscuram locutionem facit: nisi forte *cum*, vel *quod* significat. *Idem.*

Hoc mihi unum ex plurimis miseriis reliquum fuerat malum] Ex omnibus malis reliquum quum dicat, maximum malum significat. Nam non mediocre est, quod omnium miseriarum est ultimum, et inter mala multa reliquum, quod sic accipimus. Possumus et nos interrogative pronuntiare. *Idem.*

56 *Puerum ut tollam cogit*] Recte *tollam*. quæstio, unde sit. *Idem.*

57 *Forma in tenebris nosci non quita est*] Ab activo *queo*, passivum fecit *queor*, retinendo participium *quita est*, sed antique dixit. *Idem.*

Non quita est] Antique, pro *non potuit*. Mer. Casaubonus.

58 *Neque detractum*] Solet enim fieri. *Donatus.*

Qui] Unde. *Mer. Casaubonus.*

59 *Ipse eripuit*] Hic ad exitum spectat παρασκευὴ, quia per annulum fiet cognitio. *Donatus.*

Ipse eripuit] E contrario, inquit, factum est, ipsa ut non eriperet, sed ipsi eriperetur. *Idem.*

60 *Simul vereor Pamphilum, ne orata nostra*] Scilicet si sustulerimus, cogente sene, eum puerum, quem expositum iri Pamphilo paulo ante promisi. *Idem.*

Simul] Præterea. *Mer. Casaubonus.*

61 *Quum sciet alienum puerum tolli pro suo*] Non solum, inquit, tolli ægre feret alienum, verum etiam pro suo. *Donatus.*

Cum sciet alienum puerum tolli pro suo] Cum ratione metuit eventum, quem virtus Pamphili discutit infra IV. 4. 82. *Bœclerus.*

SCENA II. Iambici sunt octonarii acatalectici. vs. 29. omnes; *reduce.* Bœclerus.

Non clam me est, Gnate mi] *In hac scena velut qualitas negotialis in disputationem venit: justumne sit repudiari conjugem causa matris, et omnino quid fieri debeat.* Donatus.

1 *Non clam*] Vero ordine a purgatione sui incipit mater abitura: ne, quod discedit, iracundiæ videatur. *Idem.*

Tibi me esse suspectam] Id est, in suspicionem venisse. *Idem.*

Uxorem tuam propter meos mores hinc abisse] Blandius *uxorem* significat, quam si diceret *Philumenam*. Et *mores*, proprie senum dicuntur: unde ‘senectus morosa,’ et ‘morosi homines,’ qui sui cujusdam moris sunt. *Idem.*

2 *Etsi ea dissimulas sedulo*] *Ea*, id est, quæ scio: et *ea* pro *eam rem*. sed absolute occurrit supra latæ sententiæ, et genere neutro. et est ordo, Etsi ea dissimulas sedulo, non clam me est, &c. *Idem.*

Etsi ea dissimulas sedulo] Bonum et honestum ingenium Pamphili demonstrat mater hac sententia. *Bœclerus.*

3 *Verum ita me DI ament*] Conjectura, quæ solvitur jurejurando. *Donatus.*

Itaque obtingant ex te] Pro se jurat, et ita rem Pamphilo probat, ut blanda sit. *Idem.*

Itaque] Duæ partes orationis. *Id.*

4 *Numquam sciens commerui*] Bona exceptio: quia possumus aliquem inscienter lædere, quæ rès ad veniam pertinet. *Idem.*

Ut nunquam sciens] Hic ordo est jurisjurandi, ut quum proposuerit *ita*, sequatur *ut*. Cicero, ‘Ita velim mihi Deos propitios, ut quum illius temporis mihi venit in mentem,’ &c. *Idem.*

Merito ut caperet odium illa mei] Bene dixit *merito:* nam ut nos immerito quis non oderit, non est in nostra manu. hæc est exceptio. Plautus in Trinummo, ‘Quin dicant, non est: merito ut ne dicant, id est.’ *Idem.*

Merito ut caperet odium illa mei] Id enim est culpa sine merito. *Idem.*

5 *Teque antequam me*] Deest *tam.* ut sit ordo; Et quam te amare me rebar, tantum firmasti fidem ei rei. *Idem.*

Teque antequam me amare rebar, ei firmasti fidem] Ordo et sensus hic est, Et quod ante rebar, ei firmasti fidem meam: neque me fefellit, quod ante rebar, te me amare; nam ei rei hodie

firmasti fidem, id est, probationem attulisti. *Idem.*

Teque ante quam me amare rebar, ei rei firmasti fidem] Obscuritatis causa hunc versum ejecit Guyetus. Donatus ita expedit, ut dura tamen adhuc videatur locutio, nec Terentiani moris: et quam amari me rebar, i. e. et quod existimabam de tuo affectu, quam me egregie amares, *ei rei firmasti fidem.* et quam te amare me rebar, tantum firmasti fidem ei rei. Nolo referre, quæ alii comminiscuntur: non alio tamen successu, quam ut hæreat sententia, et dictio, et connexio. *Bœclerus.*

Ei rei firmasti fidem] Sed nec sic male fortasse, ut nihil desit: 'Et firmasti fidem ei rei quam ante rebar te amare.' *M. Casaubonus.*

6 *Nam mihi intus tuus pater*] Dixit enim supra, 'Atque in eam hoc omne quod mihi ægre est, evomam.' potuit enim evomendo narrasse, quod matrem filius præposuisset uxori. *Donatus.*

Tuus pater] Familiarius, quam diceret, *Laches.* Idem.

7 *Præpositam amori tuo*] Plus dixit, *amori tuo*, quam si *uxori tuæ* diceret. *Idem.*

8 *Ut apud me præmium esse positum pietatis scias*] Laborat mulier, ne quod dictura est, odio, aut dolore, aut certe ira facere videatur. *Idem.*

Præmium esse positum pietatis] Sic Virgilius, 'Hic pietatis honos, sunt hic sua præmia laudi.' *Idem.*

9 *Mi Pamphile, hoc et vobis, et meæ commodum*] Rem duram dictura, vide quantis præblanditur verbis, remque præmolliat, 'Nunc tibi me certum est contra gratiam.' *Contra* nunc vicissim. *Idem.*

Et meæ commodum famæ] Ab honesto. *Idem.*

Mi Pamphile, hoc et vobis et meæ] Principium hoc aliquid est precantis fœminæ. A blandimento ergo incipit, ut libenter audiat. *Idem.*

10 *Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre*] *Certo* dixit, ne sit dissuadendi locus. *Idem.*

Cum tuo me esse certo decrevi] Ad hoc addidit, *certo decrevi*: ut non audeat dissuadere filius. *Idem.*

11 *Ne mea præsentia*] Non dixit jam *culpa*, sed *præsentia.* Idem.

12 *Quid istuc consilii est*] Bene: quia illa *decrevi* dixerat. *Idem.*

13 *Illius*] A persona. *Idem.*

Stultitia] A causa. *Idem.*

Victa] Non enim volens. *Idem.*

Urbe] A loco. *Idem.*

Tu] A persona. *Idem.*

Habitatum] A facto. *Idem.*

Illius stultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres] Vide quam oratorie omnia congesserit, a personis, a causis, a locis, a factis. *Idem.*

Illius stultitia] Ab utili. Mire autem, et *rus*, et *ex urbe*, et *habitatum*, dixit. *Idem.*

Victa] Impulsa, adacta. *Mer. Casaubonus.*

14 *Non facies: neque sinam*] Primo, *non facies*: deinde, Si facere perseveraveris, *non sinam.* Et, *non facies*, non est interdicentis, sed quasi dicat, Scio te non facturam rem tam pravam. Sunt autem qui *neque sinam* jungant interioribus: sunt qui totum contexte legant, *non facies*, usque *modestia.* Donatus.

Ut qui nobis, mater, maledictum velit] Ab honesto. *Idem.*

15 *Mea pertinacia esse dicit factum*] Bene retinet, quum vult sua interesse ne fiat. *Idem.*

Modestia] Moderatione, facilitate. *Mer. Casaubonus.*

16 *Tum tuas amicas te*] In dissuadendo commiscuit et honestatem et utilitatem. *Donatus.*

Tum tuas amicas te et cognatas deser.] Fortius hanc φαντασίαν Catullus movet carmine LXIV. 'Egone a mea remota hæc ferar in nemora domo? Patria, bonis amicis, genitoribus abero? Abero foro, palæstra, stadio et gymnasiis?' *Bœclerus.*

Tuas amicas te, et cognatas deserere] Quæ vitam urbanam, ut in re lauta, omnes amplectuntur. hinc, 'Ab hominibus relegati,' Ciceroni III. de Off. dicuntur, qui ruri habitare coguntur. *Mer. Casaubonus.*

Et festos dies] Tum enim præcipue convivia et compotationes: unde Plaut. 'Festo die si quid prodegeris, Profesto egere liceat, nisi peperceris.' nisi *charistia* quæ vocabant, proprie intellexerit; de quibus Ovid. 'Proxima cognati dixere charistia chari: Et venit ad socios turba propinqua Deos.' de quibus plura doctiss. Kindanbr. hic. *Idem.*

17 *Mea causa nolo*] Non est superbum *nolo*: sed consuetudine dicitur. *Donatus.*

Nihil jam mihi istæc res] Contra omnia. Et ab ultimis incipit. *Idem.*

Istæc res] Amicæ, cognatæ, dies festi. *Idem.*

18 *Dum ætatis tempus tulit*] *Tulit*, pro passum est, permisit. et in bonis enim, et in malis dicitur. *Idem.*

Dum ætatis tempus tulit, perfuncta satis sum] Si, inquit, meæ voluptatis causa exercenda sunt, jam non delectant: si officii ac religionis, jam non possum, quæ sim anus. Necessaria divisio: quia ille et religionem incusserat festorum dierum. *Idem.*

Dum ætatis tempus tulit] Non, inquit, reprehendat, quæ quum potuerim, perfuncta satis sum. Sic Virgilius, 'Sat patriæ Priamoque datum.' *Idem.*

Satias me jam tenet] Nimis materne atque aniliter. *Idem.*

19 *Hæc mihi nunc cura est maxuma*] Hoc nimis serio pronuntiandum. et *ne cui* odiose, ne *tibi* diceret. *Idem.*

Ut ne cui meæ longinquitas ætatis obstet] Hoc ad nurum, exspectationem ad filium refert. hinc enim odio digni parentes, *exspectati* appellantur. *Idem.*

20 *Longinquitas ætatis obstet, mortemve exspectet meam*] Quum sedulo agat socrus, ne quid per iracundiam statuisse videatur. Vide tamen ut intermisceatur indignatio, et multa dolore deprompta sint: quod Poëta non invitus facit, ad mores exprimendos, personasque reddendas. *Idem.*

Longinquitas ætatis] Longitudo, diuturnitas. *Mer. Casaubonus.*

3 *Mortemve exspectet meam*] In aliis *exoptet*; sed glossema est. *Faber.*

Exoptet] Alii *exspectet*, quod puto verius: sed eadem sententia. *Mer. Casaubonus.*

21 *Hic video me esse invisam immerito*] Quia rus decrevi pergere: non quasi nurum vitatura, sed locum. Et mire *invisam*, et non addidit cui: sed dixit, *tempus est concedere.* Quia anus sum? an quia nurus in domo? *Donatus.*

22 *Omnes causas præcidam omnibus*] Bene *omnibus*: ne specialiter læsisset nurum. Et generaliter dixit. *Idem.*

23 *Et illis morem gessero*] Mire *illis* non *nurui.* Et *morem gessero*, acriter dictum ut ostendat, hoc illos olim voluisse, ut expelleretur domo. ut si dicas, inimicum tibi morem gessisse, quod se suspenderet. *Idem.*

Morem gessero] Obsequens, indulgens fuero. *Mer. Casaubonus.*

24 *Sine me obsecro effugere*] Quia dixerat maritus ejus, 'Omnes socrus oderunt nurus.' *Donatus.*

Sine me obsecro hoc effugere] Potentissimum est ad extorquendum aliquod argumentum, quum illis quibus chari esse debemus, nostra causa potius, quam illorum, dicimus velle nos, aut nolle quod facimus. Nam et Pamphilus supra sic dixit, 'Non facies, neque sinam.' *Idem.*

Quod male audit] Supra dixit ab honesto. *Idem.*

Quod] Propter quod, ut alibi non semel. *Mer. Casaubonus.*

25 *Absque una hac foret*] *Absque* extra: ut sit adverbium magis, quam

præpositio. et *una, res* subaudienda. Et totum ἐν ὑποκρίσει, statimque jungendum, ' Hanc matrem habet talem, illam autem uxorem.' Vel certe, *absque foret*, pro abesset. Alii *hac* de uxore dici putant, ut *absque* sit præpositio. *Donatus.*

Absque una hac foret] Vide Phorm. act. I. sc. 4. sed aliæ edit. *Absque una hac foret:* ut τὸ *absque* sit adverb. non præpositio: q. d. hæc una res si abesset, aut, extra foret. Don. utriusque lectionis meminit. *Mer. Casaubonus.*

27 *Non tute incommodam rem, ut quæque est, in animum inducas pati*] Horat. ' Durum, sed levius fit patientia, Quidquid corrigere est nefas.' *Donatus.*

In animum inducas pati] Ita omnes quas vidi edit. claudunt hic sententiam, sed, ut arbitror, perperam. Id enim dicit: Obsecro te, mi Pamphile, non tu ita sponte tua animatus es, ut si quid tibi contra animi tui sententiam accidat, id æquo patiaris animo; dum certe reputas, alia esse, plura, et majora, quæ tibi pro voto succedant. Hoc certe est, quod passim ethnici inculcant Philosophi; quodque Græci vulgatissima ista (qua Cic. non semel utitur) sententia jactant, Ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδε ἀπωθοῦνται λόγον. Apud Virgil. autem, ' Fatis contraria fata rependere.' Ita igitur solum hunc locum distinguendum censeo: *Obsecro mi Pam. Non tute incomm. rem, ut quæque est, in an. ind. pati, Si cetera sunt ita, ut tu vis, itaque ut esse illam existumo?* per interrogationem, scil. Pamphilus enim cetera laudabat uxorem, ut optimam: hoc unum erat quod illi vitio verteret, quod ad mores socrus suæ, mores suos componere non poterat. *Mer. Casaubonus.*

28 *Si cetera sunt*] Bene *cetera*, absque uno dicenti. *Donatus.*

Itaque ut esse ego illam existimo] Quia potuit dici ei, *o socrus*, ergo dubitas de integritate nurus: addidit, ' Itaque ut esse ego illam existimo.' *Idem.*

Itaque ut esse ego illam existimo] Redit flexu prono, oratorie, ad Philumenæ excusationem; estque hic aditus ad preces de reducenda ea. *Bœclerus.*

29 *Da veniam hanc mihi*] *Mihi*, propter quam putas non reducendam. *Donatus.*

Da veniam hanc mihi] Concede hoc mihi, ut Cornelius Nepos sæpe loquitur. Ita et Adelph. act. v. sc. 8. *Mer. Casaubonus.*

Væ misero mihi] Nec negat, nec promittit: sed intumescit, utpote qui penitus dolore commotus, æstum animi dissimulare jam non potest. *Donatus.*

Væ misero mihi] Nihil potuit pro rerum qualitate respondere, nisi ut ingemisceret. *Idem.*

30 *Et mihi quidem*] Ἄχθος. quid enim, *Et mihi?* an ei? multa sic in usu nostro sunt. *Idem.*

Nam hæc res non minus] Hic in lacrimas solvitur Sostrata, quæ orationem absorbent. *Bœclerus.*

SCENA III. Scena satura est Iambicis Octonariis et Trochaicis Septenariis, senario et dimetro Iambicis constans.

Guyetus egregiam in hac scena explicanda operam navavit. *Bœclerus.*

1 *Quem cum istoc sermonem habueris*] *In hoc colloquio reconciliatio senum est post jurgium, mista disputatione Pamphili de non reducenda.* Donatus.

Procul hinc stans] Scribendum *procul hic stans;* nam *procul*, hoc quidem loco, est prope, ut apud Virgilium, 'Serta procul,' &c. Idem in Æneide. ' Terra procul vastis,' &c. id est, non longe. Vide interpretes, et eos etiam, qui ad Plautum scripserunt. Si legeris *hinc*, tum *procul* significarit, longe; quod falsum: neque enim longe erat Laches, cum verba uxoris accepit. *Faber.*

Procul] *Procul*, nunc prope. *Donat.*

Procul] Τὸ *procul*, pro *prope*, antiquis usitatum fuisse, notant Grammatici. *M. Casaubonus.*

Hinc stans accepi, uxor] *Accepi*, audivi. Et modo *uxor*, ante *mulier:* et de uxore, *DI mala prohibeant*. Donatus.

Istuc est sapere] Τὸ *istuc*, exceptive dictum: quasi cetera stulte fecerit. et simul stomachum retinet, quo reprehendat cetera. *Idem.*

Istuc est sapere, qui, ubicunque opus sit, animum possis flectere] Id est, quomodo, vel ut. post τὸ *flectere*, semicolon, quod in quibusdam edit. reperio, rectum puto. Duo enim videtur dicere, quæ tamen eodem recidunt: nempe in eo veram sapientiam præcipue versari, ut ubic. opus sit, animum possis flectere, et quod faciendum tibi fortasse sit postea ingratiis, id si voluntate tua (ut alibi loquitur) prius quam cogat necessitas, feceris. *Mer. Casaubonus.*

Qui ubicunque opus sit] *Qui* pro *quæ*, interdum abundat. *Donatus.*

Animum possis flectere] Modo non alienum animum, sed suum flectere. et unde flectere? a jurgio ad modestiam, ex concessione ex domo. *Idem.*

Animum flectere] Ad hoc *flectere animum* dixit, ut ostenderet, ne nunc quidem purgatam apud se Sostratam de præterita culpa. *Idem.*

3 *Quod faciundum sit post fortasse*] Hæc etiam sententia videri potest generalis: et deest *ad id:* ut sit flectere ad id quod faciundum. Potest et absolute accipi *quod*, pro, quæ res facienda sit. *Idem.*

Quod faciundum sit post fortasse] Id est, concedendum. et vim necessitatis hoc verbum exprimit. *Idem.*

Quod faciundum, &c.] Possit hic versus aliter scribi. Vide Faërn. *Fab.*

4 *Fors fuat pol*] Fortuna faveat: quasi τῷ εὐφημισμῷ adversus triste dictum usa est: nam Fors fortuna bona est. Et *fuat, sit* significat. dixerat enim ille, *Quod faciundum sit fortasse.* Donatus.

Fors fuat pol] Id est, bona eveniat. quasi τῷ εὐφημισμῷ dicat, Bona dicito potius. An bona fortuna sit per Pollucem? *Idem.*

Abi rus] Hortantis est ad celeritatem. Virgilius: ' Ergo age, chare pater, cervici imponere nostræ.' *Id.*

Ibi ego te, et tu me feres] Non dixit, Ibi nos invicem delectabimus: sed quia senex atque anus est, *Ego te, et tu me feres*, dixit. Et simul, quia nuper incusaverat mores senum, revocare vult causam abscessionis suæ et ad filii culpam aut nurus. *Idem.*

Ibi ego te, et tu me feres] Aut quia noti inter nos sunt mores nostri: aut quia utrique una ætas est. Et sic pronuntia, quasi hoc ipsum necessitate decernat senex, cum dicit, *abi rus*. Ergo hinc; *Ibi ego te, et tu me feres*, ipsa pronuntiatio querelam continet de filiis et senectute. *Idem.*

5 *Spero ecastor*] Mire non confirmavit mulier, sed sperare se dixit, memor jurgii pristini, et senilis amaritudinis: maxime quod et ille non dixit, Ibi nobis jucunde erit: sed, *Ibi ego te, et tu me feres.* Idem.

I ergo intro, et compone quæ simul tecum ferantur] Κωμικῷ χαρακτῆρι, et usu quotidiano, satisque moraliter: quia ' Mulieres dum moliuntur, et dum comuntur, annus est.' *Idem.*

6 *Dixi*] Denuntiatio est confirmandæ sententiæ, nec mutandæ: et translata est de foro et causidicis. Cic. ' Præco dixisse pronuntiat.' *Id.*

Dixi] Hoc verbum in fine additum superiora confirmat: et est proprium his, qui peroraverunt causam. *Idem.*

Dixi] Vide Phorm. act. I. sc. 2. *Mer. Casaubonus.*

Pater] Ipsum nomen dehortationem significat, adjecta pronuntiatione. *Donatus.*

Pater] Sic pronuntia, ut hoc vultuose dictum sit, ' Hinc abire matrem.' *Idem.*

7 *Quid vis, Pamphile*] Facete præsto *quid vis*, respondit. *Idem.*

Quid vis, Pamphile] Versus est trochaicus tetrameter acatalecticus, ut et sequens. *Faërnus.*

Quid ita istuc vis] Rem supra audivit et personam: nunc causam quærit. quasi dicat, *Esto ut nolis: quid tantopere non vis?* Donatus.

8 *Incertus sum etiam quid sim facturus*] Non, *quid faciam*, dixit: sed *quid sim facturus:* ut incerta molimina etiam verbis posset ostendere. *Idem.*

Quid est] Et, *quid ita istuc vis*, et *quid est*, eo vultu pronuntiantur, ut consilium ejus et verba videatur contemnere pater. *Idem.*

9 *Quid vis facere, nisi reducere*] Sic loquitur Laches, ut aliud Pamphilus respondere non audeat. et ideo dicit, *Equidem cupio, et vix contineor:* ut reducam scilicet. Adeo magna causa est non reducendi ut cum velim, non possim. *Idem.*

Equidem cupio, et vix contineor] Donatus: Ut reducam sc. at Guyetus, Vix contineo me, quin partum Philumenæ aperiam. *Bœclerus.*

10 *Sed non minuam meum consilium*] Caute satis, reducendi inquit cupiditas est, non reducendi consilium. *Donatus.*

Id persequar] Non *sequar*, sed *persequar* ait, ut constantiam demonstraret. *Idem.*

11 *Credo ea gratia concordes magis*] Sententiose dixit, nunc posse inter se congruere et concordare mulieres, quum et illa esse desierit socrus, et illa nurus. hæc enim inter illas est dissidiosa conjunctio. Et satis ingeniose dictum. Tolle enim inter mulieres proximitatem, et nulla causa discordiæ est. *Idem.*

Concordes magis] Non 'magis concordes,' verum pro minus discordibus dixit. an ut serviret sententiæ? *Idem.*

Credo, si non reducam, ea gratia concordes magi' fore] Credo si non ostendam me cupidum, et exspectem dum illa cupiat, et parentes offerant; eo magis in posterum fore obsequentem matri, &c. Don. aliter: sed hoc verius puto. *Mer. Casaubonus.*

12 *Nescias*] Utrum concordes futuræ sint, an discordes. *Donatus.*

Verum id tua refert nihil] Hoc verbum ex aliqua parte confirmantis est et consentientis. *Idem.*

Utrum illæ fecerint] Utrum consentientes sint, aut dissentientes. *Id.*

Utrum] Unum de duobus significat. *Idem.*

Utrum illæ fecerint] Utrum ab ipsis, et earum consilio fuerit (matre scil. et filia:) quod redeat: quod tu tibi polliceris, si ipse reducere non festines: et inde, fore eas magis concordes in posterum. *Mer. Casaubonus.*

13 *Quando hæc abierit*] Absente matre tua, non est quod sollicitus sis de earum concordia. *Idem.*

Odiosa hæc est ætas adolescentulis] Supra in personam socrus culpam iratus contulerat discordiæ: nunc et uxori placatus, et nurui parcens, odiorum causam a personis transtulit ad ætates: sed ita tamen, ut magis juniores accusaret, ei de adolescentibus questus, quum miseratur senes. *Donatus.*

Odiosa hæc est ætas] *Hæc* cum gemitu pronuntiandum est. *Idem.*

14 *E medio æquum est excedere*] Utrum ex urbe rus, an ex vita in mortem. Et satis moraliter. nam in *medio stare* dicitur supervacuus vel molestus. Et cum stomacho dixit senili. *Idem.*

Postremo jam nos fabulæ Sumu', Pamphile, senex, atque anus] Quotquot habui familiares, et queis ego Terentium ab hinc triginta annis explicavi, sciunt illi, et in commentariolis suis notarunt, me semper legisse, *fabula*. Gall. dicas: *Nous sommes tous deux bons a faire la matiere d'une fable, d'un conte: il y avoit un jour un bon homme et une bonne femme.* risi et gavisus sum modo, idem a Guyeto scriptum fuisse, cujus liber Argentorati prodiit anno 1657. non prius. *Faber.*

15 *Senex atque anus*] Hæc duo nomina, ut posita sunt, caput indicant et inceptionem hujusmodi fabularum. *Donatus.*

Sumu', senex atque anus] Per. 'Cinis et manes et fabula fies.' Donatus putat alludi ad veterem fabulam, quæ ut plurimum ab his verbis, *senex atque anus*, incipiebant. Ita certe etiam in Plauto, nescio quis exorditur apologum; 'Fuit olim quasi ego sum senex,' &c. *Mer. Casaubonus.*

Jam nos fabulæ sumus, senex atque anus] Pronuntia *senex atque anus*, quasi initium fabulæ. τῷ ἰδιωτισμῷ additum, *Pamphile.* Donatus.

16 *Per tempus*] *Opportune*, ut mox. *Mer. Casaubonus.*

Scena iv. Senariis constat scena. *Bœclerus.*

Tibi quoque ædepol] *In hac scena ultimus error est vicinus καταστροφῇ. Donatus.*

1 *Tibi quoque ædepol sum iratus*] Quasi dicat, Non solum matri tuæ, aut etiam socrui tuæ. *Idem.*

Tibi quoque ædepol] Recte: nam et amicos incusamus leniter incipientes, et graviora inferentes. Hanc ergo partus causa leniter incusat: deinde confirmat, inferendo, *graviter quidem.* et statim causam subjungit, cur quidem ei irascatur. *Idem.*

2 *Factum est turpiter*] Quod abscesserit domo mariti. *Idem.*

3 *Etsi tibi causa est de hac re*] *Causam* more suo pro defensione posuit. Sic in Phormione, 'Quid mihi dicent, aut quam causam reperient, demiror.' Et quæ causa fuerit, ipse dicit. *Idem.*

Causa] Πρόφασις, quo excuses te. *Mer. Casaubonus.*

Mater te impulit] *Mater te impulit*, absolute: deest enim *nam.* ut sit, Nam mater te impulit. *Donatus.*

Mater te impulit] Qualitas remotiva. *Idem.*

4 *Huic vero*] Ipsi matri scilicet. *Idem.*

Opportune te mihi Phidippe in ipso tempore] Utrum ταυτολογία est? an *opportune*, quia volebam: et in tempore, quomodo volebam? an, *opportune*, mihi: *in ipso tempore* tibi, id est, et mihi et tibi commode evenisti. *Idem.*

5 *In ipso tempore ostendis*] Ostenditur nobis id quod quærebamus. *Opportune*, et *in ipso tempore*, non est idem. Etenim *opportune* dicimus, quum, verbi gratia, invitati ad ipsum tempus incipientis prandii venimus: *in ipso tempore*, cum jam prandio apposito. *Idem.*

6 *Quo pacto hoc aperiam*] In aliis, *operiam;* et verum est. *Faber.*

Aut quo pacto hoc aperiam] Hoc modo ostendit, nec esse quod simulet, nec id quod verum est, dicendum sibi esse. *Donatus.*

7 *Dic filiæ rus concessuram Sostratam*] Blande non addidit *tua:* quasi dicat communi filiæ. Et bene, non socrum, sed Sostratam. *Idem.*

8 *Ne revereatur*] Bene *revereatur:* ne odisse Sostratam, sed metuere videatur: et quasi ipsa socrus non odium meruerit, sed reverentiam. *Idem.*

Minus jam quo redeat domum] Τμῆσις cum ἀναστροφῇ. ut sit ordo, Quo minus redeat. *Idem.*

9 *Nullam de his rebus culpam*] Relatio criminis potest videri. *Idem.*

Tua] Deest *uxor:* quod nomen inferius posuit. *Idem.*

Tua] Cum percussione audiendum est, ut subaudiatur *uxor*, ab eo quod dicturus est, uxore. *Idem.*

11 *Mutatio fit*] Mutationem, suspicionem dicit, erroremque jurgantium. *Idem.*

Mutatio] Deest quarum rerum mutatio. ergo mutatio criminum aut culparum. *Idem.*

Mutatio sit] Criminis scilicet et peccati. id est, vel mea uxor crimen tuæ sustinet: vel tua ad meam trans-

lata est culpam. *Idem.*

Mutatio fit: ea nos perturbat, Laches] Quod in Donato additur; 'Ea, non,' &c. ineptum est et Terentio indignum. quæ præcedunt non male se habent: mutatio fit criminis scilicet et culpæ, quando culpa non amplius in tua domo hærere cognoscitur, sed in mea. non enim a tua sed mea uxore exorta sunt omnia. hæc mutatio nos jam perturbat. Phidippus hæc loquitur, perturbationem animi vultu præferens. Fr. Guyetus delet hunc versum. At Priscianus adducit lib. VII. *Bœclerus.*

Mutatio fit] Commutatio, conversio rerum, *καταστροφή*. *M. Casaubonus.*

Ea nos perturbat, Laches] *Ea*: non ea mutatio, sed uxor, hoc est, Myrrhina. *Donatus.*

12 *Dum ne reducam, turbent porro*] Quomodo est pius erga matrem Pamphilus, si parvi facit, utrum socrus sua perturbetur? an mater a senibus? Solvitur sic: quia *quam* non est generis fœminini, sed est *quantum*. *Turbent*, erreut et tumultuentur significat, vel turbentur. *Idem.*

Turbent porro quam velint] Quantum velint; aut eam, quam velint, mulierem: sed melius est quod supra diximus. *Idem.*

Quam] Quantum. *Mer. Casaubonus.*

13 *Ego, Pamphile*] Hoc pronomen initium continet orationis graviter inceptæ: ut, 'Ego postquam emi te a parvulo.' *Donatus.*

Ego Pamphile, esse inter nos, &c.] Nihil verius Guyeti sententia: Lache, hic legendum esse, non Pamphile. Illud, *si fieri potest*, Donatus ad supercilium soceri refert, non sustinentis rogare generum. quod sic quoque stare potest; i. e. potest tamen intelligi Pamphilus, licet ad eum sermo non dirigatur. hoc sensu: si fieri potest per contumaciam Pamphili, de qua actus præcedentis scena ultima. *Bœclerus.*

Si fieri potest] Interposuit, ut supercilium soceri demonstraret. *Donatus.*

Si fieri potest] Recte additum, *si fieri potest*: quia non convenit rogari a socero generum, ut supra dixit. *Idem.*

14 *Hanc sane perpetuam volo*] Jam enim est confirmata: sed perpetuam cupit. *Idem.*

15 *Sin est, ut aliter tua siet sententia*] Τῷ εὐφημισμῷ vitavit illud quod est ominosum, ne dissidium diceret. ut Virgilius, 'Gravior ne nuncius aures Verberet.' *Idem.*

16 *Accipias puerum*] Jure, quia liberi patrem sequuntur. Et mire hoc maxime adjecit, quod maxime recusat Pamphilus: et propter quod uxor quoque non reducitur. Et *accipias*, pro accipe: ut *quiescas*, pro quiesce. *Idem.*

Accipias puerum] Donatus: 'Jure, quia liberi patrem sequuntur.' Hoc jus postea agnoscit Laches vs. 46. et sequentibus, tanquam indubitabile et translatitium. adde vs. 77. et seq. ubi nec Pamphilus invenit, quod opponat auctoritati hujus juris. Quod enim opponi poterat, alienum scilicet puerum, et ex Pamphilo natum non esse, id vero summo studio celandum fuit. Alias hæc quæstio fuisset: 'Si divortium vis, alere filium debes ex te natum.' responderet Pamphilus: 'Non est meus, sive ex me natus.' controversia: 'An sit Pamphili filius, qui ex Philumena natus est.' Nunc autem fidem de silentio promisso, servandam sibi duxit Pamphilus. Manet ergo hic quæstio, ad quem, divortio facto, pertineat, alere liberos. de qua re quid Imperatores Romani constituerint, vide l. Un. C. Divort. Fact. l. III. Cod. de Alend. lib. Novell. CXVII. c.7. Hoc interim ad artem Poëtæ pertineat, ne absolvatur hæc controversia; neque de divortio ut plane facto, sed futuro agatur: nisi catastrophe in tempore

subvenisset. *Bœclerus.*

Sensit peperisse. occidi] Hoc maxime inopinatum est Pamphilo: quia socrus promiserat omnes ignoraturos. *Donatus.*

Sensit] Proprie sic. *Idem.*

17 *Puerum! quem puerum*] Moraliter primo dubitat quid audierit: deinde quasi certus quid audierit, admiratur, dicendo, *quem puerum?* Idem.

Puerum! quem puerum] Bene cum consternatione animi: quod nunquam fando acceperat. *Idem.*

Natus est nobis] Bene, quia ambo avi. *Idem.*

18 *Nam abducta a nobis*] Bene, non *abierat*, sed *abducta fuerat*: ut magis sit culpa matris. *Idem.*

A vobis] Pro, a Pamphilo. *Idem.*

Nam abducta a vobis prægnans fuerat] Hoc totum cum indignatione in uxorem pronuntiandum est. *Idem.*

19 *Neque fuisse prægnantem*] Prægnans est ante gnatum, vel ante genetricem: est enim *præ*, ante. *Idem.*

20 *Bene, ita me Di ament*] Agit gratias nuntianti: gratulatur ob susceptum nepotem: gaudet liberatam nurum. *Idem.*

21 *Natum illum, et tibi illam salvam*] Proprium affectum refert, sibi nepotem, illi filiam esse servatam. *Idem.*

Et tibi illam salvam] Recte *tibi*, quia pater puerperæ est cui dicit. *Idem.*

Sed quid mulieris uxorem habes] *Quid mulieris*, dixit: ne diceret, qualem mulierem, aut aliquid gravius. Et totum percunctative potius, quam pronuntiaret, et diceret, Pessimam mulierem, et male moratam uxorem habes. Et reprehensio est cum contemptu. sic et, 'Quid hominis?' ut Virgilius, 'Tu mihi quodcunque hoc regni.' Ac contra cum honore sic dicimus, 'Quem hominem habes?' *Idem.*

Quid mulieris] Qualem; quod genus? ut Heaut. act. IV. sc. 7. 'Quæso, quid hominis es?' *Mer. Casaubonus.*

22 *Moratam*] Id est, institutam. et est participium sine verbo. *Donatus.*

23 *Nosne hoc celatos*] Non partum celatos dicit: sed prægnantem filiam fuisse. *Idem.*

Nequeo satis, &c. proloqui] Magna exaggeratio. *Idem.*

24 *Quam hoc mihi videtur factum prave*] Totum modeste, quamvis indignetur: quia apud maritum uxor non est vehementius accusanda. *Id.*

Quam hoc mihi] Quod prægnans fuerit filia: non quod natus est puer. *Idem.*

25 *Non tibi illud factum minus placet quam mihi, Laches*] Non possum mihi persuadere sic scriptum a Terentio fuisse; conjicio legendum: *Quam tibi illud factum minus placet, tam mihi, Laches.* Dactylus in prima fuerit, nam *illud* primam olim communem habebat. Guyetus sic, *Non mihi factum illud mage placet quam tibi, Laches.* Faber.

Non tibi illud factum minus placet, quam mihi, Laches] Utrum quia minus et magis, quoniam sequitur * an εἰρωνεία est? ut sit ordo, Non minus mihi placet, quam tibi. Et *placet*, pro displicet intelligamus: ut alibi: 'Nunc me hospitem lites sequi, quam hic mihi sit facile atque utile, aliorum exempla commonent.' *Donatus.*

Non tibi illud factum] Sub εἰρωνείᾳ est dictum. hoc enim ait, Tantundem tibi placet hoc factum, quam mihi. Alibi, 'Nunc me hospitem lites sequi,' &c. *Idem.*

26 *Etsi jam dudum fuerat ambiguum hoc mihi, Nunc non est*] Etsi antea de reducenda, vel non, uxore dubius animi eram, (vel, fuissem) quid statuerem; nunc non sum. certum est, non reducere, cum, &c. *Mer. Casaubonus.*

27 *Quum eam consequitur alienus*

puer] *Alienus*, quod senes gratulantur, id maxime lædit Pamphilum. *Donatus.*

Consequitur alienus puer] Μεταφορὰ a pecoribus, quæ ut mox nata fuerint, matres sequuntur. Virgilius, 'Atque ipsæ memores redeunt in tecta, suosque Deducunt.' *Idem.*

28 *Nulla tibi Pamphile hic jam consultatio est*] De reducenda scilicet uxore. *Idem.*

29 *Perii*] Hoc sibi ipse Pamphilus dicit. *Idem.*

30 *Cum ex te esset aliquis qui te appellaret patrem*] Bene hoc putavit, quod Pamphilo non videtur: hoc est, ex illo esse quod natum est. *Idem.*

31 *Evenit*] Proprie *evenit.* ideo et 'bonorum eventus' dicitur. *Idem.*

Nullus sum] Ipse sibi iterum hoc. ulterius est, quam *perii:* quia quum aliquis perit, reliquum vel cadaver est. *Idem.*

32 *Ac noli adversari mihi*] Causam interposuit senex, quo magis facere filius non recuset. *Idem.*

Si ex me illa liberos vellet sibi] Ut apparet, tantum commentus est causam. *Idem.*

Si ex me illa liberos vellet sibi] Nactus est Pamphilus ex verbis senis causam aliam dissidii. *Idem.*

34 *Aut se esse mecum nuptam*] Vetuste *mecum nuptam*, dixit. Et recte: quia partus confirmat nuptias. Et melius, *nuptam mecum:* quasi tectam et opertam uno cubiculo mecum. *Nubere* enim, est operiri tegique: unde et *nubes*, quod tegere solent cœlum, dicuntur. Virgilius, 'Arsurasque comas obnubit amictu.' *Idem.*

35 *Non me clam haberet*] Id est, non tacuisset, partumque celasset. *Idem.*

Quod celasse intelligo] Non dixit, natum filium: ne interposito affectu molliretur iratus. *Idem.*

36 *Nunc quum ejus alienum esse a me animum sentiam*] A præsenti tempore. *Idem.*

37 *Nec conventurum*] A futuro. *Id.*

38 *Quamobrem reducam*] Firmior conclusio facta est per interrogationem, quam si esset pronuntiativa. *Idem.*

Mater quod suasit sua] A derivatione causæ defensio: et præterea status est venialis, ab imprudentia descendens. *Idem.*

Sua] Pro *ejus:* ut, 'Namque suam patriam antiquam cinis ater habebat.' *Idem.*

39 *Adolescens mulier fecit*] Multa dixit: et *mater sua*, et *adolescens mulier.* et quasi docet hoc exemplo, parendum patri esse. *Idem.*

Adolescens mulier] Supra, 'etsi tibi' Philumena (adolescenti mulieri) 'causa est de hac re, mater te impulit.' *Mer. Casaubonus.*

Mirandumne id est] Bene *mirandum*, non *irascendum*, dixit. Miramur enim magis si amici peccaverint, quam irascimur. *Donatus.*

40 *Reperire ullam mulierem*] Quasi dicat, si hanc repudiaveris. *Idem.*

41 *An quia non delinquunt viri*] Εἰρωνείᾳ dictum: non enim non delinquunt. *Idem.*

An quia non delinquunt viri] Si nec ipsi viri sunt immunes a culpa, quanto magis ferendæ mulieres? *Mer. Casaubonus.*

42 *Vosmet videte jam, Laches, et tu Pamphile*] Nec rogare socerum, nec interesse convenit, ubi certior sit ad repudiandum gener. *Donatus.*

Vosmet videte jam, Laches] Virgil. 'Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti.' *Idem.*

43 *Remissam opus sit vobis, an reductam domum*] In veris codicibus sic est, *Remissan', an reducta:* ut sit *Remissane, an reducta.* Idem.

Remissam opus sit vobis] Donatus habet: *Remissam opus sit vobis an reductam.* Sed corrigit, et in veris codicibus sic esse ait: *Remissan' opus sit vobis an reducta.* ut sit, *Remissane an reducta.* Recte. Argentoratensis codex itidem vitiose: *Remissam an opus est vobis reductam domum.* sequenti versu Donatum merito refutat Guyetus. *Bœclerus.*

Remissam opu' sit vobis an reductam domum] Opus hanc rem, et, opus hac re, utrumque legitimum. Sed Don. magis probat illorum codicum lectionem, qui habent, *Remissan'* (i. e. remissane) *opu' sit vobis, an reducta domum:* id autem dicit: Videte vos, an malitis exspectare, dum illa remittatur a nobis, (quo pertinet illud act. III. sc. 5. 'Ita nunc is sibi supplicaturum me putat?') an ipsi reducatis. *Mer. Casaubonus.*

44 *Uxor quid faciat, in manu non est mea*] Ordo, Uxor mea quid faciat, in manu non est: deest *ejus.* ut sit, in manu ejus non est: sed in mea potestate positum est. *Donatus.*

In manu non est] Uxoris scilicet. Et est ordo, Uxor mea quid faciat, in manu ejus non est. *Idem.*

45 *Neutra in re vobis difficultas*] Promittit facilitatem suam: ut tamen uxor roganda sit. An aliter, et ut supra annotavimus. *Idem.*

46 *Sed quid faciemus puero*] 'Quid me fiet,' et 'Quid fiet mihi' dicitur. *Idem.*

Sed quid faciemus puero] Qui utique quicquid erit, patri reddendus est. *Idem.*

Ridicule rogas] *Ridicule*, vel adverbium esse potest, vel nomen: si nomen est, subdistingue *ridicule:* et sic interroga, cum vi pronuntiationis. *Id.*

47 *Huic reddas*] Pamphilo scilicet. *Idem.*

Huic suum reddas scilicet] Sic dixit, *Huic suum*, et *reddas;* quasi reposcat Pamphilus. Et non subjunxit, *ut alat*, sed, *ut alamus:* ut sua quoque interesse monstraret. *Idem.*

48 *Ut alamus nostrum*] Scilicet Pamphili filium, nepotem meum, utrumque nostrum. *Idem.*

Quem ipse neglexit] Si *ipse* legeris,

clare dictum est: si *ipsa*, lenius est, et videbitur senex ob murmurationem ejus intellexisse, quod nolit puerum tolli: et ideo adpositum, *Quid dixti? eho! an non alemus, Pamphile?* Idem.

Quem ipse neglexit] Legitur et *ipsa*, et hoc est melius: ut sit *pater* vocativus casus. *Idem.*

Quem ipsa neglexit, pater, ego alam] Hic sibi obmurmurans, vultu et verbis ostendit nolle suscipere filium. *Idem.*

Quem ipsa neglexit pater] Recte Donatus τὸ *ipsa* præfert τῷ *ipse:* in eo autem nugatur, quod non vidit, τὸ *ipse* nullo modo stare posse. quod et Faërnus animadvertere debuit. quid enim sibi hoc vellet? *quem ipse pater neglexit.* an Pamphilus prodit hic secretum, et alium filii patrem nominat? nihil magis ab argumento alienum, aut iis, quæ sequuntur, adversum. si hoc voluisset Pamphilus enuntiare, plane alius esset factus status fabulæ, neque ad illud periculum res pervenisset, ex parte Pamphili, quod videmus a poëta signari, et ad καταστροφὴν maturandam intendi. 'Omnia' enim 'facit poëta, ne aut rem palam faciat, aut intercedat divortium,' ut recte Donatus. At enim, inquit Faërnus, hoc non est satis causæ, ut filium suum abjiciat Pamphilus, quod sit a matre neglectus. Equidem Pamphilus nolebat hanc disputationem ingredi; sed satis habuit, si ad declinandam omnem juris disceptationem, injiceret hic suspicionem majoris alienationis ac dissidii, ex tam contumaci et incredibili dissimulatione, sicut ipse explicat. *Bœclerus.*

Ipsa] Mater scil. quem mater ipsa celatum voluit infra, act. V. sc. 1. 'Sin autem est ob eam rem iratus gnatus, Quod peperit uxor clam.' *M. Casaubonus.*

Quem ipse neglexit pater, ego alam] Hæc ita dicuntur a Pamphilo, ut a

Lachete non satis audiantur. *Faber.*

49 *An non alemus, Pamphile*] Quod faciendum sit, a contrario vult senex pronuntiatione demonstrare, quod scelus sit non fecisse. *Donatus.*

50 *Prodemus quæso potius*] Deseremus, projiciemus, porro dabimus. Virgilius, 'Unius ob iram Prodimur.' Nam a quo defendendi sumus, si nos deserit pater? *Idem.*

51 *Enimvero prorsus jam tacere*] Multa reticentia de filiorum vitiis, et defensione quoque apud soceros uti parentes, sæpe Terentius demonstravit, et præcipue in Andria, quum dicit, 'Ego illud sedulo negare factum, ille instat factum.' *Idem.*

Jam tacere non queo] Quamvis tacendum sit. *Idem.*

52 *Ut præsente hoc loquar*] Ostendit Poëta, affectu ulterius, quam decet, provehi senem, sed cum confessione morata, quæ patris officium in tegendis apud alios filiorum erratis declararet. adde vs. 90. *Bœclerus.*

53 *Ignarum censes tuarum lachrumarum esse me*] Conjectura quod amet meretricem Pamphilus. *Donatus.*

Ignarum tuarum lachrumarum esse me] Apparet illum a Sostrata hoc audivisse, nam ipsa filium reprehenderat flentem. *Idem.*

Ignarum censes tuarum lacrim.] Quas non ipse sed Sostrata deprehenderat. *Bœclerus.*

54 *Sollicitere*] Perturberis, commoveare. *Donatus.*

Ad hunc modum] Id est, immoderate. *Idem.*

55 *Primum, hanc ubi dixti causam*] A summo ad imum. *Idem.*

Nactus alteram es] *Nancisci* proprie dicitur qui paratus ad tenendum, antequam possit reperire quod teneat, statim, quod occurrerit, prehendit. *Idem.*

61 *Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum*] Mire est temporis invectio: Et *Aliquando tandem ut adjungas*, deest *fac:* sed plenum pronuntiatione est. *Idem.*

Huc] Ad uxorem. *Mer. Casaubon.*

62 *Quam longum spacium*] Ab aute actis. *Donatus.*

63 *Sumptus, quos fecisti in eam*] Recte hoc dixit: quia impetrabilior esse debet indulgentissimus pater. ut alibi, 'Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc, Quæ meocunque animo libitum est facere: eine ego ut adverser?' *Idem.*

64 *Egi, atque oravi*] *Agit*, qui justam rem dicit: *orat*, qui animo demisso precatur, ut quasi beneficium præstetur sibi. *Idem.*

Oravi tecum] Ita Plautus sæpe, 'orare mecum,' 'tecum,' &c. pro, 'me,' 'te,' &c. *Mer. Casaubonus.*

65 *Tempus dixi esse*] *Tempus:* quia diu multumque sustinuit. *Donatus.*

Impulsu duxisti meo] Multum valet ad suadendum laudatio ejus, apud quem agimus: et ex ea parte laudatio, qua illum volumus inflecti. *Id.*

66 *Quæ tum, obsecutus mihi, fecisti, ut decuerat*] Ordo, Quæ fecisti tum obsecutus mihi, ut decuerat. *Idem.*

Quæ tum obsecutus mihi, fecisti] Juveniliter satis, quia non dixit, Multum amans. *Idem.*

67 *Nunc animum rursum ad meretricem*] Hoc vultuose et demisso labro: ut appareat invitum adduci ad reprehendendum, qui laudaverit modo. *Id.*

68 *Cui tu obsecutus*] O meretricis superbiam non ferendam! *Idem.*

Facis huic] Scilicet uxori. *Idem.*

69 *Nam in eandem vitam*] Parcius *vitam* dixit, quam flagitium atque libidinem. *Idem.*

Nam in eandem vitam te revolutum denuo] Ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου. 2 Pet. II. vs. 22. *Mer. Casaubonus.*

Te revolutum denuo] Non *redisse*, sed *revolutum esse:* tanquam invitum aut nescium. relinquit enim quandam veniam, ut velit esse correctior. *Donatus.*

70 *Mene*] Hoc genus interrogationis negativam habet significationem. *Idem.*

Et facis injuriam] Pro, *facis injuste.* Idem.

72 *Ut cum illa vivas*] Gravius est cum meretrice vivere, quam meretricem amare. *Idem.*

Testem hanc quum abs te amoveris] Laudata est hic uxor modesta, quum illam testem, non impeditricem appellet socer. *Idem.*

Testem hanc] Uxorem tuam, testem (quamdiu domi tecum) tuæ impudicitiæ et impuritatis. *Mer. Casaubonus.*

73 *Sensitque adeo uxor*] Aliud argumentum, quo vult in Pamphilum referre, non solum illius, sed etiam uxoris culpam. Et hic vide non accusari socrum. *Donatus.*

74 *Plane hic divinat*] *Divinat* dixit, pro verum dixit. et nota *divinat*, de præterito dictum. Unde proverbium, 'Aiunt divinare sapientem.' quia qui dicit verum, divinus est. *Idem.*

Divinat] Verum dicit. ita quidem credebat Phidippus. Vide supra act. IV. sc. 1. *Mer. Casaubonus.*

75 *Dabo jusjurandum*] Ubi argumenta et testimonia deficiunt, ibi jurejurando opus est: et id est ἄτεχνος πίστις. *Donatus.*

Nihil esse istorum] Satis concinne dixit *istorum*, ne in singulis commoraretur. *Idem.*

76 *Reduc uxorem. aut quamobrem non opus sit, cedo*] Quia Pamphilus hoc solum defendit, non id esse, quod pater putat, nec causam, quæ vera sit, protulit: ideo senex, relicta tota quæstione, rediit ad id quod agitur, et ait, *Reduc uxorem:* aut dic, quæ res vetat. *Idem.*

Non opus sit] Reducta scilicet. *Idem.*

77 *Non est nunc tempus*] Quia socer adest. Et oratorie confugit ad deditionem, defensione titubante. *Idem.*

Accipias] Pro *accipe.* Causa cur accipiat. *Idem.*

78 *Nam is quidem in culpa non est*] In hoc dicto est quædam faceta irrisio ejus, qui nimis iracundus sit. *Idem.*

Post de matre videro] Bene de matre concedit, ut de puero extorqueat: quia scit parentum concordiam firmam esse per filios. *Idem.*

79 *Omnibus modis miser sum*] Quid est, *omnibus modis?* utrum et circa parentem, et circa uxorem? an et in reducenda, et in non reducenda? *Idem.*

Miser sum] An miser sum, cui maxime obtruditur quod maxime fugio, id est, puer? *Idem.*

Omnibus modis miser sum] Sive reducam, sive non reducam. et hæc ille seorsim, ut senes non audiant. *Mer. Casaubonus.*

Concludit pater] Translatio de fera indagata. Sic Cicero, 'Circumdatos Verri cancellos,' ait. *Donatus.*

82 *Nam puerum, credo*] Omnia facit Poëta, ne aut rem palam faciat, aut intercedat divortium. *Idem.*

Tollet] Laches, scilicet. Alii legunt, *tollent.* Faber.

83 *Adjutrix socrus*] Quæ dixit, *Continuo exponetur.* Idem.

84 *Fugis? hem*] Ex verbis patris ostendere voluit, quid agat Pamphilus. et ille *abibo* dixit, hic *fugis.* Idem.

85 *Num tibi videtur esse apud sese*] Quasi ob amorem meretricis insanus. *Idem.*

Apud sese] Animi compos? *Mer. Casaubon.*

Sine] *Sine,* separatim accipe: quia vim habet comminantis. *Donatus.*

88 *Amaræ mulieres*] Quasi vir, dixit amaras mulieres. non enim laudat, sed causam dicit, unde uxor offenderit Pamphilum. *Idem.*

Non facile hæc ferunt] Non facile ferunt pellicatum, neque amorem aliarum in viris. *Idem.*

Non facile hæc ferunt] Pellicatum scil. et furtivos maritorum amores. *M. Casaubonus.*

89 *Nam ipsa narravit mihi*] Utrum

finxit hæc dixisse filiam sibi? an vero κατὰ τὸ σιωπώμενον factum est? Ego neutrum puto: et sic intelligo, quod de uxore sua dicat, ipsa narravit mihi: secundum illud quod supra dixit; Nunc mihi in mentem venit, de hac re quod locuta es olim, quum illum generum cepimus. nam negabas nuptam filiam tuam posse te pati cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris. *Donatus.*

91 *Neque illi credebam primo*] Quare non credebas? namque amaræ ad hanc rem mulieres sunt, et sæpe de nihilo suspiciosæ. Et bene hoc addidit, ne timuisse generum videretur. *Idem.*

Nunc verum palam est] Ita in lib. Bembi; id est, *veritas.* Faber.

A nuptiis] Non dixit *a filia mea:* sed quod pater Pamphili magis doleat, *a nuptiis* inquit. nam Philumenam nolle, irati est: odisse nuptias, amatoris. *Donatus.*

93 *Quid ergo agam, Phidippe*] Mire conturbatur pater, quasi res sua tantum agatur. Et vide quemadmodum Poëta latenter festinet ad rerum cognitionem. *Idem.*

94 *Meretricem hanc*] Bene *hanc,* quasi eam quæ interturbat. sic enim sumitur hoc pronomen: ut, 'Hanccine ego vitam parsi perdere?' Et, 'Tuaque animam hanc effundere dextra.' Id est, malam. *Idem.*

Hanc] Quasi dicat, quæ nos perturbat. *Idem.*

Primum] Bene *primum:* ut intelligamus deinde Pamphilum. *Idem.*

95 *Oremus*] Utrum rogemus? an quod est verius, omni genere eloquii commoneamus? unde oratores orare et perorare dicuntur: et orator nomen accepit. Virgilius, 'Talibus orabat dictis.' Nam qui orat, accusaturus aut commoniturus orat. *Idem.*

Oremus] Id est, eloquamur. Potest intelligi et Rogemus: sed non convenit personæ potiori, et causæ, et ipsi verborum ordini. *Idem.*

96 *Si cum illo habuerit rem postea*] Ut in Eunucho, 'Quocum uno tum rem habebam hospite.' *Idem.*

97 *Bacchidem hanc vicinam nostram*] Sic maluit, quam meretricem dicere: ne grave sit cum ea seni loqui, nisi quia vicina est. *Idem.*

Huc evoca verbis meis] Bene servata sunt personis congruentia. Nam socerum monere hanc rem tantum decuit, non etiam facere, ut cum pellice filiæ suæ mitius sermocinaretur. Et, *Huc evoca verbis meis:* deest *eam.* Idem.

102 *Si ullo modo est ut possit*] Manere scilicet, vel fieri ut maneat. *Idem.*

103 *Sed visne adesse me una dum istam convenis*] Melius pronuntiaveris, si renitente et improbante hoc vultu, dicere acceperis Phidippum: quasi non oporteat interesse socerum. Ideo mutat sententiam Laches, et relegat eum in procurationem alterius rei. *Idem.*

104 *Nutricem para*] Pro, quære. *Idem.*

ACTUS V.

SCENA I. Satura scena e Iambicis et Trochaicis acatalect. et catalect. *Bœclerus.*

Non hoc de nihilo est] *Rarus vitæ color in hac locutione miscetur a Poëta. Nam meretrix loquitur et senex; et quod est mirabilius, bona meretrix, mitis senex. ut intelligas laborasse Terentium, ut et a lege comicorum recederet, et in actu tantum consuetudinem retineret.* Donatus.

1 *Non hoc de nihilo est*] Debet mirari meretrix, quum ad senem ducitur: debet timere, quum ad patrem:

debet suspicari aliquid, cujus amator jam maritus est. *Idem.*

Non hoc de nihilo] Conjecturalis causa est: Recipis Pamphilum? non recipio. *Idem.*

2 *Ne pol me multum fallit, quin quod suspicor*] Ordo et sensus hic est, Nec pol me multum fallit, quin quod velit hoc sit quod suspicor: vel, quin quod suspicor, sit hoc quod velit. Ordo, Quin quod velit, sit quod suspicor. *Idem.*

Nec pol me multum fallit] Non me fallit, quo minus id sit, quod me vocat, quod suspicor. *Idem.*

3 *Videndum est*] Providendum, cavendum. *Idem.*

Videndum est, ne minus, &c.] Laches conscius sibi commotioris animi, meditatur mitiora: idque ex præscripto Phidippi. hujus enim consilio obsequi decrevit, qui non poterat expedire suum. Phidippi ordo erat: *oremus: accusemus gravius; minitemur.* accusatio est: Bacchis receptat Pamphilum. Sequitur demonstratio criminis. quod cum jurejurando expurgaret Bacchis, non opus erat ad *minas* progredi. Laches tamen seniliter diligens illuc quoque descendere parat, vs. 39. 'Aliter si facias,' sed reprimit se. *Bœclerus.*

Ne minus propter iram] Quia non erat verisimile, bonum esse patrem meretrici interturbanti: reddit rationem senex, cur agat mitius, ne videatur personæ modus non esse servatus. *Donatus.*

Ne minus propter iram hanc impetrem, quam possem] Vide Phorm. act. I. sc. 5. Etiam Quintil. 'Bonus altercator vitio iracundiæ careat. Nullus enim rationi magis obstat affectus, et fert extra causam.' *Mer. Casaubonus.*

Impetrem] Perficiam: dictum a patrando: cujus rei difficultas, ob tarditatem complendarum nuptiarum, etiam ad alia negotia, quæ sunt ardua, verbum hoc commodavit ac dedit. *Donatus.*

4 *Quod post me minus fecisse satius sit*] Satisfaciendo minuisse. *Idem.*

Quod post me minus fecisse satius] Si *sit* pro videatur acceperis, erit sensus, Ne quid faciam plus, quod post, dum pœniteat me, videatur satius minus fecisse. Si *sit* pro erit acceperis, erit sensus: Videndum est ne quid plus faciam: quod quum fecero, postea satius sit, me non fecisse et satisfacere. Aut certe duas res significat, quibus inter utrumque temperandum esse demonstrat: ut per illud supra, lenitatem tenendam; per hoc infra, authoritatem defendendam esse commoneat. An *minus fecisse,* pro pœnitere? Sic enim veteres dicebant, 'Muto factum,' et 'nolo factum:' quum alicujus rei eos pœnitebat. *Idem.*

Sit] Modo *sit* pro videatur posuit. *Idem.*

Quod post me minus fecisse satius sit] Quod satius sit me non fecisse. Alludit ad vulgatum illud, *Ne quid nimis.* Dicebant etiam vulgo, 'Plus minusve aliquid facere:' quo etiam Terent. usus Phorm. act. III. sc. 3. *Mer. Casaubonus.*

5 *Aggrediar. Bacchis, salve*] Bene *aggrediar,* quasi rem arduam, et incongruam seni. vel, *aggrediar,* ut meretricem circumveniam. Virgilius. 'Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis.' *Donatus.*

Bacchis, salve] Non ita meretrici obsequitur senex: quanquam vult adimere timorem personæ suæ. *Id.*

Credo ædepol te nonnihil mirari] Ipsum procemium mollius et lenius est, ut ostendat se non jurgaturum senex. *Idem.*

6 *Quid sit*] Deest *rei:* ut sit, *quid sit rei.* Idem.

7 *Ego pol quoque etiam timida sum*] Παρέλκον tertium. Ut, 'Multa quoque et bello passus.' Et obsequenter posuit non solum se mirari, sed etiam pavere. *Idem.*

Ego pol quoque etiam timida sum] Bene *etiam:* ut hoc dicat, non solum miror, sed etiam timeo. Et nove, *timida sum,* pro timeo. *Idem.*

8 *Ne nomen mihi quæstus*] Id est, nomen quod inest meo quæstui. *Id.*

Nomen quæstus obstet] Quem exerceo scilicet : id est, 'Quod est quæstui mihi.' *Idem.*

Ne nomen mihi quæstus] Id est, quod meretrix sum. Legitur et, *nomen meo quæstui obstet.* Idem.

Ne nomén mihi quæsti obsiet] Ne genus quæstus, quem exerceo, mihi fraudi sit apud te : meretricium scil. non enim omnis quæstus male audit. Unde Cic. de Artificiis et Quæstibus, 'Qui liberales habendi, qui sordidi sint, hæc fere accepimus.' *quæsti,* pro, quæstus, antique, ut infra, sc. 3. *Mer. Casaubonus.*

Mores facile tutor] Hoc empto, quod quæstus causa sum meretrix, ceteros mores facile præstabo innoxios, infra sc. 3. 'Nunquam animum quæsti gratia ad malas adducam partes.' et leno pariter, Ad. act. II. sc. 1. 'Leno ego sum : ac ita ut usquam fuit fide quisquam optima.' *Mer. Casaubonus.*

9 *Si vera dicis*] Interrogabo scilicet. *Donatus.*

10 *Jam ea ætate sum, ut non sit peccato mihi ignosci æquum*] Qui jam ipse non do veniam. an quia mihi peccanti non danda est? Et est ordo, ut non sit mihi æquum peccato ignosci. Necessaria igitur ambiguitas. aut enim *sit* pro videatur : aut *peccato,* pro peccatorum : aut *peccato mihi,* pro peccanti mihi, aut peccato meo : aut deest *in,* ut sit in peccato. *Donatus.*

Jam ætate ea sum, ut non siet peccato mihi ignosci æquom] Putat Muretus *peccato* jungi cum *mihi.* Verba illius sunt : 'Id est, mihi, siquid peccaverim; nam ut *juratus* est qui juravit, ita *peccatus,* hoc quidem in loco, qui peccavit.' Addit deinde exemplum e Quintiliano : 'Similiter locutus est Quintilianus lib. VI. Qui vero judicem rapere, et in quem vellet habitum animi posset perducere, quo dictato flendum et irascendum esset, rarius fuit; ibi enim, quo dicto, valet Græce, οὐ λέξαντος.' Hæc ille. Quamobrem in posterum licebit dicere, nam id recte dictum putat Muretus, *In hac re peccatus sum ;* item ex Quintiliani loco, licebit quoque, *dictus sum te esse virum perditum.* Secundum F. Guyetum, aliud plane mirificissimum etiam dicere possumus. quid illud ? *Erratus sum ;* idque ex Cicerone contra Rullum; cujus verba subjeci : 'Quæ cum omnibus est difficilis et magna ratio, tum vero mihi præter ceteros : cui errato nulla venia, recte facto exigua laus, et ab invitis expressa proponitur,' &c. Sed in isto exemplo est aliud etiam portentum Latinitatis plane novum, ita ut dicas, *id recte factus sum.* Hæc satis est ostendisse; neque enim, opinor, ad refellendum verbis opus sit. Error utriusque ortus ex eo est, quod apud Terentium istud *peccato,* ut jam dixi, conjungendum putarint cum *mihi.* At non ita est ; sic enim ordinanda et componenda est oratio : *Non est æquum mihi ignosci peccato,* id est, Si peccatum a me fuerit ; per ablativum absolutum, sive liberum. Sic in illo exemplo e Cicerone debes dicere, cui nulla venia errato, id est, si erratum fuerit ; *Cui recte facto, &c.* Sic componenda verba : cui exigua laus proponitur, *recte facto,* id est, si recte factum fuerit. In exemplo illo quod e Quintiliano petitum est, *quo dicto* verti debet, qua re dicta, vel, quo sermone. Ego isthæc examinanda esse putavi, et explicanda diligentius, ne quem magnorum hominum auctoritas in fraudem induceret. *Faber.*

Peccato] Ἡμαρτηκότι, si peccaverim : ut *jurato mihi, &c.* Mer. Casaubonus.

11 *Cautius, ne temere faciam*] Seniliter additum post *cautius, ne temere faciam.* Donatus.

12 *Facturave es*] Etiamsi non facies. *Donatus.*

13 *Inscitum*] Me scilicet, si injuriam faciam. *Idem.*

Inscitum, &c.] Sic distinxit Faërnus : *Inscitum offerre injuriam tibi, immerenti iniquom est.* Faber.

Inscitum] Inelegans, non bonum. Et bene non dixit *durum,* aut quid tale, sed *inscitum :* quo verbo maxime mulieres et meretrices utuntur. *Scitum* enim dicunt quod placet : *inscitum* quod displicet. ut 'Per ecastor scitus puer natus est e Pamphilo.' Hoc tale est quod dixit *inscitum* ex abundanti : quale est apud Virgilium, 'Nec post arma ulla rebelles Æneadæ referent.' *Donatus.*

Offerre injuriam] *Offerimus* injuriam non merenti : *reddimus* ei qui meretur. *Idem.*

Iniquum est] Non inscitum tantum, (ut vos mulieres amatis loqui,) et inelegans ; sed palam injustum. Alii, iniquum fuerit, inscitum, (i. insulsum,) me offerre, &c. ut sit accusativus. Alii cum Faërno legunt : *Inscitum offerre injuriam tibi ;* (mulieri) scil. *immerenti, iniquum.* i. e. immerenti autem, et innocenti, etiam iniquum est. *Mer. Casaubonus.*

15 *Est magna ecastor gratia, de ista re, quam tibi habeam*] Imitatur hic et senile et fœmineum tardeloquium. Suffecerat enim, *ago gratias.* Donat.

Est magna ecastor gratia] Donatus : *Imitatur hic et senile* (in præcedentibus sc.) *et fœmineum tardiloquium :* sed cur ad sexum et ætatem referimus, quod habet propiores in ipsa οἰκονομίᾳ causas ? nam et Laches decreverat, accurate agere ac comiter ; et Bacchis blandæ orationis subsidio ad senem, quem sibi adversum jam suspicabatur, uti constituerat. unde postea senex : 'Facilem benivolumque lingua tua jam tibi me reddidit.' *Bœclerus.*

Est magna ecastor gratia de hac re quam tibi habeam] Incitatur hic et senile et fœmineum tardiloquium. Suffecerat enim, *ago gratias.* Mer. Casaubonus.

16 *Nam qui post factam injuriam se expurget*] Sic in Adelphis ait : 'Indignum te esse injuria hac, indignis quum egomet sim acceptus modis.' *Donatus.*

Parum mihi prosit] Si sic accipiatur, ut scriptum est, λιτότης est aut ταπείνωσις, et ita intelligendum, quasi dixerit, multum mihi nocuerit, imo me everterit. *Idem.*

Mihi parum prosit] Λιτότης, pro, multum nocuerit. *Mer. Casaubonus.*

16 *Sed quid istuc est*] Nunc demum ad rem redit. *Donatus.*

Meum receptas filium] Intensio criminis. Et non *recipis,* sed *receptas.* Et ne diceret, Quid tua ? *meum filium.* Idem.

Meum receptas filium ad te] Status conjecturalis, quæ conjectura diluitur per ἄτεχνον πίστιν, id est, jusjurandum, ac tormenta servorum. *Idem.*

Ah] Quod falsum est, reclamavit meretrix statim : et voluit contradicere, si permitteret senex. *Idem.*

17 *Sine dicam*] Virgilius, 'Sine me hæc haud mollia fatu Sublatis aperire dolis.' *Idem.*

Uxorem hanc prius quam duxit] Hanc quasi molestam, et quæ hæc nolit pati. *Idem.*

Uxorem hanc prius quam] A persona sua, Prius quam hanc duxit, vestrum amorem pertuli. Et quia multum diuque amaverit, *pertuli* dixit, quæ est longi temporis significatio. *Idem.*

Hanc prius quam duxit] Ante rem : a præteritis et ante actis. *Idem.*

Vestrum amorem pertuli] Ἀποσιώπησις, ut in Heautontim. 'At næ illud haud inultum, si vivo, ferent. Non jam, non tute cohibes ?' *Idem.*

Vestrum] Non, ipsius Pamphili. Ergo blande et honorifice. Non enim illius amorem, et tuum quæstum :

sed amorem vestrum. nihil potuit dici familiarius. *Pertuli* autem, quantam vim patientiæ habet, quantumque ponderis, ne lædi mereatur ulterius. *Idem.*

18 *Nondum etiam dixi id quod volui*] Apparet senem tarde et longe loquentem interpellari vultu responsuræ meretricis, quum ille sibi silentium præberi velit. Sic Virgilius Latinum inducit dicentem, 'Sine me hæc haud mollia fatu Sublatis aperire dolis: simul hæc animo hauri;' et ad postremum de Turno: 'Ut primum fari potuit, sic incipit ore.' *Idem.*

Mane; nondum etiam] Ἀποσιώπησις tertia. *Idem.*

Mane] Interpellabat enim Bacchis, non sustinens audire, quæ sibi falso objici sciebat. *Mer. Casaubonus.*

Hic nunc uxorem habet] Cum denuntiatione pronuntiandum est: quasi dicat, alia res est. *Donatus.*

19 *Quære alium tibi amicum firmiorem*] Magna moralitas in denuntiatione, magna proprietas: sic enim dicimus, *Quære tibi.* Virgilius, 'Quærat sibi fœdera Turnus.' *Idem.*

Quære alium tibi amicum firmiorem] *Firmiorem* pro firmo. non enim firmum conceditesse Pamphilum: quem vult intelligi deceptorem esse Bacchidis, non jam amatorem stabilem. *Idem.*

Quære alium tibi amicum firmiorem] Oratorie senex quasi consulit meretrici, quam vocaverat incusandam. *Idem.*

Quære alium] A præsentibus et a futuris. *Idem.*

Amicum firmiorem] Callide senex, quasi jam non Pamphilo consulat, sed Bacchidi, *quære alium*, dixit. *Idem.*

Dum tempus consulendi est] Sensus, dum ætas in flore posita est, facies vendibilis etiam nunc est. Et est ordo, Dum tempus est consulendi tibi. et bis subaudiendum est *tibi.* Idem.

20 *Nam neque ille hoc animo erit ætatem*] *Ætatem*, pro, tam diu quam longa est ætas. *Idem.*

Neque pol tu eadem istac ætate] Σχῆμα λόγου πλοκή. prius *ætatem* adverbium, et posterius nomen. *Idem.*

Neque pol eadem ista ætate tu] Supra, act. II. sc. 1. 'Cur non aut istæc mihi ætas et forma est, aut tibi hæc sententia?' *Mer. Casaubonus.*

21 *Quis id ait*] Non interrogatio, sed firma negatio est. *Donatus.*

Quis id ait] Quum dicat senex, *Meum receptas filium;* mirum est illam dicere, *Quis id ait?* sed ab accusatore testimonium quærit. Et bene *ait*, quasi vanum. sic enim dicimus, *ait*, *aio*, de rebus nugatoriis. *Idem.*

Quis id ait] Moraliter meretrix missa fecit omnia, quæ in medium senex contulit: et soli intentioni, Meum receptas filium ad te Pamphilum, *quis id ait*, respondit. *Idem.*

Socrus] Terribiliter, quasi quæ maxime sciat, et quæ maxime doleat. Ergo et oculis et labris pronuntiandum est. *Idem.*

Et filiam abduxit suam] Addidit, ad personam testis, et facta: quia minus idoneum videbatur socrum dixisse de pellice. et simul ostendit, quantopere hoc animadvertendum sit, ex quo tantæ turbæ sint concitatæ. *Idem.*

Abduxit suam] *Abduxit*, proprie. *Accersi* enim dicitur ad maritum: *abduci* a marito ad divortium. Sic Virgil. 'Et gemiis abducere pactas.' *Idem.*

22 *Puerumque ob eam rem*] Hoc sic pronuntiat senex, quasi qui dicat, Ecce quarum rerum tu causa. Et hæc oratio de iis est, quibus ostendimus, nos posse graviter accusare, sed nolle. *Idem.*

23 *Aliud si scirem, qui firmare*] Mire, dum quærit quo firmet fidem, fidem sibi acquisivit atque adscripsit. *Idem.*

Apud vos possem fidem] Bene *vos:* quia et *hic* dicit, et *socrus.* Idem.

23. 24 *Aliud si scirem, qui firmare meam ap. v. p. fidem sanctius quam jusjurandum*] De jurejurando, et explicatione hujus loci vide Chrestomath. voc. Jusjur. *Bœclerus.*

24 *Sanctius quam jusjurandum*] Bene, dum aliud agit, etiam personam commendat. nam non est levis, quæ jurejurando nihil sanctius sciat. *Donatus.*

Sanctius] Firmius. *Idem.*

Quam jusjurandum] Cicer. 'Nullum enim vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt.' *Mer. Casaubonus.*

25 *Me segregatum habuisse*] Bono significatu usa est: quasi ipsa hæc fecerit. Et bene *segregatum:* non enim disjunctum aut repudiatum proprie diceret. *Donatus.*

Uxorem ut duxit] *Ut*, adverbium est temporis, pro *ex quo.* Idem.

Ut duxit] I. e. ex quo duxit. *Mer. Casaubonus.*

26 *Lepida es*] Senex, cum meretrice loquens, eo potius nomine laudavit eam, quo meretrices solent laudari, quam quo matresfamilias. sic et supra, quum inscitum se diceret, rationem habuit, quæ esset cum qua loqueretur. *Donatus.*

Sed scin' quid volo potius] Hinc deliberativa incipit. *Idem.*

Sodes] Si audes, si vis. *Idem.*

27 *Eas ad mulieres huc intro*] Non dixit ad socrum et ad uxorem, terribilia nomina et inimica meretrici; sed, quod facile est, *ad mulieres.* Sic alibi, 'Mulier mulieri congruit.' Et ne longe videretur, addidit *huc intro.* Idem.

Atque istic jusjurandum] Id est, quod tu mihi pollicebaris. *Idem.*

28 *Exple animum his, teque hoc crimine expedi*] *Explere*, pro *exinanire*, Terentianum est. *Expedire* dicitur, qui pedem retentum liberat. *Idem.*

Exple animum] Quod illis prosis. *Idem.*

Exple animum iis] Exonera sollicitudine: si quidem, ut Don. censet, τὸ *ex*, in *explere*, sit privativa (ut interdum) particula. Sed præstat ut pro satisfacere accipiamus: ut et And. act. I. sc. 2. 'Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum.' et ita videtur ipse Terent. infra explicare; sc. 2. 'Exquire, adest; quod satis sit, faciet ipsa.' *Mer. Casaubonus.*

29 *Quod pol si esset alia ex hoc quæstu*] Vigilanter Poëta, ne non verisimile videretur, id ullam fecisse meretricem, ipse lectorem prævenit. et sic fere in omnibus Terentius, quæ minus pervulgata sunt, quæque abhorrent a consuetudine, agit. *Donatus.*

30 *Ut de tali causa*] Id est, amore mariti ejus et pellicatu. *Idem.*

Nuptæ mulieri se ostenderet] Plus dixit, quam, *Nuptam alloqueretur.* Id.

31 *Sed esse falsa fama nolo gnatum*] Bene, quo sit gratiosior, non propter se dicit, quod facit, facere. *Idem.*

32 *Nec leviorem vobis*] Quid *leviorem?* an minus charum? ut contra *gravis*, honore dignus, et charus intelligitur. Virgilius, 'Ferit ense gravem Tymbræus Osirim.' *Gravis* etiam molestus intelligitur. ut Sallustius, 'Graviore bello qui prohibituri venerant socii, frigere.' *Gravis* etiam languidus. Virgilius, 'Ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis Deficit, abde domo.' *Idem.*

Nec leviorem] Ut contra, *gravis*, honore dignus et charus. *Idem.*

Leviorem] Minus constantem, infidum. *Mer. Casaubonus.*

Quibus est minime æquum] Parentibus scilicet. *Donatus.*

33 *Immerito*] Bona exceptio. hoc enim et cavere nobis, et præstare aliis possumus. *Idem.*

Immerito] Nam *meritus est de me.* Παρόμοιον. *Idem.*

Nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem] Et hoc artificiose

Terentius, ne vel meretricem dure a Pamphilo segregaret. *Idem.*

Quod queam, illi ut commodem] Sic in Andria, 'Magis id adeo mihi ut incommodet, quam ut obsequatur gnato.' *Idem.*

34 *Facilem, benevolumque, lingua tua*] *Facilem* ad peccatum, *benevolum* ad iracundiam retulit. *Idem.*

Lingua tua] Consuetudine magis, quam ratione dicit, *tua lingua.* ergo pro homine ipso. *Idem.*

Lingua tua jam] Subdistingue *jam:* ut appareat, Si lingua tua jam, quanto magis facta. *Idem.*

35 *Nam non sunt solæ arbitratæ hæ*] Nunc fatetur, se quoque accusatorem fuisse: nunc vero benevolum factum. *Idem.*

Hæ] Cum ἀποστροφῇ. *Idem.*

Ego quoque hoc etiam credidi] *Quoque* et *etiam* supervacue posita sunt: sed hic confirmationem ostendunt. *Idem.*

36 *Præter nostram opinionem*] Pro contra. *Idem.*

Præter nostram opinionem] Hoc est, innoxiam. *Idem.*

37 *Fac eadem ut sis porro*] Hoc est, persevera purgata esse. vult enim et de futuro cautum esse: ut supra, *Nam si id facis, facturave es.* Idem.

Nostra utere amicitia] Non jam *amore*, sed *amicitia.* Idem.

38 *Aliter si facias*] Ἀποσιώπησις. *Idem.*

Reprimam me] Al. *Sed reprimam me.* Verum istud *sed* in lib. Bembi non apparet; versus autem est Trochaicus, ut multi alii in hac scena. *Faber.*

Ne ægre quidquam ex me audias] Utrum *ægre* pro *male?* an *ægre* pro *invita?* Idem.

39 *Verum hoc te moneo unum*] Hæc figura oratoria παραίνεσις dicitur. *Idem.*

Qualis sim amicus, aut quid possiem] In secunda oratione Sallust. ad Jugurtham, 'Nam vim magis, quam benevolentiam ejus experire mallem.' *Idem.*

Qualis sim amicus, aut quid possiem] Hoc genus comminationis minus habet amaritudinis, sed plurimum gravitatis. *Idem.*

40 *Potius quam inimicus*] Contra quam ille (ut Don. hic) nescio quis apud Sall. 'Nam vim magis quam benevolentiam ejus experiri mallem.' Est autem in his Terentii, tacita comminatio, cum professione benevolentiæ. *Mer. Casaubonus.*

Scena ii. Iambicis Octonariis catalecticis constat. *Bæclerus.*

Nihil apud me tibi defieri patiar] *Verba nutricis fuisse Poëta demonstrat, petentis ordine longo, quæ sibi præbenda sint. unde quasi tædio singulorum generaliter hæc respondit.* Donatus.

1 *Nihil apud me tibi defieri patiar*] *Apud me*, dixit pro, Apud eum, ubi futura es. *Idem.*

2 *Defieri patiar*] Noluit dicere *deesse:* sed *defieri* dixit, ut id quod minus usitatum est, magis delectet auditum. *Idem.*

Defieri] Deesse, ut supra, et in Eun. 'Nihil cum est, nihil desit tamen.' *Mer. Casaubonus.*

Benigne præbeatur] *Benigne*, large. hoc enim est gratius, non solum præbere, sed benigne præbere. *Donatus.*

3 *Sed quum tu satura, atque ebria eris*] Hoc est in nutricibus non solum non turpe, sed etiam necessarium. Et, *hic satur*, et *hæc satura* fecit. *Id.*

Cum tu satura, atque ebria eris] De saturitate concedo: sed ebrietas nutricum perniciosa sæpe infantibus non una ratione. Sed et apud Aul. Gell. 'Si improba, si informis, si impudica, si temulenta est,' malæ nutricis signa, et nota. Conjiciebant igitur τὸ *ebria* hic ἐκ παραλλήλου, ut Grammatici loquuntur, positum, non aliud quam bene saturam significare. Ita enim vocem *ebriam*, pro *pleno*, usurpari interdum, satis notum est. Etiam apud Plaut. 'Cœnam ebriam,' lautam, copiosam, exponunt vulgo. Idem, *saturitate ebrium*, dixit in Captivis. Sed contrarium suadet apertiss. Plauti testimonium; 'Opus nutrici utrum habeat veteris vini, largiter ut dies noctesque potet.' Sed et vino *ali vires, sanguinem, coloremque*, tradit Plin. Nec tamen ista satisfaciunt, ut vinum nutricibus conducere credam ego: viderint medici. *Mer. Casaubonus.*

4 *Noster socer, video, venit*] *Noster*, blandientis dictum est. Virgilius, 'Noster eris.' Et magis hoc consuetudine dictum est, quam integritate. Aut certe ordo est, Noster socer venit: et deinde, *video:* aut deest *ut:* ut sit, *ut video.* Donatus.

5 *Dejerat*] Deos jurat. ut, 'Maria omnia juro.' Aut valde jurat. *Idem.*

Bacchis dejerat] Si correpte, *dejerat*, Deos jurat: si producte, valde jurat. Et bene senem iratum præoccupavit, dicendo, *dejerat sancte:* ne confligeret cum meretrice, et fieret fabula longior. *Idem.*

Hæccine ea est] Imitanda irati contemplatio: quasi dicat, Hæc est, quam uxori Pamphilus anteponit. *Idem.*

6 *Nec pol istæ metuunt Deos*] Hoc argumentum est, non illam vera jurare. Sanctum, ait, jusjurandum est, aut metu religioso, aut suppliciis sacrilegorum. At vero nec religiosæ sunt meretrices, inquit, nec dant pœnas: quippe quæ a Diis contemnantur. Tale est apud Virgilium de violato luco, qui vindicatus non est: 'Novimus et qui te, transversa tuentibus hirquis: Et quo, sed faciles nymphæ risere, sacello.' *Idem.*

Neque has respicere Deos opinor] Et inferiores sunt, inquit, quam in quas Dii vindicent. *Idem.*

Neque has respicere Deos] Nec merentur ut Diis pœnas referant, quia nec curæ Diis esse dignæ sunt. Et est ἀμφιβολία, quæ sensu manifesta est. *Idem.*

Neque has respicere Deos opinor] Plautus Persa iv. 4. 33. 'Nam generi lenonio Nunquam ullus Deus tam benignus fuit, qui fuerit propitius.' explicatio sententiæ habetur in Prologo Rudentis vs. 25. &c. *Bæclerus.*

Neque has respicere Deos opinor] Vel præmiis vel pœnis afficere, ut quas non omnino dignentur Dii sua cura et providentia. Nam malos extra providentiam Deorum esse putabant antiqui non pauci. *Mer. Casaubonus.*

7 *Ancillas dedo*] Repudiato jurejurando ad aliud transit firmius documentum. *Donatus.*

Quolibet cruciatu per me exquire] *Per me*, hoc est, me permittente: ut quod per legem tibi non licet, per me liceat. *Per me* ergo, me authore et permittente. *Idem.*

8 *Hæc res hic agitur*] Aut sic intelligendum est, quasi dicat, Hoc agebamus quum tu advenires, aut cum asseveratione pronuntiandum est, ut sit *res* veritas: quasi dicat, Hic non verba sunt, sed res agitur. *Idem.*

Hæc res hic agitur] Propositio eorum quæ dictura est, hoc modo, 'Hæc res hic agitur. [quæ res?] Pamphilo me facere ut redeat uxor, Oportet: quod si perficio, non pœnitet me famæ, Solam fecisse id, quod aliæ meretrices facere fugitant.' Multa Terentius feliciter ausus est, arte fretus: nam et socrus bonas, et meretrices honesti cupidas, præter quam pervulgatum est, facit: sed tanta vigilantia causarum et rationum momenta subjungit, ut ei soli merito videantur omnia licere. Nam hoc contra illud est, quod alibi ait, commune esse jam omnibus comicis bonas matronas facere, meretrices vero malas. *Idem.*

9 *Non pœnitet me fama*] Hæc figura λιτότης dicitur: minus enim dicit, quam significat. nam, *Non pœnitet me famæ:* pro eo quod est, Magnam famam cupide acquisiverim, significat. *Idem.*

Non pænitet me famæ] Ne quæreremus, qui hoc meretrici prodesse posset. *Idem.*

10 *Solam fecisse*] Bene *solam*, ne nescisse officium meretricis Poëta videretur. *Idem.*

Solam fecisse id, quod aliæ meretrices facere fugitant] Id est, reconciliasse uxorem marito. *Idem.*

11 *Nostras mulieres suspectas fuisse*] Id est, in suspicione positas. Nam esse suspectas, ambiguum est: et nunc ejus partem manifestam videmus. *Id.*

12 *Nobis, in re ipsa*] *Nobis*, aut abundat, aut *cum molestia nostra* significat. *Idem.*

Porro hanc nunc experiamur] *Porro nunc*, futurum tempus ostendit. nam si jam invenisti quid, experiaris et ea quæ restant in reliquum tempus: quia jam de præteritis purgata est. *Idem.*

Hanc experiamur] Id est, utamur opera ejus. *Idem.*

13 *Crimini tua se falso uxor credidisse*] *Crimen* proprie dicitur id, quod factum est. Cicero, 'Veruntamen fac, tametsi criminosum id est.' Id est, falsa insimulatio est. *Idem.*

Crimini] *Crimen* nunc, pro falsa suspicione. Virgil. 'Formidine crimen acerbat.' Et, 'Semperque odiis, et crimine Drances Infensus juveni Turno.' Id est, et quod eum odisse, et quod se illi odio esse suspicaretur. *Idem.*

15 *Cito ab eo hæc ira abscedet*] Bene: in duabus enim personis causa videtur esse turbarum, socrus et Pamphili. *Idem.*

16 *Profecto in hac re nihil mali est quod sit dissidio dignum*] Moraliter, quasi quærendo et discutiendo hoc intulit. *Idem.*

Dissidio] Divortio. *Idem.*

Velim quidem hercle] Ut nihil sit dignum: hoc est, non peccaverit Pamphilus. *Idem.*

17 *Quid satis sit, faciet ipsa*] Id est, quicquid ad plenam ducit purgationem, faciet. *Idem.*

Quod satis sit, faciet ipsa] Vide supra sc. 1. *Mer. Casaubonus.*

18 *Quid istæc mihi narras*] Reprehensio est, quasi longorum verborum Lachetis. *Donatus.*

An quia non tu ipse dudum] Correptio est. nam audivit, 'Manere affinitatem hanc inter nos perpetuam volo.' *Idem.*

An quia non tu ipse audisti dudum, De hac re animus meus ut sit Laches] Utrum quia dixit, 'Manere affinitatem hanc inter nos perpetuam volo:' an quia apud uxorem defendit adolescentem in amore meretricis? *Idem.*

19 *Illis modo exple animum*] Quasi dicat, quæ amaræ sunt et molestæ. *Idem.*

20 *Quod mihi es pollicita, tute ut serves*] Id est, jusjurandum apud mulieres. *Idem.*

21 *Ob eam rem vin' ergo introëam*] 'Vis,' dicit, ut ostendat in hac re cunctationem suam. *Idem.*

23 *Nam nupta meretrici hostis est*] Caute etiam hoc præstruit Poëta, ne non verisimile videatur, potuisse meretricem concorditer cum pellice agere. Nam nupta meretrici hostis alia, scilicet inimica.

Nam nupta meretrici hostis est, a viro ubi segregata est] Invisa semper, ut meretrix: sed tanto magis tum, ut pellex. *Mer. Casaubonus.*

At hæ amicæ erunt] Tibi scil. ut mox. *Idem.*

At hæ amicæ erunt] Versus non stat, nisi legas, *hæc*, ut in lib. Bembi. Veteres enim dicebant, hæc, isthæc, illæc, pro, hæ, istæ, illæ. Ita alibi apud Terentium. Quin et superius paulo, illo versu: *Nam non sunt solæ arbitratæ hæ, ego quoque credidi;* scribi oportet *hæc*, ob metrum. Id quod insciens præterieram. *Faber.*

25 *At easdem, &c.*] Hunc versum qui delendum putant, male putant. Exemplum habes alibi apud Terentium, ubi cum duobus sermonem habemus,

sæpe fit, et quotidie videmus fieri, ut uterque respondeat variis quidem verbis, sed eodem sensu. *Faber.*

At easdem amicas fore tibi] Hic quidem senes: verum aliæ causæ sunt, quæ mulieres faciunt molestas: et hæ autem spectatoribus notæ sunt ex argumento. *Donatus.*

26 *Et te simul suspicione exsolves*] Hoc est quod supra dixit, *crimen:* nos quoque suspicionem interpretati sumus. *Idem.*

Exsolves] Expedies. *Idem.*

27 *Pudet Philumenæ*] *Pudet* duo significat: sive ille peccarit quem pudet, sive ille cujus pudet. Et familiariter *Philumenæ*, tanquam notæ ex Pamphilo. *Idem.*

Pudet Philumenæ] Conscientia communis viri et pellicatus. *Idem.*

Perii. pudet Philumenæ] Impura meretrix (sed in hoc pudica) pudicæ mulieris conspectum non sustinet. *Mer. Casaubonus.*

Sequimini me huc intro ambæ] Ancillis dicit, quæ sunt *κωφὰ πρόσωπα*. *Donatus.*

Sequimini me intro ambæ] Meretrices enim egredientes domo ancillas trahebant secum pedissequas. supra Thais Eunucho III. 2. 53. 'Vos me sequimini.' *Bæclerus.*

Me sequimini intro ambæ] Ancillas alloquitur. *Mer. Casaubonus.*

28 *Quid est quod mihi malim, quam quod huic*] Sensus hic est, Quid est quod magis optem mihi evenire, quam quod simul proderit etiam meretrici? *Donatus.*

Quid est quod mihi, &c.] Sic hoc ergo intulit pro novo. Mirandum est enim evenire potuisse, ut idem et seni et patri prosit, quod meretrici. *Idem.*

Quid est quod mihi malim] Ut amicitia mihi et sibi prosit. Et ostendit, commune sibi bonum esse. *Idem.*

Evenire] *Evenire*, bis subaudiendum. *Idem.*

Quid mi est quod malim, quam quod huic intelligo evenire, ut Gratiam ineat sine suo dispendio, et mihi prosit] Hic esse errorem ne ullus quidem suspicatus est, et locum tamen scio esse depravatum, legique oportere, *et sibi prosit*. Rem ita explico: Suave est inire gratiam ab aliis, sed ab aliis gratiam inire, et sibi eadem opera prodesse, id vero tale est, mihi ut nihil aliud magis optandum videatur. Hæc loci sententia est. Atqui isthæc muliercula id ipsum faciebat: quippe inibat gratiam a Lachete, et eodem tempore *sibi* proderat. Id quomodo? Laches ipse explicabit; *Nam* inquit, (isthæc autem vocula causam complectitur) nam si hanc a me gratiam ineat, scit *sibi* famam (id enim significat *nobilitas*) paratam esse, tum et amicitiam meam, et boni aliquid, præterea, sibi proventurum. *Faber.*

29 *Ut gratiam ineat sine suo dispendio*] Recte. Difficile est enim gratiam inire sine damno. *Donatus.*

Et mihi prosit] Mire: quia difficile est amicum sine damno acquirere. Et quia cum lucro non potuit dicere: et hoc ipsum bonum fecit, quia sine damno. Ergo velut tria sunt: ut gratiam ineat, ut sine damno, et ut mihi prosit. *Idem.*

Et mihi prosit] Gratulatur sibi senex ita rem commode cadere, ut, dum sibi studet, et suo ipsius obsequitur animo meretrix; eadem opera et quod sibi quoque gratissimum factura sit. Hoc autem dicens ideo inducitur a Poëta, ne alioquin præter morem et verisimilitudinem bonam nimis et ingenuam meretricem fingeret, si totum hoc quod agit, studio commodandi aliis et gratificandi ageret. Quæ præcipua laus Terentii, et in quo palmam aliis Comicis præcipue præripuit, quod nihil fingit, nisi quod credi facile possit, et ad naturam omnia solertissime exigat. *Mer. Casaubonus.*

30 *Pamphilum vere ab se segregarit*] Proprie ab meretrice *segregari* dici-

tur: ab uxore, *disjungi*. Donatus.

31 *Scit sibi nobilitatem ex eo, et rem natam*] Quasi dicatur, Ecce quam amavit Pamphilus! Sed hoc sentire et dicere patris est, stulta pietate magnificantis filium. Ut, 'Meum gnatum rumor est amare.' Et proprie *nobilitatem* dixit. nam et *meretrix* et *gladiator nobiles* dici solent. *Idem.*

Scit sibi] Quod nimis amat, ait *nobilitatem*. Idem.

Ex eo] Utrum ex Pamphilo? an *ex eo*, ex ea re, id est quod segregaverit vere ab se Pamphilum? et hoc est melius. nam nobilis meretricis est, non timere ne alterum non inveniat. aut nobilis est, cognitam fieri etiam senibus. *Idem.*

Scit sibi nobilitatem] Explicatur versus 11. *Bœclerus.*

Scit sibi nobilitatem ex eo] Bacchis, ut videtur, ante Pamphili amorem, obscurior. ex ejus nobilitate, parta ipsi nobilitas, et gloria. *Mer. Casaubonus.*

Et rem natam] Ex patrocinio et amicitia senis. *Donatus.*

Rem natam] Quia multa in eam contulit. *Idem.*

Rem natam] Supra, act. IV. sc. 4. 'Sumptus quos fecisti in eam, quam æquo animo tuli!' *Mer. Casaubonus.*

Et gloriam] Ex facto raro in meretricibus. *Donatus.*

Et gloriam esse] Quia defendit eum apud soceros et uxorem: et quod marito meretrix conjugem reddit. *Idem.*

SCENA III. Trochaicis et Iambicis septenariis constat scena. *Bœclerus.*

Ædepol ne meam Herus esse operam deputat parvi pretii] *In tota hac fabula servus piger et curiosus inducitur: neque quidquam illi evenit ex sententia sua.* Donatus.

1 *Ædepol ne meam*] Totum a stomachante dicitur: quasi qui nunc maxime injuriam persenserit. *Idem.*

Ædepol ne meam] In hac scena καταστροφὴ populo exponitur. *Idem.*

Edepol, &c.] Τὸ θυμῆρες τῆς κωμῳδίας supra cœptum hic absolvitur in persona Parmenonis. *Bœclerus.*

Ædepol næ] Alii *ne*: pro *non*, scilicet: eodem redit; ut *floccifacio*, et *non flocci facio*. Mer. Casaubonus.

Deputat parvi pretii] Quia sic scilicet abutitur. Deputat parvi eam, qui deputat eam in re nullius pretii consumendam. *Donatus.*

2 *Frustra ubi totum desedi diem*] Deest *illuc*: ut sit, illuc ubi frustra totum desedi diem. *Idem.*

Totum desedi diem] Nota accusativo casu usum esse. *Idem.*

3 *Myconium hospitem dum exspecto*] Memoriter et vigilanter servus Myconium hospitem et Callidemidem dixit: ne videretur negligentia vel oblivione sua non invenisse, ad quem missus est. *Idem.*

Myconium hospitem] Bene ostendit se memorem et signorum et nominum, ut videatur vere illusus, quum operam dederit. *Idem.*

4 *Itaque ineptus*] Moraliter additum *ineptus*. et *ineptus*, quasi inaptus. *Idem.*

5 *Adolescens, dicdum, quæso*] Vernaliter et comice se ipsum servus imitatur. et est μίμησις. *Idem.*

Dic dum] *Dic dum*, ut *adesdum*, *facito dum*, et similia. Grammatici vocant *parelcon*, et syllabicam adjectionem. *Mer. Casaubonus.*

Es tu Myconius] Nam ut tria mandata sunt inquirenda, tria inquisita sunt ordine. *Donatus.*

6 *Non sum*] Respondebat ille, scil. *Mer. Casaubonus.*

7 *Omnes negabant*] Bene transit a μιμητικῷ ad διηγηματικὸν, et συντόμως. *Donatus.*

Neque enim quemquam esse arbitror] Id est, non puto eum esse in mundo. *Idem.*

Neque enim quemquam esse arbitror] O. l. s. *neque eum*. ita et Donatus, si bene consideretur. *Faërnus.*

8 *Jam pudebat*] Sedere, an interrogare? *Donatus.*

9 *Ab nostro adfine euntem video*] Satis moraliter inducitur servus dicere, *ab nostro adfine*: quum domini ejus sit, non ipsius. Sic et prius, 'Noster socer, video, venit,' pro, Pamphili socer. *Idem.*

Exeuntem video] Docte Poëta præmonstrat locuturam personam. *Idem.*

Quid huic hic est rei] Rursus curiosus nihil sciturus est, et excursurus piger. *Idem.*

10 *Parmeno, opportune te offers*] Attendendum, quod ab initio comœdiæ usque ad finem, Parmeno mittitur ut currat: et celatur, ut nesciat, quod curiose desiderat. *Idem.*

Propere curre ad Pamphilum] Facete Poëta inde incipientem facit, quod ille minime vult, dicendo *curre*. Idem.

11 *Quid eo*] Id est, ad Pamphilum. *Idem.*

Ad te] Vide curiosum non recusare laborem, quo causam sciat. *Idem.*

Ad te] Non ad te conveniendam: sed domum, *ad te* significat. *Idem.*

Imo ad Philumenam] Mire tota fabula invenit, quamobrem currat Parmeno. *Idem.*

12 *Quid rei est*] Totum pro persona. *Idem.*

Tua quod nihil refert, percontari desinas] Οἰκονομικῇ διανοίᾳ et eximie dixit, quasi minus sit injurium prohibere interrogare, quam interroganti non respondere. Et memento hanc esse, cui in principio nihil cœlaverit Parmeno. *Idem.*

Tua quod nihil ref.] Ex Plauti Sticho II. 1. 48. 'Tua quod nihil refert, ne cures.' *Bœclerus.*

13 *Nihil aliud dicam*] Vult rem per mandata colligere. *Donatus.*

Nihil aliud dicam? etiam] Donatus non expedit satis. *etiam* sub. dicas, i. e. præterea hoc dicas. *Bœclerus.*

BA. *Etiam cognosce annulum illum Myrrhinam*] *Etiam* adverbium est vel consentientis, vel reminiscentis: sed magis reminiscentis modo. Sic Cicero, 'Etiam, quod pene præterii, capella quædam est, mire facta.' *Scio*: non *audio*, inquit, sed *scio*. Donatus.

14 *Scio*] Audio te, intelligo. *Mer. Casaubonus.*

16 *Sed cessas*] Hoc est, tardas et quiescis? urget autem cum cursu. *Donatus.*

Minime equidem] *Cesso* subauditur. *Idem.*

Potestas haud data est] Cessandi scilicet. *Idem.*

17 *Ita cursando atque ambulando*] Est enim cursus et navigantis et equitantis. *Idem.*

18 *Quantam obtuli adventu meo*] Reliqua pars argumenti per μονῳδίαν narratur. *Idem.*

19 *Quot commodas res attuli*] *Quot*, tam multas. Et more suo *attuli* dixit. *Idem.*

Quot autem ademi curas] Sic ante, 'Ut metum, in quo nunc est, adimam: atque expleam animum gaudio.' *Idem.*

Quot commodas res attuli! Quot autem ademi curas] Hæc omnia admirantis sunt. ut Virgil. 'Quis novus hic nostris successit sedibus hospes!' *Idem.*

20 *Gnatum ei restituo, &c.*] Ἐξαρίθμησις. *Idem.*

21 *Reddo*] *Redditur* nobis, quod nostri cupidum est; *restituitur* nobis, cujus cupidi sumus. Bene ergo 'Gnatum restituo,' 'Uxorem reddo.' *Idem.*

22 *Qua re suspectus suo patri et Phidippo fuit*] Ergo non unum beneficium, sed tria sunt. *Idem.*

Exsolvi] Variavit tempora, *restituo*, *reddo*, *exsolvi*. Idem.

Exsolvi] Exsolvi ejus rei suspicione, quam ob rem, vel, qua re susp. &c. *Mer. Casaubonus.*

24 *Nam memini abhinc menses decem*] *Menses decem* dixit: et recte: ut de hoc peperisse demonstret. *Donatus.*

Abhinc menses decem fere] Bene expressit tempus, ut nulla ex parte dubitaretur, Philumenam ex Pamphilo peperisse. unde mox in tota narratione, qua Bacchis spectatoribus rem exponit, accurate omnia colliguntur, sicut Donatus diligenter observat. *Bœclerus.*

Ab hinc menses decem] Nono mense exacto, vel certe quadragesima præcise septimana, parere fœminas hodie vulgo credunt; unde quæ in veteribus de decem mensibus, de lunaribus quidam (Turnebus aliique) interpretantur. At medici tum veteres, tum recentiores, decimum mensem totum pro legitimo non minus habent, quam nonum, ut mirum non sit, si, ut nos noni, ita veteres decimi mensis meminerint. Gellius adeundus, Noct. Attic. l. III. c. 16. Sed et Sennertus, aliique nostri temporis præstantissimi medici. *Mer. Casaubonus.*

Nocte prima] Primis partibus noctis, vel primore: ut, 'Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem.' *Donatus.*

Nocte prima] Ineunte nocte. vel noctis prima parte, quam alii *concubium*, alii *conticinium* appellatam volunt. Ita alibi, 'Prima fabula,' pro, prima parte fabulæ: 'Ultima platea,' &c. *Mer. Casaubonus.*

25 *Confugere anhelantem*] Ex his argumentis potest colligi, hunc esse, qui virginem vitiaverit. *Donatus.*

Confugere anhelantem] Vide signa conjecturalia: quod confugere vidit, timebat: quod anhelantem, colluctatus fuerat: quod domum, celari volebat: quod sine comite, pudendum fuerat facinus: quod vini plenum, temerarium: quod annulum habebat, raptum indicat. Vides igitur his indiciis ut virginem apparet vitiatam. *Idem.*

27 *Mi Pamphile, inquam, amabo*] Hæc blandimenta sunt muliebria. *Idem.*

27 *Quid exanimatus es, obsecro? aut unde annulum istum nactus*] Principalia signa vitii illati, perturbatio et annulus. *Idem.*

Quid exanimatus es, obsecro? aut unde annulum istum nactus] Brevitati consulit Terentius: nam in Græcia hæc aguntur, non narrantur. *Idem.*

28 *Simulare*] Fingere, ac pro vero falsum tradere. *Idem.*

Ille alias res agere se simulare] Id est, alias res agentem se fingere: pudebat enim amicæ de alterius stupro fateri: et ei amicæ, quam tum deperibat. *Idem.*

29 *Nescio quid suspicarier*] Pro aliquid. *Idem.*

Nescio quid suspicarier magis cœpi inst.] Distinguendum est: *nescio quid suspicarier magis cœpi, instare ut dicat.* sub. et instare. minus elegans mihi hæc ellipsis hoc loco videtur. sed sensui aliter succurri non potest. *Bœclerus.*

30 *Homo se fatetur vi in via virginem nescio quam compressisse*] Bene additum *homo:* et oratorie *nescio quam.* ex quo dicto omnis error est natus. Nam appone nomen, et nulla fabula est. *Donatus.*

Nescio quam] Vel quia vere nesciebat: vel quia sic dicendum fuit, ne amare illam videretur. *Idem.* Non disjungit particula *vel*, sed conjungit, i. e. tum quia vere nesciebat, (id enim fabula clamat,) tum quia hoc genus loquendi, in quo Donatus μίμησιν agnoscit, opportunum erat apud amicam, ex causa addita. *Bœclerus.*

31 *Luctat*] Antique, pro *luctatur.* Mer. Casaubonus.

35 *Hæc tot propter me gaudia*] Inclusit narrationem fabulæ more suo: ne hæc in futuro actu exspectaremus. *Donatus.*

36 *Etsi hoc meretrices aliæ nolunt*] Color necessarius a verisimili. Se enim alibi dixisse, 'Bonas matronas facere meretrices malas,' meminit. *Idem.*

Neque enim est in rem nostram] *In rem*, in utilitatem, id est, pro commodo. *Idem.*

38 *Ad malas adducam partes*] Vide supra, sc. 1. *Mer. Casaubonus.*

39 *Ego, dum illo licitum est*] An meruerit Pamphilus. *Donatus.*

Dum illo licitum est, usa sum benigno] Dum licitum est, usa sum illo benigno, &c. trajectio, sive transpositio, quales apud optimos scriptores non paucæ. *Mer. Casaubonus.*

40 *Incommode mihi nuptiis evenit*] Sic dixit, quemadmodum dicimus, 'Ei male evenit,' aut 'Bene ei contigit.' *Donatus.*

Incommode mihi nuptiis evenit] Ἀνθυποφορά. Et est ordo, Incommode mihi evenit ex nuptiis: et *incommode*, pro incommodo. *Idem.*

Nuptiis] Deest *ex.* ut sit, *ex nuptiis.* Idem.

Incommode mihi nuptiis evenit] Nuptiæ illæ non in rem meam: mihi incommodæ: fateor, sed id nulla mea culpa, quæ impedire non potui. *Mer. Casaubonus.*

Factum fateor] Ἀνθυποφορά. *Donatus.*

41 *Ne id merito mihi eveniret*] Ergo hæc dolemus, quæ merito contingunt. *Idem.*

42 *Multa ex quo fuerint commoda, ejus*] Ratio cur nova omnia fiant, et contra officium meretricis. *Idem.*

Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum est ferre] Hoc eo tractu vocis, et ea æquanimitate dicendum, quale in Adelphis, 'Quando eum quæstum occœperis, Accipienda et mussitanda injuria adolescentium est.' *Idem.*

Ejus incommoda] Vide supra act. IV. sc. 2. 'Incommoda ejus,' pro 'Incommoda quæ ex eo.' Vide Phor. v. 8. 'Odio tuo,' &c. *Mer. Casaubonus.*

SCENA IV. Satura est hæc quoque scena, ex Trochaicis tetrametris catalecticis et acatalect. itemque Iambicis non unius generis. vide Faërnum præsertim. Omnes addunt Grammatici recensentis nomen; *Calliopius recensui.* Bœclerus.

1 *Vide, mi Parmeno, etiam sodes, ut mihi hæc certa*] Bene *hæc* repetit. verum est enim, ut quod misere cupimus, id etiam tardius credamus effectum. Sic et in Heautontimor. 'Ego vereor magis.' *Donatus.*

Vide mi Parmeno] Versus hi trochaici sunt tetrametri: sed hic et septimus, acatalectici. alii catalectici. *Faërnus.*

2 *Ne me in breve conjicias tempus gaudio hoc falso frui*] An ordo est, *Ne me conjicias frui hoc falso gaudio in breve tempus?* ita volunt. Miro genere ὑπερβατικῆς συλλήψεως, ut sic vocemus, extulit hunc sensum, *Ne me conjicias in falsum et breve gaudium.* ne me conjicias in falsum gaudium, quo si breve ad tempus fruerer, evanesceret. Affectus ipse cum φράσει exprimitur ἐκ παραλλήλου Heaut. II. 3. 51. 'Ne me in lætitiam frustra conjicias.' et vs. 61. 'Cave ne falsam gratiam studeas inire.' Latine scilicet dicitur, In gaudium breve, In lætitiam brevem conjicere aliquem. quam phrasin, non simplici, ut diximus, figura, ad *tempus* transtulit poëta: *Ne me in breve conjicias tempus, ad fruendum falso gaudio.* nam et ita potest, ac fortasse debet, ordinari. *Bœclerus.*

Visum est] Dixerat Pamphilus, *Vide, mi Parmeno, &c.* id est, cave diligenter, provide,&c. respondet eodem verbo Parmeno, *visum est.* i. cautum a me est, provisum diligenter, &c. ita mox, *Manedum: maneo.* Mer. Casaubonus.

Deus sum] Heaut. act. IV. sc. 3. 'Deorum vitam adepti sumus.' *Idem.*

4 *Manedum*] *Dum* abundat. *Donatus.*

Timeo ne aliud esse credam, atque aliud nuncies] Insperatum gaudium, somnio simile. *Mer. Casaubonus.*

5 *Sic te dixisse opinor*] Miro affectu inducitur, vix adduci ad creden-

dum, quod gaudet Pamphilus. *Donatus.*

7 *Ita inquam*] Quasi jam ante fassus, dico. *Idem.*

8 *Quis me est fortunatior venustatisque adeo plenior*] Ob beneficia Veneris; cui contrarium 'invenustus,' cui contra reciderit, quod amat. *Idem.*

Venustatisque adeo plenior] Bene Donatus comparatione similis loci explicat. Sed Nonius Marcellus quorsum excedit, cum *vetustatem* hic nobis pro *venustate* reponit? 'Vetustas,' inquit, 'et antiquitas, vel felix, vel sapiens, vel mansueta est habita.' Terentius Hecyra: 'Quis me est fortunatior vetustatisque adeo plenior?' Non est usus bono Terentii codice. aut habuit in animo vs. 18. *Bæclerus.*

Venustatisque adeo plenior] Id est felicitatis. Vide And. act. I. sc. 5. ad illa: 'Adeon' hominem invenustum esse, aut infelicem quenquam ut ego sum?' *Mer. Casaubonus.*

9. *Quid donem? quid? quid? nescio*] Μελλησμός. ut: 'Pelagine venis erroribus actus, An monitu divum: an quia te fortuna fatigat, Ut tristes sine sole domos, loca turbida, adires?' *Donatus.*

Egon' te pro hoc nuncio quid donem] Phorm. act. V. scen. 7. 'Argentum quod habes condonamus te.' *Mer. Casaubonus.*

11 *Nam neque in nuntio*] Magis scire vult, quam munus accipere. *Donatus.*

Nam neque in nuntio, neque in me ipso boni quid sit, scio] Facete agit Terentius: quanto magis Parmeno curiosus est, tanto magis nescit illa, quæ cupit. *Idem.*

Nam neque in nuntio, &c.] Monnimus ab initio peculiare hujus fabulæ artificium esse, celari quædam, secus quam in aliis fit comœdiis. Id poëtæ consilium servi hujus curiositas subinde lacessit, sed frustra: i. e. conspectius reddit. Sed hæc omnia a vs. 9. usque ad 39. Fr. Guyetus una litura delet. Et sunt sane in his, quæ nemo quisquam hactenus explicaverit, aut explicaturus forte satis sit in posterum. nec sententiæ tantum, sed et personæ commiscentur. *Bæclerus.*

Neque in nuncio, neque in me ipso, tibi boni quid sit, scio] Andr. act. II. sc. 1. 'Ego Charine neutiquam officium liberi esse hominis puto, Cum is nihil promereat, postulari id gratiæ apponi sibi.' *Mer. Casaubonus.*

16 *O Bacchis, o mea Bacchis, servatrix mea*] Bene additum est, *servatrix mea.* Et *mea*, quod supra dixit, amatoris est. *Donatus.*

17 *Factis ut credam, facis*] Difficile enim erat credere, his rebus gaudere meretricem. *Idem.*

Factis, ut credam, facis] Olim cum lætum aliquid alicui gratulabantur, et gaudere se solenni formula profitebantur, respondebat ille, cui gratulabantur; *credo*, vel, *creditur.* Supra, act. III. sc. 5. 'Bene factum te advenisse Pamphile, Atque adeo, &c. P. Creditur.' Phorm. act. II. sc. 1. 'Mi patrue, salve. salvum advenire' (gaudeo, scil. vide ibi) 'D. credo.' Alibi quoque exempla observantibus occurrent. Hic igitur cum Bacchis solita formula Pamphilo felicitatem suam gratularetur, non contentus ille simplici responsione, 'Credo: factis' (inquit) 'ut credam facis.' q. d. Si alii crederem, aut credere me saltem pro more responderem, qui se gaudere profiteretur; quanto magis tibi, cui potissimum debeo hanc felicitatem, quam mihi gratularis? Hæc vera loci sententia, quam Don. non est assecutus. Hinc etiam lux non uni Plauti loco, in Sticho. Antipho senex, Pamphilippo adolescenti solita formula incolumem reditum in patriam gratulatur: 'Ita me Dii bene ament,' &c. respondet ille, jocose, 'Satis abs te accipiam, nisi videam mihi te amicum esse Antipho: Nunc quia te amicum mihi experiar esse, Creditur tibi.' *Mer. Casaubonus.*

19 *Ut voluptati obitus*] *Obitus* occursus: *ob* enim significat contra. Ergo *obitus*, aditus. Legitur et, *voluntate obitus.* Donatus.

Obitus, sermo, adventus tuus] Inter *obitum* et *adventum* hoc interest: quod *obitus* est, quem casus affert: *adventus*, quem voluntas et destinatus locus. *Idem.*

Ut voluptati obitus, sermo, adv.] Donatus *Obitum* et *adventum* hic distinguit. Nonius alibi *obitum* pro *adventu* accipit. *Bæclerus.*

Obitus] Occursus. *Mer. Casaubonus.*

22 *Tune mihi istuc*] Quia blandimentum magis meretricium est. *Donatus.*

Tu ne mihi istuc] Ex eodem libro et Victoriano lege, *tun*, et versus procedit, si *mihi* monosyllabum feceris. *Faërnus.*

Recte] Non sine causa. *Mer. Casaubonus.*

23 *Numquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram*] Hoc est, numquam sic videram, ut eam nossem. *Donatus.*

Nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram] Potuit enim vidisse, cum non nosset. *Mer. Casaubonus.*

Quod nossem] Id est, quod meminissem, quod scirem: ac per hoc, numquam videram. ut alibi, 'Non equidem istuc, quod sciam.' *Idem.*

24 *Perliberalis visa est*] Plautus in Persa IV. 3. 75. 'Hæccine illa est furtiva virgo? To. Juxta tecum æque scio, Nisi quia aspexi. equidem edepol liberalis est, quisquis est. Do. Sat edepol concinna est facie.' *Bæclerus.*

Dic verum] Bene instanter ex meretrice quærit, quid de forma uxoris sentiat. scit enim hanc judicem esse pulchritudinis posse: vel quod fœmina, vel quod æmula? *Donatus.*

25 *Numquid*] Num aliquid. acuendum ergo *quid.* Idem.

Neque opus est, adeo mutito] Vel tenui dicto. *Idem.*

26 *Adeo mutito*] And. act. III. sc. 2. 'Itaque hercle nihil jam mutire audeo.' *Mer. Casaubonus.*

Non fieri hoc itidem ut in comœdiis.] Mire: quasi hæc comœdia non sit, sed veritas. aut deest *aliis.* Donatus.

Ut in comœdiis] Deest *fit.* Idem.

Ut in comœdiis] Sed Terentio præivit Plautus. ut in Amphit. 'Nam mihi quidem, hercle, qui minus liceat Deo, minitarier populo, ni decedat mihi, quam servulo in Comœdiis?' *Mer. Casaubonus.*

27 *Omnia omnes ubi resciscunt*] In fine enim comœdiæ nihil cuiquam cœlari solet. *Donatus.*

Quos par fuerat resciscere] Scribe *sciscere*, cum Faërno. Alioqui non esset Trochaicus. *Faber.*

Hic, quos par fuerat] *Hic*, in hac comœdia, aut in hac re. *Donatus.*

28 *Neque resciscent, neque scient*] *Resciscunt* ad quos pertinet. Et *resciscunt* qui nesciunt: *sciunt* qui negligunt. Et *resciscimus* ex alio, *scimus* etiam per nostram opinationem. *Rescire*, est recognoscere, et vix invenire quod quis nescierit. *Idem.*

Neque resciscunt, neque scient] O. fere l. s. et in iis Bembinus, et Victorianus, et Basilicanus, itemque Donatus, *resciscent.* Faërnus.

30 *Jurejurando meo se fid. hab.*] Ita libri scripti. unde Faërnus putat, in recto casu dictum fuisse *jurejurandum.* Nolim huc descendere; cum propiora sint tuendæ locutioni præsidia. *Bæclerus.*

32 *Speroque hanc rem eventuram*] Idem liber et aliqui alii ita habent, *rem esse eventuram.* quod et ad rationem trochaici pertinent. *Faërnus.*

33 *Here, licetne scire ex te*] Ridicule instat scire, ignoraturus Parmeno. *Donatus.*

34 *Tamen suspicor*] In *tamen*, n eliditur. ut et alibi, 'Tamen vix humane patitur.' *Idem.*

35 *Egone hunc ab orco mortuum*] Verba sunt cogitantis. ideo et ἐλλειπτικῶs loquitur. *Idem.*

Nescis, Parmeno] Addidit stimulos curiositati ejus. *Idem.*

37 *Immo vero scio, neque hoc imprudens feci*] Recte : parvum enim beneficii meritum, si ab imprudente præstitum videatur. *Idem.*

Immo vero scio, neque hoc imprud. f.] Nihil durius correctione Petiti : *immo vero scio : næ quæ hic imprudens feci.* Qui novit Terentii stilum, nihil tale exspectat. an iterum tentat curiosius, resciscere secretum, dum ad Pamphilum loquitur? Nam quod vs. 40. ait, 'Imprudens plus boni feci,' &c. id ad spectatores dicitur, et hoc significat: cum annulum Myrrhinæ repertum esse Pamphilo renuntiavi, quid inde sequeretur, ignorabam quidem; sed boni aliquid fuisse, nunc satis animadverto. *Bœclerus.*

Neque hoc imprudens feci] Non hoc serio dicit Parmeno, sed servili quadam jactantia et exsultatione: neque aliter accipienda responsio Pamphili. *Mer. Casaubonus.*

38 *Temere quicquam Parmenonem prætereat*] Quod interdum non temere prætereat, quod habet faciendi necessitatem. *Donatus.*

Temere quicquam Parmenonem prætereat] Sibi ipsi hoc dicit, et se nominat. Ut, 'Degeneremque Neoptolemum narrare memento.' Et, 'Age nunc : Phormionem, qui volet, lacessito.' *Idem.*

Temere quicquam] Utrum hoc dicit, Non temere, neque per imprudentiam geritur, quicquid utile est? an hoc dicit, Nihil potest transire temere, quod utile factu est, quin gratiam sui habeat? An hoc dicit, An quicquam Pamphilus prætereat temere, ita ut non remuneret bonum factum Parmenonis, quod sibi utile fuerit? Et convenit hoc dictum meretrici abeunti. *Idem.*

Omnes nostri Mss. habent : *An temere quicquam Parmenonem prætereat.* Ita etiam Donatus legit: sed dubitat, utrum ex persona Bacchidis hæc dicantur, quasi esset : *An quicquam Pamphilus prætereat temere, ita ut non remuneret bonum factum Parmenonis, quod sibi utile fuerit?* Id quod durum fuerit; ut nesciam, quomodo potuerit Grammatici stomachus concoquere talem sensum, istis verbis enuntiatum. Faërnus ex Bembino libro hunc sermonem Pamphilo tribuit; et ex eodem legit, *Parmeno.* unde in nostram editionem irrepsit. Placet, quod de persona Pamphili affertur, cujus in servum ironiæ aptius videntur convenire hæc verba. nam quatenus Parmenoni tribuuntur, nihil satis constanter expedivit Donatus. simplicius tamen fuerit tum sic accipere, ut continuet suam *εἰρωνείαν* Parmeno, quam cœpit in illis; 'Immo vero scio; neque hoc imprudens feci: an enim Parmenonis industriam facile effugiat aliquid ex illis quæ facienda sunt, quæ fieri debent?' Mallem autem retinere τὸ *Parmenonem.*

Ultimum versum ex Plauti Captiv. Prol. imitatione traductum, non unus eruditorum monuerunt. *Bœclerus.*

39 *Plus hodie boni feci imprudens*] Bonum facere, recte potest et imprudens. bene facere, nemo, nisi prudens. Sen. 'Non erant illi sapientes viri, etiamsi faciebant facienda sapientibus.' *Mer. Casaubonus.*

40 *Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam*] Quia non convenit servo scienti, recte facere, bene addidit, imprudenti sibi evenisse, ut bene faceret, quod prudens nunquam fecerit. *Donatus.*

Imprudens, quam sciens] Ἀντίθετον secundum. Nam imprudentem scienti reddit, non prudentem. *Idem.*

PHORMIO.

PERSONÆ] In nuperis editionibus Batavicis Stilpho adolescens ponitur inter personas mutas bis male. Nam Stilpho est Chremes, et Chremes senex erat, ut ex comœdiæ historia constat. Illum itaque hinc sustuli. Legitur et in iisdem ancilla Dorcio; error haud ferendus; illa enim puella dicebatur Dorcium, ut Stephanium, Lampadium, Glycerium, &c. *Faber.*

Senarii sunt. vs. 3. Mss. nostri duo; *retrahere* pro *deterrere.* vs. 22. omnes; *sibi esse id rel. p.* vs. 28. unus; *agetur.* vs. 34. duo; *autoris virtus.*

Donati annotatio in hunc prologum valde diligens et erudita est. *Bœclerus.*

Postquam Poëta vetus Poëtam non potest] *Hoc initium a destructione personæ adversarii sumitur, conjunctum cum insinuatione personæ Terentianæ.* Donatus.

1 *Postquam Poëta vetus Poëtam non potest*] Nota, *postquam* apud veteres non præterito modo, sed etiam præsenti tempori adjungi. Ut, 'Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.' Quamquam sunt, qui *postquam* simpliciter pro *quoniam* accipi velint. *Idem.*

Postquam Poëta vetus] Qui jam diu est, non qui jam diu fuit. Ergo ut vinum, *vetus:* non vetus, ut Ennius. *Idem.*

Postquam Poëta vetus Poëtam] Jocunda repetitio. ut, 'Diva deum.' Et, 'Notos pueri puer indue vultus.' *Idem.*

Postquam Poëta vetus Poëtam non potest] Ἀντίθετον primum per σύλληψιν primam, ita ut extrinsecus novum audire Poëtam oporteat. *Idem.*

Poëta vetus] Vide ad Andr. prolog. *Mer. Casaubonus.*

2 *Retrahere a studio*] Sic loquitur, quasi rem scenicam magis lædere voluerit Luscius, quam Terentium. *Donatus.*

Retrahere a studio] Liber Victorianus *ab*, ut et infra. *Faërnus.*

Transdere] *Transdere* veteres sonantius, quod nos lenius dicimus *tradere:* ut *tralatum*, nos *translatum* e contrario. *Donatus.*

Et transdere hominem] Comice et venuste inseruit *hominem:* ut, 'Levibus huic hamis consertam, auroque trilicem Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse Victor, apud rapidum Simoënta sub Ilio alto; Donat habere viro, decus et tutamen in armis.' *Idem.*

Transdere] Alii, *tradere.* Veteres *transdere*, quod nos mollius *tradere.* ac nos ex contrario, *translatum*, quod illi, *tralatum.* Don. *Mer. Casaubonus.*

3 *Maledictis deterrere*] Sensus hic est : Ipse se, inquit, adversarius fatetur victum, qui a rebus exclusus, ad verba delapsus est. *Donatus.*

Maledictis deterrere] Deest *eum.* ut, 'Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam Connubio jungam stabili.' *Idem.*

4 *Qui ita dictitans*] Impudentiam ostendit per frequentativum verbum. *Idem.*

Quas antehac fecit fabulas] Et hic lentum accusatorem facit, qui præterita ingerat, et de quibus jam sit judicatum in melius. *Idem.*

5 *Tenui esse oratione, et scriptura levi*] Imperitum inducit criminatorem, qui hoc objiciat, quod proprium debet esse comici styli. Revera autem hoc deterior Menandro Terentius judicabatur, quod minus sublimi oratione uteretur. quod ipsum nunc purgat, dicens in tragœdia altiora trans-

ire posse. *Idem.*

Tenui esse oratione, et scriptura levi] Vide C. Julii Cæsaris de Terentio judicium, inter testimonia initio præfixa. *Mer. Casaubonus.*

6 *Quia nusquam insanum scripsit adolescentulum*] Ideo videmur leves, tenuesque, inquit, quia non in comœdia prodigia facta sunt, et tragœdias concitavimus. Et callide hic non solum errorem reprehendentis, sed etiam imperite scripsisse ipsum ostendit Luscium Lavinium. *Donatus.*

Scripsit] Legitur et *fecit.* Idem.

Adolescentulum] Ut comicam personam ostenderet, artificiose immisuit *adolescentulum,* quo magis persona a sublimitate tragica discederet. *Idem.*

Quia nusquam insanum scripsit adolesc. &c.] Cautius omnino agere debuerunt, qui auctoritatem magni illius Turnebi secuti, nec de re tota satis cogitantes, hoc tantum secure crediderunt, quod is ex Donato in Eun. sumserat, *cervam* hic significare amicam, quam multi depereant amatores. Qui attendit, quid dicatur, non dubitat Luscium in eo reprehendi: quod introduxit in Comœdia adolescentulum *μαινόμενον* sive insanum; qui putaret adeoque diceret, se videre cervam fugientem insectantibus canibus, ipsique cum lacrimis supplicantem, ut subveniret sibi. Insani et furentes putant se videre, quod non vident: Οἴονται ἰδεῖν τὰ μὴ ὄντα· sicut vel ex Ajace Sophoclis cognoscas: adeoque *μανίας ἔποχον ῥίπτουσι λόγον,* sicut apud Euripidem in Hippolyto Phædra. in quibus *μανιώδεσι λόγοις,* consentaneum est *τὰ τοῦ πάθους αἰνίττεσθαι.* sicut exempla laudata ostendunt. Ajax enim iræ suæ argumentum *διαστρόφοις ὀφθαλμοῖς* intuetur: Phædra amoris sui figuras loquitur, insanisque verbis *τὰ τοῦ ἔρωτος αἰνίττεται.* Ita apud Luscium ille adolescentulus, præ nimio desiderio amicæ, potuerit de sanæ mentis statu emoveri, et morbo intra præcordia sæviente, videre quæ non videbat, deque iis verba jacere. quibus interim voluerit Poëta causam insaniæ et morbi *αἰνίττεσθαι.* Sive autem continuus hic furor sit; ut Ajacis, quem *θεήλατον* Poëta fecit; sive vehementia perturbationis ad sermones parum sanos evectus refringitur, ut in Phædra, quæ *πάλιν καταστᾶσα τῆς μανίας καὶ ἔμφρων γενομένη αἰσθάνεται ἑαυτὴν παρατρέψασαν, καὶ μανιώδη φθεγγομένην;* quicquid inquam horum sumserit Luscius, non jam comicum sed tragicum *πάθος* in scenam attulit. nam *κωμικὴν ὑπόθεσιν* excedit, vel per intervalla, vel per *συνεχῆν ἐκφροσύνην,* verba furentium loqui. Hoc est, quod Terentius in Luscio notavit: et in quo *τὸν κωμικὸν ἐκωμῴδησεν. Bœcler.*

Scripsit adolescentulum] Quæ tragœdiæ aptiora, quam comœdiæ. *Mer. Casaubonus.*

7 *Cervam videre fugere, sectari canes*] Hic affectus a comœdiis removendus est. *Donatus.*

Cervam videre fugere, sectari canes] Ambiguitas per accusativum casum, perseverans usque ad ultimum de industria, ut etiam ipsa perplexitas odiosa sit. *Idem.*

Videre] Imo, *videri.* Nam procul dubio ita scriptum reliquit Comicus: quod verbum magis aptum personæ insanienti, de qua intelligit; quia *videri,* id est, *τὸ δοκεῖν, καὶ φαντάζεσθαι,* longe accommodatius turbatæ menti, quam *τὸ δρᾷν.* Nam ejusmodi homines putant se videre quod non vident: et hoc est *δοκεῖν.* Scal. in Catul. *Mer. Casaubonus.*

8 *Et eam plorare, orare, ut subveniat sibi*] Hæc omnis *περίστασις* tragica est: et ideo in comœdia vitiose inducitur. *Donatus.*

Eam plorare] Lacrymæ hominis propriæ, (ut solus vere gaudeat et mœreat,) ex quadam tamen similitudine aliis aliquot animalibus tribuuntur: ut

crocodilo, et cervo. De cervi lacryma Scal. exercit. 112. *Mer. Casaubonus.*

Orare ut subveniat sibi] Plinius de cervis: 'Urgente vi canum, ultro confugiunt ad hominem.' *Idem.*

9 *Quum stetit olim nova*] Bene hoc positum est. potuit enim responderi, Cur igitur stetit, et non exacta est a populo? *Donatus.*

Quum stetit olim nova] Recte *olim:* quasi dicat, Quum adhuc Terentius non scriberet, penuria meliorum est probata. Deinde quod ait *nova,* hoc significat, omnia carmina novitate ipsa commendari, etiamsi nullius momenti sint. *Idem.*

Cum stetit olim nova] *Stetit* posteriorem hic producit, more antiquorum, apud quos finientia in, t, indifferentia erant. *Faërnus.*

10 *Actoris opera magis stetisse*] Una opera et suffragium scenicorum comparat, et lædit adversarium. *Donatus.*

11 *Minus multo audacter*] Nove dictum, *minus multo audacter:* ut cum dicamus nos, 'minus audacter.' *Id.*

Minu' multo audaciter quam lædit læderet] Ita dubio procul legerat Donatus; sed is hodie ab excerptore suo corruptus est. Quare autem non æque dici queat *audaciter,* ac *contumaciter, pertinaciter, pervicaciter, furaciter, &c.* apud Ciceronem? Scio et hoc, apud Minutium Felicem reperiri eandem vocem pag. 23. ed. Germanicæ. *Faber.*

12 *Quas fecisset fabulas*] Andr. prol. 'Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.' Vide ibid. *Mer. Casaubonus.*

Et magi' placerent quas fecisset fabulas] Vellem hunc versum delevisse; qui ex Andria est, et huc inepte translatus. In veteribus quidem libris nullus est. *Faber.*

13 *Nunc si quis est qui hoc dicat, aut sic cogitet*] Omne quod in mentem venit, aut cogitamus, aut dicimus. ut Virgilius, 'Et mihi jam multi crudele canebant Artificis scelus, et taciti ventura videbant.' Hic sensus est, Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut censeat, improbus est Terentius, qui omnes prologos de maledictis facit: habeat is hoc responsum sibi, adversarium coëgisse, qui provocaverit. Nam quid faceret Terentius, quum de palma artis musicæ certandum videat esse sibi? *Donatus.*

14 *Lacessisset prior*] Aut *lacessisset* abundat, aut *prior.* Idem.

15 *Nullum invenire prologum*] *Prologum* modo, non hominem, sed verba significat. *Idem.*

Novus] Hic quod supra prætermisit, veteri supposuit novum. *Idem.*

16 *Nisi haberet cui malediceret*] Mire, *haberet:* quasi dubium non sit, maledicendum esse Luscio. *Idem.*

17 *Is sibi responsum hoc habeat*] Huic rei per qualitatem respondet, adversarium cogere, ut sic agat. *Idem.*

In medio omnibus palmam esse positam] Sensus hic est, Inveniret, inquit: sed maluit, quum de palma certandum sit, adversario respondere lædenti. Verum oratorie, manifesta solvere non curavit, hoc est, nullum invenire prologum potuisse Terentium. et hoc enim objiciendum fuit omnibus et novis et veteribus Poëtis. *Palmam* pro causa certaminis posuit. Et ideo non est mirandum, si pugnant, quibus causa certaminis præsto est. *Idem.*

In medio omnibus palm.] Vide Chrestomath. in voc. 'med.' *Bœclerus.*

18 *Qui artem tractant musicam*] Virgilius, 'Nec quicquid ubique est Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.' Et *περιφραστικῶς, ἀντὶ τοῦ,* qui comœdias scribunt. *Donatus.*

Qui artem tractant musicam] Prol. Heaut. 'Repente ad studium hunc se applicasse musicum.' vide ibid. *Mer. Casaubonus.*

19 *Ille ad famem hunc ab studio*] Hic maxime incipit solvere, quod sibi superius ipse proposuit. *Donatus.*

Ille ad famem hunc ab studio] Nunc

quid est, inquit, Poëtam vituperare, nisi ad famem rejicere? nam Poëtæ probi suas vendebant fabulas, et harum pretiis alebantur. *Idem.*

Ille ad famem hunc ab studio] Cur lacessitus respondes? certamen est, inquit. *Idem.*

Ab studio studuit] Vetuste: ut, 'luserat ludum' et 'pugnam pugnavit.' *Idem.*

Ab studio] Donatus hic: *ab studio studuit.* vetuste. ut, 'luserat ludum,' et 'pugnam pugnavit:' sed fallitur. nam is ordo verborum, *studuit reicere* (i. rejicere) *ab studio ad famem.* nempe, ut cessante studio et industria fame periret, et inopia. Nam, 'Magister artis ingeniique largitor venter,' ut Pers. in prolog. et Theog. Ἡ πενία Διόφαντε μόνη τὰς τέχνας ἐγείρει. *Studium* autem vox, ex Heb. צרח, quod 'quærere,' 'venari' significat. Id enim primorum hominum præcipuum studium, venatio. *Mer. Casaubonus.*

21 *Benedictis si certasset*] Quia supra dixit, 'In medio omnibus palmam esse positam.' quasi dicat, quicquid in certamen venerit, in eo vincendos æmulos esse. *Donatus.*

Si certasset] Ἀντὶ τοῦ provocasset: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Virgilius, 'Nec te certasse priorem Pœniteat.' *Idem.*

Audisset bene] *Bene audire*, est bene dici, laudari. *Idem.*

Audisset bene] Donatus supplere ἔλλειψιν videtur, quando notat: 'bene audire,' &c. plenius: bene audire, est, audire bene dici. ita male audire, est, audire male dici, sibi aut de se. hæc unica ratio locutionis. *Bœclerus.*

22 *Quod ab ipso allatum est*] Id est, maledictum. *Donatus.*

Quod ab ipso allatum est, sibi esse id rellatum putet] Proverbiale est, 'Quod dedit, recepit.' Et geminavit *l.* ut 'Relliquias Danaum.' *Idem.*

Id sibi esse rellatum] Versus sustentatur contrahendo in scansione, *sibi*, in unam syllabam, vel elisione d ex *id*, ut sit dactylus in tertia et quarta sede. *Faërnus.*

Quod ab illo allatum est, id sibi relat.] Jure se defendit. de quo illud proverbiale apud Donatum testatur: 'Quod dedit, recepit.' Apud Suetonium Vespasianus de jurgio quodam Senatoris Equitisque Romani ita pronuntiavit: 'Non oportere maledici Senatoribus: remaledici civile fasque esse.' Ulpianus quoque putat ignoscendum ei, qui voluit se ulcisci provocatus, retorquendo scilicet in eum crimina, a quo petitus erat l. XIV. § 6. de Bonis Libert. Bene 'ignoscendum.' *Bœclerus.*

Quod ab illo allatum est, sibi id esse rellatum] Quod Angli vulgo venuste, *Such as you bring, &c.* Mer. Casaub.

23 *De illo jam finem faciam dicundi mihi*] Ἀπὸ τῆς ἐπιεικείας τοῦ λέγοντος. *Donatus.*

Dicundi mihi, Peccandi quum ipse de se finem non facit] Et *mihi*, et *de se*, proprie positum est: et præterea ἀμφιβολία. *Idem.*

24 *Peccandi*] Maledicendi. *Idem.*

Peccandi cum ipse de se finem] Prius, inquit, ego de illo finem faciam, quam ipse de se. An, Prius dicendi ego faciam, quam ille peccandi finem? *Non facit*, pro non faciat: ut, 'Mirum ni ego turpiter hodie dabo.' *Idem.*

De se] An *de se* additum ad concinnitatem sententiæ, ut τῷ *de illo* respondeat? an, *de se*, i. ἀφ' ἑαυτοῦ, propria voluntate et motu; nulla a me injuria provocatur? *Mer. Casaubonus.*

25 *Nunc quid velim, animum attendite*] Deest *quæritis.* ut sit, Nunc quid velim, quæritis? animum attendite. *Donatus.*

Adporto novam] *Novam*, Latinam dicit. *Idem.*

26 *Epidicazomenon quam vocant comœdiam*] Hic manifeste errat Terentius. nam hæc fabula quam transtulit, *Epidicazomene* dicta est, a puella de qua judicium est: quum sit alia *Epidicazomenos* ejusdem Apollodori. Debuit ergo dicere *Epidicazomenen* Græce. *Idem.*

Ἐπιδικαζόμενον *quam vocant Comœdiam*] Defendit contra Donatum hanc lectionem Guyetus, quem vide. *Bœcl.*

Ἐπιδικαζόμενον *quam vocant Græci*] Ita enim comparata res est, ut disquisitione opus habeat, propter calumniam excerptoris: (sic eum voco qui nobis Donatum tam misere, tamque imperite mutilavit:) sic loquitur: 'Hic manifeste,' &c. Hæc ille. at ego hoc satis scio: si iste nugator hodie viveret, apud Reginam Moriam codicillos belluinæ nobilitatis obtineret, et ex beneficio tantæ reginæ, etiamsi haberet competitores quantum nunc fatuorum sub sole est, eos omnes longe post se relinqueret. Nam cui tandem homini nato fiat credibile, Terentium, Scipionem, Lælium, ejus ipsius Fabulæ nomen nescisse, quam ipse vel ipsi vertendam suscepissent? Isthuc ne in cucurbitam quidem Claudii cadere possit. Sed ut dixi modo, literas Græcas hic non habeo; quare de his alias. Tum explicabo, si copia mihi fuerit, quid tandem errandi causam præbuerit huic pulmoni. *Faber.*

27 *Latini Phormionem nominant*] Φόρμιον tegiculum dicunt Græci, quo insternitur pavimentum: unde Phormio correpta prima syllaba apud Apollodorum est. Non ergo a formula, ut quidam putant, dictum est. Ergo inde parasitus, vilissimæ conditionis homo, nomen accepit. *Donatus.*

28 *Quia primas partes qui aget*] *Primas* nunc, maximas ad actorem enim retulit Cicero, 'Sæpe illum qui est secundarum aut tertiarum partium.' *Idem.*

Phormio parasitus] Si a formula esset nomen comœdiæ, primam produceremus syllabam: si a Phormione, corripere debemus. *Idem.*

29 *Per quem res agitur maxime*] Quia primæ partes etiam aliud significant. non ergo nunc primum actum dicit, sed summas partes. Et bene *maxime:* quia et per alios. *Idem.*

30 *Voluntas vostra si ad Poëtam accesserit, date operam*] *Si voluntas accesserit:* pro, si faveritis. nove sic *voluntatem*, pro favore ponit. *Idem.*

31 *Adeste æquo animo*] Favor in comœdia silentium spectatoris est. Recte ergo addit *per silentium.* Idem.

Æquo animo] Nunc propositio est. *Idem.*

32 *Ne simili utamur fortuna atque usi sumus*] Ne populum læderet, fortunam maluit accusare. *Idem.*

33 *Quum per tumultum noster*] Apparet Hecyram ante Phormionem actam esse: cui contigit id quod queritur populum subaccusans. *Idem.*

Noster grex motus loco est] 'Locus,' est distributio temporum, quæ cuique in spectaculum venturo attribuuntur ab Ædilibus. Unde *loco motus* dicitur, qui suas horas non obtinuerit inter præcedentes et consecuturos. Ergo proprie. Sic et Cicero, 'Loco ille motus est, quum est ex urbe pulsus.' *Idem.*

34 *Quem actoris virtus*] Ubique laudat actorem. est enim Poëtæ utile. *Idem.*

Quem actoris virtus] Qui exclusus toties, animum non abjecerit, sed perseveraverit agere. ideo *virtus.* Idem.

Restituit locum] Bene repetivit locum, ut ἀμφιβολίαν vitaret: ne *quem tumultum* dicere videretur. *Idem.*

35 *Bonitasque vestra adjutans, atque æquanimitas*] *Bonitas* in omnibus generaliter rebus est: *Æquanimitas* in spectando. An *bonitas* in probandis his quæ bona sunt, *Æquanimitas* in agnoscendis vitiis atque delictis? An ταυτολογία est? An *bonitas* circa omnes: *Æquanimitas* circa Terentium? *Idem.*

Bonitasque vestra] Ne totum actori tribuens, nihil populo præter culpam reliquisse videretur, honoris causa hoc addidit. *Idem.*

Adjutans] Sic veteres dicere maluerunt, quam *adjuvans.* Idem.

ACTUS I.

Scena i. Constat Senariis hæc scena. vs. 7. Mss. *hi qui minus hab.* vs. 11. omnes; *arripiet.* vs. 12. duo; *quanto lab. sit partum.* Bœclerus.

Amicus summus meus, et popularis] *Quod in omnibus fere comœdiis, in quibus perplexa argumenta sunt, fieri solet, id in hac quoque Terentius servat: ut προτατικὸν πρόσωπον, id est, personam extra argumentum, inducat: cui dum ob hoc ipsum, quod veluti aliena tota fabula est, gesta res narratur, discat populus textum ex continentia rerum, sitque instructus ad cetera. In hac scena, quæ docendi atque instruendi spectatoris causa inducitur, mire extrinsecus lepores facetiæque cernuntur et sales comici. Id enim est artis Poëticæ, ut quum narrationi argumenti detur opera; jam tamen res agi et comœdia spectari videatur.* Donatus.

1 *Amicus summus meus, et popularis Geta*] Insinuatio personæ ejus, quæ inducitur ad audiendum argumentum. Et vide servum ostendi Davum: et non ostendi cujus servus sit. *Idem.*

Amicus summus meus] Causa cur in scenam procedat Davus. *Idem.*

Amicus] A voluntate. *Idem.*

Popularis] A fortuna. *Popularis*, ejusdem conditionis gentisque. Sallustius, 'Popularis sui sceleris.' Et *popularis*, populo amatus, et *popularis* civis, et *popularis* humilis, et *popularis* vilis, e populoque factus: ut si quis dicat sordidum, 'popularem civem.' *Idem.*

Amicus summus meus] Davus extra duas familias inducitur, quæ in hac sunt fabula, alienus, ac per hoc ignarus, cui narret Geta argumentum. *Idem.*

2 *Heri ad me venit*] Apparet heri fuisse nuptias. *Idem.*

Heri ad me venit] Propter cognationem *E* et *I* literarum, non dubitaverunt antiqui et *here* et *heri* dicere, et *mane* et *mani*, et *vespere* et *vesperi.* Idem.

Erat ei de ratiuncula] Deest *nam:* sed mire subtractum est. *Idem.*

Erat ei de ratiuncula] Opportuna diminutio in re servili, *ratiuncula* et *pauxillulum.* Idem.

Erat ei de ratiuncula] Moraliter intulit, *erat ei.* magis enim facetum et comicum est, quum ἀσυνδέτως infertur, quam si diceret, *nam erat ei.* Idem.

3 *Jampridem apud me reliquum*] De argumento sumitur causa colloquii. Nam debui, inquit, Getæ: et ille me exigit, ut muneretur domino ob nuptias factas. *Idem.*

Pauxillulum] Quartus gradus diminutionis, *paulum, paululum, pauxillum, pauxillulum.* Idem.

4 *Id ut conficerem*] Ἔλλειψις prima. Et *conficerem* proprie: nam 'fieri pecunia' dicebatur. Sallustius, 'Quæ pecunia ad Hispaniense bellum Metello facta erat.' *Idem.*

Conficerem] Quia in promptu non erat. *Idem.*

Conficerem] Compararem, paratum haberem. Cic. 'Duæ rationes conficiendæ pecuniæ, aut versura, aut tributo.' vide act. v. sc. 5. *Mer. Casaubonus.*

Confeci: adfero] Bene quasi reddendæ moræ, non habere, causa fuerit. *Donatus.*

5 *Nam herilem filium*] Τρόφιμον Græci dicunt. atque haud scio, an Latini quoque 'alumnum' dicere poterant, nisi hoc mallent. *Idem.*

Nam herilem filium ejus duxisse audio uxorem] Mire se applicat argumento. *Idem.*

Nam herilem filium] Antiphonem. *Mer. Casaubonus.*

6 *Ei credo munus hoc conraditur*] Mire. Heri quidem fuerunt nuptiæ, sed adhuc munus conraditur: quia in nuptiis etiam septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus dies, quo parentalia concluduntur. *Donatus.*

Ei credo] Uxori scilicet. *Idem.*

Munus hoc conraditur] *Hoc*, pecuniæ scilicet munus erit. Et est figura ἐπεξήγησις. *Idem.*

Credo] Pro vere scio. Et *ei*, an uxori, an absolute? ut sit, *ei rei.* Idem.

Conraditur] Apta in verbo difficultas. Ut in Adelphis, 'Minas decem conradit alicunde.' Et, 'Conrasi omnia.' *Idem.*

7 *Quam inique comparatum est*] Miro ἰδιωτισμῷ morem pro lege conqueritur. *Idem.*

Comparatum] Constitutum est lege. Et, *Hi qui minus habent*, et, *divitioribus* dixit: ne diceret, servi dominis. vult enim latius patere quod dicit, et generalem esse sententiam. *Idem.*

Quam inique comparatum est! hi qui minus habent] Garrulos servos et sententiosos amat Comœdia: tristes et parce loquentes Tragœdia. *Idem.*

8 *Ut semper aliquid addant*] Mire, non *dent*, sed *addant:* et non, *aliquando*, sed *semper.* Idem.

Divitioribus] Pro, minus pauperibus. *Idem.*

Addant ditioribus] O. l. s. et Donatus, *divitioribus.* Faërnus.

9 *Quod ille*] Docte ad singularem numerum transit a plurali. *Donatus.*

Quod ille] Redit ad Getam. *Idem.*

Unciatim] Sic veteres, *multa unciatim.* Cum expensa pecunia ferretur more veterum; non, ut nunc, annumeraretur; 'assis' libra erat, ejusque partes, 'unciæ.' Rursus unciæ unius duodecima pars, 'libella' dicebatur. Merito ergo non per singulos sestertios, neque per singulos denarios, neque per singulos asses: sed id quod ὑπερβολικῶς minimum fuit, per singulas uncias *unciatim* dixit. Et Cicero, 'Ecquis Volcatio, si sua sponte venisset, libellam unam dedisset?' *Id.*

Unciatim] Vix potuit et unciatim, et cito conflari peculium. Ut multa pauxillatim, et cito fiunt maxima. Merito ergo additum est *vix.* Sed quid si et *unciatim*, et *vix*, et tamen de lucro dedit? 'De demenso suo,' inquit. Quid si ex abundanti? 'Suum defrudans genium.' Deinde, non 'acquisivit,' sed *comparsit.* Et ad postremum, 'miser;' ut iniquitas consuetudinis, comploratione finiretur. *Id.*

De demenso suo] Servi quaternos modios accipiebant frumenti in mensem, et id 'demensum' dicebatur. et utrum a mense, an a metiendo, incertum est. *Idem.*

Unciatim] Minimis portiunculis. *Mer. Casaubonus.*

10 *Suum defrudans genium*] Ut contra, 'genialia curare' dicitur, qui vivit lautius. *Donatus.*

11 *Id illa*] Nupta scilicet. *Idem.*

Universum abripiet] Contra illud quod 'unciatim' dixerat. *Idem.*

Universum abripiet] Magna virtus pene in singulis syllabis: contra illud quod ait 'ille,' *illa* retulit: contra 'unciatim,' *vix:* et 'de demenso suo,' *universum.* Contra id quod ait, 'munus conraditur,' *abripiet.* Contra, 'Suum defrudans genium,' et 'comparsit miser,' *Haud existimans quanto labore partum.* Idem.

Haud existimans] *Haud existimans*, vel intelligens, vel recogitans, ac reputans. *Idem.*

Haud existimans] Pro, æstimans, Sallustius, 'Si, Quirites, pacem existimaretis.' *Idem.*

12 *Quanto labore partum*] Hoc sic pronuntiandum est, quasi nunc ei venerit in mentem sæpius passurum

Getam, quod semel tolerare gravissimum judicaverit. *Idem.*

Quanto labore] Ut, 'Relliquias Troja ex ardente receptas.' *Idem.*

Partum] Proprie dicitur *partum*, de eo quod labore quæsitum est: quia nullus partus sine dolore est ac labore. *Idem.*

Porro autem Geta ferietur] Ad paupertatem retulit *ferietur*. nam et damnum 'plaga:' et res, 'sanguis' noster dicitur. *Idem.*

13 *Ferietur alio munere*] Significanter, non *fungetur*, munere, sed *ferietur*, dixit. *Idem.*

Ferietur alio munere] Ex consuetudine, *ferietur*. Nam et 'plagam,' damnum: et sumptum, 'sanguinem' nostrum dicimus. *Idem.*

Ferietur alio munere] Mactabitur. Quia autem τὸ 'mactare' ambiguum, cum et 'bono' mactare dicamus, et 'malo' (ut, 'mactare infortunio,' 'mactare honore,' &c.) ideo et τὸ *ferire* synonymum taliter hic usurpatur. ut *munere*, τὸ *ferietur* in bonam partem; sed ut *munere* quod damnum potius dicendum sit, ita τὸ *ferietur* in malam partem. *Mer. Casaubonus.*

Ubi hera pepererit] Quæ supra 'illa' dicta est. *Donatus.*

Ubi hera pepererit] Quinto a partu die, qui dies ἀμφιδρόμια vulgo dicebatur (qui etiam 'dies lustricus') apud Græcos. vide Casaub. in Pers. Sat. XI. ubi varii circa infantes ritus, tum Græci, tum Romani. *M. Casaubonus.*

14 *Porro alio autem*] Et *alio*, quod dicit, pro multis pronuntiandum est. *Donatus.*

Ubi erit puero natalis dies] Cum adjectione temporis, cujuslibet natalis dies melius dicitur: ut 'natalis locus,' et 'natale astrum.' sed Virgilius, serviens personæ rusticæ, 'Meus est natalis, Iola,' inquit: nec addidit, 'dies.' *Idem.*

15 *Ubi initiabunt*] Hoc vultuose pronuntiandum. *Idem.*

Ubi initiabunt] Ut quidam cibo et potu: ut quidam, sacris. *Idem.*

Ubi initiabunt] Legitur apud Varronem, initiari pueros Eduliæ, et Poticæ, et Cubæ, divis edendi, et potandi, et cubandi: ubi primum a lacte et cunis transierunt. quod Virgilius, 'Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.' Hoc adnotavit Probus. Sed Terentius Apollodorum sequitur. apud quem legitur, in insula Samothracum, a certo tempore pueros initiari, more Atheniensium, quod, ut in palliata, probandum est magis. *Id.*

Ubi initiabunt] Hoc sic inferendum est: non quasi hoc solum sit, sed quasi defatigatus sit enumerando occasiones dandorum munerum. *Idem.*

Initiabunt] A lacte depellent, et novi cibi præbendi initium facient: quod non sine multa superstitione. Alii ad sacra Samothracum referunt, quibus certo tempore, more Atheniensium, pueri initiari soliti. Vide Don. hic. *Mer. Casaubonus.*

Omne hoc mater auferet] Hoc retulit ad offerentis irrisionem, qui putat se puero dare. *Donatus.*

Mater auferet] An nutrix? an vera mater? *Idem.*

Omne hoc mater auferet: puer causa erit mittendi] Inepte hic quæritur apud Donatum; 'an nutrix,' &c. non enim nisi de vera matre accipi debere, et Latinitas et contextus docet. *Bœclerus.*

16 *Puer causa erit mittundi*] Proprie dixit *mittundi*, de muneribus. *Donatus.*

Sed videon' Getam] Locuturum ostendit Getam. *Idem.*

Sed videon' Getam] Apparet Poëtam nihil putasse amplius addendum, ad insinuandam populo personam Davi: et ideo jam induxit exeuntem Getam, ut sit causa commutandæ orationis. *Idem.*

Scena II. Iterum senarii sunt. vs. 3. Argentoratensis; *debeo.* vs. 7. duo; *scis q. in met.* vs. 12. omnes; *hanc op. tibi dabo.* vs. 41. omnes; *huic viciniæ.* vs. 56. duo; *capillus sparsus.* vs. 61. duo; *scin quantum?* unus; *scin quam.* in margine 'al. *quantum.*' vs. 64. duo; *illam hinc civem esse Atticam.* vs. 76. omnes; *eis nubant.* vs. 88. duo; *placet.* vs. 90. omnes; *abeam.* et vs. 91. *omitte.* Bœclerus.

Si quis me quæret rufus] *Mire Poëta desideratum Getæ ostendit Davum.* Donatus.

1 *Si quis me quæret rufus*] De ipso loquitur, a quo reddi sibi debitum sperat. *Idem.*

Si quis me quæret rufus] Ἀποσιώπησις secunda. nam apparet plura dicturum fuisse. *Idem.*

Præsto est; desine] Tertia persona de se loquens usus est: quia ille nominativum prætulit. *Idem.*

2 *At ego obviam conabar tibi, Dave*] *Conabar*, absolute. An ἔλλειψις est, ut desit *ire?* Et est adverbium loci *obviam.* Idem.

Conabar] Id est, cogitabam. Locum ex epistolis Ciceronis ad Familiares alias proferam a me emendatum. Ibi legitur 'coactus' pro 'conatus,' in hac significatione, qua de nunc agimus. Apud Plaut. in Mercatore est, 'conata proloqui,' id est cogitata, initio Fabulæ. *Faber.*

Accipe] Prævenit petitionem, dicendo *accipe:* et hoc cum gestu offerentis dicitur. Et hoc est quod ait, *confeci; affero.* Donatus.

3 *Lectum est*] Absolute. nam non dicit quid: utrum debitum, an argentum lectum. Lucilius, 'Lecti omnes: Atticon hoc est.' *Idem.*

Lectum est: conveniet numerus] Ordinem servavit. prius enim qualitas, deinde numerus pecuniæ spectari solet. *Idem.*

Lectum est: conveniet numerus quantum debui] Quippe tribus modis debitum pecuniarum solvitur. pensione, *accipe.* spectatione, *lectum est.* numero, *conveniet numerus quantum debui.* Idem.

Lectum est] *Lectum*, bonum, vel splendidum: ut, 'Arma Serestus Lecta refert humeris.' Quamvis quidam putant, *lecta*, ab eo quod est 'lego,' dictum. *Idem.*

Quantum debui] Pro, debitum tibi a me est. *Idem.*

4 *Amo te, et non neglexisse habeo gratiam*] Amat, quod reddiderit pecuniam: agit gratias, quod diligenter. Et quare? utrum quia creditum non fefellerit? an quia lectum attulerit, et numero congruenti. Et recte dixit: nam redhibitio debiti hoc agit, ut etiam gratias agamus. *Idem.*

Amo te, et non neglexisse habeo gratiam] Hoc pro gratiarum actione ponitur: et ostenditur vere, necessariam fuisse pecuniam. *Idem.*

Non neglexisse] In Andria, 'Et id gratum fuisse adversum te, habeo gratiam.' *Idem.*

5 *Præsertim ut nunc sunt mores*] Sic et illud dictum est, 'Namque hoc tempore Obsequium amicos, veritas odium parit.' Quia consuetudinis imago est, vituperare præsentia. *Idem.*

Adeo res redit] Figurate, pro, ita loqueris; *adeo res redit*, dicitur, quum aliquid pejus exspectatione contigit. *Idem.*

6 *Si quis quid reddit, magna habenda est gratia*] Id est, etsi rem non magnam, tamen magna habenda est gratia: hoc enim significat, *quid reddit.* Id.

Si quis quid reddit] Qui hoc interrogative pronuntiaverit, parum belle explicat conceptam sententiam. *Id.*

Si quis quid reddit, magna habenda est gratia] Juven. 'Nunc si depositum non inficietur amicus, Si reddat veterem cum tota ærugine follem, Prodigiosa fides.' *M. Casaubonus.*

Habenda est gratia] Deest, *ei.* Donatus.

7 *Sed quid tu es tristis*] Hic admonemur omnem ab initio sermonem Getæ, quasi satagentis et anxii, pronuntiare, accommodatis præsertim ad vultum verbis. Nam et, 'Si quis me

quærit:' et, 'At ego obviam tibi conabar, Dave:' et, 'Amo te, et non neglexisse habeo gratiam:' in se quoddam contractionis animi occupatique signum habent. *Idem.*

Sed quid tu es tristis] *Sed* particula, transitum significat ad mentionem alterius rei. *Idem.*

Sed quid tu es tristis? egone? nescis quo in metu] Descensus ad argumentum ab eo sermone, qui extrinsecus a Poëta informatus est, jam manifeste apparet. *Idem.*

Egone! nescis quo in metu] Ὑπόθεσις comœdiæ, ne nuda appareat σύνθεσις. *Idem.*

Nescis quo in metu, et quanto in periculo sim] Pronuntiantis et interrogantis esse potest. *Idem.*

Nescis quo in metu] Duæ perturbationum bigæ sunt: a malo una, ex cupitis altera. Ergo a mali bigis, præsentis temporis periculum esse dicimus, et futuri metum. *Idem.*

Nescis quo in metu] Pronuntiative magis quam percontative efferendum est. sic enim solemus de magnis rebus dicere. *Idem.*

Nescis quo in metu, et quanto in periculo sim] Vix alterum sustineri potest eorum, quæ utraque posuit nunc, et metum et periculum. *Idem.*

8 *Quid istuc est*] Fac hunc scire: et narrandi non erit locus. Necessario igitur ignarus inducitur Davus. *Idem.*

9 *Modo ut tacere possis*] *Ut*, pro ne non. quod si est, subaudiendum est, *vide*, aut quid tale. *Idem.*

Modo ut tacere possis] Vere argumentum est, cœlari id, quod Antipho non coactus, sed volens duxit uxorem. *Idem.*

Modo ut tacere possis] *Modo*, pro, tantummodo: ut, 'Modo Juppiter adsit.' *Idem.*

Abi sis insciens] Nunc pro inscito posuit. vel *inscientem* modo stultum dicit, alias ignarum. *Idem.*

Insciens] Stulte. *Mer. Casaubonus.*

10 *Cujus tu fidem in pecunia perspexeris*] Sententiose dixit: quasi in omnibus credendum sit, servaturum fidem esse eum, qui in pecunia servaverit. Et hoc ideo interposuit, ne longus esset, dum suadet ut dicat: quemadmodum in aliis fabulis. *Donatus.*

Cujus tu fidem in pecunia perspexeris] Proprie locutus est de pecunia, et *fidem* dicendo, et *credere.* Nam 'fides' est eorum, quibus datur: 'creditores' dicuntur ipsi qui dant. *Idem.*

In pecunia] A majore ad minus. *Idem.*

Perspexeris] Non *inspexeris*, sed *perspexeris*, quod plus est, dixit. *Id.*

11 *Verere verba ei credere*] Verba cum pronuntiatione dicit, ut ostendat, multum distare inter pecuniam et verba. *Idem.*

Verba] Caute hæc accipienda; et ex eorum numero, qui scite potius quam vere dicuntur. Verba enim, κοῦφον πρᾶγμα, per se, ut Plato loquitur, sed ex quibus res maximæ pendent: et secreti longe difficilior, ut plurimum, quam auri solet esse custodia. *M. Casaubonus.*

Ubi quid mihi lucri est te fallere] Ab utili conjectura, et bene: quia servus nihil de honesto dicit. *Donatus.*

Ubi quid] Significantius dixit *quid*, quam si diceret, *nihil.* Idem.

12 *Ergo ausculta*] *Ergo* nunc velut increpatio tarde facientis est. Quia hic igitur obloquendo impediverat narraturum, *ergo* dixit. Sic Virgilius, 'Ergo age, chare pater, cervici imponere nostræ.' *Idem.*

Hanc operam tibi dico] Auscultandi scilicet et audiendi. *Idem.*

Hanc operam tibi dico] Plus est *dico*, quam *do.* 'Dicatur' perpetuo. 'Datur' ad tempus. *Idem.*

Dico] Addico, audiendi et auscultandi scil. *Mer. Casaubonus.*

13 *Senis nostri, Dave, fratrem majorem*] Dicendo *senis*, ostendit et adolescentem se dominum habere. dicendo *nostri*, ostendit esse et alienum. dicendo *fratrem*, non unum esse monstravit. dicendo *majorem*, etiam minoris fecit indicium. Sic argumenti partem maximam nondum narrans, jam in ipsa interrogatione transegit. Hæc autem omnia propter populum sic aguntur. Ideo ille, *quidni* dixit, ne sit opus pluribus verbis. *Donatus.*

Senis nostri, Dave, fratrem] Mirum compendium narrationis, quasi per interrogationem, fecit, ne ex alto repeteret. Sic Virgilius: 'Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures, Belidæ nomen Palamedis, et inclyta fama.' Et, 'Nostin' hanc quam amat frater?' In Eunucho. *Idem.*

14 *Quid? ejus gnatum Phedriam*] Non dixit, quid? Phædriam? sed addidit, *ejus gnatum:* ut magis docere, quam interrogare videretur. *Idem.*

Quid? ejus gnatum Phædriam] Deest *nosti.* Idem.

15 *Tanquam te*] O varietas: quidni? tanquam te. *Idem.*

Evenit, senibus ambobus simul iter] Non, evenit iter: sed, evenit ut iter esset. *Idem.*

Simul] Uno tempore. *Idem.*

16 *Illi in Lemnum ut esset*] Recte tacetur cur Chremes ierit, et dicitur cur Demipho. utrumque pro argumento est. *Idem.*

17 *Ad hospitem antiquum*] Sic Virgilius, 'Veterem Anchisen agnovit amicum.' Hoc autem addidit, ut esset idonea causa navigandi seni. *Idem.*

Senem per epistolas pellexit] *Epistolas* dicendo, ostendit eum non semel scripsisse. *Idem.*

18 *Pellexit*] Induxit. sic Virgilius, 'Pellacis Ulyssi.' *Idem.*

Modo non montes auri pollicens] Proverbialis ὑπερβολὴ facta per exceptionem, aut per superlationem, aut æquam collationem. Ejusmodi est illud Demosthenis, μόνον οὐχὶ φωνὴν ἀφιείς. *Idem.*

Modo non montes auri] Sallustius, 'Maria montesque polliceri cœpit.' *Idem.*

Modo non montes auri pollicens] More veterum: quia hospites hospitibus multa donabant. *Idem.*

Montes auri pollicens] Sallust. 'Maria montesque pollicere cœpit.' Vide Erasm. *Mer. Casaubonus.*

19 *Cui tanta erat res*] *Cui*, dativus casus est. Dominone tuo, inquit, pollicebatur hæc, cui tanta res erat? *Donatus.*

Cui tanta erat res] Deest, *eum.* ut sit, Eum pellexit, cui tanta res erat? *Idem.*

Cui tanta erat res, et supererat] Dominone tuo, cui tanta res ad usum suppetebat, et ultra quam usus postulabat? Magna autem stultitia tam opulentum senem, lucri causa a domo peregrinari, et longi itineris molestias et pericula subire. *Mer. Casaubonus.*

Et supererat] Plus est *superesse*, quam *esse.* Donatus.

Desinas: sic est ingenium] Necessaria est ad fabulæ ἐπίτασιν avaritia Demiphonis: ut majore periculo, illo absente, duxerit filius indotatam. nam mox dicturus est, 'Illene indotatam virginem atque ignobilem daret illi?' *Idem.*

20 *Sic est ingenium*] Præparatio bona, qua et dives et avarus describitur Demipho, ut indotatas nuptias filii ferre non possit. *Idem.*

Sic est ingenium] Recte. non enim, inquit, fortuna avarus est, sed natura. *Idem.*

Sic est ingenium] Omnium? an domini? sed magis domini. *Idem.*

Oh! regem me esse oportuit] Ostendit pauperum affectiones, qui se solos uti divitiis scire aiunt, si eas habeant. *Idem.*

Oh! me regem esse oportuit] Acue *me.* Idem.

21 *Abeuntes ambo hinc tum*] *Hinc* et *hic* legitur. et est ordo, hic relinquunt filiis. *Idem.*

22 *Relinquunt*] Id est, non secum abducunt. *Idem.*

Quasi magistrum] Bene *quasi:* qui non complevit hoc ipsum, nec vult esse. *Idem.*

Magistrum] Sic Latini : quem Græci παιδαγωγὸν appellant. *Idem.*

O Geta, provinciam cepisti duram] Acquisitæ bello longe ab Italia regiones, 'provinciæ' dictæ sunt, a porro, vel procul, et vincendo. ad quas quia Prætores cum officio mittebantur, officia quoque 'provinciæ' nominantur. *Idem.*

O Geta, provinciam] Splendide *provinciam* dixit. *Idem.*

23 *Mihi usus venit*] Ita plane accidit mihi. *Mer. Casaubonus.*

24 *Memini relinqui me, Deo irato meo*] Sic Virgilius, 'Nec DI texere Cupentum Ænea veniente sui.' Hoc Asper. Sed mihi videtur ad hoc addidisse *meo*, ne esset ἀμφίβολον, cui diceret, *irato Deo*. Nævius in Stalagmo, 'Deo meo propitió, meus homo est.' *Donatus.*

Memini relinqui me, deo irato meo] *Domino* dixit : an vere deo? Et bene *meo*, ne esset ἀμφίβολον. Et sic dixit, *Memini relinqui*, ut in Andria, 'Memini me videre ;' et, 'Memini me fieri parvum,' Ennius. *Idem.*

Deo irato] Andr. IV. scen. 1. 'Si mihi deos satis scio fuisse iratos.' vide ibi not. *Mer. Casaubonus.*

25 *Quid verbis opus est*] Repente infertur, *Quid opus est verbis?* et satis moraliter. *Donatus.*

26 *Seni fidelis dum sum*] Opportune *seni* dixi, ut ostendat quam stultum est, seni adversus juvenes fidelem esse. *Idem.*

Seni fidelis dum sum] *Fidus* est amicus : *fidelis* est servus. Plus est *perdidi*, quam si diceret, *dolui*. Et bene retulit *perdidi* πρὸς τὸ *fidelis*. Fidelis enim officium est, servare aliquid. *Idem.*

Scapulas perdidi] Vapulando, dum adolescentibus adversor, ut mandato munere fideliter fungar. *Mer. Casaubonus.*

27 *Venere in mentem istæc mihi*] *Venire in mentem*, non ad recordationem tantum dicitur : sed ad reputationem et intelligentiam. *Donatus.*

Venere in mentem istæc mihi] Haud equidem miror, et parum abest quin id tibi merito contigisse pronuntiem. *Mer. Casaubonus.*

Nam quæ inscitia est, adversum stimulum calces] Hoc dictum et superiori personæ esse potest, et alteri. *Donatus.*

28 *Adversus stimulum calces*] Παροιμία cum ἐλλείψει : deest enim, *jactare*. *Stimulum* pro domino adolescente posuit. *Idem.*

Calces] Modo *calces*, non partes plantæ, sed percussiones pedum plagasque significat. Aliter Virgilius, 'Calcemque terit jam calce Diores.' *Idem.*

Adversus stimulum calces] Proverb. Græc. πρὸς κέντρα λακτίζειν, quo usi Euripides, Æschylus, alii. ut ridiculi sint, (Boccalius, Reuclinus, &c.) qui Christum, Act. IX. vs. 5. voce Terentii usum esse censuerunt. *Calces* autem hic, i. repetiti calcis ictus. *Mer. Casaubonus.*

29 *Scisti uti foro*] Secundum illos negotiatores, qui ante locum commercii, non præscribunt quanti vendant quæ advehunt : sed secundum annonam fori quam deprehenderint, consilium divendendis aut non vendendis mercibus sumunt. *Donatus.*

Scisti ut foro] *Forum* pro tribus intelligitur : loco, tempore, persona. Scisti, inquit, his uti. Et est vulgare proverbium. Sensus hic est, Scisti, inquit, quid facere te oporteret. *Idem.*

Uti foro] Temporibus servire, occasionem arripere : exemplo negotiatorum, qui pro annonæ ratione, pretium mercibus suis statuunt. *Mer. Casaubonus.*

30 *Noster mali nihil quidquam*] Quartum παρέλκον. Ut in Hecyra : 'Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit.' *Donatus.*

Noster mali nihil quidquam] *Noster* πρὸς ἀντιδιαστολὴν Phædriæ : qui non noster est. *Idem.*

Noster] Antipho scil. herilis filius. *Mer. Casaubonus.*

Primo hic Phædria] Bene additum *primo:* quia non perpetuo. *Donatus.*

31 *Continuo quandam*] Bene *Continuo:* quasi vix exspectaverit profectionem patris. *Idem.*

Puellulam citharistriam] Istis hoc nominibus agit, ut causa amoris et ex ætate, et ex arte puellæ videretur : nam ideo puellam dixit. *Idem.*

32 *Amare cœpit perditus*] Legitur et *perdite*. Et *amare perdite*, ut puta puellulam et citharistriam. *Idem.*

Perdite] Præter modum, et rationem : ut homo perditus, cui nihil pensi quid agat, modo voti fiat compos. vide Andr. act. v. sc. 3. *Mer. Casaubonus.*

33 *Et serviebat lenoni*] Et honeste, et cito dixit *serviebat*. Donatus.

Lenoni impurissimo] Et quare non fuisset libera, et cujus fuisset ancilla, et qualis hominis fuerit, demonstravit. *Idem.*

Ea serviebat Lenoni impurissimo] Magna præparatio ad rerum difficultatem imminentium : Puellula citharistria, Avarus leno, Amator perditus, Inopia. *Idem.*

34 *Id curarant patres*] Expedite dixit *patres*. si enim patrem ejus tantum dixisset, restabat, ut ei per patrui filium succurreretur. ideo dixit ambos non habuisse. *Idem.*

35 *Nisi oculos pascere*] Hoc enim solum erat, quod leno non venderet. *Idem.*

36 *Sectari, in ludum ducere et reducere*] Bene cavillatus est et jlocaliter in adolescentem, cui ætas ad sectandos Philosophos apta erat. Hinc etiam Philosophorum sectæ. Sed *sectari* proprie est, ut taurus buculam, ut aries ovem. Virgilius, 'Trahit sua quemque voluptas.' *Idem.*

Reducere] Σύλληψις, a ludo enim subauditur. *Idem.*

37 *Nos otiosi operam dabamus Phædriæ*] Cum τύπῳ dixit *nos*, velut magistrum excusans obsequentem ei, cui custos sit datus. et ideo addidit *otiosi*. Idem.

Nos otiosi operam dabamus Phædriæ] Relatio ad illud quod mox, otiosi non erunt. *Idem.*

Nos otiosi operam dabamus Phædriæ] Aut ad pudorem sumitur hoc pronomen in singulari numero : aut ad dignitatem. sed potest *nos*, et propter Antiphonem dixisse. *Idem.*

Nos otiosi operam dabamus Phædriæ] Apollodor. ΝΑΛΚΕΙΣ δεσυνεμαλι μΕΟΛ*. *Idem.*

Operam dabamus Phædriæ] Ille amicæ, nos illi. *Idem.*

38 *In quo hæc discebat ludo*] Figurate, *In quo hæc discebat ludo*, est additum. *Idem.*

Ex advorsum ei loco] *Ei loco.* legitur, et *elico*. Et adnotatur, ex abundanti additum, ut apud veteres multa sunt. *Idem.*

Ex advorsum ei loco] Παρέλκον quartum. *Idem.*

39 *Tonstrina erat*] Apta sedes otiosis. *Idem.*

Tonstrina erat quædam] Παρέλκον tertium, *quædam*. Idem.

Hic solebamus fere plerumque] Παρέλκον tertium, *fere plerumque*. Idem.

40 *Dum inde iret domum*] Ad se scilicet. *Iret domum*, pro rediret. vel certe, iret. Παρέλκον figura. *Idem.*

41 *Dum sedemus*] Proprie *sedemus*, ut in tonstrina. *Idem.*

Illi, intervenit] *Illi* pro *ibi*. ut, 'Illi mea tristia facta.' Et nota *illi*, pro *illic*. Idem.

42 *Adolescens quidam lachrumans*] Apollodorus tonsorem ipsum nuntium facit, qui dicat se nuper puellæ comam ob luctum abstulisse : quod scio mutasse Terentium, ne externis

moribus spectatorem Romanum offenderet. *Idem.*

Nos mirarier] Recte: mirum enim in adolescentibus lachrumæ, ut contra, 'Tristisque senectus.' *Idem.*

Nos mirarier] Ut, 'Solam nam perfidus ille Te colere.' *Idem.*

43 *Rogamus quid sit*] Quid lachrumet: non, Quid sit ipse, ut stulti putant. *Idem.*

Numquam æque, inquit, ac modo] Mire ostendit semper sibi hoc visum, quod dicit: sed numquam æque. *Idem.*

44 *Paupertas mihi onus visum est*] Statim fit mentio paupertatis, ut sit causa fallaciæ Phormionis. *Idem.*

45 *Modo quandam vidi virginem*] Bene *quandam*: ne ob familiaritatem laudari videretur. *Idem.*

Modo quandam vidi virginem] Vide sic agi, ut non tam morte mulieris, quam solitudine pulchræ virginis moveatur affectus. Simul et ea describi, quæ matronæ futuræ magis conveniant, quam quæ temere amanda sit. Nam hic obitus fœminæ ad comicum exitum spectat: quandoquidem plus ex ejus morte securitas, quam molestiæ, sentiat argumentum. *Idem.*

Hic viciniæ] Adverbium in loco est, *hic viciniæ*: cujus ad locum, *huc viciniæ*. Et statim proximitas insinuatur, ut sit spes et causa videndi. *Idem.*

46 *Miseram*] Ab affectu: et subdistinguendum est, ut ad virginem referatur. *Idem.*

Lamentari mortuam] A probitate, quæ piis adtribuitur. Et *lamentari mortuam*, ambiguitas, sed sensu manifesta. *Idem.*

47 *Ea sita erat*] *Sita*, pro posita. Sallustius cum adjectione in H. 'Cum prædixero positum insulæ.' Et hoc ei reciprocum est. *Idem.*

Ea sita erat exadversum] Expositio paupertatis, et quam facile virgo videri possit. *Idem.*

Ea sita erat ex adversum] Collocata, pro more, in vestibulo domus, versis in portam pedibus. *Mer. Casaubonus.*

48 *Neque notus, neque cognatus*] Αὔξησις fit: quia res minuitur, crescit sententia. Sallustius, 'Non repugnantibus modo: sed ne deditis quidem a b c m.' *Donatus.*

Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam] Hæc præstruuntur, ut sit spes potiundæ virginis. *Idem.*

Neque notus, neque cognatus] Hæc descriptio paupertatis adjuvat argumentum, ut et visere audeant adolescentes virginem, et amet Antipho. *Idem.*

49 *Qui adjutaret funus*] Ipsum officium *funus* dixit. *Idem.*

Miseritum est] Hoc est miseritus sum ejus. Et hic videtur ostendisse cur lachrumaverit. *Idem.*

Miseritum est] Heaut. act. III. sc. I. 'Ut tuarum miseritum est, Menedeme, fortunarum,' ut emendatiores quique codices; non ut nuperæ quædam editiones, 'Ut me tuorum,' &c. quomodo Plautum quidem loqui non ignoramus: sed aliter solet Terentius. *Mer. Casaubonus.*

50 *Virgo ipsa facie egregia*] A forma indignatio. *Donatus.*

Virgo ipsa] Bene *ipsa*; quia quæ supra dixit, non ad ipsam, sed ad eventum ejus pertinebant. *Idem.*

Quid verbis opus est] Sic dicit Terentius, ubi ad effectum properat. *Idem.*

51 *Commorat omnes nos*] Figura συγκοπὴ pro *commoverat*. Et bene *omnes*; quia res ad Antiphonem tantum spectat. *Idem.*

Ibi continuo Antipho] Hic redditur nomen adolescentis. et est παρασκευή. *Idem.*

52 *Voltisne eamus visere*] Ut, 'Populare penates Venimus.' *Idem.*

Voltisne eamus visere] Ipse hortator inducitur, qui amaturus est. *Idem.*

Alius, censeo, eamus, duc nos sodes]

Hæc omnia diversi dicunt. Et apparet tot esse homines, quot per μίμησιν ἀσύνδετα demonstrantur. *Donatus.*

Alius, censeo] Phædria vel quilibet. *Idem.*

53 *Imus, venimus, Videmus*] Ἀσύνδετον primum per βραχυλογίαν, *imus, venimus, videmus*. Μετ' ἐνεργείας. Et, 'virgo pulchra,' συντομία mirantis. Duo ingentia, et *virgo*, et *pulchra*. Idem.

Imus, venimus, Videmus] Βραχυλογία ἀσύνδετος, quale illud Cæsaris, 'Veni, vidi, vici.' et mox, 'Persuasum est homini: factum est: ventum est: vincimur.' *Mer. Casaubonus.*

54 *Virgo pulchra*] Bene non dixit, Videmus virginem pulchram, sed ὑπὸ τῆς καταπλήξεως, *virgo pulchra!* Illud enim frigidius, hoc concitatius; et hoc magis demonstratur δράματι, quam relatione. *Donatus.*

Et quo magis diceres] *Diceres*, pro crederes. ut, 'Audacter dicito.' Sæpe Plautus. *Idem.*

55 *Nihil aderat adjumenti*] Proprie *aderat*. *Adest* enim id, quod adjuvat. *Idem.*

56 *Capillus passus*] Singularem numerum, pro plurali, posuit. Sic et alibi, 'Capillus pexus, prolixus, circum caput rejectus negligenter.' *Idem.*

Passus] Temere dispersus. ut magna pars, a Græca oratione profluit hæc dictio. *Idem.*

Capillus passus, nudus pes] Facetius, quam si pluraliter dixisset. Virgilius, 'Quibus acer Erix in prælia suetus Ferre manum.' *Idem.*

Ipsa horrida] Quasi extra ipsam sit id quod dixit, 'Capillus passus, nudus pes.' Tale est apud Virgilium, 'Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse, Nigra subest udo cui tantum lingua palato, Rejice.' Et alibi de arbore, 'Tum fortes late ramos, et brachia tendens Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.' Et, 'Domus sanie, dapibusque cruentis Intus opaca, ingens: ipse arduus altaque pulsat Sidera.' *Donatus.*

57 *Lachrumæ, vestitus turpis*] Ἀσύνδετον tertium. *Ipsa horrida* et *lacrumæ* ad luctum pertinent, 'nudus pes' et 'vestitus turpis' ad pauperiem. *Idem.*

Ut, ni vis boni] Plus est *vis boni*, quam *bonum*. Idem.

Ni vis boni in ipsa inesset forma] Veteres ignem et calorem quemdam, quasi fervorem, dixerunt *formam*: et ideo *fornaces, forcipes, formam* et *formosos*, ex quibus ignis amoris exoritur. Laudandus est ergo Terentius proprietate servata: qui quum formam prætulisset, subjecit *extinguerent*. Ideo et Virgilius sic ait, 'At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.' *Idem.*

Ut ni vis boni in ipsa inesset forma] Lucretius ποιητικώτερον, 'vim Veneris' dixit: 'Sed tamen esto etiam quantovis oris honore, Cui Veneris membris vis omnibus exoriatur.' diffundit Propertius I. 2. 'Quid juvat ornato procedere, Vita, capillo, Et tenues Coa veste movere sinus? Aut quid Oronthea crines perfundere myrrha, Teque peregrinis vendere muneribus? Naturæque decus mercato perdere cultu, Nec sinere in propriis membra nitere bonis?' *Bœclerus.*

Vis boni] Exsuperantia pulcritudinis. *Mer. Casaubonus.*

58 *In ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent*] Figura πλοκή: aliud enim supra, aliud infra, *forma* repetita significat. *Donatus.*

In ipsa inesset forma] Geminavit præpositionem, ut alibi, 'In amore hæc omnia insunt vitia.' *Idem.*

Extinguerent] Bene *extinguerent*: quia ab igne et calore forma dicta est. *Idem.*

59 *Ille, qui illam amabat*] Bene *illam*: quia jam supra insinuavit personam citharistriæ. *Idem.*

Ille, qui illam amabat] Ratio cur amaverit virginem. *Idem.*

Fidicinam] Supra, *citharistriam*, ergo indifferenter. *Idem.*

Ille] Phædria. *M. Casaubonus.*

Tantummodo, Satis, inquit, scita est] Sensus est, Laudavit tantummodo, non etiam raptus est in amorem. *Donatus.*

60 *Satis, inquit, scita*] Magna laus formæ, amanti aliam placuisse. *Idem.*

Satis, inquit, scita] *Scita*, bella. ut in Andria: 'Scitus puer est natus e Pamphilo.' *Idem.*

Noster vero] 'Αποσιώπησις tertia; quæ succurrit, quotiens verba rebus minora sunt. *Idem.*

61 *Amare cœpit*] Ille, inquit, laudavit tantum: hic amare cœpit. Et bene *cœpit*, non *amavit*: ut ostendat, vim amoris non parum esse, et rem quæ semel suscipi possit. *Idem.*

Scin' quam] 'Αποσιώπησις, qua in narrationibus in compendium Terentius uti solet. *Idem.*

Scin' quam] Amare cœpit, subauditur. *Idem.*

Quo evadat, vide] *Evadat*, perveniat. Nam *evadere*, est per obstantia pervenire. *Idem.*

62 *Postridie ad anum recta pergit*] Hoc præstruens, aniculæ supra mentionem fecerat. Et bene memor et virginis, et honestæ, non ipsam adiri facit, sed anum: neque ab ipsa peti fructum voluptatis, ex cujus persona major desperatio noscebatur: sed a nutrice potius, per quam suaderi puellæ posse creditur, quicquid libet. *Idem.*

Postridie ad anum] 'Εμφατικῶς, ad anum statim: ut qui posthabuerit omnia alia. *Idem.*

Recta] Quia non per nuntium. *Idem.*

63 *Ut sibi ejus faciat copiam*] Vide ut nihil de virgine speret, qui omnia ab anicula petat. *Idem.*

Ut sibi ejus faciat copiam. illa enim se negat] In dimetiendo hoc versu commodum videtur, ut *sibi* in unam syllabam contrahatur, et ex τὸ *illa* unum l elidatur, ut in prima et tertia sede sit spondeus, in secunda dactylus, in quarta tribrachus. *Faërnus.*

Illa enim se negat] Copiam facturam, subauditur. *Donatus.*

Enim] Vero. *Mer. Casaubonus.*

64 *Neque eum æquum ait facere*] Non quod amet, sed quod hoc petat. *Donatus.*

Neque eum] Quod peteret scilicet. *Idem.*

Illam civem esse Atticam] *Illam* cum ἐμφάσει dixit: quasi dicat, quam sic contemnat. *Idem.*

65 *Civem bonam esse*] *Civem*, quod ad jura pertinet: *bonam*, quod ad ipsam. *Idem.*

Bonam] Non vilem: quia boni non viles sunt. unde superlativus gradus *optimates* facit: quia *bonus, melior, optimus* dicitur. *Idem.*

Bonis prognatam] Quod ad majores ejus. *Idem.*

Bonam, bonis prognatam] Plato: ἀγαθοὶ δ' ἐγένοντο διὰ τὸ φῦναι ἐξ ἀγαθῶν. Horat. 'Fortes creantur fortibus et bonis.' et Κακοῦ κόρακος κακὸν ὠὸν, vulgo dicimus. *Mer. Casaubonus.*

Si uxorem velit] Recte subjunxit, *si uxorem velit*: postquam ea in virgine prætulit, quæ solent ornare nuptias. *Donatus.*

66 *Lege id licere facere*] Incerta distinctio est: utrum *uxorem velit lege*, an *lege id licere facere*. Idem.

Sin aliter, negat] Et pudice anus, et tamen illecebrose, *licere facere* dixit, quod ille impudentius petit, ut sibi ejus faciat copiam. *Idem.*

Sin aliter, negat] Σύλληψις facta ex eo quod sequitur, *facere*. Idem.

67 *Noster quid ageret, nescire*] Proposita deliberatio: cujus tamen altera pars vincet. nam ducturus est per absentiam patris. *Idem.*

Quid ageret, nescire] Pro *nesciebat*. sed recte sic ait: quia subjuncturus est. *Idem.*

68 *Cupiebat et metuebat*] *Metuebat* proprie dixit. *Metuimus* enim eos qui nos amant: *timemus* etiam inimicos. *Idem.*

Illam ducere cupiebat, et metuebat] Vide ambiguitatem, quam tamen sequentia tollunt. *Idem.*

69 *Non, si redisset pater, ei veniam daret*] Bene interrogat Davus: hoc enim sperari si posset, non opus erat fraudibus Phormionis. *Idem.*

Non, si redisset] *Si*, pro postquam. Virgilius, 'Præterea si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit.' *Idem.*

70 *Illene indotatam virginem*] 'Εμφατικῶς *ille*, de quo dixerat, *desinas; sic est ingenium*: et qui propter spem lucri navigarat senex. Insinuandum igitur fuit: hic enim erit omne periculum fabulæ. Et ordine Terentius prius insinuavit personam senis, ut graviora fierent quæ dirimebant nuptias. *Idem.*

Illene indotatam virginem, atque ignobilem] Duo dixit, et *indotatam*, et *ignobilem*. Hæc enim duo principaliter petuntur; cum sint quatuor quæ in sponsis quæruntur; forma, probitas, dos, nobilitas. Et manifestum est, cur de forma et probitate nihil dicat: quippe cum supra magnopere ea laudaverit in puella. *Idem.*

Ille indotatam virginem atque ignobilem daret illi? nunquam faceret] Apud Plautum senex ad filium, Trinum. II. 2. 97. 'Egone indotatam te uxorem ut patiar?' sc. ducere. *Bœclerus.*

Virginem] Simpliciter accipimus, *virginem?* an subaudimus, *quamvis?* ut sit *quamvis virginem*. Donatus.

71 *Daret illi*] Bono affectu dixit, *daret illi?* Filius enim familiæ, non tam ducit uxorem, quam a patre accipit: quippe cum patri committatur puella potius in hujusmodi conditionibus, quam marito. *Idem.*

Daret illi? nunquam faceret] 'Αποσιώπησις secunda: hic enim non transit ad aliud, sed instat incepto: ut et per interrogationem diceret, *Daret illi?* et per responsionem inferret, *numquam faceret*. Et nota *numquam* pro *non*, in majorem negationis significationem poni semper. *Idem.*

Daret illi] Mire *daret*: ut ostenderet nihil esse potestatis in filio. *Idem.*

Quid fit denique] More suo Terentius *denique* posuit in fine sensus. Et est adverbium ordinis. Sic in Heautontimorumeno, 'Fodere, aut arare, aut aliquid facere denique.' ut sit *denique*, vel deinde, vel ad postremum. *Idem.*

Quid fiat] Deest, *rogitas?* et est ἀποσιώπησις quarta. *Idem.*

72 *Est parasitus quidam Phormio*] *Phormio*, non a formula, sed phormione dicitur sparteo, quem nos *eronem* dicimus trivialiter et pro consuetudine. *Idem.*

73 *Homo confidens*] *Homo* comice additum: nam quis ignoret parasitum hominem esse? *Idem.*

Confidens] Hic *confidens*, pro improbo, audaci, ac temerario posuit. ut, 'O ingentem confidentiam!' *Idem.*

Homo confidens] Cicero: 'Qui fortis est, idem est fidens: quoniam confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur: ductum verbum a confidendo, quod laudis est.' *Mer. Casaubonus.*

Qui, illum] *Qui*, utinam est. ut Lucilius in secundo, 'Qui te Momentane malum jam cætera perdat.' Aut, 'Qui hoc consilium, quod dicam, dedit.' *Donatus.*

Qui, illum DI omnes perduint] *Qui* ut expletivum, aut pronomen: quo incipiens Phormionem describere, cohorruit consideratione ejus, et in hanc vocem, quasi confusus erupit. hoc autem certum genus est παρενθέσεως. *Idem.*

74 *Quid is fecit*] Servatur affectus tristis hominis. ut supra ait, 'Sed quid tu es tristis? *Idem.*

Quid is fecit?] Correxit interrogatione errantem: ut rediret ad nominativum casum *qui*, unde aberraverat

et *illum* dixerat. *Idem.*

Hoc consilium, quod dicam, dedit] Secundum quosdam ordo est, Qui hoc consilium, quod dicam, dedit. *Idem.*

75 *Lex est*] *Lex*, ut in palliata, recte ponitur: nam Græcorum fuit: ideo et in Andria sic ait, 'Inopia et cognatorum negligentia coacta.' *Id.*

Lex est] Alia narratio interponitur, et dicitur *παρεξήγησις*. *Idem.*

Lex est] A causa litis: potuit enim dici, non habes causam. *Idem.*

Ut orbæ, qui sint genere proximi, eis nubant] Orba proximo nubat, orbam proximus ducat, Atticum jus est. Et ordo, Lex est, ut orbæ eis nubant qui sint proximi. *Idem.*

76 *Et illos ducere*] Bene additum: nihil enim ad rem, si ducendi necessitas non fuisset. *Idem.*

Et illos ducere eadem hæc lex jubet] Vide ad Adelph. act. IV. sc. 5. *Mer. Casaubonus.*

Eadem hæc lex jubet] Non duas res jubet hæc una lex: sed puellis permittit nubere; cognatos cogit ducere. *Donatus.*

Eadem hæc lex jubet] Bene *jubet*: minorem enim vim habet ea lex, quæ aliquid permittit, quam illa quæ aliquid jubet. *Idem.*

77 *Ego te cognatum dicam, et tibi scribam dicam*] A persona ejus cum quo agitur. Potuit enim dici, 'Quid mecum est tibi?' *Idem.*

Ego te cognatum dicam, et tibi scribam dicam] 'Αποστροφὴ et ἠθοποιΐα. Hæc narratio est, quam dicit Tullius constitutam: et ipse, 'Tibi uni parcam,' inquit in Verrinis: repente enim transitur ad verba personarum ab earum descriptione: sed hoc ipsum ad commovendos auditores valet plurimum. *Idem.*

Et tibi scribam dicam] A denuntiatione in personam: ne diceret, Non mihi denuntiasti. *Idem.*

Et tibi scribam dicam] Cicero: 'Scribitur Heraclio dica.' *Idem.*

Dicam] *Dicam* supra, verbum; infra, nomen est totidem literis, diverso accentu. *Idem.*

Ego te cognatum dicam, et tibi scribam dicam] Τὸ *dicam*, prius, verbum: hic, nomen, δίκη, *dica*, lis, causa. infra, act. II. sc. 3. 'Dicam impingam tibi grandem.' *Mer. Casaubonus.*

78 *Paternum amicum me adsimulabo virginis*] A persona litigantis: potuit enim opponi, Personam non habes. *Donatus.*

79 *Qui fuerit pater*] *Qui* hic pronomen est: infra quomodo significat. *Idem.*

80 *Quæ mater*] Virginis scilicet. *Idem.*

Qui cognata tibi sit] *Qui*, quomodo, et qua ratione. *Idem.*

Omnia hæc confingam] *Omnia hæc*, non ex abundanti posuit: sed oratorie, quasi tam multa: et est ἀρχαϊσμός. nam post enumerationem veteres hoc dicebant. Sallustius in Jugurtha: 'Hæc omnia præsidio adsunt.' *Idem.*

81 *Quod erit*] Tuto confingam. *Id.*

Quod erit mihi bonum atque commodum] Εὐφημία. Quod mihi, inquit, faustum ac fœlix erit; hoc est, confingere atque mentiri. *Idem.*

Quod erit mihi bonum, atque commodum] Totum jlocalariter parasitus: quippe qui *confingam* dicens, non solum non erubuerit falsiloquio, sed quasi præclari facinoris inceptionem etiam auspicatus sit, omenque susceperit, dicendo, *Quod erit mihi bonum atque commodum.* Sic enim veteres, 'Quod Faustum felixque sit,' dicebant, aliquid aggressuri. *Donatus.*

Quod erit mihi bonum atque commodum] Non per εὐφημίαν ista dicuntur, ut Don. autumat: sed, *quod erit mihi bonum et comm.* i. e. quod erit in rem meam, et quod pro re nata causæ, quam suscepi, erit utile: ut apud Ciceronem sæpe. *Mer. Casaubonus.*

82 *Quum tu horum nihil refelles*] Hoc interrogative pronuntiandum est. *Donatus.*

Refelles] Refutabis, redargues. Nam prorsus *refellere*, est redarguere falsitatem. *Idem.*

83 *Pater aderit: mihi paratæ lites. quid mea*] Mire ὁ συκοφάντης, quod maxime aliter metueret, hoc pro ridicula re contempsit. *Idem.*

Pater aderit: mihi paratæ lites] Exquisite autem subjectum est, quum supra dixerit, *Mihi paratæ lites.* Id.

Quid mea? pater aderit: mihi paratæ lites] Ut Antiphoni formidanda ista sunt, ita ridicula parasito. *Idem.*

84 *Illa quidem nostra erit*] 'Ηθικῶς *nostra*, quum Antiphonis tantum esse debeat. *Idem.*

Jocularem audaciam] Εἰρωνεία κατ' ἀντίφρασιν: hoc est, minime jocularem. An quæ ex ludo et joco in periculum veniat? *Idem.*

Jocularem audaciam] Deest, *audio ex te*, aut *dicis*. Idem.

Jocularem audaciam] And. act. IV. sc. 5. vs. 43. 'Jocularium in malum insciens pene incidi.' per antiphrasin, pro minime jocularium: vel, quod joco et fabulæ similius videatur, quam rei gestæ et veræ. Ita et Angli vulgo τὸ *jest* usurpant. *Mer. Casaubonus.*

85 *Persuasit homini*] Hic jam de Antiphone quæritur, cui persuasum sit. *Donatus.*

Factum est] Adeo audax Phormio. *Idem.*

Ventum est] 'Επεξήγησις. Quo modo factum est: ventum est: vincimur: duxit. *Idem.*

Factum est: ventum est: vincimur: duxit] 'Ασύνδετον ut supra, 'Imus, venimus, videmus.' *Idem.*

Factum est: ventum est: vincimur: duxit] Amat hoc Terentius, ut, 'It, lavit, redit.' et, 'Imus, venimus, videmus.' et, 'Funus interim procedit: sequimur: ad sepulchrum venimus: in ignem posita est: fletur.' His non modo brevis et comis narratio est: sed etiam auditoris animum, ad id quod restat, intendit. *Idem.*

86 *Quid narras?*] Admirantis vox est, non interrogantis. *Idem.*

O Geta, quid te futurum est] Sic pronuntia, quasi periturum contempleris Getam, et jam eum in certo interitu defleas. *Idem.*

O Geta, quid te futurum est] Scilicet qui magister relictus sis Antiphoni. *Idem.*

87 *Nescio hercle. unum hoc scio, Quod fors feret, feremus æquo animo*] 'Ηθικῶς desperatione rerum, fortis est servus, et simul vigilavit Poëta, ne si et hic ejularet, res tota migraret in tragœdiam. *Idem.*

88 *Quod fors feret, feremus æquo animo*] Hæ graves sententiæ, ex persona servorum quum dicuntur, ridiculæ sunt, et eo consilio interponuntur. *Idem.*

Quod fors feret, feremus æquo animo] Hor. 'Levius fit patientia Quicquid corrigere est nefas.' et And. act. V. sc. 1. 'Incepi, dum res retulit: nunc non fert; feras.' *Mer. Casaubonus.*

Feremus æquo animo] Hoc secundum servos, qui futura contemnunt. Et mire meritum culpæ suæ ad fortunam retulit. *Donatus.*

89 *Hem, istuc est viri officium*] Compendium consolationis est, quod hic libenter accepit: et ideo statim approbat. *Idem.*

Hem istuc viri officium est] Pacuvius in extremis Niptris apud Ciceronem Tusc. II. 21. 'Id viri est officium.' ubi et totus hic locus de ferendis æquo animo adversis tractatur. *Bœclerus.*

In me omnis spes est mihi] Quo modo? an ut strenue se defendat? an ut fugiat? an ut patiens sit plagarum? *Donatus.*

In me omnis spes est mihi] Ex eodem libro, ac Victoriano, et Basilicano, et Donato, versusque ratione, ita collocamus, *spes mihi est.* Faërnus.

In me omnis spes mihi est] Cic. 'Quam

quidem laudem sapientiæ statuo esse maximam, non aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habere rationes.' et Eun. act. II. sc. 2. 'Itane parasti te, ut spes nulla reliqua in te siet tibi?' *Mer. Casaubonus.*

90 *Ad precatorem adeam credo*] Bene Poëta omnia tractat, quæ in tali re tacenda servo essent, nisi aliud posceret argumentum. *Donatus.*

Ad precatorem adeam] Sic in Heautontimorumeno, 'Nec tu aram tibi, nec precatorem pararis.' *Idem.*

Qui mihi sic oret] Id est, pro me oret. *Idem.*

91 *Nunc amitte quæso hunc*] Μίμησις dicitur, ubi non verba modo, verum etiam gestum vocemque fingimus alienam. *Idem.*

Nunc amitte quæso] Hoc quod nos dicimus *dimitte*, antiqui etiam dicebant, *amitte*. Virgilius, 'Amissos hinc jam obliviscere Graios.' Et Sallustius, 'Pactione amisso Publio legato.' *Idem.*

92 *Posthac si quidquam, nihil precor*] Facile impetrat, qui non omnia extorquet. Ergo ars precatoria est, mitigare præsentia, futura permittere. Simul etiam, quia omnis causa in hoc est, ne videatur servus, ob impunitatem in delictis amplius peccaturus. *Idem.*

Posthac si quidquam] Ut solet, eleganter per ἔλλειψιν. Et simul, non si tantumdem peccaverit: sed, si vel minimum. Tale est et illud, 'Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis fallaciæ conari.' et, 'Si quicquam invenies mentitum, occidito.' *Idem.*

Nihil precor] *Nihil*, pro non: sed plena negatio, *nihil*. Idem.

93 *Ubi ego hinc abiero*] Hic ostendit nullum precatorem ex animo postulare veniam servo. *Idem.*

Vel occidito] *Vel*, pro etiam. *Idem.*

Occidito] Tu tantum cædere volebas; ego dico, *etiam occidito*. Idem.

94 *Quid ille pædagogus, qui citharistriam*] Moraliter quærit, volens audire de Phædria, postquam de Antiphone cognovit; maxime, quia hæc interrogatio responsionem elicit, qua spectator instruitur ad cognoscenda cetera. *Idem.*

Quid ille pædagogus, qui citharistriam] Quia dixit, 'Sectari, in ludum ducere et reducere:' et quia *puellulam* dixit, ab ætate; 'pædagogus est illi,' ait. *Idem.*

Quid ille pædagogus, qui citharistriam] Phædria scilicet, qui neque abscedit a custodia puellæ, neque illam ipse contingit. *Idem.*

Pædagogus] Phædria scil. quem prius puellam *sectari*, 'in ludum ducere et' (quod pædagogi munus) 'reducere' dixerat Geta. *Mer. Casaubonus.*

Qui citharistriam] Ἔλλειψις. Sectatur, amat, vel quid tale subaudiendum est. *Donatus.*

95 *Sic, tenuiter*] Δεικτικῶς. *Sic* dicendum est, cum aliquo gestu. *Idem.*

Non multum habet quod det fortasse] Cum commiseratione amatoris adolescentis pronuntiandum est. *Idem.*

96 *Immo nihil, nisi spem meram*] Bene *spem*: quia amat. nemo enim sine spe amat. *Idem.*

Meram] Solam. *Idem.*

97 *Pater ejus rediit, an non*] Chremes scilicet. *Idem.*

Nondum] Subaudi, *venit*. Jam *non* plena negatio est. *Idem.*

Quid? senem quoad exspectatis vestrum] Animadvertite, *quid*, secundum morem quotidianum tum dici, quum sit transitus a mentione alterius rei ad alteram. Sic et supra, 'Quid pædagogus ille?' *Idem.*

98 *Quoad exspectatis vestrum*] *Quoad*, quamdiu. Et recte locutus est: quia adventus, finis est exspectationis. *Idem.*

99 *Sed epistolam ab eo allatam esse audivi*] Mire paratur inopinatus subito adventus senis: nam ipse veniet, cujus epistolam sperat. *Idem.*

100 *Et ad portitores esse delatam*] More veterum magistri tributorum, id est, publicani, operam in portu dabant, inferendarum rerum et efferendarum vectigal exigentes. *Idem.*

Ad portitores] Ad eos qui in portu sunt. Et quo more hoc dixerit vide, Attico an Romano. *Idem.*

Portitores] Qui in portu, rebus inferendis et efferendis operam dabant. *Mer. Casaubonus.*

101 *Numquid, Geta, aliud me vis*] Absque illo argento, quo tibi a me opus fuit. *Donatus.*

Ut bene sit tibi] Ἀρχαϊσμὸς, pro nihil. *Idem.*

102 *Puer heus: nemon' huc prodit*] Moralis expressio: nam eos vocat, quibus initio egrediens dicebat, 'Si quis me quæret rufus.' *Idem.*

Cape, da hoc Dorcio] Ad κωφὸν πρόσωπον loquitur, *Dorcio*. *Dorcium* fœminum nomen est, ut Planesium, Glycerium. *Idem.*

SCENA III. Trochaicis et iambicis, acatalecticis et catalecticis constat scena, cum dimetro intermedio. Mss. vs. 2. duo; *patrem nunc. extim.* duo; *ubi adventi ejus in mentem venit.* vs. 5. omnes; *non* pro *ne.* sed Priscianus lib. XV. retinet τὸ *ne*, et explicat. vs. 7. duo; *fuisset tum illud mihi ægre al. d.* tertius; *fuisset. istud mihi æ. a. d.* vs. 10. duo; *deest* pro *defit.* vs. 14. omnes; *jam depacisci morte cupio.* vs. 16. duo; *ingenuam ac liberalem.* vs. 19. omnes; *quod si tibi res cum lenone sit.* Bœclerus.

1 *Adeon' rem redisse, ut qui mihi consultum optime velit esse*] *In hac scena color vitæ est eorum qui id, quod immodice concupierint, spernunt postquam evenerit. quod apertiore sententia ostendit Poëta, dicendo,* Nostri nosmet pœnitet. *Donatus.*

Adeon' rem redisse] *Comparativa qualitas in hac scena est, inter Antiphonis vitam, et Phædriæ. Genus causæ demonstrativum. Contendunt autem, uter magis miser sit.* Idem.

Ut qui mihi consultum optime velit esse, Phædria] *Mira sententia, qua ostendit adolescentulos in peccatis neminem magis metuere, quam eos a quibus maxime diliguntur. Simulque inducitur rerum imminentium præstructio: in qua sic audax inducitur Phædria, ut defensor futurus sit: sic timidus Antipho, ut fugiturus sit.* Idem.

Ut qui mihi consultum optime velit esse, Phædria, patrem extimescam] Ferienda pronuntiatio in eo quod ait, 'Qui mihi consultum optime velit esse' hoc enim magis mirum est, ideo patrem timeri, quia consultum optime velit. *Idem.*

Adeon rem redisse] Primus hic versus trochaicus est tetrameter acatalecticus, item quartus, in quo ex libro Bembino legendum, *mi conscius sis.* item quintus; sextus vero et septimus ejusdem generis, sed catalectici. item octavus, in quo in secunda sede est dactylus. secundus vero, ubi ex multis libris, etiam antiquissimis, et Donato legendum est, *patrem ut extimescam*, licet aliud, *ut*, præcedat: item tertius, nonus, et reliqui, octonarii iambici, præter unum dimetrum iambicum. *Faërnus.*

2 *Ubi in mentem ejus adventi venit*] Nota, *venire in mentem* veteres, non recordationis causa tantum, sed etiam recogitationis considerationisque posuisse. *Donatus.*

Ubi in mentem ejus adventi venit] Sic veteres genitivo casu proferebant. *Idem.*

In mentem ejus adventi venit] Cicero, 'Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem.' *Idem.*

Adventi venit] Multipliciter declinatur, et *adventi* et *adventus*. sic et in Andria, 'Nihil ornati, nihil tumulti.' *Idem.*

Adventi] Genitivus antiquus. Prisc. *Mer. Casaubonus.*

Venit] Legitur et *advenit*. Donatus.

3 *Incogitans*] Temerarius. 'Probus, incogitans,' inquit, 'in usu est: at non eodem modo Cogitans.' *Idem*.

Incogitans] Temerarius, præceps; quia pleraque mala potius ex incogitantia, quam ignorantia. Ideo Sen. (ut et alii passim Philosophi) 'Quid prodest,' inquit, 'aperta monstrare: plurimum interdum enim scimus, nec attendimus,' et mox, 'Itaque subinde reducendus es ad memoriam: non enim reposita illa esse oportet, sed in promptu.' *Mer. Casaubonus*.

Ita eum exspectarem, ut par fuit] *Exspectarem* nunc opperirer: alias, sperarem. *Donatus*.

4 *Quid istuc est*] Hæc interrogatio stomachosa est, extenuare volentis metum fratris: diversa enim sentit ob diversum amoris eventum. *Idem*.

Qui tam audacis facinoris mihi conscius sis] Proprie ad terrorem, qui de facinore loquitur, *conscium* dixit. *Idem*.

Rogitas? qui tam audacis facinoris] Bene timens inducitur Antipho, ut sit causa fugiendi. Ad hoc enim fugiet, ne ad amittendam conjugem cogatur, a patre ante errorem fabulæ patefactum. *Idem*.

5 *Quod utinam ne Phormioni*] Gravissime non Phormioni succenset, sed Phormionis invento. Et vide, ut et ipse se culpæ subtrahat. *Idem*.

Quod utinam] Et familiare est, initia rerum accusare eos, quos alicujus negotii pœnitet. *Idem*.

Quod utinam ne Phormioni] Vetus elocutio, *utinam ne*. Ennius in Medea, 'Utinam ne in nemore Pelio securibus cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes.' Et *ne*, non, accipiendum. *Idem*.

Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset] Vide, ut custodiat Poëta τὸ ἦθος personarum. antea servus: 'Est parasitus quidam Phormio, qui (illum dii omnes perduint) hoc consilium dedit.' at quanto honestius Antipho nihil mali imprecatur Phormioni, sed hoc tantum optat, ne in mentem venisset ei consilium dare et persuadere, quod cum tantis periculis esset conjunctum! Quæ sequuntur, connectenda sunt in hunc modum: 'At non cotidiana hæc cura angeret animum, dum exspecto quam mox veniat, qui hanc mihi adimat consuetudinem.' nota auctam ipso verborum tractu solicitam exspectationem. *Bœclerus*.

6 *Neu me cupidum eo compulisset*] Bene hoc addidit ad excusationem. potuit enim dici, *non consentires*. Donatus.

Eo compulisset] *Eo*, ad uxorem ducendam. an *eo* in tantum? *Idem*.

Cupidum] Ad nuptias scil. vel ad fictitiam illam dicam. *Mer. Casaubonus*.

Quod mihi est principium mali] Bene, quasi caput mali non in amore sit, sed in nuptiis. *Donatus*.

Quod mihi principium est mali] Virgil. *Prima mali labes*. vel, quod mihi præcipuum malum, ut ἀρχὴ apud Græcos, interdum: et ראשית apud Hebr. *Mer. Casaubonus*.

7 *Non potitus essem*] More hominum loquitur: credit enim ex sequenti satietate, quod potuerit abstinere amoribus suis. *Donatus*.

Non potitus essem] Ἀνθυποφορὰ μονομερής. Non enim, 'Sed potiri voluisti' posuit: ut ille, 'Verum anceps pugnæ fuerat fortuna.' *Idem*.

Fuisset] Hic enim utraque pars ponitur. *Idem*.

Fuisset tum illos mihi ægre aliquot dies] Quidam totum interrogative pronuntiant: nempe, 'Fuisset tum illos mihi ægre aliquot dies?' *Donat*.

8 *At non quotidiana cura hæc angeret animum*] Quum amatorie loquatur Antipho, errant qui putant eum pœnitere sui desiderii. nam si hoc est, nec maritus firmus videbitur fore. sed hoc dicit: facilius fuisse abstinere virgine intacta, quam ea cum qua

jam consueverit. et ideo subjungit, 'Dum exspecto quam mox veniat, qui hanc mihi adimat consuetudinem.' *Idem*.

Audio] *Audio* per εἰρωνείαν dicitur modo a contemnente dictum Antiphonis. *Idem*.

Audio] Omnia deridet Phædria, cupiens fructum amoris vel periculis adipisci. Est ergo *audio* εἰρωνεία, pro *non audio*, hoc est, nihil dicis. *Idem*.

Audio] Indignantis et cum impatientia audientis, hoc verbum. *Mer. Casaubonus*.

9 *Dum exspecto quam mox veniat*] Non *quando*, sed *quam cito*: quia timet. *Donatus*.

Qui adimat hanc mihi consuetudinem] Mire non amorem: tanquam amore carere potuerit, consuetudine non possit. Et nota proprietatem. nam *consuetudo* specialiter de coitu dicitur. *Idem*.

Consuetudinem] Usum fructumque amoris. *Mer. Casaubonus*.

10 *Aliis, quia defit, quod amant*] Magnificentius *aliis* dixit, quam si diceret *mihi*. Donatus.

Defit] Deest. Eun. act. II. sc. 2. 'Omnia habeo, neque quicquam habeo: nihil cum est, nihil defit tamen.' *Mer. Casaubonus*.

Tibi, quia superest, dolet] Laboravit, ut ostenderet, plus esse *dolet*, quam *ægre est*. et ideo insanum ait Antiphonem: qui in ea fortuna positus, quæ adversa et contraria est, idem patiatur quod miser. et est figura ὑπόζευξις. Nam ad utrumque, *ægre est*, sufficere potuit. Scire autem debemus, et pronuntiative, et per interrogationem, hoc ipsum pronuntiari posse. *Donatus*.

Tibi quia superest] Id est, eo quod desideras, abundas. Ordo est, *Tibi dolet, quia superest*. Idem.

11 *Amore abundas, Antipho*] Sic hoc pronuntiandum, quemadmodum solet cum stomacho dici vituperanti cibum, *non esuris*, aut, *pleno ventre es*. vult enim ostendere, satietatis hoc esse, non ratiocinationis, quod nunc queritur Antipho. *Idem*.

Amore abundas, Antipho] *Abundare* dicitur, qui successu prospero affluit. Lucilius libro tertio, 'Ille alter abundans Cum septem incolumis pinnis redit, ac recipit se.' *Idem*.

Amore abundas, Antipho] Hoc cum pronuntiatione infert. *Idem*.

Amore abundas] Τίκτει δὲ κόρος ὕβριν. ex nimia satietate lascivis, delicias facis. *Mer. Casaubonus*.

12 *Nam tua quidem hercle certo vita hæc expetenda*] Bene *certo*: quia supra omnia cum εἰρωνείᾳ dixit. *Donatus*.

Vita hæc expetenda] *Vita* dixit, ut ostenderet, etiamsi non felicitas, sed vita dicatur, optandam esse. *Vita* autem et mores significat, et animam, et alimentum, et spatium vivendi, et fortunam accidentem viventibus: ut modo. *Idem*.

Expetenda optandaque] Proprie dixit, *expetenda, optandaque*: omnia enim quæ amamus, aut industria, aut voto proveniunt, hoc est, aut in nobis sunt, aut in fortuna posita. *Idem*.

13 *Ita me DI bene ament, ut mihi liceat*] Necessario jurat: quia quod dicturus est, solis amatoribus videtur esse credendum. *Idem*.

Ita me DI bene ament, ut mihi liceat tamdiu, quod amo, frui] Opportunus locus, in quo ostendatur, quam magno amore sit possessus Phædria, cui par impenditur argumentum. *Idem*.

Tam diu, quod amo frui] Quamdiu uxore fruitur Antipho. An *tam diu*, δεικτικῶς? *Idem*.

Tam diu] Tantisper, hoc est, vel tantillo tempore. *Idem*.

Quod amo, frui] Deest *eo*: ut sit, *eo, quod amo, frui*. Idem.

14 *Jam depecisci morte cupio*] Pactionem transigere. *Idem*.

Jam depecisci mortem cupio] Αὐτίκα τεθναίην λεχέων ἐπιβήμενος Ἥρους. *Mer. Casaubonus*.

Tu conjicito cetera] Aut *cetera* abundat, aut deest *per*: ut sit, *per cetera.* Donatus.

15 *Quid ego ex hac inopia nunc capiam*] Infortunium scilicet. *Idem.*

Quid ego ex hac inopia nunc cap. et quid tu ex ist. c.] Ὁ ζῆλος φθόνου χαρακτηρίζεται, οὐχ ὅτι ἄλλῳ, ἀλλ' ὅτι οὐχὶ καὶ αὐτῷ ἐστι τὰ ἀγαθά. Vide Aristot. Rhet. 2. *Bæclerus.*

Et quid tu ex istac copia] Fructum ac felicitatem. *Donatus.*

16 *Ut ne addam*] Παράλειψις figura, in qua velut ex abundanti enumerantur adjecta. *Idem.*

Ut ne addam] Σχῆμα παράλειψις. Quod Græci, ἵνα μή. *Idem.*

Ingenuam, liberalem nactus es] Hoc natalium, illud morum est. *Idem.*

Sine sumptu, ingenuam, liberalem nactus es] Contra ea quæ patitur, ista posuit omnia. hujus in amore copiam: suam inopiam. hujus desiderium nullo constitisse sumptu: sibi a lenone fuisse emendam puellam. hujus ingenuam: suam servam. hujus liberalem: suam citharistriam. hunc nactum esse: se sectari tantum. hujus uxorem: amicam suam. hujus amorem maritalem esse: suum velut prodigi, velut scortatoris. *Idem.*

17 *Quod habes, ita ut voluisti*] *Voluisti* subdistinguendum est, et sic legendum *uxorem.* Erit enim ἐμφατικώτερον. *Idem.*

Ut voluisti, uxorem] Bona præparatio uxoris futuræ. *Idem.*

18 *Ni unum hoc desit, animus qui modeste istæc ferat*] *Modeste*, moderate. Sallustius libro secundo: 'Modestus ad omnia alia, nisi dominationem.' *Idem.*

Ni unum desit] Al. *ni unum hoc desit.* Mer. Casaubonus.

Modeste] Cum modo. *Donatus.*

Animus qui modeste istæc ferat] Virg. 'O fortunatos nimium bona si sua norint Agricolas.' Hor. 'Bene ferre magnam disce fortunam.' *Mer. Casaubonus.*

19 *Et si tibi res sit cum eo lenone*] *Et* modo non connexiva, sed inceptiva conjunctio est. Sallustius libro secundo, 'Et Pœni ferunt adversus a n c m*.' *Donatus.*

Et si tibi res sit, &c.] Ita Donatus legit: quem multæ editiones sequuntur. annotatque: 'Et, modo,' &c. Vide Guyet. *Bæclerus.*

Sentias] Sic alibi, 'Sit rogas? sensi.' *Donatus.*

20 *Ita plerique ingenio sumus omnes, Nostri nosmet pænitet*] Παρέλκον tertium in Andria, 'Quod plerique omnes faciunt adolescentuli.' et est ἀρχαϊσμός: ut, 'Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis.' *Idem.*

Nostri nosmet pænitet] Pœnitet eum, qui parum putat, ergo ipsi nos, inquit, nostra contemnimus. Sic et in Heautontimorumeno, 'At enim hic dices, Me, quantum hic operis fiat, pœnitet.' *Idem.*

Nostri nosmet pænitet] Hor. 'Qui fit, Mecænas, ut nemo quam sibi sortem, Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa Contentus vivat, laudet diversa sequentes?' et quæ ibi sequuntur. *Mer. Casaubonus.*

22 *Cui de integro est potestas*] Post, deinceps. An de *integro*, id est, integris rebus? *Donatus.*

Quid velis; retinere, amare, amittere] An conjuncte legendum est, 'Quid velis retinere?' ut duo sint, 'amare, amittere:' quia et infra duo reddit, 'Ut neque mihi sit ejus amittendi, neque retinendi copia.' *Amittendi*, propter amorem, *retinendi*, propter patrem. *Idem.*

Amittere] And. act. v. sc. 3. 'Vis me uxorem ducere? hanc amittere? ut potero feram.' *M. Casaubonus.*

25 *Sed quid hoc est? video ne ego Getam currentem advenire huc*] O. l. s. *videon* habent: et, *huc advenire?* quæ collocatio versui, alioqui non bene procedenti, consulit, elidendo ex *quid* d; vel corripiendo *hoc.* versus autem est iambicus tetrameter catalecticus, ita et sequens; si tamen ejus primam syllabam præcedenti attribuas; et ex o. fere l. s. hæc verba sic ordines, *quam hic nunc mihi nuntiet rem.* Faërn.

26 *Hei timeo miser*] Quam recte jam timet: quia in metu semper est præsaga mali mens. Et *hei* interjectio ingemiscentis est. ut, 'Hei mihi quantum Præsidium, Ausonia, et quantum tu perdis, Iule.' *Donatus.*

Scena iv. Satura est, ex Iambicis Octonariis acatalecticis et catalecticis, senariis, dimetris, et Trochaicis septenariis. vs. 1. Mss. meorum unus; *reppereris.* sicut et Priscianus legit lib. vii. vs. 2. omnes; *impediunt.* vs. 10. omnes; *heu me mis. tum mihi paveo.* vs. 13. omnes; *aliquid corrasissem.* et vs. 20. *uno verbo exp.* vs. 21. duo; *intellextin.* unus; *intellexistin'.* vs. 27. duo; *quam maxime,* pro *cum maxime.* vs. 30. duo, ut ed. unus; *aliquid gravius.* vs. 32. duo; *quin abeam.* vs. 33. omnes; *quid si sic assimulabo.* unus; *vultum contempl. hunc.* vs. 34. omnes; *quid si sic? sat est.* vs. 35. duo; *sic respondeas.* vs. 37. unus; *vi coactum te esse et victum lege jud.* alter; *vi dic coactum te et lege, judicio.* vs. 43. τὸ *pendens* a duobus abest. vs. 48. duo; *noxam.* vs. 50. duo; *potes.* vs. 52. omnes; *insidiis,* absque præpositione. *Bæclerus.*

Nullus es, Geta] *In hac scena servi concurrentis officium est, tendens ad perturbationem Antiphonis, quem oportet abesse a conspectu patris usque ad cognitionem rerum, et καταστροφὴν fabulæ.* Donatus.

1 *Consilium celere*] *Hoc celere* Neutraliter dicitur. *Idem.*

Nullus es] Periisti, actum est de te. *Mer. Casaubonus.*

2 *Subito tanta te impendent mala*] Accusativo casu *impendent.* aut ἀναστροφή, pro, *in te pendent mala.* Quum supra *Nullus es, Geta,* dixerit, hic transitum fecit ad primam personam. *Donatus.*

Nota in uno versu quam potentia frequentium verborum momenta! *Ita* (statim exspectationi movendæ aptum est) *nunc* (a tempore) *imparatum* (a statu personæ) *subito* (ab eventu) *tanta* (a comparatione) *te* (a demonstratione personæ) *impendent* (a repræsentatione periculi) *mala,* per cumulationem. Mirus ubique artifex est Poëta noster, in attollendis aut repræsentandis, frequentatione quadam verborum, sententiis, quæ affectum habent aut faciunt. *Bæclerus.*

Imparatum] Cic. 'Quoniam multum potest provisio animi et præparatio.' *Mer. Casaubonus.*

Te impendent] Antique pro, *impendent tibi.* Plaut. 'Impendent in te.' *Idem.*

3 *Qui neque uti devitem, scio*] Ruina aut vitanda est, aut extrahenda sunt ex ea corpora quæ oppresserit. *Donatus.*

Devitem] Ante quam irruant. *Idem.*

Inde extraham] Quum irruerint. *Idem.*

4 *Nam non potest celari nostra diutius jam audacia*] Bene *nostra:* quia ipse partem maximam culpæ sustinet, ut magister. *Idem.*

Celari] Nigidius, *celari,* quærit utrum plenum sit, an pressum. *Idem.*

5 *Quæ si non astu providentur*] Hic versus totidem elementis legitur in Andria i. 3. 3. ne quis miretur infra ii. 4. 2. repeti versum positum in Adelphis iii. 3. 54. *Bæclerus.*

Quæ si non astu providentur, me aut herum pessum dabunt] Ex Andr. integer hic versus, act. i. sc. 3. ubi vide. *Mer. Casaubonus.*

Quæ si non astu, &c.] Delendus hic versus. ejus non meminit excerptor; nil ad sensum facit; in libris veteribus apparet nullus. *Faber.*

6 *Quidnam ille commotus venit*] Modo *commotus,* perturbatus atque conterritus. *Donatus.*

Quidnam ille commotus] Hic ostendit Poëta, idcirco confusum Getam

induci, ut de ejus metu Antipho terreatur. *Idem.*

Quidnam ille commotus] Hos versus ita ordinamus, partim ex ratione metrica, partim etiam adjuti ab libro Bembino: AN. *Quidnam ille commotus venit?* | GE. *Tum temporis mihi punctum ad hanc rem est, herus adest.* AN. *quid istuc mali est?* Versus iambici sunt, prior dimeter, posterior octonarius. *Faërnus.*

7 *Tum, temporis punctum mihi*] *Punctum*, pro momentum. ut Lucilius in decimoquarto, *puncto uno, hora* * et qui quoque invasit. *Donatus.*

Punctum] Angustissimum spatium. *Idem.*

Punctum] Momentum. *Mer. Casaubonus.*

Ad hanc rem] Ad deliberandum quod ago. *Donatus.*

Herus adest] Vultu tristi ac superciliis arduis hoc dicendum est. *Idem.*

Quid istuc mali est] Mire πρὸς τὸ *herus adest, Quid istuc mali est* posuit, ex persona Antiphonis: cui pro calamitate est patris adventus. *Idem.*

8 *Quod quum audierit*] Scilicet quod uxorem duxit Antipho. *Idem.*

Quod quum audierit] Bene non addidit quid: secum enim loquitur. *Idem.*

Quod ejus remedium inveniam iracundiæ] Plus est, quam si diceret, *nullum.* Idem.

Quod ejus remedium inveniam iracundiæ] Proprie, *remedium*, quasi iracundia morbus sit. *Idem.*

9 *Loquarne? incendam*] Quia iracundia ignis est. *Idem.*

Taceam? instigem] *Instigari* proprie fera dicitur. *Idem.*

Loquarne? incendam. taceam? instigem] Σχῆμα διαπόρησις. Duo sunt quæ fieri in placando solent: aut loqui, aut tacere. Sed quid vult sibi, *purgem me?* quum idem sit *loquar?* an quia potest purgatio et per defensorem patronumve induci? sic quidam putant. Sed melius est hoc, ut perturbatæ et servilis imperitæque personæ verba sine arte esse, et vim significati non habere. *Idem.*

Purgem me? laterem lavem] Παροιμία, πλίνθον πλύνεις. *Idem.*

Loquarne? . . . purgem me] Donatus cum non posset explicare, quid differrent hic *loqui*, et *purgare se;* denique illuc confugit, ut dicat: 'Perturbatæ,' &c. Nunquam id facit Terentius, crede mihi. *loquarne?* i. e. an interroganti de re tota hero respondeam? *taceam?* nihil respondendo. *purgem me?* a me culpam omnem et suspicionem amoliendo. *Bœclerus.*

Laterem lavem] *Laterem* hic non aliud intelligendum quam massam vel ex argilla vel luto, maceriis ædificandis idoneam, non igne, sed sole induratam, quæ cum non sit nisi lutum exsiccatum, quanto magis eam lavas, eo magis lutescit et in cœnum resolvitur, multis probat Nannius, Miscellan. l. xx. Aliud igitur *later*, simpliciter: aliud *later coctilis* (quanquam is vulgo *later* vocetur) in duritiem lapideam excoctus. *Mer. Casaubonus.*

10 *Eheu me miserum*] Hic et sequens versus trochaici tetrametri acatalectici sunt. *Faërnus.*

Quum mihi paveo] *Quum, præter quam quod* significat modo. *Donatus.*

Tum Antipho me excruciat animi] Τῷ ἰδιωτισμῷ, pro eo quod est, propter Antiphonem me excrucio. *Idem.*

Me excrucio animi] Sic in Hecyra, 'Fecit, animi ut incertus foret.' Genitivo enim casu veteres figurabant hanc locutionem. *Idem.*

11 *Ejus me miseret: ei nunc timeo*] *Miseret* præteritorum, *timeo* de futuris. *Idem.*

Ejus me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet] Figura πολύπτωτον, *ejus, ei, is.* Idem.

Is nunc retinet] Si *retinet*, quomodo *excruciat?* Idem.

Nam absque eo esset] Si ad eum res

non pertineret: id est, si meum tantummodo peccatum esset hoc ipsum. *Idem.*

Absque eo esset] Eleganter sic, quod vulgo, propter illam, aut, ex illius intuitu. ita Plaut. in Persa: 'Si absque me foret,' et Menæchm. 'Nam absque eo esset, hodie nunquam ad solem occasum viverem.' *Mer. Casaubonus.*

12 *Recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam*] Facete servus occasionem melioris conditionis esse existimat fugæ causam, tanquam sibi per eam et libertatis genus præstare posset et prædam. *Donatus.*

Recte ego mihi vidissem] Ut dicimus, *vide tibi*, et *videte vobis.* Et recte, *vidissem*, ἀντὶ τοῦ *providissem.* Idem.

Recte ego mihi vidissem] Providissem. *Mer. Casaubonus.*

Et senis essem ultus iracundiam] *Senis* maluit, quam *domini*, dicere, ut in ipso nomine et hortamentum impune fugiendi appareat. et simul quia non *iram*, sed *iracundiam* dicturus erat. nam *ira* de causa, *iracundia* de moribus. *Donatus.*

Et senis ultus essem iracundiam] Non dixit *evasissem*, sed *ultus essem.* faciunt enim servi fugiendo, ut dominos pœniteat iratos fuisse. *Idem.*

Ultus essem] Sic Virgilius, 'Ulta virum, pœnas inimico a fratre recepi.' *Idem.*

13 *Aliquid convasassem*] Figuratum est a colligendis vasis. *Idem.*

Convasassem] Ad furtum et fugam parassem, collegissem. Hor. 'Formidare malos fures, incendia, servos, Ne te compilent fugientes.' *M. Casaubonus.*

Hinc me conjicerem] Recte ego mihi vidissem. *Donatus.*

Protinus in pedes] *Protinam* fuit: et sic Nigidius legit. *Idem.*

Protinam] Protinus, illico. *M. Casaubonus.*

14 *Quam hic fugam*] 'Conjicerem in pedes.' *Donatus.*

Aut furtum parat] 'Aliquid convasassem.' *Idem.*

Quam hic fugam, aut furtum parat] Secunda ἀπόδοσις. prius enim furtum, quam fuga occurrere debuit. *Idem.*

15 *Sed ubi Antiphonem reperiam*] *Sed*, pro ergo: ut sit, Ergo ubi Antiphonem reperiam? An *sed* finis superioris sententiæ est? ut Sallustius, 'Sed Metellus in ulteriore provincia.' *Idem.*

Reperiam] Si alicubi cesset. *Idem.*

Aut qua quærere insistam via] Si alicubi ambulet. omnis enim qui quæritur, aut cessat, aut ambulat. *Idem.*

16 *Te nominat*] Ad hoc diu auditur Geta, et ipse non videt adolescentes: ut plus illis terroris incutiat, dum secum loquitur. *Idem.*

Nescio quod magnum hoc nuntio exspecto malum] Diserte locutus est, *Nescio quod magnum hoc nuntio exspecto malum:* pro eo quod est, *Nescio quod magnum malum hunc mihi nuntiaturum arbitror.* Idem.

17 *Domum ire pergam*] Hoc nos ἐλλειπτικῶς dicimus, *Domum pergam.* Idem.

Ibi plurimum est] Ostendit ab initio se domum pergere, et sic videtur deliberasse. *Idem.*

Ibi plurimum est] Scilicet propter amorem uxoris suæ. *Plurimum* τὸ πλεῖστον. *Idem.*

Revocemus hominem] Comice et moraliter addidit *hominem.* Idem.

18 *Hominem.* AN. *sta ilico.* GE. *hem*] Hic versus videtur monometer trochaicus hypercatalecticus. *Faërnus.*

Sta illico] Ille, *Revocemus hominem*, dixit: hic, non progredi jussit. *Donatus.*

19 *Satis pro imperio quisquis es*] Hic ostendit, culpæ conscientiæ nullam auctoritatem reliquam in magistro Geta. *Idem.*

Satis pro imperio] Id est, imperiose. *Idem.*

Satis pro imperio, quisquis es] Satis

imperiose loqueris, quisquis es. *Mer. Casaubonus.*

Satis pro imperio] Hoc legerat Rufinus: nam apud Josephum vertens, δεσποτικώτερον, dixit, *pro imperio*, id est, imperiose; et id quidem optime, ut multa alia. Sic et Livius. *Faber.*

20 *Cedo, quid portas, obsecro? atque id si potes, verbo expedi*] Mire expressit affectum de timore properantis. *Cedo quid portas, obsecro?* Ut, 'Si vera feram, si magna rependam.' Nam *ferre* et *portare*, de negotiis majoribus dicitur. *Donatus.*

Verbo expedi] Deest, uno. *Idem.*

Eloquere] Aliter ostendit, quid est, *verbo expedi*, dicendo *eloquere.* Idem.

Modo apud portum] *Patrem vidi*, dicturus Geta, præventus est ab eo, quem timor intelligentem fecerat. *Id.*

Hem] Propria et sua cuique personæ exhibuit: celeritatem ex præsagio metuenti Antiphoni: et tarditatem intellectus quieti pectoris securo Phædriæ. *Idem.*

22 *Quid agam*] Jam fiet Antipho, et adhuc non intelligit Phædria. *Id.*

Hujus patrem vidisse me, patruum tuum] Mire Poëta Antiphoni minus quam oportet, et Phædriæ plus quam oportet, facit loqui nuntium. Ille enim pene divinat ex metu, hunc tardum securitas facit. *Idem.*

Hujus patrem vidisse me, patruum tuum] Reddit utrique proprium: ut et ille qui timebat, paucis intelligeret: et ille qui securus erat, pluribus edoceretur. *Idem.*

23 *Nam quod ego huic nunc subito*] *Nam* aut subjunctiva conjunctio est superiori dicto, quod ait, *quid agam?* aut ἀναστροφὴ est. *Nam quod*, pro *quodnam.* Idem.

Huic subito exitio remedium] *Subito*, et adverbium, et nomen est. 'Quum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.' *Idem.*

Inveniam miser] Quum *ego* supra dixerit, ἐμφατικῶς addidit, *miser.* Id.

24 *Quod si eo meæ fortunæ redeunt*] Tragice amator hoc negotium fortunas omnes dixit esse. *Idem.*

Fortunæ redeunt] Bene *redeunt*: quasi in pejus, et a processu retro, et in deterius. *Idem.*

Phanium, abs te ut distrahar] Amatoria προσφώνησις per ἀποστροφήν. *Id.*

Abs te ut distrahar] Non dixit, *a me detraheris.* Et vide verbum vim cohærentis ostendere. *Idem.*

25 *Nulla est mihi vita expetenda*] *Nulla* pro *non.* Aut *nullius conditionis.* quasi dicat, Ne deorum quidem vita mihi dulcis est sine te. *Idem.*

Nulla est mihi vita expetenda] Sine Phanio. *Idem.*

26 *Tanto magis te advigilare*] *Ad* vim auctivam nunc habet: ut *adlaudabile, admirabile.* Idem.

Fortis Fortuna adjuvat] Παροιμία. Et *fortis* accusativus pluralis est. *Idem.*

Fortes Fortuna adjuvat] Sententiam hanc proverbii vice Cicero cum ἐλλείψει effert III. de Finib. 4. 'Sed Fortuna fortes. quare conare quæso.' cum explicatione II. Tuscul. 4.: 'Fortes enim non modo Fortuna adjuvat, ut est in vetere proverbio, sed multo magis ratio, quæ quibusdam quasi præceptis confirmat vim fortitudinis.' Qualia qui amat, plerumque apud Joh. Weitzium diligenter congesta reperiet. nostri enim instituti ratio illuc non pertinet. quod semel monendum est. *Bœclerus.*

Fortes Fortuna adjuvat] Sall. 'Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur. vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt. ubi socordiæ atque ignaviæ te tradideris, nequicquam deos implores: irati infestique sunt.' Οὐκ ἔνι δ' αὖ τὸν ἀργοῦντα οὐδὲ φίλοις ἐπιτάττειν ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιεῖν, μήτι γε τοῖς θεοῖς. *Mer. Casaubonus.*

27 *Non sum apud me*] Id agitur, ut supra diximus, quemadmodum Antipho præsens non sit: quem neque convenit contra patrem aliquid di-

cere, neque rursum præsentem opprimi a patre ex argumento. *Donatus.*

Atque opus est nunc quum maxime, ut sis, Antipho] *Apud te* subauditur. *Id.*

28 *Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur commeruisse culpam*] Sic Sallustius in Historia, 'Ita fiducia, quam argumentis purgatiores dimittuntur.' *Idem.*

Nam si te senserit timidum] *Timidum*, pro timentem. Ut Virgilius: 'Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle.' *Idem.*

Commeruisse culpam] Pro *commisisse.* Idem.

Nam si te senserit] O. l. s. et Donatus, *nam si senserit te.* ut et exigit versus. *Faërnus.*

29 *Hoc verum est*] Congrue fit, ut et Geta et Phædria audaciores sint, qui et absque amore sunt: et hos oportet objici pro Antiphone irato seni. *Donatus.*

Non possum immutarier] Vim negantis hoc habet, quod ait *immutarier:* ostendit enim naturæ suæ timiditatem nullis adhortationibus ejici posse. *Idem.*

30 *Quid faceres si aliud gravius tibi nunc faciundum foret*] Bene *gravius:* quia hoc grave: ut videas, ipsam adhortationem vim habere concedentis, grave esse quod geritur. *Idem.*

31 *Quum hoc non possum, illud minus possem*] Hoc intulit παρὰ προσδοκίαν. Nam videbatur hac interrogatione adduci posse ad sententiam percontantis. et hæc ars est dialectica contra ἐπαγωγήν, quum male respondendo, callide interrogantis interrumpimus argumentum. *Idem.*

Hoc nihil est, Phædria: ilicet] Utrum *hoc* relativum? an *hoc* cum contemptu, pro, Hic Antipho nihil est? Sic Cicero in Verrinis, 'Etsi hoc nescio, quid nugatorem sciebam?' pro *hunc.* Idem.

Ilicet] Semper *ilicet* finem rei significat, ut *actum est.* Idem.

Ilicet] Per συγκοπήν. Sic judices de consilio demittebantur, suprema dicta quum præco pronuntiasset, *ilicet:* quod significat *ire licet.* Idem.

Ilicet] Frustra hæc a nobis dicuntur, res conclamata est. vel, hic Antipho homo nihil est, actum est de illo. Eun. act. II. sc. 3. 'Ilicet: desine: jam conclamatum est.' vide ibi. *Mer. Casaubonus.*

32 *Quin abeo*] Hic terrore commovet Antiphonem. et *quin* dicit, pro *cur non.* Donatus.

Et quidem ego] Ordo, Et ego quidem. et deest *abeo.* Idem.

33 *Quid si assimulo*] Audacem scilicet. *Idem.*

Obsecro, quid si assimulo? satin' est] Adeo morale vitium est ex conscientia pavor, ut ipse quoque Antipho nitatur contra, neque quicquam promoveat. *Idem.*

Satin' est] Hic locus actoris magis quam lectoris est. ostenditur enim conari ad simulandam audaciam, quo magis ridicula est, formidolosa persona. *Idem.*

Satin' est] Vultum mutat, et ad confidentiam se componit Antipho ut abeuntes, aut abire simulantes retineat. *Mer. Casaubonus.*

Garris] Nugæ. *Idem.*

34 *Propemodum*] Et hoc non plenæ consensionis est, quod ait *propemodum.* Donatus.

Sat est] Non dixit, *bene est*, sed *sat est.* et vide vix ad hoc ipsum esse perventum. *Idem.*

35 *Hem istuc serva*] Dicendo *serva*, ostendit jam incipere deperire, quod finxit atque assimulavit audaciæ. *Id.*

Hem istuc serva: et verbum verbo, par pari ut respondeas] Animadverte, et quid doceat et commachinetur artifex poëta, qui debitum reddat rebus atque personis. *Idem.*

Verbum verbo, par pari] Duo dixit: non tantum *verbum verbo*, sed *par pari.* Idem.

Verbum verbo, par pari ut respondeas] Quid hoc sit, non melius potest

intelligi, quam ex contentione Demiphonis et Phædriæ scena sequenti. quod enim Antipho subterfugit, Phædria probe implevit officium. *Bœclerus.*

36 *Ne te iratus suis sævidicis dictis protelet*] Causalem vim habet quod ait hoc, *iratus:* hoc est, qui ob præsentem iram vehementius tecum agat. *Protelet* et *protelum* a πρὸ et ἑλεῖν dictum est, quod est *ante* et *trahere.* Alii ab assiduo telorum jactu existimant dici. ut Lucretius, 'Undique protelo plagarum continuato,' hoc est, tenore. *Donatus.*

Protelet] Protrahat, præveniat, exagitet. *Idem.*

Sævidictis] Alii, *sævidicis dictis.* M. Casaubonus.

Protelet] Protrahat, præveniat, exagitet. D. Vel, longe arceat, abigat. Plaut. Argum. Mercat. 'Eam domi deprehensam conjux illius Vicini scortum insimulat: protelat virum.' *Idem.*

Scio] Apparet hoc verbum eo vultu dici, ut manifestum sit, absenti animo esse eum qui loquitur. *Donatus.*

37 *Vi coactum te esse invitum*] Mira brevitas, in quo tota defensio continetur. et subauditur, *fac respondeas,* aut quid tale. *Idem.*

Vi coactum te esse invitum, lege, judicio] Oratorie divisit rem unam, ut major videretur. 'Necessitas legis' intelligitur. *Jus* dicitur *cogere* Adelph. III. 5. 44. et Phorm. II. 1. 6. sententiis scilicet judicum, secundum jus et leges pronuntiantium. ita vs. 49. hujus scenæ, defensionem facilem significare volens, partitione amplificavit et in majus audiri fecit: 'Justam illam causam, facilem, vincibilem, optimam.' promta defensio, et simplex: *lex coëgit.* Bœclerus.

Invitum] Bene idem repetit ad confirmandam memoriam trepidantis. non enim diversa sunt, sed repetuntur, ut teneri possit id, quod causæ opus est. Nam *vi coactum esse,* idem significat quod *invitum.* An ideo *vi coactum invitum,* jungendum est, quia interdum etiam ipsi nos cogimus propria voluntate? ut ipse in Andria, 'Tu coactus tua voluntate es.' *Donatus.*

Tenes] Exquisite addidit *tenes:* ut appareat, Antiphonem vultu ostendere, quod horum nihil perturbatus advertat. *Idem.*

38 *Sed quis hic est senex*] *Sed,* ut diximus, transitum significat ad aliam rem, ab ea quæ agebatur. *Idem.*

Quem video in ultima platea] Sic dixit *ultima platea,* quemadmodum Virgilius, 'Imas Obsedere fores.' *Id.*

In ultima platea] In ulteriore plateæ parte. ut *imæ fores,* i. e. forium pars ima, &c. *Mer. Casaubonus.*

Ipsus est] Et quia timidior est: et quia postea de proximo ipse agnoscit magis. *Donatus.*

39 *Non possum adesse*] Apparet, ex conspectu patris magis confundi, quam ex nuntio adventus ejus, filium. *Idem.*

Quo abis] *Abis, Antipho?* Sic Virgilius: 'Quo fugis, Ænea?' Et, 'Quo fugitis, socii?' Sic enim loquitur, qui vult ostendere conditionem locorum, in qua perverso modo alius petatur, alius linquatur. *Idem.*

Ah, quid agis] Et perturbati intercessoris est dicere, *quid agis?* ut in Andria, 'Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?' *Idem.*

40 *Mane, mane, inquam*] Omnia hæc habent singularem vim in se revocantis. *Idem.*

Egomet me novi, et peccatum meum] Duo dixit; et 'Hominem pavidum,' et 'Peccatum grave.' *Idem.*

Egomet me novi, et peccatum meum] Et natura, et ex conscientia criminis admissi (quod juvenem et ingenuum decebat) pavidus. *Mer. Casaubonus.*

41 *Vobis commendo Phanium, et vitam meam*] Comice, duobus duo retulit: Me et peccatum meum, Phanium et vitam meam. Et animadverte, quod amator prius ponit Phanium, quam vitam suam. *Donatus.*

42 *Geta, quid nunc fiet?*] Apparet, hæc sic pronuntianda, quasi adhuc tuto dicantur. *Idem.*

Tu jam lites audies: ego plectar pendens] Non intulit quod quærebatur: sed verba sunt hominis omnia desperantis. *Idem.*

Tu jam lites audies: ego plectar pendens] Tu audies, ego verberabor. ut alibi, 'Tibi erunt parata verba, huic demum verbera.' Quod ipsum mire: non, *facies lites,* sed *audies.* Idem.

42. 43 *Tu jam lites audies: ego plectar*] Bene Donatus huc comparavit locum Heaut. II. 3. 115.: 'Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.' ἐκ παραλλήλου enim hæc dicuntur. *Bœclerus.*

43 *Ego plectar pendens*] *Plectar,* feriar: unde et *plectrum,* et *plagæ* dictæ. *Donatus.*

44 *Sed quod modo hic nos*] Deest *tamen:* ut sit, *sed tamen.* Idem.

Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus, id nosmet ipsos facere oportet, Phædria] Sulpicius in præstantissima ad Cicer. Epist. 'Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, et eum qui aliis consueveris præcipere, et dare consilium; neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potius quæ aliis tute præcipere soles, ea tute tibi subjice, atque apud animum propone.' Heaut. act. v. sc. 1. 'Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare,' &c. *Mer. Casaubonus.*

45 *Id nosmet ipsos facere oportet*] Quia *nos* supra dixit in significatione actus proprii, *ipsos* addit. *Donatus.*

46 *Aufer mihi; oportet*] Τῷ ἀττικισμῷ addidit *mihi.* sine hoc enim plena sententia est. *Idem.*

Aufer mihi] Redundat τὸ *mihi:* ut et infra, act. v. sc. 6. 'Sed ego nunc mihi cesso.' Ita *tibi,* et *nobis:* haud raro. *Mer. Casaubonus.*

Quin tu quod faciam, impera] Mire ad omnia paratum se indicat, qui *impera* dicat servo. *Donatus.*

Quin tu, quid faciam, impera] Omnem ab officio, aut necessitate argumentationem missam fac, quæ non opus est, cum libenter ac sponte, quicquid faciendum suggesseris, obire paratus sim. *M. Casaubonus.*

47 *Meministin' olim ut fuerit vestra oratio*] Mire et consilio et oratione compendiosus est: quo magis Phædriam propriis consiliis ac domesticis permoveret. *Donatus.*

Ut fuerit vestra oratio] Ut magis excitaret, non *nostra* dixit, sed *vestra.* Idem.

48 *In re incipiunda*] *Incipiunda* proprie, quasi de re magna, dicit. Sic alibi, 'Vide quod inceptet facinus.' *Idem.*

Ad defendendam noxiam] *Noxiam* nunc culpam: alias pœnam. Et est ἐπένθεσις, ab eo quod est *noxam:* et hoc factum est propter iambum. *Idem.*

49 *Justam illam causam, facilem, vincibilem, optumam*] Considera singula, et invenies et naturali ordine, et per αὔξησιν dicta. *Causam* pro defensione posuit, et *vincibilem,* quæ facile vincat. *Idem.*

50 *Nunc ipsa est opus ea*] Causa scil. *Idem.*

51 *Meliore et callidiore*] Bene *meliore et callidiore:* quia tunc prolusio fuit, nunc ipsum prælium. *Idem.*

Fiet sedulo] Παρέλκον *sedulo.* nam suffecerat, *fiet.* Idem.

52 *Nunc prior adito tu*] *Adito,* quasi ad prælium. Virgilius, 'Nec quisquam ex agmine tanto Audet adire virum.' *Idem.*

Ego in insidiis hic ero] Tota μεταφορὰ de re militari est. *Idem.*

In insidiis] *In subsidiis,* apud Priscian. *Mer. Casaubonus.*

In subsidiis] Hanc lectionem in textum recepi ex Prisciano. Illa altera, *in insidiis,* vitiosa est. *Faber.*

53 *Succenturiatus*] *Succenturiati* di-

cuntur, qui explendæ centuriæ gratia subjiciunt se ad supplementum ordinum. Et est translatio a re militari. *Donatus.*

Age] Potuit dicere *vero*, aut *ita*. sed *age* dixit, quod verbum vim hortantis maximam præbet. *Idem.*

ACTUS II.

Scena i. Constat Trochaicis septenariis, et iambicis Octonariis ac senariis. vs. 5. unus Mss. *an hec dicent mihi.* vs. 6. duo: *audio et fateor.* vs. 9. unus: *hoc mihi accidit.* vs. 11. duo: *cum secundæ res sunt, tum maxime med.* vs. 16. unus: *reputare.* vs. 19. unus: *molendum mihi est usque in pistrino.* alter: *molendum mihi esse v. i. p.* vs. 20. unus omittit τὸ *quicquam.* vs. 25. unus: *salvum te advenire gaudeo.* alter: *salvum te venire.* vs. 30. unus: *egone illi succenseam.* alter: *egon non illi s.* vs. 37. unus: *cum ille adest, hic pr. e.* duo: *cum ille abest, hic p. e.* vs. 45. duo: *nostran' culpa est an judicum.* vs. 54. unus omittit: *tum.* vs. 60. omnes: *immeritissimum.* vs. 64. unus: *adde huc.* vs. 71. omnes: *vel fænore.* vs. 73. duo: *non sic futurum est.* vs. 84. duo: *cum adveniat Phormio.* alter: *cum advenerit Ph.*

Ratio quæ Muretum induxit, ut inepte hic novum actum incipi putaret, levis est, et exemplis Terentianis ultro refutatur. *Bæclerus.*

1 *Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo*] *In hac scena accusatio est et contradictio, per remotivam qualitatem. ergo controversia.* Donatus.

Itane tandem uxorem duxit Antipho] *Hic exemplum vitæ est: in quo spectatur, nullam esse tam justam et gravem iracundiam patris, quæ non et fiducia defensoris et intervallo temporis evanescat.* Idem.

Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo] Non potuit vehementius incipere, quam ut ipse crimen, quod objicit, miraretur. *Idem.*

Itane tandem uxorem duxit] *Tandem*, hic expletiva conjunctio: ut Cicero, 'Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?' *Idem.*

Itane tandem] Hic totus versus in hoc est, an factum sit: quid factum sit: a quo factum sit: in cujus injuriam factum sit. *Idem.*

2 *Nec meum imperium*] Rara ἀποσιώπησις: nam non sequitur *sed.* intulit enim *age.* subauditur autem *revereri.* Sic Lucretius, 'Nonne videre*.' *Idem.*

Age, mitto imperium, non simultatem meam] Σχῆμα διανοίας. ΜΗCΟΑΟθωσις*. Ut Virgilius, 'Cujus ob auspicium infaustum, moresque sinistros.' *Idem.*

Age, mitto] Legitur et *taceo.* Idem.

Simultatem] Jurgium, contentionem. *Idem.*

Non simultatem meam revereri saltem? non pudere] Neque metu, neque pudore (sine amore) deterritum esse. Adelph. act. i. sc. 1. 'Pudore ac liberalitate liberos Retinere, satius esse credo, quam metu.' inde hic, *mitto imperium.* Utitur hoc loco Terentii Cic. ad Att. l. ii. Ep. 19. *Mer. Casaubonus.*

3 *Non pudere*] Hoc absolutum est, et nulli adnexum. *Donatus.*

Non pudere] Hic Nigidius adnotavit, neminem videri pudere ante delictum. *Idem.*

4 *Vix tandem*] Convenit hoc dictum ei, qui jam pridem se male audire putat: et ideo sero videtur ad hunc senex pervenisse, quum ille metuens, se primum ad accusatorem crederet. An *vix tandem* ad hoc pertinet, quia ille *monitor* dixit? quasi dicat, Vix tandem factum est, ut me senex laudare cœpisset: quia *monitor*, quamvis in contrarium dixerit, tamen

est nomen laudis. *Idem.*

Vix tandem] Εἰρωνεία, quasi dicat, Pene mei oblitus est. An, quia tarde ad ipsum pervenit senex, quem ille ob conscientiam a se cœpturum esse credebat? *Idem.*

Vix tandem] Et multis aliis locis, et hoc, discet, qui volet, non esse ab una manu, quæ in Donati commentariis visuntur. Nihil interim dicitur, quod ad rem faciat. nimis enim, non frigidum modo, sed absurdum est, ita accipere, ac si Geta diceret, sero se accusari, qui primus omnium post Antiphonem, ipsoque Antiphone magis accusatur. Primum enim: 'Itane Antipho uxorem duxit?' &c. subjicitur statim, non sine derivatione culpæ in Getam, *o Geta monitor!* quasi non facturus id fuerit Antipho, nisi hoc monitore. ita enim accipi posset, ut in illo: 'Submonuit me Parmeno ibi servus, quod ego arripui.' Eun. iii. 5. 22. Sin illo significatu velis exaudire, quo Horatius magistros et rectores adolescentiæ signavit, cum juvenis 'Monitoribus asper' describitur, rursum pœne dixerim ineptum fuerit interpretari: *vix tandem* me laudat herus. Nihil verius quam senem hoc velle: *o Geta monitor:* id est, huic mandes si quid recte curatum velis. hunccine ego filio meo quasi magistrum et monitorem reliqui? facinorum scilicet monitor hic fuerit, non disciplinæ et probi moris magister. quin enim τὸ *monitor* duplicem vim habeat, tum ex destinatione ad officium, tum ex prævaricatione ejus, qui destinatus erat, nemo dubitaverit. Geta igitur cum facta et virtutes suas in hoc vocabulo, non modo ut dicebantur sed ut erant, agnosceret, ad Phædriam, cum subrisu et εἰρωνείᾳ μιμητικῇ, *vix tandem* inquit: q. d. ego vero monitor! ut in Andria Davus simili μιμήσεως genere dixerat: 'Ego vero solus!' iii. 4. 17. nam τὸ *tandem* hic ἐκ παραλλήλου significat *vero, equidem.* i. e. egregie cessit provincia, quam cepi. quasi vero illi adolescentes indiguissent hujus monitoris, qui lubidinem animi ducem ad omnia et magistram haberent. Comicæ sunt hæ interruptiones, et festivæ, quas inter continuam senis orationem actoribus et theatro poëta gratificatur. *Bæclerus.*

Quid mihi dicent, aut quam causam reperient] Quid dicent, si negare voluerint? quam causam reperient, si purgare? Omne enim crimen a defensore aut negatur, aut purgatur. *Donatus.*

5 *Demiror*] Pro nescio. nam admirationem ignorantia facit. *Idem.*

Atqui reperi jam: aliud cura] Eo animo hoc dicit, quo supra dixit *vix tandem.* Et quum ille pluraliter *reperient* dixerit, hic singulariter *reperi* respondit: quasi in se solo sit crimen. *Idem.*

6 *Invitus feci: lex coëgit*] Bene poëta jam scire facit senem, quid isti dicturi sint. ut videatur frangi posse, qui jam partem defensoris admittit. *Idem.*

7 *Causam tradere adversariis*] Hoc cum majore exclamatione dicitur. non enim dixit, *concedere adversariis*, sed, quod prius esset, *causam tradere.* Idem.

8 *Illud durum*] *Illud durum* dicit, qui supra dixit: 'Atqui reperi jam.' *Idem.*

Ego expediam: sine] Vide præparationem futuræ defensionis: quam nisi hoc modo Terentius intulisset, incredibile videretur subito sedatum senem. *Idem.*

9 *Incertum est quid agam*] Nonnihil jam fracta indignatio est. Nam in his verbis, non jam ira, sed admodum mœror est. *Idem.*

9. 10 *Incertum est quid agam, &c.*] Duos hos versus Dionis Cassii ista, ἐν μέρει παραφράσεως, explicent: ὅταν γάρ τι ἀπροσδοκήτως τινὶ καὶ μετὰ πλείστου παραλόγου προσπέσῃ, τό, τε φρόνημα αὐτοῦ ταπεινοῖ, καὶ τὸ λογιζόμενον ἐκ-

πλήσσει, ὥστ' αὐτὸν κάκιστόν τε καὶ ἀσθενέστατον τῶν πρακτέων κριτὴν γενέσθαι. *Bœclerus.*

Quia præter spem, atque incredibile hoc] Virgilius, 'Hunc ego si potui tantum sperare dolorem, Et perferre, soror, potero.' *Donatus.*

Atque incredibile hoc mihi obtigit] Gravius est *incredibile*, quam *præter spem:* et ideo posterius et in actu est. *Idem.*

Obtigit] Pro *accidit:* cujus reciprocum est, si quis bonum accidisse dicat, non obtigisse. *Idem.*

10 *Ita sum irritatus*] *Irritatus*, provocatus, in iram impulsus: hoc est, commotus et perturbatus. *Idem.*

Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere] Thucyd. Νομίζω δὲ δύο τὰ ἐναντιώτατα τῇ εὐβουλίᾳ εἶναι, τάχος τε, καὶ ὀργήν. ὧν τὸ μὲν μετὰ ἀνοίας φιλεῖ γίγνεσθαι, τὸ δὲ μετὰ ἀπαιδευσίας καὶ βραχύτητος γνώμης. *M. Casaubonus.*

Animum ut nequeam ad cogitandum instituere] Bene *instituere* dixit: quo verbo quies ostenditur cogitativæ mentis, quæ nunc non adest. *Donat.*

11 *Quamobrem omnes, &c.*] Ῥῆσις graviter incepta, subtiliter deducta, personæ senis et perturbationi rerum apta. Quam commode hoc dixerit Terentius a philosophia sumtum, ostendit Cicero III. Tuscul. 14. allato simili Euripidis loco. De Ciceronis descriptione, quantum ad hujus loci lectionem attinet, Guyetum vide. Sicut autem præmeditatio futurorum malorum eorum adventum lenit: ita et securos venturi, graviter percellit fortuna et affligit, ut exsurgendi curam amittant, sicut de exemplo Pompeii philosophatur Dio principio libri XLII. *Bœclerus.*

Quum secundæ res sunt maxime, tum maxime] Ut, 'Nudus ara, sere nudus: hyems ignava colono.' Et bona sententia; tum maxime sapienti metuendum, quo tempore maxime securus est stultus. *Donatus.*

Omnes, cum secundæ res sunt maxume, tum maxume Meditari secum oportet, quo pacto advorsam ærumnam ferant] Vide Cicer. Tuscul. III. ubi totus hic Terentii locus. Sen. 'In ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, et contra injurias fortunæ, inter beneficia formetur. Miles in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum jacit, et supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit. Quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerce.' *M. Casaubonus.*

12 *Meditari secum oportet*] Bene additum *secum:* insani enim videbitur, hoc palam agere. *Donatus.*

Adversam ærumnam ferant] Abundat *adversam.* Idem.

13 *Pericla, damna, exilia peregre rediens*] Superiora ἀσύνδετα sunt, inferiora intermistis conjunctionibus. Sallustius, 'Nam quidem a Pyrrho, Hannibale, et æquore et terra.' *Idem.*

Pericla, damna, exilia] Bene puto corrigi *exitia.* si tamen alicui placeat, *exilia*, retinere, quod codices præferunt, interpunctio et explicatio sic esset constituenda: 'Meditari secum oportet, quo pacto adversam ærumnam ferant, Pericla, damna, exilia. peregre rediens semper cogitet, Aut filii peccatum,' &c. ut *pericla, damna, exilia*, tanquam exempla adversæ ærumnæ, quæ, ut sunt humana, frequenter accidunt, subjiciantur: inde demum ad ea, quæ sunt hujus loci, progressus fiat. Quicquid sit de voce, interpunctio hæc unice convenit huic loco, quam et in nostra editione debuimus exhibere. *Bœclerus.*

Peregre rediens semper cogitet] Mire a genere ad speciem non semel transit. Nam quum dicit, *peregre rediens*, jam de se loquitur, sed latenter. *Donatus.*

Semper cogitet] A singulari ad pluralem transit. supra dixit *omnes:* at nunc *cogitet.* Et est ordo, Semper peregre rediens, quicunque peregre redit. *Idem.*

14 *Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ*] Quamvis iratus filio, non potuit tamen dicere, *filii mortem.* Convenit autem seni, uxoris mortem non putare magnum incommodum. *Idem.*

Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ] Varie, post enumerationem conclusam, hæc etiam intulit. Virgilius, 'Sed neque Medorum, silvæ ditissima, terra, Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus Laudibus Italiæ certent: non Bactra, nec Indi, Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.' *Id.*

15 *Communia esse hæc: fieri posse*] Ordo est, Semper cogitet, communia esse, et fieri posse, peccatum filii, uxoris mortem, filiæ morbum. *Idem.*

Communia esse] Commune est quod accidere omnibus potest. *Idem.*

Communia esse hæc, fieri posse] Pub. 'Cuivis accidere potest, quod cuiquam potest.' *Mer. Casaubonus.*

16 *Quidquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro*] Vide jam senem fractum, non culpam filii magnam ducere: sed ideo indignari, quod non crediderit peccaturum, in quo ipse se reprehendit, et quod a peccatoribus dici solebat, hoc dicit, *communia esse*, et *fieri posse.* Donatus.

17 *Herum anteeo sapientia*] Legitur et *anteo:* sed pro conjunctivo pronuntiandum, *anteeo* pro *anteeam.* Id.

18 *Meditata mihi sunt omnia mea incommoda*] Nimis comice, non clades, aut ærumnas posuit servus, sed incommoda: molere in pistrino, vapulare, habere compedes, et cetera: quum hoc nomen leve quiddam significet: ut ipse in Eunucho, 'Imo enim infeliciter: nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.' *Idem.*

Meditata mihi sunt omnia mea incommoda] Hæc est altera παρῳδία post illam in Adelphis III. 3. ubi plura attulimus. *Bœclerus.*

Herus si redierit] *Si* aut pro *cum*, aut serviliter. ut dubitet ex voto suo utrum dominus redeat, an non: quod cupit. *Donatus.*

19 *Molendum usque in pistrino*] Facete enumerat servus universa supplicia suæ conditionis, excepta cruce et furca: quarum pœnam verbis extenuare non potuit. *Idem.*

Habendæ compedes] Vitiosam locutionem servili personæ dedit Terentius. nam integra esset, si diceret, *habendas compedes.* unde quidam non *esse*, sed *usque* legunt. *Idem.*

Habendæ compedes] Iterum nota, quam varia nobis fercula sub nomine Donati apponantur. Primum ita annotatur: '*Habendæ compedes.* Vitiosam locutionem,' &c. Non novit Terentium, libere dicam et vere, qui servi causa vitiose locuturum putavit, quisquis est ille. hoc tantum bene factum, quod de veriore lectione (*usque* pro *esse*) mentio illata est. Jam sequitur: '*Opus ruri faciundum.* Varie,' &c. Videnturne hæc ejusdem interpretis esse? sit Donati, quod melius est, id est, posterius. ubi nihil vitiatur, nihil implicatur. Concinnior longe oratio est hic in casu recto: quam qui non intellexerunt, *τὸ esse* interposuerunt, occasionemque nugandi iis præbuerunt, qui tum demum sapere sibi videntur, si dicant, quæ nec alii, multo minus ipsi intelligant. *Bœclerus.*

20 *Opus ruri faciundum*] Varie, 'molendum,' 'vapulandum,' 'compedes habendæ,' 'opus ruri faciundum.' et supra, verba gerundia sunt: infra, participia. *Donatus.*

Horum nihil quidquam accidet animo novum] Recte addidit *animo.* omne enim quidquid acciderit novum erit, sed non animo. *Idem.*

Horum nihil quidquam] Παρέλκον quartum. *Idem.*

Horum nihil quidquam accidet animo novum] Tale est illud sapientis Æneæ: 'Non ulla laborum, O virgo, nova mi facies inopinave surgit.' Et, 'Arma parate animis, et spe præsu-

mite bellum.' Et, 'Hunc ego si potui tantum sperare dolorem, Et perferre, soror, potero.' *Idem.*

21 *Quicquid præter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro*] Totidem verbis est usus, quot senex, ad irrisionem ejus. Sic et in Adelphis, 'Postremo tanquam in speculum in patinas, Demea, inspicere jubeo.' *Id.*

Omne id deputabo esse in lucro] Hoc idem senex oportere fieri dixit, quod hic facit: ergo sapientior Geta. *Id.*

22 *Sed quid cessas hominem adire*] Bene *adire*, quasi terribilem, et pugnaturum: ut Virgilius, 'Audet adire virum.' et *hominem* comice addidit. *Idem.*

Sed quid hominem cessas adire, et blande in principio alloqui] Ex præcepto Rhetorum. Vide Quintil. de exordiis, Instit. l. IV. c. 1. Virg. 'Sola viri mores, aditus, ac tempora norat.' *Mer. Casaubonus.*

Et blande in principio alloqui] Recte monuit, non perpetuo blande, sed in principio agendum: secundum præceptum Socratis, qui ait, *μηδὲ πρὸς τὰς τῶν πλησιαζόντων ὀργὰς τραχέως ἀπαντῶν, ἀλλὰ θυμουμένοις μὲν αὐτοῖς εἴκων, πεπαυμένοις δὲ τῆς ὀργῆς ἐπιπλήττων.* *Donatus.*

23 *Phædriam mei fratris*] Hæc verba ostendunt quam miti pectore suscipiatur Phædria. *Idem.*

Mi patrue salve] *Mi*, vim blandimenti habet: nam significat, *meus.* Idem.

25 *Salvum advenire*] Ἔλλειψις, vel ἀποσιώπησις secunda: *gaudeo* enim subauditur. quod nisi acceperis, non intelliges cur hic responderit, *credo.* Donatus.

Salvum advenire] Iracundiam frangere conatur obsequio et mora. *Idem.*

Salvum advenire] Altera salutatio et ad leniendum, et ad criminis dissimulationem: sed et tertio addidit, 'Satin' omnia ex sententia?' *Idem.*

Salvum advenire] *Gaudeo* scil. ut mox ,cum Geta salutat. sed interrumpit æstus Demiphonis ob filii peccatum. *Mer. Casaubonus.*

Credo: hoc responde mihi] *Hoc*, incerta distinctione pronuntiatur. *Donatus.*

Credo] Et hoc quoque ex vetere formula; ita enim respondere solebant, qui solemni aliqua gratulatione compellati fuerant. Vide Hec. act. V. sc. 4. ad ista, 'Factis ut credam facis.' *Mer. Casaubonus.*

26 *Valet*] Hic oratorie dissimulat, atque ita respondet, quasi senex non iratus quærat, sed de salute sollicitus sit Antiphonis. *Donatus.*

Sed satin' omnia ex sententia] Quod vulgo, *omnia recte?* Et deest *quæris*, aut quid tale. *Idem.*

27 *Vellem quidem*] Semper hoc verbum dolentis est, ac negantis evenire, quod voti sit. *Idem.*

Quid istuc] Magnam vim habet contra iram hujusmodi interrogatio. *Idem.*

28 *Bonas me absente*] Mire consuetudinem expressit, dicendo *bonas.* Idem.

Me absente] Summa criminis. *Idem.*

Bonas me absente hic confecistis nuptias] Crimen in duobus esse demonstrat: quod non *bonas*, et quod *absente patre.* Idem.

29 *Eho, an id succenses nunc illi*] Huc tendebat interrogatio, ut tam integris rebus admiraretur irasci senem. *Idem.*

Eho, an tu id succenses] Pronomen, *tu*, nec habet liber Bembinus, nec Donatus; nec exigit versus. *Faërn.*

O artificem probum] Εἰρωνεία. nam non est artifex, cujus deprehenditur jocus. *Donatus.*

O artificem probum] Male in Donato: Εἰρωνεία, &c. quid hoc ad rem? revera Geta laudat Phædriam, quod defensionem patruelis eo astu incepitet, qui optabatur: fronte composita, verbis fidem asseverantibus. conferri debent vss. 48. 55. *Bœclerus.*

Artificem probum] Hoc Geta seorsim, ut Demipho non audiat. *Mer. Casaubonus.*

30 *Ipsum gestio dari*] Verbum *dari*, ex Bembino et aliquibus aliis libris, non huic versui, sed subsequenti applicamus: hoc modo, 'Dari mihi in conspectum: nunc sua culpa ut sciat.' in cujus scansione, *mihi* et *sua* in unam syllabam contrahuntur. *Id.*

Gestio] Plus *gestio*, quam *volo.* Donatus.

31 *Dari mihi in conspectum*] Non dixit *venire*, ut filium: sed *dari*, ut reum. *Idem.*

32 *Lenem patrem illum*] O artificium poëtæ! in media patris sævitia mentionem lenitatis induxit: ut ostendat quam facile placari possit. *Id.*

Lenem patrem illum, factum me esse acerrimum] Nota ἀντίθετον. non enim leni asperrimum, sed acerrimum reddidit, et mutavit gradum, positivo superlativum opponens. *Idem.*

Lenem patrem illum, factum] Sic Virgil. 'Quantum mutatus ab illo Hectore!' *Idem.*

33 *Atqui nihil fecit, patrue*] Summa contradictionis. et non dixit, *leniter peccavit*: sed, *nihil fecit.* Neque, quod punias, sed, quod succenseas: id quod levissimum est. *Idem.*

34 *Ecce autem similia omnia*] *Ecce autem*, vox est apta his, quæ nova et improvisa animo accidunt. Sic Virgilius, 'Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta.' *Idem.*

Similia omnia: omnes congruunt] More stomachantis, *omnia* et *omnes*, de his dicit quæ ad duos pertinent. *Idem.*

Omnes congruunt] Similes habent labra lactucas. Dignum patella operculum. *Mer. Casaubonus.*

35 *Unum cognoris, omnes noris*] Iterum non *duos*, sed *omnes.* et varie, *cognoris, noris.* Donatus.

Unum cognoris, omnes noris] Sic Virgilius, 'Accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno Disce omnes.' *Idem.*

36 *Hic in noxa est, ille ad defendendam causam adest*] Hoc Demipho non sine quadam delectatione dixit: quam tamen premit ob iram præsentem. *Idem.*

36. 37 Guyetus plane expungit. nollem factum. satis enim probi et eruditi et Terentio digni videntur: quos Donatus bene interpretatur, et exemplo Ciceroniano plane huc convenienti illustrat. sicut invicem Asconius Pedianus cum loco Ciceroniano hos duos versus comparat. *Bœclerus.*

37 *Quum ille est, hic præsto est*] Huic loco reddidit Cicero illum locum in Verrinis: 'Qui cives Romani erant, si Siculi essent, tum Siculos eorum legibus dari oporteret: qui Siculi, si cives Romani essent.' Nam subauditur ad 'Qui cives Romani erant,' *judices dabantur*, ad 'Si Siculi essent,' subauditur *rei.* Donatus.

Quum ille est] Ζεῦγμα secundum. nam et hic subaudiendum est, *in noxia.* Idem.

Cum ille est] In nota scil. vel culpa. *Mer. Casaubonus.*

Hic præsto est] Ad defendendam causam, subauditur. *Donatus.*

Tradunt operas mutuas] Mulus mulum scabit. *Idem.*

38 *Probe eorum facta imprudens*] Ideo *imprudens:* quia nescit in amore citharistriæ esse Phædriam. *Donatus.*

Imprudens] Modo insciens. *Idem.*

Imprudens] Nondum enim ita rem habere compererat Demipho, sed quod ira suggerebat, et ex suspicione loquebatur. *Mer. Casaubonus.*

39 *Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares, Phædria*] Vide quemadmodum jam præstruat poëta ad ea quæ futura sunt, ad adjuvandum amorem Phædriæ. *Donatus.*

Cum illo haud stares, Phædria] Cum Antiphone scilicet. Et *cum illo*, ἀντὶ τοῦ *pro illo.* In ejus parte stamus, pro quo facimus. Sic Virgilius, 'Jupiter hic stat.' *Idem.*

Cum illo haud stares] Non esses ab

illius partibus, non illum tuereris. *M. Casaubonus.*

40 *Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit*] Principium per insinuationem subtilem. Et honesta locutio: 'Si est ut admiserit:' pro, si admisit. *Donatus.*

Si est, patrue, culpam ut Antipho] Oratorium principium ἀπὸ τῆς ἐπιεικείας τοῦ αἰτοῦντος. *Idem.*

Si est, patrue, culpam ut in se] Priscianus lib. XVI. hoc loco τὸ *ut* per ὅτι interpretatur. Ceterum huic apologiæ compara orationem Lysitelis apud Plautum Trinummo II. 2. 246. &c. Nisi festinandum esset, ostenderemus, quam pulcro artificio omnia, quæ senex accusat, a defensore transferantur ad molliora et placabiliora vocabula. *Bœclerus.*

In se admiserit] Bono ornatu addidit, *in se:* quum et sine hoc plenum videri possit. Et hic est, quem Cicero succum orationis appellat. *Donatus.*

41 *Ex qua re minus rei foret aut famæ*] Nota; hic comparativa qualitas est pauperis, neque strenui. Et docuit, in negotio nuptiarum duabus rebus consuli, rei et famæ, hoc est, facultatibus dotis, honestatique natalium. *Idem.*

Ex qua re minus rei foret] Hæc tractatio est criminis oratoria: in qua defensor accusat crimen, reumque purgat. *Idem.*

Ex qua re] Haud venuste insertum *re*, cum præposuisset *culpam.* Idem.

Ex qua re] Haud venuste insertum *re*, cum præposuisset *culpam*, ait hic D. Atqui ita Terent. haud dubie consulto maluit, ut orationi venustatem ex allusione in verbis, *re*, et *rei*, in diversa significatione positis, conciliaret. Notum est Atticos, agnominationibus valde delectatos esse: quos imitatus Ter. plenus est illis. Sed et extra πλοκὴν, τὸ *res* interdum eleganter repetitur: ut a Cic. de Off. 'Valetudo sustentatur observatione earum rerum, quæ res aut prodesse soleant aut obesse.' et ad Qu. Fr. 'Quæ res ad officium imperii pertinebunt, de iis rebus ne attingat.' *Mer. Casaubonus.*

Minus rei foret] Quia pauperem. *Donatus.*

Rei] Familiaris scil. Cicero quoque haud multo aliter, 'Res autem familiaris quæri debet iis rebus,' &c. *Mer. Casaubonus.*

Famæ] Quia ignobilem. *Donatus.*

Temperans] Consulens, providens, moderatus. ut, 'Jam sibi tum curvis male temperat unda carinis.' *Idem.*

42 *Non causam dico*] Non recuso, non deprecor. *Idem.*

Quin quod meritus sit, ferat] Rhetoricum θεώρημα in hujusmodi exceptionibus: quo uti solet, qui propositæ causæ fiduciam gerit. Si hoc aut illud, non oro veniam, non deprecor pœnam. *Idem.*

Quin quod meritus sit] Hunc defensorem magis, et non judicem dicam. sed hic colligitur patrocinantis auctoritas: non enim dixit, *quod voluerit*, sed *quod meritus sit*, manente eo, si peccaverit tamen. *Idem.*

43 *Sed si quis forte malitia fretus sua*] *Forte* quasi non defensurus, sed simul causam cogniturus advenerit. nec contendit verum esse quod dicit, ne sollicitum faciat ad credendum. Sic apud Virgilium Sinon, 'Dum vela darent, si forte dedissent.' *Idem.*

44 *Insidias nostræ fecit adolescentiæ*] Bene se adjungit ad crimen, ut elevet culpam. *Idem.*

Insidias nostræ fecit adolescentiæ] Mire *insidias* dixit: ut diu comparata causa, per ignorantiam dolosque capti videantur. *Idem.*

Adolescentiæ] Opportuna ætatis commemoratio. Πρὸς τὴν συγγνώμην. *Idem.*

45 *Nostrane ea culpa est, an judicum*] Potentior facta sententia est τῇ ἐρωτήσει. Et oratorie, *Nostrane culpa, an judicum?* duplex μετάθεσις. altera in

accusatorem, altera in judices. Et bene suam miscuit personam, ut reum sublevet et suo merito, et multitudine reorum. *Idem.*

Nostrane ea culpa, an judicum] Mire assurrexit in fiduciam defensoris. nam quum supra de Antiphone dixerit, nunc intulit *nostra.* Idem.

46 *Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti*] Notum alteri* qui invident. *Idem.*

Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti, aut propter misericord. addunt pauperi] Quam hic τὸ *adimere* et *addere* μάλα φιλοσοφικῶς et ex intimis justitiæ ac injustitiæ rationibus dicantur, tum intelliges, si legeris quæ Aristoteles v. Ethicorum περὶ τοῦ πλεονεκτεῖν disputat; cap. 5. et addideris Michaëlem Ephesium. utrumque autem genus injustitiæ hic tangitur a Poëta, quod Marcianus quoque Jureconsultus vitandum judici demonstravit nobili sententia l. XI. de pœnis. Donatus nimis hic timidus est, dum veretur ne judices indecore accusentur. certe *culpam judicum*, citra ambages, incusari videmus; et mox partitione describi. quin enim *sæpe* ad hunc modum Athenis judices peccarent, nemo rerum Atticarum peritus negaverit. itaque color, quo adolescens hic usus est, nihil habuit a moribus temporum abhorrens. nec enim poëta tam rudem faceret causæ defensorem. sed quia, hac quidem in re frustra in judices culpa conferebatur, non reliquit eos indefensos, cum senex mox infert, vss. 49. 50. 'An quisquam judex est, qui possit noscere Tua justa, ubi tute verbum non respondeas?' nam justa causa etiam judici debet approbari. qui secundum ea, quæ probata sunt, sententiam ferre tenetur. *Bœclerus.*

47 *Aut propter misericordiam addunt pauperi*] Posteriorem causam honestiorem posuit, ne non Antiphonem defendere, sed accusare judices videretur. *Donatus.*

Aut propter misericordiam] Primum ἀντίθετον. Et oratorie naturam judicum τῷ διορισμῷ expedivit. *Idem.*

48 *Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui*] Suavissime laudavit oratorem: qui, omnia ad persuadendum idonea advocans, solum conscium non adduxit ad credendum. *Idem.*

Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui] Oblique Poëta se laudavit. *Id.*

49 *An quisquam judex est, qui possit, &c.*] Apparet, jam persuasum seni esse, verum adversarium fuisse Phormionem, non subjectum atque appositum sycophantam. unde ad aliud transit, ut accuset segnitiem in respondendo, quæ levior culpa est. Ita, ut cedentibus mos est, paulatim seni singula extorqueutur e manibus. *Idem.*

50 *Tua justa*] Diserte magis et absolute, *tua justa:* quam si aliter diceret. *Idem.*

Tua justa] Justa tuæ causæ. Plin. Sec. 'Prævaricatio est transire dicenda.' *M. Casaubonus.*

Ubi tute verbum] Non dixit, 'Parum dicas:' sed *verbum.* Donatus.

51 *Ita ut ille fecit*] Unde scit? an illa Poëtæ virtus est, quod omnia ante inducit cognovisse: ne in scena, hæc ut nova audiens, tragicis moribus insaniret? *Idem.*

Functus adolescentuli est officium] Oratorie, quod objectum est, non purgavit modo, sed etiam ad laudem convertit. quod Rhetores περίστασιν dicunt. Et hoc de Apollodoro. *Idem.*

Functus adolescentuli est officium liberalis] Derivatio causæ: et est venialis status. *Idem.*

Functus adolescentuli est officium liberalis] Ingeniose non negavit hoc crimen, occasionem laudis de confessione sumpturus. *Idem.*

Officium liberalis] Potenter *officium* nominat, quod ille *crimen* appellat. Et nota, *functus officium*, accusativo casu; quod nos ablativo. *Idem.*

52 *Postquam ad judices ventum est, non potuit cogitata proloqui*] Hæc apud oratores μετάθεσις αἰτίας, hoc est,

translatio causæ facti: quem vulgo *colorem* nominant. *Idem.*

53 *Non potuit cogitata proloqui*] Ergo quod cogitavit, industriæ est: quod nihil dixit, pudoris. *Idem.*

54 *Ita eum tum timidum*] *Timidum*, perturbatum. Plautus, 'Nam ut ex mari timida es.' Et ipse in Adelphis: 'Me miseram! quidnam est quod sic video timidum, et properantem Getam?' *Idem.*

Eum timidum obstupefecit pudor] Quod multis contigisse, ex Cicerone aliisque notum. *Mer. Casaubonus.*

55 *Laudo hunc: sed cesso adire*] Satis defensionis est, ubi Geta jam adire non timeat dominum. *Donatus.*

56 *Here salve: salvum te advenisse gaudeo*] Principium a benevolentia. Et vide vernilitatem aptissimam servo callido. credasne hunc esse, qui supra dixerit, 'Herus si redierit, molendum esse in pistrino, vapulandum,' &c. *Idem.*

57 *Ho! bone custos, salve*] Ab initio idem motus servatus est seni. nam idem hoc est quod supra dixit, *O Geta, monitor.* quamquam per αὔξησιν plus significat quod dicit, *bone custos*: quam quod supra, *monitor.* Idem.

Columen vero familiæ] *Columen*, culmen. an *columen*, columna? unde *columellæ* apud veteres, dicti servi majores domus. Lucil. XXII. 'Servus neque infidus domino, neque inutilis cuiquam, Lucili columella, hic situs Metrophanes.' Tubero: 'Hinc in millesimum annum eorum columine civitas continebitur.' Horatius contra pro columine columnam, 'Injurioso ne pede proruas Stantem columnam.' Ennius X. 'Regni versatum, summamve columnam.' *Idem.*

Columen vero familiæ] Sustentatio vel decus. unde *columnæ* dictæ. Et moralis αὔξησις ἐν εἰρωνείᾳ. *Idem.*

58 *Cui commendavi filium hinc abiens meum*] Duplex excusatio est de eo quod fecerit. Hæc conveniunt in eas personas, quas spectare non oportuerit. *Idem.*

59 *Jamdudum te omnes nos accusare audio immerito*] Vide quam in his verbis etiam vultus quidam servi contumacis appareat, et versute mali. Et hoc est quod dixerat, 'Ego in insidiis hic ero succenturiatus.' *Idem.*

60 *Immerito, et me omnium horum immeritissimo*] Tantum impudentiæ superest, ut non solum se, sed alios etiam defendat. Horum omnium immeritissimo, ὁ πλήρης. *Horum:* et sic nos *hanc* et *hunc* dicimus. *Idem.*

Immeritissimo] Ut parvo, falso, de adverbiis est in *O* desinentibus. *Id.*

61 *Nam quid me in hac re facere voluisti*] Bona exceptione locutus est, quasi in aliis omnia fecerit. *Idem.*

In hac re voluisti tibi] Quam contemnat iram domini, ut hoc ipso purgatior videatur, ex hoc apparet, quod addidit *tibi.* Sic enim dicere solemus, 'Quid tibi vis faciam?' quum alieno negotio frustra nos ostendimus laborare. *Idem.*

62 *Servum hominem causam orare leges non sinunt*] Hoc enim quasi ignoranti dicit: sed stomachose admonet, velut stultum, qui rem manifestam non cogitat. *Idem.*

Servum hominem causam orare leges non sinunt] Vetuste *hominem.* Sallustius in Jugurtha: 'Quum interim Hiempsal reperiretur occultans se in tugurio mulieris ancillæ.' *Idem.*

Servum hominem causam orare leges non sinunt] Mire extenuavit conditionem suam, dicendo non *me*, sed *servum.* Et addendo *hominem*, moraliter locutus. Sic Virgilius, 'Venerat antiquis Coriti de finibus Acron Graius homo.' *Idem.*

Causam orare] Non improprie. Sic Virgilius, 'Orabunt causas melius.' *Idem.*

63 *Neque testimonii dictio est*] Vis scire, inquit, quum non liceat servo pro domino dicere? nec testis loco produci potest. *Idem.*

Neque testimonii dictio est] Varie: non enim dixit, *Neque testimonium dicere.* Idem.

Neque testimonii dictio est] Neque dicendi testimonii servo copia, aut facultas: per easdem leges scil. *Mer. Casaubonus.*

Mitto omnia] Et jam hoc perdidit senex, quod videbatur validum ad accusationem. Ita gradatim illi singula subducuntur, et accusationis impetus evanescit. *Donatus.*

64 *Addo istuc, imprudens timuit adolescens*] Hæc omnia verba causalem ad argumentandum vim habent. *Id.*

Imprudens timuit adolescens, sino] Σχῆμα, διανοίας συγχώρησις. Et singula pronuntianda, ut plura videantur. *Mitto, sino*, vim habent contra voluntatem concedentis. *Idem.*

65 *Tu servus. verum si cognata est maxime*] Sub obtentu hujus propositionis, in qua pars legis ostenditur, jam Poëta præparat locum fallaciæ Phormionis, de dote accipienda. *Id.*

Verum si cognata est maxime] Τῷ ἰδιωτισμῷ addidit *maxime:* nam sive est cognata, sive non est, non recipit τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. hoc est, non dicitur maxime cognata, et cognata minime: sed, aut est, aut non est. Alii sic ordinant, *Non fuit necesse maxime habere.* Alii, *sed id quod lex jubet, maxime dotem daretis.* Idem.

Si cognata est maxume] Ut ut de cognatione maxime constet, et explorata res sit. Nam Donatus hic nodum in scirpo quærit. *Mer. Casaubonus.*

66 *Sed id quod lex jubet, dotem daretis*] Id quod lex jubet: ordo. sic Virgilius, 'Verum, id quod multo tute ipse fatebere majus.' *Donatus.*

Sed id quod lex jubet, dotem daretis, quæreret alium virum] Hic affertur altera pars legis, post eam quæ ponebatur act. I. sc. 2. vs. 75. &c. Integra ergo est: 'Orbam proximus cognatus ducat, aut dotet.' pluribus verbis proponit Eugraphius ad initium sc. III. act. 2. ergo lex optionem dat cognato. cur non elegistis, partem alteram, minusque onerosam? Unde et in jure Romano illud l. CX. § 3. de R. J. ubi verba conjuncta non sunt, 'sufficit alterutrum esse factum,' proprie ad legum, edictorum, et statutorum interpretationem pertinere, annotat Jac. Gothofredus Commentario ad Reg. Jur. *Bœclerus.*

67 *Dotem daretis*] Vide ad Adelph. act. IV. sc. 5. *Mer. Casaubonus.*

Quæreret alium virum] *Quæreret*, quam idoneum est ad significationem odiorum! Virgilius, 'Quærat sibi fœdera Turnus.' *Donatus.*

68 *Qua ratione inopem potius ducebat domum*] Magno sonitu intulit, quod minus momenti habet adversus eos qui accusantur, quam illa superiora. *Idem.*

Inopem potius ducebat domum] Non *inopem potius.* sed *potius ducebat* subdistinguendum est. *Idem.*

Ducebat domum] Quod absolute vulgo dicitur, *ducebat.* Mer. Casaubonus.

69 *Non ratio, verum argentum deerat*] Hoc ita ludibundus absolvit Geta, ut etiam quasi per jocum respondeat. *Donatus.*

Non ratio, verum argentum deerat] Plaut. Trin. 'Ratio quidem hercle apparet, sed argentum οἴχεται.' *Mer. Casaubonus.*

70 *Alicunde! nihil est dictis facilius*] Hoc quasi subridens, et averso ab illo vultu pronuntiavit Geta. quod genus actionis securitatem ostendit hominis, manifesta dicentis. *Donatus.*

Alicunde] Demipho *alicunde* ad facilitatem retulit: hic sic intelligere se fingit, ut, quasi non habens ipse Demipho de proximo a quo dicere incipiat, dixerit *alicunde.* Idem.

Nihil est dictu facilius] Mire, ut solet, proverbio uno dissolvit totam senis intentionem. ut in Heautont. 'Quid si hoc pater resciverit? Quid

si redeo ad illos qui aiunt, Quid si nunc cœlum ruat?' *Idem.*

71 *Postremo, si nullo alio pacto, vel fœnore*] Ostendit se senex hæc perdere : quum ab his ad alia transcendit exclusus. *Idem.*

72 *Dixti pulchre, siquidem quisquam crederet*] Vide quam non laboret ad respondendum Geta : siquidem illi per εἰρωνείαν respondit. *Idem.*

Crederet] Pecuniam committeret. *Idem.*

Si quidem quisquam crederet te viro] Iterum adimitur seni argumentum, quo pugnabat, adeoque causa iracundiæ imminuitur. Similis Græcæ, sive adeo Atticæ legis, qua minor viginti quinque annis, si quis ab eo stipulatus esset, in integrum restituebatur, apud Plautum fit mentio Pseudolo I. 3. 69. ubi 'Lex qui navicennaria' appellatur; et Rudente v. 3. 26. Ubi miror, tot viros eruditos Romanam illam legem dicere. At Romanam Lætoriam ex hac Græca, cujus apud Plautum mentio, natam rectius dixeris. quod et de Senatusconsulto Macedoniano, propius huc pertinente, verum erit putare. *Bœclerus.*

73 *Non, non sic futurum est: non potest*] Hic jam palmæ locus est debitæ Poëtæ, siquidem et omnia objecerit Demipho, et omnia solverit Geta: quibus actis, sola irrationabilis exclamatio relinquetur seni. *Donatus.*

Non, non sic futurum est : non potest] Moralis abnegatio frequenti repetitione firmata. *Idem.*

74 *Egone illam cum illo ut patiar nuptam unum diem*] Hic est de quo supra dictum est, 'Illene indotatam virginem atque ignobilem daret illi? numquam faceret.' *Idem.*

Egone illam cum illo ut patiar nuptam] Hic jam præstruitur, quam facile triginta minas perditurus sit Demipho, dum illam vult excludere. *Idem.*

75 *Nihil suave meritum est*] Donati annotatio plane inepta est. Guyetus Goveanum sequitur. possis tamen, ut editur, eodem sensu accipere, ut *meritum* παθητικῶς ponatur, et ad totam causam adeoque Antiphonem et Getam porrigatur. *Bœclerus.*

Nil suave meritum est] Ad hunc locum sic scribit elegantissimus Interpres : *Ces paroles sont si obscures, et ce que Donat et les autres disent, y apporte si peu de lumière, que je me suis contenté de suivre à-peu-près le sens.* Quod dicit vir doctiss. verum est. Mihi autem hoc loco impetranda, oranda certe, venia est, si paulo fuerim prolixior. Eo me cogit loci ipsius difficultas, id et facit Latinorum Interpretum inter se discordantium numerus; qui omnes hic se turpiter dederunt. At ego rem ita me elucidaturum puto, ut vel tantillum quiddam difficultatis hic residere nemo posthac queratur. Primum igitur, quin vera sit scriptura dubitari haud potest; sic enim constanter in omnibus Mss. legere est; et ita legisse Donatum excerpta testantur. Sed Goveanus vir Doct. qui hoc non intelligeret, putavit scriptum a Terentio fuisse non, *meritum est*, sed, *meritu' est*, pro *meritus est*, ut scribere olim solebant. Hæc ab eo tradita reperio in collectione commentariorum : 'Scriptum fuisse puto, *nil suave meritu' est*, ut ad Antiphonem ea verba sic referantur ; *Egone cum illo illam ut patiar nuptam unum diem ? non faciam ; non enim meritus a me est, ei ut esse dulce aut suave aliquid patiar.* Potest et sic intelligi, Nihil mihi fecit Antipho suave, ut ei suave esse aliquid permittam.' Hæc Goveanus. Illum secutus est Guyetus, quod ipse testatur. At in Notis Gallicis I. Peyraredi, quæ non ita pridem e Latino conversæ fuerunt, ita scriptum videas : *Les interprètes ont mal entendu ces paroles, qui ne veulent dire autre chose que*, gratum mihi non est illud

officium : *on ne m'a pas fort obligé en cela; si ce n'est qu'il faille lire*, nil suave meritu' est, *Antiphon ne mérite pas que je luy en sache bon gré ; parceque c'étoit Antiphon qui avoit comparu en jugement pour Phedrie.* In eo autem mihi nimium placet I. Peyraredus, quod, alios reprehendens, ipse nihil novi affert, nihil boni. Nam illud, *officium*, plane alienum ab ea re est, qua de agitur. Dein illud etiam, *meritu' est*, et Goveano in mentem, et Guyeto venerat ; et ab utroque scriptum est, ut ii norunt qui vel levissimam librorum supellectilem habent. Quamobrem nunc ad me tandem veniendum, videndumque est an aliquid dicam quod audiri debeat. Id ego agam et plane et simpliciter. Hoc igitur ante omnia dico, locum hunc a veteri illo Donato recte fuisse intellectum, et, si quid sentio, bene explicatum; sed excerptorem, dum tanti hominis verba in compendium studet mittere, ipsius interpretationi tenebras offudisse ; id quod ex Plauto, quem Donatus diligenter legerat, cognosces. In Pœnul. act. I. sc. 3. ubi Agorastoclem ex amore delirantem, et nugas pueriliter blaterantem facit, sic positum est : *Ut non ego te hodie emittam manu, non meream quantum aquæ in mari, neque nubis quantum, neque quot stellæ in cœlo, neque hoc, neque illud.* Gallice : *Quand on me donneroit autant de bien qu'il y a de nuées dans l'air, d'eau dans la mer, d'étoiles au ciel, &c. tout cela ne seroit pas capable de m'ôter la pensée que j'ay de t'affranchir.* An putas nescisse Donatum quid hoc loco esset, *merere?* Ita alibi : *Neque hodie, ut te perdam, meream Deum divitias mihi.* Gallice diceres : *Quand je serois assuré de gagner toutes les richesses des Dieux, je ne m'éloignerois pas de vous.* Donatus certe non potuit hoc loco non intelligere quid esset, merere ; id scilicet quod Gallice dixi. Sed annon et ita locutus est Cicero? Id profecto est ; at locum non memini, nec vacat quærere ; dein et exemplorum sat est. Nunc denique ad Terentium, cujus causa hæc notata a me fuere : *Nil suave meritum est illam ut cum illo vel diem unum nuptam esse patiar.* Sic explicari debet : Quidquid possum merere, (quidquid a me mereri potest,) quæcumque ad me utilitas ex tolerantia mea redire queat : totum id respuam et longe asperner ; illam ut cum illo nuptam vel unum patiar diem, nolim Deum immortalitatem merere ; ea mihi sorderet : (Horat. 'pretium, ætas altera, sordet,' qui locus huic germanus est ; illum vide :) nam τὸ *merere*, notat pretium seu mercedem. Et hæc quidem ad locum Terentii satis difficilem, sed qui, uti spero, nihil posthac habebit quod lectorem possit morari. Verum, antequam manum de tabula tollo, hoc quoque monendum arbitror : istud nomen, *meritum*, in hoc Terentii loco non esse substantivum, quod tamen putavit non excerptor modo, sed et Budæus ipse ; alioqui dicendum fuerat *nil meriti suave sit.* Hinc autem omnes Doctos arbitror in errorem inductos fuisse ; quod te, Lector, velim notasse. *Faber.*

Hominem commonstrarier] Bono ordine pervenit ad Phormionem : a quo magis confutabitur. *Donatus.*

76 *Aut ubi habitet, demonstrarier*] Mire ostendit, quam hic senex contemnat Phormionem modo, a quo mox superabitur. *Idem.*

77 *Nempe Phormionem*] Apparet hic in *Phormionem* primam corripi, quemadmodum et Apollodorum fecisse testatur Donatus. sed forte verius est in *nempe* priorem corripi : ut sæpe apud Plautum : forte elisione m. *Faërnus.* Hæc ille. Sed nihil necesse est ; nam in *Phormio* prima corripi potest ut in *pherbe ;* vide observatiunculas de metris ad calcem Notulæ. *Faber.*

Istum patronum mulieris] Hic et con-

temptum adversarii, et sui fiduciam monstrat. *Donatus.*

78 *Jam faxo hic aderit*] Virgil. 'Haud sibi cum Danais rem faxo, et pube Pelasga.' *Idem.*

Jam faxo hic aderit] Incauti sunt, ne dicam inepti, qui Scioppio tam secure credunt, scribenti in Annotationibus in Paradigmata Verborum: 'Bonos auctores (retineo verba) præsertimque veteriores, verbis, quæ indicativi, optativi, et subjunctivi modi vulgo a Grammaticis perhibentur, nullo fere discrimine usos' esse. Quo nihil ille stultius in re Grammatica, cujus diligens investigator fuit, sæpius tamen alieno quam suo ingenio, scripsit, quasi non obvium sit, ex illis ipsis, quas Scioppius agnovit, regulis monstrare veriorem σύνταξιν, in iis exemplis, quæ satis multa affert. vide etiam Chrestomath. voce 'Age.' *Bœclerus.*

Antipho ubi nunc est] Mitius nunc quærit ubi sit Antipho. et utrum amatæ adhæreat, subtiliter quærit. quod servus intelligens respondit, *foris.* Donatus.

Foris] *Foris* dixit, quum fugisse eum sciat. *Idem.*

79 *Abi, Phædria, eum require, atque abduce huc*] Opportuna et apta simplicitas attribuitur Demiphoni, nihil tale de Phædria suspicanti. *Idem.*

80 *Eo recta via equidem illuc*] Et amatorem ostendit Phædriam: et simul id agit, ne in conspectum patris veniat Antipho. *Idem.*

Nempe ad Pamphilam] Nisi hoc Geta dixisset, non intelligerent spectatores quid dixisset Phædria. *Idem.*

81 *At ego deos penateis hinc salutatum domum devortar*] Nulla mentio fit uxoris apud Demiphonem. non enim convenit argumento ut habeat. neque quid in Cilicia gesserit, demonstratur ideo, quia jam dictum est, 'Noster in Ciliciam ad hospitem antiquum:' causa enim quæsita est cur abesset, dum uxorem ducat Antipho: et causa ex argento, id est, avaritia, quo minus videatur pati nurum pauperem, qui ob spem lucri ab Attica in Ciliciam navigaret. *Idem.*

Hinc salutatum] Ab hoc loco. *Idem.*

Salutatum] Adoratum prima post reditum prece. *Idem.*

82 *Devortar*] Bene *devortar*, quasi de via. *Idem.*

Atque aliquot mihi amicos advocabo] Jam præparat ridiculam advocationem: qua plures adhibendo Jurisconsultos incertior reddetur. *Idem.*

83 *Amicos advocabo*] *Amicos* et pro testibus et pro advocatis veteres posuerunt. *Idem.*

Adsient] Proprie *adsient.* 'Adesse' enim dicuntur advocati. *Idem.*

84 *Ut ne imparatus*] Pro *non.* Id.

SCENA II. Septenarii sunt omnes. vs. 5. unus; *ecce in re.* alter; *ecce rem.* tertius; *ecce quid si reddet.* vs. 8. duo; *a crimine.* vs. 9. duo; *patris.* vs. 20. Argent. *duceret damn. dom.* vs. 21. omnes; *mea quidem sententia.* vs. 25. omnes; *ad symbolum.* vs. 31. omnes; *præbeat.* vs. 33. Argentorat. *post illam jam ut lubet licet.* Secunda manu additur, *ludas.* mei etiam præferunt *illam.* Bœclerus.

Itane patris ais conspectum veritum hinc abiisse] *In hac scena de parasitis vilioribus Terentius proponit imaginem vitæ: ut in Eunucho de potioribus, et his qui nuper processerint, id est, de assentatoribus. Animadvertendum autem, hujusmodi genus hominum magis a Terentio lacerari.* Donatus.

Itane patris ais conspectum veritum hinc abiisse] *Adhuc narratur fabula de Terentio et Ambivio ebrio: qui acturus hanc fabulam, oscitans temulenter, atque aurem minimo inscalpens digitulo, hos Terentio pronuntiavit versus. quibus auditis exclamaverit Poëta, se talem quum scriberet, cogitasse parasitum: et ex indignatione, quod eum saturum potumque deprehenderat, delinitus statim sit.* Id.

1 *Itane patris ais*] Hæc et labia lingens, ut ebrius, et ructans, ut-

pote satur, pronuntiavit actor bonus. *Idem.*

Itane patris ais conspect.] Nisi valde fallor, Donatus hic alias res egit, cum Phormionem parasitum e vilioribus denotat, et satyrico naso irridet. quem Terentius altero parasito Gnathone omnino callidiorem fecit; et valde cavit, ne probris, ut ille, expositus foret. *Bœclerus.*

Admodum] *Admodum* annuendi vim habet duntaxat modo: et subauditur veritum. *Donatus.*

2 *Phaniam relictam solam*] Subauditur, *ais.* Idem.

Iratum senem] Iterum *ais* subauditur. *Idem.*

3 *Oppido*] Non *ait*, sed *iratum* intellige. *Idem.*

Oppido] Admodum, valde, ut supra. *Mer. Casaubonus.*

Ad te summa solum, Phormio, rerum redit] Ideo velut expergefactus ad has causas accedit Phormio, quia non diu sollicitum convenit esse parasitum: nec quidquam aliud, nisi de convivio, vel propter convivium cogitare. adeo, nisi a Geta cogatur, modo etiam negotiorum Antiphonis negligens est, atque securus. *Donat.*

Ad te summa rerum redit] Jul. Cæs. III. de Bello Civ. 5. alia non minus elegante formula: 'Ad illum summa imperii respiciebat.' *Bœclerus.*

4 *Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum*] Παροιμία apta parasito, quæ de cibo est. Hoc autem inter rusticos de alliato moretario dici solet. Et bene *intristi*: proprie enim *intrita*, dicitur hujusmodi cibus. *Donatus.*

Accingere] Appara te atque expedi. *Idem.*

Eccere quid si reddet] Totum hoc quasi alia agens loquitur parasitus: ut ex hoc appareat quid intersit inter audaciam sycophantæ improbi, et patrisfamilias perturbationem minime litigiosi. nam ille in bona causa advocatos quærit, et ipse sollicitus in toto actu est: hic in puncto temporis se ad calumniam præparavit. *Idem.*

Eccere] Adverbium jurandi, pro, *æcere.* i. per ædem Cereris: ut Ædepol, Æcastor, &c. Plaut. 'Jam enim eccere ibo ad forum, atque hæc Facta narrabo seni.' Atque alibi sæpius. Nisi tamen diversa sunt *eccere*, pro, *ecce res*, jurantis; et *eccere*, pro *ecce res*, vel, *ecce rem*, confirmantis adverbium: ut et vetus Glos. videtur distinguere. *Mer. Casaubonus.*

6 *Quid si reddet*] Bene jam ad illud respicit fabula, quod futurum est, propter Phædriam. *Donatus.*

Quid si reddet] Hoc est, quid si respondebit? An, quid si mulierem reddet. *Idem.*

Sic opinor] Non ad *tu impulisti* hoc pertinet: sed ad id quod secum tacitus volvit Phormio. *Idem.*

Subveni] Hæc omnia Phormio, 'si rogitabit,' &c. secum profunde de negotio cogitans, et dolos ultro citroque varios agitans, nec, quid Geta diceret interim, attendens. *Mer. Casaubonus.*

7 *Cedo senem*] Hic alii exclusisse torporem somni inducunt parasitum. alii transglutisse quod in ore mandebat: quasi hoc moræ fuerit ad vincendum senem. *Donatus.*

Cedo senem] Non parvi moliminis certamen impendet; quum senex dixerit, 'Hominem commonstrarier mihi istum volo:' parasitus dicat, 'Cedo senem.' *Idem.*

Jam instructa sunt mihi in corde consilia] Cicero, nunquam oblivisci solitus familiaris sui Terentii, III. de Nat. Deor. 29. cum 'dolos, fallacias, machinas, præstigias' considerat, hunc versum laudat: quem παραφράσει quadam diffundere poterunt illa Plautina in Pseudolo II. 3. 10. 11. 'Jam instituta, ornata, cuncta in ordine animo ut volveram, Certa, deformata habebam.' *Bœclerus.*

8 *Quid ages*] Non interrogantis, sed metuentis hoc dictum est. *Donat.*

Quid vis, nisi ut maneat Phanium] Tria promittit, in quibus omnis causa Antiphonis est constituta. *Idem.*

Atque ex crimine hoc] Sic dixit, Ex crimine eripiam, quasi ex incendio. Considera, trium rerum, quas promittit, gradus per αὔξησιν esse servatos. *Idem.*

Phanium] Uxorem scilicet Antiphonis. *Idem.*

9 *Antiphonem eripiam*] Bene *eripiam* dixit: quo vim significat doli, pro eo qui jam teneatur oppressus. Virgilius, 'Tunc hinc spoliis, indute, meorum Eripiare mihi,' &c. *Idem.*

In me omnem iram derivem senis] *Derivatio* dicitur inflexio criminis ab eo ad quem pertinebat, ad eum ad quem non pertinet. *Idem.*

10 *O vir fortis atque amicus*] Ordine laudavit. plus est enim *amicus*, quam *vir fortis*. Et apparet, adversum Getam exclamasse: quod majorem vim habet, quam si *amice* dixisset. *Idem.*

O vir fortis, atque amicus] Nominativum pro Vocativo posuit. *Idem.*

Verum hoc sæpe Phormio] Bene *sæpe* addidit, ut sententiam faceret de speciali dicto. *Idem.*

11 *Vereor ne istæc fortitudo in nervum erumpat denique*] Quid est *istæc?* nimium audax scilicet. Et convenit hoc dictum Getæ; qui et supra dixerat, Est parasitus quidam Phormio, homo confidens. *Idem.*

Verum hoc sæpe, Phormio, Vereor, ne istæc fortitudo in nervum erumpat] Et consuetudine Romana dixit: quia sæpe in nervum conjiciebantur, ex aliquo maleficio in carcerem missi. An numquid proverbium a sagittariis natum est; quod immoderatæ plerumque vires adducendo arcu non telum incitent, sed nervum rumpant? An ex eo, quod sæpe fortius ferientes, nervum sibi aliquem lædant? Ergo fortitudine nimia sæpe vinci, sæpe decipi contigit. *Idem.*

In nervum erumpat denique] *Denique*, modo παρέλκον, Terentiana consuetudine, qui hanc particulam in ultima ponit sententia. *Idem.*

Vereor, ne istæc fortitudo in nervum erumpat] Metaph. a sagittariis, quorum arcus intentione nimia seu nervus rumpitur. Potest etiam de nervo arcus, vel etiam corporis, quibus a nimia illa intentione periculum non minus, intelligi. Ad sensum verborum prope accedit illud Plaut. 'Hei mihi quam istæc blanda dicta quo eveniant, madeo metu.' Vide act. I. sc. 4. vs. 4. *Mer. Casaubonus.*

Factum est periculum jam pedum, visa est via] Sic lego, et distinguo. de aliis aliorum lectionibus alias. *Faber.*

12 *Jam pedum visa est via*] *Pedum* pro pedibus. et *visa* ἀντὶ τοῦ *provisa*. Et totum μεταφορικῶς. *Donatus.*

Jam pedum visa est via] *Pedum*, pro *pedibus*: et *visa*, pro, *provisa*. D. Aliis, *via pedum*, pro, vestigia pedum. ut sit metaph. a venatoribus. alii denique ita distinguunt: *factum est periclum jam pedum: visa est via*: quæ tamen omnia eodem tendunt, ut tritam sibi ac exploratam viam se insistere dicat Phormio, ac proinde non esse quod timeat Geta. *Mer. Casaubonus.*

13 *Quot me censes homines jam deverberasse usque ad necem*] Parasitice totum translationibus loquitur. hujusmodi est enim vis umbraticorum hominum, scurrilis oratio. *Donatus.*

Deverberasse] Plaut. 'Dilaceravisse:' 'deartuavisse:' 'malis exemplis excruciavisse.' *Mer. Casaubonus.*

14 *Hospites, tum cives*] Ἀνακόλουθον secundum: deest enim supra, *cum.* Et bene posterius posuit id quod majus est. *Donatus.*

Quo magis novi, tanto sæpius] Quo notior via, tanto plures quotidie perdo. Usus promptum fecit: et quantum accedit peritiæ, tantum et maleficiis. *M. Casaubonus.*

15 *Cedo dum, en unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam*] Plus est,

hoc per interrogationem intulisse, quam si diceret, Numquam mihi scripta est injuriarum dica. *Donatus.*

Injuriarum audisti mihi scriptam dicam] Ἀκυρολογία. sic enim et Tullius, 'Scribitur Heraclio dica.' *Idem.*

Dica] *Dice* causa est Græce, quæ fit Latine *dica:* ut *Acte Acta*, *Calliope Calliopa.* Idem.

Scriptam dicam] Supra act. I. sc. 2. *Mer. Casaubonus.*

16 *Quid istuc*] Interrogare dicitur et fingitur Geta, ut parasitica progrediatur oratio. *Donatus.*

Quia non rete accipitri tenditur, neque milvio] Rursus per ἀλληγορίαν loquitur parasitus: ut totum triviale sit, a conviviis escisque translatum. *Idem.*

Quia non rete accipitri tenditur, neque milvio] Legitur et *tennitur.* habet enim *N* litera cum *D* communionem. *Idem.*

Neque milvio] G. Faërnus pag. 193. testatur in omnibus Mss. scriptum, *miluo*, trisyllabice, et id verum esse olim ostendi ad Phædrum. Milvius non est Latinum, sed Barbarum. *Faber.*

17 *Qui malefaciunt nobis*] Ore et unguibus scilicet. *Donatus.*

Illis qui nihil faciunt, tenditur] Non sic accipe, *nihil faciunt*, quasi dicat, nec bene nec male: sed quum legeris *nihil faciunt*, subaudito, *nobis male.* Idem.

18 *Quia enim in illis fructus est*] Παρέλκον tertium: quo aut *quia* (et sic *enim* subjungatur) aut ipsum *enim* supervacuum est. *Idem.*

In illis fructus est] Quia nihil faciunt nobis male. *Idem.*

Quia enim in illis fructus est] *Fructus*, cibus: quia *frumen* dicitur tractus gulæ, qua cibus in alvum demittitur. *Idem.*

In illis opera luditur] Qui malefaciunt nobis. *Idem.*

Luditur] Exercetur. An illuditur? id est, frustratur. *Idem.*

19 *Aliis aliunde est periculum, unde aliquid abradi potest*] Utrum hic sensus est, quasi dixerit, Aliud aliis periculum affertur, a quibus aliquid auferri potest? an alii aliunde periclitantur, quam creduntur? est enim illis causa periculi, non quæ videtur, sed quia ab his aliquid auferri potest. *Idem.*

Unde aliquid abradi] *Abradi*, per vim auferri. *Idem.*

20 *Mihi sciunt nihil esse*] Rei scilicet. *Idem.*

Ducent damnatum domum] Secundum jus scilicet, quo obærati, quum solvendo non essent, ipsi manu capiebantur. *Idem.*

Ducent damnatum domum] Miris usus est verbis ad extenuandam pœnam, et rem ad commodum transferendam: nam quod obæratis inimicum est, id parasitus maxime optat, duci ab aliquo domum. Addidit autem, *damnatum;* quasi qui irrideat genus damnationis, in qua victor pascere compellitur, et pascitur victus. *Idem.*

Dices, ducent damnatum domum] Valde nollem, annotari: Poëtam respexisse hic mores Romanos, de nexis in vincula ducendis. Peccavit si hoc fecit Poëta: Græcos enim non Romanos mores respicere debuit. quibus si sæpe Romani fuerunt similes, non horum tamen sed illorum auctoritatem sibi propositam meminit arbitror. Ad id quod præcessit, 'Mihi sciunt nihil esse,' comparari potest illud Gaii in jure Romano: 'Nam is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam adversarii inanis actio est.' l. VI. de Dol. Mal. *Bœclerus.*

Dices, ducent damnatum domum] Dices, quamvis injuriarum postulatus, et damnatus, non habeam quod pendam, tamen addici possum ad servitutem, ut qui non sum solvendo. *Mer. Casaubonus.*

21 *Alere nolunt hominem edacem*] Sensus est, Sciunt edacem, et ideo nolunt alere. Et hoc sic pronuntiandum ut facete totum videatur illa-

tum, quando obæratus sit sub hujusmodi pœna: nec accusari ab aliquo se queritur, neque damnari. *Donatus.*

Hominem edacem] Se significat. *Id.*

Sapiunt] Sibi consulunt. *Idem.*

22 *Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere*] Parasitice *beneficium summum* dixit *alere*. Idem.

Pro maleficio] Pro injuria. *Idem.*

Reddere] Retribuere, reponere. *Id.*

23 *Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia*] Multum promittit Geta parasito, quum dicat, nihil futurum, quod pro merito possit accipere. *Idem.*

Non potest satis pro merito ab illo] Hujusmodi sententias inferunt Poëtæ parenthesi, cum his quæ volunt inferre. *Idem.*

Ab illo tibi referri gratia] Non ab eo, qui te damnatum duxerit: sed Antiphone, de quo sermo est. *Idem.*

Illo] Antiphone. *Mer. Casaubonus.*

24 *Imo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert*] Bene parasitus, quidquid præstat, debere se dicit. Et est proprium personæ inferioris. Virgilius, 'Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra Jovemque Concilias, tu das epulis accumbere divum.' *Donatus.*

Gratiam] Vicem. *Idem.*

Nemo satis pro merito gratiam regi refert] *Rex* alias regnator, alias dominus, alias dives significat. Sed nunc rationem habet nominis ad aliquid dicti, ad significandum parasitum. ut enim parasitus regis est, et libertus patroni; sic e contrario rex parasiti est, et patronus liberti. quod si non esset, non *nemo* tantummodo, sed 'Nemo parasitus' diceret. *Idem.*

Immo enim nemo] Vel ex *immo*, vel ex *enim*, elidetur m: primo modo anapæstus in prima est, secundo dactylus. *Faërnus.*

Immo enim nemo satis, &c.] Conqueritur de quinque horum versuum obscuritate Scaliger Poëtic. IV. 1. Guyetus animosius recidit tres versus: duosque insequentes pro suspectis habet. Sed Donatus monuit ex Ennii loco notabili hunc esse desumtum. Versus Ennii quomodo in Variis ordinet Muretus vide. Quam commodum sit aliena quadra vivere, hac ῥήσει parasiti declaratur. cur, *asymbolum* inter parasitos confictum putaret Donatus, nihil causæ habuit. qui reliqua satis bene explicat; nisi quod de procacitate parasitorum, in accumbendo, itidem frustra cogitavit. At Engraphii nihil est annotatio ad illa, 'Prior bibas, prior decumbas: hæc utique servorum est quædam libertas, ut ista prius sibi præstent.' Nihil hic de servis. et parasitus non tantum liber, sed ut conviva describitur. *Bœclerus.*

Regi] Ita vocabant parasiti benefactores et alumnos suos. Mart. 'Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.' Plaut. 'Parasitus, qui me complevit flagitii et formidinis, Meus Ulysses, suo qui regi tantum concivit mali.' *Mer. Casaubonus.*

25 *Tene asymbolum venire, unctum, atque lautum e balneis*] Hæc non ab Apollodoro, sed e sexto satyrarum Ennii translata sunt omnia: 'Quippe sine cura, lætus, lautus, quum advenis, Infertis malis, et expedito brachio, Alacer, celsus, lupino exspectans impetu, Mox dum alterius abligurias bona: quid Censes dominis esse animi? pro divum fidem! Ille tristis cibum dum servat, tu ridens voras.' *Donatus.*

Tene asymbolum venire] Et hoc nomen constat inter parasitos confictum atque compositum esse. Contra illud in Andria, 'Symbolam dedit, cœnavit.' *Idem.*

Asymbolum] Sine symbola: sine sumptu. vide And. act. I. sc. 1. ad, 'Quid? symbolam dedit: cœnavit.' *Mer. Casaubonus.*

26 *Otiosum ab animo*] Πλεονασμός. Nam addidit *ab*, quum sufficeret *animo*. Donatus.

Quum ille cura et sumptu absumitur] *Cura* in apparando, *sumptu* in coëmendo. *Idem.*

27 *Dum tibi sit, quod placeat*] Acuenda vox in eo, quod ait *tibi*. Et hoc eminenter adjectum est: non sui curam, sed convivarum gerere illum qui vocat. *Idem.*

Ille ringitur, tu rideas] Poëtico lepore et iisdem syllabis diversa significantia prope invicem posuit, *ringitur* et *rideas*. Idem.

Ille ringitur, tu rideas] Varie. nam pronuntiativo conjunctivum miscuit. Non enim dixit, *ringatur*. *Ringi* est stomachari tacitum: est enim translatio a canibus latraturis. *Idem.*

28 *Prior bibas, prior decumbas*] Hoc ad procacitatem parasitorum retulit. *Idem.*

Prior bibas] *Prior*, monosyllabum: vel r posterius eliditur, ut primus pes sit tribrachus. *Faërnus.*

Prior decumbas] Sic alibi, 'Mature veniunt, discumbitur,' inquit. *Donat.*

Cœna dubia apponitur] Et hoc adeo parasiticum verbum est, ut id non intelligat Geta. *Idem.*

Cœna dubia] 'Vide tu dubites,' &c. ut mox sequitur. Pari festivitate apud Plaut. act. III. sc. ult. Aulul. 'Agnus curiosus,' vel *curio*. ubi pariter ut hic, 'Volo ex te scire, qui sit agnus curio:' &c. Non dubium quin Plautum sit imitatus Terentius. *Mer. Casaubonus.*

29 *Quid istuc verbi est*] Ut intelligat populus, idcirco non intelligit, et vult doceri Geta. Ostendit autem Poëta, pro unaquaque re verba propria esse, neque communia cum iis, qui diversi sunt actus. *Donatus.*

Ubi tu dubites, quid sumas potissimum] Non *potius*, sed *potissimum* dixit: ut in re omni aliis alia monstraret potiora. Plautus, 'Standum est in lecto, si quid de summo petas.' *Idem.*

30 *Hæc cum ratione ineas*] Intelligas, æstimes. *Idem.*

Quum rationem ineas] Cum tecum serio reputes. *Mer. Casaubonus.*

Quam sint suavia, et quam cara sint] Nonnihil philosophatus est Poëta, ostendendo multis suavia esse quæ cara sint. *Donatus.*

Cara] Magni pretii. *Idem.*

31 *Ea qui præbet, non tu hunc habeas plane præsentem deum*] Hoc est quod ait, 'Imo enim vero nemo satis pro merito gratiam regi refert.' *Idem.*

Non tu hunc habeas plane præsentem deum] *Præsentes* dii sunt, vel qui statim præstant: vel qui coluntur et videntur, ut Sol et Luna. Alii 'præsentem' pro potentissimo accipiunt; ut Virgil. 'Quo non præsentius ullum.' *Idem.*

Hunc habeas plane præsentem deum] Virgil. in re non absimili, 'Namque erit ille mihi semper deus.' Ab eadem mente et illud apud Plautum: 'Siquidem mihi statuam, et aram statuis, atque ut Deo mihi hic immolas bonam, nam ego tibi salus sum.' *Mer. Casaubonus.*

32 *Senex adest: vide quid agas*] Intervenit senex ultimo. et quidem, quod extra argumentum per inventionem dici potuit, consumptum est. *Donatus.*

Vide quid agas] Non terrentis est, sed excitantis. *Idem.*

Prima coitio est acerrima] Translatio est a prælio. nam et congredi milites et coire dicuntur. *Idem.*

Prima coitio] Primus impetus: ut Cæsar de militibus: et Florus, de Gallis, 'Primus impetus eis major quam virorum est; sequens, minor quam fœminarum.' *Mer. Casaub.*

33 *Si eam sustinueris*] Multum de illo exigit, quando non dicit, si eam repuleris; sed potius, si eam sustinueris. *Donatus.*

Post illa jam, ut lubet, ludas licet] In officio militari omne negotium, vel pugna, vel ludus. *Idem.*

SCENA III. Inter personas hujus scenæ esse debent Hegio, Cratinus,

et Crito, quos advocaverat Demipho; illos enim alloquitur his verbis: 'En unquam audistis, &c. adeste:' Item: 'Sequimini.' Debet itaque tolli titulus scenæ sequentis; nihil enim in theatro novi est, unde nova scena fiat. *Faber.*

Constat Senariis hæc scena. vs. 3. duo Mss. nostri: *quin tu hoc quod cepimus age, jam ego h.* tertius: *quin tu hoc ages quod cepimus, j. e.* vs. 4. duo: *proh deum immortal. fidem.* tertius: *proh deum atque hominum fidem.* vs. 5. et seq. unus meorum ita: *negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho.* GE. *negat.* PH. *neque ejus patrem se scire quis fuerit.* GE. *negat.* alter: *negat Phanium hanc sibi cognitam Demipho neque ejus patrem se scire qui fuerit.* GE. *negat.* Argentor. *negat Phanium hanc sibi esse cognatam Demipho negat esse gnatam.* GE. *negat.* vs. 21. omnes: *abi hinc in malum crucem.* et vs. 22. *extimassem et.* vs. 25. *absente.* vs. 30. duo omittunt, *hodie.* duo: *ohe jam desine.* vs. 31. omnes *hec.* duo, *expeto.* vs. 45. unus: *quisquis hoc nomine.* vs. 57. duo: *reddatur.* vs. 66. 67. unus: *ita ne tandem queso item ut meretricem abusus sis mercedem dare lex jubet ei atque emittere, an ut ne quid civis turpe.* alter: *ita ne tandem queso itidem ut meretricem ubi abusus sis mercedem dare lex jubet atque emittere.* vs. 76. unus: *ducendi ætas.* vs. 82. duo: *omnia tibi pr.* vs. 88. unus: *minue ita iram.* Bœclerus.

En, unquam cuiquam contumeliosius audistis factam injuriam] *In hac scena, ut rhetoribus placet, veluti quædam controversia est, quæ uno tempore ex utraque parte tractatur. Ut si quis dicat, legem esse, ne de eadem re bis agatur; et item, ut orbam proximus ducat. quidam absente patre sub hoc nomine uxorem coactus est ducere: vult illam pater adveniens ejicere: matrimonio contradicitur. Meminisse autem debemus, in omni contentione ea maxime dici, quæ simplici patrifamilias et calumnioso sycophantæ, improbissimoque parasito congruere, Poëtæ visa sunt.* Donatus.

1 *En unquam cuiquam contumeliosius audistis factam injuriam*] Jam instructi sunt advocati, et recte. longum enim fuerat omnia hæc post scenam geri. *Idem.*

En unquam] *En* vim habet indignationis post enarratam injuriam. *Idem.*

En unquam cuiquam, &c.] Interpretes veteres, ut controversiam proponunt, describuntque hanc contentionem. sicut et ante, juris quæstio tractata est in prima disceptatione heri et servi; cui hæc ordine succedit. Poëtæ nostri δεινότητα ubivis observes licet: *en* (excitat ad considerandum rem magnam) *unquam* (a tempore) *cuiquam* (a persona) *contumeliosius* (a genere injuriæ) *audistis* (vel aliunde) *factam injuriam* (potentius jam infertur, ut et sequens particula, qua absolvitur conquestio indignitatis) *quam hac est mihi?* ipsumque interrogationis σχῆμα rem attollit. cui ἀποστροφὴ, ad similitudinem quiritationis facta, pondus adjicit: *adeste quæso.* Bœclerus.

2 *Quam hæc est mihi*] *Facta injuria*, subauditur. *Donatus.*

3 *Adeste quæso*] Interim advocati Demiphonem sequi inducuntur, et ridicule tacent prius, postea locuturi. Et *adeste* proprie. *Adesse* enim causæ proprie dicuntur patroni et amici. *Idem.*

Adeste quæso] Proprie advocatis *adeste* dixit. Et qui ipse properantius pergit, rogat ut assequerentur. *Idem.*

Iratus est] Hoc ad excitandum Phormionem dicitur. *Idem.*

Quin tu hoc age. st] Annuit ut taceat. *St* significat silentium. *Idem.*

Hoc age] Attentionis et silentii formula. Eunuch. act. I. sc. 2. *Mer. Casaubonus.*

St] Silentii indicti particula, vel nota. ut And. act. IV. sc. 1. alibique. *Idem.*

4 *Jam ego hunc cogitabo*] Modo *jam* celeritatis est signum. *Hunc* cum contemptu dixit. *Agitabo*, perturbabo. *Donatus.*

Pro deum immortalium] Ἔλλειψις, deest *fidem*, aut quid tale. Cicero in Œconomico, 'Quid igitur, pro deum immortalium! primum eam docebas quæso?' *Idem.*

Pro deum immortalium] Artificiose prior exclamat, ut Demipho, qui injuriam passus est, ultro impetum accusationis incurrat. *Idem.*

Pro deum immortalium] Cum priora submissa voce dixisset, ut solus Geta audiret; nunc exclamare incipit, ut Demipho audiat, et terreatur. Subauditur autem, *fidem.* Mer. Casaubonus.

5 *Negat Phanium esse hanc sibi cognatam*] Additum pronomen est; quasi notam omnibus diceret. *Donatus.*

Phanium esse hanc sibi cognatam] Magno ingenio Terentius impudentiam calumniatoris expressit. nam et prior incipit, et prior accusat. Et quia non potest dicere, Expellit Phanium Demipho? *negat cognatam*, inquit. *Idem.*

Cognatam Demipho] Hæc est flagitatio, quæ etiam nomen tumultuose persequitur atque exagitat. Ideo callidus sycophanta patrisfamilias proprium nomen non solum invidiose infert, sed etiam repetit. *Idem.*

6 *Hanc Demipho negat esse cognatam*] Ovid. 'Et me mihi perfide prodis, Me mihi prodis, ait.' Repetitio testandæ indignationis quasi justissimæ. *Mer. Casaubonus.*

Negat] Una opera Geta in duplici versatur dolo. nam et audiente jam sene, se ejus defensorem, tanquam absentis, assimulat, et irritat ad vociferationem Phormionem, qui clamandi ulterius causam non haberet, si taceret Geta. *Donatus.*

7 *Sequimini*] Apparet, Demiphonem, ut patremfamilias, perturbari non mediocriter: quippe qui et advocatos conquisiverit adversus hominem sine advocatis agentem, et progredi non audeat, nisi illi sequantur. *Idem.*

Sequimini] *Sequimini* dicit, qui properantius et concitatiore gradu pergit iratus. *Idem.*

8 *Neque ejus patrem se scire, qui fuerit*] Ambiguitas, quæ tamen sensu discernitur. *Idem.*

9 *Nec Stilphonem ipsum scire qui fuerit*] Hæc asseveratio mentientis est, imitata veritatem. *Idem.*

Nec Stilphonem ipsum scire] Quam multa calumniatores clamandi causa dicunt, et vociferandi: ut ipso strepitu terreant. *Idem.*

Nec Stilphonem ipsum] Tantundem quod supra, 'neque ejus patrem.' Scire debemus hoc nomen non fictum a parasito, sed auditum a puella, quæ uxor ducta sit, dici. *Idem.*

Negat] Σύλληψις prima. nam extrinsecus audiendum est, *pater.* Idem.

10 *Quia egens relicta est misera*] Communis locus in avaritiæ generalitate approbatior; facilius enim hoc de omnibus, quam de Demiphone credatur: et ideo *ignoratur* dixit, et *negligitur:* non Ignorat, nec, Negligit Demipho. *Idem.*

Quia egens relicta est misera] Illustrat hunc locum de despecta miserorum fortuna Muretus Var. II. 6. adde Plaut. Stich. IV. 1. 16. *Bœclerus.*

Ignoratur] Non agnoscitur, ignorarique fingitur. hoc enim significat modo. *Donatus.*

Parens] Pater: nam ut variaret, *parentem* dixit, quem supra dixerat *patrem.* Patrem ergo dicit puellæ a Demiphone ignorari. *Idem.*

11 *Negligitur ipsa*] Quia fieri potest, ut qui ignoret parentes puellæ, id est, ignorare se dicat, tamen ipsam non negligat puellam. utrumque conquestus est. *Idem.*

Avaritia vide quid fecit] Hæc conversus ad circulum et coronam circumstantium dicit, et conqueritur.

Nulla enim re magis populus concitatur, quam si quis egenum contemnat. inde et Sallust. 'Bonis invident, et malos extollunt.' *Idem.*

Avaritia vide] Proprie *vide* stomachantibus convenit, qui indignatione coguntur quasi cum aliquo colloqui. Sic in Adelphis, 'Illud sis vide exemplum disciplinæ.' Sunt qui putent illum alicui de corona circumstantium dicere moraliter. *Idem.*

Avaritia quid facit] Plaut. 'Aurum, quæso, quid valet?' *Mer. Casaubonus.*

12 *Si herum insimulabis avaritiæ*] *Insimulare*, est crimen ingerere. *Donatus.*

Si herum insimulabis] Insimulatio est et falsi et veri criminis incusatio. sic Cicero, 'Nihil eorum, quæ Galli insimulabant, negarunt.' *Insimulo* genitivo jungitur. *Idem.*

Male audies] Scilicet a me. *Idem.*

13 *O audaciam*] Hæc exclamatio ostendit quid absente patre defenderit filius. *Idem.*

O audaciam! etiam me ultro accusatum advenit] Hic jam ostenditur, persuasum esse Demiphoni, vim adhibitam filio suo, uxorem ducere: uno, quum hunc audacem appellat: altero, quod dicit *etiam*. quæ conjunctio et Antiphonem complectitur, et sic accusatum. *Idem.*

14 *Nam jam adolescenti nihil est quod succenseam*] Sic subtiliter ac latenter purgatur a Phormione apud patrem Antipho. nam quum dicit, 'Nihil est quod succenseam adolescenti,' ostenditur, adhuc succensuisse, et inimico fuisse animo. Quum autem addit, 'Si illum minus norat,' ostenditur, contradixisse sibi, et restitisse judicio; et sic dicit, quod si adolescens non agnoscens puellam veniam non meruerit; pater negata cognata ferri non possit. *Idem.*

Nihil est quod succenseam] *Succensere* dicimus eum, qui quum amare debeat, læsus irascitur. Et vide, ut veteratorie ostendat contradixisse adolescentem. *Idem.*

15 *Si illum minus norat*] Non dixit *non norat*, sed, *minus norat*: quasi et ipse nosse debuerit. *Idem.*

Quippe homo] Repente transit ad Nominativum, quum supra dixerit *illum*: et deest *erat*; quod assumitur ab inferiore. *Idem.*

Jam grandior] Hic comparativus non habet significationem qua magis sive minus a positivo significet. Ut, 'Jam senior, sed cruda deo, viridisque senectus.' *Idem.*

Quippe homo jam grandior] Argumentalis narratio dicitur, quæ nunc subjecta est ad fidem faciendam, et constituendam personam defensoris. Et *grandior*, non *grandis*. quasi dicat, qui grandior fuit, quam ut illum adolescens optime nosse posset. *Idem.*

Jam grandior] Proprie *grandis* ad speciem refertur ætatis. ut 'Grandis puer,' et 'Grandis virgo:' 'Grandis natu,' senex dicitur. *Idem.*

16 *Cui opera vita erat*] Hic ostendit quam pauper fuerit. et *opera* sexti casus est, et *vita* Nominativi. *Idem.*

Cui opera vita erat] *Opera* pro victu posuit. et *opera* hic Ablativus casus est. *Idem.*

Cui opera vita erat] Bene explicat Guyetus; et ante eum Lindenbrogius. Nimis devertit Palmerius. *Bœclerus.*

Cui opera vita erat] *Vita*, (ait hic D.) ita enim legendum, non ut in nuperis editionibus, *opera*, pro *victa* posuit, *et opera* hic Ablativus casus est. alii contendunt esse Nominativum, quibus potius assentior, quanquam sententiæ non multum intersit. Cic. 'Illiberales autem et sordidi quæstus mercenariorum, omniumque quorum operæ, non quorum artes emuntur.' *Mer. Casaubonus.*

Ruri fere] Id est, ruri opera faciendo quærebat cibum. Et bene addidit *fere*; non enim semper, sed plerumque. *Donatus.*

Ruri fere se continebat] Expresse ostendit miseriam hominis, qui in urbe natus interdixerat sibi accessu ejus, ob pudorem inopiæ: nam hoc significat *continebat*: unde *contenti* dicuntur, in malis durantes. Hoc autem veteres faciebant nobiles, quum ad paupertatem redacti essent. *Idem.*

Ruri fere se continebat] *Continere se* dicitur, qui contra voluntatem se continet. *Idem.*

18 *Colendum habebat*] Virgilius, 'Conductaque pater tellure serebat.' *Idem.*

Sæpe interea mihi senex narrabat] Miserabiliter et invidiose positum *senex*: et majore fide *narrabat* dixit, non *querebatur*. Et vide congestionem argumentorum. Et ordo est, *Sæpe narrabat senex hunc suum cognatum se negligere.* Idem.

Sæpe interea mihi senex narrabat] Habet misericordiam odiosa narratio. *Idem.*

19 *Se hunc negligere cognatum suum*] Ἀμφιβολία. sed in sensu dissolvitur. *Idem.*

Cognatum suum] Hoc crimen et causa est, quod *cognatum* addidit. *Idem.*

Se hunc negligere cognatum suum] Ἀμφιβολία, ob duos (quod frequens est) accusativos. ordo verborum: *Hunc cognatum suum* (Demiphonem scil.) *negligere se.* Mer. Casaubonus.

20 *At quem virum*] Qualitas injuriæ a dignitate personæ. multi enim tales fiunt, ut cognitione abdicandi sint. *Donatus.*

At quem virum] Eun. act. III. sc. 5. 'At quem Deum! qui templa cœli summa sonitu concutit.' *Mer. Casaubonus.*

Quem ego viderim in vita optimum] Modo in vita ac moribus. Et *in vita*, hoc est, quum viveret, et in eo quod a vivo fit. *Donatus.*

Quem ego viderim in vita optimum] Modo *in vita*, in actu, in moribus. *Idem.*

21 *Videas te, atque illum*] Melius hoc clare dictum a servo accipimus, ut defendisse dominum videretur. *Idem.*

Videas te, atque illum, ut narras] Hoc est, parentem te illi existimo, atque illum tibi. An potius servus, sciens hanc personam fingi, vel certe etiam mortuum hominem induci, male precatur parasito: ut etiam ipse, aut nusquam sit, ut fictus: aut pereat, ut mortuus? An sic accipiendum? ut servus submissa voce hoc per jocum dixerit, Tantum in vita te videas optimum, quam fuit ille, quem narras. An sic intelligendum? ut servus hoc dicat, Si optimum est, victum opera quærere, et in alieno agro esse, ita te videas atque illum vidisti, quem ad hunc modum narras vivere. Et allusit ad illud, quod ait, 'Quem ego viderim in vita optimum.' *Idem.*

Videas te, atque illum] Deest, *Vidisti*: scit enim illum non vera dicere. *Idem.*

Videas te atque illum, ut narras] Nugarum plena omnia apud veteres interpretes. neque juniores talia adferunt, quibus merito acquiescas. Id interea ex sequentibus certum est, non de Demiphone, sed de Stilphone Getam hic loqui. *Bœclerus.*

Videas te, atque illum] Eun. act. III. 2. 'Hem alterum! Ex homine hunc natum dicas.' *Mer. Casaubonus.*

In malam crucem] Adverbialiter, ut, *huc viciniæ*. Donatus.

22 *Nam ni ita eum existimassem*] Ut vita optimum judicarem. *Idem.*

Nunquam tam graves] Hoc non quasi timidus, sed quasi religiosus et fidelis, loquitur Phormio. *Idem.*

23 *Ob hanc*] Tanquam præsens sit mulier, de qua lis est; sic demonstrativa particula usus est, dicendo *hanc*. Idem.

Ob hanc] Id est, pro filia ipsius. *Idem.*

Inimicitias caperem] *Capere* dicimus,

quum id, quod in nobis est, assumimus. unde *capere* pro eligendo ponitur. *Idem.*

24 *Quam is aspernatur*] Ordo est: Ob hanc, quam hic aspernatur. Ἀπόδοσις. *quam* enim supra revocavit, ad puellam referens: ut, 'Quam regno Hesperio fraudo.' Et Sallustius: 'Nam Syllæ dominationem audebat.' Et interpositis quibusdam, 'Neque est offensus dominationem Syllæ.' *Idem.*

Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter] *Aspernari* est averti, non solum corpore, sed etiam animo. *Aspernari*, recusare, avertere, non agnoscere. Est autem dictum a sperno. *Idem.*

Illiberaliter] Apud veteres *illiberaliter* dicebant *factum*, si quis excessisset omne genus maleficii. Sic in Adelphis, 'Factum a vobis duriter, Immisericorditerque: atque etiam, si est, pater, Dicendum magis aperte, illiberaliter.' Vides more αὐξήσεως *illiberaliter* pro magno hic ultimum poni. *Idem.*

25 *Pergin' hero absenti male loqui*] Ἀπόστροφος per παρένθεσιν. *Male loqui*, pro male dicere. Et quærit Probus, quis ante Terentium dixerit. *Idem.*

Hero absenti] Argute *hero absenti*: ut videatur fidelior, qui defendat absentem: quod præstans argumentum est, id in animo habuisse Getam, etiam peregrinante domino. *Idem.*

Impurissime] Improbissime. *Idem.*

26 *Dignum autem hoc illo est*] Non negat male loqui: sed hoc esse dignum contendit malo homine. *Idem.*

Ain'] Ἀπόστροφος nota est, quæ separat *E* ab *N*, et intermittit *S* literæ sonum: est enim integrum, *aisne?* Idem.

Ain' tandem, carcer] Non carcerarium, sed carcerem asperius appellavit. Sic Lucilius, 'Carcer vix carcere dignus.' Et *vix* pro *non*. Idem.

27 *Bonorum extortor*] Ingeniose de ipso negotio sunt inventa convitia. *Idem.*

Bonorum extortor, legum contortor] Fingit illi crimina de causa, et de negotio. *Idem.*

Bonorum extortor, legum contortor] Ipsa vocabula veluti in re præsenti facta, gravius et significantius exaudiuntur. Cicero in Pisonem (cap. 27.) odium rei simili figuræ genere amplificavit: 'Senatus odit te, afflictorem et perditorem non modo dignitatis et auctoritatis, sed omnino ordinis ac nominis sui.' *Bœclerus.*

Bonorum extortor, legum contortor] Proverb. in sycophantas et rabulas forenses. Hinc Aristophanica illa, στρεψοδικεῖν et στρεψοδικοπανουργία. *M. Casaubonus.*

28 *Responde*] Timuit poëta, ne hujusmodi vociferatio Getæ, quasi veram discordiam apud populum fingeret: et ideo facit jam, a Phormione ipsum admoneri. *Donatus.*

Quis homo est] Mire servus finxit, se non vidisse senem: ut ea quæ dixerit, in Phormionem sincere dixisse credatur. Et mira dissimulatione addidit *homo:* ut videatur nihil de præsentia domini cogitasse. *Idem.*

Absenti tibi] Tunc fidelis opera est, si absens aliquis defendatur. hoc ergo confirmat, velut indicando. Sic in Andria, 'O Chreme, per tempus hic advenis. ausculta.' *Idem.*

29 *Seque dignas contumelias*] Id est, quas ipse debet audire. *Idem.*

30 *Ohe desine*] Hac voce ostendit, plus justo pro se locutum videri Getam. nam *ohe* interjectio est; satietatem usque ad fastidium designans. *Idem.*

Desine] Imponit silentium Getæ; quasi validiora dicturus sit. et supra *tace* dixit senex. *Idem.*

31 *Adolescens primum abs te*] Et hæc auctoritas in senibus, ut qui minoris ætatis fuerint, illos appellatione pueri, vel adolescentis, vel juvenis etiam ostendant: ut hoc de nomine illis quidem detrahant, sibi vero auctoritatem attribuant. Sic Virgilius: 'O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci Virtute exsuperas.' *Idem.*

Bona venia] Sine ira, sine discordia. *Idem.*

Adolescens primum abs te hoc bona venia peto] Metum senis, cui parum successerat prima de jure disputatio, intelligi vult poëta; quod commotior ingenio, et nunc ira non mediocri instigatus, tam placide adversarium alloquitur, veniamque præfatur. *Bœclerus.*

32 *Si tibi placere potis est*] Pro *potest.* Donatus.

Mihi ut respondeas] Bene *mihi:* utpote patri adolescentis, vel domino Getæ, vel etiam seni. Et verbum est scrupulose aliquid interrogantium. Sic Virgilius, 'Mihique hæc edissere vera roganti.' Et, 'Dic mihi, Damœta, cujum pecus?' *Idem.*

33 *Quem amicum tuum ais fuisse*] *Ais* dicimus de iis, qui vana loquuntur: *dicere* autem dicimus de iis, qui validiora. *Idem.*

Explana] Manifesta, expone. *Idem.*

34 *Et qui cognatum*] *Qui*, quomodo, unde. *Idem.*

35 *Proinde expiscare, quasi non nosses*] *Proinde*, ita similitudinis adverbium est modo, non conjunctio. ut, 'Proinde tona eloquio solitum tibi.' *Expiscari*, est diligentissime quærere, ubinam pisces lateant. ergo verbum est tractum a piscatoribus. *Idem.*

Proinde] Perinde. *Mer. Casaubonus.*

Expiscare] Diligenter quæris. *Idem.*

36 *Ego me nego, tu qui ais*] Subauditur ad omnia, *nosse.* Donatus.

37 *Eho tu sobrinum tuum*] Populari quadam vulgarique fatigatione, utpote scurra, respondit. *Idem.*

Sobrinum] *Sobrini* (qui et *consobrini:* quanquam sunt qui distinguant) qui ex duabus pluribusve sororibus sunt nati: ut *patrueles*, qui ex fratribus cognati. *Mer. Casaubonus.*

38 *Nomen? maxime*] Falsa non habent memoriam: hic ergo deest, nescio, vel, necessarium est? *Donatus.*

Quid nunc taces] Urget senex: quia intelligit eum nomen nescire. *Idem.*

39 &c.] Egregia arte hic parasitus sycophanta partim seorsum cum servo de nomine quærit, partim aperte moram fiducia frontis et vulgari tergiversantium schemate prætexit. *Bœclerus.*

40 *Subjice*] Suggere. *Donatus.*

41 *Non dico: quasi non noris*] Mire: nam videtur arte celare id, quod invitus nesciebat. *Idem.*

42 *Stilpho*] Σύλληψις. nam reddit ad nominativum, *est;* utique Stilpho; ut rursus ad accusativum, *noveras*, Stilphonem scilicet. *Idem.*

43 *Stilphonem inquam noveras*] Figura ἐπιτροχασμός. Est autem ἐπιτροχασμὸς verborum super se invicem effusio, quæ fit adversarii causa turbandi. Virgilius: 'Nec longe scilicet hostes Quærendi nobis, circumstant undique muros. Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis Semper erit?' *Idem.*

Stilphonem inquam noveras] Quasi dicat, Convincam, si neges. *Idem.*

46 *At si talentum rem reliquisset*] Ἀξιόπιστον illud fecit. *Idem.*

At si talentum rem reliquisset decem] More Romanorum, apud quos hereditas pecuniæ erat. *Talentum* autem quod dixit, more Græcorum admiscuit. *Idem.* An dedit operam, ne non aliquid diceret? frustra certe hoc loco ista vel cogitantur, vel dicuntur, de conjuncto more Græco Romanoque. *Bœclerus.*

Rem] Hereditatem, οὐσίαν. *Mer. Casaubonus.*

48 *Proferens*] *Esses proferens*, pro, proferres: Græcismus: ut Andr. act. IV. sc. 5. 'Ut tu sis sciens.' i. ut scias. *Idem.*

49 *Ita ut dicis*] Ita sum, inquit, ut dicis, avarus et superbus. Et vide senem de injuria non agere: quia justæ confidit et nititur causæ. Ple-

rumque enim hac constantia animi fulciuntur, qui juri confidunt. At contra, qui nullo jure freti sunt, litigant, et ad injurias prosiliunt : ut his saltem perturbent adversarium, qui jure non valent. Condono igitur, inquit, tibi omne contumeliæ genus. *Donatus.*

Ita ut dicis, ego tum si adv.] Donatus majoris moliminis interpretationem affert. Guyetus corrigit. Nihil putaverim expeditius, quam si ita distinguatur : *ita ut dicis, ego tum si advenissem, qui mihi cognata ea esset dicerem;* vel hoc ordine : Si ego tum, ita ut dicis, ad hereditatem adeundam advenissem, dicerem utique, qui mihi cognata esset. vel tali explicatione: Esto, sicut tu dicis, de hereditate, si ego tum advenissem, probanda mihi cognatio fuerat. *Bœclerus.*

Ita ut dicis] Non repugno, quin ita res habeat. vel, fac ita rem habere. *Mer. Casaubonus.*

Ego tum si advenissem] Deest *ad judicium:* ut sit, Quum ad judicium venissem. *Donatus.*

Qui mihi cognata] *Qui,* unde, quomodo. *Idem.*

51 *Eu! noster, recte*] Geta sic laudat senem, ut optet vincere Phormionem. *Idem.*

Eu! noster, recte] Plaudit sibi Terentius, supposita persona: quasi recte dixisset. *Idem.*

Eu noster recte] Hæc ad senis orationem, clare applaudens. *heus tu tace.* hæc ad Phormionem versus, lente. qui enim hactenus satis declinaverat senis disceptationem, nunc ita urgeri videtur, ut nec evitare æquitatem postulati, nec sine periclo respondere posse videatur. ita adhortatione servi, conspectior fit extemporalis Phormionis calliditas, qui rem judicio definitam, iterum in disceptationem mitti, nec juris nec moris esse, respondet. *Bœclerus.*

Heus noster, recte] Geta laudat herum in os, qui tamen Phormionem cupit vincere. *Mer. Casaubonus.*

52 *Quibus me oportuit judicibus*] Probavi judicibus, inquit. *Donatus.*

53 *Filius cur non refellit*] *Refellere,* est arguendo falsum ostendere. *Idem.*

55 *Cujus de stultitia dici, ut dignum est*] Compendium convitiorum est, nihil dignum invenire, pro magna injuria quod respondeas. *Idem.*

57 *Judicium de eadem causa iterum ut reddant tibi*] Immoratur amplificationi argumenti, quo irretitum senem obhærescere videbat : magnifica specie auctoritatem judiciorum extollens. quæ cum non civili tantum jure nitatur, sed naturali, maluit tamen inculcare legem Atticam, cujus rationem, potenti sententiæ momento, ad rempublicam refert ; ejusque libertate salva non posse violari quod de auctoritate judiciorum servanda constitutum est, ostendit. Comparavit jus Atticum hac in re cum Romano Lindenbrogius. Adde Weitzio congesta. *Bœclerus.*

58 *Quandoquidem solus regnas*] Quoniam regnum solutum legibus est, et opprimens libertatem. Sic alibi, 'Regnumne hic, Æschine, possides ?' *Donatus.*

Solus regnas] Quod maxime invidiosum Athenis. Vide ad Adelph. 'Regnumne hic, Æschine, possides ?' *Mer. Casaubonus.*

59 *Hic de eadem causa*] *Hic,* videlicet apud Athenas, ubi leges, ubi libertas omnibus communis est. *Donatus.*

60 *Etsi mihi facta injuria est, &c.*] Senex confutatus a Phormione, cum parum in judicio spei reponeret, honesta ἐπιεικείας præscriptione, ad transactionem animum adjicit, quasi ex altera parte legis, de dotanda, quam proximus non vult ducere, orba. *Bœclerus.*

61 *Potius quam lites secter, aut quam te audiam*] Bis posuit *quam.* Quod genus figuræ primo ζεύγματι contrarium est. Ut in Heautontimorumeno, 'Propter quam in summa infamia sum, et meo patri minus obsequens.' Item, 'Cepi rationem, ut neque tu egeres, neque hoc posses perdere.' *Donatus.*

62 *Id quod lex jubet dotem dare*] *Id,* pro *ob id.* Idem.

Id quod lex jubet dotem dare] Eugraphius et Fortunatianus *decem millia* dotis lege constituta exprimunt. *Bœclerus.*

Itidem ut cognata si sit] Perinde ac si cognata esset. *Mer. Casaubonus.*

63 *Abduce hanc, minas quinque accipe*] Modo id agit, quod reprehendit a filio non esse factum, 'Dotem daretis, quæreret alium.' Et dotem voluit custodem esse pudoris. *Donatus.*

Abduce] Quoad leges vetant. ut ex Demosthene aliisque liquet. *Mer. Casaubonus.*

Minas quinque accipe] Ita enim lex, de qua multi. Vide et supra aliquid ad And. act. IV. sc. 5. de dote, in genere. Postea, auctis rebus Atheniensium, a 5. minis, ad decem ventum est: ut Meursius accurate docet. Cæterum, quod in Fortun. et Eugraphii verbis, x. *millia,* pro *decem minis,* exhibent nuperæ editiones, et ita exponunt, ut hæc certa summa, dicis causa, pro magna posita fuerit, id amplectendum sit, (quod exemplo certe non caret, ut ibi doctiss. Lindebr.) an cum doctiss. Meursio *decem minas,* pro *decem millibus,* in utroque corrigendum, lectori judicandum relinquimus. Facilis sane lapsus, *decem MILL.* pro, *decem MIN.* Mer. Casaubonus.

64 *Ha, ha, he*] Hic risu destruxit, quod serio intendebat senex. *Donatus.*

Homo suavis] Præscriptio, quum jam alterum factum sit, fieri utrumque non posse. *Idem.*

65 *An ne hoc quidem adipiscar ego*] Quia enim a lege stat, recitat tantum id quod scriptum est. *Idem.*

66 *Itane tandem, quæso*] Majora argumenta sunt quæ per interrogationem proferuntur. *Idem.*

66 &c. *Itane tandem quæso ... Mercedem dare lex jubet*] Egregia exceptione et mentem legis et consilium legislatoris adversario opponit : tanto successu, ut depulsus ille hoc conatu ad priorem et jam profligatam disputationem se referret. ubi et Phormioni opportunum fuit, priori præscriptione rei judicatæ se tueri. *Bœclerus.*

Ubi abusus sis] A scripti voluntate. *Utimur* cum honore, *abutimur* cum injuria. *Donatus.*

Ubi abusu' sis] Hic vox *civem* (*civem ubi abusus sis*) quæ typographorum incuria ex Heinsiana editione præstantissima videtur excidisse, ex Plantiniana (quam ut plurimum, nec sine causa, secutus est vir ille doctiss. et de Terentio optime meritus) restituenda est. Al. minus bene (quanquam et Eugraphius ita videtur legisse) *item ut meretricem ubi abusus sis.* Mer. Casaubonus.

67 *Atque amittere*] Bene *amittere:* quia finis cupiditatis amissio est. *Donatus.*

68 *An, ut nequid turpe civis in se admitteret*] Idoneum testimonium est bonorum esse natalium, civem dixisse: nam apud veteres peregrinæ mulieres in meretricum numero habebantur. Sic ipse alibi, 'Adeone est demens ex peregrina?' Et alibi, 'Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi.' Et Parmeno comprobans respondit, *potest taceri hoc.* id est, meretricem matrem te habuisse. *Donatus.*

An, ut ne quid civis turpe in se admitteret] A voluntate. *Idem.*

70 *Ut cum uno ætatem degeret*] Quid enim est pudicitia, nisi unius scientia viri ? *Idem.*

72 *Actum, aiunt, ne agas*] *Aiunt* dicimus, quum proverbium significamus. *Acta res* est, de qua sententia prolata sit. *Idem.*

73 *Donec perfecero hoc*] Virgilius : 'Donec me flumine vivo Abluero.' *Donatus.*

Perfecero] Pro *perficiam*. Idem.

Ineptis] Ut a *sapientia*, *sapis* dicimus, ita ab *ineptia*, *ineptis*. Idem.

Sine modo] Hæc minantis sunt verba. et bene. imitatus est enim comminantem. *Idem.*

75 *Tuus est damnatus gnatus, non tu*] Ludit Phormio quum dicit, *non tu*: et contemptibiliorem in hac causa sibi senem, quam Antiphonem fuisse, dicit: simulque ætatem illius esse despectam. *Idem.*

Tuus est damnatus gnatus, non tu] Pro voluntate contendentis est prolatio sententiæ. *Idem.*

76 *Nam tua jam præterierat adducendum ætas*] Notari et hoc poterit, præterierat, pro, *jam dudum præteriit*. Cujus rei bene multa apud Sallustium exempla, ut et apud Plautum. *Faber.*

77 *Illum putato, quæ ego nunc dico, dicere*] Definitive respondit. *Donatus.*

Illum] Natum meum. *Mer. Casaubonus.*

78 *Cum uxore hac*] Id est, tali. *Donatus.*

79 *Tute idem melius feceris*] Locus est hic, ut ostendat Phormio, de compacto egisse cum Antiphone. *Idem.*

Tute idem melius feceris] Quidam sic intelligunt, Tute idem melius feceris, ut senex potius exeat, quam ejiciat filium. Artificiose autem loquitur Phormio, ut adimat suspicionem seni consensionis et cohibentiæ inter parasitum et filium. *Idem.*

Tute idem melius feceris] In Donato non jungenda junguntur. vide et Guyetum. ac obiter emenda Donatum; apud quem hic legas: 'Artificiose autem loquitur Phormio, ut adimat suspicionem seni consensionis et conhibentiæ' (lege *convenientiæ*: nam *convenientia* Donato est conventio, ut ad act. III. sc. 1. 'Sub convenientia sua et Phormionis dicit') 'inter parasitum et filium.' quia de compacto scilicet hi rem inter se gerebant. Guyetus mallet: *conniventiæ*. Bœclerus.

Tute idem melius feceris] Æquius est te domum relinquere, quam filium ejicere. Vide Hec. act. IV. sc. 3. *Mer. Casaubonus.*

81 *Infelix*] Κακοδαίμων, improbe. nihil enim improbitate miserius. vel, alastor, per quem alii infelices. *Idem.*

Metuit nos, tametsi sedulo] Hæc Geta ac Phormio inter se, ut Demipho non audiat. *Idem.*

Sedulo] Sine dolo, instanter. *Donatus.*

82 *Dissimulat*] Fingit, mentitur. *Id.*

Bene habent tibi principia] Eun. act. III. sc. 2. initio: 'Bene habent tibi principia.' vulgo, 'Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.' *Mer. Casaubonus.*

Quin quod est ferendum feras] Cur non, inquit, accommodas necessitati voluntatem? *Donatus.*

Quia, quod est] Vide supra, act. II. sc. 1. *Mer. Casaubonus.*

84 *Ego ne tuam expetam*] O. l. s. *egon.* Faërnus.

86 *Quæ tuam senectutem oblectet*] Non *te*, sed *senectutem tuam*. Donat.

87 *Senectutem oblectet*] In dimetiendo versu, *senectutem* trisyllabum est, eadem ratione, qua *senex* monosyllabum. *Faërnus.*

Senectutem oblectet] Lego, *senectam oblectet*, idque ob metrum. *Faber.*

88 *Minue vero iram*] Contemnentis est dissuadere iracundiam. *Donatus.*

Hoc age] Annuentis est. *Idem.*

89 *Nisi tu properes*] Aliqui libri, et in iis Bembinus et Victorianus, *properas*. Faërnus.

90 *Dixi, Phormio*] *Dixi* solent dicere perorata causa. *Donatus.*

Dixi] Hoc verbo utebantur perorata causa. et ita mox, sc. 3. Sed hic minantis est, cum quadam feritate. ideo etiam a Phormione, ut par pari referat, repetitum. Hec. act. IV. sc. 3. Laches iratus uxorem alloquitur, 'I ergo intro, et compone quæ tecum simul ferantur: dixi:' respondit illa: 'Ita ut jubes faciam.' *Mer. Casaubonus.*

92 *Dicam impingam tibi grandem*] O. l. s. hunc ordinem verborum habent, *dicam tibi impingam*. puto autem *tibi* in unam syllabam contrahi, et per synalœphen elidi. *Faërnus.*

Dicam] Supra, act. II. sc. 2. *Mer. Casaubonus.*

Dixi, Demipho] Mire comminationem et ferocitatem ejus imitatus est simili verbo. *Donatus.*

93 *Si quid opus fuerit*] Hæc repentina discessio habet aliquam majorem litigaturi denuntiationem. Et bene breviter, ne multiloquio infringeretur superior comminatio. *Idem.*

Si quid opus fuerit] Hæc submisse dicta accipi debent. quod aliter Donatus videtur putasse. *Bœclerus.*

Scena IV. Iterum senarii sunt. vs. 1. Mss. nostri omnes; *affecit*. vs. 3. unus omittit *mihi*. vs. 4. duo; *quidve sit sententiæ illi*. vs. 5. unus; *abi getha tu*. alter; *abi tu Getha*. vs. 11. duo; *æquum ac bonum est*. alter; *æquum esse et bonum*. vs. 21. omnes; *exequar*. Bœclerus.

Quanta me cura et solicitudine] *Hæc deliberativa est, in qua tres advocati sunt: quorum unus suadet, alter dissuadet, tertius, qui se alterutri addere debuisset, ejusmodi sententiam dicit, ut rursum deliberatione opus esse videatur.* Donatus.

1 *Quanta me cura et solicitudine afficit Gnatus*] *Cura* est in spe bonorum: *solicitudo* in metu malorum. *Id.*

3. 4 *Ut saltem sciam quid de hac re dicat, quidve sit sententiæ*] Merito temperanda fuit patria potestas, in causa jam integra. qui locus tentatur etiam apud Senecam Controv. I. 6. cui titulus: *Archipiratæ filia: An pater propter matrimonium filium abdicare possit, cum liberum hujus rei cuique arbitrium sit.* quod in contracto scilicet perfectoque matrimonio locum habere debuit, ne contra animi sententiam dimittere conjugem cogatur, qui eam amat. *Bœclerus.*

7 *Ego Cratinum censeo*] Potest *ego* subdistingui, ut subaudiatur *ego dicam*. Donatus.

Cratinum censeo] Dicere debere, vel priorem interrogandum. *Mer. Casaubonus.*

9 *Quæ in rem tuam sint*] Bene principio, ἀπὸ τῆς THOλKIS * AAITOT συμβουλεύοντος, benevolentiam suam commendavit: et sic consilium dedit. *Donatus.*

11 *Restitui in integrum*] Vid. Guyet. De tota hac re agetur amplius in dissertatione de matrimonio. *Bœclerus.*

Restitui in integrum] Ut quæ facta sunt, pro infectis habeantur, et irrita declarentur. Liv. 'Quum præcipitata raptim consilia neque revocari neque restitui in integrum possent.' *Mer. Casaubonus.*

Æquum est] Ab honesto. *Donatus.*

Et bonum] Ab utili. *Idem.*

12 *Et id impetrabis*] A possibili. Et breviter deliberative tres locos tetigit, justum, utile, et possibile. *Idem.*

13 *Ego sedulo hunc dixisse credo*] Artificiose personam defendit, sententiam reprehensurus: ne si inimicus sit, adimat auctoritatem sententiæ suæ. *Idem.*

Verum ita est] Subjunxit locum ἀποκρίσεως oratoriæ: ut invidiæ contradicturus occurreret. *Idem.*

14 *Quot homines tot sententiæ*] Cicero, de Fin. V. totidem verbis. *Bœclerus.*

15 *Mihi non videtur*] A possibili. *Donatus.*

Quod sit factum legibus] Hic alio ordine locos suasoriæ tetigit: primum a possibili, secundum ab honesto. *Idem.*

Quod sit factum legibus, rescindi posse] Quintilianus Declam. CCCLVIII. in Sermone: 'Hic adolescens jure infirmus est. nam quod lege agitur, non solet vindicari lege.' Et Declam. CCCLXXII. 'Quicquid lege factum est, vindicari lege non solet.' mox: 'Judicia tamen judiciis rescin-

di non possunt.' *Bœclerus.*

16 *Et turpe inceptu est*] Ab honesto. Utilitatem autem prætermisit per artem, quæ ubi non potest fieri, frustra spectatur. *Donatus.*

Et turpe inceptu est] Liber Bembinus et Victorianus, *inceptum.* Faërnus.

18 *Res magna est*] Causa ampliandi sententiam. *Donatus.*

Nunquid nos vis] Abiturientium formula. q. d. num quid aliud est, quod nos velis, priusquam abimus? *Mer. Casaubonus.*

19 *Incertior sum multo quam dudum*] Ex tribus enim unus suasit, alter dissuasit, tertius nihil dixit. *Donatus.*

22 *Quoad se recipiat*] Quando rediturus sit. supra act. I. sc. 2. 'Senem quoad exspectatis vestrum ?' *Mer. Casaubonus.*

23 *Ut quæ acta hic sunt, sciat*] Complures libri, in quibus antiquissimi quattuor, *sint.* Faërnus.

24 *In tempore huc se recipere*] Εὐκαίρως. Sallust. 'Maximeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi.' *Donatus.*

ACTUS III.

Scena I. Satura est scena, ex Iambicis et Trochaicis, octonariis et septenariis. quos non eodem modulo metiuntur eruditi, dum quidam utrumque metrum admittunt. vs. 1. Mss. nostri omnes; *multis modis.* vs. 2. omnes omittunt *te.* vs. 3. duo, *te* pro *tete.* vs. 7. omnes; *equidem.* et vs. 10. *et quid.* vs. 12. duo; *itidem hac re uti in aliis.* unus; omisso τῷ *itidem, in hac re ut in aliis.* vs. 13. omnes, ut ed. *Bœclerus.*

1 *Enimvero, Antipho, multis modis cum isthoc animo*] *Cum isthoc animo:* pro hujus animi. Ennius: 'Omnia cum pulchris animis Romana juventus.' *Donatus.*

Enimvero Antipho multis modis cum istoc animo es vituperandus] Iisdem rationibus, quibus supra legendum arbitramur, *multimodis.* ita versus erit trochaicus tetrameter catalecticus, ut tres sequentes; si tamen *enimve* sit anapæstus, ut sæpe in hoc poëta, et apud Plautum. *Faërnus.*

Cum istoc animo vituperandus es] Andr. act. v. sc. 4. 'Dignus es cum tua religione odio.' *Mer. Casaubonus.*

2 *Itane hinc abisse, et vitam tuam*] Ἐν ὑποκρίσει. ut, 'Invidisse deos, patriis ut redditus oris Conjugium optatum et pulchram Calydona viderem?' Et, 'Servon' fortunas meas commisisse futili?' *Donatus.*

3 *Alios tuam rem*] Ab infinitivo ad indicativum transitum fecit. *Id.*

Credidisti] Pro *putasti.* Idem.

Magis quam te animadversuros] Liber Bembinus, *quam te te,* apposite ad rationem versus. *Faërnus.*

Alios tuam rem credidisti, quam tete, animadversuros magis] Quod raro contingere venustissimo docuit Æsopus olim apologo: qui apud Aul. Gell. Noct. Attic. l. II. c. 29. et inde Ennii, quadrati, ut ait Gell. versus, 'Hoc tibi erit argumentum semper in promptu situm; Ne quid exspectes amicos, quod tu agere possis.' *Mer. Casaubonus.*

4 *Illi*] Uxori. *Idem.*

5 *Propter tuam fidem*] Dum tibi fidem habet, tibi credit; vel, fidem illi dedisti, qua te illi obstrinxisti. *Idem.*

Pateretur mali] Legitur et *potiretur,* quia *potiri τῶν μέσων* fuit. Plautus, 'Hostium potitus est.' *Donatus.*

Pateretur mali] Vide Guyet. *Bœclerus.*

Potiretur] Alii, *pateretur.* sed Don. hanc etiam lectionem agnoscit, qui docet *τὸ potiri τῶν μέσων* esse, quod tam in malam, quam bonam partem accipi possit. Ita et *spero,* pro *timeo; promitto,* pro *minor:* aliaque. *Mer. Casaubonus.*

6 *Spes opesque sunt*] Hæc quidem de his sunt, quæ amant jungi. *Donat.*

Spes opesque sunt] Ut, 'Res fortunæque.' *Idem.*

Qui abieris] Mollius, quam *fugeris.* Idem.

8 *Sed ea causa*] Quia abieris. *Idem.*

10 *Numquid patri subolet*] Sub convenientia sua et Phormionis dicit. *Idem.*

11 *Nisi*] *Nisi* pro *sed.* ut Andr. act. IV. sc. 1. 'Nisi mihi deos satis Scio fuisse iratos, qui auscultaverim.' Sall. 'Plura de Jugurtha scribere dehortatur fortuna mea; nisi tamen intelligo,' &c. vide ibi Manutium de his Terentii locis. *Mer. Casaubonus.*

13 *Confutavit verbis*] Convicit: ut si diceret, Refutavit. sed *refutatio* in rem est: *confutatio* in personam. *Donatus.*

Confutavit] Convicit, exagitavit. Supra, Heaut. act. v. sc. 2. 'Hic ita, ut liberos est æquom, dictis confutabitur.' vide ibid. *Mer. Casaubonus.*

14 *Ego quod potui porro*] De se mediocriter per ἔλλειψιν. moraliter satis. *Donatus.*

Ego quod potui porro] Ordine. primo dominum, post Phormionem, ultimum se posuit. *Idem.*

Omnes vos amo] Vetus formula pro, gratias ago. *Mer. Casaubonus.*

15 *Sic habent principia*] Hic et sequens versus trochaici sunt tetrametri acatalectici. *Faërnus.*

16 *Mansurusque*] Exspectaturus. *M. Casaubonus.*

17 *De ejus consilio velle se facere*] O. fere l. s. *sese velle facere.* Faërnus.

18 *Quantus metus est mihi*] Venustius videtur, *quantum metus,* quod est in libro Bembino. *Idem.*

Quantus metus est mihi, &c.] Donati annotatio obiter emendanda est: 'Non optat,' &c. vide, an non interrogatio hæc sit. sequitur: 'An vero, &c. omnino legendum est, 'An vero dicit, non malum esse et incommod.' &c. *Bœclerus.*

Huc salvum nunc patruum, Geta] Non optat salvum patruum venire, secundum Apollodorum: et ostendit, non congruere salutem ejus cum commodo suo. An non dicit, *malum esse et incommodum sibi,* sed tantum magni terroris plenum adventum patrui? *Donatus.*

Venire huc salvom nunc patruum] *Salvom* hic additum tantum ex veteri formula, salvum reditum amicis gratulantium. Nam id modo vult, non ut pereat patruus in via, (quod ab Antiphonis persona valde alienum,) sed adventum ejus, a quo sua vita pendeat, sibi magni metus causam fore. Hoc etiam voluit Don. ubi post allatam Apollodori sententiam: 'An vero dicit, (inquit) non malum esse et incommodum sibi;' (ita enim legendum; non ut excusum in nuperis editionibus, *malum esse, &c.* τοῦ *non* omisso) 'sed tantum magni terroris plenum adventum patrui.' *M. Casaubonus.*

Quantus metus est nunc mihi venire huc salvum nunc patruum] Hic vero Terentium miror; neque enim dicit: *metuo ne veniat patruus;* nam absque eo nil fieri poterat quod placeret satis. Non dicit, *metuo ut veniat:* alioqui cuperet venire patruum; (nam, *metuo ut veniat,* idem est ac si dixeris, *metuo ne non veniat:*) unde autem scire poterat an id probaturus esset patruus, quod factum fuerat? Itaque quam hic Terentium miror, tam et profecto elegantissimum interpretem miror; quippe cujus versio neutram in partem propendeat. Vellet non metuere, at cupere non audet; quid igitur? in dubio est animus. nil itaque potuit melius, quam quod præstitum ab ipso est. Hoc unum mihi dolet. Pauci interdum sentiunt quod recto, subtilique judicio scriptum est. Illius viri causa dico, non mea. *Faber.*

19 *Nam per ejus unam*] Hic versus eliso *r* ex *per*, et *ejus* in unam syllabam contracto, sustentari potest: ut sit trochaicus tetrameter catalecticus: aliter esset hypercatalecticus. *Faërnus.*

20 *A sua palæstra exit foras*] Bene palæstram ejus dixit lenonis domum, in qua est exercitus amator assidue. Plautus Bacchid. ' Homo adolescens Penetrem hujusmodi in palæstram, ubi damnis desudascitur!' *Donatus.*

A sua palæstra] Idem liber et Victorianus, *ab sua.* Faërnus.

Ab sua palæstra exit] Domo meretricia. *Mer. Casaubonus.*

Scena ii. In modulis hujus scenæ metiendis non consentiunt. Quidam Trochaicos tetrametros catalecticos seu septenarios cum senario iambico horizonte agnoscunt: alii et iambicos octonarios miscent. vs. 5. duo Mss. nostri: *afferas.* vs. 6. duo: *ne aliquid suo suat capiti.* mox duo: *idem ego metuo.* Argent. *idem metuo.* vs. 8. duo: *pulcre tibi d.* vs. 9. duo; *verum hercle quod dico hoc est.* vs. 11. duo; *tu mihi cognatus, tu mihi parens, tu amicus.* vs. 15. unus; *ut phaleratis dictis nunc seducas me.* alter; *nunc ducas.* tertius; *ut phal. d. seducas me.* vs. 16. omnes; *misertum est.* Argent. *quomodo uterque est sim. s.* vs. 18. Argent. *cum esset hoc mihi objectum malum*, prima manu. corrector fecit *tum* et *esse.* mox duo; *quid istuc est Phædria.* vs. 20. duo; *unquam tibi usus venit.* vs. 22. Argent. *nam ego neque quo amittam invenio, neque ut retineam sciam.* alter meorum; *nam neque quomodo amittam inv. neque ut ret. sc.* vs. 26. omnes; *meo.* vs. 27. omittunt *me.* vs. 31. omnes; *idem hoc tibi.* vs. 39. unus; *proconstituta.* alter; *præconstituta.* mox unus; *non ego istuc nego.* alter; *num istuc nego.* Argent. *cujum istuc.* vs. 43. duo; *hic decipit.* vs. 45. duo; *is me fefellit.* vs. 46. omnes; *sed ut hæc sunt.* Bœclerus.

Dorio, audi, obsecro] *Hæc scena in petitione, quæ sæpe admittit deliberativæ locum.* Donatus.

1 *Dorio, audi, obsecro*] Sunt qui sic legunt, ut *Dorio* Phædria dicat, *audi* leno: *obsecro* iterum Phædria. *Idem.*

Quin omitte me] *Quin*, modo corripiendi vel imperandi vim habet. ut, *quin age.* Idem.

Quin omitte me] Videtur legendum *mitte*, ex ratione versus, ut sit trochaicus tetrameter catalecticus, ut sequentes; in quo sit anapæstus in tertia. aliter esse potest ejusdem generis hypercatalecticus: in quo sit in ea sede spondeus producendo penultimam in *obsecro.* Faërnus.

6 *Hei metuo lenonem, ne quid suo suat capiti*] Deest *mali.* *Suat* autem, appingat atque affigat. *Donatus.*

Hei metuo lenonem, ne quid suo suat capiti] Ex omnibus, quæ adferuntur, explicationibus, Mureti eruditior est. qua si quis nolit acquiescere, nihil reliquum video, quin hactenus assentiam Guyeto, qui nullam satis probare potuit. *Bœclerus.*

Hei, metuo lenonem, ne quid suo suat capiti] *Metuo lenonem*, i. e. metuo ne leno, &c. ut recte Scal. Sed quid illud porro, *ne quid suo suat capiti? suere*, inquiunt, interdum significat struere, moliri: ut apud Græcos τὸ ῥάπτειν, unde et *sutela*, pro dolo et fraude: fateor. *suo capiti*, i. e. capiti Phædriæ: *suo* scil. pro, illius. ita quidem Don. quod tamen a puritate sermonis Terentiani nimis alienum videtur. Verissima igitur Mureti, viri doctissimi et facundissima sententia, quæ tamen illis, qui veterum morum minus gnari, non adeo fortasse probabilis videbitur. Cum dixisset (Mureti sunt ista) Antipho se metuere ne quid leno *sueret*, i. e. ne quid dolose moliretur; addit, *suo capiti*: quorum verborum ea vis est; Quæ quidem res lenoni vertat male, atque in ipsius caput recidat. ita autem loqui solitos veteres, exempla indicabunt. Hactenus ille, qui plura dein exempla profert: nos

plura quoque possemus, si suscepta brevitas pateretur. Quod alii proponunt, an Latine dici possit, *suo capiti aliquid suere*, qui dolis se vel fraude instruit: non puto. Quanquam enim in vulgari idiotismo nihil usitatius, non tamen est et Romanæ consuetudinis, ut *caput* pro animo, aut pectore, vel etiam corde (ut paulo ante Ter. ' In corde instructa consilia' dixit) ponatur. Hæc eo pluribus, ut non sine causa Mureti sententiam nos amplecti, et aliorum expositionibus præferre ostenderemus. vide et infra, act. v. sc. 7. at Hec. act. iii. sc. 1. ' Capiti atque æt. illorum.' *Mer. Casaubonus.*

Suo suat capiti] Ἀποσιώπησις. διὰ τὸν εὐφημισμὸν, *suo capiti* dixit, quum dicturus esset, Phædriæ. ut, ' Dardaniique regum capitis.' *Donatus.*

Hei, metuo lenonem, nequid suo suat capiti. Idem ego metuo] Debet esse Trochaicus catalecticus, at non est. Mihi quidem nunquam hic versus placuit. Qui illum vocavit monstrum, recte sensit. Dicas, in excerptis Donati mentio illius fit. Quid tum? Donatus ipse agnovit nonnullos in Terentio addititios versus esse; hunc ejusmodi esse non vidit. Muretus et Faërnus hoc loco nil senserunt. Dein ad sensum quid facit hic versus? Sed de illo et aliis similibus aliquando otiosius agemus. *Faber.*

7 *Hariolare*] Cic. ' Non ariolans, ut illa, cui nemo credidit.' *Mer. Casaubonus.*

Fabulæ, &c.] Similem mimum exhibebit tibi Plautus in Pseudolo i. 3. quem conferre licebit cum Terentiana hac scena. *Bœclerus.*

8 *Fœneratum*] Ab utili. *Donatus.*

Fœneratum istuc beneficium tibi] Id est, mihi a te fœneratum. *Idem.*

Fœneratum] Infra, ' Idem hic tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.' Plaut. Quod bonis benefit beneficium, gratia ea gravida est bonis. *Mer. Casaubonus.*

Tibi pulchre dices] O. l. s. *pulchre tibi dices.* Faërnus.

9 *Verum hercle hoc est*] Bene ipse dictum suum confirmavit. *Donatus.*

10 *Cantilenam eandem canis*] Ita dicit: ut, ' Verus et vulgata cantio.' *Idem.*

11 *Tu mihi cognatus*] Ab honesto. *Idem.*

Tu parens, tu amicus, tu] Secunda ἀποσιώπησις. *Idem.*

15 *Phaleratis dictis*] Honestis atque ornatis: quia dixit, ' Tu mihi cognatus, tu parens.' Et quasi leno irridet honestatem, et despicit. *Idem.*

Et meam ductes gratis] Liber Bembinus habet *gratiis*, ut ratio trochaici exposcit. *Faërnus.*

Ductes] Abducas. *M. Casaubonus.*

16 *Miseritum est*] Εἰρωνεία. *Donatus.*

Miseritum est, &c.] Tres istos versus pro insititiis habet Guyetus. Neque vel Donatus multum expedit; vel Goveani, *verba, veris* substituta, aut Palmerii *æque* in locum τοῦ *neque* repositum, difficultatem discutiunt potius quam augent. Liceat et mihi pauca annotare: Antipho cum audiret irritas Phædriæ ad lenonem inexorabilem preces, nondum ipse a Phædria conspectus, dolet vicem ejus, cui res esset cum tam impuro lenone: et ad Getam sibi astantem conversus, *miseritum est*, inquit, ut me miseret ejus! ut me miseritum est ejus, cum vidi hæc! Locus est huc omnino spectans, in Heaut. iii. 1. 54. 55. ' Sic me dii amabunt, ut me miseritum est tuarum, Menedeme, fortunarum.' exspectabatur: *ut me miseret.* dixit: *ut me miseritum est.* vide an non minus φορτικὸν hoc sit, quam illa εἰρωνεία, de qua interpres. Deplorat interim fortunas suas Phædria: agoscens vera dicere lenonem, a quo scilicet nemo gratis amare, vel more, vel jure exspectet. hoc est: *hei veris vincor:* jus suum postulat leno: cui verbis nemo satisfacit. ad hanc

vocem, Geta Antiphoni modo miseranti sortem patruelis, *quam uterque*, ait, *est similis sui!* id est, avarus et durus leno; impatienter amans et mollioris animi Phædria. sive; impurus leno, honestus Phædria. nam illa vox, *heu veris vincor*, honestatis index est. Sed magis placet prior expositio. ceterum querela Phædriæ, ab eo, quod veris se vinci videbat, illuc descendit, ut auxilii inopiam deploret. eum enim, in quo uno spes auxilii præcipua esse poterat, Antiphonem, maxima nunc solicitudine perturbari. Ordo verborum ex trajectione rariori ita restituendus est: 'Neque tum hoc malum mihi objectum esse, quum Antipho alia' (i. e. leviore) 'occupatus esset solicitudine!' illud *neque* non habet unde pendeat. Sed in orationibus *παθητικαῖς*, ubi perturbatus est animus, ad cogitata sæpe referri solent, quæ ex abrupto offeruntur. quasi si non voce expressum, certe animo hoc agitasset: hoccine malum nunc mihi tempore tam alieno objici; neque tum, quum animus Antiphonis propria ægritudine liber mihi auxiliari potuisset, objectum esse! His demum Antipho Phædriæ, a quo nondum conspectus erat, propior factus, familiari allocutione, 'Ah quid istuc est autem,' inquit, 'Phædria?' de quo conquereris tantopere, et in quo auxilium meum desideras. Conversus jam ad Antiphonem Phædria respondet: 'O fortunatissime Antipho.' quamquam enim maxima itidem sollicitudine occupatus sis, uti modo dictum erat, fortunatissimus es tamen, si mecum compareris. nimirum suæ cuique calamitates maximæ videntur. In hac interpretatione, si non omnia satis commode videbuntur dicta, minus tamen forte incommodi habent, quam ea, quæ hactenus ab aliis allata sunt. *Bœclerus.*

Miseritum est] Non de lenone per Ironiam dicit hoc Antipho, ut vult D. sed de se ipso, vere ac serio: cognato Phædriæ *συμπάσχων*. Plaut. 'Et me ejus miseritum est.' vide supra, act. I. sc. 2. *Mer. Casaubonus.*

Hei veris vincor] Mirum quantum difficultatis in his verbis somnient quidam, ut etiam de mendo suspecta habeant. Sed sine causa. Agnoscit enim (ipsum se alloquens) his verbis Phædria, verum esse quod leno objecerat, ipsum scil. nihil hactenus nisi verba dedisse, cum pecuniam sæpius promisisset. Quid igitur *veris vincor?* plane nihil aliud quam quod Hec. act. I. sc. 2. 'Vera prædicat.' Plaut. Mostell. 'Profecto ita est, ut dico, vero vincam.' *Idem.*

Quam similis uterque est sui] At ille leno, 'Pernicies communis adolescentium,' &c. (Adelph. act. II. sc. 1.) impurissimus; et iste amator, perditus. *Idem.*

17 *Neque Antipho alia quum occupatus esset solicitudine*] Hoc dolet Phædria quod in eadem re laboraverit Antipho, id est, in amore: quodque amare contigerit. *Donatus.*

Neque, Antipho alia] Minore aliqua solicitudine quam hæc est, quam nunc gerit. An *alia*, præter hanc, quam de me gerit? Ordo et sensus hic est, Neque tum esse mihi hoc objectum malum, quum Antipho alia sollicitudine esset occupatus levi quapiam, non hac de nuptiis, quæ est gravissima. *Idem.*

Neque, alia Antipho cum occupatus esset solicitudine, tum esse hoc mihi objectum malum] Olim etiamnum adolescentulus ad oram Terentii mei hæc adscripseram: 'Palmerii sententiam, qui pro *neque* legi vult *æque*, haud probem. illa particula apud Plautum quam vim habeat, satis observasse videor; sed hic locum habere non potest. Recte a Palmerio factum fuisset, si pro *neque*, legisset *atque*, id enim sententia videtur postulare.' Hæc olim. At nuper animadverti idem in mentem venisse trium Comœdiarum interpreti. Verum jamdiu est cum sententiam mutavi, neque adeo pœnitet. Rem enim si attentius consideres, nil mutari oportere animadvertes. Eam rem ita explicabo, ut perspicua fiat, spero. Si Antipho alia quapiam leviori solicitudine præpeditus fuisset, nonne Phædriam adjutare potuisset? Opinor. at nullam habere graviorem poterat et molestiorem, quam quæ ipsi e nuptiis oriebatur. Dolet igitur Phædria hoc mali eo sibi tempore obortum esse, quo nullam auxilii copiam ab Antiphone sperare possit, quippe qui aliud magis ex sese habeat, et majus. Gallice fusius interpretarer, *Si, au moins, cette affaire me fust survenue dans un temps où Antiphon n'eust pas esté embarrassé comme il est presentement, il m'auroit tiré de peine: Mais pour l'heure, il ne sçait de quel costé se tourner; ainsi je ne puis attendre aucun secours de sa part: Il n'est nullement en estat de me servir; et je ne puis pas l'en soliciter honnestement.* Hic locus elegantissimo interpreti satis negotii facessivit, et mihi itidem, scilicet; at Guyetus sine omni labore hinc sese expedit; hos versus delet. *Faber.*

18 *Tum esse hoc mi objectum malum*] Imperfecta oratio est, ut secum loquentis et perturbati: quam ita suppleas: atque illud quoque gravissimum mihi, hoc malum mihi tum potissimum objectum esse, vel obvenisse; cum Antipho non dissimili sollicitudine conflictatur. *Mer. Casaubonus.*

19 *Qui*] Pro *cui.* Idem.

20 *Unquam usus venit*] Opus aut necesse fuit. *Donatus.*

21 *Auribus teneo lupum*] Græcum proverbium, τῶν ὠτῶν ἔχω τὸν λύκον· οὔτ' ἔχειν, οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι. *Idem.*

23 *Ipsum istuc mihi in hoc est*] Leno arrepta occasione ex sermone Antiphonis: *ipsum istuc*, inquit, *mihi in hoc* (Phædria) *est.* quem neque diutius contra ingenium meum ferre, neque a me amoliri possum; ita obtundit rogando. *Bœclerus.*

Neque parum leno sies] Ἔλλειψις. deest enim, *vereris?* Donatus.

24 *Nunquid hic confecit*] Absolvitur interrogatio ante cœpta: 'Ah quid istuc est autem Phædria?' nunquid flagitii est, quod hic confecit leno? *Bœclerus.*

26 *Ære emptam suo*] Bene *suo*, quasi de tertia persona. *Donatus.*

Nequeo exorare ut me maneat, et cum illo ut mutet fidem] Τὸ *maneat* expectandi significationem habere, clarum est. sed nondum consulitur toti loco. an enim satis recte dicatur, *mutare fidem cum aliquo*, dispiciendum erat. et quam dura tum erit trajectio vocum, si *τὸ triduum hoc* referas ad illud, *ut me maneat.* 'Mutare vestem cum aliquo,' in Eunucho legimus. 'mutare cum mercatoribus res,' alibi. i. e. permutare. an autem, *fidem mutare cum aliquo*, dici possit, utinam probassent potius, qui tam secure crediderunt. *mutare fidem*, per se positum, satis notum est dici, vel ex Plauto. i. e. non servare. sed aliud hic quæritur. vide Guyetum. ut et, de sequentibus, et vs. 34. 'Neque ego, neque tu.' *Bœclerus.*

Illo cum ut mutet fidem] *Illo cum*, pro *cum illo*: *mutare fidem*, i. pacto non stare, fallere, ut etiam Sallust. loquitur. *Mer. Casaubonus.*

30 DO. *Obtundis.* AN. *haud longum'st id quod orat, Dorio: exoret sine*] Versus hic octonarius iambicus, inter trochaicos, quod, ut sæpe dixi, non placet mihi. sunt aliqui libri, inter quos est Victorianus et Basilicanus, qui non *obtundis*, sed *obtunde* habent, imperandi modo; ut supra, *garri modo.* ita procedit trochaicus, si ex *quod* d abjicias. *Faërnus.*

31 *Conduplicaverit*] Conjunctivum pro indicativo, id est, *conduplicabit.* Hoc est aliter, 'Fœneratum istuc beneficium pulchre tibi dices.' *Donat.*

34 *Neque ego, neque tu. dii tibi omnes id, quod es dignus, duint*] Quod Antipho de distractione seu separatione serio dixerat, id leno repetit, voce quidem ad miserationem composita; sed ut irridere illum appareat (unde et Getæ indignatio subsequitur) *dii tibi, &c.* q. d. absit ut vel ego, vel tu tam simus immisericordes, &c. *Mer. Casaubonus.*

DI tibi omnes id quod est dignum duint] Magis figuratam lectionem continent omnes antiqui libri: *Di tibi omnes id quod es dignus duint.* Faërnus.

36 *Flentem, nihil ferentem*] Ὅμοιον τῷ γένει usitatum veteribus. *Donatus.*

38 *Tibi quidem olim est dies*] Hic *olim*, futuri temporis. Nam leno de accipienda ab adolescente pecunia diem constituerat: et inventa meliori conditione anticipaverat tempus cum adolescente præscriptum. *Idem.*

40 *Jam ea præteriit*] Interrogative pronuntiandum. *Idem.*

Jam ea præteriit? non, verum hæc ei antecessit] I.e. cras aderit. in crastinum finis constituti inter nos temporis incidit. Donatus nihil hic extricat. *Bœclerus.*

Non: verum ei hæc antecessit] Urbane leno, *hæc antecessit.* ut alii putant, meretrix vendita: ut alii dies qua lenoni constitutum fuit. An aperte leno perfidus mentitur? unde sequitur, 'Non pudet vanitatis?' Ergo plus est *antecessit*, quam *præteriit.* Donatus.

Verum ei hæc antecessit] O. l. s. *verum hæc ei.* Faërnus.

Non, verum ei hæc antecessit] Ridicula responsio, qua rationem anticipatæ dei reddere velle videtur, nec tamen ullam reddit, nisi quod prior dies (quod nemo dubitat) posteriori antecesserit. quare aperte agnoscit perfidiam suam leno, ut lenone dignum erat, cui nullus pudoris, nullus honesti sensus. sed et in verborum ambiguitate festive ludit poëta. Ita enim intelligi etiam possunt, ut hanc diem priorem ac potiorem, pretio scilicet oblato ac parato, merito sibi fuisse pronuntiet. Possis et de virgine intelligere, ut ante præstitutam diem hæc aliis cessisse dicatur. *Mer. Casaubonus.*

Non pudet vanitatis] Apparet, supra, lenonem de perfidia anticipati temporis esse confessum. *Donatus.*

41 *Vanitatis*] Falsitatis, perfidiæ. *Mer. Casaubonus.*

Rem] Lucrum. 'Quocunque modo rem:' ut ille nescio quis. *Idem.*

Sterquilinium] 'Canum sordes:' ut Plin. Sec. de Pallante. 'cloaca,' Plaut. de anicula multibiba et merobiba. *Idem.*

47 *Miles se dare dixit*] O. l. s. *miles dare se dixit.* Faërnus.

48 *Mea lege utar*] Lenonia scilicet: in qua semper commodum est prius, quam fides. *Donatus.*

Scena III. Trochaicis tetrametris catalecticis, sive septenariis constat. vss. 2. et 3. Mss. duo; *quod si hic potuisset nunc exor. triduum hoc.* alter: *quod si hic p. exor. triduo hoc.* vs. 5. unus omittit *nunc me.* vs. 15. unus; *alius ab oculis meis ignotum hinc abducet locum.* alter; *alius hinc ab oculis meis illam in ignotum deducet locum.* Argent. alius ab oculis meis illam *ignotum hinc abducet locum.* vs. 16. omnes; *dum igitur licet*, omisso *tum.* vs. 23. duo; *una tecum bona malaque tolerabimus.* vs. 25. duo; *precarа.* vss. 29. et 30. post *ocyus*, omnes habent hæc verba; Phe. *abi dic præsto ut sit domi.* quæ Faërnus delevit. vs. 30. Argent. omittit *opus.* Bœclerus.

1 *Quid faciam*] Οἰκονομία *ad futurum exitum comœdiæ.* Donatus.

2 *Minus nihilo*] Ὑπερβολή. *Idem.*

Quod si hic potuisset nunc exorarier] In scandendo versu, ex *quod* d elidendum. *quod* vero non adverbium est, sed pronomen. est autem hic ordo constructioque verborum: Unde ego miser cui minus nihilo est, nunc tam subito huic inveniam argentum, quod promissum fuerat, si hic pote fuisset exorarier triduum hoc. *Faërnus.*

Pote fuisset] *Potuisset.* quod ex *pote fuisset* contractum; *pote sum*, possum, &c. *Mer. Casaubonus.*

4 *Adjuverit*] Secundum *u* pronuntiari debet. *Donatus.*

Adjuverit comiter] *Comiter* veteres dixerunt παρὰ τὸ κόσμος. *Idem.*

7 *Quid faciam*] Comiter. quamvis uterque intelligat quid alteruter dicat, dissimulant tamen. *Idem.*

8 *Dictum sapienti sat est*] Infra, act. IV. sc. 2. 'Vix dum dimidium dixeram, intellexerat.' *Mer. Casaub.*

9 *Hinc abis*] 'In malam crucem,' (ut supra, act. II. sc. 3.) vel *rem*, volebat indignabundus dicere, sed repressit se. *Idem.*

10 *Ex tuis nuptiis*] O. l. s. *ex nuptiis tuis*, ut et exigit versus: *tuis* autem monosyllabum est; sicut et *nihil*, quod sequitur. *Faërnus.*

Non triumpho, ex nuptiis tuis si nihil nanciscor mali, Ni etiam nunc me hujus quærere causa in malo jubeas crucem] Ad hunc locum in Notis Gallicis I. Peyraredi sic scriptum reperio: 'Ces mots, *non triumpho*, ont esté passez par Donat., qui sans doute ne les ayant pas entendu, a fait comme la pluspart des Interpretes font pour ne s'embarrasser pas en des lieux d'où ils ne peuvent sortir a leur honneur. Celuy qui l'a voulu expliquer, *n'a rien fait pour sa reputation.*' Isthæc profecto, nequid gravius dicam, scribi non oportuit. Primum ait hæc præteriisse Donatum, quasi scilicet in iis magna aliqua difficultas foret; at nulla est. Dein et Donatum hodie non habemus. Præterea et hic locus alibi potuit a Donato explicari, nempe ad Heautontimorumenon act. IV. sc. 1. ubi hæc verba legas: 'Triumpho, si licet me latere tecto discedere;' et idem plane est ac quod hoc loco legimus. Sed nihil hodie ex Donato superest in illam Fabulam; imo ne minima quidem excerpta. Cum vero addit, eum, qui locum hunc Gallice vertit, existimationi suæ et studiorum suorum gloriæ non satis consuluisse; id si de interprete trium Comœdiarum dicit, fallitur; optime enim hic locus ab eo conversus est; sed Peyraredus, ipse vero Gallice nesciebat. quod necesse tamen est, si interpretem nostrum sentire velis. Verum jam me istorum piget, etiam si in Urbe edita sint. Ut finem faciam, hoc addam: hunc Terentii locum expressit Horatius, cum de Romanis, cecinit, 'Quos opimus Fallere et effugere est triumphus.' Gallice. *Quand un General n'est pas battu par les Romains, il peut appeller cela un triomphe; c'est triompher que de n'être pas battu par les Romains.* Sic igitur hic Terentii locus converti possit: *Ne suis-je pas trop heureux, et trop glorieux en méme temps, s'il ne m'arrive point de mal de votre beau mariage, sans m'aller engager dans la mauvaise affaire dont vous me parlez?* Multum est si nihil mali nanciscor ex istis tuis nuptiis. Hæc mea postrema verba ad eos versus pertinent, qui mox leguntur: 'Sed parumne est, omnibus nobis quod succenset senex, ni instigemus etiam.' Superioris autem loci metaphora sumta est a duce copiarum, qui si in receptu milites servarit, id profecto præstiterit quod inter præcipuas summi Imperatoris laudes positum est. *Faber.*

11 *Ni etiam nunc me hujus causa quærere in malo jubeas crucem*] Quasi dicat, In malo aliud malum. *Donatus.*

Ni etiam nunc me hujus quærere causa in malo jubeas crucem] Non sufficit tibi, quod ex nuptiis tuis certum malum mihi imminet; nisi etiam hujus (cognati tui) causa quærere me jubeas in malo (i. e. præter, aut ad illud prius malum de quo dixi) quod malorum ultimum est; crucem scilicet? *Mer. Casaubonus.*

12 *Verum hic dicit*] Vide, an prorsus hic locus similis sit, præced. sc. vs. 16. 'heu veris vincor.' quod ideo annotandum duxi, ut ἦθος utrobique idem cognoscatur, adeoque interpretatio nostra illustretur. *Bœclerus.*

14 *Relinquatur preci*] Bene *preci.* Donatus.

16 *Dum igitur licet, dumque adsum, loquimini mecum*] Tanquam nunc ultimum allocuturi, et visuri. *Mer. Casaubonus.*

19 *Dii bene vertant quod agas*] Mss. nostrorum unus Antiphoni hæc tribuit, reliqui Getæ. vide Don. et Guyet. *Bœclerus.*

Pedetentim] Caute. a pedibus et tentando. *Donatus.*

Pedetentim tamen] Hoc quidam sic accipiunt, tanquam Getæ dicat Antipho, ut caute aggrediatur senem fallere. *Idem.*

Pedetentim tamen] Σπεῦδε βραδέως. *Mer. Casaubonus.*

21 *Ne quid plus minusve faxit*] Ne quid omnino faciat. *Idem.*

22 *Salvos est*] Εὕρηκα. jam inveni, quod illum salvum faciat. *Idem.*

23 *Bona malaque tolerabimus*] Conjunctione deleta ex auctoritate ejusdem antiquissimi libri, hunc trochaicum sustentamus, aliter laborantem. *Faërnus.*

25 *Istæc vero vilis est*] Amatorie. *Donatus.*

Istæc vero vilis est] Si formam et dotes pendas. *Mer. Casaubonus.*

27 *Jam opus est*] Instat illi ut festinet, præsenti pecunia opus esse affirmans. *Idem.*

29 *Præsto est*] Quis ferat Palmerium tanta asseveratione hic substituentem, *præs est?* qui etiam versu ultimo τὸ *te* sola codicis Veneti auctoritate contra omnes reliquos ejicit. *Bœclerus.*

30 *Solus est homo amico amicus*] Apollodorus, Μόνος φιλεῖν γὰρ τοὺς φίλους ἐπίσταται. *Donatus.*

Solus est homo amico amicus] Interpretetur Plautus talem amicum, Trinummo III. 1. 19. et 20. 'Nimium difficile est, reperire amicum, ita ut nomen cluet, cui tuam cum rem credideris, sine omni cura dormias.' *Bœclerus.*

Solus est homo amico amicus] Μόνος ἐπίσταται φιλεῖν τοὺς φίλους: de eo qui amici causa nihil non audeat. *Mer. Casaubonus.*

31 *Numquid est, quod opera mea*] Ex *numquid*, et ex *quod*, d eliditur: *mea* et *nihil* monosyllaba sunt. *Faërnus.*

ACTUS IV.

Scena I. Senarii sunt. vs. 1. Mss. nostri omnes; *Chremes.* vs. 2. Argent. *abduxtin.* vs. 7. idem omittit *igitur.* vs. 10. idem; *navita.* vs. 13. omnes; *extraneo.* vs. 20. omnes; *quod si scit.* vs. 23. unus; *defatiscar.* al. *defeciscar.* tertius; *deficiscar.* et in margine, *defatiscar.* pro *ego* unus habet, *adeo.* vide Guyet. *Bœclerus.*

Quid? qua profectus causa] *Hæc est narratio simplex.* Donatus.

1 *Quid? qua profect.*] Egregie se explicat οἰκονομία ἐπιτάσεως, dum, post duorum adolescentum querelas, senes quoque congressi suas fortunas lamentantur: ita tamen ut querela utraque in officium et solatium ex argumenti serie deinceps processura desinat. ut fiat nimirum illud vere οἰκονομικὸν in comœdiis; quod in Heautontimorumeno signatur: 'nam quod potero adjutabo senem, Item ut filium meum amico atque æquali suo Video inservire, et socium esse in negotiis. Nos quoque senes est æquum senibus obsequi.' *Bœclerus.*

4 *Non manebat ætas virginis Meam negligentiam*] Ætas virginis jam nubilis longiorem moram non concedebat. *Mer. Casaubonus.*

9 *Senectus ipsa est morbus*] Apollodorus, Τὸ γῆράς ἐστιν αὐτὸ νόσημα. *Donatus.*

12 *Quod quidem me factum*] Arbitror ex *quod* d elidi, ut brevi remanente ea syllaba primus pes sit anapæstus. *Faërnus.*

13 *Hanc conditionem si cui tulero*] Κυριολογία. quia 'ferre conditionem alicui' dicimus. *Donatus.*

Nam hanc conditionem si cui tulero extraneo] Si natam meam alicui nulla affinitate aut consanguinitate conjuncto collocavero. *conditio,* conventio quævis: sed interdum de nuptiis, proprie: quod vulgo, *a match.* Mer. Casaubonus.

15 *Te mihi fidelem esse æque*] Mire admixtum ante completam sententiam de extraneo, *Te mihi fidelem esse, &c.* Donatus.

16 *Sciebam: ille si me alienus*] Ex libro Bembino lego, *scibam:* ita versus sine ulla difficultate procedit. *Faërnus.*

17 *Tacebit, dum intercedet familiaritas*] Incertum, quando proditum iri se dicat ante, an post nuptias. *Donatus.*

18 *Sin spreverit me*] Aliquid intervenerit, cur mihi sit offensus. *Mer. Casaubonus.*

Plus, quam opus est scito, sciet] Tum conscium eum esse hujus arcani, valde mihi nocebit. *Idem.*

19 *Vereorque ne uxor*] Ad id, quod futurum est, figuram præsagitionis, proposito οἰκονομίας, hoc refertur. *Bœclerus.*

20 *Ut me excutiam*] Legitur et *excutiat.* Donatus.

Quod si fit, ut me excutiam] Si quid in me opis aut ingenii sit, id adhibeam, ut mihi de futuro prospiciam. *Mer. Casaubonus.*

21 *Meorum solus sum meus*] Apollodorus, ἐγὼ γάρ εἰμι τῶν ἐμῶν ἐμὸς μόνος. *Donatus.*

Nam ego meorum solus sum meus] Ἐγὼ γάρ εἰμι μόνος τῶν ἐμῶν ἐμός. Cætera omnis familia, non mihi, sed uxori studet; illius omnes captant benevolentiam. *Mer. Casaubonus.*

24 *Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero*] Virgilius, 'Donec me flumine vivo Abluero.' *Donatus.*

Scena II. Senarii. vs. 15. Mss. nostri omnes; *ab hoc.* Bœclerus.

2 *Venio ad hominem*] Venuste repetitum, *hominem.* Donatus.

Et id quo pacto fieret] Fr. Guyetus corrigit, *et is quo p. f.* quod eodem sensu accipiendum est, ac si τὸ *id* retineretur. Getæ enim hoc inventum fuisse, monstrat series argumenti. unde antea ipse suo invento gloriabatur: 'quæro, salvus est ut opinor.' jam habeo optimam rationem juvandi Phædriæ. et 'Phormionem adjutorem' sibi 'dari,' subinde petierat. ex quo satis apparet, Getæ attribui commentum, quo Phormio de dote cum senibus deberet transigere. *Bœclerus.*

4 *Vix dum dimidium dixeram, intellexerat*] Supra, act. III. sc. 3. 'Dictum sapienti sat est.' *Mer. Casaubonus.*

8 *Amicum esse*] Impletur, quod ante dictum erat: 'solus est homo amico amicus.' quamquam enim in fallendis aliis quæ datur opera, amicitiæ tribui nequeat, nomina tamen et formulas officiosæ amicitiæ imitatur; commonetque homines, quid in veris officiis inter amicos facere par sit. quam est enim egregia hic descriptio promti animi, et in quovis loco parati! *Bœclerus.*

Ad forum] Apud forum. Plaut. 'Ita mali mœroris montem maximum ad portam modo conspicatus sum.' *Mer. Casaubonus.*

10 *Quis est ulterior*] Quis ille præterea? *Idem.*

11 *Pater venit*] Ex *pater* r debet elidi. *Faërnus.*

13 *Commodius esse opinor duplici spe utier*] Hunc versum laudat Priscianus lib. VII. Guyetus expungit, quod nollem factum. *Bœclerus.*

Duplici spe utier] Duabus anchoris

niti. quod vulgo, *Two strings to my bow.* Mer. Casaubonus.

Hunc adoriar hospitem] Astute *hospitem*, de eo qui supervenit: nomen aptum imprudenti rerum, atque alieno ab earum scientia. Sallustius, 'Vitam sicuti peregrinantes transegere,' &c. *Donatus.*

SCENA III. Iterum senarii sunt. vs. 1. Mss. duo; *expecto quam mox recipiat se Geta.* Argent. *sese.* et alia manu *huc* addit. vs. 10. unus, ut ed. alter; *nam hercle ego quoque id mecum agitans sed.* Argent. *nam hercle ego hic quidem cogitans mecum sedulo.* vs. 11. duo; *ut opinor.* vs. 16. omnes; *inter nos.* pro *sic*, Argentor. habet *si.* meorum alter omittit. vs. 25. omnes; *pone.* vs. 26. Argent. *non capitis ejus agitur.* vs. 28. duo; *eho dic quid velis.* vs. 33. Argent. *ut ille est bonus vir.* unus meorum τὸ *ille* omittit. vs. 35. Argent. *non potest.* vs. 37. duo; *a primo.* vs. 38. GE. *quid? nimium.* DE. *quantum?* GE. *quantum lubet.* DE. *dic.* GE. *si q. d.* vs. 39. 40. unus; DE. *imo malum hercle. ut nihil pudet. quid dixti adeo ei queso.* GE. *quid filiam si suam v. l.* vs. 50. et seq. Argentoratensis multum diversus est a ceteris; *quò dissolverem quæ debeo etiam si vult nunc dare Demipho, quantum ab hac capio* (ita erat prima manu, correct. mutarunt in *cupio.* τὸ *capio* est etiam in altero meorum) *quæ desponsa est, nullam mihi malim uxorem quam istanc dari.* vs. 58. τὸ *hoi* omnes omittunt. vs. 60. duo; *ancilla.* et mox; *tum autem plusc.* vs. 61. posterius *opus est* omnes omittunt. vs. 62. omnes; *pone sane.* Bœclerus.

Expecto, quam mox recipiat huc sese Geta] *Ad errorem cumulandum, persona Antiphonis interponitur: ut ei adaucto metu amittendæ uxoris, major vis fiat repentinæ lætitiæ.* Donatus.

1 *Quam mox recipiat huc sese*] Rediturus sit. Supra, act. II. sc. 4. quoad 'se recipiat.' *Mer. Casaubonus.*

2 *Sed patruum cum patre video*] O. l. s. *Sed patruum video cum patre.* quæ collocatio meliorem efficit numerum. *Faërnus.*

5 *Volup' est*] *Hoc volup* nomen est, ut *hoc facul:* sic enim veteres per ἀποκοπὴν loquebantur. *Donatus.*

CH. *Credo*] Ita Faërnus, ex quo in nostram editionem irrepsit. nam Mss. nostri omnes Chremeti, non Demiphoni hoc tribuunt. merito. *Bœclerus.*

Credo] Et 'credo,' et 'creditur,' sæpe usurpari videas, ubi alterius gratulationem accipimus, et gratias agimus; quod non omnes interpretes animadverterunt. *Faber.*

6 *Compluria*] Secundum regulam locutus est. nam *hoc complure*, et *hæc compluria.* Donatus.

Nova hic compluria] Sic veteres, quod nostri dempta syllaba *complura* dicunt. Sic Cato Originum secundo; 'Fana hoc loco compluria.' Cicero in Protagora, 'Confirmandi genera compluria.' Credo quia veteres *hoc plure*, non *hoc plus* dicebant. *Idem.*

8 *Tun' dixeras huic*] Vereor, ne nimium exquisita sit Guyeti interpretatio: *Nonne prædixeras huic deceptum iri a lenonibus?* Bœclerus.

9 *Circumiri*] Circumveniri, decipi. *Mer. Casaubonus.*

Commodum] Commoda æstimatio est temporis * Commodum, tantum quod Lucilius: 'Quod mihi commodum est, aut uda vestimenta deposueram.' *Donatus.*

Cum hoc id agebam commodum] O. l. s. *id cum hoc a. c.* Faërnus.

11 DE. *quid Geta*] Hæc verba Chremeti liber Bembinus ascribit, duo sequentia Demiphoni. *Idem.*

13 *Qui Phormio?* GE. *is qui istam*] Fastidio Demiphonis heri, aptavit servus hanc ἀποσιώπησιν. vultu adjuvatur oratio. *Bœclerus.*

Is qui istam] Ἀποσιώπησις tertia. deest *obtrusit nobis*, aut *defendit*, aut quid tale. *Donatus.*

Is, qui istanc] Nobis obtrusit, scilicet, vel tale quid. Ita dicturus, dum

aliquamdiu quasi præ indignatione subsistit, a Demiphone, de remedio audire festinante, prævenitur. *Mer. Casaub.*

16 *Inter vos sic hæc potius, &c.*] Eugraphius quoque legit *nos*, ut ex Mss. supra attulimus. ita enim explicat: 'Vide potius ut hæc cum bona gratia componamus, non mala, per injuriam atque litem.' *Bœclerus.*

17 *Quam cum mala*] I. e. vi et ingratiis, ut apud Plaut. sæpius. verbum autem *gratia* esse τῶν μέσων non inde (quod quidam volunt) bene colligitur, quod 'mala gratia' reperiatur hic; nisi etiam 'malitia,' et 'mœstitia' (ut alia omittam plurima) ejusdem sint ob eandem causam generis, cum 'mala malitia,' et 'mala mœstitia' sint apud Plautum. Sed neque illud arguit, quod 'gratiam referre' dicatur interdum pro, malum malo rependere; quod ita dicitur, ut cum nebulonem et improbum 'bonum virum' indigitamus. *Mer. Casaubonus.*

18 *Fugitans litium*] Genitivo casui vim nominis habet *fugitans* junctum: accusativo, vim tantum participii. *Donatus.*

Fugitans litium] Quasi quod vult in domino facere, id jam in eo esse dicit: præparans hominem ad contemptum pecuniæ, quæ poscetur statim. *Idem.*

20 *Ut præcipitem hanc daret*] Phanium scil. domo contumeliose proturbaret. *Mer. Casaubonus.*

24 *Ea eloquentia est*] Quæ in judiciis præstare solet innocentiæ: ut in Aristidis vita observat Corn. Nepos. *Idem.*

25 *Verum pone esse victum eum*] Faërnus ex libro Bembino reposuit, *pono.* Sed sequendus est omnino consensus codicum, et consuetudo loquendi. Eugraphius quoque non aliter legit. Ceterum de difficultate injuriæ vindicandæ in potentiores, qui hic tangitur locus, illustrandus est philosophia Aristotelis I. Rhet. ubi ostendit: facilius injuriam inferre, qui sperant se vel evasuros legum pœnas, vel certe minores eas credunt, præ commodo aut voluptate ex suo facto speratis: tum eos, qui eloquentia præstant, usu fori. οὗτοι γὰρ οἴονται δυνατὸν εἶναι μάλιστα ἀζήμιοι ἀδικεῖν. *Bœclerus.*

28 *Quid vis dari Tibi in manum*] *Argenti;* ut apud Plaut. 'præsentarii.' *Mer. Casaubonus.*

29 *Dari tibi in manum*] Datur ei in manum, qui furtum accipit sine arbitro, aut interprete: ut prævaricator, aut judex corruptus. *Donatus.*

Hæc hinc facessat] Pro, *hinc se faciat*, id est, abeat: *huc se faciat*, huc accedat, significat. *Idem.*

Hæc hinc facessat] Pro *cedat*, alias *faciat.* Ergo duas res significat hoc unum verbum. An *hinc facessat*, proverbialiter, quasi *hinc faciat.* Plautus; 'Argentum hinc facite.' 'Huc te fac' dicitur, pro 'huc accede.' *Idem.*

31 *Satin' illi dii sunt propitii*] Antipho, ignarus consiliorum Phormionis, putat eum insanire, qui de dimittenda sua uxore verba faciat. An dii, inquit, irati mentem illi ademerunt? *Mer. Casaubonus.*

32 *Aliquam partem*] Et si non totum, vel aliquam partem. *Donatus.*

33 *Ut ille est bonus vir*] O. l. s. habent: *ut est ille:* in dimetiendo versu ex *est* s elidetur; ut in prima sede sit anapæstus. *Faërnus.*

Tria non commutabitis verba hodie inter vos] Sic dicebant, jurgium significantes. Proprie *verba commutare* est, quod *altercari* dicimus. *Donatus.*

37 *At primo*] Omnino legi debet, *a primo.* quod ex Mss. nostri habent, et ex editionibus Faërni, Lindenbrogii, aliæ. *Bœclerus.*

At primo] Ita in aliis editionibus, sed, *a primo*, legendum est, ut me alicubi legere memini. Gallice dicas: *D'abord il se faisoit tenir; il ne vouloit point entendre raison.* Ita scena 2. 'Unde a primo institui petere.' *Faber.*

At primo homo insanibat] Pro insaniebat; antique: ut, 'custodibat,' et id genus plura. *Mer. Casaubonus.*

38 *Quid? nimium: quantum libuit*] Apud quosdam diversæ personæ cum verbis singulis. *Donatus.*

Quid? nimium quantum libuit] Guyeti distinctionem confirmant Mss. codices: et Donatus agnoscit jam olim variam fuisse personarum distinctionem. *Bœclerus.*

39 *Talentum magnum*] Quod minis 80. (singulæ autem minæ, drachmas 100. continebant) constabat: nostræ autem (ut vulgo subducunt) monetæ, 250. lib. conficiebat: cum minus talentum, (quod vulgo 'talentum' simpliciter; et 'talentum Atticum;' quanquam utrumque esset Atticum) 60. minis constaret; quod est de nostra, 187. lib. 10. Sol. *Mer. Casaubonus.*

40 *Quod dixi adeo ei*] *Quod*, hoc loco, significat, propter quod, ut alibi. *Faber.*

41 *Parvi retulit*] Nihil interfuit: vel parum interfuit, id est, nihil profuit. *Donatus.*

42 *Non suscepisse: inventa est quæ dotem petat*] In Græca fabula senex hoc dicit, Quid interest me non suscepisse filiam, si modo dos dabitur alienæ? *Donatus.*

Non suscepisse] Non genuisse, non habuisse. *Mer. Casaubonus.*

48 *In servitutem pauperem ad ditem dari*] Hoc Plauto est, 'ab asinis ad boves transcendere:' qui istius conjunctionis incommoda festive enarrat in Aulularia: 'Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te esse hominem divitem, factiosum; me item esse hominem pauperum pauperrimum: Nunc si filiam locassim meam tibi,' &c. Et nescio an ad conjunctionis istius inæqualitatem melius exprimendam anomala verborum constructione sponte poëta usus sit: *ad ditem*, pro *diti*. cujus tamen alibi quoque reperiuntur exempla; ut in Plauto, 'ad herum nuntiare;' et alibi. *Id.*

49 *Sed mihi*] Παρένθεσις prima. *Donatus.*

Sed mihi opus erat] Indictio doli est. nam antequam petat, petendi causam ingerit. *Idem.*

Fabuler] Narrem. et hinc *fabula*, pro vera narratione interdum. *Mer. Casaubonus.*

50 *Quæ adferret, qui dissolverem*] Quia, si opum causa habendarum dotatam quæreret, minor esset necessitas captandæ opulentioris. Æs alienum addidit, cui rei nihil opponi potest. *Donatus.*

52 *Ab hac accipio quæ sponsa est mihi*] Mire *accipio*: non *accepturus sum*. Et definitivum modum ponit, ne de summa dotis supersit disputatio. *Id.*

54 *Utrum stultitia facere*] Παρέλκον tertium. hoc idem enim valet, *utrum*, quod *an*. Idem.

55 *Scientem, an imprudentem*] Ἀντίθετον secundum. nam scienti imprudentem reddidit. *Idem.*

56 *Quid si animam debet*] Græcum proverbium, καὶ αὐτὴν τὴν ψυχὴν ὀφείλει. *Idem.*

Ager oppositus est pignori ob decem minas] Astute non protinus *triginta minas* dixit, sed paulatim colligit, ut partibus congestis in summa senex minus gravetur. nam si semel diceret, deterreret parcissimum senem. Denique auditis decem minis, statim respondet *dabo*. conceduntur ab alio decem. de reliquis superest dubitatio; nam difficilis est ad dandum. *Idem.*

57 *Age, age, jam ducat, dabo*] Hominem avarum et concitatioris animi, paulatim et ἐκ παραγωγῆς ad perficiendum consilium comicum poëta inducit, eo usque, quo patiebatur ingenium. ante (act. II. sc. 3. vs. 63.) obtulerat quinque minas. nunc decem. nec ultra processurus est. itaque Chremes supplet quæ restabant, et his decem Demiphonis viginti addit ipse, quot nimirum debebant confici. *Bœclerus.*

61 *Sumptis ad nuptias*] *Opus est*

subanditur. *Donatus.*

62 *Pone sane, inquit, decem minas*] Bene, *sane*: quasi plus quiddam exigat, sed hoc contentus sit. *Idem.*

63 *Sexcentas proinde scribito jam mihi dicas*] Perspicere hinc licet consuetudinem utriusque sermonis: nam Apollodorus μυρίας dixit, pro multis. Et ut apud Græcos μύρια, ita apud nos *sexcenta*, dicere pro multis, usitatum est. Cicero, 'Sexcenta possum decreta proferre.' *Idem.*

Dicas] Supra act. I. sc. 2. *Mer. Casaubonus.*

65 *Quæso, ego dabo. quiesce*] Semper poëta morum ὑπερβολὴν comparatione moderatioris instituti temperat: iracundo, placidum; timido constantem componens. idque, non tantum varietatis causa, sed etiam ad argumentum et exitum fabulæ aptando ista, quasi ita necesse foret, aut certe peropportunum. Demipho et Chremes hic conferuntur, ut in Andria Simo et Chremes. *Bœclerus.*

68 *Mea causa ejicitur. me hoc æquom est amittere*] Ratio cur ipse viginti dare debeat minas, dante Demiphone decem. *Donatus.*

Æquum est amittere] Ex o. l. s. et Donato ita colloca, *est æquum.* Faërnus.

69 *Quantum potes, me certiorem*] Festinat Geta: scit enim dixisse lenonem, 'Mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad dandum est.' *Donatus.*

Quantum potest] Al. *Quantum potes.* quod idem est. id est, celerrime, quamprimum. Utriusque exempla in Plauto passim. *Mer. Casaubonus.*

72 *Illis*] Nuptiis scil. *Mer. Casaubonus.*

73 *Quæ quidem illi res vortat male*] Non desinit poëta ostendere avaritiam Demiphonis, qui nec ideo libenter fert dari aliquid Phormioni, quia sic commodum ei est. Virgilius, 'Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hœdos.' *Donatus.*

74 *Argentum mecum adtuli*] Comicum, argentum præsto est. et causa additur cur præsto, et unde sit. simul iracundiæ uxoris, et jurgio præparatur locus. *Idem.*

75 *Fructum quem Lemni, &c.*] Et *Lemni*, et *Lemno* legitur. *Idem.*

Reddunt prædia] Σχῆμα ἐπεξήγησις. Et proprie de fructu, *reddunt.* Idem.

76 *Id sumam*] Non fructum, sed argentum. *Idem.*

Id sumam] Impendam, unde et *sumptus* dictus. *Idem.*

Uxori, tibi opus esse, dixero] Bene *esse*, non *fuisse*: ne jam repetendum videretur. *Idem.*

Opus esse, dixero] Adjunctivum, pro pronuntiativo. ut in Eunucho, 'Perculeris jam tu me.' *Idem.*

Tibi opus esse] Tibi commodatum esse. *Mer. Casaubonus.*

Scena iv. Senarii sunt. vs. 8. post hunc versum, unus e Mss. meis addit: *qui te ad scopulum e tranquillo auferat.* Argentoratensis in margine eadem verba exhibet. vs. 9. duo: *utile.* Argent. *utibile.* vs. 16. Argent. *loquendo.* vs. 20. idem omittit τὸ *quidem.* vs. 23. duo: *rogitas.* vs. 28. duo: *autem* pro *aliquid.* vs. 31. duo: *abi et dic.* Bœclerus.

1 *Emunxi argento senes*] Mire. quum e contrario dicatur *emunctus homo*, elegans et facetus: ut Horatius de Lucilio, 'Emunctæ naris,' inquit. *Donatus.*

2 *Satin' id est*] Hoc est, id ne tibi videtur satis esse ad miserias meas? An quasi εἰρωνικῶς dicit, ut dicere solemus 'Bene habet nunc:' aut 'Fecisti certe quod debuisti.' Ideo autem subambigue locutus est, ut nequaquam posset aliter interpretari a Geta, qui respondebit, 'Nescio hercle, tantum jussus sum.' *Idem.*

Satin' id est] Non potest satis commode verti Gallice, ob geminam significationem. Nam iste nugator volebat dicere, 'An me satis macerasti?' Servus aliter accipit; de pecunia scilicet, qua emuncti senes fu-

erant. *Faber.*

Tantum jussus sum] Ludit in ambiguitate interrogationis. Dixerat Ant. *Satin' id est?* i. e. hoc sufficit tibi, quod Phædriæ prospexeris? nulla tibi mei cura? Respondet autem Geta quasi id voluisset Antipho, *Satin' est id?* i. An tanto argento senes emunxisti, quantum Phædriæ satis erit? ideo dicit, An satis sit, nescio: sed quantum jussus sum providere, tantum me providisse scio. *Mer. Casaubonus.*

5 *Ad restim mihi quidem res rediit*] Hunc versum Priscianus lib. VII. tanquam ex Eunucho citat. *Bœclerus.*

Ad restim] Ad suspendium. *Mer. Casaubonus.*

8 *Huic mandes, &c.*] Vide Guyetum, qui varias lectiones hujus loci collegit. nos illud, 'Qui te ad scopulum e tranquillo auferat,' omisimus, ratione non levi ducti: adde Georg. Fabric. *Bœclerus.*

Huic mandes, qui te ad scopulum e tranquillo inferat] Alii: *Huic mandes, quod quidem recte curatum velis, Qui te ad scopulum, &c.* quæ verba, *quod quidem recte curatum v.* glossema videntur esse priorum illorum, *Si quid velis:* ut merito absint a melioribus editionibus. *M. Casaubonus.*

9 *Qui te e tranquillo in scopulum inferat*] Mirum est, isthæc verba nec in libro Bembino, nec in Victoriano, nec in Basilicano, aut aliis denique Mss. vetustioribus apparere; testes sunt Rivius, Faërnus, et Georgius Fabricius. Deinde, quod non omnes animadvertunt, quis versus? Certe motus contrarios habet. Itaque imitatio alicujus prosaici Scriptoris fuerit, fortasse Livii. Nulla certe in Excerptis horum verborum mentio est. *Faber.*

10 *Quid minus utile fuit, quam hoc ulcus tangere*] Vide Erasm. Cic. 'Quicquid horum attigerit, ulcus est.' *Mer. Casaubonus.*

Ulcus tangere] Proverbiale: non εἰρωνικῶς dixit. *Donatus.*

15 *Nostra causa in nervum potius ibit*] In Chrestomathia diximus, sola comparatione loci alterius, Guyetum defendi, quod hic quoque elegit illam significationem, qua 'In nervum erumpere' res, aut levius, *ire* dicetur. Non peccabit tamen, si quis cum Scaligero, Nannio, et aliis, velit accipere εἰρωνικῶς: *nostra causa scilicet in nervum potius ibit*, i. e. in vincula se duci potius patietur, quam nos prodet. i. e. cum repetent argentum, potius nos prodet, quam in nervum compingi se, quod iis qui solvendo non erant usu veniebat, patietur. vide etiam Joh. Weitz. *Bœclerus.*

17 *In nervum potius ibit*] Decipiet. a proverbio tracto a sagittariis: quum vis conatusque tendentis arcum, non in volatum teli, sed in ruptionem nervi expetatur. *Donatus.*

In nervom potius ibit] Vide supra, act. II. sc. 1. Sunt tamen viri docti, qui ad vincula nexorum (nam qui solvendo non erant, vincti creditoribus tradebantur, ut, quod pecunia non poterant, opera satisfacerent; et *nexi* vocabantur) respici censeant: quæ vincula *nervus* vocata. *Mer. Casaubonus.*

18 *Tu id quod boni est excerpis*] Honeste *excerpis* dixit. et attende, quemadmodum dicat, *excerpi bona*, quibus non utatur. *Donatus.*

Tu id quod boni est, excerpis: dicis, quod mali est] Hoc est quod Epictetus Enchirid. c. 65. egregie docet, rem quamque duas habere ansas: alteram φορητὴν, quæ facit ut nihil non tolerabile videatur: alteram ἀφόρητον, qua quicquid accidit præter mentem, fit intolerabile. *Excerpis* autem hic, pro *demis*, aufers: quod non sine causa notari vult D. cum Græci in hac ipsa re τῷ ἐκλογίζεσθαι plane aliter utantur. *Mer. Casaubonus.*

22 *Sacrificandi*] Neque enim nuptiæ sine sacrificio: aut saltem sine aliqua precum et votorum solemnitate. Ad. act. IV. sc. 5. 'Abi domum, et Deos comprecare, ut uxorem accersas.' vide ibi. *Mer. Casaubonus.*

25 *Quot res, post illa, monstra evenerunt mihi*] Egregius locus, quo superstitio circa omnia et religiones, vel observandas, vel ementiendas κωμῳδεῖται. quod Donatus etiam notat. de ipsis omnibus vide Lindenbrogium. *Bœclerus.*

Post illa monstra] Omina, prodigia, qualia (ut erat illorum superstitio) quæ mox postea recensentur. *Mer. Casaubonus.*

28 *Gallina cecinit*] Observatum est, in qua domo gallina canat, superiorem marito esse uxorem. *Donatus.*

Gallina cecinit] Rustici nostri dicunt, *La poulle a chanté le cocq.* Idque cum accidit, extemplo misella illa gallina 'Crudeli ferro meritas jugulata sub umbras Mittitur.' Idque ad averruncandum malum eventum, præsens remedium est. *Faber.*

Interdixit hariolus] *Hariolus* est qui divina mente vaticinatur. Dictus *hariolus*, quasi *fariolus*, a fatis et a fando. quum *F* pro *H*, et item *H* pro *F*, in multis locutionibus ponatur. An quod imitatur aspirationem in exhalando? nam halitu solent excludere velut mortalem animam, ut divinam recipiant. unde et vocem ejusmodi dabant, quæ est *oe*: quod *oe* sonus exhalandi vim præstat. *Donatus.*

29 *Haruspex vetuit*] *Haruspex* ab haruga nominatur. nam *haruga* dicitur hostia, ab hara in qua concluditur et servatur. *hara* autem est, in qua pecora includuntur. Plautus, 'Rusticus, hircus, hara;' Mostellaria. *Donatus.*

Ante brumam] Arte irrisit homines Terentius, quibus religio sit aggredi negotium aliquod diebus decrescentibus. *Idem.*

Ante brumam] Quod ante brumam dies decrescere incipiant. *Idem.*

31 *Fient: me vide*] Respice, id est, vultus mei fiduciam gere: siquidem quia nullum periculum est. Sic Græci, nam aliter Latini. *Idem.*

Me vide] Quia in jure promittit, et interponit suam fidem: quod nos dicimus, *me habes.* Idem.

Vide] Respice. *Idem.*

SCENA V. Octonariis Iambicis constat. vs. 1. unus meorum; *ne quid dicat.* alter, ut edid. Argent. *ne quid verborum dicat.* vs. 2. unus; *quin testes adhibeam.* Argent. *quin testes ego adhibeam.* uterque; *cum dem.* vs. 5. omnes; *nam si altera illa.* vs. 8. unus; *dicat hanc dare nos Ph.* Argent. *dicat eandem.* vs. 10. Argent. *degressos.* duo; *egressos.* vs. 13. omnes; *hec.* Bœclerus.

1 *Quietus esto, inquam: Ego curabo*] *Quietus*, id est, securus, ab eo quod præcedit, id quod sequitur. *Donatus.*

Ne quid verborum duint] Lego, *duit:* de solo enim Phormione est sermo, ut ex insequentibus patet. est hæc lectio omnium antiquissimorum librorum. *Faërnus.*

Ne quid verborum duit] Ne verba det nobis, et argento emungat. *Mer. Casaubonus.*

2 *Hoc*] Argentum. *Idem.*

Amittam] Dimittam. *Idem.*

2. 3 Formula cautionis in numeranda pecunia debita, adhibitis testibus, expressa causa. *Bœclerus.*

3 *Ut cautus est, ubi nihil opus est*] Consulit, inquit, quemadmodum detur, ubi omnino dare non debuerit: siquidem argentum Phædriæ detur sub nomine Phormionis. *Donatus.*

4 *At matura*] Omnes fere, et in iis antiqui libri, *et matura.* Faërnus.

Dum libido eadem hæc manet] Bene *libidinem* posuit pro voluntate hominis incerti ac levis. *Donatus.*

Libido] Voluntas. *Mer. Casaubonus.*

5 *Forsitan nos rejiciat*] Mulierem scilicet. An vere *nos*, id est, negotium nostrum et conditionem? *Donatus.*

Forsitan nos rejiciat] *Nos rejiciat:* mulierem scil. quam nos illi destina-

mus. *Mer. Casaubonus.*

6 *Rem ipsam putasti*] Pro disputasti modo. *Donatus.*

Rem ipsam putasti] Rem acute tetigisti. *Mer. Casaubonus.*

8 *Ne succenseat*] Ordo: Ne succenseat dare nos eam Ph. nuptum. vel, *Dicat eam dare non Ph. nuptum: ne succ.* M. Casaubonus.

11 *Quid tua, malum id refert*] *Malum*, interjectio: et est ordo, Quid tua id refert? *Donatus.*

Quid tua malum id refert] Arbitror in dimetiendo hoc versu, qui est octonarius iambicus, ut ceteri, pronomen *tua* posteriorem corripere, quod posse fieri Donatus videtur innuere, cum dicit, 'Et quære,' &c. ex quibus Donati verbis videre licet, existimare eum in accusativo casu efferri posse hanc dictionem. ita in quarta sede esset tribrachus. *Faërnus.*

Magni, Demipho] Nota, responsum contra *quid refert*, non ad *quid* relatum. Et quære quomodo dicatur, *Quid mea, quid tua?* An deest *ad*: ut sit, *ad mea*, aut *ad tua?* Donatus.

12 *Non sat, tuum te officium fecisse, si non id fama approbat*] Sen. 'Nunquam volui populo placere. Nam quæ ego scio, non probat populus: quæ probat populus, ego nescio:' et mox, 'Quis enim placere potest populo, cui placeat virtus?' *Mer. Casaubonus.*

13 *Volo ipsius quoque voluntate hoc fieri, ne se ejectam prædicet*] Ex *ipsius* s elidetur, ut in secunda sede sit dactylus vel tribrachus. nam utrumque potest esse. *ejectam* vero in duas syllabas contrahetur: ut sit in sexta spondeus. *Faërnus.*

15 *Illas reperire*] Filiam et uxorem. *Donatus.*

ACTUS V.

SCENA I. Satura est, quam non uno modo dimetiuntur eruditi. Quidam enim ex Trochaicis octonariis et septenariis, intermedio *dimetro* constituunt: alii Iambicos miscent, eosque pauciores, aut plures. vs. 1. Mss. nostri omnes; *aut cui consilia hæc ref.* vs. 2. duo; *aut unde mihi auxilium petam.* vs. 10. omnes; *dum eum q. l.* vs. 11. unus; *nihil sit quod verear.* alter; *nihil quod verear.* Argent. *nihil sit quod vererer.* mox omnes; *ea ipsa est colloquar.* vs. 15. duo; *non es obsecro.* Argent. *non obsecro is es.* vs. 16. omnes; *est* pro *st.* vs. 21. omnes; *quid tibi rei est.* vs. 24. unus; *sine nostra cura hæc sola fecit.* Bœclerus.

1 *Quo hæc consilia referam*] Nimirum, cum video consilia nostra, quæ cepimus de collocanda Antiphoni Phanio, in nervum erumpere, eo quod redux pater adolescentis tam ægre fert, et disturbare hoc matrimonium volet. *infirmas* enim veretur *has nuptias*, ut vs. 6. loquitur. *Idem.*

3 *Hera*] Phanium scil. *Mer. Casaubonus.*

Ne ob meum suasum indigna injuria afficiatur] Ne hera indigna affic. injuria. Sed al. edit. etiam Plantin. *indigne*, non *indigna*. Idem.

4 *Audio violenter*] Quod Græci dicunt δεινῶς. *Donatus.*

5 *Nam quæ hæc est anus*] 'Αναστροφή. ut, 'Nam quis te juvenum confidentissime.' Sed figura hæc apta commotis est aliqua re nova. *Idem.*

A fratre] Pro, A domo fratris. ut, 'Jam proximus ardet Ucalegon.' *Donatus.*

6 *Egestas me impulit*] Venialis status. *Idem.*

Cum scirem infirmas] Hec. act. I. sc. 2. 'Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ?' *Mer. Casaubonus.*

7 *Interea vita ut in tuto foret*] Compensativa qualitas. *Donatus.*

Interea vita ut in tuto foret] Ut vitæ ejus interim prospicerem, quæ non tuta, quamdiu illa sola. *Mer. Casaubonus.*

8 *Nisi me animus fallit, aut parum oculi prospiciunt*] Docte Terentius. nam visa, vel corporis, vel animi sunt: hoc est, rationis, vel sensus. *Donatus.*

9 *Investigatur*] Inveniri potest, aut inventus hactenus. *Mer. Casaubonus.*

12 *Meum nomen*] Mire suum nomen illa agnoscit: hic dissimulat. *Donatus.*

14 *Paululum istorsum*] Nunc *istorsum* adverbium est loci: alias nomen. *Idem.*

16 *Quem semper te esse dictitasti*] *Esse* pro nominari antiquorum more dixit. *Donatus.*

17 *Conclusam hic habeo uxorem sævam*] Illaturus *sævam*, bene *conclusam* prætulit: ut si diceret, feram. *Idem.*

Conclusam hic habeo uxorem sævam] Illaturus *sævam*, bene *conclusam* prætulit: ut si diceret, *feram.* D. Quæ eo spectant, quia feræ *caveis* concludi solitæ. *Mer. Casaubonus.*

19 *Effutiretis*] Eloqueremini, evacuaretis, exinaniretis. *Effutiretis*, ab eo quod est effundere. Translatio est a vase, *futili* nomine: quod patulo ore, fundo acuto instabile, nihil prorsus continet, unde *futilis* dicitur ejusmodi, ut nihil intra se contineat, et semper inanis sit. *Donatus.*

20 So. *Hem istoc pol*] Auctoribus antiquissimis libris Bembino et Vaticano, deleo particulam *hem.* Faërn.

23 *Ex ægritudine*] Infirmitate ac morbo. *Donatus.*

Ex ægritudine miseram mors consecuta est] Bene moderatus est, ut neque nimis ægre ferat, neque rursum ἀπαθὴς sit. Et hæc est οἰκονομία, ne in eadem urbe duæ uxores, plus mali ex solicitudine afferant Chremeti, quam ex alterius morte tristitiæ. Neque in comœdia possunt nimis miserabiles mortes esse; ne res in tragœdiam transeat. *Idem.*

Ex ægritudine miseram] Quod te non inveniret scil. natæ aut tibi metuens. *M. Casaubonus.*

24 *Male factum*] Vetus formula pro, valde doleo. *Idem.*

Deserta, egens, ignota] Singula pronuntianda sunt. argumenta enim hæc ad venialem statum proferuntur. *Donatus.*

27 *Unam quidem ille*] O. l. s. hunc ordinem verborum habent, *unam ille quidem.* Faërnus.

29 *Composito factum est*] Sic veteres: nos, *ex composito.* ut, 'Composito rumpit vocem, et me destinat aræ.' *Donatus.*

Composito] Consulto, de industria. *Mer. Casaubonus.*

30 *Quam sæpe forte temere*] 'Απρονοήτως. *Idem.*

31 *Quæ non audeas optare*] Pro, quæ non audeat quis. ut, 'Facile pro Eunucho probes.' *Donatus.*

Quæ non audeas optare] Quæ non ausis tibi promittere: et quæ vota ipsa (nisi insana) superent. Hinc illud Gr. prov. Ταυτόματον ὑμῶν κάλλιον βουλεύσεται. *Mer. Casaubonus.*

Offendi adveniens] Pro, quum advenissem. ut, 'Ipse nemus linquens patrium suaque arva Latinus.' Quia Latina lingua deficit hac declinatione. *Donatus.*

Offendi adveniens] Παραγενόμενος: postquam adveni. *Mer. Casaubonus.*

34 *Maxima suu cura hæc sola fecit*] Donatus dubitavit *hic* an *hæc* legendum esset. 'Si *hic*,' &c. Eugraphius citra hæsitationem de Sophrona recte accipit in illa interpretatione: 'Quod quidem magna nos cura et opere ut fieret laborabamus: at nunc sola hæc atque cuncta complevit.' Corrigi debet Chrestomathia in vocabulo 'Cura,' ubi 'Fortuna' pro 'Sophrona' per incuriam correctoris inserta est. *Bœclerus.*

Hæc sola fecit] Si *hic* legerimus, An-

tiphonem intelligimus: si *hæc*, Sophronam. *Donatus.*

37 *Sed per deos*] Adjurationis genus est. *Idem.*

Sed per deos atque hom.] 'Adjurationis est.' *Don.* Eugraphius: 'Per deos atque homines rogat potius, quam terret.' *Bæclerus.*

SCENA II. Iambici octonarii catalectici seu Scazontes. vs. 1. omnes Mss. nostri, ut ed. In Argentoratensi erat, *malis.* quod manu correctoris in *malos* mutatum est. vs. 3. duo; *præter causam.* vs. 6. omnes; *his nunc pr. e.* vs. 8. duo; *posset.* unus; *possit.* vs. 21. unus omittit *ut.* Bæclerus.

1 *Nos nostrapte culpa, &c.*] Hunc versum et sequentem irato Mercurio interpretatus est F. Guyetus, qui per *malos* significari putat *tenaces et parcos*, quod nullibi reperias. Dein et versus sequentes satis hos explicant, et mentem Terentii ostendunt. *Faber.*

3 *Ita fugias ne præter casam, aiunt*] Apparet proverbium esse. Quæ ad hunc locum dicta ab aliis fuere, ea omnia hydropici somnia sunt. Aliud haud paulo melius reperies in Epist. meis, vol. II. ubi rem, ut decuit, examinavi; et Doctis placui. *Idem.*

Ita fugias, ne præter casam] Proverbium, *Ita fugito, ne præter casam.* Hoc est, ne prætereas casam tuam, quæ sit tibi tutissimum receptaculum. Aut; ita fugias, ne præter casam: ubi custodiri magis, et prehendi fur, et mulctari verberibus potest. Aut verbum erat ipsius custodis furem exagitantis, et interea prohibentis, ne ante casam transeat, ne in prætereundo etiam inde aliquid rapiat. Queritur senex se, dum avari infamiam fugeret, in stulti reprehensionem incidisse. *Donatus.*

Ita fugias ne præter casam] Vide Guyet. et Chrestomath. voc. Casa. Palmerii interpretatio, quam est longe petita! *Bæclerus.*

Ita fugias, ne præter casam] Ne sit tam præceps fuga, ut propriam domum, ubi tutissimum tibi (a latronibus puta, vel feris persequentibus) præsidium, prætereas. Nam qui id agunt, ut totis viribus fugiant, cursum cum volunt, et deberent, non possunt inhibere. unde sæpe in periculum incidunt. Varro quoque in eandem sententiam, 'Longe fugit, qui suos fugit.' *M. Casaubonus.*

4 *Etiam argentum est ultro objectum ei*] Τὸ *ei* nullus habet l. s. quod nec sensui nec versui necessarium est. *Faërnus.*

5 *Dum aliud aliquid*] Vetuste. *Donatus.*

Dum aliquid aliud] Et Donatus, et libri Bembinus et Victorianus, *dum aliud aliquid.* Faërnus.

6 *His nunc præmium est, qui recta prava faciunt*] 'Candida de nigris, et de candentibus atra.' *Mer. Casaubonus.*

7 *Illi rem gesserimus*] Illi profuerimus, hanc illi operam navaverimus. *Idem.*

8 *Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat*] Ne pœniteat dominum pecuniam dedisse, terrorem servus injecit. *Donatus.*

Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat] Saltem ut hic operæ nostræ eventus sit, ut illam tandem ducat. *Mer. Casaubonus.*

9 *Haud scio hercle, ut homo est*] Qui tali sit ingenio: perfidus, inconstans, levis. quanquam etiam in genere, homo εὐμετάβολον ζῶον, ut olim recte Plato. *Idem.*

15 *In eodem luto hæsit*] Cumulat hic proverbia Geta: facundus in malo suo. *Bæclerus.*

Vorsuram solvis] Creditorem mutas. *Donatus.*

Vorsuram solvis] *Vorsuram facere* dicitur, qui æs alienum ex ære alieno solvit. Dicitur etiam *vorsuram facere*, cum minore fœnore acceptam quis pecuniam majore occupat. *Idem.*

Vorsuram solves] Assentior illis, qui *vorsura*, non *vorsuram* scriptum putant a Terentio. Aliud autem est *versuram facere*; aliud, *versura solvere. versuram facere* dicebantur, (ut ex pluribus Ciceronis locis apertissime docuit Gifanius,) qui sub fœnore mutuabantur: at *versura solvere*, qui vetus nomen, sive debitum, novo debito contracto solvebant. Ait igitur hic Geta, soluturum se cum fœnore, quod ex mora supplicii lucri fecerit. *Mer. Casaubonus.*

16 *Præsens quod fuerat malum, in diem abiit*] Ὑποφορά. *Donatus.*

Plagæ crescunt] Ἀνθυποφορά. *Idem.*

18 *Ne quid vereatur Phorm. aut ejus orat.*] Scilicet, qua dixerit adeoque pepigerit, se ducturum Phanium uxorem, si dos sibi daretur. id enim Nausistrata, Chremetis uxor, Phanio dictura erat, illique, ut Phormionis matrimonio acquiesceret, persuasura. Palmerius nimis, ut videtur, solicite, de ipsius Phormionis præsentia hic requirit. Guyetus delet versum. Sed vide, an ita possit scena finiri, quin decurtata videatur: 'Nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo.' *Bæclerus.*

Nequid vereatur Phormionem, aut eju' orationem] Palmerius legit, *aut senis orationem.* Guyetus versum tollit. *Faber.*

SCENA III. Eodem metro partim, partim admixtis Iambicis octon. acatalect. vs. 3. Mss. nostri omnes; *adjuvas.* vs. 8. omnes; *ac* (unus *at*) *rebus vilioribus multo, tamen duo talenta.* et vs. 10. *certe scio.* vs. 14. τὸ *hei* unus habet, alter omittit, tertius *sed* substituit. vs. 19. Argent. *an sanus es. narres.* meorum unus; *si tu mihi nihil.* vs. 23. Argent. *si tu nihil mihi narras.* vs. 32. unus; *ejicere hanc.* vs. 36. unus; *heus, ne hoc nostri resciscant volo.* alter; *heus filii ne hoc nostri resciscant volo.* Argentor. *heus ne filii hec resciscant nostri volo.*

Fr. Guyetus delet hanc scenam. Sed quomodo potest Demipho relinqui in domo Chremetis, quam modo ingressus erat, et tamen postea scena sexta, quam genuinam agnoscit Guyetus, agnitioni Phanii in sua domo factæ interesse? nihil potest responderi, quo explicetur hæc difficultas. Jam quis non videt, Getam propterea in scena detineri a poëta, et consultare, donec Demipho egrediatur? Ita enim solet poëta. Non dicam, quam videatur parum ad seriem rerum opportune Antipho in scenam venire, cum illa loquitur, quæ scena 4. habentur: cujus sex priores versus admittit Guyetus. Illud autem prorsus est invicti roboris, quod in scena 6. quæ itidem genuina est Guyeto, Phormio adesse non posset cum Antiphone, nisi scena præcedente, quam rejicit Guyetus, adductus esset a poëta. Qui norunt in Terentio personarum συνέλευσιν καὶ ἐπέλευσιν, facile intelligunt, aliter fieri non potuisse. An Phormio cum Antiphone statim sc. 4. advenit; et illius sermonem adstans tacitus audivit? cui hoc videatur verisimile? an tum intervenit Phormio, cum Geta lætum nuntium theatro inferret? at, tanquam cum eo, qui dudum aderat, Antipho familiariter loquitur; et, 'Num tu intelligis,' inquit, 'Hic quid narret?' atque, ubi ita tacitæ coëunt personæ, ut nulla congressus significatio fiat? *Bæclerus.*

Verba Guyeti sunt hæc: Nihil opus erat hac scena et sequentibus aliis quatuor, *quinta* scilicet, *septima*, *octava*, et *nona*, quæ additititiæ sunt et spuriæ. Nonam autem scenam vocat, quæ in hac editione, et aliis multis, octava est; sed Guyetus editione Faërni utebatur. In ea autem scena, quam ipse spuriam putat, (de nona, seu octava, loquor,) id profecto est quod me nuper, cum vidi, in stuporem dedit; dii boni! In ea scena et Gratiæ et Risus, et Joci convenisse inter sese videntur, ut quanta maxima voluptate possent, aut auditores, aut lectores perfunderent. Huic scenæ equidem palmam do; totius Phormionis pars est et ingeniosissima et longe facetissima. Eam si

tollas, Phormio mortuus est. Sed, quod mirere, sub extremum finem Notarum hoc scribit: Qui de censura hac nostra dubitarit, postremis quibusque Terentii et Plauti fabulis lectis, a me, si quidem sanus poterit, dissentiat, licebit. Hem, *siquidem sanus!* Præsens itaque mihi ab insania periculum est, et Doctis omnibus; qui nunquam Guyeto assentientur; ipse certe, dissentio. Sed hoc plane dignum est quod animadvertatur; Guyetus, qui nobis Terentium pæne totum subvertit, nescit interdum quid legat. E multis exemplis unum suffecerit. En tibi; et jam aliud superius habes ad act. v. sc. 2. Ad versus istos qui in Phormione leguntur act. v. sc. 2. 'Ut sit qui vivat, dum aliud aliquid flagitii conficiat. G. Planissime. D. iis nunc præmium est, qui recta prava faciunt. G. Verissime. D. ut stultissime illi rem gesserimus.' Postquam dixit hos versus esse spurios, hoc quoque addit: *rem alicui gerere*, recte dici posse nequaquam videtur. Sed unde error ille Guyeti? Ex eo scilicet quod non cogitarit τὸ *illi* esse adverbium, non autem pronomen. At quia non intelligit, id est, somniculose legit, locum delet. Miseros profecto qui ante nos scripserunt, si, quoties aliquid in eorum libris non intelligas, illud extemplo delendum esse pronunties. *Faber.*

1 *Agedum ut soles, Nausistrata*] *Divitis uxoris de marito licentius conquerentis hæc allocutio est, cum dispositione futurarum turbarum.* Donatus.

Fac ut illa placetur nobis] O. l. s. *fac illa ut p. n.* quod meliorem efficit numerum. *Faërnus.*

3 *Pariter nunc opera me adjuves, ac re dudum opitulata es*] Bene Donatus hic annotat locum act. iv. sc. 3. vs. 76. 'Id sumam: uxori, tibi opus esse, dixero.' *Bœclerus.*

Ac dudum re opitulata es] Supra enim dixerat Chremes, 'Id sumam: uxori, tibi opus esse, dixero.' *Donatus.*

Ac dudum re opitulata es] Libri Bembinus, et Victorianus, *ac re dudum.* Faërnus.

Re] Pecunia mutua. act. iii. sc. 3. *M. Casaubonus.*

4 *Factum volo*] Libenter de te bene merear, tibi gratificer. *Idem.*

Factum volo] Non est quod Gallus aliquis credat. Idem enim est Latine, atque id quod alibi dixit Terentius: *non muto factum;* aliter diceres, id me fecisse gaudeo. *Faber.*

At pol minus queo] Scilicet opitulari. utinam plus potuissem tibi dare: quod factum esset, si ex prædiis meis is fructus redisset, qui redire debebat. *Bœclerus.*

7 *Statim capiebat*] *Statim*, perpetuo, æqualiter, et quasi uno statu. Plautus, 'Ita statim stant signa.' et habet primam longam: quando autem significat aliud, primam brevem habet. *Donatus.*

Statim capiebat] Donatus hic τὸ *statim* explicat, *perpetuo, æqualiter, et quasi uno statu.* Apud Plautum legimus 'Statim rem gerere.' item, 'Statim stant signa.' ἱσταμένως. Amphitr. i. 1. 84. 120. *Bœclerus.*

Statim] Constanter; singulis annis. *Mer. Casaubonus.*

Vir viro quid præstat] Eun. act. ii. sc. 2. 'Homini homo quid præstat? stulto intelligens Quid interest?' *Id.*

9 *Scilicet*] Obscure et negligenter annuentis, ut qui Nausistratæ sermone non delectaretur. *Mer. Casaubonus.*

10 *Certe scio*] I. e. minime dubito. et hoc placide interponit, ut Nausistrata sermonem, (quæ jam vocem altius tollere, et iram suscitare incipiebat) *Ego ostenderem quo pacto*, inquiens, interciperet, ac sisteret. Quo etiam spectant et sequentia, *Parce sodes, &c.* i. e. parce tibi, ut par esse possis illi juniori, si forte opus, &c. *Idem.*

14 *Pæne plus quam sat erat*] Locutus sum, scilicet. ad spectatores versus hoc ait. *Bœclerus.*

Pene plus quam sat erat] Dictum scil. vel, locutus sum. Intempestiva enim argenti mentio, coram uxore, quam non viderat. *Mer. Casaubonus.*

15 *Quamobrem hanc ducimus*] Nempe filiam amici nostri, i. e. tuam. usus est pronomine tum in re nota, ut sæpe, tum ad dissimulandum. *Bœclerus.*

16 *Quid non potest*] Liber Bembinus, Victorianus, et Basilicanus, *qui non potest? qui* autem pro, quomodo exponetur. *Faërnus.*

Abduci non potest] Sc. marito. cum emphasi ponitur. *Bœclerus.*

19 *Redi mecum in memoriam*] In hoc pleroque colloquio Chremes aliud dicit, aliud vult intelligi: dissimulatione necessaria et anxia, ob præsentiam Nausistratæ uxoris. Qui locus sicut difficilis est tractatu, ita plurimum rationis habet; neque τὸ εἰκὸς tantopere violat, sicut nonnemini visum est. *Idem.*

Redi mecum in memoriam] Chremes studet ita loqui, ut a Demiphone possit intelligi, quo spectant illa: *redi mecum in memoriam:* ad ea quæ dudum de amica in Lemno, et filia ex ea suscepta narraverat, (tacite provocantia,) et tamen ab uxore non intelligatur. Sed tardior Demipho, et nihil suspicans tale, importunitate sua et intempestiva curiositate valde ei molestus est. *Mer. Casaubonus.*

21 *Hoc tu errasti*] Inde error tuus. *Idem.*

23 *Neque intelliges? De. si tu nihil narres. Ch. pergis. Na. miror quid hoc siet*] Pro *narres, narras*, est in o. fere l. s. et in iis Bembino. pro *pergis* vero, is tantum liber, et Victorianus habet, *perdis.* Sane in dimetiendo versu, suspicatus quandoque sum, ex *intelliges* s eliso, ultimaque syllaba brevi remanente, ut apud Ennium, 'Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas;' item ex *quid* d, *nihilque* in unam syllabam contracto, in prima sede hujus octonarii iambici esse iambum, in secunda dactylum, in quinque sequentibus spondeum: sed tamen non valde placet hæc sustentatio versus. *Faërnus.*

Perdis] Enecas. sed alii, *pergis.* M. Casaubonus.

26 *Aut scire, aut nescire hoc volo*] Certum est, nihil non experiri, ne dubius animi pendeam. *Idem.*

28 *Vin' satis quæsitum*] Hoc totum pro una persona quidam legunt. *Donatus.*

Vin' satis quæsitum mihi istuc esse] Nihil ultra hac de re quærere? *Mer. Casaubonus.*

Filia amici nostri] Hoc est, tua. *Donatus.*

29 *Hanc igitur mittimus*] Videntur hæc continuari sequentibus, ut sit: *hanc igitur* (amici nostri filiam, quam collocare Antiphoni destinatum erat) *mittimus?* sic supra: 'Si illam dant, hanc ut mittam.' iv. 3. 70. *illa* (Phanium, quæ abduci non potest) *maneat?* in matrimonio Antiphonis. Qua re ita inter senes constituta, nihil opus erat Nausistratam, ut a Demiphone rogata erat, ire ad Phanium, eique persuadere, ut sua voluntate ex matrimonio Antiphonis ad Phormionem se transferri pateretur. dimittitur ergo: 'Ire igitur tibi licet, Nausistrata.' domum scilicet redire tibi licet. neque enim nunc tua opera amplius opus est, postquam placet Phanium manere in matrimonio Antiphonis. Potest tamen illud, 'Hanc igitur mittimus?' etiam aliter accipi: hanc, Nausistratam, igitur domum dimittimus? ne pergat ire, quo cœpit, ad Phanium. τὸ *recte*, quod præcessit, ἀποσιωπήσει aptum est, et dissimulationi, ut alibi apud nostrum. q. d. non opus est nunc de ea re loqui. recte se habet illa res: neque nunc nos morari debet. *Bœclerus.*

31 *Commodius esse in omnes*] Et circa illum qui duxit, et circa illam quæ

ducta est, et circa te socerum. *Donatus.*

32 *Hanc*] Phanium. *Mer. Casaubonus.*

Perliberalis visa est, quum vidi, mihi] Ordo est, Perliberalis visa est mihi. *Donatus.*

SCENA IV. Iambici sunt tetrametri catalectici. vs. 1. Argentor. *ut ut res meæ se habeant.* quo confirmatur Guyeti emendatio. Meorum alter; *ut ut meæ res sese habeant.* alter; *ut meæ res se habent.* vs. 3. duo, ut edidimus. unus; *quibus cum res adv.* Priscian. v. lib. 8. vs. 5. duo; *ego n. possum r. m. evolvere ex istis turbis.* Argentor. *ego nullo possim remedio me evolare ex istis turbis.* Bœclerus.

1 *Lætus sum*] Antiphonis persona est. *Donatus.*

Fratri] I. e. patrueli. secundum idiotismum Hebraicum. 'Frater patruelis,' Plauto. *Mer. Casaubonus.*

2 *Quam scitum est*] Quantæ prudentiæ et felicitatis! *Idem.*

Parare animo] Venuste additum est, *animo.* Ennius in sexto, 'Sed quid ego hic animo lamentor?' *Donatus.*

3 *Quum res adversæ sient*] Quum desideratæ fuerint, id est, quum harum penuria fuerit. *Idem.*

Cum res adversæ sient, paulo mederi possis] Cum aliquid intervenit, quod voluptatibus adversetur, facili negotio possis occurrere, et amoliri. *Mer. Casaubonus.*

6 *Si hoc celetur, in metu*] Ἀνακόλουθον quartum. Nam cum posuisset, *Si hoc celetur:* intulit, *sin patefit.* Donatus.

In probro siem] Apud patrem scilicet. *Idem.*

7 *Ni mihi esset spes ostensa*] Ita Argent. et meorum alter: alter autem *ostentata.* Ceterum hos tres versus iterum abjicit Guyetus, eo quod spei hic mentio fieri non possit, cum modo dictum sit: 'Ego nullo possum remedio me evolvere ex istis turbis.' Sed egregie cavit poëta, ne repugnaret ipsa sibi Antiphonis oratio. illæ turbæ, quarum remedium hactenus non videt Antipho, inter *metum* et *probrum* versantur. *Metus* manebat, *si celaretur,* quo pacto sua voluntate non legibus coactus Phanium duxerit; semper enim metuendum erat, ne patefieret. *Probrum* in conspectu erat apud patrem, si statim patefieret. Inter hæc ancipitia, *spes* media ostensa erat ante (act. IV. sc. 4.) habendæ uxoris, per novas Phormionis technas, qui non ducturus erat, quæ offerebatur. *Bœclerus.*

SCENA V. Eodem metro. vs. 2. duo Mss. omittunt *propria.* vs. 3. verba varie collocantur. vs. 5. Argent. *quidnam nunc facturus est Phædria?* vs. 10. duo; *ancillam illam emtam.* Bœclerus.

1 *Argentum accepi*] *Jactantia hic inducitur Phormionis, qui in omni scena, prout in se jactatur, insultat.* Donatus.

2 *Propria ea Phædria*] Virg. 'Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.' *Idem.*

Propria] Non usuraria, ut Plautus loquitur, aut temporaria; sed stabili, perpetua. *Mer. Casaubonus.*

Nam emissa est manu] Offendit Guyetum hæc locutio: 'Qui enim manu emissa est, si emta est ab lenone?' Sed ἐξήγησις hæc potius quam κυριολεξία habenda est. Sic apud Plautum, ubi de emenda ab lenone virgine agitur Curcul. I. 3. 32. 'Ita me Venus amet, ut ego te hoc triduum nunquam sinam In domo esse istac, quin ego te liberalem liberem.' quomodo vult liberare? non liberali causa manu asserendo eam, aut vindicias secundum libertatem postulando, quod secure annotari video, sed emtione et pecunia. præcesserat enim; missum in Cariam, qui argentum efficeret. de emtione ergo proprie agitur, quicquid de allusione in phrasi statuas. ita hic emissa manu ἐξηγητικῶς videtur dici, quæ ab lenone impurissimo emta, adeoque emancipata

sit. *Bœclerus.*

Emissa est manu] Ut jam alienari non possit amplius, tota sui juris. *M. Casaubonus.*

3 *Nunc una res mihi etiam restat*] Venustior videtur collocatio librorum Bembini et Victoriani, *nunc una mihi res.* Faërnus.

4 *Aliquot hos sumam dies*] Valida significatione, ut alias *consumere,* et sim. *Bœclerus.*

Aliquot hos sumam dies] Ad hilaritatem scil. Adelph. act. II. sc. 4. 'Ita quæso: quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.' Plaut. 'Hunc diem sumpsimus hilariter.' Hinc *sumptus,* Adelph. act. III. sc. 4. pro expensis in convivia et compotationes. 'Dedit præterea in sumptum dimidium minæ.' *Mer. Casaubonus.*

6 *Quo pacto satietatem amoris ait se velle sumere*] Antiquissimi libri, et multi alii ex recentibus, *absumere* habent. *Faërnus.*

7 *Vicissim partes tuas acturus est*] Secundum illud quod dictum est, 'Tradunt operas mutuas.' *Donatus.*

Quas] Inserta hic interrogatio obscuram facit orationem; videtur enim Phormio roganti Antiphoni, quas? (meas partes: scil.) respondere; nec tamen respondet. Non enim *fugites,* sed *fugitet* dicit. nec eæ partes Antiphonis. Non igitur Antiphoni τὸ *quas* interserenti respondet hic Phormio, sed (ut alias sæpe in his fabulis) continua oratione, *vicissim* inquit. *p. t. acturus est Ph. ut fugitet patrem, &c.* Alio tempore tuas p. aget Phæ. Nunc vicissim has suas tibi commendat, ut fugiat patr. et causam absentis suscipias. Nisi sit illud *quas* ita supplendum; ut, cum ex verbis Phormionis, *vicissim, &c.* aliquid se rogandum intelligeret, promptam voluntatem testaturus, Phormionem prævenire voluerit: q. d. quas vero partes Phædriæ mihi narras et commendas? atque ita apposita fuerit Phorm. responsio. Cæterum Plantin. ed. non ut hic, sed, *Tu suas rog. rursum ut ageres: causam ut pro se diceres.* Ita et aliæ pleræque, nisi quod illæ *Te suam.* non, *Tu suam.* Ego Plantinianam libenter sequar, et veriorem puto. *Mer. Casaubonus.*

8 *Te suam rogavit rursum ut ageres*] *Partem* iterum subaudiamus. et est ζεῦγμα a superiore. *Donatus.*

Te suas rogavit rursum ut ageres, &c.] Hæc vera lectio est. altera illa, *te suam rogavit rursum ut ageres causam, ut pro se diceres,* vitiosa est. *Faber.*

Te suum rogavit rursum ut ageres causam] *Causam* omnes Mss. nostri habent. Donatus non legit hanc vocem, sed subaudit, *partem.* Bœcler.

9 *Senibus*] Ob fallaciam mire exultat. *Donatus.*

11 *Conficere*] *Conficere argentum,* quid proprie, vide act. I. sc. 1. Hic plane contraria notione, pro *dilapidare,* ut mox et fortasse ex ambiguitate captatus jocus. *Mer. Casaubon.*

12 *Ostium concrepuit*] Vide Adelph. act. II. sc. 3. *Idem.*

Abs te] Ostium domus tuæ: ubi tu habitas, ut Andr. act. III. sc. 1. 'Crepuit a Glycerio ostium.' *Idem.*

SCENA VI. Trochaici tetrametri catalectici sunt. vs. 2. meorum Mss. unus, *honorastis.* ut et Argentoratensis, sed secunda manu. prima enim erat, *honerastis,* i. e. onerastis. quod verum est. vs. 4. duo; *exonero.* τὸ *hunc* unus omittit; Argent. habet *hoc.* vs. 8. duo; *non;* Argent. *nunc.* vs. 9. duo, ut ed. Phormioni tribuunt τὸ *pergit hercle.* Argent. Getæ. vs. 10. *curialis vernula est qui me vocat* ab omnibus absunt. vs. 14. omnes; *hominum homo honoratissime.* vs. 18. omnes: *et q. f.* vs. 23. omnes; *occurrit.* et vs. 24. *pone me appr.* vs. 25. duo; *ad eam.* vs. 41. Argent. *ait uterque tibi pol. ejus dare habendæ.* unus; *a. v. t. p. e. h. dare.* alter, ut ed. vs. 43. duo; *hem, quin ergo rape me.* vs. 44. unus; *et gaudeo.* vs. 50. duo; *hoc qui agam.* vs. 52. omnes; *in angip. hoc.* Sed Pris-

cianus lib. VI. leg. *hunc*. Bœclerus.

1 *O Fors Fortuna*] *Fortuna* dicta est incerta res: *Fors fortuna* eventus fortunæ bonus. *Donatus.*

Fors fortuna] Aliud *fortuna* est, aliud *Fors fortuna*. nam *Fors fortuna*, est cujus diem festum colunt, qui sine arte aliqua vivunt. hujus ædes trans Tiberim est. *Idem.*

Onerastis diem] Plaut. 'Ita hic me amœnitate amœna amœnus oneravit dies.' *Mer. Casaubonus.*

4 *Sed ego nunc mihi cesso*] Plaut. 'Sed ego cesso hunc Ægionem onerare lætitia senem?' *Idem.*

Hunc onero pallio] Recte: quia palliata fabula est, non togata. *Donatus.*

6 *Quid hic narret*] Idem liber, *hic quid hic narret*: nos *hic quid narret*, versui congruenter. *Faërnus.*

8 *Num mirum aut novum est, revocari*] I. e. an non mirum aut novum est? cum affectu. *Bœclerus.*

Num mirum, aut novum est revocari, cursum cum institueris] Tanti non est, ut illum morer, qui me revocat, quisquis est, cum nihil usitatius, quam ut festinans in via revocetur. *Mer. Casaubonus.*

Heus, Geta. G. *Hem tibi*] Idem verbum repeti debuit. lege, *Heus, Geta.* G. *heus tibi.* Gall. *Hé Geta. Hé toi-même.* Faber.

9 *Pergit hercle*] Potest distingui hic, *pergit*: et conjuncte legi, 'Hercle tu nunquam odio tuo me vinces.' *Donatus.*

Odio] Importunitate tua. *Mer. Casaubonus.*

10 *Vapulabis*] Alii, *vapula*. i. e. οἴμωζε, κλαίειν μακρὰν σε κελεύω. *Idem.*

Curialis vernula est, qui me vocat] Ex codice Veneto Muretus recepit hæc verba; quæ Fr. Fabricius erudite explicat. Goveanus retinet: tum editio Bergii: editio Veneta cum notis var. et al. Non reprehendendos puto tamen, qui malunt omittere. *Bœclerus.*

Curialis vernula est] Publicus curiæ servus, qui tam imperiosus est. *Mer. Casaubonus.*

Id tibi quidem jam fiat] Id quod sibi dici audivit, minitatur. Et est conveniens error festinanti. *Donatus.*

Id tibi quidem jam fiet] Quod verbis aliis minitaris, tibi serio fiat; *vapulabis*. Mer. Casaubonus.

Nisi resistis] Stas, manes. *Idem.*

11 *Minitat*] Al. *minitatur*: quod usitatius. *Mer. Casaubonus.*

13 *Qui vivant hominum homo honoratissime*] Liber Bembinus, *qui vivōt homo hominū ornatissime*, ad rationem versus accommodate. *Faërnus.*

14 *Sine controversia*] Sine ambiguitate. *Donatus.*

A diis solus diligere] Cui tanta fœlicitas contigerit. *Mer. Casaubonus.*

16 *Si te delibutum gaudio reddo*] Ad animum transtulit, quod est corporis. Nam *delibutus* unctus dicitur. *Donat.*

19 *Ut modo argentum*] Vide narrationem cœptam unde opus est. *Idem.*

20 *Mittit herus me ad uxorem tuam*] Conversus ad Antiphonem hoc dicit. *Idem.*

22 *Gynæceum*] Quod aliter etiam γυναικωνῖτις, dicebatur: de quo, purissimæ Latinit. auctor, Corn. Nepos, (qui vulgo, Æmilius Probus) sic scribit: 'Quem Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? aut cujus materfamilias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur? quod multa fit aliter in Græcia, nam neque in convivium adhibetur, nisi propinquorum; neque sedet, nisi in interiore parte ædium, quæ Gynæconitis appellatur: quo nemo accedit, nisi propinqua cognatione conjunctus.' *Mer. Casaubonus.*

28 *Animum compressi*] Spiritum continui, ut melius audirem. *Idem.*

29 *Euge Geta*] Liber Bembinus, et Victorianus, *eu Geta.* Basilicanus, *heu Geta.* Faërnus.

Pulcherrimum facinus audivi] Hujusmodi locos poëtæ actoribus indulgent: quod in his actoris est commendatio. *Donatus.*

Pulcerrimum facinus audivi] Rem verbis ornat, ex gaudii vehementia. *M. Casaubonus.*

30 *Pene exclamavi gaudio*] Tale quid Xenophanto accidisse memorat Aristoteles. ubi ait, Οἱ κατέχειν πειρώμενοι τὸν γέλωτα ἀθρόον ἐκκαγχάζουσι, risum temere compressum, in effusiorem risum, sive cachinnum, interdum erumpere. *Idem.*

31 *Atqui mirificissimum*] Vide Priscianum, qui hunc locum laudat lib. III. *Bœclerus.*

32 *Patruus tuus est pater inventus Phanio uxori tuæ*] Ut Sallustius in primo: 'Liberis ejus avunculus erat.' *Donatus.*

34 *Somnium. utin' hæc ignoraret suum patrem*] Inducuntur hæ contradictiones, et moræ, proposito et figura rem confirmandi. *Bœclerus.*

37 *Egerint*] Dixerint, locuti sint. *Mer. Casaubonus.*

37 *Atque hercle ego quoque illam inaudivi fabulam*] Plautus in Milite Glorioso, 'Nam hoc cognomentum poëtæ esse inaudivi barbaro.' *Donatus.*

Illam audivi fabulam] Audivi qui ita fabularentur, sive narrarent. V. supra act. IV. sc. 3. *Mer. Casaubonus.*

41 *Denique ego sum missus*] Idem liber, *ego missus sum.* Idem.

Quin, ergo, rape me] Sic distinxi, deleto puncto interrogationis post *ergo*. Nota autem herum in humeros servuli sublatum, et ita illud *rape* verti Gallice debet. *Faber.*

43 *Bene factum et gaudeo*] Τὸ *gaudeo* ad sequentia pertinere puto, cum, quod præcessit *bene factum*, (vide supra, act. V. sc. 1.) sufficiat: atque ita tollenda erit interrogationis nota. *Mer. Casaubonus.*

46 *Curam adimere argentariam*] Varie, pro, adimendi occasio est. *Donatus.*

47 *Ne cuiquam suorum æqualium supplex siet*] Non necesse erit illi mutuari ab amicis et æqualibus. supra, act. III. sc. 3. 'quod si hic pote fuisset nunc exorarier Triduum hoc, promissum fuerat.' *Mer. Casaubonus.*

Nam idem hoc argentum ita, ut datum est ingratiis His datum erit] Revocanda est vera lectio ex Ms. P. Bembi, scribendumque, *ei datum erit.* Illud autem *ei* significat *Antiphoni.* Faber.

48 *Ut datum est ingratiis*] A senibus sine justa (nam de uxore ducenda res erat fictitia; et illa nunc agnita, nullus color superest) causa per fraudem extortum. *Idem.*

49 *Ei datum erit*] Sub. Phædriæ. hoc sensu: nam hoc argentum, ita ut datum est (quicquid est hoc argenti quo emunxi senes) ingratiis ei datum erit, i. e. id vel invitis his senibus habebit; neque de reddendo cogitare opus habebit. In Mss. nostris est *his*, quod et multæ editiones præferunt: *his datum erit.* quod eodem sensu acceperim: *hoc argentum ita ut datum est, ingratiis his datum erit.* i. e. ab invitis datum erit; velint, nolint, datum erit, non revocabitur. Est qui ita explicat et distinguit: *Nam idem hoc argentum ita ut datum est ingratiis, His datum erit.* i. e. *argentum ita ut datum est ingratiis*, seu a senibus sine justa causa per fraudem extortum, *his datum erit*, sc. in usum horum (adolesc.) cedet. Sed hoc durum est; nec Latine doctis approbari potest. *Bœclerus.*

His datum erit] In usum horum cedet. *Mer. Casaubonus.*

Qui cogam] Heaut. act. I. sc. 1. 'quasi talenta ad quindecim coëgi.' *Idem.*

53 *Quo me assimularam ire ad mercatum, non eo*] Quærit nonnemo: quid opus fuit hæc dicere? Responderi debet: omnino opus fuisse. antea enim sc. præced. constituerat Phormio, absentiam simulare, obtentu mercatus, tempusque perpotando trahere; nunc oblata nova occasione aliquam ad senes fabricam fingendi,

proditurum in publ. se ait, neque itineris prætextu usurum. *Bœclerus.*

Ire ad mercatum] Act. v. sc. 5. 'Ego me ire senibus Sunium Dicam ad mercatum.' *Mer. Casaubonus.*

Non eo] Non iturum me, mutata sententia, dicam. *Idem.*

SCENA VII. Senarii. vss. 5. et 6. Mss. duo: *P. Demiphonem, si domi est, visam.* D. *at nos ad te ibamus.* omissa voce, *Phormio.* quæ nec in tertio comparet: ubi cetera leguntur, sicut ed. vs. 10. duo: *quanta hæc mea paup. est.* vs. 13. duo: *denuntiatum.* vs. 22. duo: *satin superbe illud.* vs. 23. omnes: *quia ne alteram quidem illam p. d.* vs. 33. omnes: *dos hic omnis maneat.* vs. 36. duo addunt: *tandem.* vs. 54. omnes omittunt *te.* vs. 57. duo ut edidimus. unus: *nolo, volo, nolo rursum.* vs. 58. duo: *quod dictum est, indictum est: quod modo erat ratum; id irrit. est.* vs. 77. omnes addunt, *tandem.* varia verborum collocatione. vs. 89. omnes omittunt τὸ *ego.* Bœclerus.

3 *Quantum potest*] Supra, act. IV. sc. 3. *Mer. Casaubonus.*

4 *Priusquam dilapidet*] Disperdat. *Donatus.*

Priusquam dilapidet] Liber Bembinus, *dilapidat.* Faërnus.

Priusquam dilapidat] Sup. act. v. sc. 5. *Mer. Casaubonus.*

6 *Visam, ut, quod*] 'Αποσιώπησις secunda. *Donatus.*

9 *Ne non id facerem quod recepissem semel*] Et deest, *ad me.* ut in Heautontim. 'Ad me recipio: faciet.' *Idem.*

11 *Adhuc curavi*] Τῷ ἀρχαϊσμῷ addidit *adhuc:* quum potuisset sine hoc integer sensus esse. *Idem.*

Ut mi esset fides] Cic. 'Haud magna in re, sed fidei plenus.' *Mer. Casaubonus.*

12 *Estne ita ut dixi liberalis*] Muretus: *ut dixit,* i. e. modo. in verbis præcedentibus. sin retinemus, *dixi;* Demipho Chremeti denarraverit ante; Phormionem esse hominem astutum, confidentem; et qui, si vultum aspiceres, quantivis pretii videretur, qui ore imaginem honesti exprimere doctus esset, et liberalis hominis. Utrobique, εἰρωνικῶς. *Bœclerus.*

Estne ea ita, ut dixi, liberalis] Phanium scil. And. act. III. sc. 1. 'forma præter cæteras honesta et liberali.' et ita passim. Hæc autem inter senes, dum in via, submissiore voce. *Mer. Casaubonus.*

15 *Nam omnes posthabui mihi res*] Plautus Sticho II. 2. 37. 'Imo res omnes relictas habui, præ quod tu velis.' *Bœclerus.*

20 *Nunc viduam extrudi, turpe est*] Ut apud Plautum sæpe, de muliere, quæ 'exacta est matrimonio,' ut in Mercatore loquitur, ubi Syra anus, 'Ecastor faxim, si itidem plectantur viri, ut illæ exiguntur, quæ in se culpam commerent, Plures viri sint vidui, quam nunc mulieres.' *Mer. Casaubonus.*

21 *Quæ tute dudum coram me incusaveras*] Nova locutio *Coram me incusaveras:* non *Quæ hic incusaveras.* Donatus.

Coram me incusaveras] Belle: ut si quid neget, contra se ipsum sentire videatur. *Idem.*

Coram me incusaveras] Objeceras. *Mer. Casaubonus.*

22 *Satin' superbe illuditis me*] Et dativum at accusativum casum regit *illudo.* Donatus.

24 *Nam quo ore redibo*] O. fere l. s. *nam quo redibo ore.* Faërnus.

Nam quo redibo ore ad eam quam contemserim] 'Ως συνετραγῳδεῖτο τῇ δόξῃ τοῦ πάθους; ut magistri Græcorum dicerent. *Bœclerus.*

26 *Inque*] Submissa voce Chremes hoc illi suggerit, quod ille mox eloquitur. *Mer. Casaubonus.*

28. 29 *Illud mihi argentum rursum jube rescribi*] Vide Weitzio congesta. *Bœclerus.*

29 *Jube rursum rescribi, Phormio*]

Rescribi, reddi, seu per mensæ scripturam dari. *Donatus.*

Jube rescribi] Quoniam ad numerationem pecuniæ antecedit scriptura, *rescribere* dicebant, pro renumerare. Et sic infert, 'Ne ego perscripsi porro illis quibus debui.' Hæc est ergo figura, in qua secunda de primis significantiam sumunt. *Idem.*

Jube rescribi] Per scripturam, id est, de mensæ scriptura dari. unde hodie additur chirographis, 'Domo ex arca sua,' vel 'ex mensæ scriptura.' *Idem.*

Argentum jube rursum] O. l. s. *argentum rursum jube.* Faërnus.

Rursum rescribi] Reddi, renumerari: quia negotia pecuniaria ut plurimum veteres apud mensarios per scripturam transigebant: unde etiam additur chirographis, (ut hic Don.) 'Domo ex arca sua:' vel, 'ex mensæ scriptura.' Hinc etiam *scribere,* pro, solvere: vel tradere. *Mer. Casaubonus.*

30 *Ne ego perscripsi*] Multis per scripturam reddidi, multis dedi, ut apud Virgilium, 'Diditur hic subito Trojana per agmina rumor.' *Donatus.*

Discripsi] Ita videtur legisse Donatus. qui super hoc loco ita dicit, 'Multis per scripturam reddidi, multis dedi: ut apud Virgilium: 'Diditur hic subito Trojana per agmina murmur.'' quod exemplum ex Virgilio ad *discripsi* optime facit; ad *perscripsi* nullo modo. *Faërnus.*

35 *Vestri honoris causa*] I. e. Vestro honori consulens, vel, pro eo quo vos prosequor honore: vestri reverentia. *Mer. Casaubonus.*

36 *Quæ tantundem dotis dabat*] Meliore numero habent o. l. s. *quæ dotis tantundem dabat.* Faërnus.

37 *Cum istac magnificentia*] Quia dixerat, 'vestri honoris causa:' qui magnificus prætextus. *Mer. Casaubonus.*

38 *Fugitive*] Furcifer. *Idem.*

39 *Aut tua facta*] Omnia enim jam, agnita Phanio, senibus innotuerant. *Idem.*

Irritor] Laudat Nonius Marcellus, cap. 1. *Bœclerus.*

42 *Quin tu mihi argentum cedo*] Hoc ab utroque cum clamore dici accipiendum est. *Donatus.*

43 *In jus ambula*] Ad judicem eamus scilicet. nam *jus,* pro loco est. Cicero, 'Quandoquidem te in jure conspicio.' *Idem.*

44 *Enimvero si porro odiosi esse pergitis*] Vultu juvandum est, et pronuntiatione, hoc, quod tam minaciter suspenditur. *Idem.*

Enimvero] *Enimvero,* principium est aliquid per iracundiam dicturi; ut, 'Hic tum alius ex alia parte enimvero hoc feret,' &c. *Idem.*

45 *Indotatis*] Hoc est, ut Phanio. *Idem.*

47 *Etiam dotatis soleo*] Ut Nausistratæ. *Idem.*

Dotatis] Qualis Nausistrata, Chremetis uxor. *Mer. Casaubonus.*

47. 48 *Nihil. hic quandam noram*] Κωμικῇ μιμήσει, non sine suavitate et lepore, ad ἀνταναγωγὴν transit. *Bœclerus.*

49 *Nullus sum*] Perii, mortuus sum. *Donatus.*

50 *Educit*] Ita alibi, non semel, pro *educat.* Mer. Casaubonus.

Sepultus sum] Αὔξησις. nam plus est, quam *Nullus sum.* Donatus.

Sepultu' sum] Multi conclamatæ spei ad vitam revocati sunt: sed sepultis nulla spes reliqua. *Mer. Casaubonus.*

52 *Ludos facit*] Ludit, irridet. subaudi, nos. ut apud Plaut. 'Exploratorem hunc faciamus ludos supposititium, Donicum adeo ipsus sese ludos fieri senserit:' alibique quanquam etiam *nobis* possimus: ut idem Plaut. 'Nec pol ego Nemeæ credo, neque ego Olympiæ, Nec usquam ludos tam festivos fieri, Quam hic intus fiunt ludi ludificabiles, Seni nostro, et nos-

tro Ol. villico.' et Ter. And. act. III. sc. 1. 'quos mihi ludos redderet?' *Idem.*

53 *Quid vis tibi? argentum quod habes? condonamus te*] *Vis* iterum subaudiendum est; ut sit, *Vis argentum quod habes?* et est ἀσυνδέτως inferendum *Condonamus te.* Sic est illud apud Virgilium, 'Vultis et his mecum pariter considere regnis? Urbem quam statuo, vestra est.' *Donat.*

54 *Condonamus te*] *Condono* ablativo junxit: ut in Eunucho, 'Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur.' *Id.*

55 *Malum, ergo me sic, &c.*] *Malum* adverbium est interpositæ indignationis. *Idem.*

57 *Nolo, volo: volo, nolo rursum*] Primo singula separatim: deinde simul utraque pronuntianda sunt. *Id.*

Nolo, volo, volo nolo rursum] Inter eruditissimas Donati notas est, quæ hic adscribitur: 'primo singula,' &c. nihil potuit magis dici aptum ad evolvendam vim διανοίας μιμητικῆς. *Bœclerus.*

58 *Quod dictum, indictum est: quod modo erat ratum, irritum est*] Plaut. Aulul. 'At scio quo vos pacto soleatis perplexarier: Pactum, non pactum est, non pactum, pactum est, quod vobis lubet.' *Mer. Casaubonus.*

61 *Injeci scrupulum*] Adel. act. II. sc. 2. 'Injeci scrupulum homini.' Vide And. act. v. sc. 4. *Idem.*

62 *Hoc tantum argenti*] Ut apud Cic. 'Hoc tantum domestici mali.' *Idem.*

64 *Animo virili*] A necessario adhortatur. *Donatus.*

68 *Placabilius*] Ad placandam uxorem utilius, conducibilius. *Mer. Casaubonus.*

69 *Impuratum*] Impurum. *Idem.*

Nostro modo ulcisci] Ingenio scilicet. *Donatus.*

Nostro modo] Nostro arbitrio. *Idem.*

70 *Hæreo*] Ægre postea expediam. *Mer. Casaubonus.*

71 *Hi gladiatorio animo*] Parato ad periculum. hoc est, ita perdito ac temerario, ut non sibi caveant, dummodo vulnerent. ut Sallustius, 'Avidius alter alterum sauciare, quam semet tegere.' *Donatus.*

Gladiatorio animo] Infesto, pernicioso, sanguinolento: sumpta a gladiatoribus metaphora, quibus aut occidere aut occidi dicta lex est. Longe alia mente Philosophi veteres æquanimitatem et patientiam erga adversarios athletarum nobis commendant exemplo, quos quamvis infestis armis, non tamen et animis congredi testantur. Videatur Anton. Imper. de seipso, et quæ nos ibi. *Mer. Casaubonus.*

Ad me affectant viam] *Affectant viam*, plenum: quod nos ἐλλειπτικῶς. *Donatus.*

Affectant viam] Recta tendunt. Plaut. 'Scio quam rem agat, ut me deponat vino, eam affectat viam.' Virgil. 'Viamque affectat Olympo.' *Mer. Casaubonus.*

72 *Ut placari possit*] *Ut* pro *ne non.* Donatus.

74 *Quum de medio excessit*] Pro quia. *Idem.*

De medio excessit] Et ad dictum, et ad rationem dicti, comicum est. *Idem.*

E medio excessit] Obiit. *M. Casaub.*

75 *Astute aggredimini*] Εἰρωνεία. Et proprie *adgredi*, accedere ad dimicandum est. Bene ergo servavit translationem a gladiatoribus cœptam. *Donatus.*

77 *Ain' tu? ubi peregre*] Modo ad Chremetem cum invectione conversus est. *Idem.*

Peregre] Peregrinans in Lemno. *M. Casaubonus.*

78 *Veritus*] Verens, reverens fueris. nisi cum Palmerio, *Neque hujus sis veritus* (i. e. nihil veritus sis, flocciferis) *Quin fœm. primariæ cont. faceres.* ut τὸ ei redundet: ut alibi sæpe. *Idem.*

80 *Lautum peccatum tuum*] Ut laves, ut maculam. *Donatus.*

82 *Lachrumis si extillaveris*] *Stillare*, est guttas emittere ex corpore. *Extillare*, ipsum corpus guttatim finiri. Ergo quasi totum in lachrymas converti, et ex toto stillare corpore. *Idem.*

83 *Malum, quod isti dii, deæque omnes duint*] *Malum*, in magna ira aut indignatione usitatissima interjectio. ut supra, IV. 5. 'Quid tua, malum, id refert?' Hanc igitur vocem (quæ vox alioquin infausta est) cum justa Demiphoni hic expressisset indignatio; omnis diritatem (ita enim illi de talibus verbis judicabant) statim a se deprecatur, et Phormioni imprecatur dum addit, *quod isti, &c.* vide supra, act. III. sc. 2. 'ne quid suo suat capiti.' et Hec. act. III. sc. 1. *Mer. Casaubonus.*

84 *Hominem quemquam esse audacia*] O. l. s. sic verba ordinant, *quemquam esse hominem audacia?* Faërnus.

85 *Publicitus*] Id est, publica cura atque consilio. *Donatus.*

Publicitus] Publica cura atque consilio, ut quod intersit publici ex hominum conspectu longissime submoveri. *Mer. Casaubonus.*

86 *In solas terras*] Virgilius, 'Pastorum et solis exegit montibus ævum.' Et Sallustius in primo, 'Solis viis.' *Donatus.*

87 *Nesciam prorsus*] Liber Bembinus, *prorsum*, apposite ad rationem versus. *Faërnus.*

88 *In jus eamus*] Ad prætoris sellam, modo enim locum significat. *Donatus.*

In jus! huc, si quid lubet] Apparet parasitum niti ad domum Chremetis, senes vero ad forum conari attrahere. *Idem.*

In jus eamus. Ph. *in jus! huc, si quid lubet*] Apposite cogitavit Donatus, quando existimat, parasitum niti ad domum Chremetis: senes vero ad forum conari attrahere. quod sequentia docent. itaque antea parasitus, ex ambiguo huc alluserit vs. 44. *Bœclerus.*

90 *Etenim solus nequeo*] *Etenim*, pro *at* posuit: ut turbatum ostenderet. Sic alibi, 'Etenim non sinam.' *Donatus.*

Una injuria est] Id est, actio injuriarum ex lege. *Idem.*

91 *Lege agito ergo*] *Lege agito* dicebatur ei, cujus intentio contemtibilis adversario videbatur: Plautus in Aulularia, 'Lege agito mecum, molestus ne sis, et cœnam coque.' *Idem.*

Altera] Quam fecisti dotatæ uxori. *Idem.*

95 *Pugnos in ventrem ingere*] Urbane *in ventrem*, quasi parasito. An *ventrem*, totum parasitum dicit? ut Lucilius in secundo: 'Vivito, lurcones, comedones; vivite, ventres.' An simpliciter? quia qui resistit, ne sequatur trahentem, collo obtorto repandum se facit, et ventrem projicit. quum autem in ventrem feritur, curvatur et sequitur. *Idem.*

Ventrem] Ventriculum, (qui vulgo stomachus) ut eo crebris ictibus percusso vox et vires Phormioni ad tempus deficerent, vel, *venter*, i. e. ventris mancipium: helluo, gurges. ut ad Tit. I. in Epimenidis versu, a Sancto Paulo citato, Cretenses appellantur γαστέρες ἀργαὶ, 'ventres otiosi.' *Mer. Casaubonus.*

96 *Exclude*] Alii, *exculpe.* Mer. Casaubonus.

Scena viii. Senarii. vs. 2. duo ex Mss. nostris, *hem.* vs. 6. duo; *quid ergo est q. i. n.* vs. 29. omnes; *neque post illam v. a.* vs. 41. unus; *habet hæc uxor ei quod dum vivat usque in aurem obganniat.* alter; *habet hæc ei quod dum vivat aurem obganniat.* Argent. *habet hæc ei quod dum vivat aure obganniat.* vs. 42. et 43. unus; *quid nunc ego mea commemorem Demipho sigillatim, qualis in hunc fuerim.* alter; *quid ego commemorem tibi Demipho sigillatim, q. in h. f.* Argent. *quid ego nunc comm. tibi sig. qualis ego in hunc fue-*

rim. vs. 44. omnes; *meriton' vid. meo h. f.* vs. 48. duo; *respondeas.* vs. 53. omnes; *nihil pudet te.* vs. 54. Arg. ut ed. Meorum unus; *fiet ut voles.* alter; ut ed. sed in margin. *Cr. fiat ut voles.* vs. 65. Argent. *eamus intro hinc*, Demiphoni tribuit; meorum unus Nausistratæ, alter Phormioni. τὸ *fiat* Argent. Chremeti, ut ed. ut et meorum unus; alter Nausistratæ. *Bœclerus.*

1 *Quis nominat me*] *Hic velut controversia est: in qua reus fit maritus malæ tractationis. et est status qualitatis venialis.* Donatus.

4 *Ubi sit, nescit*] Præ terrore scil. et consternatione mentis. Plaut. 'Equidem quo eam, aut ubi sim, aut qui sim, Nequeo cum animo certum investigare.' At sensu philosophico, de plerisque id non minus vere dicas hominibus, ut egregie docet sapientissimus Imperator, de se ipso. *Mer. Casaubonus.*

5 *Si non totus friget*] Nonius laudat hunc versum II. 325. *Bœclerus.*

7 *Pergin' credere*] Jam antea dixerat, 'cave isti quidquam creduas:' (i. credas:) hic iterum alieno loco ingerit; et expostulat cum uxore, quasi jam pronuntiata sententia, quæ tamen nihil adhuc audiverat. plane ut illi, qui, metu mortis imminentis, mortem sibi consciscunt. Meticulosum hominem, sed et vim conscientiæ ista pulcre exhibent. *M. Casaubonus.*

8 *Delirat miser timore*] Graviter utrumque: *delirat*, et *timore.* nam deliratio senectuti convenit, timor conscientiæ. *Donatus.*

9 *Temere*] Sine causa. *M. Casaub.*

12 *Ohe tu factum est abs te sed*] Q. d. desine tu tandem: satis jam fratris causam egisti. *Bœclerus.*

Factum est abs te sedulo Pro fratre] Bene de fratre tuo meruisti, me irritando. *Mer. Casaubonus.*

16 *Mi homo, di melius duint*] Quærit Probus, an matrona tam familiariter *mi homo* recte dicat alieno: sed frustra. nam fœminarum oratio, etsi non blanditur, blanda est. *Donatus.*

18 *Quid agimus*] Facete dictum. *Idem.*

Quid agimus] Metu stupentis verba hæc, et de fuga cogitantis. *Mer. Casaubonus.*

19 *Pro di immortales facinus indignum et malum*] O. l. s. præter Victorianum, et Vaticanum, et Basilicanum, ita habent: *facinus miserandum et malum. miserandum* autem, quoad Nausistratam, in quam ex hoc miseria redundabat: *malum*, quoad Chremetem, qui id amiserat. *Faërnus.*

21 *Qui mihi*] Eleganter insertum *mihi.* ut in Heautont. 'Is mihi, ubi adbibit plus paulo, sua quæ narrat facinora?' *Donatus.*

Qui mi] Oratio imperfecta, iratæ ac stomachanti conveniens. q. d. An quicquam hoc meo viro, aliisque similibus (vel, hoc hominum genere) indignius, qui, &c. Tὸ *mi* redundat; ut alibi sæpe: an elegantiæ causa, incertum est. *Mer. Casaubonus.*

Ad uxores ventum est, tum fiunt senes] Eleganter *fieri* dixit. Et generaliter invidiosius, quam si unum accusaret senem. *Donatus.*

Tum fiunt senes] Quanto honestius hoc extulit, quam Plautus, Asinaria v. 2. 21. &c. tum IV. 2. 3. et 4. *Bœclerus.*

Tum fiunt senes] Plaut. 'Ain tu, apud amicum munus adolescentuli fungare? uxori excuses te, et dices senem?' *M. Casaubonus.*

23 *Hæccine*] Si hæc vera lectio, tum fuerit enallage generis neutrius, pro fœminino, sed magis probem, quod in Plantin. aliisque reperitur, *hæcine.* Idem.

24 *Quæ nostros fructus minuebat vilitas*] Supra, act. v. sc. 3. 'Nam ex his prædiis,' et quæ ibi sequuntur. *Idem.*

25 *Ego, Nausistrata*] Qualitas venialis a concessione. *Donatus.*

Culpam meritam non nego] Subaudiendum est, Chremetem culpam meritum. quo modo et supra dictum est, 'arbitrabitur commeruisse culpam.' item Plauto in Captivis: 'Neque te commeruisse culpam.' *Faërnus.*

26 *Sed ea quin sit ignoscenda*] Quis, qui sit paulo æquior, dubitet scil. vel tale quid. Al. ed. *Sed eam quæ sit ignoscenda:* in eandem sententiam. *Mer. Casaubonus.*

Verba fiunt mortuo] Non est passus parasitus, ut totam sententiam senex explicaret. *Donatus.*

Verba fiunt mortuo] Frustra hæc verborum (quibus iratam Nausist. placare studebat Demipho) opera Chremeti impenditur, qui jam pro mortuo habendus. *Mer. Casaubonus.*

27 *Nam neque negligentia tua, neque id odio fecit tuo*] Locus in hac causa principalis est, ἀπὸ τῆς συγγνώμης καὶ εὐνοίας. et ideo in duo divisit, nec negligentia circa te, nec odio inquit factum. Præterea et περιστάσεως addidit defensionem, 'Vinolentus, fere abhinc annos quindecim, mulierculam,' &c. ab ætate ejus, a tempore criminis; a diminutione; contemptuque pellicis, ab eventu, ab animo facientis; quod mortua est; postremo et a precibus. Et epilogum ἀπὸ τῆς εὐνοίας τῆς ἐκβάσεως fecit, admonens illam oratorie mansuetudinis suæ. *Donatus.*

Nam neque neglig.] Non vult ἀδίκημα, sed ἁμάρτημα hoc videri. vide Aristot. in Rhet. *Bœclerus.*

Neque odio id fecit tuo] *Odio tuo* pro, *odio tui:* Græcorum imitatione. ita et *negligentia tua* capiendum. *Mer. Casaubonus.*

28 *Vinolentus*] Ab imprudentia defensio. *Donatus.*

Abhinc annos quindecim] A tempore defensi. *Idem.*

29 *Eam compressit*] Bene dixit *compressit:* quod interdum est non amoris, sed injuriæ. *Idem.*

Neque post illa unquam attigit] Ita facti pœnituit. Hic locus ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως est, id est, ab eo quod futurum sit; facilius enim ignoscitur non ultra peccaturis. *Idem.*

30 *Ea mortem obiit: e medio abiit*] Bis idem dicit, et merito hic immoratur, ubi præcipuum causæ præsidium, 'Ego redigam res in gratiam, hoc fretus Chreme,' &c. *Mer. Casaub.*

32 *Cupio misera in hac re jam defungier*] Egregie hic exprimuntur, 'quæ in tali re muliebris dolor, quo est mœstior imbecillo animo, eo miserabilia magis querentibus subjicit,' ut hoc verbis Livii efferam. Estque tota hæc scena eruditissima; ut mirer, qui expunctam voluerit Vir Magnus, cui scire licuit, non potuisse talia nisi a Terentio scribi. *Bœclerus.*

Defungier] *Defungi*, desinere. *Donatus.*

33 *Ætate porro minus peccaturum putem*] Quia dixit, 'Abhinc annos quindecim.' *Donatus.*

34 *Senectus si verecundos facit*] Modeste et graviter. *Idem.*

36 *Quid mihi nunc adfers*] Callidius usa est ad ultimum πύσματι, converso ad ipsum defensorem mariti. de qua vi contradictionis exultat parasitus, tanquam confecto mortuoque adversario suo. *Idem.*

37 *Exequias Chremeti*] Bono ordine, primo, *Delirat miser timore.* post, *verba fiunt mortuo.* ad ultimum, *Exequias Chremeti.* delirat, moritur, effertur. *Idem.*

Exequias Chremeti, quibus commodum ire, jam tempus est] Vetus in dicendi funeris formula. Chremeti, ut mortuo, insultat impudens parasitus. Ita et Plaut. in Asin. 'Ecquis currit pollinctorem accersere? Mortuus est Demænetus.' *Mer. Casaubonus.*

38 *Sic dabo*] Sic tractabo. Heaut. v. 2. 'Adeo exornatum dabo.' *Idem.*

Age nunc, age: Phormionem, qui volet, lacessito] Virgilius, 'Degeneremque Neoptolemum narrare memento.' *Donatus.*

39 *Faxo tali eum mactatum*] Pro eo quod est *eum* * sic frequenter vete-

res. Ennius, 'Omnes corde patrem præbent, animoque benigno Circumfusum.' *Idem.*

Faxo tali eum mactatum] Vide act. I. sc. 1. *Mer. Casaubonus.*

41 *Usque ad aurem obganniat*] Ad aurem obgan. usque. ut in istis, 'Naturam expellas furca licet, usque recurret.' *Idem.*

42 *At meo merito credo*] Ironice. *Idem.*

43 *Novi æque omnia tecum*] Plaut. 'Eloquere, ut quod ego nescio, id tecum sciam.' *Idem.*

46 *Ignosce. orat: confitetur: purgat*] Verba venialis status sunt, *Ignosce, confitetur.* Donatus.

53 *Nil pudere? quo ore illum objurgabis*] Juven. 'Unde tibi frontem libertatemque parentis, Cum facias pejora senex?' *Mer. Casaubonus.*

54 *Imo, ut meam jam scias sententiam*] Soleo legere, *sciat*, maritus meus, scilicet; quod rectum puto. *Faber.*

59 *Tu tuum nomen dic*] Bene *tu* pronomine utitur; quia non habet nomen. Nam potentiorum blandimentorum circa inferiores hoc fuit, ut nomina eorum quærerent, et quum audissent, ipsis nominibus eos compellarent statim. Tale est in Adelphis, 'Qui vocare? Geta. hominem maxumi pretii,' &c. *Donatus.*

60 *Vestræ familiæ hercle amicus*] Hoc propter Antiphonis amicitiam dixit. *Idem.*

Et tuo summus Phædriæ] *Amicus* iterum subaudiendum. *Idem.*

Tuo summus Phædriæ] Eun. act. II. sc. 2. 'Plurima salute Parmenonem suum impertit Gnatho.' *M. Casaubonus.*

64 *Et quod tuo viro oculi doleant*] Propter quod vir tuus ringatur? quod fit illi ἀλγηδὼν ὀφθαλμῶν, ut Græci vulgo. *Idem.*

Me ad cœnam voca] Facete ex persona parasitica beneficii optio facta est, quod promiserat mulier. *Donatus.*

65 *Sed ubi est Phædria judex noster*] Bene *judex*: ad illum enim mulieris delata sententia est, ut quum ita agitur, tuta sint marito omnia. Et per εἰρωνείαν ridicule dicitur ab ea quæ irata erat. *Idem.*

66 *Judex noster*] Nihil facetius, quam judicem capi adversus crimen voluptatis paternæ, et amatorem filium, et fratrem Antiphonem, cui nubet furtiva filia. *Idem.*

Judex noster] Terribilis scilicet censor paternarum deliciarum. Vides igitur hic omnino sublatam uxoris iracundiam. *Idem.*

FINIS NOTARUM VARIORUM.

RECENSUS EDITIONUM

TERENTII,

LONGE AUCTIOR WESTERHOVIANO,

ET NOVA RATIONE DESCRIPTUS.

[EX. ED. BIPONT. 1779—80.]

ÆTAS I. nutrix, an. 1469—1500. Archetyporum s. editionum principum, quæ hodie rarissimæ et pro Codicibus habentur. Terentium pleræque ex Codd. absque versuum distinctione exhibent; dein et ad metri rationes, quas primus Ang. Politianus curare aggressus est (teste Benedicto Philologo Flor. in præf. ad Petr. Crinitum recusa edit. Argent. 1516.) atque ab an. 1487. in edd. adnotatas reperimus.

Terentius poëta, cum Commentario Donati Grammatici. 4.

——— cum vett. variorum Commentt. Venet. fol.

——— per Jo. Hugonis de Gengenbach, sine dist. vers. fol.

Ælii Donati notæ ad Terent. sine textu. fol. ed. elegantissima.

1469 Editio princeps, in Bibl. Com. Sunderlandiæ. Westerhovius impressam anni notam dicit; Harius manu adjectam putat.

1470 Ed. Mediolan. I. cum Donato in Ter. per Ant. Zarotum, impendio Jo. Legnani. Mediol. fol. a nemine editorum adhuc collata.

1471 Veneta I. per Jo. de Colonia (ab Hario consulta).

1472 Romæ Donati Comm. sine textu: 'Conradus Sweynheim Arnoldus Pannarzque Magistri, impresserunt,' &c. lit. uncial. (inter cimelia Bibl. Archipal.)

1474 s. dist. versuum (Harius contulit).

— Tarvisina I. c. Donato et Calphurnio. Fol.

1475 Vicentina c. Don. et Calph. per Herm. Levilapidem, Coloniensem (alias H. Lichtenstein).

1476 Mediol. II. fol.

— Veneta II. c. Don. et Calph. per Jac. Rubrum. fol. Quamvis mendis scateat, insignia tamen veteris scripturæ vestigia habet, quæ Muretus in corrigendo secutus.

1477 Tarvisina II. c. Don. Calph. per Herm. Levilap. Col. fol.

— Tarvisina III. alia c. iisdem Comm. fol.

— Mediolan. III. per Domin. de Vespolate et Jac. de Martiano. Fol.

*1479 Veneta III. c. Donato, recogn. a Franc. Diana (I.), per Nic. Girardengum. Fol. Hanc sibi Crollius ex Bibl. Friburgensi comparavit.

1480 Veneta IV. ex castig. Angeli Sabini (I.), fol.

— Parmensis c. castigg. Pomponii Læti.

1481 Tarvisina IV. c. Don. interpr. per M. Paulum Ferari et recogn. per M. Aloysium Strazarolum. Fol. (a Westerh. collata).

— Neapolitana s. verss. ex castig. Ang. Sabini (II.), fol.

1482 Veneta V. c. Don. ex rec. Fr. Diana (II.), fol.

1483 Veneta VI. c. Don. per Andr. de Asula et Bartha de Alexandria socios. Fol.

— Mediolan. IV. Fol.

1485 Veneta VII. c. Don. per Simonem dictum Bevilaqua. Fol. (Bibl. Sam. Engelii.)

1486 Terentii Phædria Comœdia in ling. Germ. versa c. Comm. etiam Germ. miris ac facetis figuris exornata. In fine legitur: ‘Dise Comedia hat Hanns Nythart zu Ulm lassen truchen den Cunrad Dinchmut nach Christs Gepurt MCCCC. LXXXVI. Iar.’ Fol.

1487 Veneta VIII. distinctis versibus, c. Don. et Calph. ex rec. Fr. Diana (III.), per Andr. de Paltaschichis Catarensem. Fol.

1488 Veneta IX. c. Don. per Valerium Superchium, (cujus extat præf.) fol.

1489 Veneta X. c. Don. per Bern. de Choris et Simonem de Luero. Fol. (Bibl. Engel.)

1490 Veneta XI. distinctis versibus per M. Theodor. de Ragazonibus de Asula, fol. (Westerh. collata).

1491 Veneta XII. c. Don. et Calph. Fol.

1492 Veneta XIII. per Peregr. de Pasqualib. de Bononia. Fol.

1492 Parisiensis I. c. Comm. Guid. Juvenalis (I.), opera Georg. Wolff. Fol.

1493 Lugdun. I. s. verss. c. figg. et Guid. Juv. interprr. (II.) Fol.

— Veneta XIV. c. Don. Fol. (Bibl. Pal.)

1494 Veneta XV. s. verss. c. Comm. Don. Calph. et Guid. Juv. per Simonem Papiensem, dictum Bevilaqua, impensis Lazari de Isoardis de Savilla. Fol.

— Veneta XVI. c. Comm. Ital. 4.

*1496 Argentoratensis I. c. Directorio artis comicæ, vocab. sent. et glossa interlineari (Guid. Ascensii) et Comm. Don. Calph. Guid. Juven. et Io. Badii Ascensii, et figuris per Jo. Reinhard. cogn. Gruninger. Fol. Huic similis, vel etiam vetustior ed. c. figg. quam in præf. descripsimus, nobis ad manus est. Cf. Bibl. Uffenb. T. II. Incun. artis typogr. p. 61. n. CLXIX. Hambergerus titulum sic profert: ‘Terentius cum directorio vocabulorum, sententiarum, artis comicæ, glossa interlineari, commentariis, Donato, Guidone, Ascensio.’ in fin. ‘Impressum in imperiali ac libera urbe Argentina, per magistrum Joan. Grüninger, accuratissime nitidissimeque elaboratum, et denuo revisum atque collectum ex diversis commentariis, anno 1496. Kal. Nov.’ Fol.

1497 Veneta XVII. c. Comm. Don. Guid. Juv. et Calph. per Sim. dictum Bevil. Fol.

1499 Argentor. II. c. figg. ap. Jo. Gruning. fol. hæc est versio Germ. Cf. Uffenbach. Bibl. T. II. Inc. art. typogr. n. 199. p. 68. sq.

— Veneta XVIII. c. quatuor Comm. Donati, Guid. Calph. Ascensii. Fol.

Ætas I. exhibet 40. editiones, e quibus Venetæ, additis duabus incertis, sunt 20. Mediol. 4. Tarvis. 4.

ÆTAS II. pueritiæ 1500—1532. s. ectyporum, Commentatoribus fœcundior, a Criticis deserta. Illorum numerum auxere post Calph. Guid. Juvenalem, Iod. Badius Asc. Petrus Marsus, Petr. Malleolus, Ph. Melanchthon, criticæ ætatis lucifer. Ectypa vero edd. nobis sunt Ascensianæ, Juntinæ, Aldinæ, R. Stephani, et Gryphianæ.

1500 Parisina I. c. n. Iod. Badii Ascensii. Fol.

— c. comment. Donati et Calph. Venet. Fol.

1503 Paris. Ascensii II. 4.

1503 Argentoratensis III. c. P. Marsi et P. Malleoli annott. et marginariis exornatt. arte et industria honesti Joh. Priis Argentin. 4. Kal. Febr. in Bibl. Uffenbach. Inc. typogr. n. 224.

— Argentor. IV. c. Don. et Calph. Gruningeri III. c. iconibus ridicule in ligno descriptis.

1504 Paris. Ascensii III. 4.

— Veneta c. quinque Comm. Fol.

1505 Argentor. V. c. Don. Fol.

— Juntina I. Florent. 8. (an c. præf. Bened. Philol. Flor.?)

1506 Argentor. VI. c. Comm. P. Marsi et P. Malleoli. 4.

1508 Paris. Ascensii IV. c. Guid. Juv. familiari explanatione ab I. Badio Asc. recognitæ, impressæ quam diligentissime per Nic. de Pratis. Fol.

— Lipsiensis. 4.

— Veneta per Lazar. de Suardis.

1509 Juntina II. Florent. 8.

— Paris. 4.

1511 Paris. 4.

— Lugdun. c. expl. Guid. Juv. et I. Badii Asc. sine metro. 4.

1512 Veneta c. V. Comm. Don. Guid. Juv. Calph. Asc. et Servii. Fol.

1513 Mediolan. a Guid. Juven. familiariter expl. et ab Iod. Badio recogn. per Jo. Ang. Scinzenzeler. Fol. Bibl. Uffenb. T. II. hist. Inc. art. typ. n. 177. p. 63.

— Argentor. VII. c. Comm. Marsi et Mall. 4.

1515 Veneta per Laz. de Suardis.

1516 Tubingensis. 4.

— Argentor. VIII. c. præf. Bened. Philol. Flor. repetita ex ed. Italica.

1517 Aldina I. in ædibus Aldi et Andr. Asulani. Venet. 8.

1518 Veneta c. V. Comm. Don. Guid. Calph. Ascensii, et Servii. Venetiis, Jussu et impensis Georgii de Rusconibus.—Ed. rar. eleg. c. figg. fol.

1519 Argentor. IX. c. n. Marsi et Mall. 4.

— R. Stephani I. Paris. fol.

— Daventriensis Adelph. et Heaut. 4.

1520 Lugd. s. verss. c. Comm. Guid. Juv. ex rec. Badii. 4.

1521 Veneta c. Comm. Don. et al. ap. G. de Rusconibus. Fol.

— Basil. ed. L. Victor. Fausti ex off. Froben. 8.

1521 Aldina II. Venet. 8.

— Mogunt. per Schefferum. 8. Repetitio Aldinæ.

1522 Basil. ed. correctissima.

— R. Stephani II. Paris. Fol.

1523 Colon. apud Jo. Gymnicum. 8.

1526 Antverp. cura Ph. Melancht. 8.

1527 Lugdun. 4.

1528 Mogunt. a Ph. Melancht. restit. et scholiis illustratus. 4.

— Paris. ap. Petrum Vidovæum. 12.

1529 R. Stephani III. Paris. c. Don. et Calph. Fol.

— Lugdun. 8.

1530 Lovan. cura Andr. Barlandi. 4.

1531 Antverp. 8.

— R. Stephani IV. Paris. 8.

1532 Lugdun. Gryphii, c. schol. Melancht. 8.

— Paris. Rob. Steph. 12.

Incerti anni Pictaviensis, ex rec. Phil. Mel. Westerhovio usurpata. Et hæc ætas exhibet 47. edd.

ÆTAS III. adolescentiæ s. criticæ nascentis 1532-1565. Agmen Criticorum ducit Erasmus Roter. qui metrum denuo curavit. Eum secuti sunt Jo. Rivius, R. Stephanus, Ant. Goveanus (vir ingeniosus), Henr. Lor. Glareanus, Georg. et Franc. Frabricii, J. C. Scaliger, Jo. Fabrini, P. Antesignanus, et qui multa ausus, multum quoque Terentio profuit M. Ant. Muret. &c.

*1532 Basiliensis Frobeniana ex rec. Erasmi, c. schol. ex Don. Aspero et Cornuto. Fol. Editio hujus ætatis princeps.

— Paris. R. Steph. s. Comm. 12.

1533 Paris. R. Steph. s. Comm. 8.

———————— ex rec. Erasmi c. Donati argg. et versuum generibus.

1534 Paris. R. Steph. 16.

— Antverp. 8.

— Basil. ap. Froben. 8.

— Colon. c. n. Erasmi, Jo. Rivii, P. Bembi, P. Marsi, Ph. Melancht. Chr. Hegendorphini, P. Malleoli, et Barth. Latomi. 8.

1535 Tigurina Froschoveri c. schol. per Diethelm. Cellarium collectis.

— Lugd. c. n. Varr. 4.

— Paris. R. Stephani. 8.

1536 Antverp. e rec. Erasmi et Rivii. 8.
— Lugdun. Seb. Gryphii. 8.
— Paris. R. Steph. c. Comm. Don. Calph. Fol. Atque hæc est editio Erasmica II. cujus tit. vide ap. Hamberg.
— ibid. c. Comm. 4.
— ibid. s. Comm. 8.
1537 Colon. ap. Jo. Gymnicum c. schol. 8.
— Lugd. c. Comm. Don. et Guid. Juv. 4.
1538 Ed. Erasmicæ princ. (1532.) repet. Basil. Frob. Fol.
— Lugdun. Gryph. a Phil. Melancht. et Jo. Rivio ad exempl. vetusta rec. 8.
— R. Steph. Paris. Andria. 4.
— ibid. Eunuchus et Adelph. 4.
1539 ibid. Phorm. et Hecyra. 4.
— Paris. Colinæi. Heaut. Adelph. Hecyr.
1540 R. Stephani. Paris. 24.
— Lugdun. Gryph. post Ph. Melancht. et Des. Erasm. per J. Rivium recogn. 8.
1541 Aldina III. Venet. 8.
— R. Steph. Paris. c. Don. et Calph. 4.
— ibid. ap. eund. 8.
— ibid. ap. eund. 12.
— Ter. ab Ant. Goveano integritati suæ restitutus Lugd. ap. Gryph. 4.
1542 Lugdun. Gryph. 8.
— Paris. fol.
1543 Veneta...summa denuo vigilantia recognitæ et judicio Henr. Loritii Glareani illustratæ, ap. Mich. Sessam. 8.
1544 Lugdun. Seb. Gryph.
1545 R. Stephani Paris. s. Comm. 8.
— Paris. ap. Vascosan. 4.
1546 R. Stephani Paris. Andria, omni interpr. genere in adolescentulorum gratiam facilior effecta: ut ex hac Comœdia omnes deinde alias ab eodem Comico conscriptas nullo negotio assequantur juvenes bonarum literarum studiosi. 8.
— Misniensis c. annot. Bergii. 8.
— Lugdun. ap. Beringos fratres. 12.
— Antv. Donati, Asperi, Cornuti, Calph. Comm. illustr. 8.
— Veneta. fol. inter edd. primarias refertur.

1546 Veneta, ex off. Erasm. ap. Vinc. Valgrisium. 8.
1547 R. Steph. Paris. c. argg. ex Donato. 4.
— Lugdun. Gryph. 12.
1548 Basil. ap. Brylingerum c. Comm. Don. Calph. Erasm. Melancht. Fr. Fabr. Marcodurani et Theod. Pulman. 8.
— Argentor. c. castigg. Jo. Rivii et G. Fabricii. 8. Georg. Fabr. usus est Cod. pervetusto et collationibus cum Cod. Vatic.
— Il Terentio Latino commentato in lingua Toscana da Giov. Fabrini. Venet. 4.
1550 Tigurina c. n. Iod. Willichii et M. A. Mureti, editore Greg. Wagnero Refelliano. 8.
1551 Paris. c. n. varr. fol.
— R. Stephani. Paris. 8.
— Lugdun. Gryph. 12.
1552 Paris. c. variis lectt. et restituta versuum ratione et scholiis Donati, Calphurnii, Commentariis et annotationibus Melancht. Erasm. Gov. J. C. Scalig. L. Vict. Fausti, P. Bembi, Barlandi, Latomi, Marsi, Rivii, Steph. Doleti, Glareani, Jo. Theod. Bellovaci, et Iod. Willichii. Fol. c. figg.
— Lovan. ... ab Ant. Goveano integritati suæ restitutæ. 4.
1553 Veneta c. Comm. Don. Guid. Juv. Marsi, Doleti, Calph. ap. Barth. Cæsanum. Fol.
— Veneta alia. Fol.
1554 Lugdun. Seb. Gryph. Latine et Gall. c. figg. 8.
1555 ibid. 12.
— Colon. c. Comm. Iod. Willichii in omnes Ter. fabb. 8.
— Aldina (Mureti I.) cura M. A. Mureti; ap. P. Manutium. Venet. 8.
1556 Lugdun. cura P. Antesignani, Rapistagensis. 8. Habet hæc ed. I. argg. brevesque notas c. prosodia carminumque ratione.
1557 Comœdiæ omnes. Venet. Fol.
— Argent. 8.
1558 Paris. 4.
— Venet. fol. expressa ad edit. Paris. 1552. Fol.
— Ant. Goveani II. 4.
— Aldina II. c. M. A. Mureti (IV. Codd. Mss. usi) argg. et notis ap. P. Manutium. Venet. 8. Editio præstans; sed dum Muretus metro consulere studuit, plus justo sibi videtur indulsisse doctis.

1558 Paris. c. argg. et notis Mureti. 12.
— Lugdun. 12.
1559 Paris. 4.
— Aldina III. Mureti. Venet. 8.
1560 Antverp. cura Th. Pulmanni. 24.
— Colon. c. nott. Don. Asperi, Cornuti, &c. 8.
— P. Antesignani (qui summam laboris patientiam attulit Ter.) triplex. Lugd. 8. (cf. Bayle dict. voc. Antes. et Bœcleri Bibliogr. crit. p. 119. Bauer T. IV. p. 186.) primum Vol. est repetitio ed. 1556.
— Alterum c. n. Willichii et aliorum.
— Tertium c. n. marg. vers. et paraphr. Gallica, variaque lectione.
— Lips. 8. Catal. bibl. Francof.
— Lugdun. c. Comm. varr. 4.
1561 Paris. cura Goveani. 4.
— Aldina IV. Ter. a M. Ant. Mureto emendatus. Venet. ap. Aldum 8. Beyschlagii Sylloge p. 668.
— Basil. 8.
— Venet. fol. repet. ex illa 1553. c. Don. et aliorum notis. Ven. ap. J. M. Bonellum.
1562 Lugd. Bat. 8. Catal. bibl. Francof.
1564 Dusseldorp. 4.
1565 Antverp. c. Mureti argg. et notis. 12.
— Venet. Gryph. c. n. Goveani. 8.
Aldina V. Mureti ap. Ald. Nep. Venet. 8.
Editiones hujus ætatis 87. quas novimus.

ÆTAS IV. juventutis s. virilis primæ 1565—1615. s. Criticæ adultioris, cujus princeps est Gabr. Faërnus, (qui testante Latino Latiari in ep. 1555. data Tom. II. Epp. 41. intermisso Livio ad Terentium absolvendum iterumque nova diligentia castigandum rediit, tumque jam ad Phormionem pervenerat,) adjutus maxime Codd. aliquot ope, in quibus præstat ille vetustissimus Petri Bembi, a Politiano tractatus, dein Fulvio Ursino pretiosior auro habitus, et ab eo bibliothecæ Vatic. legatus. Editionem vero Faërnianam post mortem auctoris (1561.) absolvit P. Victorius. Neque tamen eo invaluit Faërniana emendatio, ut priorem lectionem, maxime ab Erasmo, Goveano, Mureto, ceterisque directam, profligaret. Inter eos autem, qui post Faërnum hac ætate profuerunt Terentio, eminent Matth. Bergius, et maxime Frid. Lindenbrogius, cujus studia in Terentio posita hodie præ ceteris jure laudantur ab omnibus. Bene quoque de nostro meriti sunt J. Scaliger, Riccius, Colerus, aliique.

*1565 P. Ter. Com. e vetustissimis libris et versuum ratione a G. Faërno emendatæ: accessere in eas comœdias emendd. libri VI. de versibus comicis liber I. fragmentum Eugraphii interpr. in easdem fabb. cura P. Victorii. Florent. ap. Juntas (I.) 8. Editio nitida et accuratissima.
1566 c. n. Ambr. Berndtii (qui affinis Lutheri et Prof. Orat. Wittenb. † 1542.) edidit Steph. Riccius.
— Leucopetræ 8.
1567 Basil. c. Comm. Don. 8.
— Colon. ed. Wagneri Reselliani c. n. Mureti, Barlandi, &c. 8.
— Antverp. ap. Plantin. 8.
— Venet. cum Comm. varr. Fol.
— Venet. Jo. Fabrini c. Comm. Etrusce scripto. 4.
— Venet. c. n. Goveani ap. Jo. Gryph.
1568 Mulhusana Steph. Riccii I. e prælect. doctor. Viteberg. 8.
1570 Gorlicensis, Riccii II. 8.
— Aldina VI. Mureti. 8.
1571 Brixiensis ap. Jac. Britann. 8.
1572 Faërni, Juntina II. Florent. 8. Repet. primæ 1565.
1573 Lugdun. 8.
*1574 Lipsiensis, typis Vœgelin. c. castigg. et comm. Matth. Bergii, adjunctis Joach. Camerarii, Jo. Rivii, Geo. et Fr. Fabricii castigg. et annott. 8. 2. Voll. Sequitur ubique lectionem Fabr. sed eam contulit c. Faërniana et Muretiana.
— Gorlicensis, Riccii III.
— Antverp. Plantini c. n. margin. 12.
— Paris. P. Antesignani. 12.
— Francof. ex. em. et c. n. Mureti. 8.
1575 Francof. ex rec. Erasmi et Melancht. 8.
— Aldina VII. Mureti.
1576 Antverp. ap. Plant. 12.
1577 Complutensis c. vers. Hispan. Sim. Petr. Avril. 8.
1579 Francof. c. n. Goveani. 8.
1580 c. J. Fabrini Comm. lingua Hetrusca scriptis. Ven. 4.
— Antverp. 8.
— Lugdun. ap. Gryph. Fol.

— Lugd. Bat. Plantin. ex emend. Mureti c. n. Fr. Fabricii. 8.
— Veneta c. Comm. Don. et varr. fol. in Bibl. Gymn. Isenac.
1581 c. conject. et notis J. Scaligeri. 8. in Bibl. Pal. Manhem. Frustra igitur dubitatur, an extet.
1582 Complutensis c. vers. Hisp. S. P. Avril. 8.
1583 Paris. ed. P. Antesignani. 12.
1584 Francof. c. n. brevibus et indice phrasium Christoph. Coleri. 12.
1585 eadem repetita.
1586 Veneta ap. Gryph. c. Comm. Don. et varr. Fol.
— Paris. Lat. et Gall. 12. sine nomine interpretis.
1587 Heidelb. ap. Commelin. ex emend. Faërni c. præf. Victorii et H. Commel. (Faërniana III.) Ed. præstans.
— Juntina III. Florent. ex emend. Faërni et ed. Victorii. Faërniana IV.
*1588 Lips. ed. Erasmica c. schol. Ph. Melancht. 8. Editio mendosissima.
1590 Aldina VIII. Mureti. Venet. 8.
1591 Antverp. Plantin. a Mureto emendata. 8.
1592 Lugdun. c. n. ap. Jac. Stoer. 12.
— Francof. c. argg. et not. Mureti. 8. accuratior.
— Francof. Heaut. c. prælect. leg. Sam. Sebaldi. 8.
— Lips. c. nott. Indd. et medulla s. phraseol. Mart. Hayneccii. 8.
— Francof. cura Melanchthonis. 8.
1593 Lugd. Bat. Mureti c. Ind. vocum antiq. 8.
— Genevensis c. n. Coleri. 12.
— Adelphi c. pr. S. Sebaldi. 8. Hanoviæ.
— Argentor. 12.
1594 Veneta c. Comm. J. Fabrini. 4.
— Francof. c. n. Coleri. 12.
1595 Antverp. 12.
1597 Franeq. 8.
— Bergomensis c. ind. cura Aug. Gambarelli. 8.
1598 Terentium Christianum pro suo ingenio dedere Antverpienses. 8.
1599 Barcinonensis c. vers. Hisp. Avril. 8.
— Lugdun. c. n. Mureti. 8.
1602 Francof. ex recogn. Erasmi Rot. c. scholiis Phil. Mel. 8. Catal. bibl. Francof.

1602 Frid. Lindenbrogii Ter. Com. c. Æl. Donati et Eugraphii vett. Schol. integris Comm. ad Mss. Codd. recensitis, additis propriis et Gabr. Faërni, de Ter. præclare meriti, Obss. Paris. 4. Editio præstantior.
1603 Veneta Mureti. 8.
1604 Lat. et Gall. 12.
1605 Paris. c. schol. et emendd. Mureti. 4.
— Ter. Antverp. 8.
— Genev. cum brevibus ex Mureti G. et F. Fabriciorum notis. 12. Catal. bibl. Francof.
1606 Lips. cura M. Hayneccii. 8.
— ibid. cura Bornii. 8.
1607 Heidelb. ap. Commel. 8.
1609 Lips. stud. Phil. Melancht. et Erasm. Rot. 8.
1610 Francof. c. n. Mureti. 8.
— Lips. c. Comm. Jo. Weitzii. 8.
1613 Antverp. ex off. Plant. 12.
1614 Lips. Steph. Riccii. 3. Voll. 8.
— ibid. M. Hayneccii. 8.
— Paris. P. Antesignani. 12.
— Witteberg. c. emend. Phil. Melancht. et Des. Erasmi ap. Seuberlich. 8.
1616 Lips. Hayneccii. 8.
— Genev. s. Colon. Allobr. 16.
— Basil. c. Donato, typis Conr. Waldkirchi, Imp. Lud. Regis.
Ætas hæc tulit 80. edd. quas novimus.

ÆTAS V. ætatis virilis progredientis, tandem cadentis. 1615—1700. Auctorem ejus facimus Dan. Heinsium, qui pro ingenio suo, neque tamen ubique sapienter, lectionem Terentii direxit, ita ut Faërnianæ ab omnibus fere præferretur. Redit quoque Lindenbrogiana auctior, hujus ætatis ornamentum præcipuum. Præter eos Pareus et Bœclerus bene mereri studuere de Ter. editæque a Bœclero Franc. Guyeti Galli notæ, quibus magis ratio invadendi in textum Ter. quam eum s. stabiliendi s. firmandi continetur. Indulget sibi quoque multum alter Gallus Tan. Faber. Sed plus his profuit Terentio Fabri filia, Anna Dacieria, quæ quamvis non ubique saperet, plerisque tamen eruditis sapientior, non modo rationem scenicam melius ordinavit, sed et ipsi auctori, a se Gallice verso, lucem attulit. Alii magis in colligendis diversorum notis gloriam quæsivere; alii, quo-

rum principes Farnabius, Casaubonus, Minellius, tironibus consulere notis sategerunt.

1615 Dan. Heinsii I. prodiit Lugd. Bat. 12. Præmisit Diss. de Plauto et Terentio.

1618 Heinsii II. Amstel. 12. quam vulgo I. faciunt; sæpius dein repetitam.

1619 Jo. Phil. Parei I. Neap. Nemetum (Neostadii ad Hartam ap. Henr. Starkium) 4. quæ præter notas Rivii, G. Fabricii, Faërni, Mureti, ipsius quoque Parei notas, habet indicem omnium vocabb. (Idem diss. de Terentiana Plauti imitatione, quod argumentum jam ante tractaverat Gaud. Merula in dialogo Terentiano, attexuit Plauto suo.)

— Heinsii III. Amstel. 12.

1623 Frid. Lindenbrogii altera auctior et emendatior. Francof. 4. Sed in ea ep. Lindenbrogii ad Suffridum Calignonum et Faërni notæ sunt omissæ.

1624 Lips. Hayneccii. 8.

— Aug. Vindel. c. Germ. vers. a Dav. Hœschelio et M. Schenckio. 8. quam nominasse pudet.

1628 Argent. J. H. Bœcleri. 8. c. Chrestomathia Terent.

1629 Londin. ap. Wetterhouse. Lat. et Angl. per Dan. Webbe.

1631 Heinsiana Elzevirii, quam Car. Coquelines in Romana editione 1767. secutus est.

1633 Amstel. Heinsiana ap. Jo. Jansson. 12.

1634 Lips. Hayneccii. 8.

1635 Lugd. Bat. Heinsiana, typis Elzev. 12.

1640 Eadem Amst. ap. Jo. Jansson. 12.

1641 Eadem ibid. 12.

— Lips. St. Riccii. 8.

1642 Paris. ex rec. Heinsii, typis regiis. Fol.

*1644 c. Comm. Don. et n. Variorum I. Lugd. Bat. ex off. Hackiana. 8. cura Schrevelii, cujus nomen edd. repetitis præscriptum.

1646 Paris. Lat. et Gall. interprete Sanct. Albino in Andr. Adelph. et Phorm. quater dein repetita. 12.

— Lips. cura Rhenii. 8.

1647 Florentina c. n. Jo. Nardi Florent. 4.

1648 Roterod. Lat. et Belgice cura et notis Henr. Zwaardekronii. 8.

1650 Roterod. Latine et Belgice.

1651 Lubec. c. locupletissimo Ind. philol. et collectaneis Jac. Kokerti. 8. præmisit Diss. ad Heinsii de Plauto ac Ter. judicium.

*1651 c. n. Th. Farnabii (I.) in 4 priores et Mer. Casauboni in 2 posteriores. Lond. et Amst. 12.

— e rec. Heinsii. Amst. Elzevir. 16.

— Schrevelii c. n. varr. (II.) Lugd. Bat. 8.

1653 Genev. 12.

1656 Amstel. ex rec. Heinsii ap. J. Jansson. 24.

1657 Schrevelii c. n. varr. (III.) Lugd. Bat. 8.

*— Argentor. J. H. Bœcleri c. annott. et Chrestomath. Ter. s. sel. Ind. locutionum. Additæ Franc. Guyeti (Abb. S. Andreani † 1655.) in Ter. notæ. 8.

— P. Terentii Afri fabulæ Colon. 8.

1658 Veneta c. Comm. Don. et aliorum. Fol.

*— Farnabii et Casaub. II. e rec. Heins. Amstel. ap. Jo. Jansson. 12.

— Eadem Amstel. ap. Elzev. 12.

— Lips. 8.

1660 rep. Amst. 1658. 12.

— Paris. Lat. et Gall. Mich. de Marolles c. n. subjunctis J. Peyraredei. 2 Voll. 8.

1661 Amstel. c. n. Heinsii. 12.

1662 Schrevelii c. n. varr. (IV.) Lugd. Bat. 8.

— Farnabii &c. (IV.) Amst. 12.

1663 H. Zwaardekronii II. Roter. 8.

1666 Lugdun. e rec. Heinsii. 12.

1667 Kockerti II. Francof. et Lubec. 8. rep. ed. 1651.

1668 Amst. c. n. Farnabii. (V.) 12.

1669 Schrevelii c. n. varr. (V.) Lugd. Bat. 8.

— Farnabii, &c. (VI.) Amstel. ap. Waesberg. 12.

1670 c. n. Minellii Roter. 12.

— Paris. Eun. Heaut. et Hec. Lat. et Gall. interprete Martignaco. 12. repetita 1678.

1671 c. n. Tan. Fabri, Salmurii ap. Pean. 12.

1672 Minelliana Roterod. 12.

1673 c. vers. Gall. et notis Gall. 12.

— Bremæ. 12.

1674 Andria c. n. Limbergeri. Rintel. 8.

1675 c. n. Nic. Cami, in usum Delph. Paris. ap. Leonard. 4.

— Lat. et Ital. c. figg. Urbini. 4.

1678 Lugd. Bat. c. doctt. virr. emendd. ap. Gaesbeck. 12.

1680 Minelliana. Roterod. 12.
1681 Farnabii &c. VII. Amstel. 12.
1683 Lips. Lat. et Germanice. 8.
1685 Francof. Coleri. c. ind. Casaub. 12.
1686 Gronoviana c. n. varr. Don. Eugr. Faërn. Bœcl. Farnab. M. Casaub. et T. Fabri. Amstel. 8.
— Paris. c. vers. Gall. Martignaci. 8.
— Rothomag. c. interpr. et notis. 8.
— Les Comédies de Térence en Latin et François par Sibour, à Strasb. 12.
1687 Lugd. Bat. c. annot. 12.
— Schrevelii VI. c. n. varr. Lugd. Bat. 8.
1688 Paris. cura Dacierii. 12.
— c. vers. Gall. et notis Annæ Dacieriæ (I.) Paris. 3 Voll. 12.
— Rothom. c. interpr. et not. 12.
— Cami in usum Delphini editio rep. Londini. 8.
— Lugd. 24. e rec. Heins. ap. Ant. et Henr. Morin.
1690 Minelliana Roterod. typ. viduæ Arn. Leers. 12.
1691 Eadem Hamburgi. 12.
— Eadem Holm. et Hamb. 8.
— Dacieriæ ed. Amstel. 3 Voll. 12.
1696 Hafniensis. 12.
1697 Amstel. e rec. Heinsii. 24.
1699 Minelliana Hamburgi. 8.
— Lips. ex rec. Heinsii. 12.
1700 Cami in usum Delph. rec. Londini. 8.
— Holmiæ c. n. Minellii. 8.
— Hamb. c. n. Minellii. 8.

Ætatis hujus editiones sunt 83.

ÆTAS VI. 1701—1774 Criticæ apud Anglos luxuriantis et scepticæ; apud Batavos impeditæ; apud Italos sumtuosæ; apud Germanos fere repuerascentis, minutæ, et ob suam inopiam alienis opibus altæ. Tres scilicet ex Anglis John Leng, Franc. Hare, et Rich. Bentleius Terentii lectionem post Faërnum emendandam suscepere. Lengius quidem Christoph. Wasii (qui jam an. 1687. Oxoniæ 4. librum eruditum de legibus et licentia veterum poëtarum, inscriptum 'Senarii' titulo ediderat) collectaneis potitus, XIII. Codd. Mss. et edd. vett. contulit, notas criticas et Diss. criticas de ratione et licentia metri Terentiani addidit. Harius lectionem a Faërno emendatam edidit, notisque Faërni, quibusdam Donati, addidit suas criticas, quibus mutati a se textus Faërniani et metri a se constituti rationes reddit, sæpius in eo reprehensus a Critico glorioso, Rich. Bentleio. Hic vero audacia ceteros longe antegressus, lectionem Faërni, cum ejusdem emendationibus collatis Mss. Codd. Bibl. Cantabrig. et reg. Londin. et ad rationes metri (pro arbitrio fictas) mille locis se correxisse gloriatur, sed idem certe, præter scribendi rationem Mss. usitatam, et a recepta alienam, sexcentis locis textum Terentii corrupit. Atque hi tres inter principes hujus ætatis habentur. Quartum se adjunxit Batavus Arn. Henr. Westerhovius, Rector Goudanus, Perizonii discipulus, qui quamvis Codd. Mss. et plures ex edd. vett. ac melioribus contulisset, tamen se criticum haud æque exhibuit, quam sedulum in apparatu interpretum congerendo. De Anglorum et Italorum sumtibus testantur editiones. Germani hodie ad has literas acumen et ingenium nullum attulere: atque pudet, futiles illas edd. ad modum Minellii s. cum notis Germanicis enumerare. Adducimus tamen, ut ex iis genius sæculi apud nos appareat.

1701 Cantabrig. curante John Leng c. varr. lect. typis majoribus Acad. fol. min. s. 4 maj.
— Amstel. ex rec. Bœcleri c. ind. absolutissimo Mart. Hugenii. 12.
1702 Minelliana. Roterod. 12.
— c. n. ad modum Minellii cura Chr. Junckeri. Lips. 12.
1703 Rothomag. 8.
1709 Londin. in usum Delph. 8.
1710 Amstel. c. ind. M. Hugenii et imitatione Plautina, curante M. Hugenio fil. 12. Editio elegans.
1711 Amstel. e rec. Heinsii. 12.
— Lips. 12. e rec. Heins.
— Rothomag. expurgatus et illustratus notis Jos. Juvencii 12.
— Hamburg. c. interpr. Germ. Hartnaccii. 8.
1714 Amstel. 24.
1715 Londin. cura Mich. Maittaire c. ind. Hugenii. 12.
1716 Paris. c. Jos. Juvencii interpr. ac notis. 8.
1717 Aug. Vind. c. n. Germ. Eman. Sinceri. 8.
— Roterod. c. vers. et notis Dacieriæ, additis iconibus ex ant. Ms. Bibl. reg. 3 Voll. 8.

1718 Amstel. c. locis parall. et indice formul. cura Dan. Hoogstratenii. 12.

1721 Minelliana. Amstel. 12.

1723 Londin. in usum Delph. 8.

— Cantabrig. 12.

*1724 Amstel. c. vers. et notis Dacieriæ ap. R. et G. Wetstein. 3 Voll. 8.

— Londin. ad exemplar Faërn. a P. Victorio editum 1565. summa fide recens. additis Faërni emendd. cura Franc. Hare. 4.

— Amstel. 24.

1726 Veneta Jos. Juvencii. 12.

— Gallicam versionem novam dedit in Anglia Car. Hennebertus (Lengii edit. secutus et Bentl. emendd. impugnans) Londini. Versio minus castigata habetur, quam Dacieriæ.

— Cantabrig. ex rec. et c. n. R. Bentleii, additis G. Faërni. 4. Accedunt Phædri fabb. Æsopp. Publii Syri et aliorum vett. sententiæ.

*— Hagana ap. Petr. Gosse, ad fidem 12 amplius Mss. et pluscularum op. notæ edd. recensitæ et Comm. perp. illustratæ. Acc. interpretes vett. Æl. Donatus, Eugraphius, Calphurnius, &c. additis obss. porro Fr. Lindenbrogii in Ter. et Don. Demum indices locupletissimi curavit Arn. Henr. Westerhovius. 2 Tom. 4.

— Lips. Minellii. 12.

*1727 Amstel. Bentleii altera, denuo recensita, ac Ind. ampl. rer. et verb. tam in textum, quam in notas aucta. cur. Westerhov. 4. ap. Wetsten.

1728 Hagana c. n. Westerhovii in comp. redactis in usum juvenum. 8.

1732 Hagana ap. Isaac van der Kloot, c. interpr. Don. et Calph. et Comm. perp. curavit A. H. Westerhovius. 8.

1733 Francof. c. vers. Dacieriæ. 2. Voll. 8.

1734 Hamburg. Dacieriæ ap. van der Hoeck. 3 Voll. 12. Editio a mendis edd. Wetsten. repurgata.

1735 Londin. c. vers. Anglica notisque Crit. ap. J. Wood. 3 Voll. 12. auctore Spence. Edit. elegans, sed non satis accurata.

— Aug. Vind. c. n. Germ. Sinceri. 8.

1736 Urbin. sumtibus Hier. Mainardi, Latine e rec. maxime Heins. c. figg. person. e Cod. Vatic. accurate expressis, (quas ex eod. Codice jam descriptas dederat Christoph. Henr. a Berger) et vers. Ital. numeris astricta poëticis auct. Nic. Fortiguerra. Fol. Editio magnifica.

1737 Romana ex ed. M. A. Giacomelli, ap. Pagliarin. 8.

— Amstel. Bentleii III. 4.

1738 Lips. ad modum J. Minellii. 12.

1739 Londin. Jo. Stirling.

1740 in corp. poët. Latin. cum Ital. versione editorum Mediolani T. XIX. et XX.

1741 Hafn. c. n. Minell. 8.

1742 Glascov. ex rec. Westerhov. et ad fidem XII. amplius Mss. et pluscularum opt. edd. 8.

1745 Hagana Westerhovii minor ex illa 1732. repetita 8.

*1749 Berolin. cur. J. P. Millero, sumt. Ambr. Haude et C. Speneri. 8.

1751 Londin. c. varr. lectt. et figg. ap. J. et P. Knapton et G. Sandby, 8. 2 Voll. Editio elegans et sumtuosa.

— Londin. c. varr. lectt. ap. eundem. 12. 2 Voll.

1753 Paris. c. varr. lectt. e Mss. et erud. Comm. desumtis, ac figg. ap. La Loup et Merigot. 2 Voll. 12. Il y a dans cette belle edition, qui fait suite aux auteurs Latins imprimés chez M. Barbou 7. figg. 30. vignettes et 30. culs de Lampes.

1754 Amstel. Wetsten. c. vers. et notis Dacieriæ. 3 Voll. 12.

— Aug. Vind. c. n. Sinceri. 8.

— Paris. ... expurgatæ c. notis J. Juvencii ap. Barbou. 12.

1762 Francof. c. n. Germ. Sinceri. 8.

— Halæ. 12.

1763 Paris. c. n. Juvencii ap. Brocas. 8.

1765 Londin. The Comedies of Ter. translated into familiar blank verse by George Colman. 4. Versio poëtica gratiosa multum. (Ipse auctor Anglis hodie ante alios poëtas placet.) Repetita 1770. 8.

1767 Romæ. P. Ter. Afri Comœdiæ ex rec. D. Heinsii collata ad antiquissimos Mss. Codd. Bibl. Vatic. cum variantibus lectt. larvis et personis depromtis ex eisdem Codd. et Italica versione: recensuit, notasque, antiquam artem comicam et nonnulla antiquitatum Romanarum monumenta illustrantes, addidit Car. Cocquelines, impensis Roisechii, bibliop. et typogr. in foro Agonati, volumina duo. Fol. magn. Editio sumtuosa. cf. Klotzii Acta liter. vol. VI. p. I. n. 1. Versio est Fortiguerræ, quam habet Mayuar-

diana 1736. Urbini edita. Et videntur eædem laminæ adhibitæ, quæ dictæ editioni jam inserviere.

1774 Lips. ex rec. Lindenbrogii, c. ejusd. Mss. lectt. et Obss. atque Don. Eugr. et Calph. Comm. integris. Acc. Bentl. et Faërni lectt. ac conjecturæ omnes, sed in comp. redactæ, item Westerh. in Scholiastas lectt. ac conjecturæ, quibus et suas aspersit M. J. Car. Zeunius, adj. Indd. in Don. Bentleii in Ter. et Zeunii in scriptores in Schol. obvios. 2 Voll. 8. Editio in quam priorum bona congesta, eoque commendabilis.

— Norimb. 12.

Ætatis hujus editiones sunt 58.

Hactenus Bipontini. Editionem principem (quæ ab iis vocatur) anno annumerant 1469. sed, cum Harius annum manu appictum putet, sine anno potius accipienda videtur; eoque magis ista editio sub dubio esse debet, quia secundum Chevalier d'Elci non pauciores quam quindecim editiones antiquæ, quarum ipse duodecim possedit, sine anno numerandæ sunt. Vix igitur statui potest quænam inter eas sit editio princeps, neque est hujus loci perquirere. Si quis vero hanc rem curiosius velit scrutari, consulat Harles. Introd. in Notit. Lit. Rom. ejusdem Suppl. ad Brev. Notit. et Biblioth. Spencer. vol. II. p. 400. sqq. Si quis etiam petat argumentum, quod editionem, secundum Bipontinos, 1470. nullam aliam esse quam editionem 1481. a Bipontinis supra notatam, statuat, adeat eandem Biblioth. Spencer. vol. II. p. 402. not.

Variæ editiones Mediolanenses evulgatæ sunt sæc. XV. quarum nonnullæ effugisse videntur Bipontinos, nempe a. 1472. fol. et 1492. et 1496. fol. cum comment. Ælii Donati, per Ulderic Zeinzeller; alia etiam typis Zeroti 1481.

Terentius, s. a. l. et nomine impressoris, 4to. Biblioth. Spencer. Duæ vel tres aliæ editt. in celebri hoc Museo, ut apparet, videndæ sunt, quæ Bipontinos effugerunt. Ex his unam omnes Bibliographi prætermiserant, s. a. sed circa 1472. impressam et evulgatam per Faustum et Schefferum, continentem folia centum, in forma maxima.

Terentius, s. a. Paris. fol. excus. a Gering Crantz et Friburger. Hæc editio inter rarissimas habetur.

Una est editio a. 1475. s. l. et typographi nomine, fol. min. mentione digna, eo quod Politianus id exemplum contulit (a. 1491.) cum codice valde antiquo, a Petro Bembo ei commodato, et quod annotationes et emendationes Politiani autographæ ibi reperiuntur. Fossius Cat. Bibl. Magliab.

Terentius, Taurini 1478. fol. per Jo. Fabri Lingonensem. Ibid. 1483. et Paris. 1496. et ibid. cura Jo. Philippi 1499. 8vo. et Lugd. per Jo. de Vingle 1497. 4to.

Terentius, impress. Parmæ 1481. a Genexio del Cerro, fol. Rara admodum est hæc editio. In Colophone: 'Impressum Parmæ per me Genexium del Cerro, anno Nativitatis Domini MCCCCLXXXI. pridie Kl. Augusti, regnate illustrissimo Principe Galeazeo Maria Duce Mediolani.'

Terentius, Romæ 1482. 4to. Harles.

Terentius, Brixiæ, per Britannicum Brixianum, 1485. fol.

Terentius in Andria. Sub finem in Colophone sic legitur: 'Hic finitur Comœdia sexta et ultima impressa per Ricardum Pynson manentem extra Barrā novi Templi Lond. A. D. 1497.' Hic liber continet omnes Terentii Comœdias; et primus est auctorum classicorum omnium, qui Latine vulgati fuerunt in regno Britanniæ. Effugisse tamen videtur Palmerum in Hist. Typograph. p. 352. sq.

Terentius cum comment. Donati, Guid. Juvenalis, et Jo. Calphurnii, Lond. ap. Ric. Pynson, 1497. 8vo.

Editiones XX. Venetas sæc. XV. numerant Bipontini; Panzer contra (Annal. Typogr.) circa XXVIII.

Vulgaria quædam abs Terentio in Anglicanam linguam traducta, Londoniis impressa per me Gulielm. Faques Normannum, sine a. 4to. sed sub init. sæc. XVI.

Terentius, cum Guidonis Juvenalis et Iodoci Badii explanationibus. Lugd. 1506. 4to. maj.

Terentius, cum L. Victoris Fausti de Comœdia libello, Venet. 1511. 8vo. In Mus. Brit.

Terentius sexies editus est Argentorati intra annos 1511. et 1532. Vid. Panzer. Ann. Typogr. vol. VI. et Harles. Suppl. ad Brev. Not. Lit. Rom. vol. I.

Terentius Lugd. 1513. in metricis divisionibus.

Recusa est Juntina ed. Florent. 1517. 8vo.

Editioni Moguntinæ, Aldinæ repetitioni, non recte apponitur a Bipontinis annus 1521. Legi debet 1520. 8vo.

Terentius, Cæsar-Augustæ 1524. 4to. cum præf. Georgii Coci. Vid. Specimen Biblioth. Hispano-Maiauan.

Terentius, cum scholiis Donati, Asperi, et Cornuti, et cum annotationibus Joan. Rivii, evulgatus est Brixiæ, 4to. 1536.

Le grant therēce en Francoys tant en Rime que en Prose, nouvellement imprime a Paris, M.D.XXXIX. Hic liber multa præbet invitamenta, abundans ligneis figuris, affabre descriptis. Exemplar extat in Museo Britannico.

Terentii Andria omni genere interpretationis facilior effecta a Carolo Stephano. Lovan. 1547. 8vo.

Terentius, Lugd. Bat. 1549.

Terentius, ab Ant. Goveano, Par. 1553. 4to. In Mus. Brit.

Terentius, Venet. 1556. 4to.

Terentius Venet. ap. Jo. Mariam Bonellum, 1563. fol.

Anglica versio a Mauritio Kyffin, Lond. 4to. 1588.

Terentius Cantabr. 1589. 24mo.

Terentius Lond. 1592. 4to. typis Roberti Robinson.

Publii Terentii Comœdiæ sex. Ex officina Roberti Robinson, Lond. 1597. 12mo. cum privilegio regiæ majestatis.

Terentius Italice versus a Christophoro Rosario. Romæ 1612. 12mo.

Terentius, Basil. 8vo. 1616.

Terentius, Lat. et Angl. per Ric. Barnard. 1641.

Terentius, Lond. 1667. 12mo.

Terentius cum notis Joh. Minellii, Cantabr. 1676. 1691. Lond. 1708. 1730. 1757. 1805. 12mo.

Terentius Anglice, a diversis interpretibus, Lond. 1694. 8vo.

Publii Terentii Afri Comœdiæ ad optimorum exemplarium fidem recensitæ. Accesserunt variæ lectiones quæ in libris Mss. et eruditorum commentariis notatu digniores occurrunt. Editio altera. Cantabrigiæ, typis Academicis, 1701. 12mo.

Terentius ex recensione Heinsiana, Dublin. 1709. 8vo. et Edinb. 1731. 12mo.

Terentii Comœdiæ, &c. ex recensione Mich. Maittaire. Lond. 1713. 1729. 1762. 12mo.

Comœdiæ sex, cum Jo. Minellii notis, Lond. 1719. 8vo. 1758. 12mo.

Francisci Harii editio, quam in 4to. 1724. memoraverunt Bipontini, repetita fuit emendatius Lond. 1725. 4to.

Editio Bentleiana repet. Amst. 1728. 4to. Lips. 1791. 8vo.

Editio in usum Delphini repet. Lond. 1731. 1769. 1776. 1785. 1805. 1816. 8vo.

Versio Anglica Terentii Comœdiarum, cum textu Latino, et Tractatu Critico. Per Tho. Cooke, 1734. 8vo. 3 vol. Repetita cum Latino textu, 1749. 1755. in duobus voluminibus, 12mo.

Terentius cura Ric. Spenceri, Lond. 1734. 8vo. iterum ibid. 1764. 8vo.

Terentii Comœdiæ, typis Brindley, 1744. 18mo.

Terentius cura Joh. Hawkey, Dublin. e Typogr. Acad. 1745. 8vo.

Terentii Comœdiæ, 3 tom. 8vo. Amst. et Lips. 1747.

Terentii Comœdiæ in Anglicam prosam versæ, Lond. 1752. 12mo. a Gordon.

Terentii Comœdiæ, Amst. 1755. 24mo.

Terentii Comœdiæ ad fidem optimarum editionum impressæ. Edinburgi ap. Hamilton, Balfour, et Neil, 1758. 8vo. Secuta est hæc editio Westerhovianum textum plerumque, Bentleii lectiones interdum recipiens.

Comœdiæ Terentii tres, Adelphi, Eunuchus, et Andria, in usum scholæ Etonensis, Lond. 1768. 8vo.

Terentius Lat. et Fr. avec des notes par l'Abbé Le Monnier. Paris 1771. 8vo. 3 voll. Hæc versio apud Gallos multum æstimatur.

Publii Terentii Afri Comœdiæ. Birminghamiæ: typis Johannis Baskerville, 1772. 4to. Textus nudus nitidissime impressus.—Ibid. eod. a. 12mo. maj.

Editio Gronoviana, cum notis integris Variorum, Donati, Eugraphii, Faërni. Birminghamiæ 1776. 12mo. et 4to.

Terentius ex recensione Lindenbrogii, cum variis lectionibus codicis Jenensis, et aliquot editionum antiquarum, notisque Variorum, accurante M. Jo. Georg. Lenz, Jenæ 1780. et deinceps, 8vo. 6 tom.

Editio cum versione Gallica et notis Annæ Dacier repetita est Hamb. 1782. 12mo.

Terentius ex recensione Lindenbrogii, cum variis lectionibus et notis selectis Variorum, cura Lenz, Jenæ 1785. 8vo. 2 voll.

Terentius cum notis veterum scholiastarum, Westerhovii, et aliorum, studio Gudmundi Magnæi (Islandici), qui et multa de suo adjecit. Accedit index verborum et phrasium. Hafniæ, 1788. 8vo. 2 voll.

Inter pauca classica quæ Lusitania præbet, hæc notanda est Terentii interpretatio, cui tit. As primeiras quatro Comœdias de P. Terentio Aphricano, traduzidas do Latino en verso solto. Portuguez por Leonel da Costa dodas a luz com e texto Latino eo fronte por Forge Berthrand, merador dos libros em Lisboa. Pars I. Lisb. 1788. Pars II. ib. 1789. Vixit Leonel da Costa ab a. 1670. ad a. 1746. Hæc Lusitanica versio, quæ latuerat in cœnobio usque ad initium sæc. XVII. multam laudem tulit in Neue Biblioth. der Schönen Wissenchafften, vol. LI. P. 2. 1794. p. 328. sqq.

Terentii Comœdias recensuit, perpetuamque annotationem et Latinitatis indicem adjecit M. Benj. Schmieder, Gymn. Halensis Luther. rector. Halæ 1794. 8vo. In hac editione vir doctus interdum recipit lectiones Bentleii, interdum Westerhovii: sæpe autem, lectionibus utriusque rejectis, suum secutus est judicium. Multas illustrationes et criticas observationes profert, quas separatim in singulas comœdias, Germanice versas, ediderat ab a. 1790. ad a. 1793.

Vir doctus Car. Aug. Bœttiger novam editionem promisit, et laudatum specimen dedit, Lips. 1795. 8vo.

Terentii Comœdiæ ad fidem optimarum edd. recensitæ a Brunck. Basil. 1797. 4to.

Terentii Comœdiæ VI. ad optimas editt. collatæ, studio et cura J. J. Bellermanni. Erford. 1803. 8vo.

Publi Terenti Afri Comœdiæ. In usum elegantiorum hominum edidit Fridericus Henricus Bothe, Magdeburgensis. Accedit icon Comici in æs incisa. Berolini, 1806. 8vo.

P. Terentii Afri Comœdiæ sex. Textum ad fidem codicis Halensis antiquissimi, criticis nondum cogniti, edidit, variam editionum lectionem annotavit, scholia vulgatis diversa ex eodem codice descripsit, et cel. Ruhnkenii Dictata in Terentium, necdum typis impressa, adjecit D. Paulus Jacobus Bruns, Philosophiæ Professor P. O. in Acad. Halensi. Halæ, 1811. 8vo. 2 voll.

Terentii Comœdiæ ad optimorum librorum fidem accurate editæ, Lips. 1813. 18mo.

Publii Terentii, Afri, Comœdiæ sex, ad fidem editionis Westerhovianæ concinnatæ. Lond. 1815. 18mo. Eadem ed. recusa ibid. 1819.

His adjiciantur codicis pervetusti, picturis ornati, multas probas lectiones et scholia continentis, *Specimina*, quæ Angelus Maius publici juris fecit, una cum Plauti Fragmentis, ex eodem codice palimpsesto bibliothecæ Ambrosianæ

Mediolanensis erutis. Mediol. 1815. typis regiis. Eadem etiam illustravit Frid. Osanius Vimariensis in libro multum commendato, cui titulus, Analecta Critica, poësis Romanorum scenicæ reliquias illustrantia. Berol. 1816. 8vo. maj.

Publii Terentii Carthaginiensis Afri comœdiæ sex. Textum recensuit, et notulis aliquot Anglice scriptis illustravit D. B. Hickie. Accedit Index Latino-Anglicus. Eblanæ, 1818. 12mo.

P. Terentii Carthaginiensis Afri Comœdiæ sex, ex recensione Frid. Lindenbrogii, cum ejusdem Mstorum lectionibus et observationibus, atque Ælii Donati, Eugraphii, et Calpurnii commentariis integris. His accesserunt Bentleii et Faërni lectiones ac conjecturæ omnes, sed in compendium redactæ; item Westerhovii in scholiastas lectiones ac conjecturæ; quibus et suas adspersit M. Jo. Car. Zeunius. Adjecto indice in Donatum et Terentium locupletissimo. Insuper addita sunt cel. Ruhnkenii Dictata in Terentium, necnon selectissimæ virorum doctorum Annotationes. Lond. 1820. 8vo. 2 voll.

P. Terentii Afri Comœdiæ. Ad codices Mss. et optimas editiones recognovit, varietate lectionis, commentario perpetuo, et indice verborum instruxit Frider. Christ. Gottl. Perlet. Accedunt variæ lectiones trium codicum Guelferbytanorum, nunc primum collatorum, excerptæ. Lips. 1821. 8vo.

Ut Terentii editiones sunt pæne infinitæ, sic etiam Versiones abundant. Quædam jam datæ sunt; plures possint enumerari: inter quas versio est Germanica a Valentino Bottzio, a. 1567. 8vo. et Petroburgi 1782. 8vo. Kindervateri Jen. et Lips. 1799. 8vo. Neide (Lips. 1784. 1787. 8vo.) et Roosi, 2 partt. Giessæ 1794. 1795. 8vo. Terence in English, s. a. et l. sed circa annum 1520. Lond. 8vo. ap. J. Kastel. Andria, &c. per Maur. Kyffin, Lond. 1588. 4to. et opera Ricardi Bernardi, Cantab. 1598. et Caroli Hooke, Lond. 1670. 1676. 8vo. Andria et Eunuchus Anglice, a T. Newman, Lond. 1627. 12mo. Des Comedies de Terence trad. en François, par le Ch. Hennebert, avec quelques remarques. A Cambridge, dans l'imprimerie de l'Université, 1726. 8vo. Terence's Comedies made English, with his Life, and some Remarks at the end. By Mr. Lawrence Echard and others. Revised and corrected by Dr. Echard and Sir R. L'Estrange. The ninth edition. Lond. 1741. 12mo. Ter. Lat. et Angl. cum notis a Thoma Cooke, 1749. 2 voll. 12mo. Ter. Lat. et Angl. cum notis a Samuele Patrick, Lond. 1745. 2 voll. 8vo. repet. ibid. 1750. 1759. 1767. Lond. 1768. 8vo. cum notis D. R. Schomberg. Gallica versio Daceriæ sæpe versa fuit Belgice et Germanice. Terentius Anglice, fol. 1814. Terentii Andria Anglice, Lond. 1818. 12mo. Vide plura in Harlesii Introd. p. 224. Not. Brev. p. 98. et Suppl. Terentii sex Comœdiæ in sermonem prosaicum Gallice versæ ab Anonymo. Par. 1583. 8vo. Antwerp. 1566. 8vo. per Jo. Bourlier. Paris. 1584. per J. Bourle. Per Mich. de Marolles, cum notis et textu Lat. Par. 1659. 2 voll. Versiones singularum comœdiarum Terentii Gallice abundant. Italicæ versiones numerandæ sunt, quæ sequuntur, Italica Versio da Christophoro Rosario 12mo. Romæ, 1612. Terentii Comœdiæ, Italicis versibus (a Nicolao Fortiguerra) cum personarum figuris, &c. Urbini 1736. notatur a Bipontinis, non vero le Comedie de Terenzio, tradotte in Versi, da Nic. Fortiguerra col. testo Lat. Venezia 1774. 8vo.

Variæ sunt editiones singularum Comœdiarum Terentii, inter quas eminet Andriæ editio cum animadversionibus Ge. Wolfg. Augusti Fischeri. Altenb. 1799. 8vo. Dedit etiam versionem ejusdem Germanicam. Ibid. 1800. 8vo. Addas etiam Glycerium von Andriæ, Savon. 1738. 8vo. Andria Rythmicis Germanicis composita, per H. Kant. et scholiis illustrata per T. Agricolam, Wittenb. 1602. P. Terentii Afri Andria, Adelphi, et Hecyra, cum notis Willemoti, Lond. 1713. 8vo. Et Comœdiæ tres, Andria, Eunuchus, et Adelphi, sine notis, Lond. 1767. 8vo.

Adelphi Terentii, in versu heroico, cum notis, per translatorem. 1775. 8vo. Terentii Heautontimoroumenos et Adelphi, Anglice versæ, cum observationibus in versionem Anglicam Colmanni. Oxon. 1777. 8vo. Terentii Andria in Anglicam prosam versa, cum notis criticis et explicatoriis, a G. R. Goodluck, jun. Lond. 1820. 8vo.—Sunt etiam aliæ multiplices singularum comœdiarum editiones, tam exteræ quam Anglicæ, tam veteres quam recentiores, quas hic memorare longum esset.

Inter Terentiana quædam sunt quæ ab editoribus, juvenum moribus consulentibus, (quod vocant) *castrata sunt.* Ex hoc numero est, Pars Campianæ Classicorum Latinorum Encyclopædiæ ea quæ longiora excerpta ex Andria, Adelphis, Phormione, et Eunucho exhibet, iis quæ sanctitati puerorum nocitura viderentur recisis, cura Jo. Henr. Aug. Schulze, Brunsv. 1790. 8vo. ne dicamus de Terentio Christiano, seu Comœdiis sacris sex, et Terentiano stylo conscriptis a Cornelio Schonæo Goudano. Colon. 1614. 8vo.

Inter Terentiana notanda sunt quædam Miscellanea; tale est, Stendal, 1794. 8vo. cum tabulis æneis, quod continet, præter Fragmenta quædam Ennii, Pacuvii, Cæcilii, Attiique, Plauti etiam Captivos, Terentii Heautontimor. et Senecæ Herculem Furentem. Terentii Andriam, ex recensione Bentleii, edidit G. W. A. Fickenscher. Attenb. 1799. 8vo.

Flores etiam Terentii a Nicol. Udal collecti, ex tribus prioribus Terentii Comœdiis. Londini, per Thomam Berthelet, 1532. 12mo. et sæpe repet. Nova Editio aucta, ab J. Higgins, flosculis ex reliquis tribus comœdiis. 1581. 8vo. Sentences from Terence, Lond. 1560. 8vo.

Scripserunt de Vita Terentii, Suetonius in Libro Donato perperam ascripto, Fabricius in Biblioth. Lat. Vossius de Poëtis Latinis, p. 9. Harlesius, Crusius, in Vitis, Anglice scriptis, poëtarum Latinorum, vol. II. Auctor Biographiæ Classicæ, vol. I. Edmondus Burtonus, (nuper Trin. Col. Cantab. Socius,) in Observationibus in Charactera et Scripta Terentii. Præcepta etiam Artis Pædagogicæ, ex Terentio petita, Dissertatione Philosophico-philologica publice defendit Joh. Gottlobt Græsse Philosoph. D. Lycei Viteberg. Conrector. Vitebergæ. 1800. 4to.

Inter alia multiplices Tractatus de Terentio numerentur sequentes: De Bembino Libro, de Virgilii Culice, et Terentii Fabulis. E Codd. emendantur in hoc libro multa Terentii loca. Emendationes eædem occurrunt etiam in Editione Terentii, Par. 1552. fol.—Defensio docendi Terentium in Schola Exonensi, Exon. 1719. 8vo.—Ampla et simplex Descriptio versus Latini et metricarum compositionum varii generis, et præsertim metrorum enarratio. Secunda editio, revisa et emendata. Lond. 1799. 12mo.—De modulatione Comœdiarum Terentii in Roberti Whytintoni Lychfeldiensis secunda Grammaticæ parte; de syllabarum quantitate. Lond. per Winken de Worde. 1515. 1524. 4to.—Multa de metro Terentiano scribit Christ. Wassius in tractatu de Legibus et Licentia veterum Poëtarum. 1687. 4to.—Petri Lagnerii Sylloge et Compendium insignium Sententiarum Terentii, &c. Oxon. 1704. 8vo.—Amplum in Terentii Andriam Commentarium vulgavit Fr. Chr. G. Perlet. Ronneb. 1805. 8vo. Quædam nitide, more suo critico, dedit Ric. Hurdius, Episc. in Commentario suo et notis in Horatium; alia acute Aug. Bened. Wolff, qui Bentleii conjecturas examinavit, et lectiones quasdam emendavit, in tract. edit. Ruben. 1811. 4to. et etiam Ruhnkenius in, 'Dictata' in Terentium, quæ plenius et emendatius editurus erat Car. Frid. Heinric, et cujus specimen dedit Gurlitt, Hamb. 1817. 4to. Hermanni Dissertatio de R. Bentleio ejusque editione Terentii, Lipsiæ 1820. 4to. privatim distributa est.

Ex his breviter dictis judicabit lector, quanta sit Terentii editionum copia: pæne est infinita, nec versionum seges est parca. Qui plura velit, consulat Fabricii Biblioth. Lat. Harlesii Introd. ad Rom. Lit. et Suppl. Kluglingi Addit. ad Brev. Not. &c. et Brunet Manuel du Libraire.

Quod ad versiones spectat, de Germanicis consulat

Harles. Suppl. ad Brev. Notit. &c. vol. I. II. de Italicis Biblioth. degle Autori vulgarizzati Tom. IV. p. 105. seqq. de Gallicis Brunet Manuel du Libraire, et de Britannicis Bruggemannum.

RECENSUS CODICUM MSS.

P. TERENTII AFRI

QUI IN BIBLIOTHECIS BRITANNICIS ASSERVANTUR.

In Museo Britannico.

In *Biblioth. Reg.* 15 A. VIII. est codex valde antiquus, qui continet, inter alia classica, Publii Terentii Afri Comœdias. Quiddam deficit in Phormione, nempe in Scena prima Actus tertii. Membran. circa sæc. XI.

15 A. XI. Terentii Comœdiæ. Codex chartac. valde antiquus, nempe sæc. XI. Nitide scriptus, sine gloss. aut notis.

15 A. XII. Comœdiæ Terentii. Codex membran. valde antiquus, sæc. X. cum notis marginalibus.

15 B. VIII. Comœdiæ Terentii, sæc. XV.

In *Biblioth. Harl.* N. 2455. est cod. chartac. sæc. XV. sine gloss. aut comment. qui Terentii Comœdiis, cum Vita ejus a Donato, subjuncta habet Hexametra quædam, Epigramma, et Fragmentum.

N. 2456. Codex est Terentii partim chartac. partim membran. Textus scribitur sine versuum distinctione. Pauculas habet annott. Nitide scriptus, sed quiddam mutilus, sæc. XV.

N. 2475. Codex est chartac. illumin. sæc. XIII. continens, inter alia classica, Publii Terentii Afri Vitam, sed initio carentem, et sex ejusdem Comœdias, sine versuum distinctione scriptas.

N. 2496. Codex chartac. sæc. XV. cum paucis annott. ad duas primas Comœdias.

N. 2524. Codex membran. illumin. sæc. XIII. continens Vitam et Comœdias Terentii. Sine gloss. aut notis.

N. 2525. Codex membran. sæc. XIV. continens sex Comœdias Terentii cum gloss. interlineari, et notis marginalibus. Præfigitur Vita Terentii, et subjungitur, 'Fr. Petrarchæ Exaratio, quis Terentius iste fuerit.'

Codicum Terentii magna copia est. Præter hos jam dictos, Biblioth. Harl. complectitur octodecim alios diversi characteris et pulchritudinis.

Inter Codices *Burneianos* sunt septem Terentii, N. 261. sqq. quorum paucæ quædam paginæ collatæ sunt vel ad editionem Ricardi Bentleii, recusam Amstelodami 1727. vel ad paginas editionis Westerhovianæ, Hagæ-Comitum editæ 1726.

Terentius, Par. 4to. cum notulis Mss. Ricardi Bentleii.

Terentius ex recensione Fabri, cum notulis Mss. R. Bentleii.

Terentius 12mo. cum plurimis notis Mss. Hæc ed. sine titulo est, sed plane non antiqua. Olim fuit Antonii Askew, M. D.

Codices Oxonienses.

In *Biblioth. Bodl.* vetus est codex Terentii Comœdiarum. Quinque etiam alii codices ejusdem bibliothecæ numerantur, quibus addatur alius inter *Ashmol.* Horum præcipuæ variæ lectiones videndæ sunt, manu scriptæ, in ed. sine a. et l. olim Askeuii, nunc in Museo Britannico, quem nos alibi notavimus.

Inter codd. Mss. et impressos cum notis Mss. olim *Dorvillianos:* X 1. 1, 19. Terentii Comœdiæ. Cod. membr. ff. 145. in fol. Catal. Gaisford.

X 1. 1, 20. Terentii Comœdiæ. In fine: 'Jacobus de machariis venetus scripsit in civitate Senap. MCCCCLXI. Octobris.' Codex membr. ff. 131. in fol. Catal. Gaisford.

X 1. 5, 8. Terentii Comœdiæ sex, cum scholiis. In fine: 'Transcriptus est ab exemplari B. laurentii de monacis crcte cancelarii. secundum modum metrorum reductus. sicut fuit compositus, quam potui conrecte.' f. 1—142. Codex membr. in 4to. min. Catal. Gaisford.

X 2. 4, 23. P. Burmanni Commentarius in Terentii Andriam, Eunuchum, et Heautontimorumenon. Ms. pp. 401. in 4to. Catal. Gaisford.

X 2, 6. 29. Terentius Glareani. Venetiis ap. Melchiorem Sessum 1543. 8vo. In summo p. 9. scr. 'Baccii Valerii κτῆμα καὶ τῶν φίλων.' Ibid. ad argumentum metricum Andriæ: 'Ego Angelus Politianus contuleram codicem hunc cum venerandé vetustatis codice majoribus conscritto litteris quem mihi utendum commodavit P. Bembus—observavi autem quod consuevi ut ad unguem escriberem et qué plane mendosa videbantur; erat enim liber inversus digestus pene litteris simillimis earum quibus et pisané pandecté et virgilianus Palatinus codex est esaratus ipse etiam Bembus operam suam in conferendo commodavit.' Vide Victorium V. L. IX. 15. et Præfationem Caroli Cocquelines p. iii. ad suam Terentii ed. Romæ 1767. 2 tom. fol. Catal. Gaisford.

X 2. 6, 30. Terentius ap. Elzevir. 1635. 4to. cum Ms. an. 1441. a Gisb. Cupero collatus. Catal. Gaisford.

X 2. infr. 2, 1. Notæ sive VV. LL. in Terentium. 1. Collatio cum cod. scripto 1461. pp. 48.—2. Collatio cum cod. cum Scholiis: pp. 195.—3. Notæ Mss. in Terentium ex ed. R. Steph. 1529. pp. 84. Ms. Strackhovii in 4to. Catal. Gaisford.

Inter Codices E. D. Clarke, codex membran. pulcherrime exaratus, in 4to. min. In fine: 'Explicit Echirra Comœdia sexta et ultima, quæ secundum quosdam est quinta, Phormio autem sexta.—Scriptus fuit manu Gherardi Johannis Delceria civis et notarii Florentini A. 1466.'—'Nescio quis,' ait doctissimus editor Catalogi, 'male sedulus ultimum c, quo codici suo major accederet auctori-

tas, scalpello abraserat, ita tamen ut ejus etiamnum planissima extent vestigia.'

Codicibus Bodleianis etiam adjiciendus est cod. membr. 4to. maj. Terent. Comœd. continens, sine gloss. et annot. 'Singulis fere paginis sunt figuræ larvatæ, ad partes ibidem actas accommodatæ, et a manu delineatæ. Deficit in Phormione Act. v. sc. 6. sub l. 13. 'homo, hominum *ornatissime*,' quod in codice legitur *honoratissime*. Autographum cl. Porsoni notandum est in rasa pagina, sub initio, indicans, quod ante pag. 235. 6. fol. unum continet Prisciani Tract. de Metris Comicis. Præfixa sunt hæc verba: 'Egregium hunc librum Bibliothecæ Bodl. dedit vir spectabilis Nicolas Trevile Lambton de Hardwicke in agro Dunelmensi Armiger, A. D. 1704.'

Inter libros, manu exaratos, numerandæ sunt etiam Joh. Frederici Gronovii NOTÆ, olim cl. viri Edvardi Bernardi. Impressæ Oxon. in Theatro Sheldoniano. 8vo. 1750.

In *Coll. Magdalensi*, Terentii Comœdiæ cum scholiis. Præmissa est Præfatio Francisci Petrarchæ, Epitaphium Terentii, 'Natus in excelsis,' &c. et Argumenta in omnes Comœdias. Ante Phormionem et Hecyram adjecta alia Argumenta in omnes Comœdias. Ad finem iterum descriptum est Epitaphium. Membran. illum. sæc. XV. Hæc debemus doctissimo hujusce Collegii Præsidi.

In *Coll. Corp. Christi*, ubi multi et pretiosi codices asservantur, sunt Comœdiæ Terentii in cod. membran. scripto a. 1450. 4to. Sub finem: 'Explicit Terentii, Poëtæ Comici, Viri clarissimi, Comœdia sexta et ultima feliciter.' Bonus censetur hic codex.

In *Coll. S. Joannis* codex est Terentii membran. pulcher, illumin. cum scholiis. Sub initio scribitur, A. D. 1477. Præfigitur: 'Ex dono Gulielmi Laudi, sacræ Theologiæ Doctoris, et ejusdem Collegii socii. A. D. 1610.'

Ibidem est alius codex Terentii membran. pulcher, illumin. In primæ paginæ margine scribitur: 'Sum Benj. Jonsoni Liber.' Sæc. XV.

Coll. Baliol. codicem possidet, Terentii Comœdias cum aliis manu scriptis miscellaneis continentem. Mutilus est usque ad medium sc. secundæ act. secundi: alias est integer et pulchre exaratus. E codicibus est quos Grayus, Episcopus Eliensis, secum ex Italia tulit; sæc. XV. Hæc nobiscum benigne communicavit Reverendus hujusce Collegii librarius.

Canonici Lat. 94. Terentii Andria et Heautontimor. cod. chart. sine gloss. interlin. aut annott. marginal. sub finem utriusque comœdiæ: 'Calliopius recensui.'

Canonici Lat. 95. Donati Grammatici Comment. in Terent. Chartac. sæc. XV. cum paucis variis lect. et annott. Sub finem: 'Donati Grammatic. Comment. in Phormionis Comediam feliciter explicit.'

Canonici Lat. 96. Terent. Afri Comœd. Cod. script. Florent. 1419. Cum multis annott. marg. sub finem singularum Comœdiarum. Sub finem vero codicis hæc verba: 'Scripscit (sic script.) presbiter guilermus de regno. laus sit Deo et omnibus sanctis.'

Canonici Lat. 97. Terentii Fragmenta. Cod. chartac. sæc. XV. sine gloss. aut annott. Sub fin. 'Calliopius recensui.'

Canon. 98. Terent. elegant. script. et illum. Sæc. XV. cum annott. marg.

Canon. 99. Terent. Comœd. Cod. membr. nitide script. in manu Italica, sæc. XV. Sine gloss. interl. aut annott. marginal. Sub fin. singularum Comœdiarum: 'Calliopius recensui.'

Inter Canon. sex alii sunt Codd. membran. et chart. plerumque eleganter script. et illum. Horum unus cod. chartac. (a. 1448.) habet gloss. interlin. et annott. marginales.

In *Coll. Oriel.* Annotationes Mss. in duas Terentii Comœdias.

Codices Cantabrigienses.

Bibliotheca *Domus Petrensis* habet unum cod. membran. vetustum et integrum, a Bentlejo notatum.

Aula Pembrociensis Terentium possidet cum expositione et notis.

Bentleius, in editione sua Terentii, sæpe commemorat codicem Academicum, at sæpius loquitur non definite, sine ulla ejusdem designatione; est etiam ubi satis confidenter, interdum plus quam satis, codices valere jubet; at quidem codices scripti maculis fœdissimis ipsi non raro scatent.

In *Caii Coll.* codex est membran. 4to. sæc. XI. in quo continentur Terentii Comœdiæ omnes. Deest primum folium. N. 231. Nasmith.

Cod. chartac. forma minori, in quo continentur, 1. Fragmentum libri impressi, cujus titulus : 'Vulgaria Terentii in Anglicanam Linguam traducta, Londoniis impressa in Abchirche lane per me Gulielmum Faques Normannum.'—2. Collectanea quædam (Mss. sæculo XV. exarata) de Metro et Versu, cum multis versibus, de quibus hæc annotavit Parkerus: 'Hic libellus vilis videri potest; sed nullus liber tam humilis quin ejus aliquis usus esse potest, ut in hoc videre licet artem componendorum carminum qua usi sunt poëtæ posterioris temporis in versibus suis resonantibus: fortasse non facile reperias alibi rationem qua usi sunt.—Hic liber exemplum esse potest ne facile contemnatur scriptum etiamsi facie inculta.' N. 386. Nasmith.

Codex Edinensis.

In *Bibliotheca Advocatorum* apud Edinenses unus est codex scriptus Terentii, membran. 8vo.

Codex Glasguensis.

In *Bibliotheca Universitatis Glasguensis*, ubi multa præclara restant, est unus codex Ms. Terentii, cum notis. Multas exhibet varias lectiones.

INDEX

IN

TERENTIUM.

INDEX

IN

TERENTIUM.

A. Andriam designat, *Eu.* Eunuchum, *Hea.* Heautontimorumenon, *Ad.* Adelphos, *He.* Hecyram, *Ph.* Phormionem.

C.

sibi postputavit esse præ meo commodo Ad. ii, 3. 9 Cui tam subito tot contigerint commoda Eu. v, 9. 3 Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum est ferre He. v, 3. 42 Quam maxume servire vestris commodis Hea. Prol. 50 Hec. Alt. Prol. 43 Matris servibo commodis He. iii, 5. 45 Atque ex incommodis alterius sua ut comparent commoda? A. iv, 1. 4 Ille alter sine labore patria potitur commoda Ad. v, 4. 17 Tu illis fruare commodis Eu. ii, 3. 80

Commodus, a, um. Ædepol commissatorem haud sane commodum Ad. v, 2. 8 Mulier commoda, et faceta, hæc meretrix Hea. iii, 2. 10 Quot commodas res attuli! He. v, 3. 19 Si id non commodum est, ut redeat Eu. iii, 2. 49 Si commodum est; apud me sis volo Hea. i, 1. 109 Dabitur a me argentum, dum erit commodum Ad. i, 2. 38 Quod erit mihi bonum, atque commodum Ph. i, 2. 81 Exsequias Chremeti, quibus est commodum, ire, hem! tempus est Ph. v, 8. 37 Hoc et vobis, et meæ commodum famæ arbitror He. iv, 2. 9 Commodiorem hominem, adventum, tempus, non vidi A. v, 2. 3 Commodius esse opinor duplici spe utier Ph. iv, 2. 13 Sic pol commodius esse in omnes arbitror Ph. v, 3. 31

Commoneo. Aliorum exempla commonent A. iv, 5. 17 Ut neque amor, neque pudor commoveat, neque commoneat, ut servem fidem? A. i, 5. 45

Commonstro. Quod peto, et volo, parentes meos ut commonstres mihi Hea. v, 4. 4 Hominem commonstrarier mihi istum volo Ph. ii, 1. 75

Commorior. Eam Commorientes Plautus fecit fabulam Ad. Prol. 7

Commoror. Quid illic tam diu, quæso, igitur commorabare? Ph. iv, 1. 7

Commoveo. Commovi A. ii, 6. 25 Commorat omnes nos Ph. i, 2. 51 Dormiunt: pol ego istos commovebo Hea. iv, 4. 8 Neque amor, neque pudor commoveat, neque commoneat, ut servem fidem? A. i, 5. 45 Neque commovetur animus in ea re tamen A. i, 1. 67 In hac commotus sum Eu. iii, 5. 19 Vix sum apud me, ita animus commotus est metu A. v, 4. 34 Quidnam ille commotus venit? Ph. i, 4. 6 Ego jam te commotum reddam A. v, 2. 23

Communico. Nonne prius communicatum oportuit? A. i, 5. 4

Communis, e. Leno sum, fateor; pernicies communis adolescentium Ad. ii, 1. 34 Eccum adest communis corruptela nostrum liberum Ad. v, 3. 7 Quemquamne animo tam communi esse, aut leni putas? Hea. v, 1. 39 Vitium commune omnium est, quod Ad. v, 8. 30 Id oro te, in commune ut consulas A. iii, 3. 16 Et hæc, communia omnium quæ sunt patrum He. i, 2. 42 Communia esse amicorum inter se omnia Ad. v, 3. 18 Communia esse hæc: fieri posse Ph. ii, 1. 15

Commuto. Ubi satias cœpit fieri, commuto locum Eu. v, 6. 3 Tria non commutabitis verba hodie inter vos Ph. iv, 3. 33 Crede, nunquam hodie tecum commutaturum patrem unum esse verbum A. ii, 4. 7

Como. Dum moliuntur, dum comuntur, annus est Hea. ii, 2. 11

Comœdia. Συναποθνήσκοντες Diphili Comœdia est Ad. Prol. 6 Ex integra Græca, integram Comœdiam hodie sum acturus Hea. Prol. 5 Adporto novam, Epidicazomenon quam vocant Comœdiam Græci Ph. Prol. 26 Posthac quas faciet de integro Comœdias A. Prol. 26 Placet, non fieri hoc itidem, ut in Comœdiis He. v, 4. 26

Comparco. Quod ille unciatim vix de demenso suo, suum defraudans genium, comparsit miser Ph. i, 1. 10

Comparo. An potius ita me comparem, non perpeti meretricum contumelias? Eu. i, 1. 2 Immo enim si scias, quod donum huic dono contra comparet Eu. ii, 3. 63 Aurum, atque vestem, qui, tenesne? Ch. Comparet? Sy. Id ipsum Hea. iv, 5. 30 Des qui aurum, ac vestem, atque alia, quæ opus sunt, comparet Hea. iv, 8. 15 Atque ex incommodis alterius sua ut comparent commoda? A. iv, 1. 4 Ut ex illius commodo meum compararem commodum Hea. ii, 4. 17 Di vostram fidem! ita comparatam esse hominum naturam omnium? Hea. iii, 1. 97 Nunquam vidi iniquius concertationem comparatam, quam Ad. ii, 2. 4 Quam inique comparatum est! Ph. i, 1. 7 Au! ne comparandus hic quidem ad illum est Eu. iv, 4. 14

Compedes. Herus si redierit: vapulandum: habendæ compedes Ph. ii, 1. 19

Comperio. rior. Comperiebam: nihil ad Pamphilum quicquam attinere A. i, 1. 63 Atqui certo comperi Eu. v, 1. 9 Ubi comperi ex iis, qui ei fuere conscii Hea. i, 1. 69 Nunc quum ego te esse præter nostram opinionem comperi He. v, 1. 36 Cognatam comperi esse nobis Ph. v, 3. 18 Primum jam de amore hoc comperit A. i, 3. 6 Nam si compererit crimini tua se falso uxor credidisse He. v, 2. 13 Clamitans, indignum facinus! comperisse A. i, 1. 118 Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chremes A. v, 3. 31

Complacita. Postquam me amare dixi, complacita est tibi A. iv, 1. 21 Ejus sibi complacitam formam, postquam aspexerit Hea. iv, 5. 24

Complector. Adcurrit: mediam mulierem complectitur A. i, 1. 106

Complures. Emtæ mulieres complures Ad. ii, 2. 22 Servos complures (habes) Hea. i, 1. 13 Ubi ibi est dies complures He. i, 2. 110 Ego te complures advorsum ingenium meum menses tuli Ph. iii, 2. 35 Multa advenienti, ut fit, nova hic, compluria Ph. iv, 3. 6

Complusculi. Primo dies complusculos bene conveniebat sane inter eas He. i, 2. 102

Compono. I ergo intro, et compone, quæ tecum simul ferantur He. iv, 3. 5 Inter vos sic hæc potius cum bona ut componantur gratia, quam cum mala? Ph. iv, 3. 17 Res composita est: fiunt nuptiæ Ad. iv, 7. 17 Neque alio pacto componi potest inter eas gratia He. iii, 5. 29 Nihil videtur mundius, nec magis compositum quicquam Eu. v, 4. 13

Compos. Vix sum compos animi: ita ardeo iracundia Ad. iii, 2. 12

Composito. Composito factum est, quomodo hanc amans habere posset sine dote Ph. v, 1. 29

Compotrix. Quia compotrix ejus est A. i, 4. 5

Comprecor. Abi domum, ac Deos comprecare, ut uxorem arcessas Ad. iv, 5. 65 Tu potius Deos comprecare: scio obtemperaturos Ad. iv, 5. 70

Comprehendo. Hunc pro mœcho postea comprehendere intus, et constrinxere Eu. v, 6. 23 Comprehendi jube, quantum potest Eu. v, 1. 20

Compressus. (subst.) Virgo ex eo compressu gravida facta est Ad. iii, 4. 29

Comprimo. Accessi: astiti: animam compressi Ph. v, 6. 28 Vinolentus mulierculam eam compressit Ph. v, 8. 29 At tu pol tibi istas posthac comprimito manus Hea. iii, 3. 29 Homo se fatetur vi, in via, nescio quam compressisse He. v, 3. 30 Nam quum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est He. iv, 1. 57 Inde est cognitio facta, Philumenam compressam esse ab eo He. v, 3. 34

Comprobo. Postulo, atque oro, Chreme, ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes A. v, 1. 5

Conatus. Næ ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit! Hea. iv, 1. 8

Concalesco. Concaluit. quid vis? Hea. ii, 3. 108

Concedo. (Largior) Haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es He. ii, 2. 16 Ducenda est uxor, ut ais: concedo tibi Ph. iv, 4. 20 Nunquamne hodie concedes mihi, neque intelliges? Ph. v, 3. 22 Patrio animo victus, faciam, ut tibi concedam He. ii, 2. 3 Cui concedat, cujusque mores toleret sua modestia He. iii, 5. 28

Concedo. (Abeo) Concedam hinc intro, atque exspectabo, dum venit Eu. i, 2. 126 Prodit nescio quis: concedam huc Ad. iv, 4. 26 Hinc concedam in angiportum hoc proximum Ph. v, 6. 51 Concede ad dexteram A. iv, 4. 12 Concede istuc paululum Eu. iv, 4. 39 Tu concede paullum istuc, Thraso Eu. v, 9. 38 Concede hinc domum Hea. iii, 1. 90 Concede hinc a foribus paululum istorsum Ph. v, 1. 14 Ego impetrare nequeo hoc abs te biduum, saltem ut concedas, solum? Eu. i, 2. 102 At certe concedas hinc aliquo ab ore eorum aliquantisper Hea. iii, 3. 11 Si nunc de tuo jure concessisses paululum Ad. ii, 2. 9 Huc concessero Hea. i, 1. 122 Tempus est concedere He. iv, 2. 21 Rus habitatum abii, concedens vobis He. ii, 1. 27 Dic filiæ, rus concessuram hinc Sostratam He. iv, 4. 7 Pollicita est ea, se concessuram ex ædibus He. iv, 4. 57

Concertatio. Nunquam vidi iniquius concertationem comparatam Ad. ii, 2. 4

Concerto. Quid istuc est, quod te audio, nescio quid concertasse cum hero? Ad. ii, 2. 3

Concieo. Disperii! scelestus quantas turbas concivi insciens! Hea. v, 2. 17 Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit He. iii, 1. 33

Concilio. Exeo ergo, ut pacem conciliem Hea. v, 5. 2 Prodi, male conciliate Eu. iv, 4. 2

Conclamo. Ipsa est: ilicet! desine, jam conclamatum est Eu. ii, 3. 56

Conclave. Est mihi in ultimis con-

clave ædibus quoddam, retro Hea. v, 1. 29 Virgo in conclavi sedet Eu. iii, 5. 35

Concludo. Tot me nunc rebus miserum concludit pater He. iv, 4. 80 Quæ tot res, tantas, tam opportune in unum conclusit diem? Eu. v, 9. 17 Nam me jam in cellam aliquam cum illa concludam Ad. iv, 2. 13 Nam illum aliquo conclusissem Eu. iv, 3. 25 Ut ab illa excludar, huc concludar A. ii, 3. 12 Conclusam hic habeo uxorem sævam Ph. v, 1. 17

Concordo. Si concordabis cum illa, habebis, quæ tuam senectutem oblectet Ph. ii, 3. 86

Concors. Credo ea gratia concordes magis, si non reducam, fore He. iv, 3. 11

Concrepo. Concrepuit a Glycerio ostium A. iv, 1. 59 Sed ostium concrepuit! He. iv, 1. 6 Sed ostium concrepuit abs te Ph. v, 5. 12

Concubo. Nam aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus He. iii, 3. 33

Concurro. Multa concurrunt simul, qui conjecturam hanc facio A. iii, 2. 31 Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes Eu. ii, 2. 25 Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exaugeant Hea. ii, 2. 3 Tot concurrunt verisimilia Ad. iv, 4. 17

Concutio. At quem Deum? qui templa cœli summa sonitu concutit Eu. iii, 5. 42

Condecoro. Vobis datur potestas condecorandi ludos scenicos He. Alt. Prol. 37

Conditio. Et quæ vobis placita est conditio, datur He. ii, 1. 44 Accepit conditionem, dein quæstum occipit A. i, 1. 52 Hanc conditionem si cui tulero extrario Ph. iv, 1. 13 Harum duarum conditionum nunc utram malis, vide Hea. ii, 3. 85

Condono. Argentum quod habes, condonamus te Ph. v, 7. 54 Habeo alia multa, quæ, nunc condonabitur; quæ proferentur post Eu. Prol. 17

Conduco. Navem conductam, hoc scio Ad. ii, 2. 17

Conduplico. Idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit Ph. iii, 2. 31

Confabulor. Si quando ad eam accesserat confabulatum He. i, 2. 107

Confero. Illi suum animum alio conferunt Hea. ii, 4. 10 Conferunt consilia adolescentes Hea. iii, 1. 64 Vixque (animum) huc contuleram He. iii, 1. 18 Verum, ne post conferas culpam in me Eu. ii, 3. 96 Metuit semper, quem ipsa nunc capit fructum, ne quando iratus tu alio conferas Eu. iii, 1. 60 Quod si omnes omnia sua consilia conferant Ad. iii, 2. 1 Si ad rem conferentur (verba) vapulabit Eu. iv, 6. 4 Si conferendum exemplum est, non fratrem videt rei dare operam Ad. i, 2. 14

Conficio. Virginem quam amabat, eam confeci sine molestia Eu. v, 4. 6 Id ut conficerem. confeci Ph. i, 1. 4 Quantasque hic suis consiliis mihi confecit solicitudines A. iv, 1. 26 Numquid hic confecit? Ph. iii, 2. 24 Bonas, me absente, hic confecistis nuptias! Ph. ii, 1. 28 Simul et conficiam facilius ego, quod volo Hea. iv, 5. 55 Nam satis credo, si advigilaveris, ex unis geminas mihi conficies nuptias A. iv, 1. 51 Profecto, nisi caves, tu homo, aliquid gnato conficies mali Hea. v, 3. 1 Tam facillime patris pacem in leges conficiet suas Hea. v, 2. 45 Dum aliud aliquid flagitii conficiat Ph. v, 2. 5 Id ut conficerem. confeci Ph. i, 1. 4 Ne, cum hic non videant me, conficere credant argentum suum Ph. v, 5. 11 Quid? credebas, dormienti hæc tibi confecturos Deos? Ad. iv, 5. 59 Magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiæ Hea. v, 1. 22 Cura confectus (animus,) stupet A. ii, 1. 4 Nunc una mihi res etiam restat, quæ est conficiunda Ph. v, 5. 3

Confidens. Nescio qui senex modo venit, ellum, confidens, catus A. v, 2. 14 Homo confidens Ph. i, 2. 73

Confidenter. In qua re nunc tam confidenter restas, stulta? Hea. v, 3. 7

Confidentia. Tum quæ ejus confidentia est! Eu. v, 1. 23 O ingentem confidentiam! A. v, 3. 5

Confido. Salvom adfuturum esse hic, confido, propediem Hea. i, 1. 108 Quæ ego illis inesse video, ut confidam fore, ita ut volumus Ad. v, 3. 40

Confingo. Omnia hæc confingam Ph. i, 2. 81 Lacrumæ confictæ dolis A. iii, 3. 26

Confio. Hoc confit, quod volo Ad. v, 8. 23 Et spero, confore A. i, 1. 140

Confiteor. Atque hoc confiteor, jure mihi obtigisse A. iii, 5. 1 Ignosce: orat: confitetur: purgat Ph. v, 8. 40 Confitere, tuum non esse Hea. v, 3. 13 Egone confitear, meum non esse filium, qui sit meus? Hea. v, 3. 14 Quod ambo confiteamini sine periclo esse Hea. ii, 3. 97

Conflicto. Nec cum hujusmodi unquam usus venit, ut conflictares malo Ph. iii, 2. 20

Conflictor. Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi A. i, 1. 66

Conflo. Sæpe ex hujusmodi re quapiam, et malo principio, magna familiaritas conflata est Eu. v, 2. 36

Confugio. Nunc huc confugit He. iii, 3. 24 Neque tu scilicet eo nunc confugies Hea. iv, 5. 45 Memini, ad me nocte prima confugere anhelantem domum He. v, 3. 25

Confuto. Confutavit verbis admodum iratum patrem Ph. iii, 1. 13 Hic, ita ut liberos est æquom, dictis confutabitur Hea. v, 1. 76

Conger vel Congrus. Congrum istum maximum in aqua sinito ludere Ad. iii, 3. 23

Congero. Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum Eu. ii, 3. 18

Conglutino. Meretricios amores nuptiis conglutinas? A. v, 4. 10

Congredior. Congredere actutum Ph. v, 6. 12

Congruo. Mulier mulieri magis congruit Ph. iv, 5. 14 Omnes congruunt: unum cognoris: omnes noris Ph. ii, 1. 34 Concede hinc domum, ne nos inter nos congruere sentiant Hea. iii, 1. 91

Conjecto. Neque scio quid dicam, aut quid conjectem Eu. iii, 4. 5

Conjectura. Ex quibus conjectura facile fit Ad. v, 3. 36 Qui conjecturam hanc nunc facio A. iii, 2. 32 Quantum ex ipsa re conjecturam cepimus Hea. ii, 3. 25 Ego de me facio conjecturam Hea. iii, 3. 13

Conjicio. Suspicor. Annos sexaginta natus es, aut plus eo, ut conjicio Hea. i, 1. 11 Tu conjicito cetera Ph. i, 3. 14 Nequeo satis mirari, neque conjicere Eu. iii, 4. 9

Conjicio. Jacio. In nuptias conjeci herilem filium Ad. iii, 4. 23 In quod me conjeci malum? He. i, 2. 57 Qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias A. iii, 5. 14 Hæc ubi aperuit ostium, continuo hic se conjecit intro Hea. ii, 3. 36 Ne me in lætitiam frustra conjicias Hea. ii, 3. 51 Ne me in breve conjicias tempus, gaudio hoc falso frui He. v, 4. 2 Aliquid convasassem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes Ph. i, 4. 13 Si omnes hunc conjectum in nuptias inimici vellent A. iv, 1. 43

Conjugium. Consuetudine et conjugio liberali devinctum A. iii, 3. 29

Conjuratio. Quid hoc genus est? quæ hæc est conjuratio? He. ii, 1. 1

Conor. At ego obviam conabar tibi, Dave Ph. i, 2. 2 Scio quid conere A. iv, 2. 20 Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis fallaciæ conari, quo fiant minus A. i, 2. 26 Hem, egone istuc conari queam? A. i, 5. 35 Conari manibus, pedibus, noctesque et dies A. iv, 1. 53

Conqueror. Neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri He. iii, 3. 15

Conscindo. Vestem omnem miseræ discidit: tum ipsam capillo conscidit Eu. iv, 3. 4 Virgo conscissa veste lacrumans obticet Eu. v, 1. 4

Conscius, a, um. Parturire eam, neque gravidam esse ex te, solus conscius He. iii, 3. 32 Qui tam audacis facinoris mihi conscius sis? Ph. i, 3. 4 Ubi comperi ex iis, qui ei fuere conscii Hea. i, 1. 69 Ego, pol, quæ mihi sum conscia, hoc certo scio Eu. i, 2. 119 Postremo, quando ego conscia mihi sum, a me culpam esse hanc procul Ad. iii, 2. 50

Consector. Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt, nec sunt: hos consector Eu. ii, 2. 18

Consequor. Ego consequor Hea. ii, 3. 36 Recta conseouor He. iii, 3. 12 Mater consequitur He. iii, 3. 18 Cum eam consequitur alienus puer He. iv, 4. 27 Bacchis consecuta est ilico Hea. v, 1. 32 Quæ consecuta est nox He. i, 2. 62 Matrem ipsam ex ægritudine miseram mors consecuta est Ph. v, 1. 23 Sed quam cito sunt consecutæ mulieres! Hea. ii, 3. 134 I, sodes, intro; consequar jam te, mea mater He. iii, 2. 23 Hasce ornamentis consequentur alteræ Hea. iv, 7. 9 Necesse est, Clitipho, consilia consequi consimilia Hea. i, 2. 35

Conserva. Summa forma conservam domi videbit Eu. ii, 3. 74 Conservam esse credidi. Py. Conservam! Eu. v, 2. 19. 20

Conservo. Conservasti te, atque illam Hea. iv, 1. 40 Conserva, quære, parce Ad. v, 3. 27

Conservus. Conservis ad eundem istunc præcipio modum Ad. iii, 3. 70

Considero. Cum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero Hea. ii, 4. 5

Consilium. Consilium illud rectum

D.

A. iv, 1. 60 Hem! modone id demum sensti, Pamphile? A. v, 3. 11 Audio nunc demum, et video, et valeo Hea. ii, 3. 3 Vah! nunc demum intelligo Hea. ii, 3. 12 Nunc demum venis? Ad. ii, 2. 25 Verum enim vero id demum juvat Ad. ii, 3. 2 Nunc demum istæc nata oratio est? Ad. v, 3. 19 Ego novus maritus anno demum quinto et sexagesimo fiam! Ad. v, 8. 15 Ibi demum ita ægre tulit He. i, 2. 53

Denarro. Hæc adeo ego illi jam denarrabo Ph. v, 7. 51

Denego. Qui denegarat se commissurum mihi gnatam suam uxorem A. i, 5. 6 Ut per falsas nuptias vera objurgandi causa sit, si deneget A. i, 1. 131 Dare denegaris: ibit ad illud ilico, quo Hea. iii, 1. 78 Et tamen res cogit denegare A. iv, 1. 9 In denegando modo quis pudor paululum adest A. iv, 1. 6

Denique. Denique ita tum discedo ab illo A. i, 1. 120 Incommoditas denique huc omnis redit A. iii, 3. 35 Denique nullum est jam dictum, quod Eu. Prol. 40 Verba huc redeunt denique Eu. i, 2. 78 Denique metuebant omnes jam me Eu. iii, 1. 42 Denique par pari referto Eu. iii, 1. 54 Denique nullum remittis tempus Hea. i, 1. 17 Metui, quid futurum denique esset Hea. iii, 3. 8 Denique, si conferendum exemplum est Ad. i, 2. 13 Denique, inspicere, tanquam in speculum jubeo Ad. iii, 3. 60 Denique animam relinquam potius Ad. iii, 4. 51 Denique hic volt fieri Ad. v, 9. 12 Tundendo, atque odio denique effecit senex He. i, 2. 48 Sed illam spero abituram denique He. i, 2. 81 Denique, ubi non quit pati He. i, 2. 108 Denique hercle aufugerim potius, quam redeam He. iii, 4. 10 Oremus, accusemus gravius, denique minitemur He. iv, 4. 95 Denique hercle jam pudebat He. v, 3. 8 Quid fit denique? Ph. i, 2. 71 Vereor, ne istæc fortitudo in nervom erumpat denique Ph. ii, 2. 11 Hæc denique ejus fuit postrema oratio Ph. iv, 3. 44 Denique ego missus sum, te ut requirerem Ph. v, 6. 41

Dens. Omnes dentes labefecit mihi Ad. ii, 2. 36

Denuo. Jube, mihi denuo respondeat Eu. iv, 4. 24 Dabit hic aliquam pugnam denuo Eu. v, 2. 60 An dum hinc denuo abeat Hea. iii, 2. 32 Metuo, quam ne denuo miser aliquo extrudar hinc Hea. iv, 6. 4 Refero denuo He. Alt. Prol. 30 In eandem vitam te revolutum denuo video esse He. iv, 4. 69 Cum patre idem recipit se intro denuo Ph. v, 6. 39

Deorsum. Ne sursum, deorsum cursites Eu. ii, 2. 47 Nostin' porticum, apud macellum, hanc deorsum? Ubi eo veneris, clivos deorsum vorsus est Ad. iv, 2. 34. 36

Depeciscor. Jam depecisci morte cupio Ph. i, 3. 14

Depereo. Minimeque miror, Clinia hanc si deperit Hea. iii, 2. 14

Depexus. Adeo exornatum dabo, adeo depexum, ut Hea. v, 1. 78

Depingo. Probe horum facta imprudens depinxit senex Ph. ii, 1. 38

Deporto. Non hoc publicitus scelus hinc deportarier in solas terras? Ph. v, 7. 85

Depravo. Nihil est, Antipho, quin male narrando possit depravarier Ph. iv, 4. 17

Deputo. Tun' virum me, aut hominem deputas adeo esse? He. iv, 1. 9 Sed quando sese esse indignam deputat matri meæ He. iii, 5. 27 Næ meam herus esse operam deputat parvi pretii He. v, 3. 1 Quicquid præter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro Ph. ii, 1. 21 Malo quidem me dignum quovis deputem, si Hea. i, 1. 83 Quicquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro Ph. ii, 1. 16

Derepente. Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam He. iv, 1. 3 Nam si is posset ab ea sese derepente avellere He. iv, 1. 39

Derideo. Derides? Hea. v, 1. 42. Ad. v, 3. 66 Hunc comedendum et deridendum vobis propino Eu. v, 9. 57 Monstrum; etiam ultro derisum advenit Eu. v, 2. 21

Derivo. In me omnem iram derivem senis? Ph. ii, 2. 9

Describo. Qui bene vertendo, et eas describendo male Eu. Prol. 7

Desero. Si deseris tu, perimus Ad. iii, 4. 12 Mulier telam deserit continuo He. ii, 3. 64 Omnes noti me, atque amici deserunt Eu. ii, 2. 7 Me in his deseruisti malis Hea. ii, 3. 17 Animam relinquam potius, quam illas deseram Ad. iii, 4. 52 Tum autem hoc timet, ne deseras se A. i, 5. 35 Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras A. i, 5. 56 Ne quam aliam quærat copiam, ac te deserat Hea. v, 1. 54 Quicum vivat: illam deserat Ad. iii, 4. 31 Amicas te, et cognatas deserere, et festos dies, mea causa, nolo He. iv, 2. 16 Hanc fidem sibi, me obsecravit, qui se sciret non deserturum, ut darem A. ii, 3. 28 Per omnes tibi adjuro Deos, nunquam eam me deserturum A. iv, 2. 11

Desertus, a, um. Apud illum sunt ambo: ego desertus sum Ad. v, 4. 19 Quæ essem anus deserta, egens, ignota Ph. v, 1. 24 Nisi si prospectum interea aliquid est, desertæ vivimus Hea. ii, 4. 11 Ego me in pedes in angiportum quoddam desertum Eu. v, 2. 6

Desideo. Frustra ubi totum desedi diem He. v, 3. 2

Desiderium. Ædepol te desiderium Athenarum arbitror, Philotium, cepisse sæpe He. i, 2. 13 Ita magno desiderio fuit ei filius Hea. iv, 5. 5 Ut facile scires, desiderio id fieri tuo Hea. ii, 3. 66

Desidero. Quanto diutius abest, magis cupio tanto, et magis desidero Hea. iii, 1. 16 Quid? nostin' qui sim? Æs. Non desidero Ad. ii, 1. 23 Amoque, et laudo, et vehementer desidero He. iii, 5. 38 Dies noctesque me ames: me desideres Eu. i, 2. 113

Designo. Illa, quæ antehac facta sunt, omitto: modo quid designavit! Ad. i, 2. 7

Desino. Hem! desino Ad. i, 2. 57 Ah! pergisne? De. Jam jam desino Ad. v, 3. 67 Non agam? immo haud desinam, donec perfecero hoc Ph. ii, 3. 72 Bidui est aut tridui hæc solicitudo. nosti? deinde desinet A. ii, 6. 10 Ubi ea causa erit ademta his, desinent A. v, 1. 18 Ah! desine. solus est, quem diligunt Di A. v, 6. 8 Ipsa est, ilicet! desine: jam conclamatum est Eu. ii, 3. 56 Ohe! jam desine Deos, uxor, gratulando obtundere Hea. v, 1. 6 Aut desine, aut cedo quemvis arbitrum Ad. i, 2. 43 Præsto est; desine Ph. i, 2. 1 Ohe! desine Ph. ii, 3. 30 Desinas Eu. v, 2. 45 Audistin'? Sy. Potin' ut desinas? Ad. iv, 1. 23 Tua quod nihil refert, percontari desinas He. v, 3. 12 Desinas: sic est ingenium Ph. i, 2. 19 Is ne erret moneo, et desinat lacessere !Eu. Prol. 16 Desinant maledicere, malefacta ne noscant sua A. Prol. 22

Desisto. Nunquam destitit instare, ut dicerem, me esse ducturum, patri: suadere, orare A. iv, 1. 36 Hoc percontarier desiste He. i, 2. 30 Ut herus his desistat litibus Ph. iv, 3. 29

Despicatus, a, um. Quæ nos, nostramque adolescentiam habent despicatam Eu. ii, 3. 92

Despolio. Tum, ipsam despoliare non libet A. iv, 5. 21

Despondeo. At ego illi neque do, neque despondeo Hea. iv, 5. 31 Placuit: despondi: hic nuptiis dictus est dies A. i, 1. 75 Quin jam virginem despondi Ad. iv, 7. 17 Si vis mihi uxorem dare, quam despondisti, ducam Ph. v, 7. 32 Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit? Ad. iv, 5. 36 Despondit ei gnatam hujus vicini proxumi He. i, 2. 49 Egon' cui daturus non sum, ut ei despondeam? Hea. iv, 5. 36 Illum aiunt velle uxorem, ut quum desponderim; des qui aurum, ac vestem Hea. iv, 8. 14 Intus despondebitur; intus transigetur A. v, 6. 16 Si voles, desponsam quoque esse dicito Hea. iv, 8. 26 Nam ubi desponsam nuntiasti filio Hea. v, 1. 18

Desum. Non ratio, verum argentum deerat Ph. ii, 1. 69 Deerit? id mea minime refert Ad. v, 4. 27 Vah! quasi desit locus Hea. iii, 3. 26 Palam beatus: ni unum hoc desit Ph. i, 3. 18

Deterior, rimus. Animum ægrotum ad deteriorem partem applicat A. i, 2. 22 Deteriores omnes sumus licentia Hea. iii, 1. 74 Quibus id maxime utile est, illum esse quam deterrimum A. v, 1. 16

Deterreo. Quum placo, advorsor sedulo, et deterreo Ad. i, 2. 64 Rectum est? ego ut faciam: non est? te ut deterream Hea. i, 1. 27 Deterruissem facile, ne alias scriberet He. Alt. Prol. 19 Maledictis deterrere, ne scribat, parat Ph. Prol. 3 In deterrendo voluissem operam sumere He. Alt. Prol. 17

Detineo. Detineo te fortasse Eu. ii, 2. 49 Pol me detinuit morbus Ph. iv, 1. 8

Detraho. De digito anulum detraho Hea. iv, 1. 38 Adsido, adcurrunt servi, soccos detrahunt Hea. i, 1. 72 Dic dum: Chærea tuam vestem detraxit tibi? Eu. iv, 4. 40 Dicitque sese illi anulum, dum luctat, detraxisse He. v, 3. 31 Neque detractum ei est quicquam He. iv, 1. 58

Detrimentum. De te satis scio, peccando detrimenti nihil fieri potest He. ii, 1. 37

Devenio. Menedemi vicem miseret me; tantum devenisse ad eum mali Hea. iv, 5. 2

Deverbero. Quot me censes homines

cerem novas, studiose He. Alt. Prol. 10 Domi habuit, unde disceret Ad. iii, 3. 59 Nunc, quamobrem has partes didicerim, paucis dabo Hea. Prol. 10 Cœpit me obsecrare, ut sibi liceret discere id de me Eu. ii, 2. 31 Mihique ut discere novas expediat He. Alt. Prol. 48

Discordia. Facis injuriam, cum fingis falsas causas ad discordiam He. iv, 4. 71

Discordo. Qui scis eos nunc discordare inter se ? A. iii, 3. 43

Discrucior. Discrucior animi Ad. iv. 4. 1

Discus. Immo apud libertum Discum Eu. iii, 5. 60

Disertus, a, um. At etiam primo callidum et disertum credidi hominem Eu. v, 7. 10

Disjungo. Atqui ea res multo maxume disjunxit illum ab illa He. i, 2. 86

Dispendium. Virginem quam amabat, eam confeci sine sumtu, sine dispendio Eu. v, 4. 7 Ut gratiam ineat sine suo dispendio He. v, 2. 29

Dispereo. Amabo, quid tibi est ? An. Disperii ! perii misera ! Hea. ii, 4. 24 Disperii ! scelestus quantas turbas concivi insciens ! Hea. v, 2. 17 Disperii ! Ctesiphonem audivi una affuisse in raptione Ad. iii, 3. 1

Dispergo. Capite primum in terram statuerem, ut cerebro dispergat viam Ad. iii, 2. 19 An tibi jam mavis cerebrum dispergi hic ? Ad. v, 2. 7

Dispicio. Sed sine paululum ad me redeam : jam aliquid dispiciam A. iii, 5. 16

Displiceo. Eheu, quam ego nunc totus displiceo mihi ! Hea. v, 4. 20 Ubi scies : si displicebit vita, tum istoc utitor Hea. v, 2. 19

Dispudet. Dispudet, sic mihi data esse verba Eu. v, 1. 16

Disputo. In eo disputant, contaminari non decere fabulas A. Prol. 15

Disrumpor. Disrumpor Ad. iii, 3. 15

Dissimilis, le. Non quod dissimilis res sit, sed quod is, qui facit Ad. v, 3. 39 Non ita dissimili sunt argumento, sed tamen dissimili oratione sunt factæ, ac stilo A. Prol. 11. 12 Is adeo dissimili studio est, jam inde ab adolescentia Ad. i, 1. 16

Dissimulo. Etsi ea dissimulas sedulo He. iv, 2. 2 Metuit hic nos, tametsi sedulo dissimulat Ph. ii, 3. 82 Nonne ea dissimulare nos magis humanum est, quum ? He. iv, 1. 37 Bene dissimulatum amorem et celatum indicat A. i, 1. 105

Dissolvo. Dissolvi me, otiosus operam ut tibi darem Hea. iii, 1. 102 Aliquantulum quæ afferret, qui dissolverem, quæ debeo Ph. iv, 3. 50

Distædet. Me cum hoc ipso distædet loqui Ph. v, 8. 22

Distorqueo. Oh ! illud vide ; os ut sibi distorsit carnufex ! Eu. iv, 4. 3

Distraho. Illam a me distrahit necessitas He. iii, 5. 42 Phanium, abs te ut distrahar, nulla est mihi vita expetunda Ph. i, 4. 24 Tum horunc' amorem distrahi poterin' pati ? Ph. iii, 2. 33

Distribuo. Id distributum sane est ex sententia Ad. iii, 3. 17

Disturbo. Ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias A. i, 2. 11

Diu. Diutius. Ubi ubi est, diu celari non potest Eu. ii, 3. 4 Thaidem non scivi nobis vicinam. Ch. Haud diu est Eu. ii, 3. 67 Satis diu hoc jam saxum volvo Eu. v, 9. 55 Diu etiam duras (partes) dabit Hea. ii, 4. 22 Ut sit satius perdere, quam hic manere tam diu Ad. ii, 2. 27 Satis diu dedisti verba Ad. iv, 4. 11 Neque enim diu huc commigrarunt Ad. iv, 5. 15 Ubi te oblectasti tam diu ? He. i, 2. 9 Quæ (ira) tam permansit diu He. iii, 1. 25 Nosne hoc celatos tam diu ? He. iv, 4. 23 Ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui Ph. i, 3. 13 Tibine hæc diutius licere speras facere ? Hea. i, 1. 50 Quanto diutius abest, magis cupio tanto Hea. iii, 1. 15 Nihil est, illic quod moremur diutius Hea. iv, 7. 6 Quam decrerim me non posse diutius habere He. i, 2. 73 Ne orata nostra nequeat diutius celare He. iv, 1. 60 Non potest celari nostra diutius jam audacia Ph. i, 4. 4 Postquam videt me ejus mater esse hic diutius Ph. iv, 1. 3

Diverse, vel Divorse. Tot me impediunt curæ, quæ meum animum divorse trahunt A. i, 5. 25

Diverticulum. Ubi ad ipsum veni diverticulum, constiti Eu. iv, 2. 7

Dives. Divitior. Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti Ph. ii, 1. 46 Hi qui minus habent, ut semper aliquid addant divitioribus Ph. i, 1. 8

Divido. Non sat commode divisa sunt temporibus tibi, Dave, hæc A. iii, 1. 18

Dividuus, a, um. Sannio, servesne, an perdas totum, dividuum face Ad. ii, 2. 33

Divino. Plane hic divinat : nam id est He. iv, 4. 74

Divinus, a, um. Ait, rem divinam fecisse, et rem seriam velle agere mecum Eu. iii, 3. 7 Simulat se a matre arcessi ad rem divinam He. i, 2. 109

Divitiæ. Quæ sese inhoneste optavit parere hic divitias A. iv, 5. 2 Amicos, genus, cognatos, divitias Hea. i, 2. 20 Quasi is non divitiis abundet Hea. iii, 2. 16

Diutinus, a, um. Hæccine erant itiones crebræ, et mansiones diutinæ Lemni ? Ph. v, 8. 23

Divus. Pro Divum fidem ! Ad. iv, 7. 28

Do. Nunc id operam do A. i, 1. 130 Te isti virum do A. i, 5. 60 Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quicquam abs te pretii Eu. iv, 6. 11 Cum tibi do istam virginem Eu. iv, 7. 22 Do fidem, futurum Eu. v, 9. 30 Cum (puellam) exponendam do illi Hea. iv, 1. 37 Huic equidem consilio palmam do Hea. iv, 3. 31 At ego illi neque do, neque despondeo Hea. iv, 5. 31 Facio sedulo : do, prætermitto Ad. i, 1. 26 Fidem do : loquere He. i, 2. 39 Maxume volo, doque operam, ut He. iii, 3. 36 Sin fidem do Ph. iii, 2. 7 Sexcentas scribito jam mihi dicas. nihil do Ph. iv, 3. 64 Quando illud, quod tu das, expectat, atque amat Eu. iii, 1. 57 Si mihi fidem das, te tacituram, dicam He. i, 2. 38 Quid das consilii ? He. iv, 4. 93 Itane obstinate operam dat, ut ? A. i, 5. 8 Hanc mihi in manum dat A. i, 5. 62 Uxorem tibi non dat jam Chremes A. ii, 2. 15 Huic prorsus illam non dat. Da. Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere A. ii, 2. 34. 35 Si id succenseat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes A. ii, 3. 2 Num solus ille dona dat ? Eu. i, 2. 83 Dat mihi, ut auferam Eu. iv, 1. 13 Habet quod det, et dat nemo largius Eu. v, 9. 48 Istuc times, quod ille operam amico dat suo ? Ch. Immo quod amicæ. Me. Si dat Hea. v, 1. 37. 38 Is si dat, sat est Ph. iv, 2. 14 Prius quam hæc dat veniam, mihi prospiciam et Phædriæ Ph. v, 8. 47 Facile omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis damus A. ii, 1. 9 Quantum tibi opis Di dant Hea. iii, 3. 31 Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus He. iii, 3. 20 Si illam dant, hanc ut mittam Ph. iv, 3. 70 Alium esse censes nunc me, atque olim cum dabam ? A. iii, 3. 13 Ego istuc ætatis, non amori operam dabam Hea. i, 1. 58 Neque, ut celari posset, tempus spatium ullum dabat He. iii, 3. 14 Quæ dotis tantumdem dabat Ph. v, 7. 36 Nos otiosi operam dabamus Phædriæ Ph. i, 2. 37 Nos ambo opere maxumo dabamus operam, ut fieret Ph. v, 1. 33 Dum istis fuisti solus, te indulgebant, tibi dabant Hea. v, 2. 35 Heri minas viginti pro ambobus dedi Eu. i, 2. 89 Ei unam cœnam atque ejus comitibus dedi Hea. iii, 1. 47 Ei dedi exponendam (filiam) Hea. iv, 1. 16 Repeton' quem dedi ? Ad. i, 1. 56 Pro qua ego argentum dedi ? Ad. ii, 1. 25 Quam longum spatium amandi amicam tibi dedi ? He. iv, 4. 62 Eum, quem olim ei dedi He. v, 4. 6 Eas dedi tuo gnato : is pro sua amica lenoni dedit Ph. v, 8. 50 Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit ! Eu. iv, 3. 11 Tuum filium dedisti adoptandum mihi Ad. i, 2. 34 Nam ambos curare, propemodum reposcere illum est, quem dedisti Ad. i, 2. 52 Pol haud paternum istuc dedisti Ad. iii, 4. 4 Quem fratri adoptandam dedisti Ad. iii, 4. 17 Satis diu dedisti verba Ad. iv, 4. 11 Quid ? symbolam dedit, cœnavit A. i, 1. 62 Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit Eu. Prol. 9 Ibi tum matri parvolam puellam dono quidam mercator dedit Eu. i, 2. 29 Quia neque tu uno eras contenta, neque solus dedit Eu. i, 2. 42 Quod dedit principium adveniens ! Eu. iii, 2. 4 Quas turbas dedit ! Eu. iv, 3. 11 Is dedit mihi hanc vestem Eu. iv, 4. 34 Thais patri se commendavit in clientelam et fidem : nobis dedit se Eu. v, 9. 10 Qui mihi consilium dedit, ut facerem Eu. v, 9. 15 Me actorem dedit Hea. Prol. 12 Ea res dedit tum existumandi copiam Hea. ii, 3. 41 Ea lavatum dum it, servandum mihi dedit Hea. iv, 1. 42 Vel me hæc deambulatio, quam non laboriosa, ad languorem dedit ! Hea. iv, 6. 3 Quam hic non amavit meretricem ? aut cui non dedit aliquid ? Ad. i, 2. 69 Dedit præterea in sumtum, dimidium minæ Ad. iii, 3. 16 Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit Ad. iv, 2. 46 Quis despondit ? quis dedit ? Ad. iv, 5. 36 Hujus filio hodie primam mammam dedit hæc. De. Si quidem primam dedit Ad. v, 9. 18. 19 Hoc consilium, quod dicam, dedit Ph. i, 2.

F.

G.

H.

I.

tam esse, animum inducite Hea. Prol. 41 Bonam atque justam rem oppido imperas, et factu facilem Hea. iv, 3. 26 Justam illam causam, facilem, vincibilem, optumam? Ph. i, 4. 49 Eho! nonne hæc justa tibi videntur postea? Ad. iv, 5. 26 Quia non justa, injusta prorsus omnia, omnino obsequor Ad. v, 9. 33 Qui possit noscere tua justa? Ph. ii, 1. 50 Quæ causa est justissima Ph. iv, 4. 30

Juvo. Id demum juvat, si Ad. ii, 3. 2 Qui sic sunt, haud multum hæredem juvant He. iii, 5. 10 Crede inquam mihi, aut consilio, aut re juvero Hea. i, 1. 34

L.

Labasco. Labascit, victus uno verbo Eu. i, 2, 98 Labascit Ad. ii, 2. 31

Labefacio. Omnes dentes labefecit mihi Ad. ii, 2. 36

Labefacto. Ita me video ab ea astute labefactarier Eu. iii, 3. 3

Labia. Accurrit ad me, incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens Eu. ii, 3. 44

Labor vel Labos. Quibus est alicunde aliquis objectus labos He. iii, 1. 6 Ut aliqua pars laboris minuatur mihi Hea. Prol. 42 Si quid laboris est, nollem Hea. i, 1. 30 Sine me, vacivom tempus ne quod duim mihi laboris Hea. i, 1. 39 Meo labori haud parcens He. ii, 1. 29 Ex eo nunc misera quem capit laborem! A. iv, 3. 5 Nonne te miseret mei? tantum laborem capere ob talem filium? A. v, 2. 29 Non convenit, qui illum ad laborem impulerim, me ipsum fugere Hea. i, 1. 113 Spe incerta, certum mihi laborem sustuli He. Alt. Prol. 9 Laborem inanem ipsus capit He. iii, 2. 9 Ita ut ingenium est hominum ab labore proclive ad lubidinem A, i, 1. 51 Ejus labore, atque ejus dolore, gnato ut medicarer tuo A. v, 1. 12 Labore alieno magnam partam gloriam verbis sæpe in se transmovet Eu. iii, 1. 9 Ne assidue agendi sint mihi, cum labore maxumo Hea. Prol. 40 Labore inventa mea cui dem bona Hea. iv, 7. 13 Ut serves, quod labore invenerit Hea. v, 4. 17 Hoc fructi pro labore ab his fero, odium. Ille alter sine labore patria potitur commoda Ad. v, 4. 16. 17 Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit suos, paulo sumtu Ad. v, 4. 21 Poëtam restitui in locum, prope remotum ab labore He. Alt. Prol. 15 Sine labore hanc gratiam, te, ut sibi des pro illa, nunc rogat He. iii, 3. 30 Haud existumans, quanto labore partum Ph. i, 1. 12 Omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves Hea. ii, 4. 19

Laboriosus, a, um. Si qua laboriosa est, ad me curritur: sin lenis, ad Hea. Prol. 44 Vel me hæc deambulatio, quam non laboriosa, ad languorem dedit! Hea. iv, 6. 3

Laboro. Laborat e dolore A. i, 5. 33 At istos rastros interea tamen appone: ne labora Hea. i, 1. 37 Illi de me supplicium dabo: laborans, quærens Hea. i, 1. 87

Labrum. Hem! vide, ut discidit labrum Ad. iv, 2. 20

Lacero. Ne cujusquam misereat: quin spolies, mutiles, laceres He. i, 1. 8 Vah! quibus illum lacerarem modis. Ad. iii, 2. 17

Lacesso. Phormionem, qui volet, lacessito Ph. v, 8. 38 Vetus si Poëta non lacessisset prior Ph. Prol. 14 Is ne erret, moneo, et desinat lacessere Eu. Prol. 16 Hic respondere voluit, non lacessere Ph. Prol. 20

Laches. Laches, et diligentiam vostram, et benignitatem novi He. ii, 2. 21 Haud equidem dico, mi Laches He. ii, 1. 35 alibi

Lacruma. Hinc illæ lacrumæ! A. i, 1. 99 Lacrumæ confictæ dolis A. iii, 3. 26 Homini illico lacrumæ cadunt, quasi puero, gaudio Ad. iv, 1. 21 Ipsa horrida: lacrumæ, vestitus turpis Ph. i, 2. 57 Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me? He. iv, 4. 53 Lacrumas excussit mihi Hea. i, 1. 115 Hera, lacrumas mitte Ad. iii, 2. 37 Lacrumis opplet os totum sibi Hea. ii, 3. 65 Ut ne restinguas, lacrumis si exstillaveris Ph. v, 7. 82

Lacrumo. Oh! lacrumo gaudio Ad. iii, 3. 55 Lacrumo, quæ posthac futura est vita, cum He. iii, 3. 45 Quid lacrumas? Ad. iv, 5. 45 Quid tu igitur lacrumas? He. iii, 2. 20 Virgo ipsa lacrumat Eu. iv, 3. 17 Num id lacrumat virgo? Eu. v, 1. 13 Eheu! Ch. Ne lacruma Hea. i, 1. 32 Nequeo, quin lacrumem miser He. iii, 3. 25 Repperi, qui det, neque lacrumet Ph. iii, 2. 37 Virgo conscissa veste lacrumans obticet Eu. v, 1. 4 Venit ipsus ultro, lacrumans, orans, obsecrans Ad. iii, 4. 26 Corripui illico me inde lacrumans. Ad genua accidit, lacrumans misera He. iii, 3. 17. 19 Intervenit adolescens quidam lacrumans Ph. i, 2. 42

Lacrymula. Una mehercle falsa lacrymula restinguet Eu. i, 1. 22

Lacto. Solicitando, et pollicitando eorum animos lactas? A. v, 4. 9 Nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres? A. iv, 1. 24

Lacus. Apud ipsum lacum est pistrilla Ad. iv, 2. 44 Perreptavi usque omne oppidum: ad portam, ad lacum: quo non? Ad. iv, 6. 3

Lædo. Minus multo audacter, quam nunc lædit, læderet Ph. Prol. 11 Responsum, non dictum esse, quia læsit prior Eu. Prol. 6 Minus multo audacter læderet Ph. Prol. 11 Qui placere se studeat bonis, et minime multos lædere Eu. Prol. 2 Si perget lædere ita, ut facere instituit Eu. Prol. 18 Placidus, nulli lædere os, arridere omnibus Ad. v, 4. 10

Lætitia. Quæ mihi ægritudinem afferat: tanta hæc lætitia oborta est Hea. iv, 3. 2 Ut hanc lætitiam nec opinanti primus ei objicerem domi Hea. i, 2. 12 Syre mi; obsecro, ne me in lætitiam frustra conjicias Hea. ii, 3. 51 Quantam obtuli adventu meo lætitiam Pamphilo hodie! He. v, 3. 18 Hunc diem cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitia degere Ad. iv, 1. 6

Lætor. Istuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor Hea. iv, 3. 5 Ut ego nunc non tam meapte causa lætor, quam illius Hea. iv, 3. 9 Hæc tot gaudia illi contigisse lætor He. v, 3. 35 Ut quisquam amator nuptiis lætetur He. v, 3. 37

Lætus, a, um. Lætus est, nescio quid A. ii, 2. 3 Quid gestiam, aut quid lætus sim Eu. iii, 5. 7 Quid hic lætus est? Eu. v, 9. 4 Lætus est de amica Ad. ii, 2. 44 Lætus sum, fratri obtigisse, quod volt Ph. v, 4. 1 Gnatus quod se assimulat lætum, id dicis? Hea. v, 1. 15 Concurrunt læti mi obviam cupedinarii Eu. ii, 2. 25 Ain' tu? læta est? Eu. iii, 1. 2 Læta vero ad se abducit domum Eu. iii, 5. 28 Illico omnes simul lætæ exclamant, venit! He. iii, 3. 8 Nihil vidi quicquam lætius Ad. iii, 3. 12

Lamentor. Quia tum mihi lamentari præter ceteras visa est A. i, 1. 94 Modo vidi virginem miseram, suam matrem lamentari mortuam Ph. i, 2. 46

Lampas. Missa hæc face; hymenæum, turbas, lampadas, tibicinas Ad. v, 7. 9

Lana. Anus ad lanam redit Hea. ii, 3. 37 Lana ac tela victum quæritans A. i, 1. 48

Languor. Vel me hæc deambulatio, quam non laboriosa, ad languorem dedit! Hea. iv, 6. 3

Lanius. Concurrunt læti mi obviam, cupedinarii omnes, cetarii, lanii Eu. ii, 2. 26

Lapis. Ubi possem persentiscere, ni essem lapis? Hea. v, 1. 44 Tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas He. ii, 1. 17 Hei, quid stas? lapis! Hea. iv, 7. 3

Large. Principio et habet quod det, et dat nemo largius Eu. v, 9. 48

Largior. De te largitor, puer Ad. v, 8. 17 Ex assentando, indulgendo, et largiundo Ad. v, 9. 31

Largitas. Quæ istæc subita est largitas? Ad. v, 9. 28 Vehemens in utramque partem es nimis, aut largitate nimia, aut parsimonia Hea. iii, 1. 32

Lascivia. Qui nunc luxuria, et lascivia diffluit Hea. v, 1. 72

Lassus, a, um. Animus lassus, cura confectus, stupet A. ii, 1. 4 Vigilabis lassus A. ii, 1. 15 Lassam oppido tum esse aiebant He. ii, 1. 41

Later. Purgem me? laterem lavem Ph. i, 4. 9

Latinus, a, um. Latini Phormionem nominant Ph. Prol. 27 Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas Eu. Prol. 8 Eas fabulas factas prius Latinas, scisse se, id vero pernegat Eu. Prol. 34 Dum facit paucas Latinas Hea. Prol. 18

Latus. Triumpho, si licet me latere tecto abscedere Hea. iv, 2. 5

Laudo. Laudo A. ii, 6. 12. Eu. ii, 2. 48. Ph. i, 2. 90 Non laudo A. ii, 6. 24 Eu noster! laudo Eu. i, 2. 74 Quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque Eu. ii, 2. 20 Ædepol, mea te Antiphila, laudo Hea. ii, 4. 1 In loco ego vero laudo Hea. iii, 2. 27 Nunc laudo te, gnate Hea. v, 5. 21 Laudo, Ctesipho: patrissas Ad. iv, 2. 25 Amoque, et laudo, et vehementer desidero He. iii, 5. 38 Laudo hunc Ph. ii, 1. 55 Mihi illam laudas? Eu. v, 9. 23 Eho! laudas quæso, heros qui fallunt? Hea. iii, 2. 26 Laudas? Ad. iv, 2. 26 Scelus quemnam hic laudat? A. v, 2. 4 Aut si laudat, te ut male urat Eu. iii, 1. 48 Numquid habes, quod contemnas? tacent: satis laudant Eu. iii, 2. 23 Gaudebat: me laudabat Ph. iv, 2. 5 Laudabis Hea. ii, 3. 133 Si laudabit hæc

M.

N.

O.

P.

Q.

S.

gratiam, te, ut sibi des pro illa, nunc rogat He. iii, 3. 30 Ut gratiam ineat sine suo dispendio, et mihi prosit He. v, 2. 29 Memini, confugere anhelantem domum, sine comite He. v, 3. 25 Sinam sine munere a me abire? He. v, 4. 13 Quod sine sumtu ingenuam, liberalem nactus es: quod habes, ita ut voluisti, uxorem sine mala fama Ph. i, 3. 16. 17 Quomodo hanc amans habere posset sine dote. Sine nostra cura hæc sola fecit Ph. v, 1. 30. 34 Sine controversia ab Dis solus diligere, Antipho Ph. v, 6. 14

Singillatim. Quid ego nunc commemorem, Demipho, singillatim, qualis ego in hunc fuerim? Ph. v, 8. 43

Sinister, tra, trum. Ubi is est? Py. Hem! ad sinistram, videsne? Eu. v, 1. 19 Ubi eas præterieris, ad sinistram hac recta platea: ubi ad Dianæ veneris, ito ad dextram Ad. iv, 2. 43 Tu Simalio in sinistrum cornu: tu, Syrisce, in dexterum Eu. iv, 7. 5

Sino. Age dicat, sino. Sine te hoc exorem. Si. Sino A. v, 3. 24. 30 Si sinas, dicam. Clin. Sine. Clit. Sino Hea. ii, 3. 77 At id omitto: misericordia, animus maternus: sino Hea. iv, 1. 24 Mitte: sine me in hac re gerere mihi morem. Me. Sino Hea. v, 1. 74 Sino: habeat Ad. v, 9. 39 Mitto omnia: addo istuc: imprudens timuit adolescens: sino Ph. ii, 1. 64 Tu illum corrumpi sinis Ad. i, 2. 17 Namque hoc tempus præcavere mihi me, haud te ulcisci, sinit A. iii, 5. 18 Non licet hominem esse sæpe ita ut volt, si res non sinit Hea. iv, 1. 53 Nos, quibuscum est res, non sinunt Hea. ii, 4. 8 Servom hominem causam orare leges non sinunt Ph. ii, 1. 62 Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum A. i, 2. 17 Non sivit egestas facere nos Ad. i, 2. 24 Non sinam, inquam Hea. i, 1. 39. ii, 3. 137 At enim non sinam Ad. ii, 1. 14 Non facies: neque sinam, ut He. iv, 2. 14 Pamphilamne hac urbe privari sines? horunc' amorem distrahi poterin' pati? Ph. iii, 2. 32 At id nos non sinemus Hea. v, 5. 7 Sine nunc meo me vivere interea modo A. i, 1. 126 Sed sine paululum ad me redeam A. iii, 5. 16 At tandem dicat, sine. Sine me expurgem. Sine pater. Sine te hoc exorem A. v, 3. 24. 29. 30 Fabulam inceptat. Ch. Sine A. v, 4. 22 Sine modo, mori me malim Eu. i, 1. 20 Sine me pervenire, quo volo. Sine illum priores partes hosce aliquot dies apud me habere. Hoc modo sine te exorem Eu. i, 2. 44. 71. 105 Sine, biduum hoc prætereat Eu. ii, 2. 52 Non est profecto: sine Eu. ii, 3. 89 Credo equidem illum affuturum esse, ut illam a me eripiat: sine veniat! Eu. iv, 6. 1 Sine me; vacivom tempus ne quod duim mihi laboris Hea. i, 1. 38 Si sinas, dicam. Clin. Sine. Clit. Sino. Sine. Sy. Non sinam, inquam. Clit. Quæso, paulisper. Sy. Veto Hea. ii, 3. 76. 137 Nimium illi, Menedeme, indulges. Me. Sine! Hea. iv, 8. 21 Mitte: sine me in hac re gerere mihi morem. Me. Sino Hea. v, 1. 74 Da veniam, Chreme: sine te exorem Hea. v, 5. 6 Hem! quisquis es; sine me Ad. iii, 2. 23 Mea, quæ præter spem evenere, utantur, sine Ad. v, 3. 29 Sine te exorem, mi pater Ad. v, 8. 13 Sine me, obsecro, hoc effugere He. iv, 2. 24 Sine: puerum, Phidippe, mihi cedo He iv, 4. 85 Sine dicam He. v, 1. 17 Ego expediam: sine Ph. ii, 1. 8 Exoret: sine Ph. iii, 2. 30 Congrum istum maximum in aqua sinito ludere paulisper Ad. iii, 3. 23 Sinite exorator ut sim. Sinite impetrare me, qui He. Alt. Prol. 2. 44 Ego propter me illam decipi miseram sinam? Bene et pudice ejus doctum atque eductum sinam coactum egestate ingenium immutarier? A. i, 5. 36. 39 Sinam sine munere a me abire? He. v, 4. 13 Si sinas, dicam. Clin. Mitte: ad rem redi: tace Hea. ii, 3. 76 Falli te sinas technis per servulum Hea. iii, 1. 61 Inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat A. ii, 3. 22 Ne quam in illum Thais vim fieri sinat Eu. v, 5. 21 Edicam servis, ne quoquam efferri sinant He. iv, 1. 50 Sineres vero tu illum tuum facere hæc? De. Sinerem illum! Ad. iii, 3. 41. 42 Si esses homo, sineres nunc facere, dum per ætatem licet Ad. i, 2. 28 Nolite sinere, artem musicam recidere ad paucos He. Alt. Prol. 38

Sinus. Vidin' ego te modo manum in sinum huic meretrici inserere? Hea. iii, 3. 2 Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu est? Ad. iv, 5. 75

Siquando. Tum sicubi eum satias hominum, aut negotî siquando odium ceperat. Siquando illa mentionem Phædriæ facit. Siquando illa dicet, Phædriam intromittamus commissatum Eu. iii, 1. 14. 47. 51 Siquando ad eam accesserat confabulatum He. i, 2. 106

Siquidem. Actum est, siquidem hæc vera prædicat A. iii, 1. 7 Siquidem hercle possis, nihil prius, neque fortius: verum si Eu. i, 1. 5 Siquidem biduum; verum ne fiant isti viginti dies Eu. i, 2. 102 Siquidem me amaret, tum istuc prodesset, Gnatho Eu. iii, 1. 56 Actum est, siquidem tu me hic etiam nebulo ludificabere Eu. iv, 4. 50 Siquidem tu istæc vera prædicas Eu. v, 1. 12 Siquidem istuc impune habueris Eu. v, 7. 18 Siquidem id sapere est, velle te id, quod non potest contingere. Siquidem hoc fit. Sy. Siquidem! experiundo scies Hea. ii, 3. 83. 90 Siquidem primam (mammam) dedit, haud dubium, quin. Siquidem porro, Micio, tu tuum officium facies Ad. v, 9. 19. 22 Siquidem ille ipse non volt He. iv, 1. 45 Siquidem quisquam crederet te vivo Ph. ii, 1. 72

Siquis, Siqua, Siquod. Tum siquis magistrum cepit ad eam rem improbum A. i, 2. 21 Quid facerem, siquis nunc me roget? A. i, 5. 23 Tum siquis est, qui dictum in se inclementius existimabit esse Eu. Prol. 4 Siquis recte aut commode tractaret Hea. i, 1. 100 Nunc siquis est, qui hoc dicat Ph. Prol. 13 Siquis me quæret rufus Ph. i, 2. 1 Sed siquis forte malitia fretus sua Ph. ii, 1. 43 Siqua est habitior paulo, pugilem esse aiunt Eu. ii, 3. 23 Siqua laboriosa est, ad me curritur Hea. Prol. 44 Siquid est peccatum a nobis, profer: vobis corrigemus He. ii, 2. 11 Siquid consilii habet, ut consumat nunc A. i, 1. 132

Sis: pro, Si vis. Fac sis nunc promissa appareant Eu. ii, 3. 19 Cave sis, nescis cui nunc maledicas viro Eu. iv, 7. 29 Vide sis, ne quo hinc abeas longius Hea. i, 2. 38 Illud sis vide exemplum disciplinæ Ad. v, 1. 4

Situs, a, um. Adolescens, quam minima in spe situs erit, tam facillime Hea. v, 2. 44 Ubi sita est? (cistella) Th. In risco Eu. iv, 6. 16 Pejore res loco non potest esse, quam in quo nunc sita est Ad. iii, 2. 46 In te spes omnis, Hegio, nobis sita est Ad. iii, 4. 9 Ea sita erat ex advorsum Ph. i, 2. 47 In quo nostræ spes, omnesque opes sitæ erant Ad. iii, 2. 33 Cujus nunc miseræ spes opesque sunt in te uno omnes sitæ Ph. iii, 1. 6 Sed iis, quas semper in te intellexi sitas, fide et taciturnitate A. i, 1. 6 Haud vereor, si in te solo sit situm A. i, 5. 41

Sive. Dehinc postulo, sive æquum est, te oro, ut A. i, 2. 19 Hæc Andria, sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est A. i, 3. 11 Si te in germani fratris dilexi loco, sive hæc te solum semper fecit maximi, seu A. i, 5. 58 Sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos Eu. ii, 3. 20

Sobrinus. Estne hic Crito sobrinus Chrysidis? A. iv, 5. 6 Eho! tu sobrinum tuum non noras? Ph. ii, 3. 37

Sobrius, a, um. Tu pol homo non es sobrius A. iv, 4. 39 Ego illum Eunuchum, si opus sit, vel sobrius Eu. iii, 3. 26 Dum accubabam, quam videbar mihi esse pulchre sobrius! Eu. iv, 5. 2 Satin' sanus es, aut sobrius? Hea. iv, 3. 29 Non fratrem videt rei dare operam, ruri esse parcum, ac sobrium? Ad. i, 2. 15 Jam satis credis sobriam esse me? Eu. iv, 4. 36

Soccus. Assido, accurrunt servi, soccos detrahunt Hea. i, 1. 72

Socer. Hic socer est A. iv, 4. 53 Noster socer, video, venit He. v, 2. 4

Socius. Ita ut filium æquali suo video inservire, et socium esse in negotiis Hea. iii, 1. 9

Socordia, Socors. Nihil loci est segnitiæ, neque socordiæ A. i, 3. 1 Nolim ceterarum rerum te socordem eodem modo Ad. iv, 5. 61

Socrus. In ea re cum sit mihi adjutrix socrus He. iv, 4. 83 Quis id ait? La. Socrus He. v, 1. 21 Uno animo omnes socrus oderunt nurus He. ii, 1. 4 Ita animum induxerunt, socrus omnes esse iniquas He. ii, 3. 5

Sodalis. Si frater, aut sodalis esset, qui magis morem gereret? Ad. iv, 5. 74

Sodes. Heus puer, dic sodes A. i, 1. 58 Sic hoc, dicens; asperum, pater, hoc est, aliud lenius sodes vide Hea. iii, 1. 50 Tace sodes Hea. iii, 3. 19 At scin' quid, sodes? Hea. iv, 4. 16 Dic sodes Hea. iv, 5. 22. Ad. iv, 1. 1 Dic sodes, pater Ad. iv, 5. 9 I, sodes, intro He. iii, 2. 23 Scin', quid volo potius, sodes, facias? He. v, 1. 26 Vide, mi Parmeno, etiam sodes, ut mihi hæc certa et clara attuleris. Manedum, sodes He. v, 4. 1. 4 Duc nos sodes Ph. i, 2. 53 Concede hinc a foribus paululum istorsum, sodes, Sophrona Ph. v, 1. 14 Parce, sodes Ph. v, 3. 10 Sed transi sodes ad forum Ph. v, 7. 28

Sol. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit Ad. iv, 2. 46

Soleo. Ecquid beo te? Pa. Men'? papæ! Gn. Sic soleo amicos Eu. ii, 2. 48 Nihil enim vidi melius, mi pater. De. Sic soleo Ad. v, 7. 25 Quia ruri

T.

V.

Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam Eu. ii, 3. 67 Eho! puer, curre ad Bacchidem hanc vicinam nostram He. iv, 4. 98

Vicis, vici, vicem. Ita me Di amabunt, ut nunc Menedemi vicem miseret me Hea. iv, 5. 1

Vicissim. Domi focique, fac vicissim, ut memineris Eu. iv, 7. 45 Agedum vicissim, Syre, dic quæ illa est altera? Hea. ii, 3. 69 Sed nunc, Clinia, age, da te mihi vicissim Hea. iv, 3. 10 Vicissim partes tuas acturus est Ph. v, 5. 7

Vicissitudo. Omnium rerum, heus, vicissitudo est Eu. ii, 2. 45

Victito. Tu hercle cum illa et libenter vivis: etenim bene libenter victitas Eu. v, 9. 44

Victus. Ibi tuæ stultitiæ semper erit præsidium, victus, vestitus Hea. v, 2. 15 Lana ac tela victum quæritans A. i, 1. 48 Ille ubi miser videt, me tam facile victum quærere Eu. ii, 2. 30 Illa coacta ingratiis postilla cœpit victum volgo quærere Hea. iii, 1. 38

Videlicet. Hic de nostris verbis errat videlicet Hea. ii, 3. 22 Videlicet ille Cliniæ servus tardiusculus est Hea. iii, 2. 3 Videlicet de psaltria hac audivit Ad. iii, 4. 4

Video. Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? A. i, 4. 7 Sed Pamphilum video. Charinum video: salve. Davum optume video A. ii, 1. 11. 18. 36 Forte ibi hujus video Byrrhiam. Interea introire neminem video, exire neminem A. ii, 2. 20. 27 Ipsum adeo præsto video cum Davo: hoc agam. Si. Utrumque adesse video A. ii, 5. 4. 5 Quæ assolent signa esse ad salutem, omnia huic esse video A. iii, 2. 2 Video ipsum foras exire A. iii, 3. 48 Sed eccum ipsum video A. iii, 4. 26 Sed quos perconter? video: salvete. My. Obsecro, quem video? A. iv, 5. 5. 6 Andrium ego Critonem video? A. v, 4. 3 Quid illud gaudii est? Pa. Davom video A. v, 5. 7 Video sentum, squalidum, pannis annisque obsitum. Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video. Quid agitur? Pa. Statur. Gn. Video. Sed video herilem filium minorem huc advenire Eu. ii, 2. 5. 36. 40. 58 Quid? hunc non vides? Pa. Video, et me tædet Eu. iii, 2. 10. 11 Ita me video ab ea astute labefactarier Eu. iii, 3. 3 Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo. Simul alia circumspecto, satin' explorata sint: video esse Eu. iii, 5. 9. 55 Non potest sine malo fateri, video. Sed videon' Chremem? Eu. iv, 4. 47. 67 Eccam Thaidem ipsam video Eu. iv, 7. 18 Ubi is est? Py. Hem! ad sinistram, videsne? Th. Video Eu. v, 1. 20 Sed estne hæc Thais, quam video? Eu. v, 2. 9 Move vero ocyus te, nutrix. So. Moveo. Ch. Video, sed nihil promoves. Virum bonum eccum Parmenonem incedere video Eu. v, 3. 4. 10 Ecce autem video rure redeuntem senem Eu. v, 5. 25 Atque eccum, video: adibo Eu. v, 7. 5 Video alios festinare, lectos sternere Hea. i, 1. 73 Ubi video hæc, cœpi cogitare; hem! Hea. i, 1. 76 Ego vero audio nunc demum, et video, et valeo. Sed video, eccos, quos volebam. Nihil satis firmi video, quamobrem Hea. ii, 3. 3. 15. 96 Videon' Cliniam, an non? Hea. ii, 4. 25 Ita ut filium meum amico, atque æquali suo video inservire. Ipsum foras egressum video: ibo, alloquar Hea. iii, 1. 9. 17 Plus spei video, quam volo Hea. iv, 1. 46 Nisi aliquid video, ne Hea. iv, 2. 3 Næ, tu propediem, ut istam rem video, istius obsaturabere Hea. iv, 8. 29 Optume ipsos video. Video, non licere, ut cœperam, hoc pertendere Hea. v, 5. 3. 9 Nescio, quid tristem video Ad. i, 1. 54 Sed Ctesiphonem video Ad. ii, 2. 44 Numquidnam effert? occidi! nihil video Ad. ii, 4. 2 Quidnam est, quod sic video timidum, et properantem Getam? Ad. iii, 2. 7 Sed eccum Syrum ire video! Sed quis illic est, procul quem video? Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias restare video! Ad. iii, 3. 7. 84. 91 Ut video ego tuam ineptiam, facturum credo Ad. iv, 7. 31 Quæ (signa) ego illis inesse video, ut confidam fore, ita ut volumus: video sapere, intelligere Ad. v, 3. 40. 41 Cum te video nostræ familiæ tam ex animo factum velle Ad. v, 7. 20 Sed videon' ego Philotium? He. i, 2. 6 Atque eccum Phidippum optume video. Nunc video in illarum potestate esse te He. ii, 2. 4. 8 Atque eccum video ipsum egredi He. iii, 2. 17 Pamphilum ipsum video stare ante ostium. At at! eccum Phidippum, et patrem video He. iii, 4. 14. 36 Atque eccam video He. iv, 1. 8 Hic video me esse invisam immerito He. iv, 2. 21 Video Phidippum egredi per tempus He. iv, 3. 16 In eandem vitam te revolutum denuo video esse. Omnino abhorrere animum huic video a nuptiis He. iv, 4. 70. 92 Noster socer, video, venit He. v, 2. 4 Sed, quid Bacchidem ab nostro affine exeuntem video? Postquam video, nescio quid suspicarier magis cœpi He. v, 3. 9. 28 Bacchidem, eccam, video stare ante ostium! He. v, 4. 14 Sed videon' Getam? Ph. i, 1. 16 Videon' ego Getam currentem huc advenire? Ph. i, 3. 25 Quis hic est senex, quem video in ultima platea? Ph. i, 4. 38 Mei fratris video filium mihi ire obviam Ph. ii, 1. 23 Eccum ipsum video in tempore huc se recipere Ph. ii, 4. 24 Patruum video cum patre astantem Ph. iv, 3. 2 Meæ nutricem gnatæ video Ph. v, 1. 9 Meum virum abs te exire video. Hei! video uxorem: pæne plus, quam sat erat Ph. v, 3. 12. 14 Antiphonem video ab sese amittere invitum eam, inque. De. Tum autem video filium invitum mulierem ab se amittere Ph. v, 7. 25. 26 Neque respondeo, prius quam gnatum video Ph. v, 8. 56 Hujus formam, atque ætatem vides A. i, 5. 51 Si id facis, hodie postremum me vides A. ii, 1. 22 Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis A. ii, 2. 36 Viden' me tuis consiliis miserum impeditum esse? A. iii, 5. 10 Si quid est, quod mea opera opus sit vobis, aut tu plus vides, manebo A. iv, 3. 23 Viden' me ex eodem ortum loco? Viden', otium, et cibus quid faciat alienus? Num quidnam, quod nolis, vides? Eu. ii, 2. 10. 34. 41 Viden' tu illum, Thais? Eu. iv, 6. 16 Viden' tu, Thais, quam hic rem agit? Eu. iv, 7. 13 Viden' tu, ancillas, aurum, vestem? Hea. ii, 3. 11 Quæ sit ejus ætas, vides Hea. iii, 2. 44 Non vides, quantum mali ex ea re excites? Hea. v, 3. 11 Abs te quamobrem hæc abierit, causam vides He. iii, 3. 22 Postquam ademtam hanc quoque tibi causam vides He. iv, 4. 58 Cur non, inquam, Phormio, vides, ut? Ph. iv, 3. 16 Vides tuum peccatum esse elatum foras Ph. v, 7. 65 Id mutavit, quia me immutatum videt? A. i, 5. 7 Nunc, postquam videt, nuptias domi apparari A. iii, 2. 33 Is ubi hanc forma videt honesta virginem Eu. i, 2. 52 Ille ubi miser famelicus videt me esse in tanto honore Eu. ii, 2. 29 Non fratrem videt rei dare operam? Ad. i, 2. 14 Postquam videt (nuptias) paratas. Postquam hunc alienum ab sese videt He. i, 2. 51. 83 Postquam videt me ejus mater esse hic diutius Ph. iv, 1. 3 Imus: venimus: videmus: virgo pulchra! Ph. i, 2. 54 Quæ vos propter adolescentiam minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum Ad. v, 9. 36 Videtis, quo in loco res hæc siet Ph. ii, 4. 6 Melius, pejus; prosit, obsit: nihil vident, nisi quod lubet Hea. iv, 1. 30 Hem! Clinia hæc fieri videbat? Hea. v, 1. 34 Ego illam vidi virginem, forma! A. ii, 5. 17 Quemne ego heri vidi ad vos afferri vesperi? Vidi Cantharam suffarcinatam A. iv, 4. 29. 30 Cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam A. v, 1. 19 Ego commodiorem hominem, adventum, tempus, non vidi A. v, 2. 3 Vidi, novi: scio, quo abducta sit. Dixti pulchre: nunquam vidi melius consilium dari Eu. ii, 3. 58. 84 Quantum ego illum vidi, nonnihil timeo misera Eu. iv, 1. 1 Ubi vidi, ego me in pedes, quantum queo Eu. v, 2. 5 Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim Eu. v, 5. 16 Nunquam, pol, hominem stultiorem vidi, nec videbo Eu. v, 7. 8 Ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit Hea. ii, 4. 22 Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis Hea. iii, 1. 82 Vidin' ego te modo manum in sinum huic meretrici inserere? Hea. iii, 3. 2 Quæ vidi! væ misero mihi! Hea. v, 1. 44 Ubi te vidi animo esse omisso Hea. v, 2. 9 Nunquam vidi iniquius concertationem comparatam Ad. ii, 2. 3 Certum: hisce oculis egomet vidi Ad. iii, 2. 31 Nihil vidi quicquam lætius Ad. iii, 3. 12 Quem ego hodie toto non vidi die Ad. iv, 1. 11 Dum illum quæro, a villa mercenarium vidi Ad. iv, 2. 3 Ubi eam vidi, illico accedo, rogito Ad. iv, 4. 8 Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi! Ad. v, 4. 13 Nihil enim vidi melius, mi pater Ad. v, 7. 24 Modo quandam vidi virginem hic viciniæ miseram Ph. i, 2. 45 Ego hominem calidiorem vidi neminem Ph. iv, 2. 1 Perliberalis visa est, cum vidi, mihi Ph. v, 3. 32 Ubi vidisti? Ch. In via. Nostin' quæ sit? dic mihi: aut vidistin'? Eu. ii, 3. 30. 58 Vidistin' fratrem Chæream? Eu. iv, 4. 46 Quid eum? vidistin' hodie? Ad. iii, 3. 46 Hunc oculis suis nostrarum nunquam quisquam vidit, Phædria. Ph. Non vidit? Eu. iv, 4. 11. 12 Quis homo pro mœcho unquam vidit in domo meretricia prehendi quemquam? Eu. v, 5. 18 Quid illi credis animi tum fuisse, ubi vestem vidit illam esse eum indutum pater? Eu. v, 7. 14 Hunc ego nunquam videram etiam Eu. v, 8. 6 Nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram He. v, 4. 23 Summa forma semper conservam domi videbit Eu. ii, 3. 75 Ubi videbit tantos sibi sumtus domi quotidianos fieri Hea. iv, 5. 6 Nunc ubi me illic non vi-